
IHS



R. P. FERDINANDI DE CASTRO PALAO, LEGIONENSIS,

SOCIETATIS IESV,

SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSORIS,
& sanctæ Inquisitionis Qualificatoris & Consultoris,

OPERIS MORALIS,

DE VIRTVTIBVS, ET VITIIS CONTRARIIS, IN varios Tractatus, & Disputationes Theologicas distributi,

PARS PRIMA.

Continet tractatus de Conscientia, de Peccatis, de Legibus, de Fide, Spe, & Charitate,

PRODIT NVNC PRIMVM







LVGDVNI,
EX OFFICINA LANDRIANA.
Sumptibus CLAVDII DV-FOVR.

M. DC. XXXV.

CVM PRIVILEGIO REGIS.




OPVS MORALE

R. P. FERDINANDI

DE CASTRO PALAO

LEGIONENSIS,

SOCIETATIS IESV.



MAGNO APOSTOLICI INSTITVTI, PIETATIS, LITERARVM

Inſtauratori, Orbe vtroque Catholicæ fidei Propagatori, Hæreſeon omnium Debellatori acerrimo, Miraculorum gloriâ Thaumaturgo, Sanctiſſimo IGNATIO DE LOYOLA, Societatis IESV Fundatori, Parenti Optimo,

FERDINANDVS DE CASTRO PALAO, natorum minimus Maximo, quo poteſt obſeruantiæ affectu,

O. D. C.



VOTVS QVIS QVE Scriptorum (GLORIOSISSIME PARENS) monumēta poſteritati tranſmittenda, non antea Mæcenati deſtinarit, quàm patriâ curâ & poteſtate emancipata, ſui iuris in vulgus emittat? Hic (ipſo tanquam in veſtibulo facem) eum fronti Patronum inſcribit, è cuius ſplendore in reliquum operis ni-

tor ſcintillet: ille eum, ſub cuius tutelâ anhelos irruentium calamorum & linguarum aculeos, ô nimium fatales declinet: Plerique eum, cui affectus, cultúſque monumentum in omne æuum abiturum conſecratum iri volunt. Horum ego (Parens Beatiſsime) non vnum, vnâ omnes æmulatus, Patronum Te vnum inſtar omnium, huic operi, illud Tibi inſcriptum volui, debui, & verò vtrique. A quo enim alio Sole pertenui huic inſcriptioni lucem, niſi à Te, conciliarem, qui ſanctimoniæ, doctrinæ tuæ, Natorum radiis ſæculi noctem diſpuliſti, hiſce radiis æternũ exulaturam: qui literas ipſas vel conſopitas excitaſti, vel penè emortuas fœlici redanimatione in meliorem vitam reuocaſti? Quem alium Herculem adſciſcerem aduerſus liuoris Hydram plenis buccis calumnias ſcribentibus inſufflantem: cui vno execto plura è vulnere velut è ſemine colla ſuccreſcunt, quàm Te, à quo tanquam marmore inuidiæ tela hebetata, retorta, effracta

cta

cta omnia, nullúmne minimum admißum? Testes Hispaniæ, Galliæ, Venetiæ, Europa tota. Cui tandem hominum cælitúmue (hæc summa inscriptionis causa) hoc quidquid est muneris appenderem, quàm cui ipsum me totum, reliqua mea deberi, mihi conscius sum: cuius ab ineunte ætate cultum in adyta pectoris admisi? in cuius Societatem, disciplinámque iam tum adscriptus, vtinam vel nunc excultus: in qua ad literas capessendas, edocendas institutus; cuius benignè adspirantis aura, me in omni vitæ meæ studio, conatu, consilio fouit, & largo desuper beneficiorum imbre perpluit. Quæ orbi testata volui publico hoc voto, quod sentio in tam augustam aram quàm humile! Sed farre & fictili non semel ad Capitolium superis litatum. Nec minus propitij erant mola salsa supplicantibus, imo vero, vt palàm est, placatiores. Nam ad aram Gratiarum (*sic habet vetus Parœmia*) animus, non hostia censetur. *Quid? quòd* Plin. lib. 12. c. 18.

vel maximè te dignum, quòd modicum, quia exiguum. Mirum enimvero, sed verum, quod & de se ille Magnus, magno, an vero præconio? Nulla, *inquit,* munera Alexandro digna sunt, si quæ vero, leuiora, quæ ab Alexandro momentum accipiant, ipsi Alexandro consecrata. *Humanitate ergo (PARENS AVGVSTISSIME) qua reliquum orbem, excipe natum, dignare munusculum ab animo certè commendandum, de se exiguum, à Te, si admiseris, momentum habiturum. Idque (vt cætera tua)* ad Dei maiorem Gloriam, animarumque profectum; *luce Tua in lucem abeat, aliqualem aliis allaturum. Sic voui. Tu velis. Faxo ô Numen.*

Quintus Curtius in vita Alex.

INDEX



AD LECTOREM.

SCIAS velim (benigne & ſtudioſe Lector) laboris mei, quem hiſce lucubrationibus Theologicis videbis impenſum, & tempus, & intentionem. De primo id tantùm affirmo, me poſtquam in noſtro D. Ambroſij Valleſoletano Collegio Philoſophiam docui, Superiorum iuſſu, duodecim annos in Theologiæ moralis difficultatibus auditoribus è ſuggeſtu enodandis conſumpſiſſe. Cui ſtudio quidquid in me virium fuit (exiguas ſemper fuiſſe fateor) id totum contuli. O vtinam expectationi & deſiderio fecerim ſatis. Cùm enim moralis Theologia ferè omnes concluſiones ex Pontificio & Cæſareo iure eliciat, exigit in Doctore ſuo non mediocrem vtriuſque cognitionem; quam abſque ingentis laboris aſſiduitate obtineri non poſſe, nemo eſt qui ambigat. An ego illam fuerim conſequutus? penes te erit iudicium. Hoc credas, me nec Cæſarei, aut Pontificij iuris decretum, aut Sanctorum Patrum & Doctorum, tam Scholaſticorum, quàm iuris vtriuſque prudentium referre ſententiam, quam non ipſe viderim, & qua potui diligentia intelligere curauerim. Nouitatem ſententiarum, aut reſolutionum veritate deſtitutam

non ſector, qui id ſemper oculis præfixum habui, vt Sanctorum Patrum & Doctorum veſtigiis inhærerem, conſilium illud ſatis tutum (in re adeò dubia) tenens, ſcilicet, Ne tranſgrediaris terminos antiquos, quos poſuerunt Patres tui, Prouerb. 22.28. Id tamen non inficiabor, me maioris ſemper habuiſſe pretij Societatis noſtræ Doctores, tum quia ſemper illos habui Magiſtros, tum quia domeſticos. Nec hoc mihi vitio vertendum, cùm legi ſit naturæ conſonum, vt propria quiſque amicabiliora reputet. Ergo quidquid per tam longi temporis ſpatium ex his ſacris fontibus hauſi, & nunc ebibo, (neque enim prælegendi labore liber ſtudio ſuperſedeo,) hiſce meis tractatibus Theologicis tibi offero. An vt alios habeas rerum moralium Commentarios hocce præſertim ſæculo horum librorum abundantia, & quidem doctiſſimorum, ſcaturienti? minimè. Sed alumnus cùm ſim Societatis IESV, & ſanctiſſimi Patriarchæ IGNATII filius, etſi indignus, à meipſo deſciſcere iudicarer meritò, ſi quod in me eſt, id non referrem totum ad Dei Optimi, Maximi gloriam, proximorúmque vtilitatem. En mei laboris fructum, en mei ſtudij intentionem: quæ ſi aſſequor, nihil eſt, quod deſiderem. Quare ſi in his diſputationibus aliquid, quod non diſpliceat, repereris, id Dei honori, & tuæ vtilitati dicatum intelligas?

Elegi de virtutibus tractationem moralem, & pręcipuè de Religione, quia mihi ſemper formoſior arriſit. Diuido illam in tria volumina, quorum

Primum

Primum nos continet tractatus Theologicos: de Conſcientia, de Peccatis, de Legibus ad vniuerſam de moribus diſputationem præuios; vtpote ſummi ponderis & vtilitatis: tres reliquos de Fide, Spe, & Charitate,& vitiis contrariis.In tractatu de Fide multa diſputo de Sacræ Inquiſitionis iuriſdictione, Inquiſitorum officio & exercitio, tum vt tractatui grauiſſimo & vtiliſſimo nihil deſit, tum vt quamplurimis, & quidem grauiſſimis in hac materia difficultatibus emergentibus lucem aliquam apponam, qui per multos annos conſultationibus ſanctæ Inquiſitionis inſeruio. Volumen alterum proferet diſputationes de Oratione, de Horis Canonicis, Adoratione, Sacrificio, Obſeruatione feſtorum, Decimis, Immunitate Eccleſiarum, perſonarúmque Eccleſiaſticarum, de Beneficiis, de Iuramento, de Voto, ſtatúque Religioſo. Tertium verò volumen Sacramentorum theſauros diſputationibus reſerabit, agétque de Cenſuris,Bulla cruciata, necnon de vitiis Religioni oppoſitis; quibus vniuerſam de Religionis virtute tractationem abſoluemus. Si verò Deus ſpatij vitam, (quam ægra ſemper valetudine dego) prorogabit, aliud noſtrum habebis volumen, vniuerſam de Iuſtitia eiúſque comitibus, de Prudentia, Fortitudine & Temperantia, diſputationem complectens. Ecce laborem meum: illo fruere fœliciter; quod vt facias, claritatem & breuitatem, qua cura & diligentia poſſum, affecto. Vtinam

Dei

Dei laudi & tuæ ſemper cedat vtilitati. Si quid erratum in his commentariis repereris, id Romanæ Eccleſiæ correctioni, ſanctorum Patrum, & Doctorum iudicio lubens ſubmitto. VALE.



APPRO

APPROBATIO.

IOANNES CLAVDIVS DE VILLE in ſacra Theologia Doctor, Cuſtos ſanctæ Crucis in Eccleſia Lugdunenſi, & in hac Diœceſi Vicarius Generalis ſubſtitutus Domini D. Alphonſi Ludouici du Pleſſis de Richelieu, eminentiſſimi Cardinalis Archiepiſcopi & Comitis Lugdunenſis: fidem facimus, nos hoc Opus Morale de virtutibus, & vitiis contrariis, in varios Tractatus & Diſputationes Theologicas diſtributum, à R. P. Ferdinando de Caſtro Societatis IESV compoſitum, euoluiſſe, omniáque in eo iuxta Catholicæ, Apoſtolicæ, & Romanæ Eccleſiæ, Sanctorúmque Patrum ſanam doctrinam ſumma cum eruditione, ſingulari ingenij acumine, & eximia mentis perſpicuitate expoſita comperiſſe. Lugduni Non. Ianuariis 1631.

DE VILLE.

NOs quoque ſubſignati Doctores Pariſienſes, fidem eandem facimus, & atteſtamur omnibus ad quos quomodocunque ſpectabit, præfatum Opus Morale de virtutibus, & vitiis contrariis, in varios Tractatus & Diſputationes Theologicas diſtributum, à R. P. Ferdinando de Caſtro Societatis IESV compoſitum, vidiſſe, & nihil in eo reperientes fide indignum Catholica, vt in lucem ederetur dignum iudicaſſe. Lugduni in Conuentu ſancti Bonauenturæ, die quarta menſis Februarij. Anni Domini 1631.

FR. DESIDERIVS RICHARD
Guardianus præfati Conuentus.

FR. BERNARDINVS MOLLIASSON.

SVMMA PRIVILEGII
Regis Christianissimi.

LVDOVICVS XIII. Dei gratiâ Galliarum & Nauarræ Rex Christianissimus, singulari priuilegio sanxit, ne quis per vniuersos Regnorum suorũ fines, intra sex annos, à die finitæ impressionis computandos, imprimat, seu typis excudendum curet, & venalem habeat librum, qui inscribitur, R. P. Ferdinandi de Castro Palao Opus Morale de virtutibus & vitiis, præter Claudium Landry, Bibliopolam Lugdunensem, aut illos, quibus ipsemet concesserit. Qui secùs faxit, præter librorum confiscationem, mille librarum illatione mulctabitur; vti latiùs patet in litteris, datis Parisiis 7. Martij 1631.

Ex mandato Regis

Signatum

LELONG.

Summa Priuilegij Regis Christianissimi.


VDOVICVS XIII. Dei gratiâ Galliarum & Nauarræ Rex Christianissimus, singulari priuilegio sanxit, ne quis per vniuersos Regnorum suorum fines, intra sex annos, à die finitæ impressionis computandos, imprimat, seu typis excudendum curet, & venalem habeat librum, qui inscribitur, R. P. Ferdinandi de Castro Palao Operis Moralis de virtutibus & vitiis Tomus Primus, præter Claudium Du-Four, Bibliopolam Lugdunensem, aut illos, quibus ipsemet concesserit. Qui secùs faxit, præter librorum confiscationem, mille librarum illatione mulctabitur; vti latiùs patet in litteris, datis Parisiis die 11. Augusti 1632.

Ex mandato Regis

Signatum

THOMASSIN.

Hoc Opus finitum fuit die 20. Maij 1635.



INDEX

Tractatuum, Disputationum, & Punctorum huius primæ partis operis moralis de virtutibus, & vitiis contrariis.

TRACTATVS I.

De Conscientia.

DISPVTATIO I.

De Conscientia errante.

Punct. 1. QVID sit conscientia, & quotuplex. 1
2 An sit obligatio obediendi conscientiæ erranti 2
3 Quod peccatum sit conscientiæ erranti non parere 3
4 An sit peccatum agere contra conscientiam non actu errantem, sed habitu ibid.
5 An pecces sequens conscientiam errantem, si dictet vtramque partem contradictionis esse malam? 4
6 Expediuntur aliquot leuiores difficultates de conscientia errante? ibid.

DISPVTATIO II.

De conscientia opinante, seu de opinione.

Punct. 1 Quæ sit opinio probabilis, quæ probabilior, quæ communis, & an communis singulari sit præferenda? 5
2 An liceat tibi opinionem probabilem, & minus tutam sequi, relicta tua tutiori, & probabiliori 7
3 An possit Doctor, vel Confessarius consulere, vel docere opinionem minus probabilem, relicta probabiliori propria 8
4 An Confessarius possit, & debeat contra propriam opinionem pœnitentem sequentem opinionem probabilem absoluere? 9
5 An in administratione Sacramentorum liceat vti opinione probabili, & in re minus tuta relicta probabiliori, & tutiori, vel omnino certa? 10
6 An subditus contra propriam opinionem possit, & debeat superiori præcipienti obedire? 13
7 An Rex in bello inferendo moueri possit ex opinione probabili, dicente sibi illud regnum pertinere? 15
8 Quam probabilitatem de iustitia belli debeat habere miles, vt possit, teneatúrque militare? 17
9 Quam opinionem debeat sequi Medicus in medicamentis adhibendis? 18
10 Quam opinionem iudex possit, tenatúrque sequi in iudicando?
11 Quam opinionem sequi possit Aduocatus? 21

DISPVTATIO III.

De conscientia dubia.

Punct. 1 An operari ex conscientia dubia peccatum sit? 22
2 An possessio legitima in materia iustitiæ sufficiens titulus sit deponendi dubiam conscientiam, & honestandi operationem? 23
3 An possidens mala fide tenearis rem integram restituere, cùm dubius es ad quem pertineat? 24
4 An consulens homicidium, vel furtum, vel furem, aut homicidam socians, aut alio modo adiuuans, dubitas tamen, an alius absque tuo consilio, vel adiutorio furtum, homicidiúmue præstaret, tenearis de damno sequuto? 25
5 Dubius an sis legitimus, naturalis, vel spurius, quis debeas reputari, & quis te alere teneatur? 26
6 An in aliis materiis à iustitia possessio sit sufficiens titulus deponendi dubiam conscientiam? 28
7 An dubius de lege, vel præcepto tenearis illo? 29
8 Aliqua notatu digna ex supradicta doctrina inferuntur 30
9 Dubius de voto, iuramento, vel promissione, an tenearis? 32
10 An tenearis voto, promissione, vel iuramento, si dubites habuisse animum iurandi, aut promittendi, vel vouendi? ibid.
11 An tenearis promissione, voto, vel iuramento, si dubites adfuisse deliberationem? 33
12 An dubius de materia voti, iuramenti, aut promissionis sitne licita, tenearis voto, iuramento, aut promissione? 35
13 An subditus dubitans rem sibi præceptam licitam esse, seu superioris potestatem excedentem, possit, & teneatur exequi? ibid.
14 An milites dubitantes de iustitia belli possint, & debeant principi obedire? 39

DISPVTATIO IV.

De conscientia scrupulosa.

1 Quis sit scrunulus, & an contra illum quis agere possit? 40
2 Quæ remedia scrupulosis sint adhibenda? 41

TRACTATVS II.

De peccatis, & requisitis ad illa.

DISPVTATIO I.

De libertate summanarum actionum, & impedimentis illius, scilicet vi, metu, & ignorantia.

Punct. 1 QVid sit voluntarium, quid liberum, & quotuplex? 42

2 Qua ratione voluntas cum non sit, permanere dicatur?
3 An effectus, vel ommissio illius ex aliqua actione voluntaria proueniens imputetur ad culpam, quando actu vitari non potest? ibid.
4 An voluntas in se,& in potentiis sibi subiectis pati possit aliquam vim? 45
5 An ira, concupiscentia, aliáve passio causet inuoluntarium? ibid.
6 Quid sit metus,& an causet inuoluntarium, vel saltem illud diminuat? 46
7 Quæ conditiones requirantur ad metum iustum? 46
8 Vtrum metus grauis iniustè incussus ad extorquendum contractum reddat contractum iure naturæ nullum? 50
9 An metus grauis irritet contractus iure positiuo, vel veniant irritandi? 52
10 Vtrum metus, cui causam dedisti, obstet obligationi contractus? 55
11 Aliqua inferuntur pro clariori intelligentia superioris doctrinæ de metu graui. 57
12 An metus leuis irritet contractus? 58
13 An metus mortis, vel alterius grauis damni à præceptorum transgressione excuset? 59
14 Qualiter metus probandus sit? 62
15 De ignorantia quid sit,& quotuplex, quæque causet inuoluntarium? 64
16 An ignorantia, obliuio, vel inaduertentia præcepti, quando inuincibilia sunt, minuant culpam, vel ab illa excusent? 66
17 An ignorantia legis, vel pœnæ impositæ per legem excuset à pœna incurrenda? 67
18 An ad incurrendam pœnam à lege impositam sufficiat ignorantia quælibet mortaliter culpabilis? 69
19 An ignorantia excusans legis transgressionem allegari possit in foro externo, & qualiter probanda sit? 70

DISPVTATIO II.

De peccatis, vbi eorum essentia, & natura explicatur.

Punct. 1 Quid sit peccatum originale? 72
2 Quos effectus habeat peccatum originale? 73
3 Quas personas peccatum originale afficiat? 74
4 Quod sit peccatum mortale, & veniale, actuale, & habituale, & qua ratione inter se differant? ibid.
5 Qua ratione peccatum mortale à veniali differat? 76
6 An peccatum ex genere suo mortale fieri possit veniale ex defectu plenæ libertatis? 77
7 An mortale ex genere in veniale transeat ratione paruitatis materiæ,& quæ hæc sit? 78
8 An ex voluntate Legislatoris peccatum mortale possit fieri veniale? 80
9 Quibus modis veniale peccatum transeat in mortale? 81
§.1. Qua ratione peccatũ veniale in mortale transeat ratione finis? 82
§.2. An ratione contẽptus veniale transeat in mortale? ibid.
§.3. An peccatum veniale fieri possit mortale ratione periculi? 84
§.4. An peccatum veniale fiat mortale, si sæpius multiplicetur, & quid de scandalo? 87
10 An libera complacentia, & delectatio de obiecto malo, quæque dicitur delectatio morosa absque proposito exequendi illud sit peccatum mortale? 89
§.1. Proponuntur aliqua certa. ibid.
§.2. An delectari de obiecto materialiter malo, verbi gratia, de coïtu cum fœmina, v.g. de commestione carnis die Veneris sit mortale? 91
§.3. An delectatio, & desiderium obiecti mali sub conditione auferente eius malitiam mortale peccatum sit? 95
§.4. An delectatio morosa de turpi obiecto habeat omnes species, quas haberet desiderium illius. 96
§.5 An delectatio appetitus sensitiui cum commotione corporis peccatum sit mortale, si voluntas in talem delectationem expresè non consentiat? 97
11 Qua ratione pecces si te iactes, aut iactari permittas de peccato, de donis naturalibus, & de virtutibus? 99
12 An repræsentatis duobus peccatis voluntati, v. g. homicidio, & leui mendacio teneatur voluntas vtrumque respuere, vel possit absque peccato vnum præ alio amplecti? 100

DISPVTATIO III.

De peccatis, quæ est de eorum distinctione, grauitate, & pœnis eis annexis.

1 Vnde distinctio peccatorum sumenda sit? 101
2 Vnde distinctio numerica peccatorum non solùm in esse physico, sed morali, & in ordine ad confessionem desumenda sit? 103
3 Inferuntur aliqua pro clariori intelligentia distinctionis specificæ,& numericæ? 104
4 Vnde grauitas, & malitia peccati desumenda sit? 108
5 Quos effectus peccatum actuale habeat? 109

TRACTATVS III.

De Legibus.

DISPVTATIO I.

De lege in communi, eiusque causis.

Punct. 1 Vnde dicatur lex,& quid sit? 111
2 Quotuplex sit lex? 113
3 Quid sit ius gentium, & qua ratione à iure naturali,& ciuili distinguatur? 114
4 Quot,& qui sint legis actus? 115
5 An materia legis, seu eius obiectum necessariò debeat esse honestum, & virtuti conforme, & de differentia inter legem canonicam, & ciuilem? ibid.
6 An leges ciuiles,& canonicæ possint imperare actus internos? 116
7 An lex vt obliget requirat scripturam, vel aliam formam,& quæ hæc sit? 118
8 An ex prolatione sententiæ datæ à Principe in aliqua causa intelligatur lex constituta ad similes causas decidendas? 119
9 Quibus verbis lex, seu præceptum constitutum intelligatur? 120

10 Quæ promulgatio legis necessaria sit, & sufficiat ad obligationem inducendam? 122
11 Quæ promulgatio in legibus ciuilibus requiratur ibid.
12 Quæ solemnitas publicationis requiratur in lege canonica? 124
13 Vtrum acceptatio populi necessaria sit ad legis ciuilis,& canonicæ obligationem? 126
14 Vtrum lex ciuilis, & ecclesiastica inducant obligationem in conscientia,& sub peccato? 129
15 Vnde colligendum est legem ciuilem, & canonicam obligare in conscientia ad actum cui est pœna imposita,vel solùm obligare ad sustinendam pœnam,si imponatur? 133
16 An lex humana obliget cum periculo cuiuscunque grauis nocumenti? 136
17 Quæ intentio requiratur in subdito,vt legi,& præcepto satisfaciat? 137
18 An actu, qui sit peccatum possit legi, vel præcepto satisfieri? 140
19 Vtrum possis vnico actu pluribus præceptis, & obligationibus satisfacere? 141
20 Vtrum pluribus actibus eodem tempore factis possis satisfacere pluribus præceptis? 143
21 Quando censeatur peccare impedimentum apponens,vel non tollens legi, vel præcepto adimplendis ibid.
22 In quibus sit potestas leges ciuiles condendi 145
§.1 Quid dicendum est de Pontifice, & Imperatore comparatione totius orbis? ibid.
§.2 Quid dicendum de Rege,Regina,aliísque subditos habentibus? 147
23 In quibus sit potestas canonicas leges condendi 149
24 Qui teneantur legibus tam ciuilibus,quàm Ecclesiasticis? 155
§.1 Legislator an suis legibus obligetur? ibid.
§.2 Infideles, pueri, ebrij, ignorantes,& amentes, qua ratione legibus teneantur? 156
§.3 De peregrinis & forensibus an teneantur legibus loci,qua transeunt? 159
§.4 Quid dicendum de vagis, qua ratione legibus teneantur? 164
§.5 An peregrinus,& forensis teneatur legibus suæ patriæ, quando alibi est,vbi non vigent? ibid.
§.6 Qua ratione legibus ciuilibus obligentur clerici,& religiosi? 169

DISPVTATIO II.

De Lege pœnali & irritante.

1 An lex pœnalis possit transgressores illius obligare in conscientia ad subeundam pœnam ante iudicis sententiam? 172
2 An sint aliquæ pœnæ impositæ à legislatore, tam Ecclesiastico, quàm ciuili annexæ delictis ante omnem iudicis sententiam? 173
3 An pœna apposita ex mutuo contrahentium consensu debeatur ante sententiam iudicis? 177
4 Quas pœnas teneatur exequi delinquens post latam sententiam ibid.
5 Vtrum iudex teneatur pœnam imponere lege præscriptam 178
6 An pœnæ solos delinquentes ligent 179
7 De effectu legis, qui est irritatio, quæ sit, quotuplex, & an lex irritans dicatur pœnalis, vel fauorabilis? ibid.
8 An eo ipso,quo lex actum prohibeat:censeatur illum irritare? 180
9 Quando lex irritet actum ob non seruatam formam à lege præscriptam? 181
10 An lex irritans actum ipso iure indigeat sententia, vt effectum sortiatur? 182
11 An lex eo ipso, quo irritat actum, prohibeat in conscientia illius executionem? 183
12 Quibus modis irritatio impediri possit 184
13 An ommissio leuis formæ substantialis reddat irritum actum? 185
14 An lex irritans incipiat habere effectum à puncto publicationis? 186
15 Quando pœna apposita actui efficiat inualidum, quando non? ibid.
16 Quando lex censeatur pœnam imponere ipso iure? 187
17 Quæ sint verba, quibus lex censeatur annullare actum, aut pœnam imponere ipso iure ibid.

DISPVTATIO III.

De lege non scripta, qua Consuetudo appellatur.

1 Quid sit consuetudo.& quotuplex 188
2 De conditionibus requisitis ad consuetudinem 189
§.1 Quæ vocetur rationabilis consuetudo! ibid.
§.2 De tempore requisito ad consuetudinem 190
§.3 Examinatur tertia conditio de frequentia, & qualitate actuum 192
§.4 Expenditur quarta conditio de consensu legislatoris ad consuetudinem requisito 196
3 Qui possint consuetudinem introducere? ibid.
4 Quos effectus consuetudo habeat? 197
§.1 Expenditur primus effectus consuetudinis, qui est obligatio ibid.
§.2 Qua ratione consuetudo abroget legem præexistentem, qui est secundus effectus consuetudinis 198
§.3 De tertio effectu consuetudinis, qui est legem interpretari 201
§.4 De quarto effectu consuetudinis, qui est irritatio ibid.
5 An consuetudo abrogari, mutuaríque possit, & qua ratione 202
§.1 De abrogatione consuetudinis per legem ibid.
§.2 De abrogatione consuetudinis alia consuetudine 204
6 Quomodo probetur consuetudo 205

DISPVTATIO IV.

De Lege concedente priuilegium, seu de priuilegiis.

1 Quid sit priuilegium, & qua ratione à lege, dispensatione,gratia, & rescripto distinguatur 206
2 Quotuplex sit priuilegium 208
§.1 De priuilegio personali, & re aliquid sit, & qua ratione distinguantur ibid.
§.2 De priuilegio perpetuo,& temporali 209
§.3 De priuilegio gratioso,& remuneratorio, conuentionali, & puro 210
§.4 De priuilegio affirmatiuo,communi, & singulari, fauorabili, & odioso 211
§.5 De priuilegio scripto, & non scripto pro foro conscientiæ, & externo ibid.
§.6 De priuilegio ad instantiam partis, vel motu proprio concesso 213
§.7 De priuilegio absolutè, vel sub conditione, aut modo concesso 214

§.8 De priuilegio ad instar 215
§.9 De priuilegio per communicationem concesso 216
§.10 De priuilegio concesso in forma communi, vel ex certa scientia ibid.
3 De priuiligiorum conditionibus 218
§.1 An requiratur scriptura ad priuilegium? ibid.
§.2 An promulgatio, seu notitia priuilegij ad priuilegium requiratur? 219
4 A quo, & cui priuilegia concedi possunt? 223
5 An in concessione priuilegij causa aliqua requiratur? ibid.
6 Possit ne priuilegiatus vti suo priuilegio in quolibet loco etiam extra territorium concedentis? ibid.
7 Vtrum priuilegiatus teneatur suo priuilegio vti? 225
8 Vtrum priuilegiatus vti possit suo priuilegio aduersus pariter priuilegiatum? 226
9 Qua ratione priuilegium interpretandum sit? ibid.
10 Quod priuilegium latè, vel strictè interpetandum sit 227
11 An priuilegium, seu potestas dispensandi, ab soluendi à reseruatis latè, vel strictè interpretanda sint? 229
12 An priuilegium fauorabile extendatur ad alios præter expressos? 131
13 Extendaturne priuilegium ad casus alios, vel personas, in quibus & similes, vel efficacior ratio 132
14 De priuilegij amissione, an inquam amitti possit priuilegium ex solo lapsu temporis? 233
15 Qua ratione priuilegium cesset cessante causa finali ob quam fuit concessum? 236
16 Vtrum cesset priuilegium, rescriptum, & dispensatio morte concedentis? 239
§.1 Quando rescripta iustitiæ, & gratiæ dicantur esse in statu integro, quando dicantur esse incæpta? ibid.
§.2 Quando dicatur gratia facta, quando facienda? 242
§.3 An rescriptum iustitiæ, seu iurisdictio de legata expiret finita iurisdictione in delegante? 243
§.4 An rescriptum gratiæ absolutè concessum expiret finita iurisdictione concedentis? 244
§.5 An rescriptum gratiæ pro limitato tempore concessum expiret morte concedentis? 146
§.6 An rescriptum gratiæ, & iustitiæ morte delegati, vel eius officio finito spiret? 247
§.7 Quæ dignitas successorem habeat? 248
§.8 An si delegatus, cui sunt commissa rescripta Pontificia remoueatur à dignitate v. g. Canonicus à canonicatu, Vicarius à vicariatu possit eas litteras expedire? 251
17 An priuilegium, & dispensatio cessent renuntiatione ipsius priuilegiati? 252
18 An priuilegium, & dispensatio amittatur per non vsum? 254
19 An priuilegium ammitatur per actum contrarium illius? 256
20 An priuilegium amittatur per illius abusum? 257
21 De ammissione priuilegij per reuocationem 258
§.1 An priuilegium gratis concessum reuocari possit? 259
§.2 Reuocari ne possit priuilegium onerosum, & remuneratorium? 260
§.3 Quis possit supradicta priuilegia gratuita, onerosa, & remuneratoria reuocare, casu quo reuocabilia sint 261
§.4 Qua ratione facienda est reuocatio priuilegij, vel dispensationis, vt censeatur effectum habere. ibid.
§.5 Quæ publicatio reuocationis necessaria sit, vt priuilegium reuocatum censeatur? 265

DISPVTATIO V.

De cessatione legis, eiusque interpretatione.

1 De cessatione legis ex cessatione causæ finalis 266
2 De cessatione legis per eius abrogationem 268
§.1 Quæ conditiones seruandæ sunt in legis abrogatione ibid.
§.2 Qui possint legem abrogare, vel derogare 270
3 De interpretatione legis 272
§.1 Qui possint legem interpretari authentice ibid.
§.2 An cuilibet liceat legem doctrinaliter interpretari, vbi de Epicheia? 273
§.3 Quæ regulæ seruandæ sunt in legis interpretatione 275
§.4 An lex extendatur ad casum sublata verborum forma non comprehensum ob similitudinem, vel identitatem rationis? 277
§.5 An lex extendatur ad præterita? 290
§.6 Quam vim sortiantur verba, & litteræ commendatitiæ alicuius 283

DISPVTATIO VI.

De dispensatione legis.

1 Qui sit dispensatio 284
2 An dispensatio cadere possit in his, quæ iuris naturalis, & diuini sunt? 285
3 An in iure diuino positiuo dari possit dispensatio, & à quo danda sit? 287
4 An lege humana legis lator illius possit dispensare? 288
5 An sint aliqui casus, in quibus inferiores potestatem habeant dispensandi in superiores legibus? 291
6 Qui habeant potestatem dispensandi in pœnis à lege statutis, vel ab homine latis 293
7 Circa quos dispensatio exerceri potest 295
§.1 Quilibet superior secum dispensare potest ibid.
§.2 Vagine, & forenses possint dispensari à superiore illius loci, in quo de præsenti resident? 296
§.3 Quid dicendum de subditis suffraganeis, An possint à Metropolitano dispensari? 298
§.4 Cum religiosis quinam possunt dispensare in votis, iuramentis, & pœnis ibid.
8 De causa requisita ad dispensationem 299
§.1 Quæ causa requiratur pro dispensatione propriæ legis ibid.
§.2 Quæ causa requiratur pro dispensatione legis superioris 301
9 An liceat habentibus potestatem dispensandi imponere aliquam mulctam pecuniariam, vel onus personale dispensaturis? 303
10 An asserenti se habere potestatem dispensandi debeas fidem ad hibere? 304
11 Quæ forma seruanda sit in dispensatione expressa 305
12 Quæ conditiones seruandæ sunt in dispensatione tacita ibid.
13 An cognitio causæ debeat præcedere dispensationem faciendam, ita vt dispensatio facta absque ræmissa causæ cognitione nulla sit? 307
14 An credi debeat Prælato dispensanti præmisisse dispensationi causæ cognitionem, præcipuè si id affirmet? 308

Quas

15 Quas conditiones seruare debent ij, quibus committitur dispensationis expeditio 309
§.1 Explicantur clausulæ, quæ communiter apponi solent in dispensatione pro foro conscientiæ. ibid.
§.2 Explicantur clausulæ apponi solitæ in dispensationibus pro foro externo. 319
16 De causis, ex quibus dispensationis rescriptum reddatur nullum 313
§.1 Quid de consensu per metum? ibid.
§.2 Quid de consensu per ignorantiam, vel errorem? ibid.
§.3 Quid de suppressione veritatis, vel falsitatis expressione circa causam finalem? 315
§.4 Expenduntur causæ, quæ iure, & consuetudine debēt exprimi in dispensationibus obtinendis, quarumque taciturnitas vitiat rescriptum 316
§.5 Expenduntur ea, quorum falsa expressio vitiat rescriptum 321

TRACTATVS IV.

De Fide, eiúsque contrariis.

DISPVTATIO I.

De Fide, eiúsque obligatione.

Punct. 1 Quid sit fides, & quotuplex? 324
2 Quodnam sit obiectum: formale fidei 325
3 An diuina reuelatio, quæ est obiectum formale fidei habeat omnimodam certitudinem 326
4 Quod, qualéque sit obiectum materiale fidei? ibid.
§.1 Sit ne obscuritas de ratione obiecti fidei? 327
§.2 Sit ne obiectum fidei euidenter credibile ib.
§.3 Quæ sint obiecta fidei 328
5 An obiectum fidei indigeat Ecclesiæ propositione, & quam efficaciam, & authoritatem habeat Ecclesia in obiecto fidei proponendo? 329
§.1 Quid sit Ecclesia, & quæ eius proprietates ib.
§.2 An Romanus Pontifex regula sit infallibilis veritatis, ita vt errare nullo modo possit in rebus fidei proponendis? 331
§.3 An in legibus ferendis pro tota Ecclesia, vel aliqua illius parte errare Pontifex possit? 336
§.4 An sit de fide Pontificem errare non posse in canonizatione sanctorum? 337
§.5 Quid dicendum de beatificatione sanctorũ, An inquam in ea Pontifex errare possit, & quoúsque liceat eorum veneratio? 338
§.6 Quid dicendum de religionum approbatione, An inquam, Pontifex errare possit? 340
§.7 An Concilia generalia, & prouincialia errare possint in rebus fidei definiendis ibid.
§.8 Quid dicendum de vnanimi consensu Patrum, & Doctorum: An inquam errare possit? 342
6 In quonam subiecto fides diuina resideat? 343
7 Quæ requirantur ad actum fidei, & qualis ille sit? 344
8 An sine fide supernaturali iustificari possis? 345
9 Quorum mæsteriorum debet quis actualem fidem habere ex necessitate medij 346
10 Quorum mysteriorum debeat vnusquisque habere fidem ex necessitate præcepti? 348
11 Quando quilibet fidelis supradicta mysteria fidei teneatur addicere, & parochi, aliique, quibus cura instruendi incumbit sibi subditos teneantur docere 351
12 Quo tẽpore obligatus sis fidei actũ exercere 353
13 An sit præceptum de externa fidei confessione, & quando obliget? 356
14 An cum de tua fide interrogaris, tenearis illam fateri? 357
15 Quando possis, vel tenearis fugere tyrannum in Christianos sæuientem? 358
16 Licitum ne sit celare fidem verbis, vel signis contrariam religionem significantibus, casu quo non instat præceptum positiuum manifestandi fidem? 359
17 Possis ne vti vestibus, & signis propriis infidelium, vel hæreticorum, vt fidem occultes, cum non vrget præceptum fidei confitendæ? 360
18 An liceat tibi omittere signum ex præscripto regis impositum ad significandum te fidelem esse? 363
19 De professione fidei ex decreto Trid. faciẽda 364

DISPVTATIO II.

De Infidelitate, quæ est vitium contrarium fidei.

1 Quid infidelitas sit, & quotuplex? 368
2 Vtrum infidelis possit habere ignorantiam inuincibilem omnium illorum, quæ fides proponit credenda? 370
3 Sint ne opera omnia infidelis, & hæretici peccatum, vel possint esse aliqua opera bona? 371
4 Vtrum liceat cum infidelibus, & hæreticis de fide præsertim publicè disputare? 372
5 Vtrum infideles compelli possint ad audiendam fidem? 374
6 Cõpelli ne possit infidelis ad recipiendã fidem? 376
7 An indeles cogi possint, & debeant, vt errores deponant, & falsum cultum relinquant? 378
8 Priuati ne sint infideles, vel priuari possint potestate, & dominio circa fideles 380
9 Quousque communicatio fidelis cum infidelibus prohibita sit? 382
10 Sub qua censura infidelium, hæreticorúmque libros Ecclesia suis fidelibus prohibeat? 386
§.1 Expenditur prima difficultas de qualitate librorum prohibitorum ibid.
§.2 Expendũtur actiones prohibitę in bulla Cœnę, aliisque decretis circa supradictos libros 388
§.3 Circa quas personas cadat hæc prohibitio legendi, & retinendi hæreticorum libros 391
§.4 De pœnis impositis harum legum transgressoribus ibid.

DISPVTATIO III.

De Hæresi, & apostasia à fide.

1 Quod sit obiectum hæresis, & apostasiæ à fide 393
2 Quid sit hæresis? 394
3 An omnis hæresis, aut apostasia pœnis Ecclesiæ subiecta sit, & quotuplex sit hæreticus 398
4 An possis, & tenearis omnes apostatantes à fide iudicibus fidei denunciare? 400
5 Qui reputentur credentes, fautores, receptatores, defensores hæreticorum, aduersus quos in bulla Cœnæ clausula prima lata est excommunicatio? 404
6 Quę sint pœnæ fautorib. hæreticorũ impositæ? 407

DISPVTATIO IV.

De pœnis spiritualibus hæreticorum, excommunicatione scilicet, infamia, priuatione beneficiorum & officiorum.

1 Qua ratione excommunicatio, quæ est prima hæretico

reticorum pœna, hæreticos afficiat? 408
2 An hæc excommunicatio ab hæresim comprehendat perseuerantem in excommunicatione per annum 410
3 Qui possint ab excommunicatione propter hæresim incursa absoluere 411
§. 1 Expenditur facultas concessa Episcopis 412
§. 2 Expenditur facultas absoluendi ab hæresi concessa inquisitoribus 418
§. Quid dicendum de religiosorum, priuilegiis 419
§. 4 Expenditur facultas absoluendi ab hæresi per bullam aut iubilandum concessa 420
§. 5 De facultate absoluendi ab hæresi, aliisque reseruatis pro articulo mortis 421
§. 6 Possit ne aliquando absolui hæreticus à priuato sacerdote de peccatis non reseruatis tacita hæresi 426
4 Explicatur pœna irregularitatis, & infamiæ hæretireticis imposita ibid.
5 De pœna priuationis beneficiorũ, & officiorũ 427

DISPVTATIO V.

De pœnis temporalibus hæreticorum præcipuè de confiscatione bonorum.

1 Sit ne pœna confiscationis bonorum hæreticis imposita? 430
2 An omnia bona hæretici cadãt sub cõfiscatione 431
3 An bona donata sub conditione, & acquisita post delictum confiscationem subiaceant? ibid.
4 An bona sub conditione futura debita confiscentur? 433
5 An publicatis bonis hæretici ius patronatus Ecclesiastici, & pensionis publicetur? 434
6 An maioratus & fideicommissum sub confiscationem cadat? 436
7 An veniat in confiscationem maioratus, quando illius institutor delinquit? 441
8 Emphyteusis, & census qua ratione sub confiscationem cadere possint 443
9 Qua ratione feudum sub publicatione bonorum comprehendatur 446
10 Qua ratione peculium profectitium, ad ventitium, Castrense, legitima sub confiscatione facta filio familias ob eius crimen comprehendatur. 447
11 Quæ peculia filij ob crimen parentis confiscatione dignum publicantur 453
12 Quæ bona vxoris censeantur publicata publicatis bonis mariti, 458
13 Quæ vxoris bona ob eius delictũ publicentur 461
14 Quæ bona publicentur publicatis bonis alicuius clerici 462
15 An bona delinquentis existentia in alieno territotorio à iudice confiscante comprehendantur in confiscatione ab illo facta 463
16 Ad quas personas confiscatio bonorum ob hæresim, & alia crimina extendatur ibid.
17 An confiscatio imposita ipso iure ob crimen læsæ maiestatis præcipuè diuinæ priuet delinquentem ipso facto dominio suorum bonorum ibid.
18 An confiscatio obliget delinquentem, cui bona sunt ipso iure confiscata, ea fisco tradere ante sententiam? 465
19 An confiscatio ipso iure delicto imposita impediat ne delinquens alienare sua bona possit, & faciat, vt fiscus ea sic alienata possit recuperare 467
20 Quem modum seruare fiscus debeat in his alienationibus rescindendis, & bonis sic alienatis recuperandis 471
21 Valeat ne alienatio facta à delinquente, cuius bona non publicantur ipso iure, sed per sententiam, ita vt à fisco reuocari non possit 474
22 An confiscatio bonorum delinquentis condemnati in contumaciam ob causam fidei sit faciẽda à tempore latæ sentẽtiæ, vel à tempore, quo probationes signant delictum commissum 477
23 Cui debeant bona confiscata applicari 479
24 An excuset hæreticus supradictam pœnam confiscationis bonorum, eo quod resipuerit, vel misericordiam postulauerit? 481
25 Qualiter fiscus satisfacere debeat creditoribus delinquentis, cuius bona publicantur, ipseque delinquens liber maneat ab obligatione eis satisfaciendi ibid.
26 Quæ sint aliæ pœnæ temporales præter confiscationem bonorum hæretico impositæ 484

DISPVTATIO VI.

De pœnis corporalibus hæreticorum.

1 De pœna carceris 489
2 De pœna fustigationis, exilij, triremis, & mortis hæreticis imponenda 490
3 De pœna portandi sacrum benedictum, & omittente pœnitentias sibi impositas 494

DISPVTATIO VII.

De pœnis suspecti hæretici, filiorúmque hæretici.

1 Hæresis suspecti quam pœnam incurrant? 495
2 Filij, & nepotes hæreticorum quas pœnas incurrant? 498
3 Quæ pœnę impositę sunt filiis parentum committentium crimen læsæ maiestatis humanæ? 503

DISPVTATIO VIII.

De modo iudicialiter procedendi in causis fidei.

1 Qua ratione in crimine hæresis sumariè, & sine figura iudicij procedatur? 505
2 De modo procedenti in crimine hæresis via accusationis 507
3 De modo procedendi in hæresis crimine per denunciationem 508
4 Qua ratione per inquisitionem procedatur 509
5 De citatione facienda reo ibid.
6 De defensionibus concedendis reo, antequam condemnetur, vel absoluatur 510
7 De appellatione, an & quando in crimine hæresis interponi, & admitti possit? 511
8 De recusatione inquisitoris, quando fieri possit à reo 512
9 De tortura inferenda in crimine hæresis 513
10 De probatione requisita in crimine hæresis 516
11 De sententia ferenda in crimine hæresis 518
12 In crimine hæresis qui sint iudices, & qua ratione possint procedere 521
§. 1 De Pontifice, Episcopo, & Capitulo sede vacãte, qua ratione sint iudices in causa fidei ibid.
§. 2 De Inquisitore, eiusque commissariis, & de eorum potestate 522
13 Quem modum seruare debent inquisitores, & Episcopi in hæreticis inquirendis, & puniendis 530
14 Qua ratione iudex secularis se gerere debeat in causa hæresis 535
15 De testibus in causa hæresis 537
§. 1 Qui possint esse testes in causa fidei ibid.
§. 2 Quomodo supradicti testes alias inhabiles deponere

ponere debeant 539
§.3 Qua ratione examinandi sunt supradicti testes, eorúmque testimonium publicandum 541
§.4 Testes criminosi, & aliàs inhabiles, & singulares, qua ratione in hoc delicto probent? 543
§.5 An duo testes contestes omni exceptione maiores ad probationem plenam huius delicti sufficiant? 546
§.6 Qua pœna afficiendus est testis in hoc tribunali falsum deponens 547
16 De reo hæretico 550
§.1 De reo confitente, & reuocante ibid.
§.2 De obligatione hæretici dicendi verum, cum à iudicibus fidei interrogatur. ibid.
§.3 De hæretico absente contumace. 551
§.4 De hæretico defuncto, qua ratione aduersus illum procedi possit? 552
§.5 De reo adorante dæmonem, seu de lamiis, vulgo bruxas 554
§.6 De Iudæis, Mauris, aliisque infidelibus non baptizatis ibid.
§.7 De fautoribus hæreticorum impedientibus, & vsurpantibus sanctæ inquisitionis officium 555
§.8 De reo ducēte secūdā vxorē viuēte prima 556
§.9 De reo non sacerdote missam celebrante, aut aliud sacramentum ministrante ibid.
§.10 De transmittentibus arma, æquos bellicáque tormenta hostibus nostræ religionis 557

DISPVTATIO IX.

De Confessario ad Venerem incitante.

1 Quid in hac re à Pontificibus, & ab inquisitoribus statutum sit 557
2 An sacerdos fœminam, vel virum ad nefandum congressum inducens, vel ad alios actus inhonestos denunciandus sit inquisitoribus 559
3 An confessarius sollicitans fœminam, vel virum ad actus venialiter inhonestos denunciandus sit sub graui culpa? 560
4 An si pœnitenti tribuas cartam postea legendam, in qua ad Venerē incites, censearis sollicitator in confessione, ac proinde denunciandus, & puniendus ibid.
5 Explicantur aliqui casus, in quibus dubium, an interueniat sollicitatio comprehensa in bullis 561
6 An sola sollicitatio ad Venerem sit denuncianda inquisitoribus? 562
7 Quæ sollicitatio censenda sit facta, ante vel post immediatè ad confessionem, vt denunciari debeat inquisitoribus ibid.
8 An sollicitatio facta simulando confessionem denuncianda sit 563
9 Qui nomine confessarij, seu sacerdotis sollicitantis veniant intelligēdi ex supradictis decretis 564
10 Quando cesset obligatio denunciandi sacerdotem ob crimen sollicitationis committentem 565
11 Quibus pœnis, & qua ratione inquisitores in hoc crimine procedant ibid.

TRACTATVS V.

Et

DISPVTATIO VNICA.

De virtute spei, & eius contrariis.

1 Qvid sit spes, quod eius obiectum, & quomodo à fide distinguatur 567
2 Qui sint actus spei 568
3 In quibus habitus spei, & timoris insit 569
4 An sit, & quando obliget præceptum spei 571
5 De desperatione spei virtuti contraria 572
6 De præsumptione, quæ virtuti spei contraria est 574

TRACTATVS VI.

De Charitate, & ei annexis, & contrariis.

DISPVTATIO I.


De præcepto charitatis.

1 Qvid sit charitas, quod eius obiectum, & qua ratione à fide, & spe distinguatur 575
2 An sit speciale præceptum dilectionis Dei? 576
3 An hoc præceptum dilectionis sit præceptum de dilectione naturali, vel supernaturali 578
4 Quo tempore hoc præceptum dilectionis obliget. ibid.
5 Vtrum teneamur ex charitate proximum diligere 581
6 Qua ratione cum inimicis, & peccatoribus procedere debeas, ne charitatis præceptū offendas, ib.
7 Vtrum in bonis spiritualibus teneamur nos ipsos in amore à preciatiuo præferre omnibus proximis? 584
8 Vtrum in temporalibus bonis debeamus nos ipsos magis diligere quàm proximum 585
9 An ex charitate obligeris, & quando salutem spiritualem proximorum bonis propriis temporalibus fortunæ, & vitæ præferre? 586
10 An possis, vel tenearis vnum proximum præ alio diligere 588

DISPVTATIO II.

De externo effectu charitatis, qui est eleemosyna.

1 Quid sit eleemosyna, & quotuplex 592
2 Quando obliget præceptum eleemosynæ ibid.
3 An in casibus, in quibus obligaris eleemosynam facere, tenearis ex iustitia, an solùm ex charitate 595
4 Vtrum satisfacias obligationi eleemosynæ, si rem, qua proximus indiget, mutuas, vel dilata solutione vendas, vel dones sub conditione, vt reddat acceptum, si ad pinguiorem fortunam venerit? 596
5 Qua ratione Ecclesiastici arctiùs obligentur, quàm sæculares ad eleemosynam 598
6 An beneficiatus peccet contra iustitiam, & ad restitutionem teneatur, si quæ ex fructibus beneficij suæ congruæ sustentationi supersunt in profanos vsus insumat? 600
7 An quæ dicta sunt de beneficiariis intelligi debeant de pensionariis? 602
8 Quid dicendum est de beneficiariis religiosis ibid.
9 An pauperi patienti extremam, vel grauem necessitatē liceat aliena surripere, eaq; cōsumere 603
10 An consumens rem alienam in necessitate tenearis restituere, si ad pinguiorem veneris fortunam 605
11 Vtrum existens in necessitate tenearis rem alienam restituere creditori necessitatē simili laboranti, vel possis restitutionem omittere? ibid.
12 Ex quibus bonis facienda est eleemosyna 606
13 Qui eleemosynam facere possunt 607
14 Quibus danda sit eleemosyna 609
15 De eleemosynarum quæstoribus 611




OPVS MORALE DE VIRTVTIBVS, ET VITIIS CONTRARIIS,

JN VARIOS TRACTATVS, ET DISPVTATIONES Theologicas distributum.

TRACTATVS PRIMVS DE CONSCIENTIA.

PROOEMIVM.



GGRESSVRVS explicationem virtutum, & vitiorum, placuit initium ſumere à conſcientia, vtpote quæ eſt regula humanarum actionum. Diuidóque eius tractatum in quatuor Diſputationes, iuxta varias qualitates, quibus conſcientia veſtiri poteſt.

Prima erit de conſcientia errante.
Secunda de probabili.
Tertia de dubia.
Quarta de ſcrupuloſa.

DISPVTATIO I.

De conſcientia errante.

PVNCTVM I.

Quid ſit conſcientia, & quotuplex.

1 *Definitur conſcientia.*
2 *Quotuplex eſt, explicatur, & qualibet ſpeciatim definitur.*
3 *Quæ ſit conſcientia practica, quæ ſpeculatiua, & an inter ſe pugnent.*

1 VARIAS conſcientiæ acceptiones referunt Doctores cum Magiſt. *in 2. distinct.* 39. & D.Thom. 1. 2. *quæſt.* 19. *art.* 5. *&* 6. de quibus ſpecialiter videri poteſt Salas *tract.* 8. *diſp. vnic. in princ.* Azo: *tom.* 1. *inſtit. moral. lib.* 2. *cap.* 8. *quæſt.* 1. illis tamen omiſſis, Conſcientia, prout in præſenti ſumitur, eſt dictamen rationis, iudicans aliquid eſſe ſequendum, vel fugiendum. ſic omnes Doctores. Dixi eſſe dictamen rationis, quia eſt actus intellectus non quicumque, ſed iudicatiuus, quo intellectus iudicat, quid debeat voluntas fugere, quid amplecti.

2 Hoc dictamen rationis, ſeu hæc conſcientia eſt multiplex, certa, errans, opinatiua, dubia, ſcrupuloſa. Conſcientia certa eſt iudicium certum ſaltem moraliter, id eſt, de quo prudenter dubitari non poteſt. Quòd ſi nitatur authoritati Dei, omnem habet certitudinem, & vocatur fides diuina: ſi nitatur authoritati humanæ, varios habet gradus certitudinis, iuxta teſtimonium dicentium, & fides humana appellatur. Errans conſcientia dicitur, quæ proponit ſequendum, vel fugiendum, quod re vera non eſt. Opinatiua eſt iudicium infirmum, ſeu non certum alicuius partis cum formidine alterius. Dubia, quando non valet intellectus ſe in alteram partem inclinare, ſed anceps eſt; quòd ſi in aliquam partem ſe magis inflectat, dummodo illi non aſſentiatur, erit ſuſpicio. Scrupuloſa conſcientia eſt apprehenſio ex leuibus rationibus orta, quæ iudicium certum, vel opinatiuum oppoſitæ partis non excludit. Du-

bia autem, & ſcrupuloſa conſcientia propriè non eſt conſcientia, cùm non ſit iudicium, & dictamen rationis, ſed eſt diſpoſitio ad illud; apprehenſio enim, & inueſtigatio rationum diſponit ad iudicium; in quo iudicio conſcientia propriè ſita eſt. In iis ferè omnes Doctores conueniunt. Azor *ſuprà*. Salas *ſect.2.n.12.* Vaſq. 1.2.*diſp.67.c.2.n.7.* Thom. Sanchez *lib.2.de matr.diſp.41. n.2.& lib.1.in Decalog.c.9.n.1.* Ioan. Sanchez *in ſuis ſelect. & pract.diſp.41.n.2.*

3 Rurſus conſcientia, ſeu iudicium ſumi poteſt in genere, vel in ſpecie, quod aliis terminis ſolet dici conſcientia practica, & ſpeculatiua. Iudicium, ſeu conſcientia ſpeculatiua vocatur quæ in communi dictat aliquid eſſe faciendum, vel non faciendum. v.g. eſſe audiendam Miſſam die feſto, non eſſe diebus feſtis laborandum, ſurripere alienum eſſe malum, accipere vltra ſortem in mutuo, eſſe vſuram. Iudicium, ſeu conſcientia practica eſt, quæ in particulari, & in ſpecie dictat quid ſit hîc, & nunc faciendum, vel fugiendum. v.g. eſſe hodie Miſſam audiendam ex obligatione, non eſſe laborandum: hanc acceptionem vltra ſortem eſſe vſurariam, & euitandam. Dicunt tamen communiter Doctores cum iudicio ſpeculatiuo certo de aliqua veritate, poſſe, imò ſæpius ſtare iudicium practicum oppoſitum, vt in exemplis allatis contingit: potes enim iudicare die feſtiuo Miſſam debere audire ex obligatione præcepti, & iudicare ſimul te hîc, & nunc propter infirmitatem, vel alias circumſtantias non eſſe obligatum. At ſi bene perpendatur, hoc iudicium ſpeciale contrarium non eſt illi generali iudicio, quia illud generale iudicium ad huiuſmodi caſum nunquam ſe extendit, nunquam enim verè, etſi generaliter iudicatum eſt die feſto obligationem eſſe infirmo, & impedito audiendi Miſſam, ſed potiùs iudicari debet oppoſitum, vt optimè ex Corduba *lib.3.qq.q.5.* notauit Vaſquez 1.2. *diſp.65.cap.1.n.2.& 3.* Sed quidquid ſit de contrarietate, vel conformatione huius practici iudicij, cum iudicio ſpeculatiuo, iudicium practicum, & in particulari eſt quod præcipuè actiones regulat, & quod ſequi tenemur, vt innumeris aliis relatis docet Thom. Sanch. *lib.2.de matr.diſp.41.n.8.* His poſitis quæ communia ſunt, ad conſcientiam errantem deueniamus.

PVNCTVM II.

An ſit obligatio obediendi conſcientiæ erranti.

1 *Nullam eſſe obligationem obediendi conſcientiæ erranti, qua ratione probetur.*
2 *Eſt obligatio illi obediēdi, dum nō deponitur vera ſentētia.*
3 *Procedit doctrina de conſcientia errante inuincibiliter.*
4 *Proponitur quædam obiectio, & fit illi ſatis.*
5 *Satisfit argum.num.1 adductis.*
6 *Operans ex conſcientia inuincibiliter errante, operatur in eadem ſpecie virtutis, qua operaretur, ſi à Deo res eſſet præcepta.*

1 NOn defuerunt, qui negarent hanc obligationem. Primò, quia conſcientia errans in re morali eſt contraria legi diuinæ. Sed teneris legem diuinā ſequi. Ergo non poteris teneri ſequi conſcientiam errantem. Secundò, Deus non poteſt eſſe ſibi contrarius; at videretur eſſe, ſi mandat obedire conſcientiæ erranti. Ergo. Probo minorem. Deus imperat ſua lege ob nullum caſum, etiam ob ſaluandam vitam, eſſe mentiendum: conſcientia errans dictat ob ſaluandam vitam alterius debere mentiri. Ergo ſi Deus mandat obedire conſcientiæ erranti, contrarius eſt ſibi ipſi. Tertiò, Deus author eſſe non poteſt alicuius mali moralis, aut alicuius falſi. Ergo non poteſt eſſe author illius iudicij errantis eſſe mentiendum ob ſaluandam vitam alterius. Quòd ſi author illius non eſt. Ergo non eſt obligatio ſequendi illud: quia in tantum ſequi tenemur conſcientiam, in quantum eſt quædam regula à lege æterna deriuata.

2 Nihilominus certa ſententia eſt, obligationem eſſe obediendi conſcientiæ erranti, & dictanti aliquid vt præceptum; etſi contrarium ſit alteri præcepto diuino, dum non deponitur. Eſt omnium Catholicorum, ita vt contrarium non poſſit ſine temeritate, & periculo erroris affirmari. ita Vaſquez 1.2.*q.19.art.6. diſp.59.c.2.n.6.* Salas *q.21.tract.8. diſp.vnic.ſect.6.n.16.fin.* Ioan. Sanchez *ſelect.diſp.41.n.2.* Salas & Vaſquez plures Doctores referunt, probántque concluſionem, tum Scriptura, tum Patribus, & decretis Pontificum. Ratio eſt manifeſta. Noſtra voluntas non alio modo obligatur præceptis obedire, niſi quatenus ab intellectu obligatio repræſentatur, quia ipſa eſt cæca potentia, quæ non poteſt ferri in incognitum. Si ergo ab intellectu errante repræſentatur voluntati aliqua obligatio, quia repræſentatur aliquid vt præceptum, iam voluntas ad illud amplectendum cenſetur ligata.

3 Concluſio intelligitur de conſcientia errante inuincibiliter; ſi enim vincibiliter errat, non teneris illam ſequi, ſi dictat aliquod malum; aliàs tenereris facere peccatum, cùm conſcientia non te excuſet: ſupponimus enim eſſe vincibilem. Neque inde fit te poſſe contrarium efficere, ſtante illa conſcientia erronea vincibili, cùm non habeas iudicium dictans tibi, contrarium eſſe faciendum. Quod ergo efficere debes, eſt deponere illam conſcientiam errantem; cùm enim vincibilis ſit, vinci, & deponi poteſt; ac proinde nunquam abſolutè perplexus es, & obligatus facere malum.

4 Dices, Sæpè non potero conſcientiam errantem vincibiliter deponere; tum quia non ſe mihi offert, qui errorem tollat, tum & præcipuè, quia non dubito de errore, licèt alio tempore dubitauerim.

Reſpondeo in tali caſu errorem reddi inuincibilem, & licèt à principio vincibilis fuerit; at cùm operationem dirigit, inuincibilis eſt, ſiquidem vinci non poteſt. Quando autem error eſt inuincibilis, teneris illum ſequi, neque peccas te illi conformando: & ita tenet Thomas Sanchez *lib.1.in Decal.cap.11.num.12.in fin.* & Ioan. Sanchez *in ſelect.diſp.41.num.26.*

5 Argumenta in contrarium non obſtant.

Ad primum dic conſcientiam errantem, contrariam non eſſe formaliter legi diuinæ, quia lex illa diuina, cui videtur contrariari, tunc non obligat, cùm non ſit in iudicio intellectus, quod neceſſarium erat ad obligationem inducendam.

Ad ſecundum nego Deum ſibi eſſe contrarium, & ad probationem reſpondeo Deum non imperare non eſſe mentiendum in omni caſu tam per ſe, quàm per accidens, ſed ſolùm in caſu, quo ab intellectu repræſentatur abſque errore eius lex de non mentiendo. In legibus enim latis à Deo immediatè nulla eſt contrarietas; at in legibus, quas ſibi homo præſcribit, medio dictamine rationis contrarietas eſſe poteſt, ob contrarietatem in iudicando: ſed illa contrarietas materialis eſt, non formalis, cùm ſemper conformentur legi diuinæ dictanti conſcientiam eſſe ſequendam, nulláque alia præcepta niſi media conſcientia obligare.

Ad tertium reſpondeo Deum non poſſe phyſicè, neque moraliter ad malum morale, vel ad falſum inclinare: & ita neque conſulit, neque præcipit eſſe mentiendum, neque determinat intellectum, vt errorem illum habeat, ſed tanquam cauſa vniuerſalis ad illum concurrit. At poſito errore, bene poteſt præcipere eſſe mentiendum, non quidem abſolutè, ſed ex ſuppoſitione, quòd conſcientia errans id dictet.

6 Ex iis infertur operantem ſecundùm conſcientiam errātem inuincibiliter, operari in ea ſpecie virtutis, qua operaretur, ſi res eſſet à Deo præcepta. v.g. furaris, vel mentiris, vt proximo ſubuenias, furtum, & mendacium erit

erit actus misericordiæ: quia tunc furtum, & mendacium nullam habet formalem malitiam; & ex alia parte recipit bonitatem à fine prætenso. Ergo. Et ita docet Thomas Sanchez *lib.1.in Decalog.cap.11. num.17.* Azor *lib.2.cap.8.q.vlt.* Salas 1.2.*tract.8.disp.vnic.sect.3.n.20.*

PVNCTVM III.

Quod peccatum sit conscientiæ erranti non parere.

1 *Est peccatum mortale, vel veniale iuxta naturam actionum, quæ exercentur, & in illa specie, in qua est obiectũ.*
2 *Quid si cogitatione non distinguis speciem.*
3 *Quid si non distinguis, an mortale, vel veniale sit.*
4 *Refertur sententia Vasquez, & Thomæ Sanchez.*
5 *Qui sentiant solùm culpam venialem supradicto casu committi.*
6 *Quid sentiendum sit.*

1 OMnes conueniunt esse mortale, vel veniale iuxta naturam actionum, quæ exercentur. Itémque esse peccatum illius speciei, cuius est obiectum, v.g. conscientia errans dictat hodie, (qui est dies ferialis) esse præceptum audiendi Missam; omittis, peccas mortaliter, & contra religionem; si dictat mentiendum esse ob saluandam vitam alterius, & omittis, peccas contra charitatem; & sic de aliis.

2 Difficultas est, quando solùm in genere existimas aliquid esse malum, neque cognitione distinguis speciem. Mihi difficile est talem dari cogitationem, cùm conscientia practica sit, & ad opus dirigat. Sed dato contingere posse, dicendum est peccatum tunc commissum esse in ea specie, in qua est actus, quo velles in genere Deum offendere: hic enim actus in aliqua specie infima debet constitui. Non enim omnes species vitij debet habere, aliàs esset grauius peccatum odio Dei, & infidelitate.

3 Sed quid si conscientia non distinguit, an veniale sit, vel mortale, sed solùm sub confusione tibi proponitur esse malum: qualiter solet rusticis hominibus proponi, cùm in Deum iurant, creaturas execrantur, die festo laborant, verbum otiosum, inhonestum, aut detractorium dicunt; rarò enim illis proponitur dubium, an mortale, vel veniale sit, sed solùm in genere malum esse repræsentatur.

4 In hac re Vasquez 1.2.*q.19.art.6.disp.59.cap.3.n.10.* Thom.Sanchez *lib.1.in Decal.cap.11.n.7.* existimant, si in aliqua materia determinata feratur voluntas, vt in exemplis allatis contingit, ex materia illa desumendam esse grauitatem, vel leuitatem peccati. Vnde dicunt te peccare venialiter, si veniale est obiectum; mortaliter, si mortale est. Quia illa cognitio de malitia obiecti non distinguens, an sit mortalis, vel venialis, sufficit ad vtramque malitiam denominandam, eiúsque indifferentia ex obiecto debet determinari. Verùm si voluntas non feratur circa aliquod speciale obiectum, sed solùm in genere malum velit efficere, affirmat Vasquez, & Sanchez *suprà*, & Azor *tom.1. instit.moral. lib.2. cap.8. quæst.6.* & Saytus *in claui regia lib.1.cap.4.n.17.* esse peccatum mortale, quia illa voluntas amplectens malum absque sufficiente examine qualitatis culpæ, manifesto periculo se exponit amplectendi malitiam mortalem. Item illud obiectum, prout à voluntate amplectitur, indifferens est ad mortale, & veniale. Ergo voluntas quantum est ex se mortale amplectitur.

5 Alij econtra affirmant in supradicto casu committi solùm culpam venialem. ita Nauarr. *summ.lat.prælud.9. n.9.* Ludouic.Lop.1.*part.instruct.consc.cap.3. vers.præterea.* Valent.1.2.*disp.2.quæst.14.p.4.q.3.fine.* Salas *ibi, q.21. tract.8.disp.vnic.sect.3. n.33. & tract.3.disp.4.sect.3.n.36.* §.*rogas vtrùm.* Anton.Perez *certam.10.scholast.num.29.* Man.Rodr.1.*tom.sum.cap.71.fine,2.edit.* Ratio, quia voluntas appetens malitiam in communi, non appetit malitiam excedentem culpam venialem; aliàs si excederet, non esset veniali, & mortali communis.

6 Ego verò dicendum existimo, etsi supradictæ sententiæ probabiles sint, probabilius esse in supradictis casibus peccatum mortale reperiri. Et quidem, quando voluntas nullum speciale obiectum amplectitur, sed solùm in genere vult, sic probo; quia tunc voluntas quantum est ex se mortale amplectitur, cùm ad mortale, & veniale indifferens sit. Neque obstat ex parte obiecti malitiam in communi maiorem non esse malitia veniali determinatè, quia sufficit quòd indeterminatè maior sit: siquidem mortalem comprehendit, & ratione huius indeterminationis voluntas illam malitiam amplectẽs, debet censeri mortalem amplecti. Quòd si voluntas in obiectum venialiter malum feratur, neque cognoscens eius modicam malitiam, sed solùm cognoscens esse malum absque distinctione malitiæ mortalis, vel venialis, etiam probabilius existimo fore mortale: quia illa voluntas iam se exponit amplecti peccatum mortale; per accidens enim fuit, quòd obiectum veniale solum esset; eodem enim modo illud amplecteretur, si mortale fuisset. Et confirmo, cùm amplecteris obiectum venialiter malum, dubitans an sit mortale, peccas mortaliter secundùm omnium sententiam; quia te exponis periculo mortale committendi. Sed quando tibi repræsentatur obiectum malum, & prohibitum, neque distinguens an sit mortale, vel veniale, illud amplecteris; iam quantum est ex tua voluntate, periculo mortale committendi te exponis. Ergo. Et ita ex communi sententia supponit Ioan.Sanch. *in select.disp.18.n.1.* & dixerat Thom.Sanchez *lib.1.in Decal.cap.1.n.9.* Bonacina *disp.2.de peccatis, quæst.2.punct.3.num.14.*

PVNCTVM IV.

An sit peccatum agere contra conscientiam non actu errantem, sed habitu.

1 *Explicatur quæstio.*
2 *Plures affirmant te peccare, quoties non reuocasti primum erroneum dictamen.*
3 *Probabilius est oppositum.*

1 VErbi gratia, errasti existimans esse peccatum ius canonicum, vel physicam audire, ex huiusmodi errore physicam audis, immemor conscientiæ errantis, & dictantis esse peccatum. Item errasti, vincibiliter putans in hac hebdomada nullum esse diem festiuum, vel ieiunij, cùm tamen sit, adueniente die festo, vel ieiunij, Missam, vel ieiunium omittis, quin tibi dubium occurrat esse diem festiuum, vel ieiunij, peccas omittens Missam, vel ieiunium.

2 Affirmant plures te peccare, quoties dictamen prius non reuocasti, quia tale iudicium cùm reuocatum non sit, moraliter manere censetur. ita Med.1.2.*q.19.art.6. vers.sed nunquid.* Rodriq.1.*tom.sum. cap.71. n.2.* Villalobos *tom.1.sum.tract.1. diffic.1.n.2.* Hæc tamen sententia limitatur à Medina, dummodo dictamen rationis antiquum non fuerit, quia quod antiquum est, non censetur manere.

3 Probabilius existimo contrarium, nempe te in physica audienda, vel in omissione sacri, aut ieiunij non peccaturum actu, nisi actu sit conscientia dictans esse peccatum, vel actu dubites de eius obligatione. ita Azor *tom.1.instit.moral.lib.2.cap.8.q.12.* Vasquez *disp.60. cap.3.fine.* Salas *disp.vnica. sect.3.num.29.* Thom.Sanchez *lib.1.in Decal.c.11.n.7.* Probatur. Opera illa externa nequaquã possunt oriri à voluntate, & iudicio præterito,

cùm neque illa voluntas, neque iudicium præteritum adſint, neque aliquis effectus ab illis productus, qui opera externa cauſet. Ergo non poſſunt in illis operibus malitiam aliquam deriuare. Confirmo. Ideo cùm venenum tribuis alicui, quo vita illum priuas, cenſeris homicidium committere, etiam ſi doleas, antequam venenatus è vita diſcedat: quia illa voluntas antiqua occidendi in aliquo effectu manet. At in præſenti illa intentio procedens non audiendi Miſſam, & iudicium errans de obligatione, non manent in ſe, neque in aliquo effectu. Ergo ſecundò ſi actus cenſetur manere moraliter, & denominare opera ſubſequentia, dum non retractatur. Ergo infidelis, qui omnia ſua opera in honorem idoli referret, peccaret ſemper peccato infidelitatis, quod videtur abſurdiſſimum.

Reſpondet Med. primò non peccare. Nam exercendo aliquod bonum opus, v. g. eleemoſynam ob ſubleuandam pauperi miſeriam, voluntatem priorem cenſetur retractare.

Secundò reſpondet, ſimul dum tempus præceſſit, non eſt cenſenda manere moraliter. Sed vtramque ſolutionem optimè impugnat Salas *ſuprà*. Prima enim ſtare non poteſt. Non enim poteſt cenſeri infidelis retractare priorem voluntatem, qua vult omnia ſua opera in honorem idoli referri, ex eo quòd opera ex obiecto miſericordiæ, vel iuſtitiæ exerceat; cùm hæc exercitatio, & intentio contraria non ſit priori voluntati. Secunda etiam ſolutio non ſubſiſtit, non enim dilatio præciſè perſeuerantiam moralem iudicij, & voluntatis poteſt auferre.

PVNCTVM V.

An pecces ſequens conſcientiam errantem, ſi dictet vtramque partem contradictionis eſſe malam.

1 *Proponitur punctus controuerſia.*
2 *Reſoluitur nullum peccatum in ſupradicto caſu committi.*
3 *Proponitur quædam obiectio.*
4 *Soluitur.*
5 *Quid inde inferatur.*

1 POnimus te inuincibiliter errare, obligatum eſſe audire Miſſam, cùm infirmum curas; & inuincibiliter errare exiſtimans peccare, ſi infirmum deſeras ob Miſſam audiendam. Item ex iſtis excommunicatus, neque potes ab excommunicatione abſolui, credis ſi audis Miſſam peccare, ſi illam omittis etiam peccare, committis ne peccatum cuiuſuis partis electione?

2 Breuiter dicendum exiſtimo cum Thom. Sanchez *lib. 1. in Decalog. cap. 11. n. 14.* Ioan. Sanchez *ſelect. diſp. 41. num. 27. fine.* Adrian. *quæſt. de reſtitut. quæ incipit: quia dictum eſt.* Man. Rodr. *2. tom ſum. cap. 51. num. 6.* in tali caſu nullum peccatum committi, quia non adeſt libertas ſufficiens ad peccatum: cùm enim vna ex illis contradictoriis ſit tibi neceſſariò eligenda, & in illa repræſentetur peccatum, iam peccatum erit neceſſariò eligendum: quod eſt abſurdum.

3 Dices, Etſi vna ex illis contradictoriis eſt mihi neceſſariò eligenda: at cùm vnam determinatè eligo, liberè eligo; poteram enim illam omittere, & contrariam eligere. Ergo pecco amplectens illam, credens eſſe malam. Et confirmo. Si prædeterminatus eſſem, & neceſſitatus ad obedientiam Deo præſtandam, qualiter Chriſtus Dominus dicitur neceſſitatus fuiſſe obedire ſuo æterno Patri: ſi tamen hunc, vel illum actum liberè exercerem, ſufficiens libertas adeſſet ad meritum. Ergo ſimiliter ad demeritum ſufficiet libertas ad hunc, vel illum actum determinatè, etiam cum neceſſitate ad vnum ex illis.

4 Reſpondeo te liberè eligere vnam ex illis partibus contradictoriis, nego tamen inde peccaturum: non enim ſufficit ad peccatum amplecti malum, quod determinatè vitari poteſt, ſed neceſſariò requiritur amplecti malum, quod etiam æquiualenter vitari poſſit. At in ſupradicto caſu etſi vnum malum euites, aliud æquè malum tibi eſt neceſſariò eligendum. Ergo illud malum quod eligis, non potes ſaltem æquiualenter vitare. Ad confirmationem dic non ſufficere ad meritum libertatem ad hunc, vel illum actum obedientiæ, ſi vterque eſt æquè bonus, quia non es dignus laude, eliciens vnum, ſi alium æquè bonum teneris elicere in Chriſto Domino, etſi determinatio eſſet ad bene operandum, at quia erat libertas ad plures actus inæquales, ideo meritum in illis rectè conſtitui poteſt.

5 Ex hac doctrina à fortiori infertur, hominem carcere detentum, & exiſtimantem peccare non audiendo Miſſam, nequaquam peccare. Quia illa omiſſio ſacri non eſt libera vllo modo. Neque illud iudicium cauſa eſt illius omiſſionis, cùm omiſſio à cauſis aliis extrinſecis procedat. Solum enim eſt iudicium ſpeculatiuum falſum, quo iudicas in tali omiſſione eſſe peccatum, cùm tamen non ſit, & ita tenet expreſsè Ioan. Sanchez *ſuprà.* Thomas Sanchez *num. 3.*

PVNCTVM VI.

Expediuntur aliquot leuiores difficultates de conſcientia errante.

1 *Sitne maius peccatum ſequi conſcientiam errantem vincibiliter, quàm illam non ſequi.*
2 *Reſoluitur aliquando eſſe grauius, aliquando leuius.*
3 *Idem dicendum de operante contra conſcientiam errantem, vel contra præceptum ſuperioris.*
4 *Sitne obediendum conſcientiæ erranti, vel ſuperiori contrarium præcipienti.*
5 *Non potes pro libito conſcientiam errantem deponere.*

1 PRima difficultas, an ſit maius peccatum ſequi conſcientiam errantem vincibiliter, quàm illam non ſequi, poſito te nolle diligentiam facere, vt deponas?

2 Reſpondeo aliquando eſſe grauius peccatum, aliquando leuius, pro materiæ grauitate, vel leuitate. Si enim exiſtimas debere mentiri, vt vitam alterius conſerues, & omittas, peccas mortaliter, cùm tamen in mentiendo venialiter tantùm peccares: ſi tamen exiſtimas te debere furari, ad eleemoſynam alicui pauperi elargiendam, & omittas, minus videris peccare, quàm ſi furtum commiſiſſes. Ratio eſt, quia, vt bene dixit Syluester *verbo conſcientia, quæſt. 1.* ex D. Thoma *in 2. diſtinct. 39.* conſcientia non ligat virtute propria, ſed præcepti ſuperioris, quod repræſentat, quod præceptum etſi à ſuperiore latum antea non ſit; media tamen conſcientia fertur, & promulgatur, ac proinde eodem modo obligat, ac ſi à Deo latum antea fuiſſet. Ex quo ſoluitur fundamentum Baſolis *in 2. diſtinct. 38. & 39. quæſt. vnica, artic. 3.* affirmantis ſemper eſſe maius peccatum ſequi conſcientiam vitioſè errantem, quàm illam non ſequi, quia in ſequenda conſcientia contemnitur præceptum ſuperioris; in illa ſequenda contemnitur præceptum Dei, & rectæ rationis. Dicimus namque ſemper contemni præceptum Dei, & rectæ rationis dictantis contra conſcientiam operandum non eſſe illa durante, & ita relatis Durando, Almain. Cordub. docet Azor *tom. 1. inſtit. moral. lib. 2. cap. 8. q. 9.* Sayrus *in claui regia lib. 1. c. 24. n. 24. & ſeqq.* Thom. Sanchez *lib. 1. in Decal. cap. 11. n. 15.* Vaſquez 1. 2. q. 19. *diſp. 60. c. 3. n. 10.* Salas *tract. 8. diſp. vn. ſect. 3. n. 27.* Syluest. *q. 2. verb. conſilia.*

3 Secun

3 Secunda difficultas, an sit maius peccatum operari contra conscientiam errantem, quàm contra præceptum superioris.

Respondeo iuxta supradicta pro qualitate materiæ metiendam esse obligationem, & grauitatem. Aliquando enim transgredi præceptum superioris erit grauius, quàm transgredi præceptum conscientiæ, si materia præcepta à superiore grauior sit. Verùm si superior, & conscientia circa eandem materiam versantur, grauius erit transgredi præceptum superioris, quàm præceptum conscientiæ mala fide errantis. Quia in hac transgressione conscientiæ inuoluitur aliqua ignorantia, quæ voluntarium minuit, ac proinde grauitatem peccati. Dixi grauius esse regulariter loquendo: nam aliquando error est ita crassus, & supinus, & affectatus, vt scientiæ de præcepto æquiualeat.

4 Tertia difficultas, an obediendum sit conscientiæ erranti, vel superiori contrarium præcipienti.

Respondeo, si conscientia inuincibiliter errat, absque dubio ei est obediendum: at rarò contingit inuincibiliter tunc errare, præsumi enim debet pro superioris præcepto, ac proinde deponenda conscientia, & obedendum Prælato. Ita Vasquez *disp.61. cap.1.* & Azor *lib.2. cap.8.9.10.*

5 Quarta difficultas, an possit pro libito conscientiam errantem deponere.

Respondeo nullo modo posse, cùm manifesto periculo te exponas veram conscientiam deponendi: illa enim falsa conscientia tibi apparet, vt vera. Si ergo veram pro libito deponere non potes, quia non potes pro libito te legibus diuinis exuere, neque poteris conscientiam errantem pro libito depellere. Secundò, vel illa conscientia ex rationibus probabilibus errat, vel ex rationibus moraliter certis secundùm tuam æstimationem: quocumque modo sit, vt prudenter deponatur, debent adesse rationes saltem probabiles in contrarium, aliàs temerè procedes, neque poteris honestare actionem, cùm oriatur ex iudicio absque vlla ratione efformato; & ita docet contra Caietanum *1.2. quæst.19. art.5. & 6.* Salas *ibid. tract.8. disp. vnica, sect.3. n.30.* Vasquez *disp.67. cap.1. ad fin.* & aliis pluribus relatis Thomas Sanchez *lib.1. in Decal. cap.11. num.10.*

DISPVTATIO II.

De conscientia opinante, seu de opinione.

PVNCTVM I.

Quæ sit opinio probabilis, quæ probabilior, quæ communis, & an communis singulari sit præferenda.

1 *Qui de his agant latè.*
2 *Quæ sit opinio probabilis.*
3 *Sufficiat ne vnius authoris dictum opinionem probabilem constituere? Respondetur cum distinctione.*
4 *Propositio alicuius Doctoris neoterici, tametsi videatur contra communem, non debet vt improbabilis iudicari.*
5 *Debet tamen hæc propositio non incidenter, & perfunctoriè esse prolata.*
6 *Factum vnius Doctoris non videtur opinionem probabilem constituere.*
7 *Opinio probabilior est, quæ firmiori ratione fulcitur.*
8 *Regulariter quæ à pluribus approbatur, probabilior est iudicanda.*
9 *Sæpe sententia probabilior non talis tibi apparet.*
10 *Opinio communis est, quæ communiter à Doctoribus rem ex professo tractantibus defenditur.*
11 *Hæc opinio regulariter particulari est præferenda.*
12 *Aliquando singularis communi præfertur.*

1 DE his igitur latissimè Azor *tom.1. institut. moral. lib.2. à cap.9.* Vasquez *1.2. quæst.19. disput.62.* Anton. Perez *in sua laurea certam.10. scholast. dub.2. à c.6. vsque ad 9.* & alij in discursu referendi.

2 Primò igitur dicendum est opinionem probabilem eam esse, quæ firma ratione fulcitur, neque contra se habet rationem conuincentem: si enim illam habet, iam non opinio, sed error erit, vt bene dixit Ioan. Sanchez *in select. disp.14. num.8.* Contingere autem poterit, vt tibi probabiliter opinanti ratio aliqua in contrarium videatur conuincens, sed non inde probabilitatem opinio amittit: nam licèt tu soluere illam rationem non possis; alius tamen soluere poterit, & hoc tibi debes persuadere; cùm sæpè multæ rationes tibi insolubiles repræsentantur, quæ ab aliis facillimo negotio soluuntur. Quare imprudenter procederes, si ob hanc causam, aliorum opiniones, quæ vt probabiles circumferuntur, improbabiles iudicares: consentit Ioan. Sanchez *suprà.* Thom. Sanch. *in Decal. lib.1. cap.9. num.6.* Sayrus *in claui regia lib.1. cap.6. num.7.* Vasquez *disp.62. cap.4. num.8.*

3 Solum est dubium, an vnius authoris dictum sufficiat opinionem probabilem constituere?

Respondeo cum distinctione, si res pro qua est opinio, ab authoribus agitata non sit, nemini potest esse dubium, dictum vnius grauis, & pij Doctoris, qui ratione firma intelligitur moueri, sufficere ad opinionem probabilem constituendam tam sibi, quàm aliis: si verò res controuersa sit à paucis, potest vir doctus aduersùs illos sentire, si rationem firmam in contrarium habeat. Quòd si à multis sit ex professo res agitata, & omnes perpensis rationibus vnum sentiant, adhuc existimat Ioan. Sanchez *in select. disp.44. num.62.* posse virum doctum, contrarium probabiliter opinari, si videat aliquam rationem pro sua parte stare ab aliis insufficienter solutam, hoc enim modo opiniones probabiles in scholis fuerunt introductæ. Verùm etsi hoc in aliquo casu contingere possit, rarò tamen: potius enim talis Doctor credere debet se errare, quàm aliorum iudicio præponi; timere enim debet, ne lumen, quod sibi esse videtur, tenebræ sint: prudentiæ enim, & humilitas petit, aliorum iudicio se subiicere, & conformare; vt rectè colligit Nauarr. *cap.27. num.186. & 289. ex cap. prudentia, de officio delegati, & cap. de quibus, distinct. 20.* Aliquando tamen quod multis reconditum, & abstrusum erat, alicui manifestatur. Quot enim veritates tempore D. Thomæ, & Bonauenturæ elucidatæ sunt aduersùs communem, & receptam sententiam? Ecclesia enim Dei quotidie illuminatur; &, vt bene dicit gloss. *in cap. ad nostram, de consuetud. verb. incipientibus,* interdum reuelatur minori, quod maior nescit: & est optimus text. ad id probandum, *cap. si habes, 24. quæst.3.* quod est August. *& cap. esto subiectus,* quod est Hieronymi, *ante finem, 95. dist.* Et ita vnius Doctoris grauis dictum, si firma ratione muniatur, sufficere ad probabilem opinionem asserendam aduersùs communem docuit Azor. *tom.1. cap.17. quæst.6.* Gabriel Vasquez *1.2. tom.1. disp.62. cap.4. num.12.* Thomas Sanchez *lib.1. in Decalog. cap.9. num.9.* Villalobos *summ. tom.1. tract.1. diffic.4. n.17.* Henriquez *de Pontif. leg. lib.4. cap.18. num.13.*

4 Ex his infertur manifestè, si in libro alicuius Doctoris neoterici inuenias aliquas propositiones absolutè affirmatas, quæ aduersùs communem videntur, non illas vt improbabiles debes iudicare; imò potiùs illas debes censere probabiles, dum tibi non constat à Sede Apostolica esse vt improbabiles iudicatas. Si enim ex consi

consilio illius Doctoris verbo tenus prolato moueri poteras ad agendum, qualiter mouetur discipulus, & securè procedit sententiam magistri pij, & grauis sequens, vt tenet Panormitanus *in cap. Capellanus, de ferijs.* Imola *cap. per tuas, el 2. de simonia*, & tradit Villalobos *tom. 1. sum. tract. 1. diffic. 6. num. 1.* Nauarr. *consil. 2. de pœnit. & remiss.* à fortiori poteris ex consilio typis mandato, cùm tunc maiori circumspectione proferatur, & ab aliis doctis sit priùs approbatum: sic docuit Azor *lib. 2. c. 17. quæst. 4. & 5.* Villalobos *suprà.* Dixi, *alicuius Doctoris neoterici, pij, & grauis.* Nam de Doctore antiquo maior dubitatio esse potest, an eius opinio etsi suo tempore probabilis fuerit, antiquata iam sit, & à Sede Apostolica censeatur communiter reprobata; ac proinde vir rudis, & indoctus eius dictis tantùm fidere non debet. quæ omnia optimè docuit, sicut solet, Thomas Sanchez doctrinæ moralis lumen, *lib. 1. in Decal. cap. 9. n. 10. & 11.* & consentit Vasquez *disp. 62. cap. 4. num. 17. & 18.* Villalobos *tom. 1. summ. tract. 1. diffic. 6. num. 1.*

5 Aduerte tamen, vt opinio alicuius Doctoris aduersùs communem probabilis censeatur, non sufficit, si perfunctoriè, & incidenter, & occasione alicuius argumenti dicta sit: (etsi ita placeat Ioan. Sanchez *disp. 44. num. 62. fine.*) Nam, vt bene dixit Mascardus *de probationib. conclus. 1143. num. 11.* quæ dicuntur incidenter, fortè ad colorem, non ad probationem dicuntur; sicuti confessio incidenter facta, vel quæ fit ad alium finem, non præiudicat confitenti; vt asserit glossa *in cap. pœnitentibus 50. dist.* per Doctores *in cap. at si clerici, in princ. de iud.* Requiritur ergo, vt resolutoriè dicatur. Et multò minus sufficiet, si in indice libri dicatur: non enim indices ea cura ab authoribus sunt inspecti, & sæpè ipsius authoris non sunt, sed ab alio tertio. Quando autem in indice ratio conclusionis adducitur, placet Ioan. Sanchez *disp. 44. num. 69.* posse tutò talem opinionem, vt probabilem amplexari, quia tunc ferè idem est, ac si in corpore libri diceretur.

6 Nunquam tamen existimo sufficere ad probabilem opinionem constituendã factum vnius Doctoris etiam pij. Nam sæpè ad factum moueri potest, vel ex aliqua dispensatione sibi facta in lege, quam alius non cognoscit, vel ex aliqua passione, aut inaduertentia. Non enim semper religiosus operatur quod honestum est: & ita tradit Ioan. Sanchez *disp. 44. num. 71.* Existimarem verò sufficere, si plures religiosi id viderentur efficere absque scrupulo: tunc enim præsumendum est licere. sic Saa *in edition. Romana, & Complutensi, verbo, dubium, num. 3.*

7 Dico secundò, Opinio probabilior est, quæ firmiori, & efficaciori fundamento fulcitur, non quæ à pluribus Doctoribus defenditur: sic docet Nauarr. *summ. cap. 27. n. 289.* Thomas Sanchez *lib. 3. de matrim. disp. 44. num. 2.* Ioan. Sanchez *disp. 44. num. 68.* Villalobos *tom. 1. sum. tract. 1. diffic. 4. num. 2.* Azor *lib. 2. instit. moral. cap. 10. quæst. 2. post medium, & quæst. 4.* & multis allegatis docet Mascard. *de probationib. conclus. 1143. num. 3. & 5.* & constat ex text. vulg. *in l. 1. § neque, C. de veteri iure enucleand.* ibi, *Sed neque ex multitudine authorum, quod melius, & æquius est, iudicari debet, cùm possit vnius forsan, & deterioris sententia, & multos, & maiores aliqua in parte superare.* quem textum commendat maximè Abbas *cap. 1. de constitutionib. vers. secundo casu principali*, & ibi Ioan. Andr. & alij relati à Mascard. *suprà.* Et ex iure canonico est pro hac parte textus expressus *in cap. Capellanus, de ferijs:* vbi duæ fuerunt opiniones Pontifici propositæ, & posteriorem elegit, quia (inquit Pontifex) *meliori, & subtiliori ratione nitebatur.*

8 Regulariter tamen loquendo, ea sententia probabilior est iudicanda, quæ à pluribus defenditur, & à doctioribus: vt dixit Philosophus *1. topic. cap. 1.* Probabiliora sunt, quæ videntur omnibus, vel plurimis, vel sapientibus, & iis, vel omnibus, vel plurimis, vel maximè notis, & illustribus. Non præcisè, quia ab iis defendatur, sed quia præsumi debet efficaciorem rationem pro se habere, cùm plures ad eam defendendam concurrerint. Quare si firmo fundamento carent, eorum sententia non est iudicanda probabilior; imò, vt dicit Ioan. Lup. *cap. per vestras, de donationib. inter virum & vxorem, notab. 3. § 20. num. 12.* illis non est credendum, si fundamento carent.

9 Aduerto sæpe contingere aliquam sententiam probabiliorem esse, non tamen tibi ita apparere, vel quia eius fundamentum, & patronos ignoras; vel quia tibi contraria fundamenta probabiliora videntur. At ad actiones regulandas non tam attendi debet, quid opinio in se habeat, sed qualis tibi appareat, vt bene notauit Anton. Perez, ex Caietan. Sala *certam. scholast. 10. num. 41.* & Villalobos *tom. 1. summ. tract. 1. difficult. 4. n. 8.*

10 Dico tertiò, Communis opinio est, quæ à Doctoribus eam ex professo tractantibus communiter defenditur. Nam si perfunctoriè solùm de illa tractent, etiam si plures sint, non æquiualent paucis eam ex professo disputantibus, vt optimè aduertit Menoch. *de præsumpt. lib. 2. præsumpt. 71. num. 39.* Alciat. *de præsumpt. regula 1. præsumpt. 51. num. 2. versic. item intellige.* Nauarr. *cap. 27. num. 289.* Azor *lib. 1. instit. cap. 13. circa fin.* Ioan. Sanchez *disp. 44 num. 68. & disp. 29 num. 7.* Debent tamen ij Doctores ex professo quæstionem disputantes certi Doctoris doctrinæ non esse ita addicti, vt eum tanquam oues, & volucres vnam præeuntem sequantur. Nam tunc non communem opinionem, sed singularem efficiunt. quod bene docuit Azor *suprà illo cap. 13.* cum Nauarr. Decio, Alexandro, & aliis. Inter Doctores verò ex professo quæstionem disputantes plures reperies, qui suam opinionem communem esse adstruant; cùm tamen alij oppositam communem esse asseuerent: & ideo non facilè discerni potest quæ sit communis opinio, vt dixit Azor *suprà*, nisi fortè Doctores euoluas, & videas multo plures, & doctiores pro vna parte stare, quàm pro alia. Quando autem facilè cognosci non potest quæ sit communis opinio, tunc plurimum conduceret iudicem habere propitium, cùm is possit tunc adhærere, vtri opinioni maluerit, nec tenebitur in syndicatu, vt ex Abbate, Baldo, & aliis docet Mascard. *de probationib. conclus. 1143. num. 20.* imò neque quoties sequitur opinionem probabilem relicta probabiliori, quia prudenter operatur. docet Ioan. Sanchez *disp. 44. n. 72. fine*, & infrà latiùs dicemus.

11 Dico quartò, Communis opinio regulariter præferenda est particulari, nisi fortè particularis ita efficacem, ac firmam rationem habeat, vt meritò multorum sententiis præponi debeat, iuxta textum *in cap. Capellanus, de ferijs*, & tradit ita Azor *lib. 2. cap. 13. fin.* Henriquez *lib. 4. de Pontif. legib. cap. 18. num. 3.* Villalobos *tom. 1. sum. tract. 1. diffic. 4. num. 19.*

12 Ex qua doctrina probat Thomas Sanchez *lib. 1. de matrim. disp. 18. num. 7.* & Mascard. *suprà num. 12.* opinionem singularem alicuius Doctoris probabili ratione nitentem præferendam esse, si valorem matrimonij defendat, plurium sententiæ illud impugnantium, & adducunt pro se Hostiens. Abbatem, Felinum, Decium, & alios: idémque dicendum existimant, si opinio singularis fauet causæ piæ, testamento, libertati, doti, & similibus: idémque docuit Nauarr. *cap. 27. num. 287.* Villalobos *tom. 1. summ. tract. 1. difficult. 7. num. 3.* & generaliter quælibet opinio defendens valorem actus præferenda est contrariæ sententiæ, etiamsi sit contra reum in fauorem actoris, vt ex multis allegatis docet Nauar. & Villalobos *suprà.* Et ratio omnium est, quia stat pro omnibus præsumptio iuris, & veritatis pro omnibus illis causis; vt probat Barbatia *in cons. 6. scriptum est præclarè, col. 2. vers. est nonum, vol. 1.*

Pun

Pvnctvm II.

An liceat tibi opinionem probabilem & minus tutam sequi relicta tua tutiori, & probabiliori.

1 *Qui negent, & quibus suam sententiam probent.*
2 *Probabilius est eligi posse opinionem probabilem, relicta probabiliori.*
3 *Satisfit 1. & 2. argum. contrario.*
4 *Tertium fundamentum dissoluitur.*
5 *Non solùm potes relicta probabiliori opinione secundùm probabilem aliorum operari, sed in casu grauis necessitatis teneris.*

1 NEgant plures primò, quia sic operans errare vis, non tutiorem viam eligens cùm possis; eáque de causa *in cap. iuuenis, de sponsalib. cap. ad audientiam, cap. significasti el 2. de homicidio*, dicitur in dubiis tutiorem partem esse sequendam, ne errandi periculo aliquis se exponat. Secundò *in cap. Capellanus, de ferijs*, sequutus est Pontifex secundo loco propositum, eo quòd meliori, & subtiliori ratione nitebatur. Sentit ergo probabiliorem sequendam esse, relicta semper probabili. Tertiò non videtur qua ratione id fieri possit: nam sequens opinionem probabilem aliorum, vel retines propriam, quæ tibi tutior, & probabilior apparet, vel non? Si retines, impossibile videtur te operari secundùm opinionem aliorum: nam ad hoc vt opereris bene, efformare debes iudicium practicum de bonitate obiecti, hoc est, iudicare debes hîc & nunc tibi esse licitum operari: hoc autem iudicium contradictorium est alteri iudicio probabiliori, quod habes tibi talem operationem non esse licitam; & licèt quodlibet ex iis iudiciis causas, seu motiua diuersa habeat, in causa non est, quominus iudicia inter se contradictoria sint. Ergo simul esse non possunt. Si dicas te relinquere propriam opinionem, cùm secundùm opinionem aliorum vis operari, præterquam quod est contra plures, grauésque Doctores affirmantes id necessarium non esse, videtur hoc ferè impossibile: nam intellectus non facilè dimouetur ab assensu, quem verum existimat, cùm in hac parte libertatem non habeat proposita veritate obiecti. Ergo absolutè non potes relicta probabiliori tua opinione aliorum opinionem probabilem sequi: & ita defendit Conrad. *de contract. tract. 7. quæst. vlt. conclus. 1.* Corduba *lib. 2. quæst. 3.* Armilla *verb. opinio, §. 1. & seqq.* Syluest. *eodem quæst. 1. & 2. & verb. dubium, quæst. 2.* Burgos de Paz *in proœmio legum Tauri num. 162. & 163.* at *num. 409.* dicit eligi posse opinionem æquè probabilem, sed non dicit minus probabilem.

2 Nihilominus communis sententia est, & mihi probabilior (etsi supradicta sit satis probabilis) eligi posse opinionem minus probabilem, & tutam, relicta probabiliori propria, & tutiori: sic tenet Valent. *1. 2. disp. 2. quæst. 14, part. 4.* Vasquez *disp. 62. cap. 4. & seqq.* Salas *ibi*, innumeros referens *tract. 8. disp. vnic. sect. 6. num. 66. §. hæc opinio.* Petr. Nauarr. *lib. 3. de restitut. cap. 1. dub. 13. n. 237. in noua edit.* Nauarr. *cap. 27. num. 280. & 288.* Sayrus *in claui regia lib. 1. cap. 5. num. 4. & 8.* Thomas Sanchez pluribus (vt mos est) relatis *lib. 1. in Decalog. cap. 9. num. 14.* Ioan. Sanchez illos, & alios plures allegans *disput. 42. num. 12.* Probo primò, cùm ex opinione probabili aliorum operaris, prudenter operaris: tum quia alij ex illa operantur prudenter, tum & præcipuè, quia sæpe opinio, quæ alicui probabilior, & tutior apparet, probabilior non est, & tutior. Ergo poteris relicta tua opinione probabiliori aliorum probabilem amplecti. Secundò si teneris sequi opinionem, quæ tibi probabilior apparet, neque potes ex probabili aliorum sententia operari, mille scrupulis agitari debes, & singulis horis obligaberis opus variare, cùm iam vni opinioni vt probabiliori adhæreas, iam contrariæ, vt bene expendit Salas *suprà num. 68. in confirm. 2. 6. arg.*

3 Neque obstant contraria adducta.

Ad primum respondeo te operantem ex opinione probabili aliorum errare non velle, cùm æquè tutam viam eligas, ac si ex tua probabiliori sententia operareris: nam, vt bene probat Ioan. Sanchez *disp. 44. num. 66.* inter probabiles opiniones nulla datur formaliter tutior, & securior altera: omnes enim sunt æquè securè, securitas enim opinionis in eo sita est, vt operans ex illa nullo modo Deum offendat. Cùm ergo operans ex opinione probabili nullo modo Deum offendat; efficitur æquè securum esse, ac si ex opinione probabiliori operaretur. Quando autem dicitur à Doctoribus vnam opinionem securiorem, & tutiorem esse alia, non de securitate formali, sed materiali loquuntur: hoc est, sequens opinionem probabiliorem, & tutiorem non solùm non attingit formaliter culpam, sed nec materialiter, vt contingit cùm est opinio probabilior obligans ad restitutionem, & est alia opinio probabilis deobligans; in restitutione enim facienda nulla esse potest nec formalis, nec materialis dissonantia ad rationem: at si non restituatur, esse poterit materialis dissonantia menti diuinæ, quæ dictabat in tali casu restitutionem esse faciendam. Nunquam tamen obligaris sequi quod in re tutius est. Præterea cùm operaris ex opinione probabili, operaris similiter ex probabiliori: nam probabilior opinio est te posse ex opinione probabili, relicta probabiliori operari. Ergo cùm ex illa operaris, ex opinione probabiliori operaris: probabilis enim opinio concurrit, v.g. ad te excusandum à restitutione facienda, & probabilior opinio concurrit ad te excusandum ne obligeris eligere opinionem probabiliorem, quæ tibi dicebat esse restitutionem faciendam: sic Sanchez *suprà num. 71.* Ex iis respondetur ad textum *in cap. iuuenis, cap. ad audientiam, & cap. significauit*, mandatur enim in dubiis tutiorem partem esse eligendam; quia cùm dubium propriè est, sola vna pars est tuta: at cùm ex opinione probabili operaris, cùm tunc dubius propriè non sis, vtraque pars est æquè tuta.

Ad secundum respondeo te debere sequi ex consilio opinionem, quæ meliori, & subtiliori ratione nititur; non tamen ad id obligaris, si oppositæ sententiæ rationem probabilem habeas, vt bene dixit Syluest. *verb. opinio, in fine, quæst. 1.*

4 Ad tertium, quod est difficilius, respondet Azor *tom. 1. institut. moral. lib. 2. cap. 16. quæst. 2. & 3. & cap. 17. quæst. 7.* Vasquez *1. 2. quæst. 19. art. 6. disp. 62. cap. 3. n. 10. & cap. 4. num. 18. & 19. præcipuè circa finem*, necessarium non esse relinquere opinionem propriam probabiliorem, vt possis operari secundùm opinionem probabilem aliorum; sed simul te habere posse illos duos assensus, alium nitentem principiis intrinsecis ipsius rei, alium nitentem principiis extrinsecis, scilicet authoritati Doctorum. Doctissimus noster Thomas Sanchez *lib. 1. in Decalog. cap. 9. num. 12. & 15.* absolutè affirmat posse esse illos duos assensus probabiles simul, etiamsi à principiis intrinsecis prouenirent, quia intellectus (inquit) non affirmat vtramque sententiam esse certam, sed vtramque esse probabilem, seu probabiliter sustineri posse. Mihi tamen dicendum videtur nequaquam simul esse posse illos duos assensus, siue ab intrinsecis, siue ab extrinsecis principiis proueniant, ratione in argumento facta, quam sic explico. Iudicas probabilius si ad beneficium eligas dignum omisso digniori, te esse obligatum restituere; alia opinio affirmat te non esse obligatum: esse, & non esse obligatum manifestam contradictionem inuoluit. Ergo non potest simul ab vno intellectu iudicari. Bene tamen stat te iudicare tuam opinionem esse probabiliorem altera, & alteram

eſſe probabilem: at hoc iudicium nec dirigit opus ſe ſolo, neque eſt iudicium probabile de quo loquimur; ſed eſt iudicium euidens: euidenter enim iudicas tibi probabilius apparere obligatum eſſe ad reſtitutionem, & aliorum ſententiam deobligantem probabilem apparere. Quòd autem inſufficiens ſit ad regulandam actionem te ſolo,probo. Nam ſi probabilius iudicabas te eſſe obligatum reſtituere, vt ab hac obligatione eximaris,debes iudicare te non eſſe obligatum: non enim ſufficit ſi iudices alios ſentire te non eſſe obligatum, niſi tu ſentias te obligatum non eſſe; aliàs contra propriam conſcientiam faceres ex aliorum opinione operando. Ergo ſi retineas tuam probabilem,vel probabiliorem ſententiam de obligatione, nequis ſimul aſſentiri obligatum non eſſe, ſed ad ſummum poteris aſſentiri alios iudicare te obligatum non eſſe, quod non eſt ſufficiens ad honeſtandam actionem. Quapropter cùm ſecundùm opinionem aliorum vis operari, iudicium tuum probabile,ſeu probabilius de obligatione ſuſpendere debes,& potes,cùm non ſit euidens, & clarum, & conſequenter non neceſſariò rapiens intellectum: & ita docet Thom. Sanch. immemor ſuorum dictorum *lib.1. in Decal.c.9.num.*42. in Medico conſulente contra propriam opinionem: vbi poſtquam dixerat non eſſe licitum, ſubiungit. Quod intelligo retento eo dictamine, nam attendens doctiores contrarium aſſerere, poſſet prudenter id deponere, ac iam medicinam conſu ere.

5 Ex ſupradictis infertur non ſolùm ſecundùm probabilem aliorum opinionem te poſſe operari, relicta probabiliori propria, ſed in caſu grauis neceſſitatis te teneri aliorum opinioni parum aliàs probabili conformare. Quia ratione illius grauis neceſſitatis,& periculi opinio aliàs parum, vel nihil probabilitatis habens redditur maximè probabilis,& ſecura. ita docet Thom. Sanch.*lib.2.de matrim.diſput.*36.*num.*8.*& in Decal.lib.*1. *cap.9.num.*25. cum Soto *de ſecreto tegendo membro* 3. *q.*2. *concl.*3. & Nauarr.*cap.inter verba in 2.edit.coroll.*33.*n.*135. & Villalobos *tom.1.ſum. tract.* 1. *diff.* 8. Explicántque doctrinam variis exemplis. Primò, putas iudicem legitimè interrogare de crimine alicuius grauis, & honeſtæ perſonæ, & reipublicæ non mediocriter neceſſariæ: non tamen tibi omnino conſtat,ſed habes aliquem ſcrupulum, & dubium, poteris tunc tacere, neque ad ſenſum illius reſpondere,iudicans in tali caſu probabile eſſe, te poſſe tacere. Secundò, ſi mulier contrahens bona fide matrimonium inualidè, poſtea non poſſit nouum conſenſum expreſſum à marito extorquere,ſufficiet, ſi affectu maritali accedat. Tertiò, exhibet moriturus ſigna contritionis ſacerdote abſente,poterit poſtea veniens in præſentia illum abſoluere: quia in iis caſibus grauis neceſſitas probabilem opinionem facit, quæ aliàs probabilis non eſſet.

PVNCTVM III.

An poſſit Doctor, vel Confeſſarius conſulere, vel docere opinionem minus probabilem, relicta probabiliori propria.

1 *Poſſe conſulere etiam in materia iuſtitia.*
2 *Proponitur obiectio, & ſoluitur.*
3 *Limitant aliqui, vt intelligatur, quando interrogantem deobligas.*
4 *Si rogans intelligat ſibi eſſe obligationem conſultam ex aliorum opinione probabili, benè potes conſulere.*
5 *Quid dicendum in caſu quo ſentires opinionem eſſe improbabilem; at defendi vt probabilem ab aliquibus, poteris ne interrogatorem remittere ad illos?*
6 *Poteſt interrogans, cui grata non eſt reſolutio vnius Doctoris, alium adire, ſi recta intentione procedat.*
7 *Doctores, ſeu rectores cathedra non tenentur docere qua ſibi probabiliora videntur.*
8 *Improbabiles opiniones docens ex malitia, vel ignorantia culpabili peccatum eſſe lethale.*
9 *Si non vt magiſter, ſed vt quidam ſpecialis Doctor opiniones improbabiles in Logica, vel Grammatica haberet, non videtur excedere culpam venialem.*
10 *In rebus ad mores pertinentibus mortale attingit.*

1 RESpondeo conſulere poſſe in qualibet materia, etiam in materia iuſtitiæ, & ſæpè conueniens eſſe. ita Sayrus *in claui regia lib.1. cap.6. num.*11. Salas *tract.*8. *diſp.vnica ſect.*6. *num.*69. *& ſect.*9. *n.*84. Vaſquez *diſp.*62.*cap.*9.*num.*47. Thom.Sanch. *lib.*1. *in Decal.cap.*9. *num.*19. Ioann.Sanch. *diſp.*41.*num.*7. Ratio eſt, quia ſi ex opinione aliorum, vt ex puncto præcedenti conſtat, ſufficienter regulas tuas actiones, cur non poteris aliorum actiones regulare?

2 Dices. Interrogans non rogat de aliorum opinione, ſed de tua. Ergo vt ad eius mentem reſpondeas, propriam opinionem teneris manifeſtare.

Reſpondeo primò,interrogantem non tam inquirere tuam, vel aliorum opinionem, quàm quid ipſe efficere poſſit, ſiue ex tua, ſiue ex aliorum opinione. Secundò, eſto interrogaret de tua, non ſemper es obligatus illam manifeſtare;ſæpè enim inconuenientia ex tali manifeſtatione oriuntur.

3 Hanc concluſionem limitat Salas *ſuprà ſect.* 9. *n.*85. & Vaſquez *illo num.*47. Ioann.Sanch.*diſp.*43.*num.*41.*& diſp.* 44. *num.*50. vt intelligatur quando interrogantem deobligas, ſecus ſi illi obligationem imponis. Tunc enim dicunt ij Doctores te non poſſe ſecundùm opinionem probabilem aliorum conſulere: cùm enim ipſe non de aliorum opinione roget, ſed de tua, immeritò illi obligationem imponis. At Thom. Sanch. *lib.*1. *in Decal.cap.*9.*num.*21. cum Salas *ſuprà, & ſect.*10.*num.*95. ſentit te poſſe conſulere tam exemptionem legis, quàm obligationem illius ex aliorum opinione, niſi expreſsè rogans inquirat, an aliqua ratione excuſari valeat à reſtitutione, v. g. facienda, tunc, inquam, teneris aut à conſilio dando abſtinere, aut aliorum opinionem probabilem excuſantem declarare, & in hoc caſu nemini eſt dubium.

4 Sentio igitur te poſſe ex aliorum opinione obligationem conſulere, ſi rogans intelligat ſolùm ex probabili opinione ſibi eſſe obligationem conſultam; tunc enim veritatem manifeſtas, neque illi iniuriam facis; ſiquidem tacitè dicis contrarium eſſe probabile, & poſſe illud tutò ſequi. At ſi rogans intelligat id ſibi vt indubitatum conſuli; qualiter ſolent rudes, & ignorantes intelligere, iniuriam illi facis, ſi ab ignorantia non remoueas,& veritatem non manifeſtes. Prætereà omnes petentes conſilium eſto expreſsè non rogent, an aliqua ratione excuſari à reſtitutione valeant, tacitè rogant,cùm dicunt, an obligati ſint reſtituere? Si ergo cùm expreſsè rogant, an aliqua ratione à reſtitutione excuſentur, teneris manifeſtare aliorum,vel tuam probabilem ſententiam excuſantem; ſic teneris cùm abſolutè de obligatione interrogant. Nullus enim præſumi debet ſibi velle imponere obligationem, cùm ab illa poſſit excuſari.

5 Sed quid ſi opinionem deobligantem à reſtitutione ſentires improbabilem, poſſes ne remittere interrogantem ad Doctorem,quem ſcis illam vt probabilem defendere?

Reſpondet Thom.Sanch.*lib.1.in Decal.cap.9.num.*23. te poſſe,ſi Doctor ille non ignorantia ductus, ſed aliis rationibus,quæ ſibi,& aliis probabiles videntur,ſententiam defendat. At hoc dictum ſubſiſtere non poteſt: nam vel illam ſententiam, quam Doctor ille defendit, euidenter iudicas eſſe falſam, vel nõ iudicas euidenter?

ſi

si euidenter iudicas esse falsam, simul etiam iudicare debes defendentem illam, ignorantia laborare; ac proinde in re defendi non posse. Non ergo poteris esse occasio, vt aliquis eam amplectatur. Quòd si non euidenter iudicas improbabilem, imprudenter procedis, si eam vt probabilem non repures. Nam licèt tibi per intrinseca principia non probetur, per extrinseca tamen probari debet, & sic interrogantem poteris ad illum Doctorem fauorabilem remittere, sicuti & tu poteras secundùm opinionem illius Doctoris interroganti respondere. Quapropter Vasquez *disp.62.cap.9.num.*48.& Salas *tractat.8.disp.vnic. sect.9. num.*84.*fine*, solùm dicunt te non posse remittere interrogantem ad Doctorem alium, cuius sententiam falsam euidenter reputas; secus dicendum, quando non euidenter reputares falsam.

6 Ex his infero cum Thom. Sanchez *cap.9. num.*24. & Zumel. 1.2.*quæst.*76.*art.*2.*disp.*4.*fine*, posse interrogantem, cui grata non est resolutio vnius Doctoris, alium, & alium adire, quousque inueniat placitam resolutionem, modò recta intentione procedat. Quia in hac inuestigatione vtitur iure à natura sibi concesso, cùm solùm inuestiget scientiam de obligatione, hoc est, an sit aliquis Doctor, qui eum legitimè excuset ab obligatione, quam alij ei imponunt. Timendum tamen est periculum errandi, ne fortè putans quærere lumen, quærat tenebras, & inueniat cæcum loco Doctoris, qui eum in foueam deiiciat. Propter quam causam hunc sic inuestigantem reũ esse mortalis, affirmarunt Adrian. 4.*mat.de restitut.quæst.de prescript.dub.vlt. vers.his præmissis.* Nauarr. *cap.*17. *num.*83. & Sum. Hisp. *cap.*28.*addit. vlt.ad cap.*17.

7 Dico secundò, Doctores, seu Rectores alicuius cathedræ non tenentur docere quæ sibi probabiliora videntur; sæpe enim talia solent esse minus recepta, & probata, & scandalum generarent, grauéque iugum magistris imponeretur, si obligationem haberent legendi quæ sibi probabiliora apparerent. Nam ex vi huius obligationis debebant satis inuestigare rationes pro vtraque parte, & sæpe opinio, quæ sibi probabilior heri apparuit, hodie minus probabilis apparebit, cogerentúrque quotidie mutare in scriptis sententiam. Quapropter sufficit, si quæ sibi probabilia videntur, doceant: & ita tenet Salas *disput.vnica, sect.6. num.*69. & Thomas Sanchez *lib.1.in Decalog. cap.9.n.*26. quamuis dicat esse veniale, si nulla ratione excusante doceas, quæ tibi probabilia sunt, relictis probabilioribus. At credo nullum esse peccatum, quia semper est ratio excusans, scilicet graue iugum, quod Doctoribus imponeretur, & obligatio mutandi sæpe sententiam.

8 Quòd si magister improbabiles opiniones doceat vel ex malitia, vel ex ignorantia culpabili: si sit in rebus pertinentibus ad fidem, vel mores, nemini potest esse dubium, esse graue peccatum; cùm occasionem grauissimam errandi tribuat, & ipse erret. At si opiniones sint in rebus parui momenti, Logicæ scilicet, & Grammaticæ, alicui videbitur peccatum non esse illas docere, ex textu *in cap.in quibus* 22.*quæst.*2. vbi August. dicit: In quibus nihil interest ad capessendum regnum Dei vtrùm credantur, aut non; vtrùm vera putentur, aut falsa; in iis errare, aliud pro alio putare, non est arbitrandum esse peccatum; aut si est, minimum est, atque leuissimum. Sed dicendum est, opiniones improbabiles docere communiter in rebus parui momenti, lethale esse, tum quia officio magistri, cui se ingerit, non satisfacit; officium enim illius est, veritatem firmare, & errores depellere. Tum etiam, quia grauem iniuriam auditoribus infert in eorum intellectibus errores seminando: propter quæ sentit Petr. Nauarr. *lib.2.de restit. cap.2. dub.1. num.* 82. obligatos esse magistros restituere, hoc est, deceptionem tollere.

9 At si non vt magister, sed vt quidam specialis Doctor opiniones improbabiles in Grammatica, vel Logica sequaris causa ingenij exercendi, leue peccatum tantùm erit, iuxta doctrinam Augustin. *suprà*, qui non de docente publicè has opiniones falsas locutus est, sed de assentiente illis: & ita tradit Salas, & Thomas Sanchez *suprà*.

10 Quod verò addit Salas *illo tract.8. disp.vnic. sect.5. num.44. circa medium*, scilicet per se loquendo. Si quis non in praxi, sed in solo assensu temerè circa res morales opiniones improbabiles amplecteretur, non peccaturum mortaliter, secluso scandalo aliorum, & proprio periculo amplectendi eas in praxi, sed venialiter tantùm; mihi nullo modo probatur, sed peccatum esse mortale affirmo. Primò, quia ex malitia, vel ignorantia culpabili de rebus ad fidem, vel mores pertinentibus malè sentire, graue malum est. Secundò, quia non videtur posse carere periculo amplectendi talem opinionem in praxi, cùm sic illi adhæreat. Tertiò, quia hæc videtur opinio August. *suprà*, cùm enim dixerit nullum vel leue peccatum esse sequi opinionem falsam in rebus, in quibus nihil interest ad capessendum regnum Dei; tacitè insinuat in iis rebus, quæ ad capessendum regnum ordinantur, peccatum graue esse.

PVNCTVM IV.

An Confessarius possit, & debeat contra propriam opinionem pœnitentem sequentem opinionem probabilem absoluere.

1 *De Confessario delegato negant aliqui.*
2 *Affirmandum est de ordinario, & delegato posse.*
3 *Adde vtrumque esse obligatum posita causa iudicij, seu confessione incepta.*
4 *Secus dicendum ante iudicium de eo qui obligatus non est confessiones audire. Et de qua opinione hoc verum sit.*
5 *Obligatus pœnitentis opinioni probabili se conformare, sub qua obligatione hoc sit variant Doctores.*
6 *Probabilius est sub obligatione mortali teneri.*
7 *Pœnitens credens ex aliorum opinione probabili contractum licitum esse, absoluendus est, tametsi Confessarius tali opinioni non assentiatur.*

1 De Confessario delegato negant aliqui posse; esto affirment de parocho. ita Antonin. 3.*part. tit.*17.*cap.*20.§.2. Syluest. *verb.Confessor* 3.*quæst.*7.Angel. *confessio* 4.*num.*13. Conrad.*tract.7.de contract.quæst.*100. *conclus.* 3. ex parte consentit Ioan. Medina *C. de confess. quæst.*19. *in fine.* Eman. Saa *in edit. Romana*, quatenus affirmant posse Confessarium cogere pœnitentem, vt suæ opinioni probabili adhæreat. Ratio esse potest; quia delegatus cùm non teneatur ministrare sacramentum petenti, solùm videtur posse illud ministrare secundùm propriam opinionem, & non aliorum. At parochus cùm teneatur ministrare, esset graue onus, si aliorum opinioni se conformare non posset.

2 Dicendum tamen est cum communi sententia, quemlibet Confessarium, siue ordinarium, siue delegatum, posse pœnitentem sequentem opinionem probabilem, v. g. opinionem deobligantem à restitutione absoluere, quamuis ipse Confessarius tali opinioni non assentiatur, modò assentiatur esse probabilem: docet Nauarr. *cap.27.num.*280.*&* 288. *& in cap.si quis autem, de pœnit.dist.6.num.*66. Tolet.*lib.3.cap.20.num.*4. Sayrus *de sacramento pœnitentiæ cap.*35. *num.2. & lib.1. in claui regia cap.9. à num.*13. Suarez *tom.4.in 3.part. disput.*31.*sect.*5. Vasquez *disp.62. cap.*7. Azor *lib.2. cap.17. quæst.*10. Anton.Perez *certam.10.scholast.dub.2.à num.*93. Villalobos *tom.1.summ.tract.1.diffic.*12. Thom.Sanchez *lib.1.in Decalog. cap.9. à num.*28. Salas *quæst.21. tract.8. disp.vnica, sect.9.à num.*82. Valent.2.2.*disp.5. quæst.7.punct.4.in fine.* Ioan.

Ioan. Sanch. innumeros congerens *diſp.33.n.54.& diſp.44.num.35.* Ratio eſt manifeſta:nam quilibet Confeſſarius, ſiue proprius, ſiue delegatus, nihil aliud à pœnitente exigere poteſt, vt abſolutionem impendat, quàm confeſſionem omnium peccatorum, cum vero dolore, & propoſito non peccandi, quibus nullo modo obſtat pœnitens adhærens ſuæ opinioni probabili. Ergo capax eſt abſolutionis, vtpote ritè diſpoſitus.

3 Difficultas autem eſt, an non ſolùm poſſit, ſed etiam debeat abſolutionem impendere?

Reſpondeo debere, ſiue ſit parochus, ſiue delegatus, quia eſto delegatus voluntariè ſe ingeſſerit ad iudicandum; at poſita iam cauſa iudicij, ſcilicet accuſatione peccatorum, neceſſariò ſententiam debet ferre, & cùm pœnitens ritè ſit diſpoſitus abſolutioni, nequit eam denegare: & ita tradunt Valent. Azor. Salas, Suarez, Vaſquez, & vterque Sanchez *ſuprà*.

4 Dixi, poſita cauſa iudicij, ſeu confeſſione incepta: nam ante illam ſicuti Confeſſarius delegatus non tenetur audire confeſſionem pœnitentis, neque etiam tenetur eius ſententiæ ſe conformare; aliàs obligari poſſet Confeſſarius ſentiens priuilegium Bullæ regularibus non prodeſſe ad effectum abſoluendi à reſeruatis, audire confeſſionem, & abſoluere regularem ſentientem prodeſſe. quod non eſt dicendum: & ita tenet Ioann. Sanch. *diſp. 44. num. 10. §. ſed valde notandum.* & addit obligationem Confeſſarij abſoluendi pœnitentem ſequentem opinionem probabilem eſſe, quando opinio probabilis eſt de aliqua re facta, vel efficienda ab ipſo pœnitente, non de re quæ ſe tenet ex parte Confeſſarij, qualis eſt de iuriſdictione, vel approbatione ipſius: tunc enim negata abſolutio non arguit indiſpoſitionem, & indignitatem in pœnitente, ſed defectum iuriſdictionis in Confeſſario; ac proinde nulla pœnitenti irrogatur iniuria, ſed potiùs eam ſibi irrogat Confeſſarius, & conſentit Baſil. de Leon. *lib.4. de matrim. cap.25.*

5 Caſu autem quo tenetur Confeſſarius pœnitentem abſoluere, non eſt concors Doctorum ſententia, ſub qua obligatione teneatur? Sayrus, Vaſquez, & Salas *ſuprà*, & Monteſinos *1.2. diſp.29. quæſt.5. num.199.* affirmant delegatum ſolùm ſub veniali teneri, & ſæpè ex bona fide, & zelo ſuæ opinionis excuſari. Anton. Perez *ſuprà*, nec veniale agnoſcit, ſi ſuam opinionem Confeſſarius longè probabiliorem reputet: habet enim (inquit) cauſam ſuſpendendi abſolutionem, ſcilicet, vt vires ſua opinio accipiat. Excipit caſum, in quo pœnitens ex præcepto Eccleſiæ communicare teneatur. tunc, inquam, graue onus pœnitenti imponeretur ex denegata abſolutione, cùm ritè diſpoſitus accedat. Suar. ſolùm dicit eſſe grauem obligationem, non tamen ſemper ſub mortali. Conſentit Thom. Sanch. dicens ex paruitate materiæ veniale eſſe negare abſolutionem, vt ſi confeſſio eſſet ita breuis, aut de ſolis venialibus facta; quia tunc non videtur graue onus pœnitenti imponi, alium confeſſorem adeundi. Ioann. Sanch. *diſp.33. num.54. fine.* dicit eſſe mortale, ſi ſit de mortalibus confeſſio: vnde tacitè innuit eſſe veniale, ſi de venialibus eſſet facta.

6 Ego verò in hac opinionum varietate exiſtimo probabilius ſemper eſſe peccatum mortale negare abſolutionem pœnitenti, quem credis eſſe ritè diſpoſitum, ſi ipſe in tali negatione non conſentiat, ſiue confeſſio ſit de mortalibus, ſiue de venialibus facta. Et de mortalibus videtur clarum: nam obligare pœnitentem ad iterum confitendum peccata grauia, habendúmque dolorem, eſt graue onus. De peccatis autem venialibus ſic probo. Nam negando abſolutionem priuas pœnitentem magno beneficio ſacramenti, ad quod habes ius. Ergo peccas grauiter. Quòd autem huiuſmodi priuationem ipſe poſſit facilè reparare, eadem peccata venialia iterum confitendo, non te excuſat à peccato, cùm hæc reparatio per accidens ſit: ſicuti non te excuſaret à graui iniuſtitia, ſi dignum aliquo beneficio Eccleſiaſtico, illo priuares, ſciens facillimo negotio aliud æquè bonum poſſe conſequi: quia ad grauitatem culpæ non debet attendi, an poſſit damnificatus damnum reparare: ſufficit ſi damnum factum graue ſit. Quod autem priuatio abſolutionis, & fructus ſacramenti in confeſſione venialium graue damnum ſit, & grauis materia, ſic probo. Quia ſi ex voto tenereris confeſſionem venialium efficere, & omitteres, abſque dubio grauiter peccares. Ergo ſignum eſt eſſe materiam grauem, obligare pœnitentem, vel carere fructu ipſius confeſſionis, vel illam iterum efficere.

7 Ex his infero à fortiori pœnitentem bona fide exiſtimantem, contractum aliquem ſibi licere, quique verè licitus eſt ex aliorum opinione probabili, eſto Confeſſarius tali opinioni non aſſentiatur, eſſe neceſſariò abſoluendum, quia accedit ritè diſpoſitus: ſic tradit Villalobos *tom.1. ſum. tract.1. diff.12. num.2.* & tenentur omnes ſupradicti Doctores conſentire. At ſi pœnitens exiſtimet ex ignorantia contractum illum licitum, illicitum eſſe; tenetur Confeſſarius pœnitentem monere licitum eſſe ſecundùm aliquorum opinionem, vt ſic à periculo peccandi pœnitentem remoueat; ſic ex Salon. *2.2. quæſt.62. art.2. controuerſ.4. paulo ante ſolut. argum.* docet Thom. Sanch. *lib.1. in Decal. cap.9. num.31.* Quòd ſi ille contractus omnino eſt illicitus, debet Confeſſarius pœnitentem monere, & ſi ab illo deſiſtere non vult, in abſolutum remittere, vtpotè indiſpoſitum: ſic tradit Bartholom. de Ledeſm. *in ſua ſum. tit. de ſacram. pœnit. diff.14.* Villalobos *ſuprà num.4.*

PVNCTVM V.

An in adminiſtratione Sacramentorum liceat vti opinione probabili, & in re minus tuta, relicta probabiliori, & tutiori, vel omnino certa.

1 *Quando pro vtraque parte eſt opinio probabilis de licito vſu, potes cuilibet te conformare. Quæſtio procedit quando ex vna parte eſt opinio valere ſacramentum, ex alia eſt certus eius valor.*

2 *Sacramentum inualidum eſſe poteſt ex defectu materiæ, vel formæ à Chriſto inſtitutæ, vel ex defectu iuriſdictionis ab Eccleſia non conceſſa.*

3 *Proponitur prima ſententia negans licere vti opinione probabili, relicta probabiliori, vel certa de valore ſacramenti: & quibus probetur.*

4 *Apponitur ſupradictæ ſententiæ limitatio, vt non procedat in caſu grauis neceſſitatis.*

5 *Secunda ſententia vt probabilior defenditur licitum eſſe opinione probabili, relicta probabiliori, vel certa in adminiſtratione Sacramentorum, niſi ab Eccleſia per conſuetudinem, vel ſpeciale præceptum prohibitum ſit.*

6 *Explicatur doctrina, & caſus, in quibus apparet Eccleſiam feciſſe prohibitionem.*

7 *Non licet miniſtrare Baptiſmum ſub nomine genitoris, &c. tametſi baptizatus conſentiat.*

8 *Apponitur quædam limitatio, ſed neceſſaria non videtur.*

9 *Probatur non eſſe neceſſarium ſacerdoti monere ſuſcipientem ſacramentum ſe vti opinione probabili in eius adminiſtratione.*

10 *Satisfit argum. num.5 adductis.*

1 PRo intelligentia huius quæſtionis aduerto primò non eſſe quæſtionem, quando pro vtraque parte eſſet opinio probabilis, an licitè fiat: tunc enim ex ſupradictis manifeſtè conſtat cuilibet licere eligere quam maluerit, neque ſe periculo morali errandi exponit, vt contingit in caſu controuerſo, an morituro exhibenti ſolùm ſigna contritionis danda ſit abſolutio?

aliis

aliis negantibus, aliis rectiùs affirmantibus. Sed quæstio est, quando ex vna parte est opinio de valore sacramenti, ex alia parte non est opinio, sed certitudo valere. v. g. est opinio validum esse Baptismum ministratum sub forma genitoris, geniti, & procedentis ab vtroque. At est omnino certum valere, si ministretur sub nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti. Item est opinio validè consecrari in typho, vulgò *zenteno*: at in pane triticeo est omnino certum. Matrimonium valere, si contrahatur coram parocho contrahentium, & in propria parochia, admittunt omnes. At si ipse in aliena parochia assistit, opinio est non valere. Confessio facta simplici Sacerdoti absente proprio in articulo mortis, nemini est dubium valere; at si præsens sit proprius Sacerdos, opinio est: aliáque innumera exempla adduci possent. Difficultas autem est, an tunc liceat vti opinione probabili, relicta certa, & secura.

2 Aduerto secundò, inualidum posse reddi sacramentum vel ex defectu materiæ, & formæ à Christo Domino institutæ, quem defectum ipsa Ecclesia supplere non potest, vel ex defectu iurisdictionis ab Ecclesia non concessæ, qualiter irritatur sacramentum matrimonij celebratum coram Sacerdote, qui non sit parochus contrahentium, & sacramentum pœnitentiæ si ministretur à Sacerdote, habente potestatem ordinis, & non iurisdictionis in pœnitentem. His ergo positis,

3 Prima sententia negat, siue inualidum sit sacramentum ex defectu alicuius à Christo Domino requisiti, vel ex defectu alicuius requisiti ab Ecclesia, licere vti opinione probabili, relicta certa, & secura in eius administratione. ita Franciscus Suarez 3. *tom. in* 3. *part. disput.* 16. *sect.* 2. *& disput.* 21. *sect.* 4. *ad finem, & disput.* 45. *sect.* 1. *in fine, & disput.* 60. *sect.* 1. *in fine, & tom.* 4. *disput.* 26. *sect.* 6. *num.* 5. Henriquez 1. *tom. lib.* 1. *de sacrament. cap.* 9. *num.* 15. Bartholom. de Ledesm. *de sacrament. in genere, dub.* 5. *conclus.* 4. Petrus de Soto *lib.* 1. *de institut. sacerdot. lect.* 2. *de Eucharist.* Valentia 3. *part. disp.* 6. *quæst.* 2. *punct.* 1. Salas 1. 2. *tract.* 8. *disput. vnic. sect.* 5. *num.* 86. & alij. Mouentur primò, quia facis irreuerentiam sacramento, cùm sine vrgenti causa te exponis periculo illud irritum faciendi, quod periculum non adest, cùm vteris opinione probabili circa aliquod præceptum: quia tunc non te exponis periculo illud violandi formaliter, etiam si in re violes; at si in vsu sacramentorum tutam, & certam sententiam de eorum valore relinquis, & probabili tantùm vteris, periculo te exponis irritum efficiendi sacramentum: quam irritationem ex probabili opinione non poteris euitare, sicut potes euitare malitiam. Et confirmo. Si debens centum aureos solueres creditori in moneta dubia, nullo modo satisfaceres; quia debito certo non potest fieri satis solutione dubia; at constitutus minister sacramentorum debet Ecclesiæ illa integrè ministrare, cùm ad hunc finem ab Ecclesia sit constitutus. Ergo non satisfacis, si sub opinione ministres, cùm possit certò ministrari. Secundò, vsus Ecclesiæ prohibens ne forma, & materia minus tuta vtaris in sacramento Baptismi, Confirmationis, & Eucharistiæ, ex aliquo fine prohibet, non ex alio, nisi ex reuerentia sacramentis debita. Ergo ex hac reuerentia prouenit, vt nullus possit vti materia probabili, relicta certa. Tertiò in rebus ad salutem animæ pertinentibus, hoc ipso grauiter quis peccat, quòd certis incerta præponit, vt dixit August. 1. *de Baptismo, contra Donatistas, cap.* 3. Sed qui vtitur materia, & forma sacramentorum probabili, relicta certa, iam certo incertum præponit. Ergo peccat.

4 Doctores supradicti dicunt intelligendum esse, neminem scilicet posse vti opinione probabili de valore sacramenti, relicta sententia certa sine graui necessitate: nam illa interueniente licitum esse dicunt vti materia probabili, relicta certa. Qua ratione licet Baptismum in digito paruulo ministrare, quando timetur paruulus ex vtero egrediens moriturus. Item licet confirmationem ministrare ex oleo benedicto, non mixto balsamo, cùm nullatenus balsamus inueniri potest, & vrget occasio. Item licet, & debitum est pœnitentem exhibentem signa contritionis, & iam moriturum absoluere, etsi nullum peccatum in specie manifestarit. Item licet ministrare Baptismum sub nomine genitoris, geniti, & procedentis ab vtroque, si ex prolatione formæ certæ, Patris scilicet, Filij, & Spiritus sancti mors ministro immineret. In quibus omnibus consentit Ioan. Sanchez *disp.* 44. *num.* 12. *fine, & in princ.* cum Anton. Perez *certam.* 10. *scholast. cap.* 10. *&* 13. Salas *sect.* 17. *num.* 285. Suarez *de pœnit. disp.* 26. *sect.* 6. *fine.* Periculum enim irritandi sacramentum sufficienter honestatur ratione necessitatis.

5 Secunda sententia, & mihi probabilior asserit in administratione sacramentorum per se licere vti, sicut in aliis materiis, opinione probabili, relicta probabiliori, seu certa, nisi ab Ecclesia per consuetudinem, vel speciale aliquod decretum prohibitum sit. Hanc probat, & defendit latè, & eruditè Gabr. Vasquez 1. 2. *quæst.* 19. *art.* 6. *disp.* 63. *cap.* 2. *&* 3. Salas *ex eodem, quæst.* 21. *tract.* 8. *disput. vnica, sect.* 10. *num.* 96. sentit esse valde probabile, quamuis *sect.* 5. *num.* 96. absolutè oppositam sententiam videatur defendisse. Anton. Perez *laurea Salam. certam.* 10. *cap.* 12. *&* 13. Thomas Sanchez *lib.* 3. *de matrim. disput.* 20. *num.* 4. *& lib.* 1. *in Decalog. cap.* 9. *num.* 33. Villalobos *tom.* 1. *summ. tract.* 1. *diffic.* 13. *num.* 1. *&* 2. Sayrus *claui regia lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 4. Basil. de Leon. *lib.* 4. *de matrim. cap.* 25. *num.* 9. Salon. 2. 2. *quæst.* 63. *art.* 4. *controuers.* 2. *ad* 3. probabilem reputat Ioan. Sanchez *disput.* 44. *num.* 10. & alij ab eisdem relati. Moueor præcipuè ex ratione ab inconueniente desumpta: si enim non liceret materia probabili in administratione sacramentorum vti, sed necessariò adhibenda esset omnino tuta, cùm id fieri possit, graue onus ministrantibus sacramentum imponeretur. Primò enim in sacramento pœnitentiæ non liceret pœnitenti cum attritione cognita accedere, neque Sacerdoti absolutionem impendere; cùm hæc non sit omnino certa materia. Item si pœnitens cognoscit se effecisse confessionem informem, neque vult illam repetere, non liceret sacramentum ministrare, quia confessio secundùm probabilem opinionem non est integra formaliter, cùm secundùm probabilem opinionem est confessio informis repetenda. Similiter non liceret simplici Sacerdoti in articulo mortis præsente proprio Sacerdote absolutionem impendere; neque in sacramento matrimonij possent coniuges contrahere præsente proprio parocho non Sacerdote, vel existente in aliena parochia: quia in iis casibus, & aliis multis adhibetur materia probabilis, relicta omnino certa, & secura.

6 Hoc argumentum, meo iudicio, conuincit ex præcisa religione debita sacramentis, licere quidem vti in eorum administratione opinione probabili; hoc est, materia, & forma probabili, relicta certa, & secura: quia sic operans prudenter operatur, cùm non exponatur culpabili periculo irritandi sacramentum, sed viam moraliter certam teneat. Neque est fundamentum, vi cuius affirmemus obligatos esse semper ministros materiam, & formam omnino certam apponere. At quia plurimi sunt casus, in quibus Ecclesia vel per consuetudinem, vel per speciale decretum mandauit vti materiis, & formis certis, relictis probabilibus, ideo qui in huiusmodi casibus auderet materia probabili vti, relicta certa, grauiter contra religionem peccaret. Qua ratione, etsi probabile sit Baptismum valere sub forma genitoris, geniti, & procedentis ab vtroque: at ex vsu Ecclesiæ ministrandus est sub nomine Patris, Filij, &

& Spiritus sancti, neque est probabile stante hoc vsu licitum esse relinquere hanc formam, & alia probabili vti. Item etsi probabile sit in Philosophia, aquam ex herbis extractam non differre specie ab elementaria; at non est probabile licere sub illa Baptismum ministrare. Similiter etsi probabile sit in sacramento confirmationis balsamum non requiri; at probabile non est non esse apponendum. Item in sacramento Eucharistiæ probabile est typhum, vulgò *zenteno*, specie non differre à tritico, sed esse triticum degeneratum; at probabile non est posse in illo consecrari. Quapropter in hac materia, certa regula præscribi non potest, sed per singula sacramenta examinandum est, quæ sint ab Ecclesia ratione consuetudinis, vel specialis præcepti prohibita, quæ non.

7 Ex his infero aduersùs Anton. Perez, & Salas *sect.* 10. *num.* 96. nullo modo licere sacerdoti ministrare adulto Baptismum, sub nomine genitoris, geniti, & procedentis ab vtroque, quantumcunque ipse consentiat, quia vsus illius formæ non solùm ex charitate debita proximo debitus est, sed ex præcepto Ecclesiæ ob publicationem fidei, & notitiam claram ipsius. Cùm enim Baptismus ianua sit Ecclesiæ, oportebat in illo notitia Trinitatis exprimi clarioribus verbis. Similiter etiam infero aduersùs eundem Doctorem, grauiter peccaturum sacerdotem consecrantem calicem, & limitantem intentionem ad solà illa verba, *Hic est calix sanguinis mei*, reliquis verbo tenus prolatis: quia obstat vsui communi Ecclesiæ nomine Christi illa dicentis, & intendentis omnibus illis consecrationem fieri, quia fortè omnia illa necessaria sunt.

8 Nostram sententiam limitat Vasquez, Villalobos, Anton. Perez, & vterque Sanchez *supra*, vt intelligatur, quando pars probabilis contraria non sit charitati, & misericordiæ proximi. Dicunt namque te vti non posse materia, & forma probabili in administratione sacramentorum, si inde aliquod damnum suscipienti sacramentum imminet. Nam si certum, & securum remedium posses sine difficultate indigenti ministrare, quo titulo debes dubium, & incertum adhibere, illúmque sacramento fortè necessario ad salutem frustrare ob sequendam tuam opinionem? Fateor dictum esse legitimum, at limitatio necessaria non est, nullus enim mihi se offert casus, in quo ob charitatem proximi tenearis vti sententia omnino certa, & sine periculo irritandi sacramentum, cùm aliàs posses illa non vti, quod optimè notauit Montesinos 1. 2. *disput.* 29. *quæst.* 5. *num.* 132. Nam quod dicit Ioann. Sanch. *disp.* 44. *à num.* 13. §. *Fateor ingenuè*, mihi nullo modo probatur, affirmat namque ministrum peccaturum mortaliter, non solùm contra charitatem, sed etiam contra iustitiam, quotiescunque habens iurisdictionem sub opinione probabili sacramentum ministrat, quin suscipientem moneat de incertitudine sacramenti, vt possit alium ministrum habentem iurisdictionem certam adire: quia videtur esse contra charitatem suscipientis ministrare sacramentum dubium, cùm possit habere certum. Ex qua doctrina infert innumeros casus, in quibus minister peccaturus est, si suscipientes sacramentum non moneat de incertitudine, quales sunt, si parochus assistat matrimonio contrahentium in aliena parochia, vel non sacerdos; vel matrimonium per metum reuerentialem contractum absque minis. Item si obtenta approbatione ab alio ordinario, quàm loci, in quo ministratur pœnitentia, auscultet confessiones; si præsente proprio sacerdote simplex sacerdos moriturum absoluat. In iis omnibus casibus, & aliis similibus ab ipso relatis affirmat ministrum peccaturum & contra charitatem, & contra iustitiam. Solùm excipit in sacramento pœnitentiæ se posse excusare ministrum, iurisdictione probabili vtentem, si suscipiens sacramentum confiteatur aliqua venialia simul cum mortalibus, cùm enim circa venialia sit certum, & non sub opinione quemlibet sacerdotem iurisdictionem habere, efficitur absoluentem de peccatis venialibus, & gratiam conferentem, consequenter peccata mortalia remissurum, ac proinde nullum emolumentum suscipiens amittit ex facta confessione, quod ex alio quolibet sacerdote obtinere posset.

9 Hanc igitur doctrinam nullo modo probandam censeo; destruit enim opinionem communem asserentem in omnibus illis casibus posse sacramentum non solùm validè, sed licitè ministrari, neque vllus Doctor, qui talem sententiam docet, exegit à ministro, vt certiores suscipientes faceret de incertitudine opinionis, & periculo irritandi sacramentum. Quia quando adest probabilis opinio absoluendi à reseruatis, à censuris, assistendi matrimonio, nullo morali periculo se exponit minister irritum efficiendi sacramentum. Quia licèt ex priuilegio iurisdictionem non habeat, habet tamen ex tacito consensu Ecclesiæ, & ratihabitione de præsenti supplente iurisdictionem, ne tot actus irriti sint: ita docuit Suarez 4. *tom. in* 3. *part. disp.* 26. *sect.* 6. *num.* 7. *& seqq.* Lessius *lib.* 2. *de iustit. cap* 29. *dub.* 8. *num.* 68. Villalobos 1. *tom. sum. tract.* 1. *diff.* 13. *num.* 5. *fine.* Henriquez *lib.* 5. *de pœnitent. cap.* 14. *num.* 3. *&* 4. *& in com. litt. G.* Thom. Sanch. *lib.* 3. *de matrim. disp.* 22. *num.* 65. *& in sum. lib.* 1. *in Decal. cap.* 9. *num.* 35. Basil. de Leon. *lib.* 5. *de matr. cap.* 19. *num.* 8. *& cap.* 20. *num.* 7. Ægid. *de Sacram. disp* 8. *dub.* 3. *conclus.* 6. *num.* 22. *& dub.* 6. *n.* 47. Bonac. *de Sacram. disp.* 5. *quæst.* 7. §. 4. *num.* 4. Filliucius *tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 9. *num.* 227. Omnes enim ij, & alij affirmant operantem ex opinione probabili se habere iurisdictionem, illam habere certissimam, sicuti habet qui ex errore vulgi, & titulo præsumpto operaretur; ac proinde nullo periculo morali irritandi sacramentum exponi. Neque vllus ex iis Doctoribus à ministro requisiuit, vt moneret pœnitentem de incertitudine opinionis: quia ipsi ministro non debet aliud onus imponi in administratione sacramenti, quàm vt ministret omni certitudine qua potest; qui autem solùm iurisdictionem probabilem habet, solùm ex illa potest sacramentum ministrare; vt quid ergo aliud onus est illi expostulandum? ipse enim suscipiens sibi imputet, si sacramentum validè non recipiat, cùm possit quærere ministrum certam omnino iurisdictionem habentem, & accedat ad dubium. Quod si dicatur suscipientem ignarum esse talis incertitudinis, ac proinde à ministro monendum; nescio qua ratione ministro tale onus imponitur magis, quam cuilibet alteri fideli, cùm ipse minister non cogat suscipientem ad se accedere, & accedenti ministret sacramentum omni certitudine qua potest. Præterea lege charitatis, & præcepto correctionis non tenemur ab intellectibus hominum ignorantias depellere, quæ non obstant medio necessario ad salutem: atqui monitus à Confessario de incertitudine opinionis non tenetur alium ministrum certiorem adire. Ergo illa ignorantia incertitudinis non est de aliquo medio necessario ad salutem, ac proinde nullus tenetur ex charitate illum docere. Denique aduersùs Ioann. Sanch. vrgere possumus: quia illa via asseeurandi sacramentum pœnitentiæ, si suscipiens confiteatur venialia non est omnino certa. Nam esto quilibet sacerdos habeat circa venialia iurisdictionem (quod in sententia Salas 1. 2. *tract.* 8. *disp. vnica, sect.* 10. *num.* 101. *& sect.* 27. *num.* 286. non est omnino certum) adhuc non est certum fieri sacramentum, quia sæpè dolor de peccatis à pœnitente adductus venialibus non obstat, quia non est ita purus, & perfectus. Ergo in tali casu monendus esset pœnitens, & cùm hic casus semper contingat, semper debet esse monendus pœnitens. Præterea cùm Confessarius ante factam confessionem nesciat quæ peccata sibi dicenda sunt, & an veniale aliquod, cuius dolorem habeat pœnitens

nitens manifestaturus, teneretur sanè semper pœnitentem monere de incertitudine sacramenti: quod quidem esset graue onus ministris sacramentorum imponere, & contra receptam, & communem sententiam.

10 Ad argumentum pro prima sententia adducta respondeo.

Ad primum operantem ex opinione probabili de valore sacramenti non se exponere morali periculo irritandi illud, ac proinde sacramentum non offendit, neque Deum, qui solùm petit, vt minister inculpabiliter procedat: procedit namque quando ex probabili opinione operatur, aliud Ecclesia non præcipiente. Ad confirmationem respondeo ministrum obligatum non esse operari absque vllo periculo irritandi sacramentum, sed obligatum esse operari absque periculo morali irritationis: qui autem cum probabili opinione operatur, nulli se periculo morali exponit, ac proinde integrè debito satisfacit.

Ad secundum respondeo Ecclesiam in aliquibus casibus prohibere vti materia, & forma probabili, relicta certa, non tam ob reuerentiam sacramenti, quàm ob alios fines tum religionis, tum necessitatis fidelium. Et dato quòd in aliquibus ob specialem solùm reuerentiam sacramenti sit ita mandatum; non inde mandatum ad omnes casus debet extendi absq; manifesta ratione.

Ad tertium dico, D. August. loqui in casu necessitatis grauis, secus in communiter contingentibus. Secundò dico, qui opinionem probabilem certæ præponit, non incertum, sed certum moraliter certò præponit.

PVNCTVM VI.

An subditus contra propriam opinionem possit, & debeat superiori præcipienti obedire.

1 *Quid sit certum, quid sub controuersia.*
2 *Licitum tibi est obedire sequendo opinionem probabilem superioris.*
3 *Debes iudicare opinionem superioris probabilem esse.*
4 *Communis sententia docet te obligatum esse obedire superiori præcipienti, tametsi imperet rem, quam probabiliter seu probabilius existimas illicitam esse, vel esse extra eius iurisdictionem.*
5 *Contrarium videtur satis esse probabile.*
6 *Satisfit fundam. num. 4. adducto.*
7 *Si sub opinione probabili sit superiorem non esse legitimum, adhuc affirmat Sanchez te esse obligatum in supradicto casu obedire.*
8 *Probabilius est oppositum.*

1 NOn est controuersia, quando datetur opinio probabilis ex parte subditi, quòd non teneatur obedire, etiam si contraria sit probabilior: tunc enim licitum est ex supradictis amplecti, quæ sibi gratior fuerit, & ita notauit in præsenti Thomas Sanch. *lib. 6. in Decal. cap. 3. n. 7.* Sayrus *claui regia, lib. 1. cap. 12. num. 6.* Torres *de iustit. disp. 50. dub. 5. n. 9.* Ioan. Sanchez *disp. 33. num. 28.* Petr. de Nauarra *lib. 3. de restit. p. 3. dub. 13. n. 239. fin.* Neque obstat superiorem tunc iustè præcipere, vt tu tenearis obedire, quia non vndequaque iustè præcipit, sed probabiliter, ac proinde tu probabiliter solùm obligatus eris obedire, & probabiliter deobligatus. Ex ignorantia enim, & diuersitate opinionum hæc diuersitas in operando oritur, ratione cuius datur bellum iustum ex vtraque parte. Controuersia ergo solùm est, an quando existimas probabiliter rem tibi imperatam illicitam esse, possis, & tenearis obedire?

2 Negat te posse in supradicto casu obedire Adrian. *quodl. 2. p. 3.* quia ageret contra propriam conscientiam.

Sed hæc sententia meritò ab omnibus reiicitur. Si enim, vt supradictum est, relicta propria opinione probabiliori licet tibi amplecti aliorum opinionem probabilem, quare non poteris opinionem probabilem superioris amplecti? Et ita tenet Cordub. *qq. lib. 3. q. 9.* Anton. Perez *certam. 10 scholast. n. 115.* Vasquez *disp. 62. c. 6.* Azor *lib. 2. cap. 1. q. 9. & cap. 19. q. 6.* Thomas Sanchez *lib. 6. in Decal. cap. 3. n. 6.* Salas *1. 2. tract. 8. disp. vnic. sect. 8. n. 76.* & constat manifestè ex August. relato *in cap. quid culpatur, 23. quæst. 1.* ibi, *Vir iustus si fortè sub rege homine, etiam sacrilego, militet, rectè potest illo iubente bellare, si quod sibi iubetur vel non esse contra Dei præceptum certum est; vel vtrum sit, certum non est.* Ecce qua ratione dicit August. posse subditum superiori obedire, quoties illi certò non constat esse contra Dei præceptum. Idémque probari posset argum. *cap. si virgo, 34. q. 2.* ibi, *Si virgo nupserit nesciens viro alieno, si semper nesciat, nunquam ex hoc adultera erit; si autem sciat, ex tunc adultera esse incepit.* Ergo scientia de nullitate iuris alterius requiritur, vt non possis illi conformare.

3 Debes tamen, vt possis contra propriam opinionem operari, efformare iudicium practicum de probabilitate opinionis superioris: quia necessariò debes iudicare saltem probabiliter, tibi esse licitum hîc, & nunc obedire; aliàs contra propriam conscientiam regulantem actiones procederes: & ita docuit Vasquez *disp. 62. c. 6. num. 32. & 33.* & Azor *lib. 2. cap. 17. q. 9.* Hoc autem iudicium existimant supradicti Doctores non debere subditum desumere, ex eo quòd superior sit, & præcipiat: neque enim dignitas præcipientis facit probabilem opinionem eius quod præcipit; sed quia aut subditus scit ab aliis Doctoribus illud vt probabile haberi, vel superiorem doctum, & prudentem esse, qui nisi probabiliter ductus rem illam non præciperet: quod semper existimandum est, quotiescumque de iniustitia præcepti non constat: consentit Villalobos *1. tom. sum. tract. 1. diffic. 11. num. 3.* neque dissentit Thomas Sanchez *suprà num. 6.* etsi videatur contrarius.

4 Maior difficultas est, an tenearis obedire, cùm tibi superior imperat rem, quam probabiliter, seu probabilius existimas esse illicitam, vel esse ex his, quæ sunt extra eius iurisdictionem? Communis sententia est te obligatum esse obedire. ita Vasquez *1. 2. disp. 62. cap. 6.* cum Corduba *lib. 3. q. 9. initio.* Salas *tract. 8. disp. vn. sect. 8. n. 76.* Syluest. *verb. conscientia, q. 3.* Sayrus *lib. 1. in claui regia, cap. 12. à num. 2.* Anton. Perez *certam. 10. scholast. n. 115.* Thom. Sanch. *lib. 1. in Decal. c. 3. num. 6.* Villalobos *tom. 1. summ. tract. 1. diffic. 11. n. 3.* Azor *tom. 1. lib. 2. instit. cap. 17. quæst. 9.* & alij.

Hanc sententiam probant Doctores communiter. Primò, in supradicto casu potes obedire. Ergo teneris: quia subditus tenetur parere, quoties absque peccato id facere potest. Et confirmo. Superior habet ius præcipiendi, cùm saltem ex probabili ratione moueatur. Ergo teneris ei obedire; aliàs non leuis esset confusio inter superiorem, & subditum, nulláque communitas gubernari posset, si ob probabilem opinionem subditus excusandus esset ab obedientia, tenerentúrque superiores nunquam præcipere, nisi euidenti iustitia ducti, eáque inferioribus manifestata, quod videtur esse contra August. *in cap. quid culpatur, 23. q. 1.* Hæ tamen rationes efficaces non sunt, æquè enim militant in casu quo subditus probabiliter opinaretur non esse obligatum obedire, tunc, inquam, & superior præcipere potest, & tamen ipse non tenetur parere, neque obinde confusio aduenit communitati, cùm quilibet iure proprio vtatur, & casus non sint ita frequentes: non enim ita frequenter contingit probabile esse, rem imperatam illicitam esse, vel excedentem superioris iurisdictionem, vt possit subditus ab obedientia excusari. Ratio efficax huius sententiæ ea est. Superior eo ipso, quo superior est, ius imperandi habet non solùm quæ clarè sunt licita, & honesta; sed ea quæ sub opinione honesta sunt.

Quod conſtat ex ſupradicto *cap. quid culpatur*, vbi Auguſtinus ſolùm expoſtulat, vt poſſit ſuperior præcipere, & poſſit ſubditus obedire, quòd certum non ſit rem imperatam eſſe contra Dei præceptum. Ergo ſi certum eſt ſuperiorem in tali caſu habere ius imperandi, etiam debet eſſe certum, obligandum eſſe ſubditum, cùm hæc correlatiua ſint. Et confirmo. Etſi probabile ſit coniugi matrimonium bona fide contractum inualidum eſſe, non tamen videtur probabile deobligatum eſſe reddere debitum petenti, aliàs liceret ſpoliare poſſidentem iure acquiſito ob probabilem opinionem. Ita videtur dicendum in præſenti. Etſi probabile ſit rem imperatam illicitam eſſe, vel excedentem limites rerum, quas ſuperior imperare poteſt. At non videtur probabile te poſſe non obedire, ſi imperetur; ſicuti ſi probabile tibi eſſet rem à me poſſeſſam eſſe tuam, non tamen ex hac probabilitate me poteris illa ſpoliare.

5 Verùm etſi hæc communis ſententia in praxi ſemper conſulenda ſit, audeo tamen affirmare valde probabile eſſe te obligatum non eſſe ſuperiori præcipienti obedire, quando opinionem habes probabilem illicitam eſſe rem imperatam, vel excedentem eius iuriſdictionem. Moueor primò, licitum ſubdito eſt non parere ſuperiori præcipienti, quando eſt opinio probabilis non eſſe obligatum parere, ſed quando eſt opinio probabilis, non eſſe licitum quod imperat, vel eſſe extra eius iuriſdictionem, eſt opinio probabilis non eſſe obligatum parere. Ergo. Probo minorem: quia probabilitas opinionis deobligantis ſubditum obedire, in nullo alio capite efficaciori fundari poteſt, quàm in eo, quòd probabile ſit rem imperatam illicitam eſſe, vel extra ſuperioris iuriſdictionem. Et confirmo: ideo quando eſt probabilis opinio non teneri ſubditum obedire, deobligatur ſubditus ab obedientia in ſententia Thom. Sanchez, quia poſſeſſio ſuperioris in illa materia vocatur in dubium, ſed ſimiliter vocatur in dubium poteſtas ſuperioris, cùm probabilis eſt opinio illicitum præcipere, aut eius iuriſdictionem excedens. Ergo. Secundò, nunquam ſuperior fuit in poſſeſſione imperandi illicitum, aut excedens eius iuriſdictionem, vt ex ipſis terminis conſtat. Sed eſt probabile hoc eſſe illicitum, vel excedens eius iuriſdictionem. Ergo eſt probabile non habere ſuperiorem ius præcipiendi. Ergo eſt probabile non teneri ſubditum obedire. Tertiò, non poteſt ſuperior ſtrictius obligare ſubditos ſuo præcepto, quàm Chriſtus Dominus, & Eccleſia obligat ſuis præceptis; ſed quoties aliquis iudicat probabiliter ſub materia præcepta rem aliquam non contineri, illa non obligatur: hac enim ratione non tenetur quis fateri peccatum, quod probabili ratione credit non eſſe mortale, vel eſſe iam confeſſum, vt multis allegatis docet Thomas Sanchez *lib. 1. in Decalog. cap. 10. num. 76.* quia licèt præceptum de confeſſione integrè facienda poſſideat, ab illo tamen excuſatur ſequendo opinionem probabilem: quia in tali caſu probabiliter exiſtimat non poſſidere. Ergo licèt ſuperior ius habeat præcipiendi, quia tamen non habet ius certum præcipiendi, quod eſt probabiliter illicitum, ſed ſolùm habet ius probabile, ideo ſubditus probabiliter deobligatur.

6 Ex iis patet ſolutio rationis adductæ pro communi ſententia. Dicimus namque ſuperiorem habere ius præcipiendi quod eſt licitum certò, & indubitabiliter; quod verò ſub opinione tantùm licitum eſt, etiam ſub opinione ius habet. Quapropter D. Auguſtinus *in cap. quid culpatur*, nunquam dixit teneri ſubditum Regi præcipienti obedire, quoties certum ſibi non eſt eſſe contra Dei præceptum; ſed poſſe obedire: tacitè inſinuans contingere poſſe caſum, in quo etſi poſſit obedire, non teneatur. Exemplum de ſpolio non obſtat: quia poſſeſſio rei, & proprietas illius diſtinguitur: ſtat enim optimè aliquem habere ius proprietatis in aliqua re, carere tamen illius poſſeſſione; & econtra: ac proinde poteſt aliquis probabiliter opinari rem ad ſe pertinere, non tamen probabiliter opinari habere illius poſſeſſionem, aut alium à poſſeſſione deturbare: quia ſunt omnino diſtincta. At in præſenti idem omnino eſt dubitare, ſeu probabiliter opinari rem imperatam eſſe illicitam, vel excedentem ſuperioris iuriſdictionem, ac opinari non habere poteſtatem circa illam. Eodem modo ſatisfacere poſſemus exemplo de matrimonio: aliud enim eſt opinari matrimonium inualidum fuiſſe, & aliud opinari alterum coniugem corpus tuum non poſſidere; poſſeſſio enim videtur certa, etſi proprietas ſtet ſub opinione: & ratione poſſeſſionis certæ alterius teneris reddere debitum petenti, quantumuis opineris matrimonium non eſſe, vt multis allegatis probat Thomas Sanchez *lib. 2. de matrimonio, diſput. 44. num. 3.* & nos ibi dicemus. Secundò & clariùs reſpondere poſſemus admittentes coniugem probabiliter opinantem de valore matrimonij, non teneri reddere debitum petenti, etſi poſſit: quia videtur idem eſſe opinari de valore matrimonij, ac opinari de legitima poſſeſſione alterius; cùm nullus poſſit poſſidere coniugem alienum, ſed proprium; ac proinde ſi alicui coniugi probabile eſt non eſſe coniugem alterius, probabile eſt alterum non legitimè poſſidere, & conſequenter reddere non teneri: ideóque *in cap. inquiſitioni, de ſentent. excommunicat.* notanter omiſſum eſt hunc coniugem probabiliter opinantem teneri reddere; ſolùm enim dicitur debitum reddere poſſe, ſed poſtulare non debere. Efficitur ergo ex omnibus iis eſſe ſatis probabile ſubditum probabiliter opinantem mandatum ſuperioris eſſe illicitum, vel excedens eius iuriſdictionem, non eſſe obligatum exequi. Et eam abſolutè defendit Ioan. Sanchez *in ſelect. diſput. 33. à num. 32.* & Ledeſma *tractat. de los eſtados, vbi de religioſos en comun, cap. 4.* conſentit ex parte Suarez *5. tom. in 3. part. diſput. 4. ſect. 6. num. 6. in fine.* vbi dicit teneri ſubditum obedire Prælato, quando æquè ſunt rationes probabiles pro vtraq; parte. At ſi manifeſtè probabilius eſt non eſſe licitum mandatum, vel extra eius iuriſdictionem, valde probabile eſſe ſubditos excuſari: & clariùs id docet *lib. 6. de legib. cap. 8. n. 3. & 6.* vbi probat licitum eſſe vti epikeia, hoc eſt, interpretatione, ſeu emendatione legis ex probabili iudicio, quoties ſuperior conueniri non poteſt: imò etiam ſi conueniri poſſet, refert idem Suarez *num. 4.* plures modernos aſſerere neceſſarium non eſſe recurſum ad ſuperiorem, ſi dubium ſit de poteſtate eius, non de voluntate: quia tunc non debet interpretatio fieri ex voluntate ſuperioris, & in caſu quo dubium ſit, contrariari eius præceptum alteri legi ſuperiori, conſentit non eſſe neceſſarium obedire. Henriquez *lib. 12. de matrim. cap. 6. num. 7.* fauere videtur, quatenus dicit coniugem debere reddere debitum petenti, dum non eſt certus per conſenſum opinatiuum probabiliorem matrimonium non eſſe, à fortiori idem diceret de ſubdito reſpectu Prælati, & clariùs *lib. 14. de irregular. cap. 3. num. 3. com. lit. X.* vbi dicit in dubio eſſe locum epikeiæ. Idem tenet Corduba *lib. 3. qq. q. 13. ante regul. 1. fol. 205.* Syluest. *verb. Papa, quaeſt. 16. diſput. 2.* & conſentit Thomas Sanchez *lib. 2. de matrim. diſput. 41. num. 37.* vbi dicit, cùm ſupradicti Doctores dicunt eſſe locum epikeiæ in dubio, intelligendi ſunt non de dubio æquilibrio, ſed de formidine, quando ſcilicet eſt probabile iudicium, licèt cum formidine oppoſita. Sentit ergo ex probabili iudicio vti poſſe ſubditum epikeia, ac proinde non teneri obedire. Sayrus *lib. 1. in claui regia, cap. 13. num. 41.* dicit, quando eſt dubium probabile, an licitum ſit, quod ſuperior præcipit, non ſemper eſſe illi obediendum. Ergo iam admittit caſum,

casum, in quo ex probabili iudicio de iniquitate rei præceptæ excusetur subditus ab obedientia. Eandem sententiam à fortiori defendere tenentur omnes illi, qui affirmant in casu dubio an sit licitum, vel illicitum, vel excedens superioris iurisdictionem, non teneri subditum exequi, quos disput. seq. referemus.

7 Sed inquires quid dicendum sit, quando opinio non tam oritur ex re præcepta, quàm ex potestate superioris, vt si opineris superiorem non esse legitimum, quia non est legitimè electus, an tunc sit certum te non teneri obedire?

Thomas Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap. 3. num. 29.* etiam in hoc casu affirmat te esse obligatum obedire, &, meo iudicio, procedit consequenter: cùm enim tua opinio, & dubitatio impedire possessionem superioris non possit, sed illa opinione, & dubitatione non obstante ille est reputatus superior, nequis illum iure imperandi spoliare, ac proinde etsi opineris non esse superiorem, non potes opinari tibi imperare non posse, cùm hæc potestas à tua opinione non dependeat, sed omnino certa, & indubitata sit, quoties non constat de nullitate.

8 Verùm in huiusmodi casu mihi probabilius apparet te obligatum non esse obedire: quia tunc non est possessio certa superioris, cùm de eius possessione probabiliter dubitetur. Tua ergo opinio etsi non impediat possessionem superioris, & quòd superior non tibi possit imperare: at reddit possessionem illius dubiam, & incertam, hoc est, solùm probabilem, & consequenter ius imperandi probabile tantùm. Hoc autem iure imperandi probabiliter non potes superiorem spoliare: at ex illo non sequitur te obligatum esse obedire absolutè; sed solùm obligatum esse probabiliter obedire, & consequenter posse probabiliter non obedire: & ita in huiusmodi casu defendunt, etsi non satis, consequenter te non esse obligatum obedire. Vasquez *disput. 62. cap. 6. fine.* cum Gerson. *tom. 3. tract. de vita spirituali, lect. 4. corol. 10. alphab. 61. litt. N.* Salas 1. 2. *tract. 8. disput. vnic. sect. 8. num. 78.* Sayrus *in claui regia, lib. 1. cap. 12.* Lessius *lib. 2. de instit. cap. 41. dub. 9. num. 77. fine.* Lorca 1. 2. *tom. 2. disput. 26. §. aduerte præterea.* Ioan. Sanchez *disput. 33. num. 31.*

Pvnctvm VII.

An Rex in bello inferendo moueri possit ex opinione probabili, dicente sibi illud regnum pertinere.

1 *Si habet Rex opinionem probabilem, sibi licere vrbem ab alio possessam occupare, poterit bellum pro illius occupatione mouere.*
2 *Si probabilitas sit ex parte facti, aut iuris, nequit possessor à possessione ante datam sententiam deturbari.*
3 *Proponitur quædam obiectio.*
4 *Apud quem est mouenda lis, & controuersia definienda. Examinantur varia Doctorum placita.*
5 *Non approbantur.*
6 *In hac controuersia regnum esse diuidendum aliqui affirmant. Sed eorum dictum non probatur.*
7 *Resoluitur controuersia, definiendam esse litem iudicibus regni prætensi, quando non est controuersia inter supremos Principes.*
8 *Explicatur amplius doctrina.*
9 *Idem dicendum, quando est inter supremos Principes.*
10 *In supradicto casu probabile est regnum manere liberum, & posse se modò reipublicæ exemptæ gubernare.*
11 *Applicato regno à iudicibus designatis, potest is cui est applicatum illud intrare, & bellum mouere, si impediatur. Excipe nisi sententia illa haberet appellationem, vel supplicationem, vt videtur admittendum.*
12 *Quod est ius probabile, & litigiosum, neque armis defendendum.*
13 *Quando alicui competit regnum certò, & alius est in possessione, monendus primò est, & rationes allegandæ, antequam bellum inferatur.*

1 SI attento iure est probabilis opinio licere Regi vrbem ab alio Rege possessam occupare, nemini esse potest dubium posse tunc intentare possessionem, etsi ab alio possidente impediatur, bello vindicare. ita Ioan. Sanchez *disput. 44. num. 58.* Et consentire tenentur omnes illi, qui affirmant licitum esse opinionem probabilem sequi. Neque obstat alium iustè possidere; quia non iustè possidet absolutè, sed solùm probabiliter, ac proinde deturbari potest à possessione: quia spoliator probabiliter existimat alium non habere ius possidendi.

2 Verùm si probabilitas sit ex parte facti, seu iuris, quia scilicet ex scripturis, vel testibus, vel alia via colligit sibi vrbem competere, si post factam diligentiam res est solùm probabilis, & alter est in possessione, nullo modo potest illum à possessione deturbare. ita Franciscus Vict. *de iure belli, relect. de Indis, à num. 27.* Vasquez 1. 2. *disput. 64. cap. 3. num. 13.* Salas *tract. 8. disput. vnic. sect. 13. num. 128.* Molin. *tom. 1. tract. 2. disp. 103.* Villalobos *tom. 1. summ. tract. 1. diffic. 17. num. 7.* Ioan. Sanchez pluribus relatis *suprà, num. 58.* Ratio est, quia alius iustè possidet, & ratione possessionis efficacius ius habet in vrbem, quàm alius, qui possessione caret. Item in pari causa, seu dubiis melior est conditio possidentis, & pro illo daretur sententia. Iniustum ergo esset illum à possessione deturbare.

3 Dices, Princeps ille supremus, qui ius solùm probabile habet ad vrbem ab alio possessam, non debet ius illud omittere: non enim debet esse inferioris conditionis quolibet particulari. Si ergo quilibet particularis cùm ius habet probabile ad maioratum ab alio possessum, potest litem mouere aduersùs possidentem, vt causa examinata applicetur maioratus habenti efficacius ius, etiam poterit hic Princeps supremus ius probabile habens in vrbem ab alio possessam, litem mouere aduersùs possidentem; & data sententia in sui fauorem poterit possidentem à possessione expellere; quòd si resistat, armis vindicare.

4 Respondeo posse litem mouere. At difficultas est apud quem sit mouenda lis, & controuersia definienda? Nam quod aliqui dicunt quemlibet supremum Principem ius habere pronunciandi sententiam, & sententia in sui fauorem pronunciata, & adiudicato sibi regno posse regnum occupare, & armis, si opus est, propugnare, mihi nullo modo probatur, si de sententia propriè dicta sermo sit. Primò, quia ipse supremus Princeps superior non est alio Principe de regno contendente. Ergo non potest iudex esse illius, illúmque sua sententia ligare. Secundò alius contendens non tenetur apud hunc rationes suæ iustitiæ allegare, quomodo ergo contra inauditam partem poterit iustam ferre sententiam? & ita tenet Vasquez *illo cap. 3. num. 11.* & Salas *num. 123.* reputántque contrarium improbabile. Quapropter alij dicunt supremum Principem de regno cum alio tertio contendentem, etsi non possit aduersùs illum sententiam ferre, poterit tamen Iurisperitos sui regni consulere. Quòd si ipsi dicant efficacius ius habere ad regnum, virtute huius maioris probabilitatis posse regnum possidere: & si impediatur à possessione, armis iniuriam vindicare. ita tenet Victoria *suprà*, etiam quando alius est in legitima possessione, & Suarez *de charit. disput. 13. de bello, sect. 6. num. 2.*

Villalobos *tom.*1. *summ.tract.*1.*diffic.*17.*num.*7.*&* 8. Ratio esse potest, quia iudex pro illo, qui ius efficacius habet, debet sententiam ferre: est enim sententia actus iustitiæ distributiuæ, in qua dignior est præferendus. Est autem dignior, cui probabilius ius fauet. Ergo pro illo erat sententia ferenda. Loco autem sententiæ ferendæ in supremis Principibus succedit declaratio maioris iuris, & probabilitatis. Ergo facta hac declaratione quasi per sententiam, sibi est regnum adiudicatum. Poterit ergo tunc illud tentare possidendum, & impedientem armis oppugnare. Item facta hac declaratione iura non sunt paria, vt melior sit conditio possidentis.

5 Verùm hic modus dicendi (etsi probabilis) mihi non satisfacit. Negari enim non potest alteri Principi suos etiam Consiliarios dicturos efficacius ius habere in regnum, præcipuè, cùm illi faueat possessio. Quod ergo consilium ex his est executioni mandandum? Nulla ratio est, quare magis vnum, quàm aliud: vtrumque autem mandari executioni non potest, neque ratio naturalis dictare potest, vt mandetur executioni consilium illius, qui potentior fuerit; aliàs ius regnandi ex armis metiendum esset: quod barbarum est, & contra naturam rationalem, illéque diceretur efficacius ius habere, qui potentior armis esset.

6 Propter hæc dicit Bannes 2.2.*quæst.*40. *art.*1. *dub.*4. *& dub.*5. *conclus.*3. & Eman. Rodriq. *in summ. cap.*124. *num.*3. *conclus.*2. Villalobos *tom.*1. *tractat.*1. *difficult.*17. *num.*4. pro qualitate dubij regnum diuidendum esse, & vnum Principem alteri recompensationem facere debere, quòd si diuisioni, seu recompensationi non consentiat alius, oppugnari posse. Sed neque hæc mihi probatur. Nam, vt bene ait Molin. *tom.* 1. *de iustit. tractat.*2. *disput.*103. §.*mihi verò.* Salas *suprà num.*130. qui est in possessione legitima, nunquam cogitur rem cum alio diuidere, aut recompensationem facere, neque iudex qui non est arbiter ad hanc diuisionem, seu recompensationem solet litigantes cogere; non est ergo cogendus, qui regnum possidet. Et licèt iustè possidens cognoscat aduersarium efficacius ius ad regnum habere (quod difficile est, & raro contingit) si tamen ei certum non est facta diligentia requisita, & semota omni passione; adhuc existimo probabilius obligatum non esse regnum diuidere (etsi contrà affirmet Molin. §.*illud libenter.*) quia ratione possessionis vincit quodlibet ius alterius probabile, neque tenetur se à regno, vel parte illius spoliare, quousque sententia adueniat, quæ vt lites vitentur, & pax conseruetur, solet vni potius, quàm alteri rem applicare; etsi vterque ferè æquale ius habeant. Item esset non leuis controuersia in assignanda parte, quæ tradenda esset contrario. Adde regnum diuidere contra consensum ipsius regni, graue malum, & perniciosum regno esset; non est ergo admittendum. Quæ ratio etiam probat neque ante vllius possessionem esse regnum diuidendum, sicut nec maioratus diuiditur, cùm duo super illo contendunt. Est ergo controuersia alio modo definienda.

7 Dicendum igitur est; si litigantes super aliquo regno, partes sunt ipsius regni, illique subditi, tenentur iudicio regni stare: quia ipsum regnum iudex est talis controuersiæ. sic Vasquez *suprà, num.* 19. Molin. §.*quando autem.* Villalobos *suprà, num.*7. *circa finem.* Si verò vnus sit supremus Princeps, & alius qui fortè possidet, pars regni prætensi, existimat Vasquez *suprà*, & Perez *num.*109. *circa finem*, litem decidendam esse ab ipso regno, hoc est, ab ipsis, qui mortuo Rege ex electione ciuitatum habent ius gubernandi. Nam cùm illa controuersia definiri debeat legibus ipsius regni, & legum illarum nullus videatur legitimus interpres præter regnum ipsum, ab ipso regno debet definiri. Neque obstat esse supremum Principem nemini subiectum; nam in illa causa regno subiici debet; sicuti subiicitur Gallus legibus, & iudicibus Hispaniæ, cùm contra Hispanum de aliqua hæreditate Hispana contendit. Huic modo dicendi non acquiescit Molin. §.*aduerte.* neque Suarez *de charit. disput.*13. *de bello, sect.*6. *num.*6. quia sæpe Princeps supremus suspectos habet iudices externos, neque tenetur stare iudicio eorum, quos ipse non constituit ad iudicandum. Affirmat ergo Molin. non esse definiendam rem iudicio regni, sed tractandam esse, ac si inter duos Principes supremos, vel duas respublicas exemptas agitaretur: quia ille Princeps supremus non videtur teneri se subiicere sententiæ latæ à republica. Mihi tamen sententia Vasquez magis probatur adhibita eius moderatione, scilicet quemlibet ex litigantibus posse iudices ordinarios regni recusare, si eos suspectos sibi esse prudenter existimat: neque enim ius, quod quælibet persona particularis habet, negandum est iis litigantibus: quòd si in tali recusatione, & assignatione aliorum iudicum non velit alius consentire, poterit iniuriam sibi factam armis vindicare.

8 Ex his à fortiori infertur, si ius moueatur super aliquo comitatu subdito alicui regno, vel Regi, omnes litigantes, etiamsi sint Principes supremi, teneri stare iudicio illius regni, vel Regis, sub cuius ditione comitatus ille est positus. Nam cùm controuersia hæc definiri debeat aliqua regula, & hæc non possit esse alia, nisi leges ipsius comitatus; harum autem interpres non possit esse alius magis legitimus, quàm qui eas condidit; efficitur sanè iudicio illius standum esse. Deinde occupans comitatum, subditus efficitur illius regni, sub cuius ditione est. Ergo debet Regi ostendere titulum sufficientem occupandi eius terram; aliàs dum Regi non ostenditur, potest Rex illum à suo territorio expellere. Est ergo res definienda ab ipso Rege, & ita tradit Vasquez *illa disp.*64. *num.*18.

9 Quòd si controuersia sit inter Principes supremos, aut respublicas superiorem non agnoscentes, & nullus est in legitima possessione regni, & pro vtraque parte sunt variæ rationes, neque est euidens, cuinam sit regnum adiudicandum: affirmat Suarez *sect. illa* 6. *num.* 4. communiorem sententiam esse, vnumquemque habere ius ad primò occupandum, neque esse inconueniens fieri bellum iustum ex vtraque parte, cùm interponatur ignorantia. Ratio adducitur, quia in tali casu posset iudex, cui vellet regnum applicare. Ergo quilibet supremus Princeps sibi applicat. Verùm hic modus dicendi à Suarez non probatur, nec mihi probandus venit. Nam esto iudex ob seruandam pacem reipublicæ possit vni ex litigantibus rem applicare, etiam si efficacius ius non habeat, sed solùm æquale, (quod non est certum.) At quilibet Rex applicare sibi non potest, quia vnius applicatio non excludit alterius applicationem. Ergo ratio naturalis non potest vtrique tribuere ius integrè rem sibi vindicandi. Debent ergo Reges ij ab aliquo tertio spectare definitionem. Neque quilibet Rex ex consilio sapientium sui regni moueri potest ad regnum occupandum, quidquid dicat Suarez *num.* 6. quia sequitur idem inconueniens, ac si quilibet Rex sibi regnum applicaret. Quocirca, vt suprà dicebam, definienda est controuersia iudicibus ipsius regni vacantis; vel si aliquis ex litigantibus eos suspectos habeat, & recuset; debent iudices arbitri designari, quorum iudicio standum est, neque interim bellum moueri potest; cùm nullus alteri iniuriam faciat, quæ debeat bello vindicari: sic Vasquez *suprà n.*18. Ioan. Sanchez *disp.*44. *num.*56. Quòd si durante huiusmodi dubio neque res decisa per sententiam arbitri, aut per compositionem vnus tentaret regnum occupare, aliúmque excludere; hoc ipso iniuriam alteri faceret,

quam

quam posset iustè repellere, & eo titulo iusti belli rem totam occupare: sic Suarez *sect.6.num.4.*

10 Aduerto in huiusmodi casu probabile esse regnum manere liberum,& posse se modò reipublicæ exemptæ gubernare,aut Regem alium à litigantibus eligere: ita docuit Salas 1.2.*tract.8. disp.vnic. sect.13. num.128.* Ratio videtur esse: cùm enim litigantes ius incertum habeant, videtur respublica succedere,vtpote carens certo successore: neque tenetur alteri illorum regnum adiudicare, cùm non sit certum illi debere. Diuidere autem regnum inter litigantes, in grauem perniciem reipublicæ cederet, cuius damnum præferendum est cuilibet speciali.

11 Causa igitur apud iudices regni vacantis, vel arbitros agitata, & adiudicato regno vni ex litigantibus, poterit ipse, pro quo sententia lata est, illud occupandum intrare, etsi condemnatus resistat,bellum aduersùs illum mouere: quia tunc ius est illi certum euidentia legali. An autem debeat expectare vltimam sententiam, variant Doctores. Perez *certam.10.scholast.n.105.* affirmat non esse obligatum expectare vltimam sententiam, etsi danda esset,sed eo ipso,quòd pro illo est data sententia aliqua, efficitur ius firmius habere: quando autem certum est pro aliquo ius firmius esse,potest rem intrare possidendam, & tenetur in idem consentire Suarez *disp.13.sect.6.n.2.* Mihi tamen probabilius apparet,si sententia illa appellationem, seu supplicationem admitteret, non posse virtute illius regnum intrare possidendum, aliàs vt quid expectanda est vltima sententia? Et appellatio executionem sententiæ non suspenderet,si non obstante supplicatione,vel appellatione armis exequitur.

12 Sed inquires quod ius censendum est probabile, & litigiosum,neque armis definiendum?

Respondeo, quando apud iurisprudentes probabile censetur; etsi negotium inter particulares agitaretur, nullus censeretur contra iustitiam litem mouere: ita tradit Vasquez *illo cap.3.fin.* & Villalobos *tom.1. summ. tract.1.diffic.17.num.vlt.fine.*

13 Vltimò pro hac materia dicendum est, quando alicui certum est regnum sibi competere, & alius in legitima possessione existit, monere debet possessorem, vt dimittat allegatis causis, & rationibus sui iuris: tenetur enim vitare bellum in quantum possit. Quòd si monitus noluerit acquiescere,poterit oppugnari. Nam in huiusmodi casu datur iusta ratio bellandi, quæ est iniuriam imminentem propulsare, vel factam vindicare: in tali casu possessor facit iniuriam, esto illam non cognoscat. Ergo habet supremus Princeps ius illam propulsandi, seu vindicandi; & cùm nulla alia via id efficere possit, nisi bellando; bellum illi concessum est: sic omnes Doctores, Vasquez,Molin.Salas,Villalobos,Perez,Victoria,*suprà.*

PVNCTVM VIII.

Quam probabilitatem de iustitia belli debeat habere miles,vt possit,teneatúrque militare.

1 *Vbi non constat de belli iniustitia,possunt subditi milites obedire,& qui ij sint.*

2 *Non tenentur inquirere de iustitia belli,si nulla eis dubitandi ratio sit proposita. Secus si grauis dubitandi ratio proponatur.*

3 *Milites non subditi pugnare non possunt,nisi eis de iustitia belli constet secundum communem sententiam.*

4 *Valde probabile est eodem modo hos milites bellare posse, ac subditos.*

1 SErmo potest esse de militibus subditis Regi bellum inferenti, vel de militibus non subditis. Si sermo sit de militibus subiectis, quoties illis non constat de belli iniustitia,possunt obedire;quia tunc præsumere debent bellum esse iustum. éstque expressa decisio August. *in cap.quid culpatur, 23.quæst.1.* & ita docent de hoc casu aliis allegatis Valent.2.2.*q.40.ar.1.disp.3.q.16. p.2.* Vasq.1.2.*q.19.disp.66.cap.vlt.* Molin. *tom.1.de iustit. tract.2.disp.113.concl.3.*Nauarr.*lib.2.de restit.cap.3.in noua edit.2.p.dub.12.à n.260.* Thom. Sanch.*lib.6.in Decal.c.3. n.15.* Salas 1.2.*tract.8.disp.vnic.sect.26.n.266.*Villalobos *tom.1. tract.1. diffic.18.* Suarez *de charit. disp.13. de bello, sect.6.num.8.* Nomine *subditorum*,vt in bello possint pugnare, & teneantur ad superioris præceptum,communiter intelliguntur milites alienigenæ mercede conducti,qui continuis stipendiis sub eodem Principe degunt tam tempore belli,quàm pacis: ij enim reputantur tanquam famuli,qui suis dominis tenentur parere, cùm de iniustitia non constat. ita docent Nauarr. *summ.cap.15. num.15.* Caietan.*in summ.verb.bellum,in fin.& 2.2.q.169. art.1.circa solut.ad 4.dub.2.* Valent.*supra,vers.si autem miles.* Salas *n.268.* Thom.Sanchez *n.16.* Molin.*suprà.*Villalobos *tom.1.summ.tract.1.diffic.18.num.2.*

2 Maior difficultas est, an ij subditi teneantur inquirere de iustitia belli antequam militent?

Respondeo cum Suarez *supra sect.6.num.9.*si dubium sit negatiuum, hoc est,si nulla specialis ratio de iniustitia illis repræsentatur, possunt authoritate sui Principis militare, imò tenentur si præcepto cogantur nulla facta inquisitione; quia bellum indictum à Principe supremo præsumi debet iustum, vt tradit Mascardus *verbo bellum, num.5.* Menochius *de præsumpt. lib.6. præsumpt.96. num.7.* Neque executor sententiæ tenetur de eius iustitia inuestigare:grauéque onus impositum esset subditis,si iustitiam tenerentur examinare; & ferè illis esset impossibile veritatem assequi, cùm rarò conueniat rationes bellandi omnibus manifestare. Verùm si subditi dubium habent positiuum, hoc est, rationes probabiles pro vtraque parte de iustitia belli, possunt se illis conformare; non tamen existimo teneri, ob ea quæ suprà diximus, subditum obedire, quando probabilem opinionem habet iniustum esse præceptum. Quòd si rationes ita sunt vrgentes de iniustitia belli, vt subditus nequeat illas soluere, teneretur tunc aliquo modo veritatem inquirere, ne se periculo morali iniustitiæ exponat. ita Suarez *suprà*, & addit hoc onus non esse facile subditis imponendum.

3 Verùm si milites subditi non sunt, clarum est non teneri obedire. An autem possint causa non examinata, difficultas est.

Communis sententia docet non posse,nisi certitudine morali illis constet bellum iustum esse. ita Thomas Sanchez *suprà.* Molin.*disp.114.in princ.* Syluest.*verb.bellum,1.q.9.* & Caietan. *ibi.* Ratio est, quia ex bello grauissima damna oriuntur. Vt autem illa possint inferri, debet in inferente moralis adesse certitudo de iustitia. Ij autem milites cùm subditi non sint, non tam executores,quàm inferentes debent nominari. Item probari potest ex *reg.19.de reg.iur.in 6.* ibi, *Non est sine culpa qui rei,quæ ad eum non pertinet,se immiscet*; rei, inquam, periculosæ,& quæ alteri damnum infert.

4 Nihilominus valde probabile est eodem modo huiusmodi milites bellare posse,ac possunt subditi,neque aliquam esse inter illos differentiam, tenet expressè Vict.*à n.24.*Suarez *disp.13.sect.6.n.12.*Vasquez *illo cap.3.* & inclinat Nauarr.*illo dub.12.* Ratio est, quia cuilibet licitum est alterum iuuare in re, quæ præsumitur iusta, præcipuè cùm non leue emolumentum inde accipiat. Cùm igitur bellum præsumatur iustum,dum de iniustitia non constat, efficitur posse quemlibet in illo iuuare. Et ex iis soluitur supradicta ratio. Fateor enim ex bello grauissima damna oriri, ideóque in authore illius moralem requiri certitudinem de iustitia; at in iuuante sufficit,

ſufficit, ſi probabile ſit hanc certitudinem in authore eſſe. Debet autem eſſe probabile, quoties de iniuſtitia non conſtat: & Princeps vir Chriſtianus, bonæque æſtimationis habetur.

Ad *reg.* 19. reſpondeo cuilibet militi importare locare operas ſuas in bello, neque ſe immiſcet rei periculoſæ moraliter, cùm ex probabili opinione operetur. Quæ omnia à fortiori procedunt in bello non purè aggreſſiuo, ſed defenſiuo: in hoc enim clarum eſt ſufficere militibus iuſtitiam aggredientis incognitam eſſe, vt meritò probabiliter iudicent adiuuare poſſe ſe defendentem: ideóque cautè dixit D. Ambroſius relatus *in cap. denique*, 14. *quæſt.* 5. ſi non poteſt ſubueniri alteri, niſi alter lædatur, commodius eſſe neutrum iuuare: non dixit non poſſe te iuuare alterum, ſed commodius eſſe abſtinere. Quòd ſi in adiutorio per interceſſionem, de quo ibi, conſultius eſt abſtinere à ſubuentione vnius cum læſione alterius, à fortiori in adiutorio per bellum. In neutro tamen eſt obligatio.

PVNCTVM IX.

Quam opinionem debeat ſequi Medicus in medicamentis adhibendis.

1 *Tenetur Medicus medicinam certam, relicta probabili, & dubia adhibere infirmo.*

2 *Quando nullum medicamentum eſt certum, tenetur Medicus probabile adhibere, & illo deficiente, applicare dubium.*

3 *Illicitum eſt experientiam facere in infirmis, an ſint medicamenta ſalutaria, vel nociua.*

4 *Affirmant aliqui licere medicinam, de qua æquè dubitatur, an profutura, vel nocitura ſit, applicare infirmo deſperato.*

5 *Negatiua ſententia communior eſt, & probabilior.*

6 *Satisfit fundam. num. 4. adducto.*

7 *Negant plures licere Medico vti medicina, quam minus probabiliter credit profuturam, relicta ea, quam probabilius credit.*

8 *Contrarium vt probabilius defenditur.*

9 *Poteſt Medicus ægris conſulere medicinam, quam alij doctiores ſalutiferam putant, etſi ipſe iis non aſſentiatur.*

10 *Aſſiſtentes infirmo peccant, ſi relictis remedijs à Medico aſſignatis, vtuntur ijs, quæ ſibi videntur.*

1 IN medicinis adhibendis aliæ reputantur certò allaturæ ſalutem, aliæ ſolùm probabiliter, aliæ ſub dubio. Vt ergo certa ab incertis ſeparemus, primò certum eſt, apud omnes teneri Medicum adhibere ægroto, ſi poteſt, medicinam certam, relicta probabili, & dubia: quia tenetur ratione ſui officij, & charitatis ægrotantis ſaluti proſpicere, & nullo modo eum periculo exponere; meritóque infirmus conquereretur de Medico potente ſecurum medicamentum applicare, ſi applicet ſolum probabile. Neque obſtat quemlibet poſſe ſequi opinionem probabilem, vt poſſit Medicus relicto medicamento certo, vti probabili: non enim eſt opinio probabilis de tali vſu, etſi ſit opinio probabilis de vtilitate medicamenti.

2 Secundò, quando nullum eſt medicamentum certum, tenetur Medicus probabile adhibere, & quando nullum eſt probabile, tenetur dubium, modò certum ſit medicamentum minimè nociturum: quia tunc nulli periculo infirmum exponit, & ex alia parte poteſt illo remedio adhibito ab infirmitate liberari. Ergo eſt applicandum. ita Thomas Sanchez *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 9. *n.* 42. cum Valent. 2. 2. *diſp.* 3. *q.* 10. *punct.* 2. *col.* 665. *verſ. altero modo.* Quando dubium æquè eſt, an nociturum, vel profuturum ſit medicamentum, dicemus ſtatim.

3 Tertiò eſt certum, illicitum eſſe Medicis experientiam facere de medicamentis, an ſint ſalutaria, vel nociua, etiam in ægrotis deſperatis. Tum quia nemini licet morte proximi ſcientiam conſequi. Tum etiam quia ſic operans dubius eſt, an mortem acceleraturus ſit medicamento. Ergo quantum eſt ex ſe accelerationem intendit. Ergo peccat. ſic docet Azor *lib.* 2. *inſtit. moral. cap.* 17. *quæſt.* 11. Corduba *lib.* 3. *quæſt.* 5. Anton. Perez *certam.* 10. *ſcholaſt. num.* 87. Villalobos *tom.* 1. *ſumm. tract.* 1. *diffic.* 16. *num.* 1. & 4. Vaſquez 1. 2. *diſput.* 64. *cap.* 4. Salas *ibid. tract.* 8. *diſput. vnic. ſect.* 14. *num.* 136. *circa finem.* Thomas Sanchez *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 9. *num.* 38. Nauar. *ſumm. cap.* 25. *num.* 61. Sayrus *lib.* 1. *in claui regia, cap.* 10. *num.* 6.

4 Duplex tamen eſt difficultas. Prima, an liceat ægroto, de cuius ſalute deſperatur, medicinam dubiam applicare, id eſt, de qua æquè dubitatur profuturáne, an nocitura ſit? Affirmant vt probabilius Thomas Sanchez *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 9. *num.* 19. cum Valent. 2. 2. *diſput.* 3. *quæſt.* 10 *punct.* 2. *verſ. non improbo, col.* 664. Mouentur, quia ex applicatione huiuſce Medici ſolùm ſequi poteſt periculum accelerandi mortem ægroto, qui re ipſa moriturus erat. At hoc periculum ſufficienter compenſari videtur ſpe, etſi dubia de eius ſalute. Ergo poterit Medicus tale remedium applicare; imò, vt ſentit Sanchez, tenetur. Explico ſupradictam rationem. Damnum, quod euenire poteſt ex tali applicatione, eſt, quòd infirmus breuiori tempore moriatur. v. g. moriturus erat intra tres dies, intra duos moriatur. Vtilitas autem quæ ſperari poteſt, eſt vita plurium annorum. Ergo non ſit contra charitatem infirmo debitam, ſi periculo ita exiguo exponatur ob tam grauem vtilitatem. Et confirmo exemplo correctionis fraternæ, quam diximus peccatori conſtituto in extremis adhibendam eſſe cum dubio an profutura, vel nocitura ſit, eo quòd damnum quod timetur, videtur eſſe longè minus vtilitate ſperata: timetur enim ægrotus ob nouum peccatum condemnandus, qui aliàs condemnandus erat, vtilitas autem, quæ ſperatur, eſt vitatio æternæ condemnationis. Ergo ſimiliter, &c.

5 Nihilominus communiſſima ſententia, & mihi, quia communior, probabilior, negat licitum eſſe Medico applicare medicamentum, de quo dubius omnino eſt, an nociturum, vel profuturum ſit, ſed neceſſariò requiri, vel quòd certus ſit non obfuturum, vel quod probabile ſit profuturum: tenet hanc ſententiam Abbas *in cap. tua nos, de homic.* §. *ad vlt. n.* 4. Innoc. *ibi. n.* 1. Anton. *n.* 15. Syluest. *verb. Medicus, q.* 4. *dicto* 1. Angel. *n.* 2. Sayrus *in claui regia lib.* 1. *cap.* 10. *n.* 9. 10. & 11. Salas 1. 2. *tract.* 8. *diſp. vnic. ſect.* 14. *n.* 136. Vaſquez *q.* 19. *art.* 6. *diſp.* 64. *cap.* 4. *num.* 22. Azor *lib.* 2. *inſtitut. moral. cap.* 17. *quæſt.* 11. Anton. Perez *certam.* 10. *ſcholaſt. num.* 88. §. *mihi.* Villalobos *tom.* 1. *ſumm. tract.* 1. *diffic.* 16. *num.* 1. idem, meo iudicio, tenet Corduba *lib.* 3. *qq. q.* 5. *poſt* 2. *propoſit. verſ. pro declarat.* Man. 2. *tom. ſumm. cap.* 51. *num.* 6. *concluſ.* 4. quamuis à Thom. Sanchez referantur pro ſua ſententia, ſed immeritò, cùm neceſſariò poſtulent probabilitatem de fructu medicamenti, etſi non ita certam. Ratio eſt, quia applicans medicamentum, de quo nullam probabilitatem habet eſſe profuturum, ſed potiùs dubitat, an nociturum ſit, quantum eſt ex ſe applicat cauſam efficacem mortis. Ergo non eſt licita talis applicatio. Confirmo. Ideo omnes Doctores negant Medicis licitum eſſe infirmis deſperatis medicamenta experiri, quia per hanc experientiam, manifeſto periculo infirmum exponunt eius mortem accelerandi. Sed idem prorſus eſt in præſenti caſu. Ergo. Adde, qui dubius eſt, an nociturum, vel profuturum ſit medicamentum, non format iudicium de eius nocumento, vel vtilitate, ſed hæret ſuſpenſus, ac proinde propriè, & in rigore neſcit an vtile ſit, an damnoſum? Ergo cùm applicat, applicat

ad

ad experiendum. Experientiam autem facere de medicamentis,est omnino illicitum. Ergo. Verùm si vtcumque Medico probabile sit remedium profuturum, poterit illo vti, vt ferè omnes Doctores suprà relati tenent: quia tunc non morali periculo mortis infirmum exponit, sed probabili spei salutis. Tandem ipsemet Thomas Sanchez videtur retractasse sententiam *num.42. in fine.* Ait enim, quando est pár, aut ferè par mortis periculum, siue adhibeatur medicamentum,siue non,non licet. Quod credo, quando non adest probabilitas aliqua,fore vt prosit.

6 Ex his respondeo ad rationem, & primam confirmationem oppositæ sententiæ. Admitto in hominum existimatione leuioris considerationis esse, exponere ægrotum priuandi periculo vno, vel altero die vita, quàm exponere spei consequendi vitam per multos annos. At non debent fieri mala, vt inde eueniant bona: qui enim infirmum exponit periculo accelerandi mortem, periculo mortis exponit,quod intrinsecè malum est.

Ad secundam confirmationem respondeo correctionem non esse causam per se illius noui peccati, & maioris condemnationis,quod in peccatore timetur,quod omnino est per accidens,ac proinde nunquam dici potest corripiens exponere peccatorem periculo maioris condemnationis. At medicamentum per se est causa accelerationis mortis,illúdque applicans censetur morali periculo mortis infirmum exponere.

7 Secunda difficultas, an liceat Medico vti medicamento, quod credit minus probabile esse, profuturum infirmo, relicto eo quod probabilius credit, profuturum? Supponitur non esse medicamentũ aliud certum.

In hac quæstione existimat Thomas Sanchez *lib. 1. in Decalog.cap.9.num.41.* ex obligatione charitatis, non tamen iustitiæ, teneri Medicum applicare medicamentum, quod probabilius credit profuturum. idem tenet absolutè non distinguens de qua obligatione, Sotus *lib.3.de iust.quæst.6.art.5.ad 4.* Salon.2.2.*quæst.63.art.4. controuers.2.ad 2.* Villalobos *tom.1.summ.tract.1.diffic.16. num.6.* Vasquez 1.2. *disput.64. cap.4.fine.* Suarez *tom.3. in 3.part.disput.21.sect.4.fine, & tom.4. disput.26.sect.6. num.5.* Ratio esse potest, quia charitas proximi obligat Medicum, vt certiori modo, quo possit, eius saluti prospiciat. Si ergo omisso probabiliori medicamento, probabile tantùm applicet, non curat infirmum meliori modo,quo potest. Ergo.

8 Verùm contraria sententia mihi probabilior apparet,scilicet non teneri Medicum applicare infirmo medicamentum,quod sibi videtur securius,& probabilius profuturum, sed posse applicare illud quod existimat probabile,& in aliorum opinione probabilius, & securius. ita docet Arag.2.2.*quæst.63.art.4. dub.penult.* Azor *lib.2.instit.moral.cap.17.quæst.11.* Salas *tract.8. disp.vnic. sect.14.num.136.* referens verba Azor. Montesinos *disput.29.quæst.5.num.114.* Ioan.Sanchez *in select.disp.44. num.36.* Moueor primò, quia alij Medici applicantes illud medicamentum ritè operantur, cùm existiment probabilius esse profuturum. Ergo ex aliorum opinione poteris tu operari. Secundò, non semper quod tibi probabilius apparet, est probabilius, & in re securius, sæpe conueniens esset ob salutem ægrotantis alieno te iudicio conformare. Tertiò, graue onus tibi esset impositum, si semper deberes sequi quod probabilius tibi apparet,tenereris enim examinare causas probabilitatis maioris, cogererísque quolibet momento medicamenta variare, cùm in hoc iudicio de maiori probabilitate variatio continua soleat esse. Quod enim modò probabilius apparet, sequenti die non sic repræsentatur. Item posses pro libito tibi imponere, vel auferre obligationem, cùm possis quod modò iudicas probabilius, iudicare minus probabile. Quartò applicatio talis medicamenti non est contra obligationem Medici ratione sui officij, vt Thomas Sanchez fatetur, quia neque est temerària,neque imprudens, sed secundùm regulas artis. Ergo neque est contra charitatem. Charitas enim solùm obligare potest Medicum, vt suo officio satisfaciat. Quapropter existimo si charitas obligaret Medicum,vt certiori modo, qui sibi videtur,infirmum curaret, etiam ad id ex iustitia obligari. Efficitur ergo ex neutro capite obligatum esse curare infirmum certiori modo, qui sibi videtur, sed solùm esse obligatum ex charitate, & iustitia, vt certiori modo, quo possit, vel secundùm suam sententiam, vel secundùm sententiam aliorum infirmum curet.

9 Ex quo fit posse ægris consulere medicinam, quam alij doctiores salutiferam putant, etsi ipse eis non assentiatur, quia potest deponere propriam opinionem, & aliorum sententiæ se conformare. Sic Thomas Sanchez *suprà num.42.* cum Nauarr. *cap.si quis autem,de pœnit.dist.7.n.74.& 75.in solut.ad 3.*

10 Aduertit optimè Villalobos *tom.1.summ.tractat.1. diffic.16.circa finem,*assistentes infirmo sæpe peccare posse mortaliter, quando relictis remediis assignatis à Medico,aliis pro sua voluntate vtuntur, & aquam, & vinum infirmo propinant, vt eius voluntati satisfaciant. Exponunt enim infirmum absque ratione manifesto periculo moriendi saltem citiùs.

PVNCTVM X.

Quam opinionem iudex possit,teneatúrque sequi in iudicando.

1 *Casus proponitur.*
2 *Si probationes efficaciores habeas tam iuris, quàm facti, pro te est sententia ferenda, si æquales, inter vtrumque est diuidenda, tametsi alij sentiant penes iudicem esse applicare cui voluerit.*
3 *Explicatur doctrina.*
4 *Quando sub opinione est positum,an probationes ex parte facti æquales sint, vel sub opinione est positum, cui magis ius faueat,negant plures posse iudicem, cui voluerit applicare.*
5 *Contraria sententia communis est,& amplectitur.*
6 *Stantibus diuersis opinionibus de iure partium aliqui affirmant te posse relicta tua opinione probabiliori, probabilem aliorum amplecti, si iudex supremus sit; secus si inferior.*
7 *Probabilius posse iudicem quemlibet iuxta opinionem aliorum probabilem iudicare.*
8 *Satisfit contrario fundamento num.6.adducto.*
9 *Sententiam debet ferre iudex secundùm ea, quæ allegata sunt,non quæ allegari poterant.*

1 POnendum est posse esse opiniones tam circa factum, quàm circa ius ex facto ortum. v. g. contendis cum Petro super hæreditate, probas ad te pertinere,probat ipse similiter; poterunt esse opiniones circa probationes factas quænam ex illis efficacior sit, an tua, an Petri? Poterunt etiam circa ius ipsum versari opiniones nulla de facto dubitatione posita. v. g. certum est tibi relictum esse legatum in testamento minus solemni, controuersum est inter Doctores, an tibi sit applicandum: factum, inquam, est certum, ius tamen sub opinione. Item controuertis de hæreditate cum Petro, eo quòd tu consanguineus sis Ioannis, qui decessit absque liberis, Petrus similiter contendit eodem titulo consanguinitatis, licèt non in eodem ordine, factum est certum, ius tamen sub opinione. Item accusaris de delicto, capitur informatio, possunt esse opiniones supposita informatione de quantitate,& qualitate pœnæ delicto irroganda. Iis positis,

2 Dico primò, Si certum ſit te efficaciores probationes habere, tam iuris, quàm facti, neceſſariò debet iudex pro te ſententiam ferre, quia debet iudicare ſecundùm allegata, & probata: quæ cùm certum ſit pro te efficaciora eſſe, pro te eſt ſententia ferenda. ſic omnes Doctores. Verùm ſi ex parte facti conſtat probationes æquales eſſe, & ius æqui tibi, & alteri fauet, affirmat Ioann. Sanch. *diſp.* 44. *num.* 51. & Petr. de Ledeſm. *de matrim. quæſt.* 45. *art.* 1. *dub.* 2. *ad* 3. integrum eſſe iudici rem applicare cui maluerit: ſicuti cùm duo contendunt de beneficio Eccleſiaſtico, & pro vtraque parte ſunt æquales probationes, ſeu præſentationes, & æqualis dignitas, liberum eſt iudici cui maluerit applicare. Nihilominus communiſſima ſententia docet in ſupradicto caſu debere iudicem, ſi res diuiſibilis eſt, diuidere, aut ſi vtiliter diuidi non poteſt, debet partes inter ſe componere, & vtrique ſatisfacere. Nam iudex non eſt dominus rei, ſed illius diſtributor. Debet ergo diſtribuere pro qualitate iuris, quod vnaquæque habet; cùm ergo vnaquæque habeat ius in rem illam æqualiter, nulla eſt ratio, quare potius vni, quàm alteri tribuat: ſicut enim vnaquæque pars non poteſt ſibi rem illam integrè vindicare, neque etiam iudex poterit ei integram adiudicare. Debet ergo diuidere, aut ſi diuidi non poſſit, alio modo ſatisfacere parti, cui rem non tribuit. Neque obſtat exemplum de beneficio Eccleſiaſtico: nam ad beneficium Eccleſiaſticum nullus habet ius etiam iuſtitiæ diſtributiuæ, quouſque eligatur, ſed potiùs hæc iuſtitia dictat, vt ex litigantibus vni tantùm conferatur: at extra materiam beneficiorum, vtraque pars ante ſententiam iudicis habet ius iuſtitiæ ad rem illam, quia vtriuſque eſt: neque iudex aliud facit, quàm declarare, cui tale ius competat, & cùm vtrique æquè competat, pro vtraque parte eſt declarandum: & ita tenet Salon. 2.2. *quæſt.* 63. *art.* 4. *concluſ.* 2. Bannes *ibi. dub.* 1 *circa ſolut. ad* 2. Sayrus *claui regia lib.* 1. *cap.* 11. *n.* 22. Thom. Sanch. *lib.* 2. *de matrim. diſp.* 41. *num.* 16. *& lib.* 1. *in Decal. cap.* 9. *num.* 45. malè allegatus à Ioann. Sanch. pro ſua ſententia, cùm dicat expreſsè rem eſſe diuidendam, quando ex parte facti æquales eſſent probationes. idem docet Salas 1.2. *tract.* 8. *diſp. vnica, ſect.* 12. *n.* 118. *& ſect.* 23. *n.* 140. Villalobos *tom.* 1. *ſum. tract.* 1. *diff.* 15. *num.* 2. Franc. Suar. *de charit. diſp.* 13. *de bello ſect.* 6. *num.* 4. Ægid. de Coninch *de matrim. diſp.* 34. *dub.* 10. *num.* 94.

3 Dixi, quando ius vtrique parti fauet, rem diuidendam eſſe, ſi æquales ſunt probationes facti. Quia ſolet contingere, vt probationes æquales ſint, ius tamen non æquè vtrique litiganti faueat: fauet enim potius poſſidenti, quàm non poſſidenti, vt conſtat ex *cap. ex litteris, de probationib.* ibi, *Quòd ſi ambarum partium teſtes ſint æquè idonei, poſſeſſoris teſtes præferuntur.* & ex reg. iuris in 6. *Cùm ſunt partium iura obſcura, reo fauendum eſt potius, quàm actori.* Et in cauſis ciuilibus reus dicitur qui poſſidet. Hoc tamen intelligendum eſt, modò non ſit contra matrimonium, dotem, libertatem, pupillum, peregrinum, viduam, aliámque cauſam piam, pro qua, cæteris paribus, etiamſi actores ſint, eſt iudicandum: vt videtur decidi *in cap. fin. de ſentent. & re iudic.* Dixi, cæteris paribus. Nam ſi opinio verior, & magis probata eſſet in contrarium, non deberet tunc iudicari pro matrimonio, & aliis fauorabilibus cauſis. ex text. *in l. ſi pars, ff. de inofficioſo teſtament.* fauorabilibus enim cauſis, vt benè dicit Maſcard. *de probationib. ver. opinio, num.* 14. *concluſ.* 1143. debitores ſumus, vt alij iniuſtitia non fiat. *cap. ex tenore, de foro competenti, & cap. vlt. de donationib. inter vir. & vxor.* In criminalibus autem eſto accuſator probationes æquales cum accuſato protulerit, imò etiamſi efficaciores ſint, ſi tamen non ſunt conuincentes, non debet iudex contra reum pronuntiare ſententiam, quia ad condemnationem debent eſſe probationes luce clariores, vt benè Salas *ſect.* 12. *num.* 115. *concluſ.* 2. Villalobos *ſuprà num.* 2. Salon. *concluſ.* 2. & multis allegatis docet Maſcard. *de probationib. verbo delictum, concluſ.* 497. *num.* 1.

4 Sed quid ſi probationes ex parte facti non conſtat æquales eſſe, ſed hoc ſit ſub opinione, vel caſu quo probationes ſint æquales, ſub opinione poſitum eſt, cui magis ius arrideat, vel denique caſu quo vnus excedat alium in probationibus facti, alius excedit in probationibus iuris: in iis enim caſibus poterit ne iudex applicare hæreditatem cui maluerit? negat Bannes *ſuprà* 2.2. *quæſt.* 63. *art.* 4. *dub.* 1. *circa ſolut. ad* 2. Villalobos *diff.* 15. *num.* 2. *&* 4. Ægid. de Coninch *num.* 94. Suarez non diſtinguens de probabilitate facti, aut iuris, *ſect.* 6. *num.* 4. Ratio eſt, quia in ſupradictis caſibus æquale ius eſt ex parte vtriuſque, ſicut cùm conſtat æquales probationes de facto habere. Ergo iudex, qui non eſt dominus rei, ſed diſpenſator, & diſtributor, non poteſt vni applicare, altero omnino excluſo, cùm videatur æquale ius cum alio habere. Debet ergo rem diuidere, aut ſi diuidi non poteſt, alia via vtrique parti ſatisfacere. Et hæc ſententia eſt ſatis probabilis.

5 Nihilominus ſententia communis (vt ipſemet Suarez ſuprà teſtatur) affirmat poſſe iudicem cui voluerit hæreditatem applicare: ſic docent expreſsè Sayrus *in claui regia lib.* 1. *cap.* 11. *à num.* 4. Medina 1. 2. *quæſt.* 19. *art.* 6. *concluſ.* 2. *fol.* 309. Salas *quæſt.* 21. *tract.* 8. *diſput. vnic. ſect.* 12. *num.* 115. Salon. 2.2. *quæſt.* 63. *art.* 4. *controuerſ.* 2. *concluſ.* 1. *pag.* 1086. Aragon. *dub. vlt. in fine.* Valent. *diſp.* 5. *quæſt.* 7. *punct.* 4. *dub.* 3. Petr. de Ledeſm. 2. *tom. ſum. tract.* 8. *cap.* 22. *poſt* 11. *concluſ. diff.* 1. *fol.* 745. Man. 1. *tom. ſumm. cap.* 6. *num.* 1. *concluſ.* 1. Thom. Sanch. *lib.* 1. *in Decal. cap.* 9. *num.* 45. Ioan. Sanch. *diſp.* 44. *num.* 51. tenet gloſſa *in cap. per venerabilem, verbo fauere, de electione, & electi poteſtate.* ibi, cùm cauſa fuerit ambigua, iudicem cui parti fauere voluerit iuſtè poſſe. & *reg. in iudicijs, de reg. iuris in* 6. *in fine*, dicit, *Vtile eſt in arbitrarijs iudicem gratioſum habere.* Vnde Iaſon *l.* 1. *poſt dotem, num.* 105. *ff. ſoluto matrim.* ait huiuſmodi cauſas decidi poſſe pro amico, & in talibus bonum eſt iudicem propitium habere, vt dixit Decius *cap.* 1. *de conſtitut. in fine.* & traditur *in l. ſi quis ſeruum. §. ſi inter duos. ff. de legat.* 2. Ratio huius ſententiæ eſſe poteſt, quia iudex tenetur ſententiam ferre in illa cauſa, & cùm non ſit maior ratio fauendi vni potius, quàm alteri, poterit cui voluerit fauere. Quòd verò non teneatur rem diuidere, aut alio modo ſatisfacere parti, cui hæreditatem non applicat, ſicut tenetur cùm probationes ex parte facti æquales ſunt, & ius vtrique parti æquè fauet, ſic probo: quia cùm ſint æquales probationes facti, & ius æquè vtrique fauet, indubitatum eſt eſſe æquale ius in vtroque litigante, ac proinde iniuſtum eſſe vni illorum integram rem adiudicare, alio æquale ius habente excluſo. At cùm de æqualitate probationum, vel iuris non conſtat, ſed ſub opinione eſt poſitum, quiſnam vincat, ſimul etiam ſub opinione poſitum eſt, cui debeat hæreditas adiudicari; ac proinde poterit iudex cui voluerit fauere, cùm opinionem probabilem de iure ſequatur. Deinde cùm probationes ex parte facti æquales ſunt, & ius vtrique parti æquè fauet, ius ipſum diuiſionem, ſeu compoſitionem (ſi fieri poteſt) conſulit, vt tradit cum Sayro, Salon, & communi ſententia Ioann. Salas *ſuprà n.* 118. *ex l. & hoc Tiberius. ff. de hæredib. inſtit. l. ſed etſi lege. §. adeò, in fine. ff. de petit. hæredit. l. Titius. ff. ad Trebell.* At cùm opiniones ſunt, quiſnam ex parte facti probationes efficaciores habeat, vel efficaciora iura, ius ipſum non conſulit diuiſionem, vel compoſitionem, cùm ipſum ius dicat, iuxta diuerſas probabiles ſententias Doctorum quemlibet habere integrum ius ad hæreditatem. Poterit ergo iudex applicare cui maluerit, cùm in hac applicatione ſe conformet ſententiæ probabili, dicenti illam partem integrum ius habere in hæreditatem, integréque illi debitam eſſe.

6 Maior

6 Maior difficultas est, an stantibus diuersis opinionibus de iure partium, possis relicta opinione, quæ tibi probabilior apparet, probabilem aliorum amplecti.

In hac difficultate Vasquez 1.2.*quæst*.19.*ar*.6.*disp*.64. *cap*.2. distinguit inter iudicem supremum, & inferiorem, & affirmat iudicem supremum semper iudicare debere iuxta id quod sibi probabilius est: quia eo ipso, quo iudex est, iudicio ipsius committitur res iudicanda. Si autem ex aliorum opinione, & iudicio sententiam proferret, non tam ipse, quàm alij iudices forent. Si verò iudex sit inferior, & videat suam sententiam non esse ita receptam in praxi, timeátque à superioribus iudicibus reuocandam, affirmat posse iuxta aliorum opinionem, relicta sua probabiliori, sententiam ferre. Tum quia non committitur iudici res iudicanda cum tanto dispendio sui honoris. Tum etiam, quia eius sententia cùm debeat reuocari, nullius effectus videtur esse. In iis ex toto consentit Anton. Perez *laurea Salamant. certam*.10.*scholast. dub*.2. *cap*.16. *num*.71. *& seqq*. Torres *de iustit. disput*.48. *num*.9. & Thomas Sanchez *lib*.1. *in Decalog. cap*.9. *num*.47. Et de quolibet iudice debere sequi opinionem, quæ sibi probabilior apparet, docent Valent. Bannes, & Man. relati *num*. 4. *&* 5. & Villalobos *diffic*.15. *num*.4. *&* 5. Et ratio esse potest, quia iudex tenetur sententiam ferre in fauorem illius, qui firmius ius censetur habere: firmius autem ius censetur habere, eo ipso quod probabilius ita putatur. Ergo, & hoc est satis probabile.

7 Mihi tamen probabilior apparet quemlibet iudicem siue inferiorem, siue supremum, posse iuxta opinionem aliorum probabilem, & quæ ab aliis reputatur probabilior, sententiam ferre. Sic tenent Medin. 1. 2. *quæst*.19.*art*.6.*dub.penult.ad vlt*. Salas *ibi.quæst*.21.*tract*.8. *disput.vnica, sect*.12. *num*.118. Sayrus *lib*.1.*in claui regia, cap*.11.*num*.8. Aragon.2.2. *quæst*.63. *art*.4. *dub.penult.ad vlt*. Salon.*ibi. contron*.2. *concl*.4. dicens esse plurium Doctorum Salmant. Petr. de Ledesm.2.*tom. summ.tract*.8. *cap*.22. *post* 11.*conclus. diffic*.2. *pag*.746. Garcia 2.*tom. de benefic.part*.11. *cap*.5. *num*.362. Ioan.Sanchez *disput*.44. *num*.50. & Thomas Sanchez *suprà*, reputat probabilem. Moueor quia nulla est ratio, quare non possis aliorum opinioni conformari in iudicando, cùm opinio aliorum fortè in re probabilior, & verior sit, & praxi conformior. Si ergo alij iudices ex illa iudicantes ritè procederent, etiam tu procedis illis te conformando. Et confirmo, quilibet Doctor interrogatus potest respondere ex aliorum sententia, si responsum fauet interroganti, vt ipse Vasquez *disput*.62. *cap*.9. *num*.47. docet. Cùm ergo iudex etiamsi supremus sit, interrogetur à collitigantibus de suo iure, potest ex aliorum opinione respondere, cùm eius responsum vni parti debeat necessariò fauere.

8 Neque obstant in contrarium adducta. Committitur enim tuo iudicio res iudicanda, sed non secundùm opinionem, quæ tibi probabilior appareat, sed secundùm eam, quæ pluribus, & doctioribus probabilior videtur. Hoc enim est quod populo, & litigantibus conuenientius est, & regno, & Regi magis placet, vt bene dixit Salas *suprà num*.114.*& num*.120. Quare si constaret tuam opinionem probabiliorem ab omnibus reputari (quod ferè est impossibile) in tali casu censerem iuxta illam esse iudicandum, quia tunc pro illa parte esset ius non solùm firmius, & probabilius, sed omnino certum. At cùm solùm ex tua opinione tibi probabiliori visa, alter ius firmius habeat, non censetur absolutè firmius ius habere, ac proinde non cogeris pro illo sententiam ferre.

9 Aduertit autem optimè Vasquez *suprà*, & ex illo Sanchez *cap*.9.*in Decalog. num*.48. iudicem in eligendis opinionibus attendere solùm debere quæ allegata sunt, non quæ allegari possunt. Neque posse alteri parti quæ allegare, vel probare debeat, aperire, cùm hoc sit officium non iudicis, sed Aduocati.

PVNCTVM XI.

Quam opinionem sequi possit Aduocatus.

1 *Qui censeant, & qua ratione, te non posse esse Aduocatum actoris contra reum in causa probabili.*
2 *Contrarium approbatur.*
3 *Potest Aduocatus in causis probabilibus iam vnam, iam alteram partem defendendam suscipere. At in regno Castellæ suscepto patrocinio vnius, non potes contrary suscipere patrocinium.*
4 *Limitant aliqui in causa sanguinis, vel in causa grauis momenti.*
5 *Non approbatur limitatio.*

1 Noster Valent.2.2.*disput*.5.*quæst*.15.*punct*.14.*conclus*.1.*&* 2. dixit te non posse in causa æqui probabili Aduocatum esse actoris contra reum, attento iure positiuo. idem sentit Syluest. *verbo Aduocatus, quæst*.13. mouetur ex *reg*.11.*iur.in* 6. cùm sunt partium iura obscura præcipitur fauendum reo potius, quàm actori. Quòd si dicas textum loqui de iudice, non de Aduocato, præterquam quòd non est certum, cùm absolutè loquatur, hinc desumitur non leue argumentum. Nemini licet petere, & persuadere, quod alius efficere non potest, sed cùm est causa æqualis, tenetur iudex sententiam pro reo dare, & non potest illam præstare in fauorem actoris. Ergo Aduocato non licet id postulare.

2 Verùm communis sententia est posse Aduocatum causam sibi probabilem, etiam relicta probabiliori, patrocinari, tam attento iure naturæ, quàm attento iure canonico. Munus enim Aduocati est, veritatem partis, quam defendit, elucidare, & rationibus, ac allegationibus iudicem ad sententiam in fauorem sui clientis inflectere; quod vbi est causa probabilis, fieri pro libito potest. Nam licèt sibi ius contrariæ partis probabilius appareat, fortè iudici non apparebit. Quare Aduocatus non petit à iudice sententiam in fauorem actoris contra reum, casu quo iudex illam dare non possit, sed repræsentat iudici ius actoris, vt ipse examinet, & videat an possit pro illo sententiam ferre, ipséque Aduocatus existimat posse, eo quòd pars, quam defendit, habeat probabile ius, & fortè aliis probabilius: & ita tenet, & latè probat Burgos de Paz *in proæmio legum Tauri, num*.409.*& seqq*. Gutierr. *canon.qq.lib*.1.*cap*.13. *num*.24. Lessius *lib*.2.*de iustit.cap*.31.*dub*.9. Sayrus *claui regia lib*.1. *cap*.11. *num*.17. Salas 1.2.*quæst*.21. *tract*.8. *disput.vnica, sect*.11. *num*.104. Thomas Sanchez *lib*.1.*in Decal.cap*.9. *num*.51. Ioan.Sanchez *disput*.44.*num*. 54.*fine*. Vasquez *disput*.64. *cap*.1. *num*.3. Nauarr. *summ. cap*.25. *num*.28. Azor *tom*.1.*lib* 2.*institut.cap*.17 *quæst.vlt*. Villalobos *tom*.1. *summ.tract*.1.*diffic*.14.*num*.3. & affirmat esse communem Anton. Perez *certam*.10. *scholast. dub*.2. *cap*.15. *num*.67. *& seqq*. & probabilem reputat Valent. *suprà*, *conclus*.4. & insinuatur *in cap. si virgo* 34. *quæst*.2. & colligitur ex *l.rem non nouam, §.patroni, C.de iud*. vbi lex solùm causam desperatam præcipit Aduocato deserere.

3 Ex quo fit attento iure naturæ, & canonico posse Aduocatum inter causas probabiles iam vnius partis, iam alterius patrocinium suscipere, & in diuersis articulis, & diuersa instantia, puta aduocando pro vna in causa principali, & pro alia in causa appellationis. Est res certa, vt tradit Ioan.Andr. & Præposit.*in cap.disciplina, distinct*.46. Speculator *tit.de Aduocatis*. Syluest. *suprà, quæst*.13. Verùm etiam in eadem causa (si absit scandalum) quia dum pro vtraque parte est probabilitas, neque apparet iustitia, vtraque pro libito defendi potest: neque

neque enim maior ratio eſt, quare potius poſſit vnam, quàm aliam defendere. Si dicas arctatum eſſe defendere eam, quam primò ſuſcepit, eo quòd allegans contraria non ſit audiendus. *l.1.C.de furtis.l.cùm precum.C.de liberali cauſa.* facile reſpondetur allegantem contraria facta non eſſe audiendum, ſecus allegantem contraria iura. Verùm etſi hoc ita ſit, attento iure naturæ, & canonico, vt ſuprà relati Doctores docent. At attento iure noſtri regni nulli Aduocatorum licet vnius litigantis cauſa ſuſcepta alterum in eadem cauſa patrocinari, ex *l.13.tit.16. lib.2. noua compilat.* & hoc non ſolùm in eadem inſtantia, ſed neque in diuerſis, vt probat Azeuedo *ibi*, cum aliis, & Burgos de Paz *in proœmio legum Tauri, num.*410. Salas *ſect.*12.*num.*119. Addit tamen Azeuedo *l.*17.*num.*5. & 6. lite nondum cœpta, & actibus nondum factis per Aduocatum poſſe de rigore pro contraria parte aduocare, ſi ei ſalarium non ſoluatur: at indecens eſſe ob non ſolutum ſalarium partem ſuſceptam relinquere, & in aliam inflectere, niſi de licentia iudicis; & placet dictum.

4 Supradictam doctrinam limitant aliqui, ne habeat locum in cauſa criminali, ſanguinis, & honoris, & in cauſa ciuili maximi momenti, qualis eſſet alicuius inſignis maioratus, vel poſſeſſionis omnium bonorum. In iis enim exiſtimant te non poſſe cauſam minus probabilem defendere, in reliquis verò minoris momenti poſſe. ita tradit Sotus *lib.5.de iuſtit.quaeſt.8.art.5.* Bannes 2.2.*quaeſt.*71. *art.*4. *in* 1. *part. dub.*6. Salon. 2.2.*quaeſt.*62. *art.*3.*conuerſ.*2. Aragon.*ibi.* Mercado *lib.6.de contract.c.*8. Burgos de Paz *ſuprà num.*421.

5 Verùm hæc limitatio neceſſaria non eſt, vt rectè Vaſquez *ſuprà*, ex quo Salas, Thom.Sanch. Villalobos, Anton. Perez, & alij ſuprà relati deſumpſerunt. Quia Aduocatus ideo in rebus minoris momenti cauſam probabilem patrocinari poteſt, quia eius munus ſolùm eſt merita clientis ſui allegare, & iudici examinanda, & decidenda proponere, & ſi iuſta ſunt, rogare, & perſuadere, vt pro illo ſententiam ferat: quæ ratio æquè probat ſiue res ſit maioris, ſiue minoris momenti, ſiue ciuilis, ſiue criminalis. Neque item limitanda eſt doctrina, vt limitat Thom. Sanch. *ſuprà num.* 54. ad cauſam parum probabilem. Nam dato quòd probabilis ſit, poterit abſolutè eius patrocinium Aduocatus ſuſcipere, ſicuti poteſt cliens illam intentare. Quotieſcunque enim potes contra aliquem mouere litem, poteris & Aduocatum habere, vt benè dixit Vaſquez *num.* 4. & conſentiunt reliqui Doctores abſolutè loquentes.

Aduertunt Syluest. *verbo Aduocatus queſt.* 10. Salas *ſect.*11.*num.*103. Thom.Sanchez *num.*51. Ioann.Sanch. *num.* 54. Vaſquez *cap.*1. *num.* 3. & alij debere Aduocatum clienti ſuo veritatem aperire, neque illi firmius ius, quàm habeat, proponere. Quòd ſi illum decipiat, exiſtimat, & benè, Thom.Sanch. *ſuprà*, & Sylueſt. obligatum eſſe reſtituere, caſu quo cliens cognito dubio cauſæ non eſſet litigaturus.

DISPVTATIO III.

De conſcientia dubia.

QVæ in diſput. præcedenti deſiderari poterant, inuenies in præſenti.

PVNCTVM I.

An operari ex conſcientia dubia peccatum ſit.

1 *Qua ratione conſcientia dubia eſſe poſſit.*
2 *Conſcientia dubia eſſe poteſt, vel de iure, vel de facto.*
3 *Aliud dubium eſt ſpeculatiuum, aliud practicum.*
4 *Cum dubio ſpeculatiuo ſtat iudicium practicum de recta operatione.*
5 *Operari cum dubio practico eſt intrinſecè malum.*
6 *Dubitans ſpeculatiuè de aliquo præcepto, ſi rationabiliter dubium non deponat, obligatus eſt partem tutiorem eligere.*
7 *Quæ ſit pars tutior.*
8 *In quibus ſita ſit difficultas.*

1 SVppono ex dictis in princ. huius tractatus, dubiam conſcientiam dupliciter ſe habere. Primò, ſi rationibus hinc inde perpenſis, non valet intellectus iudicium etiam probabile efformare, ſed hæret anceps. Secundò, ſi reflexè iudicet ſibi incertum eſſe, an res illa ita ſit, vel non ſit.

2 Suppono ſecundò, hanc conſcientiam dubiam eſſe poſſe vel de aliquo iure, vel de aliquo facto. De iure, vt ſi dubites, an lata ſit lex, vel præceptum: de facto, vt ſi dubites an occideris, vel alterius damni cauſa fueris, ex cuius occiſione, vel damnificatione obligatus es reſtituere.

3 Suppono tertiò, aliud eſſe dubium ſpeculatiuum, aliud practicum, v. g. dubitare potes, an hæc res, quam poſſides, tua ſit, non tamen dubitas, an illam poſſis retinere; imò de retentione es certus ratione poſſeſſionis, etſi de proprietate dubites. Item certum eſt diebus feſtis eſſe præceptum audiendi Miſſam, dubitas tamen, an excuſeris ob aliquam circunſtantiam. Ad regulandas actiones attendi debet dubium practicum, quod contingit, quando hîc, & nunc dubitas, an aliquo præcepto tenearis.

4 Suppono quartò, cum dubio ſpeculatiuo ſtare optimè poſſe iudicium practicum de recta operatione, vt in exemplis allatis conſtat. Requiritur autem, vt quis cum dubio ſpeculatiuo rectè operetur, aliquam rationem efficacem, ſeu probabilem habere, quæ tale dubium practicè deponat, hoc eſt, quæ ſibi perſuadeat hîc, & nunc talem operationem licitam eſſe; aliàs contra rationem operaretur, iudicio illi ſpeculatiuo non ſe conformando. Si enim generaliter iudicas nemini licere die feſto ſeruilia opera facere; cauſa aliqua debet adeſſe, ob quam iudices tibi licitum eſſe: aliàs peccabis illa exercendo. & ita tenet Cordub. *lib.* 3. *qq. quaeſt.* 5. *dub.*5.*poſt* 1.*propoſit.* Suarez 5.*tom.in* 3.*part.diſp.*40.*ſect.*5. *num.*14. Vaſquez 1.2.*quaeſt.*19.*art.*6.*diſp.*65.*cap.*1.*num.*2. & 3. Thom.Sanch.*lib.*1.*de matrim.diſp.*41.*num.*5. & *lib.*1. *in Decal. cap.*9.*num.*3. & *cap.*10.*num.*7. & 8. Ioan.Sanch. *diſp.* 42.*num.*1. Ex quo fit ad variandum iudicium ſpeculatiuum neceſſariò requiri diligentiam aliquam, vt benè dixit Thom. Sanch. *ſuprà illo cap.*10. *num.* 7. & 8. quia non pro libito variari poteſt. At diligentia eſt ad inueſtigandam rationem aliquam probabilem: illa autem inuenta nihil amplius deſideratur. Iis poſitis,

5 Dicendum eſt operari cum conſcientia practicè dubia, hoc eſt, cum dubio, an hîc, & nunc aliquo præcepto tenearis, eſſe intrinſecè malum, & peccatum. Eſt concluſio ab omnibus recepta. Primò, quia ſic operans manifeſto periculo tranſgrediendi præceptum, & legem Dei te exponis. Secundò, facis contra amicitiam Dei, ſiquidem eius voluntati præfers tuam, vel aliorum vtilitatem, ob cuius gratiam facis opus, de quo dubitas gratum, vel ingratum ſit Deo, nihil æſtimans ſit ne illi ingratum. Tertiò, talis operatio bona eſſe non poteſt, ad rectam enim operationem cognitio de bonitate obiecti requiritur, aliàs voluntas non dicetur bonum amare. Qui autem dubitat de bonitate, non poteſt dici obiecti boni cognitionem habere. Ergo non poteſt talis cognitio communicare bonitatem operationi. Malitiam autem benè poteſt communicare: quia ad hoc ſufficit cognoſcere malum ſub dubio, bonum enim ex

integra

integra causa, malum ex quolibet defectu. Neque ad hanc malitiam necessarium est iudicium reflexum, quo iudices incertum esse an sit malum id de quo dubitas, sufficit enim dubitare esse incertum, vt bene probat Vasquez 1.2. *disput.*65. *cap.*1. *num.*4. & Thomas Sanch. *lib.*1. *in Decalog. cap.*10. *in princ.* Suarez 5. *tom. in* 3. *part. disp.*40. *sect.* 5. *num.*2.

6 Hinc fit dubitantem speculatiuè de obligatione alicuius præcepti, si rationabiliter dubium non deponat, obligatum esse eligere partem tutiorem. Est conclusio euidens ex supradictis. Nam dubium speculatiuum infert necessariò dubium practicum per se, nisi ex aliqua circunstantia deponatur. Ergo vt peccatum non committatur, debet sic dubitans pro viribus periculum peccandi vitare. Tenetur ergo eligere partem tutiorem; & in hoc casu regula iuris, *In dubijs tutior pars est eligenda*, non est consilium, sed præceptum, vt benè aduertit Thom. Sanch. *lib.* 2. *de matrim. disput.*41. *num.*9. & Azor *tit.*1. *instit. moral. lib.*2. *cap.*16. *in fine.* & videtur decidi *cap. illud dominus, de clerico excommunic.*

7 Illa autem dicitur pars tutior, in qua nihil mali repræsentatur, quòd si duo præcepta incompatibilia concurrant, quæ dicenda sit tunc pars tutior, non est facile definire. Firma enim regula tradi non potest, cùm semper præceptum diuinum positiuum naturali præferatur ob bonum commune. Præceptum enim seruandi sigillum confessionis, consecrandi in duplici specie, cuilibet alio præcepto seruandi vitam, & honorem cuiuslibet præualet. Econtra verò præceptum naturale seruandi vitam, honorem, diuitias proprias, vel alienas, præcepto diuino seruandi festum, communicandi, & similibus aliis antefertur. Quapropter quòd alicui attentis circunstantiis, & examinatis rationibus pro temporis opportunitate minus malum sese obtulerit, illud respectu illius dicendum est pars tutior, ac proinde eligendum, iuxta textum *in cap. duo mala*, 13. *dist. & in cap. nerui testiculorum, eadem dist.* Quòd si discernere non valeat, quodnam ex illis præceptis præualeat, quodlibet eligere potest, cùm non sit maior ratio vnius, quàm alterius, & vtrumque impleri nequit, vt relato Corduba, Medina, docet Thom. Sanchez *lib.*1. *in Decal. cap.* 9. *num.*19.

8 Difficultas solùm est, qua ratione dubium speculatiuum, & practicum deponi possit, vt licita sit operatio, siue vnum, siue duo præcepta incompatibilia concurrant, quod in sequentibus punctis examinare pergimus.

PVNCTVM II.

An possessio legitima in materia iustitiæ sufficiens titulus sit deponendi dubiam conscientiam, & honestandi operationem.

1 *Explicatur quæstio.*
2 *Quid sentiat Adrian.*
3 *Quid Sotus, & alij.*
4 *Possidens rem bona fide, & facta sufficienti diligentia, an sit sua, si vincere dubium non potest, eam poterit retinere.*
5 *Proponitur obiectio.*
6 *Soluitur.*
7 *Suborta dubitatione debet fieri diligentia ad inuestigandum verum dominum.*
8 *Si hanc diligentiam omittas, cùm dominus comparere poterat, teneris ad restitutionem.*
9 *Probabile est oppositum.*
10 *Si præmissa debita diligentia propendes magis rem illam alienam esse, affirmant plures te obligatum esse restituere, vel saltem diuidere.*
11 *Probabilius est te obligatum non esse.*
12 *Possessio legitima titulus est sufficiens non solùm ad retinendam rem, sed etiam ad illam alienandam.*
13 *Alienans contractu oneroso, debet monere emptorem de dubio.*
14 *Si certò tibi constat debitum contraxisse, dubius tamen es, an solueris, teneris soluere.*

1 VErbi gratia, dubitas de re, quam legitimè possides, an tua sit, poterisne retinere, & alienare?

2 In hac re Adrian. 4. *de restit. quæst. de præscript.* §. *hoc supposito, & quodlib.* 2. *art.* 2. *ad* 2. *confirmat. primi argument.* asserit facto examine sufficienti, si adhuc permanes dubius, debere rem illam restituere. Quia in dubiis pars tutior est eligenda, *cap. iuuenis, de sponsalib. cap. ad audientiam, de homicid.* Constat autem tutius esse restituere, quàm retinere: quia in restitutione nullum potest esse peccatum, neque iniustitia, in retentione verò esse potest.

3 Sotus *in* 4. *de iustit. quæst.* 5. *art. vlt. prope finem.* Martin. de Ledesm. 2. *part.* 4. *q.*18. *art.*1. *dub.*14. *fol.*231. Aragon. 2.2. *quæst.*62. *art.* 1. *tract. de domino ante.* §. *his constitutis.* & reputat probabile Corduba *lib.*3. *qq. q.*6. *ad* 3. *in* 1. *solut.* dicunt te teneri diuidere rem cum persona, de qua dubitas, an eius sit, si persona est tibi cognita, si illam non cognoscis, cum pauperibus est diuidenda. Quia stante æquali dubio, æquale ius videtur esse vtriusque partis. Ergo res diuidi debet.

4 Alij tamen Doctores (quibus libenter assentior) absolutè docent, si rem bona fide possedisti, & postea dubitas cuius sit; factáque sufficiente diligentia ad inuestigandum verum dominum, vincere dubium non potes, te posse retinere. Quia possessio est sufficiens titulus deponendi dubiam conscientiam, & honestandi retentionem: sic Couarr. *reg. possessor*, 2. *part.* §.7. *num.*4. & *reg. peccatum*, 3. *part. initio*, *num.*4. Molin. *tom.*1. *de iustit. tract.*2. *disp.*35. *fine, & disp.*36. *conclus.*1. Villalobos *tom.*1. *summ. tract.*1. *diffic.*20. *num.*1. Thomas Sanchez *lib.*2. *de matrim. disp.*41. *num.*12. *& lib.*1. *in Decalog. cap.*10. *num.*9. Salas 1.2. *tract.*8. *disput. vnica*, *sect.*23. *num.*223. Vasquez *disp.*66. *cap.*7. *à num.*36. Saytus *lib.*1. *in claui regia, cap.*13. *num.*13. Anton. Perez *in sua laurea, certam.*10. *scholast. num.*127. Azor *tom.*1. *lib.*2. *cap.*19. *quæst.*5. *& quæst.*8. *ad primam rationem.* Ægid. de Coninch *de sacram. disp.*34. *dub.*10. *num.*93. Ioan. Sanchez *disput.*43. *num.*12. & alij plures possent referri. Probo primò ex *reg. iur. in* 6. 65. *& reg.*170. *ff. eodem.* In pari causa, & delicto melior est conditio possidentis. Cùm ergo æqualiter dubites, an tua, vel aliena res sit, & ex alia parte tu possideas, melior est tua conditio, vt possis retinere. Secundò in foro externo spoliandus non esses in tali dubio re illa, siquidem cùm sunt partium iura obscura, reo potius fauendum est, quàm actori, ex *reg.*11. *de regul. iur. in* 6. & quia possessor bonæ fidei sine plena, & euidenti probatione in contrarium remoueri non debet. *l.*1. *in fin. C. de condictionib. insertis*, & probat Salas *supra*, *num.*226. & Molin. *de primogen. Hispan. lib.*3. *cap.*4. *num.*32. Sed forum internum semper externo conformari debet, quando externum falsa præsumptione non innititur, vt docent Bald. *authent. ingressi, num.*49. *C. de sacrosanct. Eccles.* Sotus *lib.*4. *de iustit. quæst.*5. *art.*3. *vers. quartò arguitur.* Couarr. *in cap. cum esses*, *num.*7. *de testament.* Vasquez 1.2. *tom.*1. *disp.*66. *cap.*1. *n.*3. Salas *quæst.*21. *tract.*8. *disp. vnic. sect.*18. *n.*166. *& n.*171. *& n.*226. Garcia 2. *tom. de benefic. part.*9. *cap.*1. *n.*10. Thomas Sanchez *lib.*1. *de matrim. disp.*5. *n.*20. *ad medium, & lib.*2. *de matrim. disp.*41. *num.*12. *& lib.*1. *in Decalog. cap.*10. *num.*9. *& num.*11. *& lib.*2. *cap.*23. *num.*40. *in fine.* Suarez *de censur. disput.*40. *sect.* 5. *num.*16. Ioan. Sanchez *in select. disput.*42. *num.*4. *circa finem, & disp.* 48. *num.*55. & alij ab ipsis relati. Ergo cùm in foro externo spoliandus re possessa non esses, neque etiam in foro interiori

interiori te debes spoliare. Tertiò, esto æquale sit dubium, an tua, an aliena res sit, at non est dubium te illius esse possessorem. Ergo nulli facis iniuriam in possidendo. Quartò, duplex ius superare debet vnum: ex parte tua est duplex ius in re, quam possides, alterum ius dubium proprietatis, alterum ius certum possessionis. Ex parte alterius est solum ius dubium proprietatis. Ergo tuum ius superius est iure alterius. Ergo non est, cur rem, neque aliquid illius à te debeas expellere.

5 Dices, ex tali dubitatione possessionem interrumpi, cessat enim bona fides in possidente, quæ consistit in eo quòd æstimet rem, quam possidet, suam esse, quod non potest æstimare qui dubitat: cessante autem possessione, iam æquale ius est vtriusque partis. Ergo res retineri non potest ab vno, sed vel relinqui debet à dubitante, vel diuidenda inter vtrumque.

6 Facile obiectioni fit satis. Dubitatio namque impedit bonam fidem in incipiente possidere, quia iniustè rem sibi arrogat, quam non magis æstimat ad se, quàm ad alium pertinere. At in continuatione possessionis solùm requiritur, vt ignoret esse alienam, quia dum non probatur esse alienam, pro possidente est præsumptio, vt definitur expresè *cap. si virgo. 34. q. 1.* ibi, *in iure prædiorum tamdiu vnusquisque possessor bonæ fidei dicitur, quandiu possidere se ignorat alienum*, & tradit multis relatis Couarru. *ad reg. possessor. 2. p. §. 7. num. 3. & seqq.* Ioann. Med. *Cod. de restitut. q. 17.* Lessius *lib. 2. de iust. cap. 6. dub.* 4. Quocirca dum de veritate non constat, semper possidenti fauendum est, neque obligandum aliquid restituere, iuxta *l. is qui destinauit, ff. de rei vindicat. & §. retinendæ, Instit. de interdictis*, & consonat lex 27. *tit. 2. part. 3.*

7 Apposui notanter in conclusione, facto examine ad inuestigandum verum dominum, te posse rem, de qua dubitas, retinere, si ille non comparet. Requiritur enim suborta dubitatione diligentiam facere ad inuestigandam veritatem. Hæc namque inuestigatio necessaria est, vt vnicuique quod suum est reddatur. Ita Doctores *num. 4. in princ.* relati. Illa autem inuestigatione durante, non potes vti re, quæ vsu consummatur, alioqui frustrà dominus quæreretur. Poteris tamen vti illa vsu, quo non consummatur. Si enim esset equus, vel mancipium, posses illo vti dum adhibes diligentiam animo soluendi domino pretium illius vsus, deductis alimentorum expensis. sic Thom. Sanchez *lib. 2. de matrim. disp. 41. quæst. 2. conclus. 3. num. 21.* Salas *disput. vnic. sect. 23. num. 228.* Villalobos *tom. 1. summ. tract. 1. diff. 20. num. 4.*

8 Si omittas inuestigare dominum, quando ipse posset comparere, & ea de causa postea non comparet, communis sententia tenet te ea de causa possessorem malæ fidei constitui. Quia ex aliqua omissione contra iustitiam sequitur dominum non comparere. Teneris ergo tanquam possessor malæ fidei rem & fructus pro qualitate dubij restituere. ita Mol. *tom. 1. de iustit. tract. 2. disp. 36. concl. 1.* Thom. Sanch. *disp. 41. num. 13.* Villalobos *num. 2.* Salas *num. 228.*

9 Probabile est, si dominus non comparet, te non esse obligatum ad aliquam restitutionem. Nam esto peccaueris contra iustitiam in omittenda inuestigatione veri domini, cùm comparere probabiliter poterat; at non obinde te malæ fidei possessorem constituisti. Quia nunquam certus fuisti rem alienam possidere: quod videbatur necessarium ad amittendam possessionem antea acquisitam: & ita docet Rebell. *de obligat. iustit.* (esto tutius, & probabilius reputet oppositum) *1. part. lib. 2. quæst. 5. de restit. num. 12. §. sed quid.*

10 At quid dicendum, si præmissa debita diligentia & dubius sis, propendeas tamen magis rem illam esse alienam, teneris ne restituere, vel diuidere?

Affirmant plures te teneri diuidere, si diuisibilis est, sin minus, recompensationem facere tantundem in æstimatione præbendo. sic tenet Salon. *2. 2. q. 62. art. 6. controuers. 4. conclus. 4.* Bannes *ibi in præamb. ad quæst. 62. dub. vlt. conclus. 2. & quæst. 40. art. 1. dub. 5. conclus. 4.* Valent. *2. 2. disp. 5. quæst. 16. p. 2. col. 5. vers. si autem.* Thom. Sanch. *lib. 2. de matrim. disp. 4. concl. 2. num. 19.* Ægid. de Coninch *disp. 34. de sacram. matrim. dub. 10. num. 93.* Quia tunc non est par causa tua, & aliena, vt possessio tibi suffragetur: imò illa maior propensio videtur æquiualere possessioni.

11 Nihilominus probabilius existimo te non teneri diuidere rem legitimè possessam, etiam si magis propendeas alienam esse, & etiam si id probabiliter iudices, modò certus moraliter non sis, alienam esse. Possessio enim præponderat omnibus rationibus non conuincentibus: & ita docet Vasquez *disp. 66. cap. 7. num. 42.* Salas *sect. 23. num. 231.* Thom. Sanch. mutans sententiam *lib. 1. in Decal. cap. 10. num. 9.* Qui benè aduertit te debere etiam probabiliter iudicare esse tuam, vt possis retinere; aliàs retinens operareris contra conscientiam.

12 Non solùm possessio legitima est titulus sufficiens, vt dubitans, sit ne res tua, vel aliena, eam possis retinere, sed etiam vt eam possis alienare. Quia inutilis tibi esset possessio, si te possessa vti non liceret, imò potiùs esset onerosa, si illam intactam seruare deberes. ita Vasquez *num. 38.* Salas *num. 227.* Thom. Sanchez *de matrim. lib. 2. disp. 41. q. 2. conclus. 4. num. 22.* Couarr. *reg. peccatum, 3. part. in princ. num. 4.* Ioan. Sanch. *disp. 43. n. 12.* Perez, & Villalobos *suprà.*

13 Aduertunt tamen Couarr. vterque Sanchez, Salas, & alij, si vendas rem, sic sub dubio possidens te debere monere emptorem de dubio, quod habes, quando probabilis spes est dominum compariturum. Quia vendis rem vitiosam, expositámque periculo, vt comparente vero domino ab emptore extrahatur. Hoc enim vitio, & periculo detecto vel emptor non emeret, vel emeret viliori pretio. Quòd si spes moralis non est, vt certò verus dominus compareat, non teneris monere de dubio, quia tunc emptor morali periculo non exponitur. sic vterque Sanchez *suprà.* Bannes *2. 2. quæst. 62. art. 6. dub. 5.* Fachin. *lib. 1. controuers. cap. 65. in paruis fol. 118.*

14 Obseruandum denique est supradictam doctrinam non procedere in debitis certò contractis, & solutione dubia: si enim certò tibi constat debitum contraxisse, dubius tamen es, an solueris, teneris soluere; quia possidet alius actionem debiti contra te, quia illum in dubio priuare non potes. Dubia enim exceptio non potest excusare excipientem, ex *l. Titia textores, ff. de legat. 1.* & ex his, quæ notat Bald. *l. non solum. §. sed vt probari, ff. de noui operis nunciat.* Deinde quia iustitia petit æqualitatem, & debito certo non est æqualis dubia solutio. ita Vasquez *disp. 66. cap. 7. fine, num. 43.* Salas *num. 231. fine.* Thom. Sanchez *lib. 1. in Decal. cap. 10. n. 12.* Suarez *tom. 2. de relig. lib. 2. de iuram. cap. 33. num. 7.* Ioann. Sanchez aliis relatis *disp. 42. num. 9.*

PVNCTVM III.

An possidens mala fide tenearis rem integram restituere, cùm dubius es ad quem pertineat.

1 *Si à possessore bonæ fidei rem furto accepisti, & dubitas, an eius sit, teneris integram ei reddere.*

2 *Si titulo emptionis, vel donationis rem sub dubio furtiuam possederis, & facta diligentia dubium persistit, teneris diuidere inter eos, de quibus dubitas.*

3 *Limitandum est, nisi à possessore bonæ fidei acceperis.*

4 *Emens*

4 *Emens rem furtiuam, vt domino reddas, non peccas.*
5 *Emptor bona fidei diceris, cùm nulla ratio conuincens se tibi offert rem emptam esse furtiuam.*

1 EX dictis superiori puncto constat, si à possessore bonæ fidei rem furto accepisti, & dubitas an sit eius, teneri te ei integrè reddere. Quia iniustè illum spoliasti, neque habes titulum, ratione cuius possis rem, aut partem illius retinere. & ita tradit Nauarr. *cap.* 17. *num.* 217. Cordub. *in summ. quæst.* 111. *art.* 2. *concl.* 3. Molin. *tom.* 1. *de iustit. tract.* 2. *disp.* 35. §. *verum.* Nauarr. *de restit. lib.* 3. *cap.* 1. *dub.* 8. *num.* 350. Salas *tract.* 8. *disput. vnica, sect.* 13. *num.* 234. Thomas Sanchez alios referens *lib.* 2. *de matrim. disput.* 41. *conclus.* 6. *num.* 26. Villalobos *tom.* 1. *summ. tractat.* 1. *diffic.* 20. *num.* 6. Ioan. Sanchez *disput.* 43. *num.* 13.

2 Verùm si dubitas, an res sit furtiua, & titulo emptionis, aut donationis possedisti, teneris facta diligentia, & dubio persistente rem diuidere inter te & eos de quibus dubitas. Quia tunc pro nullo stat præsumptio, ac proinde omnes æquale ius habent. Pretium autem à te datũ in causa esse non potest, quominus debeas aliis, qui non acceperunt, & de quibus dubitas, an eorum sit rẽs, satisfacere. Sicut si compareret verus dominus, tenereris illi integram restituere, etiamsi pretium dedisses, quia mala fide illud dedisti. sic Salas *illa disp. vnic. sect.* 13. *n.* 132. Thom. Sanchez *concl.* 5. *n.* 24. Villalobos *num.* 5. Molin. *illa disp.* 35. §. *verum, & disp.* 36. *fine.*

3 Limita supradictam doctrinam, nisi à possessore bonæ fidei acceperis; tunc enim etsi dubius acceperis, at non comparente domino post factam diligentiam, poteris retinere rem, & illa vti, quia succedis loco possidentis, à quo accepisti titulo emptionis, vel donationis. Qua ratione emens mancipia ab asportantibus, etsi dubius emeris, an fuerint furtiua; at facta diligentia pro inuestigando verum dominum, si spes moralis sit, fore, vt compareat, illóque non comparente potes retinere. Quia tunc non est possessio pro libertate mancipij, sed pro possessore bonæ fidei, qui illud vendit, & cuius loco tu successisti. sic Molin. *disp.* 36. *concl.* 1. *&* 3. ex quo desumpserunt Sanchez *illa disp.* 41. *de matrim. num.* 28. Ioan. Sanchez *disp.* 43. *num.* 14. Salas *num.* 236.

4 Sed inquires primò, an emens rem furtiuam, vt verum dominum inquiras, & eam illi tradas, pecces.

Respondeo te non peccare, imò gratum domino fore, qui nunquam alia via rem esset habiturus. sic Couar. *reg. peccatum,* 3. *part. initio, num.* 4. Bannes 2. 2. *q.* 62. *art.* 6. *dub.* 5. *concl.* 1. Salon *ibid. controu.* 4. *concl.* 2. Thom. Sanch. *lib.* 2. *de matrim. disp.* 41. *num.* 29. Salas 1. 2. *tract.* 8. *disp. vn. sect.* 13. *n.* 237. Villalobos *diffic.* 20. *num.* 8. Quòd si dominus non comparuerit, teneris rem in pios vsus conuertere, deducto pretio. Quod similiter deducere potes domino comparente, cùm vtiliter eius negotium gesseris, ac proinde non est æquum te in amissione pretij condemnare. sic Salon. Bannes, Sanch. & Villalob. *suprà.*

5 Inquires secundò, quid requiratur, vt emptor bonæ fidei dicaris, sufficiétne ignorare rem esse furtiuam, & credere non omnia ab aliquo vendita furtiua esse, esto rumor, seu vehemens suspicio sit illum multa furtiua vendere? Negat Molin. *illa disp.* 35. *in fine, concl.* 2. *& conclus.* 4. *in princ.* Mercado *lib.* 2. *de contract. cap.* 20. *fol.* 104. Thom. Sanchez *disp.* 41. *num.* 27. Salas *n.* 235. Villalobos *diff.* 20. *n.* 7. Mouentur, quia periculo te exponis rem alienam retinendi, ac proinde bonæ fidei possessor dici non potes. Hoc tamen intelligerem, quando rationes efficaces, seu moraliter conuincentes adessent venditorem vendere rem furtiuam, non quando dubiæ sunt, & probabiles: tunc enim deponere debes dubium, & intelligere, alium ritè vendere, quia nemo præsumitur malus, nisi probetur, neque in dubiis delictum commisisse, ex reg. iuris, & ex *l. merito, ff. pro socio.*

PVNCTVM IV.

An consulens homicidium, vel furtum, vel furem, aut homicidam socians, aut alio modo adiuuans, dubitas tamen an alius absque tuo consilio, vel adiutorio furtum, homicidiúmve præstaret, tenearis de damno sequuto.

1 *Affirmatiuam partem defendit Thomas Sanchez.*
2 *Oppositum alij Doctores non contemnendi docent.*
3 *Conciliantur opiniones.*
4 *Depositarius, vel commodatarius, si dubitat, an sua culpa perierit res deposita, vel commodata, non tenetur ad restitutionem. At in foro externo condemnabitur, dum non purgas præsumptam negligentiam.*

1 THomas Sanchez *lib.* 2. *de matrim. num.* 17. *disp.* 41. affirmat te teneri primò, quia in dubio nemo præsumitur delictum admissurus, ex *l. merito ff. pro socio.* & tradit Felin. *cap.* 1. *de off. deleg. n.* 13. *vers. vtrùm autem, & cap. sicut dignum, de homicid. n.* 11. *concl.* 3. Decius *in reg. consilij* 47. *n.* 9. *ff. de reg. iur.* Non ergo homicida ille, vel fur præsumi debet admissurus delictum, nisi tuum consilium, vel adiutorium staret. Secundò in hoc dubio possessio est contra te, non pro te. Constat enim de tua actione iniusta, quæ apta est damnum causare; constat item de damno causato. Ergo tibi incumbit onus probandi non causasse. Ergo dum non probas, necessariò iudicandus es causauisse, vt docet Bald. *in l. data opera, n.* 52. *C. qui accusari non possunt.* Ananias *in cap. ad audientiam, n.* 10. *de homicid.* Angel. *l.* 1. *in princ. vers. vltimò est videre, ff. de eo per quem factum erit.*

2 Alij Doctores oppositum docent. Affirmant namque in casu dubij te non teneri. Quia in dubiis (præcipuè in materia iustitiæ) melior est conditio possidentis. *l. si ob turpem causam ff. de condict. ob turpem causam.* Syluest. *restitutio,* 3. *quæst.* 6. *dicto* 2. *initio.* Ioan. Med. *C. de restit. q.* 7. *ante vers. si autem consilium.* Petr. de Nauarra *lib.* 3. *de restit. cap.* 4. *dub.* 4. *num.* 48. *vers. tertio colligo.* Henriq. *lib.* 14. *de irregular. cap.* 3. *num.* 4. Villalobos *tom.* 1. *summ. tractat.* 1. *diff.* 20. *n.* 9. Sayrus *in claui regia lib.* 10. *tract.* 2. *cap.* 8. *n.* 1. *fine.* Rebell. *de obligat. iustit.* 1. *p. lib.* 2. *q.* 14. *sect.* 2. *n.* 5. *&* 7. & Tabiena *verb. restitutio, q.* 23. *n.* 24. vbi solùm consulentem obligat restituere, quando credit consilium fuisse efficax. Eman. Saa *verb. restitutio, n.* 35. *aliàs* 36.

3 Existimo in hac re non posse Doctores dissidere, affirmo namque in casu dubij (quod verè dubium sit) an ex tua actione damnum subsecutum fuerit, te nullo modo teneri satisfacere. Non enim æquum est te obligare satisfactionem certam exhibere, cùm certum non sit damnum dedisse. Verùm ex eo solùm, quòd consuleris, vel associaueris furem, vel homicidam, tibi moraliter constare debet causam esse damni facti, quia communiter sic consulentes, vel associantes cooperatores sunt, vt bene dixit Carbon. *tract. de restit. q.* 66. *vers. quartum dictum*; & ita in consulentem transfertur onus probandi suo consilio damnum non fecisse, quia dum constat de malo consilio, præsumit ius causam fuisse, vt ex Felino, & Decio *in cap.* 1. *de off. deleg.* & Baldo, & aliis *in l. data opera, ff. qui accusari non possunt*, docet Mascard. *de probat. tom.* 1. *concl.* 419. *num.* 9. Thomas Sanchez *lib.* 1. *in Decal. cap.* 10. *num.* 44. *circa medium.* Quare, vt dubius esse possis de damno dato, rationes debes habere efficaces, quales sunt, si delictum admittens esset inimicus capitalis, vel necem antea minatus fuerit, vel præparauerat omnia necessaria ad homicidium: in iis enim casibus te non esse obligatum, affirmat Thomas Sanchez *lib.* 2. *de matrim. disput.* 41. *num.* 17. *& lib.* 1. *in Decalog. cap.* 10. *num.* 44. *in fine.* Ioan. Sanchez *disput.* 42. *num.* 14. consentit Salas, etsi confusè, 1. 2. *tract.* 8. *disput. vnica, sect.* 13. *num.* 241. *fine.*

fine. Quod verò addit Henriquez *lib.*14. *de irregularit. cap.*16. *num.* 3. & Saytus *de cenſuris*, *tom.*1 .*lib.*7. *cap.*3. *num.*2. ſufficere, ſi homicida huic conſulenti aſſerat ſe neque ad actus ſubſtantiam, neque ad accelerationem motum fuiſſe eius conſilio, nullo modo probat Thomas Sanchez *illo cap.*10. *num.* 44. niſi homicida ſit ita fide dignus, aut tales aliæ coniecturæ concurrant, vt prudens arbitretur fidem illi habendam eſſe; & placet mihi. Hæc de conſulente. De aſſociante verò, cùm immediatiùs delicto concurrat, raro, vel nunquam dubius eſſe poterit de damno facto non concurriſſe ſaltem præbendo animum principali operanti.

4 Depoſitarius item, vel commodatarius, ſi dubius ſit, an ſua culpa depoſitum, vel commodatum perierit, non tenetur ad reſtitutionem. Quia non eſt præſumendus delictum commiſiſſe, niſi probetur. ita Thomas Sanchez *diſput.*41. *num.*18. Salas *num.*243. Villalobos *tom.*1.*tract.*1.*diffic.*20.*num.*10. Ioan. Sanchez *diſput.*43. *num.*11. In foro tamen externo, ſi res depoſitarij appareant incolumes, præſumitur in dolo, ex textu *in cap.*2. *de depoſito.* & ibi Abbas *num.* 2. & ſic depoſitario incumbit onus probandi caſu periiſſe; vel non poſſe ſimul ſeruaſſe res ſuas, & depoſitas ob imminens incendium; maluiſſéque res ſuas incolumes tueri, quàm alienas: tunc enim ceſſat dicta præſumptio de dolo, & non tenetur, etiamſi res ſuæ viliores eſſent: ita aliis relatis docet Maſcardus *de probat. verſ. depoſitarius, concl.*509.

PVNCTVM V.

Dubius an ſis legitimus, naturalis, vel ſpurius, quis debeas reputari, & quis te alere teneatur.

1 *In caſu dubio de legitimitate communis ſententia docet te reputandum legitimum.*
2 *Alij oppoſitum docent.*
3 *Conciliantur opiniones.*
4 *Pretendens ordines, aut beneficium, reputandus eſt legitimus, dum de contrario non fuerit infamatus.*
5 *Satisfit argum. num.*1. *& 2. adducto.*
6 *Cuius reputandus ſit filius viduæ quæ intra nouem menſes à contracto matrimonio peperit, an primi, an ſecundi mariti.*
7 *Reputandus eſt filius illius, qui actualiter in poſſeſſione matrimonij eſt.*
8 *Ille eſt filius legitimus, qui naſcitur ex vxore in domo mariti cohabitantibus ſimul.*
9 *Ex tractatu parentum ſumitur ſufficiens ſignum ad reputandum filium legitimum.*
10 *Qua ratione nominatio conſtituat ſufficiens ſignum reputandi filium legitimum.*
11 *Fama alijs coniecturis fulcita eſt ſignum legitimationis.*
12 *Inſtitutio illius tanquam filij facta à patre ſignificat eſſe eius filium.*
13 *Si vna coniectura non præbet ſufficientem probationem, alijs adiunctis probari poteſt.*
14 *Proponitur dubium, quis alere teneatur filium illegitimum, de quo dubitatur, quis ſit eius parens determinatè.*
15 *Quilibet parens tenetur filium alere.*

1 PRima ſententia, & communis inter Theologos aſſerit in caſu dubio de legitimitate reputandum eſſe legitimum, & in dubio, an ſit ſpurius, vel naturalis, reputandum naturalem. ita tradunt Gregorius Lopez *l.*1.*tit.*14. *part.*2. Vaſquez *diſp.*66.*cap.*8. Salas *tractat.*8. *diſp. vnica, ſect.*24.*n.*245. Saytus *in claui regia, cap.*13.*n.*19. Villalobos *tom.*1.*ſum.tract.*1.*diff.*20*in fine*. Azor *tom.*1. *lib.*2.*cap.*19.*q.*7. Tellus Fernandez *l.*11.*Tauri.n.*3. Menoch.*de arbitr.iudic.lib.*2.*cent.*2.*caſu* 194.*num.*32. Mantica *de coniect. vlt. volunt. lib.*6.*cap.*11.*n.*33. Mouentur, quia nemo damnandus eſt, & puniendus ob culpam dubiam: pœna enim certa peccato certo adhiberi debet. Si autem ille filius excluderetur ab hęreditate tanquam verè illegitimus, ipſe, & eius parentes punirentur, quin eorum culpa eſſet probata. Ergo. Item quia in dubio præſumi debet, quod honeſtius eſt, vt declarat Bald. *in l. filium*, *n.*11.*ff. de ijs*, *qui ſunt ſui, vel alien. iur. & ex l. miles*, §. *defuncto, ff. de adult*.

2 Secunda ſententia docet in caſu dubio de illegitimitate reputandum eſſe illegitimum, ita Alciat. *de præſumpt. reg.*2.*præſumpt.*5.*n.*8. *pag.*158. *in paruis.* Matienzo *l.*9.*tit.*8. *lib.*5. *noue compil. gloſſa* 3.*n.*6. Menchaca *controu. illuſtr. cap.*85.*n.*14. *&* 15. Maſcard. *de probat. verb. illegitimus, concluſ.*782. *& tom.*2.*concl.*1090. Probant; quia non præſumitur matrimonium, niſi probetur; eſt enim quid factum, & factum non præſumitur, niſi probetur. *cap. cùm Ioannes*, §. *verùm*, *de fide inſtrum.* & latè probat Maſcard. *concl.*732.*tom.*1.*de probat*. Cùm ergo eſſe non poſſit legitimus, niſi matrimonio ſtante, efficitur non præſumpto matrimonio, nec legitimum præſumendum.

3 Exiſtimo facili negotio ſupradictas ſententias in concordiam redigi poſſe, prout illas redegit Azeuedo *lib.*5.*noue recopil. tit.*8.*l.*9 *à num.*14. vt ſcilicet prima opinio procedat caſu quo filius ſit reus, & poſſeſſor, & non poſſideat contra iuris præſumptionem: tunc enim actori incumbit onus probandi, & dum non probat contrarium, pro poſſidente ſtandum eſt. Secunda verò opinio procedat, ſi filius actor ſit, & contendat hæreditatem habere: debet enim tunc legitimitatem probare; quia eſt fundamentum ſuæ intentionis. Aliàs iniquum eſſet alios à poſſeſſione, vel iure certo, quod habent, expellere. Non enim ius incertum, & dubium aliorum certum vincere debet. Et idem eſt ſi exiſtit in poſſeſſione, & tamen ius poſſeſſioni reſiſtit: quia tunc poſſeſſio non ſuffragatur, vt *in cap. ad decimas, de reſtit. ſpoliat. in* 6. vbi Canonici ſpoliati à decimis parochiæ S. Nicolai non reſtituuntur, niſi euidenter docuerint, quòd earum poſſeſſionem legitimè aſſequuti fuiſſent, quia eas occupaſſe iniuſtè veroſimiliter præſumuntur, cùm prouenient ex prædiis infra alienam parochiam conſtitutis, ſitque manifeſtum (niſi aliud oſtendatur) eas de iure communi ad Eccleſiam pertinere. Hinc fit, ſi filius naturalis eſt à patre inſtitutus, aſcendentibus præteritis, & ſtatim in poſſeſſionem bonorum miſſus, ſi auus petat ab eo hæreditatem, ſufficiet ſi probet eſſe auum legitimum, & reo incumbet probatio filiationis naturalis, quia ius reſiſtit naturalem filium hæredem eſſe. ita Matienzo *ſuprà d. l.*9.*tit.*8.*lib.*5.*compil.*11.

4 Quando autem nulla lis vertitur inter aliquos, ſed quidam prætendit ordines, aut prælaturam, tunc reputandus eſt filius legitimus, quoties de contrario non fuerit diffamatus. traditur *in cap. tranſmiſſæ, & in cap. peruenit, qui filij ſint legitimi*, & docet Maſcard. *verbo illegitimus, num.*8.*concluſ.*882.*de probationib.* Neque obligandus eſt hic ſe iuramento purgare, vt docet Lancelot. Galia *in rubr. ff. de verbor. obligat. num.*161. & tradit Maſcardus *ſuprà n.*10. & *n.*11. infert doctorandum, vel licentiandum grauandum non eſſe ad iurandum ſuper natalibus, & eo minus ad probandum, ſi non ſit diffamatus. Quòd ſi diffamatus ſit, eſſe illegitimum, ac proinde excludendum à beneficio; ſiue poſſideat, ſiue non, debere ſe purgare. iuxta *cap. accedens, de purgat. canonic.* & ibi Abbas *num.*4. Ioan. Andr. *in cap. veniens, de presbytero non baptizato.* Paleotus *in lib. de nothis, & ſpurijs, cap.*20. Tellus Fernand. *l.*11. *Tauri*, *num.* 7. Matienzo *ſuprà num.*13. Ratio eſt, quia tunc ſubiit vicem actoris, & debet qualitatem probare.

5 Ex iis reſpondetur argumento primæ ſententiæ, quatenus noſtrę concluſioni videtur contrarium: non enim filius punitur, quando ei negatur hæreditas, filiatione non

non probata, imò potiùs alij hæredes certi punirentur, si absque probatione filiationis hæreditate priuarentur. Ad confirmationem respondeo cum Mascard. *de probat.verb.illegitimus, concl.*882. *num.*6. in dubio præsumi quod honestius est, quando quis id allegat se defendendo, ne ex delicto puniatur, secus si dicat agendo, & ad consequendam alteri condemnationem: tunc enim non debet capi præsumptio delicti exclusiua, nisi probetur, quia est in damnum tertij. ita Decius *in l.emancipati, post num.*3 *verf.non obstat alia ratio, C.de collation.* cum Bart. post glossam *in l. qui iurasse, §. si pater, ff. de iureiurando.*

Ad argumentum secundæ sententiæ respondeo, esto matrimonium non præsumatur: at matrimonio constante filium inde natum legitimum, & non illegitimum præsumi, præcipuè cùm ipse filius actor non est, sed reus, neque aliqua contra laborat infamia.

6 Sed quid si mulier aliqua effecta vidua illico alteri nubat, & intra nouem menses à contracto matrimonio secundo pariat, filius inde natus cuiúsnam est reputandus, an primi mariti, vel secundi? In hac re Syluest. *verbo filij, quæst.*17. Mascard. *de probationib. conclus.*788. *num.*24. affirmant cum Bart. *in l.Gallus, num.*15. *ff.de liberis, & posthumis*, inspicienda esse signa conceptionis, quòd si non appareat, standum consuetudini mulieris tempore quo parere consueuit, quòd si neque hoc apparet, standum iudicio peritorum Medicorum, vel obstetricum. argument. *l.*1. *§.*1. *ff.de ventre inspiciendo.* In quo casu non esse leuem coniecturam matris assertionem dicit Alciat. *de præsumpt. regul.*3. *præsumpt.*37. *num.*15. Item (etsi reprobetur à Bart. suprà) videri potest, cui filius assimilatur, an marito viuenti, an defuncto. Nam esto assimilatio contingere possit ex cogitatione mulieris tempore conceptus: at rarò ex hac causa oritur, & regulariter à generante procedit, & cùm in præsenti per coniecturas procedatur, sufficit assimilatio, quæ faciat probabilitatem, cùm in pluribus sit vera, & consentit Alciatus *suprà.* Tandem affirmat Syluester, si nullo probabili modo veniri possit in notitiam veritatis, debere reputari filium eius, in cuius domo natus sit; vel ex vtraque hæreditate ei prouidere, cùm non appareat quæ magis obligetur, & filius, & mulier non debeant subsidiis priuari. Decius verò *in cap. per tuas, de probationibus, versic. quartus, & vltimus.* & videtur approbare Mascardus *suprà*, dicit in hoc casu debere iudicari quod esset fauorabilius ipsi filio, nempe si primus maritus esset ditior, illius sit præsumendus.

7 Mihi quidem dicendum videtur, posito, quòd supradictæ omnes coniecturæ non tollant dubium, neque aperiant certò veritatem, reputandum esse filium eius, in cuius domo natus est, seu eius, qui actualiter est in possessione matrimonij. Nam in casu dubij possessio actualis debet præualere. & tradit Bald. *l. si mater, C.de suis, & legitimis hæredibus.* Vasquez 1.2. *disput.*66. *cap.*8. *in princip.* Salas *tractat.* 8. *disput. vnica, sect.* 24. *num.*245.

8 Signa autem ad dignoscendum, quísnam reputari debeat filius legitimus, optimè tradit Panormitanus *in cap.per tuas, de probat.* Bartol. *in l.quidam quasi, ff.de probationib.* & ex illis Couarr. *in epitome cap.*8. *§.*3. *num.*9. *part.*2. Menoch. *de arbitr.iudic.casu* 89. *à num.*60. Syluest. *verbo filij, quæst.*12. Mascard. *tom.*1. *de probationib. verbo filiatio, conclus.*788. Et ex iis accipe primum signum ad cognoscendum aliquem esse filium legitimum. Et si nascatur ex vxore in domo mariti, cohabitantibus simul, in hoc omnes conueniunt, ex *l. filium, ff.de his, qui sunt sui, vel alieni iuris, & ex cap.per tuas, de probationib. & ex cap.transmissæ, qui filij sint legitimi.* Quod signum extendi debet, etiam si vxor tempore conceptus adulteret, si eo tempore maritus cum vxore cohabitabat, reputandum inquam esse filium mariti, & legitimum, per textum *in l.miles, §. defuncto, ff.ad legem Iuliam de adulterijs.* Bald. *in rubr. C.de probationib. col.vlt. & l.si mater, C.de suis, & legitim.* Abbas, Felin. & Doctores communiter *in cap. per tuas, de probationib.* Alciat. *de præsumpt. in regul.*3. *præsumpt.*37. *in princip.* & aliis multis relatis docet optimè Couarr. *in epitom.*2. *part. cap.*8. *§.*3. *num.*8. Mascard. *de probationib. conclus.* 788. *num.*6. Ratio est, quia præsumendum est, quod est fauorabilius, & honorabilius filio, cùm enim possit esse filius mariti, & adulteri, iniquum esset si in fauorem filij præsumptio non esset. Item hæc præsumptio est in fauorem matrimonij. Ergo est asserenda. Qua ratione, & quibus casibus hæc præsumptio possit cessare optimè per Mascard. *suprà.*

9 Secundum signum ad probandam legitimitatem sumitur ex tractatu parentum, quando parentes ita filium tractant, vt proprium, & legitimum, ipséque illos vt tales veneratur. Hic tractatus ita efficax est, vt infirmari non possit negatione parentum etiam iurata: sicut enim confessio filiationis facta à parentibus non potest reuocari ab ipsis in præiudicium filij, vt testatur glossa *in cap. per tuas, de probat.* multò minus reuocari poterit tractatus, qui efficacior est nominatione, ita Abbas *in cap.per tuas. de probat. num.*3. *&* 4. & ibi Felin. *num.*14. Bald. *in l.non ignorat, C.qui accusari non possunt.* Couarr. *in epitom.* 2. *part. cap.*8. *§.*3. *à num.*6. Menoch. *de arbitr.iud.casu* 89. *à num.*60. Mascard. *de probat. concl.*789. *à num.* 3. & tradit glossa *in cap. transmissæ, qui filij sint legitimi.*

10 Tertium signum adductum à Doctoribus est nominatio: hæc tamen, vt bene explicat Mascard. *conclus.* 790. per se non sufficit constituere filium in quasi possessione filiationis; cùm sæpè ob significandum amorem, & blandum affectum, hoc vocabulo filij soleamus vti, eósque sic appellemus, qui verè non sunt. At si nominatio filij à parentibus esset facta seriò, & ex proposito, & præcipuè coram aliquo Notario, & maximè in iudicio, & testamento; absque dubio constitueret filium in quasi possessione filiationis, ita vt aduersario incumbat onus probandi contrarium, & dum non probatur, reputandus talis est, ita gloss. *in cap. Michaël, de filijs presbyter.* Abbas *cap.per tuas, num.*8. & ibi Decius *num.*12. Menoch. *casu* 89. *num.*28. *in princ. de arbitr.iud.* Couarr. 4. *decret.* 2. *part. cap.*8. *§.*3. *num.*7. & alij innumeri relati à Mascard. *suprà.*

11 Quartum signum, seu coniectura ad probandam filiationem est fama, & communis populi opinio. Sed hæc vt probet perfectè, aliis adminiculis, & coniecturis debet fulciri, vt bene dixit Abbas *in cap.transmissæ, qui filij sint legit.* Anton. de Butrio *in cap.per tuas, verb. communiter, de probationib.* Felin. *ibid. num.*15. Couarr. *epitome decret. cap.* 8. *§.*3. *num.*9. *in fine, p.*2. Mascardus *conclus.* 791. *à num.* 7. Et ratio est, quia fama solùm semiplenè probat, ex *cap.*1. *de appellat. & cap.veniens, el* 2. *de testib.* Requiruntur ergo alia, ex quibus probatio integra coalescat.

12 Quintum signum est, si à patre, vel filius instituatur: nam licèt sit institutio communis filio, & extraneo; tamen quando facta est alicui vt filio, eum in possessione filiationis constituit, donec contrarium probetur. Quia per hanc institutionem taliter factam pater filium tractat vt filium, & ratione tractatus, & institutionis optimè filiatio probatur; aliàs institutio nulla esset, ex *l. si pater, l. neque apud, C. de hæredibus instituendis.* & tradit multis relatis Mascardus *conclus.*793.

13 Alia signa, & coniecturas adducit Mascardus *seqq. conclusionibus*, ad filiationem probandam, qualis est scriptum manu parentis, in quo nominat quo die talis filius suus natus sit, & per alias nominationes. Item ex educa

educatione,& alimentis præſtitis filio, coniecturis aliis concurrentibus: quia ſic tractatur vt filius. Aduertendum tamen eſt, etſi vna, aut altera coniectura dubium non tollat,& probationem ſufficientem filiationis non conſtituat; ſi tamen plures concurrant, illam conſtituere poſſe, ſic Accurſ. *in l.2. in princ. ff. de excuſ. tut.* Anchar. *conſil.225.& ſeq. vol.1.* Gozad. *conſ.22. num.23.* Burſat. *conſil.88. num.7. fine.* & alij plures relati à Maſcard. *concluſ.796.*

14 Tandem dubitari poteſt, quis filium illegitimum alere teneatur, caſu quo dubitetur de eius parente, quiſnam ſit determinatè? Cognoſcitur enim eſſe eius parentem hunc, vel illum; at ignoratur, quis ſit determinatè. Et quidem ſi ex vno patre ſit ſpurius, & ex alio naturalis, probabilius eſt omnem obligationem patri conſtituenti naturalem conuenire; quia in caſu dubij potius naturalis, quàm ſpurius præſumendus eſt filius, vtpote quid honeſtius,& filio fauorabilius. At quando vterque parens dubius æqualiter reddunt filium naturalem, vel ſpurium, non deerit qui affirmet neminem eſſe obligatum præbere alimenta. Primò, quia in caſu dubij nullus debet poſſeſſione propriæ pecuniæ ſpoliari, vt in alimenta tribuat. Secundò debitum incertum non eſt æquum ſatisfieri ſolutione certa, & determinata.

15 Nihilominus dicendum eſt quemlibet teneri filium alere. Habet enim filius actionẽ aduersùs patrem, vt ſibi alimenta præbeantur. Cùm ergo determinatè ſciri non poſſit eius pater, ne talis actio, & debitum inutile reddatur, inter vtrumque debet diuidi. Confirmo. Quando ignoras, cuius ſit res aliqua; ſcis tamen certò eſſe huius, vel illius, debes inter vtrumque diuidere, quia vterque ius habet, ſimiliter in præſenti ignoratur cuius filius ſit hic puer; cognoſcitur tamen eſſe huius, vel illius; debet inter vtrumque debitum alimentorum diuidi. ſic Vaſquez 1.2. *diſp.66. cap.8. num.7.* Salas *tractat.8. diſput vnica, ſect.24. num.247.* Azor *lib.2. inſtit. moral. cap.19. quaſt.8.* Villalobos *tom.1. ſumm. tract.1. diff.20. in fine.* Addunt tamen Azor,& Villalobos quolibet patre deficiente, vel nolente filium alere, alium eſſe obligatum in integrum. Quod non credo: quia aduersùs quemlibet non habet filius integrum ius, & ſic tradit Salas *ſuprà num.248.* Qui bene aduertit, ſi patres inæquales in diuitiis, & nobilitate ſint, poſſe matrem à ditiori, & nobiliori plus exigere: quia ditior,& nobilior meliora alimenta tenebatur filio ſuo miniſtrare. Eſto Vaſquez ſuprà videatur contrà ſentire.

PVNCTVM VI.

An in aliis materiis à iuſtitia poſſeſſio ſufficiens titulus ſit deponendi dubiam conſcientiam.

1 *Probabilius eſt ſufficere.*
2 *Poſſeſſio eſt, pro qua eſt iuris præſumptio.*
3 *Extra materiam iuſtitiæ plures affirmant nibil poſſeſſionem prodeſſe.*
4 *Satisfit prædictis text. & rationibus.*

1 RESpondeo probabilius eſſe ſufficere, ſiue ſit in materia religionis, ſiue temperantiæ, ſiue alterius virtutis. Quia eo ipſo quòd pro illa parte ſit poſſeſſio (ſi cætera paria ſunt) melior eſt eius conditio, cùm habeat aliquem titulum, quo alia pars caret. Ideo enim in materia iuſtitiæ, cùm dubium eſt æquale inter duos; cui fauet poſſeſſio, rem retinere poteſt, etiam ſi partem minus tutam ſequatur; quia eſt melior eius conditio; ſed ſimiliter cùm inter voluntatis libertatem & præceptum ſuperioris eſt dubium, quódnam vincat? Si conſtet pro qua parte ſit poſſeſſio, illius partis melior eſt conditio, ac proinde illam partem etſi minus tutam ſecurè ſequi poteris. ſic expreſsè Suarez *tom.5. in 3.part. diſput.40. ſect.5. à num.14. & 2.tom. de relig. lib.4. cap.5. num.7.* Thomas Sanchez *lib.2. de matrim. diſp.41. num.32. & lib.1. in Decalog. cap.10. num.11. fine.* Ioan. Sanchez *diſput.42. num.7.* Treuiño *in praxi examina. fol.257.* Garcia *1. tom. de benefic. part.7. cap.2. num.14.* Villalobos *tract.1. de conſcient. diffic.21.* Filliucius *2. tom. tractat.21. cap.4. num.165.* inſinuat Petr. de Nauarr. *lib.3. de reſtit. cap.4. dub.4. num.48. in noua edit.* & generaliter omnes illi qui dicunt in dubio legis, aut voti nullam eſſe obligationem, id affirmare tenentur, quos infrà referemus.

2 Difficile tamen eſt aſſignare in cauſis dubiis pro qua parte ſit poſſeſſio. Nam quod dicit Thomas Sanchez *lib.1. in Decalog. cap.10. num.13.* cum Soto *lib.7. de iuſtit. quaſt.3. art.2. col.3. verſic. huc verò.* Aragon 2.2. *q.88. art.8. paulò poſt princip. notab.2.* poſſeſſionem eſſe pro qua eſt iuris præſumptio, eo quòd ius non ſine cauſa debeat præſumere, ne eius præſumptio temeraria ſit. Etſi hoc veriſſimum ſit, non plenè ſatisfacit. Nam ſæpè videmus non ſtare præſumptionem iuris pro poſſidente, ſi ius commune poſſeſſioni reſiſtit, vt conſtat ex *cap. ad decimas, de reſtitut. ſpoliat. in 6. & ex cap. ex inſinuatione, de procuratorib. & ex cap. conſtitutus, de elect.* & aliis multis relatis à Maſcardo *verbo poſſeſſio, concluſ.1200. num.65.* Matienzo *lib.5. compil. tit.8. l.9. gloſſa 3. num.13.* Azeuedo *ibid. num.15.* Non ergo clara regula ad cognoſcendam poſſeſſionem eſt iuris præſumptio, cùm æquè, imò maior difficultas ſit in cognoſcendo, pro qua parte ſit præſumptio iuris, quàm in cognoſcendo, pro qua ſit poſſeſſio. Fateor tamen, ſi de præſumptione iuris conſtat, pro ea in foro interno ſtandum eſſe, vt docet Thomas Sanchez *ſuprà.* Molin. *tom.1. de iuſtit. diſput.196. col.3.* Menoch. *de præſumpt. lib.4. præſumpt 83. num.62.* cùm forum internum externo debeat conformari, quando falſæ præſumptioni non nititur, vt ſæpè diximus. Nam vbi eſt certa præſumptio iuris pro aliqua parte, ea pars debet iudicari vera, dum non probatur contrarium, cuius probatio incumbit contrariæ parti, ex traditis à Menoch. *lib.1. de præſumpt. quaſt.4. num.3. & ſeqq. & quaſt.8. num.1.* Simanc. *de Catholic. inſtitut. tit.50. num.6.* Verùm ſi præſumptio pro aliqua parte eſt dubia, ſeu ſub opinione; iudicandum eſt, ac ſi nulla eſſet, ſicuti cùm dubium eſt de legitima poſſeſſione, poſſeſſio non reputatur, vt aliis relatis docet Salas 1.2. *tractat.8. diſput. vnic. ſect.23. num.233.* quia tunc pro vtraque parte eſt par cauſa. Inueſtigare autem pro quibus rebus ſit certa præſumptio iuris, pro quibus non, longiſſimum eſt, neque poteſt regula aliqua definiri. Ex dicendis tamen in ſequentibus punctis aliquo modo conſtabit, pro quibus regulariter ſit præſumptio, & pro quibus etiam ſit poſſeſſio.

3 Reſtat ſatisfacere aliquibus, qui extra materiam iuſtitiæ nihil prodeſſe poſſeſſionem autumãt: ij ſunt Azor *tom.1. inſtit. moral. lib.2. cap.19. q.10. & lib.11. cap.15. q.2.* Vaſquez 1.2. *diſput.65. cap.3. num.13.* Anton. Perez *certam.10. ſcholaſt. num.132.* Saytus *in claui regia, lib.1. cap.13. num.36.* Salas *tractat.8. diſput. vnica, ſect.17. num.162. & ſect.25. num.252.* Limitat tamen ſuam doctrinam Salas, vt non procedat, quando cum incommoditate,& detrimento ſui, vel alterius priuandus eſt aliquis libertate. Idémque tenentur affirmare, qui in dubio voti obligationem imponunt, quos poſtea referemus. Hi enim omnes dicunt extra materiam iuſtitiæ tutiorem partem eligendam eſſe in dubiis, ne aliquis ſe exponat periculo peccandi. Mouentur ex aliquibus textibus, præcipuè ex *cap. ad audientiam, cap. ſignificaſti, el 2. de homicidio,* vbi in dubio an occiderit Sacerdos, cenſetur irregularis: quia *in hoc caſu* (ait Pontifex) *tutius eſt ceſſare ab officio, quàm temerè celebrare pro eo, quòd in altero nullum,*

in

in reliquo magnum periculum timeatur. Item *in cap. illud dominus, de cleric. excommun. ministr.* Episcopus quidam excommunicatus fuit, quia suam Ecclesiam reliquerat, & aliam occuparat, qui tamen sic excommunicatus diuinis se immiscuit, postea verò excessum suum recognoscens in præsentia Papæ constitutus inter alia in sua excusatione proposuit, se non credere, quòd Episcopus posset monitione non præmissa aduersùs eum procedere; quia non erat iudex ordinarius, sed delegatus. Item proposuit se non credere priuatum esse, officia diuina celebrare, cùm ab eo commonitorias non accepisset, & cùm ei non nisi per famam de sententia excommunicationis constaret. Cui allegationi respondet Innocentius III. quod licèt in hoc non videatur culpabilis omnino extitisse; *quia tamen in dubijs via est tutior eligenda, etsi de lata in eum sententia dubitaret, debuerat tamen potius se abstinere, quàm sacramenta Ecclesiastica pertractare.* Vbi aduerto huiusmodi Episcopum videri habuisse sufficientem rationem dubitandi se excommunicatione non ligari, & nihilominus quia id dubium erat, vt culpabilis à Pontifice declaratur nulla alia ratione, nisi quia in dubiis tutior pars est eligenda. Deinde *in cap. iuuenis, de sponsalib.* iuuenis, qui puellam nondum septenam accepit, & cum illa consummare tentauit, etsi non potuit, & postea consobrinam illius duxit, mandatur separari ratione impedimenti publicæ honestatis contracti. Quod impedimentum sanè dubium erat, quia dubium erat, an talia sponsalia valerent, imò præsumptio iuris pro eorum nullitate stabat, sed quia in hoc dubio temerè se matrimonio copulauit, cùm in dubiis, quod certius est tenere deberet, ideo mandatur à Pontifice separari. Sequitur ergo ex iis omnibus partem tutiorem esse sequendam, neque prodesse possessionem.

4 Verùm huiusmodi textus non conuincunt. Concedo Pontificem in casu homicidij dubij statuisse irregularitatem ob reuerentiam, & decentiam sacrarum rerum, innixum illi principio, in dubiis tutiorem partem esse eligendam, non tanquam obligatorio, sed tanquam optimo consilio.

Ad *cap. illud dominus*, respondeo debuisse illum Episcopum abstinere, quia orto dubio de excommunicatione debebat aliquam diligentiam facere ad illud vincendum, nullámque legitur fecisse; ac proinde tanquam temerarius violator puniri posset. Stante enim dubio, & non facta diligentia ad illud deponendum, tutior pars necessariò est eligenda, vt diximus *puncto* 1. *huius disput.* Adde ex fama sicut probantur matrimonij impedimenta, poterat & excommunicatio probare, saltem vt abstineret à celebratione.

Ad *cap. iuuenis*, dico possessionem matrimonij nihil iuueni fauere posse, cùm matrimonium contraxerit dubius de valore sponsalium, & consequenter mala fide. Iudicauit autem Pontifex matrimonium esse nullum, quia priora sponsalia fuisse valida iudicauit: èa autem iudicauit valere, quia vidit malitiam iuuenis suppleuisse eius ætatem, quod non leuiter collegit ex eo quod tentauit consummare, & ex aliis coniecturis, quæ licèt non essent omnino euidentes, erant tamen moraliter certæ; vt meritò Pontifex potuerit vi illorum declarare sponsalia valida fuisse. sic glossa, & Præposit. *in supradicto cap.* Thomas Sanchez *lib. 1. in Decalog. cap.* 10. *num.* 15. *§. ad* 3. Suarez *tom. 2. de relig. lib. 4. de voto, cap. 5. num.* 12. Adde cum Panormit. & communi, ibi iuuenem illum maiorem esse septennio, & puellam septennio proximam esse: quando autem iuuenis maior septennio duxit minorem septennio, & eam traduxit ad domum, oritur ex tali contractu impedimentum publicæ honestatis, secundùm communem, etsi aliquo modo dubiam, sententiam.

PVNCTVM VII.

An dubius de lege, vel præcepto tenearis illo.

1 *Si facta sufficienti diligentia adhuc dubius es de lege, vel præcepto, non teneris illo.*
2 *Idem est, si dubites, an se extendat ad aliquem casum.*
3 *Si dubitas, an sit lex vsu recepta, probabilius est te illa teneri.*
4 *Satis est probabile oppositum.*
5 *Si certus sis de lege, & dubitas an ratione alicuius necessitatis eximaris, affirmant aliqui non teneri; si lex est incommoda.*
6 *In tali casu obligaris lege.*
7 *Certus de lege, & dubius, an satisfeceris, teneris illa.*

1 RESpondeo, si facta sufficienti diligentia ad inuestigandam veritatem, adhuc dubius manes, non teneris lege, aut præcepto. ita Henriquez *lib. 8. de Eucharist. cap. 45. n. 3. in comm. litt. P.* Suarez 5. *tom. in 3. p. disp. 40. sect. 5. n.* 15. Thom. Sanchez *lib. 2. de matr. disp.* 41. *n. 36. & lib. 1. in Decal. cap.* 10. *n.* 32. Villalobos *tom. 1 sum. tract. 1. diff.* 21. *n.* 4. Eman. Saa *verb. dubium, n.* 2. Quamuis Vasquez 1. 2. *disp. 64. cap. 3. & disp. 66. cap. 1. initio*, teneat oppositum, & ex parte illi consentiat Salas *tr. 8. disp. vn. sect. 25. n.* 258. Ratio nostræ conclusionis est, quia in hoc dubio est possessio pro libertate. Quilibet enim suarum actionum est dominus, & liberè in illis procedere potest, dum se ligatum non cognoscit; qui igitur post factam diligentiam dubius est de præcepto, non se cognoscit ligatum.

2 Idem prorsus dicendum est, quoties dubium fuerit, an lex, vel præceptum ad aliquem casum se extendat, quia tunc perinde est, ac dubitare de lege, an sit imposita. ita Thomas Sanchez *in Decalog. cap. 10. num.* 33. Salas *suprà num.* 258.

3 Sed quid dicendum, si dubitas, an sit lex vsu recepta? Thomas Sanchez *lib. 1. in Decal. cap. 11. n.* 35. existimat in hoc dubio te esse obligatum lege, quia cùm de lege constet, pro eo stat possessio, & iuris præsumptio. Ergo vt ab eius obligatione eximaris, tibi incumbit onus probandi non esse vsu receptam. Fateor hoc esse probabilius: & ita tenet, etsi non satis consequenter, Bonac. *disp. 1. de leg. q. 1. p. 4. n. 44. & disp. 2. de pecc. q. 4. p.* 7.

4 Nihilominus valde probabile est te in supradicto casu lege non teneri. ita Azor *tom. 1. instit. moral. lib. 2. cap. 19. quæst.* 12. Salas *illa disp. vnic. sect.* 18. *n.* 169. dicunt enim dubitantem an aliqua lex excommunicationem, suspensionem, vel irregularitatem imponens sit vsu recepta, posse reputare non esse vsu receptam, & non obligare. Mouentur, quia in legibus pœnalibus benigniorem partem sequi debemus. Friuola ratio, si pro lege esset possessio. Quare ratio nostræ conclusionis ea debet esse; quia tunc non constat de lege imposita, ac proinde non possidet: vbi enim dubium est, an aliquando fuerit vsu recepta, est dubium, an aliquando obligauerit; quia ad hoc vt obliget, debet necessariò recipi secundùm probabilem sententiam, vt tradit Dominic. *in cap. in istis, §. leges, 4. dist. & in cap. 2. de constit.* & Felin. *in cap. 2. de treuga, & pace, à n.* 12. & ex illis Nauarr. *in summ. cap. 23. n.* 41. Rebell. *de oblig. instit. 1. p. lib. 1. q. 5. n.* 7. & alij plures referendi, *tr. 3. de legib. disp. 1. p.* 13. Si ergo dubium est, an aliquando obligauerit, dubium est, an aliquando fuerit vera lex, & consequenter non possidet. Idem dicendum est à fortiori; quoties dubitas de promulgatione legis, an fuerit facta, quia lex esse non potest sine promulgatione. §. 1. *in authent. vt factæ nouæ constitutiones, & §. in ijs autem, Instit. de contrahend. empt.* & probat optimè Decius *in rubr. de constit. post num.* 36. *versic. vlterius tamen videtur.*

5 Quid ſi certus ſis de lege impoſita, dubites an ratione alicuius neceſſitatis, vel alterius circumſtantiæ ab ea eximaris? Salas *illa ſect.25. num.259.* exiſtimat te non teneri, ſi lex eſt tibi incommoda, & moleſta. Mouetur, quia libertati fauendum eſt, quantum poſſumus. Debemus ergo pro libertate iudicare, quoties dubium eſt, an lex obliget.

6 Dicendum tamen omnino eſt in hoc caſu, te obligatum eſſe. Quia conſtat legem ipſam poſſidere, & eius obligationem. Ergo vt cenſearis ab ea excuſatus, probare debes exceptionem: immeritò ergo ab obligatione certa te volebas eximere excuſatione dubia. ſic Medina 1.2.*quaſt.96. art.6. ad fin. propoſit.3.* Ioan. Sanchez *diſput.43. num.8. in princ.* Thomas Sanchez, relatis Decio, Alciato, Surdo, Neuiz. & aliis, *lib.1. in Decal. cap.10. num.34. & lib.2. de matrim. diſput.41. num.37.* Idem dicendum eſt, ſi dubites, an abrogata ſit lex, vel in ea diſpenſatum; quia lex poſſidet, & probare debes exceptionem, vt eximaris. ſic vterque Sanchez *ſuprà*, & Salas (etſi non multum conſequenter) *illa diſput. vnica, ſect.16. num.265.* Ratio in contrarium non obſtat: libertati enim fauendum eſt, quoties non conſtat ligatam eſſe; at cùm conſtat de lege, conſtat de vinculo, & illi vt poſſidenti in caſu dubio debemus fauere.

7 Hinc à fortiori conſtat te eſſe obligatum lege, ſi certus ſis de illa, & dubius an ſatisfeceris, v.g. certus es te eſſe obligatum quotidie horas canonicas recitare, dubitas an obligationi ſatisfeceris, teneris, dum non deponis dubium, recitare, quia obligationi certæ, non poteſt ſolutione dubia fieri ſatis. Ita Medina *C. de orat. quaſt. de horis iterandis.* Ledeſm. *2.part.4. quaſt.16. art.6. in 2.part. dub.3.* Nauarr. *cap. ſi quis autem, de pœnitent. diſtinct.7. num.76. verſ.17.* Thomas Sanchez *lib.1. in Decal. cap.10.n.12.* Rebell. *de obligat. iuſtit. part.1. lib.2. quaſt.14. ſect.2.n.9. & 10. in fin. pag.119. & 2.p. lib.1.q.2. ſect.2.n.13. §. qua etiam ratione.*

PVNCTVM VIII.

Aliqua notatu digna ex ſupradicta doctrina inferuntur.

1 *Quid ſit epiykeia, & an detur in caſu dubio.*
2 *Non licet vti epiykeia in caſu dubio, ſi conſuli poteſt ſuperior.*
3 *Quando ſuperior conſuli non poteſt, affirmant aliqui.*
4 *Seruanda tamen eſt lex.*
5 *Apponitur quædam limitatio, ſed non approbatur.*
6 *Quid de dubitante, an ſonuerit 12. hora noctis, vt poſſit cœnare, vel carnes comedere.*
7 *Dubitans an expleuerit 21. annum, ieiunio non tenetur.*
8 *Dubitans, an comederit, vel biberit poſt 12. horam noctis, ſecundùm aliquorum opinionem communicare poteſt.*
9 *Probabilius eſt ſic dubitantem communicare non poſſe.*
10 *Satisfit fundam. num.8. adductis.*
11 *Dubitans ob tenuitatem beneficij de obligatione recitandi, tenetur recitare, defenditur vt probabilius.*

1 PRimò infertur, quid dicendum ſit, an in caſu dubij detur locus epiikeiæ. Epiikeiam voco emendationem legis, ſeu interpretationem, quando ſcilicet aliquis interpretatur legiſlatorem vel non potuiſſe, vel noluiſſe ad aliquem actum, etſi ſub verbis legis comprehenſum, obligare ob occurrentes circumſtantias. Ex qua interpretatione, ſi voluntas operetur, dicetur vti epiikeia, ac proinde epiikeia actus eſt intellectus, & voluntatis, vt bene dixit Suarez *lib.6. de leg. cap.6. num.2. & 5.*

2 Hanc autem interpretationem, ſeu emendationem legis nullo modo licere in caſu dubio, ſi conſuli poteſt ſuperior. Eſt communis ſententia cum D.Thom. 2.2. *quaſt.120. art.1. in corp. & ad 3. & quaſt.96. art.6. ad 2.* & ibi Caietan. & alij. Medin. *C. de pœnu. tract. de ieiunio, quaſt. de iis, qui tenentur ad ieiunia.* Sotus *lib.1. de iuſtit. quaſt.6. art.8. § tertia verò concluſio, & §. ad huius rei intellectum.* Thomas Sanchez *lib.2. de matrim. diſput.41. n.37.* Suarez *lib.6. de leg. cap.8. num.10.* Ioan. Sanchez *diſp.43. num.8. circa medium.* Vaſquez *de Euchariſt. diſp.219. cap.4. num.43.* Ratio eſt euidens, quando dubium eſt de voluntate ſuperioris, an ſcilicet voluerit ad illum caſum legem ſuam extendere. Quia operari cum conſcientia dubia, quando ipſa deponi poteſt, eſt peccatum ob periculum. Sed cùm dubium eſt, an voluerit ſuperior obligare, in tali caſu deponi poteſt dubium ex eius conſilio. Ergo non licet in tali dubio operari ſuperiore inconſulto. Si verò dubium ſit de poteſtate ſuperioris, an, inquam, potuerit obligare; cùm clarè non conſtet eius impotentia, iniquum videtur, interpretari non poſſe obligare, & legem deficere, cùm pro lege, & poteſtate ſuperioris ſit poſſeſſio.

3 Difficultas autem eſt, an in caſu vrgenti, in quo ſuperior conſuli non poteſt, poſſis vti epiikeia?

Affirmat Syluest. *verb. Papa, quaſt.16. dicto 2. fine, & verb. diſpenſatio, quaſt.4.* Cordub. *qq. lib.3. quaſt.13. ante reg.1. fol.205.* Henriq. *lib.14. de irregul. cap.3. num.3. litt. X.* conſentit Salas, quoties adimpletio legis eſt moleſta, & incommoda, *tract.8. diſp.25. n.260.* Ratio, quia videtur nimis durum obligare homines legibus non certis, ſed dubiis; in tali caſu videtur lex dubia, cùm de eius obligatione dubitetur.

4 Tenenda tamen eſt communis ſententia, ſeruandam eſſe legem. ita D.Thom. Soto, Medin. Vaſquez, vterque Sanchez, & Suarez *ſuprà*, & affirmant Syluest. Cordub. & Henriq. intelligendos eſſe non de dubio æquilibri, ſed de formidine, quando ſcilicet eſt probabile iudicium, licèt cum formidine, vel non potuiſſe, vel noluiſſe ſuperiorem in tali caſu obligare. Ratio eſt, quia in tali caſu lex non eſt dubia, ſed certa, cùm conſtet verba eius talem caſum comprehendere. Solùm autem eſt dubium, an legiſlator voluerit, vel potuerit illum caſum comprehendere. Ergo dum non probatur impotentia eius, vel nolitio, pro lege ſtare debet præſumptio, vtpote poſſidente.

5 Limitat autem ſupradictam doctrinam Suarez *illo lib.6. de leg. cap.8. num.12.* vt procedat, niſi alteri legi grauiori dubitetur contrariari. Tunc enim (inquit) liceret grauiorem legem exequi, omiſſa minori, quia illa concurrentia eſt ſufficiens ratio deponendi practicè dubiam conſcientiam, ne homo ſit perplexus. Mihi autem ſupradicta limitatio non placet. Exiſtimo namque ſeruandam tunc eſſe legem, & præceptum certum, omiſſa lege, & præcepto dubio: quia poſſidet præceptum certum, dum non conſtat alteri legi ſuperiori contrariari. Qua ratione coniux dubius de obitu prioris coniugis tenetur præſenti reddere debitum, etſi redditio debiti contraria ſit tam iuri prioris coniugis, quàm temperantiæ: quia lex temperantiæ, & iuris prioris coniugis eſt dubia, & lex dubia non poteſt præualere aduersùs legem certam, & poſſidentem, qualis eſt de reddendo debitum petenti coniugi. Item quando eſt dubium, an materia iuramenti, vel voti licita ſit, ſentit D.Thom. 2.2. *quaſt.89. art.9. ad 3.* obligare, ſiquidem dicit poſſe Epiſcopum tunc diſpenſare. Ergo à fortiori obligabit præceptum certum, cùm dubium ſolum eſt alteri contrariari.

6 Secundò infertur dubitantem, an fuerit elapſa 12. hora noctis, non poſſe cœnare, ſi illa dies ſit ieiunij. Quia poſſidet ieiunij præceptum, dum non conſtat de probabili excuſatione. Econtra verò, ſi craſtina dies eſt ieiunij, dubitas, an 12. noctis ſonuerit, potes hodie carnem comedere, quia certò poſſides libertatem, & ſolùm ſub dubio ſtat priuatio illius. Quòd ſi diuerſa horologia

gia sint, poteris cuilibet te accommodare, quia sequeris quasi opinionem probabilem, nisi forte aliquod sit communiter, vt errans reputatum. In iis conueniunt communiter Doctores, Vega *lib. 3. summ. casu* 213. Thomas Sanchez *lib. 2. de matrim. disput.* 41. *num.* 40. Salas 1. 2. *tract.* 8. *disput. vnica, sect.* 25. *num.* 264. Ioan. Sanchez *disp.* 42. *num.* 3. *& disp.* 43. *num.* 5. Villalobos *tract.* 1. *de conscient. diff.* 21. *n.* 6. *&* 7.

7 Tertiò infertur dubitantem an expleuerit 21. annum, ieiunio obligatum non esse. Quia ante dubium est in libertate non ieiunandi, qua libertate priuari non debet ob præceptum dubium. At non poterit ad ordines, vel beneficia promoueri, dum dubius est, an habeat ætatem requisitam: quia toto tempore antecedenti dubium, obligatus erat non ascendere ad ordines, vel beneficia ante ætatem. Ergo non poterit illo præcepto deobligari, dum non probat ætatem. sic Thomas Sanchez *suprà num.* 38. & Ioan. Sanchez *num.* 6. *&* 7.

8. Quartò infertur quid dicendum sit, si dubites, an post 12. horam noctis comederis, aut biberis, possisne communicare? Et dubium esse potest non de actione comedendi, vel bibendi, sed de tempore; certa enim esse potest comestio, vel potus; at dubium, fueritne post 12. horam noctis? Secundò potest esse dubium de comestione, vel potu, non de tempore; vt cùm quis ad lauandum se hora matutina assumit aquam ad abluendum os, dubitat tamen, an aliquid deglutierit, in iis enim casibus acriter pugnat Ioan. Sanchez *in select. disput.* 42. *à num.* 1. & præcipuè *num.* 9. posse sic dubitantem ad Eucharistiam accedere, & Confessarios sic debere consulere. adducit pro se Medin. *in summ. in declarat.* 3. *præcipuè Ecclesiast.* §. 42. *non longè à princip.* vbi ait: *Ne sint fideles nimium scrupulosi, si abluendo os illis videatur aliquam guttam transglutisse, nisi enim manifestè cognoscant fuisse transiectam in stomachum, non abstineant à communione.* Lucium *in sum. fol.* 145. *en el precepto* 4. *de la Yglesia de comulgar.* dicens: *El que sta en duda, si trago vna gota de agua, y no loue claro, pue de comulgar.* Fauet huic opinioni non leuiter Eman. Saa *verbo Eucharistia, num.* 28. *edit. Compluens.* 1609. quatenus dicit: *Traiectum aliquid contra voluntatem, vt parum aqua dum os abluitur, non impedit communionem.* Probarique potest hæc opinio primò. Homo habet ex se libertatem, & potestatem communicandi. Ergo ob dubiam comestionem priuari non debet tali potestate. Secundò qui cœnat carnes die Iouis, dubitans, an sit hora 12. noctis, non aduersatur præcepto ieiunij, quia est dubium, an tunc vrgeat tale præceptum. Ergo similiter talis cœna non aduersabitur præcepto ieiunandi ad communionem, quia est dubium, an tunc vrgeat tale præceptum. Et confirmo. Si quis haberet præceptum ieiunandi crastina die ieiunio naturali, sine vllo prorsus potu, & cibo, & hodie dubitans an sit hora 12. noctis, comedat, talis comestio ieiunium naturale non violat: quia non intelligitur pro tunc possidere præceptum. Ergo ex tali comestione non reddetur inhabilis ad communionem, quia in tantum reddi potest inhabilis, in quantum intelligitur ieiunium naturale soluisse: at per illam comestionem non intelligitur ieiunium naturale soluisse. Ergo. Tertiò coniux, cui dubium de valore matrimonij superuenit, & facta diligentia dubium vincere non potest, potest petere debitum, quia ante dubium fuit in possessione, quòd illa vxor esset propria, qua possessione ob superueniens dubium priuari non debuit; sed cui dubium superuenit, an comederit post 12. horam noctis, erat in possessione communicandi. Ergo non debet tali possessione ob dubium spoliari.

9 Nihilominus probabilius existimo sic dubitantem non posse communicare. ita docet Thomas Sanchez *lib. 2. de matrim. disput.* 41. *num.* 40. Salas *de consc. sect.* 25. *num.* 264. Villalobos *tract.* 1. *diffic.* 21. *num.* 7. & Doctores communiter. Probo primò. Præceptum sumendi Eucharistiam ieiunè semper obligat. Ergo si cùm accedis sumere Eucharistiam, dubitas, an sis ieiunus; dubitas an præcepto sumendi Eucharistiam ieiunè aduerseris; & cùm nulla sit pro tua parte possessio præcepto antecedens, sit sanè in casu dubij pro præcepto standum esse. Secundò, qui dubius est, an sit ieiunus, dubius est, an sit dignus. Ergo ne indignè manducet, probare debet se ieiunum esse. Tertiò qualitas non præsumitur, nisi probetur, vt optimè docet Menochius *consil.* 35. *num.* 31. *& cons.* 1. *num.* 121. Ergo non præsumitur ieiunus, nisi probet. Probare autem non potest qui dubius est. Ergo quartò vnusquisque probare debet fundamentum suæ intentionis, aliàs succumbet. *l. ei qui dicit, ff. de probat. l. actor quod asseuerat, C. eod. l. qui accusare, C. de edend.* & tradit Decius *consil.* 564. *num.* 1. Socin. iunior *consil.* 12. *num.* 3. *lib.* 1. & aliis relatis Mascard. *de probat. verb. qualis, concl.* 1253. *num.* 3. *&* 4. At fundamentum exigentis communionem ab Ecclesia est esse ieiunum à culpa in anima, & à cibo, & potu in corpore. Ergo dum non probat hoc fundamentum, immeritò exigit communionem.

10 Neque obstant superiùs allegata pro Ioann. Sanchez.

Ad primum dico neminem habere libertatem communicandi, nisi probata dignitate, sicut neque habet libertatem accipiendi beneficium Ecclesiasticum, aut ordines, nisi probata ætate, & legitimitate ad illa requisitis. Quare dum dubius est de ætate, aut legitimitate beneficium, neque ordines recipere potest, ita neque Eucharistiam, cùm dubius est, an comederit.

Ad secundum respondeo cœnam illam non contrariari præcepto ieiunij Ecclesiastici, aut naturalis per se, at contrariari communioni postea sequendæ, non contrariatur præcepto ieiunij, quia non constat tale præceptum esse, at contrariatur sequendæ communioni, quia communioni, & præcepto certo bene potest dubia comestio contrariari. Aliud enim est ius acquisitum tollere, aliud de nouo acquirere, ex vi enim præcepti ieiunij tollitur homini ius acquisitum comedendi, cùm voluerit, quod ius tolli non potest, nisi præcepto certo, & indubitato. At cùm homo communicare intendit, beneficium intendit acquirere. Non ergo illi irrogatur iniuria, si non detur tale beneficium, dum non probat sufficientiam.

Ad tertium respondeo ob superueniens dubium non impediri coniugem petere debitum, quia habuit ius iustitiæ acquisitum ad petitionem. At nullus habet ius iustitiæ acquisitum, vt sibi sacramenta donentur, nisi priùs probet se nullum impedimentum habere. Ergo. Adde etsi cuilibet licitum sit matrimonio copulari, non tamen licitum illi est, si dubius sit habere impedimentum, quia nunquam habuit ius se matrimonio copulandi, nisi probando impeditum non esse: ita similiter, etsi quilibet ius habeat Eucharistiam sumendi, non tamen illud habet, quin priùs probet se dignum esse. Aduerto tamen horam 12. noctis compleri, cùm primus pulsus sonat, quia tunc indicatur horam completam esse, & quia non potest vno pulsu indicari; ideo multiplicantur. Quare si quis post primum pulsum biberit, sine dubio communicare non potest. ita Thomas Sanchez *illa disp.* 41. *n.* 40. Villalobos *diffic.* 21. Salas *n.* 264. Ioan. Sanchez *disp.* 42. *n.* 19. Garcia *de benefic.* 1. *tom. p.* 5. *cap.* 1. *à num.* 524.

11 Quintò infertur, quid dicendum de habente beneficium tenue, & ob id dubitante an obligatus sit recitare? Salas 1. 2. *tract.* 8. *disput. vnic. sect.* 17. *num.* 154. *fine.* affirmat non teneri, quia est dubium iuris, & præcipuè ex suo sæpè repetito principio. Præceptum, inquam, onerosum, & molestum implendum ex obligatione non

eſſe in caſu dubij. Mihi quidem probabilius videtur dicendum in tali dubio obligationem eſſe recitandi. tenet expreſsè Vaſq. 1.2.*diſp.*65.*cap.*3.*num.*11. Ratio eſt, quia eſt certum te habere beneficium, ac proinde obligationem officij illi annexam. Dubium autem eſt, an ab hac obligatione ob paruitatem fructuum excuſeris; quando autem obligatio eſt certa, & excuſatio dubia, teneris obedire. Adde in foro externo te fore condemnandum, ſi dubia eſſet excuſatio, quia pro Eccleſia eſt certa lex, à cuius obligatione vt excuſari poſſes, debebas excuſationem probare, quod conſtat ex doctrina tradita à Couarr. *lib.*2. *var. cap.*12. *num.*14. Tiraquell. *de retract. lignag.* §. 1. *gloſſ.* 9. *num.* 211. *verſ. quibus adde.* Gonzal. *reg.* 8. *cancellar. gloſſ.* 8. *num.* 72. Euerard. *in ſuis topicis loco ab exceptione ad regulam*, *num.* 12. vbi omnes probant, cùm de lege conſtat, & ab illa vis te eximere, probandam tibi eſſe cauſam excuſationis, alioqui pro lege iudicandum eſt.

PVNCTVM IX.

Dubius de voto, iuramento, vel promiſſione, an tenearis.

1 *Affirmant plures, & qua ratione probent.*
2 *Probabilius eſt te eſſe excuſatum.*
3 *Satisfit fundamentis oppoſitis.*

1 AFfirmant plures, grauéſque Doctores, Azor. *tom.* 1. *inſtit. moral. lib.* 2. *cap.* 19. *q.* 10. *& lib.* 11. *cap.* 15. *q.* 2. Vaſq. 1.2. *q.* 19. *art.* 6. *diſp.* 65. *cap.* 3. *fine.* Anton. Perez *certam.* 10. *ſcholaſt. dub.* 2. *num.* 132. Cordub. *ſumm. q.* 147. Sayrus *in claui regia lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 36. Salas, quoties votum, vel iuramentum non eſt de re nimis incommoda, & moleſta, 1.2. *tractat.* 8. *diſp. vnica, ſect.* 17. *num.* 162. *& ſect.* 25. *num.* 252. *&* 253. Mouentur, quia extra materiam iuſtitiæ eligi debet tutior pars, cùm extra illam non detur poſſeſſio. Secundò, etſi in dubio iuris non ſit neceſſarium partem tutiorem eligere; at in dubio facti neceſſariò eligenda eſt, præcipuè in foro conſcientiæ, vt tenent Ioan. Andr. Cardin. Anan. & Socin. *cap. ad audientiam, de homicid. num.* 46. Panormit. *ibi num.* 2. Felin. *num.* 17. ideóque in dubio homicidij facti cenſetur quis irregularis; ſed dubium, an votum emiſeris, eſt dubium facti, vt de ſe conſtat. Ergo.

2 Nihilominus probabilius multo eſt dubitantem, an votum, vel iuramentum, aliámve promiſſionem emiſerit, illis non teneri, ſi facta diligentia vinci dubium non poteſt. ita Soto *lib.* 7. *de iuſt. q.* 3. *art.* 2. Graffis *deciſ. lib.* 2. *cap.* 31. *in fine.* Henriq. *lib.* 11. *de matrim. cap.* 11. *n.* 5. *& lib.* 8. *de Euchar. cap.* 45. *num.* 3. *in com. litt. P.* Man. *tom.* 2. *ſum. cap.* 99. *num.* 5. Saa *edit. Complut. & Rom. verb. dubium, num.* 1. Reginald. *in pract. tom.* 2. *lib.* 18. *num.* 176. Villalob. *tract. de conſc. diff.* 21. Thom. Sanch. aliis allegatis *lib.* 1. *de matrim. diſput.* 9. *num.* 11. *& lib.* 2. *diſput.* 41. *num.* 32. *& in Decal. lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 36. *& lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 16. Ioan. Sanch. *aliys allegatis diſput.* 43. *num.* 1. Rebell. *de iuſt. p.* 2. *lib.* 1. *q.* 2. *num.* 13. §. *qua etiam ratione.* Suar. 5. *tom. in* 3. *p. diſp.* 40. *ſect.* 5. *num.* 15. *latiùs tom.* 2. *de relig. lib.* 4. *de voto, cap.* 5. *num.* 7. Salas *ſuprà*, quoties votum eſt de re moleſta, & oneroſa, vt ferè ſemper contingit, fauétque gloſſa *in cap. ex parte, de cenſibus.*

Ratio eſt, quia videtur iniquum cogi promittentem ad certam ſolutionem, quin probetur promiſſor extitiſſe. Quare in foro externo & iudiciali nemo promiſſis cogitur ſtare, dum de promiſſione non conſtat: ſi enim alicui volenti nubere, obiicias vouiſſe caſtitatem, dum non probas votum, non cogitur à matrimonio deſiſtere. Ergo neque in foro conſcientiæ cogendus eſt votum ſeruare, ſi in illo foro conſcientiæ non conſtat. Item vbi tractatur de obligatione contrahenda, facienda eſt ſtricta interpretatio, ex *l. quidquid adſtringendi. ff. de verbor. obligat. & cap.* 1. *de iureiur. in* 6. fauétque *reg.* 11. *de reg. iur. in* 6. *Vbi partium ſunt iura obſcura, reo fauendum eſt, potius quàm actori.* Cùm ergo vouens, & promittens reus ſit, illi in caſu dubij fauendum eſt.

Hæc ratio probat te non eſſe obligatum, etiam ſi propendeas magis te vouiſſe, dummodo ſemper maneas dubius. ſic vterque Sanchez *ſuprà.* At ſi probabile tibi ſit vouiſſe, & de contrario ſolùm ſit formido, neque vales aſſenſum præſtare, teneris promiſſione, quia iam eſt moraliter certum, te debitorem eſſe. Si autem pro vtraque parte probabiles rationes habeas, poteris ſequi, quam malueris, vt de ſe conſtat. ſic Thom. Sanch. *lib.* 1. *de ſponſal. diſp.* 9. *num.* 11. *fine.* Suarez *lib.* 4. *de voto c.* 5. *num.* 5. Ioan. Sanchez *diſp.* 43. *num.* 2.

3 Ad primam oppoſitæ ſententiæ reſpondet optimè Suarez *ſuprà num.* 8. *& ſeqq.* illam regulam, *In dubijs melior eſt conditio poſſidentis*, non ſolùm in materia iuſtitiæ, ſed cuiuſcunque virtutis habere locum. Tum quia iura ex quibus deſumitur, ſine vlla reſtrictione loquuntur, & conſtat ex *reg. in pari* 65. *de reg. iur. in* 6. Tum etiam, quia quilibet habet ius latè ſumptum circa ſuas proprias actiones, vt poſſit illas liberè, & ſine obligatione exercere. Ergo dum non probatur illas debere, pro libertate ſtat præſumptio.

Ad ſecundam, neque in dubio iuris, neque in dubio facti, ſi dubium ſpeculatiuum ſit, obligationem eſſe ſemper ſequendi partem tutiorem, ſed id eſſe conuenientius. In materia autem irregularitatis, homicidij ob ſpecialem reuerentiam rerum ſacrarum pars tutior ſequenda eſt, vt diximus.

PVNCTVM X.

An tenearis promiſſione, voto, vel iuramento, ſi dubites adfuiſſe animum iurandi, promittendi, vel vouendi.

1 *Oriri poteſt dubium ex verbis, & ex intentione.*
2 *Si dubium oriatur ex verbis, non teneris.*
3 *Si oriatur ex intentione, proponitur ratio difficultatis.*
4 *Reſoluitur te eſſe obligatum.*
5 *Apponitur quædam limitatio de iuramento metu extorto. Sed non approbatur.*
6 *Si dubites, an cum ambiguitate illo in caſu iuraueris, non teneris.*

1 POteſt hoc dubium oriri ex duplici capite. Primò ex eo quòd verba prolata ambiguum ſenſum habeant; cùm aliquando accipiantur in ſenſu verè promiſſorio, & aliquando non: aliquando denotant promiſſionem veram, aliquando propoſitum: aliquando denotant iuramentum, aliquando ſimplicem aſſertionem, vt ſi dicas: Per fidem, vel conſcientiam meam hoc faciam. Secundò oriri poteſt dubium ex intentione, an ſcilicet habueris intentionem promittendi, vel ſolùm ſimulandi.

2 Et in primo caſu affirmo perſeuerante dubio te voto, iuramento, aut promiſſione non teneri. Quia tunc dubium eſt, an ſit votum: in quo caſu fauendum eſſe libertati diximus; &, meo iudicio, de iuramento deciſum eſt *in cap. clericus. de iuriurando*, vbi clericus qui iurauit ſeruare ſtatuta ſuæ Eccleſiæ, præſtito iuramento, aliud denuo ſtatutum factum eſt, promiſitque per idem iuramentum factum ſe ſeruaturum nouum illud ſtatutum. Et reſpondet Pontifex. Licèt tranſgredi non debuerat, quod promiſit, non tenetur ad illius obſeruantiam ex debito præſtiti iuramenti, cùm tamen dubium eſſet, an iuramentum antiquum ad præſentem materiam extenderetur. & ita docet Suar. *tom.* 2. *de relig. lib.* 2. *de iuram. cap.* 33. *n.* 3. *& lib.* 4. *de voto cap.* 6. *num.* 2.

3 De

3 De secundo casu, quando verba probata non patiuntur dubiam significationem, sed certam, & dubitatur, an habueris intentionem iurandi, promittendi, & vouendi, vel potiùs simulandi; vel dubitas, an scieris promissionem, votum, vel iuramentum obligare; alicui posset videri in tui fauorem faciendam esse interpretationem. Quia possides tuam libertatem, dum non constat ligatum fuisse; at cùm dubius sit de intentione promissionis, non tibi constat ligatum esse, quia non constat de voto, iuramento, aut promissione, quæ ad eorum constitutionem, & essentiam requirunt intentionem. Et confirmo. Dubius an sit imposita lex, vel an factum fuerit votum, lege, & voto non tenetur, sed qui dubitat de intentione, dubitat de voto, promissione, & iuramento, cùm sine intentione non sint. Ergo non tenetur.

4 Nihilominus in hoc dubio tenendum est pro certo te obligatum esse promissione, voto, & iuramento. Primò, quia delictum præsumi non debet nisi probetur, ex *cap. absit, 11. quæst. 3.* ibi, *absit vt quidquam sinistrum de his arbitremur qui Apostolico gradu succedentes Christi corpus sacro ore conficiunt*; & tradit Vlpian. *in l. meri. o, ff. pro socio*, & ibi Doctores, & abundè confirmat Menochius *consil. 99. num. 12. cons. 82. num. 105. & cons. 101. num. 54.* Alciat. *in tractat. de præsumpt. regul. 3. præsumpt. 1. num. 1.* Mascard. *de probat. verb. delictum, conclus. 496. num. 1.* Si autem in tali dubio animus adfuisse præsumatur, iam delictum præsumitur. Ergo non est præsumendus abfuisse. Secundò verba signa sunt intentionis, dum contrarium non probatur; nemo enim dicere præsumitur, quod non sentit. *l. Labeo 7. ff. de supellect. legat.* quo loci Celsus ex Tuberonis sententia dixit nomina esse, vt demonstrent voluntatem dicentis, & quemquam non dicere, quod non sensit: & tradit Bald. *in cap. mandatum, de præscript. in princ. & in rubr. de testib. & in l. voluntas, C. de fideicommiss.* & multis allegatis Menochius *de præsumpt. lib. 6. præsumpt. 35. à num. 2. & lib. 3. præsumpt. 1. à num. 37.* Tiraquel. *l. si vnquam, verb. libertis, n. 17. & seqq.* Ergo dum non probas defuisse intentionem, præsumendum est ex verbis te habere. Tertiò probato facto præsumuntur adfuisse omnia requisita ad illum, vt docet Thomas Sanchez *lib. 1. de sponsalib. disp. 9. num. 13.* ex Panormit. *in cap. 1. de his, quæ vi, num. 9. & ex cap. in præsentia, de probat.* vbi probata professione, præsumitur profitens habuisse legitimam ætatem, & neganti incumbit onus probandi. Ergo cùm constet de promissione, voto, & iuramento, præsumi debet animus requisitus adfuisse; & ita tenet Suarez loquens de iuramento, *lib. 2. cap. 33. num. 4. & lib. 4. de voto, cap. 6. num. 4.* Thomas Sanchez *lib. 1. de sponsalib. disput. 9. num. 13.* Nauarr. *lib. 3. consil. tit. 34. de voto, cons. 4. fine.* Corduba *sum. q. 147.* Syluest. *iuramentum 4. q. 7.*

5 Supradictam doctrinam limitant Panormitanus *in cap. si verò, de iurtiur. in fine.* & Angel. *verb. iuramentum 5. num. 10.* Syluest. *iuramentum 4. quæst. 7. dicto 4.* Seraphin. *de priuileg. iurament. priuileg. 110. num. 16.* vt non intelligatur de iuramento metu extorto. De hoc enim dicunt, in casu dubio non præsumi iurantem habuisse intentionem iurandi, aut se obligandi. Quia cùm habeat sufficientem causam dissimulandi intentionem ob violentiam sibi factam, potest ius præsumere talem simulationem adfuisse.

Limitatio mihi non probatur, quia præsumere simulationem in iurante, est præsumere delictum, cuius præsumptio vitanda semper est, præcipuè cùm non cedat in fauorem promittentis, cui magis faues affirmando esse obligatum promissione, quàm esse delinquentem ex simulatione. Et ita tenet Felin. *cap. si verò, de iureiur. in fine.* Alex. *ibid. num. 41.* Imola *in cap. ad audientiam, de his, quæ vi, num. 5.* Couarr. *4. decret. 2. part. cap. 3. §. 3. num. 3. fine.* Gutier. *de iuram. 1. p. cap. 57. num. 10.* Suarez *lib. 2. de iuram. cap. 33. n. 6.* Thomas Sanchez *lib. 1. de sponsal. disp. 9. num. 13.*

6 Aduertit tamen, & bene Suarez *num. 6. circa finem*, si dubius sis, an cum ambiguitate verborum, vel restrictione mentis iuraueris, te non teneri iuramento, quia tunc dubius es de iuramento. Neque in tali casu præsumitur te delictum commisisse, cùm habeas sufficientem causam æquiuocatione vtendi. Vt autem tale dubium cum fundamento habere possis, debes priùs nosse illos occultandi modos, alias quomodo confugere posses ad restrictionem, si restrictionem apponere ignorabas.

Pvnctvm XI.

An tenearis promissione, voto, vel iuramento, si dubites adfuisse deliberationem.

1 *Ex quibus causis deesse possit deliberatio.*
2 *Ex impedimento ætatis non desumitur efficax argumentum ad annullandam promissionem.*
3 *Dubius, an expleueris septennium existimat Thom. Sanchez, te debere reputare expleuisse.*
4 *Probabilitate non caret oppositum.*
5 *De dubio orto ex somno, ebrietate, vel phrenesi.*
6 *Quid sentiat Thomas Sanchez.*
7 *Dubius an fuerit perfectè liber ad votum, iuramentum, vel promissionem factam in somno, ebrietate, vel phrenesi, credere potest non fuisse.*
8 *Qua ratione teneatur voto, iuramento, aut promissione, si dubitet tempore amentiæ, somni, vel ebrietatis facta esse.*
9 *Fit satis argum. num. 7. adductis.*
10 *Regulariter subita passio iracundiæ non tollit deliberationem requisitam ad votum, iuramentum, & promissionem.*
11 *Quòd cessante calore iracundiæ pœniteat promissionis factæ, non infert validam non esse promissionem.*

1 EX multiplici causa deesse potest deliberatio. Primò ex tenera ætate. Secundò ex impedimento naturali, & accidentario, quale est somnum, phrenesis, vel ebrietas. Tertiò ex subita passione.

2 De primo impedimento ætatis dicendum est ex sola illa præcisè desumi non posse efficax argumentum ad annullandam promissionem. Potest enim puer ante septennium doli esse capax, vt colligitur ex *cap. iuuenis, de sponsal.* ac proinde votum, & iuramentum, sicut & sponsalia valere. At quia ante septennium rarò, vel nunquam perfectus vsus rationis contingit; ideo regulariter nec votum, nec iuramentum, nec promissio facta ante illam ætatem valida reputantur. Et in casu dubio vt inualida reputari possunt, quia est coniectura non leuis defecisse rationis vsum. Econtra verò transacto septennio, quia ius præsumit perfectum vsum rationis, nisi aliunde contrarium probetur, valida debent iuramenta, & promissiones reputari. Et ita tenet aliis relatis Thomas Sanchez *lib. 1. de matrim. disp. 9. num. 12. & 14. & lib. 4. de voto, cap. 1. num. 14.* Suarez *tom. 2. de relig. lib. 4. de voto, cap. 6. à num. 6.*

3 Quòd si dubium sit, an expleueris septennium, existimat Thomas Sanchez *illo lib. 4. de voto, num. 14. cap. 1.* præsumendum esse te expleuisse, & votum valere. Primò, quia sic communiter accidit: rarò enim fiunt vota, aut iuramenta ante septennium, & præsumptio ex communiter contingentibus debet sumi. Secundò, quia constat de voto, & promissione; excusatio autem est dubia. Ergo pro voto est iudicandum. Tertiò in casu dubij semper defendendus est valor actus, pro quo est possessio. Quartò non leue argumentum desumitur ex *cap. in præsentia, de probat.* vbi alleganti votum emisisse in

in minori ætate, neque probanti sufficienter declaratur valuisse. Quintò ex doctrina Bald. *in l. si maior, in fine. C. communi diuidundo.* vbi ait, cùm quis velit elidere edictum propter inhabilitatem ætatis, debeat omnino probare talem inhabilitatem, & *in consil. 66. num. 5. volum. 3.* dicit, ei, qui ex ætate petit restitutionem de aliqua læsione, vel alicuius contractus rescissionem, incumbere onus probandi dictam minorem ætatem, ex qua rescinditur talis actus. Ergo qui vult allegare non fuisse eius promissionem validam, eo quòd promiserit ante septennium, illi incumbit onus probandi, & dum non probat, sed dubius est, pro promissione est standum.

4 Nihilominus, etsi supradicta doctrina probabilior mihi sit, probabilitate tamen non caret contraria sententia, nempe dubitantem de perfecto vsu rationis, & nescientem expleuisse septennium, non teneri voto, vel alia quacunque promissione. tenet expressè Sotus *lib. 7. de iust. q. 3. art. 2. docum. 2. § sed est hic,* vbi dicit quoties votum est factum ante legitimum tempus pubertatis, non obligare in conscientia, nisi vouens sit ita certus, quòd tunc habuerit vsum rationis, vt nulla, aut tenuissima apud viros prudentes reliqua fiat dubitatio contrariæ opinionis. consentit Vega *lib. 4. sum. cas. 417.* Capua *lib. 2. decis. cap. 31. fine.* Beza *casu 49. in sum. fol. 233.* Moueor nō ob rationes Soti, quæ si aliquid probarent, probarent post septennium toto tempore ante pubertatem valida vota non reputanda esse. Sed moueor primò, quia tunc non supponitur votum, iuramentum, aut promissio, cùm de constituentibus illa dubitetur. Secundò, iuramentum, votum, & promissio semper debent in casu dubij in fauorem iurantis interpretari. ex *l. quidquid astringendæ, ff. de verb. oblig.* & colligitur ex *cap. ex parte, de censib.* & ibi Panormit. & glossa. Tertiò, quia esto pro valore actus deberet esse præsumptio. *cap. Abbate, de verbor. significat. l. quoties. ff. de reb. dubijs.* At hoc intelligi debet, quando esset damnosus, & onerosus, ex text. *in l. qui iurasse. § si pater. ff. de iureiurando*, & glossa *ibi.* Panormit. & communis, & Felin. *in cap. fin. num. 13. de præsumpt.* Neque obstat text. *in cap. in præsentia, de probat.* ibi enim in fauorem actus iudicatum fuit. Quia ab ipso profitente religionem exhibiti fuerunt testes ad probandum in minori ætate professionem fecisse: qui testes cùm essent inducti ab ipso profitente, debebant plenè probare, vt dicit glossa, & cùm in probatione defecerint, ideo Pontifex valorem professionis præsumit. Adde fauore religionis, cui erat ius acquisitum, debebat iudicari professionem valere, quia in dubiis possessio fauet.

5 Secundum impedimentum, quod solet vsum rationis tollere, est somnus, ebrietas, vel phrenesis. Quæritur ergo, an in casu dubij debeamus iudicare votum, iuramentum, & promissionem valere?

Et quidem dubium esse potest, an hæc facta fuerint tempore somni, ebrietatis, vel phrenesis, vel tempore sanæ mentis? Secundò posito, quòd tempore somni, ebrietatis, vel phrenesis facta fuerint, posset dubitari, an tunc fuerit plena ebrietas, vel phrenesis, vel somnus tollens libertatem?

6 De primo dubio Thom. Sanch. *lib. 4. in Decal. cap. 1. num. 15.* affirmat præsumendum esse, votum, iuramentum, & promissionem tempore sanæ mentis esse gesta, ac proinde valere. Probat primò, quia somnus, ebrietas, vel phrenesis breui tempore durant; ergo non possunt eo tempore hæc gesta præsumi. Quod secus est in amentibus, quando amentia continuo aliquo tempore durauerit, vt probat idem Sanch. *lib. 1. de matrim. disp. 8. num. 17.* Secundò dum constat de voto, & promissione, excusatio est dubia. Ergo possidet votum. Tertiò qualitas, quæ homini naturaliter inest, semper præsumitur adesse, dum de contrario non constat. Glossa *in cap. si fortè, de elect. in 6.* glossa, & Doctores, *in cap. is qui fidem, de sponsalib.* Franc. Marc. *in decis. 139. lib. 1.* latè Alciat. *in tract. de præsumpt. reg. 1. in princ.* Menoch. *lib. 1. de præsumpt. q. 14. num. 3.* Mascard. *de probat. verbo qualitas, conclus. 1254. num. 86.* Quartò ex communiter contingentibus præsumptio sumenda est, ex *l. nam ad ea. ff. de legib.* & tradit Mascard. *de probat. verbo præsumptio. conclus. 1230. num. 42.* cum Decia. *resp. 1. num. 256. lib. 1.* & Riminald. Senior. *cons. 2. num. 8. volum. 1.* Cùm autem contingere non soleat vota, iuramenta, aliásve promissiones tempore somni, ebrietatis, aut phrenesis emitti, sed tempore sanæ mentis, iudicandum est in casu dubij tempore sanæ mentis emissa esse, ac proinde obligare. De secundo dubio credit idem Sanch. vota, iuramenta, & promissiones non obligare, quia cùm ebrietas (& idem est de somno, & phrenesi) soleat à mente alienare, stat præsumptio pro alienatione.

7 Dicendum primò est, in hoc secundo dubio verissimam esse sententiam Sanch. quámque cōfirmat Suar. *lib. 4. de voto, cap. 6. num. 9.* exemplo illius, qui noctu habet pollutionem, quísque dubitat an habuerit perfectum vsum rationis, de quo non præsumitur mortaliter peccasse ob defectum perfectæ libertatis; similiter ob eiusdem defectum, non est præsumendus validè vouisse, aut promisisse.

8 Circa primum dubium dico graues, & efficaces rationes debere adesse vt dubium reddat promittentem, tempore ebrietatis, vel phrenesis, facta esse iuramenta, & promissiones. Quia pro contraria parte stat præsumptio sumpta ex communiter contingentibus. At si daremus promittentem verè dubium existere, eo quòd nec recordatur benè de promissione, neque actus ostenditur ita bene gestus, vt tollat dubium, iuxta tradita à Couarru. *4. decret. 2. p. cap. 2. num. 7.* existimo promissionem, votum, & iuramentum non valere, sed posse sic dubitantem deposito dubio agere contra illa. ita Suar. loquens de voto, *lib. 4. cap. 6. num. 9.* Ratio, quia tunc verè dubitatur, an sit votum, iuramentum, & promissio; cùm dubitetur an sit aliquid essentialiter requisitum ad illa, quale est libertas. Ergo in fauorem libertatis est iudicandum.

9 Neque obstant contraria. Admittimus iuramētum, votum, & promissionem regulariter loquendo, præsumenda esse facta tempore sanæ mētis, nisi ex aliis coniecturis contrarium colligatur. Neque est necesse, vt certò colligatur; sufficit, si ita colligatur, vt dubium vinci non possit. In casu autem dubio præsumendus est vsus rationis in iis, quæ spectant ad fauorem personæ, non tamen in iis, quæ ei oneris, & obligationis sunt, ex *reg. iuris in 6. Quod in gratiam alicuius conceditur, non debet in eius odium retorqueri;* & docet Suar. *suprà.*

10 De tertio impedimento subitæ passionis, iracundiæ, aut alterius perturbationis, an si dubium sit, priuare promittentem deliberatione requisita, censendus sit obligatus?

Respondeo cum Suar. *illo cap. 6. num. 10.* si daremus sic promittentem verè dubium existere de suo vsu rationis, non esse obligatum: quia est dubius de valore actus, ac proinde de obligatione. Sed affirmo regulariter non posse huiusmodi dubium habere; quia raro, vel nunquam calor iracundiæ vsum rationis impedit, quin operatio inde orta sufficientem libertatem ad bonum, & ad malum habeat. Aliàs occidens alium iratus excusaretur à mortali, cōsentit Thom. Sanch. *lib. 1. de sponsal. disput. 8. num. 10.* cum Panormit. *cap. dudum. de conuers. coniugat. num. 8.* Alex. de Neuo *cap. sicut ex litteris, de iureiur. num. 18.* & Felin. aliis relatis *num. 13.* Basil. de Leon. *lib. 4. de matr. cap. 1. num. 2.*

11 Verùm si cessante iracundiæ calore, nullo modo promissionem faceres, sed potiùs factæ pœnites, etsi Anton. *cap. sicut ex litteris, de iureiur. num. 9.* & Panormit.

cap.

cap. si verò, eod. tit. n. 7. affirment te obligatum non esse; non credo. Nam, vt bene dicit Thomas Sanchez *suprà num.* 8. & Basilius *num.* 6. multa calore iracundiæ fiunt deliberatione sufficienti ad culpam lethalem, quæ eo calore secluso minimè admitterentur. Est tamen probabilis coniectura, vt in casu dubio intelligatur defuisse deliberationem. sic Sanchez *suprà*, cum Tabiena *verbo votum 1. q. 1. n. 2. in 2. edit.*

PVNCTVM XII.

An dubius de materia voti, iuramenti, aut promissionis, sitne licita, tenearis voto, iuramento, aut promissióne.

1 *Teneris, si potes, superiorem consulere.*
2 *Secus si consuli non potest, & vrgeat tempus promissionem exequendi.*

1 CErtum est te teneri (si potes) superiorem consulere, ab illóque dispensationem petere. est decisio textus *in cap. venerabilem, de elect. §. idem, iuncta gloss.* vbi dicitur: Non valet ad plenam excusationem ipsius, si iuramentum illud dicatur illicitum; cùm nihilominus super eo nos prius consulere debuisses, quàm contra ipsum propria authoritate venire. Et de iuramento docet Felin. *cap. 1. de iureiur. num.* 19. Panorm. *in cap. cùm contingat, num.* 15. Innocent. *in cap. debitores*, & ex Theologis D. Thom. 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 9. *ad* 3. quatenus dicit requiri dispensationem, quando est supradictum dubium. Syluest. *iuramentum*, 5. q. 1. Suarez *tom. 2. de relig. lib. 2. de iuram. cap. 33. in fi.* & loquens de voto, *lib. 4. cap. 6. num.* 12.

Ratio est, quia dubius de honestate materiæ promissæ, dubitat, an Deo grata sit talis materia. Ergo tenetur diligentiam facere, vt hoc dubium vincat. At cùm nulla efficacior, aptiórque diligentia esse possit, quàm consulere superiorem, qui loco ipsius Dei assistit, ipsum tenetur consulere. Et hæc est differentia inter huiusmodi dubium, & dubium, an feceris promissionem, vel votum, quia quando dubitas, an feceris promissionem, dubitas de exercitio tuæ libertatis, & sic non est necesse ad superiorem recurrere. At quando dubitas de honestate materiæ promissæ, non dubitas de aliqua conditione se tenente ex tua parte, sed dubitas de conditione, quæ se tenet ex parte Dei. Ergo Deum, vel eum qui loco ipsius est, teneris consulere, & ab illo remissionem impetrare. Et confirmo. Qui sic dubitat, non dubitat fecisse votum saltem sub conditione, si res illa grata Deo fuerit, hoc enim sibi certò constat. Ergo tenetur inquirere, an fuerit grata Deo, aliàs transgressionis periculo se exponit.

2 Verùm si prudentis arbitrio, aut superioris consilio, vel dispensatione reddi non possis certus de honestate materiæ promissæ; & ex alia parte vrgeat tempus promissionem exequendi, existimo te non teneri exequi, sed posse te iudicare liberum ab hac obligatione: ita docet expressè Suarez loquens de voto, *lib. 4. cap. 6. num.* 13. & consentit Sanchez *lib. 4. de matrim. cap. 5. num. 32. & cap. 6. num. 6.* Ratio est, quia non placent Deo ea, in quibus periculum prauitatis imminet. Secundò qui dubius est de honestate materiæ promissæ, neque potest dubium vincere, dubius formaliter est de lege, & voto; cùm dubitet de essentiali requisito ad illa: necessariò enim honestatem in materia promissa requirunt. Sed qui dubius est de voto, & lege, iam diximus illis non teneri. Ergo similiter non tenetur, qui dubius de honestate materiæ promissæ, neque dubium vincere potest.

PVNCTVM XIII.

An subditus dubitans rem sibi præceptam licitam esse, seu superioris potestatem excedentem, possit, & teneatur exequi.

1 *Non esse obligatum obedire affirmant plures.*
2 *Communis sententia stat in contrarium.*
3 *Quoties præceptum superioris impleri facile potest, obligaris illo.*
4 *Satisfit argum. num. 1. adductis.*
5 *Duo corollaria notanda ex supradicta doctrina inferuntur.*
6 *Proponuntur variæ dubitationes pro intelligentia superioris doctrinæ.*
7 *Examinatur, an religiosi, in casu dubio de honestate præcepti, teneantur Prælato præcipienti obedire.*
8 *Non videtur improbabile deobligatos esse.*
9 *Teneatúrne subditus dubitans de honestate præcepti consulere viros doctos? Qui affirment non esse obligatum.*
10 *Probabilius est teneri.*
11 *Dubius superior, an res præcepta excedat suam iurisdictionem, si præcipiat post factam diligentiam ad vincendum dubium, tenetur subditus obedire.*
12 *Si nulla diligentia facta præcipiat, quibus probetur subditum obligatum esse obedire.*
13 *Probabilius est non esse obligatum.*
14 *Fit satis rationibus num. 12. adductis.*
15 *Teneatúrne subditus in hoc dubio obedire, si damnum graue ei ex obedientia resultet? Affirmat quidam neotericus.*
16 *Affirmandum est oppositum.*
17 *Dissoluitur ratio num. 15. adducta.*
18 *Si præceptum superioris sit nimis molestum, & durum, & dubites, an possit imponere, probabile est te illo non obligari.*

1 ADrian. *quodlib. 2. p. 1. & p. 2. litt. D. & in responsione ad 2.* Man. Rodriq. *in summ. verb. obedientia, 2. part. cap. 9. conclus. 2. 3. & 4. & tract. de ordin. iudic. cap. 7. conclus. 12. num. 12.* Vasquez 1. 2. *quæst. 19. art. 6. disp. 66. cap. 9. à num. 51. vsque ad fin.* Ij omnes Doctores absolutè affirmant, quoties dubium est de honestate præcepti posse subditum non obedire, ex parte consentit Salas 1. 2. *tract. 8. disp. vnic. sect. 17. num. 52. in med. & num. 157. & num. 183. sect. 20.* quatenus affirmat non esse obediendum præcepto superioris, si dubitetur maius Dei præceptum violandum fore, casu quo obediatur.

Moueri possunt primò, quia Prælatus non est in possessione præcipiendi ea, quæ sunt illicita, vel supra eius potestatem, vt de se constat. Ergo subditus dubitans præceptum sibi impositum de illicitis esse, simul etiam dubitat, an Prælatus talia præcipere possit. Ergo repugnans illi obedire, non spoliat Prælatum iure acquisito præcipiendi, cùm nunquam acquisierit ius præcipiendi ea, in quibus periculum est dehonestatis. Secundò subditus dubitans, an præceptum sibi impositum sit, illo non tenetur, vt suprà diximus. Sed qui dubitat, an præceptum sit de materia licita, vel illicita; dubitat in re, an sit impositum præceptum, quia dubitat de aliquo, quod ad eius valorem, & essentiam necessariò est requisitum. Ergo. Tertiò præceptum superioris non potest facere licitum, quod alioqui illicitum est; sed operari quòd dubitas an sit illicitum, est intrinsecè malum. Ergo non potest accedente superioris præcepto fieri licitum. Quòd si dicas accedente superioris præcepto deponendam esse dubiam illam conscientiam, & existimandum esse licitum. In hoc est difficultas; non enim illa conscientia ex solo præcepto superioris deponi posse videtur, cùm ob præceptum non videat subditus

tus aliquam specialem rationem honestatis in te præcepta.

2 Communis tamen sententia affirmat in hoc dubio obedire subditum debere. Quia superior, eo ipso, quo superior est, est in possessione præcipiendi, & subditus est in obligatione obediendi. Ergo vt in aliquo particulari casu subditus à præcepto superioris excusetur, ostendere debet superiorem non rectè præcipere. Ergo dum non ostendit, obedire tenetur, sic docet glossa *cap. quid culpatur, verbo iniquitas 23. q. 1. & cap. nerui, verbo formidat. dist. 13. cap. dilecta, in fin. de maiorit. & obedient. & cap. ad aures. verbo obedientiam, de temporib. ordinand. & cap. ex tenore, verbo mandato. de sentent. excommunicat.* Innocent. *cap. sicut, el 3. num. 2. de iureiurando.* & ibi Ioan. And. *num. 5.* Hostiens. *num. 3.* Bald. *num.* 8. Abbas *num.* 16. Alexand. de Neuo *num.* 79. Syluest. *verbo bellum, 1. q. 9. concl. & verbo conscientia, q. vlt. & verbo obedientia, quæst. 2. & verbo religio. 6. q. 6.* Malder. *de virtut. q. 40. art. 1. dub. 3. fol. 251.* Lorca 2. 2. *sect. 3. disp. 53. num. 8. & 9. & 1. 2. sect. 2. disp. 38. §. de dubio circa præceptum.* Nauarr. *cap. si quis autem, de pœnit. dist. 7. num. 114. & in summ. cap. 23. num. 37.* Tolet. *in sum. cap. 15. num.* 6. vbi de peccatis mortalib. Valen. 1. 2. *disput. 2. q. 14. p. 4. q. 4. versf. peculiariter. & 2. 2. disp. 3. q. 169. p. 2. conclus. 5. §. sextò certum est.* Mol. *tom. 1. de iust. disp. 113. concl. 3.* Azor. *tom. 1. lib. 2. cap. 19. quæst. 9.* Nauarr. *de restit. cap. 3. dub. 12. à num. 252. lib. 2.* Saa *verbo bellum, num. 1.* Sayrus *in claui regia, lib. 1. cap. 13. num. 4.* Thom. Sanch. *lib. 6. in Decal. cap. 3. num. 3. fine.* Villalob. *tom. 1. sum. tract. 1. diff. 26.* Garcia *de benef. 2. tom. p. 11. cap. 5. num. 366.* Ioan. Sanch. *disp. 33. num. 37.* & alij plures, quos referunt supradicti Doctores, specialiter vterque Sanch.

3 In hac igitur grauissima quæstione dicendum existimo cum Doctoribus nuper relatis, quoties præceptum superioris facillimo negotio impleri potest, hoc est, absque detrimento tui, vel alterius, exequi te debere, etsi dubius sis de eius honestate. Quia tunc nullus apparet titulus honestans omissionem præcepti, & subiectionis debitæ superiori: quòd enim illud præceptum videatur tibi contrarium diuino; hoc te excusare non potest, dum non probes esse contrarium. Tibi enim incumbit onus probandi illicitum esse, non autem superiori incumbit onus probandi esse licitum, & honestum. hoc enim ius semper præsumit, & supponit. Item superior præcipiens existimandus est iudicare se præcipere posse. Cur ergo iudicium tuum dubium superioris iudicio certo vis anteponere?

4 Neque contra hanc conclusionem obstant argumenta pro sententia Vasquez adducta. Non primum. Nam esto superior non habeat ius præcipiendi illicita; habet tamen ius præcipiendi quæ sibi licita videntur, dum non constat de turpitudine, etsi tibi illicita esse offerantur; ac proinde cùm dubitas de honestate materiæ imperatæ, non ex tuo iudicio, sed potiùs ex eius iudicio honestas præcepti, & eius obligatio metienda est.

Ad secundum respondeo dubitantem de præcepto, an sit impositum, illo non teneri, quia non sufficienter proponitur, at dubitans de eius honestate tenetur: quia honestas præcepti non ex tuo iudicio dubio, sed ex superioris iudicio certo sumenda est.

Ad tertium fateor præceptum superioris non posse per se facere licitum, quod aliàs illicitum erat; & consequenter non posse facere, vt licitè obedias, si practicè dubitas illicitum esse obedire. Sed quia stante præcepto habes rationem efficacem deponendi dubiam illam conscientiam, & existimandi esse licitum, quod tibi illicitum sese offerebat, ideo possumus dicere præceptum superioris posse per accidens facere licitum, quod aliàs illicitum erat. teneri autem deponere hanc conscientiam docet optimè Nauarr. *c. si quis autem, de pœnit. dist. 7. à num. 81. & in sum. cap. 16. num. 40. & cap. 23. num. 36.*

5 Ex iis infero cum Thom. Sanch. *lib. 6. in Decal. cap. 3. num. 10.* Soto *de secreto, memb. 3. q. 2. concl. 1.* Salas 1. 2. *q. 21. tract. 8. disp. vnica, sect. 17. num. 155.* Si tibi valetudinario, vel alio impedimento laboranti, & dubitanti, an tenearis ieiunare, vel officium diuinum persoluere, Prælatus præcipiat, ne ieiunes, aut ne recites, te posse, & debere non ieiunare, quia præceptum superioris in eo dubio interpretatur te obligatione legis Ecclesiasticæ non teneri. Secundò infero teneri te obedire Prælato, in iis, in quibus dubium est solùm, an excedat suam potestatem, quia, vt benè dicit Sanch. *suprà num. 4.* minorem potestatem habet superior in ea, de quorum honestate dubitatur, quàm in ea de quibus dubitatur solùm, an excedant limites suæ iurisdictionis.

6 Ad plenam intelligentiā supradictæ doctrinæ multiplex dubitatio enodari debet.

Prima, an intelligatur de omnibus subditis.

Secunda, an subditus dubius de honestate præcepti, teneatur inquirere doctos, vt dubium deponat.

Tertia, an si superior simul dubitet, teneatur subditus dubius obedire.

Quarta, an subditus teneatur obedire, quoties ex obedientia timetur magnum malum proprium, vel alienum.

Quinta, quid si malum, quod timetur, non sit distinctum à re præcepta, sed ipsa res præcepta molesta, & onerosa sit?

7 Circa primam dubitationem, an scilicet obedientiam in casu dubio teneantur omnes subditi præstare, est difficultas de religiosis, nam religiosi solùm sunt subditi ratione professionis emissæ, seu votorum simplicium constituentiū religionem, Prælatúsque nihil aliud præcipere potest, nisi ea, ad quæ religiosus per obedientiæ votum se voluit adstringere. Ex quo videntur sequi in casu dubio non teneri subditum obedire. Quia, vt ex materia de voto suppono, cum communi sententia nemo tenetur exequi rem illam, de qua dubitat, an votum ad illam extendatur, quia hoc est idem, ac dubitare de voto, in quo casu libertas possidet, & tradit Thom. Sanch. *lib. 2. de matrim. disp. 41. num. 33. & in sum. lib. 4. de voto, cap. 1. num. 32.* Ioan. Sanch. *disput. 43. num. 3. & 4.* At religiosus dubitans rem sibi præceptam extra iurisdictionem Prælati esse, dubitat an suum votum ad illam se extenderit. Ergo non tenetur obedire.

Dices teneri obedire, quia vota religiosi habent adiunctam traditionem, ratione cuius religio habet ius, & dominium in religiosum, & ratione huius dominij, & potestatis obligatur obedire in casu dubio, est enim melior conditio Prælati præcipientis, cùm sit in possessione.

Sed contrà. Tota hæc possessio ortum habet ex voluntate religiosi. Ergo non se extendit ad alia, quàm ad ea, ad quæ voluntas religiosi se extendit. Cùm ergo eius voluntas nunquam videatur extensa ad casum dubium, dicendum est, in illo obligari non posse. Neque obstat, si dicas, Prælatum non præcipere religioso ex iurisdictione accepta per votum, sed ex iurisdictione data à Pontifice: (nullus enim per votum, quantumuis solemne, potest alteri iurisdictionem in se ipsum dare, tum quia non potest per votum dare alteri vim coërciuam, sine qua nulla est iurisdictio, vt tradit Anton. Fab. *in l. magistratib. 12. ff. de iurisdict. omn. iud.* & constat ex *l. vlt. ff. de officio eius cui mand. est iurisdictio.* Tum etiam, quia facta regnorum, & publicatum rerum diuisione, potestas ius dicendi, & iurisdictio tota residet penes principes. *§. sed & quod principi. Instit. de iure naturali. l. 2. §. hac autem, de veteri iure enucleando, l. fin. ff. de legib. & constitut. princip.* & tradit optimè Vasq. 1. 2. *tom. 2. disput. 165. num. 26. & 28.*) præcipit ergo Prælatus religioso ex iurisdictione aliunde accepta, quàm ex voto, scilicet ex iurisdictione data à Pontifice, qua iurisdictione non

videtur

videtur priuandus Prælatus in casu dubio. Non, inquam, obstat huiusmodi dictum, vt religiosus in casu dubio debeat obedire. Nam esto Prælati regulares habeant in suos subditos iurisdictionem spiritualem datam à Pontifice, non tamen illam habent ad alias materias, præter eas, ad quas religiosorum vota se extenderunt. Cùm ergo probatum sit vota nunquam se extendere ad res dubias, efficitur neque ad illas esse obligationem ex iurisdictione Pontificis.

8 Hæc ratio videtur probabile reddere, religiosum verè, & propriè dubitantem de honestate rei præceptæ, vel an excedat superioris iurisdictionem, obligatum non esse obedire. fauet Suarez *tom. 3. de relig. lib. 10. c. 3. in prima responsione cuiusdam obiectionis factæ*, vbi dicit, fortasse non deerunt, qui totum concedant, neque enim improbabile videtur Abbatissam non posse ex voto obedientiæ obligare monialem ad aliquid faciendum in casu dubio de honestate operis iniuncti. Et confirmat ex differentia voti, & legis: nam obligatio legis cùm oriatur ex alterius voluntate, & potestate, ex eius iurisdictione metienda est. At obligatio voti, & consequenter ex illo dimanantis præcepti, seu iurisdictionis in illo radicatæ, cùm pendeat ex propria voluntate, & intentione, & hæc non videatur extensa, nisi ad materiam certam, quando aliud non constat, neque etiam eius obligatio extenditur. Probarique potest, quia actus præsumitur ita gestus, vt minus quàm fieri possit, sit agenti onerosus, tradit Menochius multis relatis *de præsumpt. lib. 6. tota præsumpt. 9.* Ergo professio religiosi non est præsumenda extendi ad obedientiam in casu dubio. Item in imponenda obligatione stricta est interpretatio facienda, ex *l. quidquid astringendæ, ff. de verbor. obligat.* ibi, *Quidquid astringendæ obligationis causa dictum est, id nisi palàm exprimatur, omissum esse intelligendum est, aut certè secundùm promissorem interpretamur.* idémque desumitur ex *cap. ex parte, de censibus.* vbi Abbas *num. 2. & 4.* ait præsumi vouentem se minus quàm possit, grauare; & ideo glossa ibi fin. dixit faciendam esse pro vouente bonam interpretationem. Si ergo pro vouente facienda est interpretatio, non debemus affirmare ad casum dubium se extendisse, & consequenter neque iurisdictionem à Pontifice datam ad illum dubium casum se extendere, cùm non det iurisdictionem ad alia, quàm ad ea, ad quæ vota se extenderunt.

9 Secunda dubitatio est, an teneatur subditus dubitans de honestate præcepti consulere doctos, si commodè possit, vt videat an honestum sit?

Respondet Thomas Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap. 3. num. 19.* non teneri; consentit Nauarr. *lib. 2. de restit. cap. 3. dub. 12. num. 261. & num. 266. in noua edit.* Valent. latè probans *2. 2. disput. 7. quæst. 3. punct. 2. corollar. 2. pag. 1570.* Mouentur, quia officium subditi non est præcepta examinare, sed exequi. Superior enim tenetur videre quid imperat, quasi pro subditis rationem redditurus; subditi autem non tenentur nisi obedire obedientia illa cæca tanto à sanctis Patribus commendata.

10 Verùm (etsi hoc probabile sit) probabilius existimo, teneri subditum, si commodè potest, diligentiam facere, vt certior de honestate præcepti existat, quando Prælatus non ea scientia, authoritate, probitatéque pollet, quæ subditos obligaret, probabiliter opinari rem imperatam honestam esse. Nam in hoc casu clarum est non teneri, aliam inquisitionem facere. Moueor primò, quia hæc inquisitio non obstat obedientiæ debitæ, cùm ex illa non omittatur, neque etiam repugnat eius perfectioni, quæ solùm in eo consistere potest, vt integrè, promptè, & sine vlla dilatione præceptum executioni mandetur, quando tempus vrget præceptum exequendi. Ergo dum non vrget tale tempus, sed datur locus inquisitioni, ratio naturalis dictat, vt apponatur. Nam ea posita fortè comperiet subditus Prælato non esse obediendum, ac proinde iam inquisitio prodest ad vitandum malum, saltem materialiter. Secundò negari non potest talem inquisitionem veritatis bonam esse, dirigitur enim non ad quærendas excusationes præcepti, sed ad securiùs illud implendum, & certiùs deponendum dubium de illius honestate. Ergo non potest esse contraria obedientiæ perfectioni, cùm vna virtus alteri contraria non sit. Dices talem inquisitionem bonam esse, non tamen subditum obligatum esse illam facere. Quia munus subditi non est inquirere, & examinare præcepta, sed illa exequi. Sed contrà, licèt munus subditi non sit examinare præcepta superioris, quando de illis dubium non habet; at in casu dubio quis ab illo hanc obligationem abstulit; cùm hæc obligatio cuilibet dubitanti de honestate præcepti insita sit, vt prudenter operetur. Et confirmo. præceptum superioris efficacius esse non potest præcepto diuino, sed quando quis dubitat de obligatione præcepti diuini, eo quòd videtur alteri præcepto naturali repugnare, debet necessariò inquirere, & inuestigare, quantum commodè potest, quódnam sit exequendum: neque talis inquisitio obedientiç obstat. Ergo etiam quando dubitat, an præceptum superioris honestum sit, vel contrarium alteri præcepto diuino, debet illud examinare. Item superior non habet in subditum efficacius ius imperandi, neque subditus maiorem obligationem obediendi, quàm habent coniuges inter se, sed cùm alter illorum dubitat de matrimonij valore, tenetur prius quàm debitum reddat, diligentiam facere, vt veritatem cognoscat, & tradit ipsemet Sanchez. Ergo etiam similiter tenebitur subditus. Quòd si dicas proprium coniugis esse examinare, an matrimonium validum sit, non tamen esse subditi proprium examinare, an rectè superior præcipiat. Est gratis dictum, cùm de hoc sit quæstio, & cùm in vtroque casu sit eadem obligatio. Ideo enim coniux dubitans tenetur examinare (si potest) valorem matrimonij, antequam reddat, ne se exponat periculo accedendi ad non suam, ac proinde faciendi aliquid in re illicitum. Sed subditus dubitans de honestate præcepti, illúdque non examinans exponitur periculo efficiendi aliquid illicitum in re. Ergo ratione præcepti excusari non potest ab hac diligentia præstanda. Adde quando executio rei præcepti differri potest, & minus malum timetur ex dilatione, quàm ex prompta executione, differendam esse executionem mandati, donec examinetur an obediendum sit: docet expressè Thom. Sanchez *lib. 6. in Decal. cap. 3. n. 15.* cum Couarr. *reg. peccatum, 1. p. n. 5. ad fin.* Ergo à fortiori examinari debet præceptum, quando eius executio sine vlla transgressione differri potest. & ita tenet Alex. de Neuo *cap. sicut, el 3. num. 98. de iureiur.* Hostiens. *summ. tit. de pœnit. §. quid de rapina, vers. quòd si probabiliter dubitat.* Angel. *verb. bellum, n. 8.* Rosella *ibid. n. 4.* Syluest. *eod. 1. q. 9. conclus. 3. & verb. obedientia, q. 2.*

11 Tertia dubitatio est, an casu quo superior dubitet de re præcepta, sitne licita, vel excedens limites suæ potestatis, teneatur subditus sciens talem dubitationem ei obedire?

Et quidem si hoc dubium perseueret post factam diligentiam à Prælato de veritate inuestiganda, verius esse debet teneri subditum obedire. Quia tunc Prælatus legitimè imperat, cùm & habeat possessionem imperandi, & dubium subortum vincere non possit, sicut coniux, qui bona fide matrimonium contraxit, & postea dubitat de eius valore, facta diligentia ad veritatem inuestigandam, si adhuc dubius manet, potest petere, & tenetur alter reddere, vt ex communi sententia dicimus *in disput. de obligatione coniugum.* Limitanda tamen est hæc doctrina ad actiones, quæ alteri à subdito molestæ, & onerosæ non sunt. Non enim cum hac dubita-

tione ſuperior indicere bellum poterat, [quar]e ſubditus debebat obedire. debet enim ſuperior in rebus damnoſis moraliter eſſe certus de iuſtitia.

12 Verùm ſi nulla facta diligentia Prælatus dubius de honeſtate rei præceptæ, vel de exceſſu ſuæ iuriſdictionis imperet; alicui videri poteſt etiam in hoc caſu teneri ſubditum obedire. Primò, quia ex huiuſmodi dubio non interrumpitur poſſeſſio Prælati in ſubditum. Non enim ex eo, quòd dubitet, an res, quam vult imperare, ſitne licita, vel illicita, vel eius iuriſdictionem excedens, deſinit eſſe ſuperior; neque obinde ſubditus ſubiectionem amittit. Ergo ratione huius poſſeſſionis imperare poterit ſubditis in caſu dubio. Secundò, ſic dubitans non dubitat de dominio, & poſſeſſione in ſubditum, ſed an eius dominium, & poſſeſſio extendatur ad talem materiam. At quando coniux, v.g. non dubitat de matrimonij valore, ſed an poſſit, vel non poſſit petere, eo quòd dubitat, an habeat aliquod impedimentum caſtitatis, vel affinitatis denuò contractum, alter non dubitans reddere tenetur, ſi debitum ab illo petatur, quia nihil iniuſtum ab illo poſtulatur, & quia alter non tenetur in hac dubitatione ſe impeditum reputare, vt multis relatis docet Thom. Sanch. *lib. 9. de debito coniug. diſp. 6. à n. 4.* & præcipuè *à n. 7.* Tertiò ſubditus dubitans, ſitne licita res ſibi mandata, obedire tenetur, etiam nulla diligentia facta ad cognoſcendam veritatem ſecundùm probabilem ſententiam: quia poſſeſſio Prælati excuſat ſubditum ab hac diligentia. Ergo etiam poterit excuſare Prælatum à ſimili diligentia præſtanda. Quartò demus teneri Prælatum diligentiam facere ad inueſtigandam veritatem; ſicut poſſidens aliquam rem, & dubitans an ſua, vel aliena ſit, tenetur diligentiam facere, antequam rem alienet. Sed ſicut ſi huiuſmodi dubitans de facto rem alienaret, teneret alienatio, quia poſſeſſionem, & dominium incertum, quod habet, trãſfert in emptorem. ita ſimiliter etſi ſuperior malè faciat imperans ſubdito abſque prǽmiſſa diligentia de cognoſcenda veritate; at imperium tenebit. Quintò obligatio ſubditi obediendi Prælato deſumi non debet, ex eo, quòd Prælatus dubitet, vel non dubitet de honeſtate rei præceptæ. Nam ſi ſubdito conſtat honeſtiſſimam rem, & nullo modo ſuperioris iuriſdictionem excedentem præcipi, tenetur obedire, vt optimè dixit Thomas Sanchez *lib. 6. in Decal. cap. 3. n. 21.* etiamſi ſuperior dubitando imperet, quia dubium illud procedit ex errore, qui obſtare non poteſt obligationi ſubditi, ſicut ſi vir exiſtimans ex errore ſubeſſe matrimonio impedimentum, petat debitum ab vxore, malè petit; at vxor certò ſciens impedimentum non eſſe, reddere tenetur, vt probat Couarr. *4. decretal. 2. part. cap. 3. §. 1. num. 6.* & Sanchez *ſuprà num. 4.* Econtra verò ſi ſuperior imperet rem inhoneſtam, etiamſi ipſe exiſtimet honeſtiſſimam eſſe, non debet ſubditus obedire. Ergo obligatio ſubditi ex re ipſa, & ex eius iudicio, potius quàm ex iudicio ſuperioris metienda eſt. Hanc ſententiam tenentur (meo iudicio) docere qui coniugi dubitanti de matrimonij valore, & debitum petenti ab altero coniuge, docent reddendum eſſe. Ij ſunt Corduba *ſum. quæſt. 45. p. 3. fol. 113.* Henriquez *lib. 12. de matrim. cap. 6. num. 5. comment. litt. T.* Bartholom. de Ledeſm. *dub. 20. de matrim. concluſ. 2.* Ludouicus Lopez *1. part. inſtruct. 2. edit. cap. 297. § ſed ſi iniquitas.* Petrus de Ledeſm. *de matrim. q. 45. art. 1. ad finem, § ad hoc dubium.*

13 Nihilominus verius exiſtimo in hoc caſu ſubditum non eſſe obligatum obedire, imò neque poſſe, ſi ipſe ſubditus etiam dubitet. Ratio ea eſt, quia officium ſuperioris eſt examinare honeſtatem, & æquitatem rei præceptæ, cùm de illa dubitat, ne ſe errandi periculo exponat, imperans quæ non licent. Ergo ſi abſque hoc examine præceptum imponat, cùm temerarius impoſitor ſit, ſubditus non tenetur parere, imò nec poteſt, ſi temeritatem agnoſcat, quia non tenetur parere præcepto, tam ex parte rei præceptæ, quàm ex parte præcipientis temerario, & periculoſo. & ita docent Petrus de Ledeſma *2. tom. ſumm. tract. 11. 3. cap. 13. concluſ. 21.* Bannes *2. 2. quæſt. 40. art. 1. dub. 6. concluſ. 3.* Thomas Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap. 3. num. 21.* Salas *1. 2. quæſt. 21. tractat. 8. diſp. vnic. ſect. 26. in fine, num. 275.* Man. Rodriq. *1. tom. ſumm. cap. 126. concl. 4. num. 5. 2. edit.*

14 Neque obſtant in contrarium adducta. Non primum. Admitto enim non interrumpi poſſeſſionem ſuperioris in ſubditum ex tali dubitatione, quia illa dubitatio non attingit poſſeſſionem, quam ſuperior habet: hæc enim nunquam fuit in ſubditum ad res, quas ſuperior dubitat eſſe licitas, vel eius iuriſdictionem excedere.

Ad ſecundum reſpondeo, eo ipſo, quo ſuperior dubitat de honeſtate rei, vel an ſit excedens ſuam iuriſdictionem, dubitat de dominio, & poteſtate in ſubditum, imò certum ſuperiori debet eſſe carere dominio, & poteſtate, cùm hæc limitata ſit ad præcipiendum ea, quæ honeſta ſunt, ſibique ſic apparent.

Ad tertium dico, ſubditum ratione obedientiæ ſuperiori debitæ, & in eius reuerentiam poſſe habere ſufficientem rationem deponendi dubium, quam rationem non habet ſuperior in imperando. Item cùm ex parte ſubditi, & ex parte ſuperioris præcipientis eſt contentio, & dubium de honeſtate præcepti, & obligatione illius; ius præſumit pro ſuperiore, non pro ſubdito.

Ad quartum dico, ſuperiorem non ſolùm debere diligentiam facere ad cognoſcendam honeſtatem præcepti, ſed dum ſibi de tali honeſtate moraliter non conſtat, non poſſe præcipere; quia ſolùm poteſt ea quæ honeſta ſunt, quæque ſibi talia apparent.

Ad quintum reſpondeo, ad valorem præcepti ex parte materiæ vnum è duobus neceſſariò requiri. Primò requiritur honeſtas illius certò cognita à ſubdito, & hoc ſufficit, vt præceptum teneat. & in hoc caſu ex iudicio ſubditi inſurgit obligatio præcepti. Secundò requiritur, & ſufficit ad obligationem, quòd ſuperior cognoſcat probabiliter rem, quam pręcipit honeſtam eſſe, & ſuam iuriſdictionem non excedere, etiam ſi ſubditus id adæquatè non cognoſcat, quia dum nihil in contrarium apertè cognoſcit, non habet ius ſe eximendi à ſuperioris præcepto.

15 Quarta dubitatio eſt, an ſubditus teneatur obedire, quoties ex obedientia timetur non leue damnum proprium, vel alienum in honore, fama, diuitiis, vel vita, vt contingit ſi ſuperior te interroget de delicto tuo, vel alterius, & dubius ſis, an iuridicè interroget?

Ioan. Sanchez *diſp. 43. n. 28.* affirmat te teneri: quia iam illud damnum præuiſum eſt à ſuperiore, & illo non obſtante præcipit. Ergo debes obedire: quia præſumere debes ſuperiorem iuſtè præcipere, ne ſis iudicij temerarij reus. Item ſi certò tibi conſtaret ſuperiorem iuridicè præcipere, tenebaris veritatem fateri. Ergo etiam cùm dubitas, teneris: quia in vtroque caſu ſuperior eſt in poſſeſſione præcipiendi.

16 Nihilominus dicendum eſt, in tali dubio te non eſſe obligatum præcepto. ita aliis relatis Leſſius *lib. 2. de iuſt. cap. 31. dub. 3. n. 10. & cap. 41. dub. 9. n. 77.* Sayrus *lib. 1. in claui regia, cap. 13. n. 41.* Salas *1. 2. q. 21. tract. 8. diſp. vnic. ſect. 17. n. 155.* Thom. Sanchez plures referens *lib. 6. in Decal. cap. 3. n. 24.* Villalobos *tom. 1. ſumm. tract. 1. diffic. 26. n. 1.* Pitigianis *in praxi crim. cap. 3. fol. 241.* Rodriq. *2. tom. ſumm. cap. 9. n. 3. & de ord. iudic. cap. 7. n. 12. & tom. 3. qq. regul. q. 19. art. 4. & 6.*

Ratio eſt, quia ſubiectio, & obedientia debita ſuperiori non tollit ius, & poſſeſſionem tuam, & alterius in bonis fortunæ, honoris, & corporis. Ergo non eſt æquum te obligare hanc poſſeſſionem amittere in re magni momenti ob obedientiã, quam dubitas, ſi debeas.

Poſſeſſio

Possessio enim tua, & alterius certa præualere debet iuri, & possessioni aliquo modo dubiæ superioris. Item sæpe præcepta Ecclesiastica certa cum graui detrimento proprio, vel alieno non solent obligare, à fortiori non obligabunt dubia. Imò addendum existimo, si obedientia in alterius graue damnum vergit, non solùm te non obligari, sed neque obedire posse; secus est, si solùm in damnum tuum cedat; tunc enim quia potes cedere iuri proprio, etsi obligatus non sis, poteris obedire. Sicut enim superior possidet ius imperandi, etiam alius possidet ius in suis bonis iniquum. Ergo est obseruandum ius superioris dubium, lædere ius certum alterius. Et confirmo. Quilibet habet ius iustitiæ, ne lædatur in bonis absque manifesto titulo, qui tibi non est, cùm dubitas, an superior habeat ius imperandi.

17 Ad rationem in contrarium respondeo, etsi superiorem præsumas iustè præcipere, cùm tamen de hoc non sis moraliter certus, non teneris possessionem certam in tuis bonis amittere ob seruandam superioris possessionem in materia dubia.

Ad confirmationem respondeo superiorem in vtroque casu iuridicè præcipere, & possessionem præcipiendi habere; at te non esse obligatum obedire in casu dubio. Quia possessio tua, vel alterius certa in bonis fortunæ, honoris, & corporis præualet superioris possessioni de materia dubia. Item pro superiore est iudicandum, & non pro subdito, quando cætera paria sunt, quod in præsenti non contingit; cùm damnum tibi, vel alteri ex obedientia obueniens graue sit, & certum. At superiori ferè nullum obueniat ex eius obedientiæ omissione.

18 Quinta dubitatio est, an si præceptum superioris sit tibi nimis molestum, & durum, & dubites, an possit imponere, tenearis illo?

Videris teneri, quia onus, & molestia illa non est aliena à præcepto, sed idem cum re præcepta, & ab illa indistinctum. Ergo cùm in casu dubio obedire debeas superiori ob possessionem, quam habet præcipiendi, obligatus es in præsenti obedire; aliàs nulla esset certa regula obediendi in casu dubio. Et confirmo, ideo quando damnum graue tibi, vel alteri obuenit ex obedientia, excusaris obedire in casu dubio, quia possides res illas, in quibus damnum pati debebas, & possessio certa non debet amitti ob seruandam superioris dubiam: at in præsenti tibi non fauet possessio vlla, cùm non sit alicuius distincti ab ipsomet præcepto, quod possidet. Ergo.

Verùm (etsi hoc sit satis probabile) acquiescere poteris communi sententiæ te excusanti obedire. Quia non videtur consonum te onus graue certò subire, de quo dubitas, an tibi possit imponi, iugum enim Christi suaue est, & onus eius leue. Non videretur autem ita esse, si te dubitantem de potestate præcipientis obligaret in angustias coniici obseruandam eius possessionem dubiam. Et ex hac ratione soluitur contrarium fundamentum. Non enim possessio in re dubia seruanda est cum graui onere, & molestia. & ita tenet relatis Medina, Aragon, Lopez, Sayro, Soto, Vega, Rodriquez, Salas *tractat.*8. *disput. vnica*, *sect.*17. *num.*154. Thomas Sanchez *lib.6.in Decalog.cap.*3 *num.*23. Villalobos *tract. de conscient. diff.*26.*num.*2.

PVNCTVM XIV.

An milites dubitantes de iustitia belli possint, & debeant Principi obedire.

1 *Subditi milites obligati sunt obedire, secus alienigenæ, ex communi sententia.*

2 *Nullus miles tenetur militare dubius de iniustitia belli, quousque examen præmittat.*

3 *Si subditus non habet aliquam rationem dubitandi, debet dubium deponere, & militare.*

4 *Proponuntur quædam obiectiones, & fit illi satis.*

1 APpono hanc quæstionem, vt clariùs innotescat quæ diximus *disp.*2.*p.*8. huius tractatus.

Communis sententia huic quæstioni respondet subditos posse, obligatósque esse obedire; secus verò alienigenas, quia in subditis adest sufficiens ratio deponendi dubiam conscientiam, scilicet præceptum superioris, quæ ratio non adest in militibus alienigenis, & consequenter milites non subditi tenentur inuestigare iustitiam belli, antequam se dedissent; secus verò subditi, ita tenet expressè Abbas *cap. sicut, el* 3. *de iureiur. num.*16. & ibi Bellamera *quæst.*6. Alexand. de Neuo *num.*98. Nauarr. *sum. cap.*15. *num.*15. Molin. *tom.*1. *de iustit. disp.*113. *circa finem.* Valent. 2.2. *disp.*3. *quæst.*16. *puncto* 2. §. *si autem miles.* Azor *tom.*1. *instit. moral. lib.*2. *cap.*19. *quæst.*9. & plures alij, quos refert, & sequitur Thomas Sanchez *lib.*6. *in Decal. cap.*3. *num.*15.

2 Verùm in hac re existimo primò, tam subditos, quàm non subditos, si dubium habeant fundatum de iniustitia belli non teneri, imò nec posse militare, quousque examen, quantum commodè possint, præmittant. Moueor tum ob rationes superiùs dictas, quæ in præsenti casu, vtpote grauiori militant. Tum & præcipuè, quia quando certum est ex tua obedientia damnum tibi, vel alteri graue esse sequendum, non teneris superiori obtemperare, si dubitas, an legitimè præcipiat, vt puncto præced. *dub.*4. diximus. Sed ex bello grauissima tibi, & aliis damna debent obuenire, non igitur debes obedire, si dubitas, an Princeps legitimè præcipiat. Et confirmo, si subditi rationabiliter dubitantes de iniustitia belli nullam diligentiam præmittere tenentur, sed possunt audito præcepto superioris statim acquiescere; sanè Turcæ, & Sarraceni sequentes Principes suos in bello contra Christianos à peccato, & iniustitia excusarentur, & carnifices martyrum, & milites crucifigentes Christum, quod nullo modo est dicendum, & in hac conclusione credo neminem dissentire posse.

3 Secundò existimo, quoties subdito non te offert aliqua grauis, & bene fundata ratio dubitandi de iniustitia belli, tenetur dubium, vtpote friuolum, & inane deponere, & iustitiam belli præsumere, & militare. Et in hoc sensu dixit D. August. *cap. quid culpatur*, 23. *q.*1. *in fin.* virum iustum bellare posse sub Rege etiam sacrilego, si quod tibi iubetur, vel non est contra Dei præceptum, vel vtrùm sit, certum non est. Quia dum certus non est subditus contrariari diuino præcepto, præceptum superioris, præsumere debet illi esse conforme. Et in hac materia belli est res clarior, cùm enim grauissima sit, tarò est præsumendum absque sufficiente examine iustitiæ intentari: quæ iustitia, etsi non appareat militibus, præsumenda est. Aliàs tenerentur Principes rationes bellandi omnibus manifestare; quod est grauissimum inconueniens.

Hæc ratio (meo iudicio) probat non solùm subditum, sed etiam non subditum bellare posse, quoties non se illi offert grauis aliqua ratio dubitandi de iniustitia belli. Et ita in hac re nullam esse distinctionem de militibus subditis, & non subditis, diximus *illo puncto* 8. *num.*4. esse valde probabile, cum Vasquez 1.2. *quæst.*19. *disp.*66. *cap.*9. *à num.*51. Salas *quæst.*21 *tract.*8. *disput. vnic. sect.*27. *num.*272. Suarez *de charit. disput.*13. *de bello, sect.*6. *num.*12. & Nauarr. *lib.*2. *de restit. cap.*3. *part.*2. *dub.*12. *à num.*160. Et insuper probo nullam esse posse distinctionem. Nam vel vterque miles tam subditus, quàm non subditus habet rationes dubitandi de iniustitia bene fundatas, vel non habet? Si primum dicas, nullus potest absque examine facto obedire, quia spoliare alios bonis fortunæ, honoris, & vitæ obseruandum

ius ſuperioris dubium, iniuſtitia maxima eſſe videtur. Si ſecundum dicas, cuilibet licet rationem minus fundatam,ſeu ſcrupulum deponere,& contra illum operari, & confirmo in ſententia Caietan. 2.2.*quaſt.*169. *art.*2.*circa ſolut.ad* 4.*dub.*2. quem ſequitur Thomas Sanchez *lib.*6.*in Decal.cap.*3. *n.*17. vt ſubditi dubium deponant,& militare poſſint,non indigent præcepto expreſſo ſuperioris, ſed ſufficit velle ſuperiorem, vt omnes milites neceſſarij bello ſe adſcribant. Ex ſola enim hac voluntate (quam vocat Sanchez tacitum præceptum) poſſunt ſubditi dubium deponere, & militare. Sed hæc voluntas non arctat ſubditos ire bellum, cùm quilibet poſſet abſque peccato illius executionem omittere. Ergo ſi ſubditis eſt efficax ratio deponendi dubium, etiam efficax erit non ſubditis.

4 Obiicies primò, Ergo quilibet miles poterit iam vni parti ſe adſcribere, iam alteri, ſi præſumere poteſt, quemlibet Principem præliantem iuſtè præliari.

Reſpondeo hoc intelligi non poſſe de militibus ſubditis: ij enim in aduerſam partem inclinare non poſſunt ob crimen læſæ maieſtatis, & inobedientiæ. Solùm ergo de militibus vtrique parti præliandi alienigenis poteſt eſſe dubium. Et tunc diſtinguendum eſt, aut bellum eſt aggreſſiuum, aut defenſiuum. Si aggreſſiuum ſit, efficaciores rationes, & ferè conuincentes debent milites habere, vt ſe poſſent ei parti adſcribere. Quia ſtat pro contraria parte poſſeſſio, & in dubio non debet ſpoliari; ſecus verò dicendum, quando bellum eſt ſolum defenſiuum.

Obiicies ſecundò, Nemini poſſeſſionem ſuffragari, cùm Princeps eo ipſo,quòd bellum indicit,priuat alterum Principem iure poſſidendi,& ad executionem ſententiæ à ſe prolatæ procedit bello.

Reſpondeo ſententiam,& iudicium vnius Principis, alteri non ſubiecto præiudicare non poſſe, neque tale iudicium dicendum eſt propriè ſententia, cùm ſit contra inauditam partem, & quæ non tenetur coram ipſo comparere. Ex quo fit ex vi illius non tolli poſſidenti poſſeſſionem, vt latiùs *illo puncto* 7. *ſuper diſput.* dictum eſt,& docet Salas *tom.*2.*tract.*8.*diſput.vnic.ſect.*13.*&* 26. *circa finem.*

Pro pleniori intelligentia huius diſputationis de dubia conſcientia inquiri poſſet, an dubium iuris, vel facti ſufficiat in materia irregularitatis, vt quis irregularis cenſeatur. Sed quia hæc dubitatio in materia irregularitatis ſibi vendicat proprium locum, ibi diſcutiendam remitto.

DISPVTATIO IV.

De conſcientia ſcrupuloſa.

PVNCTVM I.

Quis ſit ſcrupulus, & an contra illum quis agere poſſit.

1 *Definitur ſcrupulus.*
2 *Contra ſcrupulum agere licitum,& laudabile eſt.*
3 *Proponuntur quadam obiectiones. Fit illis ſatis.*

1 OMISSIS varijs ſententijs dicendum eſt cum communi, ſcrupulum eſſe leuem ſuſpicionem,ſeu exiſtimationem ex leuibus rationibus ortam,qua quis inducitur ad credendum,vel dubitandum eſſe peccatum, quod reuera non eſt. ita Vaſquez 1.2.*q.*19.*diſp.*67.*cap.*2.*n.*8. Salas *q.*21.*tract.*8. *diſp.vnic. ſect.*29.*n.*291. Valent. *diſp.*2.*q.*14.*punct.*4.*in fin.* Anton. Perez *certam.*10.*ſcholaſt.n.*40. Ioan.Sanchez *diſp.*41.*n.*2. Thomas Sanchez *lib.*1 *in Decal.cap.*9.*n.*2.*& lib.*2.*de matrim.diſp.*41.*n.*2.& alij ab eiſdem relati.

2 Agere contra ſcrupulũ non ſolùm licitum,ſed laudabile eſſe eſt ferè omnium ſententia,vt conſtat ex Doctoribus nuper relatis,& ex Nauarr.*ſum.prælud.*9.*n.*9.*& cap.*27.*n.*283.*& cap.ſi quis autem, de pænit.diſt.*7.*num.*64. Thom.Sanch. *in Decal.lib.*1.*cap.*10.*n.*80. Ioan.Sanchez *diſp.*41.*à n.*7. Ratio quia ſcrupulus non tollit iudicium certum, vel probabile de honeſtate actus, ſaltem per principia extrinſeca, ſeu ex authoritate aliorum; licèt illud iudicium ſuffocet aliquo modo,& quaſi denſis tenebris obnubilet. Aliàs ſi tolleret iudicium, iam non eſſet ſcrupulus,ſed dubium. Stante ergo iudicio certo, vel probabili de honeſtate actus, clarum eſt ſtare firmam regulam honeſtæ operationis. Ergo poteſt ſe illi ſcrupuloſus conformare. Quòd autem hoc ſit laudabile, ex eo conuincitur; quia oportet huiuſmodi dubitationes, & formidines, vtpote friuolas, & ſine ratione ſubortas ſedare: nullum autem efficacius remedium inueniri poteſt,quàm ſi illis ſcrupuloſus nõ acquieſcat. Ergo. Adde non ſolùm licitum, & laudabile eſſe, ſed aliquando obligatorium,agere contra ſcrupulum,videlicet, ſi ex anxietate ſcrupulorum graue damnum ſalutis ſcrupuloſus pateretur, aut ſe officio proprio præſtando inutilem redderet,aut à communione, vel confeſſione,aut alia actione ſub præcepto obligante retraheretur. ita Sayrus *in claui regia,lib.*1.*cap.*14. Valent.*ſuprà.* Salas *n.*298. Thom.Sanchez *n.*83. Ioan.Sanch.*n.*7. *fin.* Monteſ.1.2.*diſp.*29.*q.*6.*n.*255.

Ex hac doctrina conſtat neceſſarium non eſſe deponere ſcrupulum,vt recta ſit operatio: cùm enim ſcrupulus (vt dictum eſt) non conſtituat dubium formaliter, neque tollat aſſenſum oppoſitæ partis, nihil obſtat rectæ operationi. & ita tradunt Nauarr. Vaſquez, Valent. vterque Sanchez & alij *ſuprà.*

3 Sed obiicies primò,*cap.per tuas,de ſimon.*vbi quidam ordinatus ab Epiſcopo,qui dicebatur Simoniacus,permittitur in ſuſcepto ordine miniſtrare; non tamen ab eodem vlteriùs promoueri, niſi deponat errorem, qui error ex conſcientia nimis ſcrupuloſa ortum habuit, vt ibidem dicitur. Ergo facere contra ſcrupulum,illo non depoſito,non licet.

Reſpondeo ſic ordinatum non habuiſſe ſcrupulum, ſed errorem, etſi talis error ex conſcientia ſcrupuloſa ortum habuerit. Agere autem contra conſcientiam erroneam, errore non depoſito malum eſt, quia tollit iudicium certum,vel probabile de honeſtate actus, vt in 1.diſp.huius tract.diximus. Non tamen eſt malum agere contra ſcrupulum,illo non depoſito,quia ſcrupulus, cùm non ſit iudicium, ſed quædam leuis ſuſpicio, & formido, non tollit aſſenſum. Vt autem ſcrupuli non veniãt in errorem, debemus illis in principio obſiſtere.

Obiicio ſecundò *cap.inquiſitioni, de ſentent.excom.* vbi coniux dubitans de matrimonij valore, ſi ex leui,& temeraria credulitate dubitat; dicitur debere conſcientiam hanc leuem, & temerariam explodere, vt licitè poſſit non ſolùm reddere, ſed exigere debitum. Ergo iam ſcrupulus ad rectè operandum eſt deponendus.

Reſpondeo primò cum gloſſ. *ibid.* deberi huiuſmodi conſcientiam leuis, & temerariæ credulitatis explodi: quia illa conſcientia non ſcrupulus, ſed dubium, vel potiùs error erat, tollens contrarium iudicium de honeſtate actus.

Secundò reſpondeo cum Thom. Sanch. *in Decal.c.*10. *n.*81. conſcientiam ex leui,& temeraria credulitate ſubortam debere explodi quoad conſenſum in illam; non enim iuſtum eſt illi acquieſcere. At non eſt neceſſarium illam explodere quoad ſenſum,id eſt,illam non ſentire; vix enim poſſibile eſt agitatum ſcrupulis, illos ita à ſe explodere,vt eorum vexationem non ſentiat.

PVN

Pvnctvm II.

Quæ remedia scrupulosis sint adhibenda.

1 *Oportet scrupulum cognoscere, & quomodo cognoscendus sit.*
2 *Si scrupulus sit in rebus efficiendis, non debet scrupulosus in earum examinatione detineri.*
3 *Si de rebus præteritis, non debet casum facere, nisi res clara sit.*
4 *Non debent confessiones repeti ab scrupulosis.*
5 *Nec illorum dubia Confessarius semper audire.*
6 *Eorum dubitationes in mitiorem partem interpretandæ sunt.*
7 *Alia remedia videri possunt apud Doctores.*

1 VT remedia scrupulosis adhibeamus, curandum est, vt se scrupulosos esse cognoscant. Vt autem sic læsos se cognoscere possint, non suo iudicio, sed iudicio Confessoris, vel alterius viri docti, cui suam conscientiam sæpius declararunt, stare debent. Confessarius, vel vir doctus cognoscit aliquem scrupulis vexari, si deprehendat sæpiùs illum sine fundamento firmo existimare esse peccatum, quod re vera non est, vt notant ferè omnes Doctores suprà relati. Item scrupuli possunt esse in vna materia tantùm, vel in pluribus; sed de omnibus est idem dicendum, vt ex sequentibus constabit.

2 Si scrupuli sint de rebus efficiendis, eo quòd scrupulosi suspicantur se illa efficiendo peccare mortaliter, debet Confessarius scrupulosos monere, ne se in eorum examinatione detineant, sed si primo aspectu, vt illicita non cognoscunt certò, & sine formidine, credant licita esse. ita Vasquez *disput.*67. *cap.*2. *ad finem.* Azor *lib.*2.*cap.*20.*quæst.vlt.* Salas *conclus.*3. Thomas Sanchez *cap.*10. *num.*82. qui optimè addit cum Vasquez, aliquando posse aliquem ita scrupulis vexari, vt consuli possit, ne quid vt mortale reputet, quin iureiurando possit affirmare ita esse. Ratio est, quia scrupulosus capax non est examinandi rationes, cùm leues, & friuolæ, vt grauissimæ illi offerantur, & quanto intentiùs, & accuratiùs examinationi incumbit, tanto magis densissimis tenebris obuoluetur, vt experientia docet. Quòd si aliquando contingat hunc scrupulosum aliquid illicitum efficere, non illi est culpæ tribuendum, cùm ex recta intentione ob vitanda grauissima inconuenientia processerit, nullo modo facturus, si existimaret ibi aliquod malum adesse, ita ex Caietan. Cordub. & communi notauit Villalobos *tom.*1.*summ. tract.*1. *diffic.* 26. *vers. y notese mucho.*

3 Si verò scrupuli sint, vt sæpiùs esse solent de rebus præteritis, an scilicet consenseris in aliquam cogitationem turpem, blasphemiæ, desperationis, vel quid simile; tunc eadem regula seruanda est, vt nisi certò, & absque inuestigatione tibi constet consensisse, reputare potes non præbuisse consensum. ita Thomas Sanchez *suprà.* Azor *lib.*2. *cap.*20. *quæst.*7. Peccata enim mortalia de se ita manifesta sunt, vt primo aspectu, præcipuè à timoratis, cognosci possint.

4 Quòd si non de peccatis scrupuli sint, sed de obligatione inde consurgente, an scilicet confessiones factæ fuerint legitimè, hoc est, de omnibus peccatis, vel cum sufficiente examine, & dolore; nullo modo Sacerdos permittat repetere confessiones, quando constat mediocrem diligentiam in confessione facta adhibitam esse. Quia probabiliter, imò moraliter certò præsumere debet præcepto confessionis scrupulosum satisfecisse. Aliàs si confessionem permittet repeti; scrupulos in infinitum augebit, & facta vna confessione, de eadem ipsa vehementiori scrupulo agitabitur, an fuerit cum vero dolore, sufficiente examine, &c. Quapropter bene dixit Eman. Saa *verbo dubium, num.*5. *edit. Complut. & Rom.* scrupulosum non teneri fateri, nisi quæ potest iurare, & fuisse peccata mortalia, & se nunquam illa fuisse confessum: cui doctrinæ consentit Thomas Sanchez *suprà num.*85. Ioan. Sanchez aliis relatis *disput.*41. *num.*18. *&* 20. *fine.*

5 Aduertit Azor *suprà q.*7. Thomas Sanchez *num.*83. Ioan. Sanch. *n.*29. non debere Confessarium frequenter, & in plurimum dubitationes scrupulosi admittere, sed illum repellere etiam verbis asperis, vti Christus *Matth.* 8. discipulis timentibus naufragium dixit, *Quid timidi estis modicæ fidei?* id est, modicæ fiduciæ, siue confidentiæ; aliàs nunquam fons scrupulorum extingueretur.


6 Tandem dicunt, & bene supradicti Doctores, specialiter Azor, & Sanchez, debere Confessarium dubitationes scrupulosi hominis semper in mitiorem partẽ interpretari. Tum quia dubia in mitiorem partem interpretanda sunt, ex text. *in cap. estote, de reg. iur.* Tum & præcipuè, quia ipsemet scrupulus, & formido grauiora omnia repræsentat, quàm in se sunt, facitque trepidare, vbi nulla est occasio trepidationis, vel timoris.

7 Alia remedia videri possunt contra scrupulos in Laurent. Iustinian. *de disciplina Christianæ relig. cap.*12. Gerson *p.*2. *tract. de preparat. ad Missam, consid.*3. Syluest. *verbo scrupulus.* Villalobos *tom.*1. *sum. tractat.*1 *diffic.*27. Rodriq. *tom.*3. *qq. regul. q.*66. *art.*3. *per totam.* Salas 1. 2. *tract.*8. *de conscientia, disput. vnic. sect.*29. *circa finem,* & aliis ab eisdem relatis.



TRACTATVS SECVNDVS
DE PECCATIS, ET REQVISITIS AD ILLA.

PROOEMIVM.



HVnc tractatum triplici disputatione absoluemus.

In prima agemus de voluntario, & libero, & impedimento illius, scilicet vi, metu, & ignorantia. Peccatum enim esse non potest, quin voluntarium, & liberum sit, vt optimè tractat D. Augustinus *disput. 2. contra Manichæos, & lib. de vera religione cap.* 14.

In secunda disp. agemus de peccati natura, & essentia.

In tertia, de grauitate, & multiplicitate ipsius, & eius inter se distinctione; de quibus D. Thomas 1.2.*quæst.*71.*vsque ad* 88.

DISPVTATIO I.

De libertate humanarum actionum, & impedimentis illius, scilicet, vi, metu, & ignorantia.

PVNCTVM I.

Quid sit voluntarium, quid liberum, & quotuplex.

1 *Definitur voluntarium, & liberum.*
2 *Quotuplex sit voluntarium.*

1 VOLVNTARIVM (vt dicit Philosoph. 3. *Ethic. c.* 1. & ex illo ferè omnes Theologi cum D.Thom. 1.2.*q.*6.*art.*1. & ibi eius expositor) est à principio intrinseco cognoscente singula, in quibus est actio. Cognoscunt enim bruta animantia, conuenientiam, & disconuenientiam cibi, aliarúmq; rerum, & ratione illius cognitionis fugiunt nociua, prosequuntur conuenientia: fuga enim, & prosecutio illius voluntaria illis est, quia fit ab ipsis media cognitione conuenientiæ, vel disconuenientiæ; secus verò nutritio, & respiratio, quia esto fiat ab ipsis, non fit media cognitione: neque enim ad nutriendum aliqua cognitio requiritur. At ad amorem, odium, fugam, & prosecutionem, tristitiam, & gaudium alicuius obiecti necessariò cognitio est requisita. Et licèt ipsa cognitio non sit in voluntate, vel appetitu, casu quo potentiæ hæ ab anima distinguantur, non obest, quominus actus elicitus ab appetitu, & voluntate, sit voluntarius: quia est à principio cognoscente. Principium enim illarum operationum, non solùm sunt potentiæ illæ distinctæ, sed etiam ipsa anima, & cùm anima immediatè ad omnes potentiarum actiones concurrat, efficitur procedere illam actionem voluntatis, & appetitus, à principio intrinseco cognoscente.

Liberum autem superaddit voluntario expeditionem potentiæ ad agendum, & non agendum: quare, vt voluntas libera sit, requirit necessariò taliter ferri in obiectum: cognitum, vt possit non ferri. Ex quo fit omne liberum voluntarium esse; quia est à principio intrinseco cognoscente: & insuper potente ab actione cessare, non tamen omne voluntarium liberum esse, quia non omnes voluntatis, & appetitus actiones nobis subduntur, sic Azor *lib.* 1. *institut. moralium cap.* 3. *num.*4.

In communi tamen modo loquendi, cùm de actionibus humanis sermo est, pro eodem vsurpantur, vt constat ex D.Bernard. *in libello de lib. arbitr.* & D.Thom. *quæst.*77.*art.*6. & August. 3. *de lib. arbitr. cap.* 18.

2 Voluntarium, & liberum stat dupliciter, aliud directè voluntarium, aliud indirectè, aliud in se, aliud in causa. Directè voluntarium dicitur, obiectum immediatè à voluntate amatum, vel odio habitum. Indirectè, quod medio hoc obiecto appetit voluntas, v.g. vis inebriari? & hac ebrietate cognoscis pollutionem, vel homicidium sequendum: ebrietas est tibi directè, & in se voluntaria, pollutio, vel homicidium, solùm indirectè, & in causa. Debes tamen cognoscere effectum sequendum esse ex primo obiecto volito, aliàs, etsi sequeretur, tibi voluntarium non esset: qua ratione cùm pisces capiuntur hamo, captio illis voluntaria non est, quia non est cognita, etiamsi necessariò sequatur ex appositione cibi.

Est tamen maximè aduertendum, vt aliquid dicatur voluntarium indirectè, necessariò requiri, vt directè voluntarium causa sit physica, vel moralis illius indirectè, vt in exemplo allato contingit: ibi enim ebrietas, causa fuit physica, & moralis pollutionis, & homicidij. At quando aliquis effectus sequitur ex commissione aliqua directè volita, talis effectus non est voluntarius

omit

omittenti, nisi aliqua lege teneatur non omittere. v.g. Scis submergendam nauim, ni auxilieris, omittis auxilium, submergitur nauis, nauis submersio tibi voluntaria non est, nisi aliqua lege teneatis non omittere auxilium: quia vt esset tibi voluntaria submersio, debebas, vel esse causa physica, vel moralis illius: physica esse non potes, cùm nihil physicum producas, quo nauis submergatur: neque etiam esse potes causa moralis; cùm nullum sit præceptum, neque lex, vt suppono, quæ tibi submersionem prohibeat. Ergo non potes esse causa.

Deinde si tibi dicenda esset submersio nauis voluntaria, eo quòd posses impedire, & non impedisti, etiam Deo nostra peccata, vt peccata sunt, dicentur voluntaria, siquidem potens impedire, illa non impedit. Requiritur ergo, vt euentus ortus ex omissione aliqua, dicatur voluntarius omittenti, & quòd præuideatur sequendus ex omissione, & omittens possit, & teneatur impedire: & ita tradit S. Thomas 1. 2. *quæst.6. art.3. in corp.* Vasquez *ibid. disput.24.cap.3. à num.5.* Valent. *disput.5.num.1.* Salas *tractat.1. disput.1. sect.4.* Caietanus, Lorca, Medin. Zumel *in eod.art.* Ioan. Sanchez *disp.21. select.num.5.*

Insuper est aliud voluntarium, quod vocatur expressum, & aliud interpretatiuum: seu iuris fictione, & interpretatione, quia scilicet ius ipsum interpretatur te expresse consentire, etsi non consentias, quod contingit, cùm in præsentia alicuius efficitur actus ad ipsum pertinens, ipséque tacet, consentire censetur: ex *reg.iur. in 6. Qui tacet*, &c. & ex *l.qui tacet, ff.de regul.iur.* de quo multa glossa *ibi*, Baldus, Abbas, & Felin. *in cap.nonne bene, de præsumpt.* Bart. *in l.quæ dotis, ff.solut.matrim.* & multis exornat Azor *toto cap.4.lib.1 instit.moral.*

Pvnctvm II.

Qua ratione voluntas, cùm non sit, permanere dicatur.

1 *Quid est permanere voluntas in virtute.*
2 *An permaneat voluntas, ex eo, quod retractata non sit.*

1 Dvpliciter permanere voluntas potest, cùm non sit. Primò, si permaneat in virtute, id est, in aliquo effectu ab ipsa voluntate priori producto, ex quo tanquam ex effectu ad aliud agendum excitamur. Exemplis explico. Vis celebrare, sacrarium petis. Ornamenta induis, sacrum incipis: adueniente tempore consecrationis omnino es distractus, consecrasti. Quia prior illa voluntas consecrandi virtute, & potestate perseuerauit, quia perseuerauit in aliquo effectu à te producto. Idem est cùm officium diuinum vis persoluere; & ex hac intentione librum accipis, etiamsi postea cùm recitas, animo diuageris, officio satisfacis. Hac ratione voluntarius quis Romam pergit, etiamsi dum comedit, & dormit, & iter facit Romæ non recordetur, quia à principio voluntatem eundi Romam habuit, & ex illa voluntate iter incipit, ex qua inceptione reliqua fuerunt subsecuta: & in hoc ferè omnes conueniunt, Gabr. *2.d.41.quæst.1.art.3.dub.2.* Altisiodor. *in sum.lib.2. tract.29.cap.3.quæst.3.* Bonauent. *2.sentent. d.4. art.1.q.3. ad vltimum argumentum.*

2 Secundò dici potest permanere voluntas, ex eo præcisè, quòd non fuerit retractata, si voluntas absoluta sit. Vt si absolutè velis omnia opera in Deum referre, talis voluntas censetur permanere, quousque per contrarium actum eam retractes. Verùm si absoluta non sit voluntas, sed pro aliquo determinato tempore, aut determinatis personis, censetur voluntas permanere, quovsque tempus finiatur, & executioni res mandetur, vt si ex affectu charitatis in Deum promiseris omnibus pauperibus tibi occurrentibus in aliqua peregrinatione eleemosynam elargiri, & oblitus talis voluntatis pauperi indigeno ex affectu subleuandi eius miseriam tribuas eleemosynam; talis actus non solùm in specie pietatis, sed etiam charitatis censeri debet constitutus. ita Altisiodor. *in summ.lib.2.tract.29.cap.3.quæst.3.*

Hic secundus modus permanentiæ mihi non probatur absolutè; aliàs si idololatra omnia sua opera in idolum referret, censendus esset semper peccare, etiam cùm opera aliàs bona, & honesta vel indifferentia efficeret. Quapropter distinctione opus est in hac materia: sunt enim aliqua opera, quæ solùm in recipiente requirunt interpretatiuum consensum, & respectu horum voluntas permanere dicitur, etiam si actu non sit, neque in aliquo effectu producto: qua ratione qui voluntatem habuit baptizari, confirmari, vngi, & repentè priuatus est sensu, potest baptizari, absolui, & vngi, iuxta *cap. agrotantes, & cap.paruuli, de consecrat. distinct.4. & cap.maiores, §.vlt.de baptismo.* At alia opera, quæ non tam in receptione, quàm in actione consistunt, non sufficit habuisse voluntatem, & non retractasse, vt censeatur semper perseuerare, sed necessariò debet esse aliquis effectus mediatè, vel immediatè ex tali voluntate dimanans, ratione cuius censeatur voluntas durare, & opera subsequentia denominare. ita Azor *lib.1. instit. cap.3. quæst.2. §.tertiò diuiditur, & cap.6.circa finem, & cap.7.post medium, & cap.8.per totum.*

Pvnctvm III.

An effectus, vel omissio orta ex aliqua actione voluntaria imputetur ad culpam, quando actu vitari non potest.

1 *Proponitur status quæstionis.*
2 *Pœnas iuris contrahis, qui causam voluntariam dedit homicidio. Vbi apponuntur limitationes.*
3 *Euentus contingens, quando euitari non potest, non addit malitiam causæ prius appositæ.*
4 *Retractata voluntate, non censetur voluntarius.*
5 *Euentum ortum ex causa voluntaria, qui impediri non potest, non esse peccatum, qui dicant.*
6 *Probabilius est esse peccatum.*
7 *Hos effectus, vel omissiones confitendas esse.*
8 *Respondetur argum.num.5.adductis.*

1 Percussisti Petrum. Moritur, cùm iam mortem impedire non potes. mors ne Petri tibi culpæ imputanda est? Noluisti scire, cùm posses, obligationem tui officij: adueniente tempore obligationis aliò diuagaris, immemor prorsus obligationis, omissione illa est tibi imputanda? Item inebriaris sciens inebrietate pollui, blasphemare, maledicere, occidere. Súntne omnes illæ actiones verè tibi culpabiles.

2 In hac quæstione, vt certa ab incertis separemus, conueniunt omnes Doctores talem effectum, quoad pœnas iuris tibi imputari, & quoad obligationem reparandi damna inde prouenientia. Vnde si homicidio, pollutioni, aut alteri crimini sit pœna excommunicationis, suspensionis, aut irregularitatis annexa, & in effectu sequuta ex actione voluntaria, suspensionem, excommunicationem, aut irregularitatem contrahis. Quia illa pœna non tam propter affectum voluntatis, quàm propter effectum ex praua voluntate ortum imponitur. sic Azor *tom.1. lib.1. cap.7. vers. quod si obijcias.* Vasquez *disput.94. cap.4.in fine.* Thomas Sanchez *lib.1. in Decalog. cap.16. fine.* Villalobos *tom.1.summ.tractat.3. difficult.6. num.5.* Salas 1. 2. *tractat.7. disput.6. sect.8.* & alij.

Ab hac regula generali excipiunt aliqui pœnam excommunicationis (& idem est de suspensione, & interdicto

dicto quatenus censuræ sunt) casu quo doleas, & pœniteas causæ datæ, quia tunc contumax non es, neque inobediens Ecclesiæ mandatis. Non igitur debes excommunicari, excommunicatio enim solùm ob contumaciam,& inobedientiam imponitur.

Et confirmo. Existens in excommunicatione, si pœniteres, statim deberes absolui: quia excommunicatio solùm imponitur ad reprimendam contumaciam, qua cessante, tollenda est: si ergo antequam contrahatur, iam non es contumax; vt quid ergo medicinalis pœna tibi est applicanda,cùm medicina non indigeas. Et hæc limitatio saltem pro foro interiori mihi satis probabilis apparet,quámque tenet Ioan.Andr. & alij,quos refert,& sequitur glossa *in cap.cùm quis,de sententia excommunicationis. in 6.* Innocent. *in cap. mulieres, de sententia excommunicat.* Tabiena *excommunicat.5.casu* 1.

Secundò limitanda est doctrina ad aliqua peccata, quæ necessariò actualem libertatem requirunt: quales sunt hæresis, contumeliæ, iuramenta, & similia: hæc enim facta in ebrietate, neque hæresis, neque contumelia, neque iuramenta formaliter sunt, ac proinde sic proferentes ligari non possunt pœnis illis annexis. & ita docet Ioan. Sanch. *disp.20. num.5.* Vasquez 1.2.*disp.127.cap.3.num.*11.Thom.Sanch. *lib.1.in Decalog.cap.16. fine.* Suarez *tom.2.de religione lib.3.de iuram.cap.8.num.6.* Verùm etsi hæresis, aut iuramenti falsi,vel blasphemiæ propriè rationem non habeant;habent tamen cuiusdam moralis irrisionis, & irreuerentiæ Deo factæ, ratione cuius voluntas illas causandi, est mala & peccaminosa; vt idemmet Ioann.Sanch.notat *num.*2.& Thom.Sanch. *in Decalog.cap.16. num.44.* cum Toleto *in sum. post 7.lib. tract. de sept. peccat. mort. cap.61. num. 5.* Solùm excipi possunt contumeliæ homini dictæ in ebrietate, quæ si nullum secretum peccatum,aut defectum detegant,potius vt facetiæ, quàm vt contumeliæ reputantur,etiam ab his,aduersùs quos dicuntur, vt benè Thom.Sanchez *in Decalog. suprà num.44.* aduertit.

3 Secundò conueniunt Doctores (paucis exceptis) euentum contingentem eo tempore, quo euitari non potest, nullam addere grauitatem, vel malitiam causæ priùs appositæ. Nam cùm nullam addat denuò libertatem, quæ fundamentum bonitatis, & malitiæ est, nullam potest addere malitiam. ita D.Thom. *4.distinct.27. q.2.art.2.quæstiunc.4.ad* 2. Zumel *quæst.71. art.5. disp.6.* Salas aliis relatis 1.2.*tract.13.disp.2. sect.9.n.*114.Suarez *2.tom. de relig. lib.3. de iuram. cap.7. num.7.* Vasquez 1.2. *disp.94.cap.3.n* 9.Thom.Sanchez *lib.9.de matrim.disp.45. loquens de pollutione in somnis num.28.& lib.1. in Decalog. cap.16.num.45.* idémque fateri tenentur, qui dicunt hos euentus non esse peccata, etiam determinatiuè à causa, sed esse effectus peccati,quos statim referemus.

4 Tertiò certum esse debet retractata per pœnitentiam priori voluntate, effectum sequutum naturaliter ex causa priùs liberè apposita, non esse imputandum culpæ. sic Thom.Sanchez pluribus relatis *lib.9.disp.45. suprà num.29.* Azor *lib.1.instit.cap.7.quæst.vnica, §.in hac re.* Salas *suprà num.116.* Villalobos *tract.3.diff.6. num.4. conclus.3.* Ratio est, quia tunc causa apposita voluntaria non est, cùm iam sit reuocata. Ergo licèt effectus oriatur ex causa apposita, non oritur ex illa tanquam ex causa voluntaria, ac proinde voluntarius non est. Exemplo rem declaro. Dedisti mandatum alicui,vt nomine tuo matrimonium cótraheret, pœnitet mandati, illúdque reuocas, at intimare non potes mandatario reuocationem; sed potiùs ille virtute prioris mandati contractum celebrat,ille contractus etsi à causa voluntaria ortum habuerit, tibi voluntarius non est. Ergo optimè potest causa in ratione voluntarij reuocari, etiamsi effectus eodem modo naturaliter sequatur, ac si reuocata non esset.

5 Difficultas ergo est, an euentus ortus ex causa voluntaria, quando reuocata non est, neque impediri potest, censendus sit peccatum, eo modo, quo censetur actus exterior cum interiori idem peccatum constituere?

Negat Vasquez 1.2.*disp.94.cap.3.* aliis relatis, *& disp.73.cap.9.num.46.&* 47.Couarr.*Clem.si furiosus,3.p.initio, num.4.* Sayrus *lib.2.cap.6.num.15.* Azor *lib.1.cap.7.quæst. vnica post medium, & lib.4.cap.3.quæst.4.*

Fundamentum huius sententiæ est, quia non potest dici aliquis peccare actu,quin actu possit impedire peccatum; aliàs ex necessitate peccabit. Quod videtur absurdum, & contra naturam peccati; sed pro illo tempore, quo dormit, non habet potestatem homicidium, vel pollutionem impediendi. Ergo non potest illo tempore peccare, etiam per denominationem extrinsecam à causa apposita. Et confirmo. Ideo actus exterior etsi malitiam non habeat distinctam ab actu interiori, est peccatum, quia absolutè cum sit, impediri potest; sed hic euentus,(vt supponimus)impediri non potest. Ergo non est peccatum etiam per denominationem extrinsecam à causa data, sed ad summum erit effectus peccati. Adde,quòd si euentus ortum habeat ex causa,vel aliunde impediatur, per accidens est causæ datæ. Ergo tota ratio peccati in appositione causæ sita fuit, neque inde in euentum deriuari potest.

Quòd si aduersùs hanc sententiam obiicias inferri ex illa nullam esse obligationem confitendi euentus ortos ex causa voluntaria, etiam non retractata, quando impediri non possunt,si quidem nullus tenetur confiteri effectus peccati, sed peccatum. Non renuit Vasq. *disp.94.cap.4 num.26.* concedere illationem. Idem concedit Ioan.Sanch.loquens de iuramentis falsis,blasphemiis, & hæresibus tempore ebrietatis factis, *disp.20.n.5. fine.* Suarez similiter de iuramentis indeliberatè factis, *tom.2.de religione lib.3.cap.8.num.5.* & sententiam Vasq. probabilem reputat Thom. Sanchez *lib. 1. in Decalog. cap.16.num.46.circa finem.*

6 Verùm contraria sententia mihi probabilior apparet. Affirmo namque euentum ortum ex causa voluntaria apposita,etiamsi tunc impediri non possit, peccatum esse, & demeritum, non in se, sed in causa, hoc est, denominatione extrinseca à causa. sic glossa *cap. quia verò, fine, dist.6.* Sotus *4. dist.12. quæst.1. art.7. §. primum omnium, propositione 1.& 2.* Med. *1.2.quæst.71.art.5. dub. vlt.conclus.2.& 4.* Valent. *disp.6. quæst.1. p.4.dub.3.* Henriquez *lib.8. summ. cap.51. num.2. in comm. litt.I.* Thom. Sanchez *tom.3.de matrim.lib.9.disp.45. num.18.* Salas innumeros referens *tract.13. disp.2. sect.9. num.109.* Villalobos *tract.3.diff.6.num.3.*

Ratio est, quia vt peccare quis dicatur denominatione aliqua extrinseca, non est necessaria actu libertas, sufficit esse moraliter,& in virtute,sicuti ad consecrandum, & administrandum quodlibet aliud sacramentum, & satisfaciendum præcepto recitandi, non requiritur actualis intentio, sed sufficit in virtute. Et confirmo exemplis. Seruus, qui contra mandatum domini dormiret, verè diceretur peccare in tali somno, etiam si postquam causam dedit, non fuerit in sua potestate excitari. Item procurans pollutionem in vigilia, & causam apponens, vt sequatur, tunc diceretur peccare in tali somno,etiamsi postquam causam dedit,non fuerit in sua potestate excitari. Item procurans pollutionem in vigilia, & causam apponens, vt sequatur, tunc diceretur peccare, cùm se polluit, quia semel posuit causam, esto causa posita pollutio impediri non possit. Idémque est de mandante occidere alium,si homicidium à mandatario exequatur, quando mandans dormiret,vel alia via impotens esset impedire; & à fortiori cùm emittit sagittam, vel propinat venenum, non dicitur peccare cùm percutit,& occidit, quia proiecta sagitta,& propinato veneno, non est in voluntate

percussio

percussionem, vel mortem impedire. Quæ omnia concessu sunt difficilia, & ferè contra communem sensum. Ergo affirmandum est verè esse peccata non in se, sed in causa, & per malitiam à causa deriuatam.

7 Ex qua doctrina infero obligationem esse confitendi huiusmodi euentus ortos ex causa voluntaria non retractata. Aliàs ferè nunquam quis teneretur confiteri pollutionem, & occisionem alterius, sed solùm dedisse causam pollutioni, vel occisioni: quia data causa pollutio, vel occisio impediri non potest, quod est contra communem sensum. & ita hæc esse fatenda supponit Sotus *in 4. d. 12. quæst. 1. artic. 7. versic. hinc fit.* Ludouic. Lopez 1. *part. instruct. cap. 31. §. præterea quia omnibus, & 2. part. cap. 76. de Eucharist. §. sequitur etiam 2.* Ledesma 1. *p. 4. quæst. 21. art. 7. dub. 1. §. & ad argumenta.* Thomas Sanchez *tom. 3. de matrim. lib. 9. disput. 45. n. 30.* Si tamen reuocata fuerit voluntas, quando homicidium, vel pollutio sequitur, existimo non esse obligationem confitendi, vt docet Azor *lib. 1. cap. 7. fine.* & vt probabile, & securum reputant supradicti Doctores, quia tunc neque pollutio, neque homicidium apponenti causam tribuenda sunt, tanquam voluntaria, cùm voluntatem retractauerit.

8 Ex his facilè respondetur argumentis pro sententia Vasquez adductis, peccare enim potest aliquis non in se, sed denominatiuè à causa, etiam si pro tunc impediri non possit peccatum, sufficit enim potuisse impedire, & non fecisse.

Ad confirmationem dico actum exteriorem peccatum esse, non quia potest pro tunc impediri, sed quia à causa in se voluntaria ortum habet.

Ad secundam confirmationem dico euentum contingentem per accidens esse causæ appositæ, & malitiæ illius, sine illo enim non esset malitia, sic enim esset tota malitia peccati in actu interiori, etiam si exterior diuinitus impediretur. At cùm non impeditur malitia actus interioris, informatur; sic similiter ex euentu orto ex causa voluntariè apposita tota malitia residet in causa, neque ex euentu sequuto aliquid causæ accrescit. At posito euentu à malitia causæ, malus ipse denominatur.

PVNCTVM IV.

An voluntas in se & in potentiis sibi subiectis pati possit aliquam vim.

1 *Quoad natiuam inclinationem non potest pati vim.*
2 *Quoad appetitum elicitum vim pati potest.*
3 *A nullo agente creato voluntas necessitari potest.*
4 *Vis, & violentia non præsumitur.*

1 CLara est resolutio voluntatem quoad natiuam inclinationem nullam in suis actionibus vim pati posse. Quia vis est, quod est à principio extrinseco passo non conferente vim, vt dicit Aristot. 3. *Ethic. cap. 2.* sed cùm voluntas consentit, vel dissentit, iam ipsa voluntas confert vim, siquidem elicit illum actum. Ergo non est ei vis illata in tali actu. Quòd si dicamus aliquem actum amoris, vel odij à solo Deo effectum imprimi voluntati; adhuc neque voluntas quoad natiuam eius inclinationem pateretur violentiam, illum recipiendo; quia non esset talis actus contra inclinationem ipsius voluntatis, cùm voluntas non magis vnum, quàm alium actum appetat; sicuti materia prima, quia indifferens est ad quamlibet formam, in nullius receptione patitur violentiam. ita Vasquez 1. 2. *disp. 26. cap. 2. n. 12.* Azor *lib. 1. instit. cap. 9. quæst. 1.* Salas pluribus relatis *q. 6. art. 5. tract. 3. disp. 2. sect. 4. concl. 4. n. 66.*

2 Verùm si voluntas consideretur secundùm suum appetitum elicitum, potest & in aliis facultatibus, & potentiis sibi subiectis, & in se ipsa violentiam pati; si enim renuente voluntate alius tuam manum moueat, talis motio violenta est voluntati: quia est ab extrinseco principio voluntate non conferente vim, sed potiùs renitente; & in hoc non potest esse dissensio. Hac igitur ratione potest voluntas pati violentiam in actibus à se elicitis; si enim voluntas vellet non habere amorem alicuius obiecti, & à Deo talis amor infunderetur; amor ille violentus esset voluntati, quoad appetitum elicitum, etsi non esset violentus, quoad appetitum naturalem, vt probat Salas *suprà conclus. 2. num. 66.* Hæc tamen non est propriè violentia, vt bene dicit Vasquez *suprà cap. 2. num. 14.* quia non est ita ab extrinseco, quin passum conferat aliquam vim.

3 Vnum autem est certum, & rebus moralibus necessarium, à nullo agente creato voluntatem cogi, aut necessitari posse; etsi cogi, & necessitari possint aliæ facultates sibi subditæ. Quare cùm peccatum in voluntate consistat, & sine illius consensu esse non possit, efficitur neminem cogi posse ad peccandum. ideóque rectè dixit Augustinus relatus *in cap. de pudicitia, 32. q. 5. Corpus mulieris non vis maculat, sed voluntas; & in cap. ad Deum, eadem causa, & quæst. tantum enim in mente valet integritas castitatis, vt illa inuiolata, neque in corpore possit pudicitia violari, cuius membra potuerunt superari*; aliáque multa in hanc partem ex Ambros. & aliis pluribus adduci possent, quæ relato loco videnda sunt.

4 Aduerto tamen nunquam violentiam præsumi, nisi probetur, *cap. causam matrimonij, de offic. deleg. & ex l. merito, ff. pro socio.* Si enim delictum nunquam præsumitur, à fortiori neque hoc delictum, quod naturæ contrarium est, erit præsumendum. & ita tradit Menochius *consil. 2. num. 326.* Alciat. *respons. 504. num. 7.* & alij quos refert, & sequitur Mascardus *verbo violentia, conclus. 1416. num. 1.*

PVNCTVM V.

An ira, concupiscentia, aliáve passio causet inuoluntarium.

1 *Non causare inuoluntarium.*
2 *Minuit liberum, auget voluntarium.*
3 *Contractus facti spe acquirendi præmium validi sunt.*
4 *Extorta blanditijs obnoxia non sunt restitutioni.*

1 SAnctus Thomas 1. 2. *quæst. 6. art. 7.* respondet iram, concupiscentiam, & quamlibet aliam passionem non causare inuoluntarium, sed magis voluntarium. Et quidem si voluntarium pro libero accipiatur, nemini dubium esse potest, regulariter loquendo, iram, concupiscentiam, aliámve passionem non ita deturbare mentem, quin voluntas libera relinquatur, vt possit passioni resistere: eáque de causa rectè dixit D. Thom. concupiscentiam non causare inuoluntarium, sed magis voluntarium.

2 Dubitant tamen Doctores, an posito quòd inuoluntarium non causet concupiscentia, minuat tamen illud?

Breuiter respondeo, si voluntarium pro libero accipiatur, sine dubio minuitur ex concupiscentia antecedenti voluntatem; concupiscentia enim alicuius obiecti non sinit intellectum difficultates considerare, quæ possent ab eius prosecutione remouere, & consequenter non reddere voluntatem ita expeditam ad operandum. Ideóque dixit Philosophus, *Trahit sua vnumquemque voluptas.* Qua ratione leuiora iudicantur peccata, quæ ex aliqua passione fiunt, quàm quæ solùm ex malitia, & iuramenta, vel vota facta passione aliqua prædominante faciliùs relaxantur, quia non censentur ita liberè facta. Infertur ergo iram, & concupiscentiam, &

& quamlibet aliam passionem voluntarium liberum minuere. & ita docet D.Thom. *suprà*. Valentia, Vasquez, & Medina *ibi*. Azor *lib.1.c.17.quæst.1*. Salas *tract.3.disp.3. sect.1.num.47.§.dico 3*. Villalobos *tract.3.diff.7.num.5*.

Verum si voluntarium non sumatur pro libero, sed pro eo, quod oritur à principio intrinseco cum cognitione, concupiscentia, ira, & quælibet alia passio voluntarium augebit potius, quàm minuet: quia experimento constat ea, quæ ex passione appetimus, efficacius appetere. & ita docuit Nauarr. *sum.prælud.6.num.7*. Villalobos, Valentia *suprà*. Salas *num.49.conclus.4*.

3 Ex hac doctrina infero contractus factos spe acquirendi aliquod præmium validos esse, & firmos; quia talis spes non minuit voluntarium, sed potiùs auget, & liberum non tollit: qua ratione si profitearis religionem spe consequendi prælatiam, valida est professio, vt docet Nauarr. *com.2.de regularib.num.67.vers.Addo decimotertiò*. Item si instituaris hæres, si Mariam duxeris, valet matrimonium, vt latè probat Sanchez *lib.1. de matrim. disp.33.num.7*. quia non obligaris ad matrimonium pœna amittendi lucri, ad quod habeas ius, sed potiùs spe, & concupiscentia præmij tibi non debiti.

4 Secundò infero, extorta blanditiis, & amatoriis verbis obnoxia restitutioni non esse, ac proinde si meretrices vltra stipendium sibi debitum, blandis, & amatoriis verbis extorqueant, restituere non debent, quia non inferunt inuoluntarium; secus verò si dolo, & fraudibus, vt si dicerent se à nemine esse cognitas, vel non nisi à Principe. sic tenent Sotus *lib.4. de iustitia quæst.7.art.1.in solut.ad 2*. Mol. *tom.1.de iustit.tract.2.disp.94.§.si fornicariè*. Gutierr. *qq. canon.lib.1.cap.37. num.19*. Ban. *2.2.q.62.art.5. dub.5. conclus.2*. Salon *ibi controuersia 4. post 3.concl*. Thom.Sanch. plures alios referens *lib.4.de matrim.disp.11.num.2*. Ex qua doctrina infert etiam ipse Sanchez, cum Gregor.Lop. Auiles, Montalto, Menoch. & aliis, non vitiari testamentum, quod vir ductus blanditiis vxoris in ipsius fauorem confecit, quia non efficiunt inuoluntarium.

Pvnctvm VI.

Quid sit metus, & an causet inuoluntarium, vel saltem illud diminuat.

1 *Extenditur definitio metus.*
2 *Quotuplex sit metus.*
3 *An electio maioris mali, vt minus vitetur, sit aliena à viro constante.*
4 *Qua ratione metus causet inuoluntarium.*
5 *Explicatur in quo consistat inuoluntarium.*

1 Metus est instantis periculi, vel futuri causa mentis trepidatio. ita Vlp. *in l.1.ff. de eo quod metus causa*. Debet enim esse malum instans, seu mox futurum: remotum enim (etsi graue sit) mentem non turbat, quia non apprehendimus efficaciter euentum, & tradit optimè glossa *in cap.ad audientiam, de his quæ vi, metúsve causa fiunt, verbo causa*. Si tamen daremus malum probabiliter euenturum fore etiam post longum tempus, neque facile occurri posse, satis esset, vt vir constans timere illud possit. Et ratio est, quia tunc non tam malum, quàm suspicio probabilis illius metum inducit. iuxta *l.nouissimè ff.quod falso tutore*. ibi, *quid enim si metu compulsus, aut metuens ne compelleretur*, & tradit Sanch. innumeros referens *lib.4.disp.1. num.17*. Basil. de Leon *lib.4. disput.1.num.17*. Neque obstat *l.metum præsentem ff.de eo quod metus causa*. vbi negatur suspicionem metus sufficere, sed intelligi debet de suspicione vana, & non benè fundata, vt Basil. & Sanch. *suprà* explicant.

2 Duplex est metus, alius grauis, alius leuis, alius iustus, alius iniustus, alius probabilis, alius improbabilis, alius cadens in virum constantem, alius in inconstantem. Metus grauis, iustus, probabilis, cadens in virum constantem idem est diuersis modis appellatus. Dicitur grauis, quia est de graui malo; iustus, & probabilis, quia iustè, & probabiliter leges sic operantem excusant. Cadens in virum constantem, seu constantissimum, (quod idem est) vt dixit Iurisconsultus *in l.metum la 2. ff. de eo quod metus causa*, qui fortitudini, & constantiæ non obstat. non enim sic operans amittere debet constantiæ, & fortitudinis laudem, cùm timore maioris mali minus malum subeat, si enim quis patiatur iacturam bonorum, ne vitam amittat, & vitam, ne peccatum perpetret, fortis, & constans debet reputari. Econtra metus leuis, & vanus dicitur, qui de leui malo, & non timendo habetur; iniustus, & improbabilis, quem nec iura approbant, sed potiùs improbant, vt iniustum, & motum ex illo, vt inconstantem censent.

3 Hinc oritur difficultas, an si eligas maius malum, vt vites minus, v. g. peccatum, vt vites infamiam, vel amissionem bonorum, vel mortem, censearis moueri metu viri constantis? Communis sententia negat, saltem si admittas peccatum mortale, quia contra virtutem constantiæ facis, cùm maius malum minori præponas, & iacturam animæ præferas iacturæ corporis. ita docent innumeri relati à Sanchez *lib.4. de matrim. disp.2.num.1*. Valent. *3.part.disp.10.quæst.3.p.2*. Comitol. *lib.2.respons.mor.quæst.2.§.quintum quæsitum*. Verùm mihi dicendum videtur grauem metum secundùm leges, & iura, & in ordine ad contractus non esse considerandum comparatione electionis, sed comparatione obiecti: atque adeò si obiectum graue sit, & de se sufficiens mouere quemlibet virum constantem, etiamsi minus malum sit, quàm quod de facto eligis. Sine dubio erit metus cadens in virum constantem, saltim legaliter, quia leges ciuiles, & Ecclesiasticæ rescindentes contractum ex metu, non attendunt, an constanter, vel inconstanter secundùm mores patiens metum procedat, sed an grauiter lædatur eius voluntas: cùm autem hæc grauis læsio contingat, siue eligas peccatum, siue non, dicendum est esse metum sufficientem viri constantis. & ita docet Thom.Sanchez *lib.4. disp.2. num.3*. Basilius de Leon *lib.4.cap.3.num.2*.

4 An verò metus causet inuoluntarium?

Respondeo cum D.Thom. & communi Theologorum sententia *1.2.quæst.6.art.6*. facta ex metu voluntaria esse simpliciter, & absolutè, & secundùm quid inuoluntaria. Quia ea, quæ fiunt ex metu, absolutè ex voluntate fiunt, cùm possent non fieri. Eligitur enim, v.g. ad vitandam mortem iactura bonorum, quæ poterat non eligi; eligitur voluntariè, & liberè simpliciter. At quia cum tristitia, & displicentia eligitur, eo quòd incommoda, & molesta reputatur, ideo talis electio mixta est inuoluntario. Qua de causa *in l. cum proponas. C. de hered.instit*. dicitur: *potuit enim quamuis iubente domino nolle adire. & in l. si mulier 21.§.si metu coactus el 2. ff. de eo quod metus causa*, dicitur, *quia quamuis, si liberũ esset, noluissem, tamen coactus volui*. Ergo voluntas coacta, voluntas est, vt dicitur *in cap.merito 15.q.1*.

5 Sed adhuc non videtur satis explicatum in quo sita sit ratio huius inuoluntarij; non enim consistere potest in electione minoris mali, ex affectu vitandi maius: nam vitare maius malum, bonum quid est, & à voluntate appetendum. Ergo etiam est appetendum medium necessarium ad consecutionem huius finis: cùm autem electio minoris mali sit medium necessarium; efficitur sanè hanc electionem appetendam esse, ac proinde non posse esse vllo modo inuoluntariam, sed summè voluntariam.

Dices, verum esse electionem minoris mali non posse esse inuoluntariam, ex affectu vitandi maius malum, seu quatenus est medium ad vitandum illud. At esse inuolun-

uoluntariam secundùm se, eo quòd non eligeretur, si malum illud vitari alia via posset: non enim proiiceres merces in mare, si mortem sperares vitandam absque illa iactura; neque potionem sumeres, si ab infirmitate æquè liberareris.

Sed contrà. Nam vel habes hunc actum; non facerem bonorum iacturam, nisi ad vitandam mortem, vel non habes. Si non habes, iam electio minoris mali non erit vllo modo inuoluntaria formaliter, cùm non sit repugnans voluntati, etiam secundùm actum elicitum, sed ad summum erit inuoluntaria, virtualiter, & interpretatiuè; quatenus censetur voluntas sibi relicta, secluso illo timore maioris mali non factura talem electionem: si verò habes illum actum conditionatum, præterquam quòd non videtur necessarius, vt voluntas inuoluntaria aliquo modo sit, est repugnans honestati debitæ, & rectæ rationi, vt si quis ex timore æternæ pœnæ obseruaret diuina præcepta, aliàs non obseruaturus, peccaret quidem mortaliter, & in illam pœnam incideret medio illo actu conditionato, quam obseruando præcepta intendebat vitare. Quapropter existimo ad rationem inuoluntarij secundùm quid sufficere, si quis prosequatur obiectum, in quo per simplicem displicentiam displicet. Negari enim non potest Susannam à peruersis iudicibus incitatam, vt in libidinem consentiret, electionem mortis sibi imminentem, grauem illi, & molestam esse, ac proinde posse simplici affectu in illa displicere: sed quia huiusmodi displicentiam, præcepto Domini, & timore mortis æternæ vicit, ideo talis electio voluntaria, & meritoria fuit, neque ex inuoluntario adiuncto ratio meriti fuit illi minuta. sic explicant voluntarium Vasquez 1.2. *disp.27. cap.1.* Salas *tract.3. disp.3. sect.2. n.40.*

Pvnctvm VII.

Quæ conditiones requirantur ad metum iustum.

1 *Apponuntur conditiones ad metum.*
2 *Quæ inducant grauem metum ex communi sententia.*
3 *Examinatur an timor infamiæ iuris, vel facti cadat in virum constantem.*
4 *Quid dicendum de metu excommunicationis.*
5 *An timor reuerentialis cadat in virum constantem? Proponuntur variæ sententiæ.*
6 *Resolutio quæstionis.*
7 *An preces importunæ inducant metum grauem.*
8 *Vnde præsumitur executurus malum, qui minatur? Proponitur communis sententia.*
9 *Resolutio dubij.*
10 *Grauitas metus, an secundùm se, an per ordinem ad personam desumatur.*
11 *Resoluitur quæstio.*
12 *Malum, quod timetur, sufficit, si in persona filiorum, nepotum, &c. timeatur.*
13 *Arbitrio prudentis grauitas metus desumitur.*

1 TRes cõditiones sunt necessariò requisitæ. Prima, vt malũ, quod timetur, graue sit. Secunda, vt incutiens potens sit, & præsumatur probabiliter executurus. Tertia, vt patiens metum resistere facilè non possit.

2 Circa primam conditionem ferè omnes Doctores conueniunt, timorem mortis, mutilationis, verberationis, grauis seruitutis, captiuitatis, carcerationis diuturnæ, stupri, seu violenti coitus, propter periculum consentiendi, amissionis nobilitatis, vel instrumentorum, quibus nobilitas defendi possit, amissionis status bonorum omnium, vel maioris partis illorum esse timorem cadentem in virum constantem. Hæc enim omnia, & quodlibet illorum grauissimum damnum est, meritóque timeri potest à viro constante. Quæ omnia constant ex *l. nec timorem 7. ff. de eo quod metus causa, l. isti quidem, l. ego puto, eodem tit. & l.7. tit.33. part.7. & ex cap. cùm dilectus, de his quæ vi*; & tradit innumeros referens, & latè probans Thomas Sanchez *lib.4. de matrim. disput.5.* Mascardus *de probationib. verbo metus, conclus.1055.* Basilius de Leon. *lib.4. cap.4. num.3.* Menoch. *de arbitr. lib.2. cent.2. casu 135. circa finem.* Syluest. *verbo metus, q.2.3. & 4.*

Aduertendum tamen est amissionem bonorum, quæ metum infert, esse amissionem bonorum, quæ tibi sunt propria, vel aliquo modo debentur: aliàs amissio talium bonorum non posset habere rationem pœnæ rescindentis contractum. Non enim habet rationem pœnæ, sed præmij, si tibi relinquatur legatum ea conditione, vt matrimonium celebres, vel religionem profitearis aliàs perdendum: vel si nolim tuus esse amicus specialis, vel tibi in negotiis fauorem præstare, nisi contractum celebres: quia in his omnibus non proponitur tibi perdendum aliquid, ad quod habeas ius, ac proinde non habet amissio illius rationem pœnæ, sed potiùs inuitatis illius consecutione: & ita tradit Basilius de Leon *lib.4. de matrim. cap.4. num.10. ex l. Titio, §.1. & l. si ita legatum sit, vers. si Titio, ff. de condit. & demonstr.* Haberet tamen rationem pœnæ, si cogereris ex tuis bonis iacturam facere, nisi contrahas. Vnde si vi impediaris, ne alicui beneficio, vel cathedræ opponaris, quousque contractum celebres, cùm ius habeas te opponendi, contractus celebratus est metu cadente in constantem virum: hac enim ratione renunciatio quorundam iurium facta à quodam Archidiacono, timore ne possessione Archidiaconatus impediretur, rescinditur, & reuocatur, *cap. cùm venissent, de institutionib.* quia ius habebat possidendi Archidiaconatum. Similiter etiam cuidam athletæ mandatur restitui pecuniam, quam vltra debitum contulit fœneratori, ne à certaminibus impediretur. *l. fin. §. si fœnerator. ff. de eo quod metus causa*, quia talis athleta ius habebat certaminibus vacare, ac proinde contra ius impediebatur. & ita notauit Thomas Sanchez *lib.4. de matrim. disp.5. n.28.* Basilius *suprà cap.4. num.4.*

3 Item timor infamiæ grauis, & quæ non facilè vitari potest, siue sit infamia facti, siue iuris, cadit in virum constantem: si enim deprehenso in graui delicto mineris te accusaturum, vel alio modo publicaturum, non est dubium, quin malum graue sit, quia melius est bonum nomen, quàm diuitiæ multæ, & sæpè bonum vita ipsa præfertur. Item ex tali manifestatione etiam non leuis iactura diuitiarum, & fortè vitæ timeri potest: cadit ergo in virum constantem; & ita tenet glossa *in l. nec mortem, ff. de eo quod metus causa.* Syluest. *suprà.* Sanchez *num.14. & 15.* Bonacina *de matr. quæst.3. punct.8. num.6.* Basilius de Leon *lib.4. cap.4.* Vnde cùm *in l. nec timorem, ff. de eo quod metus causa*, dicitur: *nec timorem infamiæ hoc edicto contineri Pedius dicit*, intelligi debet de timore infamiæ leuis, & cui facilè occurri potest. ita cum Accurs. Gothofred. & aliis explicat Basilius *suprà*, & affirmat hoc modo intelligendos esse plures Theologos, specialiter Comitolum *lib.3. respons. mor. quæst.2. §. pertinet*, affirmantem metum infamiæ non esse grauem; infamiæ namque, cui facilè occurri potest.

4 De metu excommunicationis variant Doctores, an cadat in virum constantem? Aliquibus placet non cadere; nam vel est iusta, & tunc sibi imputet excommunicatus, quod ligetur; vel est iniusta, & tunc non ligat. Ergo non est malum, quod debet timeri; & ita tenet glossa *in cap. cùm dilectus, verbo violentia, de his quæ vi.* Socinus senior *cap. sacris, num.501. de sententia excommunicat.* Barbatius *cap. ab excommunicato, de rescript.* Sotus *in 4. d.29. quæst.1. art.2. in fin.* Villalobos *sum. tract.3. diffic.8 num.5.*

num.5. Aliis verò probatur esse metum grauem, quia semper est grauis pœna. sic Bartholom. de Ledesma *de matrim.dub.23. fundamento 3.* Seraphin *de priuileg.iuram. priuileg.29.num.4.*

Dicendum tamen est metum excommunicationis iustæ non cadere in virum constantem, ob rationem dictam: secus verò excommunicationis iniustæ, cui de facili occurri non potest, quia esto non liget quoad Deum, ligat tamen quoad Ecclesiam: in foro enim externo, vt verè excommunicatus se gerere debet, ex *cap. nobis, de sentent.excommunicat.* quod graue malum est: & ita docet Couarr. 4. *decret.2.p.§.4.cap.3.num.11.vers.8.* Mascard. *verbo metum. conclus.1055. num.50.* Flamin. *lib. 13.de resignat.q.1. num.129.* Bonac. *suprà num.6.* Sanch. *disp.5.num.16.* Basil. *lib.4.de matr.cap.4.num.7.*

5 Timor reuerentialis contractuum rescisiuus non est verecundia, & pudor, qui filiis respectu parentis, & vxori respectu mariti, & subditis respectu Prælati inest, vt cõstat ex *cap.vnico §.porrò, de desponsat.impub. in 6.* Aliàs quidquid filius expostulatus à patre, vel vxor à marito faceret, occupatus pudore, diceretur ex metu facere, quod non est concedendum. Neque etiam sufficit, vt quis non audeat præ pudore, & reuerentia contradicere præcipienti, tametsi velit, obediátque repugnante voluntate. De hoc ergo metu dubitatur, an sit viri constantis. Plures Doctores tenent inducere metum grauem. Cæterùm probabilius existimo solum metum reuerentialem non sufficere, inducere metum grauem, nisi aliquod malum timeatur, v.g. Vultus asperitas, rigida tractatio, & exprobratio continua, aut horum timor probabilis. Quare metus reuerentialis in eo debet consistere, in timore scilicet alicuius mali imminentis, eo quòd non serues reuerentiam ei cui debes: nam cùm metus sit mentis trepidatio, quilibet metus trepidationem alicuius mali debet habere.

Ex his venit decidenda quæstio, an metus reuerentialis cadat in virum constantem? Thom.Sanch. *disp.6. num.7.* plures referens Molin. *de primogenijs lib.2. cap.3. num.9.* Duaren. *in comment. ad tit. de eo quod metus causa.* Donell. *lib.15. comm. cap.39. §. in primis voluntatem inferendi.* Fachin. *lib. 2. contrau. iuris* Lessius, & alij *infrà,* existimant talem metum, si absint minæ, vel verbera, vel alterius grauis mali timor, non cadere in virum constantem. Ratio est, quia sola reuerentia parentibus, marito, & consanguineis debita, non videtur tanti momenti, vt meritò à constante viro timeri possit. Ideóque *in cap. ex litteris, de desponsat. impub.* vbi redduntur ob metum parentum sponsalia irrita, aduertitur puellam minis parentum impulsam concessisse, tacitè innuens deficientibus minis spõsalia valitura, sicut valet renuntiatio facta à filia in fauorem patris, quando vi, & dolo præstita non fuit. *cap.2.de pactis in 6.* Aliàs si solus metus reuerentialis caderet in virum cõstantem, ferè nullus contractus, filij, vxoris, clerici, subditi esset firmus, cùm probare facilè possent parentem, maritum, Episcopum, & dominum, contractum suasisse, & contrahentes ita consensisse contractibus, vt non ausi fuerint præ pudore, & reuerentia contradicere. Affirmandum ergo est, timorem reuerentiæ non esse sufficientem, nisi alterius mali grauis adiungatur, quod non est sola præceptio, tametsi maledictione misceatur, non enim ex maledictione malum necessariò oritur, esset tamen si timeret infensum superiorem habere continuò, & obiecturum passim illam inobediẽtiam, quia hoc ita graue malum est, vt vix reperiatur potens sustinere.

Alij affirmant metum reuerentialem semper cadere in virum constantem, tenet hanc sententiam Menoch. *de arbitrar.lib.2.casu 136.cent.2.* Nauarr. *in editione Lugdunensi, lib.1.tit. de his quæ vi, consil.10. num.4.* & alij plures relati à Sanch. *de matrim.lib.4. disp.6. num.4.* Præcipuum fundamentum sumitur ex variis textibus, in quibus metus reuerentialis dicitur tollere consensum, & libertatem ad contractum requisitam. Primò ex *reg. velle 4.de reg.iur.* ibi; *velle non creditur, qui obsequitur imperio patris, vel domini.* Ergo imperium patris, vel domini tollit voluntatem, saltem omnino liberam. Secundò ex *l.1.§.quæ onerandæ.ff.quarum rerum actio non detur,* conceditur actio liberto, si liquidò appareat metu solo, vel nimia patroni reuerentia se subiecisse, vt vel pœnali stipulationi se subiiceret. Ergo nõ solùm metus, sed nimia reuerentia defendit contractum. Quòd si dicas, nimiam reuerentiam intelligi metum reuerentialem minis adiunctum, aliàs non diceret nimiam reuerentiam, sed reuerentiam, facilè eludi potest, quia censeri debet tunc nimia reuerentia, cum metu mortis, aut aliàs grauis damni, ac proinde non vt quid distinctum à metu proponeretur patroni reuerentia. Tertiò, si patronus præsente liberto furtum committat, non obinde censetur libertus consentire, sed actione furti agere potest, quia, vt dicit *l.penult.ff.de furtis,* magna verecundia ei, quem in præsentia pudor ad resistendum impedit, furtum facere solet; id est, non obstat, cùm furtum fiat. Tandem si ad metum reuerentialem minæ essent requisitæ, nulla esset differentia inter metum eius, cui debetur reuerentia, & alium extraneum, cùm minæ semper metum grauem inducant.

Tertia sententia docet metum reuerentialem solùm censeri grauem, quando patiens metum celebrat contractum cum incutiente, secus si cum alio tertio metus ignaro.

Quarta docet solùm reuerentiam debitam patri inducere metum grauem, quia est persona, cui maxima debetur reuerentia, Doctores huius 3.& 4. sententiæ refert Sanch. *disp.6.num.5.& 6.*

6 Ergo verò in hac quæstione distinguendum censeo. Vel metus reuerentialis sumitur pro pudore, & verecundia, quam subditus pati timet, si neget petitum à superiore; vel sumitur pro vultus asperitate, rigida tractatione, exprobratione continua, quæ subditus pati timet, si superiori contradicat. Si metus reuerentialis primo modo sumatur, non videtur metus sufficiens vt cadat in constantem virum. Non enim pudor, & verecundia ita subditum occupare debet, vt eius liberam dispositionem impediat; neque pati illum pudorem, & verecundiam, quæ statim transeat, est malum tantæ considerationis, vt obinde contractus rescindendus sit. Verùm si non solùm timet hanc verecundiam pati, cùm negat, sed continuò, quia continuò sibi obiici timet, timétque vt offensum, austerum, & implacidum, superiorem habiturum, talis timor sine dubio cadit in virum constantem. Et ab hoc modo dicendi nullo modo discrepat Thom. Sanch. nam cùm *disput. 6. num. 7.* dicat metum reuerentialem non cadere in virum constantem, intelligit de metu reuerentiali pudoris, & verecundiæ, quem patitur subditus superiori contradicens, vt notat ex his quæ dicit *disput.9.num.12.* quando verò intelligit ob negatam obedientiam passurum esse subditum, rigidam superioris tractationem, implacidum vultum, & similia, &c. tunc affirmat esse metum cadentem in virum constantem. sic dicit *disp.6.num.14.* Quare immeritò Basilius de Leon *lib.4.cap.5. num.7.* Thom. Sanchez, splendidissimum lumen Theologiæ moralis, & nostræ religionis decus, inconsequentiæ, vel imperitiæ arguit, cùm potiùs ipse reprehensione dignus fuerit, eo quòd non attenderit metum reuerentialem sumi posse, & propriè, pro timore pudoris, & verecundiæ, & non pro sola indignatione superioris. Nostræ sententiæ etiam adscribit Lessius *lib.2.de virtut.cap.17.dub.6. num.35.* affirmans, si leniter offendatur superior ex repugnantia suæ voluntatis, eo quòd eius indignatio citò transit, non cadere in virum constantem, secus verò, si indignatio diuturna sit.

Neque

Neque argumenta primæ & secundæ sententiæ nobis obstant. Primæ enim sententiæ argumenta de metu pudoris, & verecundiæ citò transeuntis intelligi debent. Secundæ sententiæ argumenta de metu indignationis diuturnæ.

7 Item preces importunas, & sæpiùs repetitas ab his, quibus reuerentia debetur, vt probabilius defendo cum Thom. Sanchez *disp. 7. num. 7.* Lessio *lib. 2. cap. 17. dub. 6. n. 35.* cadere in virum constantem, quia molestissimum est has preces sustinere, & vix est, qui possit diu resistere: graue enim est, & intolerabile subdito habitare cum superiore, cuius voluntatem continuò despicit; ex tali enim despectu necessariò superior implacidum, & inoffensum se subdito ostendet. quod certè de se graue malum est. Non tamen probo, quod dicit Basilius de Leon *lib. 4. de matrim.* & alij ab eodem relati, *cap. 5. num. 17. & cap. 12. n. 5.* has preces à quacumque persona oriantur, inducere grauem metum, aliàs nihil Principes voluntariè efficerent, cùm omnia rogati faciant, & sæpè velint esse rogati, & puella precibus amasij agitata coacta diceretur, & pater si petitione importuna filij donationem concederet. quæ omnia, meo iudicio, aliena sunt à veritate, eo quòd censeam huiusmodi precum molestiam facilè vitari posse, quoties non oriuntur à superiore persona, & cuius habes dependentiam. Adde, esto indignatio diuturna patris, & superioris sufficiat constituere metum grauem reuerentialem. Non tamen hunc metum constituit, si sit aliorum hominum, qui ad nos non attinent, vt dicit ipse Basilius *suprà cap. 5. num. 7.* Ergo similiter, esto preces importunæ superioris, & quorum habemus dependentiam, metum grauem constituant, non tamen si sint aliorum, qui ad nos non attinent, vel potiùs nobis sint subditi. Neque rationem, aut textum pro se efficacem adducit, posset tamen adducere, quæ congerit doctissimus Sanchez *disput. 7. num. 4.* Nam esto preces hæ molestiam, & violentiam inferre dicantur, *extrauag. execrabilis, de praebendis*, non debet censeri tanta, quæ in virum constantem cadat: neque enim Samson *Iudic. 16.* constanter egit, dum victus amore, & importunatione Dalidæ secretum fortitudinis propalauit, esto molesta ei esset, & per multos dies iugiter adhæreret, spatium ad quietem non tribuens, sibi enim imputare debebat, quod non tribueret spatium ad quietem, cùm facile illam repellere posset.

8 Circa secundam conditionem dubitari potest, quæ requirantur, vt incutiens metum præsumi probabiliter possit executurus malum? Dicendum igitur est ex circumstantiis hoc esse pensandum, si enim potens sit, qui minatur, & durè fert suæ voluntati repugnari, meritò timeri potest executurus: eaque de causa dixit Iurisconsultus *in l. famosi, ff. ad leg. Iul. maiest.* personam spectandam, & an potuerit facere, & an antè quid fecerit, quasi totus metus ex conditione personæ minantis desumendus sit.

Hinc inferunt communiter Doctores requiri necessariò, vt metum incutiens solitus sit minas exequi, imò oportere solitum esse exequi in eodem genere mali, ex doctr. Baldi *in l fin. ad fin ff. de hered. instit.* dicentis, ex dissimilibus non sumi coniecturam. ita relato Cyno, & Alexand *l. metum, n. 2. C. de his quæ vi*, docet Sanchez *lib. 4. disp. 1. num. 21.* addens hoc verum esse, nisi solitus sit minas exequi in alio genere mali ita atroci, ac est illud quod minatur. Explicátque deinde Sanchez, quid requiratur, vt possit dici, solitum esse exequi minas, meritóque timeri possit executio, & affirmat non sufficere alios malè tractasse vna vice, nisi pluries tractauisset, quia vnicus actus consuetudinem non facit; si verò te iam tractauit malè, sufficienter te posse timere, vt iterum faciat.

9 Cæterùm existimo ad incutiendum metum non esse necessarium solitum esse minantem minas exequi, sed sufficere minari. Probo. Verba sunt signa conceptus, & intentionis. *cap. humanæ aures, 22. q. 5. & l. Labeo, ff. de supellect. legat.* cùm ergo verba minantis promittant malum inferendum; meritò illud timere poteris. Secundò, si homo armatus vndequaque tibi aliquid præcipiat, timere iustè potes mortem, vel aliquid simile, si non obtemperas, ex *l. 3. in princ. vers. qui armati, ff. de vi, & vi armata.* ibi, *sufficit enim terror armorum, vt videantur armis deiecisse.* & ex *l. 15. tit. 2. part. 4.* ibi, *como si viesse armas*, & tradit ibi Gregor. Lopez, Ioannes Garcia *de nobilitate, glossa 17. num. 16.* Nam licèt re vera non inferatur vis, tamen satis est ad timorem iustum, timere ne inferatur, ex text. *in l. nouissimè, ff. quod falso tutore.* ibi, *aut metuens ne compelleretur*, & ex *l. si donationis, C. quod metus causa, & in l. interpositas, C. de transactionib.* & aliis multis allegatis à Mascard. *de probat. verb. metus, conclus. 1055. num. 49.* Imò etiam si ferens arma, illa deponat, causabit grauem metum, cùm enim possit illis armis vti, nihil obest depositio, ex *l. quoties, §. qui in potestate, & l. in delictis, in princ. ff. de noxalib.* & tradit Thomas Sanchez *lib. 4. de consensu coacto, disput. 5. num. 5. cum glossa super dict. l. 3. verbo, sed deiecerunt*, & ibi Angel. Gregor. Lopez *super verbo, suuiessin.* Anton. Gabriel *2. tom. commun. opin. verbo metus, fol. 106. col. 1.* Anton. Cucus *lib. 5. instit. maiorat. tit. 12. num. 159.* Gutierrez *consil. 16. num. 10.* Ergo etiam si minans nunquam alicui malum intulerit, potest metum cadentem in constantem virum causare, ex eo præcipuè, quòd armatus præcipiat. Tertiò, esto verum sit delictum factum non debere præsumi, nisi probetur, ex *l. meritò, ff. pro socio.* At efficiendum bene potest præsumi, si ipsemet reus efficiendum proponat: si enim ex eo quòd reus dixerit se delictum commisisse, infertur ad minimum semiplena probatio delicti commissi, & indicium sufficiens ad torturam, vt tradit Decius *in cap. at si clerici, de indic.* Imola *in cap. post inquisitionem, de elect.* & alij, quos refert, & sequitur Mascard. *de probat. verb. delictum, conclus. 498. num. 1.* Ergo etiam inferretur semiplena probatio, & præsumptio non leuis delicti committendi, ex eo quòd minetur se commissurum.

Quare cùm Doctores dicant ad incutiendum metum grauem requiri necessariò incutientem solitũ esse minas exequi, intelligi debent, quando solitus est minari, tunc enim minis superiactatis, & executioni mandatis, infertur morale iudicium, idem ipsum effectum. Si verò non sint executioni mandatæ minæ, colligetur illas non proferre ex animo exequendi, sed ad terrorem. iuxta *l. metum, C. de his, quæ vi.* At si non constat alia vice minatum fuisse, nulla esse potest ratio, quare ex ministerio iactatis à potente illas exequi non concipiatur grauis timor. Et in casu dubio an aliquis atrox sit, & minas executioni mandaturus, dicit Thomas Sanchez *lib. 4. disput. 6. num. 22.* cum Veroio *cap. 1. de officio delegati, num. 19.* incutere iustum metum. Idem tenet Bonacina *quæst. 3. de matrim. punct. 8. num. 7. fine.* Ochagauia *tractat. 3. de matrim. quæst. 24.* ibi, *quòd si sit persona incognita, timeri debent minæ, ne incautè in periculum quis incidat*, & adducit Abb. *cap. 1. num. 3. de off. deleg.* Felin. *ibi num. 2.* Decium *n. 11.* Henriquez *lib. 11. de matrim. cap. 9. num. 3.* idem docet Basilius de Leon *lib. 4. de consensu coacto, cap. 2. num. 8.*

10 Tertia conditio requisita ad metum grauem, vt scilicet patiens metum non facilè resistere possit, est manifesta. Nam si facilè malum vitare potest, iustè non timet, sibi enim imputare debet, si malum eueniat, cùm facili negotio potuerit vitare. & ita tradunt Syluest. *verb. metus, quæst. 1.* Anton. Cucus *lib. 5. instit. maior. tit. 12. n. 155.* Thom. Sanchez *lib. 4. de matrim. disp. 1. n. 23.* Coninch *de matr. disp. 28. dub. 2. n. 23.* Bonacina cum aliis *suprà*. Basil. de Leon *lib. 4. de matrim. cap. 2. num. 6.*

Circa supradictas conditiones duo sunt aduertenda. Primum est grauitatem metus, non secundùm se tantùm sumendam esse, sed per ordinem ad personas patientes metum. nam, vt bene dixit Menoch. *lib.2.cent.2. casu* 135. *n.2.* non omnes vnius conditionis sumus, aliqui enim constantissimi sunt, quos nullum periculi, nullum tormenti genus terret, aliqui verò mustela ipsa timidiores Austri leues flatus verentur. Negari enim non potest mulieres timidiores esse viris, & pueros hominibus maturæ ætatis, faciliusque terreri, ac proinde malum quod adolescentibus minatum, sufficiens non esset incutere metum grauem, fore puero, vel mulieri sufficiens, quod latè probat Tiraquel. *de legib.connub.l.9. gloss.1.n.*160. Menoch. *de arbitr.lib.2.cent.2.casu* 135.*n.4. & 5.* Nauarr. *cap.22. n.*51. Molin. *lib.2.de primog.cap.3. n.*10. Couarr. 4.*decret. 2.p. cap.3.§.4.n.2.* Flamin. *lib.13. de resign.q.1.n.*58.& alij plures, quos refert, & sequitur Thomas Sanchez *disp.3.à n.1.*

Hinc oritur non leuis difficultas; si enim malum, quod timeri debet, per ordinem ad personam patientem metum sumendum sit, contingere potest, esse aliquem ita timidum, cui malum leue, & facilè vitatu grauiter moueat, velitque potius contractum celebrare, quàm metui subiacere, quod quidem est contra decisionem text. *in l.metum, la 2.ff.de eo quod met.caus.* vbi dicit Consultus, *Metum non vani hominis, sed qui meritò, & in hominem constantissimum cadat, ad hoc edictum pertinere dicimus. & l.nec timorem 7. vers.proinde, el 1.ff.de eo quod met. caus.* dicitur, *si quis meticulosius rem frustrà metueret, per hoc edictum non restituitur.* Infertur ergo non esse sumendam grauitatem metus ex imaginatione patientis, sed ex ipsa rei grauitate, & ita tenet Sanch. *lib.4.de matr.disp.1.n.*14. cum Palac. 4.*dist.29. disp.1.fol.160.col.2.vers.ad hac.*

11 Cæterùm distinguendum censeo: vel loqui possumus de metu, quatenus annullat contractum, vel quatenus inuoluntarium reddit. Si enim loquamur de metu quatenus inuoluntarium reddit, fateor malum leue, & insufficiens constantem virum mouere, si sub graui malo apprehendatur causare inuoluntarium. Sicuti potest causare graue aliquod malum; quia in tantum graue malum mouet ad sui fugam, in quantum vt tale apprehenditur. Si ergo leue malum vt graue apprehendatur, eodem modo mouebit, & inuoluntarium causabit. Verùm ne litibus occasio detur, solus metus de re graui, & quod grauiter constantem mouere potest, voluit ius canonicum, & ciuile, vt cõtractus rescindat, & alius metus leuis pro nihilo habeatur, & ita notauit expressè Lessius *lib.2.cap.17.dub.6.n.*45.*in 2.edit.*

12 Secundò aduerto non esse necessarium timere malum in propria persona, sufficit si in filiis, & aliis sanguine iunctis, & affinibus ortis ex matrimonio timeatur, quia horum malum, vt proprium reputandum est, & quia iustè potest quis timere, sibi inferendum malũ, si ob eam causam sibi sanguine iunctis infertur. & ita tradunt aliis relatis Mascard. *de probat. concl.*1055.*n.*24. Flamin. *de resign.lib.13.q.1.n.*158. Matien. *lib.5.recop.tit.1. rubr.gloss.1.n.*189. Thom. Sanchez plures referens *lib.4. disp.4.n.8. &* 11. Hi consanguinei vel affines debent esse intra quartum gradum, vt metus illis incussus censeatur propius, quia extra illum non reputantur consanguinei, ex text. *in c.non debet, de consang. & affin.* & tradit Thom. Sanchez *sup.n.*12. Ochagauia *tract.3. de matr.q.*25.*n.2.* Idem est, si metus esset incussus tibi amicissimo, quia bona amici, propria censentur. Sanch *n.9.* & Ochagauia *n.2.* Lessius *lib.2.cap.17. dub.6. in princ.n.*35. ac denique idem est dicendum de metu incusso domesticis alicuius, iuxta *cap.quicunque, de sent.excom.in 6. iuncta gloss. verbo suorum, & ex Clem.1.de excess.prel.verb.seruientes,* & tradit Sanchez *n.*10. & Ochagauia *suprà*, & consentit in omnibus Basilius de Leon *lib.4.de matr. cap.3. n.4.*

13 Tertiò aduerto, arbitrio iudicis, & prudentis metiendum esse metum grauem, ita probat *l. metus autem causa, ff.ex quib.caus.maior.* ibi, *non sufficit quolibet terrore adductum timuisse, sed huius rei disquisitio iudicis est.* Non enim certa regula definiri potest: nam licèt malum minatum graue sit, potest tamen facilè repelli, vel quia incutiens metum non valet exequi, vel quia patiens illum validior est; quocirca horum cognitio ex arbitrio prudentis dependet; similiter etiam dependet ex prudentis arbitrio iudicare, plura mala an attingant terminum requisitum ad grauem metum incutiendum. v.g. amissio diuitiarum, incarceratio, precum molestia cum metu reuerentiali, & alia huiusmodi. ita glossa *in l.interpositas, verb.cruciatum, C.de transact.* & ibi Bald. & gloss. *in cap.penult.de his quæ vi, metúsve causa fiunt.* & multis relatis docet Couarr. optimè *de sponsal.p.2.cap.3.§.4.n.8.* Syluest. *verb.metus, q.2.* Menoch. *de arbitr.lib.2. cent.2. casu* 135. *n.3.* Thom. Sanchez *lib.4.disp.5.n.1. & seqq.* Basilius de Leon *lib.4.cap.4.n.2.*

Aduerto tamen cum Basilio, & Sanchez *suprà*, hoc iudicis arbitrium non solùm desiderari iure Cæsareo, & canonico, sed etiam iure regni Castellæ, quidquid dicat Villalobos *in antinomia iuris ciuilis, & regij, verbo metus, num.*14. tum ob rationes factas, quia sæpe grauitas mali, & potestas vitandi, non est ita comperta, quin iudicis arbitrium desideretur. tum etiam, quia *l.7.tit.33. part.7.* post enumerata aliqua mala grauem metum inducentia additur, *de tal miedo como esse, o otro semejante.* Vt ergo decernatur an simile, vel æquale malum sit illi, quod in iure est expressum, iudicis arbitrium requiritur, & in foro conscientiæ prudentis Confessoris.

PVNCTVM VIII.

Vtrùm metus grauis, iniustè incussus ad extorquendum contractum, reddat contractum iure naturæ nullum.

1 *Distinguitur multiplex metus.*
2 *Proponitur prima sententia affirmans metum iniustè incussum iure naturæ contractus irritare.*
3 *Secunda sententia distinguit inter contractus lucratiuos, & onerosos.*
4 *Omnis contractus tam onerosus, quàm lucratiuus, est validus iure naturæ, venit tamen rescindendus.*
5 *Satisfit rationibus primæ & secundæ sententiæ.*

1 Ponendum est metum grauem prouenire posse à causa naturali, vel à libera, & ab hac dupliciter iustè, vel iniustè. Si à causa naturali proueniat, certum est nullum contractum, vel promissionem annullare, aliàs promissiones, vota, & iuramenta facta timore mortis imminentis in tempestate, vel infirmitate essent irrita: quod non est dicendum. Si verò à causa libera proueniat metus, cùm possit iustè, vel iniustè prouenire, videndum est, an vtroque modo annullet contractus ex tali metu celebratos. In præsenti agemus de metu iniustè incusso; in sequenti de metu iustè illato.

2 Prima sententia docet metum grauem iniustè incussum ad extorquendum contractum, contractum annullare ipso iure naturæ, tenent hanc sententiam Molin. *tom.2.de iust.disp.*267.*& disp.*316.*in sol.ad* 2. Ioan. Salas plures referens 1.2.*q.6.art.6. tract.3.disp.3.sect.1.n.8.* Couarr. 4.*decr.2.p.c.3 §.5.n.6.* Matienzo *lib.5 recop.tit.1. rubr.gloss.1. num.*189. & alij apud Thom. Sanchez *lib.4. de matrim. disput.14.num.1. & disput.8.num.2.* Probatur primò, si extorqueas consensum ab alio per metum grauem, iniuriam, & iniustitiam illi facis. Ergo non est iustum, vt commodum ex tali iniustitia reportes, reportares autem maximum, si iniuriatum tibi obligares, & contractus celebratus firmus esset. Secundò acquisita per metum obligaris restituere, vt est communis omnium

omnium sententia, & habetur *in l.28.tit.11.p.5.* ergo non habes illorum dominium, dominium enim est ius, & potestas vtendi re pro libito. Si ergo teneris illam reddere donanti, signum est tibi non esse translatum dominium. Et ita tenet Fortunius *tr. de vlt. fin. illat. 21. n.449.* P. Molin. *tom.2. de iust. tract.2. disp.326. in sol. ad 2.* Tertiò, si promittas Petro ex metu aliquam rem, non potest Petrus illam recipere. Ergo neque tu es obligatus illi donare. Quartò, quia nullũ est ius, in quo contractus metu facti irritantur, sed potiùs supponuntur irriti, vel irriti declarantur. Ergo signũ est iure naturæ esse irritos. Quintò communis est omnium sententia vota simplicia metu extorta irrita esse, & tamen non sunt irrita aliquo iure positiuo, cùm nullum appareat, in quo talia vota irritentur. Ergo sunt irrita iure naturæ. Ergo idem erit dicendum de aliis promissionibus.

3 Secunda sententia distinguit inter contractus lucratiuos, & onerosos, & affirmat onerosos esse ipso iure naturæ validos, quia est titulus sufficiens ad illorum valorem, scilicet dati, & accepti, qua ratione dicit emptionem, venditionem, locationem metu factam validam esse, neque obligationem esse restituendi rem, neque fructus, quousque patiens metum petat rescissionem contractus, quia est translatum dominium. At contractus lucratiuos, in quo nihil rependitur, vt promissio, donatio, testamentum, legatum, commodatum, precarium, nullos esse, quia ibi nullus alius est titulus ad transferendum dominium præter voluntatem, quæ cùm non sit liberalis, & gratuita, sed metu coacta, non videtur sufficere ad transferendum dominium; sicuti solutio vsurarum nulla est ipso iure naturæ, quia deficit voluntas liberalis, & titulus sufficiens ad eius valorem. Confirmo efficaciter ex *l. donationis, ff. de donat.* ibi, *donat aliquis ea mente, vt statim velit accipientis fieri, & in nullo casu ad se reuerti. Et tantùm, vt liberalitatem, & munificentiam exerceat, hæc verè donatio est.* Sed qui donat ex metu, non vult in nullo casu ad se reuerti, sed potiùs cùm donat, vult, vt sibi reuertatur. Ergo talis donatio, donatio non est. ita tenet Vasquez *1.2. disput.27. in fine.* Azor *lib.1. cap.11. q.7. §. nono.* Basilius de Leon *lib.4. cap.6. n.4. & cap.7. n.4.* vbi affirmat acquisita per metum in contractu oneroso non esse restituenda, quousque patiens metum petat rescissionem contractus: secus verò acquisita contractu lucratiuo; hæc enim cum fructibus restituenda deberi. Ex qua doctrina infert *cap.11. n.9.* concessionem vectigalium, aut noui tributi Regi factam metu reuerentiæ, aut quouis alio graui valere in conscientia, neque Principem obnoxium esse restitutioni, quia illa concessio non est liberalis donatio, quæ exigat plenum voluntarium, sed est contractus onerosus, cùm detur ad tuitionem regni, & ad regni hostes debellandos, aliisq; publicis necessitatib. subueniendũ.

4 Tertia sententia (cui tanquam probabiliori adhæreo) docet contractus per huiusmodi metum celebratos validos esse, veniréque rescindendos à patiente metum actione quod metus causa, si res integra non sit: potest enim agere aduersùs iniustum detentorem, vt sibi res translata reddatur: si autem res integra sit, exceptione metus potest se tueri. Ita tenent Sotus *4. dist.29. q.1. art.3. vers. ad 2. & vers. ad 3.* Henriq. *lib.11. de matrim. cap.9. n.4.* Carbon *de restit. q.46. concl.4.* Petr. de Ledesma *de matrim. q.47. art.3. dub.1. in solut. ad 3. & 4. fol.214. col.2.* Lessius *lib.2 cap.17. dub.6. n.41.* Azor *lib.1. cap.11. q.6. & 13.* Thom. Sanchez *lib.4. de matrim. disp.8. n.4. & disp.14. n.2.* & alij innumeri ab eisdem relati. Præcipuum fundamentum est, quia non obstante iniuria per metum illata datur, quidquid ad rationem contractus necessariò requiritur. Ad valorem enim contractus solùm requiritur iustus titulus, & voluntarius consensus, sed metus non tollit voluntarium absolutè, vt suprà diximus, neque excludit titulum dati, & accepti, donati, promissi, & similium. Ergo talis contractus iure naturæ validus est. Secundò probo à simili. Contractus, cui dolus causam dedit, non est irritus iure naturæ, vt patet in matrimonio contracto ex errore, quo putabas nobilem, & diuitem esse vxorem, cùm tamen ignobilis, & pauper sit. Et generaliter de omnibus contractibus stricti iuris, dolo, vel metu contractis definitur esse validos, deberéque actionem exceptione doli mali, vel metus elidi. *Instit. de except. in princ. & l. dolo, C. de inutil. stipul.* qua de causa deceptor non potest resilire à contractu, si deceptus velit stare contractu, vt colligitur ex *cap.1. de eo qui duxit in matrim. & ex l.13. ff. de act. empt. in princ.* sed metus, & dolus æquiparantur in iure, ex *l. dolo, C. de inutil. stipul.* ibi, *dolo, vel metu adhibito actio quidem nascitur, si subdita stipulatio sit, per doli mali tamen, vel metus exceptionem submoueri petitio debet.* Idem constat ex *l. si dolo, ff. de inutilib. stipul. & cap. cùm contingat, de iureiur. & cap.2. de pactis, in 6. in fine.* Ergo si dolus non reddit iure naturæ irritum contractum, cui causam dedit, neque metus. Tertiò metus leuis non reddit irritos contractus iure naturæ, vt est communior sententia. Aliàs in foro externo deberent irriti declarari, quod nullo modo fit, neque admittitur actio, neque exceptio de huiusmodi metu, vt constat ex *l. vani timoris, ff. de reg. iur. & l. metum, ff. de eo quod metus causa.* sed per metum leuissimum etiam fit iniuria contrahenti, cùm eius voluntas iniustè cogatur. Ergo si hæc iniuria leuis non reddit irritum contractum, neque etiam grauis debet irritare, cùm in vtroque reperiatur iniustitia. Quartò sacramenta recepta metu graui valida sunt, matrimonio excepto. habetur de sacramento Baptismi *cap. maiores, §. item quæritur, de Baptismo;* & de reliquis sacramentis est communis sententia, quia est eadem ratio. Ergo metus non tollit libertatem requisitam ad valorem actus iure naturæ.

5 Neque obstant argumenta contraria.

Ad primum primæ sententiæ respondeo parum vtilitatis accrescere iniurianti ex contractu meticuloso, cùm teneatur rescindere, si solubilis est, & res in pristinum statum restituere.

Ad secundum fateor te acquirere dominium tam in contractu oneroso, quàm lucratiuo, vt tradit gloss. *in cap. vnic. de his quæ vi, in 6. not.1. & cap. super hoc, de renunt. verb. resignat,* Nauar. *cap. accepta, de restit. spol. oppos.5. n.21.* Thom. Sanchez [illegible] *n.5. & 11.* Lessius *lib.* [illegible] acquisitum est nimis infirmum, cùm tenearis amittere, & rem ad pristinum statum reddere. Neque hæc obligatio obstat dominio, non enim dominium est potestas vtendi re in quemcumque vsum, aliàs possidens maioratum, non diceretur illius habere dominium, cùm non possit alienare, neque obligare. Est igitur dominium tentio rei iusto titulo, id est, titulo à iure non annullato. *§. per traditionem. Inst. de rer. diuis. & l. traditionibus, C. de pact.* At cùm huiusmodi contractus, etsi per iniustitiam sint extorti, non reperiantur à iure annullati, efficitur sanè validos esse. Cui valori non obstat te obligatum esse reddere rem primo possidenti, sicuti non obstat dominio, quod habes in tuis bonis, vt tenearis aliqua ex eis Petro donare, si promisisti, quod enim promissio acceptata efficit, id ipsum præstat iniuria illata. Imò addendum existimo, si rem sic per metum acceptam in tertium possessorem transferas, posse patientem metum, non solùm à te, sed etiam ab illo tertio possessore rem vindicare. *l. si cum exceptione, §. in hac actione, ff. de eo quod metus causa,* quia vitiosè translata est, quod colligitur apertè ex *l. metum autem præsentem 9. §. volenti, ff. de eo quod metus causa,* vbi dicitur, *Volenti* (scilicet per metum) *detur & in rem actio, & in personam,* & *§. licet.* dicitur etiam *actionem in rem dandam existimamus,* quia res in *bonis eius est, qui vim passus est,* non quia propriè res sit patientis metum, sed quia qui habet actionem ad rem, rem ipsam habere

habere videtur. *reg. qui actionem 15. ff. de reg. iur.* habet ergo patiens metum actionem, non solùm aduersùs metum inferentem, sed etiam aduersùs quemcumque possessorem pro vindicanda re; & ratio est, quia patiens metum ob iniuriam sibi illatam ius habet rescindendi contractum factum, quia habet ius, vt sibi satisfactio detur, & iniuria facta reparetur, quæ non potest alia via reparari, quàm si contractus factus rescindatur, & res in suum pristinum statum reddantur. hæc tamen actio non obstat dominio per contractum acquisito, vt ex supradictis constat.

Ad tertium respondeo; etsi Petrus extorquens à te legatum non possit illud recipere ratione iniuriæ, potest tamen illud recipere ratione contractus; ita tu obligatus es ratione contractus illi tradere; esto ratione iniuriæ excuseris, ac proinde exceptione iniuriæ repellere potes illum à legato, stat enim optimè te obligatum esse ex vno capite ad aliquid faciendum, & deobligatum esse ex alio. v. g. ex contractu potes alicui debere centum, at si tibi iniuriam intulit, poteris debitum retinere, quousque satisfactionem exhibeat, & si petat, poteris exceptione iniuriæ repellere.

Ad quartum dico, etsi nullus textus sit, in quo plures contractus metu injti, irriti declarentur, quia tamen sunt plures textus, in quibus validi declarantur, efficitur manifestè iniuriam ex metu factam insufficientem esse ad annullandos contractus iure naturæ.

Ad quintum vota simplicia per metum esse irrita non iure positiuo scripto, sed traditione, & consuetudine Ecclesiæ vim legis obtinente, sicuti matrimonium metu contractum, vel fidelis cum infideli irritum est hoc modo secundùm probabilem sententiam.

Ad rationem autem secundæ sententiæ respondeo quamlibet donationem metu factam validam esse: nam esto nō sit omnino liberalis, & gratuita, sed coacta; quia tamen non est simpliciter inuoluntaria, sed potiùs simpliciter voluntaria, & libera; ideo simpliciter, & absolutè valet. & ideo *in l. vlt. C. de his quæ vi*, præcipiuntur eodem modo donationes, ac venditiones, & transactiones per potentiam extortæ infirmari. Non igitur sunt omnino irriti, & ita tenet Lessius *lib. 2. c. 17. dub. 6. n. 37. §. sed verius est.* Neque est simile de vsuris; nam ibi deficit titulus, datur enim in pretium mutui, quod dignum pretio non est. Ad confirmationem, quam ita extollit Basil. de Leon, minus modestè cæcutientes, & cæcos appellet esse, quia illa non conuincuntur, facilè respondetur primò legem illam loqui de donatione pura, & perfectissima, de qua etiam locutus fuit Arist. 4. *topic. cap. 4.* dicens donum esse datum irredibile, id est, animo, & affectu ne vnquam tibi reddatur. At non loquitur de quacumq; donatione, hæc enim solùm ad eius valorem requirit liberum consensum, cui non obstat metus, aliàs neque donatum Deo, aut promissum ex metu esset validum, cùm simplici affectu velis non fieri, & tibi reddi.

Secundò respondeo ex vi donationis, qui donat etiã coactè, vult simpliciter, & absolutè fieri accipientis, neque sibi vnquam reddi: at simplici affectu vult non dare, & sibi reddi, sicuti contingit in proiiciente merces in mare, simpliciter enim, & absolutè vult merces à se abdicare, & à mari possideri, & nunquam sibi reddi; at simplici affectu nec vult proiicere, neque à se abdicare, imò potiùs reddi.

PVNCTVM IX.

An metus grauis irritet contractus, iure positiuo, vel veniant irritandi.

1 *Proponitur communis sententia non esse irritos, sed venire irritandos.*
2 *Aliqua excipiuntur ab hac regula secundùm omnium sententiam.*
3 *Quid dicendum de contractu sponsalium.*
4 *Quid de promissione dotis.*
5 *Quid de constitutione procuratoris.*
6 *Quid de iurisdictione data, vel prorogata.*
7 *Quid de sententia per metum lata.*
8 *Quid de renuntiatione beneficij.*
9 *Quid de metu incusso ad contrahendum matrimonium cum aliqua indeterminatè.*

1 Communis est sententia non esse irritos, sed venire irritandos, ita Nauarr. *in cap. accepta, de rest. spol. oppos. 3. n. 7. & summ. cap. 22. n. 50.* Lessius *lib. 2. cap. 17. dub. 6. n. 36.* Thom. Sanchez *lib. 4. disp. 8. n. 4.* Gutierr. *de iuram. 1. p. cap. 57. n. 11.* Flamin. *de resignat. lib. 13. q. 2. n. 9.* Gregor. Lopez *l. 56. verb. defecho, tit. 5. p. 5.* Henriq. *lib. 11. de matrim. cap. 9. n. 4.* Bonacina *de matr. q. 3. p. 8. n. 8. §. dixi, iure Ecclesiastico.* & alij plures, quos ipsi referunt, specialiter Thom. Sanchez innumeros congerit. Præcipuum fundamentum sumitur ex aliquibus text. vbi facta per metum veniunt rescindenda; specialiter *in cap. Abbas, de his quæ vi*, dicitur renunciationem factam per metum debere in irritum reuocari. Ergo signum est, validam esse, quod enim irritum est, non indiget, vt in irritum reuocetur, & *in cap. ad audientiam, de his quæ vi*, dicitur, quæ vi, metúsve causa fiunt carere debent robore firmitatis, siquidem possunt, & debent rescindi. Item *Instit. de except. in princ.* dicitur, *si metu coactus, aut dolo inductus, aut errore lapsus stipulanti Titio promisisti, quod non debueras promittere, palàm est iure ciuili te obligatum esse, & actio qua intenditur dare te oportere, efficax est*, vbi glossa *obligatum esse*, scilicet inspecto iuris rigore, *& efficax est*, scilicet in sui substantia. Item *in l. vlt. C. de his quæ vi*, dicitur, *venditiones, donationes, transactiones, quæ per potentiam extortæ sunt, præcipimus infirmari.* Ergo erant aliquo modo validæ, & iuris remedio infirmandæ sunt. Idem traditur *in l. 9. §. volenti, & §. sed & quod prætor, & l. si mulier, §. penult. ff. de eo quod metus causa, & l. interpositas, C. de transact. l. dolo 51. C. de inutil. stipulat. & l. 56. 57. tit. 1. p. 5.* Neque obstat *l. 28. tit. 11. p. 5.* vbi dicitur, *por miedo, o por fuerça, o por engaño que fuesse, prometiendo vn hombre a otro de dar o de facer alguna cosa, maguer se obligue soçierta pena, iurado de cumplir loque promete, dezimos que no es tenudo de cumplir lo prometido, ni de pechar la pena.* Ergo per metum extorta promissio nullam inducit obligationem iure nostri regni. Non, inquam, obstat: nam, vt bene Gregor. Lopez *ibi, verb. tenudo*, intelligi debet cum effectu, hoc est, non esse obligatum promissionem implere, non ratione promissionis, sed ratione iniuriæ sibi factæ, & quoties quis habet exceptionem aduersùs petentem, habet etiam ius retinendi, quod non obstat valori contractus, vt in puncto antecedenti diximus. Aduertendum tamen est, ad rescissionem contractus sufficere si ab aliquo tertio tibi sit metus illatus, etiam si is, quo cum contrahis, conscius non sit iniuriæ; quia ex eo, quòd tertius causa fuerit iniuriosa illius contractus, contractus absolutè coactus est, ac proinde infirmus, & rescindendus. quod constat ex *cap. ad aures, cap. Abbas, de his quæ vi, cap. veniens, el 2. de sponsal.* in quibus text. à tertio erat metus illatus, & cui dabatur Ecclesia resignata fortè ignarus erat vitij commissi. Clariúsque deciditur *in l. item si cum exceptione, §. in hac actione, ff. quod metus causa.* ibi, *in hac actione non quæritur, vtrùm is qui conuenitur, an alius metum fecit, sufficit enim hoc dicere metum tibi illatum, vel vim.* tradit aliis relatis Sanchez *lib. 4. de matrim. disp. 8. & disp. 12. num. 19.* Lessius *lib. 2. cap. 17. dub. 6. num. 39.*

2 Ab hac regula generali aliqua excipit glossa *in cap. Abbas, de his quæ vi.* Syluest. *verb. metus, q. 8.* Rebell. *2. p. de oblig. iust. lib. 1. q. 5. n. 12.* Azor *lib. 1. cap. 11. q. 5. 6. & 7.* Salas *1. 2. tr. 3. disp. 3. sect. 1. n. 27.* Lessius *lib. 2. cap. 17. dub. 6. n. 30.* Basil. de Leon *lib. 4. cap. 8. n. 7.* quæ sunt irrita iure Ecle-

Ecclesiastico. Primò in quo omnes conueniunt, est matrimonium. *cap. significauit, de eo qui duxit in matr. cap. requisiuit, cap. gemma, de sponsal.* Secundò votum solemne in religione, *cap. perlatum, de his quæ vi.* & ex hoc ad quodlibet votum extenditur. Tertiò testes adhibiti in testamento, si coacti sint. *l. qui testamento, §. vlt. ff. de testam.* & tradit gloss. *ibi, & in cap. sacris, verb. per coactionem, de his quæ vi.* Quartò omnis promissio, vel obligatio facta in gratiam eius, qui aliquem metu graui in carcerem coniecit, vel detinet. *l. qui in carcerem, ff. de eo quod metus causa*, ibi, *qui in carcerem aliquem intrusit, vt aliquid ei extorqueret, quidquid ob hanc causam factũ est, nullius momenti est*, hoc est, nullius vigoris, hunc enim esse eius particulæ sensum, constat ex *cap. ordinarij, in fine, de off. ord. in 6.* ibi, *aliter*, inquit, *facta collatio nullius sit momenti.* sic explicat alios referens Farinac. 1. *p. pract. crim. q.* 35. *n.* 4. requiritur tamen, vt ad huiusmodi finem in carcerem coniecerit. Nam si aliunde ob aliquod delictum in carcerem iustè coniectus sis, & tibi offeratur libertas, si renuncies; probabilius est, renunciationem valere, vt optimè docet Flamin. *de resign. lib.* 13. *q.* 1. *n.* 161. *&* 165. Thom. Sanch. *lib.* 4. *disp.* 12. *n.* 6. Gutier. *de iuram.* 1. *p. c.* 57. *n.* 4. *&* 5. aliique ab eisdem relati. Si tamen cum alio ab eo, qui te in carcerem detinet, contractum ineas, non, inquam, ad instantiam incarcerantis, nullo modo dicendus est contractus metu celebratus, quia tunc carceratio est per accidens, tradit alios referens Flam. *lib.* 13. *q.* 1. *n.* 120. Farinac. *supr. n.* 3. Basil. de Leon *lib.* 4. *de matr. cap.* 10. *n.* 9. Quintò nulla est absolutio ab excommunicatione, suspensione, vel interdicto, vel eorum reuocatio. *cap. vnic. de his quæ vi, in 6.* ibi, *absolutionis beneficium ab excommunicationis sententia, vel quamcumque reuocationem ipsius, aut suspensionis, seu etiam interdicti, per vim, vel metum extorta præsentis constitutionis authoritate omnino viribus vacuamus.* Sextò promissio, vel traditio rerum Ecclesiæ ex metu. *cap. peruenit, de iureiur. & cap.* 1. 11. *q.* 6. Septimò assignatio tutoris, vel curatoris metu facta, ex *l.* 1. *§. vlt. ff. de author. tut.* Alia sunt, in quibus est controuersia inter Doctores, an sint ipso iure irrita, vel veniãt, sicut reliqui cõtractus, rescindenda. Primò dubitatur de sponsalibus, de quibus tenent plures DD. inualida esse, ex *cap. ex litteris, de despons. impub.* vbi puellæ contrahenti per metum cum impubere, datur facultas accipiendi alium virum, si noluerit spectare, vt puer 14. attingat. Signum ergo est sponsalia valida non fuisse, aliàs ratione impedimenti publicæ honestatis, non daretur libera facultas contrahendi cum alio quolibet. & ita tenet Couarr. 4. *decret.* 2. *p. c.* 3. *§.* 1. *n.* 1. Thom. Sanch. defendit pluribus relatis, vt probabilius, *lib.* 4. *disp.* 19. *n.* 3. Azor *lib.* 1. *cap.* 11. *q.* 7. *in* 1. *casu.* Salas *tract.* 3. *disp.* 3. *sect.* 1. *n.* 27. Gutierr. *de matr. c.* 76. *n.* 42. Regin. *lib.* 31. *n.* 88. Bonacina *q.* 3. *p.* 8 *n.* 31. Verùm hic textus non satis probat sponsalia fuisse irrita, nam esto valida fuissent, poterat Pontifex ob iniuriam factam infirmare, & licentiam puellæ contrahendi cum alio quolibet concedere, cum quo impedita non esset, impedimento publicæ honestatis. Item hoc impedimentum publicæ honestatis non videtur nasci ex sponsalibus ita infirmis, quæ possunt pro voluntate partis irritari: hęc enim iure reputantur quasi irrita, vt tenet Lessius *lib.* 2. *cap.* 17. *dub.* 6. *n.* 37. Deinde quia illa puella non solùm coactum consensum, sed nec consensum videtur habuisse, ait enim text. *nolens, & inuita minis parentum impulsa*; denotat ergo minas parentum non solùm effecisse illam inuitè consensisse, verùm nec consensisse, aliàs illi duo termini non satis explicantur, docet ibi gloss. *verb. desponsati*, & Innocent. *ibi, in princ.* Addere aliquis poterat, ex Alex. de Neuo *in suprad. cap. ex litteris, n.* 5. *&* 6. metum incussum non esse in contractu sponsalium, sed in traductione ad domum, & cõsequenter in matrimonio. Ait enim text. *Puella quædam anno 12 iurata fuit, & desponsata cuidam puero, nouem, vel decem annorum, & tempore procedente, de voluntate parentum, potius quàm de sua, sicut asserit, ad domum patris pueri adducta, vbi nolens, & inuita minis parentum impulsa, moram fecit per annum.* Metus ergo fuit in traductione ad domum, & detentione, non autem in sponsalibus prioribus. Verùm, vt rectè ait Thom. Sanch. *lib.* 4. *disp.* 19. *n.* 3. si coactio nulla præcessisset in sponsalibus, sed solùm ad matrimonium; nulla esset occasio sponsalia irritandi, præcipuè cùm puer causa non fuerit coactionis, ac proinde non debebat iure acquisito priuari. Præsumendum ergo est metum non solùm in traductione, sed etiam in sponsalibus contigisse, sed non ob id sunt irrita, sed irritanda, & ita tenet Lessius *suprà.* Ochagau. *tract. de matr. q.* 33. *n.* 1. Henriq. *lib.* 11. *de matr. cap.* 9. *n.* 6. Petr. de Ledesm. *de matr. q.* 47 *art.* 3. *circa* 3. *arg. dub.* 2.

4 Secundò dubitatur de dote, an eius promissio, & solutio metu extorta sit iure positiuo irrita? Negat Barbos. *rubr. ff. sol. matr.* 4. *p. n.* 31. *&* 32. casu quo dos absolutè absque determinatione quantitatis promitteretur. Bart. *in l. si mulier, §. si dos, ff. de eo quod metus caus.* & Alex. de Neuo *cap. cum locum, n.* 28. *de sponsal.* nisi promissioni dotis stipulatio adiungatur. Mouentur, quia esto dos accessoria sit matrimonio, eo quòd sine matrimonio esse non possit. *l.* 3. *ff. de iur. dot. l. fin. verb. sicut, C. de donat. ante nupt.* At non semper accessorium sequi debet naturam principalis, alias assistentia matrimonio parochi, & testium coacta non valeret, quia matrimonium per metum non valet, solùm enim accessorium debet sequi naturam principalis, quando eadem ratio militat in accessorio, ac in principali. *l. etsi is, C. de præd. min.* At in dote non militat eadem ratio; ratio enim quare matrimonium per metum ab Ecclesia irritum redditur, est, quia si semel validum esset, irritari non posset; at dotis promissio, & solutio irritari, & annullari posset, quantumcumque valida priùs esset. Ergo.

Communis sententia tenet irritam esse (& idem est de arrharum promissione, & solutione.) ita gloss. *cap.* 2. *verb. coactus, de his quæ vi.* Abbas *n.* 9. Anchar. *n.* 3. Hostiens. *ad fin.* Gregor. Lop. *tit.* 11 *p.* 3. *l. fin. verb. oprometiesse.* Padilla *l. interpositas, n.* 9. *C. de transact.* Thom. Sanch. *lib.* 4. *de matrim. disp.* 12. *n.* 23. Azor *lib.* 1. *cap.* 11. *q.* 7. *§. secundus casus.* Lessius *lib.* 2. *cap.* 17. *dub.* 6. *n.* 37. Salas *tract.* 3. *disp.* 3. *sect.* 1. *n.* 27. Probatur ex *l. si mulier* 21. *§. si dos, ff. de eo quod metus causa.* ibi, *si dos metu promissa sit, non puto nasci obligationem, nec talem promissionem dotis vllam esse.* Idem habetur *l. fin. tit.* 11. *part.* 3. Ratio quare motus fuit Consultus ad irritandam dotis promissionem, est, quia est accessoria matrimonio, quod per metum est irritum, & licèt non militet eadem ratio in dote, ac in matrimonio, vt bene probat supradicta ratio contraria. Hoc solùm probat non fore irritam promissionem dotis, eo quòd matrimonium irritatum sit: at non probat sufficientem causam non adesse, vt Consultus motus fuerit irritare promissionem dotis, sic enim fauet irritationi matrimonij factæ ab Ecclesia.

5 Tertiò dubitatur de constitutione procuratoris ad negotia, an sit irrita, vel irritanda, si fiat ex metu? Affirmat irritam esse Flamin. *de resign. lib.* 9. *q.* 7. *n.* 42. vbi testatur esse communem, *& lib.* 13. *q.* 1. *n.* 47. Basil. de Leon *lib.* 4. *cap.* 8. *n.* 15. *& cap.* 14. *n.* 16. Sarmiento *de redditib. p.* 1. *c.* 4. *n.* 8. & alij quos ipsi referunt. Mouentur ex *cap. accedens, de procur.* vbi mandatur cuidam detinenti in sua potestate nobilem mulierem plenæ libertati restituere, vt sic existens libera, procuratorem liberè ordinare valeat. Verùm, vt rectè ait Thomas Sanchez *lib.* 4. *de matrim. disp.* 12. *n.* 22. cum Couarr. 4. *decret.* 2. *p. cap.* 3. *§.* 5. *n.* 9. *ad fin.* Padilla *l. interpositas, n.* 7. *C. de transact.* Ludou. Rom. *sing.* 124. supradictũ text. non probare irritam esse constitutionem procuratoris, cùm nullum sit verbum annullans, solùm enim cauetur liberè efficiendam esse, quod verum est: cùm autem nullus textus in iure sit, in

in quo constitutio procuratoris per metum irrita censeatur, affirmandum est validam fore, & venire rescindendam, & ita tenent supradicti Doctores, Azor *lib.1.cap.11.quæst.10.* Excipitur tamen solùm constitutio procuratoris ad matrimonium, hæc enim si coacta fiat, nulla est, quia nihil matrimonio deseruire potest. Assignans enim procuratorem, non alia ratione matrimonio celebrato per procuratorem consentit, nisi quatenus procuratorem assignat, & vices suas tribuit. Si igitur consensus in matrimonio metu præstitus est nullus, & assignatio procuratoris ad illud etiam nulla erit, & ita tenet Couarr. & Padilla, & Thomas Sanchez *suprà.* Hostiens. *cap.cùm locum, paulò post princip.de sponsalib.* vbi Ioan.Andr. *num.1.* Imola *cap.2. de his quæ vi, n.5. fine.* Basilius de Leon *lib.4.cap.14.n.16.* quamuis contrarium teneat Azor *illa quæst.10.*

Aduertit tamen Flamin. *lib.13.quæst.1.num.48.* ad reuocationem procuratoris ad resignationem, metu graui assignati, non requiri intimationem fieri ipsi procuratori, vel resignatario, sed sufficere, si clàm fiat, quia ille diminutus consensus, quo assignatus fuit, qualibet reuocatione potest tolli. idem tradit Ruinus *consil.171. num. 21.* limitans hoc modo *Clement.1. de renuntiat.* vt quando procurator fuit constitutus metu, possit etiam clam reuocari.

6 Quartò dubitatur de iurisdictione data, vel prorogata per metum, de qua docent glossa *cap.2. de his quæ vi, verbo coactus,* non valere, vbi Abbas *num.12. & 17.fin.* Anton. *num.10.* Anchar. *num.3.* Imola *num.4.* Bart. *tract.de tyran.num.14.* Bald. *l.decernimus, num.5.C.de sacrosanct.Eccles.* Azor *lib.1.cap.11.quæst.7.§ tertius casus.* Salas *1.2.tract.3.disput.3.sect.1. num.27.* Basilius de Leon *lib.4.cap.8.num.14.* Mouentur primò ex *l.2. ff. de iudic.* vbi resistens quidam ex litigantibus tribuere iurisdictionem cuidam iudici, & compulsus concessit, dicitur nullam esse iurisdictionem. Secundò electio prælati metu facta nulla est, ex *cap. vbi periculum, §. cæterùm, in princ. de elect. in 6.* ibi, *cessat electio, dum libertas adimitur eligendi.* Nam, vt ait glossa, electio procedit ex consensu; liber ergo debet esse, iuxta *cap. cùm locum, de sponsalib.* Ergo iurisdictio per metum non datur, neque prorogatur.

Verùm probabilius censeo iurisdictionem metu concessam, vel prorogatam valere, quia nullus est textus, vbi expresè irrita declaretur, ac proinde debet sortiri forum, quæ sortiuntur gesta per metum, quæ valida sunt; ita tenet Cardinal. *cap.2. de his quæ vi, num. vnico, versic. quintus casus, & cap.licet 31. de elect.* Thomas Sanchez *lib.3.de matrim.disp.39.num.13.* Lessius *lib.2.cap.17. dub.6.num.37.* Neque obstant contraria.

Ad primum dico, ibi esse casum specialem, cogebantur enim litigantes consentire in iudicem non suum, ideóque talem consensum nullum esse decernitur, ac proinde quotiescumque à partibus litigantibus datur, vel prorogatur iurisdictio alicui, cui aliàs partes non sunt subiectæ, talis iurisdictio, collatio, & prorogatio per metum facta nulla est, & gesta ex illa nullius sunt roboris; secus de aliis actibus.

Ad secundum dico, si integrè adimatur libertas, cessat electio: at cùm per metum, non integrè, sed secundùm quid adimatur; non enim metus tollit omnino libertatem, sed illam diminuit, ideo nec tollit electionem, sed tollendam, & cassandam inducit. Aliàs & concupiscentia, & prauus animi affectus cassaret electionem, cùm ab vtroque dicatur debere eligentem liberum esse.

Ex quo infertur electionem factam per metum validam esse, cùm in nullo textu inueniatur irrita ipso iure. Esto contrà teneat Nauarr. *cap. accepta, de restitut. spoliat. opposit.5. num.8. & 23.* Flamin. *de resignat.lib.13.q.2. num.14.* cum glossa *in cap.bonæ, 1. de elect.* Innocent. *in cap.quod sicut, eod.tit.* Azor *lib.1.cap.11.q.11.* Couarr. *4. decret.2.p.cap.3.§.5.num.8.*

7 Quintò dubitatur de sententia per metum lata, an sit iure irrita.

Affirmat Hostiens. *summ. tit. de his quæ vi.* Salas *1.2. tract.3. disput.3. sect.1. num.27.* Verius tamen est valere, vt tenet Azor *lib.1.cap.11.quæst.8.* cum glossa, Archidiacono, & Panormitano, quia nullibi inuenitur irrita.

8 Sextò dubitatur de renuntiatione beneficij. Esse nullam, si fiat ex metu graui, docet Bonifac. *in Clement. multorum, num.27. de pœnis.* Anton. de Butrio *in cap.super hoc, de renuntiat.* Staphileus *de litteris gratiæ, tit.de varijs mod.vacat.num.24. & seq.* Probus *in addit.ad Ioann. Monach.in rubr.de renuntiat.* Anton. *in cap.ad aures, de his quæ vi, quæst.6.num.2.* inclinant Hostiens. *in summ. tit.de renuntiat. §.qualiter.* Innocent. *in cap.ad aures, & in cap. super hoc, de renuntiat.* & longo tempore docuit Nauarr. vt ipse testatur, *in cap.accepta, de restitut. spoliat.opposit.5. num.1.& seqq.* Basilius de Leon *lib.4.cap.8.num.16.* Mouentur primò, qui renuntiat Ecclesiam ex metu, restituitur ad illam sine noua collatione, quod constat ex *cap.ad aures, de his quæ vi.* Ergo signum est beneficij titulum non amisisse. Secundò *in cap. ad audientiam,* dicitur renuntiationem beneficij metu factam, robore firmitatis carere debere. Tertiò *in Clement.multorum, 2.de pœnis,* decernitur renuntiationes modo supradicto extortas (id est, per captionem, & detentionem iudicis sæcularis,) licèt à resignantium ipsorum Prælatis receptę, aut ratæ habitæ fuerint; nullius omnino decernimus esse firmitatis. Ergo non valent ipso iure. Verbum enim *decernimus,* vt optimè probat Nauarr. *suprà n.8.* & Flamin. *n.3. & 4.* decretum nouum inducit.

Verùm probabilius existimo resignationem beneficij metu graui factam valere, sicut & alia metu gesta valent, quousque rescindantur. tenet plures referens Flamin. *lib.13. de resignat.benefic.quæst.2. num.8.* Nauarr. *in cap.accepta, de restitut.spoliat. opposit.5.num.7.* Azor *lib.1. cap.11. quæst. 9.* Lessius *lib. 2. cap.17. dub. 6. num. 37. §.nonus.*

Probo primò, etsi iuramentum metu extortum valeat, *cap.verum, de iureiurand.* at si apponatur actui, qui nullus est, & à iure reprobatus, non valet, *cap.cùm contingat, de iureiurand. cap. quamuis pactum, de pactis in 6. cap.licet, eodem lib.authent.sacramenta puberum, C. si aduersùs venditionem*; at iuramentum de renuntiatione beneficij metu facta valet; itémque iuramentum de beneficio renunciato non repetendo, *cap.si verò, de iureiurand.* & tradunt ibi glossa, & Doctores. Ergo illa renuntiatio valida est.

Secundò, quia in nullo textu inuenitur talis resignatio irrita, quod videri potest, si expendamus textus in contrarium adductos, & primò *supradicto cap.ad aures,* non dicitur renuntiationem illam non tenere, sed solùm dicitur, *non impediri, quominus is qui renuntiauit Ecclesia, ad cuius regimen prius fuerat electus, præficiatur eidem.* vbi non indicatur debere præfici sine noua collatione. Adde etsi absque noua collatione præficiatur, non inde inferri non amisisse titulum per renuntiationem, quia quando restituitur Ecclesiæ, simul etiam confertur titulus: illa enim restitutio est tacita beneficij collatio, quæ rescissa renuntiatione omnino sufficit, sicuti si absque titulo canonico obtineres beneficium, & dispensationem de impedimento obtineres, posses collationem antiquam, sine alia nouè facta continuare, vt ex Gemin. *in cap.fin.61.dist.* tradit Nauarr. *suprà num.18.* Ita poteris redire ad beneficium pristinum, rescissa renuntiatione priùs facta absque noua illius collatione; illa enim rescissio, & beneficij restitutio est tacita beneficij collatio, sic tenet aliis relatis Flamin. *suprà num.23.* Nauarr. *num.15. & seqq.* Rebuff. *de pacifico possess. n.328.* &

*& num.*181. Limitat tamen Flamin.*n.*28.Rebuff.*n.*183. nisi alteri fuerit beneficium collatum, tunc enim videtur desiderari noua collatio, qua ius extinctum reuiuiscat,& collationem alteri factam annullet. Item *in cap. ad audientiam*, solùm dicitur renuntiationem metu factam *carere debere robore firmitatis*; quæ verba optimè adaptantur carentiæ, & priuationi faciendæ per sententiam. Solùm autem *Clement. multorum, de pœnis*, est quæ in præsenti difficultatem ingerit, propter verba illa,*nullius omnino decernimus esse firmitatis*; quæ videntur ipso iure annullare resignationem sic factam, sed quia ille est casus specialis, non debet ad alias resignationes extendi: quare solùm eæ resignationes, quæ fuerint per metum, & detentionem, seu incarcerationem iniustam, nullæ erunt; secus de aliis, quæ solùm per metum extorquentur absque captione. sic glossa *in supradicta Clement. Bonifac. num.*27. Hostiens. *in cap.ad aures.* Ruin.*consil.*121.*num.*14. *vol.*4. *& num.*19. *vers.sed & præmissis.* Nauarr.*suprà num.*8. Flamin.*num.*18.

Ex dictis infero cum Nauarr. *suprà à num.*20. & Flamin. *à num.*19. ante restitutionem faciendam per iudicem non posse sic renuntiantem ministrare in beneficio,& eius fructibus vti,quia non habet titulum, sufficit tamen si iudex competens parte non citata restituat. iuxta *cap. Abbas, de his quæ vi.* Panormit. *notab.* 2. *& cap. si verò, de iureiurando*, & ibi Panormit. & Felin. Secundò infero renuntiantem metu non posse ordinari ad titulum illius beneficij. ita Nauarr.*num.*22. Flamin. *num.*32. quia per renuntiationem titulum amisit. Tertiò non teneri ad horas canonicas, si alia ratione non adstringitur, sicuti non tenetur electus ante confirmationem, præsentationem, & institutionem, quia absolutè non habet beneficium. Nauarr. & Flamin.*suprà.* Quartò sic renuntians, etsi remanserit in beneficij possessione per triennium, non tamen iuuatur decreto de pacificis possessoribus, quia possidet absque titulo, sic Rebuff. *tractat. de pacifico possessore, num.*355. Flamin. *num.*35. At si spoliatus beneficio, postea sit in illo restitutus, tempus intermedium, quo caruit beneficio,non obstat,quominus tempus præcedens, quo possedit beneficium, coniungatur cum tempore postea subsequuto. v.g.si per annum possedit iustè præcedente titulo, & renuntiauit metu, postmodum fuit restitutus ad dictum beneficium sine noua collatione, illúdque possedit per biennium, vtique hæc tempora coniunguntur, vt iuuetur decreto de pacifico possessore. ita ex Rebuff. *suprà num.*328.docet Flamin.*num.*63.

9 Septimò dubitatur, an si metu cogaris contrahere matrimonium cum aliqua ex filiabus Petri, teneat matrimonium?

Affirmat tenere Azor *lib.*1. *cap.*11. *quæst.*11. Sylua nuptialis *lib.*2. *num.*119. Cosma *pragmat. sanctio. tit. de electione*, §.*ad tollendum, versic.liberè.* Ioan.Lupus *cap.per vestras, de donat.inter virum & vxorem, notab.*3.§. 11.*n.*1. Abbas,Felinus,Imola,Iason,& alij,quos refert Couarr. 4.*decret.*2.*p.cap.*3. §.5.*n.*8.

Probatur primò, quia illud matrimonium dici non potest coactum, sed omnino liberum, & voluntarium, cùm nulla sit coactio facta circa electionem illius fœminæ, esto sit facta circa electionem absolutè. Secundò si cogaris regimen Ecclesiæ assumere,relicta tibi facultate eligendi,quam malueris Ecclesiam, electio valida est, sicuti valet electio,si electores cogerentur non certam personam, sed aliquam ex certis eligere in regimen alicuius Ecclesiæ,vt tradit Azor, & Couarr. *suprà*, cum Panorm.& communi sententia. Ergo similiter debet valere matrimonium, si non certam personam, sed vnam ex certis cogaris assumere, quia substantia electionis videtur non coacta,sed libera.

Verùm probabilius existimo tale matrimonium non valere; ita tenet Couarr.*suprà*, cùm Bart.Bald.Decio, & Philippo,Ioan.Salas 1.2.*tract.*3. *disput.*3.*sect.*1. *n.*27. Thomas Sanchez plures referens *lib.*4. *disput.*12. *n.*20. Padilla *in l.interpositas, num.* 6. *C. de transact.* Rebellus 2.*p.lib.*2.*quæst.*11.*sect.*1. *num.*11. Basilius de Leon *lib.*4. *cap.*14.*num.*14. Moueor, quia sic coactus verè,& propriè dicitur ex metu, & coactione assumere matrimonium,aliàs non assumpturus. Ergo tale matrimonium comprehendi debet sub decreto irritanti matrimonia coacta. Tum quia verè est coactum, tum quia ex illo infelices exitus possunt timeri, sicuti ex quolibet alio matrimonio coacto, quæ fuit ratio irritationis. Argumenta adducta pro prima sententia non obstant.

Ad primum patet solutio ex probatione nostræ conclusionis. Ad matrimonium enim liberum non sufficit electio huius,vel illius personæ, sed requiritur, vt electio talis status libera plenè sit,& non coacta.

Ad secundum respondeo primò, si electio coacta irrita esset, ex *cap.*3.§.*cæterùm, de elect.lib.*6. sicuti irritum est matrimonium metu contractum, ex *cap. cùm locum, de sponsalib.* probabilius iudicarem, etsi tibi optio daretur eligendi vnam ex determinatis personis, vel Ecclesiis, si tamen per metum iniustum ad electionem cogereris,fore electionem irritam, quia talis electio coacta est absolutè.

Secundò respondeo cum Sanchez esse disparem rationem de electione,& de matrimonio: ad electionem enim faciendam inter duos,obligari poteras ex lege, & præcepto superioris. At ad matrimonium nulla lege obligari potes, nisi priùs ex tua voluntate obligeris. Ergo licèt metus incutiatur, vt fiat electio,si tamen libera optio detur inter personas, non videtur coactio sufficiens irritandi electionem, quia non cogeris ad id, quod aliàs ex præcepto obligari non poteras. Fateor hanc solutionem mihi non satisfacere.

Probatur enim ex illa nullam electionem futuram esse irritam, quia de qualibet esse potest lex, & præceptum obligans fieri. Quapropter retinendam existimo priorem solutionem.

PVNCTVM X.

Vtrùm metus, cui causam dedisti, obstet obligationi contractus.

1 *Omnes contractus extra matrimonium, & professionem esse validos.*
2 *Præfertur prima & secunda sententia probabilis matrimonium non valere.*
3 *Defenditur vt probabilius ex hoc metu non irritari matrimonium.*
4 *Satisfit argumentis primæ & secundæ sententiæ.*
5 *An si mineris malum absque animo inferendi, retinere possis,quæ sic extorques.*

1 Extra contractum matrimonij, & professionem ferè nullus Doctor est,qui affirmet obstare obligationi contractus, quia cùm tota ratio rescindendi contractus validos,sit iniuria, & hæc absit,cùm tu metui causam dedisti; non est, vnde contractus rescindatur, & traditur expressè *in l.metum 9. in princ. l.si mulier 21. ff. de eo quod metus causa.* vbi mulier contra patronum ingrata, & aliquid ei promittens,ne in seruitutem redigatur, tenet promissio, quia *hunc sibi metum* (ait Consultus) *ipsa infert.* & ita docent Sylueft.*verbo metus, quæst.*6. Flamin. *de resignat. lib.*13.*quæst.*1.*num.*122. Lessius *lib.*2.*cap.*17.*dub.*6. *num.*41. Thomas Sanchez *lib.*4. *disp.*8.*num.*8. *&* 9. & eleganter Donell. *lib.*15.*comment. cap.*39.§.*non est satis.*

2 Solùm de matrimonio (& idem est de professione) est controuersia inter Doctores, an metus iustus, cui causam dedisti,annullet matrimonium? v. g. Repertus

es in delicto, minatur tibi inuentor occupationem, vel denunciationem, nisi eius filiam ducas; accusatio enim, vel denunciatio iusta est, tu fuisti illius causa. Dubium ergo est, an teneat matrimonium celebratum timore ne accuseris. Hanc quæstionem optimè, ea claritate, & eruditione, qua solet, omnia explicuit Thom. Sanch. *lib.4. de consensu coacto disp.*13. Triplicem sententiam refert, duas probabiles. Tertiæ vt probabiliori adhæret.

Prima negat valere matrimonium, quia metus, siue iustè, siue iniustè inferatur, æquè adimit libertatem. Ergo si ob defectum libertatis irritatur, cùm metus incutitur iniustè, etiam cùm iustè incutitur irritabit. Confirmo, quia æquè ex vtroque matrimonio infelices exitus sperari possunt, cùm contra voluntatem illius patientis metum fiat. Secundò, *in cap. veniens el 2. de sponsalib.* iudicatur matrimonium irritum cuiusdam adolescentis, qui à parentibus cuiusdam puellæ repertus cum ea in lecto, coactus fuit eam ducere, cùm tamen videatur talis metus iustè incussus. Ergo metus iustè incussus matrimonium irritat. sic docet Couarr. 4. *decret.* 2. *part. cap.* 3. §. 4. *num.* 15. Manuel 2. *tom. sum. cap.* 93. *num.* 3. Gutierr. *de iuram.* 1. *part. cap.* 57. *num.* 9.

Secunda sententia distinguit. Si metus sit lege incussus ad illum finem extorquendi matrimonium, matrimonium valet: si autem non sit à lege incussus, sed iudex, vel alius propria authoritate incutit metum, irritum reddit matrimonium, v.g. violasti puellam. potes enim ex lege obligari ducere, vel solùm dotare. si ex lege obligatus es ducere, valet matrimonium, secus si ex lege non obligaris. Priorem partem probat Sanch. quia tunc non ab alio, quàm à te metus incutitur; si enim tu commisisti delictum, cui annexa est obligatio ducendi puellam, cùm eã ducere obligaris, obligaris ad id quod iam es obligatus, aliàs celebrans sponsalia, cogi non posset perficere, quod falsissimum est: tum quia talis coactio debita est nolenti promissis stare, ac proinde irritare contractum non potest: tum etiam, quia iudex iuridicè procedens, non dicitur metum inferre. *l. continet. §. sed vim. ff. de eo quod metus causa.* & in hac parte ferè nullus est, qui dissentiat, vt videri potest in Farinacio 1. *part. pract. crim. quæst.* 5. *num.* 17. Basil. de Leon *lib.* 4. *cap.* 13. *num.* 5. Neque obstat textus *in cap. fin. de appellationib.* vbi patiens metum à iudice excusatur, ne appellationem interponat, quia ibi erat metus iniustus, de iure enim non debet iudex appellationem impedire: si autem metus iustus esset, non excusaret, vt benè ex Decio, Imola, & aliis docet Basilius *num.* 6. *&* *cap.* 19. *n.* 7. Secundam partem sic probat. Primò, quia nemo ab alio quàm à se ipso obligari potest ad matrimonium, vel professionem, sunt enim status summam libertatem requirentes: at ex delicto commisso non est delinquens obligatus ad matrimonium, vel professionem, vt suppono. Ergo si de facto obligatur ex metu graui, iniustè obligatur, non enim iustum est matrimonium extorquere ab eo qui iustè renuere poterat. Secundò si habens ius accusandi de delicto, vt cedas accusationi, extorqueas à delinquente summam aliquam, quæ excedat pretium iustũ accusationis vltra dimidium; vel vt concedas latebras latroni fugienti, extorqueas ab illo contractum nimis damnosum, committis iniustitiam, & contractus rescindi potest, vel ad æqualitatem reduci, vt docet Lessius *lib.* 2. *cap.* 17. *dub.* 6. *num.* 45. quia obligas delinquentem cessionem iuris emere plus iusto. Ergo etiam erit iniustitia, si ob hanc cessionem extorqueas matrimonium ab eo aliàs non celebraturo, quia petis rem non solùm vltra dimidium, sed infinitum excedentem cessioni iuris accusandi, & cuilibet alteri actioni. Ergo matrimonium ex tali contractu celebratum est nullum. Probo hanc vltimam consequentiam, quia metus, & dolus sufficiens ad rescindendos alios contractus, reddit contractum matrimonij nullum, eo quòd semel validum rescindi non potest. & ita supponit pro certo Sanch. *lib.* 4. *de matrim. disp.* 6. *num.* 2. cum Couarr. 4. *decret.* 2. *part. cap.* 3. §. 6. *num.* 4. docente ab omnibus esse receptum. Nauarr. Ludou. Lop. & alij. Tertiò accusatio delicti ad punitionem delicti ordinatur, non ad matrimonium. Ergo iniustè facis, si per accusationis minas matrimonium extorqueas. ita Sotus 4. *d.* 29. *q.* 1. *art.* 3. *vers. hinc primò colligitur.* Cord. *sum. q.* 171. *p.* 1. Bonacina *de matrim. q.* 3. *p.* 8. *prop.* 1. *num.* 11. *&* *seqq.*

3 Verùm probabilius censeo nunquam matrimonium irritari ob metum iustè incussum ad extorquendum matrimonium, quia tu propriè non incutis metum, sed metu aliunde incusso offers matrimoniũ in remedium illius. Explico hanc rationem: comprehensus es in delicto, ratione delicti iustè timere potes, vt accuseris; qui ergo à te petit matrimonium, ne accuset, tibi offert matrimonium, vt extinguat timorẽ accusationis iam conceptum. Ergo iniustè non procedit, cùm non timorem apponat, sed remedium. Deinde minans tibi accusationem, nisi matrimonium celebres, non te obligat, si renuas matrimonium subire, aliquod malum, quod aliàs subire non tenereris. Ergo nullam iniustitiam tibi facit extorquendo matrimonium, cùm non extorqueat inferendo aliquod malum. Tertiò non potest dici tale matrimonium coactum, cùm nullus te cogat celebrare, sed à te ipso, & à tuo delicto coactio oritur, siquidem ab illo oritur metus accusationis. ita Thom. Sanch. plures referens *lib.* 4. *disp.* 13. *num.* 3. Lessius *lib.* 2. *cap.* 17. *dub.* 6. *num.* 40.

4 Argumenta verò primæ & secundæ sententiæ non obstant.

Ad primum primæ sententiæ nego irritari matrimonium metu iniustè incusso ob defectum libertatis, vtcunque, sed ob defectum libertatis prouenientis ex iniuria, vel, vt meliùs dicam, potius ob iniuriam, quàm ob defectum libertatis. Ad confirmationem dico eodem modo matrimonium irritari, non quia infelices exitus ex illo sperantur: sed quia sperantur ex illo tanquam ex causa iniusta.

Secundò respondeo generaliter loquendo ex matrimonio, metu iustè incusso, non sperari infelices exitus, sicut ex matrimonio iniustè petito: quia si iustè infero tibi metum, iam tu causa illius es, ac proinde matrimonium non est tibi ita inuoluntarium, cùm saltem in causa voluntarium, & omninò liberum fuerit.

Ad textum *in cap. veniens* 2. *de sponsalib.* respondetur, tale matrimonium irritari, non quia parentes minati fuerint delinquenti accusationem, sed quia minati fuerint mortem, vel aliud damnum propria authoritate inferendum: quod malum iniustè minabantur, cùm secundùm canones inferre non possent. Et licet ex text. talis comminatio non colligatur, sed absolutè dicatur valere matrimonium, nisi coactio fuerit metu cadente in constantem virum, hoc sufficit, vt intelligamus, debere esse metum alicuius grauis mali iniustè inferendi, quia metus mali, quod delinquens sibi infert, non cadit in virum constantem, neque virtute illius dici potest delinquens coactus, vt constat ex *l. si mulier* 21. *in princ. ff. de eo quod metus causa.*

Secunda sententia quoad primam partem nobiscum consentit; quoad secundam, quæ nobis non probatur, respondeo neminem obligari posse ad matrimonium, vel professionem ab alio, quàm à se ipso absolutè: potest tamen sub conditione obligari, scilicet, si velit, vt tu cedas alicui iuri, quod habes aduersùs illum, ob cuius cessionem expostulas matrimonium, vel professionem. tunc enim non cogis ad matrimonium, sed ipse se cogit, qui vult cessionem impetrare.

Ad secundum respondeo concedendo metum iniustè incussum, qui sufficiens sit ad rescindendos alios contractus, annullare matrimonium, sed quia metus iustè

iustè incussus etiam cum enormi læsione, non rescindit cæteros contractus ratione metus, sed ratione læsionis, ea de causa non annullat matrimonium.

Dices, Etsi non annullet ratione metus, debet annullare ratione læsionis.

Respondeo, si læsio sit circa substantiam contractus, fateor annullare; at si sit circa accidentia, nullo modo annullat. Læsio autem circa substantiam in contractu matrimonij, solùm contingit, quando est error in persona, vel conditione seruili, vt si contrahas cum Maria putans esse Catalinam; vel contrahas cum ancilla, putans esse liberam. Existimare autem esse nobilem, diuitem, vel virginem, non ad substantiam contractus, sed ad accidentia illius pertinent, ac proinde non annullat talis læsio. At in reliquis contractibus bonæ fidei, quælibet læsio in pretio, est læsio in substantia, eáque de causa rescindi contractus potest, vel ad æqualitatem reduci, & ita docuit Sanchez *lib.4.disp.6.n.15.*

Ad tertium concedo delicti accusationem non ad matrimonium de se ordinari, sed ad punitionem. Nego tamen te committere iniustitiam extorquendo matrimonium, vt ab accusatione cesses, quia non extorques matrimonium absolutè, sed sub conditione, quod alius velit te cedere iuri accusandi.

5 Sed inquires, an si minans alicui malum sine animo inferendi, etsi posses iustè inferre, valeas retinere, quod sic extorques?

Molin. *tom.2. de iustit. tractat.2. disput.514. fine*, negat retinere posse. Primò, quia alius non donat, nisi in quantum intelligit sibi necessarium esse ad vitandum malum comminatum, aliàs non donaturus. At ad hunc finem non est necessarium; siquidem etsi non donaret, adhuc malum non fieret. Ergo donatio est nulla.

Credo tamen probabilius retineri posse sic donatum, nec posse repeti. Probo, quando petis alicui pretium, ne accuses, carens animo accusandi, aliúsque tibi pretium donat, donat pretium, vt cesset accusatio, non vtcumque, sed vt cesset certò, securè, & irreuocabiliter. Ad cuius modum cessionis necessariò requiritur pretium esse donatum. Et confirmo, pretium expetis, non solùm ne accuses, sed vt ne possis accusare, etsi velis; ac proinde, vt cedas iuri accusandi, cui cessioni impertinens est te habere, vel non habere animum accusandi. Neque obstat ratio in contrarium. Fateor delinquentem non daturum pretium, si cognosceret minantem malum non habere animum inferendi, at quia non dat, vt deponat talem animum, sed vt deponat certò, & securè accusationem, & hæc depositio non fiat sine obligatione, ideo donatio tenet. sic docet Sanchez *lib.4. de matrim. disput.9. num.9.* Lessius *lib.2. cap.17. dub.6. num.42.*

Pvnctvm XI.

Aliqua inferuntur pro clariori intelligentia superioris doctrinæ de metu graui.

1 *Valere matrimonium condemnati ad mortem, cui offertur libertas, si ducat filiam, aut consanguineam occisi.*

2 *Quid dicendum de Medico nolente mederi, nisi ducas eius filiam.*

3 *Quid de iudice extorquente iustè matrimonium secundùm allegata, & probata, iniustè tamen secundùm rem.*

1 Primò infero, validum esse matrimonium condemnati ad mortem, cui libertas offertur, si ducat meretricem, vel filiam, aut consanguineam occisi, quia tunc matrimonium non extorquetur per metum, sed metu mortis iam per delictum incusso, offertur matrimonium, vt medium purgandi metum. ita Sanchez aliis pluribus relatis *disput.18. num.9. & 10.* quæ ratio non solùm probat validum esse matrimonium à capto, condemnatóque iustè ad mortem, sed etiam ab eo qui iniustè captus, condemnatúsque sit; (modò tamen non capiatur, vel condemnetur sine extorquendi matrimonium,) quia semper offertur matrimonium, vt medium purgandi metum aliàs incussum. sic Sanchez *suprà num.11.* Valent. *tom.4. disput.10. q.3. punct.2. vers. decimus.* Bonacina *de matrim. quæst.3. punct.8. proposit.2. num.20.* Coninch *disput.28. de matrim. dub.1. num.10.* Nauarr. *lib.1. cons. tit. de his quæ vi, cons.8. in fine, 2. edit.* Basilius de Leon *lib.4. cap.19. à num.2.* esto *num.13.* aliqua ex parte contradicat.

2 Secundò infero Medicum nolentem te mederi, nisi ducas eius filiam, valere matrimonium, quia non timore mortis à Medico incussa matrimonium celebras, sed pretium curationis. Quod esto excessiuum sit, non annullat contractum, quia non est error & dolus in contractus substantia, sed in accidentibus, & ita tenet Cordub. *summ. quæst.171. p.1.* Coninch *suprà n.11.* Sanchez *disp.12. n.15.* Bonacina *n.23.*

Limitarem tamen huiusmodi doctrinam, nisi Medicus obligatus esset, vel ex iustitia, vel ex charitate te mederi pretio communiter taxato, tunc enim minans non curare, nisi ob matrimonium, minatur metum iniustè inferendum, ac proinde sub metu, iniustè matrimonium extorquet. ita Basilius de Leon *cap.13. num.3. & 9. & cap.19. num.15.* Ægidius *disp.28. dub.1. conclus.3. num.11. & 12.*

3 Tertiò infertur, quid dicendum sit ad illam quæstionem, an sit validum matrimonium, si iudex cogat iustè secundùm allegata, & probata, iniustè tamen secundùm rem; vt si te cogat matrimonium contrahere cum fœmina post promissionem datam fornicante. Thomas Sanchez *lib.4. disput.14. num.8.* Bonacina *de matrim. quæst.3. punct.8. num.14.* existimant validum esse matrimonium, quia huiusmodi compulsio, & coactio iuridica est, & iusta formaliter. Ergo non est credendum matrimonium ex illa contractum esse reprobatum à iure, si enim ius coactionem non reprobat, sed potiùs approbat, quomodo potest matrimonium ex coactione consurgens reprobare? Econtra verò dicunt supradicti Doctores, matrimonium non valere, si iudex cogat iniustè, secundùm allegata, & probata.

Nihilominus probabilius existimo ad irritationem contractus non esse attendendum, sitne coactio iusta, & licita ex parte iudicis, sed potiùs sitne iusta ex parte patientis coactionem. Fateor, inquam, quando iudex procedit secundùm allegata, & probata, falsò tamen probata, iustam esse coactionem ex parte sua; at ex parte patientis iustam non esse, sed iniustam, iniustè enim cogitur, cùm ipse non dederit causam tali coactioni. Ergo ius irritans contractum ex coactione iniusta hunc casum non excludit. Secundò si pater alicuius puellæ minaretur adolescenti cum ea reperto, mortem, nisi duceret, nullum esset matrimonium, vt omnes Doctores docent *in cap. veniens, el 2. de sponsalib.* quamuis ex errore existimaret pater sibi licitam esse coactionem, quia in re, & respectu patientis metum iniusta est: at quando iudex cogit ob allegata, & probata, quæ falsa sunt, in re, & respectu patientis metum, iniusta est coactio. Ergo rescindit contractum. Tertiò si tibi falsò probetur te dedisse fidem puellæ de matrimonio contrahendo, & cogeris carcere, vel excommunicatione contrahere, nequis dici causa talis metus, quia non tu, sed malitia, vel ignorantia testium illius est causa. Ergo rescindendus est talis contractus. Probo consequentiam ex *l. si mulier 21. in princ. ff. de eo quod metus causa*, vbi mulier contra patronum suum ingrata facta, timens ob ingratitudinem reducendam esse in seruitutem, ex hoc timore aliquid

quid dedit, donatio non reuocatur: quia hunc sibi metum ipsa intulit. Ergo ne rescindatur contractus, requiritur necessariò patiens metum, sibi metum intulisse: cùm autem in præsenti non sibi inferat metum, qui cogitur iniustè secundùm rem, etsi iustè secundùm allegata, efficitur contractum rescindendum fore. Quartò talis coactio iudicis in falsa præsumptione fundatur. sed ea quæ falsæ præsumptioni innituntur, non habent locum in foro animæ, quæ veritati debet stare. *cap. tua. cap. is qui fidem. de sponsalib.* ergo talis coactio in foro animæ non potest matrimonium approbare. Neque obstat ratio in contrarium. Dico enim illam coactionem iniustam esse ex parte patientis, licèt non sit iniusta ex parte iudicis inferentis, ac proinde ius ipsum non reprobat inferri, reprobat autem sustineri. quod mirum non est cùm in falsa præsumptione fundetur. sicque tenet Basil. de Leon *lib.4.cap.19.n.11.*

PVNCTVM XII.

An metus leuis irritet contractus.

1 *Metus leuis neque iure naturæ, neque positiuo irritat contractus.*
2 *An officio prætoris, vel in foro cõscientiæ rescindendi sint.*
3 *Mulier, vel filius metu reuerentiali consentiens non tenetur implere contractum.*
4 *Idem est dicendum de consentiente precibus importunis.*
5 *Proponuntur aduersus dicta aliqua obiectiones, & soluuntur.*

1 QVi dicunt iure naturæ metum grauem iniustè illatum irritare contractum, consequenter dicere tenentur metum leuem irritare, quia etiam iniustitia in tali metu intercedit. At quia probabilius existimamus metum grauem non annullare contractum iure naturæ, absolutè dicimus metum leuem neque contractum rescindere, neque matrimonium, vel professionem annullare. Ratio omnium est, quia metum leuem, pro nihilo reputat ius. quod constat ex *l. nec timorem 7.ff.de eo quod metus causa. & l.metus.eod.tit,* ibi, *metus vani hominis non est spectandus, sed is qui in constantissimum cadit. & reg. vani timoris. ff. de reg. iur.* ibi, *vani timoris nulla est excusatio.* & tradit Bonifac.*clem.1.num.3. de foro compet.* glossa *in cap.vnic. de his quæ vi. in 6. verbo subiacere,* & ibi Francus *in fine.* Lessius *lib.2. cap.17.dub. 6.num.46.* & Doctores passim.

2 Ex quo infertur iure Ecclesiastico, neque ciuili non venire rescindendum contractum leui metu celebratum, actione quod metus causa, quia hæc actio solùm datur ob metum grauem, vt constat ex supradicta *l.nec timorem, & ex cap.1.3. & 4. de his quæ vi.* esset enim occasio magna litium, si ob metum leuem daretur actio rescindendi contractum.

Aliquibus Doctoribus placet, esto non detur patienti metum leuem actio ad rescindendum contractũ iure positiuo, dari tamen officio prætoris, quia æquum non est iudicem permittere, vt metum inferens commodum ex iniuria reportet. sic docet Thom.Sanch.*disp.9. num.5.& 6.* Verùm rarò metum leuem patienti subuenietur officio iudicis (etsi possit) ne litibus ostium aperiatur. quæ ratio est sufficiens, vt iudices iustè hanc leuem iniuriam permittant. sic Basil. de Leon, relato Paulo Comit.*lib.4.de matr.cap.10.fine.*

Verùm etsi hoc ita sit, nihilominus in foro conscientiæ, omnes contractus tam lucratiuos, quàm onerosos factos per metum leuem rescindi probabilius existimo, si eos rescindere velit metum passus, quia cogens tali metu contrahere iniustitiam infert; tenetur ergo iniustitiam illam repellere in quantum possit. ergo tenetur, si potest, res in pristinum statum reducere, reducit autem, si coactum constituat, in statu, in quo possit liberè probare, vel reprobare contractum. Nam vsque hunc statum illi concedat, non manet reparatum eius ius, sed potiùs læsum. ita Couarr. *reg.peccatum 2.p.§.3. num.7.* Nauarr.*summ.cap.17.num.30.initio.* Nauarr.*de restitut.lib.3.cap.1. dub.7. num. 331.* Molin. *tom. 2. de instit. tract.2.disput.267.fin.* Thom.Sanch. *lib.4. disp.9. num.4.* Lessius *suprà num.46.* Rebel. *2.p.de obligat.lib.1.q.5.n.9. & 16.* & alij plures, quos ipsi referunt.

3 Ex hac doctrina infertur primò, si mulier, vel filius metu reuerentiali ductus fideiubeat, non teneri in conscientia soluere ex fideiussione, etiam si fideiussio solemnitates habeat à iure requisitas. Item si promittat soluturum debita patris, vel mariti morientis, non teneri soluere. & generaliter nullus tenetur stare contractui per metum leuem celebrato, sed potest se tueri exceptione iniuriæ factæ, & is qui aliquid ex tali contractu accepit, restituere debet. Ratio est, quia metu reuerentiali consentiens, per iniuriam consensit; potest ergo libertatẽ suam oppressam recuperare, & stando in iure naturali se tueri exceptione iniuriæ factæ. sic Lessius *num.48.* Sanch. *lib.4.disp.9.num.13.& 14.* Quare si donasti aliquid tali metu ductus, tibique non restituatur, potes occulta compensatione vti; si tamen iurasti, debes priùs iuramenti relaxationem impetrare, quam potest Episcopus concedere.

4 Secundò infero, idem esse dicendum de consentiente precibus importunis, quæ crebrò, & vehementer vrgent consentientem, & quarum molestiam non potest minore incommodo repellere. quia preces importunæ inuoluntarium mixtum constituunt, vt optimè probat Sanch. *lib. 4. de matrim.tota disput.10.* Quare & si metus illatus non cadat in virum constantem, quia leuis est; at quia iniuriosus est, ideo patiens illum non tenetur promissis stare, & inferens metum non potest accepta ex tali contractu retinere. sic Lessius & Sanch. *suprà.*

Dixi consentientem inuoluntariè precibus debere taliter consentire, vt molestiam illarum non possit facilè, seu sine difficultate repellere; si tamen facilè molestiam illarum repellere possit, vti possunt Prælati, & Principes beneficia, & officia concedentes precibus agitati, censeri non debent per iniuriam concedere. ita Lessius *num.48.* qui dicit sæpè contingere concedentem aliquid precibus importunis, etsi in concessione fuerit inuitus, at in retentione non esse, sed concessione facta, nullo modo vult sibi donatum reddi. & tradit Basil. *lib.4.§.12. num.3. & 10.* sæpè enim Principes grauati precibus supplicantium volunt, differúntque, ne minor sit rogantium turba, vt dicebat Senec. plurísque sacrificium æstimetur.

5 Sed aduersùs supradicta obstat Ioann.Med. *Cod. de restitut.q.3.causa 2.vers. si fiat remissio.* asserens metu leui extorta obnoxia restitutioni non esse. Idem docet Basil.de Leon *lib.4. de matrim. cap.10.num.5.* solùm ea ductus rationes, quòd metus leuis facilè repelli potest. Sed probari vrgentiùs potest. Primò, quia in iure negatur actio patienti metum sic donata recuperandi. Ergo cares iure recuperandi, aliàs ius negans actionem cooperaretur iniustitiæ illatæ, seu illam continuaret. Confirmo. Iniquum est innocentem punire, nocente manente indemni: at si accepta per metum leuem restituenda sunt in foro cõscientiæ, iniquum est patienti metum denegare actionem ea recuperandi. Secundò forum internum conforme debet esse externo, quando externum falsæ præsumptioni non innititur, vt sæpe diximus; sed externum cognito metu leui adhuc negat restitutionem eorum, quæ sic sunt acquisita. Ergo in foro conscientiæ non debent restitui. Tertiò matrimonium sic contractum validum est. Ergo & alij contractus firmi esse debent. Probo consequentiam. nam metus

metus qui alios contractus rescindendos constituit, matrimonium nullum reddit, quia maior libertas in matrimonio est requisita, quàm in aliis contractibus. Ergo econtra metus, qui matrimonij valori non obstat, non obstabit firmitati aliorum contractuum. Quartò si acquisita per metum leuem restitui deberent ratione iniuriæ factæ, non solùm inferens metum ea restituere deberet, sed etiam quilibet illorum possessor; siquidem patiens metum semper habet ius, vt sibi detur satisfactio de iniuria illata, quæ satisfactio nequit fieri, nisi recuperando rem sibi ablatam per metum; potest ergo à quolibet possidente recuperare. Hoc autem videtur falsum, quia si possidens non tenetur sic accepta patienti metum reddere, quia non tenetur ratione iniustæ acceptionis, cùm ipse nullam iniustitiam commiserit, ignarus enim fuit, vt suppono, metus illati, neque etiam tenetur ratione rei acceptæ, cùm hæc non sit patientis metum, sed possidentis. Ergo ex nullo capite est obligatio sic accepta restituendi. in his ex parte consentit Azor *lib.1.cap.11.quæst.16.* dum dicit extorta per metum leuem, qui est causa actus, & sine quo actus non fieret, esse restituenda, secus si solùm sit causa impulsiua, seu excitatiua, & qua non intercedente actus fieret.

4 Verùm his argumentis facilè respondetur.

Ad primum admitto patientem metum leuem carere iure forensi recuperandi sic donata, esto non careat iure naturali, neque proinde Ecclesia, & respublica negans hanc forensem actionem cooperatur iniustitiæ factæ, sed illam permittit ob bonum commune, scilicet ne respublica litibus perturbetur. Ex quo fit nihil iniquum facere priuando innocentem forensi recuperatione.

Ad secundum, forum internum externo conformatur. Externum autem non negat restitutionem faciendam esse, sed negat faciendam esse compulsione iudicis. Adde, esto non detur actio quod metus causa, ad rescindendas donationes, & quoslibet contractus metu leui celebratos. At bene potest officium iudicis implorari, & officio iudicis tales contractus rescindi, & æquũ est, vt ita fiat, ne inferens metum commodum aliquod reportet ex sua malitia, vel ne patiens metum damnum iniustè patiatur. sic glossa *cap. cum dilectus, de his quæ vi.* & ibi Panormit. *num. 9.* Anton. *num. 16.* Ancharan. *num.2.* & tradit Garcia *de nobilit. gloss. 17. num. 20.* Thomas Sanchez *lib.4. disput.9. num.5.* Lessius *lib.2.cap.17. dub.6. in fine.* & alij plures à Sanchez & Garcia relati.

Ad tertium respondeo, metum qui valori matrimonij non obstat, non obstare firmitati forensi aliorum contractuum, obstare autem firmitati naturali, quia cæteri contractus rescindi possunt, etsi validi sint; at matrimonium nequit rescindi, si semel validum fiat.

Ad quartum respondeo probabile esse sic possidentem non teneri sic acquisita restituere. ita docet Ioan. Garcia *de nobilit. glossa 17. num.29.* Lessius *lib.2. cap.17. dub.6 num.39. & dub.5. num.33.* Verùm probabilius existimo ratione rei acceptæ teneri ex iure naturali. Nam esto dominium rei translatum sit, est tamen infirmum, & reuocabiliter translatum ob iniuriam commissam, ac proinde quoties voluerit translator sibi rem reddi, debet possidens reddere. sic Sanchez *lib. 4. disput. 9. num.6.*

PVNCTVM XIII.

An metus mortis, vel alterius grauis damni à præceptorum transgressione excuset.

1 *Præmittitur differentia actionum prohibitarum.*
2 *Metus mortis, & cuiusuis damni minuit culpam.*
3 *Non excusat culpam in his quæ sunt intrinsecè mala.*
4 *Quid dicendum de homicidio.*
5 *Quid de comestione carnis humanæ.*
6 *Quid de tyranno minante mortem, nisi comedas carnem humanam.*
7 *An metus mortis excuset ab obseruantia præcepti diuini.*
8 *Quid dicendum de exercitio potestatis Ecclesiasticæ.*
9 *Metus grauis damni excusat sæpè, non semper ab obseruatione humani præcepti, & quando hoc contingat.*

1 Actiones prohibitę sunt in multiplici differentia. Aliæ sunt ita prauæ, vt nulla ratione etiam per diuinam potentiam honestari queant; quales sunt mendacium, idololatria, odium Dei, pollutio voluntaria, fornicatio, & similia. Aliæ actiones sunt, quæ honestatem admittere possunt, vt est acceptio rei alienæ inuito possidente, si enim tibi concedatur à Deo facultas surripiendi, nullum in acceptione peccatum committis, sicuti non committis, cum ex graui, vel extrema necessitate alienum accipis; similiter accessus ad mulierem, si facta sit propria, nullum est peccatum. Aliæ sunt actiones, quæ ex se nullam honestatem, vel dehonestatem habent, habent tamen illam ex diuino, vel Ecclesiastico præcepto. Hæ sunt consecratio in duplici specie, mixtio aquæ ad consecrationem calicis, ritus communis celebrandi sacrificium, integritas confessionis, &c. His positis,

2 Dico primò, Metus mortis, & cuiuslibet grauis damni, esto nunc excuset à culpa, illam diminuit. Conclusio expressa est *in cap. sacris, de his quæ vi.* ibi, *licèt metus extenuet culpam.* Et ratio est manifesta, quia metus extenuat libertatem ad culpam requisitam; rarò tamen, vel nunquam illam in tantum extenuat, vt ex peccato mortali faciat veniale, sed res intactas relinquit. sic Salas *1.2.q.6.art.6. tract.3. disp.3. sect.1. n.28.* Syluest. *verbo metus, q.7.* Sanchez *lib.4. de matrim. disp.1. n.6.* Villalobos *tract.3. diff.7. n.46.*

3 Dico secundò, Metus mortis non excusat in his, quæ sunt intrinsecè mala, quæque nulla ratione honestari possunt. habetur suprà *dicto cap. sacris.* ibi, *cùm ob nullum metum peccatum fieri debeat,* & ex terminis liquet, si enim actio intrinsecè mala est, metus, cùm libertatem non tollat, tollere eius malitiam non potest. hac enim ratione non licet mentiri ob tuendam vitam, neque adulterari, neque fornicari, neque pollutionem procurare, neque homicidium facere, quia omnes hæ actiones intrinsecè malæ sunt.

4 De homicidio non defuerunt Doctores, qui assererent, licere tibi occidere innocentem, si à tyranno mineris occidendum, nisi occidas. sic docuit Iason *§ si minus, num.17. Instit. de actionib.* & Cynus *l.1. C. vnde vi, quæst. penult.* excusat seruum occidentem vxorem adulteram, mandato domini minantis mortem. Salicet. *l.1. C. vnde vi.* Bart. *l. si seruus, ff. de noxal. actionib.* quia in ea l. apertè dicitur seruum nihil deliquisse, qui domino iubenti obtemperauit. & Ioan. Anan. *cap. interfecisti, n.18. de homicid.* excusat illum, qui metu tyranni alium occidit. Cardinal. *cap. sacris, de his quæ vi.* Ratio esse potest, quia si te fugiente hostes, adsit in itinere innocens, quem pedibus debes conculcare, si transeas; non obligaris te detinere, sed pro defendenda tua vita potes cursum prosequi, etsi in cursu innocentem interficias. Ergo pro defendenda tua vita potes innocentem vita priuare.

Nihilominus Catholica sententia est ob nullum metum licere directè innocentem vita priuare. habetur Exod.23. *Insontem, & innocentem non occides, quia auersor impium.* Ratio est, quia nemini datum est dominium vitæ alterius. Ergo nemini licet alterum occidere. Neque obstat ratio contraria. Fateor, inquam, te posse fugere, etsi in fuga innocens sit occidendus, quia tunc inno

innocentis occisio non intenditur, sed per accidens, tam respectu tuæ intentionis, quàm fugæ, contingit. sic Lessius *lib.2.cap.9.dub.6.num.59.* Hac enim ratione tibi licet in defensionem tui, vel alterius aggredientem interficere, quia non interfectionem, sed defensionem per se intendis. ideóque *in l. vt vim. ff. de instit. & iure*, dicitur, *qui ad tutelam sui corporis aliquid facit, id iure fecisse videtur.* quare sola occisio innocentis per se intenta, est quæ prohibetur taliter, vt nulla ratione valeat honestari, non tamen occisio indirecta, vnde etsi respublica singulorum dominium habeat, possítque pro communi bono innocentis vitam periculo exponere, vel tyranno occidendum tradere, quia etiam ipse innocens vel ex pietate, vel ex iustitia legali pro communi bono obligationem habet se tradendi. At nullo modo licet reipublicæ per se, & directè innocentem occidere, etsi sciat tyrannum occisione illius fore contentum, quia occisio innocentis de se mala est, neque est medium per se ordinatum ad reipublicæ defensionem, sed ex malitia tyranni, cui non licet cooperari, vt optimè probat Lessius *lib. 2. de iustit. cap. 9. dub. 7. num. 37.*

5 Secunda actio, quæ vocatur in dubium, an sit intrinsecè mala, est comestio carnis humanæ, hominum, inquam, qui aliàs sunt interfecti.

Valent. 2. 2. *disput. 9. quæst. 3. p. 1. col. 3.* absolutè defendit esse intrinsecè malam, neque honestari posse timore mortis. Probabile reputat Victor. *relect. de temperamen. num. 6.* Azor *tom. 1. lib. 7. instit. moral. cap. 33. quæst. 4.* Ratio est, quia natura ipsa hanc comestionem execratur, vtpotè barbaram, & ferocem, illáque vtentes barbaros, & brutis feriores appellamus. signum ergo est, esse intrinsecè malam.

Nihilominus probabilius existimo hanc comestionem, non esse ita malam, quin ex grauissima necessitate honestari possit. sic Nauarr. *cap. 23. num. 122.* Emanuel Saa *verbo comedere, num. 1. in editione Complut. & Roman.* Caietan. *quæst. 148. artic. 2. ad 2.* Tolet. *post lib. 7. de pecc. mortal. cap. 60. num. 3.* Lessius *lib. 4. cap. 3. dub. 2. num. 10.* Thom. Sanch. *lib. 1. Decalog. cap. 18. num. 12.* Bonacina *disp. 2. de pecc. q. 8. p. 2. num. 13.* Ratio est, quia horror insitus in comestione carnis humanæ honestari satis videtur extrema necessitate, & horrore mortis, horror enim mortis alium horrorem vincit, magis enim durum, & horridum apparet te velle morti tradere, & fame perire, cùm facilè possis vitare, quàm horridum sit vesci carnibus, quæ feris, & auibus comedendæ relinquuntur. Secundò tota malitia huius comestionis sita est in indecentia, & horrore, quem secum trahit comestio carnis ejusdem naturæ cum comedente. Sed hæc indecentia non obstat, quominus in medicinam sumatur caro humana vnguentis condita, vt contingit in medicamento, quod medici *momiam* appellant. Ergo neque etiam debet obstare quominus sumatur in medicinam vrgentis necessitatis, siue caro sit condita, siue non: condimentum enim non videtur variare naturam cibi, & ex alia parte necessitas vrgens est, quasi quædam naturæ infirmitas. Poterit ergo in huius remedium applicari.

6 Ex his patet quid tibi faciendum sit, si tyrannus minetur mortem, ni comedas carnem humanam? si enim tali comestione intendit detestari huius abstinentiam quasi malam, vel inutilem, & superfluam, debes omnino abstinere, & mortem subire; aliàs irrationabilem consuetudinem comedendi carnes approbares, & illius abstinentiam laudabilem reprobares, quod est intrinsecè malum. qua ratione non licet idolothytis vesci, sic docet Lessius *lib. 4. cap. 3. dub. 2. num. 11.* Quocirca quotiescunque in odium religionis, vel legis aliquid faciendum imperatur sub comminatione mortis, aliàs licitum, nullo modo licet tibi illud efficere, quia religionem, & legem sanctam facto ipso reprobares. Quapropter sanctissimi Machabæi, cùm compellerentur à Rege Antiocho carnem porcinam manducare, obedire noluerunt, quia in odium sanctæ legis talis comestio imperabatur, *2. Machab. cap. 6. 7.* Verùm si alio fine de se honesto tibi comestio carnis humanæ imperatur, sub comminatione mortis, poteris iuxta supradicta ad vitandam mortem comedere, quia tunc verè adest extrema necessitas, quæ est ratio excusans hanc comestionem. ita Thom. Sanch. *lib. 1. in Decal. cap. 18. num. 13.* cum Victor. *Relect. de temper. num. 6.* Laudabilius tamen procederes, si mortem subires, non enim teneris medio ita de se indecenti, & horribili vitam conseruare, vt multis exemplis probat Lessius *suprà num. 12.* Bonacina *num. 15.* Idem quod dictum est de comestione carnis humanæ, dicendum est de cibis idolo immolatis, non enim licet vllo timore vesci illis, si in odium, & contemptum nostræ religionis imperetur, secus verò cessante tali fine: ita Vasq. 1. 2. *disput. 162. cap. 5.* Bonac. *disp. 2. de pecc. q. 8. p. 2. in fine.*

Aliæ sunt actiones iure naturæ prohibitæ, vel imperatæ extra casum necessitatis, illo tamen adueniente honestari dicuntur, qua ratione famuli intercedentes dominis, illósque comitantes in executione turpis amoris, remigantes in triremibus Turcarum, debitores, & depositarij in soluendis debitis, vel depositis excusantur, de quibus, & aliis multis exemplis suis locis erit sermo, præcipuè *tract. de charit. disp. de scandalo.*

7 Dico tertiò metus mortis excusat etiam ab obseruantia præcepti diuini positiui respicientis vtilitatem propriam, & specialem operantis; secus verò respicientis bonum commune. Vtramque partem tradit Salas *tract. 3. disp. 3. sect. 1. num. 35. & 36.* Prioris partis exempla sunt integritas confessionis, confessio ipsa præmittenda Eucharistiæ communioni. Non enim lex diuina cum eo rigore videtur obligare. Vasq. 1. 2. *disput. 162. cap. 2.* Sanch. *lib. 1. cap. 18. num. 4.* Suarez *de censuris disp. 6. sect. 3. num. 7.* plures referens Bonacina *disp. 2. de pecc. q. 8. p. 2. num. 3.* Suar. *lib. 3. de legib. cap. 30. num. 6.* & probari poterat illo *1. Reg. 21.* vbi Dauid manducauit panes propositionis, quos non licebat laicis manducare, & tamen in illo facto nullum peccatum commisit, vt constat ex *Matth. 12.* Discipuli die Sabbati spicas colligebant, Machabæi pugnabant. quæ omnia ex necessitate vrgenti honestabantur, vt tradit D. Thom. *2. 2. q. 100. art. 8. & 3. p. q. 40. art. 4. ad 3.*

Ex quo fit habentem votum simplex castitatis, posse timore mortis, vel alterius grauissimi damni matrimonium contrahere, quia votum non obligat cum tanto rigore: non tamen poterit sic contractum consummare, quia ratione metus matrimonium non contraxit. Vnde consummans accederet ad non suam.

Solùm de susceptione communionis, vel baptismi existimat Azor. *tom. 1. lib. 1. instit. cap. 11. quæst. 1.* obligare cum vitæ discrimine, quia teneris certam reddere quoad possis tuam æternam salutem, quod fieri non potest absque horum sacramentorum receptione; vera enim contritio difficilis est, & ignoras an illam consequaris. Verùm existimo probabilius te cum vitæ discrimine non teneri illa sacramenta suscipere, quia nec teneris ratione præcepti diuini. Aliàs cum vitæ discrimine deberes confessionem communioni præmittere, integréque confiteri, quod omnes reprobant, neque teneris ratione periculi amittendi vitam æternam, tum quia hoc periculum moraliter non inest, quoties moraliter tibi constat de contritione. Item suscepto sacramento etiam remanet idem ferè periculum, non enim scis an ritè susceperis, an ritè fuerit administratum: non ergo teneris omne periculum amittendi salutem vitare; sed solùm morale, & probabile periculum, aliàs esset obligatio impossibilis. Item si esses obligatus securam salutem

lutem reddere, quoad posses, suscepto sacramento confessionis, deberes Eucharistiam suscipere; & suscepta Eucharistia, extremam vnctionem, vel aliud sacramentum: vt si fortè in vno fuit defectus, alio recompensetur. Adde cùm non sis in extremis, quando obligat confessionis, & Eucharistiæ præceptum diuinum, sed locus concedatur ea alio tempore sumendi, cessat omnino periculum propositum amittendi æternam salutem; quia vsque periculum sit mortis, non periclitatur æterna salus. & ita docet Thom. Sanchez *lib.* 1. *cap.* 18. *n.* 10. cum Soto *lib.* 1. *de iust. q.* 6. *art.* 4. *ad fin. corp.* Cordub. *sum. q.* 157. *dicto* 4. Aragon 2.2. *q.* 62. *art.* 3. *in* 1. *dub. circa solutionem ad* 4.

Exempla posterioris partis conclusionis sunt, sigillum confessionis, consecratio in duplici specie, illius consumptio, rita sacramentorum confectio, scilicet Eucharistia in pane triticeo, absolutio sacramentalis ritè disposito, vel cum debita iurisdictione, extrema vnctio infirmo, & non sano, & alia huiusmodi. hæc enim omnia nullo modo licent fieri, etiam si obinde mortem deberes subire, quia bonum commune religionis, quod his præceptis attenditur, præponi debet cuilibet particulari damno. sic colligitur ex Sancl.ez *suprà num.* 8. Suarez *tom.* 5. *in* 3. *p. disp.* 6. *sect.* 3. *n.* 3. Sed obiicies, metu cadente in constantem virum poteri; contrahere matrimonium absque peccato (dummodo illud non consummes) vt optimè probat Thom. Sanchez *lib.* 4. *disp.* 16. *n.* 6. aliàs si peccares in tali contractu, non permitteretis ab Ecclesia contrahere ob vitandum temporale periculum, sicuti permittitur *cap. cùm locum, cap. veniens, de sponsal.* sed qui contrahit metu, efficit sacramentum nullum, sicut efficit, qui indispositum absoluit, vel in materia indebita consecrat. Ergo non omne prohibitum ratione boni communis debet præferri cuilibet particulari damno.

Respondetur esse claram differentiam inter sacramentum matrimonij, & reliquorum sacramentorum confectionem, sacramentum enim matrimonij habet pro materia, & forma esse contractum legitimum. At quando contrahis metu, non efficis contractum, non quidem tua culpa dum metum non intuleris, sed culpa inferentis, illa autem culpa interueniente irritatur ab Ecclesia contractus in tui fauorem, ac proinde sic contrahens non peccas, quia non apponis materiam, neque formam indebitam sacramento, cùm ibi non sit contractus legitimus, in quo materia, & forma huius sacramenti consistit. At in reliquis sacramentis, cùm determinatæ sint eorum materiæ, & formæ, si de facto absolutionem in disposito impendas, vel verba consecrationis super aquam proferas, iam formam, quæ de se forma est, super indebitam materiam constituis, ideóque grauiter peccas, & in his consentit Thom. Sanchez *lib.* 1. *in Decal. cap.* 18. *n.* 4. Valent. *disp.* 12. *gener. q.* 3. *p.* 2. § *responde ad primum argumentum.* Ægid. *de sacram. disp.* 28. *dub.* 3. Basil. de Leon *lib.* 4. *cap.* 16. *n.* 4.

8 Ab hac regula excipit Thom. Sanch. *supr. n.* 8. exercitium potestatis Ecclesiasticæ. Affirmat namque excommunicare absque potestate non esse tanti momenti, quin timore mortis honestari possit, præcipuè cùm nullum damnum ex tali excommunicatione, vtpote irrita excommunicato proueniat. Mihi tamen hæc exceptio non probatur. Affirmo namque tale exercitium illicitum esse, nec timore mortis posse honestari, quia est fictio, & simulatio potestatis, & quasi in opere mendacium, ac proinde etsi nullum damnum alicui inferas, sicuti non infert iocosum mendacium, habet tamen de se malitiam, quæ timere mortis nullo modo tollitur, & ita docuit Suarez *suprà num.* 3.

Ioan. verò Sanchez *disp.* 35. *select. num.* 6. aliam limitationem adducit, quæ audaciam, & temeritatem videtur redolere: affirmat namque ob grauem causam in administratione sacramentorum vti posse simulatione, & huius simulationis varia exempla adducit. Primò inquit, si hæreticus minaretur mortem, si non consecrares omnem panem in foro extantem, poteris vti æquiuocatione, & intentionem non habere consecrandi. Secundò poterit Confessarius verba absolutionis sine intentione proferre circa indispositum, si alia via malum comminatum vitare non potest. Tertiò poterit ob solatium scrupulosi anxiè petentis absolutionem, cùm tamen indispositus sit, verba sine intentione proferre. Quartò licere Sacerdoti ministrare hostiam non consecratam, pro consecrata mulieri, quam cogit maritus ad communicandum, quæ sine iactura opinionis non potest communionem omittere, quia in omnibus his datur sufficiens causa vtendi æquiuocatione, & simulatione. Et idololatria, quam inde sequitur, est solùm materialis, & non formalis. Hæc tamen mihi nullo modo probantur. Tum quia illa simulatio non obstat, quin verè actum iurisdictionis exerceas circa rem diuinam, & supernaturalem. Tum etiam, quia in foro externo sacramentorum fictus vsus videtur esse, quasi quædam exterior idololatria. Adde etsi alij ob ignorantiam ab idololatria excusentur, tu verò excusari non potes, cùm materialis illorum idololatria tibi sit voluntaria. Manet ergo certum in his quæ pertinent ad communem, & generalem ritum sacramentorum ob nullum timorem omitti posse, immutari, aut simulari, & ita tradit Suarez 3. *tom. in* 3. *p. disp.* 67. *sect.* 4. *circa fin.* Vasquez *de Euchar. disp.* 209. *n.* 41. & alij.

9 Dico vltimò, metus mortis, & alterius grauis damni excusat aliquando ab obseruatione legis humanæ tam ciuilis, quàm Ecclesiasticæ, aliquando non. Examinare autem quando hoc in particulari contingat, & cuius mali metus sufficiat, esset omnes materias præsenti tractatui immiscere. Breuiter tamen dico, si lex humana prohibeat, vel imperet actum aliquem respicientem de se ritum communem, obligat ad sui obseruantiam periculo mortis, quia tale bonũ commune præferri debet cuilibet vtilitati particulari. hac enim ratione non licet ob cuiuslibet necessitatem conficere sacramentum Eucharistiæ, sine vestibus sacris, neque sine mixtione aquç, & aliis huiusmodi, quia sunt actiones respicientes ritum communem. Video tamen contrarium sentire Bonac. *disp.* 2. *de pecc. q.* 2. *p.* 2. *n.* 9. cum Anton. 3. *p. tr.* 13. *c.* 6. Salas *de legib. disp.* 11. *sect.* 1. *n.* 8. *vers. secundò adde.* Vasq. *disp.* 161. *c.* 3. Valent. *disp.* 7. *q.* 5. *p.* 8. *quæstiunc.* 4. Becan. *tom.* 2. *tract.* 3. *c.* 6. *q.* 4. *n.* 8. consentit Suarez ex parte *lib.* 3. *de legib. c.* 30. *n.* 15. vbi dicit cessante scandalo, & contemptu, posse ob vitandam mortem fieri sacrum absque vestibus sacris, & adducit Ledesm. 2. *p. q.* 10. *art.* 5. & *q.* 15. *art.* 3. Medin. 1.2. *q.* 96. *art.* 4. Nauarr. *c.* 25. *n.* 84. Mouentur, quia leges humanæ non obligant cum tanto dispendio. Addunt tamen, nisi ita expostulet bonum commune, quod ego semper existimo adesse in his actionib. Verùm si actiones non respiciant de se bonum commune, sed potiùs singulorũ vtilitatem; nunquam obligant cum discrimine vitæ, habetur *cap. consilium, de obseru. ieiun.* vbi præceptũ ieiunij non obligat cum detrimento salutis, & idem est de solutione decimarũ, & auditione Missæ. & *cap. inter, de sent. excom. cap. quoniam multos,* 11. *q.* 3. excusantur communicantes cum excommunicato ob necessitatem. Et ratio est, quia neque Ecclesia, nec respublica censetur proximè intentionem habere obligandi, debet enim in suis legibus Christi legibus cõformari, cuius iugũ suaue est, & onus leue. Adde Ecclesiæ, & reipublicæ concessam non esse potestatem obligandi subditos cum eo discrimine, nisi communi bono necessarium fuerit, non enim cogere potest subditos bellum aggredi, nisi defensio reipublicæ instet, vt rectè dixit Salas *tract.* 3. *disp.* 3. *sect.* 1. *num.* 33. Hinc fit timore mortis, vel alterius grauis damni licere tibi matrimonium contrahere cum impe

impedimento impediente, vel dirimente, quia non est credendum cum eo rigore velle Ecclesiam te esse obligatum, præterquam quòd in tali casu matrimonium non est, & ita docet expressè Suar. *lib. 3. de legib. c. 30. n. 13.*

Solùm obijci potest aduersùs hanc doctrinam *cap. sacris, de his quæ vi.* vbi Pontifex credit communicantem excommunicatis, si per coactionem adstrictus fuerit communicare, ab excommunicatione liberum esse: at si per metum communicet, excommunicationis labe teneri: & redditur ratio, quia licèt metus attenuet culpam, non tamen eam prorsus excludit. Ergo metus non excludit culpam in prohibitis lege Ecclesiastica, qualis est communicatio cum excommunicato.

Hunc textum variè explicant Adrian. *mat. de excomm. §. quoad materiam.* D. Thom. *4. d. 28. quæst. 2. art. 4. quæst. 3.* Syluest. *verbo metus, quæst. 7.* Angel. *excommunicatio 8. §. 18.* Nauarr. *cap. 27. num. 33.* Suarez *tom. 5. in 3. p. disp. 6. sect. 3. n. 10. & disp. 15. sect. 2. num. 13. & lib. 3. de legib. cap. 30. fine.* Sanchez *lib. 1. in Decal. cap. 18. num. 4.* Salas *tract. 3. disp. 3. sect. 1. n. 34.* Couarr. *cap. alma, 1. p. §. 3. num. 9.* Mihi tamen ea explicatio magis probatur, quæ affirmat loqui text. non de qualibet communicatione cum excommunicatis, sed de communicatione cum excommunicatis in crimine criminoso, seu de communicatione, quæ cederet in contemptum religionis, vel legis Ecclesiæ, quæ communicatio cùm intrinsecè mala sit, ob nullum metum honestari potest.

PVNCTVM XIV.

Qualiter metus probandus sit.

1 *Metum allegans probare debet.*
2 *Probatis his, quæ inducunt grauem metũ metus probatur.*
3 *Coniecturis metus probatur.*
4 *Sufficiens coniectura est, si præcessisset tractatus de te cogendo.*
5 *Item si fuisti reclusus.*
6 *Pœnitentia actus facti indicat aliqualiter coactè factum fuisse.*
7 *Probatio metus iudicis arbitrio relinquitur.*
8 *An duo testes deponentes de metu præferendi sint multis negantibus.*
9 *Quando censeatur metus purgatus.*

1 PRimò certum est, metum alleganti incumbere onus probationis; tum quia nemo præsumitur delictum commisisse, nisi probetur ex vulgari, *l. merito, ff. pro socio,* & tradit plures referens Flam. *lib. 13. de resign. q. 1. n. 71.* tum quia metus est res facti, & factum nõ præsumitur, nisi probetur. *cap. cùm Ioannes, §. verùm responsionem istam, de fide instr. l. in bello, §. factæ, ff. de capt. & postlim. reuers.* & tradit Menoch. *cons. 11. n. 301.* Mascard. alios allegans, *verb. facta, concl. 732.*

2 Secundò certum est, si quodlibet illorum, quę suprà diximus, metum grauem inducere probetur legitimè, metus sufficienter erit probatus. v. g. celebras contractum cum Petro. probat Petrus te illi, vel eius consanguineis, aut amicis nimis coniunctis, minatum fuisse mortem, amissionem bonorum, vel aliud graue damnũ, contractúsque statim celebratus est, præsumitur ex huiusmodi metu celebratus, ac proinde rescindendus colligitur ex *l. si donationis, C. quod metus causa,* & tradunt communiter DD. *in cap. quamuis pactum, de pact. in 6.* docet Mascard. pluribus relatis, *verb. metus, concl. 1055. n. 44.* Ratio est. Timere namque iustè poteras damnum minatum tibi esse inferendum, si voluntati minantis nõ consentires. Adde ibi constat de metu, & constat de contractu celebrato. Vt ergo non iudicetur fuisse appositum ad extorquendum contractum, debet incutiens metum probare, & dum non probat, succumbit.

3 Tertiò est certum coniecturis posse metum probari, cùm enim metus rarò soleat publicè inferri, sed communiter secretò, efficitur coniecturis agendum esse ad illius probationem, vt multis relatis docet Mascard. *verb. metus, concl. 1056. n. 3.* Flam. *lib. 13. q. 1. n. 99.* hæ tamen coniecturæ, vt bene Mascard. notat *n. 9.* Flamin. *n. 102.* debent esse legitimè, exactè, ac plenè probatæ, ex *l. non est, ff. quod metus causa,* & tradit Alciat. *in cons. 504. n. 7. & cons. 5. n. 27.* Et ratio est clara, quia cùm de delicto non constat, nisi medijs coniecturis, si coniecturæ non probantur integrè, delictum improbatum manebit. Quocirca ad cuiuslibet delicti probationem, ad minus necessarium est clara cognitio illarum coniecturarum, quę validæ, & à iure approbatæ sunt, delictum inferre docuit Foller. *in sua pract. crim. in vers. capiat in forma, n. 18.* & loquens de metu tradit Bursat. *cons. 72. num. 18. vol. 1.* Hæc clara cognitio non erit, quousque per duos testes omni exceptione maiores fuerit coniectura probata, quia omne indicium sic debet probari ex sentẽtia Bart. *in l. fin. n. 7. vers. quæro qualiter debeat, ff. de quæst.* & notauit alijs relatis Mascard. *concl. 498. n. 17.*

4 Ex hac doctrina infertur. Si probas præcessisse tractatum de te cogendo ad contrahendum, & contractus sequatur, probare satis contractum fuisse metu factum, quia iam probas voluntatem minantis rebellionem, & iniustitiam; dum ergo ipse minans non probauerit à tali voluntate recessisse, in illa iudicatur perseuerasse. Adde idem esse aliquid coactè facere, vel metu ne cogatur, ex *l. nouissimè, ff. quod falso tut. auth.* & tradit Bald. *ibi.* Decius *cons. 690. vers. visis dubitationib. col. 2. n. 10.* Paris. *cons. 139. n. 17. vol. 4.* Sed si contrahas cum eo, qui tractauit damnum tibi inferre, ni contraheres, metum iustum habes, ne cogaris. Ergo coactè contrahis, & ita tenet Scapola *cons. 2. col. 2. vers. 1. coniectura.* Crauetta *cons. 115. num. 6.* Mascard. alios referens *concl. 1055. n. 44.*

5 Secundò infertur esse sufficientem coniecturam ad probandum metum, si probes in aliqua domo etiam priuata te retentum fuisse clausum. præsumitur enim metu actum quidquid agis, habetur *l. succurrit, ff. ex quib. caus. maior. l. 1. § pen. ff. de vi, & vi arm.* & tradit Paris. *consil. 60. n. 15. vol. 4.* Corn. *cons. 41. vol. 2.* Mascard. *n. 45.* Flamin. *lib. 13. q. 1. n. 126.* Ratio est, iustè enim timere potes graue damnum, si voluntati retinentis resistas. Neque obstat retinentem minatum non fuisse carcerationem diuturnam, vel aliud damnum graue. Sufficit, inquam, quòd satis probabiliter timere possis inferendum, si resistas: hac enim ratione, cùm probatur strepitus, & fragor armorum, etsi non probetur vim fuisse illatam, probatur sufficienter metus, quia satis probabiliter malum timetur, vt est decisum *in l. nouissimè, ff. quod fals. tut. auth. l. si donationis, C. quod met. caus. l. interpositas, C. de transact.* & tradit Paris. *suprà n. 13.* Mascard. *n. 49.* Flam. *n. 127.* Hæc tamen retentio, vt suppono, debet esse iniusta, si enim iustè ad petitionem alicuius partis, vel ex officio iudicis clausus retinereris, non obinde contractus rescindendus esset, quia non debet præsumi metu factus, tum quia talis incarceratio est executio iuris. Executio autem iuris nec metum, neque iniuriam inducit, *l. iniuriarum, §. 1. ff. de iniur. l. quemadmodum, § magistratus, ff. ad legem Aquil.* glossa *cap. cum dilectus, de his quæ vi.* Tum etiam, quia tua culpa incarcerationem pateris, atque adeò non alius, sed tu ipse tibi metum infers. Denique ex actione iusta non debet præsumi iniustum; ergo ex tali carceratione iusta non debet præsumi tibi aliquod malum iniustè inferendum. Atqui solus metus de malo iniustè inferendo rescindit contractus, vt constat ex *l. 3. §. sed vim, l. si mulier, in princ. l. qui in carcerem, ff. quod metus causa.* Ergo. Ex his reprobatur, vt inutilis consuetudo quorumdam iudicum Ecclesiasticorum extrahentium à carcere stupratorem, vt stupratam ducat, existimant enim non liberè, sed

sed coactè contrahere, si carcere detentus contrahat, quod omnino est alienum à veritate, cùm talis detentio iniusta non sit. Adde casu quo necessarium esset stupratorem à carcere exire, vt liberè posset matrimonium celebrare; deberet sanè ita à carcere exire, vt libera ei facultas daretur eundi, quo vellet, aliàs non intelligeretur à carcere exisse formaliter, vt expressè habetur *in l. qui neque, 48. iuncta gloss. verb. seruatur, ff. de verb. signific.* & tradit multos referens Sigismund. *inter consilia feudalia, cons. 17. num. 10. & seq.* Gutierr. *de iuram. 1. p. cap. 51. num. 10.* Thom. Sanchez *lib. 4. de matrim. disp. 13. num. 4.* Flamin. *lib. 13. q. 1. n. 128.* Farinac. *lib. 1. pract. crimin. q. 35. n. 5.* Basil. *lib. 4. cap. 19. n. 8.*

6 Tertiò infero esse coniecturam sufficientem ad præsumptionem metus, esto non ad illius integram probationem, si post actum gestum fugias, ne illum exequaris, fuga enim indicat te inuitè, & contra voluntatem consensisse. *cap. constat, 1. q. 1.* vbi Innocent. de ordinato ab hæreticis dicit, *Si statim discedentibus illis, à pessimo conciliabulo eorum abrenuntiauit, & ad Ecclesiam redyt, iste talis potest habere colorem aliquem excusationis.* expende, *colorem aliquem*, non integram excusationem. Idem probatur argumento à contrario, ex *cap. ad id, 21. de sponsal.* & ibi glossa, Archid. Cardin. & alij, quos sequitur Mascard. *n. 46.* Item est coniectura ad præsumptionem, quando in contrahente, vel aliud agente, dignosceretur præter morem pallor in vultu, aut vox tremula, aut aliud huiusmodi, quia huiusmodi accidentia effectus sunt timoris. sic Mascard. *suprà n. 47.* & colligit ex *l. minore, §. tormenta, ff. de quæst.* Deinde est coniectura ad præsumptionem actus sufficiens, si renunciet quis iuri suo abs re, quia nullus præsumitur rem sibi damnosam voluntariè facere, & colligitur ex *cap. super eo, de renunt.* Abbas *ibi,* Alciat. *de præsumpt. reg. 3. præsumpt. 7. n. 2.* Mascard. alios referens, *num. 42.*

7 Restant aliquæ difficultates examinandæ.

Prima est, an probatio metus iudicis arbitrio relinquatur?

Affirmo relinqui (esto nullus textus id clarè probet.) Nam *lex, metus autem causa 3. ff. ex quib. caus. maior 25. ann. rest.* quam adducit Decius *in l. in omnib. causis, n. 7. ff. de reg. iur.* solùm probat iudicis arbitrio relinqui qualitatem metus, non autem qualitatis probationem, vt optimè considerauit Menoch. *lib. 2. de arbitr. cent. 2. casu 136. n. 2.* Mascard. *concl. 1056. n. 11.* Moueor tamen ad affirmãdum iudicis arbitrio sæpe relinqui, quia sæpe non constat testes deponentes de metu esse omni exceptione maiores, neque etiam constat, an probationes pro metu vincant probationes factas pro spontanea voluntate. In his ergo, & aliis casibus decidenda res est per iudicem. & ita tenent Menoch. & Mascard. *suprà,* glossa, Innoc. & DD. *in cap. cùm dilectus, de his quæ vi.* Couarr. *4. decr. 2. p. cap. 3. §. 5. n. 10.* Anton. Cucus *lib. 5. instit. maior. tit. 12. n. 167. & 168.* Thom. Sanchez *lib. 4. de matrim. disp. 17. n. 3.* Nauar. *cons. 10. n. 3. & 8. tit. de his quæ vi, lib. 1. in 2. edit.*

8 Secunda difficultas, an magis credendum sit duobus testibus deponentibus metum fuisse illatum, quàm mille negantibus?

Affirmat communis sententia. Innoc. *in cap. super hoc, de renunt. in gloss. quæ incipit, & hoc vnum.* Alciat. *de præsumpt. reg. 3. præsumpt. 7. n. 5. & cons. 162. n. 12.* Couar. *rubr. de sponsal. 2. p. cap. 3. §. 5. n. 10.* Bursat. *cons. 72. n. 48.* & alij plures relati à Flam. *lib. 13. q. 1. n. 85.* Mascard. *verb. metus, concl. 1057. n. 1.* Mouentur, quia deponentes de spontanea voluntate, deponunt de actu mentali, & inuisibili, qui soli Deo notus est: at qui deponunt de metu, deponunt de minis, verberibus, & tormentis, quæ sensu corporis percipiuntur: præferri ergo ij debent.

Verùm vt hæc sententia communis vera sit, deponentes de metu deponere debent, non in genere, sed in specie, & in indiuiduo, aliàs non probarēt, vt bene Salicet. Bart. & alij *in l. interpositas, C. de transact.* & Bald. *ibi,* inferens non satis esse ad rescindendum contractum fœneratitium contrahentem fuisse fœneratorem, nisi etiam probetur in illomet contractu fœneratum fuisse, & tradit aliis relatis Flam. *lib. 13. q. 1. num. 110.* Insuper etiam deponentes de spontanea voluntate deponere debent absolutè, non restringentes eius depositionem ad tempus, & locum, in quo contractus affirmatur fuisse factus ex metu: hoc enim modo clarum est dictis deponentium de spontanea voluntate, non infirmari dictum deponentium de coactione, cùm vtrumque dictum veritatem habere possit.

Aduerto tamen cum Farinac. multos referente *lib. 1. prax. q. 35. à n. 13.* clausulam appositam à patiente metum, quod spontè facit actum, nulláque vi compulsus, non probari inde spontè factum esse, eodem enim timore, quo induci potuit ad contrahendum, induci poterat ad affirmandum, quod spontè faciat.

Verùm si deponentes de spontanea voluntate, hoc est, de carentia coactionis restringant depositionem ad tempus, & locum, in quo coactum esse alij testes affirment, tunc probantes coactionem præferendi nullo modo sunt probantibus non interuenisse, si alioqui testes numero, & qualitate pares sint. Et ratio, meo iudicio, est manifesta, quia vtrique testes de re exteriori, & quæ sensibus obiicitur, deponunt, scilicet de coactione, vel de illius carentia. Ergo non est, cur de coactione deponentes præferantur deponentibus de carentia illius, & ita tenet Thom. Sanchez *lib. 4. de matr. disp. 27. num. 3.* cum Decio *cap. fin. de appellat. num. 28.* Sigismundo inter consilia feudalia, *cons. 48. num. 18.* Flamin. *lib. 13. quæst. 1. num. 89.* imò cæteris paribus deponentes de spontanea voluntate, hoc est, de carentia coactionis, præferri debent deponentibus de coactione, tum quia deponunt de non delicto, cuius carentia semper præsumitur, tum etiam quia deponunt de modo operandi voluntati consentaneo, & ita tenet Cepol. *cons. crim. 1. vers. ne videtur ex alio, & cons. ciuil. 60.* Mascard. *concl. 497. n. 15.* Flam. *suprà n. 89. & 90.* Item deponentes de carentia coactionis in contractu celebrato, etsi non deponant coarctando depositionem ad locum, & tempus, in quo testes de coactione deponunt, adhuc possunt illis æquare, quia possunt deponere de talibus circumstantiis, & coniecturis, quæ omnino præsumptionem metus tollant: stare enim optimè potest metum alicui illatum fuisse ad extorquendum contractum; postea verò cùm contractus celebratur metum purgatum esse, & ita tenet Decius *suprà n. 25. & reg. in omnibus 39. n. 8. ff. de reg. iur.* Sanchez *disp. 27. n. 2.* Alciat. *cons. 104. n. 8. & cons. 5. n. 27.* Cepol. *cons. ciui. 2. n. 14. & seq.* Mascar. plures referens *concl. 1057. num. 8. & 9.*

9 Tertia difficultas est, quando censeatur metus purgatus?

Communis sententia est, non censeri purgatum, dum non cessat omnino timoris causa, quamuis in actu externo appareat libertas. tradit Menochius *lib. 3. præsumpt. 4. num. 22.* Mascard. *suprà num. 36.* Anton. Gomez *2. variar. cap. 14. num. 27.* Flamin. *lib. 13. quæst. 1. num. 123. & præcipuè num. 126.* Sanchez *lib. 4. de matrim. disput. 18. num. 7.* Basilius de Leon *lib. 4. cap. 17. num. 3.* & alij ab eisdem relati. Durat autem timoris causa, vt tradit Sanchez alios referens, Mascard. optimè *conclus. 1055. num. 36.* quoties durat subiectio timorem incutienti, vt si iudex metum inferat, dum durat officium, si tyrannus, dum durat tyrannis, si vir, dum durat matrimonium, si pater, dum durat patri subiectio. Hinc infert Flamin. *num. 17. & seq.* primò carceratum, & coactum præstare cautionem de soluendo, licèt postea liberatus sit à carceribus, & cum interuallo solutionem faciat, solutio dicitur facta ex metu, nam si non soluisset, posset rursus carcerari, & seueriùs tractari. Secundò infert,

infert, si contractus venditionis fuit celebratus per metum, & traditio rei venditæ fuerit facta ex interuallo, durante causa metus, traditio dicitur metu facta. Tertiò, si maritus verberauit vxorem, quia non consentiebat cuidam instrumento, si postea vxor assentiat etiam ex interuallo, dicitur consensisse metu mariti. Quartò, si mulier intrauit in monasterium per metum, ibique per plures annos perseuerauit, non purgatur metus, si viget eadem causa, vel si non cessant impedimenta, vt possit reclamare, & tradit etiam Sanchez *lib.4. disp.18. n.8.* Basilius de Leon *lib.4. cap.17. n.3.* cum Nauarr. *4. comment. de reg. cap. statuimus, n.19. quæst.3. n.71.* Quocirca vt metus censeatur purgatus, debet adesse aliquis actus spontaneam voluntatem demonstrans, quia causa semel posita, semper durare præsumitur, dum aliqua ratione non probatur perire, traditque optimè Menoch. *lib.6. præsumpt.37.* Azor *lib.1. cap.11. quæst.18.* Ideóque quod metu factum est ab initio, etsi postea fuerit confirmatum, nullas vires habet, præsumitur enim metu confirmatum. *l. si per impressionem, C. quod metus causa,* & multis relatis docet Mascard. *conclus.1055. num.34.* Actus autem purgandi metum debet integrè, & liquidè spontaneam voluntatem demonstrare; quare si aliam interpretationem recipit, metum non purgat, vt bene docuit Ioan. Garc. *de nobilitate, gloss.17. num.46.* Nauarr. *lib.1. cons. tit. de his quæ vi, cons.4. num.9. in 2. edit.* Azeued. *lib.4. recop. tit.21. l.1. num.195.* Basil. de Leon *lib.4. cap.17. n.3.* Ex qua doctrina infert aliis allegatis Sanchez *lib.4. disp.18. n.10.* Basil. de Leon & Nauarr. solutionem illius quod per metum soluere iurasti, fore rescindendam, etsi solutio spontanea sit, quia non præsumitur spontanea, sed facta timore periurij incurrendi, iuxta *cap. debitores, de iureiurand.* vbi iurans soluere vsuras potest repetere, quia non censetur sponte soluisse. Qui autem sint actus spontaneam voluntatem demonstrantes, quibus metus purgetur, non est facilè dictu. aliquos referunt Doctores, neque difficultate carent. Primus est præsentia iudicis, seu magistratus, hanc enim sentiunt purgare metum, eo quòd fauore iudicis possit agens quemlibet metum repellere. ita Bart. *in l. vlt. ff. quod metus causa.* Iason *consil.72. col.2. vol.1.* Crauet. *consil.114. num.11. vol.1. & consil.253. num.4.* Thomas Sanchez *lib.4. disp.27. num.2.* Mascard. *de probat. concl.1055. num.5.* Verùm huiusmodi præsentia solùm inducit præsumptionem, quòd metus sit purgatus, non tamen inducit probationem claram; stat enim optimè aliquem ita metu esse adstrictum, vt non solùm non audeat contractum repellere, verùm neque coactionem manifestare, & tunc contractus etiamsi sit factus in præsentia iudicis, erit metu celebratus, & tradit ex Bart. & Bald. Flam. *lib.13. q.1. num.194.* Secundò quo censetur metus purgatus, est, si fiat actus coram consanguineis, vel amicis patientis metum, præsumitur enim tunc liberè consentire. ita Bart. *in l. transactionem, C. de transact.* Iason *ibi, & in l. interpositas, num.5. C. eod.* Felin. *in cap. causam matrimonij, col.3. vers. quarta declaratio, de offic. delegat.* Decius *cap. vlt. col. vlt. versic. postremò notandum, de appellat.* Sanchez *lib.4. de matrim. disput.27. num.2.* At hoc intelligendum est, vt rectè Mascardus *suprà num.24.* casu quo consanguinei, vel amici sufficientes essent resistere violentiæ eius, qui infert metum, secus econtra. Quapropter Bart. *suprà*, dicit ex consanguineorum præsentia non cessare metum, vel metus præsumptionem; imò Thomas Sanchez *lib.4 de matrim. disput.12. num.21.* Anton. Gomez *tom.2. variar. cap.14. num.27. fine.* Gutierr. *conf.16. num.24.* & alij docent, neque hanc præsumptionem cessare, sed tantùm cogi allegantem metum, vt probet grauiorem illatum fuisse, & clariores probationes afferre. Tertiò censetur metus purgatus ex cohabitatione spontanea cum inferente metum, qui enim fugere facilè coactionem potest, neque fugit, voluntariè iam consentit, sic enim censetur matrimonium, & professio metu facta ratificari, si contrahentes non fugiant, vel reclament, cùm facilè possint, habetur expressè *cap. ad id, de sponsalib. & ibi glossa*, & tradit Mascard. multis relatis *suprà num.35.* Sanchez *lib.4. disput.18. num.3.* Quod autem tempus requiratur, vt sic habitans censeatur coactionem fugere potuisse, prudentis arbitrio metiendum est. *cap. de causis, de officio delegat. & l.1. ff. de iure deliber.* quia non est à lege tempus præscriptum. Sanch. *suprà n.6.* Vnde placet mihi, quod dicit Mascard. *concl.1055. n.39.* non præsumi purgatum metum in matrimonio, etsi mulier in domum viri traducatur, ibique habitet modico tempore, si statim ad domum patris reuertatur; præsumitur enim non habitasse spontaneè cùm fugerit, cùm primum potuit, & consentit in his Basilius de Leon *lib.4. cap.17. num.17.*

PVNCTVM XV.

De ignorantia quid sit, & quotuplex, quæque causet inuoluntarium.

1 *Definitur ignorantia.*
2 *Quæ sit ignorantia vincibilis, & inuincibilis.*
3 *An detur ignorantia vincibilis, quæ nō sit crassa, & supina.*
4 *Triplex ignorantia culpabilis distinguitur.*
5 *Quando dicatur ignorantia vincibilis.*
6 *Quarū rerum censearis habere ignorantiā inuincibilem.*
7 *Quid dicendum de parochiano ignorante festa, & ieiunia in hebdomada occurrentia.*

1 Varias acceptiones ignorantię tradunt Doctores cum D.Thom. *1.2. q.6. art.8.* Illa tamen nostro instituto deseruit, quæ est illarum rerum, quas quisque scire tenetur. Quapropter ignorantiam definire possumus *esse carentiam cognitionis debitæ.* Hæc carentia multiplex esse potest, alia iuris, alia facti, alia vincibilis, alia inuincibilis. Ignorantia iuris est, qua ius ignoras, vt si ignores contractum vsurarium esse illicitum, omnia peccata mortalia etiam dubia necessariò esse confitenda, diebus festiuis audiendum esse sacrum. Ignorantia facti est, qua ignoras hunc contractum esse vsurarium; hoc peccatum mortale esse necessariò confitendum; hac die audiendum esse sacrum.

2 Hæc ignorantia iuris, vel facti vincibilis esse potest, & inuincibilis. Vincibilis dicitur, quia illam viribus tuis vincere poteras. Inuincibilis, quia nullo modo illam superare potuisti. Poteris autem circa vnum, & eundem actum scientiam, & ignorantiam inuincibilem habere: cognoscere enim potes accessum ad consanguineam, vel affinem esse peccatum intemperantiæ, non tamen esse incestum. Item ignorare potes fœminā esse nuptam, vel habere votum castitatis, cùm tamen cognoscas illius accessum tibi esse prohibitum: tunc talis actus, quatenus ex ignorantia procedit, non est peccatum, etsi peccatum sit, quatenus à scientia, vel ignorantia vincibili procedit, tradit S.Thom. *1.2. q.76. art.3.* & ibi omnes eius expositores.

Hinc fit ignorantiam inuincibilem vocari antecedentem, iustam, & probabilē. Vocatur antecedens, quia antecedit actum: est enim causa illius, quatenus si ipsa non adesset, actus non fieret: sicuti absentia nautæ, causa est submersionis nauis, quia si nauta non abfuisset, nauis non submergeretur. Vocatur iusta, & probabilis, quia eam canones, & leges probant, & operantem ex illa excusant. Vincibilis ignorantia dicitur consequens improbabilis, & iniusta. Consequens dicitur, quia aliquem actum voluntatis consequitur. v. g. dubitasti an hac hebdomoda dies aliquis sit ieiunij, omisisti inuestigare: ecce ignorantiam consequutam esse ad illam voluntariā omissionem. Talis ergo ignorantia, iniusta est, &

& à iure improbatur, & operantem ex illa non excusat, sed accusat. De ignorantia comitante nihil est, quod dicamus, quia neque accusat, neque excusat actum. hæc enim cùm solùm consistat in quodam habituali affectu voluntatis, quo quis paratus est actum eodem modo præstare, si ignorantia careret, ac præstitit ignorans, & affectibus nec mereamur, neque demereamur, efficitur sanè ignorantiam comitantem, si in consequentem non transit, non inducere peccatum, quia non potest inducere, quin fuerit aliquo modo voluntaria, vt optimè probat Salas 1.2. *tractat.* 13. *disput.* 8. *sect.* 5. *num.* 35. Sanchez *disput.* 32. *num.* 26. Item, quia licèt ille affectus peccaminosus sit, non tamen est causa actus, & consequenter non potest actus ratione illius puniri. Insuper vincibilis ignorantia dicitur affectata, crassa, & supina. Affectata, quia ignorare affectas, & intendis. Crassa, quia more crassi hominis & pinguis, deses, & piger es in ea depellenda; crassi enim homines, & pingues desides solent esse. Eodem modo dicitur supina, quia more iacentis supinè in lecto, qui de nulla re curat, sic non curas ignorantiam expellere; in his omnes conueniunt. Ex hac doctrina infero non sufficere ad ignorantiam vincibilem adstruendam alicuius effectus, te cognoscere illius causam, nisi simul cognoscas saltem sub dubio causam esse illius effectus, docet Vasquez *illa disput.* 107. *cap.* 3. & Sanchez *num.* 25. *& specialiter n.* 38. vbi probat danti operam rei illicitæ effectus inde sequutos non imputari, nisi aliqua cognitio de connexione effectus cum tali causa occurrerit.

3 Difficultas est, an detur aliqua ignorantia vincibilis, & culpabilis mortaliter, quæ tamen non sit crassa, & supina?

Thomas Sanchez *lib.* 1. *Decalog. cap.* 16. *num.* 7. *& lib.* 9. *disput.* 32. *num.* 32. *& seqq.* Salas *tractat.* 13. *disput.* 8. *sect.* 10. *num.* 76. Bonacina *disput.* 1. *de censuris, quæst.* 2. *punct.* 1. aliis relatis, *num.* 4. affirmant sufficere ad ignorantiam vincibilem mortaliter, si diligentiam mediocrem non apposueris: at ad ignorantiam crassam, & supinam summam negligentiam requiri. Ergo distinguuntur.

Fateor tamen me non posse percipere hanc distinctionem: si enim ignorantia vincibilis mortaliter necessariò expostulat non esse appositam mediocrem diligentiam in veritate inuestiganda, necessariò expostulat nullam, vel modicam diligentiam esse adhibitam: qui enim mediocrem diligentiam non adhibuit, & aliquam adhibuit, modicam sanè adhibuit; sed qui modicam diligentiam fecit, obligatus facere mediocrem censet Thomas Sanchez habere ignorantiam crassam, & supinam. Ergo ignorantia crassa, & supina à mortali culpabilis distingui non potest: & ita sentit Suarez 1. *tom. in* 3 *p. disp.* 4. *sect.* 10. *à n.* 7. Coninch *disp.* 13. *de censur. dub.* 11. *num.* 95.

4 Quocirca (si placet) triplicem ignorantiam culpabilem agnosco. Primam directè voluntariam. Secundam indirectè, in qua nulla diligentia adhibita est ad illam vincendam. Tertiam, in qua aliqua diligentia, modica tamen, & insufficiens est adhibita. Ignorantia directè voluntaria est eadem ac affectata, de qua glossa *in cap. eos, verbo affectum, de tempor. ordin. in* 6. *& in cap. vlt. §. tu autem, verbo scienter, de offic. delegat. in* 6. Affectata autem ignorantia scientiæ æquiparatur, ex *cap. quæsitum, de pœnit. & remiss.* ibi, *si siliis procurantibus, aut studiosè negligentibus filij reperiuntur oppressi ab officio altaris, debent perpetuò abstinere*, & tradit Menochius *de arbitr. lib.* 2. *centur.* 4. *casu* 316. Mascardus *verbo ignorantia, conclus.* 879. *n.* 31. Ignorantiam indirectè voluntariam, in qua nulla diligentia adhibita est ad illam vincendam, appellarem ignorantiam crassam, & supinam. Et in hoc sensu verum est dicere ignorantiam crassam, & supinam summam negligentiam expostulare, ex *l. regula* 9. *§ sed facti, ff. de iur. & facti ignor.* ibi, *sed facti ignorantia ita demum cuique non nocet, si non ei summa negligentia obijciatur.* At ignorantiam, in qua aliqua diligentia, etsi modica ad illam vincendam adhibita sit, nullo modo crassam, & supinam appellarem: quia qui facit aliquam diligentiam, iam non videtur procedere ex lata culpa, neque videtur integrè habere animum omittendi: & hac ratione optime intelligitur, quomodo potest esse ignorātia mortaliter culpabilis, quin fuerit crassa, & supina.

Quæ dicta sunt de ignorantia, intelligenda sunt de obliuione, & inaduertentia. Obliuio enim, & inaduertentia quædam ignorantia est, & eodem modo cum actu comparari debet, ac comparatur ignorantia. Quare obliuio, & inaduertentia inuincibilis operantem excusat, vincibilis verò accusat, sicut de ignorantia dictum est. & ita tradit Thom. Sanchez *lib.* 1. *cap.* 16. *n.* 8. Suarez 5. *tom. in* 3. *p. disp.* 4. *sect.* 8. *num.* 5. *&* 8. Azor *tom.* 1. *lib.* 1. *instit. cap.* 16. *quæst.* 3.

5 His positis restat explicandum, quid requiratur, & sufficiens sit, vt ignorantia vincibilis dicatur, vel inuincibilis, potens humana diligentia superari, vel non potens superari? Aliquibus placet sufficere te esse obligatum aduertere, etiam si neque dubitationem, aut scrupulum de malitia habuisses: sic tenet Zumel 1.2. *quæst.* 76. *art.* 3. *disput.* 2. *dict.* 4. Valent. 1.2. *disp.* 6. *quæst.* 6. *p.* 1. Mouentur, quia præceptum impleri non potest sine aduertentia, & cognitione illius. Ergo præceptum obligans ad illius executionem, obligat ad illius aduertentiam. Ergo si hanc omittis, peccas eodem peccato, ac si omitteres præceptum, vt diximus *in tract. de conscientia, disput. de conscientia errante.* Secundò idem est (quoad peccatum) præceptum scire, ac illud debere scire, ex *l. quod te mihi* 5. *ff. de rebus credit.* ibi, *sed etiam si aliqua iusta causa sit, propter quam intelligere deberes*; quando ergo scis præceptum, & non exequeris, peccas. Ergo etiam peccas, quando debes scire, *cap. si culpa, de iniurijs.* Tertiò communiter Doctores tradunt ignorantiam iuris vincibilem esse, secus verò ignorantiam facti: quod nulla ratione verum esse potest, nisi quia iura, & leges tenearis scire; secus verò facta. Ex quo oritur illud commune axioma, Ignorantia facti excusat, secus ignorantia iuris.

Mihi tamen magis probatur ad ignorantiam vincibilem, & culpabilem, non sufficere te ex statu, vel officio obligatum esse, nisi aliqua cognitio, dubitatio, vel scrupulus sit de tali obligatione, quia vsque talis dubitatio sit voluntaria, esse non potest illius aduertentiæ omissio: prima ergo cognitio, qua voluntas moueri debet, necessaria est, & non libera.

Dices; Ergo omittens præceptum semper omittit ex scientia illius, & non ex ignorantia; ergo nunquam datur peccatum ex ignorantia.

Respondeo facilè: omittere ex scientia illius clara, & distincta nego: ex scientia illius confusa, vel dubia concedo. Ignorantia enim vincibilis huiusmodi cognitioni confusæ, & dubiæ non opponitur, imò potiùs illam requirit; consistit enim malitia ipsius ignorantiæ in eo quòd nolueris illam dubitationē & cognitionem confusam de præcepto examinare. ita Sanch. *lib.* 1. *Decal. c.* 16. *n.* 21. Vasquez 1.2. *disp.* 107. *c.* 3. *à n.* 6. *& disp.* 123. *cap.* 2. Salas *tract.* 3. *disput.* 4. *sect.* 5. *num.* 8. *latius tract.* 13. *disp.* 8. *sect. vlt. num.* 87. vbi reputat supradictam sententiam improbabilem.

Argumenta in contrarium non obstant.

Ad primum dico, quamlibet legem obligare ad sui aduertentiam, & considerationem, postquam tibi proposita est, non antea; proponitur tamen, cùm dubitas, vel scrupulum habes de illa.

Ad secundum concedo, idem esse quoad culpam scire præceptum, ac debere scire. At nego te debere actu scire, quousque dubites de tali obligatione.

Ad tertium respondeo regulariter ignorantiam facti,non iuris excusare,facilius enim ignoratur factum, quàm ius,si enim ius naturale sit,à natura ipsa habetur, si positiuum sit, passim, solemnique ritu promulgatur: eáque de causa in foro externo alleganti ignorantiam iuris incumbit onus probandi, quia præsumptio est in contrarium, semper enim quis præsumitur scire quod publicum est, vt bene notant Doctores *in cap.1.de postulat.prelat. & cap.fin.§.alioqui, qui matrimonium accus.poss.* & tradit gloss. *cap. nulli, verbo verisimiliter, de elect.in 6.* At si daremus(vt bene dari potest)ignorantiam iuris inuincibilem, eodem modo excusat à peccato, ac excusat ignorantia inuincibilis facti. ita tradit Sanchez *lib.1. cap.16.num.26.* Vasquez *disput.123.cap.2. num.5.* Azor *lib.1.cap.13.quæst.13. & cap.16.quæst.1.* Quòd autem in pluribus casibus ignorantia inuincibilis iuris dari possit,nemini esse potest dubium, aliàs nullus esset fidelis, qui ignorare posset inculpabiliter,mysteria fidei,& præceptorum Ecclesiæ, nullúsque Confessarius, vel iudex esset, qui ignorantia inuincibili laboraret eorum, quæ ex officio scire tenetur,quod est prorsus à veritate alienum. Concedo tamen in foro externo rarò præsumi, neque admitti ignorantiam inuincibilem iuris communis, esto admittatur ignorantia probabilis legis municipalis,*cap.vt animarum,de constit.in 6.*

6 Sed inquires, quarum rerum ignorantiam inuincibilem habeas?

Respondeo illorum omnium, quorum neque scrupulus, neque dubitatio tibi occurrit. quia hæc est prima radix veritatem inuestigandi. Azor *lib.1.cap.16.q.5.* Bonacina *disput.2. de peccat. quæst.8. punct.3. num.3.* Ex quo fit posse te ignorare plura, quæ iure Ecclesiastico, diuino,& naturali prohibentur. latè probat Salas multis relatis 1.2.*tract.3. disput.8.sect.4.* potes enim inuincibiliter ignorare percussionem clerici esse specialiter prohibitam, effusionem seminis, vel sanguinis violare Ecclesiam, habere copulam cum affine esse incestum, & similia. Ex iure diuino ignorare potes plurima mysteria fidei,integritatem confessionis, receptionem Eucharistiæ. Ex iure naturali plurima possunt inuincibiliter ignorari, etiam toto vitæ tempore, vt bene docet Vasquez *disp.122.cap.2.* Sanchez *lib.1.in Decalog.cap.16. num.33.* eo quòd eorum malitia non ita clara sit,& manifesta: hac enim ratione ignorare potes vsuras esse illicitas, & periurum honestari non posse ad defendendam propriam,vel alterius vitam,pollutionem esse intrinsecè malam, & alia huiusmodi, quæ passim vidi à multis inuincibiliter ignorari.

Dubitatione tamen suborta de prohibitione aliqua, non est ita facilè concedendum te laborare ignorantia inuincibili. Nam in primis debes diligentiam facere inuestigandi veritatem, aliàs ignorantiam affectas: diligentiam autem non summam, sed quæ communiter fieri solet in re graui,& salutem animæ spectante, colligitur ex *l.regula.ff.de iuris & facti ignorant. & l.lata culpa, ff.de verborum signific.* illa autem facta,si veritas non cognoscatur,inuincibilis ignorantia censetur.ita Vasquez *disput.123.cap.2.num.5.* Sanchez *num.34.* Suarez *5.tom. in 3.part. disput.4. sect.8. num.12.16. & seqq.* Azor *lib.1. cap.16.quæst.6.* Salas *tract.13. disput.8.sect.4.* Bonacina *supra num 3.* aduertit tamen, & bene, Vasquez *disp.123. cap.2.num.6.* & Sanchez *num.27.* Azor *cap.16.quæst.5.* ignorantiam rerum proprium officium, & statum spectantium rarò esse inuincibilem, quia rarò definit quis aduertere se ratione officij aliquibus obligationibus teneri, quæ cognitio sufficienter viam aperit inuestigandi obligationem: at legum, & præceptorum communium faciliùs ignorantiam inuincibilem concedi posse, quia non ita occurrit tibi dubitatio omnium præceptorum.

7 Ex his deducitur parochianum ignorantem ieiunia, & festa in illa hebdomada occurrentia excusari, si die Dominica Missæ maiori adfuit,neque parochus, vt solet,publicauit, vel si abfuit, alios interrogauit,neque monitus fuit, quia hic præstauit diligentiam inuestigandi veritatem, quæ communiter præstari solet. sic Azor *lib.1.cap.12. quæst.1. diuis.3.* Manuel *1.tom.summ. cap.23.conclus.7.num.9.in fine.* Sanchez *lib.1.cap.16.n.37.* quòd si neque interfuit, neque alios interrogauit,censendus est vincibili ignorantia laborare,quia non præstitit diligentiam,quæ solet præstari. At hoc bene limitat Sanchez *supra*, intelligendum esse casu quo parochianus aliquem scrupulum, vel dubium habuerit illa hebdomada aliqua ieiunia, vel festa occurrere. Nam si nihil horum occurrit, censendus est inuincibiliter ignorare. & tradit in simili Salas *tract.13.disput.8.sect.4. num.23. §.6. regula.* Bonacina *disput.2. de peccat. quæst.8. punct.3. num.28.* Signum autem efficax ad cognoscendum te laborasse in aliqua re ignorantia inuincibili,est, si firmum propositum formale, vel virtuale habeas satisfaciendi tuæ obligationi, quia hoc propositum omnino excludit negligentiam mortaliter culpabilem, vt ex se constat, & tradit aliis relatis Salas 1.2.*tract.13.disput.8.sect.4.num.13.§.1.regula.*

PVNCTVM XVI.

An ignorantia, obliuio, vel inaduertentia præcepti, quando vincibilia sunt,minuant culpam,vel ab illa excusent.

1 *Non excusare à culpa.*
2 *Minuit culpam,si non sit affectata.*
3 *An ignorantia vincibilis possit ex mortali veniale facere.*

1 PRimò certum est ignorantiam illorum, quæ ratione tui officij, vel status teneris scire, esse peccatum. Ea autem,quæ teneris scire, in duplici sunt differentia; alia, quarum cognitio per se imperatur, vt sunt mysteria fidei; alia, quæ solùm ratione operis, vt est scientia Decalogi,& aliorum præceptorum.Si ignores culpabiliter mysteria fidei, aduersùs fidem peccas; si ignores præcepta seruanda, & ob illorum ignorantiam aliqua transgrederis, vel te periculo transgressionis illorum exponis,peccas eadem specie peccati, ac si scienter illa præcepta violares. ita docet Vasquez 1.2. *disp.119.cap.2. & 3.* & Azor *tom.1.lib.1.cap.12. quæst.5.* Sanchez *lib.1.in Decal.cap.17.n.11.& 12.*

2 Secundò certum est ignorantiam culpabilem minuere culpam,quia minuit rationem voluntarij; minus enim voluntaria est transgressio præcepti ex ignorantia, quàm ex scientia: nam ex scientia est transgressio directè voluntaria, ex ignorantia verò etiam si affectata sit,est solùm indirectè,quatenus negligit præceptum inuestigare.Verùm si huiusmodi negligentiam affectes, vt liberiùs, & sine remorsu præcepta transgrediaris, esto transgressio actualis illius præcepti minus voluntaria sit, quàm si ex scientia præcepti procederet; hoc non obstat quominus grauius delinquas: non quia illud peccatum multiplicem habeat circumstantiam, quod videtur insinuare Azor *lib.1.cap.14. quæst.1.* Sanchez *lib.1.in Decalog.cap.17. num.5.* quatenus dicit peccatum adulterij, v.g.scienter factum,solum adulterium esse:at cum ignorantia affectata esse temerarium,& periculosum, & aliis grauioribus peccatis, incestus scilicet,& sacrilegij expositum;hoc enim per se falsum est: nam etiam adulterium commissum ignorantia solùm crassa,seu mortaliter culpabili est temerarium, & periculosum, & illis criminibus committendis expositum; sed quia non est expositum moraliter, eo quòd illarum circumstantiarum ignorantiam probabilem habueris,

ideo

ideo illud delictum non habet aliam malitiam præter malitiam adulterij. Ergo ex hac parte non potest peccatum ex ignorantia peccatum scientiæ superare. Ratio igitur efficax, quare grauiùs delinquas, si ex ignorantia supradicta affectata liberius peccandi pecces, quàm si ex scientia, ea est, quia in hoc affectu virtute omnia transgrederis præcepta ob animum deprauatum, siquidem remouere à te vis impedimentum à Deo positum, ne violentur sua præcepta: medio enim conscientiæ remorsu detinet Deus peccatores, ne in peccata labantur: si igitur hoc affectu pœnam à te excutere vis, tacitè vis liberè in peccata vagari.

3 Difficultas autem in eo sita est, an ignorantia vincibilis, quæ non sit affectata, aut crassa, minuat culpam, vt quæ aliàs deberet esse mortalis, reddat venialem? Neque est controuersia de culpa aduersùs ius diuinum, & naturale; hoc enim si ab ignorante ignorantia culpabili mortaliter violetur, mortale erit. Controuersia est de violatione legis humanæ, quæ non videtur ita strictè obligare, vt eius violatio ex ignorantia non affectata, crassa, aut supina mortalis sit, etiam si ignorantia culpabilis mortaliter fuerit. sic docet Thom. Sanchez *lib.* 1. *cap.* 17. *à num.* 19. & adducit pro se Valent. Vasquez, Armillam, Nauarrum, Sotum, & alios Doctores, contenditque explicari non posse de ignorantia venialiter culpabili; hæc enim culpam mortalem, à cuiusuis præcepti transgressione excusat secundùm omnium sententiam. ita tenet Bonacina *disput.* 2. *quæst.* 8. *punct.* 3. *num.* 21. videtur tamen loqui de ignorantia venialiter culpabili. Sed fateor tenuitatem ingenij mei: non enim percipere possum, quomodo detur ignorantia mortaliter culpabilis, & transgressio præcepti ex tali ignorantia mortalis non sit. Nam tota materia transgressionis consistit in negligentia culpabili sciendi præceptum, imò potiùs non est alia malitia omissionis, v.g. ieiunij, vel Missæ præceptæ, quàm est in illa culpabili negligentia. Si ergo illa negligentia est culpabilis mortaliter, omissio culpabilis mortaliter erit. Nequit ergo negligentia culpabilis mortaliter reddere violationem venialiter culpabilem. ita Suarez 3. *tom. in* 3. *p. disp.* 82. *sect.* 3. *col. pen.*

Ex his infero peccatum ex ignorantia culpabili, vel scientia commissum non ita variare naturam ipsius, vt necessariò debeas in confessione explicare fuisse ex ignorãtia culpabili, vel scienter commissum, non enim notabiliter auget, aut minuit peccatum. ita Nauarr. *summ. cap.* 6. *num.* 12. Suarez 4. *tom. in* 3. *part. disput.* 22. *sect.* 4. *num.* 14. At si fortè procederet peccatum ex ignorantia affectata liberiùs peccandi, & sine remorsu, ille enim affectus videtur necessariò declarandus, quia non solùm auget malitiam, vt dicit Sanchez *lib.* 1. *cap.* 17. *fine.* sed, meo iudicio, aliam specialem constituit aduersantem voluntati Deo seruiendi.

PVNCTVM XVII.

An ignorantia legis, vel pœnæ impositæ per legem excuset à pœna.

1 *Proponitur casus.*
2 *Ex ignorantia legis imponentis pœnam, pœna non contrahitur.*
3 *Idem est si adest ignorantia facti.*
4 *Quid dicendum si solùm ignores pœnam à lege impositam.*
5 *Deciditur quæstio, & approbatur ignorantiam pœnæ in censuris excusare.*
6 *Probabile est ad irregularitatem extendi.*
7 *Probabile etiam est excusare ab alijs pœnis delicti grauitatem secundùm se excedentibus.*
8 *Aliqua inferuntur ex superiori doctrina.*
9 *Satisfit argumentis num. 4. positis.*

1 SI nulla alia lege actus prohibitus est, nisi ab illa, à qua est pœna imposita, ignorans inuincibiliter legem illam, pœnam non contrahis, quia non peccas. Ergo non es à lege puniendus, ex *reg. sine culpa*, 23. *de regul. iur. in* 6. *& cap.* 2. *de constit.* & est res omnino manifesta. Difficultas autem est, quando actus prohibitus est alia lege, præter illam, quæ pœnam imponit, & ignoras legem imponentem pœnam; cognosces tamen actum alia lege prohiberi, & illum efficis, v.g. cognoscis percussionem clerici esse prohibitam iure diuino, & naturali: ignoras tamen adesse Ecclesiæ prohibitionem sub excommunicatione; contrahísne, si clericum percutias, excommunicationem, vel irregularitatem, aliámve pœnam?

2 Respondeo probabilius esse te nullo modo contrahere, quia non deliquisti contra legem Ecclesiasticam, vtpote ignarus illius. Ergo non debes pœnis illius puniri. Nec enim pœna est vlterius protrahenda, quàm delictum fuerit, vt dicitur *in cap.* 2. *de his quæ fiunt à maiore parte capit. & in cap. felicis, versic. illud autem, de pœnis, in* 6. iudex enim pœnam metiri debet ex culpa. Confirmo. Grauius delinquit qui percutit clericum, cognoscens percussionem illius non solùm esse prohibitam iure naturali, & diuino, sed etiam Ecclesiastico, & sub censura, quàm qui solum cognoscit prohibitionem iuris naturalis. Ergo non debet vterque eisdem pœnis puniri. Secundò in censuris est res, meo iudicio, manifesta. Non enim contrahi potest censura absque monitione. *cap. reprehensibilis, de appellat. cap. Romana, cap. constitutum, de sentent. excomm. in* 6. atqui non censetur quis monitus, quousque legem comminantem censuram agnoscat. Ergo. Item censura instituta est ad reprimendos rebelles, & inobedientes Ecclesiæ, sed qui eius præcepta ignorat, nequit inobediens iudicari. Ergo non potest censura reprimi. Tandem censura est medicinalis pœna, id est, pœna non punitiua tantùm delicti, sed potiùs præseruatiua committendi, *cap.* 1. *de sentent. excomm. in* 6. præseruari autem non alia ratione potes, nisi quatenus timore illius præseruaris à delicto committendo. Ergo necessariò debes illius habere notitiam.

Hæ rationes non solùm probant ignorantiam legis municipalis, sed etiam Pontificiæ, & cuiuscumque sit, à pœna per ipsam imposita excusare. Quare cùm *in cap. vt animarum,* 2. *de constit. in* 6. dicit Pontifex se nolle, vt ignorantes ligentur statutis quorumcunque ordinariorum, non inde infertur legibus à se latis velle ignorantes ligare, imò ex ratione decidendi illius textus, quæ est, *vt animarum periculis obuietur,* supponit contrarium. Grauius enim periculum animarum adesset, si Pontificiis legibus ligarentur ignorantes, quàm si legibus municipalibus ligarentur: tum quia grauiores sunt: tum quia minus cognitæ. Quòd si dicas, cur ergo Pontifex de solis sententiis latis ab ordinario loquutus fuit, & non absolutè de omnibus statutis? Item si nouum ius concedere nolebat, sed antiquum declarare, cur vsus est verbo *nolumus*, debebat enim vti verbo *declaramus*? Facilè respondetur, quia solùm de statutis ordinariorum poterat esse difficultas, an ignorantes ligarentur. Legem ergo tulit de difficultatibus, ex qua quod facilius erat, colligi poterat. Non autem vsus est verbo *declaramus*, sed verbo *nolumus*, quod indifferens est ad nouum ius statuendum, vel antiquum declarandum, vt sic daretur locus opinioni affirmanti ignorantiam censuræ ex se ab illa incurrenda non excusare, & ita tenet plures referens Sanch. *lib.* 9. *de matr. disp.* 32. *n.* 9. Nauarr. *cap.* 27. *n.* 272. Suarez *tom.* 5. *in* 3. *p. disp.* 4. *sect.* 8. *n.* 10. Vasq. *de excomm. dub.* 16. *n.* 6. Bonacina *de censur. disp.* 1. *q.* 2. *p.* 1. *n.* 7. Azor *lib.* 1. *instit. mor. cap.* 15. *q.* 3. Coninch *disp.* 13. *de censur. dub.* 10. *n.* 91. & alij.

3 Idem quod dictum est de ignorantia iuris, dicendum est à fortiori de ignorantia facti: si enim ignoras inuincibiliter hunc, quem percutis, esse clericum, censuram percussioni clerici annexam non incurris: esto scias percussioni clerici censuram esse annexam. Ratio est eadem, & efficacior, quia talis ignorantia facti reddit actum illum, cui censura annectitur, omnino inuoluntarium: ac proinde incapacem censuræ, vel alterius pœnæ; ideóque *in cap. si verò 2. de sentent. excommunicat.* excusatur ab excommunicatione occidens clericum, eo quòd ignorarit clericum esse, quia gestabat comam, & docent Doctores suprà relati. Salas *de legib. disp. 15. sect. 9. num.* 110. Vasq. *suprà dub.* 14. *num.* 2. *&* 7. Bonacina *num.* 8. Molina *tom. 4. disput. 53. num. 1. &* 3. Sanch. *n.* 23. Et hoc verum est, etiam si animum haberes percutiendi clericum, quia licèt talis animus malus sit; at percussio illa ex tali animo non proficiscitur, quia semper intelligebas te non percutere clericum, sed solùm feram, aut laicum. Ergo percussio illa clerici, quatenus clericus est, tibi non fuit voluntaria, nec peccaminosa, & consequenter nec censura punienda. & ita docet Sanch. *suprà n.* 26. Bonacina *disp. 1. de cens. q. 2. p.* 1. *n.* 14. Molin. *tom. 4. disp. 53. n. 2. & tom. 6. tr. 5. disp. 71. n.* 8. Vasq. 1. 2. *disp.* 126. *à n. 4. & de excom dub. 14. n.* 4. & alij.

Sed quid si proiiciens sagittam intendas occidere Petrum clericum, & casu occidas Franciscum similiter clericum, erísne excommunicatus, & irregularis.

Respondeo te non esse excommunicatum, neque irregularem ob ignorantiam facti; excõmunicatio enim, & irregularitas non ob intentionem, sed ob malũ opus externum contrahi debet: at occisio Francisci peccaminosa non fuit: intentio autem occidendi Petrum inducere non potest excommunicationem, aut irregularitatem. Ergo excusaris ab illis; secus verò dicendum est, si non casu, sed ex voluntate percutias Franciscum clericum, credens esse Petrum, quia tunc percussio illa tibi est voluntaria, etiam si non sit voluntaria, quatenus Francisci est: ita aliis relatis docet Sanch. *disp. 32. n.* 27. Bonacina *disp. 1. q. 2. p. 1. num.* 20.

4 Maior difficultas est, an ignorantia solius pœnæ à lege impositæ, sufficiat ab ea excusari.

Et quidem non sufficere probatur. Quia tota ratio delicti merentis pœnam, in transgressione legis sita est: hæc autem transgressio solùm expostulat notitiam legis, non pœnæ. Ergo ignorantia pœnæ, à pœna non excusat. Aliàs inuincibiliter ignorans esse pœnam inferni positam peccato mortali, illam non incurreret: quod omnino est falsum. Nam, vt dicitur *in l. 15. tit. 13. p. 2. elque faze el yerro el mesmo se mete en seruidumbre de la pena.* Secundò vel pœna imposita est proportionata delicto, vel est illi improportionata: si hoc secundum dicas, erit iniusta, & iniustè infligetur: si primum, eo ipso quòd committas delictum, teneris subire pœnam proportionatam. Ergo cognitio pœnæ necessaria non est ad illam incurrendam, & ita tenet Matienz. *lib. 5. recop. tit. 12. l. 1. gloss. 1. num.* 3. Iulius Clarus *lib. 5. recept. §. fin. q. 85. vers. 2. est casus* Couarr. dicens oppositam esse errorem, *cap. alma mater* 1. *p. §. 10. n.* 9. Cordub. *in quæst. lib. 1. q. 25. in princ.* Ledesm. 2. *p. 4. q. 24. art. 6. ad fin.* Auila 2. *p. cap. 5. disp. 5. dub. 10. concl.* 2. & alij.

5 Verum etsi supradicta sententia probabilis sit, probabilius tamen existimo ignorantiam pœnæ à lege impositæ excusare ab illa incurrenda ipso iure, etsi per iudicis sententiam imponi possit. De pœnis, quæ *medicinales* vocantur, quales sunt excommunicatio, suspensio, & interdictum, est res clarior, quia nulla alia ratione dicuntur medicinales, nisi quatenus sui timore retrahunt homines à delictis committendis. Ergo necessariò expostulant cognosci, vt sui timore possint delinquentes detinere. Secundò ad incurrendam excommunicationem, & idem est de suspensione, & interdicto, quatenus censuræ sunt, requiritur competens monitio, ex *cap. sacro, de sentent. excommunicat.* at non censetur quis competenter monitus, quousque sub comminatione censuræ moneatur. Ergo tertiò censura non fertur, nisi quando alia via delinquens corrigi non potest, ex *cap. nemo Episcoporum* 11. *q.* 3. ibi, *illis qui aliter non potuerunt corrigi*, &c. & satis colligitur ex Trident. *sess. 25. cap. 3. de reformat.* Ergo quousque delinquens corrigi nolit per monitionem censuræ, nõ debet censura affici.

Quartò violans legem Ecclesiasticam, ignorando censuram annexam, non est cõtumax, & rebellis, quantum esse potest, potestati Ecclesiasticæ, siquidem adhuc restat contumacia, & rebellio talis potestatis, sub comminatione, & notificatione pœnæ impositæ. Ergo quousque ei notificetur, ligari non potest tali pœna. Probo cõsequentiam; quia censura est vltima pœna vltimam contumaciam puniens: non autem puniret vltimam contumaciam, sed potiùs primam, si non expectaret notitiam censuræ. quia *in cap. 2. de constitut. in* 6. dicitur ignorantes statuta ordinariorum ligandos non esse illorum pœnis: quod decretum, cùm in animarum fauorem latum sit, extendi debet ad ignorantes non solùm statutum, sed & pœnam per statutum appositam. Ergo ignorantes censuras excusantur ab illis: & ita de his pœnis, quæ censuræ sunt, docet Suar. *5. tom. in 3. p. disp. 4. sect. 9. num.* 19. Sanch. *lib. 9. de matrim. disp. 32. num.* 13. *&* 21. Bonacina *disput. 1. de censuris quæst. 2. p. 1. num.* 13. Coninch *disput. 13. de censur. dub. 10. num.* 90. Flamin. *de confid. q. 21. num.* 17.

6 Hanc doctrinam extendit Sanch. & Bonacina *suprà* & Coninch *disp. 18. dub. 4. num.* 31. & Suar. *num.* 22. ad irregularitatẽ, existimãt que esse satis probabile ignorantem alicui actui impositam esse irregularitatem excusari ab illa, quia irregularitas, quæ est pœna, similis valdè est aliis censuris. tum in eo quòd reus in se illam exequi debet. tum etiam & præcipuè, quia nunquam imponitur, nisi ad puniendam alicuius contumaciam, & singularem rebellionem aduersùs potestatem Ecclesiasticam, vel ob grauissima crimina, qualis est irregularitas imposita exercenti actum ordinis censura ligato, violanti interdictum, occidenti hominem, & similia. Denique probari hoc potest ex *cap. proposuisti* 82. vbi venia conceditur clericis ignorantibus constitutionem Syricij Papæ, quæ deponebat clericos incontinentes. Ergo ignorantia pœnæ à pœna per legem imposita excusat.

Neque obstat text. *in cap. cùm illorũ, de sententia excommunicationis*, vbi percutientes clericum, si postea ordines recipiant scienter, deponuntur perpetuò si clerici sæculares sint: si autem sint regulares, ab executione ordinis suspenduntur; at si ignoranter processerint, eo quòd non recordentur se in excommunicationem incidisse, vel prorsus ignorasse impeditos esse ordines sic suscipere, cum eis poteris dispensare: si ergo admittitur dispensatio, contrahitur impedimẽtum etiam ignoranter: & ita motus hoc textu docet Azor *lib. 1. instit. moral. cap. 15. quæst.* 7. Non, inquam, obstat supradictus textus: nam ibi loquitur Pontifex non de ignorantia inuincibili, sed vincibili, & crassa, loquebatur enim pro foro externo, vt dixit Hostiensis, & Abbas ibi *num.* 15. In foro autem externo nemo præsumi poterat laborare ignorantia inuincibili iuris ita clari, & manifesti, & ita docet Nauarr. *sum. cap. 27. num.* 141. Suar. plures referens *tom. 5. in 3. p. disp. 31. sect. 1. num. 59. §. vlterius autem.*

7 De aliis pœnis, à censuris, & irregularitate, sentit Nauarr. *summ. cap. 23. num. 47. & latius cap. 27. num.* 274. *vers.* 13. ignorantes non ligari, nisi fortè pœnæ fuerint ita leues, & delicto proportionatæ, vt nulla ratione videantur excedere. Idem tenet Saa *verbo ignorantia num. vnico, in editione Complutensi*, vbi dicit: Ignorantia iuris, & facti excusat à pœna legis humanæ, etiam cùm non excusat

excusat à peccato, vt cùm quis peccat, sed ignorat ob id positam à lege pœnam: abest enim contemptus legis. Probabile reputat Suarez *tom. 5. in 3. part. disput. 4. sect. 9. num. 22.* Sanchez *lib. 9. de matrim. disput. 32. num. 21.* Bonacina *disput. 1. de cens. quæst. 2. punct. 1. num. 13.* Ratio Nauarri ea est, quia delinquens obligari non potest ad pœnam subeundam, nisi aliquo modo in illam consentiat: at ex ipso delicto solùm censetur consentire in pœnam, quæ delicto proportionata sit iuxta prudentum æstimationem, non autem in pœnam extraordinariam, exorbitantem, & auctam ob talis delicti frequentiam, vel alias circumstantias personæ, temporis, loci, &c. Ergo ad pœnam extraordinariam non censetur delinquens obligatus. Deinde violans legem grauissimis, & extraordinariis pœnis munitam, ignorando illas probabiliter, minus peccat, quàm si eas sciret; sicuti minus peccat, qui causa furandi ingreditur hortum nullo, vel leui cespite septum, quàm si alto pariete esset cinctus, sed qui sciens violat legem grauissimis pœnis munitam, illas incurrit. Ergo cum violatore ignorante mitiùs est agendum. Hic discursus Nauarri probat non posse iudicem ignoranti pœnam extraordinariam legis, illam ei imponere, si delinquat, sed solùm cum illo est agendum, ac si nulla esset pœna imposita, quia ratione ignorantiæ non fuit formaliter illius transgressor. Deinde probat supradictus discursus sic ignorantem non contrahere pœnam, si debeat ipse pœnam in seipso exequi; quia pœna, cuius executio ab ipso delinquente debet fieri, nullo modo est annexa delicto, ac proinde delinquens in illam non consensit; non igitur subire illam debet. Item illamet executio est res grauis, & extraordinaria, & tanquam à pœna extraordinaria, & exorbitante excusari debet, sic videtur sentire Coninch *disp. 18. de irreg. dub. 4. concl. 1. n. 29. in fin.* Molina *tom. 1. de iustit. disp. 92. §. obserua.*

8 Ex hac doctrina infertur primò ignorantem inuincibiliter delicto à se commisso annexam esse excommunicationem, suspensionem, interdictum, vel irregularitatem pœnalem, non incurrere has pœnas, quia sunt pœnæ tum medicinales, tum grauissimæ, tum ab ipso delinquente exequendæ. Poterit tamen iudex arbitrio prudentis delictum punire, constat ex Doctoribus suprà relatis.

Secundò infero reseruationem absolutionis factam in odium alicuius peccati non contrahi ab ignorante; secus verò si ob commune bonum Ecclesiæ, & rectam illius gubernationem reseruetur: tunc autem intelligi debet reseruari ob commune bonum præcisè, quando per se, & ratione sui reseruatur, nulla speciali constitutione peccatum illud prohibente: at quando reseruatur constitutione aliqua specialiter prohibitiua, & punitiua delicti, vti fecit Sixtus V. contra malè promotos ad ordines, & Gregorius XIII. contra dantes, & recipientes pecunias, pro gratia à Sede Apostolica obtinenda, non contrahitur ab ignorante talem pœnam, sic Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 32. num. 18.*

Tertiò infert idem Sanchez *suprà*, cum Anton. *cap. 2. de constit. num. 19. versic. hac vera*, annullationem actus, quando non est solemnitatis defectu, sed in delinquentis pœnam, non incurri à legis ignaris. Aliàs ipse delinquens esset propriæ pœnæ executor: quod durum, difficileque admodum est; & sentit Flamin. *de confid. q. 21. n. 33.* quoad forum conscientiæ, esto quoad forum exterius, & iudiciale affirmet incurri.

Quartò infero coniugem habentem rem cum consanguineis alterius coniugis in secundo gradu, ignorando hunc accessum esse specialiter ab Ecclesia prohibitum, non impediri à debiti petitione, quia non committit incestum. Idem est si teneret, vel baptizaret filium alterius coniugis, ignorans hoc esse ab Ecclesia prohibitum, quia in his casibus est ignorantia iuris, quæ si inuincibilis est, à pœna excusat ex supradictis, & tenet aliis relatis Sanchez *lib. 9. de matr. disp. 32. à n. 43.* Idem existimo dicendum de ignorante solam pœnam, hoc est, de ignorante sibi esse prohibitam debiti petitionem ob incestum commissum, etsi sciat specialiter prohiberi.

9 Restat satisfacere argumentis probantibus ignorantiam solius pœnæ non excusare ab illa.

Ad primum dico, adæquatam rationem delicti merentis pœnam delicti extraordinariam sitam esse in transgressione legis imponentis talem pœnam, non vtcumque, sed cum sufficiente illius cognitione, aliàs non censebitur delinquens esse subiectus. Neque obstat exemplum de pœna inferni, quam quilibet peccator meretur, esto illam inuincibiliter ignoret, quia hæc pœna non est extraordinaria peccato mortali, sed potiùs ordinaria illius, & leuior ea, quàm peccatum meretur. Deinde non est pœna, quam ipse delinquens in se debeat exequi, sed potiùs in illo est exequenda. Ad executionem autem pœnæ proportionatæ quilibet delinquens subiicitur eo ipso, quòd delinquens sit.

Ad secundum dico plures esse pœnas extraordinarias, & exorbitantes impositas delictis, si delicta in se considerentur; at non esse exorbitantes, attenta delicti multiplicatione, & aliis circumstantiis, quibus iudex motus est ad pœnam illam extraordinariam constituendam. Ex quo fit delinquentem ignarum obligatum non esse talem pœnam subire, bene tamen subire eam, quæ delicto secundùm se fuerit proportionata.

PVNCTVM XVIII.

An ad incurrendam pœnam à lege impositam sufficiat ignorantia quælibet mortaliter culpabilis.

1 *Non contrahis pœnam, si lex petat scientiam, præsumptionem, aut temeritatem; peccatum tamen committis.*

2 *Si lex factum prohibeat verbis simplicibus, excusaris à censuris.*

3 *Ab alijs pœnis non excusaris.*

1 Respondeo nequaquam sufficere, si lex scientiam legis expostulet: vt si dicat, qui scienter actum talem fecerit, excommunicatus, suspensus, aut irregularis sit; tunc enim necessariò requiritur ignorantia affectata, quæ scientiæ æquiparatur, neque alia sufficit; qualibet enim alia data, non verè diceretur scienter fecisse, sed ignoranter. Item cùm lex petit in delinquente scientiam legis, & pœnæ, petit dolum in delinquente, vt pœna illius afficiatur: at dolus non committitur, nisi cùm ex ignorantia affectata procedit, vt optimè probat Sanchez *lib. 9. de matrim. disput. 32. num. 36.* Ergo absque hac ignorantia non contrahitur pœna lata aduersùs scienter facientes; ideo enim dicitur *in l. 1. ff. de dolo*, ignorantem in dolo non versari, quia non quælibet ignorantia constituit dolum, sed affectata.

Dices, Ergo ignorantia vincibili, & crassa actum prohibitum à tali lege efficiens non pecco; siquidem solùm aduersùs scienter facientes lata lex est.

Respondeo te peccare, etsi pœnam non contrahas, nam quoad peccatum idem est te debere scire, ac si scires, ex *l. quod te mihi 5. ff. de reb. cred.* at quoad pœnam non est idem: & ita hanc sententiam sustinent Syluest. *verbo ignorantia, quæst. 8. dicto 4.* Nauarr. *cap. 27. num. 141. declarat. 4.* Couarr. *4. decret. 2. part. cap. 6. §. 8. num. 21. & cap. alma, 1. p. §. 10. num. 17. versic. eadem sanè ratione.* Sanchez plures alios referens *lib. 9. disp. 32. n. 35.* Bonacina *de cens. disp. 1. q. 2. p. 1. n. 10.*

Idem quod dictum est de lege lata aduersùs scienter facien

facientes, intelligi debet, si feratur aduersùs temerè consultò violantes, vel præsumentes violare, vel audentes violare; hæc enim omnia necessariò expostulant scientiam in delinquente, vel saltim ita affectatam ignorantiam, quæ scientiæ æquiparetur. ita Suarez *tom.5. in 3.p.disp.4. sect.10.num.3.* Sanchez *supra num.37.& 38.& lib.6. in Decalog. cap.8. num.43.* Bonacina *supra num.11.* vbi neque affectatam ignorantiam in prædictis casibus existimat sufficere, nisi cum ingenti temeritate fuerit coniuncta, sed necessariò ex certa scientia debere actum procedere.

2 Difficultas autem est, an casu quo lex non vtatur verbis supradictis, scientiam, præsumptionem, & temeritatem importantibus, sed absolutè dicat, qui deliquerint, tali pœna puniantur, aliqua ignorantia vincibilis, & mortaliter culpabilis delinquentes excuset?

Thom. Sanch. pluribus relatis *lib.9. de matrim. disput. 32. num.30. & seqq.* existimat ad contrahendas censuras, & irregularitatem non sufficere ignorantiam vincibilem mortaliter, sed necessariò desiderari crassam, & supinam, quámque vocat ius ignorantiam ex lata culpa. Pręcipuum fundamentum desumitur ex *cap.2. de constit. in 6.* vbi Pontifex excusat ignorantes à pœnis latis per statuta ordinariorum, nisi eorum ignorantia crassa fuerit, & supina. Quod decretum, etsi de statutis ordinariorum expressè loquatur, potiori ratione de legibus Pontificiis intelligendum est, vt suprà diximus. Ergo aliqua ignorantia mortaliter culpabilis, dummodo crassa non fuerit, & supina, à pœnis excusat, aliàs nihil Pontifex decerneret, in quo esse posset difficultas: nam ignorantia, quæ leuiter est culpabilis, & quæ negligentiam mortalem non attingit, in omni sententia à censuris, & qualibet pœna graui excusat, siquidem excusat à peccato mortali.

Hæc sententia in censuris, & irregularitate probanda mihi videtur, eo quòd sint pœnæ, quæ contemptum legis requirunt, vt optimè probat Nauarr. *cap. accepta, de restitut. spoliat. opposit.8 1 illat.9. num.35. & cap. cùm contingat, causa 14. nullitatis, remedio 2. num.7.* Sed contemptus non videtur adesse, vbi aliqua diligentia est adhibita: hæc enim diligentia excusat à dolo, cùm quælibet causa, siue iusta, siue iniusta sit, ab illo excuset, vt multis exornat Flamin. *de confident. quæst.46. num. 8.* Ergo, & ita tenet Bonacina *de cens. disp.1. q.2. punct.1. num.10.*

3 De aliis autem pœnis existimarem sufficere ad illas contrahendas, diligentiam non fuisse adhibitam sufficientem, eo quòd de illis nihil videam specialiter decretum, nisi solùm in pœna imposita coniugibus, non petendi debitum ob copulam cum consanguineis sui coniugis habitam, vel si absque necessitate baptizauit, vel leuauit filium coniugis ex sacro fonte, in quibus casibus necessariò requiritur scientia delicti, neque sufficere ignorantiam crassam, sed necessariò debet esse affectata: quod satis in affinitate probatur ex *cap.1. de eo qui cognouit consanguineam.* ibi, *si quis cum filiastra sua scienter fornicatus fuerit, neque à matre debitum petere, neque filiam vnquam habere potest vxorem.* Et in impedimento cognationis probatur ex *cap. si vir, de cognat. spiritual.* ibi, *si ex ignorantia factum est, eos ignorantia excusare videtur,* vbi ignorantiam non quamcunque, sed affectatam intelligit, vt optimè probat Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 32. à num. 47.* An peccans ex ignorantia committat peccatum eiusdem speciei, ac si sciens peccaret, iam diximus superiori tract. de conscientia, cùm de errore esset sermo. Item an euentus ortus ex ignorantia culpabili imputandus sit, & sit verè peccatum, latè discussimus hac disputatione *punct.4.*

Pvnctvm XIX.

An ignorantia excusans legis transgressionem, allegari possit in foro externo, & qualiter probanda sit.

1 *Proponitur non posse allegari.*
2 *Defenditur allegari posse.*
3 *Satisfit argumentis num.1. positis.*
4 *Apponitur modus probandi ignorantiam.*
5 *Iuramentum non sufficit ad ignorantiæ probationem, si alia via ignorantia probari potest. Et quid specialiter in lege sufficienter promulgata.*
6 *Allegari, & probari potest ignorantia, si alia via præter iuramentum fieri potest.*
7 *Ignorantia facti sufficienter probatur iuramento.*
8 *Aliqua notabilia inferuntur.*

1 Non posse allegari, probatur primò, quia allegaret latam culpam, qualis est ignorare iuris dispositionem, quam omnes scire debent. *l. leges sacratissimæ, ff. de legibus.* Secundò, contra præsumptionem iuris, & de iure non admittitur probatio ignorantiæ, vt tradit Felin. *in cap. cognoscentes, num. 13. de constitut.* & multis exornat Flamin. *de confident. quæst.76.* At cùm lex est solemni ritu publicata, est præsumptio iuris, & de iure pro eius scientia. Ergo nemini permissum est allegare ignorantiam. Tertiò non toleratur ignorantia eorum, quæ quis tenetur ratione sui officij scire, & inuestigare, ex *cap. innotuit, de elect. glossa ibi, verbo ignorantiam.* Sed quilibet tenetur leges, & obligationes sui muneris scire. Ergo non es admittendus allegare in contrarium: hac enim ratione Episcopus allegans ignorasse vacationem beneficij, repellitur, quia cùm præsens diœcesi debeat esse, præsumitur omnia ibi suo muneri pertinentia scire, ex glossa *in l. si tutor, super verbo, ostenderis. C. de pericul. tutor. & ex cap. qui & humanis, 11. quæst.1.* Quocirca Mascard. *verbo ignorantia, conclus.879. num.22.23. & 24.* probat multis allegatis, nemini patrocinari ignorantiam decreti publici, edicti ordinarij publicati, & cuiuscunque statuti quoad homines loci illius.

2 Nihilominus certa sententia est, ignorantiam legis allegari, & probari posse. tradit Abbas *in cap. cognoscentes, num.9. de constitution. & glossa ibi in fine.* Syluest. *verbo lex, quæst.7.* Menoch. *de arbitrar. iud. lib.2. cent.2. casu 186.* & supponunt omnes. Et ratio est clara, quia notitia legis positiuæ non est à natura insita, sed diligentia cuiusque, & aliorum disciplina haberi debet: hæc autem possunt ex multis capitibus impediri, & impossibilia reddi. Ergo potest allegari, & probari.

3 Neque obstant rationes in contrarium. Fateor, inquam, aduersùs ignorantem ius, statutúmque commune esse præsumptionem, ideóque illi incumbere onus probandi, & præsumptionem elidendi.

Ad primum dico. Qui allegat ignorantiam legis, vt à transgressione legis excusetur, non allegat latam culpam, quia non allegat ignorantiam vincibilem, sed inuincibilem, & probabilem.

Ad secundum dico aduersùs præsumptionem iuris & de iure debere non admitti probationem simplici verbo, imò nec iuramento, vt dicemus, benè tamen si alia via ignorantiam probare contendat, scilicet allegando causas, ex quibus efficaciter præsumitur. Adde pro scientia legis solùm esse præsumptionem iuris, non de iure; cùm solum verosimiliter, seu probabiliter, non necessariò omnibus insit, in quo præsumptio iuris sita est, vt optimè dixit Alciat. *de præsumpt. 3. p. in præludio. num. 9. Præsumptio iuris* (inquit) *est probabilis coniectura ex certo signo prouenients, quæ alio non adducto pro veritate habetur;* & multis exornat Flamin. *de confident. quæst.77. num.12.*

num.12. vbi à *num.8.* probat aduersùs hanc præsumptionem admitti probationem.

Ad tertium eodem modo respondemus efficaciorem probationem ignorantiæ requiri, quoties de scientia est ita vehemens præsumptio.

4 Modus autem probandi ignorantiam duplex est. Primus est coniecturis, iuxta textum *in cap. cùm in tua, qui matrim. accusare possunt.* gloss. *ibi, & in cap. præsumitur, vers. 3. quando probatur, de reg. iur. in 6.* Bald. & Abbas *in cap. cognoscentes, de constitut. num.* 10. Felin. *num.* 19. Coniecturæ sunt, si probes absentiam tempore publicationis, si detinearis infirmitate, si in tenera ætate eras constitutus, & his similia, ex *supradicto cap. cùm in tua,* & tradit aliis relatis doctissimus Menoch. *de arbitr. iud. lib. 2. cent. 2. casu* 186. *num.* 16. Mascard. *de probat. verb. ignorantia, conclus.* 880. vbi *num.* 1. aduertit hanc probationem ignorantiæ per coniecturas non esse plenam, non enim de his quæ sunt in animo, constare certò potest; ac proinde iudicis arbitrio debet relinqui. Menochius *suprà.* Secundus modus probandi ignorantiam est iuramentum, cùm enim ignorantia in mente consistat, solo videtur testimonio ignorantis probari posse. sic glossa *in cap. proposuisti, 82. dist. cap. qui diuinis, verbo, & humanis, 12. quæst. 2. cap. si verò, el 2. de sentent. excommunicat. verbo, propria.* Abbas *dict. cap. cognoscentes, num.* 9. Couarr. 2. *var. cap.* 10. *num.* 1. *vers. tertio admittenda est,* & alij plures, quos refert, & sequitur Mascard. *de probat. concl* 881. *n.* 1. & 2. Menoch. *suprà n.* 3. *vers. primus est modus.* Gregorius Lopez *l. 12. tit. 1. p. 7. verb. que lo non supiera.*

5 Difficultas autem est, an hoc iuramentum sufficiat ad probandam ignorantiam legis?

Et quidem quando alia via præter iuramentum ignorantia probari potest, omnes conueniunt iuramentum insufficiens esse, colligitur ex *cap. præsentium, de testibus, cap. ex litteris, de præsumpt.* & tradit aliis relatis Felin. *cap. 2. num. 12. de constitut. versic. fallit primò.* Mascard. *suprà num.* 23. Iuramentum enim in defectum alterius probationis subrogatur; est enim probatio hæc priuilegiata, cui locus est tantùm cùm aliæ probationes deficiunt. tradit Menoch. *num. 7. ex l. 2. §. diuus, el 1. de iure fisci.* Secundò non sufficit iuramentum, si agatur tam de probanda ignorantia, quàm de probanda ignorantiæ iustitia, vt si allegas ignorantiam ex causa absentiæ, vel infirmitatis, debes absentiam, vel infirmitatem legitimis probationibus probare. ita Felin. *suprà num.* 19. Menoch. *num.* 15. Mascard. *num.* 15. plures referens. Rationes adducit Menoch. & Mascard. quia actus isti ignorantiam iustificantes non consistunt in animo allegantis, sed sensibus obiiciuntur. Debent ergo aliis testimoniis probari. Tertiò non probatur ignorantia solo iuramento ignorantis, quando aduersùs eum esset maxima iuris præsumptio, vel ex publica fama, vel ex facti notorietate, vel ex longi temporis præscriptione, aliòve simili. ita Decius *in supradicto cap. cognoscentes, num. 18. vers. similiter arbitrari.* Felin. *num.* 17. Couarr. *reg. possessor. 3. p. §. 3. num. 4. vers.* 10. Gratian. *reg. 270. n. 7.* Menoch. *suprà num. 7. & 8. & tract. de recup. possess. rem. 16. num.* 36. vbi probat allegantem se ignorasse sui antecessoris vitiosam possessionem, non esse audiendum, quando publicè notum est illum antecessorem suum vitiosè possedisse. Ignorantia enim illorum, quæ publicè nota sunt, non præsumitur, imò præsumitur contrarium, & aduersùs iuris præsumptionem solo iuramento non videtur standum.

Hinc oritur dubitatio, an ignorantia legis sufficienter promulgata probetur iuramento? Non enim videtur probari posse: nam aduersùs iurantem semper est iuris præsumptio, eo quòd lex publica sit, & publicè omnibus nota post duos menses à publicatione. In contrarium autem est, quia non est præsumendus quis ita, immemor suæ salutis, vt peierare vellet. Item quia ea quæ sunt in animo latentia, non possunt efficaciori via probari, quàm testimonio ipsius dicentis: illi est ergo fides adhibenda.

Vtraque sententia est probabilis, & quælibet plures habet patronos. At probabilior, & magis recepta sententia est in ignorantia legis, seu iuris non admittendam esse probationem iuramenti: ita docet Menoch. *suprà. & lib. 1. de præsumpt. præsumpt. 77. à num.* 3. Thomas Sanchez *lib. 9. de matrim. disput. 32. num.* 5. Mascard. *conclus.* 881. *num. 17. & 26.* & alij. In duplici casu hæc nostra sententia veriùs procedit. Primò, si lex aut statutum prohibeat ignorantiam allegari: tunc enim nullo modo admittenda est probatio ex iuramento, quia statutum valet, & aliquid debet operari. tradit Bald. *l. 1. ff. de legib. num.* 6. Felin. *in cap. cognoscentes, num. 15. de constit.* Menoch. *n.* 10. Mascard. *num.* 20.

6 Verùm si alia via probari potest ignorantia inuincibilis legis, admittenda est probatio, etsi lex prohibeat ignorantiam allegare, quia intelligi debet prohibere ignorantiam culpabilem, crassam, & supinam, non tamen prohibere allegare ignorantiam iustam, & probabilem. Nam si prohiberet iustam, & probabilem ignorantiam allegare, prohiberet iustam innocentis defensionem, & intenderet, innocentem, ac si esset nocens punire. Dices, ergo nihil speciale prohibet: nam quælibet lex prohibet allegare ignorantiam vincibilem. Ergo huiusmodi statutum de inuincibili est intelligendum: & sic tenet Felin. *dict. cap. cognoscentes, num.* 15. Farinac. plures referens 1. *part. fragment. verbo constitutio, num.* 702.

Respondeo tamen quamlibet legem repellere ignorantiam vincibilem, & crassam, admitteréque probationem ignorantiæ probabilis, & iustæ; at cum hac differentia. Quia, quando lex non repellit probationem ignorantiæ, admitti potest eius probatio simplici iuramento ex probabili sententia, cui se potest iudex conformare. At quando lex ignorantiam allegari prohibet, nullo modo admitti potest eius probatio simplici iuramento, sed aliunde petenda est, & sic iam lex aliquid operatur. Secundò dici potest statutum nihil in hac parte speciale operari, sed ad maiorem claritatem, & expressionem illius, quod ex natura rei inest, illa verba esse apposita: sic aliis relatis explicat Menochius *à num.* 12. Minus enim inconueniens est negare legem aliquid speciale operari, quàm affirmare iniquitatem continere, contineret autem iniquitatem, si iustè ignorantem puniret. Ergo. Secundus casus, in quo nullo modo aduersùs legem admittitur probatio per iuramentum, est, quando agitur de tertij præiudicio, non enim iustum est alterum præiudicari solo tuo dicto; cùm pro illo stet legis præsumptio. ita Menoch. *suprà num.* 9. Mascard. *num.* 12. qui limitant procedere in præiudicio graui, non leui.

7 Rursus si loquamur de probanda ignorantia facti, censeo statuendum esse regulam generalem probari sufficienter iuramento ignorantis, quia ignorantia facti regulariter præsumitur: propterea dicitur, Ignorantia facti, non iuris excusat. *cap. ignorantia, de regul. iur. in 6.* Hæc regula colligitur ex *cap. si verò, el 2. de sent. excomm. cap. cùm in tua, qui matrim. accus. poss. & ibi gloss.* & multis exornat Mascard. *concl. 81. n. 4.*

8 Ex qua regula infero primò, cum Mascard. *num.* 3. referente Abbatem, Hippolyt. & alios non soluentem vectigal impositum mercibus, quas refert, propter quod incidit in commissum, excusari sufficienter, si iuret se nesciisse impositum esse vectigal, & tali iuramento facto absoluendus est, neque res eius cadunt in commissum. Secundò infero, hæredem alicuius non soluentem canonem per biennium, ob cuius negligentiam cadit in commissum, purgari sufficienter, si iuret, se ignorasse rem illam esse emphyteuticam. ita Accurs.


in

in l.2.gloss.vlt. vers.sed quid si ille, qui soluere debuit. C. de iure emphyteutico. Marsil. *in rub.C.de probationib.num.*137. *vers. & dixit multum egregiè.* Mascard. plures referens *num.*4 & 5. Tertiò infero, si dominus recepit canonem, id est, pensionem, & censum ab emphyteuta, postquam cecidit à iure suo ob negligentiam solutionis, eam redintegrat, iuxta *l.2.C.de iure emphyteutico.* Hoc tamen intelligendum est, casu quo dominus sciuerit emphyteutam à iure suo cecidisse, secus si ignorauerit. nam si ignorans recepit solutionem pensionis, non redintegrat. hæc tamen ignorantia, cùm sit ignorantia facti, & non iuris, iuramento domini probatur sufficienter, tradit Marsil. *suprà n.*138. *vers. Adde quòd ista probatio ignorantiæ.* Mascard. *num.*6. Quartò infero vasallum allegantem feudi vacantis ignorantiam, offerentémque iurare, debere admitti, quòd si non admittatur, appellare potest, tãquam grauatus, sic aliis relatis Mascard. *num.*7. Infero quintò procuratoris ignorantiam probari sufficienter iuramento ipsius, nisi à domino habuerit speciale mandatum. sic Mascard. *num.*8. Sextò infero receptantem in domo hæreticum purgari sufficienter, si iuret se nescisse hæreticum esse, quia cùm sit de facto alieno, & occulto, præsumitur ignorasse. sic Simanc. *lib.catholic.institut.tit.*15.*num.*19. Menoch. *lib.*9.*presumpt.* 23.*num.*54.

Ab hac regula excipi debet factum, pro cuius scientia est à iure præsumptio, vt si sit publicum, si in tua præsentia: tunc enim non probatur satis iuramento, sed allegan da, & probanda est causa ignorantiæ; est enim eadem ratio de hoc facto, ac de lege, siquidem legis ignorantia ideo non probatur satis iuramento, quia eorum, quæ publica sunt, qualis est lex, scientia præsumitur. Quæ autem sint facta, pro quibus à iure est præsumptio scientiæ, vel ignorantiæ, optimè expendit Menoch. *lib.*6. *presumpt.* 23. & 24.

DISPVTATIO II.

De peccatis. Vbi eorum natura, & essentia explicatur.



PECCATVM aliud est originale, aliud actuale, aliud habituale, aliud mortale, aliud veniale, de omnibus est sigillatim dicendum: sed quia à peccato originali omnia peccata originem trahunt, ideo de illo placet priùs agere, & breuiter inquirimus, An sit? Quid sit? & quas personas afficiat, & quos effectus habeat?

PVNCTVM I.

Quid sit peccatum originale.

1 *Fide tenendum dari peccatum originale.*
2 *Prima sententia peccatum originale esse peccatum Adæ moraliter quemlibet denominans.*
3 *Refellitur supradicta sententia, & asseritur esse priuationem iustitiæ debitæ.*
4 *Proponuntur obiectiones aliquot, & soluuntur.*
5 *Quid sit priuationem gratiæ debitam esse paruulis.*

1 NEmini Catholicorum esse potest dubium dari peccatum originale; cùm hæc veritas expressè definita sit à Trident. *sess.*5.*de peccat. origin. cap.*3. ex illo loco Pauli ad Roman. 5. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt.* Notanda enim sunt verba Pauli dicentis ab Adamo peccatum in hunc mundum *intrasse*, quod non potest intelligi de introitu per imitationem, quia paruuli non peccant imitando; ergo debet intelligi per realem propagationem. Nam eodem modo dicit intrasse peccatum, ac intrauit mors comes illius, quæ certè non imitatione, sed veritate, omnes afficit. Deinde probatur ex Baptismo, qui institutus est ad paruulos in Christo regenerandos, iuxta Paulum *ad Rom.* 6. Signum ergo est mortuos esse ob peccatum, non quidem actuale, quod habere non possunt, sed originale. Idem traditur ad Ephes. 2. *Eramus natura filij iræ.* & 1. Corinth. 15. num.22. *Omnes in Adam moriuntur.*

2 In quo autem hoc peccatum consistat, variant Doctores, eorum opiniones refert, & errores latè impugnat Azor. *lib.*4.*instit.moral. cap.*26. Vasq. 1.2. *disp.*132. Salas 1.2. *tom.* 2. *tractat.*13. *disput.*11. *sect.* 2. illis tamen omissis,

Duplex est sentẽtia, quæ veritati accedit. Prima affirmat peccatũ originale nihil aliud esse, quàm peccatum Adæ moraliter, & intrinsecè inhærens, & denominans quemlibet hominem peccatorem. Cùm enim peccatum originale debeat esse voluntarium, & nihil appareat, quod voluntarium sit præter Adæ peccatum, effici videtur in ipso, vt moraliter denominante peccatorem, sitam esse rationem peccati: quod exemplo peccati habitualis explicatur, peccatũ enim habituale nihil aliud esse videtur, quàm peccatum actuale, dum non est sufficienter retractatum, aut à Deo condonatum, quia sic existens moraliter censetur perseuerare, & intrinsecè peccatorem denominare: ita similiter in peccato Adæ, dum tale peccatum non est sufficienter retractatum, aut à Deo pro omnibus hominibus condonatum, censetur illis inesse moraliter. ita doctus Salmeron *ad Rom.*1. *disp.*45.& 46. & plures moderni illi consentiunt. Fateor tamen me non posse illi acquiescere, redolet enim errorem Alberti Pighij *controuers.*1. & Catharini *opusculo de casu hominis cap.* 8. & *vlt.* & *lib. cui titulus est, summa doctrinæ, ad sacros Theologos, de peccato orig.* §.3. *qui incipit, Est igitur mea propositio,* qui asserunt peccatum originale solùm esse peccatum Adæ nobis imputatum, ac proinde quid extrinsecum ei, non vnicuique proprium, contra Concilium *sess.*5.*can.*3. Sed probo non posse peccatum originale consistere in peccato Adæ moraliter, & intrinsecè denominante paruulum: quia peccatum Adæ tam actuale, quàm habituale est omnino remissum. Ergo non potest moraliter in paruulis perseuerare, quia perseuerantia moralis alicuius rei, tunc est, quando prudenter homines censent illam rem perseuerare, & reputant, ac si physicè existeret, quod esse non potest, destructo totaliter fundamento huius denominationis: at quia totum fundamentum huius denominationis moralis, est peccatum actuale, & habituale Adami, quod per eius pœnitentiam, & gratiam animo fuit destructum. Ergo. Secundò per gratiam Christi in Baptismo collatam tollitur in paruulo totum id, quod veram, & propriam peccati rationem habet: vt dicit Concil. Trident. *sess.*5.*can.*5. sed non tollitur peccatum Adæ; hoc enim iam erat sublatum per eius pœnitentiam. Ergo aliquid aliud debet tolli, quod sit fundamẽtum illius moralis denominationis. Tertiò nequit intelligi, qua ratione multiplicetur peccatum originale in quolibet paruulo, si peccatum originale non sit aliud præter Adæ peccatum moraliter paruulo inhærens: nam cùm peccatum Adæ vnum sit, vnum debet reputari, & non multiplex formaliter, quod est contra Concil. *sess.*5.*can.*3.

3 Quapropter tenenda mihi videtur communis sententia, quæ affirmat peccatum originale consistere in priuatione singulis debita iustitiæ, & sanctitatis, cuilibet enim debebatur iustitia Adamo non peccante: at quia ipse peccauit, & omnes in illo, quia in illius voluntatem

luntatem nostræ erant refusæ, ideo nobis debita est priuatio gratiæ, & iustitiæ. In hac ergo priuatione debita peccatum originale consistit. ita Azor *cap. illo 26. circa finem*. Vasquez *cap.* 8. Salas *sect.* 3. *n.* 38. Bonacina *disp.* 2. *de peccat. q.* 1. *p.* 2. Ratio est, quia peccatum originale ita est vnicuique proprium, vt verè illum peccatorem constituat, sed nihil est, quòd singulis insit, quòd possit illos peccatores intrinsecè constituere, præter hanc priuationem. Ergo in hac priuatione peccatum originale consistit. Minorem probo, quia neque est peccatum Adæ, vt *suprà* probatum est, neque est aliqua qualitas, vt bene probat Azor, Salas, & Vasquez *suprà*, neque aliquis reatus ad pœnam; hic enim potius est effectus peccati, quàm peccatum. Restat ergo, vt solùm sit priuatio debita gratiæ.

Dices hanc priuationem non esse paruulis voluntariam, & liberam, quod est ad peccatum requisitum.

Respondeo esse quidem liberam in Adamo; ibi enim omnes hominum voluntates refusæ erant, ac proinde cùm ipse peccauit, omnes nos peccamus, & priuationem gratiæ meruimus habere. Ergo in hac priuatione debita peccatum originale consistit.

4 Verùm aduersùs hanc sententiam obstat, primò, quia priuatio sanctitatis debitæ paruulis fit à Deo, Deus enim priuat hominem gratia sua, & iure ad gloriam, quia peccator est. Ergo priuatio gratiæ non est peccatum, sed effectus peccati. Secundò quilibet homo non solùm est priuatus iustitia originali, quatenus iustitia originalis est gratia sanctificans, sed quatenus est donum quoddam, virtute cuius passiones sensitiuæ in Adamo subiectæ erant rationi, quia Deus Adamum condens, promisit illi, si mandatum seruaret, omnibus eius posteris, non tantùm gratiam, sed iustitiam originalem daturum. Ergo in vtraque priuatione consistet peccatum originale, ac proinde non remittitur integrè per Baptismum. Tertiò ipsemet Adamus, postquam peccauit, mansit priuatus iustitia originali, & tamen non habuit originale peccatum. Ergo peccatum originale non potest in hac priuatione consistere?

Hæc tamen argumenta non obstant, quominus firma debeat esse communis sententia.

Ad primum dico, priuationem gratiæ fieri à Deo, sed non quatenus paruulis talis priuatio est debita: peccatum enim originale non in priuatione vtcumque gratię consistit, sed in priuatione debita, cuilibet enim homini per seminalem propagationem procreato, debetur priuatio gratiæ, & sanctitatis, ob peccatum, quod Adamus commisit, & cui ipse homo virtualiter, & moraliter consentit.

5 Sed inquires. In quònam consistit, priuationem gratiæ esse cuilibet debitam, seu quemlibet mereri priuari gratia. Nam in peccato Adami non videtur posse consistere, cùm hoc vnum sit, & priuatio debita multiplex. Item peccatum Adami est extrinsecum paruulis: deberi autem priuari gratia illis est intrinsecum, aliàs præcipua ratio peccati originalis in extrinseco sita esset. Quid ergo est in paruulis vltra carentiam gratiæ debitum carendi illa.

Respondeo non esse facile explicatu. Dico tamen necessariò recurrendum esse ad moralitates; peccatum enim Adami non solùm fuit peccatum ipsius, sed etiam peccatum omnium posterorum; in illo enim omnes posteri peccauerunt, iuxta Paul. *ad Roman.* 5. Quid ergo mirum, si singuli peccarunt, singuli habeant debitum contrahendi priuationem gratiæ? hoc tamen debitum etsi ortum sit ex peccato Adæ, formaliter non est peccatum Adæ, sed ab illo quasi resultat moraliter, vel potest dici non esse peccatum Adæ, prout est peccatum ipsius, sed secundùm quod est peccatum posterorum, & omnes in illo peccauerunt, & secundùm hanc rationem etsi physicè extrinsecum singulis sit: at moraliter intrinsecum est, & omnes intrinsecè afficit.

Ad secundum concedo non tantùm inesse singulis priuationem gratiæ, sed etiam subiectiones suarum passionum rationi rectæ; at nullo modo in hac priuatione subiectionis consistit neque partialiter peccatum originale: tum quia Concil. *sess.* 5. *can.* 5. dicit per Baptismum totum peccatum originale tolli, & tamen hæc priuatio subiectionis non tollitur: tum etiam, quia hæc subiectio non constituit gratum Deo: ergo neque eius priuatio ingratum constituere potest, ac proinde non potest esse peccatum, aliàs priuatio scientiæ, aliorúmque donorum, quæ Adamo non peccante haberemus, essent peccatum originale, & sic peccatum originale non esset vnum, sed multiplex in quolibet subiecto, quod non est dicendum.

Ad tertium concedo Adamum habuisse priuationem gratiæ post peccatum, non tamen habuisse originale peccatum; requiritur enim ad originale peccatum priuatio gratiæ non vtcumque, sed debita origine, & seminali propagatione, debita, inquam, non ratione culpæ propriæ, seu propria persona commissa, sed ratione culpæ capitis, in cuius voluntate omnium voluntates refusæ erant.

PVNCTVM II.

Quos effectus habeat peccatum originale.

1 *Priuat regno Dei.*
2 *Contrahimus mortem, & rebellionem appetitus.*

1 Conueniunt omnes Catholici priuare regno Dei, taliter quòd decedentes in peccato originali, nunquam visuri sunt Deum, secundùm illud Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*; non tamen inde sequitur habituros esse aliquam pœnam sensus, vt rectè, & eruditè probat Salmeron *ad Rom.* 5. *disp.* 48. Suarez *in* 3. *p. tom.* 2. *disp.* 57. *sect.* 6. Salas *tract.* 13. *disp.* 11. *sect.* 6. *num.* 74. *& num.* 83. Azor *lib.* 4. *cap.* 33. *q.* 1. *&* 2. sed non ob carentiam huius pœnæ, & fruitionem rerum naturalium, & perfectam illarum notitiam dicendi sunt esse in beatitudine naturali; nam, vt bene probat Azor *q.* 5. Salas *disp.* 11 *sect.* 6. *n.* 92. beatitudo naturalis expostulat naturam rectam, sanam, integram, & puram, quæ si peccato mortali originali afficiatur, talis non est: nam caret perfectionibus, quæ secundùm legem ordinariam ei fuerunt possibiles. Deinde qui in peccato originali est, Deo est inuisus, & inimicus, ac proinde miser; non ergo potest dici beatus. Item non essemus immortales, neque appetitus subditus rationi esset, sed sæpè in malum inclinaret: plurium etiam haberemus ignorantiam; qua ratione bene comparat Sotus *lib.* 1. *de nat. & grat. cap.* 13. hominem in pura natura homini nudo, qui nunquam fuit vestitus, & hominē in natura lapsa comparat spoliato, qui antea vestitus erat. Sed quid dicendum, si aliquis originali infectus, cum solo peccato veniali decedat? & posse decedere probat latè Salas *q.* 89. *tract.* 13. *disp.* 18. *sect.* 6. *&* 7. quia obligatio se conuertendi ad Deum, & potest ignorari inuincibiliter, & casu quo ignoretur potest illi non satisfieri absque culpa Item potest tunc homo aliquod mendacium leue, verbúmve otiosum committere, & subitò mori. In tali ergo euentu decedens in originali, & veniali, quam pœnam sensus habebit?

Respondeo habituram aliquam, sed non pœnam æternam, sed temporalem, qua purgetur peccatum veniale commissum: locus autem, in quo purgandum est, vel est infernus non cum societate damnatorum, sed separatim ab illis: vel est limbus, in quo decedētes cum origi

originali resident; non enim repugnat in limbo esse aliquem locum ignotum, quo animæ decedentes cum originali, & veniali purgantur, & purgatæ à veniali statim coniunguntur aliis, quæ cum solo originali decesserunt. Quòd si dicas, quare Patres, & Concilia nihil de hoc loco dixerint; facilè respondetur, quia pauci sunt, qui sic decedunt. Vide Salas *sup.*& Suar.*t.4.in 3.p.disp.*11.*sect.*1.

2 Secundò est de fide ob peccatum Adami mortem incurrere, ad Rom.5. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors*, &c.

Tertiò ob peccatum incurrimus rebellionem appetitus, ægritudines, labores, & alias innumeras miserias, de quibus latè Vasquez 1.2. *disp.*134. *cap.*1. Suarez 3.*p. tom.*1.*disp.*57.*sect.*6.

Aduertendum tamen est mortem corporis, rebellionem appetitus, ignorantiam, & alia similia, quę per peccatum incurrimus, etiam in natura pura creati habere deberemus, neque obinde fit per peccatum non fuisse hominem vulneratum in naturalibus: fuit equidem, quia dono gratiæ, & iustitię originalis illi praui affectus naturales erant impediti, & per peccatum homo perdidit hanc gratiam, & rediit ad id quod de se habebat. Ergo verò vulnerata est in naturalibus. Vide D.Thom. *q.*85.*art.*3.Caiet.*ibi.*Vasquez *disp.*138.*c.*2.Salas *tract.*13. *disp.*13.*sect.*1.

PVNCTVM III.

Quas personas peccatum originale afficiat.

1 *Omnes descendentes per seminalem propagationē, excepta B.Virgine Maria, peccatum originale contraxerunt.*

2 *Aliqui affirmant Virginem sanctissimam non solùm exemptam fuisse ab originali culpa, sed etiam à debito illam contrahendi.*

3 *Defenditur, vt probabilius immunem non fuisse B.Virginem à debito contrahendi peccatum.*

1 DE fide est omnes descendentes ab Adamo per seminalem propagationem tale peccatum incurrere, cùm primum eorum corpori animæ vniuntur: ita Trid *sess.*5. *can.*5. nisi aliquis speciali priuilegio eximatur. quod dico propter Beatissimam, & nunquam satis laudatam Virginem Mariam; hæc enim mater Dei, & Regina mundi sub hac regula generali non comprehēditur, fuit enim diuinitus excepta: decebat enim dignitatem matris, vt tota fieret pulchra, & decora absq; macula, & ruga. Neque obinde fit ab eius filio Christo Domino redemptam non esse; redempta enim fuit, ne incurreret captiuitatem peccati, non liberata post incursum, qui modus redemptionis nobilior, & efficacior est. Negari enim non potest B.Virginem ex meritis Christi præseruatam, ne vllum peccatū veniale committeret, & plures Sanctos præseruatos esse, ne mortale cōmiserint, qui in toto rigore dici possunt redempti à captiuitate peccati incurrenda, nisi gratia preuenirentur. ita B.Virgo dici potest redempta de peccato originali, nō quòd contraxit, sed quòd de facto cōtraheret, nisi à gratia per Christum præuenta fuisset. Testimonia Scripturæ, Patrum, & rationum in fauorem huius piæ, & debitæ sententiæ videri possunt in Salmer.*ad Rom.*5.*disp.*49.*&* 50. Azor *lib.*4.*c.*34 *q.*3.Suar.*tom.*2.*tota disp.*3.*sect.*5.*&* 6 Bellarm. 4. *de amiss.grat.c.*15.Vasq.*tom.*2.*ad* 3.*p.disp.*116.*&* 1.2.*disp.*130.*c.*1. Beia *tr.*2.*c.*9.*q.*10. Salazar, & aliis, qui latissimè hanc veritatem confirmarunt; nobis tamen sufficiat cōsensus ferè vniuersalis Ecclesiæ defendentis hanc sententiam, quam Sixtus IV.& Pius V.non leuiter promouere voluerunt, concedentes singulares gratias, & indulgentias hoc festum celebrantibus. Et est nouissima Pauli V.constitutio, quæ incipit, *Sanctissimus Dominus noster*, quam refert Barbosa *in remiss.ad Conc.sess.*5. *fol.*50. Naldus *verbo Maria conceptio*. quæ silentium contrarium opinantibus imposuit, sanciuitque, & meritò, ne publice in concionibus, lectionibus, conclusionibus, & aliis quibuscumque actibus publicis, assereretur Beatiss. Virginem culpa originali fuisse conceptam: quibus decretis veritas immaculatæ conceptionis Virginis est ita stabilita, vt potuerit à Summo Pontifice tanquam dogma fidei definiri.

2 Rursus aliqui neoterici sequentes Catherinum *lib. de pecc.orig.c.vlt.& lib.de concept.Virg.ad Synod.Conc.Trid. p.*1.*c.*1.*& lib.*4.*contra Caiet.* & Galati.*de arcan.lib.*7.*c.*10. & Salmeron *ad Rom.*5.*disp.*45.existimant Virginem non solùm exceptam fuisse ab originali peccato gratia præueniente, verùm exceptam fuisse à debito contrahendi illud; eo quòd non peccauerit in Adam. Dicunt enim in decreto illo, quo Deus statuit peccante Adamo omnes posteros concipiendos fore sine gratia, & iustitia, exemisse B.Virginem absolutè, si decreuerat incarnari ante præuisum peccatum; vel sub conditione, si præuiso Adæ peccato incarnari vellet. quæ exceptio videtur & dignitatem Christi, & matris commendare; matris, quia non solùm à peccato, sed etiam à debito contrahendi liberatur; Christi, siquidem ex meritis ipsius hæc gratia matri confertur. Probabilem reputat hanc sententiam Valent.*disp.*6 *q.*21.*p.*2.*ad* 1.Henriq.*lib.*3.*sum.cap.*11.§.3. Salas 1.2.*tract.*13.*disp.*11.*sect.*5.*q.*11.*à n.*68.Azor *tom.*1. *lib.*4. *cap.*34. *q.*3. *circa finem*, licèt oppositam reputent probabiliorem, & ita mihi videtur.

3 Ratio, quare non eximam B.Virginem à debito cōtrahendi peccatum originale, est, quia ante peccatum originale non fuit Christus Dominus præuisus saltem in statu passibili, & meritorio, quem de facto habuit; hic enim status assumptus fuit in remedium, & satisfactionem peccati commissi. Ergo non potuit esse causa meritoria præseruandi Virginem à debito contrahendi peccatum Adæ: hæc enim præseruatio, pręuisionē ipsius peccati antecedit. Secundò, si B.Virgo in Adamo non peccauit, eius voluntas in Adami voluntatem non fuit refusa. Ergo Adam non fuit caput morale B.Virginis. Ergo etiam Adamo non peccante B.Virgo non haberet gratiam, & originalem iustitiam ex promissione Dei facta Adamo, sed aliunde illi concedenda erat: quod non videtur, neque in Scriptura, neque in Patribus fundamentum habere. Tertiò habere B.Virginem debitum contrahendi peccatum, & non contrahere potius extollit, quàm minuit eius dignitatem; debitum enim cōtrahendi peccatum non est peccatum, sed est obligatio illud contrahendi: quod cùm non contrahatur, gratiorem reddit animum, vtpote qui clariùs se videt redemptum. Quartò hoc modo rectè explicantur aliqua loca Scripturæ, quæ affirmant omnes nos in Adam peccasse, *ad Rom.*5.*&* 1.*Corinth.*15.scilicet, *in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.* Ergo si B.Virgo per Christū fuit viuificata, ita & in Adam fuit mortua, ac proinde debitum habuit cadendi per peccatum.

PVNCTVM IV.

Quod sit peccatum mortale, & veniale, actuale, & habituale, & qua ratione inter se differant.

1 *Definitur peccatum.*

2 *An omne peccatum sit contra legem. Proponitur, & resoluitur. ibid.*

3 *Obiectiones contra dictam resolutionem proponuntur, & diluuntur.*

4 *Conuenit supradicta peccati definitio tam mortali, quàm veniali. Et quid sit peccatum habituale. ibid.*

1 PEccatum definit August.22. *contra Faust.c.*27. esse dictum, factum, vel concupitum contra legem diuinam. hanc definitionem approbāt omnes Scholastici cum

cum Mag. 2. *dist.* 35. & D. Thom. *quæst.* 71. *art.* 6. coincidit cum ea, quam tradit Ambros. *lib. de parad. c.* 8. Peccatum (inquit) est diuinæ legis præuaricatio, & cœlestium inobedientia mandatorum. Dicitur dictum, factū, vel concupitum, vt explicarentur peccata cordis, oris, & operis, esto malitia propriè in actibus voluntatis resideat, in actibus verò aliarū potentiarū denominatiuè tantùm, sicuti & libertas. Item comprehenduntur peccata tam commissionis, quàm omissionis: omissio enim actus debiti, etiamsi pura sit, est quædam moralis effectio, facit enim id omittendo, quod facere non debebat. Item comprehenduntur peccata, quæ sunt contra legem naturalem, diuinam, & humanam; omnia enim sunt contra legem diuinam indirectè. Deus enim præcipit obedire legibus hominum, iuxta illud ad Hebræos 13. *Obedite præpositis vestris, & subiacete eis.* Ideoque Lucæ 10. dixit, *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.*

2 Difficultas autem est, qua ratione peccatum sit contra legem Dei? Et ratio difficultatis est, quia lex diuina sæpè mala prohibet, quia mala sunt; prohibet enim mendacium, adulterium, quia ex se mala sunt. Ergo antecedenter ad prohibitionem est in rebus prohibitis malitia, quæ sufficiat constituere peccatum. Et confirmo. Primò secludamus legem diuinam, & committas mendacium, verè facis aliquid indecorum, & inhonestum. Ergo peccas; hac enim ratione dixit Paulus ad Rom. 2. *Cùm enim gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt, ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddēte illis conscientia ipsorum.* Confirmo secundò, Deus sibi legem imponere non potest: nihilominus tamen non potest mentiri, nec se odio habere; quia ex se mala sunt. Ergo seclusa eius lege malitiam habent.

Propter hæc existimo dicendum malitiam moralem, & peccatum in his quæ de se mala sunt, consistere immediatè, & formaliter in dissonantia cum natura rationali: sed quia hæc dissonantia semper est prohibita à lege diuina; ideo omne peccatum verè, & propriè dicitur esse contra legem diuinam. sic Vasquez 1. 2. *disp.* 96. & 97 Salas *tract.* 13. *disp.* 2. *sect.* 4. *n.* 59. & 71. & *disp.* 3. *sect.* 3. *n.* 28. *in princ.* Azor *lib.* 4. *cap.* 1. *q.* 2. *in fine*, & *q.* 4. & 5. Bonacina *disp.* 2. *de pecc. q.* 2. *p.* 1. *n.* 2. & 4. Suar. *lib.* 2. *de legib. cap.* 6. *n.* 5. & 11. Moueor ad affirmandum essentiam peccati non esse immediatè contra legem diuinam, sed contra naturam rationalem: nam stare optimè potest aliquem mentiri, quin aduertat mendacium esse ab aliquo superiore prohibitum; sed solùm cognoscat esse indecens, & indecorum naturæ rationali. Ergo tale mendacium peccatum erit, seu malum morale, esto non sit contra legem superioris.

Secundò alij probant. Lex diuina prohibens mendacium libera esse videtur in Deo: nam est actus quidam diuinæ voluntatis, respiciens creaturas, & illas obligare intendens: qui actus nequeunt esse necessarij in Deo, etiam supposita voluntate producendi creaturas. Vnde enim talis necessitas oriri potest? Demus ergo suspendere Deum huiusmodi legem: at tunc mendacium non esset aduersùs legem illam, esset tamen aduersùs naturam rationalem. Ergo in dissonantia cum natura rationali peccatum consistit.

Sed hæc ratio mihi non probatur, quia esto omnis actus diuinæ voluntatis ad extra liber sit, tamen hic actus, quo omnia intrinsecè mala prohibet, necessarius est non absolutè, sed ex suppositione, quo voluit mundum creare, & creaturas ratione vtentes subditas habere: nam eo ipso obligatus fuit esse illarum legislatorem, & prohibere, quæ prohibenda sunt, aliàs non haberet prouidentiam illarum consentaneam suæ bonitati, vt rectè dixit Suarez *lib.* 2. *de leg. cap.* 6. *n.* 14. *circa fin.* Quare prima ratio sustinenda est de contrarietate cum natura rationali. Quod intelligendū est tam de peccato commissionis, quàm omissionis; omittere enim actum debitum, qui verè debitus est, rationi naturali aduersatur, & in hac contrarietate peccati malitia consistit. Dixi peccatum consistere in dissonantia cum natura rationali, non cum sensitiua. Nam licèt plura peccata tam rationi naturali, quàm sensitiuæ disconuenientia sint, vt est bestialitas, sodomia, & pollutio, quæ ideo vocantur contra naturam, quia sunt non solùm naturæ rationali, sed etiam sensitiuæ disconuenientia. At plurima alia peccata solùm rationi naturali, & non sensitiuæ disconuenientia sunt, vt bene notauit Bonacina *disp.* 2. *de pecc. q.* 2. *p.* 1. *n.* 9.

3 Sed obiici potest primò illud ad Rom. 4. *Vbi non est lex, nec præuaricatio*, & 1. Corinth. 15. *Virtus peccati lex.* Ergo contrarietas legis, est quæ peccatum constituit. Secundò peccatum est inobedientia, & offensio superiori facta, vt dixit Ambros. sed inobedientia, & offensio necessariò requirunt cognoscere legem superioris, cuius voluntati inobediens repugnat. Ergo in hac contrarietate ad legem consistit peccatum. Non enim dici potes te offendere superiorem, cuius voluntatem non cognoscis. Tertiò si ex dissonantia cum natura rationali peccatum desumitur; qui mendacium committeret aduertens lege diuina esse prohibitum, grauius multò peccaret, quàm qui solùm aduerteret esse dissonum naturæ rationali, teneretúrque in confessione hanc circumstantiam, vt notabiliter aggrauantem, vel fortè mutantem speciem explicare, quod certè inauditum est.

Ex solutione harum obiectionum nostra sententia dilucidabitur.

Ad primum respondeo cum Anselm. *ibi*, & Vasquez *disp.* 97. *cap.* 4. non esse præuaricationem, nec peccatum in multis, vbi nō est lex Moysis, quia nec sunt aliàs prohibita, neque dissona naturæ rationali: si tamen generaliter velis loqui Paulum de quacumque lege, respondeo verum esse, non esse præuaricationem, vbi non est lex Dei, indicans, vel præcipiens aliquid esse malum, quia eo ipso quòd malum sit, indicatur à Deo malum esse, ac proinde nunquam est peccatum, quin sit contra legem Dei indicantem esse malum. Deinde affirmo, cùm peccatum est contra rationem, esse etiam contra legem Dei præcipientem saltim mediatè, quia omne quod est contra rationem, est contra Dei præceptum: quòd si aliquando huius rationis præceptum non cognoscitur, non tollit, quominus verè peccatum sit, & dignum pœna, vt bene dixit Azor *lib.* 4. *q.* 4.

Ad secundum respondeo peccatum esse inobedientiam, & offensam Deo factam, non formaliter, sed materialiter, & indirectè, seu consequenter. Ad rationem enim inobedientiæ formalis requirebatur transgressio legis ex voluntate non obediendi, & ad rationem offensæ formalis cognitio ipsius superioris præcipientis, quæ cùm possit non haberi, cùm peccas, poteris non esse inobediens formaliter, etsi materialiter, & absolutè inobediens sis, quia rationem naturalem violas.

Ad tertium concedo, grauiorem esse culpam illius, qui aduertit ad legem, & violat præceptum, quàm si nullam illius aduertentiam haberet: at quia rarò, vel nunquam accidit te ignorare legem esse illorum, quæ sunt intrinsecè mala, ideo non est necessarium distinguere in confessione, an pecces ex ignorantia legis, an ex illius cognitione: si tamen casus daretur, in quo inuincibiliter ignorares, vel non aduerteres legem diuinam esse prohibentem ea, quæ sunt intrinsecè mala, existimarem necessariò tibi esse explicandū in confessione, iuxta sententiam asserentium circumstātias notabiliter aggrauātes, vel diminuentes esse necessariò explicādas.

4 Supradicta definitio peccati, esse scilicet præuaricationem legis, seu esse voluntatem, locutionem, operationémve contra legem, non solùm conuenit peccato mortali, sed etiam veniali. Veniale enim peccatū etiam est

est contra legem: tum quia aduersatur rectæ rationi: tum quia eodem præcepto sæpe peccata venialia, & mortalia prohibentur, vt patet in furto graui, & leui; & ita tenet plures referens Salas 1.2.q.88.*tract.*13.*disp.*16. *sect.*9.*n.*17. Vasquez *disp.*143.*cap.*4. & alij communiter. Quare cùm Doctores dicunt peccata venialia non esse contra legem, sed præter legem, intelligenda sunt non absolutè, sed cum addito, hoc est, non esse magnopere, & notabiliter contra legem, vel non esse contra legem necessariam gratiæ, & amicitiæ diuinæ. Non enim peccatis venialibus gratia, & amicitia diuina dissoluitur, esto infirmetur, & remittatur.

Peccatum habituale est macula moralis relicta in anima ex peccato actuali præterito, quæ macula dum non remittitur à Deo, vel non retractatur, reddit hominem dignum odio diuino, & pœnæ æternæ destinatum. Hæc macula neque est peccatum præteritum, aliàs nunquam deleri posset, neque est carentia diuinæ condonationis, quia hæc in Deo existit, & à Deo est intenta. Ergo non potest neque partialiter peccatum constituere, sed est quid resultans ex peccato actuali præterito, quod dum non condonatur, semper censetur perseuerare. Sed de his latiùs in materia de gratia.

PVNCTVM V.

Qua ratione peccatum mortale à veniali differat.

1 *Declaratur, in quo conueniant, & in quo differant.*
2 *Expenditur an veniale peccatum priuet gloria pro aliquo determinato tempore.*
3 *Proponitur quædam obiectio aduersùs supradicta, & soluitur.*
4 *Peccatum ex genere suo mortale aliquando potest esse veniale.*

1 NOn differũt formaliter ex obiecto, cùm vtrumque rationi naturali, & legi diuinæ aduersetur, ac proinde esse possunt, etiam in genere moris eiusdem speciei, vt bene probat Salas 1.2.*tract.*13.*disp.*16.*sect.*21. Vasquez *disp.*144. *cap.*2. & 3. Valent. *disp.*6.*q.*2.*p.*2. & *q.*18.*p.*2. differunt tamen ex modo tendendi in obiectum, quia veniale leuiter aduersatur rationi naturali, & legi diuinæ, mortale grauiter: in effectibus autem maximè differunt, quia mortale destruit amicitiam Dei, secus veniale; mortale meretur carentiam perpetuam diuinæ visionis, & pœnam inferni, veniale autem minimè, sed solùm aliquam pœnam temporalem.

2 An verò veniale mereatur carentiam diuinæ visionis pro aliquo tempore breui? Quæstio videtur de nomine, certum enim est existentem in peccato veniali exclusum esse à diuina visione, quousque illius pœniteat, vel pro illo satisfaciat, quia nihil coinquinatum in illam ciuitatem intrabit.

Sed dicunt aliqui hoc non contingere, quia peccatum veniale mereatur carentiam illius visionis, sed quia illa visio cum tali peccato incompatibilis sit, sicuti existens in peccato mortali habere non potest amorem Dei, non quia peccatum mereatur huius amoris carentiam, sed quia cum amore habet incompatibilitatem. Ita similiter videtur dicendum de peccato veniali, non mereri quidem carentiam diuinæ visionis, sed cum illa esse incompatibile. Quòd autem non videatur mereri carentiam diuinæ visionis, etiam pro determinato tempore, inde probatur, quia peccatum veniale non meretur etiam pro breui tempore priuationem gratiæ, & iustitiæ, quæ est semen gloriæ, seu ius ad gloriam. Ergo neque etiam potest mereri ipsam gloriæ priuationem.

Alij verò dicunt, & mihi verius apparet, peccatum veniale mereri priuationem gloriæ, & visionis diuinæ pro aliquo determinato tempore. Quia ideo Deus negat gloriam existentem in peccato veniali, quia se indignum illa constituit. Item talis negatio gloriæ à Deo facta, pœna est delinquentis venialiter, & est pœna iusta. Ergo venialiter peccans pœnam hanc meretur, aliàs iniuste Deus gloriam negaret. Adde peccatum veniale mereri pœnam aliquam in purgatorio. Ergo meretur carere diuina visione toto tempore, quo necessariò fuerit ad illam pœnam subeundam, quia illa pœna cum visione diuina esse non potest.

Ex quibus rationibus patet solutio rationis oppositæ sententiæ; carentiam enim diuinæ visionis non infert peccatum veniale ex incompatibilitate vtcumque quam cum visione habet, sed ex incompatibilitate meritoria, ideóque huiusmodi carentiam infert Deus in pœnam illius. Carentia autem diuini amoris, cùm aliquis Deum odio habet, non infertur à Deo, sed ab ipsomet peccatore habetur: eáque de causa non potest esse propriè pœna, quia illud quod debet habere rationem præmij, vel pœnæ, ab alio ab ipso merente, debet principaliter effici.

Ad replicam de merito priuationis gratiæ pro aliquo tempore, dicimus peccatum veniale non mereri priuationem gratiæ mereri tamen dispositionem illius, quod sufficit, vt gloria non data, sed danda mereatur pro aliquo determinato tempore carere; facilius enim te indignum facis beneficio acquirendo, quàm acquisito; peccatum enim veniale non priuat gloria habita, sed impedit habendam ob status excellentiam, & perfectionem: at non priuat gratia habita, neque habenda in hac vita ob statum multis imperfectionibus abundantem.

3 Sed obiicies. Carentia diuinæ visionis ob aliquod breue tempus est maius malum, quàm pœna æterna sensus, eo quòd priuet maiori bono; sed peccatum veniale huiusmodi pœnam sensus non meretur. Ergo neque illam.

Respondeo primò, carentiam diuinæ visionis iam habitæ esse maius malum concedo: carentiam diuinæ visionis, seu retardationem illius nego.

Secundò respondeo cum Salas *tract.*13.*disp.*16.*sect.*8. *num.*27. negandum absolutè assumptum; non enim carentia diuinæ visionis ob breuissimum tempus est maius malum passione longissima, seu æterna tormentorum inferni, aliàs magis purgaretur anima per breuissimam retardationem visionis, quàm per grauissima tormenta, quæ in hac vita, vel in alia pati posset, cùm decedens in peccato mortali, & veniali, ob solum peccatum veniale posset puniri pœna sensus æterna, quantumcunque æterna, quia carentia diuinæ visionis non punitur, cùm hæc peccato mortali correspondeat. Quæ omnia, & alia, quæ adducit Salas *suprà num.*23. concedi non debent.

4 Rursus peccata alia sunt ex genere suo mortalia, alia venialia, alia verò per accidens mortalia, alia ex accidenti venialia. Ex genere suo peccatum mortale est homicidium, adulterium, furtum, falsum testimonium, & similia. Ex genere suo veniale dicitur ociosum verbum, inanis gloria, impatientia laborum, & similia: hæc tamen, quæ ex genere suo sunt mortalia, fieri possunt venialia, tum ex imperfecta deliberatione, tum ex paruitate materiæ, si enim in homicidium, adulterium, vel furtum semiplena deliberatione consentias, carebis mortali culpa. Item si consentias in furtum non in magna quantitate, sed leui, & in falsum testimonium non graue, sed leue, peccatum veniale solùm committes. Econtra verò, quæ ex genere sunt venialia, fieri possunt mortalia ex accidenti, si occasio sint, & periculum vel tibi, vel alteri grauioris culpæ committendæ. Neque in his potest esse inter Doctores dissensio, sed indigent explicatione.

PVN

PVNCTVM VI.

An peccatum ex genere suo mortale, fieri possit veniale ex defectu plenæ libertatis.

1 *Aliqua supponuntur.*
2 *Negant aliqui peccatum mortale ex se fieri posse veniale ex defectu plenæ deliberationis.*
3 *Sententia affirmans defenditur.*
4 *Satisfit contrariis.*
5 *Quæ sint indicia plenæ, vel semiplenæ deliberationis.*

1 TRactatu de conscientia *disput.* 1. *punct.* 2. *num.* 6. probaui ad peccatum mortale sufficere, si aduertas malitiam in communi, etsi non distinguas, an mortalis, vel venialis sit. Item hanc malitiam mortalem potes dupliciter cognoscere. Primò clarè, & distinctè, secundò confusè, & quasi densis tenebris obuolutam. Quando clarè, & distinctè cognoscis, valésque perfectè voluntatem ab eius prosecutione prohibere, diceris plenè liber; quando autem confusè, vt contingit, quando non es integrè à somno excitatus, vel es semiebrius, vel aliò distractus, tunc diceris imperfectè liber. ita Nauarr. *summ. prelud.* 9. Thomas Sanchez *lib.* 1. *c.* 1. *n.* 10. Vasquez 1. 2. *disput.* 127. *cap.* 4. *num.* 11. Bonacina *disp.* 2. *de pecc. q.* 2. *p.* 3. *n.* 2. & alij.

2 Dubium autem est, an hæc imperfecta libertas peccatum, quod aliàs mortale esset, reddat veniale? Sunt aliqui, inter quos est Ioan. Sanchez *in suis disput. select. disp.* 18. qui maximè inclinent non posse dari peccatum veniale ex semiplena deliberatione, sed necessariò esse mortale, vel nullum esse. Mouentur primò, quia Deus non imponit sua præcepta semihomini, sed homini integro, & suarum facultatum domino. Ergo dum non est integrè dominus suarum actionum, non videtur à Deo obligatus. Secundò committens furtum, vel adulterium ex semiplena deliberatione, vel potuit plenè deliberare, vel non: si non potuit, non videtur peccare; si potuit, iam est in culpa. Tertiò, si semiplena aduertentia potest peccatum, quod aliàs erat mortale, excusare à mortali, & facere veniale. Ergo poterit si circa veniale peccatum feratur excusare ab illo. v. g. si iocosum verbum, vel leue furtum ex semiplena aduertentia amplectaris, excusabit te à peccato, aliàs semiplena deliberatio fauorabilior erit peccato mortali, quàm veniali, siquidem à mortali excusat, & non à veniali. Quartò, non satis explicatur, in quo consistat hæc semiplena aduertentia in peccato; non enim consistere potest in difficultate cessandi à peccato: nam cum maxima difficultate cessandi à peccato, stare potest plena libertas, vt patet in homine malè inclinato: neq; etiam consistere potest in remissa cognitione, seu aduertentia obiecti, nam in gradu quantumcunque remisso dari potest cognitio sufficiens reddere voluntatem plenè liberam. Ergo non est in quo hæc semiplena aduertentia consistere possit.

3 Nihilominus certa omnium sententia, omniúmque Doctorum authoritate confirmata, (à quibus Ioan. Sanchez non ausus fuit recedere, etsi animum manifestauerit,) affirmat ex semiplena deliberatione reddi peccatum aliàs mortale, veniale. Ratio est clara, nam qui semiplena libertate in peccatum consentit, liberè consentit. Ergo peccat. Quòd verò non peccet mortaliter, inde colligitur; quia peccatum mortale diuinam amicitiā dissoluit, & hominem æternis cruciatibus destinat. At non est æquum ob actum semiplenè liberū ita grauiter hominem punire. Ergo signum est non esse in illo malitiam mortalem. Item ad rationem peccati requiritur liber consensus. Ergo ad ratioнē peccati mortalis, quod propriissimè peccatū est, perfectus consensus requiritur.

4 Neque obstant contraria.

Ad primum Deum imponere præcepta homini absolutè: si autem ipse semiebrius, vel semidormiens ea transgrediatur, reus erit culpæ non grauis, sed leuis. Neque parua merces reputanda est excusatio à graui culpa, & ab integra præcepti transgressione. esto leuis committatur.

Ad secundum concedo non potuisse plenè deliberare, sed non obinde ab omni culpa excusari, sed à mortali, quia semiplena deliberatio libertatem constituit.

Ad tertium semiplena aduertentia potest à mortali excusare, & reddere veniale, non tamen potest à veniali omnino excusare, quia ad excusandum à mortali, sufficit quòd plena libertate non aduersetur legi: at ad excusandum à veniali, necessarium erat omnino libertate carere; quod omnino repugnat, cùm semiplenè liberum sit: erit tamen intra terminos venialis peccati leuissimum.

Ad quartum fateor esse difficile explicatu, in quo hæc semiplena deliberatio sita sit; non enim consistit in difficultate voluntatis recedendi ab obiecto prohibito, neque in cognitione intensa, vel remissa de malitia obiecti, vt bene probat obiectio, sed consistit in cognitione distincta, vel confusa huius malitiæ, vt diximus in princ.

5 Sed inquires, quæ indicia habebis, vt cognoscas plenè, vel semiplenè aduertisse, libertatéque plena, vel semiplena operatum esse?

Respondeo nulla esse, quæ semiplenam deliberationem à plena distinguant, ita certò, vt nulla relinquatur dubitatio; cùm enim hæc in animo insint, solus Deus ea perfectè distinguere potest: ideóque dixit Augustinus *in Enchirid. cap.* 78. quæ sunt grauia, & leuia peccata, non humano, sed diuino sunt pensanda iudicio; aliquibus tamen coniecturis hæc distingui possunt, de quibus diximus *tract. de conscient. disp.* 3. *punct.* 11.

Prima coniectura inferendi semiplenam deliberationem sumitur ex defectu ætatis, quia non attigisti septennium, tunc si dubites habuisse plenam libertatem, præsumere poteris non habuisse. Idem est si dubites, an perfectè à somno fueris excitatus, vel ebrietatem depuleris, quia hæc cùm perfecta sunt, libertatem tollunt; ergo cùm imperfectè existunt, illam diminuunt. sic Sanchez *lib.* 1. *in Decal. cap.* 1. *n. vlt.* Bonacina *disp.* 2. *de peccat. q.* 2. *p.* 3. *in fine.*

Secunda coniectura est si animum firmum habeas, & sæpè repetitum nunquam committendi mortale, præsumere poteris peccato non plenè consensisse; illa enim quæ odio multoties sunt habita, quando amantur plenè, facilè, & sine difficultate cognoscuntur.

Tertia est, si facilè potes peccatum exequi, illúdque, cum tui compos es, pro viribus respuis, præsumere poteris antea non plenè consensisse; non enim ita facilè affectus mutatur. tradit Sanchez *suprà num.* 17. Bonacina *num.* 19.

Quarta coniectura sumitur ex communiter contingentibus, quæ efficacissima est, vt tradit Menoch. *lib.* 1. *præsumpt.* 18. *& lib.* 5. *præsumpt.* 32. Quare si aliquis sit timoratæ conscientiæ, peccatúmque mortale abhorreat, præsumendus est non plenè consensisse, cùm de consensu dubitat; secus dicendum, si perditis moribus sit, hic enim cùm peccatum, velut aquam bibit, cum illo angitur, præsumere potest verè commisisse. sic docet Sanchez *suprà num.* 20. Bonacina *num.* 19. Sayrus *in claui regia, lib.* 8. *cap.* 7. *n.* 6.

Supradictæ coniecturę, vt dixi, veritatem non ostendunt, nec dubium tollunt, ac proinde illis non obstantibus teneris in confessione manifestare, cùm dubius existis, an plenè consenseris, secus si opinionem habueris probabilem, qualem regulariter facit quælibet ex supradictis coniecturis.

Punctum VII.

An mortale ex genere in veniale transeat ratione paruitatis materiæ, & quæ hæc sit.

1 *Quæ peccata non possint leuia esse ex paruitate materiæ.*
2 *Proponitur difficultas, & soluitur.*
3 *Vnde desumenda sit grauitas, vel leuitas materiæ in peccatis? Proponitur dubium.*
4 *Desumitur ex obiecto, quatenus fini intento à legislatore conducit, & exemplis explicatur.*
5 *Limitatur à Sanchez in legibus prohibentibus aliquod causa vitandi damnum reipublicæ.*
6 *Excluditur hæc limitatio.*
7 *Non est verum affirmare grauem materiam esse, quæ est totius præcepti violatio, leuem, quæ est partis illius.*

1 PRimò in hac re est certum apud omnes esse aliqua, in quibus non admittitur paruitas materiæ, & alia esse in quibus admittitur. Quæ autem hæc sint, non est facile definire. Suarez *lib. 2. de legibus, cap. 28. num. 23.* Bonacina *disp. 2. de peccat. quæst. 3. punct. 3. n. 11.* Thomas Sanchez *lib. 1. in Decal. cap. 4. num. 1.* affirmant nullam dari paruitatem materiæ in his, quæ directè, & immediatè, circa Deum, & eius honorem versantur: & hac ratione in odio Dei, contemptu ipsius, & infidelitate, nulla est paruitas materiæ. item in iuramento assertorio falso, in simonia, & aliis. Rationem reddunt, quia in his omnibus, quantumuis sit parua materia, inuenitur integra irreuerentiæ, & offensionis ratio. Nam si neges aliquem minimum fidei articulum, veritatem diuinam negabis: si odisti Deum, infinitam Dei bonitatem odisti; si contemnis Deum, infinitum esse Dei contemnis; si falsum iuras, mendacem Deum facis; si simoniam committis, pretio temporali rem spiritualem æstimas. Ergo graue peccatum committis.

2 Sed hæc doctrina difficultate non caret, inquiri enim potest, quare integra Dei offensa, & irreuerentia in materia parua odij, infidelitatis, contemptus, & iuramenti assertorij falsi inuenitur; & non inueniatur in iuramento promissorio, comminatorio, voto, sacrilegio, & aliis religionis actibus? Item non caret difficultate, quare in odio Dei, & contemptu dari non possit paruitas materiæ: siquidem non vis Deum absolutè contemni, & offendi, sed contemni, & offendi leuiter, quod sic explico. Quodlibet peccatum veniale est Dei offensa, & inobedientia, & qui illud committit, re ipsa offendit Deum, eiúsque præceptum transgreditur. Ergo si hoc velit ex expressa voluntate, & animo Deum offendendi, eiúsque præceptum in illa materia transgrediendi, non obinde Deum in graui materia offendit, aut contemnit. Ergo solùm venialiter peccat. Deinde, esto concederemus, (vt verè concedendum est,) in respicientibus Deum, eiúsque honorem non posse dari paruitatem materiæ. Quæ ergo regula erit in respicientibus naturam humanam, eiúsque honorem? Nam in his aliqua sunt, in quibus non admittitur paruitas materiæ, vt in homicidio, fornicatione, pollutione, &c. In aliis admittitur, vt in contumelia, percussione, furto, cum in omnibus his inueniatur integra ratio sacrilegij. Et explicatur in iuramento iniusto, quod diuinam bonitatem videtur offendere, æquè ac si esset in materia graui. Æquè enim diuina bonitas pugnat cum peccato veniali, ac cum mortali, sicut diuina veritas cum falsitate graui, ac leui. Item in furto paruo integra ratio iniustitiæ reperitur, sicut & in furto magno: hæc enim adæquatè consistit in contrectatione rei alienæ inuito domino. Aliàs furtum aureorum decem non dicetur habere integram rationem iniustitiæ, cùm possit dari iniustitia grauior, & grauior.

Propter hæc dicendum existimo ex communi sensu Ecclesiæ, & fidelium desumendam esse grauitatem aliquarum rerum, & leuitatem aliarum. Quæ autem hæc sint, suis locis examinandum est: fundatur autem hic sensus Ecclesiæ in naturis ipsarum rerum, aliqua enim ita de se inordinata sunt, vt in qualibet materia reputentur grauissima: quælibet enim idololatria, simonia, iuramentum falsum, infidelitas, desperatio, odium, & contemptus Dei, irritatio sacramentorum, homicidium, pollutio, fornicatio, & similia de se grauem inordinationem habent, & in quacumque materia constituantur, non variant iudicium; alia verò ita leuia sunt, vt nisi ex aliquo accidenti extrinseco grauia esse non possint, vt verbum otiosum, scurrilitas, & alia huiusmodi. Alia verò, quæ esto de se grauia sint, non semper æqualem deordinationem habent, vt furtum, si fiat in magna, vel parua quantitate, variat enim multùm iudicium.

3 Rursus est difficultas explicare, vnde desumenda sit grauitas, vel leuitas materiæ, in his, in quibus dari non potest; nam vel sumenda est ex ipsis rebus, vel ex fine intento à legislatore, vel ex voluntate ipsius: neque est imaginabile aliud caput, vnde desumatur. Ex ipsis rebus desumi non potest, cùm sæpè venialia, vel indifferentia ob aliquem specialem finem à legislatore intentum, sub graui culpa prohibeantur, vt dicemus. Neque sumitur ex fine intento à legislatore; hic enim grauissimus semper est, & idem respectu materiæ leuis, & grauis. Deinde ex voluntate legislatoris desumi non potest: aliàs rem grauem sub leui culpa, & econtra leuem sub graui, imperare posset. Item inquiri posset, vnde hæc voluntas cognoscenda foret, quando expressè explicata non est.

4 Dicendum igitur est, grauitatem, vel leuitatem materiæ præceptæ desumendam esse non ex ea secundùm se spectata, sed secundùm quod conducit ad finem intentum à legislatore: si enim materia præcepta grauiter conducit fini legislatoris, erit peccatum graue illius transgressio, esto materia leuis sit; si leuiter conducit, erit peccatum veniale, esto grauis materia sit, vt tradit, & optimè probat Vasquez 1. 2. *tom. 2. disput. 158. cap. 6. num. 59. & 60.* Thomas Sanchez *lib. 1. in Decalog. cap. 4. num. 2. & 6.* Suarez *de legib. lib. 3. cap. 25. num. 4. & 12.* Exemplis conclusionem declaro: præcipit legislator, ne alienum contra voluntatem domini accipias, vel retineas; finis huius præcepti est, ne dominus damnum patiatur in bonis suis: accipis contra eius voluntatem centum aureos; talis acceptio grauiter conducit fini præcepti, siquidem tali acceptione grauiter dominum lædis: at si assem acciperes, non esset acceptio grauiter conducens fini præcepti. Item multiloquium, de se leuis est materia; at si obseruantia religiosa minuatur grauiter, & ob id superior silentium præcipiat, violatio silentij peccatum graue erit, quia grauiter conducit fini intento: & tradit Sanchez *lib. 1. cap. 4. num. 3.* & Bonacina *disput. 1. de legib. quæst. 1. p. 7. § 4. num. 21.* Item ingressus vnius religiosi in cubiculum alterius gratia loquendi, materia leuis est de se: at si superior ingressum prohibeat, vt aliqua inconuenientia euitet, quæ ex tali ingressu oriuntur, sine dubio ingressus grauis materia erit, & peccatum mortale. Item si scholastici tormentum igneum, vel alia arma secum deferri prohibeantur ob pacem reipublicæ, & aliquis vna hora cum illis incedat, sine dubio lædit grauiter finem à legislatore intentum, qui est vitatio occasionis rixarum; secus verò dicendum, si breuissimo tempore deferret, sublata omni occasione, etiam remota rixæ. ita Bonacina *suprà n. 18.* Deinde si prohibitum esset scholasticis, ne cum armis in scholas intrent, & aliquis illa deferens solùm transeunter

eunter illac intret, quando nullo modo apparet occasio rixæ, non videtur grauiter læsisse finem à legislatore intentum; secus verò si ibi per horam commoraretur. Colligitur ex his, quæ dicit Bonacina *suprà n.* 19. Deinde inferes quantitatem, quæ pro furto materiam grauem constituit, non constituere illam pro donatione prohibita: pro furto enim sex, vel octo drachmæ censentur grauis materia in communi sententia. At si hæc dones, non censeberis grauem donationem facere, sed omnino leuem: quocirca pro donationis grauitate expendenda est persona donantis, & donatarij, & aliæ circumstantiæ: & secundùm illas iudicanda est grauis, vel leuis donatio, vt rectè dicitur *in cap. etsi quæstionibus, de simonia*, vbi pensata qualitate donantis, & donatarij, non reputatur magna vnius equi donatio, etsi pro tempore reputetur: regulariter ergo pro donatione materia grauis duos, vel tres aureos debet excedere. sic Molin. *tom.* 1. *de iustit. tract.* 2. *disput.* 88. *circa finem, versic. illud admonuerim.* Azor *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 28. § *secundum est.* Sæpe eadem materia respectu vnius finis est grauis, respectu alterius est leuis. Deinde auditio sacri singulis diebus, si ob religionem, & spiritualem cuiusque profectum imperetur, vt potest imperari à Prælato religiosorum; non est dubium esse grauem materiam: at si imperetur à Prælato Ecclesiastico, vel sæculari, ob rectam alicuius vniuersitatis, vel collegij gubernationem: sicuti solet Rector vniuersitatis scholasticis sibi subiectis imperare aliquibus diebus sub pœna præstiti iuramenti; materia grauis non videtur omissio vnius, vel alterius diei. sic Bonacina *suprà de legibus, num.* 16. Vasquez 1.2. *disput.* 158. *cap.* 6. Thomas Sanchez *in Decal. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 2. *&* 6. Couarr. *cap. quamuis pactum,* 1. *p.* §. 7. *fine.*

Ex his constat attendendum præcipuè esse fini præcepti an grauis sit, & an res præcepta grauiter ad illum finem, quod ex circumstantiis colligendum est, conducat: nulla enim certior regula in hac materia præscribi potest. sic Valent. 1.2. *disput.* 7. *quæst.* 5. *punct.* 6. *col.* 957. Suarez *tom.* 5. *in* 3. *part. disput.* 4. *sect.* 6. *num.* 11. *&* 12. *&* *disput.* 18. *sect.* 3. *num.* 16. *&* 17. Sanchez *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 4. *num.* 3. Bonacina *disput.* 2. *quæst.* 3. *punct.* 3. *num.* 12. & optimè Suarez *lib.* 3. *de legib. cap.* 25. *num.* 7. Vnum tamen est certum, in casu dubio, an grauiter conducat, grauisque sit finis, præsumi debere, & esse finem grauem, & grauiter conducere: quia præsumptio stat pro communiter contingentibus, & rarò, vel nunquam præceptum imponitur, nisi ob finem grauem, & de materia illi maximè necessaria: & ita tenet Suarez 5. *tom. in* 3. *p. disp.* 4. *sect.* 6. *n.* 11. *&* *de legib. suprà n.* 4. Thom. Sanchez *lib.* 1. *in Decal. cap.* 4. *n.* 3.

5 Supradictam conclusionem limitat Thom. Sanchez *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 4. *num.* 8. & Victoria *de potestate ciuili, num.* 19. vt non procedat in legibus prohibentibus aliquid causa vitandi damni in republica: qualis est lex, ne arma, neq; pecuniæ, aut aliæ merces ex regno extrahantur, néve triticum coctum vendatur: existimat enim, si in graui quantitate hæc fiant ab vno, peccaturum illum mortaliter, quamuis damnum graue ex tali facto non proueniat reipublicæ. Mouentur, quia non debet spectari, quale damnum sequatur vno contrauenientе, sed quale si à multis, & communiter fiat. Secundò, in furto datur quantitas notabilis, etiamsi parum alicui noceat, vt si centum aureos à Rege accipias. Ergo in his non est attendendum damnum, sed quantitas: aliàs furari mille aureos à diuersis furando à quolibet vnum dipondium, non esset lethale. Tertiò, quia aliàs finis legis frustraretur; nunquam enim quilibet tantam quantitatem extrahit, vt ex ea solùm ingens reipublicæ damnum sequatur. Quartò, quia ideo iustè suspenditur prædo in itinere accipiens à viatore 50. nummos aureos, quia etsi id damnum non sit notabile semel illatum, at magni momenti est grauiter id delictum punire, ne passim fiat.

6 Verùm hæc limitatio mihi non probatur. Existimo namque asportationem mercium, diuitiarum, armorum, & similium ex ciuitate, tunc solùm peccatum mortale esse, quando ex tali asportatione ciuitas damnum graue pateretur. Moueor ad id affirmandum, primò quia tota ratio huius prohibitionis est vitatio damni reipublicæ (vt suppono.) Ergo dum respublica grauiter non damnificatur, non fit grauiter aduersùs huiusmodi prohibitionem. Confirmo. Tunc violatur lex grauiter, quando violatur grauiter finis intrinsecus ipsius legis: at finis intrinsecus huius legis, non est alius quàm vitatio damni in republica. Ergo dum hic non violatur grauiter, non violatur grauiter ipsa lex. Secundò sequeretur ex opposita sententia asportare quantitatem de se sufficientem ad furtum, esse peccatum mortale aduersùs hanc legem: quod videtur ridiculum, quia illa quantitas de se grauis est, etsi passim, & communiter à multis asportaretur, non est dubium ciuitatem fore accepturam graue damnum. Ergo peccaretur grauiter aduersùs hanc legem.

Neque obstant rationes contrariæ.

Ad primam dico spectasse legislatorem in ferenda lege, ne damnum sequatur reipublicæ ex tali asportatione, non tamen intendisse sub graui culpa prohibere asportationem mercium factam ab vno, quæ graue damnum reipublicæ non causat, tametsi si à multis fieret, graue damnum respublica ex illis pateretur; aliàs asportatio vnius aurei, imò drachmæ esset mortalis: si enim hæc à multis, & passim fieret, sine dubio graue damnum reipublicæ proueniret.

Ad secundam nego ex graui furto non accepturum quemlibet etiam ditissimum graue damnum, & quando à multis aufertur, tota illa communitas per modum vnius damnificatur. Sed gratis admisso non damnificari dominum grauiter ex quantitate graui de se, v.g. decem aureorum, non obstat, quominus furtum graue non committas, quia retines alienum inuito domino, in materia graui, quæ est ratio, & finis immediatus huius prohibitionis, & non damnum ipsius domini.

Ad tertiam nego finem legis frustrari tua culpa adæquatè, & perfectè, siquidem in culpa non es, vt damnum graue respublica patiatur.

Ad quartam concedo rectè suspendi prædonem arripientem à viatore 50. aureos, non tam ob damnum illatum, quàm ob iniuriosam actionem. In præsenti autem supponimus adæquatum finem legis esse vitare damnum in republica, quod si graue non sit, non apparet, vnde peccatum mortale nasci possit. & ita tenet Mercado *lib.* 3. *de contractib. cap. vlt.* §. *esto supuesto.* vbi solùm dicit esse mortale extrahere à regno triticum in magna quantitate anno sterili. Idem tenet Margarita Confessorum *in quæstionib. moral. quæst. an licitè possit transferri frumentum, & equi contra legis interdictum, fol.* 246. & Sanchez *suprà num.* 7. refert plures viros doctos sentire non esse mortale vendere panem coctum contra pragmaticæ regni interdictum, nisi sit in ea quantitate, ex qua ingens damnum reipublicæ sequatur, cariori multo reddito ob id tritici pretio.

Sed inquires. Ex qua mercium asportatione censeberis damnum graue reipublicæ facere?

Respondeo non posse certa regula definiri, sed pensandum esse prudentis arbitrio, regulariter loquendo, centum aureos, vel merces illius valoris, seu arma decem militum existimarem esse grauem materiam, ex qua damnum respublica pati posset: secus in minori quantitate, nisi fortè respublica oppressa esset ab inimicis, vel penuriam pateretur, tunc enim non est dubium minorem quantitatem sufficere.

7 Ex his infertur decipi Doctores asserentes grauem

materiam illam esse, quæ est tota præcepti; leuem, quæ comparatione totius materiæ præcepti leuis est. Nam, vt constat ex exemplis allatis, totalis materia præcepti leuis esse potest, si leuiter ad finem à legislatore intentum conducit. Item leuis esse potest materia comparatione totius rei præceptæ: at secundùm se grauis, vt si habeas obligationem dandi eleemosynam millium aureorum, & 50. omittas: omissio 50. comparatione millium leuis est materia; at quia secundùm se & in ordine ad finem intentum, qui est subleuatio alienæ miseriæ, vel exercitatio pietatis, grauiter conducit: ea de causa grauis materia censetur; & peccatum mortale illius omissio. Econtra si obligationem ex præcepto, vel voto habeas recitandi coronam virginis, & decennarium duplex omittas comparatione totius rei præceptæ grauis est materia, quia est tertia pars: at quia ad finem intentum, scilicet deuotionem excitandam, virginem colendam, non videtur grauiter conducere, sed solùm leuiter; peccatum solùm veniale erit illius omissio. Idémque censeo de tertia parte cuiuslibet horæ minoris. sic tenet Bonacina *disp. 2. de peccat. quæst. 3. punct. 3. num. 14.* Sanchez *num. 5.* esto contrarium videatur sentire *num. 18.*

Pvnctvm VIII.

An ex voluntate legislatoris peccatum mortale possit fieri veniale.

1 *Proponitur quæstio.*
2 *In materia leui non potest legislator grauem obligationem imponere.*
3 *Limitant aliqui in sæculari Principe, secus in Ecclesiastico. Reijcitur tamen.*
4 *Ex intentione legislatoris circa materiam grauem potest esse venialis obligatio.*
5 *Contraria sententia proponitur, & probatur.*
6 *Satisfit eius rationibus.*

1 Cvm quodlibet peccatum mortale transgressio legis sit, & transgressio ex voluntate legislatoris pendeat: dubium est, an possit legislator efficere, vt materia de se grauis, & grauiter conducens ad finem præceptum, obliget solùm sub veniali culpa; & econtra, an possit materiam leuem, & leuiter fini præcepto conducentem, sub graui culpa imperare? v. g. ex motiuo temperantiæ imponit tibi ieiunium, ex motiuo religionis, & spiritualis profectus imperat auditionem sacri; ieiunium enim & grauis materia est, & grauiter conducit fini à legislatore intento. Idem est de sacri auditione, poterítne solùm ad culpam venialem obligare? econtra verò verbum otiosum, mendacium leue, leuia sunt, & leuiter virtuti opponuntur; poterítne obligare sub graui culpa, ne proferantur?

2 In hac re certum est, nullo modo posse legislatorem in materia leui obligationem grauem imponere, quantumuis velit, & intendat; ita communis sententia. Suarez *lib. 3. de legib. cap. 25. num. 2.* Vasquez *1. 2. tom. 2. disp. 158. cap. 4. num. 34.* Sanchez *lib. 1. in Decalog. cap. 4. num. 3.* Valent. *1. 2. disp. 7. p. 6. col. 957.* Azor *tom. 1. lib. 5. cap. 6. q. 5.* Salas *tom. 2. quæst. 71. tract. 13. disp. 2. sect. 11. num. 30.* & alij innumeri, quos superuacaneum est recensere. Ratio est, quia talis intentio, & obligatio esset iniqua, & iniusta: quid enim magis iniquum, & iniustum, quàm leuis præcepti transgressioni culpam grauem, & pœnam æternam adiungere? Non igitur est concedenda superiori talis potestas.

3 Hanc assertionem limitat Sayrus *in claui regia, lib. 3. cap. 7. num. 17.* ad legislatorem sæcularem; & dicit Ecclesiasticum posse sub graui culpa rem leuem imperare. Quod posset probari ex vsu religionum, in quibus res leues sub pœna excommunicationis prohibentur: & ex præcepto nostris primis parentibus imposito, quod videbatur leuissimum, & ex *l. 1. ff. de constitut. princip.* ibi, *quod principi placuit, legis habet vigorem.*

Sed reprobanda est hæc limitatio, quam reprobat Sanchez *supra*, & Suarez *num. 7.* & tenenda communis sententia: quia ratio facta tam de Principe sæculari, quàm Ecclesiastico probat; in vtroque enim grauitas materiæ desideratur, vt fundamentum necessarium grauis obligationis. Neque obstat vsus religionis, ibi enim si aliqua res leuis in virtute obedientiæ, vel sub excommunicatione mandatur, credendum est ob aliquem finem grauem, redditam esse grauem, vt diximus de silentio seruando, de ingressu in cellas; secus verò quando omnino constaret leuem esse materiam: & hoc modo explicanda est *Clement. exiui. de verborum significat. & cap. ex his, eodem tit. in 6.* dum dicunt verba præceptiua in regula sancti Francisci indicare obligationem sub mortali. Minus obstat præceptum nostris parentibus impositum de abstinentia à cibo vetito, quæ licèt in se spectata videatur leuis: ad finem autem à Deo intentum, grauissima res fuit, siquidem erat præcepta in recognitionem diuinæ authoritatis, & humanæ subiectionis. Dictum verò legis primæ loquitur non de Principe Ecclesiastico, sed de sæculari, de quocunque tamen loquatur, intelligi debet seruata prudentia, & iustitia, quod enim Principi placet, rationabiliter, & iustè legis habet vigorem.

4 Rursus circa materiam grauem, an possit superior sub veniali obligare? Mihi probabilius multo est posse, & ita tenet & latè probat Suarez *lib. 3. de legib. cap. 27. num. 7.* Valent. *1. 2. disp. 7. quæst. 5. p. 2. quæstiunc. 2.* Castro *lib. 1. de leg. pœn. cap. 5. document. 4. statim in principio. & cap. 11. paulo post princip. in probatione 2. p. conclus.* Thom. Sanchez *lib. 1. de matrim. disp. 9. num. 6. & lib. 6. in Decalog. cap. 4. num. 25.* Nauarr. *sum. cap. 23. num. 49.* Ioann. Sanch. *disp. 15. num. 16.* Salas *de legib. disp. 10. sect. 7. num. 33.* Bonacina *disp. 1. de legib. quæst. 1. punct. 7. §. 4. num. 23.* & valde probabile reputat Lessius *lib. 2. cap. 41. dub. 9. num. 96. §. tertio*, & alij plures ab eisdem relati. Nam obligatio legis ex voluntate legislatoris est. Ergo si legislator non vult ad mortale obligare, lex obligare non potest, quia nequit extendi obligatio vltra mentem legislatoris, ex *l. si quis nec causam, & l. non omnis, ff. si certum petatur.*

Dices, superiorem habere intentiones repugnantes; ex vna parte vult obligare sua lege, (vt suppono,) siquidem obligat ad culpam venialem; ex alia parte non vult obligare ad mortale: hæ autem intentiones videntur repugnantes, & vna aliam excludere.

Respondeo huiusmodi intentiones repugnantes non esse: nam de ratione legis solùm est obligatio ad culpam; non verò obligatio ad mortale. Ergo intendens obligare, & nolens ad mortale, non committit repugnantiam. Præterea hic modus obligandi in materia graui aliquando potest esse conueniens, præcipuè in religionibus, vbi ne multiplicentur obligationes graues, & quia leues sufficiunt, possunt superiores præcipere aliqua grauia, v. g. vt Missa singulis diebus audiatur obligando sub veniali culpa: quæ indecentia in hac constitutione esse potest, quæ iniustitia, aut quis excessus? Affirmandum ergo est hunc modum imperandi & possibilem esse, & sæpè esse conuenientem, & ita dixit Suarez *illo cap. 27. n. 12.* cum D. Thom. *2. 2. q. 106. art. 9. ad 1.* in aliquibus religionibus obseruari.

5 Verùm aduersùs hanc sententiam pugnat acriter Vasquez *1. 2. tom. 2. disp. 158. cap. 3. num. 17. & cap. 4. à num. 32.* probans in potestate legislatoris esse imponere præceptum: at illo posito non esse in eius voluntate obligationem coarctare, sed necessariò metiendam esse obligationem iuxta materiæ qualitatem. Idem tenet

Bellarm.

Bellarm. *tom.1.contrmicu. part.2. contreu.5. de membr.Eccles. milit.lib.3.cap.11.in solut.ad pen.* Salmeron *tom.4.Euang. part.3. tractat.12. §. differt autem.* Mexia *pragmat.panis, conclus.1. num.111.* Victor. *relect.de potest.ciuili, num.19.* Aragon *2.2.quaest.62. art. 3. col.5. §.secundò est aduertendum.* Salon. *quaest.77. art.1. controu.8. col.2.§ tertiò,quia non possunt.* Ochagauia *tract.vlt. de satisfact. sacram. q.8. num.7.* Zapata *tract.de iust.distrib.2.p.cap.3.fol.114.* Reginald. *lib.15.à num.44.* Becan.*tract.3.cap.6.q.3.num.10.* & de legislatore sæculari, quòd non possit imperare sub culpa veniali, vel mortali, sed necessariò iuxta qualitatem materiæ debeat procedere, tenet Graffis *1.p. decis. lib.1.cap.57.n.6.* Sotus *lib.1.de iust.q.6.art.4.* Salon *2.2. q.77.art.1.controu.4.§ tertiò,quia.*

Mouentur primò, quia voluntas superioris solùm requiritur ad imponendam obligationem: qualis autem obligatio sit, ex grauitate, vel leuitate rerum, quæ præcipiuntur, debet sumi. Ergo non stat in voluntate superioris hanc obligationem extendere, vel coarctare. Et confirmo primò, peccatum esse veniale, vel mortale, non pendet ex voluntate imperantis, sed ex ipsis rebus præceptis, quæ posito præcepto grauem, vel leuem deordinationem habent. Ergo pro voluntate superioris non potest fieri veniale, quod aliàs est mortale. Confirmo secundò, superior sua lege, & præcepto rem præceptam in aliqua virtute constituit. v.g. cùm imperat ieiunium in materia temperantiæ, & cùm imperat sacrum facere in materia religionis. Ergo hæc omittens, si grauia sunt, grauiter lædit virtutem. Ergo non potest venialiter tantùm peccare. Secundò lex diuina, & naturalis obligare non potest sub culpa veniali in materia graui. Ergo neque lex humana. Tertiò non potest legislator ad culpam mortalem obligare in materia leui, quia est irrationabilis, & iniusta talis obligatio: sed etiam est irrationabilis, & iniusta obligatio leuis in materia graui, siquidem non proportionatur materiæ. Ergo. Quartò obligatio est quasi effectus consecutus ad legem; ideo enim subditi legibus superioris obligantur, quia leges legitimæ sunt, & validæ: sed effectus consecutus ex causa naturali impediri non potest. Ergo neque potest impediri obligatio, posita lege. Ergo neque obligatio grauis, posita lege de re graui. Quintò si votum, vel iuramentum facias de re graui, teneris sub culpa graui adimplere, quantumuis te volueris obligare sub culpa veniali. Ergo similiter teneris obedire sub mortali lege à superiore lata de re graui, etsi ipse velit tantùm sub veniali. Sextò in sacramento pœnitentiæ pœnitens tenetur sub mortali pœnitentiam grauem pro grauibus peccatis implere, etsi Confessarius dicat se velle ad venialem tantùm culpam obligare. Ergo etiam si legislator velit ad veniale subditum obligare, obligabitur ad mortale.

6 Verùm hæ rationes non obstant, quominus tenenda firmiter sit nostra sententia.

Ad primum dico, voluntatem superioris non solùm requiri ad imponendam obligationem, sed ad qualitatem illius: quando autem ipse superior voluntatem non coarctat, censetur velle obligare iuxta materiæ qualitatem: & tunc ex grauitate, vel leuitate materiæ pensanda est obligatio. Ad confirmationem primam fateor peccatum veniale à mortali non distingui ex voluntate legislatoris immediatè, sed ex ipsis rebus imperatis; distinguitur tamen mediatè, quatenus voluntas legislatoris intendentis ad solum veniale obligare facit, vt res imperata, etsi grauis sit, non grauiter lædat legem, neque grauem deordinationem habeat. Ad confirmationem secundam admitto antecedens, & nego consequentiam, non enim grauiter læditur virtus, cuius omissio non est graui præcepto prohibita.

Ad secundum argumentum concedo libenter legem naturalem obligare non posse in materia graui ad culpam leuem; secus verò lex positiua, diuina, vel humana. Et ratio differentiæ est, quia obligatio legis naturalis ex ipsis rebus, & deordinatione, quam habent immutabilem cum recta ratione, oritur: at obligatio legis positiuæ cùm auferri omnino possit pro voluntate legislatoris, potest etiam pro eadem voluntate limitari.

Ad tertium concedo non posse legislatorem ad culpam mortalem obligare in materia leui: nego tamen non posse in materia graui non obligare ad culpam mortalem, quia prior voluntas est iniusta, & iniuriosa subdito, non verò secunda, esto aliquando fuerit imprudens: magis enim requiritur ad imponendam obligationem, quàm ad illam minuendam; ad obligationem enim imponendam requiritur necessariò, vt limites potestatis nō excedat superior, ne subdito iniuriosus sit: at ad tollēdam obligationem, vel minuendā, sufficit potestas superioris, quia inde nulla iniuria subdito prouenit.

Ad quartum admitto obligationem subditi obseruandi legem esse quasi effectum legis; nego tamen hunc effectum coarctari non posse pro voluntate legislatoris; legislator enim ferre potest legem obligantem, secundùm totum quod potest, vel solùm obligantem leuiter, & secundùm minorem obligationem, quam potest imponere.

Ad quintum negari posset consequentia; posito enim voto, & iuramento, non pendet ex voluntate vouentis, & iurantis obligatio, sed ex iure acquisito Dei, ac proinde non mirum si vouens, vel iurans non possit se ad venialem culpam obligare in materia graui; secus verò possit legislator, cuius voluntate sicuti potest tolli obligatio, potest & diminui. Secundò respondeo negando vouentem non posse se ad venialem culpam in materia graui obligare, quia sicut omnis obligatio à sua voluntate ortum habuit, ita potuit ortum habere limitato modo, & non secundùm omnem materiæ capacitatem, & ita docet Thom. Sanchez *lib.1. de matrim. disp.9.n.6.* Secus dicendum existimo de iuramento, in quo Deum in testem, & fideiussorem rei promissæ adducis: in hoc enim non potes limitare obligationem ad veniale, si materia grauis est; quia non pendet à tua voluntate obligatio implendi promissum. Nam etiamsi ab initio haberes animum non implendi, vel non te obligandi, si tamen iuras, debes implere.

Ad sextum respondeo primò negando antecedens, quod negat Suarez *tom.4. de pœnitent. disp.38. sect.7.n.5.* Medina *C. de confess.tract.2.quaest.48.* Diximus namque pro voluntate Confessoris coarctari posse obligationem pœnitentiæ, quia est quædam lex, & præceptum: & conditiones legis, & præcepti humani sortiri debet. Secundò respondeo concedendo antecedens, & negando consequentiam. Et ratio diuersitatis est, quia Confessarius non imponit nomine proprio satisfactionem, sed nomine Christi, & vices illius gerens: Christus autem non præsumitur velle grauem satisfactionem leui obligatione adstringere. Ergo. Item pœnitens non obligatur satisfactionem exequi virtute solius præcepti à Confessario impositi, sed etiam virtute sacramenti recepti, ne sacramentum imperfectum relinquat: hæc autem obligatio si materia grauis est, non videtur esse posse venialis. & ita tenet Coninch *de sacram. disput.10. de pœnit.dub.8.num.65.* Bonacina *disp.5. de sacram.pœnit. q.5.sect.3.p.4.n.4.fin.* Ioan.Sanchez *disp.15.select.num.16.* Ochagau.*tract.de satisfact.q.8.n.7.* & alij.

PVNCTVM IX.

Quibus modis veniale peccatum transeat in mortale.

MVltipliciter hoc contingit. Primò si vltimus finis in peccato veniali constituatur, vel ei mortalis sit

sit adiunctus. Secundò ratione contemptus. Tertiò si occasio, & periculum proximum sit incidendi in mortale. Quartò si sæpe multiplicetur. Quintò si proximum scandalizet. de his omnibus sigillatim est dicendum.

§. I.

Qua ratione peccatum veniale in mortale transeat ratione finis.

1 *Si finis est mortalis, mortale est.*
2 *Si finis est venialis, & medium mortale, peccatum esse mortale.*
3 *Distinctio Suarez, & Sanchez non admittitur.*
4 *Sufficit explicare in confessione malitiam mortalis medij, tacito fine veniali.*

1 CErtum est apud omnes peccatum esse mortale, si quis ex affectu fornicationis mentiatur, vel aliud veniale committat, quia habet affectum, & voluntatem peccandi mortaliter: at quia huiusmodi affectus extrinsecus est, & peccatum veniale, quod vt medium assumitur, non immutat: ideo declarato in confessione affectu, veniale peccatum declarari non est necesse. docet Sanch. *lib.1.in Decal.cap.5.num.7.* Reginald. *lib.6.num.129.* Bonacina *de pænit.disp.5.quæst.5.sect.2.p.2.diff.3.num.27.§.decimo octauo.*

2 Econtra si ob studium, vel iactantiam, vel alium vanum finem, omittas sacrum, forniceris, vel occidas, videris non solùm peccatum fornicationis, vel homicidij committere, sed etiam iactantiæ grauis necessariò in confessione explicandæ. Probo, quia amorem illius obiecti creati præfers amicitiæ diuinæ: siquidem ob illius consecutionem nihili pendes peccare mortaliter. Ergo talis amor inordinatus est: ergo non solùm peccas peccato fornicationis, quod ob illius consecutionem admittis, sed etiã alio speciali peccato; & confirmo, qui furatur, vt fornicetur, magis est inhonestus, quàm fur: quia malitia potius ex fine, quàm ex mediis desumitur. Ergo qui ob studium, vel iactantiam, vel alium vanum finem, sacrum omittit, fornicatur, aut occidit, magis est censendus curiosus, vanus, aut superbus, quàm sacrilegus, intemperans, vel iniustus. Ergo magis ex amore finis, quàm ex amore mediorum debet malitia desumi.

3 In hac re Suar. *4.tom.in 3.p.disp.22.sect.4.n.11.* & ex illo Thom. Sanch. *lib.1.in Decal. cap.5.num.15.* affirmant dupliciter ex fine veniali te operari posse. Primò ex vehementi, & inordinato ad illum affectu. Secundò ex tua libertate, & facilitate. Si primo modo operaris, debes (inquiunt) circunstantiam finis fateri: secus si secundo modo. Probant priorem partem, eo quòd veniale efficiatur mortale, quoties in eius obiecto vltimus finis constituitur. Secundum probant; quia tota malitia in præcepti omissione consistit, atque ex ea in finem redundat: quare explicata omissionis malitia tota culpa explicatur.

4 Fateor tamen hanc distinctionem nõ percipere, non enim intelligere possum in quo vehemens, & inordinatus ille affectus consistit: quia non consistere potest in aliqua graduum intensione. hæc enim de peccato veniali nunquam mortale constituit: & ad præsens institutum esse omnino talem intensionem impertinentem, tradit ipse Sanch. *suprà num.140.* Ergo solùm consistere potest in eo, quòd ex eius amore non dubites peccatum mortale committere: satis enim inordinatè procedis; & nescio quo modo possit esse maior inordinatio. Ergo vel dicendum est circunstantiam finis venialis semper fatendam esse; vt probant rationes *num.1.* allatæ; vel nunquam esse necessariò fatendam, quod probabilius existimo; sed sufficere explicare malitiam medij assumpti: ita videtur sentire Bonacina *disp. 2. de peccat.q.3.p.5.num.2.* vbi eodem modo loquitur, quando peccato veniali finis mortalis adiungitur: ac quando fini veniali mortalis electio copulatur, & in materia de pœnitentia loco citato de vtroque casu dicit non esse necessarium in confessione fateri malitiam venialis, sed mortalis malitia declarata satis esse: idem tenet expresè Azor. *tom.1.lib.4.instit.mor.cap.3.quæst.7.* sine vlla distinctione. Ratio est efficacissima: nam vel ille affectus, qui est causa amplectendi peccatum mortale, versatur circa obiectum bonum, vel indifferens, vel malum: si circa obiectum bonum, vel indifferens, nullam inde recipit malitiam. Ergo tota malitia est ex electione medij. Ergo declarata tali electione in confessione, manifestissimè tota malitia declaratur: si verò versatur circa obiectum malum, clarum est declarari debere, si graue sit; secus si solùm venialiter delinquit. Et confirmo si ex affectu vehementi, & inordinato studendi, vel equitandi, vel furandi leuem quantitatem, sacrum omitteres; rogo an talis affectus sit irreligiosus, sacrilegio distincto ab omissione sacri, vel non? Dici non potest esse sacrilegum sacrilegio distinctum; cùm equitatio, vel studium, vel furtum ad religionem nullo modo pertineant: & aliàs cùm aliquis furaretur rem grauem, vt fornicaretur, non solùm in furto, sed etiam in fornicatione duplex esset malitia mortalis, altera iniustitiæ, altera intemperantiæ; quod certè est inauditum: non enim multiplicari debent peccata absque necessitate. Ergo dicendum est affectum finis solùm esse malum, vel ex malitia propria, vel denominatiuè ab electione. Malitia autem propria esse non potest mortalis; cùm circa rem bonam, vel indifferentem, vel leuiter malam versetur, vt suppono. Ergo solùm malitia medij est declaranda in confessione necessariò, & non malitia finis venialis.

Neque obstat quod dicit D.Thom. 1.2.*quæst.88.art.5.* ab omnibus receptus, veniale transire in mortale, quando in eo vltimus finis constituitur: concedo enim transire in mortale; sed non malitia distincta ab eo, ratione cuius transit.

§. II.

An ratione contemptus veniale transeat in mortale.

1 *Transgressio legis contemptus est, & qua ratione contingat.*
2 *Si iungitur transgressioni legis, duplex peccatum facit.*
3 *In qua specie peccati contemptus sit.*
4 *Circa præceptum & consilia versatur contemptus.*
5 *An possit dari contemptus formalis, qui solùm peccatum veniale sit? proponitur ratio dubitandi, cui assentiunt plures Doctores.*
6 *Resoluitur contemptum formalem semper esse mortale peccatum.*

1 CErtum est quamlibet legis transgressionem, siue mortalem, siue venialem, esse aliquem contemptum; contemnit enim legem, qui delinquit in legem: postponit enim eius obseruantiam propriæ voluntati, & vtilitati. At hic contemptus vocatur materialis; quia in ipsa materia, & opere peccaminoso imbibitur, & quia nõ habet malitiam distinctam ab ipsa legis transgressione, sed per omnes transgressiones vagatur, vt benè dixit D.Thom. ab omnibus receptus *in 4. dist. 9. art.3 quæstiunc.3.* De huiusmodi contemptu non loquimur in præsenti, cùm ratione huius peccatum veniale non transeat in mortale, sed immutatum perseuerat. Alius est contemptus formalis, de quo in præsenti, hic procedit ex intentione formali despiciendi aliquam perso

personam, eiúsve præcepta, & consilia. Hic autem contemptus, vt bene dixit Suarez *lib. 3. de legib. cap. 28. n. 15.* potest esse in intellectu, & in voluntate; in intellectu est, quando sine vllo fundamento, & ratione iudicatur res aliqua, vel persona minori æstimatione digna, quàm par est: qui actus si circa Deum versetur, erit blasphemus: si circa homines, erit iudicium temerarium, cuius grauitas ex grauitate obiecti metienda est. At ad peccatum contemptus hic error intellectus non requiritur; in voluntate autem est contemptus si velis personam aliquam, vel eius præcepta, & consilia, pro nihilo habere: hanc voluntatem subsequitur opus, quo intendis personam illam, vel eius præcepta, & consilia ostendere parum æstimari debere.

2 Ex hac doctrina infertur primò contemptum legis esse speciale peccatum, distinctum ab illius transgressione; ac proinde est necessariò explicandum. colligitur ex D. Thom. communiter recepto 2. 2. *quæst.* 186. *artic.* 9. v. g. si omittas sacrum die festo ex contemptu legis, duplex peccatum committis, & omissionem sacri debiti, & contemptum præcepti. Probo, quia violans ex contemptu legem, non solùm peccas peccato contrario legis violatæ: sed etiam peccas, quia ex contemptu illam violas. Nam si hic contemptus, etiam sine voluntate legem transgrediendi, adesset, quis dubitat peccatum graue fore? Ergo ex eo quòd transgressioni legis iungatur, non amittit malitiam. Neque potest malitiam transgressionis habere, cùm indifferens sit iungi cuiuslibet legis transgressioni. ita tradit Valent. 1. 2. *disput. 7. quæst. 6. punct. 6. casu* 1. Thomas Sanchez *lib. 1. in Decalog. cap. 5. num. 9.* Bonacina *disput. 2. de peccat. quæst. 3. punct. 5. num.* 16.

3 Sed inquires, in qua specie peccati contemptus sit?

Respondeo si circa Deum, & eius præcepta, & consilia contingat, peccatum erit contra religionem; religio enim Dei te obligat debitum cultum, & honorem Deo exhibere, & consequenter illum non despicere: si circa parentes contemptus sit, erit peccatum contra pietatem eadem ratione; pietas enim virtus est obligans revereri parentes, & consanguineos: si circa Prælatos, & superiores, erit aduersùs obseruantiam, & obedientiam illis debitam: nullo tamen modo est formaliter contra obedientiam; potest enim despici superior, quin eius præcepta despiciantur. Quare inobedientia formalis, non est formalis contemptus, sed aliquando contemptum præsupponit, aliquando non: si enim nascatur ex superioris despectu, & abiecta illius æstimatione, vt regulariter solet, contemptum supponit; si tamen ex indignatione illius, præsupponit odium: si ex propria æstimatione, & arrogantia, arguit superbiam; semper enim inobediens formaliter habet aliquod ex his motiuis: nam præcisè ob inobedientiam moueri non poterat; nemo enim intendens ad malum operatur. Quòd si contemptus versetur circa alias personas minoris, quàm par est, illas æstimando, est actus iniustitiæ; ex iustitia enim cuilibet debetur reuerentia, honor, & æstimatio iuxta eius qualitatem: si tamen velis illum aliter tractare, iniuriam illi irrogas.

4 Infertur secundò contemptum non solùm versari posse circa præcepta, sed etiam circa consilia; hæc enim contemni possunt, vt vana, & inutilia. Quòd si ita contemnantur, quis dubitat, peccatum committi? & ita tradit Suarez *lib. 3. de legib. cap.* 28. *num.* 13. Azor *tom.* 1. *instit. moral. lib.* 12. *cap.* 13. *quæst.* 1. Thom. Sanchez *lib. 6. in Decal. cap.* 1. *num.* 3. & 4. Suarez *de legib. lib. 3. cap.* 28. *in fine.* Bonacina *suprà num.* 13. Ex quo fit latius patere contemptum, quàm inobedientiam formalem, cùm hæc solùm sit circa præcepta; contemptus esse poterit circa consilia, & circa personam, vt tenent supradicti Doctores.

5 Difficultas præcipua est, an possit dari contemptus formalis, qui solùm veniale peccatum sit.

Ratio dubitandi est, quia potest contemptus versari circa materiam leuem; potes enim contemnere legislatorem, eiúsque præcepta non absolutè, sed quatenus sunt in hac materia leui, v. g. in silentio seruando: sed tunc contemptus non videtur grauis, sed leuis; leuem enim iniuriam videris legislatori irrogare, leuia eius præcepta contemnens, grauia æstimans.

Propter hanc rationem plures Doctores affirmant dari posse peccatum veniale contemptus, sicut & inobedientiæ formalis, si præceptum superioris contemnas, non absolutè, sed quatenus est in materia leui: tenet Caietanus *summ. verb. contemptus, vers. aduerte hic, ibi* Armilla *num.* 3. Bartholom. de Medina 1. 2. *quæst.* 88. *artic. 4. fine.* Valent. 1. 2. *disput. 7. quæst. 5. punct. 6. in 1. casu, & 2. 2. disput. 7. quæst. 3. punct. 3. vers. cæterùm.* consentit Leonardus Lessius *lib. 2. de iustit. cap. 46. dub. 6. num. 45. & 46.* loquens expresè non solùm de legislatore humano, sed etiam diuino: & affirmans, si nolis illis parere in rebus minimis, vt ostendas eorum minima præcepta te parui facere, non esse mortale. consentit Thomas Sanchez *lib. 1. in Decal. cap. 5. n. 11. & 13. fin.* in legislatore humano, secus in diuino.

6 Dico igitur primò formalem contemptum Dei, seu de Deo indignam æstimationem habere, aut illam aliquo signo ostẽdere, semper esse mortale; continet enim tacitam blasphemiam. in hoc omnes conueniunt, Suar. *num.* 23. Bonacina *disput. 2. de pecc. quæst. 3. p. 5. num.* 10. Salas *de legib. disput. 10. sect. 8. num.* 38. Idem est si nolis Deo in re leui obedire, ne illum solatio afficias, néve eius beneplacitum facias; est enim actus odij, grauísque iniuria, & ostendit satis animum deprauatum. sic Ioan. Sanch. *disput. 7. select. num.* 13. Suar. *lib. 3. cap. 28. num.* 23.

Dico secundò, formalis contemptus diuini præcepti etiam leuissimi, & cuiusuis consilij est semper mortale. Thom. Sanch. *suprà num. 11. fine.* Ratio est, quia tacitè ipsum Deum despicis, cuius præcepta, consiliáve contemnis. Item si præcepta diuina, & consilia contemnis, quia vana, & inutilia, nemini esse potest dubium esse grauissimum peccatum, vt ipsemet Leonardus fatetur. Suar. *lib. 3. de legib. cap. 28. num.* 22. sed non videtur esse posse circa illa alius formalis contemptus. Dicere namque te illa contemnere, eo quòd vis ostendere te illa parui facere, non satisfacit. Rogo enim in quo stat te velle ostendere, parui facere præcepta diuina leuissima, seu consilia. Non enim consistit in eo quòd illa transgrediaris; quia velle ostendere te transgredi præceptum diuinum, non est contemptus formalis: aliàs quoties te laudas de peccato commisso, vel vis peccatum committere in præsentia aliquorum, diceteris præcepta diuina formaliter contemnere, quod non est concedendum. Neque etiam stare potest in eo, quòd velis ostendere præcepta illa leuia necessaria non esse ad salutem, & multo minus consilia: nam hoc est verissimum, & in hac ostensione contemptus esse non potest; contemptus enim non est, quoties est vera rei æstimatio. Restat ergo, vt contemnens præcepta, vel consilia diuina, illa contemnas vt vana, & inutilia, vel saltem vt minus vtilia, minúsque conuenientia, quàm de facto sunt: sed hoc, meo iudicio, continet tacitam blasphemiam, derogat enim æstimationi debitæ præceptis diuinis, & consiliis. Ergo est peccatum mortale.

Dico tertiò, contemptus legislatoris humani, quatenus legislator est, seu violatio cuiuscumque legis, præcepti, & consilij ipsius, ex tali contemptu semper reputo esse peccatum mortale, non solùm in graui materia, vt ferè omnes dicunt, sed etiam in leui. Ratio est, quia esse rem leuem, quæ tibi imperata est, non obstat, quominus tibi imperetur ex eadem potestate, qua imperatur

tur res grauis. Ergo si ex contemptu huius potestatis præceptum leue violas; ita grauiter peccas, ac si violares præceptum graue. Item potestas imperandi tibi rem leuem, à Deo dimanat, sicuti dimanat potestas imperandi rem grauem. Ergo cùm illam contemnis, bonum ipsius Dei contemnis. Ergo Deo irrogas iniuriam; tacitè enim Deum temnis, temnendo eius potestatem: hac enim ratione dixit Christus Lucæ 10. *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.* ita Bonacina *num.* 10. Suarez *num.* 14. & in hoc sensu explicari potest, quod dixit Augustinus relatus *in cap. vnum orarium, distinct.* 25. §. *hinc autem*, nullum scilicet esse peccatum veniale, quod non fiat mortale, si placet; quando placet, inquam, ex legis contemptu: sic explicat Sanchez *lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 16. vel quando placet ex contemptu Dei, vt explicat Suarez *num.* 23. *fin.* Verùm si superior temnatur, non quatenus superior est, sed quatenus est infimæ sortis, indoctus, imprudens, & ex huiusmodi contemptu nolis ei obedire in re leui, non erit peccatum mortale, quia tunc non contemnitur formaliter eius potestas, contemnitur enim eius persona ob defectus, quos habet: potest ergo huiusmodi contemptus venialis esse, sicut & murmuratio, & detractio. Item si ex indignatione leui, & prauo aliquo affectu, erga superiorem nolis illi obedire in re leui, non est mortalis talis inobedientia, neque talis indignatio, & prauus affectus charitatem grauiter lædit, vt tenet Lessius *num.* 46. Sanchez *num.* 12. Bonacina *num.* 13. Ergo neque etiam supradictus contemptus superioris lædit grauiter reuerentiam illi debitam. & ita tenet Sanchez *in summ. lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 8. 12. & 13. Suarez *de legib. lib.* 3. *cap.* 28. *num.* 24. Lessius *num.* 46. Bonacina *num.* 10. & 12. Castro *lib.* 1. *de leg. pœnal. cap.* 5. *conclus.* 2. Ioann. Sanchez *disp.* 7. *select. num.* 13.

Ex qua doctrina infert Bonacina *num.* 11. excusari à mortali clericos seminarij, vel aliorum collegiorum, nolentes obedire suis præfectis, ex quodam ipsorum contemptu, quia tales præfecti veram potestatem non habent, nec verè superiores sunt, & sic potius videntur contemni, vt particulares homines, ob aliquas ipsorum imperfectiones, quàm vt superiores.

Dico vltimò contemnere alias personas, quæ superiores non sunt, aliquando est mortale, aliquando veniale pro materiæ grauitate, vel leuitate; cùm enim peccatum hoc iniustitiæ sit, recipit magis, & minus: colligitur ex Doctoribus suprà relatis.

§. III.

An peccatum veniale fieri possit mortale ratione periculi.

1 *Esse peccatum mortale, si sit occasio proxima illius.*
2 *Quod sit periculum proximum peccandi.*
3 *Proponitur triplex agitanda quæstio.*
4 *Propositum committendi omnia venialia esse mortale.*
5 *Refellitur supradicta sententia.*
6 *Soluitur fundamentum num.* 4. *positum.*
7 *Qui dicant non esse licitum ob vllam causam te periculo peccandi exponere, & quomodo probent.*
8 *Exponitur quomodo liceat te periculo peccandi exponere.*
9 *Soluitur fundamentum num.* 7. *adductum.*
10 *Quid dicendum de accessu ad prædicandum Euangelium infidelibus, & conuersionem meretricibus cum periculo peccandi?*
11 *Infertur parentem posse alere filios ex concubina domi retenta, chirurgum mederi verenda fœmina, custodem carceris ministrare cibaria fœmina incarcerata.*
12 *Neque filiusfamilias tenetur patris domum deserere, neque scribas officium relinquere.*
13 *Item parochus non debet officium parochi deserere.*
14 *Quid de domino, cui debet concubina centum aureos?*
15 *Absoluendum sæpè esse qui est in occasione proxima peccandi, si proponit non peccare, affirmauit Ioann. Sanch. & refellitur.*
16 *Si cessat periculum, tametsi non cesset occasio, absolui potest.*
17 *Si non teneatur pœnitens occasionem deserere, absolui potest.*
18 *Si tamen tenetur, non debet Confessarius absoluere, quin prius pœnitens occasionem fugiat, tametsi semel, vel iterum possit.*
19 *Quæ dicta sunt procedunt tam in vero peccatore, quàm in eo, qui sic reputatur.*

1 Constat apud omnes non solum peccatum veniale, sed etiam rem de se indifferentem fieri mortalem; si occasio moralis, & proxima tibi sit incidendi in mortale. Ratio est manifesta, quia eodem præcepto, quo teneris peccatum mortale non admittere, teneris & proximum illius periculum vitare, quia si non euitas, cùm possis, conuinceris sanè amare peccatum illud, cuius amas periculum. sic Suarez *tom.* 5. *in* 3. *p. disp.* 18. *sect.* 3. *num.* 16. Ex quo fit te obligatum esse in confessione manifestare peccatum cum omnibus suis circunstantiis, cuius periculo te exposuisti: sic Alcozer *sum. cap.* 20. *fol.* 74. Thom. Sanchez *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 8. *num.* 4.

2 Illud autem dicitur periculum proximum, & morale peccandi, quod frequenter ad peccatum inducit, vel attenta tua fragilitate te in peccatum inflectit, & passim sese offert: sic Suarez 4. *tom. in* 3. *p. disp.* 32. *sect.* 2. *ad finem.* Nauarr. *sum. cap.* 3. *num.* 14. Thom. Sanch. *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 8. *num.* 1. Neque ad hanc occasionem, & periculum proximum requiritur domi concubinam habere, si alibi habeas pro tua voluntate, libérque tibi sit aditus ad illam, ac si tecum habitaret, sicut lenones solent efficere, vt liberiùs absque metu iudicis concubinariam vitam transigant. sic Ioann. Sanchez *disput.* 10. *select. num.* 3. Neque necesse est peccatum esse opere consummatum, sufficit esse solùm in voluntate, vt tenearis occasionem illius vitare, quia iam illud est peccatum mortale: quare si domi retines fœminam, ex cuius præsentia moueris illam lasciuè desiderare, ab eius consortio te debes separare. sic Graffis 1. *p. decis. lib.* 1. *cap.* 16. *num.* 16. Nauarr. *in sum. cap.* 3. *num.* 23. Chapiau *tract. de casib. reseruat. in examine confessar. fol.* 386. Ioann. Sanchez *num.* 13.

Dixi, si te frequenter ad peccatum inducit; nam si semel, aut iterum peccasti, pluries verò restitisti, non videtur occasio proxima, & moralis peccati. sic Ioann. Sanchez *disp.* 10. *select. num.* 17. cum Anton. Fernand. *in instruct. confessar. document.* 6. *num.* 1. *fol.* 29. & colligitur ex Nauarr. *sum. cap.* 14. *num.* 42. *vers. decimo nono*, vbi requirit ad hoc vt tactus dicatur peccatum mortale, vt quasi semper mortaliter peccare faciat personas, quæ sunt eiusmodi qualitatis.

3 Triplex est pro intelligentia huius materiæ tractanda quæstio. Prima, an sit occasio proxima peccandi mortaliter, propositum committendi quodcunque veniale, quod se tibi vtile obtulerit? Secunda, an ita malum sit te exponere periculo peccandi mortaliter, vt nulla ratione honestari possit? Tertia, an existens in periculo peccandi, ex eo quòd proponat non peccare, quin se à tali periculo remoueat, possit, & debeat absolui.

4 Circa primam quæstionem Thom. Sanchez *lib.* 1. *in Decal. cap.* 5. *n.* 4. & Bonacina *disp.* 2. *de pecc. q.* 3. *p.* 5. *n.* 17. affirmant propositum cõmittendi omnia venialia, quæ se tibi obtulerint, esse peccatum mortale. Mouentur, quia peccata venialia ad mortale disponunt, vt tradit S. Thom. ab omnibus receptus 1. 2. *q.* 83. *art.* 3. & colligitur

gitur ex Ecclesiast. 18. *Qui spernit modica, paulatim decidet.* Ergo qui illa vult committere, in manifestum periculum committendi mortale se exponit: ergo peccat mortaliter. Additque Sanchez non solùm propositum generale committendi omnia venialia, quæ se tibi obtulerint, mortale esse, sed etiam propositum committendi omnia venialia in materia periculosa, vt luxuriæ: nam si in hac materia habeas propositum admittendi confabulationes, aspectus, tactus, quoties solùm venialia fuerint, peccas (inquit) mortaliter, eo quòd certum libidinis mortalis periculum sit.

5 Verùm supradicta sententia mihi semper difficilis apparuit. Fateor namque habentem longo tempore propositum committendi venialia quæcumque, meritò timere posse esse à Deo despiciendum, & relinquendum in mortale incidere: at ex vi talis propositi, præcipuè si longo tempore in illo non perseuerat, non credo esse in peccato mortali. Moueor primò, quia peccata venialia, etsi ad mortale disponant, non disponunt proximè, & moraliter, sed remotè, cùm sæpè videamus homines, qui de fugandis venialibus nihili curant, mortale non committere. Ergo venialia de se non sunt dispositio proxima mortalis. Ratio est, quia licèt venialia peccata animum labefactent, & charitatem refrigerent, hominémque in interitum adducant: at propositum non committendi mortale, exercitiúmve operum pietatis, & religionis detinent, firmúmque reddunt animum, ne corruat; quod enim ex vna parte deperditur, alia via reparatur. Secundò propositum faciendi venialia, ideo esse potest peccatum mortale, quia est propositum periculi, & occasionis proximæ committendi mortale; sed hac ratione esse non potest. Ergo ex nullo capite esse potest mortale. Probo minorem. Vel illud morale periculum, & occasio proxima committendi mortale consistit in omnibus venialibus simul sumptis, vel in aliquibus? Non in aliquibus tantùm: aliàs propositum committendi aliqua venialia in qualibet materia diceretur esse propositum committendi mortale, quod est plusquam falsum: præterquam quòd signari non possit, quæ venialia hæc debeant esse. Neque etiam consistere potest hoc periculum in omnibus venialibus simul sumptis, cùm nunquam dari possit casus, in quo hæc committantur. Ergo propositum illa committendi, non est propositum alicuius periculi, & occasionis moralis, quæ de facto esse possit. Tertiò ex opposita sententia sequeretur quemlibet obligatum esse sub graui peccato vitare aliqua venialia; nam si omnia sunt occasio proxima mortale committendi, & quilibet tenetur non se exponere occasioni proximæ committendi mortale, efficitur teneri peccata aliqua vitare. Rogo ergo, quot, & quæ hæc sint? Certè signari non poterunt. Item nostra salus non consisteret solùm in obseruatione præceptorum obligantium sub mortali, sed etiam in obseruatione præceptorum obligantium sub veniali, siquidem vitatio venialium, ad vitationem mortalis necessariò requiritur. Tandem tenetur quis ad contritionem habendam, non solùm conteri de mortalibus, sed etiam de venialibus, vtpote illorum dispositionibus proximis, quæ certè concedi non debent; sed potiùs concedendum est propositum non vitandi venialia compati posse cum proposito firmo non admittendi mortale.

6 Ex his solutum manet argumentum adductum in fauorem Thomæ Sanchez. Fateor namque propositum committendi venialia disponere ad mortalia, sicut & quodlibet aliud veniale disponit. Non enim dubium est veniale ex indeliberatione ad mortale deliberatum disponere; & veniale ex paruitate materiæ, ad graue eiusdem, furtum enim leue disponit ad furtum graue; sed non quia veniale disponit ad mortale, te constituit in magno, & aperto, vel probabili periculo illius, ac proinde non efficitur mortale ratione periculi præuisi, vt optimè notauit Salas 1. 2. *tom.* 2. *quæst.* 88. *tractat.* 13. *disputat.* 16. *sect.* 23. *num.* 67. *fine.* Quare solum propositum committendi illa venialia, quæ occasiones proximæ fuerint mortalis peccati, erit mortale, vel propositum committendi illa venialia, quæ simul sumpta mortale constituunt, vt si proponas multa furta committere in parua quantitate, licèt enim quodlibet furtum per se leue sit: at coniunctum cum aliis non leue, sed graue est, vt statim dicemus. Extra huiusmodi casus propositum committendi venialia, non est peccatum mortale, vt tenet Salas *disputat.* 16. *sectio.* 26. *num.* 84. §. *sed auctores.*

7 De secunda quæstione non desunt Doctores, qui affirment ob nullam causam temporalem, licitum esse te exponere certo, vel probabili periculo peccandi, docet Lorca 2. 2. *sect.* 3. *disput.* 28. *num.* 9. affirmans ob bonum spirituale proximi non licere tibi exponere tali periculo. Graffis *in decisionib. lib.* 1. *cap.* 28. Ludouicus Lopez 1. *part. instruct. cap.* 21. §. *ad secundam rationem, & cap.* 22. §. *tertium notabile, & corollario vltim.* & alij. Mouentur, quia bona spiritualia, cuilibet temporali bono præferenda sunt. Ergo præferendum est periculum lapsus quolibet alio bono. Ergo ob conseruationem famæ propriæ, vel alienæ non poteris te exponere peccandi periculo. Item si tua, & alterius salus periclitatur, non erit legitimus ordo charitatis, si tuam deseras, & alienam respicias: deseris autem, si ob vitandum alterius peccatum te peccato exponas. Ergo non erit tibi licita talis expositio.

8 Nihilominus communis, veráque sententia docet licitum esse ob grauem, honestamque causam te periculo peccandi exponere, vel si iam expositus es, periculum non deserere. docet Nauarrus *summ. cap.* 3. *num.* 14. Suarez 4. *tom. disput.* 32. *sect.* 2. *circa finem.* Thomas Sanchez *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 8. *num.* 3. Emanuel Saa *verbo peccatum, num.* 6. Salas 1. 2. *quæst.* 6. *artic.* 6. *tractat.* 3. *disput.* 3. *sect.* 1. *num.* 31. §. *inferunt aliqui, circa finem.* Basilius de Leon *lib.* 5. *de matrim. cap.* 35. *num.* 4. Ioannes Sanchez innumeros referens, & videtur expressè tradi *in cap. consultationi. de frigidis*, vbi permittuntur coniuges, quorum matrimonium ob impotentiam est irritum simul habitare, vt fratres. At constat apertè ex tali cohabitatione periculum tactus necessariò esse. Ergo ob rationem vrgentem, scilicet, ne detur scandalum periculum peccati permittitur. Ratio huius conclusionis est manifesta; quia periculum peccati, non est peccatum formaliter, sed solùm occasio illius. Ergo potest aliqua ratione honestari. Item in tantum periculum peccacati, peccatum est, in quantum est tibi integrè voluntarium, seu in quantum censeris illud gratis amare: at si vrgente aliqua occasione illud suscipis, non tam dici potes amare periculum, quàm illud subire, prout egregiè docuit Basilius *in constitut. monastic. cap.* 4. *pag.* 489. vbi inquit, qui vrgente aliqua causa, & necessitate se periculo obiicit, vel permittit se esse in illo, cùm tamen aliàs nollet, non tam dicitur amare periculum, quàm inuitus illud subire, & ideo magis prouidebit Deus ne in illo pereat.

9 Neque obstat ratio in contrarium adducta. Fatemur namque bona spiritualia cuilibet temporali bono præfe

præferenda esse, non tamen inde sequi vitationem periculi peccati præferendam esse cuilibet alio damno temporali certo, quia periculum peccati non est peccatum in se, nisi quatenus sine necessitate amatur, neque etiam inducit necessariò peccatum: at aliud damnum temporale est certum, & ineuitabile, vt supponimus. Ergo hoc est præferendum illi.

Ad secundum respondeo, si salus alterius, æquè ac tua periclitatur, concedo te non teneri tuam periculo exponere. At si alterius salus necessariò periclitatur, tua verò solùm contingenter, vt contingit, quando infans existens apud infideles moriturus est sine Baptismo, si tu non accedis: at si accedis, timere potes subuersionem; existimo certè non solùm te posse, sed etiam debere te illi periculo exponere ob infantis salutem. Non enim infans spoliari debet iure suo, quod habet ad Baptismum ob infidelium malitiam, vel fragilitatem baptizaturi: & ita tenet Bannes 2.2. *quæst.* 16. *art.* 5. *§. & si quæras.* Azor 2. *tom. lib.* 12. *cap.* 4. *ante finem.* Valentia *tom.* 3. *disput.* 3. *quæst.* 4. *fol.* 658. Suarez *de charitate. disput.* 9. *sect.* 2. *num.* 3. plures referens Ioann. Sanchez *disput.* 10. *selectar. num.* 9. Neque obstat locus ille Christi Domini Matth. 16. Marc. 8. Lucæ 9. *Quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur: aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Non enim sensus huius loci est, nihil prodesse homini lucrari totum mundum; si alicuius peccati periculo se exponat vrgente causa, sed potiùs sensus est nihil prodesse homini lucrari totum mundum, si aliquod peccatum committat; peccatum enim est detrimentum animæ, non periculum peccati, quo stante peccatum vitari potest.

10 An verò possis ad infideles accedere gratia illos conuertendi cum periculo subuersionis, & ad prædicandum meretricibus cum periculo peccandi? Mihi probabilius multo est te posse, quia tunc est sufficiens causa honestandi tale periculum, cui tu te exponis: neque censendum est tunc fore verè periculum, sed diuino auxilio facilè vincendum: & ita docet D. Thomas 2.2. *quæst.* 10. *artic.* 9. *in fine corporis* Salas 1.2. *tractat.* 8. *disput. vnica, sect.* 5. *num.* 60. *§. ad secundum argumentum*, & late pluribus relatis *tom.* 2. *quæst.* 74. *tract.* 13. *disput.* 6. *sect.* 17. *num.* 105. *&* 106. & Sotus *lib.* 5. *de iustit. quæst.* 1. *art.* 6. *in fine* 2. *concl.* Ioan. Sanchez *disp.* 10. *select. num.* 8.

11 Ex his infero primò, posse, imò teneri parentem alere filios ex concubina, qui nec separari possunt à matre, neque alia via possunt victum quærere, etsi periculum habeat lapsus cum concubina. sic Ioannes Sanchez *suprà num.* 9. *circa medium.* Item chirurgus potest verenda fœminæ curare cum periculo consensus: idem est si aliqua fœmina inclusa sit in aliquo secreto loco, vt fit in carceribus, inquisitionis, ad cuius sustentationem solus custos carceris occurrit, potest officium exercere, etsi periculum habeat peccandi cum illa, si alius non sit per quem cibaria ministret. Ratio omnium est, quia damnum, quod proximè euenit ex omissione harum actionum, est graue, & ineuitabile: damnum autem, quod tu incurris, vitare potes auxilio Dei, quod non deerit, præcipuè cùm non tua voluntate, sed ob eius beneplacitum in tale damnum, hoc est, periculum peccandi incideris.

12 Infero secundò, filiumfamiliàs non teneri domum patris deserere, in qua adest occasio peccandi, nec mercatores, & scribas ab officiis propriis abstinere, etsi in illis habeant occasionem peccandi: quia tunc non est illis voluntaria occasio, sed inuiti in illam incidunt, quam cum graui detrimento vitare nequaquam tenentur. ita Nauarr. *summ. cap.* 3. *num.* 4. Graffis *lib.* 1. *decis. cap.* 28. *num.* 25. Anton. Fernand. *instruct. confessar. document.* 6. Ioannes Sanchez *disput.* 10. *num.* 10. *&* 11.

13 Infero tertiò, neque parochum esse obligatum deserere officium, etsi experiatur voluntariè pollui occasione desumpta ex auditis in confessione; sufficit enim si proponat firmiter amplius non consentire: at Confessarius qui liberè confessiones audit, & facilè potest illas fugere, tenetur fugere, ne se periculo exponat, quia ob opus consilij non grauiter necessarium, non debet peccandi periculo se exponere. Dixi, si facilè potest: nam si ex desertione officij confitendi, sequitur aliqua nota honoris, & famæ Confessarij, non debet abstinere: in his consentit Ioann. Sanchez *suprà disput.* 10. *num.* 18. cum Lopez 1. *part. instruct. cap.* 25. *§. per hoc vltra.* Nauarr. *summ. cap.* 3. *num.* 26.

14 Tandem infert Ioannes Sanchez *num.* 20. non teneri dominum expellere domo concubinam, cui dedit mutuos centum aureos, quorum recuperandorum spes nulla est, si illam è domo expellat: neque econtra ipsam teneri à domo exire, si exiens non recuperatura est, quæ sibi debentur. Verùm huiusmodi illationem non facilè admitterem; pensanda enim est occasio: si enim diuturna sit, & grauiter moueat, censerem amittendum esse debitum, ex cuius amissione non graue damnum tibi veniat. Nam quilibet tenetur saluti propriæ consulere etiam cum aliquo temporali detrimento.

15 De tertia quæstione, an debeat absolui, qui est in occasione proxima peccandi, ex eo, quòd proponat firmiter non peccaturum? Ioannes Sanchez *illa disput.* 10. *num.* 4. ausus est affirmare non solùm semel, sed ter, & quater posse absolui, & loquitur, quando liberè potest occasionem deserere, adducit pro sua sententia aliquos Doctores: qui in casu occasionis proximæ nihil minus dicunt, præcipuè adducit Suarez *tom.* 4. *de pœnitent. disput.* 32. *sect.* 3. *num.* 3. qui dicit posse pœnitentem absolui, antequam exequatur id, quod facere tenetur: quia satis est habere firmum propositum suam obligationem implendi, cui credendum est, præsertim, si tunc primùm incidit in eam occasionem, & non est inuentus infidelis, seu inconstans in similibus propositis, neque ex aliis coniecturis potest talis suspicio probabiliter concipi: ex eo igitur, quod dicit *præsertim*, infert Sanchez sentire Suarium posse ter, aut quater absolui: quis non videat, quàm leuiter inferat, & quàm iniustè, cùm potiùs inferri debeat secunda vice non esse absoluendum, si iam inuentus fuit infidelis, & inconstans in similibus propositis: imò si Ioannes Sanchez vellet attendere Suarium, paulò inferiùs vidisset non esse absoluendum ter, vel quater. Aliquando, (inquit Suarez,) oportet remittere pœnitentem, & illum non absoluere, donec suam obligationem impleat; præsertim, quando iterum, atque iterum illam confessus est, & implere promisit, neque impleuit, quia aliàs relinquetur in morali occasione peccandi, & eius propositum moraliter non potest iudicari efficax, quandoquidem conuincitur esse in magna mora & posse, & non facere: quapropter oportet Confessores in hoc esse cautos, & constantes, ne grauentur peccatis alienis: quod notauit Caietanus *verbo restitutio, cap.* 6. & Anton. 2. *part. tit.* 2. *cap* 8. Nauarr. *cap.* 17. *num.* 54. *& cap.* 26. *num.* 5. hæc Suarez. Quid ergo clariùs dici posset?

16 In hac ergo re primò certum est: si iam res sint mutatæ, ita vt censeri moraliter possit occasionem peccati cessare, sine dubio absoluendus est: hoc contingit, cùm puella deformis facta est: sic Graffis *lib.* 1. *decis.* 1. *part. cap.* 28. *num.* 9. Ioan. Sanchez *disput. illa* 10. *selectar. num.* 12. vel si cognatio inter ipsos esset suborta,

quæ

quæ ab ipsis contemni non creditur, aut noua alia intersunt obstacula. Sanchez *suprà*, cum Ludouic. Lopez *1. part. instruct. cap. 21. in princ.* Anton. Fern. *in instruct. confess. docum. 6.*

17 Dico secundò, in casibus, in quibus pœnitens non tenetur fugere occasionem peccandi, eodem modo debet Confessarius cum illo procedere, ac procedit cum habente consuetudinem iurandi falsò, vel murmurandi, vel se polluendi; sicut enim hos absoluit, quoties intelligit firmum se emendandi animum habere, ita absoluere debet occasione ligatum. Expediet tamen (vt bene aduertit Suarez *suprà num. 4.* Reginaldus *tom. 2. praxi, lib. 8. num. 19.* Graffis *1. part. decis. lib. 1. cap. 28. num. 23.* Nauarr. *summ. cap. 3. num. 21.* Coriolanus *de casibus reseruatis, fol. 76.* Lopez *1. part. instruct. cap. 22. § tertium notabile,*) videre an aliqua emendatio sit: nam si nulla apparet, differenda erit absolutio; non quia necessariò sit differri, si de firmo proposito probabiliter constat, sed vt illo intermedio tempore se ampliùs disponat, aliquámque pœnitentiam faciat: quando autem nulla adest emendatio, sed fortè maior in dies peccatorum numerus augetur: satis certò potest Confessarius inferre non habere pœnitentem verum propositum se emendandi; quia in peccatum graue non ita facilè labitur quis, quando illud ex animo execratus est, maiorique diligentia se præcauet, quidquid in contrarium sentiat Ioan. Sanchez *suprà num. 16.*

18 Dico tertiò, quando pœnitens tenetur deserere occasionem peccandi: etsi possit Confessarius semel, aut iterum absolutionem concedere, antequam de facto expellat, eo quòd fidit expulsurum: raró tamen illam concedere debet, sed potiùs cogere pœnitentem, vt à se peccati periculum expellat, & sic liberum velit absolui. Moueor ad id affirmandum experientia magistra: raró enim pœnitens (præcipuè si ex illis est, qui semel in anno ad confessionem accedunt) occasionem expellit iam absolutus; sed iterum eisdem, & grauioribus peccatis se implicat, & Confessarius non solùm officium iudicis, sed Medici debet exercere, circa pœnitentem: ac proinde esto iudicet esse ritè dispositum ad absolutionem ratione firmi propositi, quod de præsenti habet, ideóque posset ex officio iudicis illi absolutionem concedere: at ex officio Medici tenetur medicamentum apponere, quod videt esse vnicè necessarium ad præcauendum futura peccata, timere enim iustè potest, non fore remouendam occasionem, si absolutionem non remota occasione concedat. In hac conclusione à fortiori conueniunt Doctores affirmantes, nec prima vice concubinarium esse absoluendum, quin priùs expellat concubinam: hi sunt Rodriquez *tom. 2. summ. cap. 46. num. 17.* Nauarr. *cap. 16. num. 20.* Anton. Fernand. *instruct. confess. document. 5. num. 4. fol. 31.* Margarit. *confessor. fol. 30.* Chapiauil *de casibus reseruatis in fine, fol. 386.* Syluester *verbo concubinarius, quæst. 2.* & certè meo iudicio videtur ferè decisa hæc controuersia à D. Augustino *in cap. satisfactio, de pœnitent. distinct. 3.* ibi, *satisfactio pœnitentiæ est peccatorum causas excidere, neque earum suggestionibus aditum indulgere:* & ibi gloss. *verbo causas,* ait, vitiorum radicem, nec sufficit ramos incidere, & opportunitates, vel occasiones peccandi, & *cap. valet interdum, 9. distinct. 81.* ibi, *Congruum est enim inde corporaliter auxili, vbi quisque illecebris deseruiuit. & cap. legatur, 24. quæst. 2.* Gelasius Papa admonet Faustum, absoluendos non fore, qui in errore, & occasione peccandi sua culpa immersi sunt.

19 Dico vltimò idem quod dictum est de vero concubinario, dicendum esse de eo, qui ita est in hominum opinione, ac proinde eodem modo esse, vel non esse absoluendum: quia quilibet tenetur non solùm à se remouere occasionem peccandi, sed quæ talis existimatur esse ob scandalum. Syluester *verbo concubinarius, quæst. 2.* Nauarr. *summ. cap. 3. num. 10. & cap. 16. num. 20.* Graffis *lib. 1. decis. 1. part. cap. 28. num. 8.* Chapiauil *tractat. de casibus reseruatis in examine confessariorum,* qui habetur in fine libri, *fol. 386.* Ioannes Sanchez *disput. 10. selectar. num. 15.* Villalobos *summ. tractat. 11. difficult. 25. num. 4.*

§. IV.

An peccatum veniale fiat mortale, si sæpiùs multiplicetur, & quid de scandalo.

1 *Ex sola multiplicitate nullum peccatum veniale fit mortale.*
2 *Proponuntur aliqua in contrarium.*
3 *Soluuntur supradicta.*
4 *Peccata, quæ vniuntur in aliquo tertio, fieri possunt mortalia, si multiplicentur, secus si nullam habeant vnionem.*
5 *Comedens sæpè die ieiunij, tametsi singulis vicibus parum, violare grauiter potest ieiunium, secus si pluribus distinctis diebus.*
6 *Intemperanter comedens peruenire potest ad mortale peccatum.*
7 *Laborans die festo pluries, tametsi singulis vicibus parum, violare potest festum.*
8 *Quid dicendum de eo, qui causa est, vt plures modicum quid accipiant die ieiunij, vel modicum laborem die festo.*
9 *Quid de omittente singulis diebus orationem Dominicam recitare, quam tenetur ex voto.*
10 *Quid si plura leuia vota violes eodem die. Proponitur prima sententia te peccare mortaliter.*
11 *Probabilius est oppositum.*
12 *Respondetur fundamentis num. 10. adductis.*
13 *Si peccatum de se veniale grauiter proximum scãdalizat, peccatum est graue. Reliqua de scandalo remittuntur tractanda tract. de charit.*

1 CErtum est apud omnes Catholicos, nullum peccatum veniale ex genere suo fieri mortale ex sola multiplicatione: quare si verbum otiosum est solum peccatum veniale, etiamsi sæpiùs multiplicetur, veniale semper constituet, & idem est de aliis peccatis. Ratio est manifesta: quia multiplicatio non constituit actum in alia specie, neque auget peccati grauitatem intensiuè, sed solùm extensiuè, hoc est, plura peccata eiusdem rationis constituit: vt bene probat Suarez *lib. 3. de legibus, cap. 28. num. 9.* Azor *lib. 4. instit. moralium, cap. 9. quæst. 11.*

2 Contrarium huius conclusionis videtur docere Vasquez *1. 2. quæst. 96. disput. 158. cap. 6. num. 60.* vbi ait, transgressionem legis frequentem esse mortalem, quia notabiliter læditur finis legislatoris, etsi aliàs venialis esset. Et confirmari potest in religiosis, quorum regulæ communes non solent ad culpam grauem, imò neque leuem obligare, quas tamen si passim transgrediantur, peccant lethaliter, eo quòd videantur illa contemnere, & periculo transgrediendi vota exponi. tradit Abbas *cap. nam concupiscentiam, num. 4. & 5. de constitut.* & ibi Felin. *num. 11. in fine.* Syluest. *religio, 1. quæst. 12. dicto 4.* Valentia *2. 2. disput. 10. quæst. 4. punct. 5. versic. atque ita est.*

3 Verùm hæc non obstant, quominus verissimum sit ex consuetudine, & multiplicatione venialis ex genere nunquam fieri mortale: quia finis legislatoris eodem modo læditur actibus repetitis, ac si repetiti non essent; quia, vt suppono, illi actus non vniuntur inter se, neq; in obie

obiecto, & consequenter non est, vnde mortale peccatum possint constituere. Exemplum autem de religioso nobis non contradicit. Fatemur namque, si ex transgressione plurium regularum ad culpam non obligantium exponeretur religiosus periculo transgrediendi vota, ob periculum esse mortale: at non video qua ratione huic periculo exponatur. Nihilominus tamen credo peccaturum mortaliter, non ob supradictum periculum, sed ob scandalum aliorum, & specialem religionis ruinam, quæ sine dubio oriretur ex illo tepido, & defectuoso procedendi modo; quis enim dubitare potest religiosum, qui passim silentium violaret, cubicula ingrederetur, epistolas sine licentia scriberet, & hæc paruipenderet, scandalum fore aliis religiosis, & ruinam religioni non mediocrem allaturum, & tanquam pestem esse omnino à cœtu, & communicatione aliorum excludendum: ergo peccat mortaliter, si hæc faciat, vel propositum habeat ea faciendi, quia religiosus tenetur sub mortali ita viuere, & mores suos componere, vt meritò in religione sustineri possit: ita tradit aliis relatis Thomas Sanchez *lib.6. in Decal.cap.4 n.18.& seqq.*

4 Quòd si de peccatis venialibus, quæ ex paruitate materiæ talia sunt, loquamur, distinguendum est; alia enim inter se, & in ordine ad aliquem tertium, seu obiectum vniuntur, alia verò non. Quæ in aliquo tertio non vniuntur, qualia sunt iuramenta vera, sed indeliberata, hoc est, iudicio carentia, quantumuis multiplicentur, semper retinent eandem malitiam. At peccata, quæ in aliquo tertio vniuntur, ita accrescit eorum malitia ex multiplicatione, vt peccatum, quod aliàs veniale foret, mortale sit ob peccata venialia, quæ iam facta supponit. Explico conclusionem. Furaris à Petro nummum regalem, committis peccatum veniale, repetis furtum aliquoties, sine dubio deuenies ad furtum; quod verè peccatum mortale sit: non quia ex venialibus peccatis, mortale aliquod fiat; sed quia illud peccatum furti, quod aliàs veniale foret, si alia furta facta non supponeret, fit mortale: quia illo furto completur damnum notabile, quod verè.tale esse iudicatur: quod clarissimè constat, quando rem acceptam retines; pono enim quantitatem sufficientem ad peccatum mortale esse quatuor nummos argenteos; accepisti tres, si postea vnum, vel duos accipias, quis dubitat te peccaturum mortaliter, cùm duos accipis; siquidem verè es acceptor, & possessor grauis quantitatis alienæ: & idem est, etiam si de facto illos tres nummos argenteos non possideres, quia sufficit te possidere obligationem illa restituendi, quia hæc est possessio in virtute. Ratio est, quia materia præcedentium peccatorum venialium, vnitur moraliter cum materia huius vltimi peccati: ac proinde hoc furto vltimo voluntariè amplecteris totam illam materiam; siquidem intendis grauem quantitatem à Petro accipere, grauéque damnum illi inferre. Quocirca quoties obiecta peccatorum venialium vniri possunt, & moraliter vnum efficere, poteris peccando venialiter ad mortale peccatum peruenire. sic Vasquez 1.2.*disp.*146. *cap.*2. Sanchez *lib.*1. *in Decal.cap.4.num.9. & 10.* Bonacina *disp.2.de pecc.q.3.p.5.n.*20. Suarez *lib.3. de legib.cap.*18.*num.*11.

5 Ex his infero primò, te comedentem sæpiùs die ieiunij, violare ieiunium vltima illa comestione, quæ ad notabilem quantitatem peruenit; quia illa vltima comestio, etsi per se sumpta, leuiter temperantiam læderet: at vt coniuncta aliis, & illas supponens, grauiter lædit; moraliter enim illis coniungitur, & quasi esset simul cum aliis facta, reputari debet. ita Vasquez *suprà, num. 4. & disput.* 158. *cap. 6. num.* 60. Sanchez *num.*11. *&* 15. Bonacina *num.* 27. Suarez *lib.5. de voto cap.5.num.*12. Secus dicendum, si diuersis ieiunij diebus parum aliquid comedas, vel propositum habeas parum aliquid singulis diebus comedendi, quia vnum ieiunium cum alio non continuatur, neque comestio vno die facta, cum alterius diei comestione. sic supradicti Doctores. Neque propositum fertur in omnes illas comestiones coniunctim sumptas, sed in omnes separatas, & singulis diebus debitas, & prout debitæ sunt: quæ cùm solùm sint debitæ sub peccato veniali, nunquam est propositum de mortali. ita docet optimè Suarez in simili *lib.5. de voto, cap.5. num.16. §.difficultas.*

6 Infero secundò, si intemperanter cibum sumas, & vltima comestione agnoscas tibi notabile damnum inferri: peccas mortaliter, quia iam amplecteris obiectum grauiter dissonum rationi; quod etsi secundùm se graue non esset: at graue est redditum ob multiplicem præcedentem comestionem. sic Vasquez, Sanchez, & Bonacina *suprà.*

7 Infero tertiò te laborantem similiter die festo aliquoties, etsi singulis vicibus parum tempus consumas, peccas mortaliter, quando peruenis ad quantitatem notabilem, verbi gratia, duarum horarum: quia omnes illi labores moraliter vniuntur, & quasi in eodem tempore facti reputantur: siquidem verum est dicere te laborasse illo die festo vltra duas horas; secus verò, si per quadrantem singulis festis laborares: quia tunc sicut festa diuersa sunt, ita & labores sunt diuersi, neque vnum cum alio continuatur. sic Sanchez *cap.4. num.*12. Bonacina *num.*25.

8 Infero quartò, non peccaturum mortaliter, qui eodem die ieiunij in causa est, vt plures modicum quid accipiant, & in die festo per breue spatium similiter laborent: quia actiones cuiuslibet personæ cum actionibus alterius nullo modo continuantur. sic Bonac. *n.*26. Sanchez *n.*11.*&* 12.

9 Infero quintò, quid dicendum sit, si omittas plures dies recitare orationem Dominicam, vel dare eleemosynam paruam, quam singulis diebus dare promisisti, an pecces mortaliter? Et quidem si in honorem illius diei, vel remedium alicuius necessitatis singulis diebus facta est promissio, censeo te non peccaturum mortaliter, etsi pluries omittas; quia quælibet omissio non continuatur moraliter cum alia, neque vnum quid efficiunt: secus verò dicendum, quando intentio vouentis non determinat tempus, vt finiat obligationem, sed potiùs vt illam augeat: vt contingit in solutione debitorum, tempus enim præfigitur debito soluendo, non vt extinguat debita, si de facto non fiat solutio, sed ne vlteriùs protrahatur solutio; ac proinde adueniente termino, & debito non soluto, magis debitor est: quando autem hoc modo recitatio, vel eleemosyna promittitur, nemini est dubium posse peruenire ad aliquem diem, in quo omissio eleemosynæ, vel recitatio sit grauis, quia tunc non solùm omittitur eleemosyna, vel recitatio illius diei, sed recitatio, & eleemosyna omnium dierum præcedentium, quæ debita tunc est, ac proinde est grauis. & ita tenet Bonacina *disp.*2. *de peccat. quæst.*3. *punct.*5 *num.*23. Sanchez *lib.*1.*in Decal.cap.*4. *n.*14. Suarez *lib.5. de voto, cap.5.num.*2.9.*&* 10.

Sed inquires, quando censebitur vouens annectere obligationem ad diem, quando non?

Respondeo, quoties aliquod motiuum in singulis diebus relucet, quale solet relucere in recitando quotidie calculo virgineo, nullo modo censetur vouens in diem sequentem prorogare obligationem: & in votis personalibus ita semper est intelligendum, dum aliud non constat, vt bene dixit Sotus *lib.7. de iustit. quæst.*2. *artic.*1. *col.*4. *versic. conclusio ergo.* Aragon 2.2. *quæst.*88. *artic.*3. *paulo post principium, conclus.*3. Quapropter Suarez *lib. 5. de voto, cap. 5. num.* 12. *&* 13. & alibi sæpe, dicit

dicit raro contingere in votis personalibus obligationem factam pro vno die in sequentem prorogari: in votis autem realibus faciliùs potest præsumi intentio prorogandi obligationem, eo quòd videatur non solùm attendi religiosum seruitium, sed etiam necessitatis alicuius remedium, quod semper habet eandem opportunitatem. Quapropter Medina 1.2.*quæst.*88.*art.*4. *ad* 4. Petrus de Ledesma 2.*tom.summ. tractat.*10. *cap.*3. *dub.* 1. & multis relatis Garcia *de benefic.* 3.*part.cap.*1. *num.* 171. sentiunt in votis realibus obligationem in sequentem diem semper prorogari; credo tamen sic præsumi, dum aliter non constat: constaret autem, si in honorem Virginis promissa esset eleemosyna danda singulis Sabbatis, vel in eius festiuitatibus: non enim ad sequentes dies transiret, sed eodem modo iudicandum esset de tali eleemosyna, ac de ieiunio tunc promisso.

10 Maior difficultas est, an pecces mortaliter, si violes plura vota eodem die, quorum quodlibet de re leui sit, & omnia simul grauem materiam constituant? Verbi gratia, promisisti Deo in honorem Virginis septies salutationem Angelicam recitare; alio voto in honorem passionis quinquies orationem Dominicam, & alio voto alias orationes in honorem alicuius Sancti, pecces ne mortaliter, si omnia hæc omittas.

Bonacina *disput.*2.*quæst.*3.*punct.*5.*num.*19. existimat te peccaturum mortaliter, & idem tradit Sanchez *lib.*1. *in Decalog.cap.*4.*num.*16. non solùm in votis, quæ sunt eiusdem rationis, sed etiam in votis diuersis, vt si vno voto promisisti aliquas leues orationes recitare, & alio eleemosynam, alio opus aliquod leuis charitatis. Mouentur primò, quia omnia illa vota eiusdem rationis sunt: obligant enim sub materia religionis. Ergo violans illa, violat virtutem religionis grauiter. Secundò per accidens est omnes illas orationes multiplici voto esse Deo promissas, poterant enim vnico voto promissæ esse. At si vnico voto promissæ fuissent, & de facto omitterentur, peccatum foret mortale: ergo etiam est mortale, quando multiplici voto fuerint promissæ. Confirmo. Si Petro magnam pecuniæ summam promisisses promissionibus diuersis, quarum singulæ promissiones leuem materiam continerent; eodem modo peccares omittendo pecuniæ solutionem, ac si vnica promissione pecunia illa promissa sit, quia per accidens est promissam esse vnica, vel multiplici promissione: ita similiter in promissionibus Deo factis videtur dicendum, cùm ad eius honorem, & cultum parum referat, multiplici, vel vnico actu omnes illas orationes promissas esse.

11 Verùm etsi supradicta sententia probabilis sit, mihi probabilior videtur opposita: nempe in supradicto casu non esse peccatum mortale, omissionem illorum votorum: ita colligitur ex Francisc. Suarez *lib.*5. *de voto, cap.*5.*num.*11.*&* 12. vbi affirmat, si promisisti singulis horis eleuare mentem ad Deum, vel quoties Missam audires, nihil leue ex illa omittere, etsi toto die non eleuares mentem ad Deum, & in pluribus Missis leue quid omitteres, nunquam te peccaturum mortaliter; & reddit rationem, quia vna materia cum alia non colligatur; secus verò si promisisses recitare officium diuinum integrè, & in prima omitteres Psalmum, in tertia, & sic in singulis horis, quia omnes illæ horæ vnum officium diurnum constituunt, & omnes illæ omissiones in vnum adunantur. At in supradicto casu illa vota non vniuntur in aliquo tertio, sed quodlibet ex illis est separatum, & distinctum. Ergo violatio vnius non potest augere violationem alterius. Neque obstat illa vota vniri in virtute religionis: nam etiamsi promisisses Dominicis singulis Dominicam orationem recitare, & multis diebus omitteres, non peccares; quia esto omnes illæ recitationes aduersùs religionis virtutem sint, quia tamen inter se non vniuntur, ideo grauiter virtus religionis non læditur; sed omnia illa vota (etsi sint vno die implenda) non tamen vniuntur inter se, sed ita distincta sunt, ac si quodlibet illorum quolibet distincto die præstandum esset. quod exinde probatur: quia quodlibet votum in specialem reuerentiam, & honorem alicuius Sancti, vel mysterij diuini factum est, in quo aliud votum non conuenit. Ergo sunt inter se omnino disparata. Ergo non peccas mortaliter, esto omnia illa omittas.

12 Ad rationem contrariam facile respondetur. Admitto omnia illa vota vniri in virtute religionis, sed hæc vnio non sufficit, vt ex omissione illius grauitas alterius accrescat: debebant enim inter se vota vniri.

Ad secundum respondeo impossibile esse vnico formali voto promitti, esto vnico actu omnes illæ orationes promittentur; est enim ille actus virtualiter multiplex, & de re multiplici, sicuti est, quando vnico actu promittis singulis Sabbatis recitare salutationem Angelicam, quolibet enim Sabbato absoluitur promissum illius diei, neque vltrà progreditur, neque recitatio vnius Sabbati cum recitatione alterius coniungitur: secus verò est in promissione pecuniæ homini facta, quæ cùm in eius vtilitatem cedat, omnes illæ pecuniæ promissæ in huiusmodi finem, qui est immediatus, adunantur, siue vnica promissione, siue multiplici promissæ sint, siue vnico die præstandæ, siue multis diebus: at verò recitationes non vniuntur, cùm quælibet cedat in honorem particularis Sancti, vel mysterij.

13 An peccatum veniale, vel opus indifferens mortale reddatur ob scandalum? Certum est reddi mortale, si enim tuo dicto, vel facto inducas ad peccatum mortale, peccas mortaliter, quia particeps es peccati alterius: & ita docet D.Thomas 1.2.*quæst.*88. *art.*5. *corp.* & ibi interpretes, Toletus *lib.*3.*sum.cap.*2.*n.*3.*in fin.* Suarez 5.*tom.in* 3.*part.disput.*18.*sect.*3.*num.*17. Thom. Sanchez *lib.*1. *in Decal. cap.*6. *num.*11. Vasquez *de scandalo, quæst.* 43. *art.*8. *dub.*2 .*num.*17. *versic. vera autem.* Qua autem ratione hoc contingat, & quibus modis scandalum mortale sit, cùm opus sit tantùm veniale, vel indifferens, latè dicemus tractat. de charitate, disput. de scandalo.

PVNCTVM X.

An libera complacentia, & delectatio de obiecto malo, quæque dicetur delectatio morosa absque proposito exequendi illud, sit peccatum mortale.

§. I.

Proponuntur aliqua certa.

1 *Explicatur differentia inter delectationem de obiecto, & eius desiderium.*
2 *Delectatio de cogitatione obiecti mali, mala non est.*
3 *Idem est dicendum, si delecteris de modo aliquo mirabili, & artificioso.*
4 *Limitantur supradicta.*
5 *Quomodo cognoscendum sit, procedat ne delectatio ex artificio, ex cogitatione, vel ex obiecto malo.*
6 *Delectatio de obiecto formaliter malo, semper est mala.*

1 PRimò certum est magnam esse differentiam inter delectationem de aliquo obiecto, & eius desiderium;

rium, sæpè enim licita est delectatio de aliquo obiecto, cuius tamen non est licitum desiderium: licitum enim [illegible] ere de ludo, qui fuit causa omissionis Missæ, non tamen licet illud desiderare; & licet displicere, & [illegible]ari de auditione Missæ facta in die festo ob laborem annexum, non tamen licet desiderare Missam non a[illegible]. Ratio est, quia desiderium, seu voluntas efficax alicuius obiecti tendit ad ponendum obiectum cum omnibus suis circumstantiis. Ergo ab obiecto talibus circumstantiis vestito separari non potest malitia, neque etiam à voluntate separari poterat; accipit enim voluntas malitiam ab obiecto: at delectatio non tendit ad ponendum obiectum, sed quasi supponit iam positum, illudque secundùm se respicit, ac proinde facili negotio denudari potest à malitia: siquidem neque directè, neque indirectè in illam fertur, cùm nihil ponat, ex qua malitia sequatur. Econtra verò potest esse aliquod desiderium ab obiecto licito, cuius tamen complacentia non sit licita, desiderare enim potes copulam habere cum Maria, casu quo sit tua legitima vxor, neque tu sis aliquo vinculo impeditus: at complacere in tali copula, non est ita certum licere. Quæ omnia probant desiderium, & voluntatem efficacem sumere suam bonitatem, & malitiam ab obiecto: complacentiam autem ex conformitate, vel deformitate immediata cum virtute. sic Vasquez 1.2 *disp.*111.*cap.*3. Salas *tract.*13.*disp.*6 *sect.*5.*n.*50. Basilius de Leon *lib.*10. *de matrim. cap.*16. §.1. *n.*7. Bonacina *de matrim.q.*4.*p.*8. *n.*3.15.*&* 16.

2 Secundò certum est delectationem de cogitatione obiecti mali, malam non esse: nam cognoscere obiectum malum, malum non est. Ergo neque delectari de tali cogitatione malum esse potest. Et confirmo. Deus cognoscit omnia mala, & peccata, & delectatur de tali cognitione: non igitur potest esse ibi aliqua malitia.

3 Tertiò certum est delectationem de aliquo modo mirabili, & artificioso in obiectis prauis relucente non esse mortalem, quia non est delectatio de obiecto malo, quatenus malum est, neque quatenus fundat malitiã, sed potiùs quatenus ab illa præscindit. Obiectum enim talis delectationis bonum quid est, scilicet dexteritas, velocitas, ingenium, fortitudo, inopinatus euentus, & similia, quæ licèt prauis actionibus adiungantur, non tamen fertur delectatio, vt illis sunt coniuncta, sed potiùs vt ab illis præscindunt. Hac enim ratione cùm videmus aliquem ex præcipitio cadere, & grauiter vulnerari, ridere, & lætari solemus, non quidem de malo illius, sed de modo quo cecidit. Item cùm narrantur fraudes, furta, duella, aliáque similia, delectari solemus, quia imbibunt in se inusitatum modum, dexteritatem notabilem. sic Azor *tom.*1. *instit. mor. lib.*4.*cap.*6.*quæst.*1. & alij statim referendi.

4 Aduerte supradicta intelligi per se loquendo: nam per accidẽs sæpè est peccatũ mortale, vel veniale, delectari de cogitatione, vel de aliquo artificioso peccato. Erit namque peccatum veniale, si cogitatio sit vana, & otiosa: erit mortale, si periculum adsit consentiendi in aliquo mortali. sic relato D.Thom. Angel. Syluest. & aliis docet Salas 1.2. *quæst.*74. *tractat.*13. *disput.*6.*sect.*7. *num.*61.62 *&* 64 *& sect.*35.*num.*230. *circa finem.* Thom. Sanchez *lib.*1.*in Decalog.cap.*2.*à num.*2. Lessius *lib.*4. *de virtutib.cap.*3.*dub.*15.*num.*109. Bonacin.*de matr.quæst.*4. *punct.*8.*num.*7.

5 Sed inquires, quomodo cognosces, an delectatio ex cogitatione, vel ex aliquo artificio oriatur, an verò oriatur ex re mala cogitata?

Respondeo difficillimum esse cognitu, & periculosissimum. Primò enim certum est, vt delecteris de cogitatione debere te necessariò aduertere cogitare, aliàs conuinceris de re cogitata delectari, & non de cogitatione, quia voluntas ferri non potest in incognitum. Posito autem quòd supra cogitationem reflexeris, non inde infertur manifestè de sola cogitatione delectari; nam potes & de cogitatione, & de re cogitata delectari. Secundum signum licèt non euidens, clariùs tamen sumitur ex occasione vnde orta est cogitatio: nam si ex honesta occasione cogitas de obiecto prauo, vt quia audis confessiones, legis, studes, prædicas, præsumeris delectari de cogitatione, non de re cogitata, & licèt in appetitu sensitiuo oriatur delectatio, censeris ei non consentire: at si ex occasione praua, vt ex affectu turpi, & otioso, locutione inutili, lectione vana oriatur: non leue indicium est ex re cogitata esse potiùs delectationem, quàm de ipsa cogitatione. Tertium & mihi apertum indicium est ad cognoscendum, vnde oriatur delectatio, attendere, an artificium in rebus piis relucens æquè te delectet, ac in prauis, & inhonestis; nam si cùm honesta sint, & si sint elegantiora, & subtiliora, non te ita delectant. Signum est non ex artificio tantùm, sed ex re cui est annexum artificium, sumi delectationem: hac ratione optimè aduertit Salas 1.2.*tract.*13. *disput.*6. *sect.*8. *quæst.*74. *num.*65. conuinci plurimos consentire in delectatione rerum turpium sub prætextu artificiosi carminis, vel suauis musicæ, qui tamen carmina elegantiora rei piæ, & honestæ audire, & legere recusant, vel saltim minori auiditate legunt, & audiunt, & quasi minus lepida, & artificiosa sibi videntur; indicium sanè non leue tuæ prauæ affectionis.

Secundò conuinci latenter delectatione carnis ferri, qui frequentiùs, & libentiùs loquuntur de occultis partibus corporis, de ægritudinibus, medicinis, vestibus, & aliis ad eas pertinentibus, quarum memoria irrumpit in risum incompositos testes alicuius delectationis latentis.

Tertiò inquit Salas similis peccati argui, qui metaphoris rerum turpium gaudent, quasi artificiosè loquantur, & qui facile multa detorquent ad turpes sensus, & celebrant minus inconsideratè dicta sub specie ostentandi acumen ingenij, & loquentis imperitiam, qui plus gaudeat rebus turpibus cogitatis: & quamuis hæc sæpè à mortali excusentur ex inaduertentia, aut ignorantia, aut quia obiectum non est adeò obscœnum; sæpè tamen ob delectationem formalem rei turpis mortalia sunt, quare omnino vitanda.

6 Quartò certum est delectationem de obiecto formaliter malo etiam sub ratione delectabilis esse mortale: loquimur de obiecto non venialiter malo, sed mortaliter, hoc est, de peccato mortali (nam delectatio de aspectu curioso fœminæ, de furto leui, de verbo otioso, veniale est in omni sententia, sicut & ipsum obiectum.) Suppositum existimo ita certum, vt nulla ratione stante fide dubitari possit: qui enim se iactaret, vel delectaretur de fornicatione habita, de furto commisso, de ieiunio violato siue à se, siue ab alio, voluntate sua amplectitur obiectum grauiter prohibitum. Ergo peccat mortaliter, & idem est, etiamsi de facto nec commisisset, nec commissurus esset, sed fugeret committi, & sic de illo delectaretur, quia iam per voluntatem amplectitur obiectum formaliter malum: parum enim refert esse obiectum verum, vel fictum, vt malitiam tribuat. Basilius de Leon *lib.*10. *de matrim.cap.*16. *num.*2.*&* 3.

Ex quo fit si coniuges copulam maritalem habentes, se delectarentur de copula fornicaria, mortaliter peccaturos, quia approbant obiectum mortaliter malum: contingit enim sæpè coniux accedens ad vxorem, cogitationem habere in alia fœmina, & in illius congressu, quasi in præsenti delectari, nemini potest esse dubium tunc peccare mortaliter: ita Syluest. *verbo debitum, quæst.*2.*in fine.* Sanchez alios referens *lib.*9. *de matr. disp.*17.*num.*6.

§. II.

§. II.

An delectari de obiecto materialiter malo, v.g de coitu cum fœmina, de comestione carnis die Veneris, sit mortale.

1 *Proponitur sententia negans.*
2 *Contraria affirmans.*
3 *Tertia distinguit de prohibito iure naturali, vel positiuo.*
4 *In materia luxuriæ nulla est delectatio deliberatè quæsita de obiecto graui in personis solutis, quæ ex leuitate materiæ venialis sit.*
5 *An delectari de copula sub conditione, si licita sit, sit mortale? Negat Sanchez de delectatione voluntatis; secus de delectatione appetitus.*
6 *Admittenda non est talis distinctio.*
7 *Viduis nullo modo licet de copula habita durante matrimonio delectari.*
8 *Proponuntur aliquot obiectiones.*
9 *Soluuntur.*
10 *Mortale est delectari de pollutione naturaliter contingente, tametsi liceat illam ob aliquem honestum finem desiderare, aut de ea sic contingente ob eundem finem honestum gaudere.*
11 *Idem est dicendum de aliis materijs.*
12 *Quid dicendum de coniugibus ligatis voto castitatis.*
13 *Quid si ex alio impedimento extrinseco illicita copula sit coniugibus, an possint de copula delectari.*
14 *Quid quando dubium habent de valore matrimonij, & ratione dubij interdicta est debiti petitio. Proponitur sententia affirmans esse licitam talem delectationem.*
15 *Probabilior opposita.*
16 *Respondetur argumentis num. 14. adductis, & resoluitur tactus in absentia coniugis absque periculo pollutionis licitos esse.*
17 *Quid dicendum, quando coniux dubius non est de valore matrimonij.*
18 *Quid dicendum de delectatione in coitu aliorum, proponitur quædam sententia.*
19 *Resoluitur esse mortale tam delectationem de coitu licito, quàm illicito.*
20 *In alijs materijs à Venere licita est delectatio de opere bono.*
21 *Si de opere ex aliqua circumstantia malo delecteris, quatenus tale est, peccas.*
22 *De obiecto iure positiuo prohibito potest esse delectatio absque peccato.*

1 Variæ sunt sententiæ.
Prima negat vllam delectationem de obiecto materialiter malo, etiamsi sit in re venerea, esse mortalem, sed solùm venialem: tribuitur Martino de Magist. *tractat. de temperantia, quæst.3. de luxuria, ad 17.* clariùs illam docet *quæst. de pollutione, post probationem 4. conclusionis.* Corduba *lib.1. quæst.23. dub.11. §. igitur,* illam reputat probabilem. Medina 1.2. *quæst.74. art.6.* non audet illam condemnare. Fundamentum huius sententiæ est; quia ferè nullum est obiectum, à quo separari malitia per apprehensionem non possit. Ergo de illo vt sic apprehenso delectari potes absque peccato saltem mortali: nam licèt virtus castitatis omnes motus, & delectationes circa rem veneream reprimat: at non videtur sub mortali reprimere inefficaces, sed solùm illas, quæ efficaces sunt, & causa operis.

2 Secunda præcedenti opposita affirmat omnem delectationem, de obiecto mortali, siue prohibito iure naturali, siue positiuo in quacumque materia sit, esse mortale. ita Medina *C. de restit. quæst.21. §. mihi tamen.* Valent. 1.2. *disput.6. quæst.4. punct.4. ad finem.* Azor *tom.1. instit. moral. lib.4. cap.6. quæst.1.* fauet D.Thom. *quæst.74. art.8.* vbi probat delectationem veneream de opere mortali, mortalem esse, quia mortale est conformari per affectum peccato mortali. quæ ratio æquè probat de obiecto contra castitatem, ac contra quamlibet aliam virtutem, & de prohibito iure naturali, vel positiuo.

3 Tertia, & communis sententia est, omnem delectationem morosam de opere mortali prohibito iure naturali mortalem esse, non item de prohibito iure positiue tradit D.Thom. 1.2. *quæst.74. art.8. in corp. & ad 5.* siquidem solùm in prohibitis iure naturali exemplum ponit. Lessius *lib.4. de inst. cap.3. dub.15. n.109. & 115.* Corduba [illegible].2.q.30. *dub.1.* Sanchez alios referens *lib.1. cap.2. num.9.*

Priorem huius sententiæ partem probant Doctores; quia à prohibitis iure naturali separari non potest malitia, quia sunt intrinsecè mala: at à prohibitis iure positiuo optimè potest separari; siquidem ab illis separari potest prohibitio, quæ facit, vt mala sint. Ergo bene potes de illis, non quatenus prohibita sunt, sed quatenus in se sunt delectabilia, delectari: si enim die Veneris videas ægrotum comedentem carnem, & de tali comestione delecteris; delectaris, inquam, de comestione bona, & non mala; siquidem non delectaris de comestione violante legem. Verùm, vt distinctè procedamus, priùs dicendum est de delectationibus in materia luxuriæ, postea de reliquis.

4 Dicendum ergo primò est in materia luxuriæ nullam esse delectationem deliberatè quæsitam in solutis hominibus in re venerea de obiecto graui, quæ ex leuitate materiæ excusetur à mortali. ita communis sententia, neque contraria vllam habet probabilitatem. Vasquez *disput.109. cap.3.* Salas innumeros referens *tractat.3. disput.6. sect.4. num.45.* Basilius de Leon *lib.10. de matrim. cap.16. §.2. num.8.* Lessius *lib.4. cap.3. dub.15. num.109.*

Ratio huius cõclusionis est, quia delectatio de obiecto venereo est causa per se, & suaptè natura coitus, vel pollutionis, commouet enim appetitum sensitiuum, & spiritus vitales subseruientes generationi vocat. Ergo per se est mala, & prohibita. Oscula, tactus, & amplexus nulla honesta ratione accepti peccata sunt, quia initium sunt, & causa per se coitus, vel pollutionis. Quòd verò hæc delectatio mortalis sit, esto sit actus inefficax ex eodem principio, probo; quia magis quàm tactus, oscula, vel amplexus appetitum delectat, maiorique impetu, & efficaciori ad coitum, vel pollutionem promouet, & raro abest à tali delectatione consensus in opus; vt notauit D.Thom. *de verit. q.15. art.4.*

5 Ex hoc fundamento infertur nemini soluto licere delectari de copula sub conditione cogitata, si esset licita; quia illa cognitio, & delectatio præsens est, & causa, & initium coitus præsentis. ita Sanchez, Basilius de Leon, & Vasquez *suprà.* Limitat tamen Sanchez *tom.3. de matrim. disput.47. num.1. & seq. & lib.1. in Decal. cap.2. à num.31.* hanc doctrinam ad solam delectationem appetitus sensitiui, & non voluntatis, quia appetitus sensitiuus ferri non potest in obiectum conditione vestitum, scilicet sub conditione matrimonij. quia imaginatiua non potest repræsentare appetitui obiectum vestitum aliqua conditione, sed absolutè, ideo (inquit) appetitum non posse ferri in obiectum licitum, sed in obiectum secundùm se, & cùm copula in se mala sit in solutis, ideo mala erit talis delectatio, secus delectatio voluntatis: probat autem non posse imaginatiuam repræsentare appetitui obiectum sub conditione, quia in repræsentatione obiecti conditionalis, est quidam tacitus discursus, qui imaginatiuæ cum brutis communi non est tribuendus: videtur enim in repræsentatione obiecti conditionalis affirmatio, & negatio, vt cùm

dicitur, si homo est animal, est sensibilis: æquiualet enim huic, est animal, ergo sensibilis.

6 Verùm huic doctrinæ acquiescere non possum. Existimo enim delectationem voluntatis de copula sub conditione auferente eius malitiam, si fiat in solutis, malam esse: non quia ex parte obiecti mala sit, sed quia de facto excitat appetitum, & commouet ad copulam præsentem, quæ nullo modo solutis licita est: si enim castitas delectationem appetitus sensitiui refrenat in solutis, quare non debet refrenare delectationem voluntatis? Deinde falsum est appetitum non posse, sicut & voluntatem delectari de obiecto sub aliqua conditione; imaginatiua enim repræsentare potest obiectum vestitum aliqua conditione: nam ad hanc repræsentationem non requiritur discursus, affirmatio, vel negatio, sed sola simplex apprehensio, qualis est in brutis; brutis enim sæpè repræsentantur cibi conuenientes, vestiti tamen aliqua conditione, quæ illos assumendo remouet, & verè comederent illos, nisi timor Domini castigantis adesset; habent ergo appetitum sub conditione. sic Ioann. Salas *tract.* 13. *disp.* 6. *sect.* 28. *num.* 189. *&* *sect.* 30. *num.* 200. Quòd verò in voluntate detur, non solùm gaudium, sed etiam delectatio, videtur necessariò affirmandum exemplo Christi, qui summum gaudium viso Deo habebat: imò gaudebat vehementer se pro redemptione mundi pati, & mori, non tamen de illa morte habebat delectationem, sed potiùs tristitiam, iuxta illud, *tristis est anima mea vsque ad mortem*, quæ tristitia non solùm in appetitu, sed etiam in voluntate residebat. In quo autem differant gaudium, & delectatio voluntatis, non est facilè explicatu. Dico ergo gaudium esse quandam complacentiam approbatiuam boni possessi, qua voluntas vult ita esse, & complacet, vt ita sit; tendit enim ad rem, prout est in se; delectatio verò non respicit rem, prout est in se, sed prout sibi est vtilis, & conueniens, & de illa vt sic delectatur: quare delectatio ex gaudio sequitur; at non semper gaudium infert delectationem. Adde difficillimo negotio distingui posse delectationem voluntatis à delectatione appetitus; habent enim huiusmodi potentiæ talem inter se annexionem, vt vix eorum actus distingui possint, vt experientia constat.

7 Secundò infero non esse licitam viduis delectationem tam voluntatis, quàm appetitus sensitiui ortam ex cogitatione copulæ habitæ tempore matrimonij, neque sponsis de futuro delectari de copula habenda tempore coniugij: quia talis delectatio non sumit suam bonitatem, vel malitiam ab obiecto, quod bonum quidem est, sed ex oppositione, quam de præsenti habet cum virtute castitatis, eo quòd de præsenti excitet, & commoueat spiritus subseruientes generationi, & pollutionis, vel coitus præsentis initium sit. & ita tenet Sanchez plures referens *lib.* 9. *de matrim. disp.* 47. *num.* 4. Bonacina *quæst.* 4. *de matrim. punct.* 8. *num.* 13. Vasquez 1. 2. *disp.* 114. *num.* 3. Basil. de Leon *lib.* 10. *de matrim. c.* 16. §. 2. *num.* 10. *&* 11. Lessius *lib.* 4. *de inst. cap.* 3. *dub.* 15. *num.* 120.

8 Sed obiicies. Eiusdem bonitatis, & malitiæ est operatio, & eius delectatio, teste Aristot. communiter recepto *lib.* 10. *Ethic. cap.* 3. *ad finem*, *& cap.* 5. sed operatio, quam delectatio habet pro obiecto, est licita. Ergo. Secundò delectari de copula, est copulam approbare, & de illa gaudere; sed gaudium, & approbatio copulæ licitæ licita est. Ergo licita est talis delectatio. Tertiò coniugibus licitum est, delectari de copula tunc habita, quia delectantur de obiecto bono, sed idem est obiectum, cùm vidui sunt. Ergo licet de eodem delectari; diuersitas enim temporum speciem moralem non variat, si in obiectis non sit variatio. Quartò licitum est delectari de comestione carnis tempore quo licet, de occisione latronis à iudice facta, de distributione pecuniæ alienæ, casu, quo esset propria. Ergo etiam erit licitum delectari de copula: & ita tenet de sponsis de futuro Medina referens Vict. 1. 2. *quæst.* 74. *art.* 8. *dub.* 3. & ibi Zumel *disp.* 4. *dub.* 3. Paludan. *in* 4. *dist.* 9. *quæst.* 3. *art.* 1. *num.* 9. & probabilem reputat Corduba *lib.* 1. *q.* 23. *dub.* 13. & de viduis docuit idem Medina *dub.* 2. Paludan. Zumel *suprà*. Valent. 1. 2. *disp.* 6. *quæst.* 4. *p.* 4. Syluester *verbo delectatio. quæst.* 3. Emannuel Saa *verbo luxuria, n.* 13. Salas *tract.* 13. *disp.* 6. *sect.* 28. *num.* 190. probabile reputat delectationes etiam appetitus sensitiui de obiecto turpi sub conditione auferente eius malitiam licitam esse, & *sect.* 29. loquens de sponsis de futuro, solùm vt probabilius defendit non esse eis licitas tales delectationes, & *sect.* 30. *num.* 201. in viduis reputat probabilius posse delectari de copula habita.

9 Verùm retinenda est nostra sententia affirmans delectationem veneream tam voluntatis, quàm appetitus sensitiui in personis solutis esse mortalem. Dixi, tam voluntatis, quàm appetitus sensitiui: quia delectatio voluntatis excitat delectationem appetitus propter sympathiam naturalem, neque valet distingui, quando delectatio est voluntatis solùm; quando verò sit etiam appetitus, vt benè probat Vasquez *disp.* 113. *c.* 2. *& disp.* 108. *cap.* 2. Salas *disp.* 6. *sect.* 30. *num.* 200. Quocirca

Ad primum dico eiusdem bonitatis, & malitiæ esse delectationem cum operatione, quam causat, non cum operatione, quam habet pro obiecto. Cùm autem delectatio de copula licita causet illicitam, quia causat copulam de præsenti, quæ illicita est; ideo ipsa delectatio illicita est. Secundò respondeo eiusdem bonitatis, vel malitiæ esse delectationem cum opere, quod habet pro obiecto: at obiectum delectationis non est copula præterita, quatenus præterita, sed quatenus vi apprehensionis modò sit præsens, & quasi modò sit exercita, & cum de præsenti illicita sit, efficitur illicitam esse eius delectationem.

Ad secundum nego delectari de copula esse formaliter copulam approbare, aut de illa vtcunque gaudere: nam in omni sententia licitum viduæ est, gaudere, quòd debitum marito reddiderit, & cuilibet licitum est gaudere, quod coniuges sibi inuicem debitum reddant: quia hic actus totam suam bonitatem, & malitiam sumit per ordinem ad obiectum sicuti actus desiderij, & voluntatis efficacis: at delectatio inefficax cùm non respiciat obiectum, vt præteritum, neque vt futurum, sed abstrahat ab illo, eius malitia, & bonitas non per ordinem ad obiectum, ex quo originem sumpsit, sed ex effectu, quem causat, desumenda est. Et fortè hoc est quod voluit dicere Lessius *lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 15. *num.* 120. Bonacina *quæst.* 4. *de matrim. punct.* 8. *num.* 14. Salas 1. 2. *tract.* 13. *disp.* 6. *sect.* 29. *fine*, *& sect.* 30. *num.* 199. Cùm dixerunt sponsis de futuro non licere delectari de copula futura, neque viduis de copula præterita apprehensa per imaginationem, vt præsenti, & nunc exercita; secus verò de illa, vt futura, vel præsenti.

Ad tertium nego coniugibus licitum esse delectari de copula tunc habita, quia delectantur de obiecto bono, sed quia delectationes non sunt eis tunc prohibitæ; cùm enim licita eis copula sit, & licita esse debet causa illius.

Ad quartum admitto licitas esse illas delectationes, quia non habent specialem deformitatem cum virtute: nego tamen licere delectationem de copula ob rationem sæpè dictam.

10 Tertiò infertur nullo modo tibi licere delectari de pollutione in somnis habita, vel coitu sine peccato contingente: quia talis delectatio causa est excitatiua pollutionem coitus præsentis, & ob eam causam prohibetur à castitate. ita Zumel plures referens 1. 2. *q.* 74. *artic.* 8. *disp.* 4. *dub.* 2. *&* 4. Salas *tract.* 13. *disp.* 6. *sect.* 32. *num.* 219. Basilius de Leon *lib.* 10. *cap.* 16. §. 2. *num.* 12.

At

At licitum est de illa pollutione gaudere ob effectum inde sequutum, & ob eandem causam desiderare, quia tunc non est propriè delectatio de pollutione, sed de effectu inde sequuto. Verbi gratia, licet desiderare, vt pollutio naturaliter contingat ob tentationes sedandas, & ob eundem effectum de illa gaudere: hac enim ratione Ecclesia gaudet de Adæ peccato, cùm dicit: *O felix culpa, quæ talem, ac tantum meruit habere Redemptorem.* sic Vasquez *disput.* 115. *cap.* 2. & 3. Basilius *suprà.* Lessius *lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 14. *num.* 105. Saa *verb. luxuria, num.* 12. Salas plures referens *tractat.* 13. *disp.* 6. *sect.* 32. *num.* 217. & *sequentib.* Sanchez *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 2. *num.* 18.

11 Quod dictum est de pollutione ob huiusmodi finem, dicendum est de homicidio, fornicatione, & aliis peccatis, licitam esse, inquam, delectationem non illorum præcisè, sed quatenus fuerunt causæ alicuius boni effectus. sic Basil. *lib.* 10. *de matrim. cap.* 16. *num.* 2. *fine.* & *num.* 12. *fine.* Salas *tract.* 13 *disput.* 6. *sect.* 32. Bonacina *de matrim. quæst.* 4. *punct.* 8. *num.* 8. Neque obstat, si dicas te non posse procurare pollutionem, homicidium, fornicationem: ergo neque de illis contingentibus delectari, quia procurare pollutionem est esse causam illius: at delectari de illa naturaliter contingente ob effectum relictum non est esse causam illius. Ergo non est, vnde talis delectatio vitietur. Verùm si loquamur de desiderio: esto Emanuel Saa *verbo peccatum, num.* 13. *in editione Complutensi*, affirmet licitum esse desiderare illud, de quo est licitum gaudere. Et idem docet Lessius *lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 14. *num.* 105. *verb. dico quartò.* At mihi videtur id verum non esse; licitum enim est gaudere, quod aliquis fuerit interfectus non ex displicentia personæ, sed ob hæreditatem inde prouenientem: at interfectionem eius desiderare non videtur licitum. Item nullo modo licet desiderare, vt aliqui nefariè copulentur, ad habendos filios, quia licèt desideret finem bonum, desiderat illum medio peccato: at posito iam peccato licitum esse videtur de illo, secundùm quod causabit liberos gaudere. Quare solùm licebit desiderare ob bonum finem illud obiectum, quod sine peccato effici potest, licebit, inquam, desiderare pollutionem naturaliter contingentem, non voluntariè contingentem mortem naturalem alicuius, vt à peccato cesset, vel rempublicam non turbet. In omnium enim sententia certum est nullo modo licere supradicta procurare: non enim quidquid licet desiderare, licet efficere, quia alio modo tendit desiderium in obiectum, ac tendit operatio: desiderare enim potest clericus, vt latrones interficiantur, non tamen potest illos interficere, quia non desiderat interfici à se, sed ab alio: quæ omnia notauit Sotus 1. *de iust. quæst.* 11. *art.* 1. *versus finem.* Nauarr. *summ. cap.* 16. *num.* 17. *rat.* 6. Salas alios referens 1. 2. *tract.* 13. *disput.* 6. *sect.* 32. *num.* 220. Lessius *lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 14 *num.* 104. *vers. dico secundò.*

12 Quartò infertur non esse licitū coniugibus ligatis voto castitatis delectari de copula legitime habita, vel habenda; quia licèt obiectum bonum sit: at delectatio bona non est, eo quòd aduersetur voto castitatis, quod prohibet omnem delectationem sensibilem veneream: sic Basilius de Leon *num.* 12. Sanchez *lib.* 9. *de matrim. disput.* 44. *num.* 25. Vasquez *disput.* 112. *num.* 10. Temperant tamen aliqui hanc doctrinam, Coninchus *disp.* 34. *de matrim. dub.* 11. *num.* 109. ne habeat verum in coniuge, qui votum castitatis emisit absque consensu alterius coniugis, & ratione cuius non deobligatur à debiti redditione. Nam tunc delectatio non videtur prohibita, siquidem absolutè copula non est prohibita, cuius ipsa potest esse causa: at censeo cum Sanchez, Coninchо *num.* 115. & Vasquez *suprà*, talem delectationem tibi esse prohibitam ratione voti castitatis, quia ratione illius obligatus es abstinere ab omni carnali delectatione, quantum est ex te, seu quæ sine iniuria alterius coniugis omitti potest: at talis delectatio omitti potest sine iniustitia coniugis. Ergo. Neque obstat illam delectationem initium esse posse copulæ licitæ, quia non prohibetur ratione copulæ, cuius initium esse potest, sed ratione sui ob votum castitatis. Adde initium esse non copulæ licitæ, sed illicitæ: nam est initium copulæ petitæ à delectante, non copulæ redditæ, ratione enim delectationis, ipse qui delectatur, copulam petit. sic Lessius *num.* 106. Vasquez 1. 2. *disp.* 115. *cap.* 2.

13 Sed quid si ex alio impedimento extrinseco copula coniugalis illicita sit, vt quia vterque, vel alter affinitatem contraxerunt, vel prohibiti sunt copulari, vel ex copula damnum est sequendum proli, an tunc licita sit delectatio de copula?

Negat Basilius de Leon *lib.* 10. *de matrim. cap.* 16. §. 2. *num.* 12. quia delectatio tunc initium est copulæ illicitæ. Probabilius tamen existimo oppositum; quia esto copula ex accidente illicita sit, at per se licita est. Ergo delectatio licita erit, cùm delectatio non respiciat copulam secundùm quod ex circumstantia vitiatur, sed secundùm quod de se habet. Et confirmo, si votum castitatis fecisset coniux non absolutum, sed limitatum, scilicet non accedendi ad vxorem: certum est non peccaturum aduersùs votum in delectatione morosa. Ergo delectatio morosa non sumit suam bonitatem, vel malitiam ex copula, quam de præsenti potest causare, attendendo ad circumstantias extrinsecas, sed de copula, quam potest causare per se. Adde in impedimento affinitatis esse rem manifestam, cum ratione huius impedimenti solùm arceatur coniux à debiti petitione. Ergo non à delectatione illius. ita docet Sanchez *lib.* 9. *de matrim. disp.* 44. *à num.* 21.

14 Maior dubitatio est, quando coniugi dubium est de valore matrimonij, & ratione dubij interdicta est debiti petitio, an tunc licita sit delectatio? Videtur licita: tum, quia copula coniugi dubitanti absolutè licita est: tum quia delectatio non infert copulæ petitionem, potius quàm redditionem, sed est indifferens. Ergo ratione huius indifferentiæ licita erit talis delectatio. Et confirmo. Tactus, qui ab vno coniuge in absentia alterius haberetur, non est mortalis, vt defendit Sanchez *disput. illa* 44. *num.* 16. quia de se est indifferens ad copulam licitam, vel illicitam, neque delectatio morosa copulæ cum coniuge absente, quia referri potest ad copulam coniugalem, licèt actu non dirigatur. Ergo similiter delectatio de copula à coniuge dubio excusabitur à mortali, quia ordinari potest ad copulam licitam, qualis est petita ab altero coniuge.

15 Dicendum tamen existimo prohibitam esse talem delectationem: quia in solutis omnis delectatio carnalis tam extrinseca, quàm intrinseca prohibita est, eo quòd aduersatur castitati cohibenti omnes has delectationes: sed qui dubius est de matrimonij valore, non habet ius percipiendi has delectationes, nisi in quantum necessarium fuerit ad seruandum ius illæsum alterius partis bona fide contrahentis: at ad conseruandum ius alterius compartis nunquam est necessarium coniugem dubium se morosè cogitando delectari, sicut neque se in absentia coniugis tactibus prouocare. Ergo nullo modo talis delectatio est illi licita: & ita tenet Sanchez *lib.* 9. *de matr. disp.* 44. *n.* 24. Coninchus *disp.* 34. *de matrim. dub.* 11. *n.* 115.

16 Ad rationem oppositam respondeo, cùm copula solùm licita sit, casu quo petatur: at sublata tali petitione illicita sit, efficitur delectationem, quæ non supponit, neque supponere potest, petitionem semper illicitam esse: quia non habet conditionem, quæ illam possit honestare. Ad confirmationem, etsi Nauar. Saa, Corduba, & alij, quos refert Sanchez *disp.* 44. *num.* 2. & Basilius de Leon *lib.* 10. *de matrim. cap.* 16. *num.* 11. existiment tactus, & delectationem appetitus sentientis in coniuge

coniuge absente mortalia esse; quia cùm non possint esse causa, & principium liciti coitus, eo quòd sit impossibilis, sunt causa, & principium coitus illiciti, vel pollutionis. Nihilominus existimo tales delectationes, & tactus absque periculo pollutionis non esse peccata mortalia, eo quòd ratione matrimonij omnes delectationes carnales, quæ ad copulam per se ordinantur, à mortali sint excusatæ. Quòd verò copula sit impossibilis, cùm impossibilitas sit per accidens, non tollit quominus delectatio ad illam ordinetur, ideóque licita sit, & ita tenet Vasq. 1.2. *disput.* 113. *cap.* 2. Sanch. *num.* 3. Coninch *disp.* 34. *dub.* 11. *num.* 113. At in coniuge dubitante de valore matrimonij, cùm nullam causam habeat honestandi delectationes carnales, nisi ad petitionem compartis carentes dubitatione: nullo modo illi est licita talis delectatio, aut tactus.

17 Quòd si coniux dubius non est de matrimonij valore, neque aliquo impedimento voti, affinitatis, aut similis ligatus est: probabilius existimo licitum ei esse delectari de copula maritali habita, vel habenda, ac si præsens esset, modò absit periculum pollutionis: quia omnes hæ delectationes coniugibus sunt licitæ, eo quòd principium, & dispositio sint copulæ coniugalis, quæ illis licita est. ita Vasq. 1.2. *disput.* 113. *cap.* 2. Sanch. *lib.* 9. *de matrim. disp.* 44. *num.* 3. Coninch *num.* 115. Neque redditur mortalis, etiam si inde consurgat membri pudendi alteratio, & commotio absque pollutionis periculo, quia hæc omnia ad copulam maritalem de se ordinantur; si tamen propter eorum delectationem appetantur, erit culpa venialis, quia extrahitur à suo fine. sic Vasq. *num.* 4. Sanch. *num.* 5. Salas *tract.* 13. *disput.* 6. *sect.* 30. *num.* 206. Quòd verò Salas *ibi num.* 205. affirmat mortale esse, si coniuges se delectentur de copula maritali imaginaria, & ficta, mihi non probatur; quia parum refert copulam esse fictam, vel veram, si delectatio absolutè illis prohibita non est, & non fertur ad obiectum formaliter malum, & ita tenet Sanch. *disput.* 44. *num.* 22.

18 Quintò infertur quid dicendum sit de delectatione in coitu aliorum, & quidem si coitus aliorum malus sit, & de illo sic apprehenso delecteris, nemini est dubium te peccare, quia placet tibi, & approbas obiectum malum. At si coitus aliorum à culpa excusetur, eo quòd fuerit in amentia, Herrera *disput.* 31. *quæst.* 17. existimat non esse mortale, quando abest periculum propriæ libidinis, & iniuria prolis; quia amentibus, inquit, nulla est lex posita, & idem est de eorum coitu delectari, ac delectari de coitu brutorum. Verùm si coitus aliorum à culpa excusetur ob ignorantiam, somnum, aut ebrietatem, existimat mortale esse de illo sic apprehenso delectari; quia hi peccantes lege adstringuntur, licèt ab illa ob ignorantiam excusentur. Ergo delectari de illorum coitu, est delectari de actu prohibito. Adde, hos ignorantes non licet coniungere, nec consulere, vt coniungantur. Ergo nec licet de illorum coniunctione delectari.

19 Ego verò existimo de omnibus esse mortale. sic Corduba *lib.* 2. *q.* 30. *fine.* Salas *tract.* 13. *disput.* 6. *sect.* 31. *num.* 218. Azor *tom.* 1. *instit. moral. lib.* 4. *cap.* 6. *quæst.* 9. Moueor, quia omnes tam ebrij, quàm amentes lege tenentur, licèt ab illa ob ebrietatem, vel amentiam fuerint excusati. Ergo delectari de illorum coitu per se, est delectari de obiecto malo, & solùm per accidens excusato à malitia. Ergo est mala delectatio. Confirmo. Nemini licet amentem ad necem hominis inuitare, neque ebrios inter se coniungere, neque desiderare, vt iudex erret in proferenda sententia, aut testes falsum testimonium dicant, etiam ignoranter, quia mala illa, & peccata, à quibus amentes, & ebrij per ignorantiam excusantur, tibi erunt voluntaria, & grata. Deinde in venereis est specialis ratio, quare de his obiectis nequeas delectari, quia delectationes de his obiectis non solùm sunt prohibitæ, quia ad obiecta prohibita referuntur, sed etiam ratione sui, & ob repugnantiam, quam habent cum castitate, excitant enim, & commouent de se appetitum ad coitum. Ergo siue obiectum excusetur à malitia, siue non, delectatio de illo mala erit. Vnde non solùm delectatio de coitu à malitia per accidens excusato mala est, sed etiam delectatio de coitu matrimoniali aliorum; quia talis delectatio excitat in habente illum, fluxum seminis. Et licèt aliquando non excitet, hoc est per accidens, ex se habet excitare, ac proinde à culpa excusari non potest, esto contra teneat Salas *suprà num.* 215. tam de delectatione voluntatis, quàm appetitus sensitiui, friuola (inquit) est talis distinctio.

20 Verùm si de delectatione in aliis materiis à Venere loquamur, dicendum est primò licitam esse delectationem de quolibet opere bono, siue à se, siue ab alio factum sit. Probo; quia obiectum bonum est, & nullum prauum affectum mouet. Ergo licet de illo delectari, sicut desiderare. Qua ratione licitum est te delectari de suspenso latrone, de inimicis iure vastatis. sic omnes Doctores.

21 Dico secundò, Si opus ex aliqua circunstantia malum sit, & de illo, vt est sub tali circunstantia, delecteris, delectatio peccaminosa est, sicut & ipsum opus. sic Basilius de Leon. *lib.* 10. *de matrim. cap.* 16. *num.* 16. Ratio, meo iudicio, est euidens, quia delectatio vel est approbatio obiecti, vel supponit illius approbationem; sed approbare obiectum malum, malum est. Ergo de illo vt sic delectari malum erit. Explico conclusionem. Apprehendis te sanum comedere carnes in Quadragesima, si de tali comestione delectaris, proculdubio delectaris de obiecto formaliter malo; similiter si te iudicem fingis, & sub hac apprehensione contemplaris vindicari de inimico, quis dubitare potest te peccaturum; cùm obiectum formaliter malum approbes.

22 Dico tertiò, de quolibet obiecto iure positiuo prohibito potest absque mortali delectatio esse, dummodo intellectus repræsentet voluntati obiectum denudatum conditione vitiante, & voluntas, & appetitus in illud vt sic repræsentatum feratur. Hæc conclusio est communis, Lessius *lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 15. *num.* 11. *& seqq.* Vasq. 1.2. *disp.* 110. *cap.* 2. Sanch. alios referens *lib.* 1. *in Decal. cap.* 2. *num.* 10. Ratio videtur aperta, quia obiectum, vt sic repræsentatum, non inuoluit malitiam. Ergo nequit illam delectationi tribuere: posse autem tale obiectum denudari per intellectum à conditione vitiante, apertum est, cùm ab extrinseco habeat malitiam, sicuti & prohibitionem. hac ratione tibi non est mortale, si in Quadragesima delecteris de esu carnis absolutè, quia esus carnis in se malus non est, neque in se inuoluit prohibitionem; esset tamen mortale si delectatio esset de esu carnis in Quadragesima facto, ita vt obiectum delectationis illammet circunstantiam comprehenderet.

Dices. Sanè nullo modo licet velle in Quadragesima comedere carnes, etiamsi non velit illas comedere, quatenus sunt prohibitæ. Ergo neque etiam licebit in Quadragesima de esu carnis delectari.

Respondeo negando consequentiam. Ratio disparitatis est, quia voluntas efficax tendit ad exequendum opus, & cùm ab opere sic exercito separari non possit malitia, neque à voluntate efficaci separari potest: at delectatio cùm operis executiua non sit, potest in opus denudatum à cōditione vitiante ferri, ac proinde mala non esse, vt benè notauit Coninchus *disput.* 34. *dub.* 11. *num.* 110. Bonac. *de matrim. quæst.* 4. *p.* 8. *num.* 11.

Dico quartò, de obiecto iure naturali prohibito mala est delectatio, quoties ab illo præscindi non potest malitia; at si ab illo obiecto in aliqua circunstantia

facto

facto separari potest malitia, non erit mortalis eius delectatio. In priori parte huius conclusionis omnes conueniunt: nam tunc delectatio non habet, vnde honestari possit, cùm malum semper approbet. Qua ratione nunquam potest esse licita delectatio de idololatria, odio Dei, mendacio, infidelitate, & similibus, quia in nulla circumstantia hæc licita esse possunt. Secunda pars paucis arridet, eo quòd existiment à prohibitis iure naturali separari non posse malitiam, & prohibitionem. Verùm si rectè expendatur, clara est: furtum enim licitum esse potest necessitate graui vrgenti, homicidium authoritate publica factum: si igitur quis delectaretur de horum actuum substantia, non infertur delectari de illis, quatenus mali sunt; siquidem, & mali, & boni esse possunt, secundùm diuersas circumstantias in quibus fiunt; hac enim ratione, vt bene dicit Azor statim allegandus, non peccat mortaliter, qui se ducem fingẽs in bello iniusto delectatur, quòd strenuè pugnauerit, mirificè se defenderit, aliaque huiusmodi fuerit operatus. Item ipsemet Thomas Sanchez, qui *lib. 1. cap. 2. num. 11.* affirmauit, delectationem de prohibitis iure naturæ semper esse malam, *num. 35.* nobiscum videtur consentire, siquidem admittit non esse culpam lethalem, si laicus se apprehendat Sacerdotem, & iurisdictionem habentem, delectetur in confessionibus audiendis, quia audire confessiones non est malum, nisi quatenus fit à non habente potestatem; quare dum non delectatur de huiusmodi conditionis absentia, non delectatur do aliquo malo, sic dicendum in duello, homicidio, & similibus, quæ licita, & illicita esse possunt. ita tenet Basilius de Leon *lib. 10. de matrim. cap. 16. num. 19.* Azor *tom. 1. instit. moral lib 4. cap. 6. quæst. 1. in fin.* & Thomas Sanchez *lib. 1. in Decalog. cap. 2. num. 16. fine.* Coninch *suprà num. 110.*

§. III.

An delectatio, & desiderium obiecti mali sub conditione auferente eius malitiam mortale peccatum sit.

1 *Explicatur quæstio.*
2 *De prohibitis iure positiuo non est peccatum.*
3 *Quid dicendum de prohibitis iure naturæ? Proponitur quædam sententia non posse honestari talem delectationem.*
4 *Probabile est honestari posse.*
5 *Satisfit argumentis num. 3. positis.*
6 *Aliqua aduertuntur pro superioris doctrina intelligentia.*

1 DEsideras comedere carnes die Veneris, occidere, mentiri, vindicare, idololatrare, si tibi licerent; & de illis sub tali conditione apprehensis delectaris, committisne peccatum, ac si conditionem non apposuisses.

2 Si de prohibitis iure positiuo loquamur, recepta omnium sententia est, te non peccare, si apponas conditionem excusantem à malitia, & sub ea obiectum velis, vt si velis in Quadragesima comedere carnes, casu quo Ecclesia permitteret, stante enim Ecclesiæ permissione talis comestio licita est. Ergo velle comestionem sub tali conditione est velle obiectum bonum nulla ex parte maculatum.

3 Quòd si de prohibitis iure naturæ loquamur, distinguendum est. Aliqua enim sunt, à quibus separari potest malitia: alia à quibus malitia est inseparabilis. Prioris generis sunt, coitus, homicidium, furtum, infamatio, quæ stante aliqua conditione licita sunt. coitus enim licitus est, si cum vxore propria fiat, homicidium, si authoritate publica, furtum, si vrgente necessitate, infamatio, si honesta causa intercedat. Alia sunt, à quibus malitia separari non potest, quia nullus casus dabilis est, in quibus hæc liceant, vt mendacium, fornicatio, vindicta, idololatria, odium Dei, & similia. Si voluntas fertur in prioris generis obiecta sub conditione auferente eius malitiam, existimo peccatum mortale non esse, quia fertur in obiectum denudatum à malitia; hac enim ratione non peccat mortaliter religiosus, qui velit ducere vxorem, casu quo liber esset à voto, & occidere latrones casu, quo iudex esset, & alienum accipere necessitate vrgente. sic Caietanus *in summa, verbo cogitatio.* Emanuel Saa *verbo peccatum.* Man. *1. tom. summ. cap. 212. num. 2. in 2. edit.* Basilius de Leon *lib. 10. de matrim. cap. 16. num. 20.* Thomas Sanchez alios referens *lib. 1. in Decalog. cap. 2. num. 24.* & alij Doctores statim referendi. Quòd si voluntas fertur in posterioris generis obiecta, quæ in nullo euentu licita esse possunt, affirmat Thomas Sanchez *num. 23.* Basilius de Leon *suprà.* Azor *tom. 1. institut. moralium, lib. 4. cap. 6. quæst. 10.* te peccare mortaliter, quomodocumque ea velis, etiamsi ea velis sub conditione, si tibi licerent, vel si non essent mala, vel prohibita. Nam cùm impossibilis sit talis conditio, pro non adiecta debet haberi, ex text. *in cap. fin. de conditionib. appositis.* at si conditio non esset apposita, sed absolutè in talia obiecta motus fuisses, nemini est dubium te peccaturum grauiter. Ergo etiam si conditionem apposueris. Secundò cùm dicis te velle mendacium, si esset licitum, conuinceris desiderare licitum esse mendacium. Ergo desideras, vt naturæ rerum mutentur, & iure naturæ vetita liceant. Ergo peccas. Tertiò nemini esse potest dubium, hunc actum esse culpam lethalem, si esset licitum, destruerem Deum, cùm tamen conditio rationem malitiæ auferre videatur.

4 Nihilominus existimo satis probabile non esse peccatum mortale hæc obiecta intrinsecè mala desiderare, vel de illis delectari, sub conditione, si licita essent, vel si Dei offensa non essent; sic tenet expresse Vasques *1. 2. disput. 116. cap. 2.* Sayrus *in claui regia, lib. 8. cap. 7. num. 28. & 29.* Salas *tractat. 13. disput. 6. sect. 27. num. 180.* Emanuel Saa *in edit. Complut. & Rom. verbo peccatum, n. 2.* Bonacina *de matrim. q. 4. p. 8. n. 20.*

Probo primò, quia sic desiderans illa obiecta, non absolutè, & efficaciter illa desiderat, cùm videat esse impossibilia, solùm enim ostendit propensionem suæ voluntatis in tale obiectum; quando enim dicit se mendacium commissurum, si liceret, scit nec esse, neque posse esse licitum mendacium. Ergo non habet voluntatem committendi mendacium; cum hac enim voluntate mentiendi, si liceret, stat optimè voluntas nunquam mentiendi, quia non est licitum. Ergo solùm illa voluntas est, quædam voluntas inefficax, seu, vt meliùs dicam, est quædam propensionis in obiectum significatio: at quando ita est, ipsemet Thomas Sanchez *num. 25.* affirmat malam non esse. Ergo nunquam est mala talis voluntas. Secundò, qui vult mentiri, casu quo liceret, non vult obiectum prauum, siquidem mendacium licitum malum non est, & licèt nunquam possit esse licitum mendacium, hoc non obest quominus voluntas in illud sub ea conditione feratur; in apprehensione enim, & affectu mendacium licitum est.

5 Neque obstant rationes contrariæ. Admitto enim conditionem impossibilem in matrimonij contractu fauore ipsius pro non adiecta haberi: at non in aliis contractibus, ex § *si impossibilis, Institut. de inutilib. stipulat. & l. impossibilis, 7. ff. de verborum obligat. & l. non solùm, 30. ff. de actionib. & obligat.* Ex quibus legibus constat apponentem conditionem impossibilem non habere voluntatem contrahendi, sed potiùs irridendi?

Ad

Ad secundum nego volentem mentiri, casu quo liceret, velle vt licitum sit mendacium, quia circa bonitatem, vel malitiam mendacij non fertur eius voluntas, sed negatiuè se habet: sicuti si voluntatem haberes occidendi latrones, si iudex esses, non infertur te habere voluntatem assumendi officium iudicis. Neque religiosus, qui diceret: Si solutus essem à voto, ducerem vxorem; infertur habere voluntatem se à votis liberandi, sed solùm dicit, quid in illo statu faceret, sibique gratum foret. Ergo ex tali voluntate non infertur velle, vt rerum naturæ mutentur. Secundò respondeo concedendo te velle, vt illa omnia essent licita, & naturæ rerum mutentur; sed quia non vis illud efficaciter, sed inefficaciter, & per simplicem affectum, & ob finem bonum, non est cur peccati mortalis talis affectus damnandus sit, vt benè dixerunt Vasq. & Salas *suprà*.

Ad tertium respondeo illam voluntatem, si esset licitum, destruerem Deum mortalem esse non ex formali obiecto, quod respicit, sed quia videtur effectus esse alterius voluntatis Deum odio habentis: qui enim seriò id diceret, manifestè conuinceretur Deum sibi displicere, & ex displicentia ipsius esset mortale; non ex obiecto.

Pro maiori intelligentia supradictæ doctrinæ aduerto aliquos esse casus, in quibus à mortali aliqui se existimant excusatos ob conditionem appositam, cùm tamen non sint, eo quòd conditio illa non tollat malitiam integrè. Si enim dicas, vindicarer, fornicarer, aut aliud malum facerem, si infernus non esset, vel si non essem sacerdos, religiosus, &c. sine dubio peccas, quia esse, vel non esse infernum, esse, vel non esse sacerdotem, non tollit malitiam vindictæ, fornicationis, & aliorum peccatorum; tolleret tamen aliquam circunstantiam: vt si diceres, si non essem religiosus, fornicarer, & constitueret peccatum solùm contra temperantiam, non contra votum, vt benè notauit Bonacin. *de matrim.q.*4.*p.*8.*num.*27. Sanch. *lib.*1.*in Decal.cap.*2.*n.*28. qui *num.*29. aduertit, cùm aliquis dicit, si hoc mihi alio tempore accideret, vindicarer, esse peccatum, si potentiam exequendi vindictam desiderat: at si solùm enuntiatiuè proferat, enuntiando, inquam, quid tunc faciendum fuisse existimat, culpa vacat. Nunquam tamen est peccatum velle relinquere peccatum ob timorem inferni, vel ob amissionem honoris, ob quemcunque enim finem peccatum relinquatur, peccatum non est.

§. IV.

An delectatio morosa de turpi obiecto habeat omnes species, quas haberet desiderium illius.

1 *Explicatur quæstio, & declaratur, in quo sita est difficultas.*

2 *Si delectatio sit de copula cum coniugata, quatenus talis est, speciem habet adulterij, secus si de copula cum coniugata præcisa per intellectum coniugio.*

3 *Proponitur quædam obiectio, & soluitur.*

4 *Aliqua aduertuntur notanda.*

1 CONstat primò, desiderantem fornicari cum soluta contra temperantiam peccare; si cum nupta, & idere iniustitiam ob adulterium; si cum religiosa, vel voto castitatis ligata, peccare cõtra religionem; si cum consanguineis, peccare contra pietatem, quantumuis vellet non esse coniugatam, religiosam, vel consanguineam, quia desiderium peccati tendit ad exequendum peccatum, & cùm à peccato illo separari non possint illæ circunstantiæ, necessariò illarum malitiam habere debet desiderium, seu voluntas efficax.

Difficultas autem est, an etiam illas habere debeat delectatio: siquidem delectatio non tendit ad executionem operis, sed potiùs ipsum opus, quasi exercitum supponit, & in illo delectatur.

2 Et quidem si delectatio sit de copula habita, vel habenda cum coniugata, quatenus coniugata est: ita vt obiectum tuæ delectationis non solùm sit copula cum illa fœmina, quam cognoscis coniugatam, sed copula cum coniugata, taliter quòd esse coniugatam te delectet, nemini esse potest dubium talem delectationem non solùm contra temperantiam, sed etiam contra iustitiam esse: siquidem iniustitia tibi placet, & grata est, & tradiderunt Azor. Vasq. & Salas infrà allegandi. At verò, vel nunquam hoc contingit, quia fœminam esse coniugatam, vel alio impedimento ligatam, parum delectationi deseruit, imò potiùs temperat delectationem, non illam excitat. Ergo cùm de illius concubitu delectaris, non delectaris de illo, quatenus est concubitus coniugatæ, vel religiosæ, sed ab omnibus his circunstantiis præscindis. Posse autem delectationem ab omnibus his circunstantiis præscindere, videtur manifestum: fœmina enim illa esse poterat sine coniugio, vel voto castitatis. Ergo benè potes apprehendi, quin apprehendatur affecta coniugio, vel voto castitatis (esto alia cognitione cognoscatur affectam esse coniugio, vel voto castitatis.) Ergo apprehendere potes copulam cum illa, vt sic apprehensa. Ergo si delecteris in tali copula, non delectaris in copula adulterina, vel sacrilega: quia copula illa prout est in tua apprehensione ab omnibus his malis præscindit. Ergo delectatio de copula cum coniugata, religiosa, vel consanguinea, eiusdem esse potest speciei, nisi formaliter delectatio fiat de illis, quatenus tales sunt, ita tenet, & latè probat Vasq. 1.2.*disput.*112.*cap.*2. Azor *lib.*4. *instit. mor.cap.*6.*q.*3. Saytus *in claui regia lib.*8.*cap.*7.*num.*19.*&* 20. Thom. Sanch. *lib.* 1. *in Decal.cap.*2. *num.*12. attenta eius limitatione, quam apponit conclusioni. probabilem reputat Lessius *lib.*4.*de virt.cap.*3.*dub.*15. *num.*123. Saa *verbo luxuria num.*13. Salas 1.2.*tract.*13.*disp.*6.*sect.*6. *num.*56. *&* 57. Ægidius de Coninch *disput.* 34. *dub.* 11. *num.* 108. Bonacin. *de matrim.q.*4.*p.*8.*num.*9.

3 Sed obiicies, cùm delectaris de obiecto prauo, v.g. de copula habita cum coniugata, copula cum coniugata tibi placet, & grata est. Ergo tibi grata est copula adulterina, quia ab illa copula cum coniugata separari non potest adulterij malitia.

Respondeo, si per approbationem voluntatis tibi placeat copula cum coniugata, certum est, malitiam adulterij talem approbationem habere; illa enim voluntas est voluntas operis: at si per delectationem tibi placeat, non est necessarium, quòd tibi placeat copula cum coniugata, quatenus cum coniugata est, sufficit, si placeat illa copula, quæ cum coniugata est facta, quatenus est cum fœmina pulchra, & à te amata; stat enim optimè non posse ab aliquo opere separari plures malitias, & in delectatione illius operis omnino separari. Exemplis probat Coninchus, Lessius, & Salas *suprà*, si in loco sacro malè tractetur tuus inimicus, & tamen de illius calamitate delecteris absque consideratione loci sacri: talis delectatio malitiã sacrilegij non habet, etiam si opus externum sacrilegum fuerit. Item audis verba facetiæ, sed contumeliosa, impura, detractoria, delectari de illis potes, non quatenus contumeliam causant, sed quatenus risum excitant; item non quatenus detractoria, sed quatenus impura. Ergo non est necessarium delectationem integrè obiecto conformari, & omnem eius malitiam in se recipere. sed poteris solùm ex parte turpitudinem ab illo accipere.

4 Aduertendum tamen est, si delectatio contingat de copula sodomitica, vel bestiali, necessariò fatendum esse, quia omnino sunt distincta à copula fornicaria, & specialem cum virtute castitatis oppositionem habent: sine

siue hæc oppositio illis proueniat à turpitudine obiectorum, quæ respiciunt, siue à se ipsis per ordinem ad obiecta, sic Vasquez *cap.* 2. Lessius *num.* 122. Salas *num.* 60.

Secundò aduertendum est, si delectatio fiat ab habente votum castitatis, esse non solùm contra temperantiam, sed etiam contra votum, quia votum omnes delectationes carnales excludit. Solùm est difficultas, an delectatio coniugis cum fœmina aliena habeat non solùm malitiam contra castitatem, sed etiam contra iustitiam? Affirmat Bonacina *quæst.* 4. *punct.* 8. *de matrim. num.* 19. *versic. secundus casus*; quia coniux per matrimonium non solùm corpus, sed etiam affectus alteri coniugi obligauit. Ergo si in alteram à coniuge inclinat, iniuriam irrogat. Hæc tamen ratio non caret difficultate, supposita nostra sententia affirmante delectationem non accipere malitiam omnem obiecti, sed quatenus ab intellectu voluntati repræsentatur. Cùm autem à circumstantia coniugij possit intellectus præscindere, & seipsum quasi solutum considerare; non videtur circumstantiam coniugij, posse malitiam tali delectationi tribuere. Quòd autem per coniugium non se coniuges obligauerint ab his delectationibus abstinere, sicuti obligantur vouentes castitatem; inde probatur, quia hæ delectationes sunt per se incognitæ alteri coniugi. Ergo non potest ratione illarum iniuriam pati, neque ob illas priuatur copula sibi debita. Ergo non sunt contra iustitiam, sed solùm contra temperantiam, quod dubitando dictum sit.

§. V.

An delectatio appetitus sensitiui cum commotione corporis peccatum sit mortale, si voluntas in talem delectationem expresse non consentiat.

1 *Qua ratione in his motibus consentire possit, & de quo consensu sit controuersia.*
2 *Motus appetitus sensitiui non refrenati à voluntate, cum possit, qui affirment esse mortale.*
3 *Probabilior est sententia opposita.*
4 *Soluuntur fundamenta num. 2. posita.*
5 *An sit peccatum veniale hos motus non reprimere? Proponitur sententia non esse.*
6 *Defenditur cum communi esse veniale peccatum, & soluuntur contrariæ rationes.*
7 *Quid si ob causam honestam non reprimis.*

1 Dupliciter voluntas in huiusmodi motibus consentire potest. Primò expresse appetendo illos, & in illis se delectando, & de hac voluntate nemini est dubium esse peccatum mortale. Secundò consentire potest tacitè, & virtualiter, quatenus non reprimit, neque coërcet, cùm possit. Et de hac secunda voluntate est controuersia, an sufficiat, vt motus appetitus sensitiui sint peccata mortalia, etiam, quando abest periculum pollutionis, vel alterius consensus mortalis.

2 Prima sententia affirmat, sic Azor *tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 6. *quæst.* 5. *& cap.* 21. *quæst.* 5. Petrus de Ledesma 2. *part. sum. cap.* 27. *initio.* Valent. 1. 2. *disput.* 6. *quæst.* 4. *punct.* 3. *versic. nihilominus contraria.* Lessius *lib.* 4. *de iustit. cap.* 3. *num.* 117. Vasquez 1. 2. *disput.* 108. *cap.* 2. Sayrus *lib.* 8. *cap.* 7. *num* 3. referunt pro se D. Thom. Bonauent. Alens. Richard. & alios, sed immeritò, vt rectè expendit Salas 1. 2. *tract.* 13. *disp.* 6. *sect.* 3. *in princ. num.* 24. *&* 25.

Probari potest primò, quia voluntas tenetur regere appetitum, & omnes alias potentias, ne rationi pugnent; ideo enim constituta est domina, & regina potentiarum. Ergo si cùm appetitus, aliæque inferiores potentiæ oppugnant rationem, voluntas non se opponit, & appetitum reprimit, obligationi non satisfacit. Ergo peccat: & cùm sit materia grauis, excusari non potest à mortali. Secundò, si voluntas in huiusmodi motus expresse consentiat, omnes affirmant, peccare mortaliter. Ergo etiam peccabit, si virtualiter consentiat, tacitus enim, & expressus consensus pro eodem reputantur, ex *l. de quibus, in fine, ff. de legibus, & l. cùm quid, ff. si certum petatur.* & late Euerard. *loco ab expresso ad tacitum.* Confirmo, quia vix distingui potest, an voluntas se negatiuè habeat, an expresse consenserit: nam cùm appetitus secum trahat voluntatem, difficile erit decernere, consentiente appetitu voluntatem non consentire. Tertiò, si aliquis huiusmodi motus per tactus, & amplexus in te excitaret, obligatus esses sub mortali illum reprimere. Ergo etiam cum à natura excitantur, cùm eodem modo ad seminationem prouocent. Neque valet dicere te esse obligatum repellere huiusmodi tactus, ne peccato alterius consentias: nam etiamsi alter non peccaret, eo quòd ebrius, aut amens esset, tenereris illum à te repellere, neque tales tactus permittere; quia talis irritatio à quocumque proueniat, castitati obstat. Quartò, velle hos motus, & delectationes inde consurgentes, ideo est mortale, quia hæ delectationes initium sunt, & causa proxima pollutionis, vel coitus, sed siue apponatur expresse, siue tantùm interpretatiuè, eodem modo sunt initium, & causa pollutionis, vel coitus. Ergo eodem modo erunt peccata, cùm consensus interpretatiuus verus consensus sit. Quintò, si voluntati licet hos turpes motus non reprimere, sed illorum delectationem recipere, contenta erit tali delectatione, & de matrimoniali copula non curabit. Obstabit ergo talis licentia fini matrimonij.

3 Nihilominus etsi supradicta sententia valde probabilis sit: probabilior mihi videtur non peccare mortaliter voluntatem, quæ non reprimit hos turpes motus, sed merè negatiuè se circa illos habet, dummodo absit periculum pollutionis, aut vlterioris grauis consensus. tenet hanc sententiam Caietan. 1. 2. *quæst.* 74. *art.* 3. *& in summ. verb. delectatio, versic. magna tamen.* Nauarr. *cap.* 11. *num.* 9. *vers.* 11. *partic.* 4. *& cap.* 16. *num.* 9. *partic.* 5. Tolet. *summ. lib.* 5. *cap.* 14. *num.* 2. Philiarchus *tom.* 1. *part.* 2. *summ. lib.* 4. *cap.* 18. & alij plures, quos refert Salas *tractat.* 13. *disput.* 6. *sect.* 3. *num.* 25. Et licèt ipse noluerit suam mentem declarare, satis insinuauit esse pro hac sententia, vt legenti patebit. Probabilissimam esse affirmat Thomas Sanchez *lib.* 3. *de matrim. disp.* 45. *num.* 25. *& lib.* 1. *in Decalog. cap.* 2. *num.* 13. vbi hanc reputat probabiliorem in rigore metaphysico, practicè tamen aliam dicit esse veram.

Præcipua ratio, quæ me mouet, est, quia huiusmodi motus à natura proueniunt, ita vt omnes coërcere sit impossibile, aliquos difficillimum. Non est igitur credendum de diuina bonitate salutem æternam hominum his periculis exposuisse; esset enim salus æterna cuiuslibet hominis non leui periculo exposita, si cùm à natura sit in malum procliuis, arctatus sit non solùm non admittere hos motus, sed etiam illos reprimere, & coërcere. Item si obligatus esset homo hos motus reprimere, cùm possit, obligaretur sanè media apponere non difficilia ad reprimendum. Ergo si videat hos motus consurgere, eo quòd in lecto tali, vel tali modo decumbit, tenebitur à tali cubitu abstinere, imò surgere, & se aliqualiter verberare, quod certè est durissimum, & pauci admittunt. Deinde peccabit mortaliter, si non euitat causas, ex quibus cognoscit huiusmodi motus prauos insurgere: nam si postquam excitati sunt, tenetur illos reprimere, à fortiori tenebitur impo

impedire ne excitentur; tenebitur ergo sub mortali fœminam non alloqui, nec videre, aliáque similia omittere, quæ in omnium sententia vel bona sunt, vel solùm venialia.

4 Denique argumenta contrariæ sententiæ non vrgent.

Ad primum dico, voluntatem obligatam esse sub mortali regere appetitum, ne ita cum ratione pugnet, vt ex eius pugna ipsa consentiat: at impedire quamlibet pugnam, non videtur obligata voluntas saltem sub mortali.

Ad secundum admitto gratis in contractibus idem esse iudicium taciti, & expressi propter præsumptum consensum: at in peccatis nequaquam; nunquam enim tibi licet aliorum peccata velle; licet tamen illa non impedire, & Deus peccata permittit, non tamen illa vult. Quare si rectè expendatur hic consensus tacitus, qui solùm est permissio, non debet dici propriè consensus voluntatis, cùm voluntas, quantum est de se, illos non velit, & in tali appetitus delectatione displiceat. Aliàs diceretur Deus tacitè velle nostra peccata, & virtualiter in illis consentire, siquidem illa permittit potens cohibere, quo nihil absurdius. Ad confirmationem, difficile quidem est discernere voluntatem non consentire, consentiente appetitu: at experientia constat ita contingere, præcipuè cùm in voluntate adest displicentia formalis de tali delectatione, quæ displicentia efficaciter detinet voluntatem, ne consentiat, esto inefficax sit ad prauos illos motus reprimendos.

Ad tertium concedo obligatum te esse sub mortali repellere excitantem turpes motus: at non obligari eodem modo, quando à natura excitantur, esse enim excitatos à natura, diminuit obligationem, sicut in pollutione contingit, quæ permitti potest fluere, quando à natura prouenit: at si alius in te excitaret, omnino debebas illam repellere.

Ad quartum concedo velle hos turpes motus, illósque procurare, esse peccatum mortale, quia initium sunt, & causa pollutionis. Nego tamen inde inferri illos permittere esse mortale; quia aliud est velle causam pollutionis, aliud permittere illam. Qui enim permittit causam pollutionis à natura prouenientem, non dicitur illius causa: at qui illam vult, causa illius est. Adde si præuideatur futura pollutio, etiamsi non præuideatur illius consensus, communiter Doctores fatentur teneri tunc voluntatem resistere, nec posse solùm negatiuè se habere, quia tenetur causas notabiliter ad pollutionem influentes auertere, si commodè possit: sic Sanchez *suprà lib. 9. de matrim. disput. 45. num. 25. & in Decal. lib. 1. cap. 2. n. 14.* Salas 1. 2. *tract.* 13. *disp.* 6. *sect.* 18. *num.* 121. *fine, & sect.* 9. *num.* 74. *fine*, quamuis difficultate non careat.

Ad quintum nego talem permissionem obstare grauiter fini matrimonij, cùm enim voluntas non possit horum motuum delectationem procurare, vel in illa gaudere, sed ad summum illam pati, cùm acciderit, non potest periculum esse, quòd his delectationibus contenta sit.

5 Ex dictis oritur non leuis difficultas, an sit peccatum veniale hos motus non reprimere, cùm possis?

Ratio difficultatis est. Nam si est peccatum veniale non reprimere hos motus, ideo est, quia est obligatio reprimendi, & carentia illius repressionis aduersatur alicui præcepto: at nullum præceptum esse videtur, cui aduersetur: nam illud præceptum, *non concupisces*, non de appetitus concupiscentia, vbi non est libertas, sed de concupiscentia voluntatis, latum est. Ergo dum ipsa voluntas non concupiscit hos motus, nullum peccatum esse potest. Deinde si adsit præceptum reprimendi hos motus, cùm hæc sit materia grauis, obligatio erit sub mortali. Ergo vel dicendum est nullum esse peccatum hos motus non reprimere, vel esse mortale. Denique non reprimere hos motus, ideo esse potest peccatum veniale, quia ipsi excitant, & mouent ad pollutionem, cuius causas debes auertere, si commodè possis. Ergo hæc ratio probat non esse peccatum veniale, sed mortale. Quia non auertere causas in materia luxuriæ notabiliter influentes in pollutionem, mortale est, vt expendit Sanchez *lib. 9. de matrim. disput. 45. num. 25.* Confirmo, pollutio præuisa, & non intenta, intantum est peccatum, in quantum est peccatum causa illius, sed quando ex huiusmodi delectationis appetitu præuidetur pollutio, delectatio appetitus peccatum mortale est. Ergo etiam erit mortale, quando non præuidetur. Probo consequentiam, quia causa pollutionis esse mortale, vel non esse, non prouenit ex effectu sequuto, sed ex eo quòd ipsa per se talem effectum habeat. Ergo vel dicendum est nullum esse peccatum hos motus non reprimere, etiam stante pollutionis periculo, vel semper esse peccatum mortale. Quapropter plures Doctores asserentes hanc delectationem mortalem esse, non tam de periculo pollutionis, quàm de periculo consensus in ipsam sunt locuti: quocirca Alensis, Bonauent. & alij, quos refert Salas 1. 2. *tract.* 13. *disput.* 6. *sect.* 3. *num.* 30. *& sect.* 35. *circa finem*, *num.* 6. sentiunt nullum esse peccatum has delectationes permittere, si absit periculum consensus, & expressè docet Ioann. Sanchez *in select. disp.* 21. *num.* 3.

6 Verùm omnino retinenda est communis sententia, quam docet Salas *suprà sect.* 3. *num.* 30. *fine*, *& sect.* 9. *in princ.* vbi plures refert Thomas Sanchez *in Decal. lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 13. *fine*, & omnes communiter: permittere, inquam, hos turpes motus, & delectationem appetitus absque aliqua causa honesta, esse peccatum veniale, quia de se sunt inordinati, & ad copulam incitant. At à copula prohibitus es abstinere: ergo etiam prohibitus es abstinere ab iis motibus, sub graui culpa, nè illos velis; sub leui, ne illos permittas. Nec mirum est hos diuersos modos consentiendi, non eadem grauitate culpæ prohiberi, sicuti non eadem grauitate culpæ prohibetur resistere tepidè tentationi, ac illam velle. Ex his patet ad primam & secundam rationem dubitandi. Ad vltimam dico te obligatum esse auertere causas per se ad pollutionem notabiliter influentes, quando commodè potes; obligaris, inquam, sub mortali, si tibi voluntariæ sint; sub veniali, si à natura sint appositæ, vel si intelligantur probabiliter pollutionem causaturæ. Vnde cùm Doctores dicunt causam dare pollutioni, absque vlla necessitate mortale esse, etiamsi pollutio non sequatur, si causa per se refertur ad pollutionem, optimè dicunt: at qui permittit huiusmodi motus, non dat causam per se pollutioni, sed permittit causam à natura datam: hæc autem permissio non videtur sub graui culpa prohibita, quando pollutio non intelligitur prouentura: sufficit, si tunc sub veniali intelligatur prohibita.

7 Notandum item est, si ob causam necessariam, vel vtilem tibi, aut alteri non reprimis huiusmodi motus, quales sunt, audire confessiones, legere, studere, locutio vrbana cum fœmina, equitatio, timor incidendi in turpiores delectationes, vel vrgentiùs tentandi, nullum peccatum committis: etiamsi adsit periculum pollutionis, modò absit periculum consensus, quia tunc pateris has delectationes, non agis: ita Azor *tom.* 1. *institutionum moralium*, *lib.* 4. *cap.* 6. *quæst.* 5. Salas plures referens 1. 2. *tractat.* 13. *disput.* 6. *sect.* 3. *num.* 31. Sanchez *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 2. *num.* 12. Vasquez *disput.* 108. *cap.* 3. *fine.* Coninchus *disp.* 34. *de matrim. dub.* 11. *num.* 111. Lessius *lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 14. *num.* 94. *& dub.* 15. *num.* 118.

PVNCTVM XI.

Qua ratione pecces, si te iactes, aut iactari permittas de peccato, de donis naturalibus, & de virtutibus.

1 *Iactantia de peccato, peccatum est.*
2 *Si de dexteritate, aliisque circumstantijs iacteris, idque audientes intelligant, à peccato mortali excusari potes.*
3 *Si alius te de peccato laudat, & laudes acceptas, mortaliter peccas.*
4 *Idem est si alium tu de peccato laudas, vel quod non commiserit exprobras.*
5 *An iactantia in peccatum eandem habeat malitiam, ac ipsum peccatum.*
6 *Iactantia immoderata in donis naturalibus per se est veniale peccatum.*
7 *Aliquando est mortale, vt si in damnum tertij vergat.*
8 *Quærere ab hominibus æstimationem, & gloriam in virtute aliquando licet.*
9 *Humanas laudes propter se appetere illicitum est.*
10 *Sed quid si ob gloriam humanam captandam fingeres opera virtutis.*

1 SIne controuersia est, iactantiam de peccato peccatum esse, quia iactantia & est complacentia in peccato, & ex illo laudem quærit. Vnde si peccatum fuerit mortale, mortalis erit iactantia, si veniale, venialis. Neque refert, sitne peccatum verum, vel falsum, de quo te iactas, quia iactantia eadem esse potest, siue peccatum verum sit, siue falsum, sic omnes Doctores cum D. Thom. 2.2 *q.* 132. *art.* 1. & 3.

Sed quid si non tibi placeat peccatum, imò potiùs illud detesteris; at ne condemnaris ab alijs, néve exprobreris, te iactas de peccatis commissis, vel fingis commisisse.

Respondeo in iactantia de peccato communiter dupliciter peccari, primò per complacentiam, & gaudium de peccato, de quo te iactas. Secundò per extollentiam prauam, & elationem inordinatam. Si in peccato, de quo te iactas, non complaceas, excusaris à peccato complacentiæ, & delectationis illius: at non excusaris à peccato elationis, seu inanis gloriæ, quæ consistit in quærenda laude, & honore ex peccatis. sic D. Thom. *suprà art.* 3. Nauarr. *sum. cap.* 23 *num.* 12. Sanchez *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 3 *num.* 5. & 10. Azor *tom.* 1 *instit. lib.* 4. *cap.* 13. *quæst.* 2. & 5.

2 Verùm si in peccato narrato non complaceas, neque ratione illius laudem quæras, sed solùm te iactes, de ingenio, dexteritate, virilitate in committendo, affirmat Lessius *lib.* 2. *de iustit. cap.* 47. *dub.* 6. *num.* 42. Sanchez *num.* 4. Bonacina *quæst.* 4. *de matrim. punct.* 8. *num.* 10. non esse mortale casu, quo audientes intelligant te neque complacere in peccato, neque laudari de illo, sed solùm de modo, qui in committendo adfuit: nam si id non intelligunt, peccas inanis gloriæ peccato, siquidem opere saltem externo exultas in rebus pessimis. Et ita præsumendum est contingere, quoties tuus animus in contrarium manifestè non declaratur, sumitur enim præsumptio ex communiter contingentibus, ex *l. nam ad ea. ff. de legib.* Negari item non potest talem narrationem periculosissimam esse.

3 Quòd si alius te de peccato iactet, & laudes acceptes, illisque congaudeas, clarum est te peccare mortaliter, vt bene dixit Nauarr. & Sanchez *suprà*: at si tibi displicerent, & præ verecundia taceres, existimat Sanchez non esse mortale, nisi talis esset laudatus, qui tacendo stantibus scandalum præberet. Ego verò, vt te excusem à peccato, semper existimo necessarium, vt aliquo modo displicentiam, quam habes in corde, exteriùs manifestes; alioqui censeberis laudes ex malefactis acceptare, & in illis consentire.

4 At si tu alium de peccato commisso laudas, vel exprobras, quòd non commiserit, clarum est te peccare pro grauitate peccati, de quo laudas, vel exprobras, tum quia excitas alium, vt de peccato gaudeat; vel pœniteat non commisisse, excitetúrque ad committendum, tum quia significas laudem, & honorem ex malefactis esse quærendam, idque procuras. sic Nauarr. *cap.* 23. *num.* 13. Caietan. *summ. verb. iactantia.* Sanchez *num.* 6. & *seqq.* vbi bene aduertit aliquando oriri obligationem restitutionis, si tua exprobratione, vel iactantia motus aliquis fuerit damnum inferre. Quòd si solùm dexteritatem, ingenium, & vires in peccato laudare intenderis, id vt excuseris à peccato explicare debes, & cauere omnino, nec in te, vel in alio periculum sit iactantiæ, & gaudij de mortali admisso: ratione cuius bene dixit Sanchez *num.* 12. frequentissimè hanc laudationem mortalem esse.

5 Sed inquires, an iactantia eiusdem sit specificæ malitiæ cum peccato, de quo te iactas, ac proinde in confessione tenearis dicere, & declarare peccatum, de quo fuit iactantia, si fuit, inquam, iactantia de furto, vel de fornicatione.

Affirmat Sanchez *illo cap.* 3 *num.* 13. Mouetur, quia virtus non solùm prohibet peccatum sibi formaliter contrarium, sed etiam delectationem, & iactantiam de illo. Quæ sententia vera omnino est, si iactantia sit cum gaudio de peccato commisso: at si gaudium excludas, & solùm peccatum iactantiæ committas, existimo probabilius non variari eius malitiam ex varietate peccati, circa quod versatur; ac proinde te non esse obligatum declarare peccatum, cuius fuit iactantia, sed sufficienter satisfacere dicendo te de mortali culpa iactasse. Probo, quia tota iactantiæ malitia consistit in captanda gloria, & honore ex malè factis; quòd verò malè facta sint latrocinia, homicidia, aut fornicationes, materiale quid est, & per accidens ad iactantiæ malitiam, sicuti ad violationem voti, & iuramenti materiale quid est, quòd violatio sit in castitate, vel in paupertate. ita tenet expresse Nauarr. *summ. prælud.* 9. *num.* 4. Neque verum est quamlibet virtutem prohibere iactantiam de peccato sibi contrario, sicut prohibet delectationem, gaudium, & desiderium illius, quia iactantia de peccato, quodcumque sit, per se prohibetur à virtute humilitatis; est enim iactantia filia superbiæ, seu inanis gloriæ, vt dixit Gregor. *lib.* 31. *mor. cap.* 31. & D. Thomas communiter receptus 2.2. *q.* 132. *art.* 4. ac proinde humilitati contraria: at delectatio, gaudium, & desiderium de peccato solùm ab ea virtute prohibetur, qua prohibetur ipsum peccatum.

6 Verùm si de iactantia in donis naturalibus, nempe ingenio, nobilitate, robore, & fortitudine loquamur, & de his te iactes, plusquam oportet, peccatum veniale per se tantùm est. Esse peccatum constat, siquidem appetit excellentiam, & honorem indebitum. Esse tantùm veniale ex eo probatur, quia res quæ appetitur bona est, scilicet honor, & gloria humana: modus autem appetendi non est cum damno tertij, vt suppono. Ergo non videtur esse grauis culpa. Et confirmo, qui acrioris ingenij, nobilioris prosapiæ, præstantioris doctrinæ opinionem assecutus est, quam sua merita postulant, non tenetur manifestare veritatem, sed poterit hanc opinionem, etsi falsam, permittere; dummodo non vergat in detrimentum aliorum. Ergo procurare opinionem excedentem meritis, non est mortale, siquidem non est peccatum illam conseruare.

7 Dixi non esse mortale per se appetere excellentiam, & honorem indebitum, quando non vergit in aliorum graue

graue detrimentum. Nam si iactatio horum bonorum, eo quòd falsa sit, in aliorum graue detrimentum vergit, nemini est dubium esse mortale. Vnde si ignarus iuris canonici, vel medicinæ te fingas peritum Medicum, vel Aduocatum, & obinde exponaris periculo medendi infirmos, vel dissoluendi lites, nemini est dubium peccare mortaliter, cum obligatione restituendi, si damnum fuerit sequutum. sic Nauarr. *cap.* 23. *num.* 13. *&* 16. Lessius *lib.* 2. *cap.* 47. *dub.* 6. *num.* 42. Sanchez alios referens *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 3. *num.* 2. vbi à peccato mortali excusat generaliter competitores cathedræ, qui se coram electoribus plus iusto extollunt, & laudes, & facinora fingunt, vt competitoribus aliis præferantur, quia huiusmodi dictis ferè nulla fides adhibetur.

8 Quòd si de iactantia in virtute loquamur, dicendum est narrare rectè facta, & ab omnibus gloriam, & æstimationem ob illa quærere, fieri posse aliquando absque peccato, iuxta illud Ecclesiast. 41. num. 15. *Curam habe de bono nomine; hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille thesauri.* & Apostolus ait, *prouidentes bona non tantùm coram Deo, sed etiam coram hominibus.* Debet tamen huiusmodi recta æstimatio non propter se appeti, sed vt meliùs Deo ratione illius obsequaris, vel causa sis, vt alij obsequantur; qua ratione dixit Matth. 5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* sic Azor *tom.* 1. *institutionum moralium lib.* 4. *cap.* 13. *quæst.* 3.

9 Qui enim solùm humanam laudem ex operibus bonis captaret, peccaret sanè, vt optimè expendit Nauarr. *in cap. minister*, 23. *quæst.* 5. *num.* 30. *&* 44. & Azor *lib.* 4. *institut. cap.* 13. *quæst.* 1. tum quia omnia creata non sunt propter se appetenda: tum quia inordinatio est virtutem, quæ excellentior est, ad humanos honores dirigere, & propter illos appetere: tum etiam, quia virtus per se solum est laude digna, & dignissima, vt per se appetatur. Deinde non leuiter demonstrat Christus Matth. 6. *Attendite* (inquit) *ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis.* Nam de illis qui hoc faciunt, subiungit *recepisse mercedem suam*, quasi diceret, iam illis est satisfactum: cùm eorum opera præmium à Deo non meruerint, cùm non propter ipsum fuerint facta. At hæc culpa etiamsi sit in administratione, vel receptione sacramentorum, solùm est venialis, quia non videtur grauis inordinatio ex bono opere humanam laudem captare, & ita tenet Nauarr. *cap.* 23. *num.* 13. *versic.* 4. *qui res principaliter.* Syluest. *verbo vana gloria, quæst.* 2. *fine.* Henriquez *lib.* 4. *de pœnitent. cap.* 36. *num.* 4. *in comment. litt. R.* Sanchez *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 3. *num.* 1. Bonacina *de matrim. quæst.* 4. *p.* 8. *num.* 10. colligitur ex Azor. *tom.* 1. *lib.* 4. *instit. mor. cap.* 13. *quæst.* 3. *&* 4.

10 Sed quid si ob gloriam humanam captandam fingeres opera virtutis, adhuc existimo te solùm venialiter peccare, si inde damnum aliquod graue aliis non obuenit, quia non videtur grauis inordinatio, quod expresse docuit Azor *tom.* 1. *institut. moralium*, *lib.* 4. *cap.* 13. *quæst.* 5. vbi postquam dixit hypocrisim, qua quis factis vitæ integritatem, & sanctimoniam fingit, ac simulat, cupiens, & studens bonus haberi, & prædicari, subiungit in his tunc lethalem culpam inesse, cùm proximo graue damnum infertur, aut grande aliquod imminet peccati periculum, aut cùm in deprauatum finem, animum, & mentem intendimus. Ergo iis exclusis sentit solùm esse veniale Leonardus Lessius *lib.* 2. *cap.* 47. *dub.* 6. *num.* 45. dicit esse solùm veniale, sicut mendacium, & iactantia: & solùm ex adiunctis esse mortale, colligitur ex Nauarr. *cap.* 23. *num.* 13. & Sanchez *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 3. *num.* 2. *&* 3. vbi falsò laudatum peccati mortalis condemnant, si aduertens inde graue damnum oriri taceat, imò aliquando subdunt Sanchez, & Nauarr. nec veniale esse falsis laudibus non contradicere: dummodo illis, quæ falsæ sunt, non delecteris, sed quia per opinionem, etsi falsam, quam habent alij de tua virtute, quæ tuo statui necessaria erat, vitatur scandalum.

PVNCTVM XII.

An repræsentatis duobus peccatis, voluntati, v.g. homicidio, & leui mendacio, teneatur voluntas vtrumque respuere, vel possit absque peccato vnum præ alio amplecti.

1 *Proponitur dubitatio.*
2 *Licitam esse electionem minoris mali comparatione maioris probat Sanchez.*
3 *Peccatum est electio minoris mali in supradicto casu.*
4 *Non est peccatum aduersus electionem, sed aduersus virtutem, qua cum pugnat malum electum.*
5 *Qui maius malum eligeret secluso minori, aduersus illam virtutem peccaret, aduersus quam est malum electum.*
6 *Soluuntur argumenta num. 2. posita.*

1 Certum est voluntatem vtrumque respuere debere, si id sibi est possibile, quia vtrumque malum est, ac proinde vitandum. Controuersia igitur est, an casu, quo determinata sit, vtrumque respuere, possit elicere absque peccato hunc actum; *si peccatum à me admittendum esset, eligerem potius leue mendacium, quàm homicidium?*

2 Affirmat Sanchez *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 10. *à num.* 25. licitam esse hanc electionem, seu præelectionem minoris mali, comparatione maioris; iniquam tamen, si maius malum eligeret. Mouetur primò, quia hic non absolutè vult eligere minus malum; hoc enim esset iniquum, sed vult eligere, casu quo fragilitate sua vnum è duobus illis peccatis esset determinandus eligere; sed eligere minus malum comparatione maioris, est recta electio. Ergo. Confirmatur. Licitum est determinato, vnum è duobus peccatis efficere; consulere, vt minus eligat; quia tunc non consulitur absolutè malum, sed electio minoris, quæ bona est. Secundò etsi charitas te obliget vitare in proximo quodcumque peccatum, at vbi ipse determinatus est vnum è duobus eligere, teneris arctiori vinculo maius vitare. Ergo etiam teneris in te ipso arctiori vinculo maius peccatum vitare. Ergo voluntas, eligendi minoris mali potius quàm maioris, bona est, & sub præcepto. Tertiò hic actus, si mihi mentiendum esset, aut neganda fides, eligerem negare fidem, esset grauissimum peccatum: at non esset peccatum, nisi quatenus opponitur præcepto de minoris mali præelectione: siquidem voluntas firmiter ad non peccandum est determinata. Quartò, quando duo præcepta incompatibilia concurrunt, datur præceptum eligendi, quod grauius est, & quod grauius malum euitat. Ergo idem erit, quando ex voluntate se quis conijcit in has angustias; quia necessitas non efficit præceptum de vitando grauiori malo, sed illud supponit. Hæc sunt præcipua argumenta, quibus Thomas Sanchez mouetur, contendit pro sua sententia adducere Sotum 4. *distinct.* 17. *quæst.* 2. *artic.* 4. *in* 5. *conclus.* Bartholom. à Ledesm. *in summ. sacrament. tractat. de pœnitentia, vbi de contritione, difficult.* 6. *col. penult.* Martinum de Ledesm. 2. *part.* 4. *quæst.* 2. *art.* 3. *paulo post principium, in* 4. *proposit.* Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. disput.* 3. *sect.* 10. *num.* 6. Petrum de Ledesm. *in summ. tractat. de pœni*

pœnitent. cap. 6. post 9. conclus. fol. 438. versic. de lo dicho se sigue. Qui tamen, meo iudicio, non negant electionem minoris peccati, etiam facta illa suppositione, peccatum esse: sed solùm dicunt non esse peccatum distinctum, neque habere malitiam distinctam ab ea, quam haberet, si per se eligeretur, & nulla comparatione facta: consentit sententiæ Sanchez integrè Bonacina *disput. 2. de peccat. quæst. 4. punct. 4. proposit. 5. num. 25.*

3 Triplici conclusione meam sententiam declarabo.

Affirmo primò dicentem, si furtum, vel leue mendacium ego determinarem committere, eligerem potius mendacium, quàm homicidium; peccare peccato mendacij, quantumuis habeat voluntatem vtrumque vitandi. Probo, quia etsi eligit minus malum, ad euitandum maius; at absolutè malum eligit, sed electio libera mali nunquam potest esse bona. Ergo. Quod longè aliter se habet in consulente, in cuius potestate non est, dimouere proximum ab vtroque peccato, ideo rectè facit consulens, vt minuatur malum illud: at in eligente, vt bene dixit Suarez *tom. 4. in 3. part. disput. 3. sect. 10. num. 3.* semper habet in potestate sua vtrumque vitare, neque fieri potest, vt commissio leuioris peccati, sit necessaria ad vitandum grauius, quia est aperta contradictio, & ideo in ipso eligente nunquam ille actus potest esse bonus. Confirmo illa suppositio, si determinandus esses ad mendacium leue, vel ad homicidium, nullo modo tollit malitiam ab illo actu, quo dicis te electurum esse mendacium, quia non tollit malitiam mendacij; determinatio enim tuæ voluntatis ad vnum è duobus committendis, non immutat obiecta, neque illa aliter quàm sunt, supponit. Ergo. Item cùm dicis: si essem laicus, & non Sacerdos, me vindicarem, peccas peccato vindictæ, quia esto habeas voluntatem absolutam nunquam te vindicandi, habes tamen voluntatem illius, sub conditione non auferente eius malitiam, ac proinde peccas, vt omnes fatentur: sed eodem modo te habes in præsenti; sub conditione enim, quòd determinandus esses ad vnum è duobus ad homicidium, vel ad leue mendacium, dicis te electurum mendacium, peccas quidem eligendo mendacium, quia illa suppositio tuæ determinationis, non tollit mendacij malitiam, quia & libera est, & mendacio extrinseca.

4 Dico secundò, posita fictione supradictæ comparationis, in qua minus peccatum relicto maiori eligitur, talis electio minoris peccati non habet malitiam aliam distinctam ab ea, quam habet minus peccatum. Hæc conclusio à nemine negari potest: imò hoc est solùm, quòd Doctores relati à Sanchez videntur docere; cùm tantùm dicant facta illa comparatione ficta, potius minus malum, quàm maius est admittendum, nunquam tamen dicunt in illa electione libera minoris mali malum non esse, sed non esse malum aduersùs præceptum electionis.

5 Dico tertiò, qui sub illa comparatione homicidium eligeret, omisso leui mendacio, peccaret sanè mortali peccato homicidij: at non credo aliam malitiam habere. Quòd peccet mortaliter, constat ex prima conclusione, & expresè omnes Doctores admittunt; quòd verò non habeat aliam malitiam, inde probo: nam si aliquam haberet, maximè aduersùs præceptum, quo cauetur ex duobus illis malis minus esse eligendum, sed in præsenti nullum est tale præceptum: siquidem qualibet suppositione facta vtrumque vitari imperatur. Ergo. Deinde vitare homicidium, potius quàm leue mendacium, ipsamet iustitiæ virtus obligat, qualibet enim virtus, quo grauior est, & excellentior, eo strictiùs obligat ad sui obiecti obseruationem. Ergo non est necessaria alia obligatio distincta. Ergo qui vult committere homicidium, potius quàm leue mendacium aduersùs iustitiam peccat.

Sed quid dicendum, cùm inter duo peccata mortalia eligis?

Respondeo semper te peccare mortaliter, quia semper teneris vitare vtrumque qualibet suppositione facta. At peccas solùm aduersùs illam virtutem, cui opponitur peccatum, si de facto committeretur: vnde pro qualitate virtutis est maior, vel minor obligatio; semper enim fides, v. g. fidelitate excellentior est. At cùm te determinas vnum è duobus violare, & resoluis violare fidem, solùm aduersùs fidem peccas, quia fides est, quæ te dictabat magis esse ipsam seruandam, quàm fidelitatem. Neque enim necessaria est alia virtus, quæ hoc dictet.

6 Argumenta pro sententia Sanchez ex dictis manent soluta; qualibet enim determinatione facta semper est malum eligere peccatum leuius; non tamen est malum consulere eligendum, quia non consulitur eligendum minus malum absolutè, sed diminutionem maioris, cùm in potestate consulentis non sit vtrumque vitare, sicuti est in potestate electoris.

Ad secundum concedo te teneri arctiori vinculo peccatum grauius vitare, quàm leuius, non tamen inde inferri, si eligas leuius, non peccaturum; peccabis, inquam, sed leuiùs.

Ad tertium concedo illum actum negandi fidem esse grauissimum, & aduersùs fidem, quia sufficit sub conditione non auferente malitiam velle fidem negare.

Ad quartum quando duo præcepta incompatibilia concurrunt, si rectè expendatur, non datur præceptum eligendi, quod grauius est, quia ibi tunc non sunt duo præcepta, sed vnum tantùm; aliud enim cessat, quia ponetur aliqua circumstantia, qua posita cessat obligatio. Verbi gratia, adest præceptum audiendi Missam, & simul necessitas succurrendi infirmo, cessat omnino præceptum audiendi Missam, quia ponitur aliqua circumstantia, qua cum non obligat: at in præsenti casu supponimus vtrumque præceptum de facto obligare, neque vnius obseruantia alterum excludere. Ergo vtrumque est seruandum. Ergo si vnum ex illis violes, peccabis.


DISPVTATIO III.

De peccatis, quæ est de eorum distinctione, grauitate, & pœnis eis annexis.

PVNCTVM I.

Vnde distinctio peccatorum sumenda sit.

1 *Proponitur quæstio.*
2 *Multiplicitas ex parte præcipientis non multiplicat peccata.*
3 *Obiectiones aliquot proponuntur, & diluuntur.*
4 *Quoties est distinctio formalis, non materialis rei præceptæ, est peccatum distinctum.*
5 *Proponuntur obiectiones, aduersùs dictam doctrinam, & illis fit satis.*



1 PRINCIPIVM constitutiuum cuiuscumque rei est principium distinctiuum illius, ex Philosopho: cùm autem constitutiuum peccati, vt ex præcedẽti disputatione constat, sit dissonantia

nantia cum natura rationali, quotiescumque hæc dissonantia numero, vel specie diuersa est, diuersum est peccatum numero, vel specie; ita Azor *tom. 1 instit. moralium, lib. 4. cap. 1. quæst. 5. 6. & 7.* Valentia 1. 2. *disp. 6. quæst. 2. punct. 1.* Vasquez *disput. 98. cap. 2. & 3.* Salas 1. 2. *tract. 13. disput. 3. sect. 2. num. 16.*

Difficultas autem est, an quoties multiplicantur præcepta, multiplicentur dissonantiæ, & consequenter peccata?

Et dicendum est præceptum multiplicari posse, vel ex parte præcipientis, vel ex parte rei præceptæ: ex parte præcipientis multiplicatur, quando ab eadem persona pluries præceptum repetitur: à diuersis, quando eadem res à diuersis prælatis præcipitur, vel à Deo, & creaturis. Ex parte rei præceptæ multiplicatur præceptum, quando multiplicantur res, quæ præcipiuntur.

2 Dico ergo primò, sola multiplicitas ex parte præcipientis, non multiplicat grauiter dissonantiam rationis, ita vt sit necessariò confitenda. Probo, quia hæc multiplicitas non facit esse præceptum multiplex, formaliter, sed solùm facit præcipientes esse multiplices. Ergo non potest hæc multiplicitas diuersam obligationem constituere; ac proinde neque diuersum peccatum necessariò in confessione manifestandum. ita tenet Azor *quæst. 5.* Vasquez *cap. 2.* Salas *num. 9.* Bonacina alios referens *disp. 2. de peccat. quæst. 4. punct. 3. n. 5. 10. & seqq. coroll.*

Ex hac conclusione infero omittentem ieiunium in vigilia alicuius Sancti concurrentis in Quadragesima, & sacrum die S. Petri occurrentis in Dominica non peccare duplici peccato necessariò manifestando, sed satisfacit præcepto confessionis, si dicat semel violasse ieiunium, vno die festiuo sacrum omisisse: sicuti satisfaceret clericus, qui diceret se omisisse recitare vno die, etiamsi ratione ordinis sacri, & vnius, vel plurium beneficiorum obligatus fuerit. Ratio omnium est, quia omnia illa præcepta eandem rem præcipiunt. ita Vasq. *disput. 98. cap. 3.* Salas *tract. 13. disput. 3. sect. 2. num. 17.* Azor *lib. 4. cap. 2. quæst. 6.* Sanchez alios referens *lib. 9. de matrim. disp. 15. n. 5. & 6. & lib. 1. in Decal. cap. 14. num. 9.* Henriquez *lib. 5 summ. cap. 5. §. 6.*

3 Sed obiicies. Præceptum est actus intellectus, & voluntatis præcipientis, sed non potest esse idem actus intellectus, & voluntatis, quando præcipientes sunt diuersi, v. g. homo, & creatura Pontifex, & Episcopus. Ergo neque potest esse idem præceptum. Ergo est multiplex. Ergo violator illorum violat multiplicia præcepta. Ergo multiplex peccatum committit, ac proinde tenetur confiteri.

Secundò quando tibi ab vno superiore præcipitur audire Missam, & alius independenter ab illo id ipsum tibi præcipit, quodlibet mandatũ ex his te integrò obligat: siquidem quolibet deficiente maneres obligatus. Ergo omittens Missam, vtrumque præceptum violas; non enim est maior ratio de vno, quàm de alio. Ergo dupliciter peccas.

Tertiò negari non potest omittentem sacrum à Deo, & ab Ecclesia præceptum inobedientem esse Deo, & Ecclesiæ. Ergo grauius peccat, quàm si solùm Ecclesiæ, vel Deo inobediens foret. Ergo saltem ratione huius grauitatis tenebitur manifestare in confessione à quibus fuerit sibi præceptum impositum.

Facilis est horum solutio.

Ad primum dico esse quidem diuersum præceptum Pontificis, & Episcopi, non formaliter, sed materialiter, quia vnus alteri non superaddit obligationem nouam, sed eandem vrget.

Ad secundum concedo quodlibet mandatum ex his te integrè obligare: at quia ad idem formaliter obligat, non peccas duplici peccato, sed vno, sicuti si ab Episcopo, & Pontifice lata esset excommunicatio ob furtum in Ecclesia commissum; si committeres furtum, non duplicem excommunicationem, sed vnam contraheres.

Ad tertium concedo omittentem sacrum à Deo, & ab Ecclesia præceptum, esse inobedientem Deo, & Ecclesię, non formali inobedientia, sed generali, quatenus omnia peccata dici possunt esse contra obedientiam, vel charitatem, aut gratitudinem: at quia pluribus est inobediens, concedo te aliquo modo grauiùs peccare, sed non est grauitas tantæ considerationis, vt necessariò manifestanda in confessione sit, quamuis concederemus circumstantias notabiliter aggrauantes esse in confessione manifestandas.

4 Dico secundò. Nulla est alia distinctio peccatorum, nisi secundùm distinctionem præceptorum. Vnde si ex parte rei præceptæ sit solùm diuersitas numerica, peccatum solùm numero multiplicatur, si diuersitas specifica, peccatum diuersum erit in specie. Conclusio est manifesta: nam cùm peccatum sit transgressio legis, & lex sit diuersa, quoties res præcepta diuersa est, efficitur sanè omittentem quamlibet rem pręceptam distinctum peccatum efficere. Hoc autem intelligi debet de distinctione rei præceptæ formaliter, non materialiter: non enim ex diuersitate materiali obiectorum, videtur diuersificari peccata; qui enim prodigus esset expendendo aurum, non committeret diuersum peccatum specie, si expenderet argentum. Idem in plurium sententia contingit in intemperantia ex diuersitate ciborum, non enim attendi debet materiale obiectum, sed formale præcepti, diuersitas enim materialis conducit ad diuersitatem numericam actus, nõ ad speciem: ita communis sententia Azor *tom. 1. lib. 4. cap. 2. quæst. 5.* Vasquez *disp. 98 cap. 2.* Valent. 1. 2. *disp. 6. q. 2. p. 1.* Salas *tractat. 13. disp. 2. sect. 2. num. 9. & 14.*

5 Sed obiicies primò. Vnico præcepto plura diuersa mandari possunt, præcepto enim iurandi prohibetur iuramentum falsum, iniustum, otiosum; & præcepto non fornicandi, prohibetur fornicatio, adulterium, pollutio, bestialitas, & tamen hæc omnia differunt specie. Ergo diuersitas peccatorum non requirit diuersitatem in præceptis, sed solùm diuersitatem in re præcepta.

Secundò obiicio. Eadem res duplici via prohiberi, vel præcipi potest, titulo, inquam, religionis, & iustitiæ, vt contingit in præcepto prohibente furtum rei sacræ, titulo pietatis, & temperantiæ, vt in fornicatione cum consanguinea, titulo castitatis, & iustitiæ, vt in fornicatione cum vxorata; sed tunc committens furtum rei sacræ, vel fornicationem cum consanguinea, duplex peccatum committis necessariò in confessione manifestandum. Ergo multiplicitas peccati non requirit multiplicitatem in re præcepta.

Tertiò contingit multiplicari rem præceptam formaliter, & non multiplicari peccatum numero, vt contingit, si fœminam insequaris, alloquaris, deosculeris pluries, & rem cum illa habeas; quodlibet ex antecedentibus est peccatum distinctum, & tamen non est necessariò in confessione manifestandum, vt tenet communis sententia. Ergo non ad multiplicitatem rei præceptæ peccata multiplicantur.

Ad primam obiectionem concedo vnico præcepto materiali, seu vnica propositione plura diuersa prohiberi, sed hoc non tollit, quin æquiualenter, & formaliter plura præcepta dicantur: aliàs omnia, quæ Deus prohibet, dicerentur vnico præcepto prohiberi, siquidem vnico indiuisibili actu prohibet; sufficit enim, vt dicantur esse plura præcepta, si res præceptæ ita distinctæ sunt, vt quælibet seorsim possit suo præcepto prohiberi.

Ad secundam, ibi esse duplicem rem præceptam, vel vnam

vnam rem sub aliqua diuersa circumstantia; ratione enim iustitiæ prohibetur furtum cuiuslibet rei, siue sacræ, siue profanæ, ratione enim religionis prohibetur specialiter furtum rei sacræ, quod certè distinctum est: nam respectu iustitiæ, rem sacram esse, vel non esse, est per accidens; solùm enim respicit, ne alienum, contra voluntatem domini accipiatur: at respectu religionis est quidem per se esse rem sacram, quia religio non prohibet furtum rei sacræ, quatenus furtum est, sed quatenus illo causatur irreuerentia, & indecentia rei sacræ, & Deo dicatæ. Idem est in præcepto non fornicandi cum consanguinea; castitas enim prohibet quamlibet fornicationem cum aliena. Quòd verò sit consanguinea, vel non, non pertinet ad castitatem: at pietas, & reuerentia consanguineis debita expostulat, ne te illis turpiter immisceas, ac proinde, quod est per accidens respectu castitatis, est per se respectu pietatis. Similitérque dicendum est de fornicatione cum vxorata, quæ est aduersùs castitatem prohibentem accessum ad non suam, quæcumque sit, & simul est aduersùs iustitiam prohibentem cuiuslibet iniuriam. Quare dicere possumus in omnibus his duplicem esse rem formaliter præceptam; ea enim, quæ sunt per accidens prohibita respectu vnius virtutis, sunt per se prohibita respectu alterius.

Ad tertiam respondeo, ex his quæ latiùs dicemus *in tractat. de pœnitentia, disput. 2.* de his quæ necessariò sunt confitenda. Fateor, inquam, quodlibet ex illis peccatum esse, & peccatum physicè distinctum: at quia moraliter, & secundùm communem æstimationem non distinguuntur, sed ad idem sunt, ideo declarata copula, omnia illa, quæ communiter contingunt, censentur declarata, & de osculis, & tactibus copulam præcedentibus ferè omnes affirmant, non esse necessariò fatenda, vt videre est apud Nauarrum *cap. 6. num. 18. §. infertur.* Vasquez 1. 2. *tom. 1. disput. 75. cap. 2. fine, & de pœnitent. quæst. 91. art. 1. dub. 5. num. 33.* Azor *tom. 1. institut. moralium, lib. 4. cap. 4. quæst. 6.* Suarez *tom. 4. in 3. part. disput. 22. sect. 5. num. 26.* At de osculis, tactibus, & collocutione subsequente copulam, esto Vasquez, & Suarez *suprà*, existiment necessariò esse fatenda, quia sunt initium alterius copulæ: at si absque animo illius fiant, existimo satis probabile non esse necessariò fatenda, quia videntur esse complementum copulæ præteritæ, & non initium alterius: & sic declarata copula, omnia, quæ regulariter euenire solent, intelliguntur declarata; & licèt aliquando id non contingat, est per accidens. ita Nauarr. *in cap. consideret, de pœnitent. distinct. 5. num. 46. & in summ. cap. 6. num. 17.* generaliter dicit actus, qui præcedunt, vel subsequuntur communiter ad actum principalem peccati, non esse necessariò in confessione manifestandos, vt si quis alterum occidat, & statim gaudeat, lętetur, vel de illo colloquatur, aliisq; ostendat sibi placere, quia hæc communiter contingunt. Henriquez *lib. 5. summ. cap. 5. §. 5.* vbi in comment. dicit esse communem, *& cap. 8. num. 3.* Azor *tom. 1. institut. moralium, lib. 4. cap. 4. quæst. 6. fine.* Salas *tractat. 13. disput. 5. sect. 8. num. 91. circa finem.* Quod verò Ioan. Sanchez *disput. 6. selectar. num. 3.* addit supradicta esse vera, etiam si magna intercesserit interruptio temporis inter copulam, & consequentia ad illam; dummodo ad alia negotia, qui commisit fornicationem, non se diuertat, sed in eodem statu, & situ permaneat, detinens fœminam, ad deosculandum illam, & colloquendum, vel si fortè fœmina discessit, ex vtriusque conuentione expectet reditum, ad iterum deosculandum illam: nullo modo mihi probatur, neque Nauarr. quem pro se adducit *in cap. consideret*, id dicit, sed solùm dicit *in summ. iuxta edit. Lugdunens. 1597. cap. 6. num. 17. versic. infertur septimò*, semel tantùm peccare quoad necessitatem confitendi, qui post vnam fornicationem cum amica habitam, eam sæpius osculatur, non ad iterandam fornicationem, sed ad maiorem delectationem, quia omnia illa oscula videntur consequentia fornicationis, & rei iam habitæ, & *in cap. consideret, num. 48 fine*, æquauit præambula, & consequentia ad copulam, & ea, in quæ quis vno impetu fertur, quæ omnia intelligi debent de immediatè consequentibus copulam, quæque potius sunt copulæ complementum, quàm alterius initium: at tactus, & oscula longo tempore post copulam subsequentia, nescio qua ratione possint dici esse complementum illius, & non via alterius.

Vnum tamen est omnino indubitatum apud omnes, coitum vnum non esse viam ad alium, ac proinde etiam si mox post alium sequatur, necessariò est peccatum distinctum in confessione manifestandum.

Pvnctvm II.

Vnde distinctio numerica peccatorum non solùm in esse physico, sed morali, & in ordine ad confessionem desumenda sit.

1 *Proponitur ratio dubitandi.*
2 *Resoluitur.*
3 *Respondetur rationi dubitandi.*

1 Non leuis est difficultas, quando peccata quoad numerum moraliter censebuntur multiplicata, vt tenearis in confessione ea manifestare, & declarare. Ratio dubitandi est, quia peccatum præcipuè consistit in voluntate, quàm in opere externo. Ergo multiplicata voluntate, etiamsi opus externum non multiplicetur, multiplicari debet peccatum. Ergo cùm quis pergit hominem occidere, & ex hac voluntate parat equum, assumit arma, quærit inimicum, multiplicat peccata, nec in confessione satisfacit, si dicat hominem occidisse, nisi huiusmodi voluntates declarauerit; necessarium enim est eas multiplicare, præcipuè si aliquo tempore in ea durauit. Et confirmo. Demus te post aliquos dies pœnitere voluntatis habitæ, & omnino ab illa cessare: satisfacies ne si dicas te voluisse hominem occidere, quin dicas, quoties voluisti, vel quo tempore perseuerasti in tali voluntate? Nemo credo audebit id affirmare, cùm quælibet ex illis voluntatibus peccatum distinctum sit. Ergo etiam cùm sequitur occisio, sunt hæ voluntates manifestandæ, siquidem earum malitia non obinde immutatur. Adde declarata occisione non sufficienter hæ voluntates declarantur; non enim ad quamlibet occisionem necessarium est tanto tempore in deprauata voluntate perseuerare: aliàs qui toto anno in ea persisteret, & in fine illius eam executioni mandaret, satisfaceret dicendo se hominem occidisse, quin declarauerit in tali voluntate integro anno perseuerasse.

Fateor pressum me esse hac difficultate. Nam, vt rectè dixit Nauarr. *in cap. consideret, in princ. distinct. 5. num. 13. versic. pone item.* si quis velit occidere hominem subitanea quadam voluntate, sed deliberata, mortaliter peccat, si continuauit paululum illam, certum est ex praxi communi nondum teneri ad illam extensionem confitendam, neque si continuauit vnam horam, neque duas, neque tres, si tamen octo dies, vel mensem, vel annum continuaret, tenebitur sanè; quis ergo determinabit temporis illam quantitatem, post quam tenetur, & intra quam non tenetur?

2 Pro resolutione supponendum est aliqua esse peccata, quæ interiùs consummantur, vt odium, superbia, inuidia, hæresis, delectatio morosa: alia, quæ exteriùs perficiuntur, vt iuramentum falsum, idololatria, homicidium, fornicatio, furtum, &c. Si de peccatis, quæ interiùs

teriùs consummantur, sermo sit, communiter Doctores tradunt multiplicata voluntate, multiplicari peccatum, quia cum illæ voluntates inter se non vniantur, neque vniuntur in aliquo effectu, qui causa sit talis peccati, non est vnde vnum peccatum dici possint. Ergo sunt plura peccata, ita docet Azor *tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 4. *quæst.* 4. consentit Salas 1. 2. *tract.* 13. *disput.* 5. *sect.* 8. *num.* 89. Vasquez *disput.* 75. *cap.* 1. *num.* 2. Nauarr. *summ. cap.* 6. *num.* 16. Si vero de peccatis, quæ exteriùs consummantur, loquamur, dicendum est, si voluisti occidere hominem, & in te reuersus decreuisti à praua illa voluntate cessare, si postea iterum velis occidere, peccas, & necessariò est manifestanda talis multiplicitas; quia postrema voluntas cum priori non continuatur, etiam in aliquo opere externo, cum fuerit per contrariam voluntatem retractata. ita Nauarr. *cap. consideret, in princ. dist.* 5. *num.* 48. *circa finem.* Emanuel *verbo confessio cap.* 52. *num.* 6. Salas alios referens, 1. 2. *quæst.* 73. *tract.* 13. *disp.* 5. *sect.* 8. *num* 84. *& tract.* 7. *disp* 6. *sect.* 6. *num.* 35. *conclus.* 1. Quòd si non mutasti voluntatem occidendi, sed perseuerasti in illa, quousque occideris, tunc distinguendum est: si durante illa voluntate ad alia opera te diuertisti, quæ via non erant occisionis; interrupisti sane voluntatem non solum interiùs, sed etiam exterius; ac proinde teneberis in confessione declarare, quoad poteris, quoties interruptam voluntatem assumpsisti, neque satisfacies dicendo te occidisse; quia omnes illæ voluntates occidendi, cùm non fuerint in aliquo opere, quod via fuerit occisionis continuatæ, censeri non possunt continuatæ, ac proinde neque vnum peccatum cum occisione efficere. docet Syluest. *verbo peccatum,* 1. §. 2. Armilla *verbo peccatum,* §. 4. & plures recentiores, prout refert Salas *tom.* 1. *in* 1. 2. *tract.* 7. *disp.* 6. *sect.* 6. *num.* 28. *fine, &* 31. *fine.* Bonacin. *disp.* 2. *de peccat. quæst.* 4. *punct.* 2. *n.* 5. Vasquez *disp.* 75. *cap.* 2. *&* 3. vbi quatuor modos apponit interrumpendi voluntatem. Primò per contrarium actum. Secundò per somnium. Tertiò per inaduertentiam. Quartò per diuertionem ad alia opera. Qui omnes mihi probantur, nisi somnus fuerit assumptus, vt medium ad prauam intentionem exequendam; cito Emanuel *verbo confessio. cap.* 52. *num.* 6 Lopez 1. *part. Instruct. cap.* 31. Coninch *lib.* 1. *cap.* 20. *num.* 14. *& seqq.* & alij, quos sequitur Salas 1. 2. *quæst.* 73 *tract.* 13. *disp.* 5. *sect.* 8. *num.* 84. docent solam interruptionem per actum contrarium, & non per somnum, & eum efficere nouum peccatum necessariò confitendum. Si verò voluntas occidendi non fuit interrupta alia voluntate contraria, neque aliquo opere externo, quod via non fuerit ad occisionem, sed perseuerauit moraliter, quousque hominem occideris, existimo te satisfacere obligationi confessionis, confitendo occisionem, quin declares quo tempore durasti in illa voluntate, & quæ opera ad illius executionem assumpsisti; suppono enim omnia illa opera non habere aliam malitiam, nisi à voluntate occisionis. Ratio est, quia quando est vnum propter aliud, non censentur, nisi vnum, vt tradit S. Thom. 1. *part. quæst.* 5. *art fin. ad vlt. argum.* Omnia autem illa opera, & omnes illæ prauæ volitiones, etiamsi in genere entis, & peccati (physice loquendo) plura sint: at quia ad occisionem ordinantur, & cum illa vnum constituunt, quia fuerunt illius causæ, sicut lapides, columna, & ligna, sunt causæ domus, ideo declarata occisione, censentur omnia declarata, facitque ad id textus *in l. eum qui. ff. de vsucapion.* & ita tenet Nauarr. *in summ. cap.* 6. *num.* 16. 17 *&* 18. *& in cap. consideret, in princ. dist.* 5 *num.* 48 *vers. ex hac limitatione.* Henriquez *lib.* 2. *de pœnit. cap.* 5. Bonacin. *disp.* 2. *de peccat. quæst* 4 *punct.* 2. *num.* 8 §. 3. Tolet. *lib.* 2. *c.* 7. Syluest. *verbo peccatum,* 1. §. 2. Salas *tract.* 13. *disp.* 5. *sect.* 8. *num.* 87. Aduertit autem cum Henriq. hoc esse intelligendum, quando inter hos actus modica est distantia; & bene: quia quando plurima est, non potest voluntas ad alia non diuerti, quæ media non sint finis exequendi, ac proinde est facta interruptio moralis.

Verùm si occisio non fuerit sequuta, eo quòd retractasti voluntatem, vel fuit tibi impossibilis, cùm tota illius peccati malitia sita fuerit in voluntate, necessariò obligatus es voluntatis multiplicitatem declarare, quia non habent, vnde tales voluntates vniantur, & moraliter vnum sint: & cùm talis multiplicitas declarari facile non possit, cùm singulis momentis voluntas renouetur, debes declarare te toties habuisse voluntatem occidendi, quoties opera aliqua externa diuersa ad illum effectum assumpsisti, vel quoties voluntatem intelligis renouare. Quòd si id tibi videtur arduum, & scrupulis expositum, declara tempus, quo in voluntate illa perdurasti, quia hac via videris voluntates exprimere. sic Nauarr. *cap.* 6. *num.* 18. Salas, Vasquez *locis citatis.* Bonacina *num.* 9. & in simili tradit Azor 1. *tom. lib.* 4. *cap.* 4. *quæst.* 4. *fine.*

3 Ad rationem dubitandi respondeo præambula illa, etsi in esse physico peccata distincta sint, tamen secundùm communem hominum æstimationem non reputantur distincta, sed idem peccatum cum occisione facta, quia fuerunt via, & causa illius, & nullo modo interrupta. Ad confirmationem, concedo antecedens te obligatum esse manifestare voluntates, quas habuisti occidendi, quando occisionem non fuisti executus; quia tunc illæ voluntates non habent tertium, in quo sint vnum: at quando occisio sequuta fuit, etsi eodem modo mala fuerint ea peccata, quia habent, in quo continuentur, ideo non debent necessariò explicari.

Ad aliam confirmationem, concedo non esse necessarium ad quamlibet occisionem multiplicari tot opera, & voluntates, sed non obinde sit integro anno, imò neque mense in eadem voluntate perseueraturum, quin debeat manifestare: nam ferè impossibile est, quod ad alia opera, quæ via non erant occisionis, non se diuerterit: quando autem interrumpit voluntatem, vel per contrariam voluntatem, vel per opus ad executionem illius non ordinatum, iam diximus manifestari tunc debere, & esse peccatum, non solum physice, sed moraliter omnino distinctum necessariò in confessione manifestandum.

Pvnctvm III.

Inferuntur aliqua pro clariori intelligentia distinctionis specificæ, & numericæ.

1 *Examinatur, an accipiens rem alienam, & apud se retinens plura distincta peccata committat necessariò in confessione manifestanda, & proponitur sententia affirmans.*

2 *Resoluitur quæstio cum distinctione.*

3 *Satisfit fundamentis contrariis.*

4 *Proponitur te plura peccata committere necessariò in confessione manifestanda, si eodem tempore plura iuramenta falsa proferas ad eandem rem confirmandam, pluribus maledictionibus, vel plagis inimicum afficias.*

5 *Defenditur contraria sententia.*

6 *Quid dicendum, si diuersis contumeliosis verbis Petrum eodem tempore afficias?*

7 *Quid si pluribus in peccato existens sacramenta ministres, vel iratus plures eodem impetu vulneres?*

8 *Defenditur esse plura peccata necessariò manifestanda in confessione.*

9 *Coniugatus, si cum coniugata adulterium committat, vtrumque coniugium tenetur manifestare.*

10 *Religiosus, sacerdos, non tenetur vtrumque manifestare, cum peccatum luxuriæ committit, sed sufficit si sacerdotium, vel votum declaret.*

11 *Quid si votum castitatis est simplex?*

12 *Religiosus transgrediens superioris praeceptum dupliciter peccat.*
13 *Idem est de scholastico, cui res alioquin obligatoria praecipitur, in virtute praestitutionem menti.*
14 *Causa peccati qua ratione declaranda in confessione sit.*
15 *Quid dicendum de eo, qui in plures Sanctos blasphemat, vel alicui familiae maledicit.*
16 *Qui in die festo saepè proponit non audire Missam, qui dicant non committere plura peccata.*
17 *Contrarium est dicendum.*
18 *Satisfit rationi contrariae.*

1 EX his infertur resolutio illius difficultatis, an accipiens rem aliquam, neque restituens multo tempore, teneatur declarare, quo tempore acceperit, & perdurauit in illo peccato? Et videtur esse obligatum declarare, neque satisfacere dicendo se rem alienam accepisse, neque adhuc restituisse. Primò, quia perseuerans in concubinatu multo tempore tenetur declarare. Secundò, quia perseuerantia in peccato commisso auget peccatum. Tertiò, quia gaudere de peccato commisso peccatum est distinctum; sed qui rem alienam vult non restituere, gaudet de eius retentione. Ergo. Quartò, sequeretur eum, qui rem furatus fuerit, etiamsi eam saepiùs contrectauerit, imò etiamsi ab alio fure, qui eam rem furatus fuerit, recuperauerit, diuersum peccatum non committere, cùm semper eandem habuerit obligationem restituendi, & noluerit restituere.

Propter haec aliqui dicunt, quoties vteris re aliena, vel renouas voluntatem non restituendi, vel aduertis alienum possidere, esse distinctum peccatum necessariò in confessione manifestandum: sic Nauarr. *summ. cap.* 17. *num.* 55. §. *ex quo infertur primò.* Econtra verò docet Henriquez *lib.* 2. *de poenitent. cap.* 5. §. 5. Aragon 2. 2. *quaest.* 62. *art.* 5. *dub. circa* 2. *argumentum, dicto* 2. Ouand. 4. *distinct.* 16. *proposit.* 23. Si toto eo tempore, quo rem alienam retinuisti, potuisti restituere, & noluisti: satisfacere, si dicas, te alienum accepisse, neque restituisse; quia non commisisti diuersum, & distinctum peccatum, sed vnum longo tempore continuatum, retentio enim illa toto illo tempore vna est, & non diuersa, & ab eadem voluntate moraliter existente prouenit. At duratio in peccato non est circumstantia necessariò fatenda, quia neque mutat speciem, neque auget numerum, cùm à re durante non distinguatur, tametsi grauissima sit, & in grauitate aequiualeat pluribus peccatis: indicat Azor *tom.* 1. *instit. lib.* 4. *cap.* 3. *quaest.* 5. *fine*, quatenus solùm cùm vendit, & alienat rem furtiuam, censet peccare furem, quia tunc se se impedit à restitutione facienda, & videtur esse Nauarr. *in summ. Lugdunens.* 1597 *cap.* 6. *num.* 17. *versic. addimus secundò*, vbi dicit, qui furatus est infantem, qui apud eum adoleuit, vnum furtum fecisse dicitur, ex *l. inficiando*, §. *infans, ff. de furt.*

2 Ego verò existimo dicendum primò, si decreuisti restituere, & postea boni propositi poenitens persistas in retentione, manifestum est te peccatum diuersum committere; quia iam cessauit illa retentio esse voluntaria. Secundò, si impotens factus es restituere, & postea potens non restituis, committis peccatum distinctum, quia per impotentiam restitutionis discontinuata fuit prior voluntas, cùm iam retentio non fuerit peccaminosa, vt antea; & in his ferè omnes conueniunt. Tertiò, si postquam rem accepisti animo retinendi, ad alia te diuertas, neque cogites de retentione, & iterum recordatus retentionis, adhuc non restituis, credo te de nouo peccare, & tanquam nouum peccatum manifestandum fore in confessione. Probo, quia tunc voluntas retentionis est noua, neque cum priori continuata. Ergo est nouum peccatum. Et confirmo: toto illo tempore, quo non aduertis, neque potes aduertere te alienum retinere, retentio non est tibi actualiter voluntaria: neque est voluntaria in aliquo effectu, qui sit causa illius. Ergo cùm de nouo fiat voluntaria, de nouo fit peccatum, ac proinde necessariò confitendum. Dices, si post furtum dormiam, & post somnum aduertam retinere, somnus interrumpit retentionem: nam durante somno retentio fuit inuoluntaria. Concedo totum: neque obinde fit semper somnum interrumpere voluntatem. nam aliquando sumitur, vt medium exequendi illam: at in retentione nunquam, vt medium assumi potest, quia non indiget positiuo influxu, vt fit, eáque de causa, quaelibet inaduertentia voluntatem interrumpit: & ita tenet Vasquez 1. 2. *disput.* 75. *num.* 14. & 15. Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. disput.* 22. *sect.* 5. *num.* 32. optimè Ferdinand. Rebell. *de oblig. instit.* 1. *part. lib.* 2. *de restit. quaest.* 17. *sect.* 2. *praecipuè conclus.* 2. *num.* 7. & 8.

3 Rationes contrariae leues sunt.

Ad primam dico, perseuerantiam in concubinatu manifestandam esse, quia non perseueratur in vna copula, sed in pluribus, quaelibet enim copula ab alia est distincta, neque vna cum altera continuatur.

Ad secundam concedo perseuerantiam in peccato augere peccatum, sed quando augmentum non constituit peccatum diuersum, non est necessariò in confessione manifestandum.

Ad tertiam concedo gaudere per delectationem morosam de furto commisso esse nouum peccatum: at gaudere per voluntatem efficacem non esse peccatum distinctum à voluntate retinendi, nisi adsit aliqua interruptio.

Ad quartam concedo contrectantem saepius rem furtiuam in sua, inquam, potestate existentem, non esse peccatum distinctum, sed idem continuatum, quando ex contrectatione non redditur res deterior: imò etiam probabile est non esse peccatum distinctum, sed idem, quando à fure, qui tibi rem surripuit, recuperasti, quia semper est eiusdem rei retentio, seu non restitutio, videtúrque decisum *in l. si qui*, & *l. inficiando* §. *infans, ff. de furtis*, & tradit expressè Azor *tom.* 1. *instit. moral. lib.* 4. *cap.* 4. *quaest.* 5. *fine.* Ioan. Sanchez *disp.* 6. *select. num.* 1. Salas 1. 2. *tract.* 13. *disp.* 5. *sect.* 8. *n.* 90.

4 Secundò infertur, quid dicendum, si eodem tempore plures maledictiones in alium iacies, plura iuramenta falsa ad aliquam rem confirmandam proferas, pluribus plagis inimicum afficias, pluries foeminam eodem tempore deosculeris, an, inquam, tunc plura peccata numero distincta efficias necessariò confitenda? Ratio dubij est: quia quodlibet ex his iuramentis, plagis, & maledictionibus, & osculis, etiamsi aliud non sequeretur, esset peccatum consummatum interiùs, & exteriùs. Ergo quodlibet ex his est distinctum ab alio, neque cum alio continuatur. Et confirmo: si hae maledictiones, & iuramenta prolata essent diuersis temporibus, quaelibet ex illis maledictionibus, & iuramentis constitueret peccatum consummatum distinctû. Ergo quòd facta fuerint successiuè vnum post aliud, non impedit hanc multiplicitatem, sicuti in pollutione, & fornicatione, non impedit eorum multiplicitatem, esto successiuè fiant.

5 Verùm communis sententia est, haec non reputari peccata distincta, sed idem peccatum numero: sic Azor 1. *part. instit. moral. lib.* 9. *cap.* 28. *quaest.* 15. Ratio est, quia omnia illa iuramenta confirmant eodem tempore vnicam falsitatem, maledictiones idem malum inimico imprecantur, percussiones vnum vulnus constituunt: quod non leuiter cõfirmari potest ex negatione D. Petri; ter enim dictus est negasse Christum: neque absque temeritate, aut errore, vt dicit noster doctissimus, & omnibus saeculis meritò laudandus Ioannes Maldonatus *Matth.* 26. *num.* 71. dici potest saepius, quàm ter

ter negasse; attamen singulis vicibus plura iuramenta, & attestationes protulit, vt optimè ipse Maldonat. expendit *num.* 70. 72. & 74. Primò enim interrogatus, quasi dubitanter ab ancilla, an esset ex discipulis Christi, respondit: *non sum*; vt dicit Ioann. at cùm ancilla instaret, & diceret affirmanter, *Et tu cum Iesu Galilaeo eras.* Respondit ipse: *neque noui illum, neque scio, quid dicas*, vt Matth. Marc. & Lucas scribunt. Secundò verò interrogatus adhibuit iuramentum. Tertiò examinatus superaddit execrationem illam, quam sæpè ingeminauit, quod constat ex illis verbis, *cœpit detestari*; quasi sæpè, & multis modis execratus fuerit: ideóque dixit Marcus *execratione vsum fuisse.* Secundò probatur ex *cap. cum pro causa, de sentent. excommunication.* vbi ob verberationem clerici factam in dormitorio, & continuata per claustrum, vnica excommunicatio contrahitur ratione verberationis: esto pluries quàm semel percussus sit, quia omnes illæ percussiones reputantur vna. Et licet in textu videatur duplici excommunicatione illum ligatum esse: hoc non est ratione solius percussionis, sed ratione violationis Ecclesiæ; vide glossam. Confirmat hanc sententiam Ioan. Andreas *reg. delictum, col. penult. de reg. iuris lib.* 6. affirmans eum, qui ter pugione clericum percussit, continuatis vulneribus, vnam tantùm excommunicationem contrahere, quia reputatur vna percussio: facit *cap. Lotharius*, adiuncta glossa *verbo appellauit*, 31. *quæst.* 2. vbi dicitur eum, qui vno, & continuo impetu appellauit bis, vel ter à sententia, semel appellasse dicitur. & *l. cùm quæstio. C. de legatis.* §. *sed & alia*, dicitur, qui eandem rem cuipiam in testamento, bis, aut ter legauit, perinde est, ac si semel legauerit: & ita hanc sententiam docet expressè Nauarr. *in summ. cap.* 6. *num.* 17. & *in cap. consideret, in princip. de pœnitent. dist.* 5. *num.* 48. *vers. ex quibus.* Henriquez 2. *de pœnitent. cap.* 5. §. 6. & *cap.* 8. §. 3. Bonacin. *disp.* 2. *de peccat. quæst.* 4. *punct.* 2. *num.* 11. Simancas *de Catholic. institut. cap.* 8. *fine.* Couarr. 2. *variar. cap.* 10. *num.* 8. Salas alios referens 1. 2. *tract.* 13. *disp.* 5. *sect.* 8. *n.* 86. & 90. & *tom.* 1. *tract.* 7. *disp.* 6. *sect.* 6. *num.* 39. §. *dico septimò.* Azor 1. *tom. lib.* 4. *cap.* 4. *quæst.* 5. Ioann. Sanchez *in select. disp.* 6. *num.* 1. 2. 3. & 6. indicat Vasquez *tom. de pœnitent. quæst.* 91. *art.* 1. *dub.* 4. *num.* 8. quatenus dicit vnum peccatum committere, qui alium lancea ter vulnerauit, vno, inquam, ictu, id est, vno iracundiæ impetu, & *tom.* 1. *in* 1. 2. *disp.* 75. *cap.* 2. *fine*, dixit vnum esse peccatum pluries fœminam deosculari lasciuè, vel tangere in eodem tempore, quia in vno opere exteriori continuatur, videlicet in perseuerantia conuersationis cum fœmina permanente periculo.

6 Sed quid si Petrum diuersis verbis contumeliosis afficias eodem tempore, vt si nomines illum latronem, adulterum, homicidam: eritne diuersum peccatum, quælibet ex his contumeliis? Communis est sententia esse plura peccata, & necessariò in confessione manifestanda, quia est diuersa species iniuriæ, sicut si vocares latronem, & simul percuteres. sic Azor *tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 4. *quæst.* 5. consentit Salas *tract.* 13. *disp.* 5. *sect.* 8. *n.* 90. Ioann. Sanch. *in select. disp.* 6. *num.* 1. Suarez *tract.* 3. *disp.* 6. *de charitate oppositis sect.* 2. *num.* 3. Nauarr. *cap.* 6. *summ. num.* 18. *vers. infertur secundò.*

Nihilominus Bonacina *disp.* 2. *de pecc. quæst.* 4. *punct.* 2. *num.* 12. censet non esse plura peccata, neque in confessione debere explicari; quia esto essent iniuriæ diuersæ rationis, tamen in ratione iniuriæ, & contumeliæ conueniunt: sicuti si à Petro furatus esses equum, vestem, & arma, non teneris explicare ea in confessione, sed satisfaceres sufficienter declarando quantitatem; quia in ratione furti, omnia illa eiusdem rationis sunt, sic videntur esse in ratione contumeliæ; aliàs semper deberes in confessione explicare, quibus nominibus proximum dehonestasti: quod certe non est apud confessarios satis receptum; & hæc sententia probabiliter sustineri potest.

7 Tertiò infertur, quid dicendum sit, si existens in peccato mortali, pluribus eodem tempore sacramenta ministres, vel iratus plures vulneres, etiam eodem ictu, vel prohibitus ludere, ludas cum pluribus continuatè per noctem?

Fortè placebit alicui hæc omnia vnum esse peccatum, neque obligationem habere sic operantem distinguendi in confessione, quot fuerint personæ, quibus malè sacramenta ministrauit, quásve vulnerauit, quibus cum lusit; sed satisfacere, si dicat, malè sem l administrasse sacramenta, vulnerasse hominem gra iter, lusisse, cùm prohibitus fuerit: & de hoc vltimo casu id tenet Azor 1. *tom. summ. lib.* 4. *cap.* 4. *fine.* Ioan. Sanch. *disp.* 6. *select. num.* 1. Nauarr. *in cap. consideret, in princ. de pœnit. dist.* 5. *num.* 48. *vers. ex quibus*, & docuit Bart. *in l. inficiando. ff. de furtis.*

8 Verùm tam in hoc, quàm in aliis casibus tenendum est, esse plura peccata necessariò in confessione manifestanda, tenet Vasq. 1. 2. *disput.* 98. *cap.* 3. *num.* 9. Probo, quia ad multiplicitatem personarum multiplicantur actiones, neque vna cum alia vnum efficiunt, quis enim dicet administrationem sacramēti Petro factam, vnum componere posse cum administratione facta Ioanni, & vulnus Ioanni inflictū pertinere aliquo modo ad vulnus Petri? Et idem est de ludo; quælibet enim ex his actionibus omnino independens est ab alia in esse peccati, & totam in suo genere malitiam completam habet, sicuti habet fornicatio cum diuersis personis, & probari potest ex doctrina Bartoli *in l. inficiando.* §. *infans, ff. de furtis, num.* 5. eum qui vendit certi vini mensuram decem nummis, stante lege, quòd solis octo vendatur, toties delinquere, quoties vendit etiam eodem die.

9 Quartò infertur, an coniugatus habens em cum alia vxore, debeat vtrumque coniugium expl care, vel satisfaciat dicendo in confessione adulterium commisisse? Probabile reputat Saa *in editione Complutensi, verbo confessio, num.* 30. non esse necessariò manifestandum: & posset probari; quia esse vtrumque coniugatum, aut esse vnum, non variat speciem adulterij, neque numerum illius, sed solùm auget eius grauitatem. Ergo non est necessariò manifestandum in confessione. Tenenda tamen est contraria sententia, tanquam certissima, debere, inquam, te manifestare vtrumque coniugium, quia esto actus sit vnus numero in esse physico, & morali fornicationis: at in ratione adulterij, seu iniustitiæ duplex est, & duplicem malitiam continet, eo quòd duplex iniuria, duabus personis inferatur. ita Vasquez 1. 2. *disp.* 98. *cap.* 3. *num.* 9. Salas plures referens *tract.* 13. *disp.* 3. *sect.* 2. *num.* 19. Nauarr. *sum. cap.* 6. *num.* 5. *vers. quartò infertur, fine.*

10 Quintò infero, quid dicendum de religioso habente ordinem sacrum, & violante castitatem?

Respondeo non esse obligatum manifestare vtrumque, sed sufficere, si dicat se esse religiosum, vel ordinem sacrum habere; quia ordo sacer non obligat ad castitatem seruandam, nisi ratione voti in eo inclusi, quæ est obligatio eadem cum obligatione voti in professione facti. Ergo declarata qualibet illarum, sufficienter declaratur tota malitia peccati. ita Medina 1. *tom. summ. cap.* 14. §. 18. *vers.* 3. Manuel Rodr. 1. *tom. cap.* 53. *conclus.* 4. *num.* 5. & *cap.* 195. *conclus.* 2. *num.* 2. Azor *tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 2. *quæst.* 6. *fine.* Salas 1. 2. *quæst.* 72. *tract.* 13. *disp.* 3. *sect.* 2. *n.* 21. vbi alios refert.

11 Sed quid si habeat votum simplex castitatis & insuper solemne ratione ordinis sacri, satisfaciet ne, si dicat se peccasse aduersùs votum castitatis, tacens esse solemne?

Respondeo satisfacere: tum quia votum simplex à solemni

solemni non differt essentialiter, sed solùm accidentaliter, vt latiùs in materia de religione: tum & præcipuè, quia esto votum solemne castitatis differat specie à simplici, eo quòd inhabilem reddat hominem ad matrimonium, & ob alios fines: at ad seruandam castitatem eodem modo, & sub eodem fine obligat; scilicet ne irreuerentia Deo fiat, si non seruetur, quod ei promissum est: quapropter *in cap. rursus, qui clerici, vel vouentes*, ait Celestinus votum solemne non magis obligare apud Deum, quàm simplex. Idémque traditur *in l. 2. tit. 8. part. 1.* & ibi Gregor. Lopez alios refert: & ita tenet, & latiùs probat Salas *suprà num. 22.* Vnum tamen est omnino certum, in quo ferè omnes conueniunt, Sacerdotem violantem castitatem, satisfacere, si dicat se ordine sacro esse insignitum, quia idem votum reperitur in omnibus ordinibus, aduersùs quod peccat.

12 Sextò infero, religiosum transgredientem præceptum superioris intendentis sub mortali obligare, duplicem culpam committere, necessariò in confessione manifestandam; alteram aduersùs illam virtutem, in qua res præcepta est constituta; alteram aduersùs obedientiæ votum. Quod vt rectè intelligatur supponendum est superiorem præcipientem constituere rem præceptam in ea virtute, ex cuius amore mouetur præceptum imponere, seu quam intendit, vt subditi executione rei præceptæ consequantur. Hæc autem virtus aliquando est eadem cum ea, quam ipsæ res præceptæ iure ipso naturali respiciunt, vt contingit, cùm furtum, & homicidium prohibetur, ne fiat alicui iniustitia; & tunc non constituit præceptum superioris distinctum peccatum: aliquando est distincta, vt cùm furtum rei sacræ prohibetur ob specialem loci sacri reuerentiam, & tunc iam diximus peccatum constituere speciale contra virtutem religionis; aliquando verò res mandatur, quæ iure naturali mandata non erat: vt ieiunare, audire Missam; aliquando prohibentur, quæ iure ipso prohibita non erant; videlicet ne religiosi domo egrediantur, ne inter se loquantur, néve vnus in alterius cubiculum ingrediatur; in quibus præceptis attendendus est finis immediatus legislatoris, & dicendum rem præceptam in ea virtute esse, in qua fuerit finis immediatus, siquidem ad illum consequendum, vt medium assumitur. Hoc supposito probo manifestè religiosum transgredientem superioris præceptum peccare dupliciter. Primò aduersùs illam virtutem, in qua est præceptum. Secundò aduersùs votum: nam cùm superior habeat hanc vim constituendi rem præceptam in aliqua virtute, ac si iure naturali ab ipsa virtute esset mandata, violans tale præceptum, violat ipsam virtutem: ex alia etiam parte religiosus habet votum obediendi superiori in his, quæ sibi sub obedientia fuerint imperata. Ergo peccat aduersùs huiusmodi votum, cùm obedire tenuit. Quocirca Franciscanus, qui feria 6. Quadragesimæ non ieiunat, dupliciter peccat. Primò contra præceptum Ecclesiæ, & superiorum, per regulam id sibi præcipientium. Secundò ratione voti obedientiæ, quoad obseruantiam regulæ obligantis sub mortali se astrinxit: & ita tenet Vasquez 1. 2. *disput. 98. cap. 3. num. 7. & 9.* Azor *tom. 1. lib. 4. cap. 2. quæst. 6.* Salas alios referens *tractat. 13. disput. 3. sect. 2. num. 16. & 17.* Non tamen ex hac doctrina infertur religiosum omittentem horas canonicas ab Ecclesia præceptas, & Missam die Dominica, & alia, quæ communiter aliis à religiosis sunt imperata, peccare aduersùs votum obedientiæ; quia ratione illius solùm obedire tenetur in his, quæ sibi, vt religioso fuerint imperata, vt bene notauit Thomas Sanchez *lib. 6. in Decal. cap. 1. n. 9.*

13 Septimò infero scholasticum omittentem præceptum sibi impositum in virtute præstiti iuramenti; si res alioqui sibi erat præcepta, peccat dupliciter, & contra iuramentum, & contra virtutem, in qua erat res præcepta. sic Azor, & Salas *suprà*. Dixi, si res alioqui sibi erat præcepta: nam si præcipitur sub virtute præstiti iuramenti res non sibi alioqui præcepta; existimo solùm contra iuramentum delinquere, eo quòd videatur superior nullam illi obligationem imponere, etsi possit. Quando tamen aliquis verè superior non est, quia non habet vim obligandi aliunde, nisi ex voto: tunc certum est violantem rem sibi imperatam à superiore alioqui non præceptam, solùm peccare contra votum, vt contingit in sæculari vouente obedire suo Confessario in omnibus, quæ iudicauerit suæ spirituali saluti maximè conuenire. ita Salas *disput. 3. sect. 2. num. 16.* Vasquez *disp. 98. cap. 3. num. 7.*

14 Infertur octauò, te non teneri declarare in confessione omnia illa, quæ causa fuerunt peccati omissionis, v.g. Missæ audiendæ, si nullam aliam malitiam in se habent, præter eam, quam contrahunt ex omissione, quia declarata omissione, declaras integram illorum malitiam: quapropter non teneris dicere ob voluntatem studendi, ludendi, &c. Missam reliquisse, sufficit, si dicas te Missam omisisse, cùm audire deberes. At si ob fornicationem, vel furtum reliquisti sacrum, teneris id declarare, vt constat. sic Sayrus *lib. 2. in claui regia, cap. 6. num. 10.* Valent. *tom. 2. disp. 6. q. 1. p. 4. dub. 2.* Bonacina *disp. 2. de peccat. q. 4. p. 4. fine, num. 27.* Azor *tom. 1. lib. 4. cap. 3. quæst. 7.*

An verò ludus, vel studium, qui causa fuit omissionis, dici debeat commissionis peccatum, vel omissionis? res est parui momenti: existimo peccatum esse commissionis, licèt sit contra præceptum affirmatiuum, quia non est contra illud directè, sed indirectè; quodlibet enim præceptum affirmatiuum habet adiunctum negatiuum, prohibens omnia illa, quatenus impediunt præcepti affirmatiui executionem.

15 Infero nonò, quid dicendum de illo, qui in plures Sanctos blasphemat, vel alicui familiæ maledicit, committit ne tot peccata, quot sunt Sancti, vel tot peccata, quot sunt personæ in familia? Videtur id affirmandum; quia si omnes illos Sanctos specialiter malediceret, & omnes illius familiæ de facto occideret, etiam si vno impetu faceret, tot iniurias, & homicidia committeret, quot essent personæ maledictæ, & occisæ. Ergo etiam in voluntate maledicendi, & occidendi, tot debent esse peccata, quot sunt personæ. Item si aliqua persona ex illa familia esset clericus, haberet malitiam sacrilegij ille actus. Ergo quælibet persona secundùm se tribuit suam malitiam: sic affirmat Azor *tom. 1. instit. moral. lib. 4. cap. 4. quæst. 3. & 5.* Salas 1. 2. *quæst. 73. tract. 13. disput. 5. sect. 6. num. 65. fine.* Verùm Nauarr. *cap. 6. num. 18. in noua edit. Lugdunens. vers. infertur quarto*, contrarium defendit, eo quòd in iure tota vna familia, vna persona reputatur. *l. 1. ff. si familia furtum fuisse dicatur.* idémque tradit Bonacina *disp. 2. de pecc. q. 4. p. 2. n. 1.*

Dicendum tamen est, voluntatem occidendi totam vnam familiam sumptam per modum vnius, vnicum esse formaliter peccatum: at virtute multiplex esse, iuxta multiplicitatem personarum, quæ appetuntur occidi. Quòd sit vnum peccatum formale, probat ratio Nauarri, & quia vnus est indiuisibilis actus: aliàs qui vellet homines infinitos occidere, malitias infinitas formaliter haberet? Quòd verò sit in virtute multiplex, inde probatur, quia habet in voluntate formaliter plures occisiones, atque adeò est voluntas plura peccata committendi. Ergo saltem in virtute illa voluntas plura peccata continet. Adde qui intendit familiam occidere, non satisfaciet confessioni, si dicat habuisse voluntatem homicidij; quia non est voluntas vnius homicidij, sed plurium, sicuti non satisfaceret confessioni, qui diceret habuisse voluntatem fornicandi, si habuit voluntatem fornicandi cum omnibus, qui in vna domo residebant. Ergo signum est illam voluntatem

tatem in re esse multiplicem. Quocirca Bonacina, qui tenet vnum esse peccatum, vnicamque malitiam habere, nihilominus affirmat in confessione exprimendum esse obiectum huius peccati, quod nescio an sit satis consequenter dictum, cùm solum numerum, & speciem teneatur quis confiteri, cui obligationi satisfacere videtur, si dicat habuisse semel voluntatem homicidij, si in illa voluntate non est nisi vna numero malitia. Aliàs si obiectum peccati declarare debebat, solùm quia pertinet ad constitutionē huius numero peccati, etiam teneretur declarare, si voluit occidere Ioannem potius, quàm Franciscum. Item si furtum fuit pecuniæ, vel suppellectilis, si intemperantia fuit in cibo, aut in potu; cùm omnia hæc ad constituendum peccatum concurrant. Item teneretur declarare intensionem, & durationem ipsius peccati, quia ipsum peccatum constituunt. Neque est simile de voluntate furandi omnes libros alicuius bibliothecæ, vel destruendi aliquam domum; hic enim actus formaliter, & in virtute vnus est, quia solùm vnicum furtum, vnicámque destructionem causat; at voluntas occidendi familiam, continet, & causat plures occisiones, quarum quælibet est peccatum distinctum.

16 Infertur decimò quid dicendum de illo, qui eodem die festo proponit sæpius non audire Missam, & de facto non audit, an peccet vno, vel pluribus peccatis, quot sunt voluntates omittendi.

Negare tenentur omnes illi qui dicunt peccata, quæ opere externo consummantur, tunc tantùm multiplicari, quando voluntas peccandi, quæ fuit intercisa per contrarium actum, multiplicatur: nam si per contrarium actum non fuit intercisa, censetur semper moraliter manere, & consequenter licèt physicè repetatur, non constituit diuersum peccatum necessariò in confessione manifestandum: tenet expressè Caietan. *tom.* 1. *opuscul.* 31. *&* 17. *respons. in* 15. *dub.* 2. Nauarr. *cap.* 6. *num.* 16. *&* 17. Graffis *lib.* 1. *cap.* 20. *num.* 14. *& seqq.* & alij, quos sequitur Salas *tract.* 13. *disp.* 5. *sect.* 8. *num.* 85. adhibita hac limitatione, nisi inter ipsos actus voluntatis multùm temporis intercedat: quæ limitatio in præsenti casu non potest habere locum. Ratio huius est, quia voluntas non retractata semper censetur moraliter manere. Ergo cum alia similis superadditur, eadem est moraliter cum illa. Deinde cùm vna voluntas ab alia non multùm distat, moraliter loquendo, continuari censentur, præcipuè cùm vtraque ad idem obiectum tendant, & eundem effectum causent. Præterea, qui vult occidere inimicum, & ex hac voluntate parat arma, & ex alia iter arripit ad occisionem, illæ voluntates neque inter se vniuntur, vt constat, neque vniuntur in mediis, sed ad summum vniuntur in effectu; hanc autem vnionem in effectu etiam habent illæ voluntates, omittendi Missam. Ergo sunt vnum peccatum, & non plura.

17 Dicendum existimo, si ex voluntate alicuius operis incompossibilis cum præcepto Missæ, Missam omittas, vnum peccatum censeris committere, quantumcunque renoues voluntates, quia omnes illæ in illo opere radicantur, & sunt medio illo causæ impedientes præcepti adimpletionem: neque in hoc est maior difficultas, quàm in voluntate occidendi Petrum: ex cuius voluntate paras, media apponis. At si propositum habeas omittendi Missam, neque ex illo proposito apponas medium aliquid incompossibile, sed ibi sistas, & post sacrum renoues idem propositum, & postea adueniente tempore vrgenti præcepti eandem renoues voluntatem, censeo te multiplex peccatum commisisse; quia omnes illæ tres voluntates non habent, in quo sint vnum; non enim sunt vnum inter se, cùm non inter se vniantur, neque in aliquo effectu producto, cùm nihil producant, neque in omissione Missæ, quia omissio audiendi Missam non incipit nisi ab eo tempore, in quo Missa audiri non potest. Ergo necessariò illæ voluntates debent reputari multiplex peccatum. Confirmo. Si voluntatem haberes crastina die Petrum occidendi, neque ex hac voluntate medium aliquod apponeres, sed easdem voluntates sæpius repeteres, quousque crastinus dies accederet, in quo & appositio medij, & occisio simul iunguntur omnes illæ voluntates antecedentes, & repetitæ iuxta nostram sententiam peccata essent, quia non habent, in quo vniantur; non inter se, neque in aliquo effectu, cùm nullus sit, quando ipsæ sunt; sed similiter voluntates repetitæ toto manè non audiendi Missam hora 12. non habent, in quo vniantur, & vnum sint. Ergo etiam debent censeri distinctæ: & ita tenet Vasquez 1. 2. *disput.* 75. *cap.* 3. *fine num.* 15.

18 Ad rationem dubitandi respondeo voluntatem non retractatam manere moraliter habitualiter, sed non actualiter, & in virtute; idéoque constituit voluntas de nouo adueniens diuersum numero actuale peccatum; neque in hoc attendi debet distantia, vel propinquitas temporis inter vnam, & aliam voluntatem; sed an illæ voluntates causæ sint alicuius effectus communis, vt contingit in casu de inimico occidendo: tunc enim media, quæ apponis, inter se vniuntur ad consequentiam finis intenti, sicuti vniuntur lapides, & ligna collecta ad ædificationem domus, ob quam vnionem moralem, & accidentalem collectio lapidum, & lignorum, etiamsi physicè multiplex sit, moraliter tamen vna censetur, quia ad vnum finem ordinatur, & ab eadem voluntate ædificandi prouenit.

PVNCTVM IV.

Vnde grauitas, & malitia peccati desumenda sit.

1 *Peccata esse in grauitate inequalia.*
2 *Ex varijs capitibus desumitur grauitas peccati.*
3 *Peccatum inferioris speciei superare potest aliud peccatum grauius ex obiecto.*

1 Breuiter me ab hac difficultate expediam, omissis variis dicendi modis. De fide enim certum est non omnia peccata æqualia esse in grauitate, sed vnum peccatum alio grauius esse: constat ex *Genes.* 13. vbi Sodomitæ pessimi iudicantur, & peccatores coram domino nimis, & *Genes.* 37. Ioseph accusauit fratres de crimine pessimo: & clariùs Christus Dominus *Ioannis* 19. dixit Pilato, *qui me tradidit tibi, maius peccatũ habet.* Ergo peccata æqualia esse non possunt. Ratio est manifesta, quia licèt omnia peccata in eo conueniant, vt sint contra rationem: at ipsammet rationem naturalem grauius offendit vnum peccatum, quàm aliud; grauius enim offendit bestialitas, quàm simplex fornicatio, & simplex fornicatio diu desiderata, quàm casu contingens. Deinde, quia omnes essent æquè puniendi, quod est contra illud Deuteron. 25. *pro mensura delicti, erit & plagarum modus*; & Matth. 10. & 11. *terræ Sodomorum remissius erit in die iudicij.* & Luc. 20. *hi accipient damnationem maiorem.* Neque obstat rectitudinem non suscipere magis, & minus, vt dicamus peccata, quæ videntur priuare rectitudine, non suscipere magis, & minus; quia non priuant rectitudine priuatiuè, sed positiuè, & in formis positiuis datur locus inæqualitati. licèt enim frigus priuet subiectum calore, quia tamen priuat per formam contrariam, potest suscipere magis, & minus. Item licèt rectitudo alicuius lineæ in indiuisibili consistat: at ab hac rectitudine magis, & minus linea recedere potest; de quo latè Vasq. 1. 2. *disput.* 99. & Salas *tract.* 13. *disp.* 5. *sect.* 1. Azor *tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 19.

Præcipua

2 Præcipua peccati grauitas, & malitia sumitur ex obiecto directo, quia inde sumit speciem: tradit D.Thom. 1.2.q.73. art.3. Secundò ex circumstantiis. Tertiò ex continuatione, & duratione. Quartò ex intensione. Explico in homicidio facto in loco sacro, cuius prima grauitas sumitur ex iniustitia facta. Secunda ex circumstantia sacrilegij. Tertiò ex continuatione voluntatis. Quarta ex eius intensione.

3 Contingit autem sæpè grauiorem malitiam peccati esse ex circumstantia, quàm ex obiecto, vt si quis cognosceret fœminam religiosam, vel nuptam, grauius ex circumstantia, quàm ex obiecto peccaret.

Difficultas autem est, an peccatum ex obiecto minus graue, possit ratione intensionis, vel durationis, vel extensionis obiectiuæ fieri grauius, alio grauiori ex obiecto; quia nunquam videtur species inferior superiorem vincere posse. At tenendum est tanquam omnino certum peccatum inferioris speciei superare posse aliud peccatum grauius ex obiecto, & quidem si cum peccatis venialibus superioris speciei fiat comparatio, res est indubitata; quis enim negabit furtum, pollutionem, & adulterium superare iuramentum otiosum, vel falsum non plenè deliberatum? Ex quo non leue argumentum sumitur ad probandum aliquod peccatum mortale inferioris speciei superare posse aliud de superiori specie. Exemplis res manifestatur. Detractio, & contumelia ex obiecto, & specie leuiora peccata sunt homicidio: at si quis vnam nobilem, & illustrem familiam de proditione, vel hæresi diffamaret, sine dubio grauius peccaret, quàm si vnum ex infima plebe occideret. Ergo. Item si quis dilapidaret ærarium publicum, & reipublicæ maximè necessarium, grauius peccaret, quàm omittendo Missam, vel occidendo plebeium. Ratio est, quia cùm quodlibet peccatum habeat grauitatem limitatam, & finitam absolutè, potest aliud peccatum leuioris speciei ita multiplicari, & intendi, vt eius grauitatem adæquet, sicuti contingit in argento, quod licèt secundùm materiam suam inferius sit auro: at in æstimatione, & valore ob eius quantitatem crescere, & superare aurum potest. Neque est inconueniens, quòd indiuiduum alicuius speciei inferioris, superet indiuiduum altioris speciei; cœlum enim ratione incorruptibilitatis, & aliarum qualitatum, quæ sibi sunt propria, superat in perfectione plura viuentia sublunaria: & ita tenet, & latè probat Sayrus *lib.5.cap.4.num.9.* Azor *tom.1.lib.4.q.4.fin.* Suarez *tom.3.in 3.p.disp.66.sect 2.* Salas *q.73.tract.13.disp.5.sect.2. à num.14.* Herrera *in 2.disp.32.q.3.* & videtur clarè esse sententia Augustini relati *in cap.quero, 6.q.1.* vbi inter ignoranter hæreticum, & scienter auarum, & inter hæreticum bene moraliter viuentem, & Catholicum sceleribus plenum, non audet ferre sententiam, quis grauiùs delinquat. Supponit ergo Augustinus peccatum minus graue ex suo genere ita aggrauari posse ex multiplicatione, vel intensione, vt vincere possit peccatum grauius ex suo obiecto.

PVNCTVM V.

Quos effectus peccatum actuale habeat.

1 *Diminuit inclinationem natiuam ad virtutem.*
2 *Priuat gratia, & virtutibus infusis.*
3 *Destinat peccatorem ad pœnam æternam.*
4 *Arguitur effectum peccati venialis esse pœnam æternam.*
5 *Defenditur non esse proprium effectum peccati venialis.*
6 *Quomodo vnum peccatum sit effectus, seu pœna alterius peccati.*
7 *Nota, & infamia peccatoris effectus est peccati.*

DE his agit D.Thomas 1.2. *à quæst.85. vsque ad* 88. & latè Valent. Salas, & Vasquez *ibi*, exponam præcipuos ea breuitate, qua in omnibus studeo.

1 Primus effectus peccati est diminuere inclinationem natiuam ad virtutem: sic D.Thom. *quæst.85.art.2.* Caietan. Conrad. Zumel *ibi.* Vasquez *disp.132.* Salas *disput.13.sect.2.* Azor *tom.1.lib.4.cap.2.q.2.* Quod vt rectè intelligatur, aduertendum est, inclinationem naturalem ad virtutem ab ipsamet potentia voluntatis non distingui; quare cùm in seipsa substantialiter voluntas non immutetur, efficitur nullo peccato intrinsecè eius inclinationem diminui posse: verùm quia voluntas non ita inclinatur ad virtutem, quin liberè possit vitium amplecti; fit multiplicato vitio, multiplicari habitum, & qualitatem ad vitium inclinantem: ac proinde inclinantem voluntatem, vt virtutem relinquat, & vitium amplectatur: & hac ratione dicitur diminui per peccatum inclinationem ad virtutem, extrinsecè quidem, & accidentaliter; quia quo magis voluntas in vitium inclinatur, eo magis à sequenda virtute impeditur. Nunquam tamen ita impeditur quin voluntas libera maneat, & potens sit, virtutem sequi, & natiuam suam inclinationem opere complere, vt dixit Trident. *sess.6. can.5.* Ratio est manifesta; quia cùm omnis hæc diminutio fit per habitus vitiosos inclinantes ad vitium virtute oppositum, & omnes hi habitus non necessitent voluntatem, sed potiùs illi subdantur; nunquam potest ita inclinatio ad virtutem diminui, vt finiatur; semper enim intrinseca, & libera potestas ad virtuté, ac proinde natiua inclinatio substantialis integra manet.

2 Secundus effectus peccati mortalis est priuari hominem gratia, & virtutibus infusis; cùm enim peccatum constituat hominem Deo inuisum, & inimicum, necessariò debet excludere ab illo gratiam, qua amicus reddebatur.

3 Tertius effectus peccati mortalis est destinatio ad pœnam æternam, quam necessariò omnes peccatores decedentes in mortali subibunt, iuxta illud, *Ite maledicti in ignem æternum. Matth.25. Marc.3. & 9. & 2. ad Thessalonicenses 1. & 1. Corinth. 6. & alijs in locis*, vbi passim Scriptura æternitatem pœnæ peccatoribus comminatur. Solùm autem est difficultas in reddenda ratione, quomodo hæc pœna æterna proportionata sit culpæ, imò leuior, quàm culpa ipsa meretur, cùm receptum sit ab omnibus Theologis cum Mag.4.d.46. & ibi D.Thomas *q.2.art.2.q.1.ad 1. & 1.p.q.21.art.4.ad 1.* Deum punire citra condignum, & difficultas in eo sita est. Nam peccatum mortale non habet grauitatem infinitam, quia neque illam habere potest, ex Dei infinitate, aduersùs quam peccatur, neque ex vilitate personæ peccantis, quia hæc omnia extrinseca sunt, ideóque non possunt refundere in actum infinitatem; aliàs quodlibet peccatum veniale haberet infinitam grauitatem, & æternitatem pœnæ mereretur. Item quodlibet mortale contineret grauitatem omnium mortalium, neque vnũ mortale esset grauius alio, & æqualiter pro vno, ac pro multis deberet peccator puniri, quod est absurdum. Quæ ergo est ratio, quare peccatum finitum in grauitate puniatur citra condignum pœna æterna? Plures rationes ad hanc veritatem confirmandam adducuntur à D.Gregor. 4. *dialog. cap.44.* D.Thom. 1.2.q.87.ar.3. 4. & 5. & ibi Vasquez, Salas, Zumel, Valent. Sayrus *lib.2. cap.13.num.8.* Anton. Perez *in sua laur. certam.9.cap.10. num.86.* Ea tamen mihi videtur efficacior, quia pœna, quæ in intensione est finita, & solùm in duratione non habet finem, absolutè finita est, & secundùm quid infinita, sicuti Angelus: & anima rationalis finita entia sunt, etiamsi finem non sint habitura; sed quodlibet peccatum mortale, esto simpliciter finitum sit, aliquam tamen habet infinitatem, eo quòd sit contra Deum infinitum. Ergo pœna in duratione æterna non excidit eius meritum.

4 Sed inquires, an pœna æterna sit etiam effectus peccati venialis.

Et videtur, quòd ſic. Nam decedentes cum mortali, & veniali, non ſolùm ratione mortalis, ſed etiam ratione venialis perpetuò puniuntur: nam cùm ſemper in illo perſeuerent, efficitur ſemper ob illud debere puniri; ideo enim D.Thom. Vaſquez, Zumel, Salas, & alij nuper relati affirmant pœnam inferni æternam eſſe, quia æternum futurum eſt peccatum, ob quod infligitur; ſed veniale peccatum in damnatis etiam erit æternum. Ergo etiam pœna illi correſpondens æterna debet eſſe.

5 Dicendum tamen eſt, pœnam æternam non eſſe effectum proprium peccati venialis, quia peccatum veniale de ſe illam non meretur, ſed ſolùm meretur temporariam. Concluſio eſt omnium Catholicorum: decedentes namque in gratia cum peccato aliquo veniali non remiſſo, non puniuntur æternaliter, ſed aliquo tempore in purgatorio, & poſtea gloriam conſequuntur; aliàs peccatum veniale gloriæ conſecutionem in æternum impediret, quod eſt contra fidem. Si verò peccatum veniale in damnatis exiſtat, etiamſi ex ſe pœnam æternam non mereatur, punitur tamen æternaliter. eſt communior, & probabilior ſententia, quam latè defendit cum D.Thom. 1.2. *quæſt.*87. *art.*5. *ad* 2. *&* 3. Vaſquez *diſp.* 141. Valent. *diſp.*6. *q.*17. *p.*4. Salas plures referens *tract.*13. *diſp.*15. *ſect.*11. *n.*70. *&* 73. Azor *tom.*1. *lib.*4 *c.*10. *q.*5. Suarez 3. *p. tom.*4. *diſp.*11. *ſect.*2. *num.*11. *& ſeqq.* Probo efficaciter primò, quia illa pœna, quam damnati in inferno ſuſtinent, etſi de ſe eſſet ſufficiens extinguere debitum peccati venialis, ſi voluntariè acceptaretur: at quia non ſolùm inuitè, ſed etiam impatienter, & blaſphemè ſuſtinetur, non videtur vllo modo ſufficiens extinguere debitum peccati. Ergo poſt vnam pœnam toleratam poteſt Deus aliam, & aliam infligere. Secundò illius pœnæ toleratio non poterat culpam, & debitum illius extinguere, quin à Deo acceptaretur, & acceptaretur ex meritis Chriſti: quia nullum peccatum hominibus remittitur, niſi ex Chriſti meritis, vt traditur Trident. *ſeſſ.*15. *cap.*8. & docuit Suarez *tom.*4. *in* 3. *p. diſp.*11. *ſect.*2. *n.*7. Azor *tom.*1. *lib.*4. *cap.*10. *q.*3. ſed merita Chriſti iam non operantur in damnatis; ſunt enim membra abſciſſa à Chriſto in perpetuum. Quartò de damnatis dicitur, *vbi ceciderit lignum, ibi manebit*, hoc eſt, manebunt in eadem pœna, in quam ceciderunt. Ergo non poſſunt pro peccato veniali ſatis pati. Quintò, quia peccatum veniale aliquo modo habet infinitatem, cùm ſit contra Deum. Ergo ſaltem pro aliquo ſtatu meretur pœnam aliquo modo infinitam, qui ſtatus non poteſt eſſe alius, niſi quando cum mortali coniunctus eſſet.

6 Quartus effectus, ſeu pœna peccati ſolet enumerari aliud peccatum; & quidem ſecundùm quod peccatum eſt, nequit eſſe pœna, quia non fit à Deo, neque appeti ab eo poteſt; non enim appetere poteſt ſibi fieri offenſam, & iniuriam, neque rationabiliter procederet, ſi vellet iniuriam ſibi factam alia iniuria vindicare. Pœna autem, vt tradit Auguſt. *de lib. arbitr. cap.*1. eſt à Deo, & placere ei aliquo modo poteſt, ſiquidem procedit ab illo, vt à ſupremo iudice iniuriam factam vindicante. Peccatum autem ſecundùm quod eſt permiſſum, hoc eſt, permiſſionem ipſam peccati poſſe, & ſæpè eſſe pœnam peccati, negari non poteſt, cùm id conſtet ex variis locis Scripturæ, præcipuè ex Paulo ad Rom. 1. à n. 24. *Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam*, &c. id eſt, permiſit illos in ſua deſideria defluere, denegando auxilia ſpecialia, quam denegationem poteſt Deus velle, cùm nihil in ea malum ſit. Vide D.Thom. 1.2. *quæſt.*87. *art.*2. Caietan. Medin. Zumel, *ibi*. Vaſquez *diſput.*129. *cap.*9. *& diſp.*140. Salas *tract.*13. *diſput.*15. *ſect.*1. Valent. *diſp.*6. *quæſt.*17. *punct.*3. Bonacina *diſput.*2. *de peccat. quæſt.*7. *punct.*2. Neque obſtat aduerſùs hanc doctrinam Auguſtin. 1. *confeſſ. cap.*12. vbi dicit: *Iuſſiſti Domine, & ſic eſt, vt omnis inordinatus animus ſibi ipſi pœna ſit.* quia Auguſt. loquitur cauſatiuè, non formaliter; quia non eſt formaliter pœna, quatenus eſt inordinatus, ſed ratione triſtitiæ, damni, infamiæ, & aliorum effectuum, quos inordinatio cauſat.

7 Quintus effectus peccati eſt nota, & infamia peccatoris; ſed hic effectus non ſequitur quodcumque peccatum, ſed peccatum publicum; illo tamen ſemel poſito, ſemper præſumitur durare, ex text. *in cap. ſemel malus, de regul. iur. lib.*6. & tradit Auguſt. *in cap. nonnulli*, 46. *diſt.* propter quod dixit Vlpian. *in l. ſi cui*, §. *iydem ff. de accuſat.* quòd ille qui ſemel eſt calumniatus, in futurum calumniari præſumitur: & ſemel periurus, in futurum peieraturus, ob quod à iuramento præſtando repellitur. *cap. paruuli*, 22. *quæſt.*5. *& cap. litteras, de præſumpt.* & aliis multis exemplis probat Menoch. *de præſumpt. lib.*5. *præſumpt* 32. & Maſcard. *de probationib. concl.* 1006. *à num.* 54. Purgari tamen cenſetur huiuſmodi nota, & infamia ex facto proueniens, ſi per triennium ab illo delicto perpetrando abſtineas, præcipuè, ſi occaſiones committendi illud tibi fuerint oblatæ, vt tradit Alberic. *in l. omnimodo, num.*3. *C. de inoffic. teſtam.* & probat text. *in* §. *hinc autem nobis, verſic. nam etſi vitium, in Authent. de monach.* Imò addendum exiſtimo cum Menoch. *n.*33. per pœnitentiam ſacramentalem omnino tolli infamiam, & notam, & præſumptionem ſimile delictum committendi; quia & tollitur peccatum, quod infamiam cauſabat, & retractatur voluntas, ex qua præſumptio oriebatur.

TRA



TRACTATVS TERTIVS DE LEGIBVS.

PROOEMIVM.



STVDIOSVS rerum moralium præ oculis habere debet dicenda in hoc tractatu, vtpote principia communia omnibus, quæ de vitiis, & virtutibus in ſequentibus dicenda ſunt. Claritatis gratia hunc tractatum in ſex diſputationes diuidam.

In prima explicabo naturam legis, eiúſque conditiones, & cauſas.

In ſecunda ſpecialem ſermonem inſtituam de lege irritante, & pœnali: hoc eſt, de lege imponente pœnam, & irritante actum contra ipſam factum.

In tertia de lege non ſcripta, quæ eſt conſuetudo.

In quarta de lege ſpeciali, quæ priuilegium vocatur.

In quinta de ceſſatione legis, eiúſque interpretatione.

In ſexta de illius diſpenſatione.

DISPVTATIO I.

De lege in communi, eiúſque cauſis.

PVNCTVM I.

Vnde dicatur lex, & quid ſit.

1 *Expenditur etymologia legis.*
2 *Definitur lex.*
3 *Apponitur eius differentia à conſilio, petitione, & præcepto.*
4 *Semper debet eſſe iuſta, rationabilis, & bono communi conueniens.*
5 *Reſpicit commune bonum.*
6 *Proponitur quædam obiectio.*
7 *Satisfit obiectioni.*
8 *Lex ferenda eſt ab eo, qui curam communitatis habet.*
9 *Debet eſſe promulgata.*
10 *Expenduntur aliæ conditiones.*

1 LEx dicitur primò à legendo, ſecundùm Iſidorum 2. *etymol. cap.* 10. *& lib.* 5. *cap.* 3. quia in ea legitur quid faciendum ſit, quidve vitandum. Secundò dicitur à deligendo, eo quòd ex multis eligat, quæ aptiora videntur, ad rectum viuendi vſum: vt tradit Cicero *lib.* 2. *de natura Deorum*, vel, vt dixit Auguſtinus *in quæſt. ex nouo Teſtamento, quæſt.* 15. vt de multis, quid eligas, ſcias. Tertiò dicitur à ligando, quia ligat homines ad ſui obſeruantiam: ſic D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 90. *art.* 1. Variis autem nominibus ſolet lex appellari, iuxta varias factiones, quas habet, cùm enim lex doceat, inſtituat, præſcribat, quid ſit agendum, vel omittendum, aliquando ſolet appellari doctrina, inſtitutio, præſcriptio: ſpecialiter tamen dicitur, *ius, conſtitutio, ſtatutum, & ſanctio.* Dicitur *ius*, quia iubet, & imperat, vel quia intendit tribuere vnicuique quod ſuum eſt: dicitur *conſtitutio, & ſtatutum*, quia conſtituit, & ſtatuit, quæ ſunt facienda: dicitur *ſanctio*, quia ſancit pœnam non obtemperantibus, ex *l. ſanctio, ff. de pœnis.* Hæc autem nomina in eo differunt, quia leges Principis ſupremi ſæcularis, Regis, vel Imperatoris vocantur iura; Pontificis verò decreta, vocantur conſtitutiones. Inferiorum verò Principum, ciuitatum, & populorum decreta, vocantur ſtatuta. Vide Azor *tom.* 1. *inſtit. mor. lib.* 5. *q.* 1. *&* 2. Suarez *de legib. lib.* 1. *cap.* 1. *&* 2. Salas 1. 2. *tract.* 24. *diſp.* 1 *ſect.* 1. 2. *&* 3.

2 S. Thomas receptus ab omnibus 1. 2 *quæſt.* 90. *art.* 4. definit legem, vt ſit ordinatio rationis ad bonum commune ab eo, qui curam communitatis habet promulgata. Dicitur *ordinatio*, quia ordinat, & præſcribit quid ſit faciendum, vel vitandum: dicitur *rationis*, quia à ratione prouenit hæc ordinatio, & quia non tam reſpicit bonum ſpeciale ſubditorum, quàm reipublicæ, ideo *ad commune bonum dicitur ordinata ab eo, qui curam communis boni habet*; & inſuper requirit lex promulgationem, vt ex ſequentibus videbimus.

Vt autem hæc definitio pleniùs intelligatur, ſupponendum eſt quemlibet legiſlatorem, antequam ferat legem, iudicare debere legem illam conuenientem eſſe reipublicæ; aliàs imprudenter, & iniuſtè legem ferret abſque hoc iudicio, illóque deficiente lex nulla eſſet, quia nullam vim haberet obligandi, vtpote, quæ iuſta non eſſet. Hoc iudicio ſuppoſito accedit ſecundò voluntas, quia vult ſubditos obligare ad legis obſeruationem. Tertiò ſigno aliquo manifeſtat eius voluntatem. Ex quo fit legem eſſe actum intellectus, & voluntatis; intellectus, inquam, iudicantis rem imperatam per legem eſſe conuenientem bono communi; voluntatis, intendentis obligare ſubditos ad eius obſeruationem. Nam ſine quolibet horum actuum non erit lex; ſine primo

primo non erit iusta,& rationabilis, & sine secūdo non obligabit. Requiritur insuper tanquam conditio, & applicatio,vt hæc manifestetur subditis; aliàs non poterunt obligari. sic Suarez *lib.1.de legibus, cap.4.num.6. & cap.5.per totum, præcipuè num.22.* Bonacina *disput.1. de legib.quæst.1.punct.1.num.1.* & alij apud ipsos.

3 Ex his constat primò, qua ratione lex differat à consilio, à petitione, & præcepto. Nam licèt per hæc ordinetur quis, & dirigatur ad rectè operandum, non tamen dirigitur per ipsa, tanquam per aliquem actum alicuius superioris respicientis bonum commune. Consilium enim, & petitio non est formaliter actus superioris,cùm ab æquali, & inferiori possint procedere. Præceptum verò, etsi necessariò petat à superiore oriri, non tamen à superiore respiciente bonum commune, cùm præceptum speciali bono illius, cui præceptum imponitur, contentum sit. Præterea præceptum spirat morte imponentis: at lex cùm sit perpetua, eius morte non finitur. quam differentiam notauit Menochius *lib.1.de arbitr.quæst.69.* Vasquez 1.2.*disp.151.cap.3.* Sanchez *lib.8.de matrim.disp.28.q.2.n.47.* Suarez *de legib. lib.1.cap.10.n.9.*

4 Secundò constat legem iniustam, inutilem, non conuenientem bono communi legem non esse, neque obligationem inducere. ita Vasquez 1.2. *disput.151. cap.2.* Salas *de legibus, disput.2. sect.8.num.50.* Bonacina *disput.1.de legibus,quæst.1.punct.1.num.9.* Suarez *lib.1. cap.9. num.11.* In casu autem dubio an sit conueniens, inutilis,vel iniusta, præsumi debet iustam esse, & obligationem inducere; vt relato Panormitano, Felino, & aliis docet Suarez,Bonacina, & alij *suprà*. Vide quæ diximus *in tractat. de conscient. disp. 3. punct.7.* vbi de casu dubio legis.

5 Prima ergo conditio requisita ad legem, est respicere bonum commune,ex Papiniano *in l.lex est, ff.de legib.* ibi, *Lex est commune præceptum*, & ex Isidoro relato *in cap.erit autem lex, distinct.4.* vbi inter conditiones requisitas ad legem ait esse, vt nullo proprio commodo, sed pro communi ciuium vtilitate conscripta sit. & tradit D.Thom. communiter receptus 1.2. *quæst.90. art.2.* Suarez *cap.6.n.8.* Ratio est manifesta: quia leges sunt de se regulæ perpetuæ humanarum actionum. Non ergo personas particulares,& bonum illarum, quod finem habent,debent respicere. Item fiunt à persona publica,quatenus publica est.

6 Dices plures esse respicientes bonum speciale, & non commune, quales sunt leges minorum, pupillorum,militum, quæ respiciunt bonum harum personarum, non communitatis. Secundò quodlibet priuilegium, quod lex priuata dicitur *in cap.priuilegium, dist.3.* in bonum tantùm priuilegiati cedit, non commune. Tertiò lex tributorum, & vectigalium solùm respicit vtilitatem Regis,non communitatis; imò potiùs est in damnum illius. Quartò lex præscriptionis,quæ aliquibus est vtilis,pluribus est damnosa.Ergo non omnis lex cedit in bonum commune. Tandem, quia si leges hæ, quæ bonū speciale aliquorum ciuium respiciunt, leges propriè nuncupantur, eo quòd bona ciuium sint bona communitatis; quia bonum partis est bonum totius: quodlibet præceptum latum cuilibet personæ particulari,dici poterit lex: quia eius bonum cedit in bonum commune. Ergo hæc indirecta cessio non sufficit ad legem.

7 Respondeo leges pupillorum,minorum, militum, nobilium, &c. bonum commune respicere; quia non attendunt bonum cuiuslibet personæ singularis,quatenus talis est, sed quatenus inducit rationem communem pupilli,minoris,militis, &c. Præterea bonum harum personarum cedit in bonum totius reipublicæ, cui maximè conuenit supradictis personis fauere.

Ad secundum dico, si priuilegium sit pro aliquo genere personarum latum, lex in rigore erit: si autem sit pro singulari persona concessum, à lege propria distinguitur; quia tunc non respicit bonum commune, sed speciale.

Ad tertium leges vectigalium, si vectigalia iusta sunt, vtiles esse reipublicæ, quia nihil reipublicæ vtilius esse potest,quàm esse defensam, ad cuius finem tributa imponuntur.

Ad quartum legem præscriptionis vtilem esse reipublicæ, quia vitat lites, & pacem constituit, esto alicui damnosa sit:sicuti lex punitiua damnosa est delinquenti,vtilis tamen reipublicæ.

Ad vltimum concedo indirectum illum & remotum respectum boni communis non sufficere ad legem, vt probat exemplum de præcepto lato personæ singularis. Quare ad rationem legis necessariò requiritur, vt per ipsam legem immediatè respiciatur bonum commune,quod non potest esse,nisi circa ipsam communitatem,vel partem principalem illius feratur lex. [illegible] intentione autem legislatoris non est curandu[illegible] esto ipse legislator malo animo procedat, si t[illegible] lex ipsa iusta est, quia bono communi est conueni[illegible]; sufficiet ad obligationem inducendam. Si tamen [illegible] se per legem damnum alicuius intendit, quódque i[illegible] bonum commune non cedit, iniusta erit lex, & nullam obligationem inducet,& ab illa vt iniqua licebit appellare, vel exceptione doli contra eam agere, vt rectè dixit Panormit. *in rubr.de constitut num.2.* Felin.*in cap.cùm omnes,de constit.num.5.* Bart. *in l.omnes populi,ff.de iust.& iur. quæst.5.num.53.*

8 Secunda conditio requisita ad legem est, *esse latam ab eo, qui curam communitatis habet*, non qualemcumque curam,sed curam politicam, & iurisdictionis. Pro quo aduertendum est, dupliciter te curam communitatis habere posse. Primò per potestatem dominatiuam, & œconomicam. Secundò per potestatem politicam. Primam potestatem dominatiuam habent parentes in filios, domini in seruos,mariti in vxores; & hæc potestas non sufficit ad ferendam legem: tum quia ex vi illius nihil possunt exigere,quod sibi non debeatur: tum etiam, quia ex vi huius potestatis non attenditur semper bono subditorum, sed proprio. Restat ergo ad ferendam legem necessariò requiri potestatem politicam,seu iurisdictionis, qua scilicet legislator potens sit subditos coërcere, & bonum non proprium, sed commune respicere. sic D.Thomas 1.2.*quæst.90. art.3. ad 2.* Salas *de legibus, disput.1.sect.9.num.54.* Sayrus *in claui regia,lib.3.cap.1.num.7.* Bonacina *disput.1.de legib. quæst.1. punct.1.num.1.& punct.3.n.2.* Suarez *lib.1.de legib.cap.8. n.2.& n.6.* pluribus exornat.

9 Tertia conditio requisita ad legem est,*esse promulgatam,seu intimatam subditis*; sine hac enim promulgatione vim obligandi habere non potest,cùm non possit de illa subditis constare. Debet autem hæc promulgatio communitati fieri,quia pro bono communitatis fertur, & quia singuli non obligantur, vt singulares personæ, sed quatenus partes sunt communitatis;ac proinde ipsa communitas debet quasi priùs obligata esse.sic D.Thomas 1.2.*quæst.90.art.4.* & tradit Isidor.*in d.cap.erit autem lex,dist.14.* Sayrus *n.12.* Suarez *lib.1.cap.11.* Castro *lib.1. de leg.pœn.cap.1.*

10 Aliæ autem conditiones à Doctoribus enumerantur,quæ vel in superioribus continentur, vel non sunt necessariæ. Expostulatur, inquam, ad rationem legis scriptura; sed hanc probabilius est necessariam non esse, sed conuenientem; voce enim manifestari voluntas legislatoris potest,vt rectè dixit Ioan.Andr.*in reg.nemo potest,de reg.iur.in 6.* Panormitanus, Decius, & Felinus *in rubr. de constitut.* & multis relatis tradit Suarez *lib.1. de legib.cap.11.fine,& lib.3.cap.15.num.6.* Azor *tom.1.institutionum moralium, lib.5.cap.2.quæst.5.* & constat ex *cap.*

institu

institutionis, 25.*quæst*.2. ibi, *Institutionis nostra decreta, siue quæ scripto decernimus, siue quæ in nostra præsentia videntur esse disposita*. & *cap*.1.*de iureiurando in* 6. ibi, *iuramenta, statuta, consuetudines Ecclesiarum, scripta, aut non scripta inuiolabiliter obseruare*. Idem constat ex *cap. in istis, distinct*.4. & *cap. consuetudo, distinct*.1. Secundò requiritur acceptio populi, sed hoc ex benignitate legislatoris, vt postea dicemus. Tertiò requiritur perpetuitas, si enim pro determinato tempore lex feratur, potius præceptum, quàm lex dici debet. Nam cùm lex pro bono communitatis feratur, & communitas de se perpetua sit, lex etiam debet esse perpetua: & ita tradidit gloss. *in cap. à nobis*, 1.*de sentent. excommun*. & Panormitanus *ibi num*.12. Nauarrus *summ. cap*.27.*num*.74. Suarez plures referens *lib*.1.*cap*.10.*num*.5.*iuncto num*.16.

Pvnctvm II.

Quotuplex sit lex.

1 *Lex triplex est, alia diuina, alia naturalis, alia humana.*
2 *Quæ sit lex diuina.*
3 *Quæ naturalis.*
4 *Quæ positiua, & quotuplex.*
5 *Expenduntur aliæ legis diuisiones.*
6 *Quæ sit lex odiosa, quæ fauorabilis.*

1 Lex alia est diuina, alia naturalis, alia humana, seu positiua. Diuisio hæc recepta est ab omnibus Theologis, & iuris peritis.

2 Lex ergo diuina est Deus ipse, quatenus iudicat, quid faciendum sit, quidve omittendum, & voluntatem habet obligandi homines, & Angelos ad sui obseruationem. Ex hac igitur lege omnes leges dimanant, illique conformari debent; quia est prima regula, & mensura, ad quam omnia tanquam ad finem ordinantur, conuenitque illi perfectissimè definitio legis in superiori puncto constituta; est enim actus rationis, seu actus ab eo, qui est ratio per essentiam, & potestatem habet in omnes creaturas, quibus suam legem lumine rationis indicat, & manifestat.

3 Lex naturalis propriè sumpta dicitur illa, quæ rationali naturæ insita est, quaque natura rationalis discernit honestum à turpi; in qualibet enim creatura rationali datur dictamen quoddam rationis, consistens in cognitione eorum, quæ honesta, vel inhonesta sunt, conuenientia, vel disconuenientia suæ naturæ.

Difficultas autem est, an hoc dictamen debeat dici lex? Ratio difficultatis est, quia non est à superiore, sed ab ipsomet proponente. Item quia nihil aliud facit, nisi proponere malitiam, vel bonitatem in obiecto. Ergo supponit iam obiectum esse malum, & prohibitum. Ergo ipsum cognitio non prohibet; aliàs ipsemet Deus respectu sui ipsius haberet propriè legem naturalem, siquidem etiam habet hoc dictamen rationis. Neque etiam disconuenientia, vel conuenientia obiectorum cum rationali natura legem constituere potest, sed est fundamentum ipsius legis prohibentis; ideo enim prohibetur mendacium, quia est dissonum; & ideo mandatur subuenire egeno, quia est conueniens. Item si in hac disconuenientia, vel conuenientia lex naturalis consisteret, diceretur Deus legem naturalem habere, non minus, quàm homo, quia non minus, imò magis naturæ diuinæ, quàm humanæ est dissonum mendacium.

Propter hæc multi dicunt legem naturalem non esse propriè legem præceptiuam, sed esse legem indicatiuam, quia indicat, quid faciendum sit, quidve omittendum: sic docuit Corduba *lib*. 3. *de conscientia, quæst*.10. *ad* 1. & alij relati à Suarez *lib*. 2. *de legibus, cap*. 6. *num*. 3. Sed hoc nullatenus est admittendum, cùm lex naturalis, lex propriè appelletur à Patribus, & Doctoribus, & illius transgressores, verè peccatores dicuntur, & sunt. Quocirca existimo legem naturalem, seu dictamen rationis includere simul legem æternam Dei, quia procedit à Deo tanquam à supremo legislatore. Deus enim cùm naturas rationales creare voluit, simul voluit illas regere, & gubernare, ad cuius gubernationem necessarium erat leges illis imponere. Imposuit ergo illis legem de vitandis his, quæ intrinsecè sunt inhonesta, & disconuenientia rationali naturæ; vt autem hanc disconuenientiam, & inhonestatem cognosceret rationalis natura, lumen rationis ei indidit, quo illuminatur, & regitur, ac proinde hoc dictamen quatenus repræsentat ea, quæ à Deo sunt prohibita, habet rationem propriæ legis; eáque de causa dixit D. Thomas 1. 2. *quæst*. 91. *art*. 2. legem naturalem esse participationem legis æternæ, & *quæst*.94.*art*.6. adducit D. Augustinum 2.*confess.cap*.4. dicentem, *Lex tua scripta est in cordibus hominum*. Ergo lex naturalis referri debet ad legem Dei, vt sit propriè lex. & ita tradit Gerson *tractat. de vita spirituali, lect*.2. *per totam, præcipuè corollar*.5. Victoria *relect. de praeueniente ad vsum rationis, num*.8. Suarez *lib*.2. *de legibus, cap*.6. *num*.5.

4 Rursus lex positiua, vt distinguitur à lege naturali, & diuina, est, quæ à superiore accidentaliter ponitur: & hæc est duplex, alia est diuina, alia humana. Diuina positiua est, qua Deus homines regit, & gubernat, quatenus corpus quoddam politicum constituunt. Sic præcepta veteris legis de ritu sacrificiorum, & ordine iudiciali leges positiuæ diuinæ dicebantur: & in præsenti præcepta de administratione sacramentorum, & illorum receptione à Christo Domino lata, leges diuinæ dicuntur. Lex humana dicitur, quia ab hominibus proximè, & immediatè prouenit. Deus enim sua prouidentia voluit homines per homines gubernari, & alios aliorum superiores esse: qui ergo superiores sunt, & supremam habent potestatem, leges condere possunt, quibus inferiores gubernentur. Sed quia hi superiores alij sunt Ecclesiastici, alij sæculares, alij recipiunt à Christo Domino potestatem condendi legem; alij verò ab ipsa republica. Ideo lex humana in Ecclesiasticam, & ciuilem diuiditur. Ecclesiastica est, quæ à Christo Domino tanquam ab eius authore primo prouenit, & subditos in supernaturalem finem dirigere intendit. Ciuilis præcipuè attendit gubernationi politicæ, & subditos in pace conseruare.

5 Hæ sunt diuisiones legis præcipuæ: nam aliæ, quæ dantur ex varietate obiectorum, satis notæ sunt; dicitur enim lex alia affirmatiua, alia negatiua. Affirmatiua est, quæ imperat aliquid positiuum, & reale, esto verbis negatiuis imperet, vt est lex de audiendo sacro diebus festis, de communione recipienda in Paschate. Negatiua lex est, quæ negationem imperat, & actum positiuum prohibet, qualis est lex de non furando, de non occidendo, de non fornicando, &c. Insuper aliæ sunt leges merè præceptiuæ, aliæ purè pœnales, aliæ irritantes contractum, aliæ prohibentes fieri. de quibus omnibus in sequentibus latè agendum est. Vide Azorium *tom*.1. *lib*. 5. *cap*. 1. *quæst*. 5. Suarez *lib*. 1. *cap*. 3. *fine*. & latiùs *lib*. 5. *cap*. 1. & 2. Bonacina *disput*. 1. *quæst*. 1. *punct*. 2. *fine*. Salas *de legibus, disput*. 2. *sect*. 1. Vasquez *tom*. 2. *disput*. 152. *cap*.5.

6 Sed inter has diuisiones illa est præcipua, qua diuiditur lex in legem odiosam, & fauorabilem. Odiosa dicitur, non quia odio digna sit, est enim iusta, & sancta; sed quia imponit grauamen aliquod, vel pœnam, quam meri

meritò recusat subire humana natura. Fauorabilis dicitur lex, quæ fauorem continet. At difficultas non leuis est, in cognoscendo, quæ lex dicatur grauamen continere, quæ fauorem? Sæpè enim lex, quæ grauamen alicui imponit, alteri beneficium confert, vt contingit in lege imponente tributum, quæ soluentibus grauis est, & odiosa; ei autem cui soluitur, fauorabilis. Item priuilegium alicui concessum, quo eximitur ab obligatione legis communis, fauorem continet respectu priuilegiati: at respectu communitatis grauamen habet; sentit enim communitas, quòd aliquis ex illa eximatur, eique non conformetur. Deinde lex pœnam delinquentibus imponens odiosa censetur respectu illorum, quibus imponitur: at respectu aliorum, in quorum defensionem lata fuit, fauorabilis est. Qua ratione multi dicunt, legem latam *in cap. si quis suadente diabolo*, qua percussores clericorum excommunicantur, esse fauorabilem, quia licèt respectu delinquentium odium contineat: at respectu status clericalis, in cuius defensionem lata fuit, fauorem continet.

Propter hæc Tiraquel. *in præfat. ad retract. lignag. n. 65.* existimat legem odiosam dici illam absolutè, quæ grauamen alicui imponit, etiamsi aliis fauorabilis sit; quia absolutè fauorabilis dici non potest, & bonum ex integra causa. At dici potest absolutè odiosa, quia ad hanc denominationem sufficit, ex parte odium continere. Deinde, quia ne odia extendantur, ratione odij semper est restringenda lex.

Verùm hæc doctrina absolutè probanda non est, aliàs nulla esset lex, quæ odiosa non esset censenda, cùm quælibet lex eo ipso, quòd præceptiua sit, onus, & grauamen imponat, eis, quibus præcipit. Quocirca dicendum existimo, vt lex aliqua dicatur fauorabilis, vel odiosa, spectanda est materia præcepta, quæ si conueniens sit his, quibus præcipit, fauorabilis est censenda: si autem onerosa sit, censenda est odiosa. Exempla legis fauo[r]abilis sunt, lex apponens contractibus solemnitatem aliquam, vt fraudes euitentur, item signans taxam mercibus, ne vltra debitum valorem vendantur. Exempla verò legis odiosæ, sunt leges quæ imponunt vectigalia, vel pœnas transgredientibus aliquas leges; quia his, quibus vectigal soluendum mandatur, vel pœna subeunda est, onus est, & præiudicium, esto cedat in alterius vtilitatem, vel in vtilitatem boni communis: nam hoc est per accidens, aliàs omnes leges fauorabiles essent; cum omnes tam pœnales, quàm præceptiuæ ad bonum commune dirigantur. Non igitur spectandus est finis legis, sed solùm attendenda est materia legis primò, & per se intenta. Colligitur satis apertè ex gloss. *cap. si propter, de rescript. in 6. verbo primi anni*, vbi appellat fauorabilem illam constitutionem, quæ reseruat fructus vacaturæ Episcopo mortuo, quia cedit in fauorem Episcopi defuncti, vt soluat debita, quod erat præcipuè intentum, etiamsi inde damnum obueniat iis, quibus aliàs debebant illi fructus prouenire. sic Couarr. 2. *var. cap. 11. num. 5.* Thom. Sanchez plures referens *lib. 1. de matrim. disp. 1. num. 4.* Ioan. Salas *disp. 21. de legib. sect. 4. num. 10.*

Quando autem dubium est, an lex aliqua dicenda sit odiosa, vel fauorabilis, quia non apparet, quid præponderet, iudicanda est fauorabilis, quia de Principe potius beneficium, quàm odium præsumendum est: & ita tradit Suarez *lib. 5. de legib. cap. 2. num. 13.* cum gloss. & Bald. *in l. 2. C. de his, qui non possunt ad libertatem peruenire, verbo interrogauerit.* Bald. *in l. penult. C. de pactis, circa finem.* Alexan. *l. lib. 7. consil. consil. 197.* Vide de hoc Emanuel Rodriquez *tom. 1. regular. quæst. 11. art. 6.* vbi optimè explicat quæ sit lex fauorabilis, & odiosa.

PVNCTVM III.

Quid sit ius gentium, & qua ratione à iure naturali, & ciuili distinguatur.

1 *Distinguitur ius gentium à iure naturali, & ciuili.*
2 *Explicatur differentia.*

1 Distingui ius gentium à iure naturali, & ciuili, supponunt Doctores ex *l. 1. §. huius studij, ff. de iustit. & iure*, vbi traditur ius coalescere ex præceptis naturalibus, gentium, & ciuilibus. Idem habetur *Instit. de iur. natur. gent. & ciuili. §. 1. & 2.*

Difficultas autem est, qua ratione distinguatur? Nam quælibet lex, vel est lex necessariò adstringens homines ad sui obseruationem, vel solùm accidentaliter. Si necessariò est lex astringens homines ad sui obseruationem, pertinebit ad ius naturale; si accidentaliter, ad ius ciuile. Ergo non est medium inter ius naturale, & ciuile. Dicendum igitur est, ius gentium medium esse inter ius naturale, & ciuile, & cum vtroque conuenientiam habere. ita omnes Doctores infrà referendi, & manifestè constat ex *cap. 6. dist. 1.* vbi diuiditur ius in naturale, gentium, & ciuile.

2 Pro declaratione suppono legem naturalem, seu ius naturale illud esse, quod est insitum cuilibet à natura, supposita humana societate, & communicatione politica: nam hac societate, & communicatione politica posita, insitum est seruo, obedire domino, & promittenti reddere promissum, & contrahenti non defraudare in contractu; quæ omnia sunt de iure naturali. Quocirca quotiescumque aliqua ita sunt prohibita, vt nulla ratione possint non prohiberi, eo quòd de se mala sint, à iure naturali prohibentur. Ius autem ciuile est, quod Princeps statuit ad regimen suorum subditorum, sed ita statuit, vt possit illud non statuere, quia liber fuit in iure illo ferendo, illóque solùm obligare potest sibi subditos. Ius autem gentium, quod est medium inter ius naturale, & ciuile, affirmo esse ius, quod neque à natura est insitum necessariò, neque à determinato aliquo Principe, aut regno ortum habet: sed ferè ab omnibus gentibus introductum est, non scriptura, sed vsu, & consuetudine gentium. Quod probo inductione illorum, quæ dicuntur de iure gentium. Principio discretio gentium, & regnorum diuisio iure gentium introducta est. *l. ex hoc iure, ff. de iustitia, & iure.* nam iure naturali stante bene poterant omnia esse communia. Item bella, contractus, seruitutes, legatorum admissio, paces, fœdera, & alia, quæ refert Isidor. 5. *etymolog. cap. 4. & 6.* & traduntur *in cap. ius gentium, distinct. 1.* iure gentium sunt introducta, quia ius naturale non necessitabat ad illa commercia, bella, seruitutes, &c. alia enim via gubernari homines possent, & de iniuriis sibi factis satisfactionem recipere, vt bene expendit Suarez *lib. 2. de legibus, cap. 19. à num. 7.* & ex alia parte non sunt ab aliquo Principe in aliquo speciali regno stabilita, sed communi vsu gentium determinata. Ergo ius gentium est medium inter ius naturale, & ius ciuile, naturali, & ciuili maximè conforme, & ita tradidit Iustinian. *in § ius autem, Instit. de iure naturali, gentium, & ciuili.* vbi dicit, *Ius gentium omni humano generi commune est: nam vsu exigente, & humanis necessitatibus, gentes humanæ iura quadam sibi constituerunt.* Ergo non à natura erant talia iura constituta, sed homines sibi, vsu, & consuetudine ob necessitates occurrentes constituerunt. Idem habetur *cap. omnis lex.* Quapropter ius gentium, etsi naturali rationi conforme sit, in illóque fundetur, proximè tamen, & immediatè positiuum est, & humanum; quia ab hominibus oritur, ipsique vsu, & consuetudine sibimet constituerunt. sic Suarez *suprà lib. 1. cap. 18. 19. & 20.* Molina *de iustit. tractat. 1. disput. 3. & 5. & tractat. 5.*

de iurisdict. disput. 69. ad finem. Valent. *tom. 2. disput. 7. quæst. 5. punct. 2.* Salas *de legib. disput. 2. sect. 3. num. 21.* Bannes 2. 2. *quæst. 57. art. 3.* Bonacina *disp. 1. de legib. quæst. 1. punct. 1. num. 15.*

Pvnctvm IV.

Quot, & qui sint legis actus.

1 *Quatuor enumerantur.*
2 *Proponitur obiectio.*
3 *Satisfit obiectioni.*
4 *Quomodo inhabilitas, & irritatio sit actus legis.*

1 Respondeo quatuor enumerari à Modestino *in l. legis virtus ff. de legibus. Legis* (inquit) *virtus hæc est, imperare, vetare, permittere, punire.* D. Thomas 1. 2. q. 92. *art.* 2. & communiter Doctores. Ex his verbis colligunt nullam esse legem, quæ vel non imperet, aut vetet, aut permittat aliquid faciendum, aut factum puniat. & ita probat, & variis textibus exornat Azor *tom. 1. instit. moral. lib. 5. cap. 5. quæst. 5.* Suarez *lib. 1. de legib. cap. 15. & seqq.*

2 Sed obiici potest: quia aliqui ex his actibus non distinguuntur; alij verò ad legem non pertinent. Primò enim imperare, non videtur distingui à vetare. Nam prohibens aliquid fieri, imperat ne fiat. Ex alia etiam parte permissio, & punitio non sunt actus legis: nam permissio non inducit obligationem, quatenus permissio est. Ergo non potest esse actus legis permissio. Item punitio fit propter legem violatam. Ergo iam supponit totam legem. Ergo non est actus ipsius: aliàs etiam collatio præmij actus legis enumerabitur, & sic plures actus legis erunt, quàm quatuor enumerati.

3 Respondeo imperare, & vetare distingui, tanquam affirmatiuum, & negatiuum: nam etsi omnis lex si in rigore sumatur, verè, & propriè imperet; ex communi tamen acceptione accommodatur solùm legi imperanti aliquid positiuum. Verbi gratia, auditionem Missæ, largitionem eleemosynæ: econtra vetare, accommodatum est legi prohibenti actum, & imperanti negationem, quales sunt leges prohibentes furta, fornicationes, homicidia, & alia huiusmodi. De permissione autem, siue sit de bono actu, siue de malo: qua ratione ad legem pertinere possit? Dico non pertinere ad legem per se, sed consecutiuè, quia non est lex respectu illius, cui est facta permissio, est tamen lex respectu aliorum. Nam eo ipso, quo tibi permittitur aliquod malum absque punitione facere, prohibentur iudices, & omnes alij, ne te obinde puniant, aut molestent. Quòd si permissio non de aliquo malo sit, sed de aliquo bono; similiter etiam prohibentur alij, ne te in eius vsu perturbent. De punitione similiter dicendum est obligare iudices ad eius executionem, & subditos, vt punitionem sustineant. Neque est simile de præmio, nam licèt aliquando procedat à superiore ferente legem; non tamen est necessarium, vt ab illo semper procedat, potest enim sicut & consilium ab æquali, & inferiori oriri; ideóque punitio est semper actus legislatoris, non tamen præmij collatio.

4 Solùm de inhabilitate personarum ad aliquos actus, & de illorum irritatione, dubitari potest, an sit actus legis? Ratio dubitandi est: quia ignorantes afficit; quod de præceptis dici non potest. Sed dicendum est inhabilitatem personarum ad contrahendum, & irritationem actuum à lege oriri; quia lex ipsa prohibet, ne subditi tales actus validos efficiant: & licèt ignorantes ligentur, quoad valorem actus, non tamen ligantur, quoad culpam. Quocirca lex irritans duo habet; & habet obligare subditos, ne efficiant tales actus, & habet obligare, ne validos illos efficiant. Hoc secundum verum habet, etiamsi ignoranter procedant. sic Suarez *lib. 1. de legib. cap. 17. num. 10.*

Pvnctvm V.

An materia legis necessariò debeat esse honesta, & virtuti conformis, & de differentia inter legem canonicam, & ciuilem.

1 *Proponitur ratio dubitandi.*
2 *Statuitur omnem legem debere esse de actu virtutis, & satisfit rationi dubitandi.*
3 *Expenditur differentia inter legem canonicam, & ciuilem.*
4 *Quando Ecclesiasticus vti debet lege ciuili.*

1 Ratio dubitandi est; quia plures sunt leges gubernationi politicæ attendentes potius, quàm morum honestati: qualis est lex prohibens actionem aduersùs defraudantem infra dimidium iusti pretij: concedens præscriptionem possidenti bona fide aduersùs proprium dominum: permittens meretrices, non puniens occisionem adulteræ, & aliæ similes. Item sæpè res indifferentes prohibentur. Ergo non est de ratione legis, quod sit de materia virtutis.

2 Certa tamen sententia est, omnem legem, siue naturalem, siue canonicam, & ciuilem necessariò esse de aliquo actu virtutis; quia lex omnis debet esse honesta, & rationi conformis: vt dixit Isidorus *lib. 5. etymolog. cap. 2.* & refertur *in cap. omnis lex, distinct. 3.* & tradit D. Thomas 1. 2. *quæst. 95. art. 3.* sed ea quæ sunt honesta, & rationi naturali conformia, ad virtutem pertinent. Ergo. Item finis cuiuslibet legis est, facere subditos bonos, vt tradit D. Thomas receptus ab omnibus 1. 2. *quæst. 92. art. 1.* Sed non potest subditos efficere bonos, nisi id, quod imperat, bonum sit. Ergo. Item lex humana intendit ciues suos, bonos ciues efficere, qui esse non possunt tales, nisi bonis moribus præditi sint. Ad rationem autem dubitandi facile respondetur, omnia illa ad pacem, & tranquillitatem reipublicæ pertinere; quia lex ciuilis accommodatur humanæ conditioni, & fragilitati, cui est conueniens, & honestum impunita relinquere aliqua minora mala, ne in maiora prolabatur.

Ex quo fit lege humana non prohiberi omnes actus vitiosos, imò attenta hominum conditione, neque prohiberi posse; quia attenta hominum conditione est conueniens ad rectam gubernationem aliqua mala permittere, & impunita relinquere. Ergo non potest esse conueniens omnia mala prohibere, & punire: & ita docuit Salas *disp. 9. de leg. sect. 3. num. 39.* Suarez *lib. 3. de leg. cap. 12. n. 12. & lib. 4. cap. 11. n. 3.*

Neque obstat omnes actus vitiorum à lege naturali, & diuina prohiberi; quia lex naturalis, & diuina attendit, quid vnicuique conueniat, lex verò positiua, quid communitati: & cùm communitati hominum conueniens sit attenta eorum fragilitate, aliqua minora mala permitti, non potest esse conueniens omnia prohiberi.

Dices. Lex positiua prohibens ea, quæ naturali, vel diuina lege sunt prohibita, non addit specialem malitiam. Ergo si à lege naturali sunt prohibita, poterit lex positiua, & omnia prohibere, cùm nullum grauamen subditis inde imponat. Adde qui peccat aduersùs legem naturalem, & diuinam, dignus est non solùm pœna apud Deum, sed etiam apud homines; ad iudicis enim pertinet cura, vt omnes leges naturales seruent.

Respondeo legem positiuam non addere specialem malitiam legi naturali: addere tamen specialem subiectionem ad pœnam, cui non est subiectus delinquens aduersùs legem naturalem. Et licèt de quolibet particulari peccato verum sit committentem dignum esse pœna non solùm æterna, sed temporali, posséque à republica imponi: at de omnibus collectiuè non est dicendum conueniens esse, vt imponeretur, imò potiùs est conueniens impunita relinqui.

Ad illud verò, quod addebatur de rebus indifferentibus, respondeo res indifferentes, qua ratione indifferentes sunt, non esse materiam legis; esse tamen quatenus necessaria, vel vtiles sunt ad finem à legislatore intentum: semper enim legislator finem habet honestum in lege ferenda; & ex huiusmodi honestate, res de se indifferentes honestatem recipiunt, vt benè dixit Suar. *lib.3.de legib.cap.12. à num.17.* Bonacina *disp.1. de leg.q.1.p.5.num.4.*

3 Aduertenda tamen est differentia intra leges canonicas, & ciuiles: nam licèt omnes leges tam canonicæ, quàm ciuiles honestatem, & virtutem respiciant, leges tamen canonicæ primò, & per se virtutem respiciunt, quatenus media virtute ad finem supernaturalem homines diriguntur. leges autem ciuiles respiciunt virtutem, & honestatem, quatenus ad rectam, & conuenientem gubernationem conducunt: eáque de causa materia legis ciuilis temporalis est; materia verò legis canonicæ spiritualis, vt colligitur ex *cap.solitæ, de maiorit. & obed. & cap.benè quidem.cap.si Imperator, & alijs 96.dist.* & tradunt Doctores *in cap. Ecclesiæ.de constitutionibus. & in l.omnes populi. ff. de iustit. & iure.* Neque obstat lege ciuili prohiberi clandestina matrimonia, iuramenta, vsuras, incestus, & alia, quæ etiam lege canonica sunt prohibita, & spiritualia sunt: quia non prohibentur, quatenus impediunt homines à fine supernaturali consequendo, sed quatenus impediunt pacem, & rectam reipublicæ gubernationem, & sic harum materia temporalis est. Adde huiusmodi leges ciuiles punientes hæc delicta iuuare maximè canonicas leges, & in eorum subsidium sunt admittendæ. Vide Couarruu.*4.decret.in princip.num.18.& seq.* Thom.Sanch.*lib.3.de matrim.disp.47.num.12.* Suarez *lib.4.de lege canonica cap.11. à num.6 & seqq.*

4 Secundò aduerto sæpè iudices Ecclesiasticos vti in litibus definiendis, & pœna delinquentibus imponenda, legibus ciuilibus. Primò si lex ciuilis sit iam ab Ecclesia canonizata, hoc est, acceptata: nam tunc non obligat virtute ciuilis legis, sed quia est lex canonica, vt contingit *in c.1.& 2.de possess.& propr.& cap.in primis. §.gloriosius, dist.11.& ibi glossa.* Aduertit optimè Suarez, *lib.4.de leg.c.11.n.15. cum Abbate in cap. super eo, de restit. num.4.* & Felino *ibi num 3.* Rebusso, Guttierez, & aliis non censeri approbatam ab Ecclesia legem ciuilem, ex eo quòd Gratianus in suo decreto illam inseruerit, sed necessariò ab aliquo ex Pontificibus debet approbari. quia Gratianus non habuit authoritatem leges canonicas condendi; ac proinde neque ciuiles leges canonizandi.

Secundò vti debent iudices Ecclesiastici legibus ciuilibus in litibus definiendis, in pœnis imponendis, quando non habent leges proprias canonicas, secundùm quas possint iudicare; tunc enim earum loco subrogantur leges ciuiles, ex *cap.1.de noui operis nuntiatione.* ibi, *sicut leges non dedignantur sacros canones imitari: ita & sacrorum statuta canonum Principum constitutionibus adiuuantur*; & paulo inferiùs; *secundùm legum, & canonum statuta negotium non differas terminare.* Ratio est, quia leges ciuiles sunt rationi conformes: congruum ergo est, vt illas Ecclesiasticus sequatur, quando proprias non habet; sic maiori rectitudine, & æquitate procedet: & ita tradunt Doctores *in supradict.cap.* Panormit.*in cap.2. de desponsat.impub.* Dubium tamen est, an leges proprij regni præferendæ sint legibus imperialibus? Affirmat Bernard.Diaz, & Salzedo *in practica criminali cap.14.fine.* concedit Suarez de consilio, non de necessitate, *lib.4. de legib. cap.11.num.14.* quia in iure canonico talis prælatio non præcauetur. Ego verò existimo obligatum esse iudicem Ecclesiasticum in supradicto casu præferre leges proprij regni, legibus imperialibus. Nam ex *supradicto cap.1. de operis noui nuntiatione*, tenetur iudex Ecclesiasticus deficientibus canonicis legibus sequi ciuiles. Ergo tenetur sequi ciuiles, quæ obligant, in toto regno: Imperiales autem non obligant, nisi cùm deficiunt propriæ. Ergo.

PVNCTVM VI.

An leges ciuiles, & canonicæ possint imperare actus internos.

1 *Proponitur difficultas, ob quam Doctores affirmant legem humanam circa actus internos versari.*
2 *Nulla lex humana circa actus merè internos versatur.*
3 *Indirectè benè possunt præcipi actus interiores.*
4 *Actus internus, qui ad actum exteriorem præceptum, neque physicè, nec moraliter necessarius est, præcipi non potest.*
5 *Satisfit rationibus num.1 adductis.*

1 De lege æterna, & naturali nulla est dubitatio, cùm tam potentiæ exteriores, quàm interiores intellectus, & voluntatis Deo subiectæ sint. Solùm de lege humana ciuili, & canonica est controuersia, an circa actus interiores versari possit. Ratio dubitandi est, quia quælibet lex humana, tam canonica, quàm ciuilis, imperat, vel prohibet actus humanos, & liberos: sed actus humani, & liberi esse non possunt sine exercitio voluntatis. Ergo imperat, & prohibet actus interiores voluntatis. Et confirmo. Cùm lex prohibet, ne pro mercibus accipiatur vltra pretium taxatum, prohibet voluntatem accipiendi tale pretium. Ergo iam lex versatur circa actus voluntatis. Item reseruat peccata interiora. Secundò, si lex ciuilis solùm versari posset circa actus externos, & non circa actus internos: ideo est, quia lex ciuilis imperare, aut prohibere non potest, nisi eos actus, qui rectæ gubernationi, & communi paci reipublicæ possunt conducere, quia solùm ad hunc finem data est hæc potestas. Sed ex hoc infertur, non posse imperare, neque prohibere actum externum, nisi vt notorium, & manifestum, quia solus hic actus perturbare rempublicam potest, & communi bono obesse, quod sanè est falsum, & contra receptam sententiam. Ergo dicendum est, posse actus internos imperare. Tertiò homicidium, vsura, adulterium, quantumuis occultum, à lege ciuili prohibetur, etiamsi puniri non possit. Ergo etiamsi de interioribus actibus iudicare non possit legislator, poterit nihilominus eos prohibere, aut imperare. Quartò specialiter de lege canonica; iudices enim Ecclesiastici non à populo, sed à Christo Domino habent potestatem: sed Christus Dominus non solùm in actus externos, sed etiam in internos potestatem habuit. Ergo potuit hanc potestatem suis successoribus relinquere, imò credendum est relictam esse. Probo hanc consequentiam, quia verba, quibus reliquit hanc potestatem, generalia sunt: *Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum in cœlo, & quodcunque solueris super terram, erit solutum in cœlo.* Ergo non debent limitari ad actus externos, cùm potestatis concessio latè sit interpretanda, vtpote fauor Principis non in destructionem, sed in ædificationem animarum concessus. Item absoluit peccata interiora, dispensat in votis merè internis, excom

excommunicat delinquentes, si odio, vel amore iniustè procedant, vt constat ex *Clement. 1. §. verùm, de hæreticis*, vbi Inquisitores omittentes ex odio, vel amore turpis lucri, procedere contra aliquem ex causa fidei, excommunicantur, & *in Clement. 1. de statu monachorum*, excommunicantur monachi Benedictini ad curiam accedentes animo accusandi Prælatum: quæ conditiones omnino esse possunt interiores, & nemini manifestæ. Item præcipit Ecclesia sacramenta recipi cum recta dispositione, hoc est, absque conscientia peccati mortalis. Ergo præcipit contritionem, qui actus merè internus, & supernaturalis est. Denique præcipit Ecclesia recitantibus officium diuinum attentionem in oratione, ex *cap. dolentes, de celebratione Missarum*, & recipientibus beneficium curatum, intentionem assumendi sacerdotium intra annum, aliàs fructibus beneficij eos priuat, ex *cap. commissa, § cæterùm, de elect. in 6*. Denique potestas Ecclesiæ, est potestas spiritualis, quæ respicit bonum animarum, & supernaturalem finem, à quo per peccata merè interna maximè separantur.

Propter hæc multi censent legem humanam versari posse circa actus merè internos, specialiter si canonica sit. docuit glossa *in cap. cogitationis, de pœnit. dist. 1. & in Clement. 1. de hæret. §. verùm, verb. de eo ipso*. Medina *C. de oratione, quæst. 15. de hac re*. Rosella *verbo absolutio 1. num. 28. & 29*.

Alij Doctores sub distinctione procedunt. Affirmant namque non posse humanam legem, circa actus merè internos versari, si per se sumantur: at quoties actui exteriori coniunguntur, etiamsi per accidens, & ex arbitrio operantis coniuncti sint, posse circa illos versari. sic docuit Soto *lib. 10. de iustit. quæst. 5. art. 5*. Corduba *lib. 4. quæst. 13*. Couarr. *in regul. peccatum, 2. part. num. 7*. Caietan. *summ. verbo excommunicatio, cap. 3. & verbo hora, §. 3*. Angel. *verb. hæreticus, num. 2*.

2 Dicendum tamen est primò, non posse ciuilem, aut canonicam legem circa actus merè internos versari. Et de lege ciuili certum existimo, cùm hæc à potestate populi ortum habeat, & populus non possit dare iurisdictionem supra id, quod sibi est omnino incognitum, & in quo nullam inter se ciues communicationem habent, neque bono communi obesse, aut prodesse potest: propter quæ dixit Seneca *3. de benefic.* relatus à D. Thoma *2. 2. quæst. 104. art. 5. corp.* obnoxia esse, & adscripta dominis, mentem autem sui iuris esse; quasi diceret, in actibus mentis nulli hominum deberi subiectionem. De lege autem canonica probabilius censeo, non posse versari circa actus merè internos, non quia Christus Dominus non potuerit suæ Ecclesiæ hanc potestatem relinquere, sed quia credo relictam non esse, quod mihi persuadet: quia potestas hæc ferendi legem data est primò, & per se ad rectam Ecclesiæ gubernationem, sed Ecclesia visibilis non rectè gubernatur actu inuisibili. Ergo non pertinet ad rectam Ecclesiæ visibilis gubernationem actus interior inuisibilis. Item potestas legislatiua coniuncta esse debet cum potestate punitiua, vt dixit Aristot. *10. Ethic. cap. 5*. qui enim leges ferre potest, potestatem debet habere puniendi transgressores illarum: puniendi, inquam, non solùm per ipsam legem, imponendo pœnam ipso facto transgressoribus: sed per sententiam cognoscendo de delicto, & de pœna imposita; hoc enim conueniens est, & maximè necessarium ad obseruationem legum, sed in Ecclesia non est potestas puniendi per sententiam actus merè internos, quia nequit illos Ecclesia cognoscere, & iudicare; homo enim videt solùm ea, quæ patent. Deus autem intuetur cor: & ita traditur *in cap. tua nos, cap. sicut tuis, de simonia*, & alibi sæpè. Ergo cùm cognitio delicti, & iudicium ipsius ad punitionem debeat necessariò præcedere, efficitur, non posse actum interiorem, Ecclesiam punire, & consequenter neque imperare: sic docuit D. Thom. communiter receptus *1. 2. quæst 91. art. 4. & quæst. 100. art. 9*. Nauarr. *summ. cap. 27 num. 17. & in cap. cogitationis, de pœnitent. distinct. 1. num. 9 & in cap. si quis non dicat, eadem distinct. num 8*. Suarez plures referens, & latè probans, *lib. 4. de legib. cap. 12. num. 4 & lib. 3. cap. 13. à num. 1*. Salas *disput. 9. sect. 1. num. 30*. Azorius *tom. 1. institut. moralium, lib. 7. cap. 10*. Vasquez *2. tom. disput. 160. cap. 2*. Valent. *tom. 2. disput. 7. quæst. 3. punct. 2. & 7*. Bonacina *disput. 1. de legib. quæst. 1. punct. 5. num. 8*. & alij plures ab eisdem relati.

3 Dico secundò, potest humana respublica, & Ecclesia suis legibus actus interiores indirectè præcipere; si per se coniuncti sunt, cum actibus exterioribus præceptis: dupliciter autem esse possunt coniuncti. Primò, si necessarij sint ad actus externos imperatos faciendos, vel omittendos: & secundùm hanc rationem clarum est posse præcipi actum internum; si enim lex præcipiat vendere merces, contractum celebrare, tributa soluere, tacitè præcipit voluntatem habere hæc omnia faciendi; quia sine tali voluntate hæc fieri non possunt, & in hoc nullus est, qui dissentiat, quia tunc non præcipitur actus internus per se, sed per accidens, quatenus ad externum efficiendum necessarius est. Adde talem actum internum sufficienter externo manifestari. Secundo modo coniunctus esse potest actus internus cum externo, quatenus necessarius est, vt actus externus non in esse physico, sed in esse morali constituatur; sæpè enim actus interior ad exteriorem hoc modo necessarius est: ad contractum enim legitimum requiritur intentio contrahendi, & secundùm probabilem satis sententiam voluntas se obligandi: ad orationem vocalem intentio, & attentio, ad ministrationem sacramenti intentio faciendi, quod facit Ecclesia. Quando ergo actus exterior actum interiorem hoc modo requirit; si Ecclesia, vel respublica præcipiat talem actum exteriorem, simul & interiorem censetur præcipere, & tunc præceptum non solùm in rem exteriorem cadit, sed etiam in interiorem non per se, sed quatenus forma est actus exterioris. Quòd autem præceptum talis actus exterioris facultatem Ecclesiæ, vel reipublicæ non excedat, inde probatur, quia huiusmodi actus exteriores pertinent vel ad humanam, & politicam gubernationem, vel ad religiosum cultum Deo debitum; quis enim negare potest obesse reipublicæ contractus fictos, & fraudulentos esse? & quis negabit ad cultum religiosum pertinere veras orationes fundere, & non fictas? & sacramentorum confectionem veram esse, & non irrisoriam? Ergo cùm ad hæc omnia actus interior necessarius sit, ex præcepto actus exterioris & interior censetur præceptus: & ita tenet, & latè probat Suarez *lib. 4. de legibus, cap. 13. à num. 5*. Salas *num. 14*. Vasquez *cap. 5*. Bonacina *num. 8. & 9*. & videtur manifestè definiri *in cap. dolentes, de celebratione Missarum*, vbi mandatur officium diuinum, studiosè, attentè, & deuotè dicere.

4 Dico tertiò, quoties actus interior necessarius non est ad actum exteriorem physicum, neque moralem efficiendum, sed per accidens cum illo coniungitur, nequit Ecclesia talem actum interiorem imperare. sic Suarez *suprà num. 14*. Ratio. Quia tunc verè, & propriè, & directè præciperet actum interiorem; siquidem externus tam in esse physico, quàm morali independens est ab illo actu interiori. Imperare autem talem actum internum non videtur necessarium ad rectam Ecclesiæ gubernationem, neque in illo fideles communicare possunt communione visibili. Ex quo fit nunquam Ecclesiam præcipere fidelibus, vt in oratione fundenda hanc, vel illam intentionem habeant; quia hoc esset præcipere directè actum internum: solùm enim præcipit in necessitatibus orationes fundere, ieiunia sustinere, eleemosynas erogare, sed nihil de speciali intentione,

tione,& fine. Quod constat: nam si quis ieiunaret, oraret,& alia bona opera faceret ob vanam gloriam,vel ob alium prauum finem, non peccaret aduersùs legem Ecclesiasticam. Ergo signum est numquam præcipi actum internum, qui per accidens est externo coniunctus.

5 Neque obstant in contrarium adducta.

Ad primum cum eius confirmatione respondeo legem humanam prohibere posse actum internum, non per se,& directè, sed indirectè, & per accidens, & quatenus est causa actus exterioris; prohibens enim actus exteriores,prohibet consequenter apponere causas efficaces illius: & econtra imperans actum exteriorem fieri, imperat apponi causas ad illius executionem necessarias, & remouet illius impeditiuas: quod non est propriè habere iurisdictionem in actum internum.

Ad secundum nego solum actum externum, notorium,& manifestum perturbare rempublicam posse, & communi bono obesse: quia quilibet actus exterior malus, quantumuis occultus,hunc effectum habere per se potest,esto de facto non habeat,quod est per accidēs, & extra eius naturam, quæ cognoscibilis est. At actus interior non solùm de facto communi bono non obest, sed neque per se obesse potest;cùm per se ab hominibus incognoscibilis sit. Quæ autem per se, & natura sua cognosci ab hominibus possunt, rectè eius iurisdictioni subduntur; secus verò, quæ per se, & natura sua incognoscibilia sunt.

Ad tertium dico vsuram,adulterium,& homicidium occultum prohiberi à lege humana, & puniri per se posse, esto per accidens non puniatur, dum est occultum.

Ad quartum nego Christum Dominum concessisse Ecclesiæ potestatem præcipiendi actus merè internos, quia non erat hæc potestas necessaria ad rectam Ecclesiæ gubernationem, sicut neque tradidit potestatem illos puniendi, quia non erant per se cognoscibiles: tradidit autem potestatem ligandi, & soluendi sacramentaliter delinquentes actu merè interno; quia hæc potestas ad rectam Ecclesiæ gubernationem pertinebat; quia Ecclesia non solùm attendit bonum,quod est commune fidelium, quatenus inter se communicant, sed quatenus bonum est cuiuslibet; ad cuius respectum erat maximè necessaria potestas ligandi, & soluendi actus interiores, quibus à fine supernaturali homines recedunt. Hæc tamen potestas non est potestas iurisdictionis contentiosæ, sed voluntariæ, quæ in commodum subditi, & ex consensu illius habetur: potestas autem legem ferendi, quia non requirit consensum subditi, neque bonum illius speciale respicit, sed commune, ea de causa non potest circa actus internos versari.

Ex qua doctrina facilè obiectionibus satisfieri potest. Concedo, inquam, directè absoluere sacerdotem peccata merè interna, etsi non sint signo aliquo externo manifesta, dummodo ea confessori pœnitens declaret,quia absoluit iurisdictione data à Christo in bonum fidelium: similiter etiam dispensat in votis, & iuramentis merè internis; quia nomine ipsius Dei dispensat,& in causa,quæ inter hominem, & Deum agebatur: quod non est consequens ad legem. Ad illud verò de excommunicatione respondeo, etsi moueri odio, vel amore, cognosci ab hominibus non possit certò; probabiliter tamen,& moraliter cognosci potest,quod sufficit, vt puniatur, Vasquez *disp. 160. cap. 3.* Salas *de legib. disp. 9. sect. 1. num. 8. & 9.* existimant puniri non posse censura, nisi quatenus exteriùs moraliter manifestatur. Adde non puniri delinquentem ob actum interiorem præcisè, sed ob actum exteriorem tali conditione affectum, scilicet procedentem ex odio, vel amore: quod non est extensio potestatis, sed potiùs restrictio illius; poterat enim ob actum exteriorem præcisè puniri,cùm malus sit, vt suppono. Ergo cùm ad punitionem expostulatur, vt actus exterior malus ex odio, vel amore procedat, potius limitatur pœna, quàm extenditur; siquidem non omnem actum exteriorem afficit, sed illum, qui tali conditione affectus est: sicuti limitatur, cùm excommunicatio fertur in delinquentes scientes, poterat enim ferri: etsi non scienter deliquissent, sed contra delinquentes absolutè. Eodem modo respondetur ad exemplum monachi Benedictini accedentis ad curiam intentione accusandi Prælatum; poterat enim excommunicari, etiam si hac intentione careret. Ergo non extenditur, sed potiùs vsus potestatis limitatur.

Ad illud de sacramentorum receptione, existimo probabilius non præcipere Ecclesiam suis fidelibus rectam dispositionem habere; hoc enim relinquit diuino præcepto, quod obligat sancta sanctè tractare. Recitantibus præcipit attentionem; quia non potest esse oratio exterior, sine intentione, & attentione; sicut in recipientibus beneficium curatum, postulat intentionem recipiendi intra annum sacerdotium,non in vi solius præcepti, sed in vi conditionis, vt applicet fructus, & beneficium retineat; cùm enim Ecclesia domina,seu administratrix sit beneficiorum, potest sub illa, vel illa conditione beneficia conferre: vna autem ex conditionibus est, vt voluntatem efficacem habeant assumendi sacerdotium, qui beneficium recipiunt. Si ergo illa voluntate carent,deficiunt in conditione requisita, neque facient fructus suos, neque possunt beneficia retinere; sicuti cùm Ecclesia indulgentias distribuit operantibus aliqua opera, sub hac, vel illa intentione, si illa carent, non lucrantur indulgentias: & hoc non est legem ferre de actu interiori; sed nolle beneficium tribuere,nisi sub conditione alicuius actus interioris: quod optimè probant Azor,& Suarez *suprà*. Adde cùm ex præcepto diuino teneatur beneficiatus aliquo tempore ordinari, poterit Ecclesia determinare diuinum præceptum, vt intra annum ordinetur, sicuti facit in præcepto confessionis, & Eucharistiæ.

Ad vltimum fateor potestatem Ecclesiæ ad ferendas leges, esse potestatem spiritualem; tum quia à Christo Domino processit: tum quia ad bonum animarum ordinatur, & in materia sacramentorum, & virtutum supernaturalium versatur. Sed non inde infertur esse potestatem ad actus merè internos,quia hæc omnia respicit hæc potestas, quatenus fideles inter se conueniunt, & vnum corpus componunt, ad illiúsque rectum regimen conducere potest: quæ omnia exteriora debent esse, & per se cognoscibilia.

PVNCTVM VII.

An lex vt obliget, requirat scripturam, vel aliam formam, & quæ hæc sit.

1 *Legem expostulare scripturam ad sui constitutionem, qui affirment, & quomodo probent.*
2 *Defenditur communis sententia necessariam non esse scripturam.*
3 *Limitatur, nisi ex consuetudine, aut alia lege anteriori aliter statutum sit.*
4 *An consultatio legem præcedere debeat.*
5 *Deciditur necessarium non esse.*

1 DE lege æterna, & naturali nihil est dicendum, cùm certum sit legem æternam solo actu diuini intellectus,& voluntatis constitui: naturalem verò cognitione honestatis, vel turpitudinis. Solùm de lege humana canonica, & ciuili est controuersia, quo signo sensibili constituenda sit?

Et quidem signo aliquo sensibili constituendam esse nemini est dubium: quia est præceptum humanum ab homine in hominem directum, quod nisi sensibile sit,

cognosci

cognosci non potest. Hoc autem signum debere esse scripturam, tradidit Albericus, Salicet. glossa, & Archidiacon. relati à Felino *in rubr. de constitutionib.* Beroius *in supradicta rubr.* testatur esse communem iuris ciuilis interpretum: & tradidit plures referens Turrecremata *in cap. lex, distinct. 1. art. 2.* Mouentur, quia lex diuiditur in scriptam, & non scriptam. *§. constat, Instit. de iure naturali, gentium, & ciuili*; quia alia est lex vsu, & consuetudine introducta; alia quæ fit per constitutionem. Lex ergo, quæ per consuetudinem introducitur, scripturam non requirit, vt de se constat, & traditur *in §. sine scripto*, ibi, *sine scripto ius venit, quod vsus approbauit.* at lex quæ constitutione, & decreto Principis fit, scripturam requirit, ex *cap. lex est, cap. ius generale, distinct. 1.* ibi, *lex est constitutio scripta.* Idem traditur *in cap. consuetudo, & alijs.* Ratione autem probatur, quia lex debet esse permanens, & stabilis; sed si voce, vel alio signo transeunte proferatur, stabilis esse non potest. Ergo. Item debet esse clara, & distincta, & regula actionum, quod vocibus, vel aliis signis non facilè accommodatur. Ergo.

2 Nihilominus communis sententia Canonistarum, & Theologorum est, ad legem constituendam non esse necessariam scripturam, sed vocibus, vel aliis signis posse Principem ferre legem: esto conueniens maximè sit, vt nunquam ferat nisi scriptam; sic docuit Felinus, & Beroius *suprà.* Azor *tom. 1. instit. moral. lib. 5. cap. 2. q. 4.* Suarez *lib. 1. de legib. cap. 11. fine, & lib. 3. cap. 15. num. 6. & lib. 4. cap. 14. initio.* Selua *tract. de beneficijs, cap. 22. n. 14.* Valent. *tom. 2. disput. 6 quæst. 1. punct. 2.* Salas *disp. 1. de leg. sect. 9. n. 64.* Bonacina *disp. 1. de legib. q. 1. p. 4. n. 39.* & alij plures ab eisdem relati.

Probo, quia ad rationem legis, requisita non est scriptura ex natura rei; quia solùm potest requiri, vt subditis voluntas legislatoris manifestetur: at manifestari optimè potest voce, vel alio signo sensibili. Ergo scriptura non est simpliciter necessaria. Quod videtur manifestè probari ex præceptis latis à Christo Domino, & ab Apostolis tempore nascentis Ecclesiæ, quæ sine scriptura, sed sola prædicatione, & publicatione illorum inceperunt obligare. Neque etiam est necessaria ex iure aliquo positiuo; nullibi enim extat tale ius. Nam quæ referuntur ex Isidoro *cap. lex, cap. consuetudo*, solùm probant legem constitutione latam frequenter scriptura ferri: non tamen esse hoc necessarium; cùm *in supradicto cap. consuetudo*, dicatur de lege, *non differre legem, sine scriptura, siue ratione consistat: quæ ratio legem commendat.* Neque conditio de stabilitate hoc probat, siquidem in hominum mentibus moraliter permanere lex potest solo verbo prolata, sicuti permanet præceptum superioris, etiamsi per actum transeuntem latum fuerit, & non leuiter colligitur ex *cap. 1. de iureiurando, in 6.* vbi iuramenta, statuta, & consuetudines Ecclesiarum, siue scripta, siue non scripta, præcipiuntur obseruari. & *cap. instit utionis, 25. quæst. 2.* dicitur, *Institutionis nostræ decreta, siue quæ scripto decernimus, siue quæ in nostra præsentia videntur esse disposita; nolumus ex quauis occasione conuelli, aut irritari.* consentit ibi glossa *verbo præsentia.* Adde ex iure etiam ciuili non requiri scripturam ad legem: nam *in §. sed & quod constitutum est. Institut. de iure naturali, gentium, & ciuili*, dicitur: *Quodcumque ergo Imperator per epistolam constituit, vel cognoscens decreuit, vel edicto præcepit, legem esse constat.* Ergo ad rationem legis neque ex iure canonico, neque ciuili scriptura necessariò requiritur. Argumenta pro contraria sententia solùm probant, vt diximus, legem frequentius, & conuenientius ferri scripto, quàm voce, vel alio signo.

3 Limitanda tamen est hæc doctrina, nisi ex consuetudine aut alia lege anteriori decretum sit legem non valere, nisi scriptura proferatur; tunc enim non erit constituta lex, quousque scriptis mandetur, nisi fortè legislator potestatem habeat derogandi consuetudinem, & vellet sua lege non scripta derogare, quod necessariò debet manifestare; aliàs vim non habebit. sic Suarez *lib. 3. de legib. cap. 15. num. 6. fine.* Bonacina *disp. 1. q. 1. p. 4. n. 50.* Salas *n. 68. ad finem.*

De priuilegiis verò, rescriptis, & gratiis à Principe concessis, qua ratione expostulent concedi in scriptis, vt effectum sortiantur, cùm de priuilegiis erit sermo, dicetur.

4 Rursus dubitari posset, an Princeps necessariò debeat consulere prudentes, & doctos, priusquam legem ferat? Ratio dubitandi est, quia leges ferre, est res magni momenti, & quæ indiget magna consideratione, ne error committatur, imperando ea, quæ honesta non sunt, neque reipublicæ conuenientia. Quapropter *in l. humanum, C. de legibus*, dicitur, si in posterum noua lex statuatur, eam ab omnibus proceribus tractari debere, & si vniuersis placuerit, tunc dictari, & collectis omnibus recenseri, & cùm omnes consenserint, in sacro imperatorio consistorio recitari poterit. Requiritur ergo consilium virorum prudentum ad legem ferendam.

5 Dicendum tamen est absque consilio, & consultatione prudentum, posse Principem ferre legem; quia consilium solum requiritur vt medium, ad inuestigandum, sitne talis lex reipublicæ conueniens: sed hanc conuenientiam ipse Princeps attingere potest per se ipsum. Ergo non necessariò expostulat consilium prudentum. Dices ex iure positiuo hoc esse postulatum, ex *supradicta l. humanum, C. de legibus.* Sed contrà, quia, (vt dicit Suarez *lib. 3. de legib. cap. 15. num. 3.*) si prædicta lege non arctantur Imperatores ex necessitate, sed ex benignitate: tum quia ipsi suis legibus arctari non possunt: tum quia possent secum dispensare: tum etiam, quia possent talem legem mutare, vel abrogare. In iure autem canonico nullus extat textus tale consilium necessariò expostulans. Ergo non est affirmandum. & ita docet Suarez *suprà* cum Bartolo, *in l. omnes populi, ff. de legibus*, & Iason *in l. 1. ff. de constitutionibus Principum, num. 1.*

PVNCTVM VIII.

An ex prolatione sententiæ datæ à Principe in aliqua causa intelligatur lex constituta ad similes causas decidendas.

1 *Sententia declaratiua legis, vim legis habet.*
2 *Sententia decisiua litis non habet vim legis, quomodo probetur.*
3 *Proponitur communis sententia affirmans sententiam decidentem litem habere vim legis.*
4 *Apponitur limitatio, vt intelligatur de sententia definitiua.*
5 *Quid sit dicendum.*
6 *Idem quod dicitur de sententia, intelligendum est de epistola, & rescripto Principum.*
7 *Quid de sententijs magistratuum Principi inferiorum.*

1 Dvpliciter legislator sententiam ferre potest in aliqua speciali causa; alia quæ sit declaratiua legis à se latæ, alia quæ solùm sit decisiua litis, secundùm leges à se, vel à iure diuino, & naturali statutas. Si sententiam ferat declaratiuam legis à se, vel à suis prædecessoribus latæ; & si tali declaratione legem nouam non constituat: at efficit, vt lex illa declarata obliget secundùm sensum sic expressum; quia lex obligat secundùm voluntatem, & intentionem expressam legislatoris, quæ voluntas, & intentio illa declaratione sufficienter manifestatur. & in hoc omnes conueniunt.

2 Solùm

2 Solùm est difficultas de sententia decisiua litis, an eo ipso ad similes causas decidendas pro lege habenda sit? Negat Couarr. 4. *decret. 1. p. cap. 7. §. 4. num. 15.* quia in decidenda lite alicuius causæ particularis non attendit Princeps bonum commune, sed speciale aliquorum. Ergo ex vi illius decisionis non est censendus legem statuere. Deinde, quia lex præceptiua non versatur circa materiam præteritam, sed circa futuram, quia inducit obligationem in subditis aliquid efficiendi. Econtra verò decisio litis semper est de re præsenti, quia semper declarat ius præexistens inter partes, non de nouo constituit. Ergo non potest esse lex; quia lex est iuris constitutio, non declaratio, facitque *lex 2. C. de legibus*, vbi dicitur, *quod ex relationibus, vel suggestionibus iudicantium procerum introducto negotio statuimus*, &c. *generalia iura non sunt*. Neque aduersatur (ait Couarr.) *lex vlt. C. de legibus*, vbi sententia inter partes data cum cognitione causæ pro lege habenda deciditur, quia loquitur hæc lex vltima de sententia declaratoria legis, non de sententia decisiua litis. Quod videtur constare ex illis verbis: *qui tanta superbiæ fastidio tumidus est, vt regalem sensum contemnat*.

3 Nihilominus communis est sententia vtriusque iuris interpretum, sententiam decisiuam litis cum cognitione causæ inter partes legem constituere ad similes causas decidendas. sic plures referens Ludouic. Gomez *in prœmio ad reg. cancellariæ*. Felin. *in rub. de rescriptis n. 1.* Iason *l. 1. ff. de constitut. princip. num. 1. & in l. 1. ff. de feriis, num. 23. & 24.* gloss. *l. 2. C. de legibus*. Mouentur præcipuè ex supradicta leg. vlt. quæ non videtur posse intelligi solùm de sententia declaratoria legis, sed necessariò intelligenda est de sententia decisiua litis: tum quia requirit cognitionem causæ, & partium præsentiam, quæ ad declarandam legem necessaria non erant; cùm in absentia partium, & sine cognitione illius facti lex declarari poterat.

Responderi posset, verum esse legis declarationem non expostulare illam causæ cognitionem, & partium præsentiam: at ex illa, occasionem legislatorem sumpsisse, ad suam legem declarandam. Sed contrà, quia legislator decidens litem, rarò legem suam interpretatur, sed potiùs legem naturalem, & iuxta illam sententiam fert. Ergo si sententia decisiua inter partes vim legis habere debet, de sententia decisiua litis intelligenda est, vtpotè frequentiori. Quando autem *lex 2. C. de legibus*, affirmat statutum Principis vim legis non habere, (dicit communis sententia) intelligi debere de statutis priuilegiatis, quæque in fauorem particularium personarum conceduntur, quæ nullo modo legis vim sortiri possunt, cui modo dicendi consentit Suar. *lib. 3. de leg. cap. 15. num. 14. fine*.

4 Hanc communem sententiam limitant aliqui, vt solùm procedat in sententia decisiua, & vltimò definitiua litis, non in sententia interlocutoria. Sed friuola est hæc distinctio: nam etiam sententia interlocutoria procedit ex causæ cognitione, & inter partes. Ergo haberi debet pro lege, siquidem sententia definitiua litis ideo vt lex habetur, quia procedit cum cognitione causæ, & inter partes. Adde sententiam interlocutoriam esse etiam in illo puncto decisiuam, & vltimò definitiuam. Item sæpè sententia interlocutoria in corpore iuris inseritur, & tanquam lex constituitur. Denique hoc videtur decisum *in l. 1. ff. de constitut. princip.* vbi dicitur, *quod Princeps de plano interlocutus est, legem esse*.

5 Mihi verò dicendum videtur, opinionem Couarr. in rigore veram esse, nullam scilicet sententiam decisiuam, ex eo præcisè, quòd decisiua sit, pro lege esse habendam: sic sentit Suarez *num. 16.* Hoc mihi persuadet ratio suprà allata, quia sententia decisiua non respicit commune bonum, sed speciale, & non futurum, sed præteritum, vel iam præexistens inter partes, vel vt clariùs dicam, sententia decisiua litis est applicatiua iuris vni parti, potius quàm alteri, non constitutiua alicuius obligationis in populo. Adde sæpè sententiam decisiuam, si ex propria opinione procedat, poterit errorem continere, qualem continebat illa sententia, in qua iudicatum fuit matrimonium ratum dissolui per subsequens consummatum, cuius mentionem fecit Alexand. III. *in cap. licet, de sponsa duorum.* & qualem continebat illa sententia, cuius meminit Innocent. III. *in cap. quanto, de diuortiis.* vbi definit matrimonium inter fideles baptizatos nō dissolui per hæresim, aut apostasiam à fide, licèt quidam prædecessor noster sensisse aliter videatur. Ergo sententia lata à Pontifice nō habet ex se vim legis. Quocirca, vt sententia decisiua litis vim legis sortiatur, debet Princeps aliquo alio signo id declarare, quale esset, si in corpore iuris mandaret sententiam illam inseri, aut alia solemni forma publicari, hac enim ratione dubium non est sententiam decisiuam habere posse vim legis; siquidem leges iuris canonici ex huiusmodi sententiis præcipuè constituuntur; & deciditur expressè *in cap. causis, de re iudicata.* ibi, *cùm in similibus causis cæteri teneantur similiter iudicare*; & hoc modo sententia lata à Pontifice, & vniuersali Ecclesiæ proposita errorem non poterit continere.

6 Quæ dicta sunt de sententia, eodem modo locum habent in epistola, & rescriptis Principis, habere quidem vim legis, si declarant proprias leges, vt deciditur *in l. 1. ff. de constitut. princip.* ibi, *Quodcunque Imperator per epistolam constituit, vel edicto præcepit, legem esse constat.* & sumitur ex secunda parte suprà dictæ *legis vlt. C. de legibus*; sic aliis relatis docet Suar. *lib. 3. cap. 15. fine.* Si verò opinione propria interpretante ius naturale, aut diuinum, respondeat Princeps consultationi, legis vim non habent eius rescripta, nisi aliquo signo sufficienter manifestet se tale responsum velle pro lege haberi, quod præcipuè locum habet, quando tale responsum aduersaretur iuri communi; tunc enim præsumendus est Princeps non voluisse legem statuere, sed priuilegium concedere, & cum aliquibus dispensare, fauétque *cap. pastoralis, de fide instrument.*

7 Sed inquires, an quæ dicta sunt de Principis, & legislatoris supremi sententia, & rescripto, dicendum etiam sit de sententia alicuius magistratus illi subiecti casu, quo potestatem habeat pro sua prouincia leges ferre, qualem habent Episcopi in suo Episcopatu? Breuiter respondeo cum Suarez *suprà illo cap. 15. num. 18. & lib. 4. cap. 14. fine, num. 13.* Si sententia, vel responsum magistratus sit declaratiuum iuris totius regni, nequaquam vim habet legis, etiam in sua prouincia, quia talis interpretatio nequit esse communis omnibus prouinciis, cùm non procedat ab habente in omnes potestatem. Inordinatum autem est legem communem in vna prouincia vnum sensum habere, & non in alia. Ergo non est credibile talem potestatem à legislatore supremo concedi. Si verò responsum, seu sententia sit non contraria iuri communi, neque illius declaratiua, sed explicet solùm quid sibi videatur in illa causa iuri naturali, diuino, vel communi regni conforme: tunc dicendum est, legis vim habere posse, si ipse velit: explicare autem debet hanc voluntatem aliquo signo publico; aliàs intra limites cuiusdam particularis sententiæ, vel responsi manebit.

PVNCTVM IX.

Quibus verbis lex, seu præceptum constitutum intelligatur.

1 *Debent esse, quæ sufficienter exprimant voluntatem legislatoris.*

2 *Expenduntur verba præceptum indicantia.*

3 *Quid*

3 *Quid dicendum de verbis imperatiui modi, & in actu exercito præceptum indicantibus.*

4 *Ex recepta consuetudine aliqua verba inducunt grauem obligationem, quæ ex se non videbantur inferre, & aliqua non inferunt, quæ ex se inferre videbantur.*

1 Certum est apud omnes, ea verba esse debere ad legis constitutionem, quæ sufficienter exprimant voluntatem legislatoris intendentis obligare, quia est res grauis, & subditis onerosa. Quapropter in casu dubio, an verba aliqua præceptum, & legem importent; an consilium, & exhortationem: reputanda sunt consiliū, & non legem, vt docet Castro *lib.1. de lege pœnali, cap.5. docum.4.* & docet Sanchez *lib.6. in Decalog. cap.4. num.27. & 66.* & nos diximus *tract.1. de conscient. disp. 3. p.7.* Et generaliter quoties verba legis intelligi possunt de obligatione veniali, non debent ad mortale extendi; quia semper in dubio, & in pœnis benignior interpretatio facienda est. *l. interpretatione, & l. si Præses, ff. de pœnis*, & habetur *regul. in pœnis, de regul. iur. in 6.* & tradit Sayrus *lib.3. claui regia, cap.7. num.29.* Nauarr. *summ. cap.23. num.50.* Sanchez *lib.6. in Decal. cap.4. n.66.* His positis,

2 Verba, quæ præceptum, & legem affirmatiuam significant, sunt, *præcipio, iubeo, impero, mando*; quæ legem prohibentem, sunt, *prohibeo, inhibeo, veto, interdico.* sic Azor *tom.1. institutionum moralium, lib. 5. cap.6. quæst.5.* Vasquez *1.2. disput.158. cap.3. num.22.* Suarez *lib.3. de legibus, cap.15. num.6.* plures referens Thomas Sanchez *lib.6. in Decalog. cap.4. num.33.* & constat ex *cap. ex his, de verborum signific. in 6. & Clement. exiuit de paradiso, de verborum signific.* Neque audiendus est Emanuel Saa *verbo lex, num.6.* Azor *suprà*, dicentes verbum *iubeo, vel mando*, præceptum graue non importare, quia, vt bene probat Thomas Sanchez, Vasquez, & alij *suprà.* Idem prorsus significant, ac *præcipio, & impero.*

Alia sunt verba supradictis æquipollentia, quæque præceptum de se important: hæc sunt cùm dicitur, teneantur omnes, obligentur omnes, nemini liceat, nemo possit, & generaliter omnia illa verba, quæ necessitatem important: tradit Vasquez *cap.3. num.21.* Suarez *num.6.* Sanchez *num. 38.* quia cùm his verbis non intendat legislator inducere necessitatem naturalem, sed solùm moralem, & obligatoriam, infertur velle præceptum imponere.

De verbo *debeo*, etsi aliqui Doctores sentiant debitum honestatis, & non necessitatis importare: at communior sententia docet necessitatem imperij propriè significare. sic Vasquez *disput.158. cap.3. num.21.* Sanchez *lib.4. de matrim. disp.23. num.22. & lib.6. in Decalog. cap.4. num.36.* Secus verò dicendum est de verbo *oportet*; hoc enim honestatem, & conuenientiam rei declarat, non imperium. Suarez *num.10.* Sanchez *num.37.* etsi Nauarr *summ. cap.23. num.53.* Saa *verb lex, num.6.* Tolet. *in fin. summ. de peccat. mort. cap.10. num.2.* & alij relati à Sanchez *suprà*, contrà sentiant.

Verba communia, & indifferentia præcepto, & exhortationi, sunt; *volumus, decernimus, ordinamus, statuimus, monemus, hortamur, intendimus, sancimus, innouamus*, & similia: prout bene probat Sanchez *num. 40.* Azor, Vasquez, Suarez, *suprà.*

3 De verbis autem imperatiui modi, & in actu exercito præceptum indicantibus, dubium est inter Doctores; an absolutè prolata præceptum contineant? Hæc sunt, *facite, cauete, soluite, abstineant omnes, nemo audeat*, &c. Castro *lib.1. de lege pœn. cap.5. document.4.* Caietan. *2.2. q.166. art.9. circa solut. ad 2.* Carbon *de leg. lib.7. disp.4. ad fin.* existimant præceptum non continere. Nauarr. verò *cap.23. n.49.* Emanuel Saa *verbo lex, n.6.* Sayrus *in claui regia, lib.3. cap.7. n.16.* solùm importare obligationem sub veniali, non sub mortali.

Mihi placet sententia Thomæ Sanchez *num. 39.* standum in hac parte esse consuetudini regionis: quod si de hac consuetudine non constat, attendendam esse materiæ grauitatem, & necessitatem, quæ si magna sit, & grauiter à legislatore fuerit ponderata; censenda sunt illa verba præceptiua esse. In decretis autem Conciliorum, & summorum Pontificum, ferè semper accipienda sunt, vt dixit Vasquez *1.2. disput.158. cap.2. num.24.* Bonacina *disput.1. quæst.1. punct.7. §.4. num. 10.* Et probari efficaciter potest primò, ex *Clement. exiuit, de verborum significat. §. item quia, versic. nos itaque*; vbi ex materiæ grauitate, ex huiusmodi verbis, ait Pontifex, colligendum esse præceptum, & tradidit Abbas, Felin. Imola, Anton. & alij *in cap. nam concupiscentiam, in fine, de constitution.* Secundò probatur ex decreto Trident. *sess.13. cap.5. & 7.* vbi Sacerdoti celebranti non præmissa confessione, ob inopiam Confessoris, præcipitur quamprimùm possit confiteri. Quod præceptum non aliis verbis statuitur, quàm imperatiuis, ibi, *Quòd si necessitate vrgente Sacerdos absque præmissa confessione celebrauerit, quamprimùm confiteatur.* Tertiò in decreto *Clement. 8. de casuum reseruatione*, latum est præceptum, ne superiores pro tempore existentes vtantur scientia confessionis ad exteriorem gubernationem. Quod præceptum his verbis imperatiuis pronuntiatum fuit. Dicitur enim ibi, *Caueant diligentissimè, ne ea notione, quam de aliorum peccatis in confessione habuerint, ad exteriorem gubernationem vtantur.* In quibus verbis esse præceptum docuimus *in tract. de pœnit. disp. vlt. de sigillo.*

4 Aduertendum tamen est, quotiescumque verbis etiam indifferentibus, alia adiunguntur, ex quibus iuxta receptam consuetudinem, iudicatur animus superioris intendentis obligationem imponere; in omnium sententia, illa verba indifferentia legem, vel præceptum constituunt. Hæc sunt, si dicat superior, *Ordinamus hoc faciendum in virtute obedientiæ; sub pœna præstiti iuramenti, in virtute Spiritus sancti.* quia hæc verba indicant obligationem obedientiæ ex voto, vel iuramento. Idem est, *sub interminatione maledictionis æternæ, vel gehennæ, vel indignationis Apostolorum*; quia absque culpa graui, hæc maledictio, & indignatio non contrahitur. sic Azor *tom.1. institut. moralium, lib.5. cap.6. quæst.5.* Vasquez *disput.158. cap.5. num.46.* Sanchez plures referens *lib.6. in Decalog. cap.4. num.43.* Econtra verò possunt esse verba rigore præceptiua, neque præceptum continere, quia ex vsu communi religionum constat præcepta superiorum non obligare ad culpam, quibuscumque verbis proferantur, nisi eis addatur, *in virtute sanctæ obedientiæ, vel in virtute Spiritus sancti, vel in nomine Iesu Christi.* Sic habetur in Societate IESV, *6 p. constitut. cap.5. fine*, quia vsque hæc verba addantur, non censentur superiores suam voluntatem obligandi satis explicare; & ita tradit Vasquez *disput.158. cap.3. n.24.* Lessius *de iustit. lib.2. cap 41. dub.9. num.76.* Thom. Sanchez *lib.6. in Decalog. cap.4. num. 70.* vbi bene aduertit idem esse, si superior præciperet, *sub excommunicatione, vel maledictione æterna*, qui tunc etsi non addeteṭ, in virtute obedientiæ, vel in nomine Christi, satis explicat suam voluntatem obligandi.

Parentes verò respectu filiorum, & Abbatissæ respectu monialium, qui iurisdictionem spiritualem non habent, ac proinde non possunt in virtute Spiritus sancti, vel obedientiæ præcipere, si præcipiant sub maledictione æterna, vel sub aliis verbis sufficienter explicantibus suam voluntatem: & materia præcepta grauis sit, quia grauiter gubernationi domesticæ conducit, absque dubio obligabunt sub mortali. sic Sanch. *suprà.*

* * *

PVNCTVM X.

Quæ promulgatio legis necessaria sit, & sufficiat ad obligationem inducendam.

1 *Publicari debet ea publicatione, quæ sufficiat, vt ad notitiam communitatis deueniat.*
2 *An possit quis vti notitia legis publicandæ in damnum aliorum.*
3 *Non est necessarium cuilibet in particulari legem publicari.*
4 *Omnia, quæ vim legis habent, publicari solemniter debent.*
5 *Lex reuocatoria antiqua publicanda similiter est.*
6 *Quid dicendum de regulis Cancellariæ.*

1 PRimò constat ex dictis in definitione legis dari non posse legem, quin publicetur, publicatione sufficienti, vt ad notitiam totius communitatis deueniat; quia lex est regula operationum non vnius, vel alterius personæ, sed omnium, quæ in communitate resident: debet ergo lex ita publicari, vt in notitiam omnium illorum possit deuenire: tradique videtur *in l. leges sacratissimæ, C. de legibus.* vbi Iustinian. ait: *Leges sacratissima intelligi ab omnibus debent, vt vniuersi præscripto earum manifestius intellecto prohibita declinent, & faciant præcepta. & Authent. vt factæ noua constitutiones, collat. 5.* & de legibus canonicis traditur *in cap. 3. distinct. 4.* vbi Gratianus, *leges institui, cùm promulgantur, firmari autem quando moribus recipiuntur.* Quocirca dupliciter lex solemniter constituitur; sicut fit in consistorio Pontificis, vel in congregatione alicuius consilij: si tamen illa solemnitas non sufficiat, vt in notitiam communitatis deuenire possit, nullo modo censetur lex constituta, seu vim obligandi habere etiam respectu illorum, ad cuius notitiam deuenit; quia vsque tunc non est regula communis. sic Suarez *lib. 3. de lege humana, cap. 16. num. 2.* Salas *de leg. disp. 12. sect. 1. n. 6.* Bonacina *disp. 1. quæst. 1. punct. 4. num. 10.*

Neque obstat *cap. 1. de postulat. prælat.* vbi dicitur legem obligare, si solemniter editur, aut publicè promulgatur. Ergo non requirit lex promulgationem publicam, sufficit si solemniter edatur, & ita sentit Panorm. *ibi*, & Reginald. *lib. 13. n. 155.* Non, inquam, obstat, quia illa particula *aut*, quæ disiunctiua videtur, in re non est disiunctiua, sed copulatiua, faciens hunc sensum. Lex obligat, si solemniter edatur, & publicè promulgetur. sic Salas *disp. 12. sect. 1. n. 6.* Nauarr. *cap. 23. n. 40.* Bonacina *disp. 1. q. 1. p. 4. n. 6.* vel, vt ait Suarez, idem esse significari per solemnem editionem, aut publicam promulgationem, sed solemnis editio respicit legislatorem, promulgatio respicit subditos, non tamen in re distinguuntur, sicuti non distinguitur actio, & passio, nisi ex terminis. ita Suarez *lib. 3. de leg. cap. 16. n. 2.*

2 Aduertunt tamen aliqui Doctores scientem legem esse factam à Principe, & statim publicandam non posse vti notione illius legis in fraudem, & damnum alterius. Exemplum est, quod tradit Bart. *in l. quæro, ff. de act. empt.* de versante in palatio, & sciente pragmaticam esse publicandam, quòd frumentum viliori pretio vendatur, ipse verò statim frumentum emptori non certiorato de lege promulganda, maiori pretio vendidit, illicitè vendere, & contra legem: tradit etiam Roman. *singul. 282.* Felin *in cap. cognoscentes, col. 4. vers. secundò limita, de constitutionib.* Farinac. *fragment. 1. p. verb. constitutio, num. 647.* Credo tamen contrarium esse dicendum, quia vendens non carius vendit triticum, quàm valet, esto minus valiturum sit facta legis publicatione. Ergo nullam iniustitiam committit. Monere autem emptorem de publicatione facienda legis, ipse non tenetur: esset tamen officium perfectionis; & ita tenet alios referens Menoch. *lib. 2. de arbitr. casu 185. n. 22.*

3 Publicatio autem multipliciter fit, vel voce præconis, vel affigendo scripturam loco publico: ita supradicti Doctores. Nullo autem modo requiritur, vt singulis iuridicè intimetur. *cap. 1. de postulat. prælat.* quia hoc regulariter est impossibile, & quia sufficienter per communem promulgationem in singulorum notitiam deuenire potest. Lex enim non circa singulos in particulari, sed quatenus vnum corpus communitatis componunt, versatur: ac proinde secundùm illam rationem debet esse promulgatio; sic Molin. *tractat. 5. de iurisdict. disp. 70. n. 2.* Bonacina *n. 9.* & alij *suprà.*

4 Ex his infertur, ea omnia, quæ in puncto 2. diximus vim legis sortiri, necessariò publicanda esse, publicatione ad legem requisita. Quocirca interpretatio legislatoris suæ legis antea factæ, vt secundùm illum sensum lex obligationem accipiat, debet necessariò iuridicè publicari, & idem est de rescriptis, seu epistolis, & responsis Principum. ita Suarez *lib. 3. cap. 15. n. 17. & lib. 4. c. 14.* Bonacina *disp. 1. q. 1. p. 4. n. 12.*

5 Secundò infero, legem reuocantem antiquam eodem modo publicandam esse, ac quælibet alia lex: tum quia est lex, & lex tollens possessionem alterius. Item quia res per causas, quas nascitur, per eas dissolui debet: & ita tradit Azor *tom. 1. instit. lib. 5. cap. 3. quæst. 7.* Vasquez *disp. 156. cap. 4. num. 25.* Bonacina *disp. 1. quæst. 1. punct. 4. num. 13.*

Dices, si legislator voluntatem non habeat obligandi, lex non obligat, sed cùm reuocat legem, etiamsi reuocationem non publicet, non censetur velle legem reuocatam obligare. Ergo vt lex reuocatoria suam vim sortiatur, non requirit publicationem.

Respondeo nunquã censeri legislatorem velle suam legem non obligare, quousque reuocationem publicet, eo modo, quo lex fuit publicata: quòd si daremus hoc velle, cessaret quidem lex prior, sed non authenticè, & per legem reuocatoriam, sed per defectum alicuius requisiti ad legem.

6 Tertiò infertur, quid dicendum sit de regulis Cancellariæ?

Dico ergo, si legis vim habere debent, vt verè habent, sunt necessariò, sicut & aliæ leges publicandæ, vt autem obligent officiales Cancellariæ in vi præcepti non expostulant publicationem. At credo regulas Cancellariæ nõ tam in vi legis scriptæ, quàm in vi consuetudinis, seu styli curialis obligare omnes; ille enim stylus, & vsus ex consensu Principis est illarum publicatio: quocirca non obligant, antequam tempus currat præscriptioni, vel consuetudini inducendæ necessarium. sic Bonacina *n. 14.* Sed de his latiùs, cùm de consuetudine habeatur sermo; ibi enim examinabimus, qua ratione stylus curiæ legis vim sortiatur.

PVNCTVM XI.

Quæ promulgatio in legibus ciuilibus requiratur.

1 *Explicatur quæstio.*
2 *Leges latæ pro vna prouincia, sufficit, si in ciuitate metropoli publicentur.*
3 *Si pro diuersis prouincijs leges fiant, in qualibet prouincia debent publicari solemniter, & tunc non nisi post duos menses incipiunt obligare.*
4 *Excipe. Nisi aliter expressè constet de legislatoris voluntate.*
5 *An lex lata à Principe in curia, & intendens statim obligare sortiatur effectum? Proponitur communis sententia.*
6 *Suarez distinctione vtitur.*

7 Appro

7 *Approbatur sententia Suarez aliqualiter explicata.*
8 *Apponitur quædam obiectio, & soluitur.*
9 *Satisfit argumentis num. 5. adductis.*

1 VAriæ sunt leges ciuiles, aliæ dantur pro vna prouincia, seu paruo regno, aliæ dantur pro pluribus prouinciis, seu regnis. Aliæ procedunt ab Imperatore, Rege, vel communitate nemini subiecta. Aliæ à magistratu iis subiecto.

2 Si leges ferantur pro vna tantùm prouincia, vel paruo regno, siue à magistratu Imperatori subiecto, siue ab ipsomet Imperatore, & Rege, sufficit promulgatio facta in præcipua ciuitate, neque requiritur publicatio in qualibet ciuitate, neque transitus duorum mensium, vt incipiant obligare, nisi aliud in lege expressè caueatur. ita Syluest. *verbo lex, quæst.* 3. & 6. Azorius *tom.* 1 *instit. moral. lib.* 5. *cap.* 3. *quæst.* 2. Salas *de legib. disp.* 12. *sect.* 2. *num.* 11. Suarez *lib.* 3. *de legib. cap.* 16. *n.* 7. & *cap.* 18. *num.* 6. Bonacina *disput.* 1. *quæst.* 1. *punct.* 4. *num.* 16. & alij ab eisdem relati.

Ratio est, quia ex iure naturali, neque ex iure positiuo amplior publicatio requisita est. Non ex iure naturali: nam illa est sufficiens, vt in omnem prouinciam notitia legis deueniat. Ex iure autem positiuo nullibi est assignata amplior promulgatio, neque temporis prorogatio, quia solùm de legibus latis pro diuersis prouinciis expostulatur, vt in qualibet fiat publicatio, & terminus duorum mensium, *in Authent. vt factæ nouæ constitut.* Ergo.

3 Quòd si leges pro diuersis prouinciis latæ sint, in qualibet prouincia debet fieri sua solemnis promulgatio, & post duos menses ab illius publicatione incipit lex in illa prouincia obligare. ita Nauarr. *consil.* 1. *de constitut. quæst.* 4. *num.* 19. Valent. *tom.* 2. *disp.* 7. *quæst.* 5. *punct.* 5. Suarez plures referens *lib.* 3. *cap.* 16. *num.* 8. & *seqq.* Bonacina *num.* 16. Mouentur ex Authent. *vt factæ nouæ constitutiones*, vbi id statuitur expressè: habetur enim, *vt factæ nouæ constitutiones post insinuationes earum, post duos menses valeant.* Dices illa esse verba rubricæ, seu tituli illius Authenticæ; non autem esse verba legis: in lege autem non de qualibet constitutione, sed de constitutionibus ad testamentum pertinentibus sermo habetur, quod constat ex *cap.* 1. *illius Authenticæ.* ibi, *Sancimus igitur ex illo nostras constitutiones, quæ pro testamentis fiunt, valere, ex quo in communi factæ sunt manifestæ, in prouinciys autem ex quo directè per metropolitas palàm factæ sunt.* Ergo ex iure positiuo leges non testamentariæ non expostulant hanc multiplicem promulgationem, & terminum duorum mensium: tum quia ex vno singulari, non debet vniuersalis inferri: tum quia in testamentis est specialior ratio, vt hæ publicationes fiant; nempe, vt omnino tollatur ignorantia, ne propter illam deficientiam infringatur voluntas, vt ibidem dicitur: & ita tenet Vasquez 1. 2. *disput.* 156. *cap.* 3. Adde, etsi titulus generalis fuerit omnibus legibus; cùm in lege ad solas testamentarias leges arctetur: ex huiusmodi coarctatione titulus explicandus est, & limitandus: nam, vt eruditè probat Menochius *lib.* 6. *de præsumpt. tota præsumpt.* 1. rubrica per leges subscriptas, quæ claræ sunt, & distinctè explicanda est, & limitanda.

Adde rubricam non disponere tanquam legem, nec posse pro textu allegari, sed est index legis, & demonstrat, quæ in textu habentur, vt ex Decio, & Alciato probat Menochius *ibi.* Ergo etiamsi generalis fuerit, non obligabit generaliter, cùm textus ad particulares leges arctetur.

Verùm retinenda est communis sententia affirmans ex huiusmodi præfatione, seu rubrica iuncto textu omnes leges Imperatoris latas pro diuersis prouinciis esse in qualibet illarum publicandas, vt in qualibet obligent, & duos menses prætereundos esse, vt incipiant obligare. Moueor, quia ita tenet communis sententia, affirmans textum infrà scriptum appositum esse non ad limitandam rubricam, sed exempli gratia. quod inde colligunt: tum, quia rubrica habet sensum perfectum: tum, quia est fauorabilis dispositio, & non contraria textui. Ergo. Adde omnes leges tam vltimarum voluntatum, quàm aliarum rerum requirunt, si pro diuersis prouinciis ferantur, terminum duorum mensium, vt obligent; quia ita in illa Authent. statutum est. quod declarauit Pius IV. *in Bulla edita pro obseruando Concilio Tridentino*, quæ incipit, *sicut & sacrorum*: vbi mentionem faciens huius Authenticæ dixit iure communi statutum esse, vt constitutiones nouæ non nisi post certum tempus obtineant. Ergo non obstat locutio particularis de legibus vltimarum voluntatum, vt doctrina generaliter de omnibus legibus iuxta rubricam intelligatur.

4 Limitant autem supradicti Doctores, Suarez, Salas, Bonacina, Nauarr. Valent. Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *casu* 185. *num.* 2. & alij, nisi legislator, qui legibus Imperatoriis subiectus non est, manifestet voluntatem obligandi ex sola vna publicatione in curia facta. Nam cùm iure naturæ illa sufficiens sit ad obligationem subditis inducendam, poterit legislator illa sola contentus esse, cùm leges imperatorias non teneatur obseruare. Semper tamen necessarium est, vt legislator tempus concedat sufficiens, vt in totius communitatis notitiam lex deuenire possit, aliàs communitatem non obligabit.

5 Ex quo oritur difficultas, an lex lata à Principe intendente, statim ac illam in curia promulget, omnes sibi subditos obligare de facto sortiatur effectum, & subditos obliget?

Affirmat communis sententia cum Panormit. Felin. Decio, & aliis *in cap.* 2. *de constitut.* Salas *disput.* 12. *de leg. sect.* 2. Suarez *lib.* 3. *cap.* 16. *fine, num.* 14. Bonacina *disp.* 1. *q.* 1. *p.* 4. *n.* 16.

Probatur, quia lex constituitur in suo esse integro, quando promulgatur; sed lex esse non potest sine obligatione, qui est eius effectus. Ergo. Et confirmo, si esset lex irritatoria contractuum, & vellet Princeps à puncto publicationis omnes cõtractus irritare, sine dubio manerent irriti, quantumuis contrahentes notitiam legis habere non possent. Ergo signum est promulgatione solemni sufficienter legem constitui.

Ex quo inferunt Salas *disp.* 12. *de legib. sect.* 9. *num.* 34. Bonacina *disput.* 1. *quæst.* 1. *punct.* 4. *num.* 28. & 29. si facta promulgatione solemni statim aliquis subditus in remotissimis partibus existens miraculosè notitiam legis haberet, obligatus esset illam seruare; quia adest quidquid ad obligationem inducendam necessarium esse videtur, scilicet legem esse publicatam solemniter, & notitiam illius. Ergo publicatione solemni sufficienter lex constituitur.

6 Suarez *lib.* 3. *cap.* 17. *à num.* 5. distinctione vtitur: affirmat namque legem publicatam in loco debito, nullámque habentem temporis determinationem, ex voluntate Principis, statim incipere obligare eos, qui illius habent, seu habere possunt notitiam, in quo cum communi sententia conuenit; illos verò, ad cuius notitiam deuenire tunc non potest, sed necessarium est aliquod tempus, intra illud tempus, quod moraliter necessarium fuerit, affirmat obligare: pro quo modo dicendi adducit Nauarr. *consil.* 1. *de constitut. quæst.* 4. *in respons. ad* 4. *obiectionem.* Panorm. & Felin. *in supradicto cap.* 2. *de constitut. num.* 7. & 8. & Bart. *in l. omnes populi, ff. de instit. & iure, quæst.* 5. D. Thom. 1. 2. *quæst.* 90. *art.* 4. & *ibi* Caietan. Priorem partem huius sententiæ probat Suar. fundamento pro communi sententia allegato: & quia potius censetur lex pro vno populo publicata, quàm pro tota prouincia. Secundam partem probat ex *c.* 1. *de concess. preb. in* 6. *vers. neque obstat*: vbi dicitur, *lex, seu constitutio*,

& mandatum nullos astringunt, nisi postquam ad notitiam peruenerint eorundem, aut ipsi post tempus, intra quod ignorare minimè debuissent. Ex quo infertur. Ergo lex non obligat, nisi post sufficiens tempus elapsum, intra quod moraliter sciri posset: nam illud est, in quo ignorare minimè debuisset. Secundò probari potest, quia impossibile est notitiam publicationis ad remotas partes eodem die peruenire. Ergo illa publicatio non est sufficiens, vt lex eo die, quo est publicata, obliget existentes in illis remotis partibus. Probo consequentiam; quia ad obligationem inducendam necessaria est notitia legis: sed lex Matriti, v.g. publicata, non potest illo die causare notitiam sui existentibus Hispali. Ergo non potest Hispalenses obligare eo die: debet ergo concedi tempus moraliter necessarium, vt lex in notitiam subditorum, vel per se, vel per alios possit peruenire. Quocirca promulgatio legis, etsi videatur in instanti fieri, & coram paucis personis: at re vera non fit in instanti, sed successu temporis; toto enim tempore, quod necessarium est, vt illa promulgatio ad notitiam totius communitatis obligatæ ad legem deueniat, verè, & propriè lex promulgari dicitur, neque ante hoc tempus censeri debet integrè promulgata. Ex hac doctrina infert Suarez *cap.17. num.14.* si legis publicatio in notitiam absentis deueniat miraculoso modo, cùm tamen humano modo venire fuerit impossibilis, nullo modo obligare ad illius obseruationem, quia respectu illius non est lex publicata.

7 Placet mihi hæc sententia Suarez quoad secundam partem ob rationes factas: circa primam addendum existimo, nunquam legem obligare posse aliquos, quin eius publicatio in notitiam communitatis, quæ arctari possit lege, deueniat. Explico, promulgatur Matriti aliqua lex pro toto Castellæ regno; eius publicatio, quæ in foro fit, non potest simul, & in eadem hora per totum regnum diffundi, imò neque per totam ciuitatem, vt de se constat. Quousque igitur elabatur tempus, vt per totam ciuitatem diffundi possit, neminem illius ciuitatis arctat; etiamsi publicationi præsens extiterit. Probo, quia lex prius arctat communitatem, quàm singulos illius; singuli enim communitatis in tantum arctantur lege, in quantum partes sunt communitatis lege obligatæ; hæc enim est vna ex differentiis legis à præcepto, quòd præceptum respicit singulos, quia in bonum ipsorum ordinatum est: lex verò communitatem, quia in ipsius bonum primò, & per se ordinata est. Sed ad maioris partis ciuitatis notitiam non potuit lex deuenire in eodem puncto, & momento, quo in foro publicatur. Ergo singuli illius ciuitatis non arctantur, quousque tota ciuitas arctetur, eáque de causa stylus communis legislatoris est, cùm intendit legibus suis obligare prius præsentes, quàm absentes, apponere terminũ competentem, intra quem moraliter in omnium notitiam lex deuenire potest.

8 Dices, cùm Rex Hispaniæ fert legem pro toto Castellæ regno, illámque Matriti promulgat, neque declarat se velle priùs obligare curiales, quàm absentes, non videntur curiales obligati esse, quousque totum regnũ obligatum esse censeatur; quia curiales non obligantur, quatenus sunt partes curiæ, sed quatenus partes sunt totius regni: siquidem pro toto regno lex fertur. Ergo priùs debet esse regnum obligatum.

Fateor ex natura rei hoc esse dicendum. At si Princeps legis tenore significet se velle subditos, quamprimum põssit, obligare, cùm possit propinquiorem ciuitatem, priusquam remotam, obligare, tacitè innuit se ita velle, ac proinde prius curiales, quàm absentes lege illa obligantur: & ita docet Suarez *lib.3. cap.17. n.10.*

9 Restat satisfacere argumentis pro communi sententia.

Ad primum dico, legem publicatione solemni constitui: at regulariter hæc publicatio, etsi physicè in vna hora finiatur, non tamen moraliter, & modo necessario, vt in notitiam totius communitatis deueniat; ad hoc enim necessaria est temporis prolongatio: in quo tempore possit lex per præsentes in absentium notitiam deuenire, ac proinde communitatem, quæ lege arctari possit.

Ad secundum dico facta publicatione optimè posse legem irritare contractus, & taxam mercibus constituere, etiamsi obligationem ciuibus non inducat, quousque eam scire possint, quia effectus irritationis, & taxa mercium procedit à Principe, non ex potestate legislatiua, sed dominatiua, quæ non indiget ad sui integritatem notitia subditorum: colligitur à simili ex his, quæ tradit Suarez *lib.1. de legib. cap.17. num.11.* & docet expresè Nauarr. *summ. cap.23. num.44.* Azor *tom.1. lib.5. cap.3. quæst.9.* Ex quo fit ignorantem legem taxantem pretium mercibus, si eas vendat altiori pretio, quàm sunt taxatæ, obligatum esse restituere, non quia peccauit, sed quia accepit quæ sibi non debentur: sic Bonacina *disp.1. de legib. q.1. p.4. n.22.*

PUNCTUM XII.

Quæ solemnitas publicationis requiratur in lege canonica.

1 *Proponitur prima sententia eandem seruari debere, quæ in ciuilibus legibus, nisi expresè aliud constet statuere Pontificem.*
2 *Sufficit publicatio Romæ facta, vt certum defenditur.*
3 *An lex Romæ publicata statim Romanos obliget, vel post duos menses? Defenditur vt probabilius statim obligare.*
4 *Quælibet lex municipalis statim subditos obligare potest, & quælibet constitutio Principis, si id vellet.*
5 *Satisfit argum. num. 1. adductis.*
6 *An lex obliget ignorantes.*

1 PRima sententia docet seruandam esse eandem solemnitatem, quæ in ciuilibus legibus iure communi seruandam esse diximus; scilicet, si leges sint pro diuersis prouinciis, hoc est, Episcopatibus, in quolibet esse publicandas, & non obligare, nisi post duos menses à publicatione, nisi aliud expresè Summus Pontifex declaret. sic docet Soto *lib.1. de iustit. quæst.1. art.4. vers. at verò.* Nauarr. *in summ. cap.23. num.44.* Medina 1.2. *quæst.90. art.4. vers. sed quæritur.* Panorm. *in cap. cognoscentes, de constitut. num.7. ad finem.* Decius *lect.2. num.6.* Felin. *num.7.* Anton. Buttio, Imola, Ioan. Lignanus, Cardinalis, Zabarella *in supradicto cap. cognoscentes, num.4. q.6.* & alij plures apud Farinac. *fragm.1. part. verb. constitutio, num.656.* vbi hanc sententiam censet probabilem. Mouentur, quia vbi ius canonicum nihil disponit, seruandum est ciuile, si bonis moribus non repugnet. *cap.1. de noui operis nuntiatione*, vbi dicitur: *Sicut leges non dedignantur sacros canones imitari: ita sacrorum canonum statuta constitutionibus Principum adiuuantur.* & *in cap. si in adiutorium, distinct.10.* dicit Augustinus, *Si in adiutorium vestrum etiam terreni imperij leges assumendas putatis, non reprehendimus.* fecit hoc Paulus, cùm aduersùs iniuriosos ciuem Romanum se esse testatus est: vbi glossa dicit, *non sunt allegandæ leges ciuiles, & in causis Ecclesiasticis recipiendæ, nisi in defectum canonum.* Ergo cùm canones tempus obligationis legis non determinent, & id determinent leges ciuiles, ex harum determinatione colligenda est determinatio temporis in obligatione legum Ecclesiasticarum. Adde huiusmodi determinationem conuenientissimam esse, tum vt obligati legum ignorantiam allegare non possint: tum vt faciliori, & suauiori modo lex Ecclesiastica obliga

obligationem inducat. Secundò, *cap. cùm infirmitas, de pœnit. & remiss.* dicitur, *lege Medicos non teneri, nisi postquam eam Prælati promulgauerint.* Ergo promulgatio Prælati requiritur, vt in sua diœcesi lex habeat vim obligandi. Tertiò, quia nimis durum est facta publicatione in Romana curia alicuius decreti, statim omnes Christi fideles per orbem dispersos obligari ad illius obseruationem.

2 Nihilominus certa, & omnino tenenda sententia est, sufficere publicationem Romæ factam, vt lex Pontificia omnes Christi fideles adstringat, nec opus esse in singulis Episcopatibus publicari, nisi aliter in ipsa Bulla habeatur. Panormitanus *in cap. nouerit, de sentent. excommun.* Nauarr. *consil.* 1. *de constitut. num.* 19. & Syluest. *verbo lex, quæst.* 6. Suarez *lib.* 4. *de legibus, cap.* 15. *num.* 3. Azor *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 3. *quæst.* 3. *circa medium.* Salas *disput.* 12. *sect.* 2. *num.* 10. Vasquez *disput.* 156. *cap.* 2. Menoch. *lib.* 2. *casu* 185. *num.* 8. Farinac. *suprà, num.* 653. Bonacina *disput.* 1. *quæst.* 1. *punct.* 4. *num.* 16. & alij plures ab eisdem relati.

Ratio præcipua est, quia Pontifex non tenetur seruare modum publicationis iuris ciuilis in suis decretis, quia eius legibus non arctatur; neque Authenticam, *vt factæ nouæ constitutiones*, inuenitur se acceptasse. Ergo quoties suam constitutionem Romæ promulgat, neque mandat alibi publicari, sed potiùs illa promulgatione contentus est, intendit Christi fideles obligare. Ergo de facto obligabuntur; quia adest quidquid necessarium est ad legem. Et confirmo, quia plura decreta iuris canonici, Decreti, Decretalium, Sexti, Clementinarum, Extrauagantium, Concilij Tridentini, non sunt in multis prouinciis promulgata. Item Bulla Cœnæ Romæ tantùm solet publicari, & tamen arctat omnes Christi fideles. Item regulæ Cancellariæ Romæ publicantur, & secundùm illas causæ ex toto orbe deciduntur. quod iustum non esset, si illæ leges non obligarent. Ergo non est necessaria publicatio in qualibet prouincia ad obligationem legis Pontificiæ inducendam. Quod ita verum est, vt censeat Azor suprà relatus contrariam sententiam probabilitate carere. Nam Soto, & alij Doctores affirmantes decreta Pontificis in quolibet Episcopatu publicanda esse, mouentur ex præsumptione, quia præsumunt Pontificem non aliter velle obligare. At hæc præsumptio omnino cessat ex vsu, & consuetudine satis recepta. Ergo.

3 Maior dubitatio est, an Romæ publicata lex, quæ nullum tempus determinat, incipiat statim obligare Romanos, & vicinos illius? An necessaria sit præteritio duorum mensium ad eius obligationem?

Probabilius, imò certum existimo, statim obligare: sic Azor, Salas, Vasquez, Bonacina, Suarez *suprà.* Farinacius plures referens 1. *part. fragmem. verbo constitutio, num.* 663. *aduersus Nauarr. cap.* 23. *num.* 44. Valent. *disp.* 7. *quæst.* 5. *punct.* 5. Reginald. *lib.* 13. *num.* 152. Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *casu* 185. *num.* 19. & alios relatos à Farinac. *suprà*, negantes obligare saltem in foro conscientiæ, sed ad summum in foro externo. Ratio nostræ conclusionis est eadem, quia Pontifex in modo ferendi legem suam, & obligationem inducendi, non acceptauit Authenticam illam, quod constat ex superiori puncto, vbi probamus non acceptasse illam, quoad publicationem faciendam in qualibet prouincia. Ergo neque acceptauit quoad terminum duorum mensium in illa assignatum, quia non est, vnde hæc acceptatio colligi possit: præcipuè cùm sæpè in Bullis Pontificum non expectetur ad obligationem inducendam spatium duorum mensium, vt in Bulla Cœnæ, & aliis, & supponitur *in cap. cùm singula, de prabend. in* 6. vbi dicitur; *circa eos autem, qui plures Prioratus, vel Ecclesias huiusmodi nunc detinent, prouidemus, vt infra mensem, postquam præsens constitutio peruenerit ad eosdem, vnum ex ipsis, quem retinere voluerint, reliquis dimissis eligere teneantur, alioquin ex tunc pœnis subiaceant supradictis.* vbi gloss. *verbo peruenerit*, inquit, *si peruenit ante duos menses, a tempore publicationis, statim incipit eis tempus currere.* Aliquando verò vltra duos menses spatium prorogatur, vt in Bulla Pij IV. de euulgatione Concilij Tridentini, vbi trium mensium spatium assignauit. Item, quia Authentica illa spatium duorum mensium requirebat ad legis obligationem inducendam in qualibet prouincia, quia illud erat sufficiens, vt in omnium notitiam lex illa deueniret: at hoc spatium nullo modo est sufficiens regulariter, vt lex lata Romæ, & ibi tantùm publicata, in notitiam veniat Hispanorum, & Indorum. Ergo per se ad obligationem inducendam spatium duorum mensium non requirit, sed pro distantia prouinciæ extendi, vel coarctari tempus debet. Denique Nauarr. & alij affirmant, si Romani transgrediantur constitutionem Pontificiam ibi publicatam, & non habentem determinatum tempus ad obligationem, condemnari, & puniri in foro iudiciali, vt transgressores illius, etiamsi duo menses non præterierint. Ergo signum est obligatos esse ad illius obseruationem, cùm primum publicatur, aliàs iniquè punirentur, cùm nullam culpam neque præsumptam commiserint, si lex ante duos menses nullam in conscientia inducit obligationem.

4 Ex his infertur primò, constitutionem Principis supremi, qualis est Rex, aut Pontifex, ligare subditos, in quorum notitiam deuenire potest, cùm primùm publicatur, si expressè id in constitutione notetur, quia id lex efficere potest, & nihil est, quod obstet: ita tradit Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *casu* 185. *num.* 3. Farinac. alios referens 1. *part. fragment. crimin. verbo constitutio, num.* 666. *iuncto num.* 669.

Infertur secundò, legem municipalem, seu statutum alicuius ciuitatis, non indigere ad obligationem inducendam termino duorum mensium; sed statim ab ipsa publicatione ligare omnes illos, in quorum notitiam deuenire potest: quia neque Authentica, *vt factæ nouæ constitutiones*, de his constitutionibus loquitur, neque iure naturæ tempus aliud requiritur, præter illud, quod necessarium est, vt in notitiam illorum, qui obligandi sunt, deueniat: & ita tradit alios referens Farinacius *fragm. crim.* 1. *part. verb. constitutio, n.* 659. Menoch. *lib.* 2. *casu* 185. *num.* 5.

5 Ad rationes autem, quibus probabat prima opinio leges canonicas in qualibet prouincia publicandas esse, & vltra duos menses à publicatione obligare, vt *in Authentica, vt factæ nouæ constitutiones*, habetur. Respondeo leges ciuiles acceptari ab Ecclesia in causis decidendis, quando neque repugnant rationi, neque adsunt canonicæ leges, quibus tales causæ decidi possunt, quia hæc acceptatio erat moraliter necessaria, cùm causæ decidendæ aliqua regula decidi deberent, quæ nulla videtur aptior lege ciuili, si canonica deficiat. At in modo ferendi suas leges Ecclesia, non est necessarium, quòd seruet modum præscriptum legibus ciuilibus, cùm & superiorem authoritatem habeat, & maiorem inter se vnitionem; omnes enim fideles vnum corpus mysticum efficiunt, cuius caput est Pontifex: quod non ita esse videtur in Rege diuersa regna gubernante. Ad *cap. cùm infirmitas*, respondeo, illam publicationem necessariam esse in illa lege; quia ita cauetur: tum propter pœnam ibi appositam, tum & præcipuè, quia est res summè necessaria, in qua nulla ignorantia debet prætendi: at ex hoc textu non debet sumi argumentum ad reliquas leges: sicut neque sumitur argumentum ex lege irritante matrimonia clandestina, quæ in qualibet parochia debet publicari. Trident. *sessione* 24. *cap.* 1. *de reformat.* vt dicamus omnes leges Pontificias irritantes contractus debere sic publicari. Ad illud verò, quod

quod addebatur, scilicet esse durum obligare fideles per totum orbem dispersos vnica promulgatione, facilè respondetur, dicendo non obligari, nisi intra tempus, in quo moraliter illius legis publicatæ habere possunt notitiam: cùm ergo aliqui ante duos menses, alij non nisi post quatuor menses habere legis notitiam possunt, iuxta huiusmodi possibilitatem erit obligatio.

6 Ex quo fit solutio illius difficultatis, an dicendum sit legem obligare ignorantes? Obligat quidem ex se, quando ita est publicata, vt moraliter ad illorum notitiam possit deuenire; per accidens autem non obligat, quia illius notitiam de facto non habent inculpabiliter. Sed, vt meliùs dicam, ab obligatione tunc ob ignorantiam excusantur. Quando autem lex ita est publicata, vt impossibile sit in omnium notitiam deuenire statim; tunc lex neque ex se ignorantes obligat, quia non adest ex parte eius, quidquid ad obligationem inducendam requiritur. Et ita in concordiam rediguntur Doctores asserentes legem ignorantes obligare, quod asseruit Medina 1.2.*quæst.90.art.4.* & Soto *lib.1.de iustit. quæst.1. art.4.* contra glossam *cap.2. de rebus Ecclesiæ non alienand.in 6. verbo, hactenus.* Bald. *in l.leges sacratissimæ, C.de legibus.* Panormitanus, Innocentius, Felinus *cap.cognoscentes, de constitut.* qui affirmabant non obligare. sic in concordiam redigit Suarez *lib.3.de legibus,cap.18.fine.* Azor *tom.1.institut.moralium,lib.5.cap.3.quæst.9.* alios referentes.

PVNCTVM XIII.

Vtrùm acceptatio populi necessaria sit ad legis ciuilis, & canonicæ obligationem.

1 *Potest Pontifex fideles suis legibus obligare, tametsi contradicant.*

2 *Plures affirmant requiri de facto acceptationem, expenduntúrque rationes pro illorum sententia.*

3 *Si tempus instat obseruandi legem, non potest eius obseruatio prætermitti sub prætextu, quod à populo acceptata non fuerit.*

4 *Supradicta sententia limitatur in legibus difficilis obseruationis.*

5 *Si à maiore parte populi lex non obseruetur tempore ad præscriptionem requisito, lex cessat obligare.*

6 *Satisfit argum.num.2.adductis.*

7 *Probatur in lege ciuili acceptationem populi necessariò ad legem requiri.*

8 *Proponitur, & probatur argumentis non esse necessariam acceptationem populi.*

9 *Si de facto lex vsu recepta non est, cessat eius obligatio.*

10 *Explicatur quid necessarium sit ad non vsum inducendum.*

11 *Dum lex vsu, vel desuetudine abrogata non est, obligat.*

12 *Si maior pars populi resistit legi, & princeps permittit, reliqui à lege excusantur.*

13 *Satisfit argum.num.7.adductis.*

14 *Facta supplicatione, vel appellatione ad principem pro legis reuocatione lex durat.*

15 *Si tacet princeps audita petitione, censetur legem reuocare.*

1 VT à clarioribus incipiamus. Primò certum est posse Pontificem obligare fideles ad obseruantiam legis à se latæ, quamuis populus contradicat. sic Castro *lib.1.de lege pœn.cap.1.* Suarez *4.de legibus,cap.16. num.2.* Bonacina *disput.1.quæst.1.punct.4.num.28.& 29.* & Vasquez 1 2.*disput.156.cap.5.* Salas *disput.13. de leg. sect.1.* & alij aduersùs Nauarr.*cap.23.num.41.* & Valent. *disput.7. quæst.5. punct.5. quæst.tunc.4.* existimantes non posse, quia non esset lex iusta, & in commune bonum condita, quia esset occasio perturbationis. Sed ratio nostræ conclusionis est, quia Pontifex non à populo, sed à Christo Domino potestatem accepit ligandi, atque soluendi, in cuius potestatis concessione non apposuit Christus Dominus conditionem de populi acceptione, sed absolutè dixit, *Pasce oues meas. Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlo,* &c. Ergo poterit populum obligare independenter ab eius acceptione, quoties id sibi conueniens visum fuerit. Aliàs potestas data Pontifici inefficax esset, si populum Christianum ad legum obseruantiam cogere non posset, nisi ipsomet populo consentiente: hoc enim esset Pontificem non habere potestatem absolutam in populum Christianum, siquidem non potest suis legibus illum cogere, cùm vellet, si necessarium est, vt populus velit se alligari. Neque obinde dicenda est lex iniusta, & occasio perturbationis, quia iniquè ex talis potestatis vsu perturbarentur subditi.

Secundò, Episcopi legati, aliique inferiores Prælati legem ferentes possunt ad illius obseruantiam subditos obligare, quamuis ipsi contradicant. sic Suarez, & Castro nuper relati. Ratio ferè est eadem, quia tota potestas Ecclesiastica à Christo in eius vicarium dimanauit, & ex illo ad omnes Prælatos inferiores. Sed potestas, quam habet Christi Vicarius in legibus ferendis, est independens à populo. Ergo sic intelligendus est Prælatis inferioribus communicasse.

2 Difficultas est, an quoties Pontifex, vel alij Prælati leges ferunt, expectari possit, seu de facto expectetur consensus populi, & illius acceptatio, vt vim, & obligationem sortiantur. Affirmat glossa *cap.1.de treuga,& pace,verbo frangere.* Couarr.*lib.1.variarum, cap.16.à num.1.6.* Nauarr. *cap.23. num.41. & consil.1. de constitut. quæst. 5.* Maior *in 4.distinct.15. quæst.4. in argum. contra secundam conclusionem.* Driedo *lib.1. de libertate Christiana, cap.9. docum.2.* Henriquez *tract. de Synodi potest. 3.part.art.2. num.62.* Armilla *verbo lex, num.11.* Angelus *num.4. in fine,* & videtur tenere Azor *tom.1.institut.lib.5 cap.4.q.1. & seqq.* Salas *de legibus, disput.13.sect.1. & 5.* Reginald. *lib.13.num.160.* Bonacina *disput.1.quæst.1.punct.4.n.27.* Fundantur primò in illo dicto Gratiani communiter recepto *§.leges, cap.3.distinct.4. Leges constituuntur, cùm promulgantur; firmantur, cum moribus vtentium approbantur.* Ergo sine moribus vtentium lex firmitatem non habet. Secundò, quia præsumitur Pontificem legem condere sub intellecta conditione, si populo placuerit, quia hoc ad suaue regimen Ecclesiæ videtur pertinere. Tertiò multæ sunt constitutiones Pontificiæ deobligantes, eo quòd nunquam fuerint receptæ, imò à principio non videntur habuisse obligationem, eo solùm, quòd à populo non recipiebantur. Ergo.

3 Nihilominus dicendum est primò, si tempus instat obseruandæ legis iustæ à Pontifice, vel Episcopo latæ, nemini licitum esse, illam violare, sub prætextu, quòd populus adhuc non consenserit. hanc expressè docet Corduba *in qq.lib.4.q.7.* Suarez *lib.4.cap.16.num.4 & 8.* & tenent omnes illi, qui dicunt receptionem populi ad legis obligationem necessariam non esse, neque legem tollere, nisi in vi consuetudinis, quos in puncto sequenti referemus. Probo conclusionem. Nullibi habetur hanc populi approbationem ad legis naturam requiri, neque enim requiri potest ex potestate in populo residente, quia potestas Pontificis à populo non dependet, vt dictum est: neque etiam requiri potest ex concessione ipsius Pontificis, nullibi enim talis concessio reperitur. Ergo lex canonica independenter à populi acceptione constituitur. Ergo vim habet obligandi. Deinde ipsa acceptio populi ad legem requisita, vel est obseruantia ipsius legis, vel est quædam illius approbatio. Nullum ex his ad legem constituendam requiri potest.

Non

Non primum, quia obseruantia legis legem supponit. Ergo non constituit. Non secundum, quia aliàs populus esset conlegislator cum Pontifice, si eius iuridica approbatio requisita est ad legem. Præterea hæc approbatio vel debet esse à populo in communitate constituto, vel ab ipso diuiso: à populo autem in communitate constituto, raró, vel nunquam fit approbatio, vel reprobatio legis canonicæ. Ergo hæc requisita non est à populo diuisim sumpto: nulla alia approbatio, vel reprobatio legis, præter eius obseruationem, vel transgressionem inuenitur. Ergo. Adde. Ponamus latam esse aliquam legem à Pontifice, & instare tempus illius obseruationis, in quo tempore neque est à populo reprobata, neque acceptata: si de facto non obseruas, peccas, quia in tantum excusari poteras ab obseruatione legis, in quantum populus sciens legem, illam non acceptauit; cuius acceptatio cùm non sit per aliquod iudicium commune, raró cognosci potest.

4 Limitanda tamen est hæc doctrina in legibus, quæ difficilis sunt obseruationis, vel quæ aduersantur consuetudini receptæ: in his enim ex benigna interpretatione legislatoris, credimus quemlibet excusari ab obseruatione legis, quousque Princeps informetur de difficultate, vel recepta consuetudine, quia prudenter præsumere potest præcessisse legem ex ignorantia difficultatis, quæ in illius obseruatione inuenitur, vel ex ignorantia consuetudinis in contrarium receptæ: & ita tradit Suarez *lib.4.cap.16.num.4.fine, & num.7. & 8.* & loquens de legibus ciuilibus, *lib.3.cap.19.n.12.* id affirmat, fauetque *cap.certificati, de sepultur. & cap.1.de constitut.in 6.*

Sed inquires, quando probabiliter præsumere poteris legem esse difficilem, & grauem, vt meritò excusari posses ab illius obseruatione, quousque Pontifex de difficultate informetur? Respondeo non ex tuo cerebro tantùm hoc esse metiendum, sed ex consilio prudentum, vel timoratorum facto; si enim videas plures tractare de interponenda supplicatione, vel appellatione legis, argumentum est difficultatem non leuem habere, quam Pontifex creditur ignorasse.

5 Dicendum secundò est, si de facto lex canonica à maiori parte populi non acceptetur, hoc est, non obseruetur, & hæc non obseruatio legis duret tempore requisito ad præscriptam desuetudinem, seu non vsum: tunc poterunt aduersùs legem procedere subditi absque culpa; quia desuetudo vim habet abrogandi legem, seu impediendi eius obligationem, vt tenet communis sententia *in cap. vlt. de consuetud. lib. 6.* & tradit Azor *tom.1.institut.lib.5. cap.4. quæst.1.* Suarez *lib.4.cap.16. à num. 9.* Quod autem tempus, & quæ conditiones ad hanc præscriptionem requirantur, in §. sequenti dicemus, quia communes sunt legi tam ciuili, quàm canonicæ.

Quòd si roges, quid nomine communitatis intelligatur? Respondet optimè Bonacina *disput.1. de legibus, quæst.1. punct.4. num.33.* non solùm intelligi totam communitatem, cui lex dirigitur, sed etiam intelligi communitatem particularem, quæ per se capax legis esse potest. Quocirca si Rex, aut Pontifex legem ferat pro tota Ecclesia, aut regno, & aliqua ciuitas, seu maior pars illius, vel ex ignorantia, vel ex scientia legis, legem non obseruet, reliqui illius ciuitatis excusantur à culpa, quia in illa ciuitate lex recepta non est, etsi in omnibus aliis partibus lex obliget, quia recepta fuit. sic Nauarr. *consil.1. de constitut.q.5. & q.* Salas *de legib. disp.13.sect.2.n.10.& 11.* Azor *tom.1.instit.moral.lib.5.c.4. q.3.* Bonacina *suprà.*

6 Argumenta pro priori sententia non vrgent.

Ad primum dico, leges ex vsu, & moribus subditorum firmari, seu stabiliri, in obligatione, quam habent, non tamen ab vsu obligationem accipere. Vel, vt dixit Turrecremata *in illo §.leges, distinct.4.* cum Hugone, & Archidiacono, leges moribus firmantur de facto, non de iure. Quapropter in supradicto *§.leges,* dicit Gratianus; sicut enim moribus vtentium in contrarium nonnullæ leges hodie abrogatæ sunt, ita moribus vtentium ipsæ leges confirmantur: sed mores contrarij legi abrogant legem latam. Ergo mores conformes legem latam, & obligantem confirmant, seu stabiliunt.

Ad secundum negamus ad suaue, & rectum regimen Ecclesiæ pertinere, vt in omni lege ferenda Pontifex subintelligat illam conditionem, si populo placuerit; derogaret enim suæ authoritati, & occasionem tribueret suspicandi dependentiam habere à populo in sua potestate: sufficit, si hæc conditio subintelligatur in lege difficilis obseruationis, & quæ consuetudini receptæ opponitur: quam difficultatem, & consuetudinem præsumitur probabiliter Pontifex ignorare, cùm legem tulit. Ex quo patet ad tertium, fateor, inquam, aliquas esse constitutiones pontificias deobligantes, eo quòd non fuerint vnquam receptæ. An verò primò transgressores culpæ rei fuerint; decidendum est iuxta dicta: si probabiliter præsumpserunt ignorasse Pontificem difficultatem legis, vel consuetudinem in contrarium; quam si sciret, non fore laturum legem, à culpa excusantur: secùs verò si hanc probabilem præsumptionem non habuerunt.

7 Maior difficultas est, an in lege ciuili necessaria sit ad eius constitutionem acceptatio populi, quia legislator sæcularis quicumque sit à populo mediatè, vel immediatè accepit potestatem leges ferendi. *§.sed & quod, Instit.de natur. gent. & ciuili.* Ergo credendum est illam authoritatem accepisse dependenter ab ipso populo, quia hoc videtur populo conuenientius: siquidem posita hac dependentia, longè erit populus ab iniuria, & grauamine recipiendo à legislatore. Secundò legislator legem ferre non potest, quæ in bonum commune subditorum non cedat; sed cùm maior pars subditorum legi resistit, non cedit lex bono communi ipsorum; ideo enim tali legi repugnant, quia intelligunt sibi disconuenire. Ergo iudicium totius populi, vel maioris partis præualere debet iudicio legislatoris de conuenientia. Et confirmo. Negari non potest tantorum iudicium de disconuenientia legis, & illorum contradictionem, reddere probabile, imò moraliter certum legem illam disconuenire. Sed quando certum est, legem esse populo disconuenientem, non potest legislator illam ferre, etsi de facto ferat, quia de iure non fert, non inducit obligationem. Ergo similiter cùm probabile, vel moraliter certum est, legem disconuenire, erit probabile, vel moraliter certum, legem non obligare. Tertiò, si legislator sub expressa hac conditione, *si populus acceptauerit*, ferat legem; nemini est dubium ante acceptationem legem non obligare: at hic modus ferendi aptior est populo, cuius bonum ipse tenetur respicere in lege ferenda: siquidem populus melius cognoscet, quid sibi vtile, vel inutile sit, quàm legislator. Ergo credendum est sub hac ferre conditione. Quartò posita, & promulgata lege sæpè populus contradicit, & ab illa appellat, vel supplicat. Ergo durante supplicatione, vel appellatione, licebit illam non obseruare. Ergo signum est, legem non obligare ante acceptationem. Quintò consuetudo populi efficaciam habet abrogandi legem. Ergo à fortiori habebit efficaciam impediendi eius obligationem. Sextò decidi videtur *in l.de quibus, ff.de legibus*, vbi dicitur, *cùm ipsæ leges nulla alia ex causa ius teneant, quàm quod iudicio populi receptæ sunt. & infrà. Illud receptum est, quòd leges non solùm suffragio legislatoris, sed etiam tacito consensu hominum per desuetudinem abrogentur.*

Propter hæc communis est sententia, acceptationem populi ad obligationem legis necessariam esse. Abbas,

Felin. Hostiens. Innocent. Ioan. Andreas *cap. 1. de trenga, & pace.* Couarr. *lib. 1. var. cap. 16. num. 6.* Nauarr. *cap. 23. num. 41. & consil. 1. de constitut. quæst. 5. & 6.* Azor *tom. 1. lib. 5. cap. 4. quæst. 1. & quæst. 5. in fine.* Driedo *lib. 1. de libertate Christiana cap. 9. decum. 2.* & alij, quos refert Suarez *lib. 3. de legib. cap. 19. in princ.* & Azor *suprà.* Bonacina *disp. 1. quæst. 1. punct. 4. num. 27.* Salas *de legib. disput. 13. sect. 1. & 5.*

8 Nihilominus secunda sententia affirmat non esse necessariam ad legis obligationem acceptationem populi, sed posse Principem, cui commissa est potestas regendi populum, legem ferre obligantem subditos ad illius obseruationem: tenet hanc sententiam Turrecremata *in §. ideo, dist. 4.* Cardin. Zabarella *in proœmio Clement. verbo vniuersitati. quæst. 2.* Gregor. Lopez *leg. 16. tit. 1. p. 1. num. 4.* Castro *lib. 1. de leg. pœnali. cap. 1.* Ioan. Medina *C. de restitut. quæst. 36. ad quintum.* & de potestate tenet Salas & Bonacina *suprà*, & Vasq. 1. 2. *disput. 156. cap. 5.* Suar. *lib. 3. de legib. cap. 19. & lib. 4. cap. 16.* & alij. Mouentur primò, quia vel Princeps potest populum adstringere ad acceptandam legem à se latam, vel non? Si non potest, diminuta est eius potestas, & inefficax ad regendum populum; si potest populum adstringere, iam acceptatio populi necessaria non est. Ergo. Secundò, quia Rex, Imperator, & quilibet alius legislator supremus, punit transgressores suæ legis, neque admittit excusationem, quòd populus nondum eam acceptauerit, quia hanc acceptationem populi intendit legislator stabilire. Ergo signum est acceptationem populi ad legis essentiam necessariam non esse.

9 Vt ergo cum distinctione procedamus. Primò affirmandum est, cessare legis obligationem, si de facto non sit vsu recepta. ita communis sententia: neque secunda contradicit, vt notauit Suar. *lib. 4. cap. 16. num. 9.* Difficultas autem est, quando censeatur lex non esse vsu recepta: non enim cùm proponitur populo obseruanda, neque instat tempus obseruationis, potest dici tunc non recepta; quia actus simpliciter negatiuus non inducit non vsum, vel desuetudinem: vt cum omnibus Doctoribus tradit Azor *tom. 1. lib. 5. cap. 4. quæst. 7.* Salas *disput. 13. sect. 2. num. 11.* Nauarr. *de constit. cons. 1. quæst. 6. num. 25.* Bonacina *disp. 1. quæst. 1. p. 4. num. 48.* Man. Rodr. *reg. qq. tom. 1. quæst. 6. art. 12.* Dicitur ergo lex non esse vsu recepta, quando instat tempus obseruandi illam, & de facto non obseruatur: illa ergo non obseruatio, seu transgressio dicitur legis non receptio, quia in vsu, & obseruatione lex non recipitur. Hæc autem non obseruatio si completa, & perfecta sit, efficax est ad legis obligationem impediendam: nam si consuetudo legis contraria tollere legem receptam potest. *cap. vlt. de consuetudine.* non minus desuetudo, seu non vsus legis, efficax erit impediendi obligationem legis non receptæ.

10 Sed inquires, quæ requirantur ad hunc non vsum inducendum? Primò requiritur, vt hic non vsus introductus sit à tota communitate, vel saltem à maiore illius parte, quia consensus maioris partis, est consensus communitatis. *l. quod maior. ff. ad municipalem*, & tradit cum Panormit. Antonio, & aliis Suar. *lib. 4. cap. 16. n. 9.* Azor *tom. 1. lib. 5. cap. 4. quæst. 3.* Secundò requiritur ab aliquibus cōsensus saltem tacitus legislatoris, quo censeatur in desuetudinem consentire: hic autem consensus tacitus tunc habetur, cùm lex non obseruatur sciente legislatore, & non puniente transgressionem: ita Syluest. *verbo lex. q. 6. vers. 4.* Probabilius multo est, imò certum ex ignorantia Principis posse desuetudinem, seu non vsum introduci, qui sufficiens sit legis obligationem impedire: ita relato Felino *in cap. 1. de trenga, & pace num. 13. vers. considera secundò.* & Dominico *cap. in istis §. leges dist. 4.* Nauarr. *conf. 1. de constit. q. 5. num. 23* docet Azor. *tom. 1. institut. moral. lib. 5. cap. 4.* supponit Suar. *lib. 3. cap. 19. num. 10. in fine, & præcipuè lib. 4. cap. 17. num. 10.* Bonacina *disput. 1. quæst. 1. p. 4. num. 35. & præcipuè num. 45.* Ratio est manifesta: si enim consuetudo etiam ignorante Principe abrogare eius legem potest, vt dicemus loquentes de consuetudine; à fortiori desuetudo eius efficaciam poterit impedire. Adde cum Azor, & Nauarr. *suprà*, legislatorem habere hanc voluntatem, vt eius leges obligationem retineant, dum non est desuetudo, siue non vsus contrarius, sicuti habet voluntatem, vt eius leges obligent, dum in contrarium non est præscripta consuetudo. Tertiò requiritur, vt pro aliquo tempore duret hic non vsus, seu desuetudo, quia debet contra legem præscribere. Quod autem tempus requiratur, variant Doctores: alij tempus 40. annorum expostulant, præcipuè vt aduersùs legem canonicam præscribatur: alij decennium: alij nullum assignant tempus determinatum; sed prudentis arbitrio iudicandum esse. Dicendum ergo est decennium sufficere, siue vsus, & desuetudo procedat ignorante Principe, siue sciente. Decennium reputatur in iure longum tempus, ex *glossa recepta in cap. vlt. de consuetud. in 6.* Sed consuetudo longi temporis sufficit ad tollendam legem receptam. Ergo à fortiori ad impediendam obligationem legis non receptæ requiri debet: & ita docet aliis relatis Couarruu. *lib. 1. var. cap. 16. num. 6.* Azor. *tom. 1. instit. lib. 5. cap. 4. quæst. 4.* Suar. *lib. 4. de legib. cap. 16. num. 12.* Adde sciente Principe eius legem non obseruari à maiori parte populi, & ex alia parte non punientes transgressores, cùm possit, censetur tacitè in eius abrogationem consentire: neque necessarium est tunc decennium, sed breuissimo tempore, vno, vel altero actu tolerato, lex cessabit: ita aliis relatis docet Suar. *lib. 4. de leg. cap. 16. num. 11.* Nauarr. *conf. 1. de constitut. q. 5. num. 24.* Azor *tom. 1. lib. 5. cap. 4. q. 5.* Quòd si Princeps desuetudinem ignoret, etsi Azor *quæst. 4. 5. & 6.* dicat decennium necessariò requiri, nec minus sufficere: at probabilius existimo cum Suarez *cap. 16. num. 12.* minus tempus sufficere, præcipuè in lege ciuili, quia decennium sufficit ad abrogandam legem vsu receptam. Ergo minus debet requiri ad impediendam eius obligationem.

11 Dico secundò. Dum lex desuetudine, vel non vsu abrogata non est, obligat subditos ad sui obseruationem, quia non habent, vnde excusentur; excusari enim poterant, vel quia legislator non intendit eos obligare, quod non est credendum, cùm potiùs intendat legem suam stabilire: vel quia vsus, & desuetudo est in contrarium; sed hic vsus, & desuetudo non excusat, quousque decurrat tempus præscriptionis. Ergo. ita Suarez *lib. 4. cap. 16. num. 9.* Quocirca mihi non probatur, quod dicit Azor *suprà quæst. 5.* ex Nauarr. *consil. 1. de constitut. quæst. 5. num. 24.* primos transgressores non peccare, si transgressionem sciat legislator, & non puniat: quia ad hoc, vt sciat transgressionem legislator, supponitur transgressionem esse. Ergo ex scientia subsequente honestari transgressio non potest.

12 Aduertendum tamen est, regulariter loquendo, si maior pars communitatis legi resistat, idque sciat Princeps, neque puniat, excusari reliquos ab obseruatione legis, etiamsi non præterierit tempus sufficiens ad desuetudinem præscribendam, quia tunc adest in minori parte populi probabilis opinio de voluntate Principis nolentis obligare. Deinde, quia talis obseruatio non cedit in bonum communitatis, cùm non obseruet maior pars communitatis, sed minor, & ita tenet Nauarr. & Azor *suprà*, & consentit ex parte Suarez *illo cap. 16. num. 9. & 12. & lib. 3. cap. 19. fine num. 13.* Quæ autem censenda sit maior pars communitatis, iam suprà diximus. Secundò aduertendum est, si lex nimis dura, & grauis sit, vel consuetudini contraria, poterunt tunc excusari omittentes eius obseruationem: quia probabiliter præsumere debent, vel ignorare legislatorem difficul

difficultatem, vel apposuisse legem non cum intentione obligandi ad eius obseruantiam, sed potiùs cum intentione experiendi, quid circa illam senserint, constat ex dictis in puncto antecedenti.

13 Restat satisfacere argumentis num. 7. adductis.

Ad primum concedo legislatorem à populo potestatem accepisse; sed nego accepisse cum illa limitatione: populus enim iudicauit conuenientius sibi esse omnem potestatem regendi, in vnum caput transferre, nec sibi partem reseruare; quia sic magis subditus erit, & magis cum suo capite vnitus. Aliàs si populi acceptatio, & consensus ad legem requireretur, populus se regeret, non Rex regeret adæquatè populum.

Ad secundum sæpè communitatem resistere legi, non quia iudicet sibi disconuenientem esse, sed quia sentit subiectionem, & grauamen impositum. At si legi resistat, quia iudicat sibi esse disconuenientem, vel quia iniusta, vel quia nimis grauis, tunc iam diximus probabile esse excusari ab illius obseruatione, & per hæc patet ad confirmationem.

Ad tertium negamus illum modum ferendi legem esse aptiorem, quia derogat potestati legislatoris, quæ cedit in bonum communitatis. Adde: ex illo modo ferendi legem plures sequerentur dissensiones, quia non facilè populus vnitur, vt exploretur eius consensus, præcipuè cùm per non obseruantiam legis debet introduci.

In quarto argumento petitur, qua ratione possit populus à lege appellare, vel supplicare? Dicendum ergo est, à lege lata ab inferiore legislatore appellari posse ad superiorem: non quia sit iniusta, suppono enim iustam, & validam esse legem, sed quia onerosa sit; hæc enim ratio sufficit ad interponendam appellationem, quia est causa rationabilis: à lege autem supremi Principis appellari nullo modo potest; quia appellatio debet esse ab inferiore ad superiorem, quia habet effectum deuolutiuum, & suspensiuum: at poterit supplicari à lege, hoc est, rogare legislatorem, vt legem tollat; in hoc enim nullum est inconueniens: & sic de facto vsus obtinuit, præcipuè in legibus Pontificiis, quæ quia feruntur pro toto orbe, & sæpè alicui prouinciæ, & regno disconuenientes sunt, neque talem disconuenientiam Pontifex agnouit, meritò interponitur supplicatio. sic Castro *lib. 1. de leg. pœnal. cap. 1.* Panormit. & Felin. *in cap. 1. de treuga, & pace.* Suarez *lib. 4. de legibus, cap. 16. à num. 6.*

Ad quintum admittimus consuetudinem, & desuetudinem habere vim abrogandi legem, & impediendi eius efficaciam, si præscripta sit.

Ad vltimum desumptum ex *l. de quibus*, dico legibus non alia ratione nos firmiter teneri, nisi quia vsu receptæ sunt: absolutè autem ad earum obseruationem ex sola voluntate legislatoris tenemur.

14 Sed inquires primò, an facta supplicatione, vel appellatione ad Principem pro lege lata reuocanda, liceat subditis interim aduersùs eam procedere, ac si lex lata non esset?

Respondet Suarez *lib. 4. de legibus, cap. 16. num. 8.* durante supplicatione nihil faciendum esse contra legem: quòd si id fieri non potest sine scandalo, vel graui rerum mutatione, ex benigna interpretatione Principis iudicandum est cessare legis obligationem. Et hic modus dicendi mihi probabilior apparet, quia supponimus legem tunc obligare, ac proinde subditos excusari non posse, nisi ex epikeia, quia credunt legislatorem illum casum non comprehendere. Verùm Bonacina *disput. 1. quæst. 1. punct. 4. num. 41.* Salonius *de contractib. tom. 2. de censibus, art. 3. disput. 4. conclus. vlt.* Salas *disp. 18. sect. 4. num. 21.* Castro *lib. 1. de leg. pœn. cap. 1.* Manuel Rodriquez *tom. 4. qq. regul. q. 6. art. 7.* non ita strictè loquuntur: affirmant namque, quoties populo est iusta, & rationabilis causa supplicandi pro legis reuocatione, interim posse agere, ac si lex posita non esset, quia sic videtur vsu receptum; & quia hoc est conueniens suaui Ecclesiæ, & reipublicæ gubernationi, ne scilicet subditi pro tunc legis onere premantur, donec legislator mentem suam magis explicuerit. Fateor hoc esse probabile, sed quod diximus probabilius, quia non est sufficiens ratio præsumendi legislatorem nolle obligare subditos, quando subditi habent rationabilem causam supplicandi pro reuocatione legis; stare enim optimè potest adesse causam sufficientem, vt petatur reuocatio, & adesse efficaciorem, vt non concedatur, quare certa legis obligatio ex dubia causa cessare non videtur.

15 Inquires secundò, an si Princeps audiat petitionem, & supplicationem communitatis pro reuocanda lege, & taceat, censeatur legem reuocare?

Probabilius existimo reuocare, quia tenebatur legi insistere, & subditos ad illius obseruationem vrgere, si animum habebat obligandi; cùm igitur nihil horum faciat, censetur petitioni illorum annuere: & ita docet Bonacina *disput. 1. de legibus, quæst. 1. punct. 4. num. 43.* Salas *disput. 18. sect. 4. num. 21.* Limitant tamen, nisi ex coniecturis colligeretur clarè, taciturnitatem Principis non ad tollendam legem dirigi; sed potiùs ad illam firmandam, eo quòd suaui, & benigno modo intendit subditos ad sui obseruationem pertrahere.

PVNCTVM XIV.

Vtrùm lex ciuilis, & Ecclesiastica inducat obligationem in conscientia, & sub peccato.

1 *Quæ probent non posse obligare in conscientia, & sub peccato.*
2 *Certa est sententia obligare sub peccato.*
3 *Satisfit argum. num. 1. adductis.*
4 *Ad omnem legem ciuilem, & canonicam hæc obligatio extenditur.*
5 *Proponuntur aliquot obiectiones.*
6 *Fit supradictis obiectionibus satis.*
7 *Sed quid dicendum de lege iniusta, explicatur, quotuplex esse potest iniusta.*
8 *Si est iniusta ex parte rei præcepta nullam inducit obligationem, quia non est lex.*
9 *Idem iuris est de legibus latis à carente potestate.*
10 *Quid dicendum de tyranni legibus.*
11 *Examinatur, an peccet tyrannus condens legem, & ferens sententiam.*
12 *Cessat obligatio legis, si ex parte subditorum sit iniusta; & lex fundata in præsumptione non obligat.*
13 *Secus dicendum, si non in præsumptione facti, & delicti, sed in periculo illius fundetur, quia tunc obligat.*
14 *Quid dicendum de lege inæqualiter subditos grauante.*

1 De lege diuina, & naturali nullus dubitat. De lege humana tam Ecclesiastica, quàm ciuili ausus est Gerson *3. part. tract. de vita spirituali, lect. 4. alphab. 62.* affirmare non obligare ex se, & in foro conscientiæ, sed quatenus solum declarat legem diuinam. Idem sensit Almain. *de lege ciuili, lib. de potest. Ecclesiæ, cap. 12.*

Moueri possunt primò ex illo Pauli ad Timoth. 1. *Iusto non est lex posita.* Ergo his, qui iustitiam per Baptismum adepti sunt, lex imponi non potest in conscientia obligans. Similis locus est ille ad Galat. 5. *Si spiritu ducimini, non estis sub lege.* Ergo lege arctari non possunt, qui spiritu ducuntur. Secundò omne peccatum definiuit Augustinus esse dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei. Ergo non contra legem hominum. Tertiò propter peccatum mortale est pœna inferni constituta; sed homo non potest talem pœnam imponere.

nere. Ergo non potest sub illa pœna obligare. Ergo non potest obligare sub peccato. Quartò lex humana præcipuè ciuilis solùm respicit bonum commune politicum reipublicæ: sed ad hunc finem non videtur necessaria obligatio conscientiæ, quæ est interior, & bonum cuiusque proprium. Ergo. Quintò homo non potest cognoscere ea, quæ in conscientia alterius geruntur, cùm scilicet ex perfecta scientia, & ex perfecta libertate procedat, quia solùm videt ea, quæ patent: Deus autem intuetur cor. Ergo non poterit illum in conscientia obligare.

2 Nihilominus certa sententia est, tam legem Ecclesiasticam, quàm ciuilem habere vim, & efficaciam obligandi subditos in conscientia; ita vt transgressores illarum peccent mortaliter: sic omnes expositores cum D. Thom. 1.2. *quæst.* 96. *artic.* 4. Castro *lib.* 1. *de leg. pœn. cap.* 4. *&* 5. Nauarr. *summ. cap.* 23. *num.* 54. Suar. *lib.* 3. *cap* 21. *num.* 6. *& lib.* 4. *cap.* 17. Azor *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 6. *q.* 1. 2. *&* 3. Salas *disput.* 10. *de legib. sect.* 1. *num.* 6. Bonacina *disp.* 1. *quæst.* 1. *p.* 7. *num.* 1. Vasq. 1.2. *disput.* 158. *cap.* 2. *&* 4. Sayrus *lib.* 3. *cap.* 4. *&* 7. Valent. *tom.* 2. *disp.* 7. *quæst.* 5. *p.* 6. Reginald. *summa lib.* 13. *num.* 174. Molina alios referens de Hispanorum primogeniis *lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 7. *fol. mihi* 202. & alibi plures ab eisdem relati: & videtur conclusio definita a Paulo ad Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*; & taliter subdita est, vt si potestati resistat, Dei ordinationi resistit: sed qui Dei ordinationi resistit, peccat, & sibi damnationem acquirit, vt ipsemet Paulus dicit. Ergo qui resistit potestati, peccat, & damnationem acquirit. Item qui non audit Ecclesiam, reputatur vt ethnicus, & publicanus, *Matth.* 18 Ergo committit peccatum.

Ratio autem præcipua est, quia quicunque legislator humanus, etsi à republica accepit potestatem regendi ipsam, à Deo illam immediatè accepit, posita electione reipublicæ, iuxta illud Prouerb. 8. *Per me Reges regnant, & conditores legum iusta decernunt.* & Sap. 6. *Audite Reges: quoniam data est à Domino potestas vobis.* Ergo cùm imperant, nomine Dei imperant. Ergo contemnentes eorum mandata, Dei mandata spernunt. iuxta illud Lucæ 10. *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.* Quocirca eo ipso, quòd legislator humanus legem imponit, Deus obligat illam seruare, & pœnam æternam transgressoribus cōstituit, quia nomine ipsius, & per potestatem ab ipso Deo acceptam legem imponit. Dices, ergo transgressor legis humanæ non est reus culpæ, quatenus legem humanam violat, sed quatenus violat legem diuinam ibi inclusam. Neganda est consequentia, quia lex Dei de seruanda lege humana, non adesset, nisi humana poneretur. Quapropter intelligi non potest peccare contra hanc legem diuinam, nisi humanam violando, ac proinde vtramque legem inseparabiliter violat. Adde, posse legislatorem obligare suis legibus in conscientia, est maximè necessarium gubernationi reipublicæ, & bonis moribus subditorum, qui si hanc obligationem in conscientia habere non possunt, sed solùm timore pœnæ, debent duci ad legem seruandam, nullam legem perfectè seruarent, solùm enim obseruationi illius attenderent, quando viderent esse iudicibus manifestandos, & pœnam illis esse imponendam. Quod esset aperire viam hypocrisi, & simulationi.

3 Ex his facile est respondere argumentis, pro sententia Gerson.

Ad locum Pauli, *Iusto non est lex posita*; respondeo primò cum D. Thom. in illum locum, non esse impositam legem, tanquam onus; quia illa non grauantur: habitus enim illorum interior ad seruandam legem inclinat; ideòque ipsi sibi sunt lex. Secundò respondeo non esse impositam iusto legem pro ipso iusto, sed pro iniustis. quasi diceret Paulus: Si omnes essent iusti, nulla necessitas esset imponendi legem, quia ipsi sibi essent lex. Imponitur lex ad coërcendos malos: at semel posita omnes tam iustos, quàm iniustos alligat. Tertiò iusto non est posita lex; vt sub illa tanquam sub pædagogo contineatur, siquidem spiritu charitatis in bonum dirigitur, & à malo arcetur. Eodem ferè modo respondere possumus ad locum illum, *Si spiritu ducimini, non estis sub lege.* id est, non estis sub lege, tanquam sub onere: neque legis pœna vos vrget, aut premit, cùm spiritu charitatis ducamini. Hieronymus verò explicat: Si spiritu ducimini, hoc est, si spiritu Christi induti estis; non estis sub lege antiqua, sed liberi estis à iugo legalium cæremoniarum. D. Thom. dicit: Si spiritu ducimini, non estis sub lege, id est, non estis contrarij legi.

Ad secundum admitto omne peccatum esse contra legem Dei, sed non inde infertur non esse contra legem hominum, cùm illa quæ sunt contra humanam legem, necessariò sunt contra legem diuinam.

Ad tertium concedo non posse hominem sub pœna inferni directè obligare, vt seruentur eius mandata, potest autem obligare indirectè, quatenus cum eius obligatione coniuncta est obligatio legis æternæ de seruandis mandatis humanis sub pœna inferni: quod apposito exemplo explicat Suar. *illo cap.* 21. *num.* 13. potest enim Princeps aliquam pœnam sibi propriam, & reseruatam suæ iurisdictioni, assignare transgredientibus leges suorum gubernatorum, tunc enim gubernatores obligare non possent directè ad seruandas suas leges, sub pœna illa à Principe assignata, quia illam imponere non possunt: at obligant indirectè, siquidem ex eorum obligatione, sequitur obligatio, quam Princeps imponit, & pœna, quam transgressoribus impositura est.

Ad quartum nego, necessariam non esse hanc obligationem in conscientia ad bonum commune, cùm in bonitate morali, bonum commune politicum fundari debeat.

Ad quintum neganda est consequentia; benè enim potest homo hominem obligare in cōscientia ad actus externos, etiamsi ea, quæ in conscientia geruntur, non agnoscat, quia non obligat per se ad ea, quæ in conscientia fiunt, sed ad ea, quæ exteriùs procedunt.

4 Sed inquires, an hæc obligatio ad omnem legem extendenda sit?

Respondeo ex recepta omnium Theologorum, & Iuristarum sententia, cum D. Thom. 1.2. *quæst.* 92. *art.* 2. *ad* 1. *& quæst.* 93. *art.* 2. *& in cap. omnis, dist.* 3. *& in l. legis virtus, ff. de legibus*, nullam legem esse posse, quæ vim obligandi non habeat: nam si lex est vera, iusta, & rationabilis, à superiore procedit, quatenus superior est, & quatenus potestatem habet, & cum intentione obligandi. Ergo de facto obligat. Nequit ergo intelligi præceptum impositum esse subditis, & subditi obligati non esse parere; quia, vt superiori puncto diximus, ex lege diuina, & naturali talibus præceptis obediendum est.

5 Verùm vt hæc doctrina clariùs innotescat, placet aliqua aduersùs illam proponere. Et quidem plures in iure videntur esse leges, nullam obligationem inducentes. Primò lex est iure gentium statuta, homines in bello captos reducere in seruitutem, bella mouere aduersùs occupantes terras nostras: quæ tamen neminem videntur obligare; nemo enim cogitur captiuos in seruitutem redigere, neque bella, aduersùs occupantes iniustè eius bona, mouere. Secundò plures sunt leges permittentes aliqua mala in republica, vt maiora vitentur, vt constat ex *cap. omnis, dist.* 3. iuncta glossa. Aliæ item leges bona permittunt, non tamen obligant; permittuntur enim secundæ nuptiæ: nemo tamen ad illas obligatur. Tertiò priuilegium est lex priuata, *cap. priuilegium, dist.* 3. & tamen non adstringit priuilegiatum ad eius

eius vsum, siquidem potest ei renuntiare: *cap. cùm ad monasterium, de regularib.* Quartò leges pœnales verè leges sunt, & tamen non obligantur subditi ex illis, ad summum enim obligantur ad sustinendas pœnas, si imponantur. Quintò constitutiones plurium religionum, leges sunt, & tamen ad nullam culpam obligant; imò, neque etiam videntur obligare posse ad sustinendam pœnam: nam pœna nunquam potest imponi, nisi pro culpa. Sextò consilium inter leges enumeratur, ex *l. legis virtus, ff. de legibus*, & tradunt ibi communiter Doctores, & tamen consilium non obligat. Septimò lex fundata in præsumptione, vera lex est, & tamen non obligat in conscientia, vt est communis Doctorum sententia. Octauò obligatio legis à legislatore pendet. Ergo potest ipse pro voluntate sua limitare obligationem. Ergo poterit omnino tollere, & solùm ad subiectionem pœnæ obligare. Ergo non est de ratione cuiuslibet legis hanc obligationem inducere. Vltimò sanctiones plurium religionum ad nullam culpam obligant, & tamen leges sunt. Ergo.

6 Facilis est horum solutio.

Ad primum dico, posse homines in bello iusto captos redigi in seruitutem, legem propriè non esse, sed facultatem vtilẽ concessam, bellanti iustè; ideóque huic facultati renuntiare optimè potest. At quia ad huiusmodi facultatem iure ipso sequitur obligatio in omnibus aliis, ne sic vincentem, & captorem in seruitutem victos redigentem perturbent, ideo respectu illorum lex propriè est, & dici potest.

Ad secundum & tertium eodem modo respondetur, permissionem, & priuilegium quatenus particulari personæ concessum, seu quatenus permissio, & priuilegium est, non esse propriè legem: at esse legem, quod ex illis proximè, & immediatè consequitur, consequitur enim in omnibus subditis illius, qui permissionem, vel priuilegium concessit, obligatio non perturbandi vtentem permissione, vel priuilegio.

Ad quartum & quintum concedo, leges purè pœnales esse veras leges, etiamsi non obligent in conscientia ad actum immediatum, ratione cuius pœna imponitur; sufficit enim, si ex illis obligentur iudices ad pœnas imponendas, vel subditi ad soluendas pœnas supposita legis transgressione, vel ad sustinendas pœnas casu, quo imponantur à iudicibus; hoc enim vltimum ad minus est necessarium; quia aliàs non poterit superior efficaciter subditum punire, si subditus obligatione careat sustinendi pœnam, seu non resistendi: cùm verò dicitur non posse esse obligationem sustinendi pœnam, nisi præcedat culpa; respondeo, nisi præcedat culpa quoad Deum, nego: sufficit, si præcedat culpa, quoad homines, & in foro illorum.

Ad sextum consilium latè dici legem, non propriè, habet enim cum lege quandam similitudinem, quia dirigit, & docet, quod faciendum sit.

Ad septimum dico legem fundatam in præsumptione facti, seu delicti esse veram legem, si præsumptio cum veritate conueniat: secus verò, si à veritate discordet; tunc enim non erit vera lex, sed præsumpta, & ideo tunc solùm præsumptiuè erit quis lege obligatus, non propriè.

Ad octauum concedo posse legislatorem limitare pro sua voluntate obligationem legis, vt diximus in superiore tractatu *de peccatis, disput. 2.* & obligare ad culpam venialem in materia graui: at tollere omnimodam obligationem perseuerante lege, esse impossibile, quia si perseuerat lex, perseuerare debet præceptum, & obligatio, quæ de ratione illius est; si verò solùm ad pœnam sustinendam obligat, non verò ad actum immediatè præceptum, solùm erit lex propriè quoad pœnam, & vocabitur lex purè pœnalis.

Ad vltimum concedo esse constitutiones plurium religionum ad nullam culpam ex se obligantes; quia ita voluerunt illarum religionum fundatores: & leges humanæ pro voluntate legislatorum obligant; vnde si legislator non intendit in conscientia obligare, nullam in conscientia obligationem inducere potest; & ita sancitum est in constitutionibus nostræ Societatis *6. p. c. 5.* & de regulis Ordinis Prædicatorum docet D. Thomas *2. 2. quæst. 186. art. 9. ad 1.* & ibi Caietan. *circa solut. ad 1. dub. 1.* Syluest. *verbo religio, 1. quæst. 12. dicto 1.* & de constitutionibus ordinis D. Francisci idem Syluest. *quæst. 13.* Corduba *in reg. D. Francisc. cap. 10. quæst. 3.* Passarellus *in priuil. minist. cap. 25.* & generaliter de his omnibus docuit Thomas Sanchez plures referens *lib. 6. in Decalog. cap. 4. num. 11.* Suarez *lib. 3. de legib. cap. 22. num. 5.* Vasquez *disput. 158. cap. 3. num. 15.* Bonacina *disput. 1. quæst. 1. punct. 7. § 2. num. 5.* An verò dicendæ sint hæ constitutiones leges, aut consilia, quæstio est leuis momenti: placet tamen mihi modus dicendi Thom. Sanchez, & Suarez. Bonacina *suprà*, neque esse leges propriè, neque propriè consilia: assimilari tamen legibus, ac proinde leges esse dicendas. Non sunt leges propriè, quia non ligant, cùm de ratione legis sit vinculum, & obligatio: vt latè probat Suarez *lib. 3. cap. 20. à num. 3.* Neque propriè consilia, quia etsi de rebus ad perfectionem pertinentibus sint, imperatiuo modo procedunt, & à superiore habente authoritatem condendi veras leges, & præcepta, & ad bonum commune ordinantur: insuperque transgredientibus illas constitutiones imponitur pœna. quæ omnia sunt aliena à consilio, & affinia legi: eáque de causa leges dici debent, seu, vt placet Bonacinæ, dicuntur regulæ, seu ordinationes, quæ ordinant, & dirigunt ad bonum, ostendendo, quid faciendum sit, quid vitandum.

7 Sed quid dicendum de lege iniusta, an obliget in conscientia?

Tripliciter lex, seu præceptum iniustum esse potest. Primò ex parte rei præceptæ. Secundò ex parte legislatoris. Tertiò ex parte subditorum. Ex parte rei præceptæ est iniusta lex, si rem contrariam bonis moribus, vel contrariam bono communi imperet. Ex parte legislatoris est iniusta, si potestatem non habeat ferendi illam. Ex parte subditorum potest esse lex iniusta, si deficiat fundamentum, & ratio, ob quam lex, & præceptum illis imponitur.

8 Dico ergo primò, si lex sit iniusta ex parte rei præceptæ, quia præcipit rem bonis moribus contrariam, clarum est non obligare, quia esset obligatio ad peccatum. Item lex humana est participatio legis naturalis, & diuinæ: non ergo potest esse illi contraria. quòd si aliquando aduersetur, ea in parte non est lex, neque illi est obediendum: quia *præstat magis obedire Deo, quàm hominibus*, Actorum 4. Quòd si bono communi reipublicæ aduersetur, etiamsi quod præcipit malum in se non sit, non est illi obediendum, quia non est lex. Legislator enim quicumque sit, non habet potestatem condendi leges, nisi quatenus reipublicæ vtiles sunt: nam si legislator sit Ecclesiasticus, non est illi data potestas à Christo Domino, in destructionem Ecclesiæ, sed in eius ædificationem; si verò sit legislator ciuilis, cùm à republica acceperit potestatem, non potest dici in destructionem ipsius reipublicæ accepisse, sed potiùs in illius ædificationem, & commodum: sic omnes Doctores.

9 Dico secundò, si lex iniusta sit ex defectu potestatis in legislatore, certum est non obligare, quia deficit fundamentum legis, debet enim procedere à superiore, qui verè superior sit, vel taliter existimetur.

10 Hinc oritur non leuis difficultas, an legibus latis à tyranno obediendum sit? Videtur enim illis non esse obediendum, quia caret potestate leges ferendi: neque verè superior est, neque talis existimatur; supponimus enim

enim tyrannicè regnum vsurpasse, ac proinde iurisdictionem. Item non adest communis error populi cum titulo colorato; sed potiùs adest communis omnium cognitio de vsurpatione iniusta iudicij.

Nihilominus dicendum est legibus latis à Rege tyranno, dum pacificè possidet regnum, neque à republica expellitur, obediendum esse. sic Salas alios referens *disp. 10. sect. 2. num.* 14. Lessius *lib. 2. de iust. cap. 29. dub. 9. num. 70.* Bonacina *disp. 1. quæst. 1. punct. 7. §. 3. num.* 12. Ratio præcipua est, quia præsumendum est rempublicam dare tyranno potestatem leges, & sententias ferendi, dum potestate caret expellendi illum à regno, ne incommoda multiplicentur, & omnia sint confusione, & perturbatione plena: & ita dicendum est esse superiorem, dum occupat regnum, & habere potestatem, quæ necessaria à republica iudicatur ad rectam sui gubernationem, in hac enim concessione respicit respublica vtilitatem propriam, non tyranni.

11 Dices. Ergo tyrannus ferendo leges, & sententias non peccat; si quidem vtitur facultate sibi data. Consequens videtur falsum, quia illa facultas non est data à republica voluntariè, sed quasi coactè, & ad redimendam vexationem. Ergo vsus illius est tyranno illicitus, sicut vsus pecuniæ est illicitus vsurario. Item, quia vtendo illa facultate, se quasi firmat in regno, & potestate vsurpata. Huic obiectioni respondet Lessius *lib. 2. de iust. cap. 29. dub. 9. num. 7.* & Suarez *lib. 3. de legib. cap. 10. num. 9.* peccare quidem tyrannum leges, & sententias ferentem ob rationem dictam, etsi magis peccaret, si sententias, & iudicia non ferret: ob quam rationem licitum est subditis (inquit Lessius) petere à tyranno leges, quibus gubernentur, & sententias, quibus in pace custodiantur; quia petunt ab illo non absolutè, sed ex suppositione, quòd velit in regno persistere, quod est petere, & consulere minus malum.

Verùm mihi dicendum videtur probabilius cum Bonacina, & Salas *suprà* tyrannum non peccare in sententia ferenda, & legibus condendis, supposito, quòd velit in vsurpatione regni persistere. Tum quia posita illa voluntate obligatur ius petentibus dicere. Ergo non peccat dicendo: tum etiam, quia si ipse peccaret, facta illa suppositione, quòd velit in regno persistere, peccarent subditi petendo, quia licèt minus malum esset, est tamen malum: at nemini licet malum, vt malum petere. Neque verum est talem potestatem inuoluntariè à republica esse datam: nam supposita violenta occupatione regni, non inuoluntariè, sed nimis voluntariè, & liberè habuit facultatem ferendi leges, & sententias; quia hoc non est in bonum ipsius tyranni, sed reipublicæ; secus verò & de pecunia data vsurario, cuius datio immediatè est inuoluntaria, quia non cedit in vtilitatem dantis, sed recipientis.

12 Dico tertiò, si ex parte subditorum cesset fundamentum, & ratio imponendi eis legem, & præcepta, cessat illorum obligatio, hac enim de causa lex, quæ fundatur in præsumptione, non obligat, si veritas præsumptioni non conueniat. sic Nauarr. *cap. 17. num. 284. & cap. 23. num. 62.* Couarruu. *cap. cùm esses, de testament. num. 9. & in epitome decret. 1. p. cap. 4. §. 1. num. 9.* Suarez plures referens *lib. 3. de legib. cap. 23. num. 1. & lib. 5. cap. 24.* Sayrus *claui regia lib. 3. cap. 7. num.* 8. Vasquez *1. 2. disp. 163. cap. 2. & 3.* Salas *de legib. disp. 10. sect. 4. & disp. 16. sect. 7. num. 14. & 15. & seqq.* Bonacina *disp. 1. quæst. 1. punct. 7. §. 3. num. 1. & 6.* Basil. de Leon *lib. 5. de matrim. cap. 5. num. 6.* Manuel Rodr. *tom. 1. regular. qq. quæst. 67. art. 3. & seqq.* Verùm, vt hæc conclusio, & doctrina communis rectè intelligatur, supponendum est cum supradictis Doctoribus, Salas, Bonacina, Suarez, & Vasquez, Basilio *suprà*, duplicem esse præsumptionem, aliam, quæ fundatur in aliquo facto, seu delicto; aliam, quæ fundatur in periculo illius, seu, vt alij vocant, alia est præsumptio iuris de quolibet casu singulari; alia de communiter in illo contingente. Quando ergo lex, seu præceptum fertur ob præsumptionem alicuius facti, seu delicti, seu propriè ob præsumptionem iuris de aliquo singulari casu: tunc si præsumptio veritati non conueniat, cessat obligatio legis, & in hoc sensu est vera communis sententia affirmans esse legem iniustam, & deobligantem, quæ in præsumptione fundatur. Et ratio est manifesta, quia tunc cessat adæquatus finis legis, & præcepti, & consequenter debet ipsa lex cessare. Quare si superior insistat in lege ferenda, quia veritatem ignorat, subditus deobligatus erit obedire, quia solùm in præsumptione est lex, non in veritate. Explico aliquibus exemplis. Primò, contraxisti matrimonium impedimento dirimente, cogeris excommunicatione reddere debitum vxori petenti, non teneris, imò nec potes obedire, ex *cap. tua nos. cap. is qui, de sponsalibus, & cap. inquisitioni, de sententia excommunicat.* Secundò, si per falsos testes conuincaris esse Petri debitorem, & compellaris soluere, non teneris; quia tota ratio præcepti, & obligationis tibi impositæ, est, quia præsumit legislator te debitorem esse; sed tu verè debitor non es. Ergo corruit tota ratio obligationis, & ita tenet Sanchez *lib. 4. in Decal. cap. 15.* Nauarr. *cap. 17. num. 283.* Valent. *tom. 2. disp. 7. quæst. 5. p. 6.* Salas *de legib. disp. 10. sect. 4.* Quocirca si de facto soluas, poteris vti occulta compensatione, quia iniuria tibi est illata in re, etsi in foro externo non præsumatur. Habes ergo ius quoad possis, illum repellendi. & ita docet Azor *1. part. lib. 5. cap. 6. quæst. 4.* Vasquez *tom. 2. disp. 163. cap. 2. & 3.* Sayrus *in claui regia lib. 3. cap. 7. num. 8.* Suarez *de legib. lib. 3. c. 23. & lib. 5. cap. 10. num. 3.* Bonacina *disp. 1. de legib. quæst. 1. punct. 7. §. 3. num. 1. fine, & num. 6.* Nauarr. Valent. Sanchez, & Salas *suprà*. Tertiò, si priuatus es officiis, muneribúsve honorificis, eo quòd descendas à patre condemnato, & criminoso, quia ipse timore tormentorum tibi crimen imposuit, vel per falsos testes sic probatum fuit: si tibi constat veritas in contrarium, poteris in foro conscientiæ vti officiis, & muneribus, quia non teneris illi sententiæ, vtpotè fundatæ in falsa præsumptione delicti obedire. sic Basilius de Leon *suprà n. 10.* Manuel Rodr. *tom. 1. regul. qq. quæst. 67. art. 3. vers. ex dictis.*

Sed obiicies, legislator iustè procedit, quia procedit secundùm allegata, & probata. Ergo eius sententia legitima est. Ergo teneris obedire. Ergo soluere. Ergo non poteris vti occulta compensatione. Item ratio præcipiendi non est debitum à parte rei, sed in existimatione iudicis, & probatione legitimè facta: hæc autem ratio semper perseuerat. Ergo semper perseuerat finis, & ratio præcepti. Ergo obligat præceptum. Deinde si excusaris à solutione ob iniustam in re sententiam. Ergo non poteris soluere spontè, nisi velis donare, quia cooperareris peccato alterius.

Respondeo legislatorem iustè procedere quoad se, & secundùm suam conscientiam, non tamen quoad rem ipsam, eáque de causa non teneris obedire. Ad confirmationem dico aliam esse rationem finalem præcipiendi aliam occasionem imponendi præceptum: præsumptio, & probatio legitima occasio est, qua mouetur legislator ad imponendum præceptum. At ratio finalis, seu finis ipsius præcepti, quique intenditur obtineri, est satisfactio partis, & cùm hæc non sit, quia nihil debetur, efficitur finalem rationem præcipiendi in illo casu omnino cessare. Ad aliam confirmationem respondeo te non cooperari peccato, etsi non animo donandi soluas, sed potiùs recuperandi sic solutum, quia illa solutio de se non est mala: sicuti non est mala solutio vsurarum, etsi acceptio sit iniqua. Habes tamen sufficientem causam efficiendi illam actionem, cui acceptio iniqua coniungitur, nempè ad redimendam tuam vexationem, ne ampliùs non obediendo graueris. Item ad vitandum

scanda

scandalum, quod ferè semper oritur ex inobedientia sententiæ in foro externo legitimæ: & ita docet Bonacina, Salas, & Sayrus *suprà*. Tertium exemplum sit. Constitutus fuisti hæres Ioannis, non fecisti inuentarium, ob cuius causam condemnaris soluere debita Ioannis, quæ tamen debita excedunt hæreditatem, non teneris secundùm satis probabilem sententiam soluere; quia talis sententia, & præceptum fundatur in præsumptione delicti commissi, scilicet te occultare bona Ioannis, hæreditatémque sufficientem esse ad omnia debita soluenda: & ita docet Suarez *lib.3. de legib. cap.23. num.9.* Sayrus *lib.3. cap.7. n.8.* Syluest. *verbo lex, quæst.9.* Bonacina *disp.1. q.1. p.7. §.3. n.8.*

13 Verùm si lex, & præceptum non in præsumptione facti, & delicti, sed in periculo illius fundatur, quantumuis in aliquo casu speciali cesset, quia non cessat generaliter, & absolutè, ea de causa non cessat lex, & præceptum; hac enim de causa contractus minoris, & pupilli sine authoritate tutoris, & aliis conditionibus requisitis, donatio vxoris facta marito, obligatio dotis, renuntiatio illius, aut legitimæ, confectio testamenti, electio, & alia plura sine solemnitate irritantur; quia talem contractum sine solemnitate iudicatur habere periculum fraudis, & ob tale periculum annullatur; & licèt in aliquo casu periculum non habeat, quia tamen ex natura rei illud habet, ea de causa à iure irritatur. Quocirca matrimonium clandestinum, alienatio bonorum Ecclesiæ, sine solemnitate à iure requisita, inualida sunt, quia in modo illo contrahendi præsumitur, seu potius iudicatur periculum adesse fraudis: esto in hoc, vel illo casu nullum sit; semper enim verum est dicere talem contractum sic factum periculosum esse: ita latè explicat Suarez, Salas, Bonacina, Basilius de Leon, & alij *suprà*.

Ex hac conclusione colligit Basilius de Leon *n.11.* religiosorum præcepta prohibentia in virtute obedientiæ ingressum in cellas ob aliqua incommoda euitanda, obligare etiam in casu, in quo aliquis certò sciat non adesse ibi periculum, ratione cuius præceptum impositum fuit, quia esto non adsit periculum in illo casu, adest tamen generaliter, & in plurimum, & hoc sufficit, quia hæc fuit causa imponendi præceptum. Item tenet Manuel Rodriquez *suprà*, ex alia tamen ratione.

14 Rursus lex iniusta esse potest, quia inæqualiter subditos afficit, quod potest contingere in impositione tributorum, & vectigalium: si enim sine iusta, & rationabili causa alij præ aliis grauentur, poterunt illa in parte ab obseruatione legis excusari, quia lex debet esse æqualis, & legislator non debet committere in illa ferenda vitium acceptionis personarum. Dixi, *sine rationabili causa*: nam sæpè alij præ aliis grauantur in tributis, rationabili, & legitima causa intercedente: plebeij enim, & rurales potius, quàm nobiles, mercatores potius, quàm equites, diuites potius, quàm pauperes. Quare non facilè iudicandum est, legitimam, & rationabilem causam non adesse, & in casu dubio semper ita præsumi debet. Aduerto item tributum posse ex parte iustum esse, & ex parte iniustum: & tunc lex soluendi illud non erit absolutè iniusta, sed solùm ex parte, quia vtile per inutile non vitiatur. & tradit Suarez *lib.1. de legibus, cap.9. num.26.* Bonacina *disput.1. de legibus, quæst.1. punct.7. §3. num.2.* & latiùs dicendum est *in disputatione de vectigal.*

PVNCTVM XV.

Vnde colligendum est legem ciuilem, & canonicam obligare in conscientia ad actum, cui est pœna imposita, vel solùm obligare ad sustinendam pœnam, si imponatur.

1 *Explicatur distinctio pœnæ spiritualis, & temporalis.*
2 *Excommunicatio minor solum est signum obligationis ad veniale, excommunicatio maior semper ad mortale.*
3 *Excommunicatio ferenda non videtur sufficiens signum mortalis obligationis.*
4 *Idem quod dictum est de excommunicatione, dicendum est de suspensione, interdicto, & irregularitate pœnali.*
5 *Idem iuris est de pœna depositionis, degradationis, & priuationis beneficij.*
6 *De lege temporalem pœnam imponente non obligare ad culpam, qui defendant, & quomodo probent.*
7 *Proponitur sententia affirmans ad culpam obligare.*
8 *Distinctione apposita resoluitur quæstio de lege lata sub verbis præceptiuis.*
9 *Si superior declarat se nolle ad culpam obligare, non obligat lex, tametsi præceptiuis verbis apponatur.*
10 *Si verba legis indifferentia sunt, probabilius est ad culpam non obligare. Excipe nisi de consuetudine, & vsu aliter fuerit declaratum.*
11 *Ex grauitate pœnæ temporalis plures Doctores censent sumi sufficiens indicium obligationis ad mortale.*
12 *Contrarium probabilius videtur.*
13 *Proponitur aduersus hanc doctrinam quædam obiectio, & soluitur.*
14 *Satisfit argum. num.6. & 7. adductis.*

1 NOn leuis est difficultas cognoscendi, quando lex ciuilis, & canonica obliget subditos ad actũ immediatè intentum, vel quando solùm obliget ad sustinendam pœnam casu, quo legem illam transgrediantur. Nam esto legislator obligare posset subditos ad actum, cui pœnam imponit, tamen sæpè contentus est impositione pœnæ absque alia obligatione. Quærimus ergo vnde hoc sit cognoscendum.

2 Pro quo supponendum est alias esse pœnas spirituales, alias temporales: spirituales voco, excommunicationem, suspensionem, interdictum, irregularitatem, depositiònem, & similes. Temporales, priuationem pecuniæ, exilium, infamiam, mortem, &c.

Si de pœnis spiritualibus loquamur, cum distinctione est procedendum, quia non omnes pœnæ vniformes sunt: si pœna sit excommunicatio minor, non est sufficiens signum condemnandi transgressorem legis ad culpam grauem; bene tamen ad venialem, quia excommunicatio minor solet ob culpam venialem contrahi, etsi aliquando ob mortalem contrahatur, vt *in tractat. de excommunicatione* latiùs est dicendum. sic Suarez *lib.4. de legibus, cap.18. num.4. & lib.5. cap.3. num.2.* Sanchez *lib.6. in Decalog. cap.4. num.48.* Vasquez *1.2. disput.158. num.40.* Si autem pœna spiritualis sit excommunicatio maior, & hæc sit ipso iure lata, absque dubio lex, cui hæc pœna est annexa, obligat sub mortali; & ita tradit Sanchez *lib.6. cap.4. num.49.* Suarez *lib.4. de legibus, cap.18. num.4.* & plures alij, quos refert, & sequitur Bonacina *disp.1. quæst.1. punct.7. §.4. n.30.* Salas *de legib. disp.10. sect.9.*

3 Quòd si excommunicatio ferenda est, tunc plures Doctores affirmant, esse signum sufficiens transgressionis sub mortali. Et quidem si excommunicatio sine vlla alia monitione, & contumacia posset inferri, censeo certissimum. At quia existimo, cùm censura annexa non est peccato, indigere semper alia monitione, vt

M impo

imponatur: ea de causa non est sufficiens signum mortalis obligationis. sic Petrus de Soto *lect.3. de excommunicat.§ primò igitur.* Valent. 1.2. *disput.7. quæst.5. punct.6. q.3. in signo 4.* Driedo *lib.2. de libertate Christiana, cap.1. paulò ante 3. propositionem.* consentit ex parte Suarez *lib.4. cap.18. num.18. fine.* vbi dixit, ex vi talis censuræ, non satis colligi legem obligare per se, sub mortali, inquam, regulariter loquendo: & nisi lex ipsa declaret, vt excommunicatio feratur, nulla alia monitione præmissa. Thomas Sanchez *suprà num.50.* etsi existimet excommunicationem ferendam esse signum sufficiens mortalis obligationis: temperat tamen *num.51. & seq.* nisi ad terrorem excommunicatio apposita sit, & non animo statim illam sine vlla monitione inferendi; & ita passim fieri à iudicibus Ecclesiasticis credit; & generaliter quotiescumque ex consuetudine, vel ex vsu, trina monitio requiritur, non est (inquit) sufficiens signum mortalis obligationis: consentit Castro *lib.1. de lege pœn.c.5. docum 4.* Vasquez *disp.158. cap.5. n.45.* Henriquez *lib.13. de excomm. cap.17. n.2.*

Dices, posita monitione noua imponitur censura ob factum præteritum. Ergo factum ipsum peccatum erat mortale?

Respondeo non imponi præcisè ob factum præteritum, sed ob illud noua resistentia, & contumacia vestitum. Nam, vt optimè dicunt Vasquez, Suarez, & Sanchez *suprà*, bene potest fieri mortale factum illud post monitionem Prælati, quod tamen antea non erat, quia resistere monitioni nouæ cedit in maiorem contemptum non solùm legis, sed etiam superioris, ratione cuius causa talis excommunicationis completur.

4 Idem quod dictum est de excommunicatione, dicendum est de suspensione, & interdicto, & irregularitate pœnali, quę si absolutè proferantur, & sint censurę, ipso facto semper sunt signum mortalis obligationis, secus verò si ferendæ sint. sic Vasquez *cap.5. num.48. & seqq.* Thomas Sanchez *num.54.* Suarez *num.14.* Azor *tom.1. institut. moralium, cap.6. quæst.5.* Bonacina *disput.1, quæst.1. punct.7. §.4. num.30.* Salas *disp.10. sect.9. num.54. & 62.* esto contrà teneat Nauarr. *cap.23. n.53.* eo quòd suspensio, interdictum, & irregularitas imponantur aliquando absque culpa. Temperat autem Sanchez, & Suarez *suprà*, nisi suspensio, & interdictum leuia essent, vt alicuius specialis actus ad breue tempus: tunc enim non esset indicium obligationis grauis, sicuti dictum est de excommunicatione minori.

5 Pœna item depositionis, degradationis, & priuationis Ecclesiasticæ sepulturæ indicium sunt obligationis mortalis, quia sunt pœnæ grauissimæ nunquam impositæ, nisi ob grauem culpam: sic aliis relatis Sanchez *num.55. & 56.* aduertit cum Vasquez *disp.159. cap.3. n.12.* Azor *tom.1. instit. moral. lib.5. cap.6. quæst.5.* supradicta procedere, etiamsi verba legis indifferentia sint, vt statuimus, ordinamus, &c. quia magnitudo pœnæ spiritualis indicat sufficienter esse in legislatore voluntatem obligandi ad actum immediatè ordinatum, & cui pœnam imponit.

6 Maior autem difficultas est de legibus siue ciuilibus, siue canonicis imponentibus temporales pœnas: an, inquam, hæ leges obligent in conscientia transgressores ad actum immediate præceptum.

In qua re est prima sententia affirmans, nullam legem, siue ciuilem, siue canonicam, pœnam temporalem imponentem trãsgressoribus, obligare ad culpam mortalem, nisi id expresserit legislator, quantumcunque per verba præceptiua procedat: sic Nauarr. latè probans *summ. cap.23. à n.55. & lib.1. consil. cons.3. de constitut.* & adducit pro se Imol. & Felin. plures adducit Couarr. *regul. peccatum, p.2. §.5. n.2.* docet Menchaca *1. controu. cap.29.* vbi dicit Principes sæculares nec velle, nec posse suis legibus, & præceptis obligare ad pœnam æternam, seu in conscientia, reputant valde probabile Valent. 1.2. *disp.7. q.5. p.6. post 6. signum, à vers. alterum signum.* & Salon 2.2. *q.77. ar.1. controu.7. §. hac opinio.* Limitat tamen, dummodo pœna grauis non sit, & Azor *tom.1. inst. lib.5. c.6. q.4. vers. quæ verò*, vbi dicit non esse condemnandum, qui hanc sententiam amplecteretur. Item Bonacina *disput.1. quæst.1. punct.7. §.2. num.3.* reputat probabilem; siquidem contrariam solùm dicit probabiliorem, & §.1. *num.2.* affirmat legem vetantem venationem, piscationem sine præiudicio proximi, delationem quorumdam vestium, aut armorum nocturno tempore, ad culpam mortalem non obligare: & consentit Salas *disp.10. sect.9. num.47. & disput.15. sect.1. num.17. & seqq.* vbi etiam extendit ex aliorum doctrina ad venantes in nemoribus, vel fluminibus alienæ communitatis, vel priuatorum dominorum, etiamsi prohibeatur venatio, & piscatio certis temporibus, vel instrumentis, quia multi pisces capiuntur, solùm esse obligationem sub veniali: & idem est de lege, qua prohibentur merces à ciuitate extrahi, vel illuc in portari: & de lege registrandi, & alia similia. Mouentur variis rationibus. Primò, quia subditis non sunt vincula, & onera imponenda sine manifesta necessitate: atqui non videtur necessarium illos obligare ad culpam, si transgrediantur legem, cui pœna temporalis est imposita; sufficienter enim timore solius pœnæ, arcentur à transgressione. Ergo. Secundò ignorare non potest legislator huius opinionis probabilitatem. Ergo si illa non obstante, non exprimat se velle ad culpam obligare transgressores, censetur consentire illos deobligatos esse; ergo de facto deobligantur. Tertiò, consuetudo est optima legum interpres; sed Nauarr. testatur consuetudinem esse receptam has leges non obligare ad culpam, sed ad pœnam. Ergo. Quartò negare non possumus legislatorem posse pœnam æternam, & temporariam imponere; temporalem directè, æternam indirectè, imponendo, inquam, obligationem in conscientia ad actum immediatè ordinatum, sed cùm legem pœnalem statuit, solùm pœnam temporalem exprimit, nihil curans de obligatione conscientiæ. Ergo obligatio in conscientia censetur exclusa ex *cap. nonne, de præsumptionib.* vbi qui vnum exprimit, & aliud tacet, censetur excludere quod tacet. Quintò generales legumlatores nihil curarunt de obligatione conscientiæ, & æterna pœna, quia illam non cognouerunt: sed eodem modo Principes Christiani has leges politicas pronuntiant, Ecclesiastici verò cùm possent pœnas spirituales apponere, & non apponant, nisi temporales, eadem via videntur procedere. Ergo nullæ leges obligant in conscientia. Tandem quia in dubio obligationis, & pœnarum mitior interpretatio facienda est.

7 Secunda sententia affirmat omnes leges pœnales, siue Ecclesiasticas, siue ciuiles obligare subditos ad culpam, & ad pœnam. ita Syluest. *verbo gabella, 3. q.8. §.12. & verbo inobedientia, fine.* & ibi Armilla *num. 1.* Azor *tom.1. lib.5. cap.6. quæst.4.* Tolet. *de peccat. mort. cap.20. num.4.* Carbon *de legib. lib.8. disput.5 proposit.6.* Ioan. Medina *C. de restit. quæst.36. art.6.* Arragon 2.2. *quæst.62. art.3. conclus. 1. ad 2.* Salon *quæst.77. art.1. controuers.7. paulo ante 1. conclus.* Manuel Rodriquez *tom.1 quæst. regul. quæst.6. art.7.* & plures alij, quos referunt, & sequuntur Sanchez *lib.6. in Decalog. cap.4. num.59.* Couarr. *regul. peccatum, 2. part. §.5. num.2. & 3.* Salas *disput.10. sect.5. & disput.15. sect. 1.* Bonacina *disput.1. de legibus, quæst.1. punct.7. §.2. num.2.* Fundamentum huius sententiæ est, quia de natura legis, & præcepti est inducere obligationem. Ergo si leges pœnales, sunt verè leges, veram in conscientia obligationem inducunt. Ergo non solùm obligant ad pœnam, sed ad culpam. Secundò omnis pœna est propter culpam, vt dixit D. Augustinus

1. *retract. cap. 9.* ibi, *Omnis pœna si iusta est, peccati pœna est, & supplicium nominatur*, vt tradit D. Thomas 2. 2. *quæst.* 108. *artic.* 4. & colligitur ex *cap.* 2. *de constitut. in* 6. *& cap. non afferamus*, 24. *quæst.* 1. Sed leges pœnales pœnam imponunt transgressoribus illarum. Ergo supponunt culpam. Et confirmo: transgrediens legem pœnalem inuincibili ignorantia non est dignus pœna; sed hoc nulla alia ratione, nisi quia non committit culpam. Ergo necessariò culpa debet præcedere, vt ei pœna à lege taxata imponi iustè possit. Tertiò legislator impositione pœnæ intendit actum, cui pœnam annectit prohibere. Pœna enim imponitur ne actus aliquis fiat. Sed facere contra prohibitionem tacitam, vel expressam superioris, est culpa. Ergo. Quartò leges pœnales non procedunt vniformiter; sed aliquando leues, aliquando graues pœnas transgressoribus imponunt. Ergo signum est leuiorem, vel grauiorem culpam agnoscere.

8 In hac grauissima quæstione censeo distinctione vtendum esse. Dupliciter enim lex ferri potest. Primò per verba præceptiua, seu præcepto æquipollentia. Secundò per verba indifferentia. Si lex siue Ecclesiastica, siue ciuilis sit, feratur verbis præceptiuis. Existimo probabilius semper obligare ad culpam mortalem, si materia grauis sit, & legislator aliud non expressit. sic Suarez *lib.* 5. *de legibus, cap.* 3. *num.* 6. & testatur esse communem Theologorum, eámque latè probat Castro *lib.* 1. *de lege pœnali, cap.* 8. Driedo *lib.* 2. *de libertate Christiana, cap.* 1. *post secundam propositionem, & lib.* 3. *cap.* 3. *ad* 5. Sanchez *lib.* 6. *in Decalog. cap.* 4. *num.* 60. Vasquez *disput.* 159. *cap.* 2. *&* 3. Bonacina *disput.* 1. *quæst.* 1. *punct.* 7. §. 4. *num.* 3. 4. *&* 6. Couarr. *regul. peccatum* 2. *p.* §. 5. *num.* 4. & à fortiori eam defendunt omnes Doctores pro secunda sententia relati. Ratio est, quia lex vtens verbis præceptiuis, sufficienter indicat voluntatem legislatoris esse imponere præceptum: sed posito præcepto, necessariò resultat obligatio in conscientia obediendi illi pro materiæ grauitate. Ergo. Confirmo primò, si lex illa absque comminatione pœnæ promulgaretur verbis præceptiuis, obligaret in conscientia transgressores, quia materia capax est obligationis, vt suppono, & verba obligationem significant: sed ex appositione pœnæ diminui non potest hæc obligatio, imò potiùs augetur, quia appositio pœnæ contraria non est obligationi in conscientia, neque indicat intentionem legislatoris esse tollere talem obligationem, imò potiùs declarat velle illam appositione pœnæ munire, & roborare. Ergo. Confirmo secundò assertionem duplici exemplo relato à Suarez *illo cap.* 3. *num.* 9. *&* 10. lege Ecclesiastica imperatur clericis pensionariis sub obligatione restituendi fructus, recitare quotidie officium paruum Beatæ Virginis; sed appositio huius pœnæ non impedit conscientiæ obligationem, neque excusat culpam commissam, omittendo officium. Ergo. Item ideo lex taxans pretia rerum, obligat in conscientia ad sui obseruationem, quantumcumque pœnam transgressoribus imponat, quia constituit medium in materia iustitiæ, sed quælibet lex, eo ipso, quo lex sit, & regula præceptiua alicuius actus virtutis, constituit medium in illa materia. Ergo obligat in conscientia ad sui obseruationem.

9 Dixi in conclusione, nisi legislator suam intentionem declarauerit se nolle ad culpam obligare; tunc enim etsi verbis præceptiuis vtatur, præceptum non continebunt, quia præceptum, & lex propriè esse non potest sine obligatione, vt dictum est, & expresè notat Sanchez *lib.* 6. *cap.* 4. *num.* 70. De præceptis impositis per superiorem religiosorum, quæ ad culpam non obligant, nisi eis addatur in virtute obedientiæ, vel Spiritus sancti, vel sub excommunicatione, vel sub interminatione maledictionis æternæ, & similium.

10 Quòd si lex pœnalis feratur per verba indifferentia, quæ præceptum sufficienter non indicant. Existimo probabilius, nullam inde in conscientia obligationem oriri, nisi consuetudine, & vsu declaratus sit in aliqua lege animus legislatoris intendentis ad culpam obligare: tenet expresè Sanchez *suprà.* Bonacina *num.* 4. Azor *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 6. *quæst.* 5. Suarez *lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 9. qui dicunt in hoc casu Nauarri sententiam esse intelligendam. Ratio præcipua est, quia legislator potuit sufficienter intentionem suam obligandi declarare. Ergo cùm illam non declarauerit, præsumere debemus non habere talem intentionem, quia hæc præsumptio benignior est, & subditis fauorabilior. Aduerto tamen tunc legem propriè non ferri in actum immediatum, sed in pœnam; cùm enim lex dicit: Ordinamus, ne aliquis è regno pecunias, vestes, & arma extrahat, sub illorum amissione: extractio armorum, pecuniarum, & vestium non prohibetur, rigoroso præcepto, & lege; sed transgressores illius subduntur pœnæ infligendæ, taliter, quòd vi, & armis resistere ei non possint.

Notanter apposui, *nisi consuetudine, & vsu declaratus sit animus legislatoris intendentis ad culpam obligare.* nam consuetudo est optima legum interpres, *l. minimè, ff. de legibus, & cap. cùm dilectus, de consuetudine.* ita tradit expresè Suarez *num.* 8. Nauarr. *cap.* 23. *num.* 58. *fine.*

11 Alij præter consuetudinem, & vsum affirmant ex grauitate pœnæ sumi sufficiens indicium obligationis mortalis, dicunt enim: si lex pœnam mortis, mutilationis, exilij perpetui, flagellationis, infamiæ, carceris diuturni, & similium inferat, obligare sub mortali; quia hæ pœnæ iustæ debent esse, sed esse non possunt iustæ, nisi ob culpam grauem imponantur. Ergo. Et de pœna mortis docet Couarruuias *regul. peccatum*, 2. *part.* §. 5. *num.* 3. Castro *lib.* 1. *de lege pœnali, cap.* 5. *document.* 4. Vasquez *disput.* 159. *cap.* 3. *num.* 23. Azor *lib.* 5. *cap.* 6. *quæst.* 5. Tolet. *summ. de peccat. mortali, cap.* 20. *num.* 4. Driedo *lib.* 2. *de libertate Christiana, cap.* 1. *post* 2. *proposit.* Arragon 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 3. *col.* 7. Bonacina *disput.* 1. *quæst.* 1. *punct.* 7. §. 4. *num.* 26. *&* 27. Thomas Sanchez plures alios referens *lib.* 6. *cap.* 4. *num.* 64. Suarez *lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 11.

De pœna mutilationis alicuius membri idem tradunt ferè omnes Doctores; quia mutilatio est mors inchoata, & pœna grauissima. De pœna grauis infamiæ, flagellationis, triremis, exilij perpetui, carceris ita diuturni, vt reputaretur perpetuus, amissionis bonorum, vel magnæ illius partis, non ita constat apud Doctores. An sit indicium sufficiens obligationis sub mortali. Communior tamen sententia affirmat, quia sunt pœnæ grauissimæ, quas pro culpa leui imponi iniquum esset. & ita docet alios referens Sanchez, Azor, Bonacina, Suarez, Castro *suprà.* Quòd si obiicias effractoribus carceris causa fugandi, hæ pœnæ imponuntur, & tamen, vt est communior sententia, culpam non committunt. Ergo non est signum sufficiens culpæ mortalis impositio harum pœnarum: Respondet Suarez *suprà lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 11. talem pœnam vel non esse nimis grauem respectu talis personæ, vel à republica iudicatam esse proportionatam ad coactionem necessariam pro tali prohibitione, & quasi ad defensionem sui iuris, & publicæ iustitiæ. Sanchez verò *lib.* 6. *cap.* 4. *n.* 64. respondet effractoribus carceris hanc pœnam imponi, quia lex præsumit culpam, aut quia sequitur opinionem affirmantem culpam committi in tali effractione.

12 Verùm, (si dicere licet, quod sentio) probabilius existimo nullam pœnam temporalem indicium esse sufficiens obligationis mortalis ad actum, cui pœna imponitur,

nitur, docet, & latè probat Nauarr. *illo cap.* 23. *num.* 57. *& seqq.* Reginald. *lib.* 15. *num.* 50. Probo, quia potest optimè respublica transgressores suarum legum obligare ad pœnam sustinendam, quin obliget sub culpa mortali in actu immediatè ordinato. Quid enim vetat legem hoc modo statuere? Nam ad impositionem pœnæ quantumuis grauis videtur sufficere, si culpa politica, & ciuilis committatur, etiamsi non committatur mortalis; custodibus enim murorum in bello lex imponi potest de vigilia sub pœna vitæ; quin ad vigilandum sub mortali obligentur: neque tunc priuatio vitæ est propriè pœna, sed damnum. Exemplum item de pœna imposita effractoribus carceris hanc partem videtur omnino confirmare: nam vel illa pœna flagellationis, & infamiæ ob carceris effractionem imponitur à republica in defensionem sui iuris, & ne scilicet malefactores audeant illud violare, quin in violatione culpa mortalis committatur; sed eadem ratione dici potest de qualibet pœna imposita: imponi, inquam, à republica in defensionem sui iuris, ne scilicet subditi audeant illud violare. Ergo impositio pœnæ non arguit culpam. Si dicas cum Sanchez præsumi à republica culpam, sustineri non potest, quia aduersùs communiorem sententiam lex præsumere non potest, iniqua enim esset talis præsumptio. Neque stare potest legem præsumere culpam; & propter culpam, quam sentit committi in effractione carceris, imponere pœnam flagellationis, & infamiæ: & esse communiorem sententiam, & veriorem, nullam culpam mortalem ibi committi. Quocirca Vasquez *disput.* 159. *cap.* 3. de nulla alia pœna, nisi de pœna mortis, & membri mutilatione existimat esse indicium sufficiens obligationis sub mortali. Sed, vt bene dicit Nauarr. nihil speciale reperitur in pœna mortis, & mutilationis, ratione cuius culpam mortalem debeat necessariò præsupponere; & ita de omnibus est vniformiter dicendum: consentit Philiarchus *de officio Sacerdotis, tom.* 1. *p.* 2. *lib.* 3. *cap.* 2. *dicto* 4.

13 Sed obiicies, exponere se aliquem periculo mortis, vel mutilationis, est peccatum: sed tali periculo exponitur, qui transgreditur legem, cui est imposita hæc pœna. Ergo peccat.

Respondeo primò cum Nauarr. negando transgressorem huius legis exponere se periculo mortis, quia potest ea circumspectione transgredi legem, vt pœnam euitet. Secundò dico subire periculum mortis aliquando licere, si ex rationabili causa fiat; potest enim aliquis ob aliquam grauem necessitatem sui, vel alterius transgredi legem prohibentem sub pœna mortis, ne cibaria extrahantur è ciuitate, & tunc non peccare, etiamsi periculo mortis se exponat. Addo tertiò horum obligationem ex lege naturali prouenire, qua tenemur fugere periculum mortis non ex vi legis positiuæ.

Ex his inferet aliquis vectigalia iusta non deberi in conscientia, si lex pœnam imponat non soluentibus: sic Nauarr. *cap.* 23. *num.* 60. & Angelus *verbo pedagium, num.* 6. & quidem si verbis præceptiuis immediatè directis ad solutionem vectigalium lex feratur, nullo modo sustinenda est talis sententia, quia est præceptum de re iusta, & debita Regi: si verò non per verba præceptiua, sed indifferentia statuantur, adhuc existimo esse soluenda non in vi legis humanæ, sed in vi legis naturalis determinatæ illa ordinatione, & decreto Principis; iure enim naturali tenentur subditi ad Principis sustentationem concurrere: quo autem modo debeant concurrere, assignat Princeps suo decreto. Facta ergo tali assignatione debentur illa vectigalia Principi, quia sunt eius, sicuti vendenti merces debetur pretium à lege taxatum, neque ipse potest extorquere maius, neque illi minus reddi, quin peccetur contra iustitiam, & aduersùs legem naturalem prohibentem alienum accipere: & ita tenet Sanchez *lib.* 6. *in Decal. cap.* 4. *num.* 102. Vasquez *disput.* 159. *cap.* 2. *num.* 15. Syluest. *verbo gabella,* 3. *quæst.* 8. *num.* 22. Castro *lib.* 1. *de lege pœn. cap.* 8.

14 Restat satisfacere argumentis pro prima & secunda sententia, quatenus nostræ aduersantur.

Ad primum primæ sententiæ concedo non esse vincula subditis imponenda absque necessitate: at cùm legislator verbis præceptiuis vtitur, iudicauit necessariò duplici vinculo subditum ad obseruationem legis alligare, & timore pœnæ, & horrore culpæ.

Ad secundum dico ex cognitione probabilitatis vtriusque opinionis non inferri subditos deobligatos, vel obligatos esse absolutè, sed solùm sub probabilitate, quam probabilitatem non intendit tollere legislator, sed illam immutatam relinquere.

Ad tertium fateor consuetudinem esse optimam legum interpretem: nego tamen esse talem consuetudinem in legibus latis verbo præceptiuo; siquidem eam Doctores non agnoscunt.

Ad quartum & quintum respondeo non esse necessariam in legislatore humano cognitionem pœnæ æternæ; quia non imponitur immediatè ab homine, sed à Deo propter transgressionem humani præcepti, & diuini in illo inclusi, vt in superiori puncto dictum est.

Ad vltimum concedo mitiorem interpretationem in dubio faciendam esse: at cùm lex præceptiuis verbis procedit, excludit dubium obligationis, & illam pro certo constituit.

Argumenta verò secundę sententię nostram primam conclusionem probant: at quatenus videntur aduersari secundæ, illis satisfaciendum est.

Ad primum dico de ratione legis esse obligationem in conscientia, vel ad actum immediatè ordinatum, vel ad sustinendam pœnam propter eius transgressionem, si imponatur, vt dictum est.

Ad secundum dico pœnam regulariter imponi propter culpam mortalem: at aliquando propter solam ciuilem, & politicam, sæpè enim conuenit reipublicæ cogere subditos solo timore pœnæ, vt contingit in religionibus, in quibus virtute obedientiæ obligantur subditi acceptandi, seu non repugnandi pœnæ à superioribus imponendæ ob transgressiones regularum.

Ad tertium nego esse expressam, vel tacitam probabilitatem, cùm per verba communia, & indifferentia lex imponitur.

Ad quartum diuersitatem pœnarum non prouenire ex diuersitate culpæ moralis; sufficit, si adsit diuersa culpa, ciuilis, & politica.

PVNCTVM XVI.

An lex humana obliget cum periculo cuiuscumque grauis nocumenti.

1 *Cum periculo vitæ lex humana obligare potest.*
2 *Declaratur, quando hæc potestas principi data sit.*
3 *Respondetur quæstioni sub distinctione, quando periculum non est annexum actioni præceptæ.*

1 Certum est legem humanam te obligare posse ad actum, cui est periculum vitę annexum; potes enim tempore pestis obligari assistere infirmis, & bello ingruente custodire ciuitatem, quia bonum commune præferendum est particulari. Quocirca Princeps, penès quem est potestas regendi populum, poterit te exponere periculo mortis, ne tota gens pereat, & taliter expositus teneris subire illud periculum, quia si ab illo periculo, & præcepto te excusare posses, eo

eo quòd non videris esse magis obligatus, quàm quilibet alius, non posset Princeps efficaciter prouidere bono communi. Vt ergo huic bono prouideat, obligaris obedire cum periculo vitæ facta assignatione. Nam esto ante assignationem, & præceptum non esses obligatus specialiter, posita assignatione obligaris, sine dubio, & ita tenent alios referens Couarr. *in cap. alma, 1. part. §. 3. num. 9.* Soto *lib. 1. de iust. quæst. 6. art. 4. in fine.* Suarez *lib. 3. de legibus, cap. 30. num. 4.* & est communis.

2 Aduertendum tamen est hanc potestatem non posse legislatorem exercere, nisi cùm bonum commune vrget: itaque non potest legislator obligare subditos ad actum grauiter periculosum, nisi id necessarium sit bono communi; quia respublica non est domina vitæ suorum subditorum, sed gubernatrix: & iniqua esset gubernatio, si vitam priuatorum periculo exponeret, absque necessitate boni communis.

Dices sæpè ad conseruandam alterius vitam, est necessarium alterum se periculo exponere. Ergo tunc poterit respublica te obligare, vt tali periculo exponaris: præcipuè si tua vita non sit ita reipublicæ necessaria. Exemplum est in humano corpore, vbi membra vnius principalis periculo exponuntur ob conseruationem principalioris.

Respondeo concedendo totum: casu, quo illius vita esset reipublicæ maximè necessaria, tua verò minimè: neque hoc est exponere tuam vitam ob alterius vitæ conseruationem, sed ob conseruationem boni communis; quia scilicet alterius vita bono communi est necessaria, tua verò non. Aduerto tamen non ob quamcumque conuenientiam posse rempublicam te periculo vitæ exponere: est enim hæc obligatio summè ardua, & difficilis, & ideò non facilè imponenda, sed solùm ob extremam, vel grauem boni communis necessitatem. Tu verò esto obligatus non sis exponere vitam ob alterius vitæ conseruationem: poteris tamen id præstare, quia est opus magnæ charitatis, cedere proprio commodo temporali, vt alterius damnum vitetur. sic Suarez *lib. 3 de legib. cap. 30. num. 10.*

3 Quòd si periculum vitæ annexum non sit actioni præceptæ, sed vel à natura, vel ab extrinseco incurritur; tunc distinguendum est, vti distinximus *tract. 2. de peccat. disp. 1. p. 9. §. 3.* si enim res aliqua intrinsecè mala sit, non poterit timore mortis honestari; hac enim de causa mentiri non potes, neque fornicari, neque occidere: etsi scias mortem subiturum, ni facias. Eodem modo non licet tibi manducare idolo oblata, vel cessare ab auditione Missæ, vel ieiunium violare: si in contemptum religionis hæ actiones expostulentur, quia tunc esset religionem contemnere, quod est intrinsecè malum. Aliæ verò actiones sunt solo iure positiuo, siue diuino, siue Ecclesiastico præceptæ: & hæ aliæ sunt speciales, aliæ communes, si speciales sunt, quæque singulos respiciunt, non obligant cum graui detrimento vitæ, imò neque honoris, aut rei familiaris. Non enim teneris cum graui horum detrimento, ieiunare, audire Missas, soluere decimas, communicare in Paschate, &c. At si actiones communes sint, hoc est pertinentes ad communem ritum sacramentorum: vt est obseruatio sigilli, consecratio in vtraque specie, & in pane azymo in Ecclesia Latina, celebrare vestibus sacris, miscere aquã vino, & similia: existimo cum periculo vitæ obseruandas esse, quia hæc obseruatio pertinet ad bonum commune religionis, quod præferendum est cuilibet speciali temporali cuiusuis: & de aliquibus actionibus est res omnino certa, ob nullum enim periculum, violari potest sigillum confessionis, neque consecratio fieri in vna specie: sed hoc nulla alia ratione, nisi quia pertinet ad ritum communem, & rectam sacramentorum administrationem. Sed hæc ratio etiam militat, etsi non ita efficaciter in aliis actionibus. Ergo. Vide dicta *loco allegato.*

Pvnctvm XVII.

Quæ intentio requiratur in subdito, vt legi, & præcepto satisfaciat.

1 *Præcepta alia sunt affirmatiua, alia negatiua.*
2 *Non potest esse intentio faciendi rem præceptam, & non satisfaciendi præcepto.*
3 *Si ita rem præceptam exequeris, vt velles non exequi, si posses, peccas.*
4 *Aliud est non violare præceptum, aliud illud implere.*
5 *Si coactius facias rem præceptam coactione non tollente libertatem, præcepto satisfacis, secus si illam tollit.*
6 *Proponitur quædam obiectio, & fit ei satis.*
7 *Pro clariori superioris doctrinæ intelligentia duo inferuntur.*
8 *Non est necessarium habere intentionem expressam satisfaciendi præcepto, vt præcepto facias satis.*
9 *Proponitur quædam obiectio, ob quam plures sentiunt te non satisfacere præcepto, absque intentione satisfaciendi illi.*
10 *Satisfit obiectioni.*
11 *Quid dicendum, si animo expresso non satisfaciendi illa Missa, aut recitatione præcepto, Missam audis, & horas canonicas recitas? qui sentiunt, & quibus probent te non satisfacere.*
12 *Probabilius est te satisfacere.*
13 *Proponitur duplex obiectio, vt doctrina data eluceat, & soluitur.*
14 *Soluuntur argumenta num. 11. adducta.*

1 Svppono primò, Præcepta, seu leges, aliæ sunt affirmatiuæ, aliæ negatiuæ. Affirmatiuæ sunt, quæ actum aliquem positiuum imperant: negatiuæ, quæ negant.

2 Suppono secundò, aliquos distinguere duplicem intentionem, aliam faciendi, vel omittendi rem præceptam; aliam satisfaciendi præcepto imposito: dicunt enim te posse habere intentionem audiendi sacrum die festo, quod est res præcepta; non tamen habere intentionem satisfaciendi præcepto imposito. At credo hoc esse impossibile, nisi ex ignorantia procedas: nam si semel habeas intentionem efficacem faciendi rem præceptam, simul etiam habes intentionem præcepto satisfaciendi: nam præcepto fit satis formaliter in actu exercito efficiendo, quidquid præcipitur.

3 Tertiò suppono te peccare, & in voluntate transgredi præceptum, si ita rem imperatam exequeris, vt velis non exequi, si posses, aut nisi timor pœnæ adesset; quia talis voluntas est voluntas contraria præcepto. Secus verò dicendum est, quando eam conditionatam voluntatem non habes, sed solùm absolutam implendi præceptum: esto in intellectu diuino verum sit secluso timore pœnæ te non executurum præceptum; quia Deus neminem condemnat propter voluntatem, quam habiturus foret, sed propter voluntatem, quam de præsenti habet contrariam legi.

4 Quartò suppono aliud esse non violare præceptum, aliud implere illud. Ad non violandum præceptum, nulla per se intentio requiritur, secus verò ad illud implendum. Explico tam in præceptis negatiuis, quàm affirmatiuis; ebrius enim, dormiens, & omnino oblitus nullam habet intentionem, & tamen non violat præceptum, siue negatiuum, siue positiuum sit; quia violari non possunt absque cognitione, & libertate. At dici non potest, illa præcepta implere, quia ad præcepta implenda, sicuti ad violanda requiritur libertas; humanæ enim actiones, non animales præcipiuntur.

tur. Ergo requiritur voluntas saltem faciendi opus præceptum.

Est autem maxima differentia inter præcepta negatiua, & positiua: nam negatiua cùm non requirant actionem, impleri possunt sine vlla intentione, & voluntate; eo enim ipso, quo quis furtum non committit, dicitur præceptum non furandi implere: at si præceptum est affirmatiuum, cùm requirat actionem liberam, impleri non potest absque voluntate: & in his omnes Doctores conueniunt, & videri potest Vasquez 1.2.*quæst.*100.*art.*9.*in expositione litteræ.* Azor *tom.*1.*lib.*7. *cap.*2.*quæst.*6. Thomas Sanchez *lib.*1. *in Decalog.cap.*13. Suarez *lib.*2.*de legib.cap.*10.*& lib.*3.*cap.*19. Bonac.*disp.*1. *q.*1.*p.*10. His positis,

5 Prima difficultas est in præceptis affirmatiuis, an inuitus, & sine voluntate possis illa implere, ita vt maneas deobligatus. Verbi gratia, assistis coactus sacrificio Missæ, attentione requisita ad implendum præceptum, manes ne deobligatus? (& idem est de voto, iuramento, & pœnitentia, si ex vi horum esses obligatus audire Missam: vt bene notauit Sanchez *suprà*; quia sunt quasi quædam speciales leges, & præcepta.) Et quidem si coactio non tollat libertatem, sed illam diminuat, vt contingit, quando procedit ex metu; censeo tanquam certum præcepto fieri satis, quia est actio simpliciter libera, & ita tenet Azor *tom.*1. *institut.moralium, lib.*10.*cap.*12.*quæst.*9. Thomas Sanchez *lib.*1.*in Decalog. cap.*13.*num.*7. Salas *disput.*9.*de legib.sect.*2.*num.*33.*&* 34. Suarez *tom.*2. *de relig.lib.*4.*cap.*26.*num.*12. Bonacina *disput.*1.*quæst.*1.*punct.*10. *num.*5. vbi bene dicit pueros satisfacere Missæ præcepto, si audiant cum debita attentione, quamuis nollent illam audire, nisi flagella timerent, & *num.*8. absolutè dicit metum grauem non obstare adimpletioni præcepti. At si coactio omnino libertatem tollit, ita vt verè inuitus, & coactus sacrificio assistas, existimo probabilius te non satisfacere præcepto, neque deobligatum manere audiendi sacrum: ita tenet Molin.*tractat.*5.*de iustit. disput.*56.*à num.*2. Azor *tom.*1.*lib.*7.*cap.*2.*quæst.*6. *& lib.*10.*cap.*12.*quæst.*9. Suarez 3.*tom.in* 3.*part.disput.*88.*sect.*3 *versic.circa posteriorem partem, & lib.*2.*de legib.cap.*10.*num.*4.*& lib.*3.*cap.*19.*in princ.* Bonacina *suprà*, *num.* 6. Salas *disput.* 9. *de legib. sect.*2. *num.*32. Thomas Sanchez *lib.*1. *in Decalog. cap.*13.*n.*5. Ratio est, quia impleri non potest præceptum, quin efficiatur opus præceptum: at præceptum non est tibi impositum de opere aliquo necessario, sed de opere, quod in tua situm sit voluntate. Ergo dum non efficis opus, quod omittere possis, præceptum non imples.

6 Dices illa actione coacta te non implere præceptum moraliter, hoc est, in voluntate, implere tamen re ipsa, ita vt excusatus maneas iterum Missam audire: sicuti si tibi esset præceptum ieiunandi impositum, & inuitus ieiunares, & si in voluntate præcepto non satisfaceres, satisfaceres tamen rei re ipsa; siquidem in re ipsa non transgrederis præceptum ieiunij: ac proinde si non ieiunantibus censura esset imposita, illam nullo modo contraheres. Item si præceptum haberes erogandi eleemosynam, & inuitus dares, deobligatus esses iterum dandi, sicuti si deberes restitutionem facere, & inuitus, aut alienus mente restitueres, cessaret tibi obligatio restituendi. Ergo.

Respondeo neque in voluntate, neque in re te implere præceptum; quia non fecisti rem præceptam: quæ est auditio libera sacri. In præcepto ieiunij secus dicendum est, quia non requirit actum, sed negationem; idcóque potest sine vlla voluntate re ipsa impleri, etsi non impleatur moraliter. Præceptum verò eleemosynæ, etsi non impleas, quando inuitus tribuis, at facis vt res ita mutentur, vt cesset omnino obligatio illius: nam obligatio dandæ eleemosynæ proueniebat ex necessitate pauperis, supposita in te facultate succurrendi: quando autem aliqua ex his circumstantiis deficit, cessat præceptum. Idem prorsus est in restitutione: nam licèt ei non satisfaceres inuitè reddendo ablatum: at reddito ablato, cessat tibi obligatio aliud reddendi, quia iam cessat retentio rei alienæ, quæ erat conditio necessaria ad restitutionis obligationem; ad summum enim obligari potes te esse contentum de tali redditione.

7 Ex quo fit ebrium, vel dormientem recitantem orationem aliquam debitam ex voto, vel præcepto, præcepto non satisfacere, quia non est actio illa, quæ imperatur: ita omnes Doctores, vt dicit Salas *de legib. disput.*9.*sect.*2. *num.*32. consentiunt Suarez, Bonacina, & Sanchez *suprà*.

Secundò inferunt Sanchez *lib.*1.*in Decalog. cap.*13. *num.* 3. Bonacina *punct.*10. *num.*4. accedentem ad Ecclesiam animo meditandi res diuinas, si Sacerdos interim adeat altare, ad celebrandum Missæ sacrificium, non satisfacere præcepto audiendæ Missæ, quia non habuit intentionem audiendi sacrum, vel solùm meditandi. At crederem verè præcepto satisfecisse, si attentione requisita sacro interfuit: quia interfuit sacro non violenter, sed liberè. Ergo habuit voluntatem audiendi sacrum; hæc enim voluntas separari non potuit ab illa morali, & religiosa præsentia. Neque obstat cùm primùm accessit ad Ecclesiam non habuisse animum audiendi sacrum; putabat enim vel non esse faciendum sacrum, vel non fore illi præsentem debita attentione: sed facto iam sacro si ipse debita intentione assistit, iam vult sacrum audire, neque intentio meditandi obesse illi intentioni potest.

8 Secunda difficultas est, an necessariò debeas habere intentionem satisfaciendi præcepto, vt præcepto satisfacias, & deobligatus maneas?

In qua re existimo necessarium non esse te habere voluntatem expressam satisfaciendi præcepto: nam etiamsi ex ignorantia præcepti, rem præceptam exequaris, præcepto satisfacis, taliter, quòd deobligatus illo maneas. Verbi gratia, ignoras esse diem festum, & hac ignorantia stante audis sacrum; postea verò cognoscis esse diem festum, non teneris aliud sacrum audire, sed poteris reputare te præcepto satisfecisse: ita expressè Azor *tom.*1.*lib.*7.*cap.*2.*quæst.*6. *& lib.*10.*cap.*12. *quæst.*9. Suarez *tom.*3.*in* 3.*part.disput.*88. *sect.*3. *& lib* 3. *de legibus, cap.*19. *circa princip.* Vasquez 1. 2. *quæst.*100. *art.*9. *in expositione litteræ, num.*5. Valent. 2.2. *disput.*6. *quæst.*2.*punct.vlt.fine.* Bonacina *disput.*1. *de legib.quæst.*1. *punct.*10.*num.*9. Henriquez *lib.*9 *de Missa, cap.*25.*n.*6. Thomas Sanchez *lib.*1.*in Decalog.cap.*13. *num.*9. Ratio est, quia impletio præcepti, est exequutio rei præceptæ, sed ignorans esse impositum præceptum, exequeris liberè rem præceptam. Ergo satisfacis præcepto.

9 Dices. Præceptum impleri non potest sine cognitione. Ergo si ignorans præceptum, fecisti rem præceptam, præcepto non satisfacis. Antecedens probo. Tum quia præceptum obligat ad sui notitiam: qui enim negligens est in cognoscendis præceptis sibi impositis, peccat; sed hoc nulla alia ratione verum est, nisi quia impleri non possunt sine cognitione. Ergo: tum etiam, quia ignorans præceptum non facit actum obedientiæ. Ergo præceptum non implet. Item si deberes restituere centum pauperibus ob malè parta, & huius obligationis immemor totidem in eleemosynas tribuas, adhuc non extinguis debitum. Ergo signum est ad præcepti adimpletionem necessariam esse præcepti cognitionem: & ex voluntate illi satisfaciendi executionem procedere. Propter hanc obiectionem Syluest. *verb.bora, quæst.*11. *dicto* 5. *num.*14. & Ludouic. Lopez *lib.*1. *de contract. cap.*53. *fol.*198. censent te debere intentionem habere

habere satisfaciendi præcepto, saltem in virtute, & reputat probabile Petrus de Ledesma *summ. de sacrament. tract. de Eucharistia, cap.* 27. *post* 10. *conclus.*

10 Facile tamen respondetur præceptum per se, & regulariter impleri non posse sine cognitione, ideóque obligat ad sui notitiam: per accidens tamen, & casu impletur absque cognitione illius, solùm ex cognitione, & notitia rei, quæ præcepta est, & voluntate faciendi illam; quin sit voluntas faciendi, quatenus præcepta est. Cùm verò vrgetur non esse tunc opus obedientiæ, concedo non esse opus obedientiæ formalis, esse tamen opus obedientiæ materialis, quod sufficit ad præcepti adimpletionem, taliter, quòd deobligatus omnino maneas, neque enim præcepta obligant ad opus externum ex motiuo obedientiæ faciendum, aliàs qui audiret Missam ob vanam gloriam, præcepto non satisfaceret; sed solùm obligant ad rem præceptam exequendam, quæ cùm exequi possit absque cognitione præcepti, præcepto fit satis. In obligationibus autem iustitiæ secus est dicendum; non enim sine cognitione obligationis exequi rem præceptam potes, quia res præcepta est solutio, non donatio: solutio autem necessariò inuoluit cognitionem obligationis, & voluntatem satisfaciendi, quibus deficientibus erit donatio liberalis, ac proinde debitum non extinguit. & ita tenet Sanchez *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 15. *num.* 11. cum Ludouic. Lopez *lib.* 2. *de contract. lib. cap. vlt. col. antepenult.* Bonacina plures referens *disput.* 1. *quæst.* 1. *punct.* 10. *num.* 13. *& tract. de restit. disput.* 1. *quæst. vlt. punct.* 2. §. 2. *quæst.* 3. Aduerto tamen in prædicto casu te sufficienter satisfacere posse, etsi in particulari ignores obligationem: neque voluntatem specialiter habeas satisfaciendi, si tamen aliquando in genere voluisti, vt si casu aliquam obligationem habeas restituendi, eleemosynæ à te faciendæ loco illius subrogentur. Nam tunc illæ eleemosynæ non propriè eleemosynæ, & donationes liberales sunt, sed solutiones debiti, cùm ex voluntate satisfaciendi debito procedant.

11 Sed quid dicendum, cùm non solùm ignarus præcepti, rem præceptam exequeris, sed animo expresso non satisfaciendi præcepto per talem rem; satisfacis ne tunc præcepto? Verbi gratia, audis Missam, vel recitas horas canonicas, nolens illa Missa, vel recitatione præcepto satisfacere, sed potiùs intendens iterum recitare, vel aliam Missam audire. Manes ne obligatus, ac si Missam non audisses, vel horas non recitasses?

Plures sentiunt te obligatum manere. sic Nauarr. *cap. quando, de consecrat. distinct.* 1. *cap.* 13. *num.* 15. 17. *&* 18. *& cap.* 16. *num.* 73. *& seq.* Azor *lib.* 10. *cap.* 8. *q.* 7. *& cap.* 12. *quæst.* 8. Henriquez *lib.* 9. *de Missa, cap.* 25. *num.* 6. *fine.* Ioan. Medina *C. de oratione, quæst. de horis canonicis iterandis, dub. vlt.* Man. 1. *tom. summ. in* 2. *edit. cap.* 144. *num.* 2. Petrus de Ledesma *summ. tract. de Eucharist. cap.* 27. *post* 10. *conclus. &* 2. *tom. tract.* 9. *cap.* 4. Thomas Sanchez eam valde probabilem reputat *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 13. *n.* 13. & est quidem probabilis satis. Primò, quia præcepti satisfactio, qua talis est, debet esse voluntaria, & libera, quia præceptum est de actione humana: sed qui non vult illa recitatione præcepto satisfacere, non habet voluntatem implendi præceptum. Ergo. Secundò actus non operatur vltra agentis intentionem *l. non omnis, ff. si certum petat. l. in agris, ff. de acquirend. domin.* Sed intentio huius agentis est, non satisfacere præcepto illa actione. Ergo de facto non satisfacit. Tertiò executio rei præceptæ est executio rei debitæ: cùm autem ex deuotione audis Missam, aut horas recitas, non potes dici rem debitam exequi: nam illa Missæ auditio, & recitatio prout à te procedit, non procedit, vt debita, sed Deo liberaliter donata. Ergo præcepto non satisfacis.

Dices verum esse, à te non procedere, vt debitam: at quia in se debita est, admitti à Deo, vt debitã. Sed contrà: quia illa numero actio non erat debita. Ergo non est necessarium, quòd Deus, vt debitam illam admittat. Item Deus non admittit nostras actiones, nisi quatenus à nobis procedunt, sed illæ actiones à te procedunt animo liberali, & gratuito. Ergo non admittuntur à Deo, vt debitæ. Et confirmo variis exemplis: si enim ex voto, & iuramento deberes Missam audire quotidie, & tempore, quo audis Missam, haberes animum non satisfaciendi illa Missa, sed alia, quam existimas audire, de facto satisfacis; quia non imples promissionem Deo factam, sed alium cultum liberalem Deo præstas. Item si ex pœnitentia à Confessario iniuncta, deberes Missam audire, & audis Missam, non vt pœnitentiæ satisfacias, sed vt amico placeas, qui à te Missam expostulauit; non satisfacis præcepto. Deinde si debeas centum Petro, & totidem dones animo liberali, nolens, vt illa donata computentur pro debito, debitum integrum manet. Idémque est si pro Missa dicenda stipendium accepisses, & velles gratis Missam dicere, non extingueres debitum. Ergo signum est non posse satisfacere præcepto, sine voluntate satisfaciendi illi. Tandem quia leges, & præcepta obligant subditos illa implere: ergò obligant, vt id velint, quia implenda sunt humano, & voluntario modo.

12 Nihilominus probabilius existimo te illa Missæ auditione, & recitatione satisfacere: ita tenet Valent. 2. 2. *disput.* 6. *quæst.* 8. *punct. vlt. fine.* Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. disput.* 88. *sect.* 3. *vers. circa posteriorem partem, latiùs tom.* 2. *de relig. lib.* 4. *de horis canon. cap.* 26. *num.* 8. Vasquez 1. 2. *quæst.* 100. *art.* 9. *in expositione litteræ, à num.* 5. Lessius *lib.* 2. *de iustit. cap.* 37. *dub.* 10. *num.* 59. *& cap.* 46. *dub.* 6. *num.* 42. Bonacina *disp.* 1. *quæst.* 1. *punct.* 10. *num.* 19. Thomas Sanchez *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 13. *num.* 13. reputat æquè probabilem, ac contrariam sententiam Arragon 2. 2. *q.* 83. *art.* 13. *vers. sed dubitabit aliquis.* Ratio efficax est, quia illa voluntas, qua vis non satisfacere præcepto inefficax est, & nullo modo obstat, quominus præcepto, satisfacias, quia tibi præceptum imponitur tantùm de Missæ auditione, & recitatione libera tali die facienda. Non enim tibi imperatur audire sacrum, aut horas canonicas recitare, ex intentione satisfaciendi præcepto, nullibi enim extat præceptum de tali intentione. Et confirmo. Si lata esset censura aduersùs illos, qui die festo Missam non audiunt, vel horas canonicas non recitant: qui hoc modo audiret Missam, & horas canonicas recitaret, censuram vitaret, quia verè Missam audiuit, & horas recitauit. Ergo signum est illam voluntatem non obstare præcepti satisfactioni. Quocirca aduertendum est aliqua præcepta positiua esse, quæ licèt sint de actibus exterioribus, aliquam specialem intentionem, & voluntatem necessariò ad sui constitutionem expostulant; alia verò non, recitatio enim horarum requirit intentioné colendi Deum illa actione: quare si breuiarium legeres gratia addiscendi, vel docendi alios, non satisfaceres præcepto, quia illa recitatio non est oratio. Idem est in administratione sacramentorum; si absque intentione faciendi, quod facit Ecclesia, verba proferas; esset enim talis prolatio, ficta, & verbalis, non vera sacramentorum ministratio. In his ergo non solùm actio exterior, sed etiam intentio pertinet ad rem præceptam: at in præcepto audiendi Missam, nulla alia intentio præter voluntatem audiendi, seu assistendi sacrificio, expostulatur. Vnde si habeas voluntatem audiendi Missam, vel recitandi horas canonicas ex motiuo colendi Deum, etiamsi expressam habeas voluntatem non satisfaciendi, illa recitatione, & Missæ auditione, verè satisfacis, quia efficis quidquid tibi præcipitur.

13 Dices, si exequendo opus, quod mihi præceptum est, præcepto satisfacio. Ergo non possum habere voluntatem non satisfaciendi: at in præsenti casu supponitur me habere illam voluntatem, & experientia con-

stat plures habere. Ergo signum est illo opere præcepto non fieri satis.

Respondeo voluntatem, quam habes non satisfaciendi, procedere ex ignorantia, qua credis illa voluntate exequendi rem præceptam, non fieri satis præcepto, ac proinde ex se efficacem non esse, nec destruere priorem voluntatem, qua rem præceptam exequeris, & qua præcepto satisfacis.

Obiicies secundò. Ergo non teneor mutare illam voluntatem non satisfaciendi præcepto, vt præcepto satisfaciam, sed potero toto die illam habere: siquidem non obstat præcepti satisfactioni.

Respondeo non obstare præcepti Ecclesiastici satisfactioni, atque adeò ex vi illius te non esse obligatum mutare voluntatem: at obstat præcepto diuino, quo tibi prohibetur nolitio non implendi Ecclesiasticum præceptum: quapropter debes ab illa voluntate cessare, & ita docet Suarez illo *lib.4. cap.26. num.11. & 12.* Salas *de leg. disp.9 sect.2. num.33* Bonacina *disp.1. q.1. punct.10. fine.* Sanchez *lib.1. cap.13. num.14.* Ex quo patet solutio ad illam interrogationem, an scilicet peccatum committas audiens Missam, vel recitans horas intentione non satisfaciendi: si enim nulla alia Missa tibi restaret audienda, neque tempus, in quo iterum posses horas canonicas recitare, sine dubio peccares, non quidem in re, sed in affectu; quia scilicet affectum habes non satisfaciendi præcepto Ecclesiastico: at si restaret alia Missa, & tempus superesset iterum recitandi, & haberes voluntatem audiendi illam Missam, & iterum horas recitandi, nullum peccatum committis: & ita tenet Suar. *suprà,* & Thom. Sanchez *num.14. & 15.*

14 Neque obstant argumenta pro prima sententia.

Ad primum dico, præcepti satisfactionem, qua talis est, liberam esse debere: neque huic libertati obstat nolitio satisfaciendi præcepto procedens ex ignorantia, si de facto datur absoluta libertas exequendi quidquid præceptum est.

Ad secundum concedo actum non operari vltra intentionem agentis, sed quando voluntatem habes audiendi Missam, & non satisfaciendi præcepto, duplicem voluntatem habes, aliam inefficacem non satisfaciendi, & quæ ex ignorantia procedit, aliam efficacem satisfaciendi; in concursu autem huius duplicis voluntatis, vincit voluntas efficax, vtpotè principalior.

Secundò respondeo actum non operari vltra intentionem agentis, quando ab ipso pendet actus, & effectus: at satisfacere præcepto, si semel exequaris, quidquid tibi præceptum est, non est in tua potestate.

Ad tertium concedo executionem præcepti esse executionem rei debitæ, non tamen esse necessarium, vt à te procedat formaliter, vt debita, quia præceptum non obligat, vt formalem intentionem obediendi habeas, sufficit, si à te procedat, quæ debita est, & licèt illa actio numero absolutè non sit debita; quia tamen prima est, ideo debita est. Huic modo operandi non obstat affectus ille tuus inefficax non satisfaciendi præcepto: tum quia procedit ex ignorantia, qua credis non satisfacere: tum & præcipuè, quia non destruit affectum efficacem ponendi quidquid tibi mandatum est. Eodem modo Deus acceptat illud opus: acceptat, inquam, illud opus tanquam debitum, & sic in re executum; non tamen tanquam debitum in tuo affectu inefficaci.

Ad confirmationem de Missa debita ex voto, & iuramento respondet Suarez *lib.4. de horis canonicis cap.26. num.8.* Si audias voluntate non satisfaciendi voto, sed intendas aliam Missam audire, vt voto satisfacias, tacitè te prorogare votum, vel nouum votum facere, quia cùm obligatio voti à te dependeat, potest pro libito illam tibi de nouo imponere: at obligatio præcepti Ecclesiastici, cùm à superioris voluntate oriatur, neque in tua potestate sit illam prorogare: si semel illi satisfecisti, nihil manet satisfaciendum: & hoc est probabile, sed probabilius est, quod dicit Sanch. *lib.1. in Decal. cap.13. fine num.18.* te integrè satisfecisse voto, quantumuis habeas intentionem alio opere satisfaciendi, quia verè præstas quidquid vouisti, neque tu cum illam voluntatem habes non satisfaciendi voto, per illud opus, intendis de nouo vouere etsi possis, sed solùm intendis priori voto per aliud opus à te faciendum satisfacere. Ergo si iam satisfecisti, nihil restat tibi satisfaciendum.

Ad exemplum de pœnitentia iniuncta distingui potest: vel offers Missam pro amico, vel in tuorum peccatorum satisfactionem. Si in tuorũ peccatorum satisfactionem, etiamsi non habeas animum satisfaciendi obligationi tibi impositæ, integrè satisfacis, quia efficis quidquid tibi est mandatũ, & ita docet Sanch. *num.17.* At si in satisfactionem peccatorum amici offeras, videris non satisfacere, quia non præstas, quidquid tibi mandatum est; tibi enim non solum mandatum est Missam audire, sed audire in satisfactionem tuorum peccatorum, quia pro tuis, & non pro alterius peccatis Missa in pœnitentiam iniuncta est. Verùm si Confessarius expresè tibi non præcepit pro tuis peccatis Missam offerri, sed absolutè Missam iniunxit in pœnitentiam; existimo, esse satis probabile te satisfacere præcepto pœnitentiæ audiendo Missam; quantumuis pro amico offeras, quia efficis quicquid tibi mandatum est. Offerre autem pro tuis peccatis, non inuoluitur in pœnitentia; nam licèt pro tuis peccatis opus pœnale sit iniunctum, poterat iniungi, vt illud pro animabus purgatorij offerres. Item aliud est finis præcepti; aliud res præcepta. Fateor, inquam, pœnitentiam iniungi, vt tuis peccatis satisfacias; non tamen satisfactionem tuorum peccatorum cadere sub præcepto, quia non est materia præcepti, sed finis præcepti: aliàs si in statu mortalis peccati pœnitentiam adimpleres, præcepto non censeberis satisfecisse: quod est contra communem sententiam.

Ad exemplum de debito iam dictum est in superiori difficultate non extingui liberali donatione, quia ex debito non debetur donatio, sed solutio.

Ad vltimum. Concedo leges obligare subditos, vt illis satisfaciant, & consequenter, vt habeant voluntatem satisfaciendi, quam tamen habet quicunque rem præceptam exequitur, etsi ex ignorantia ipse credat non habere.

PVNCTVM XVIII.

An actu, qui sit peccatum, possit legi, vel præcepto satisfieri.

1 *Proponitur dubitandi ratio.*
2 *Opere ex se bono, vitiato tamen aliqua circunstantia, satisfieri præcepto potest.*
3 *Satisfit rationi dubitandi.*
4 *Si ex voto, aut pœnitentia tenearis Missam audire, vel eleemosynam facere, & ex fine vanitatis hæc præstes, voto, & pœnitentia satisfacis.*

1 Ratio dubitandi est, quia omne præceptum est de opere bono. Ergo vt ei fiat satis, opus bonum debet exequi, quia debet exequi opus, quod est imperatum. Ergo non potest fieri ei satis opere malo, quia opus malum non est imperatum. Neque obstat si dicas præcepto satisfieri debere opere bono ex se, non tamen est necessarium esse bonum ex circunstantiis; auditio enim Missæ, & largitio eleemosynæ bona sunt, illisque videtur præcepto Missæ, & eleemosynæ satisfieri, etiamsi ob prauum finem vitientur. Non, inquam, obstat, quia si opus externum prauo fine vitiatur, absolutè vitiosum est, & peccatum; sed de peccato nunquam est præceptum.

præceptum. Ergo illa auditione Missæ, & eleemosyna non fit satis præcepto, quia non est opus præceptum. Et confirmari potest ex *regul.8.extrauag.de regul.iur.* vbi dicitur, *qui ex timore facit præceptum, aliter quàm debeat, facit, & ideo iam non facit.* Ergo à fortiori non facit præceptum, qui malo fine facit.

Secundò confirmo ex *l.non dubium, C.de legib. & l.contra legem, ff.eod. tit.* vbi dicitur, *Is in legem delinquit, qui legis verba amplectens, contra legis nititur voluntatem, & intentionem.* Sed finis omnis legis est facere subditos bonos, & Deo obsequentes, cui fini obstat manifestè actus vitiosus etiam ex circumstantia extrinseca. Ergo. Et ita tenet Anton.2.*part.tit.9.cap.*10. §.2. vbi dicit non satisfacere præcepto audiendi Missam, qui accedunt ad Ecclesiam, vt videant, vel videantur ab amatoribus suis, sed debent (ait) accedere ad orandum, & tunc à se remouere debent cogitationes temporales ad Deum orandum: consentit Maior *in 4.distinct.15. quæst.3.paulo post princ.* Adrian.4.*vbi de confessione, q.5.dub.4.* Carthusian. 2.*dist.17.q.2.& 2.dist.17 q.1.*

2 Nihilominus tenenda est vt certa communis sententia, opere, inquam, ex se bono, vitiato tamen ex fine, vel ex alia circumstantia extrinseca fieri satis posse præcepto humano, quia præceptum humanum, solùm imperat actus substantiam, non modum, qui necessarius non est ad eius exteriorem honestatem. Tum quia actus sic factus pertinet sufficienter ad cultum Dei extrinsecum, & ad rectam Ecclesiæ, & reipublicæ gubernationem: modus autem alius operandi extrinsecus, etsi maximè sit interior, per accidens est operi præcepto, & fortè extra humanam iurisdictionem. Ergo quicumque ille sit, obstare non potest executioni operis præcepti.

Dixi legem, & præceptum imperare actus substantiam, non modum, qui non sit necessarius ad substantiam actus præcepti: nam aliquando aliquis modus pertinet ad substantiam præcepti, & tunc non solùm res extrinseca per se, sed vestita illo modo mandatur. Exempli causa, mandatur alicui recitatio horarum, consequenter mandatur intentio colendi Deum, & attentio requisita ad orationem, quia sine hac intentione, & attentione, non est recitatio, quæ vera sit: vt bene dicit Suarez *tom.2.de relig.lib.4.cap.26.* Item mandatur alicui sacramentum confessionis recipere, simul mandatur intentionem habere illud recipiendi, & dolorem de peccatis confessis, quia sine his non recipiet sacramentum. Aliquando verò modus est extrinsecus operi præcepto. Verbi gratia, præcepto audiendi Missam, dandi eleemosynam, communicandi, extrinsecus est finis vanæ gloriæ. Quocirca si ob vanam gloriam, vel turpem amorem audias sacrum, eleemosynam tribuas, communices, satisfacis præcepto, quia rem præceptam exequeris. Non enim ex vi talis præcepti ille primus finis adiunctus prohibetur, sed aliunde: & ita tenet Nauarr.*cap.21.num.7. & in enchirid.de orat.cap.20. num.29.* Almain.4.*dist.17. quæst.vnica, circa finem.* Soto *lib.2.de iustit.quæst.3.art.9.& 4.distinct.13. quæst 2.art.1. in fine.* Suarez *lib.3.de legib.cap.19.num.6.* Sanchez *lib.1. in Decalog.cap.14.num.1.* Azor *tom.1.lib.7.cap.6. quæst.1.* Couarr. *cap. alma mater, 1.part. §.5. num.1. versic. præter hæc.* Bonacina *disp.1.de legibus, quæst.1.punct.9.num.1. & seqq.*

3 Neque obstat ratio dubitandi. Fateor, inquam, auditionem Missæ, & eleemosynam ob finem prauum vitiosam esse, sed non esse vitiosam intrinsecè, sed extrinsecè: vitium autem extrinsecum non obstat præcepti satisfactioni, quia non obstat, quominus auditio Missæ, & eleemosyna de se bona sit, quæ solùm est materia præcepti.

Ad confirmationem ex *reg. iur.8.* dico facientem ex timore præceptum, aliàs non facturus, non implere præceptum in affectu, & quoad Deum, bene tamen in effectu, & quoad Ecclesiam.

Ad illas verò leges respondeo cum D.Thom. relato à Sanchez *num.4.* & à Suarez *lib.3.de legibus, cap.20.n.3.* duplicem esse voluntatem, seu intentionem legislatoris, aliam de re præcepta, aliam de fine obtinendo per præceptum. Prima intentio, & voluntas est forma intrinseca legis, & ideo qui aduersùs illam procedit, peccat in legem. Secunda verò est extrinseca, & ideo peccans in illam non censetur legem transgredi.

4 Ex his infertur, si ex pœnitentia, voto, aut iuramento obligatus sis, eleemosynam facere, vel Missam audire, & ob vanam gloriam hæc præstes, te satisfacere voto, iuramento, & pœnitentiæ; quia hæc omnia obligant instar cuiusdam legis, & præcepti, & de pœnitentia docet Suarez *4.tom. in 3.part.disput.38.sect.8.num.1.fine & de voto.* Vasquez *1.2.quæst.100.art 9.in expositione litteræ, n.11.* & de omnibus Sanchez *lib.1. in Decal.cap.14. n.2. & 3.* Bonacina *suprà.*

Sed obiicies, voto intendisti rem gratam Deo offerre, quia est actus religionis. Pœnitentia intendit Confessarius, vt satisfacias Deo pro peccatis: sed hæc obtineri non possunt actu vitioso. Ergo non satisfacis voto, & pœnitentiæ per actum vitiosum.

Respondeo te non satisfacere fini intento per votum, & pœnitentiam, vt conuincit obiectio; satisfacere autem materiæ voti, & pœnitentiæ, si rem de se gratam Deo, & honestam offeras, etsi vitiatam extrinseca circumstantia: quia finis extrinsecus voti, & pœnitentiæ sub votum, & pœnitentiam non cadit, sicut neque cadit sub lege finis extrinsecus legis; aliàs qui lautè, & deliciosè in die ieiunij comederet, seruans formam statutam ab Ecclesia, non seruaret ieiunium, quia non seruat finem eius extrinsecum, qui est, carnem aliqua inedia macerare: quod est omnino falsum.

PVNCTVM XIX.

Vtrùm possis vnico actu pluribus præceptis, & obligationibus satisfacere.

1 *Si obligationes sunt iustitiæ, non potes pluribus vnico actu satisfacere; secus si sint obligationes diuersarum virtutum.*

2 *Vouens ieiunare in Quadragesima satisfacit præcepto Ecclesiæ, & voto.*

3 *Explicatur, quando superueniens obligatio petit distinctum actum, quando cadit super debitum.*

4 *Confessarius imponens pœnitentiam censendus est ad actus, qui aliàs obligatorij non sunt, obligare, nisi contrarium explicet.*

5 *Vouens dare eleemosynam, non satisfacit voto, restituens debitum.*

6 *Idem iuris est, si parentibus, & fratribus in graui necessitate subuenias.*

7 *Quid dicendum de eleemosyna data extremè, vel grauiter indigenti.*

8 *Probabilius est fieri satis voto, & pœnitentiæ.*

9 *Quid dicendum si actum facias, qui pluribus obligationibus sigillatim tantum satisfacere potes? Sub distinctione respondetur.*

1 SI obligationes sunt iustitiæ, certum est apud omnes vnico actu satisfieri non posse diuersis obligationibus; implicat enim rem debitam titulo iustitiæ, alio titulo iustitiæ deberi, quia si ex iustitia debita est, alio titulo deberi non potest, cùm super eandem rem duo tituli iustitiæ cadere non possint. Ex quo fit si debes Petro centum ex promissione acceptata, vel ex contractu, & insuper committis delictum, quo teneris centum dare Petro, non satisfacis vtrique obliga

obligationi dando centum, sed necessariò debes dare ducentos.

Verùm si obligationes sint diuersarum virtutum, seu ex diuersis præceptis, vnico actu pluribus obligationibus fieri potest satis; quia non implicat rem debitam vno titulo, alio diuerso deberi: non enim implicat rem debitam titulo iustitiæ, deberi etiam ex voto, & pœnitentiæ præcepto, & debitam ex præcepto temperantiæ, deberi etiam ex voto. Ratio est, quia obligatio voti, pœnitentiæ, & alterius præcepti positiui ex legislatoris intentione pendet, quæ rebus iam debitis alio titulo alligari potest. At cùm debitum iustitiæ ex ipsa rei natura oriatur, & in æqualitate rei ad rem fundetur, nequit duplex obligatio iustitiæ super eandem rem cadere. sic Medina *Cod. de satisfact. quæst. 4. vers. corollariè sequitur*. Thom. Sanch. *lib. 1. in Decal. cap. 14. num. 5*. Bonacina *disp. 1. quæst. 1. p. 9. num. 4.* & in hoc ferè omnes conueniunt, & nemo discrepat.

Ex hac doctrina infertur, si voueas ieiunare in Quadragesima, satisfacere & præcepto Ecclesiæ, & voto. Item si voueas restituere debitum, dare eleemosynam indigenti, satisfacis vnico actu duplici obligationi: sicuti obligatus recitare officium diuinum ratione ordinis sacri, & beneficij, vtrique titulo satisfacit vnica recitatione; quia super eandem materiam illa duplex obligatio cecidit. Quæ omnia clara sunt, & manifesta.

3 Dubium tamen est explicare, quando de facto superueniens obligatio cadat super actum debitum, quando verò expostulet alium.

Respondeo certa regula definiri non posse, sed ex circunstantiis colligendum esse, quia ex voluntate, & intentione legislatoris pendet: si enim circunstantiæ denotent legislatorem velle exigere actum non debitum, manebis tunc obligatus illum præstare, neque poteris actu debito satisfacere. At si circunstantiæ denotent contentum esse actu aliàs debito, satisfacis illo vtrique obligationi, & obligationi denuò impositæ, & præcedenti. sic Suarez *tom. 4. in 3. p. disp. 37. sect. 6. num. 5.* Thom. Sanchez *lib. 1. in Decal. cap. 14. num. 6.* Regulariter tamen, quoties distincta obligatio superuenit, distinctum actum expostulat, quia sic communiter legislatores intendunt, vt benè dicit Sanchez *suprà*. Et in casu dubio sic est interpretandum, quia interpretatio fieri debet ex communiter contingentibus.

4 Ex his infero primò. Si tibi à confessario esset impositum præceptum recitandi bis calculos virgineos, & haberes votum quotidie, vel diebus festis illos recitandi, non satisfaceres præcepto confessarij recitatione debita ex voto, quia confessarius nisi clarè se explicet, ad rem non debitam intendit te obligare, præcipuè cùm obligatio illa à confessario imposita, non sit alligata diei; sed potes, quando tibi placuerit, satisfacere. Idem est si aliqua ieiunia absolutè imponeret, non satisfaceres ieiuniis ex præcepto Ecclesiæ, aut voto debitis, quia intendit tibi obligationem imponere de re aliàs non debita, vtpotè maximè satisfactoria, & ita tradunt Sanchez, & Suarez *suprà*. Nauarr. *cap. 26. num. 23. & cap. 1. in princ. num. 44. de pœnitent. dist. 6.* Azor *tom. 1. lib. 11. cap. 14. quæst. 1. fine*. Sayrus *in claui regia sacerdot. lib. 6. cap. 3. n. 22.* Henriquez *lib. 5. de pœnitent. cap. 19. num. 5. & cap. 21. num. 3.* & alij ab eisdem relati. Verùm si confessarius dicat: Singulis diebus hoc mense audias sacrum; ex benigna interpretatione censetur Missa debita ex præcepto diebus festiuis, contentus esse: neque enim censendus est obligare ad audiendum duplex sacrum diebus festis, quia est graue onus: quod non est credendum imposuisse, nisi manifestet, ac proinde diebus festis, vnico sacro audito, satisfacies vtrique obligationi. & ita tenet Sanchez *suprà cap. 14. num. 6.* Bonacina *disp. 1. de leg. quæst. 1. punct. 9. num. 7.*

5 Secundò infero. Si voueas dare eleemosynam, vel illam ex pœnitentia debeas, non satisfacere dando ea, quæ debes restituere ob incertorum ablationem, quia illa elargitio non est donatio liberalis, & consequenter neque eleemosyna. Sed est solutio, & restitutio debiti. sic Sanchez *num. 6.*

6 Tertiò infero cum eodem Sanch. te non satisfacere voto, vel pœnitentiæ, de danda eleemosyna, si des fratribus, auis, & parentibus taliter indigentibus, vt tenearis illis subuenire, quia illa non erit propriè eleemosyna, sed solutio debiti legalis, ad quam per iudicem potes compelli, casu quo diues sis. Item quia non est elargitio pauperi; pauper enim non est, qui ius habet postulandi alimenta; vt ex aliis probat Surdus *de aliment. tit. 7. quæst. 37. à num. 1. vsque ad 11.* Verùm si aliis consanguineis à suprà relatis eleemosynam tribuas, satisfacies voto, & pœnitentiæ iniunctæ, quia non teneris ex debito legali illis alimenta præbere, vt probat Molina *lib. 2. de primog. cap. 15. à num. 37.*

7 Quartò infero, quid dicendum sit de eleemosyna data pauperi grauiter, aut extremè indigenti: an, inquam, tali eleemosyna satisfacias eleemosynæ debitæ ex voto, vel pœnitentia? Videris quidem non satisfacere, quia illa eleemosyna est debita ex præcepto misericordiæ; sed quæ debita sunt alio præcepto, non censeris vouere, neque tibi in pœnitentiam iniungi, nisi exprimantur. Ergo. Et confirmo. Ideo prima Missa audita in die festo, non satisfacis pro Missa debita ex voto, & pœnitentia, etsi velis pro voto & pœnitentia applicare, quia illa Missa non cecidit sub voto, & pœnitentia; siquidem non est in tua potestate situm, facere, quòd non sit debita, & quòd illa non fiat satis præcepto Ecclesiæ. Sed similiter non est in tua potestate facere, quòd pauperi extremè, vel grauiter indigenti eleemosyna non debeatur ex præcepto misericordiæ. Ergo illa eleemosyna non potest fieri satis eleemosynæ debitæ ex voto, & pœnitentia. sic Medina *Cod. de satisfact. quæst. 4.* Suar. *tom. 4. in 3. p. disput. 27. sect. 6. num. 5.* Sayrus *in claui reg. lib. 6. cap. 3. num. 22.* Paludan. *4. dist. 15. q. 1. art. 2. num. 8.*

8 Verùm in hoc casu probabilius censeo satisfieri pœnitentiæ, & voto illa eleemosyna data extremè indigenti. sic tradit Henriq. *lib. 5. de pœnit. cap. 21. num. 3. in comm. litt. Q.* Azor *tom. 1. lib. 11. cap. 14. q. 1. in fine*. Eman. Saa *sum. verbo satisfactio dub. 9. fine*. Thom. Sanch. alios referens *lib. 1. in Decal. cap. 14. num. 6.* Moueor, quia non est debita illa eleemosyna ex præcepto misericordiæ absolutè, sed ex suppositione, quòd non possis alia via necessitati pauperis subuenire. Quod constat manifestè. Nam si debita restituenda pauperibus tali pauperi tribueres, cessaret tibi obligatio dandi eleemosynam: quia hæc solùm adest, dum non potes alia via eius necessitati prouidere. Sed in casu præsenti potes necessitati pauperis subuenire eleemosyna debita ex voto, & pœnitentia. Ergo alia eleemosyna ex præcepto misericordiæ non debetur. Ex quo manet soluta ratio in contrarium; Missa enim in die festo absolutè est debita, etiam quacunque suppositione facta; secus de eleemosyna indigenti.

9 Quintò infertur quid dicendum, cùm pro multiplicatione tituli res multiplicanda est, v. g. debes dare pauperibus centum ob iniustè ablata, alia centum ex voto; alia ex pœnitentia: si centum largiaris, cuinam ex his obligationibus satisfacies. Omnibus est impossibile, quia non debes solùm centum, sed ter centum.

Et quidem si decreuisti vni illarum obligationum satisfacere, illi satisfacies: quia illud opus de se est integrè satisfactorium, pro qualibet illarum obligationum; solùm ergo indigebat determinatione, vt potiùs vni obligationi præ aliis satisfaceres: hanc autem determinationem à tua intentione habet. Ergo. Et videtur hoc decisum *in l. cum pluribus ff. de solutionib.* sic Sanchez

lib. 1.

lib. 1. in Decalog. cap. 14. num. 8. Bonacina disput. 1. de legib. quæst. 1. punct. 10. num. 12. Limitanda tamen est hæc doctrina, ne superioribus contradicat pro obligationibus, quæ à loco, & tempore absoluuntur, & à tua voluntate pendet illorum satisfactio. Aliàs tua intentio, & applicatio nihili deseruiret. Quod dixerim, vt intelligas, si die festiuo audias sacrum, intentione satisfaciendi voto, intendens aliud audire intentione satisfaciendi Ecclesiæ præcepto, voto non satisfacis, sed Ecclesiæ præcepto; quia illa Missa non sub voto comprehensa fuit, sed sub præcepto, vtpote debita.

Quòd si decreuisti omnibus obligationibus satisfacere, cùm sit impossibile satisfacere integrè, satisfacis eo modo, quo possis: nam actus, qui non valet, vt agitur, debet valere meliori modo, quo potest, vt tradunt Doctores in cap. vnico, §. idem quoque, de desponsat. impuber. n. 6. & constat ex ipso textu. Quocirca in præsenti distinguendum est: aut opus est diuisibile, aut indiuisibile; si opus est diuisibile, vt eleemosyna, & largiaris centum, cùm debeas ter centum, pro furto, voto, & pœnitentia, satisfacies pro rata parti cuiuslibet debiti: manebit tamen cuiuslibet debiti pars insoluta, cui onus habebis, satisfaciendi: quia cùm illa largitio pecuniæ non possit omnibus debitis integrè satisfacere, & potest cuiuslibet parti, illa pars manebit satisfacta. Si verò opus indiuisibile sit, vt ieiunium, vel Missa, & intendis omnibus obligationibus vno solo sacro satisfacere, cùm tria debeas, reputandus es vrgentiori obligationi satisfacere, ob rationem dictam: quia cùm illa Missa non possit diuidi in satisfactionem plurium obligationum; sed necessariò vni tantùm debeat impendi: & ex tua expressa intentione non signetur vna præ alia, affirmandum est, vrgentiori obligationi satisfacere: quia sic valet actus, meliori modo, quo potest. Quare cùm præceptum Ecclesiasticum præualeat voto, & votum præualeat præcepto Confessarij, censeberis priùs Ecclesiastico præcepto, deinde voto satisfacere, & tertiò pœnitentiæ.

Quòd si nulli obligationi decreuisti satisfacere, sed illarum immemor opus debitum variis obligationibus exequeris; tunc sequenda est decisio legis, *cùm ex pluribus, ff. de solutionib.* vbi dicitur: *Si debita sunt omnino æqualia, nec quisquam decreuit, cui debito satisfacere velit, censetur omnibus pro rata satisfacere; si autem alterum sit grauius, censetur grauiori.* Excipe debitum ex iustitia: huic enim necessariò requiritur intentio satisfaciendi: aliàs erit donatio liberalis, & non solutio, vt sæpè in superioribus dictum est. Consentiunt in his Sanchez, & Bonacina *suprà.*

PVNCTVM XX.

Vtrùm pluribus actibus eodem tempore factis possis satisfacere pluribus præceptis.

1 *Affirmatiuè respondetur.*
2 *Explicatur conclusio, & refellitur quadam Doctorum limitatio.*

1 Respondeo posse, si actus facias, quales exiguntur à quolibet præcepto; quia efficis, quidquid per præcepta exigitur. Ergo satisfacis illis: diuersitas enim temporum nullibi in præceptis exigitur, & ita tenet Nauarr. *summ. cap. 21. num. 8. & cap. quando, de consecr. distinct. 1. cap. 19. num. 178.* Henriquez *lib. 9. de Missa, cap. 25. n. 5.* Azor *tom. 1. lib. 10. cap. 12. q. 10. & lib. 7. cap. 5. q. 3.* Valent. *2. 2. disp. 6. q. 2. punct. vlt. coroll. 1.* Suarez *de sacram. disp. 38. sect. 6. n. 5.* Bonacina *disp. 1. de leg. q. 1. p. 9. n. 8.* Thomas Sanchez *lib. 1. in Decal. cap. 14. num. 11.* & alij plures ab eisdem relati.

2 Dixi te posse eodem tempore satisfacere pluribus præceptis per plures actus, si actus facias, quales exiguntur à præceptis. Nam plures Doctores existimant regulariter hoc esse impossibile: quia non potes pluribus actionibus incumbere ea attentione, quæ à præceptis exigitur: qua de causa dicunt te non posse satisfacere præcepto audiendi Missam, si simul velis satisfacere præcepto recitandi horas canonicas, quia attentio vnius actionis, attentionem alterius impedit. sic Syluest. *verbo Missa 2 fine.* Angelus *verbo feria, num. 46.* Armilla *verbo festum, num. 11. & verbo Missa, n. 39.* Rosella *verb. Dominica, num. 7.*

Verùm iure optimo hæc doctrina ab aliis Doctoribus, præcipuè Nauarr. Azor, Henriquez, Suarez, Sanchez, & Bonacina non admittitur: non enim potentia intellectiua ita limitata est, ·· nequeat duplici actioni simul attendere, & experien[illegible] constat recitantem calculum virgineum, vel horas [illegible]onicas posse sufficienter testificari de omnibus, quæ in Missa contigerunt. Signum ergo est manifestum attendisse sufficienter. Adde non requiri in supradictis actionibus diuersam attentionem, sed vnam: non enim necesse est, vt ad verba, & sensum illorum, quæ in Missa, vel horis canonicis proferuntur, attendas, sufficit si attendas ad Deũ; quæ attentio vtrique operi conuenit, & sufficiens est.

PVNCTVM XXI.

Quando censeatur peccare impedimentum apponens, vel non tollens legi, vel præcepto adimplendis.

1 *Proponitur dubitandi ratio.*
2 *Respondetur quæstioni sub distinctione, & affirmatur præcepta naturalia per se obligare omnia impedimenta tollere, secus præcepta positiua.*
3 *Explicatur doctrina.*
4 *Proponitur obiectio, & fit satis.*

1 Semper videris peccare, quoties impedimentum apponis executioni præceptæ, vel iam impedimentum appositum non tollis, vel apponendum non remoues: quia superior præcipiens finem, simul etiam, & media censetur præcipere. Sed est medium necessarium remouere impedimenta, quæ executioni præceptæ obstant, vel iam posita remouere. Ergo si id non facis, peccas.

2 Cæterùm hæc doctrina ita generaliter sumpta vera non est: non enim excommunicatus tenetur ex vi præcepti audiendi Missam, absolutionem quærere excommunicationis, vt plures Doctores docent, quos refero in materia Eucharistiæ in fine, vbi de præcepto audiendi Missam: neque tenetur diues non laborare, vt possit ieiunium seruare, neque peregrinationem in aliũ diem differre, vt censent plures. Quocirca distinguendum est inter præcepta naturalia, & positiua; & affirmandum præcepta naturalia per se obligare omnia impedimenta illorum executioni obstantia remouere: & media, quæ ad illorum executionem per se necessaria sunt, apponere; quia cùm obligatio horum præceptorũ ex ipsis rebus nascatur, nequit limitata esse obligatio pro vno, vel altero medio, aut impedimento, & non pro omnibus. Vnde exequens officium iudicis, Confessarij, Aduocati, tenetur addiscere, quæ necessaria sunt ad illius rectam executionem, & remouere impedimenta, quæ obstare visa fuerint. Et obligatus lege charitatis succurrere indigenti, eleemosyna corporali, vel spirituali correctione, tenetur media necessaria apponere, & impedimenta, quæ videt obstare, remouere, quia hæc obligatio ex ipsa rei natura nascitur: & si natura præscribit absolutè finem, & media necessaria ad illum præscribere debet.

debet. Quare nisi iusta aliqua causa intercedat excusationis, præceptum ad hæc omnia ponenda, vel remouenda obligat. Neque in horum præceptorum impedimentis video esse inter Doctores dissensionem; solùm enim est dissensio pro sufficienti causa excusationis.

At in præceptis positiuis secus dicendum est: non enim ex vi horum præceptorum teneris omnia media, quæ videntur aliquo modo necessaria ad illius executionem apponere, vel impedimenta remouere; quia non obligant cum tanto grauamine: cùm enim horum obligatio ex voluntate legislatoris procedat, poterit legislator illorum obligationem statuere sub conditione, quòd liber, & expeditus existas, non verò imperare tibi expeditionem. Quod exemplo de excommunicatione pro præcepto audiendi Missam, & exemplo peregrinationis pro præcepto ieiunij illustrari potest. Quæ autem sint media apponenda, quæve impedimenta remouenda pro executione horum præceptorum, non videtur posse certa regula definiri; aliqua enim sunt grauiora præcepta, alia leuiora, & sic media apponunt, vel impedimenta remouent proximiora, vel remotiora: quare ex modo, quo quodlibet præceptum receptum est, peti debet hæc obligatio. sic docet Thom. Sanch. *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 15. *num.* 4. Salas 1. 2. *q.* 71. *tract.* 13. *disp.* 2. *sect.* 9. *num.* 117. & 118.

3 Verùm etsi hoc ita sit, credo omnia illa media, quæ per se, & intrinsecè, seu ex natura rei necessaria sunt ad illorum executionem, te obligatum esse apponere, & omnia illa impedimenta, quæ per se, & ex natura rei obstant, remouere. Cætera verò petenda sunt ex consuetudine, & modo, quo præceptum receptum est. Primam partem probo. tum ratione superiùs posita; præcipiens enim finem, consequenter præcipere censendus est, quæ ad illius executionem necessaria sunt: aliàs non efficaciter finem intendet, sed diminutè procedet: tum exemplis. Si enim die festiuo nolis à lecto surgere, & Ecclesiam adire, sed ludo occupari, peccas contra præceptum audiendi Missam. Item si obligatus horas canonicas recitare, proiicias Breuiarium, aut nolis habere, peccas: quia hæc omnia sunt media per se, & intrinsecè necessaria ad illorum præceptorum executionem: & sic tenent supradicti Doctores. Qua ratione dicunt, si aliquis die festiuo, vel nocte proxima se inebriaret, præuidens impediendum esse à Missæ auditione, peccare, cùm se inebriat, contra præceptum audiendi Missam, quia apponit impedimentum per se obstans præcepti executioni.

Dixi, si die festiuo, vel nocte proxima te inebriares: quia tunc iam censetur moraliter adesse præceptum, ac proinde efficaciam habere remouendi impedimenta obstantia illius executioni. At si antequam dies præcepti adueniat, vel quasi in proximo sit, te inebriares, vel cibum nociuum sumeres, ex quo præuideres infirmitatem tibi obuenturam, & impedimentum apponendum recitationi horarum, Missæ, & ieiunio; non videris, tunc aduersùs hæc præcepta peccare; quia non videntur extendi ad media, & impedimenta ita remota: & docet Salas, & Sanch. *supr.* Adde aliquos Doctores, etsi concedant te inebriantem die, quo est præceptum audiendi sacrum, vel recitandi horas, ex qua inebriatione impeditur eorum executio, peccare aduersùs hæc præcepta. At admittunt sumentem vinum, aut nociuum cibum, præuidentem ob morbum se omissurum Missas, horas, & ieiunia aduersùs hæc præcepta non peccare. sic Henriq. *lib.* 9. *cap.* 25. *num.* 11. *in com. litt. P*, quamuis non exprimat, si id faciat eo die, quo vrget præceptum. At Med. 1. 2. *q.* 77. *art.* 7. & *in summ. in declarat.* 3. *præcepti. cap.* 14. §. 10. *fol.* 101. de eodem die loquitur, & dicit non peccare contra præceptum ieiunij, eum qui iter facit, vt inuisat concubinam, seu amicam, vel laborat in venatione, vel in ludo pilæ, præuidens inde fore, vt die illo non possit ieiunare. & Thom. Sanch. *lib.* 1. *sum. cap.* 15. referens hanc sententiam, non videtur ab illa dissentire, solùm enim dicit obligare, ne hæc impedimenta in fraudem ieiunij apponantur, hoc est ex intentione violandi illud: consentit Ioan. Sanch. *disp.* 54. *select. num.* 20. & addit, etiam si fiant ex intentione non seruandi ieiunium, adhuc non peccare, quia illa non est intentio violandi ieiunium, cùm obligat, sed intentio excusandi se à ieiunij obligatione, seu apponendi causam excusantem: quærere autem causam excusantem ab obligatione præcepti, non videtur esse contra præceptum.

Ego verò huic extensioni acquiescere non possum, sicut neque Salas *supradicto loco* 1. 2. *sect.* 13. *disp.* 2. *sect.* 9. *num.* 118. acquiescit: imò absolutè dicit esse falsam sententiam Medinæ, & ab omnibus reprobatam: (intellige ab antiquis Doctoribus: nam recentiores aliqui eam approbant.) Moueor, quia nullam differentiam inuenio inter inebriantem se, & ex proposito dormire volentem die, quo debet audire Missam, & inter edentem cibum noxium, ex quo præuidet impedimentum esse apponendum, quo minus Missam audire possis, vtrumque enim impedimentum æquè obstat præcepti executioni: si igitur in eo, qui se inebriat, vel dormire vult, omnes admittunt omissionem Missæ imputari in causa, ita debet imputari ei, qui cibum sumit, ex quo infirmitas, & impedimentum nascitur, quominus audire Missam possit. Item nullam ferè differentiam inuenio in eo, qui die festiuo vult ludere, tempore, quo Missa dicenda est, vel in eo qui vult ludo pilæ, vel alio labore non necessario, neque honesto occupari: ex quo violatio ieiunij est sequenda. In vtroque enim casu impedimentum apponitur præcepti executioni per causam, cuius positio nulla ratione honestatur. Neque hoc rigidum, & durum alicui debet videri, sed rationi multum conforme. Ratio enim dictat, vt quando vrget præceptum, vel iam est in pendenti, vt vrgeat, remoueantur quæ illius executionem impediunt, & apponantur quæ ad illius executionem necessaria sunt. Quando verò præceptum non actu obligat, neque proximè est vt obliget, faciliùs permitti potest non prohibere causas obstantes illius executioni: & in hoc sensu sustineri potest comedentem cibum noxium, vel exercentem actionem, ex qua actione executio præcepti Missæ, ieiunij, recitationis impedienda est, non peccaturum aduersùs hæc præcepta; si, inquam, ille faciat, non eo die, quo præceptum occurrit, vel in proximo est, vt occurrat, sed aliquibus diebus antecedentibus.

4 Dices. Ergo agricola, vel alius officialis non poterit laborare die ieiunij, neque peregrinationem aliquam facere, aut honestum aliquod opus, & pium exercere, si inde sciat impotentem reddi ad ieiunandum; & si hoc potest, poterit etiam ludo pilæ, & venationi se committere, quin peccet, poterit etiam illa omnia exercere, sciens impediendum esse ab auditione Missæ, & recitatione horarum? Hæc obiectio probat secundam partem nostræ conclusionis, scilicet plura esse impedimenta, quæ ex consuetudine, & communi Doctorum sententia apponi absque culpa possunt executioni præcepti: neque illa sunt censenda impedimenta, sed exemptiones ipsiusmet præcepti, præceptum enim ieiunij. v.g. obligat vacantes otio, non laborantes: quare qui die ieiunij laborat, etiam in labore sibi non necessario, non videtur comprehensus sub præcepto. Aliàs dicendum esset teneri agricolas, fabros lignarios, & ferrarios diuites, quique facilè laborem excusare possunt, à labore cessare, vt ieiunium seruent: quod est contra receptam sententiam, vt tradit Ioann. Sanchez *disp.* 54. *in select. num.* 14. Eadem ratione peregrinantes, vel se flagellantes, aliaque opera pia exercentes, quibus cum compati non potest ieiunij obseruatio, videntur excusati.

sati. sic Ioann. de Friburg *in summ. Confessor. lib. 1. tit. 12. quest. 19. & 20.* Arios. *in Enchirid. 2. p. de ieiunio, fol. 89.* Astens. *2 par. tit. 28. quest. 3.* Ioann. Sanchez *disp. 54. n. 21. & 22.* quia præceptum hoc solùm illum laborem videtur remouere, qui neque necessarius est, neque honestus. Vnde censeo non excusatum eum, qui ludo pilæ, & venationi se committit. A præcepto autem audiendi Missam, & horarum recitatione, cùm vrget, censeo excusatum non fore eum, qui labori quantumuis pio se exerceat: nisi ad illud exercendum obligatus ex charitate sit; præcepta enim illa remouent omnia impedimenta, quæ absque graui detrimento tui, vel proximi omitti possunt.

PVNCTVM XXII.

In quibus sit potestas leges ciuiles condendi.

1 *Certum est hanc in omnibus esse potestatem.*
2 *Hæc potestas non est à natura, sed à republica.*
3 *Qua ratione hæc potestas sit à Deo.*

1 HVcusque de obiecto legis, de eius publicatione, & obligatione, quam inducit, sermonem fecimus: pergamus inuestigare causam eius sufficientem.

Primò supponendum est vt omnino certum, esse in hominibus potestatē leges ferendi, quia sine illa communitas hominum gubernari non posset: nam (vt dixit Sapiens *Prouerb. 11.*) vbi non est gubernator, corruit populus; sed gubernator exercere officium non potest, nisi mediis legibus. Ergo vel ab alio debet illas recipere, vel ipse, si supremus sit, debet illas condere.

2 Hanc autem potestatem ferendi legem nullus habet à natura, quia natura omnes homines fecit liberos, nemini enim potestatem, & iurisdictionem politicam in alium concessit. Restat ergo, vt solùm ipsa communitas hominum habeat à natura hanc potestatem: hanc autem habent, eo ipso, quo plures familiæ velint se se inuicem iuuare, & inter se vinculo societatis vniri: nam sine potestate ferendi leges, non possunt in pace, & iustitia gubernari, & conseruari. Quapropter per vllam potentiam non potest impediri hæc potestas. Verùm quia communitas iudicauit se rectiùs gubernari posse, aliquo singulari, vel aliquibus, quàm omnibus; quia si omnes ad regimen sui concurrerent, esset non leuis confusio, & continua perturbatio, præcipuè si esset magna hominum multitudo; ideo totam suam potestatem transtulit in vnum, vel in plures aliquos determinatos, qui regere, & gubernare rempublicam possent, potestate ab illa accepta: & in his omnes ferè conueniunt cum D. Thom. *1. 2. quest. 90. art. 3. ad 2. & q. 97. art. 3. ad 3.* & tradit Nauarr. *in cap. nouit, de iudic. notab. 3. num. 119.* Castro *lib. 1. de lege pœnali, cap. 1. §. postquam.* Suarez *lib. 3. de legibus, cap. 2. num. 3.* Couarr. *pract. cap. 1. conclus. 1.*

Ex his infertur, quemlibet Regem potestatem habere condendi leges à republica immediatè: constat ex supradictis Doctoribus, & deciditur *in l. 1. ff. de constitutionib. Principum, & l. 3. §. nouissimè, ff. de origine iuris,* & tradunt ibi Doctores, & Canonistæ *in cap. per venerabilem, qui filij sint legitimi.* Ratio est manifesta, quia non habet à propria natura, cùm hæc omnibus communis sit, & nulla sit ratio, quare magis vni, quàm alteri hanc potestatem, & iurisdictionem politicam concesserit. Habet ergo ab ipsamet communitate.

3 Dices habere à Deo immediatè, iuxta illud Pauli ad Rom. 13. *Non est potestas, nisi à Deo; & qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit;* & Ioann. 19. dixit Christus Pilato, *Non haberes in me potestatem vllam, nisi tibi data esset desuper.* & Prouerb. 8. dixit Sapient. *Per me Reges regnant, & conditores legum iusta decernunt.* Secundò, si à republica haberet hanc potestatem, esset respublica superior Rege, & posset Regem pro libito hac potestate priuare. quod videtur falsum. Ergo signum est à Deo haberi.

Respondeo omnem potestatem regiam à Deo esse immediatè, sed non inde infertur in alio priùs immediatè non fuisse, fuit quidem immediatè in ipsa communitate, à qua in Regem translata fuit. Sed hæc prioritas non obstat, quominus in Rege immediatè à Deo sit potestas. tum quia non est alia potestas in Rege, quàm illa potestas, quæ fuit in communitate: tum quia ipsemet Deus sua speciali prouidentia hanc translationem, seu successionem ordinauit. Adde supposita potestate in Rege, Rex gerit vicem Dei, quia quidquid Rex imperat, Deus imperat exequi.

Ad secundum nego absolutè rempublicam manere superiorem illo, in quem transtulit potestatem, hac enim translatione & abdicauit à se dominium, & se Regi subiecit: sicuti si te venderes alicui in seruum, maneres quidem supposita venditione inferior, etsi antea non esses, neque posses facta venditione illum dominio tui priuare: sic proportionaliter in republica continget, facta suæ potestatis translatione.

Sed quia hæc potestas in variis personis residere potest, ideo expendendæ sunt, in quibus dubium est residere. Dubitatur, inquam, primùm de Pontifice, & Imperatore respectu totius orbis, Rege, & Regina, cui ius regni competit; de communitatibus nemini subiectis, de aliis qui Regi subduntur, de magistratibus, de patrefamilias, de marito respectu vxoris. De singulis ergo examinandum est qua ratione ius habeant condendi leges ciuiles.

§. I.

Quid dicendum de Pontifice, & Imperatore respectu totius orbis.

1 *Pontificem non habere potestatem condendi leges ciuiles totum orbem obligantes.*
2 *Neque huic decisioni obstat derogatio, quam sæpè facit, legum Imperatoris, aliorúmque Principum.*
3 *Pontifex in terris sibi subiectis leges ciuiles condere potest.*
4 *Idem dicendum est de Imperatore legitimè electo, comparatione regnorum, quæ sibi subduntur.*
5 *Extra illa regna non valet leges ferre.*
6 *Bene potest leges ferre obligantes illis in regnis, in quæ habet directum dominium, tametsi immediatè non gubernet.*
7 *Deficientibus legibus proprijs, ditionis Pontificiæ, & Lusitaniæ; leges imperatoriæ in causis decidendis obligant, secus in Hispania, & Gallia.*
8 *Qui negent etiam ex consuetudine non esse obligatos iudices Hispanos sequi ius ciuile deficiente proprio.*
9 *Probabilius credo oppositum.*
10 *Satisfit rationibus num. 8. adductis.*
11 *Ob transgressionem legum ciuilium, si non procedat aduersus ius naturale, nulla pœna debetur.*
12 *Quid dicendum cùm ius ciuile contrarium est Pontificio ciuili.*

1 COmmunis, & vera sententia est, Pontificem non habere potestatem ferendi leges ciuiles obligantes totum orbem, neque totum populum Christianum, sed solùm habere potestatem ferendi leges obligantes terram sibi temporaliter subiectam. sic Bellarm. *lib. 5. de Pontif. cap. 2. 3. & seqq.* Nauarr. *cap. nouit, de iudic. notab. 3. n. 19.* Couarr. *reg. peccatum, 2. p. §. 9. n. 7.* Mol. *tr. 2.* de

de iust. disp. 19. Suarez *de leg. lib.* 3. *cap.* 6. *n.* 3. *&* 3. *p. tom.* . *disp.* 48 *sect.* 2. *fine.* Bonacina *disp.* 1. *de leg. q.* 1. *p.* 3. *n.* 5. Salas *disp.* 7. *de leg. sect.* 4. *n.* 30. & alij plures ab eisdem relati. Et quidem non habere potestatem ferendi leges obligantes infideles, constat ex Paulo 1. *Corinth.* 15. dicente, *de his qui foris sunt, quid ad nos?* quasi nihil circa illos Pontifex statuere possit. & *in cap. gaudemus, de diuortijs*, deciditur constitutionibus canonicis non obligari paganos. Ergo à fortiori obligari non poterunt legibus ciuilibus. Circa fideles verò commorantes in terris Imperatori, & Regibus, aliisque Principibus subiectis, inde probatur; quia huiusmodi Principes habent supremam potestatem ciuilem, & temporalem, in suos subditos, vt constat ex *cap. duo sunt, cap. cùm ad verum, 96 distinct. & cap. per venerabilem, qui filij sint legitimi, cap. solite, de maiorit. & obedient. cap. nouit, de iudic.* Ergo Pontifex supremam iurisdictionem non habet, aliàs derogaret iurisdictioni supremæ illorum Principum. Sed sine hac iurisdictione, & potestate non potest leges temporales condere, quæ subditos Imperiales, Hispanos, & Gallos, & eorum Principes obligarent. Ergo. Adde Christum Dominum solùm spiritualem iurisdictionem Pontifici tribuisse, non temporalem, vt ferè omnes Doctores exponunt illis verbis dictis Petro, *Tibi dabo claues regni cælorum. Pasce oues meas.* Quocirca vt Pontifex temporalem iurisdictionem haberet, sicuti reliqui Principes sæculares, indiguit illius donatione, quam illi Principes fecerunt, vt constat ex *cap. ego Ludouicus, 63. distinct. & cap. Constantinus, 96. distinct. & cap. fundamenta, de elect. in 6.*

2 Neque obstat Pontificem sæpè derogare leges Imperatoris, & Principis supremi, vt patet ex *cap. vigilanti, & cap. fin. de præscript. & regul. possessor, de reg. iur. in 6.* vbi Pontifex abrogauit legem ciuilem permittentem præscriptionem cum mala fide: & *in cap. cùm haberet, de eo qui duxit in matrim.* concedit, & mandat filiis illegitimis præbere alimenta, quæ legibus ciuilibus negata erant. Non, inquam, hoc obstat, quia hæ leges latæ à Pontifice sunt leges canonicæ, salutem animarum spectantes; quando enim Pontifex videt Principes sæculares ferre leges æquitati contrarias, potest, & debet suis legibus abrogare, sicuti in supradictis exemplis factum est: lex enim illa de præscriptione mala fide fouebat fraudes, & latrocinia; lex item negans filiis alimenta pietati naturali aduersabatur: meritò ergo reprobari debebant ab illo, cui animarum cura commissa est. Item quando Pontifex videt Principes sæculares negligentes esse in statuendis his, quæ ad rectum regimen suorum subditorum pertinent, ob cuius negligentiam peccata grassantur, poterit ea suis legibus præcauere: neque enim hoc est directè potestatem habere temporalem in subditos imperiales, & regios, sed solùm habere in illos spiritualem potestatem, illorum conscientias spectantem: ratione cuius prouidere, & statuere potest quidquid necessarium, & conueniens iudicatur: & in hoc sensu Bonifac. VIII. *in Extrauag. vnam sanctam, de maior. & obed.* dixit, *oportere gladium esse sub gladio,* hoc est, temporalem Principum iurisdictionem spirituali Pontificis subiici.

3 Quòd verò Pontifex in terris sibi subiectis habeat temporalem iurisdictionem, nemini dubium esse potest, cùm spiritualis iurisdictio temporalem non excludat, vt habetur in supradicta Extrauag. Bonifac. VIII. Adde Reges, & Principes transtulisse in Pontificem potestatem gubernatiuam. Ergo & legislatiuam, quæ gubernatiuæ necessariò coniuncta est.

4 Quòd si de Imperatore loquamur, constat apud omnes Imperatorem legitimè electum posse leges ferre in prouinciis, & regna sibi subdita, quia in illis habet supremam potestatem, & iurisdictionem, deciditúrque in *l.* 1. *C. de vet. iur. enucl. & l. bene à Zenone, C. de quadrien. præscript. & l.* 1. *& vlt. C. de legib.* Item Imperatores antiqui potestatem habebant condendi leges obligantes totum suum imperium, vt constat ex *supradictis leg.* & ex toto iure Cæsareo, qui authoritate imperiali constitutus est, & specialiter ex *l.* 2. *C. de vet. iur. enucl.* vbi dicitur soli imperiali authoritati leges condere, & interpretari esse concessum: sed eandem potestatem habet nunc Imperator Romanus legitimè electus in terris sibi subditis. Ergo. Dixi, legitimè electus: nam si caret legitima electione, caret potestate legislatiua, sicuti careret, qui per vim, & iniustitiam regnum occuparet. Contingere autem potest, vt bene dicit Suarez infrà referendus, successu temporis populum admittere talem principatum, & tunc ratione consensus populi, potestatem habere legislatiuam. Adde, dum expelli non potest, censendus est illam habere, ne maiora mala proueniãt; esset enim maius malum carere populum gubernatione vlla, quàm permitti gubernari à tyranno, quem à se expellere non potest: & ita tradunt Salas *disp.* 7. *de legib. sect.* 12. Molina *de iust. tract.* 2. *disp.* 13. Suarez *lib.* 3. *de leg. cap.* 4. *n.* 4. Bonac. *disp.* 1. *q.* 1. *p.* 3. *n.* 5. *circa med.*

5 Nullo autem modo potest Imperator legitimè electus extra regna, & prouincias sibi subditas leges ferre, quia non habet potestatem, & iurisdictionem illis in locis: nam vel illam habere debet à Christo Domino, vel iure belli, vel electione populi. A Christo Domino illam non habet: nam si Pontifici data non est, vt diximus, minus censebitur Imperatori concessa. Adde nullum reperiri locum in Scriptura, vnde talis potestas concessa intelligatur. Ergo sine fundamento hæc affirmanda sunt: iure autem belli constat Imperatorem nunquam occupare terras, quæ Regibus aliis subditæ sunt: quales sunt Hispaniæ, Galliæ, & Belgicæ; electione tamen minus id constat. Ergo non est vnde censeri debeat in totum orbem iurisdictionem habiturum. Adde Pontificem in terris subditis sibi potestatem temporalem supremam habere, Regem Hispaniæ, & Regem Galliæ in suo regno, & sic de aliis. Ergo non potest Imperator illam habere: & ita ferè omnes Doctores sentiunt, vt videre est in Molin. *tract.* 1 *de iust. disp.* 24. 29. & 30. Suar. *lib.* 3. *cap.* 7. *n.* 8. Vasq. 1. 2. *disp.* 153. *cap.* 2. Bonacina *disp.* 1. *de leg. q.* 1. *p.* 3. *n.* 5. *vers. dixi.*

6 Aduerto tamen Imperatorem habere dominium directum in aliqua regna, & prouincias, etsi ab alio, tanquam à supremo domino gubernentur. Nam esto Imperator illa regna per se immediatè non gubernet: at recognoscitur à Ducibus illorum regnorum tanquam supremus Princeps iure feudi, vel alio simili titulo. Et in his prouinciis, & regnis leges Imperatoris vim, & obligationem habent, & obseruari debent; quamuis non solæ: quia possunt habere proprias leges à suis Principibus latas. tradit Bonacina *suprà.* Salas *disp.* 7. *sect.* 8. *num.* 46. Vasquez *cap.* 2. *num.* 24. Suarez *cap.* 8. *num.* 2. An autem ipsi Principes imperio subiecti possint imperatorias leges suis legibus derogare? Respondet optimè Suarez, ex consuetudine, & vsu colligendum esse: potuit enim à principio dari illis dominium prouinciæ ea conditione, vt legibus imperatoriis gubernentur: neque possent aliquas facere, quibus earum obseruantia diminueretur, sed potiùs foueretur; vel posset dari ea conditione, vt legibus imperatoriis gubernarentur, cùm proprias non haberent: qualiter autem fuerit concessum, colligendum est ex ipso vsu, & consuetudine.

Extra has verò prouincias, & regna leges Imperatoris per se non obligant. Vnde non obligant in regno Hispaniæ, Galliæ, Lusitaniæ, Flandriæ, & similium; quia neque Imperator est aliorum regnorum gubernator, neque iure feudi, aut alio titulo simili ei subiecta sunt.

7 Sed

7 Sed dubium est, an deficientibus legibus propriis horum regnorum, gubernari debeant legibus imperatoriis, in causis, inquam, decidendis.

Et quidem de prouinciis Pontifici temporaliter subiectis id affirmandum est, quia ita Pontifex statuit, *cap. 1. de noui operis nuntiat.* quod pro causis spiritualibus decidendis vim habet in tota Ecclesia: pro temporalibus autem solùm in terris temporali Pontifici subiectis. sic Suarez *lib. 3. cap. 8. num. 3.* Bonacina *num. 5.* Vasquez *disput. 153. cap. 2.* Salas *disput. 7. sect. 8. num. 46.* Idem dicendum est de regno Lusitaniæ; deficientibus enim propriis legibus, decidendus casus est legibus iuris ciuilis, non Pontificij, etiamsi Pontificium contrarium sit, ex *lib. 3. ordinam. tit. 64.* In regno autem Galliæ, & in Hispania nullo modo tenentur iudices deficientibus propriis legibus leges ciuiles sequi in causis decidendis, quia in legibus illorum regnorum, nullibi est statuta talis obligatio.

8 Solum est dubium, an ex consuetudine teneantur iudices sequi decisiones iuris ciuilis deficiente iure proprij regni, præcipuè in Hispania? Negat Suarez *num. 5.* & adducit Gregor. Lopez *l. 6. tit. 4. part. 3.* Franc. Varg. *tract. de potest. Pontif. axiom. 7. num. 10.* Bernard. Diaz *pract. quæst. 144. circa fin.* vbi Salcedo. Mouetur, quia non constat de tali consuetudine, quæ fuerit introducta consentientibus, vel scientibus Regibus. Item quia Philippus II. nouissimè renouauit *l. 1. & l. 2. Tauri*, in qua deciditur causas decidendas esse per leges horum regnorum, & non per alias: habetur *l. 1. & 2. lib. 2. noua compilat.* Quod non videtur dicendum, si deficientibus legibus nostri regni leges ciuiles sequendæ forent. Item non probatur consuetudo, & vsus, ex eo, quòd iudices frequentiùs iudicent per leges ciuiles, deficientibus propriis, quia id fieri potest non obligatione, sed imitatione, quia scilicet æquitati proximiores videntur.

9 Verùm mihi probabilius est teneri iudices Hispanos leges ciuiles sequi in causis decidendis, si deficiant leges propriæ: probat latè, & erudité Burgos de Paz *in l. 1. Tauri, à num. 520.* Anton. Gomez *ibi num. 10.* Didacus à Castillo *ibi verbo, no se vse de ella, & in l. seq. in verb. pues por ella, y no por otras, & infrà l. 3. verb. fiete testigos, col. 8.* Moueor primò, quia leges ciuiles sæpissimè allegantur in tribunalibus, cùm propriæ deficiunt, eásque iudices sequuntur: si autem iudices eas non tenerentur sequi, nullius vtilitatis esset illas allegare. At videmus, & testatur Burgos de Paz iudices etiam supremos non audere his legibus contraire, nisi cum nostris legibus aduersantur. Ergo ex obligatione habent illas sequi. Secundò ex *l. 2. tit. 9. lib. 3.* quæ fuit edita Barcinonæ anno 1493. vbi sancitur nullum iudicem effici posse, absque eo, quòd iuri canonico, & ciuili per decem annos studuerit: si autem ius ciuile ad causas decidendas non deseruit, etiam deficientibus propriis, vt quid tanta cura apponenda erat in eius studio? Tertiò, quia leges ciuiles, quæ peccatum non nutriunt, in maxima æquitate fundantur. Ergo cùm conueniens sit iudices regulam aliquam habere in causis decidendis, ne se periculo errandi exponant, & ex iure regio illam non habent, mutuari debent ab imperiali iure. Et confirmo ex *cap. fin. de transactionib.* vbi cauetur, *cùm iudex ius expressum non habet in causis decidendis, æquitate causam dirimat;* & probat textus *in l. quod si Ephesi, in fine, ff. de eo quod certo loco.* Sed ad hanc æquitatem seruandam nullus modus aptior esse potest, quàm lex imperialis deficientibus propriis. Ergo. Adde causam decidere ex proprio cerebro, prætermissis iuris ciuilis sanctionibus, errandi periculo non leui est expositum: quod damnat textus *in l. 2. §. mirabile, C. de veteri iure enucleando.* ibi, *& propter ipsam conscientiam, & voluntatem iudicum, magis quàm legitima authoritate lites dirimebantur.* Quartò non leuiter probatur hæc sententia ex præludio legum Matriti anno 1502. vbi loquens Rex de causis decidendis, affirmat decidi debere *por las leyes de las partidas, e de los fueros, e ordenamientos, e pragmaticas, y por derecho commun.* In quibus vltimis verbis ius ciuile intelligitur. Ergo iure ciuili causæ decidi debent deficientibus legibus propriis.

10 Neque obstant superiùs allegata; solùm enim probant, stantibus legibus nostri regni, per illas, & non per alias leges decidendas esse causas; vel probant non esse in Hispania causas decidendas per leges ciuiles, & imperiales, deficientibus propriis, tanquam per leges per se obligantes, sed tanquam per solidas quasdam rationes, & æquitati, & rationi naturali maximè conformes. In quo sensu probat Burgos de Paz *num. 546.* ex Hostiensi, & aliis, in Gallia vtendum esse legibus ciuilibus, cùm propriæ deficiunt: neque contrarium esse textum *in cap. super speciali, de priuileg.* quia interpretandus est, quòd Galli eas non vt leges obseruant, sed vt rationes, & decisiones iuri naturali conformes, vel quòd non obseruant imperiales extantibus propriis.

11 Placet tamen mihi sententia Suarez, Gregor. Lopez, & aliorum *suprà*, neminem esse puniendum propter transgressionem legum ciuilium, si actus non sit contra ius naturale, vel regni: neque contractum fore irritum, etsi à iure ciuili irritetur; si tamen iure naturali, vel regio non irritatur: quia si hos effectus leges ciuiles haberent, obligarent sanè Hispanos, sicuti propriæ, quod non est dicendum.

12 Sed aduersùs supradicta obstat: quia si deficientibus legibus nostri regni, sequendum est ius ciuile non in vi legis per se obligantis, sed in vi rationis, & directionis iustæ. Ponamus iuri ciuili Pontificium esse contrarium. Quod ergo sequendum erit? Suarez *num. 6.* facilè ab hac dubitatione se eximit: affirmat namque neutrum ex obligatione esse sequendum, ex consilio, & æquitate Pontificium. Verùm Greg. Lopez *lib. 8. tit. 14. part. 5.* & Salcedo *pract. quæst. 144. litt. C.* affirmat sequendum esse ex obligatione Pontificium. At crederem præferendum esse ciuile Pontificio: (loquor de Pontificio ciuili, non canonico.) Moueor, quia ius Cæsareum ideo vocatur commune, quia commune est omnibus regnis, cùm proprium deficit. Secundò, quia ius Cæsareum permittitur allegari in causis decidendis: at ius speciale Pontificium nullo modo. Tertiò, quia ipsemet Pontifex mandat ius Cæsareum sequi in suis prouinciis, cùm proprium deficit. Ergo si Rex Hispaniæ idem intendat, & velit, vt deficiente proprio iure commune sequatur; rationabiliter, & iustè videtur procedere.

§. II.

Quid dicendum de Rege, Regina, aliísque subditos habentibus.

1 *Rex, & supremus Princeps leges ferre potest.*
2 *Aliquando illas ferre non potest independenter à regno.*
3 *Regina si domina est ... viro soluta, leges ferre potest.*
4 *Proponitur obiectio, & fit sa s.*
5 *Matrimonio adstricta dub um est an gaudeat hac potestate, vel illam integrè transferat in maritum.*
6 *Probabilius est hanc potestatem retinere.*
7 *Soluitur ratio dubitandi num. 5. adducta.*
8 *Qui subditos habent ratione dominij, & nō iurisdictionis, leges ferre non possunt.*
9 *In quo potestas dominij, & iurisdictionis distinguantur.*
10 *Communitates perfectæ, seu supremam habentes iurisdictionem, leges ferre possunt.*

11 *Secus quæ in Principem potestatem transtulerunt, nisi ex priuilegio, vel vsu contrarium constet.*

1 CErtum est quemlibet Regem supremum habere potestatem ferendi leges in suo regno; quia habet potestatem gubernatiuam, quæ sine legislatiua esse non potest. Bart. *in l.vlt.C.de legibus.* Bald. *cap.1.de constitut.* Nauarr. *cap.nouit.de iudic.notab.2.num.*110. Suarez *lib.3. cap.9.n.2.* Bonacina *disp.1.q.1.p.3.n.7.* Salas *disp.7. sect.11.n.51.* & ferè omnes expositores cum D.Thom. 1.2.*q.90.art.3.*

Idem dicendum est de aliis Principibus supremis, qui superiorem non agnoscunt quoad temporalem iurisdictionem, quocumque nomine nuncupentur, Duces, Marchiones, Barones, &c. Qui verò superiorem agnoscunt, examinare debent qua ratione illis concessa est facultas gubernandi, & leges ferendi: an, inquam, dependenter à Principe supremo; an independenter ab illo: & pro modo concessionis erit potestas ferendi leges. sic Suarez *n.3.* Bonacina *suprà.* Salas *sect.8.num.46.* Vasquez *disp.153.cap.2.& 3.* Idem cum proportione dicendum est de magistratibus, seu gubernatoribus, quibus regimen prouinciæ incumbit; possunt enim hi vel ex lege, vel ex consuetudine, vel ex speciali voluntate Principis leges ferre: quia potestas leges ferēdi delegabilis est à Principe, cum sit potestas iurisdictionis. Videre tamen debent, quam habeant potestatem. sic præcitati DD. Bonacina, Suarez, Salas *suprà.* In Hispania autem nulli Gubernatores, Duces, Comites & Dynastę habent potestatem leges ferendi; quia *in l.12.tit.1.par.2.* expressè illis prohibetur.

2 Aduerto tamen aliquando Regem, etiamsi supremus sit, non habere potestatem ferendi leges independenter à regno: vt dicitur de regno Aragoniæ, quod sub hac conditione Regi se tradidit gubernandum; cùm enim tota potestas legislatiua sit priùs in communitate, & ex illa in Regem fuerit translata, potuit communitas sub hac, vel illa conditione potestatem tradere, & tunc cōmunitas legislatiua erit simul cum Rege, & Rex cum communitate. Ita Suarez *lib.3.c.9.n.3. & c.19.n.6.*

3 Sed inquires, quid dicendum sit de Regina?

Respondeo: si ipsa domina est regni, & matrimonio alligata non est, leges ferre potest, sicuti quilibet alius Rex supremus; quia ratione dominij in regnum habet in se potestatem legislatiuam, cùm alio modo regnum gubernare non posset. Secundò, quia ipsa fœmina capax est regiæ iurisdictionis. *cap.dilecti, de arbitr.cap.ex parte, el 2.de priuileg.* Ergo capax est præcipui actus illius, qui est leges condere. Tertiò sequeretur peccaturum, qui regnum fœminæ relinqueret, siquidem tribueret potestatem ei, qui eam exercere non potest. Quocirca Regina regni domina poterit leges condere, & causas cognoscere, & sententias ferre; quia hæc omnia non excedunt potestatem sibi concessam: & ita tradunt Innoc. & Panorm. *in cap.dilectis.* Suarez *lib.3.de leg.cap.9.n.9.* Bonac. *disp.1.q.1.p.3.n.8.* Salas *disp.7 sect.11.*& ferè omnes.

4 Sed obiicies, Paulum 1.*ad Timoth.2.* dicentem, *docere mulieri non permitto, neque dominari viro*; sed cùm leges fert mulier, docet viros, quæ debeant facere, illisque dominatur. Ergo non est illi permissum. Secundò *in l.fœmina.ff.de reg.iur.* habetur fœminas ab omnibus officiis publicis remotas esse: quare neque iudices esse possunt, neque magistratum gerere. Ergo à fortiori neque leges ferre. Tertiò ad ferendas leges, & iudicandum de illarum transgressione, requiritur scientia, & prudentia. Sed hanc fœminæ nequaquam habent. Ergo.

Respondeo Paulum non permittere mulieri docere publicè doctrinam fidei, non quia incapax est, sed quia est indecens, & indecorum: quæ tamen indecentia non inuenitur in legibus ferendis; siquidem potest secretè legem ferre, & postea voce præconis promulgare. Dominari autem viro in statu matrimonij non permittit Paulus, quia est contra naturam, quæ mulierem in matrimonij vsu, & regimine familiæ inferiorem effecit: at natura non efficit mulierem inferiorem homini in gubernatione politica, siquidem hanc potest ab ipsismet hominibus habere. Ergo.

Ad secundum dicas fœminas communes, seu quæ iurisdictionem non habent, exclusas esse ab officiis publicis, non verò eas, à quibus ipsamet officia publica pendent. Adde supradictam legem non posse regiæ potestati derogare, quia est supra ipsam legem.

Ad tertium casu, quo Regina scientia, & prudentia necessaria ad condendas leges caret, posse defectum supplere consilio prudentum; neque enim omnia per se ipsum gubernator scire potest.

5 Verùm si Regina matrimonio iuncta est, dubitare meritò potes, an retineat potestatem condendi leges, vel transferat in maritum necessariò. Ratio dubitandi est locus ille Pauli 1. *ad Timoth.* 2. vbi non permittitur mulieri dominari viro, & 1.*Corinth.*12. dicitur *vir caput vxoris.* Si autem ipsa posset leges ferre, & Regem illis obligare, dominaretur viro, & caput illius esset: quod non est dicendum. Et confirmo. Primò ratione matrimonij mulier ita est subdita viro, vt vir dominium habeat tam in corpus vxoris, quàm in eius voluntatem; ac proinde in omnes actiones, quas exercere potest. Ergo poterit prohibere ne condat legem, & à fortiori facere, ne ipse obligetur lege condita. Confirmo secundò ex *l.9.tit.1.p.2.* vbi habetur dominium regni acquiri matrimonio; quando scilicet priuatus matrimonio iungitur fœminæ dominium regni habenti. Ergo tunc vir est dominus regni. Ergo potest leges ferre.

6 Nihilominus tenenda est communis sententia affirmans stante matrimonio adhuc Reginam retinere potestatem condendi leges. Primò, quia retinet ius, & dominium regni, cui dominio necessariò sequitur administratio, & gubernatio illius. Ergo leges condere, quibus gubernetur. Quòd autem retineat ius, & dominium regni, inde probatur, quia regnum transferri non potest sine consensu regni: nullibi autem constat consensisse regnum in hac translatione, aliàs mortua Regina sine liberis, maneret maritus dominus regni: quod est omnino falsum.

Dices transferri administrationē, non proprietatem; sicuti in dote vxoris transfertur administratio in maritum durante matrimonio, non tamen proprietas illius. Sed contrà: quia neque hæc translatio administrationis fieri potest sine consensu regni, neque regnum censetur consensum præbere in tali alienatione, quia est contra naturam ipsiusmet regni; regnum enim cùm in aliquem transfert dominium sui, transfert in illum potestatem gubernationis: nequit ergo vnū ab aliō separari. Neque est simile de dote, quæ ad subeunda onera matrimonij data est, & ideo illius administratio penes maritum debet esse: at regnum non ad subeunda matrimonij onera, sed ad regendos subditos concessum est. Ergo.

Adde vxorem habentem ius patrōnatus præsentare posse sine consensu mariti. Ergo etiā poterit leges ferre conuenientes regno, sine illius consensu. Maritus autem tanquam Rex honorabitur, & nomine Regis nuncupādus est, non tamen regimen, & administrationem illius habet: & ita docet Bald. *in cap.significauit, de rescript.n.3.* Tiraq. *de nobil.c.18.n.3.* Greg. Lop. *in l.1.gl.9.& in l.9.gl.4. tit.1.p.2.* Bonac. *disp.1.de leg.q.1.p.3.n.8.* Suar. *lib.3.de legib. c.9.n.10.* Salas *de leg.disp.7.sect.9.n.63.* Vasq.1.2.*d.*153.*c.*3.

7 Ad rationem dubitandi respondeo sub diuersa ratione virum esse caput vxoris, & illi subditum. Est caput vxoris in his quæ pertinent ad matrimoniū, ad domus, & familiæ gubernationem, & educationem filiorum: est tamen vxoris subditus in administratione politica, si vxori competit ius, & dominium regni.

Ad

Ad primam confirmationem dico, virum non habere absolutam potestatem, & dominium in omnes actiones vxoris, sed tantùm in eas, quæ ad regimen familiæ pertinent, ac proinde non potest prohibere, ne leges ferat, néve ipse illis obligetur: lex verò adducta ex parte, et si Palazio Rub. relato à Gregor. Lopez suprà videatur probare administrationem, & dominium in Regem per matrimonium transferri: at, vt bene notat Gregor. Lopez in ipsamet lege continetur limitatio, & declaratio: siquidem solùm ratione coniugij conceditur marito nomen Regis, & honoris regni.

8 De aliis personis singularibus habentibus subditos ratione dominij, videbitur alicui leges ferre posse. v.g. maritos respectu vxoris, dominos respectu seruorum, patrem respectu filiorum, & totius familiæ. Sed hoc omnino falsum est, etsi possint præcepta imponere; quia ad rationem legis necessariò requiritur potestas iurisdictionis, non dominij, & potestas gubernatiua reipublicæ, & communitatis perfectæ, non potestas gubernatiua alicuius imperfectæ communitatis: qualis est specialis aliqua domus, & familia, & ita docent ferè omnes Doctores, Bart. *in l. omnes populi, ff. de instit. & iur. in 1. quæst. & in l. imperium, ff. de iurisdict. omnium iudic. n. 8.* Canonistæ communiter *in cap. cùm Ecclesia S. Mariæ, de constitutionib. & cap. solitæ, de maiorit. & obedientia.* D.Thom. communiter receptus *q.90. art.3.* Suarez plures allegans *lib.1. cap.8. n.5. & 6* Bonac. *disp.1. q.1. p.3. n.3.*

9 In quo autem potestas dominatiua, & iurisdictionis distinguantur, optimè explicant supradicti Doctores. Primò differunt ex obiecto, quòd potestas iurisdictionis respicit communitatem perfectam, quia ad illius politicam gubernationem ordinatur: secus potestas dominatiua, quæ per se respicit imperfectam communitatem, aut partes illius: communitas autem perfecta non potest esse vna specialis familia, sed multiplex; quia non potest esse communitas perfecta, nisi quæ ex consensu plurium vnica est, & sibi sufficiens. Secundò differunt ex fine, quia potestas dominatiua solùm respicit vtilitatem propriam imperantis, vel vtilitatem personæ, cui præceptum imponit, vt videre est in præceptis latis à patre, domino, & marito circa suos subditos: at postea politica, seu iurisdictionis, non spectat per se vtilitatem alicuius personæ singularis, sed rectum regimen communitatis, & bonum illius. Tertiò ex origine; potestas enim iurisdictionis residet in communitate, ex eo solùm, quòd communi sensu ad componendũ vnum corpus politicum coniunguntur: transfertur autem in aliquem non iure naturæ, sed consensu ipsiusmet communitatis, & pro voluntate ipsius. At potestas dominij aliquando est iure naturæ, per naturalem originem, vt in patre respectu filij; aliquando est iure naturæ, supposito tamen aliquo contractu, vt in marito respectu vxoris, in ordine ad domus gubernationem, & personæ custodiam: aliquando est ex iure gentium, & ciuili, vt in domino respectu serui bello capti: aliquando ex contractu, pacto, vel promissione, vt si te vendas in seruum, vel votum obedientiæ alicui præstes. Quartò differunt in modo cogendi subditos: dominatiua enim potestas non potest subditos punire pœna sanguinis; non enim licet dominis sæuire in seruos; solùm enim moderatum supplicium inferre possunt: at potestas politica potest pœna sanguinis subditorum delicta punire, quia totum hoc est necessarium ad vitia coërcenda.

10 Tandem restat dicendum de communitatibus per se gubernationem exercentibus. De his ergo certum est, communitates illas perfectas, seu ciuitates, quæ supremam habent iurisdictionem, qualis est, Veneta, Genuensis, habere potestatem condendi leges pro suis subditis, quia non possent subditos gubernare sine hac potestate, & constat ex *l. omnes populi. ff. de inst. & iur. & §. sed naturalia, Inst. de iur. natur.* & tradunt communiter DD. Solùm aduerto aliquãdo hanc communitatem, & rempublicam transtulisse suam potestatem in aliquem Principem, & tunc videndum est, qua ratione transtulerit; quia pro potestate iurisdictionis est potestas leges ferendi: vt bene probat Bald. *in d. l. omnes populi*; si enim integrè transtulit suam potestatem in Principem, poterit Princeps, Dux, seu Marchio nuncupatus leges ferre independenter ab ipsa republica: at si ipsa respublica non integrè, sed diminutè potestatem concessit, eo quòd voluit Principem comitari in lege ferenda: neque poterit ipsa respublica sine Principe, neque Princeps poterit sine republica leges ferre. sic Suarez *lib.3. cap.9. num.19.* Bonacina *disp.1. q.1. p.3. n.10.*

11 Aliæ autem communitates, seu ciuitates, quæ supremo Principi subditæ sunt, & in quem suam potestatem gubernatiuam integrè transtulerunt, nequeunt condere leges aliquas, nisi ex priuilegio Principis, vel ex vsu, & consuetudine sic receptum sit; solent enim ex priuilegio, vel ex vsu, & consuetudine hæ communitates condere leges, quæ *municipales* appellantur. habetur *in §. constat, Inst. de iure natur.* & colligitur ex *l. leges, C. de legib.* ibi, *neque his, quæ specialiter concessa sunt ciuitatibus, vel prouincijs, vel corporibus,* &c. Requiritur ergo concessio Imperatoris, vt hæ ciuitates illi subiectæ possint leges ferre. Et in Hispania est res manifesta: nemini enim à Rege concessum est leges ferre, vt traditur *in l. 12. tit. 1. part. 1. & l. 8. tit. 1. lib. 7. nouæ compilat.* Ex quo à fortiori constat minores populos, quales sunt, villæ, castra, & similes, nullam habere potestatem condendi leges: tum quia non habent altam, & supremam iurisdictionem, quæ ad leges ferendas requiritur: tum quia neque forum causarum regulariter habent, iuxta *l. si dicas, ff. de excus. tut.* vel si aliquod habent, est in causis leuis momenti, & cum maxima dependentia à ciuitate, vel alio superiore iudice; ita Bonacina, & Suarez *suprà.*

An verò possint facere aliqua statuta pertinentia ad rectam, & politicam eorum administrationem, quæque leges ciuiles, & municipales nuncupentur? Affirmat Bart. *in d. l. omnes populi.* Syluest. *verb. lex, q.4.* Marius Burgensis, & alij relati à Salas *disp.7. sect.14.* quia cùm commissa sit illis potestas gubernatiua, & legislatiua videtur concessa. At tenendum est cum Bonacina, Suar. & Salas *suprà*, non posse facere statuta, quæ vim legis habeant, quia hoc esset habere integrè potestatem condendi leges, ac habet respublica, supremam potestatem habens: hæc enim nullas alias leges statuere potest, nisi quæ ad rectam subditorum gubernationem conducunt. Si igitur illi populi minores hanc etiam potestatem haberent pro suis incolis, nullam à republica suprema differentiã haberent, nisi in extensione subditorum. Poterũt tamen huiusmodi populi conuentiones aliquas facere inter se, quibus in vi contractus obligentur; poteruntque aliqua præcepta subditis imponere, sicut potest paterfamilias pro sua domo, non perpetua, sed temporalia, & quæ à Principe reuocari poterunt. sic Suarez *cap.9. n.17.* Bonacina *disp.1. q.1. p.3. n.11. fin.* cum D.Thom. *q.90. art.3.*

PVNCTVM XXIII.

In quibus sit potestas canonicas leges condendi.

1 *Pontifex hanc potestatem habet à Christo.*
2 *Non pendet Pontifex in vsu huius potestatis à Concilijs.*
3 *Neque item pendet à consilio, vel consensu Cardinalium.*
4 *Episcopus in suo Episcopatu leges ferre potest ex potestate à Pontifice accepta.*
5 *Proponitur quædam obiectio, ob quam sensit Vasquez, Episcopos immediatè à Christo accipere facultatem.*
6 *Satisfit obiectioni præcedenti.*
7 *Episcopus electus, & confirmatus, hanc habet potestatem.*

8 *In rebus grauioribus non potest Episcopus inconsulto Pontifice leges ferre, & quæ res grauiores dicantur.*
9 *Quando Pontifex consuli non potest, potest dispensare, non legem Pontificiam abrogare.*
10 *Consensu cleri, aut capituli non indiget Episcopus ad legem ferendam.*
11 *Quid dicendum de Archiepiscopo, Patriarcha, aliisque Prælatis Episcopo superioribus.*
12 *Legatus Summi Pontificis non solùm pro tempore legationis, sed illo finito leges ferre potest.*
13 *Sanctis Patribus, & Doctoribus non est data potestas condendi legem.*
14 *Concilium viuente Pontifice congregatum absque eius authoritate, nullam potestatem habet ferendi leges.*
15 *Congregatum eius nomine probabilius censeo non habere potestatem leges ferendi obligantes Ecclesiam, quousque Pontifex eas approbet.*
16 *Quid dicendum de Concilio congregato tempore schismatis, vel mortuo Pontifice.*
17 *A Concilio ad Pontificem datur appellatio.*
18 *Quid dicendum de Conciliis prouincialibus, nationalibus, & diœcesanis.*
19 *Congregatio Cardinalium qua ratione leges ferre possit.*
20 *Remanente vno Cardinali in conclaui, aliis decedentibus, probabilius censeo non posse Pontificem eligi ab eo.*
21 *Capitulum Sede vacante non posse leges ferre, quibus probetur.*
22 *Probabilius est leges ferre posse.*
23 *Satisfit rationibus num. 21. adductis.*
24 *Capitulum viuente Episcopo, nullam videtur habere potestatem condendi leges obligantes etiam ipsos capitulares.*
25 *Tenendum tamen est oppositum, & fit satis rationi contraria.*
26 *Qua ratione Ecclesiæ collegiatæ, vniuersitates, collegia, confraternitates leges ferre possint.*
27 *Religiosorum communitates habent potestatem leges ferendi.*
28 *Abbatissæ, & Monialium Præfectæ, an habeant iurisdictionem.*
29 *Quibus delegari possit à Pontifice potestas leges ferendi pro tota Ecclesia? Proponuntur varij dicendi modi.*
30 *Quid tenendum.*
31 *An fœminis hæc potestas delegabilis sit.*

1 NEmini Catholicorum dubium esse potest esse hanc potestatem in Pontifice Petri successore, quia illi commissa est potestas gubernatiua Ecclesiæ, quæ sine legislatiua esse non potest. Habet autem Pontifex hanc potestatem immediatè à Christo Domino: non enim pro solo Petro dictum est, *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*; sed pro omnibus eius successoribus: omnibus enim dictum est, *Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque solueris, erit solutum.* Ratio est manifesta, quia est potestas supernaturalis. Ergo solùm à Christo haberi potest. Dices, habere quidem à Christo; sed medio Concilio, seu Cardinalium congregatione. Sed contrà, quia Christus non contulit Ecclesiæ hanc potestatem, vt in Petrum transferret, sed immediatè contulit Petro, & ex illo in successores deriuatur: *cap. nouit, de indic. cap. significasti, de elect.* & deciditur in Concil. Trident. *sess.* 14. *c.* 7. & alia plura congerit Suarez *lib.* 4. *de legibus, cap.* 3. Salas *disp.* 8. *sect.* 3. Bellarm. *lib.* 4. *de Roman. Pontif. cap.* 23. *& seq.* Requiritur tamen, vt persona, cui est conferenda à Christo hæc potestas, ab hominibus eligatur; quia neque eligitur à Christo immediatè, neque iure sanguinis succedit.

2 Ex quo fit manifestè. Primò Pontificis potestatem à Conciliis non pendere. Tum quia est à Christo immediatè; tum quia Pontifex est supra Concilium etiam generale: tota enim authoritas Concilij est dependens à Pontifice, vt ostendit Card. Bellarm. 2. *de Concil. cap.* 14. Azor *tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 12. *q.* 1. Valent. 2. 2. *disp.* 3. *q.* 1. *p.* 7. Molin. *de iustit. tractat.* 2. *disp.* 21. Salas *disp.* 7. *de legibus, num.* 25. *&* 70.

3 Fit secundò, neque pendere Pontificem in vsu huius potestatis à Concilio, vel consensu Cardinalium: sine consensu enim ipsorum, imò ipsis contradicentibus, potest Pontifex leges validè ferre. Nam Pontifex habet eandem potestatem, ac habuit Petrus, cuius est immediatus successor. Sed Petrus independenter ab aliis Apostolis potuit leges ferre. Ergo à fortiori Pontifex independenter à Concilio Cardinalium idipsum poterit. Adde nullibi à Christo Domino hæc dependentia fuit insinuata, sed potiùs contrarium, cùm soli Petro dictum sit, *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, &c. & satis videtur decisum *in cap. cuncta, 9 q.* 3. vbi dicitur, *Apostolica Sedes sine vlla Synodo præcedente soluendi, & damnandi habuit potestatem.* Quare si aliquando Concilium Cardinalium Pontifex expostulat ad leges ferendas, non est ex necessitate, sed ex æquitate, eo quòd conueniens est, vt omnes intelligant summa maturitate, & prudentia Ecclesiam gubernare: & ita tenet latè probans Felinus *in rubr. de constitutionibus, num.* 2. Decius *ibi lect.* 1. *quæst.* 3. & alij, quos refert, & sequitur Suarez *lib* 4. *de legibus cap.* 3 *num.* 14. Neque vllo modo probanda est contraria sententia, quam pro viribus defendit Andreas Siculus *tractat. de præstand. Cardin. par.* 1. *quæst.* 1. Cardinalis *consil.* 118. Ioan. Monachus, & Ancharan. *in cap. super eo, de heret. in* 6. Sed nullum pro se adducunt firmum fundamentum: nam illud, quod sumitur ex vsu, & consuetudine, prætterquam, quòd nulla est, cùm sæpè Pontifex absque consilio Cardinalium leges ferat, Pontificis potestatem, quæ est de iure diuino, astringere, aut limitare nullo modo potest.

4 Quòd si de Episcopis loquamur, certum est Episcopos in suo Episcopatu leges ferre posse. habetur expressè *cap.* 2. *de maiorit. & obedient. cap.* 2. *de constitut. in* 6. & tradunt communiter Doctores *in rubr. & in cap. cùm omnes, cap. cùm accessissent, de constitutionib.* Hæc autem potestas à Pontifice, tanquam à primo fonte manauit: non enim illam à Christo Domino immediatè acceperunt. Soli enim Petro, & eius successoribus dictum est, *Pasce oues meas.* Ergo solus Pontifex eam immediatè à Christo recepit, reliqui verò medio Pontifice. Item si à Christo immediatè reciperent alij Prælati potestatem legislatiuam, non posset Pontifex illorum potestatem minuere, aut tollere, sed esset à Pontifice omnino independens, vtpote à superiore concessa. Consequens est omnino falsum. Ergo. Denique, quia id est definitum à Leone *in cap. ita Dominus*, 19. *distinct.* vbi de potestate Petri dicitur, à Christo Domino fuisse illi donatam, vt ab ipso, quasi à quodam capite, dona sua, velut in omne corpus diffunderet. Et Gregorius *in cap. decreto*, 2. *q.* 6. inquit, *Romana Ecclesia vices suas ita aliis impertiuit Ecclesiis, vt in partem sint vocatæ solicitudinis, non in plenitudinem potestatis*; aliáque plura congerit in huius confirmationem Bellarmin. *lib.* 2. *de Roman. Pontif. cap.* 15. *& lib.* 4. *cap.* 14. Valent. *tom.* 2. *disput.* 2. *quæst.* 1 *punct.* 7. Suarez *de censur. disp.* 1. *sect.* 2. *n.* 7. *& de pœnitent. disp.* 16. *sect.* 3. & specialiùs *lib.* 4. *de legib. cap.* 4. *à num.* 6. Salas *disp.* 8. *sect.* 3. Bonacina *disp.* 1. *q.* 1. *p.* 3. *n.* 5.

5 Sed obiicies primò, Episcopos esse successores Apostolorum *cap. in nouo, distinct.* 21. Sed Apostoli omnes immediatè à Christo acceperunt potestatem legislatiuam. Ergo etiam Episcopi à Christo accipiunt. Confirmo ex verbis Christi Matth. 18. *Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælo.* quæ non solùm ad Petrum, sed ad omnes Apostolos dicta fuere. Ergo omnes Apostolorum successores habent potestatem ligandi

di per leges à Christo. Secundò Episcopi constituti sunt à Christo Domino, vt specialiter Ecclesiam gubernarent, quia Pontifex per se, & immediatè toti orbi præsens esse non poterat: qua ratione dixit Paulus *Actorum* 20. esse à Spiritu sancto positos Episcopos regere Ecclesiam Dei; sed Ecclesia regi, & gubernari non potest sine potestate legislatiua. Ergo si à Christo constituti fuerunt Episcopi, & Rectores Ecclesiarum, constituti fuerunt & legislatores. Tertiò Episcopi habent potestatem ordinariam. Ergo non delegatam à Pontifice. Quartò stare optimè potest Episcoporum potestatem dependentem esse à Pontifice, & nihilominus à Christo recipi, quia potest dependere à Pontifice in assignatione materiæ, & subditorum, non in ipsamet potestate, & illius vsu, materia iam assignata. Quare quilibet Episcopus, eo ipso, quòd Episcopus est, & successor Apostolorum, dici potest iurisdictionem habere in potentia, seu in habitu, dependere tamen à Pontifice in materiæ assignatione. Sicuti elementum ignis verè habet in se potentiam comburendi: at comburere non potest, nisi materia ei applicetur.

Propter hæc Vasquez 1. 2. *disput.* 152. *cap.* 2. sequutus à Castro *de iusta hæreticorum punit. cap.* 14. affirmare ausus est omnes Episcopos immediatè à Christo Domino potestatem iurisdictionis accepisse, dependenter tamen à Pontifice, quoad materiæ, & subditorum assignationem.

6 Sed, vt optimè expendit Suarez *lib.* 4. *cap.* 4. leuia sunt hæc fundamenta, vt à communi & recepta Theologorum, & Iurisperitorum sententia recedendum esset. Fateor, inquam, Episcopos successores esse Apostolorum non in Apostolatu, sed in Episcopatu, hoc est, in consecratione, non in iurisdictione, aliàs æqualem cum Pontifice haberent potestatem, & eodem modo respondeo ad locum *Math.* 18.

Ad secundum respondeo Episcoporum consecrationem à Christo esse immediatè institutam, gubernationem à Pontifice, cui, inquam, præcepit, vt Episcopos crearet, & iurisdictionem conferret, prout illi conueniens visum fuerit. Neque obstat Episcopos sic à Pontifice positos, esse positos à Spiritu sancto, siquidem Spiritus sanctus inspirauit, & prouidit, vt sic ponerentur. Neque ex hoc quòd Rectores constituti sint Ecclesiarum, infertur necessariò debere esse legislatores; poterant enim regere, imponendo temporalia præcepta: sicuti gubernatores sæculares supremo Principi subiecti.

Ad tertium concedo habere potestatem ordinariam, sed à Pontifice: dicitur autem ordinaria, quia ratione officij conceditur, & cum potestate delegandi.

Ad quartum nego intelligi posse potestatem Episcoporum recipi à Christo immediatè, & dependere à Pontifice in assignatione materiæ, & subditorum. Nam illa dependentia tollit omnimodam potestatem antecedentem: quæ enim iurisdictio, & potestas esse potest sine subditis? Aliàs quilibet homo potest dici habere potestatem regiam in habitu, quia habet potestatem vt in Regem eligatur.

Adde vel illa potestas in habitu, quam Episcopi habent à Christo immediatè, est ratione consecrationis Episcopalis, vel ratione electionis, & confirmationis. Non ratione consecrationis Episcopalis, aliàs haberent potestatem sine vllo termino, & æqualem Pontifici; quia non est, vnde limitetur. Quod est omnino falsum, & contra vsum; cùm sæpè videamus ipsos consecratos nullam habere iurisdictionem, dum non est illis Episcopatus assignatus, seu iurisdictio à Pontifice concessa, ex *cap. inter corporalia, de translatione Episcopi.* Quòd autem per electionem, & confirmationem illam non habeant à Christo, est manifestum: aliàs quilibet Prælatus illam haberet. habent ergo illam à Pontifice.

7 Dubium tamen est, an eo ipso, quòd Episcopus sit electus, & confirmatus, habeat hanc potestatem, vel indigeat speciali concessione à Sede Apostolica?

Respondeo nulla indigere concessione speciali, sed iure ipso esse illi concessum leges condere conuenientes suo Episcopatui, habetur *cap.* 2. *de maior. & obedient. & cap.* 2. *de constitut. in* 6. & tradunt omnes. Leges tamen debent esse non repugnantes legibus Pontificiis; quia inferior leges superioris abrogare non potest. Quocirca non poterit leges condere repugnantes iuri communi, aut statutis à Pontifice confirmatis: colligitur ex *cap.* 1. *&* 2. *de reliq. & venerat. Sanct. & cap.* 1. *de translat. Episcopi.* & tradit Nauarr. *tit. de regul. lib.* 3. *consil.* 16. *num.* 8. Suarez *lib.* 4. *cap.* 5. *num.* 2. Salas *disput.* 8. *de leg. sect.* 6. *n.* 4. Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disp.* 17. *n.* 30. Bonacina *disp.* 1. *q.* 1. *p.* 3. *n.* 23. & alij innumeri apud præcitatos Doctores.

8 Ex hac doctrina fit, non posse Episcopos leges condere in rebus grauioribus: tum quia hæc ex generali regula sunt Pontifici reseruata. *cap. maiores, de Baptismo, cap.* 1 *de translat. Episcop.* Reseruantur, inquam, hæc in signum supremæ potestatis, & vt maturiori consilio fiant: tum etiam, quia hæ causæ grauiores sæpè aduersantur iuri communi. sic Doctores suprà relati. Quæ autem dicantur hæ causæ grauiores, optimè explicuit Suarez, & Salas *suprà*; sunt enim quæ ad vniuersalem Ecclesiam ex se pertinent, qualis est definitio alicuius veritatis fidei, canonizatio Sanctorum, Sacerdotum continentia, reuocatio consuetudinis, vel priuilegij vniuersalis, & communis, vnam Ecclesiam alteri subiacere, aut Episcopatus vnire, aut diuidere, &c.

9 Poterit tamen, vt bene aduertit Bonacina *suprà*, cum Decio *cap. at si clerici, §. de adulteriis, num.* 81. *de iudiciis*, & aliis relatis à Salas *disput.* 8. *de legibus, sect.* 6. *n.* 40. in aliquo particulari casu dispensare in iure communi, dum superior consuli non potest. Sed hoc non est legem contrariam iuri communi ferre, sed ius commune interpretari, aut in illo pro aliquo casu singulari dispensare.

10 Sed inquires. Indigebitne Episcopus consensu cleri, aut Capituli ad leges ferendas?

Respondeo non indigere, quia potestas nullibi inuenitur concessa cum hac dependentia, & limitatione, solùm pro festis statuendis requiritur consensus cleri, aut etiam populi. *cap. vlt. de feriis*, & pro alienandis rebus Ecclesiæ consensus Capituli. *cap. vestra, de locat. cap. nouit, cap. quanto, de his quæ fiunt à prælato sine consensu capituli.* Ex his non est desumendum argumentum ad alios casus, vt arguit Panormit. *cap. vlt. de offic. deleg.* & ita tenet alios referens Salas *sect.* 7. *n.* 41. Suarez *cap.* 5. *n.* 2. Bonacina *n.* 24. Vasquez *disp.* 153. *cap.* 2.

11 Ex his infertur, quid dicendum sit de aliis Prælatis superioribus, Archiepiscopis, Patriarchis, seu Primatibus. Et quidem in sua diœcesi posse leges ferre, vt dictum est de Episcopo, nemini est dubium, quia ibi habent propriam iurisdictionem. Condere autem leges obligantes totam prouinciam, seu Metropolim, non possunt, nisi in prouinciali Concilio, & de consensu comprouincialium Episcoporum. habetur expressè *in cap. nullus Primas* 9. *quæst.* 3 ibi, *nullus Primas, vel metropolitanus diœcesani Ecclesiam, vel parochiam, aut aliquam de eius parochia præsumat excommunicare, vel iudicare, vel aliquid agere absque eius consilio, vel iudicio*; & infrà: *Si quis Metropolitanus Episcopus sine consilio, & voluntate omnium comprouincialium Episcoporum aliquid agere tentauerit, gradus sui periculo subiacebit, & quod egerit, irritum habeatur, & inane.* Idem habetur *cap. sicut olim, de accusat.* Salas *de legib. disput.* 8. *sect.* 9. *num.* 48. Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disput.* 17. *num.* 36. Suarez *lib.* 4. *de legibus, cap.* 5. *num.* 3. Bonacina *disput.* 1. *quæst.* 1. *punct.* 3. *num.* 25. qui excepit sub dubio tempus visitationis; sed tunc non leges, sed

præcepta imponere potest, cùm non sint perpetuò duratura, quod ad rationem legis necessariò requiritur, vt benè probat Suarez *lib.1.cap.10.num.7.*

12 De legato Summi Pontificis, quòd leges ferre possit obligantes totam prouinciam, non solùm tempore legationis, sed illo finito, donec à Pontifice, vel alio legato reuocetur, constat ex *cap.vlt. de officio legati.* vbi hæc potestas illi conceditur. Cardinalis Romanus ex vi sui tituli, & dignitatis solùm potest ferre leges obligantes suam Ecclesiam; quia solùm ibi habet iurisdictionem: colligitur ex *cap.his quæ.de maiorit.& obedient. cap. quadam, de electione.* & ibi Panormit. Bonacina *p.3. num.26.*Suarez *lib.4.de leg.cap.5.num.4.*Salas *disp.8.sect.8. num.45.* Sebastian. Medicis *de leg. p.1. quæst.10.* & alij plures ab eisdem relati. Alij Prælati exempti, quales sunt Abbates aliqui iurisdictionem Episcopalem habentes, possunt leges ferre; nisi eis aliquo modo sit prohibitum, aut ex consuetudine requirant consensum cleri, vel Capituli. sic Suarez *suprà*; quia hæc potestas legislatiua est potestas iurisdictionis, non consecrationis.

13 Solùm de sanctis Patribus, & Ecclesiæ Doctoribus, potest esse dubium, an illis sit data potestas condendi leges: Et quidem non esse illis datam hanc potestatem, tradit optime glossa *dist.20.in princip.* & Felin. Panormitan. & Decius *in cap.ne innitaris,de constitution.* & colligitur ex Hostiensi *cap. solitæ, de sententia excommunicat. in 6.*

Dices. Esto illis data non sit talis potestas; at cùm eorum sententiæ in decreto inserantur à Gratiano, vim legis habere debent ex tacito consensu Pontificis?

Respondeo negando assumptum, (quamuis contra teneat Felinus cum aliis *cap.2.de rescriptis,num.45.*) quia nullibi inuenitur Pontificem approbasse vt leges ea, quæ in Decreto à Gratiano referuntur. Aliàs etiam dicta Imperatorum, & leges ciuiles insertæ in Decreto vim legis canonicæ haberent. Præterea nonnulla inseruit Gratianus in Decreto, vt benè aduertit Suar. propriis originalibus difformia, ac proinde emendata sunt. Non ergo est inferendum vim legis habere ex eo, quòd in Decreto Gratiani contineantur: habent tamen magnam authoritatem, ratione cuius sequendæ sunt ex æquitate; & ita tenet glossa *cap. 1. de rebus Ecclesiæ non alienandis, verbo tractatus.* Decius, Panormit.& alij *cap.2. de rescriptis.* Nauarr. *de redditib. Ecclesiast. quæst.3.moni.17. num.5.* Sanchez *lib.9. de matrim. disp.12. num.3. circa medium, & num.5.* Bonacina *punct. 3. circa finem.* Suarez *lib.4.cap.5.num.7.* Salas *de leg.disp.8. sect.13.* Valent. 2.2. *disp. 6. quæst. 6. punct. 6.* & alij plures ab eisdem relati. Aduertunt tamen supradicti Doctores aliquando sententias Patrum, & leges ciuiles à Pontifice canonizari, hoc est, tanquam leges proprias promulgari, & in Decretalibus inseri, & tunc clarum est vim legis habere ex voluntate Pontificis. Secundò aduertunt sæpe sanctos Patres lege, & præcepto aliquo, naturali, aut diuino, à Christo, vel Apostolis tradito, aut Ecclesiæ traditione introducto testari, & tunc illis credendum est non tanquam legislatoribus, sed tanquam testibus fide dignis iuxta maiorem, vel minorem, consensum sanctorum Patrum in ea re.

Ex his infero non habere vim legis vniuersalis decreta particularium Episcoporum, aut Conciliorum, etiamsi à Pontifice allegentur, si tamen non fuerint ab illo, vel alio Pontifice approbata; retinent enim solùm primæuam suam dispositionem, & authoritatem, vt bene tradit Valent. Thom. Sanch. Bonacina, & Salas *suprà*, & Suar. *cap.6.num.10.*

14 Rursus de Conciliis videndum est, an potestatem habeant condendi leges.

Si generale Concilium viuente Pontifice non fuerit eius authoritate, & consensu congregatum, certum est nullam authoritatem habere leges condendi obligantes Ecclesiam: vt optimè tradit Bellarm. *2. de Concil. cap. 14.* Salas *disp.8.de leg.sect.3.* Molina *de iust.tract.2.disp.21.* Suar. *lib.4.de leg.cap.6.num.3.* quia nullibi inuenitur hæc potestas à Christo concessa. Hæc enim potestas leges canonicas ferendi data fuit Petro, & eius successoribus, & ex illis tanquam ex capite ad reliqua membra deriuanda est. Item hoc Concilium cùm non sit legitimè congregatum, non est verum Concilium; deficit enim illi caput.

15 At si Concilium authoritate Pontificis congregatum sit, placet Bonacinæ *disput.1. quæst.1. p. 3. num. 13.* posse leges, & statuta generalia facere; quia sic illis à Pontifice est concessa facultas. Idem significauit Soto *4.dist.20.quæst.1. art. 4. ad 2.* Vict. *in relect.2. de potestate Papæ quæst.1.num.6.* Probatur ex eo, quòd frustra conuocarentur ad leges ferendas, si leges ferre nō possunt.

Mihi tamen probabilius est non posse Concilium leges ferre obligantes totam Ecclesiam, antequam à Pontifice approbentur; quia nullibi inuenitur talis facultas à Pontifice concessa, & ex vsu contrarium constat: siquidem omnia Concilia generalia à summo Pontifice postularunt suorum decretorum cōfirmationem, vt fecit Trident. *sess.25.in fine.* Ergo ante hanc confirmationem iudicauit Concilium leges, & decreta à se facta obligationem toti Ecclesiæ imponere non posse: & ita tenet Nauarr. *lib.1.consil.tit.de constit. consil.1. num.4.* Caietan. *opusc. de comparat. Papæ, & Concilij.* Turrecremata *lib.2. sum. cap. 71.* Suar. *lib. 4. de leg. cap. 6. num.2.* Salas, Molin. & Bellarm. *suprà.*

16 Sed quid dicendum de Concilio congregato ob defectum Pontificis, vel quia ipse (quod Deus auertat) hæreticus factus est, vel est schisma inter electos, & ignoratur, quis fuerit legitimus?

Respondeo in tali casu posse Concilium ea statuere, quæ rectæ Ecclesiæ gubernationi pro illo tempore visa fuerint, quia hoc naturali iure illi conuenit, ne Ecclesia omni remedio destituta videatur. Non tamen poterit leges condere perpetuò duraturas, quia nullibi inuenitur concessa talis potestas. sic Suar. *suprà num.4.*

17 Ex his infertur à Concilio, cui Pontifex non assistit, dari posse appellationem ad Pontificem, quia datur appellatio ad superiorem: sic docet Sebastian. Medicis *de leg. 1.p. quæst.9.* Salas *disp.8. sect.14.circa finem,* Bonacina *disp.1. quæst.1. punct. 3. num.13* & colligitur ex *l.1. ff. quis, & à quo, & ex cap. super quæstionum. vers. porrò, de officio delegati.* At si Pontifex ei Concilio assistit, dari non potest appellatio, quia esset appellatio eiusdem ad idem tribunal, quod nullo modo licet, ex *cap.nemo, cap. cuncta.9.quæst.3.*

18 Alia verò Concilia particularia sunt in triplici differentia, Nationalia, Prouincialia, & Diœcesana. Nationalia, quando omnes Episcopi, & Archiepiscopi alicuius nationis, sub vno Primate, seu Patriarcha congregantur. Prouincialia, vbi sub vno Archiepiscopo Episcopi suffraganeo conueniunt. Diœcesana, in quo Rectores Ecclesiarum, Abbates, & priores iunguntur cum suo Episcopo: quod Concilium vocatur Synodus Diœcesanus. Et quidem omnia hæc Concilia habere potestatem leges ferendi pro suo territorio, est res indubitata: nam si quilibet Prælatus seorsim à suo clero potest leges ferre, à fortiori ex eius consensu, & colligitur ex *cap.Catholica.11.dist. & cap.Concilia, dist.17. cap. regula. dist.3. & cap.placuit, 12. quæst. 2.* At nullo modo possunt leges ferre obligantes totam Ecclesiam, quia non possunt obligare extra territorium. Aliquando tamen à Pontifice decreta Concilij prouincialis approbantur pro tota Ecclesia, & tunc ratione approbationis vim legis vniuersalis habent, non verò, vt à tali Concilio emanarunt. Hæc autem approbatio, vt dixi, non est colligenda ex eo, quòd in Decreto Gratiani contineantur, sed ex aliis decretis Pontificum, vel ex traditione:

tione : & in his conuenit Suarez *lib.4.de legibus*, *cap.6. num.* 8. Bonacina *disp.*1. *quæst.*1. *punct.*3. *num.*14. Salas *disp.*8.*sect.*15. *num.*79. Valent. 2.2.*disp.*1.*quæst.*1.*punct.*7. Bannes *ibi quæst.*1.*art.*10.*dub.*3. vbi notant, quæ fuerint hæc Concilia à Pontifice approbata,& aduertunt, Concilia non generalia errare posse in suis decretis; quia non sunt leges vniuersales, neque de rebus grauioribus. At si à Pontifice pro sua Ecclesia approbentur, carere omni errore; quia Pontifex in his, quæ pertinet ad vniuersale regimen Ecclesiæ, errare non potest, vtpote, qui infallibilem habet diuini Spiritus assistentiam.

19 Rursus dicendum est de congregatione Cardinalium, de quibus certum est nullam habere potestatem condendi leges excedentes suum territorium, neque viuente Pontifice, neque vacante Sede. Solùm enim illis conceditur Sede vacante, vt ea statuant, quæ pro electione Summi Pontificis,& pro Ecclesiæ defensione, & periculorum occurrentium visa fuerint expedire, ex *cap.vbi periculum, de elect.in* 6. Et cauetur ne se in alio negotio intromittant, & quidquid aliud fecerint, irritum,& inane decernitur *in Clement.ne Romani, de elect.* Quare cùm præceptorum impositione sufficienter prouideatur periculis occurrentibus, nequeunt legem statuere, quia lex est statutum permanens: & ita tradunt alios referens Salas *disput.*8.*sect.*8. Suarez *lib.*4. *cap.*6. *num.*5. Bonacina *disput.*1. *quæst.*1.*punct.*3.*num.*26. Neque obstat collegium Cardinalium assimilari Senatui Romano, ex *cap.Constantinus* 2.96.*distinct.* quia non assimilatur Senatui in potestate leges condendi, sed in honore,& dignitate : non enim Constantinus hanc potestatem, cùm sit spiritualis, dare poterat Cardinalibus, sed à Pontifice necessariò debebat prouenire. Item non obstat collegium habere potestatem eligendi Summum Pontificem, & consequenter creandi legislatorem vniuersalem, vt dicamus habere potestatem leges condendi, quia solùm ad electionem Pontificis est illi concessa facultas : facultas autem concedi potest ad actum nobiliorem inferiori denegato, sicuti à Christo conceditur omnibus Sacerdotibus potestas consecrandi eius corpus, non tamen consecrandi calices, vt rectè expendunt glossa *in Clement.* 2. *de elect. verb. potestatis.* Suarez *lib.*4. *cap.*6. *num.*5. Bonacina *disp.*1.*q.*1.*p.*3.*n.*26. Salas *disp.*8 *sect.*8.

20 Aduertit tamen Bonacina: si omnes Cardinales, vno excepto, è conclaui decedant, posse ab eo, qui remansit, Pontificem eligi, quia omnes alij reputari debent, ac si è vita decessissent. Probabilius credo non posse, sed reputandum est, ac si nunquam in conclaui fuissent Cardinales congregati; fauétque *cap. vbi periculum,& Clement.ne Romani*, quæ semper loquuntur de numero plurali, imò de collegio, & cœtu, qui non videtur esse vnus, neque duo, sed ad minus tres. *l.Neratius ff.de verb.signif.*

21 Insuper dubitari potest de Capitulo Ecclesiarum, quod sumi potest Sede vacante, vel Episcopo viuente: si sumatur Capitulum Sede vacante, plures Doctores sentiunt leges ferre non posse obligantes totam diœcesim. sic Sebastian.Medicis *1.part. de legibus, quæst.*16. Salas *de legib.disput.*8.*sect.*16.*num.*86. Primò, quia solùm illi conceditur administratio temporalium, & spiritualium rerum pro limitato tempore. Ergo non conceditur illi potestas condendi leges, quæ de se sunt perpetuæ. Secundò Capitulo conceditur ea facultas, quæ necessaria est ad Ecclesiæ gubernationem Episcopo absente: quia Capitulum, vt dicit glossa *Clement.*1. *de heret.verbo Capituli*, est necessarius, non voluntarius administrator: sed ad hanc gubernationem voluntariam non videtur necessaria facultas condendi leges, per præceptorum enim impositionem sufficienter prouideri poterat, sicut diximus de collegio Cardinalium, & Concilio generali Pontificis, Sede vacante. Ergo. Tertiò, si leges condere potest, poterit & antiquas latas ab Episcopis abrogare, quia poterunt esse illis contrariæ. Sed hoc videtur esse contra *cap.* 1. *ne Sede vacante aliquid innouetur*, & contra glossam *cap.si qua de rebus*, 12. *quæst.*2. vbi dicit, non posse Capitulum Sede vacante mutare statutum Episcopi; id est, statutum, vt legit Felin.*cap.cùm omnes,de constitut.num.*10. Quartò, Capitulum Sede vacante non potest præbendas conferre. *cap.*2. *ne Sede vacante*, ibi, *cùm nunquam inueniatur cautum in iure, quòd Capitulum vacante Sede fungatur vice Episcopi in collationibus prabendarum.* Ergo non ex eo, quòd illi concessa sit administratio temporalium, & spiritualium rerum, censetur concessa potestas leges ferendi.

22 Nihilominus probabilius censeo cum communi sententia, Capitulum Sede vacante posse leges ferre obligantes totam prouinciam, quousque à Pontifice, vel Episcopo successore reuocentur. sic Panormitanus *cap.cùm olim,de maiorit. & obedient.num.*24. Felinus *cap. cùm omnes, de constitut. num.*9. Syluest. *verbo Capitulum, quæst.*6. Bonacina *disp.*1.*quæst.*1.*punct.*3.*num.*29. Suarez *lib.*4. *de legibus*, *cap.*6.*n.*14. Pauin.*de potestate Capit.Sede vacante*, *q.*6. Ratio præcipua est, quia Capitulum Sede vacante succedit in administratione temporalium, & spiritualium rerum totius diœcesis. *cap.cùm olim.de marit. & obed. & cap.vnic.eod.tit.in* 6. *cap.si Episcopus,& cap. vlt. de supplenda neglig. prælat. in* 6. & Trident. *sess* 24. *cap.* 16. Sed administratio esse non potest sine iurisdictione. Ergo succedit in iurisdictione Episcopi. Ergo in potestate ferendi leges. Probo hanc consequentiam; quia fauor,& potestas restringi non debet, sine manifesto textu,& ratione: atqui nullus est textus, neque ratio firma denegans Capitulo potestatem leges ferendi, & ex alia parte in generali administratione potest seruata proprietate verborum contineri. Ergo. Et confirmo. Capitulum Sede vacante præstat omnia officia iurisdictionis, quæ præstat Episcopus, nisi ei specialiter sit prohibitum: & sic dispensat in irregularitate, in denuntiationibus matrimonij, in interstitiis, in illegitimitate ad ordines, & ad beneficium simplex, vt ex propriis materiis constat, & tradit Bonacina, Salas, & alij *suprà.* Sed potestas condendi leges, est potestas iurisdictionis, & ex alia parte non est denegata Capitulo. Ergo potest. Adde exercitium huius potestatis non esse Ecclesiæ, neque Episcopo successori damnosum, potius quàm potestatem imponendi præcepta, quam nullus dubitat Capitulum habere, quia legem esse per modum statuti, vel præcepti, parum Ecclesiæ interest, dum durat præceptum; aduersante autem nouo Episcopo, iam liberum illi est statutum abrogare, si expediens esse non iudicat.

23 Neque obstant contraria.

Ad primum dico, etsi Capitulo concedatur pro limitato tempore administratio: at pro eo tempore conceditur tota potestas Episcopi: sicuti Vicario Episcopi ad tempus signato concedit Episcopus potestatem suam, & Legato Pontificis ad tempus misso concedit Pontifex potestatem ferendi leges in perpetuum duraturas.

Ad secundum admitto Capitulum esse administratorem necessarium diœcesis, quia necessariò succedit, & iurisdictio Episcopi in illum transmissa necessariò est. Nego tamen inde inferri leges ferre non posse, quia esto per præceptorum impositionem poterat malis occurrentibus prouideri: at non ita bene. Adde esse necessarium gubernatorem, quoad potestatem, quia necessariò illam habet, non tamen quoad modum gubernandi: non enim arctatum est Capitulum in modo gubernationis, sed potest aliquando per præcepta, aliquando per leges, aliquando solùm impositione pœnarum

rum delicta subditorum coërcere. Neque est simile de collegio Cardinalium, & Concilio generali; in quibus non potuit potestas legislatiua Pontificis, quæ est de iure diuino, transferri: ex iure autem humano potiùs denegata est ex *Clement. ne Romani, de elect.* & solùm concessa in his, quæ ad electionem Pontificis pertinent, & præcauenda mala, quæ Ecclesiæ accidere possunt illo tempore: at contrà accidit in Capitulo sede vacante, cui à iure est potestas absoluta concessa ad omnia, & solùm in aliquibus casibus limitatur: non igitur extendenda est limitatio vltra illos.

Ad tertium concedo, posse leges latas ab Episcopo prædecessore abrogare: neque hoc obstat textui *in cap. nouit, ne sede vacante*; quia ibi solùm dicitur, ne sede vacante aliquid de bonis pertinentibus ad Ecclesiam, & dignitatem Episcopalem innouetur, sicuti neque Episcopus bona Ecclesiæ vacantis sibi subiectæ alienare potest. *cap. si quis Episcopus, 10. quæst. 2.* Non tamen aliquid dicitur de innouatione legum; quapropter immeritò nomen status Episcopi, mutauit Felinus in statutum.

Ad quartum concedo non posse præbendas Episcopo pertinentes Capitulum conferre, quia expressè cauetur iura Episcopalia reseruari debere successori: vt tradit benè glossa *in cap. cum olim, & cap. his quæ. de maior. & obedient.* & aliis. At omnia alia, quæ ad iudicium, absolutionem, & condemnationem pertinent, benè potest, vt in suprad. cap. notatur.

24 Verùm si Capitulum sumatur viuente Episcopo, dubium aliquod est, an absque eius consensu possit aliquas leges ferre, obligantes ipsos capitulares? nam extraneos certum est obligari non posse, quia Capitulum non habet in diœcesanos iurisdictionem, nisi per mortem Episcopi.

Plures tenent non posse vllam legem ferre, neque præceptum, sed solùm regulam, & directionem, qua possit, si iurent, vel promittant Canonici eam seruare, tenebuntur, ex iuramento, vel promissione, non ex vi legis, aut præcepti, quia Capitulum absque Episcopo non videtur vllam habere iurisdictionem: si enim illam haberet, quæ necessitas erat expostulandi Canonicis iuramentum de seruandis statutis? Quia ergo in statutis nulla agnoscebatur obligatio, expostulatur iuramentum ad illorum obseruationem. Adde Episcopum esse caput Capituli, & cum illo vnum efficere. Ergo non potest Capitulum sine Episcopo habere vllam iurisdictionem: aliàs sine Episcopo esset integrum corpus, siquidem sine illo se posset regere, & gubernare.

25 Tenenda tamen est communis sententia, Capitulum posse absque consensu Episcopi leges, & statuta ferre obligantia suos capitulares in his, quæ pertinent ad rectam, & ordinariam gubernationem Ecclesiæ, quia absque Episcopo in his rebus procedunt. Ergo signum est habere in illis iurisdictionem, atque adeò imponere posse leges, seu præcepta. Nam gubernatio sine vi coactiua fieri rectè non potest: & colligitur ex *cap. cum omnes. de constitut.* vbi supponi videtur posse Canonicos irrequisito Episcopo ius in se ipsos statuere; quia tamen ius, quod ibidem statuerunt, omnibus commune non erat, ideo à Papa reuocatur: in rebus autem grauioribus, quales sunt abrogatio aliquarum constitutionum, & alienatio, vel venditio alicuius fundi, necessarius est consensus Episcopi, & sæpe Pontificis, ex *cap. cum accessissent, de constitut.* & ita tenet Panormit. *cap. cum omnes. de constitut. num. 4.* & Felin. *ibi num. 8.* glossa *cap. 2. §. 1. verbo statutum, de verbor. significat. in 6.* Syluest. *verbo lex. quæst. 4.* Sebastian. Medicis *quæst. 16.* Salas *disput. 8. sect. 16. num. 84.* Bonacina *disp. 1. quæst. 1. p. 3. n. 31.* Suar. *lib. 4. de leg. cap. 6. num. 11. & 12.*

Neque obstat argumentum in contrarium: expostulatur enim iuramentum, ad maiorem statuti obseruantiam, & obligationem: non quia simpliciter ratione statuti obligati Canonici nõ sint. Item ratione iuramenti obligantur absque dubio, secluso illo, solùm ex maiori probabilitate.

Ad confirmationem respondeo Capitulum secluso Episcopo esse corpus integrum, quia caput habet immediatum, scilicet Decanum, taliter, quod in Capitulo Episcopus, non est caput, sed Decanus.

26 Supradictam doctrinam extendit Felin. & Panormit. *in cap. cum omnes, & cap. cum accessissent, de constitut.* & Syluest. *verbo lex. quæst. 5.* Salas *disput. 8. sect. 17. num. 89.* Albericus *tract. de statutis. quæst. 3. & 6.* ad alias Ecclesias collegiatas, vniuersitates, & societates, ac collegia: de omnibus enim dicunt posse in rebus leuioris momenti leges ferre; secus verò in grauioribus. Bonacina *verò p. 3. num. 31.* & Suar. *cap. 6. num. 19.* negant hanc potestatem. Et quidem si ex vsu, & consuetudine non habent, ex iure certum est non habere, quia nullibi inuenitur illis concessa, & potestas iurisdictionis, cùm sit res facti, præsumenda non est, nisi probetur. Poterunt tamen, vt benè aduertunt supradicti Doctores, constitutiones, & ordinationes facere tam dispositiuas, quàm pœnales, quæ ad culpam obligent, vel ratione potestatis dominatiuæ, quam communitas acquirere potest ex traditione, quam vnusquisque de se communitati, vel illius rectori facere potest, vt gubernetur, & puniatur, si non obedierit; vel ratione promissionis, & iuramenti; quod solent præstare de seruandis statutis communitatis.

27 Tandem venit dicendum de communitatibus religiosorum, in quibus non solùm est potestas dominatiua ex vi voti obedientiæ, & traditionis vniuscuiusque ad se gubernandum; sed etiam est potestas iurisdictionis à Pontifice concessa ad gubernandum religiosos iuxta præscriptum regulæ, tradit Suar. *lib. 4. de leg. cap. 6. num. 21.* cum Innocent. *cap. in singulis, de statu Monach.* Salas *disput. 8. sect. 18.* Bonacina *disput. 1. quæst. 1. p. 3. num. 31. fine.* Sebastian. Medicis *de leg. 1. p. quæst. 9. & 15.* In quibus autem resideat hæc potestas iurisdictionis, an scilicet in Capitulo generali tantùm, an etiam in ipso generali, vel etiam in prouincialibus, aut in conuentibus? spectanda sunt particularia cuiusque religionis statuta: nam secundùm illa iurisdictio concessa est.

28 Abbatissis autem, & monialiũ præfectis concessam esse potestatem præcipiendi non solùm ex voto, & promissione, sed etiam ex iurisdictione à Pontifice, videtur necessariò dicendum; aliàs non possent moniales delinquentes punire: & ita tradit Bonacina *suprà*, Salas *disp. 8. sect. 19. num. 90.* Vasq. 1. 2. *disput. 166. cap. 4. num. 28.* Thom. Sanch. *lib. 6. in Decal. cap. 1. num. 17.* Numquam tamen possunt præcipere, nisi ea, quæ ad rectam, & politicam gubernationem domus, sibi visa fuerint conuenire, quia ad alia imperanda iurisdictione carent.

29 Inquires, quibus delegari possit à Pontifice hæc potestas ferendi leges? Et quidem delegari posse nemini est dubium; cùm sit pars iurisdictionis: habetur *cap. grauem, de sentent. excommunicat.* & tradit ibi Panormit. *num. 1.* Suar. *lib. 4. cap. 6. fine.* Salas *disp. 8. sect. 19. num. 92.* Bonacina *num. 33.*

Difficultas est, an alicui possit delegari pro tota Ecclesia? Salas *n. 93.* existimat posse Concilio generali, personæ autem particulari expediens non esse; Bonacina verò, & Suar. affirmant delegabilem non esse, quia non est delegabilis infallibilis assistentia Spiritus sancti, in quo fundatur potestas obligandi totam Ecclesiam, aliàs tota Eclesia errare posset.

30 Ego verò distinguendum censeo: aliquæ enim sunt leges immediatè ad mores pertinentes, quæque si rectè expendantur, potius sunt definitiones fidei, & conclusiones, deductæ ex principiis naturalibus, vel reuelatis, quàm positiuæ constitutiones: & de his censeo nullum

nullum alium præter Pontificem posse aliquid firmiter statuere, ob rationem dictam, quia non est delegabilis assistentia Spiritus sancti requisita ad huiusmodi leges: & hæc est lex prohibens matrimonia eunuchorum, bigamiam, coitum vagum, mutuum dare sub vsuris, & fortè præscriptionem rei mala fide possessę. Aliæ autem sunt leges remotè tamen pertinentes ad salutem, quia sine illis & salus obtineri posset, imò etiam si aliud diuersum disponeretur. Et in his non video, qua ratione requiratur assistentia diuini Spiritus, præcipuè in delegato, & quare non possit aliquis pro tota Ecclesia potestatem habere ferendi has leges: neque mihi se offert inconueniens, in eo quòd Concilium generale, vel aliqua persona particularis possit ieiunia aliqua statuere, vel modum specialem præscribere, in resignandis, vel acquirendis beneficiis, vel in sacrificio Missæ aliquas cæremonias superaddere, præcipuè cùm Pontifici semper liberum sit, legem illam à suo vicario factam abrogare, ratione potestatis à Christo concessæ, quæ inamissibilis est.

31 Secundò dubitari potest de fœminis, an capaces sint iurisdictionis Ecclesiasticæ?

Negat Victoria *relect.* 2. *de potestate Ecclesiæ*, *quæst.* 2. *n.*3.4. & 5. Mouetur ex illo loco Pauli 1. Corinth. 14. *Mulieres in Ecclesijs taceant; turpe enim est mulieres loqui in Ecclesijs.* Sed hoc fundamentum infirmum est ad probandam sententiam Victoriæ, cùm Paulus solùm de publica expositione doctrinæ loquatur, non de legislatione. Adde posse legem secretò condere, & alteri publicandam dare. Item licèt mulieri turpe sit in Ecclesia loqui ex proprio motu: at ex potestate speciali Pontificis ob aliquem casum grauem, turpe esse non videtur: vt de S. Catharina Senensi refert Bonacina *disput.* 1. *quæst.* 1. *punct.* 3. *num.* 35. admissam fuisse ad concionandum coram Pontifice, & Cardinalibus Ecclesiæ Romanæ. Quocirca nulla se mihi offert repugnantia, quominus Pontifex possit mulieri hanc potestatem delegare, sicut & potestatem imponendi censuras. sic Bonacina *suprà*. Salas *disp.* 8. *sect.* 19. *num.* 44. & alij, quos *in tract. de censuris* retuli.

PVNCTVM XXIV.

Qui teneantur legibus, tam ciuilibus, quàm Ecclesiasticis.

VAriæ sunt personæ, de quibus dubitari potest, an legibus teneantur.

Primò de ipso legislatore.

Secundò de pueris, ebriis, & amentibus.

Tertiò, de peregrinis, & forensibus.

Quartò de residentibus extra territorium.

Quintò de Ecclesiasticis personis respectu legum ciuilium.

§. I.

Legislator an suis legibus obligetur.

1 *Distinguitur duplex obligatio.*
2 *Obligatur directiua obligatione.*
3 *Vnde nascatur hæc obligatio.*
4 *Hanc obligationem esse grauem, qui censeant, & quibus probetur.*
5 *Probabilius est secluso scandalo, aliáue ratione extrinseca solum esse venialem.*
6 *An hæc obligatio insit Principi respectu legum, quæ ab inferioribus feruntur, & ab ipso confirmantur.*
7 *Proponitur obiectio, & soluitur.*
8 *Testamentum, & institutio heredis facta à Principe absque solemnitate valet, non tamen valet testamentum in fauorem Principis factum, nisi ipse prius dispensauerit.*
9 *Obligari ad pœnam nullus legislator potest.*
10 *Vxor legislatoris, beneficio legislatoris exempta præsumitur.*

1 DVpliciter obligari potest. Primò ad culpam. Secundò ad pœnam. Prima obligatio vocatur directiua, quia dirigit lex, quid faciendum sit. Secunda obligatio est coactiua, quia cogit legislator pœnæ impositione ad legis obseruationem.

2 De obligatione ad culpam communis est sententia cum D. Thom. 1.2. *quæst.* 96. *art.* 5. *ad* 3. legislatorem suis legibus obligari, quando leges respiciunt materiam communem, & accommodatam subditis, & legislatori, indecens enim est legislatorem non se conformare suis subditis: & aliud prædicare verbo, aliud docere exemplo; poterat enim illi obiici, quod obiiciebatur Pharisæis, nempe alligare aliis onera grauia, & importabilia; cùm tamen ipse nolit digito suo ea mouere. Quapropter *in cap. cùm omnes, de constitutionib.* dicitur, *patere legem, quam ipse tuleris.* nam ius, quod quisque in alterum statuit, ipse eodem vti debet: sic Nauarr. *in cap. si quando, de rescript. except.* 1. & *consil.* 18. *de pœnit. & remiss.* Couarr. *in cap. alma mater*, 1. *part.* §. 1. *num.* 5. Suarez *lib.* 3. *de legibus*, *cap.* 35. *num.* 4. Salas *disput.* 14. *de legibus*, *sect.* 2. *num.* 15. & *seq.* Lessius *lib.* 2. *de iustit. cap.* 35. *dub.* 5. Bonacina *disp.* 1. *de legib. q.* 1. *p.* 6. *n.* 19. Azor. *lib.* 5. *cap.* 11. *q.* 1. & alij plures ab eisdem relati.

3 Difficultas autem est, vnde hæc obligatio oriatur, an ex lege ipsa, qua cæteros adstringit, an ex lege aliqua naturali? Ex lege enim ipsa non videtur oriri posse: tum quia nemo in se ipsum exercere iurisdictionem potest, quia non potest esse superior, & inferior. Tum, quia obligatio legis positiuæ à voluntate legislatoris pendet. Poterit ergo legislator velle alios suis legibus obligare, & se ab obligatione eximere: & ita credendum est fieri, quoties legem à se latam transgreditur. Efficitur ergo solùm ex ipsa rei natura oriri talem obligationem. Quapropter cùm legislator absque causa transgreditur legem aliis impositam, non peccat aduersùs suam legem; sicuti non peccaret quilibet alius, quem legislator absque causa à legis obseruatione eximeret: peccat tamen aduersùs legem naturalem dictantem legislatorem debere verbo, & exemplo subditos ad virtutem promouere.

4 Quanta autem sit hæc obligatio, grauis, an leuis? Couarr. *cap. alma mater*, 1. *part. num.* 5. & 7. Vasquez plures referens 1. 2. *disput.* 167. *cap.* 7. Sayrus *in claui regia*, *lib.* 12. *cap.* 9. *num.* 2. Syluest. *verbo lex*, *quæst.* 14. existimant esse grauem, quia grauis est materia per legem præcepta; quia ipse tenetur illam exequi, vel ex obligatione suæ legis, vel ex obligatione iuris naturalis: sed à quocumque oriatur obligatio, debet esse grauis, siquidem respicit materiam grauem. Ergo. Et confirmo, cùm legislator omittit ieiunium, vel Missam à se generaliter præceptam, peccat aduersùs illam virtutem, aduersùs quam subditi peccant, omittendo præcepti obseruationem: vt tenet Suarez *lib.* 3. *cap.* 35. *num.* 8. Lessius *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 5. Bonacina *punct.* 6. *num.* 24. & alij relati à Salas *disput.* 14. *sect.* 2. *num.* 17. Sed subditi ideo peccant grauiter, quia materiam grauem alicuius virtutis omittunt. Ergo etiam legislator eandem omittens grauiter peccabit. Adde si ex præcepto naturali teneretur quis seruare ieiunium, vel Missam audire, cui dubium esse potest peccaturum grauiter omittentem? Sed legislator imponens legem ieiunij, ex lege naturali tenetur ieiunium seruare, neque potest se absque causa ab illius obligatione eximere. Ergo peccat generaliter, si omittat.

5 Nihilominus probabilius censeo solùm esse peccatum

um veniale secluso scandalo, vel alia ratione extrinseca: sic docet Lessius *cap.* 35. *dub.* 5. Bonacina *num.* 23. Azor *lib.* 5. *cap.* 11. *quæst.* 1. Salas *de leg. disput.* 14. *sect.* 2. *num.* 17. *& seq. & disp.* 20. *sect.* 12. *num.* 104. Moueor, quia non videtur grauis deordinatio legislatorem in vno, vel altero actu subditis non se conformare, quia ex illa deformitate non sequitur perturbatio in republica, neque aliquod graue inconueniens: cùm autem tota ratio obligationis in legislatore inde nascatur, efficitur sanè grauem non esse. Quapropter non est attendenda grauitas materiæ secundùm se, sed in ordine ad finem præceptum; concedo enim ieiunium in ordine ad temperantiam, & Missam in ordine ad religionem, esse grauem materiam, ac proinde illorum vnicam omissionem culpam grauem efficere: at in ordine ad regimen reipublicæ rectum, & pacem in illa conseruandam nequaquam grauem esse. Cùm ergo legislatore præcipiente ieiunium, non præcipiatur illi ieiunium ob temperantiam, sicuti præcipitur subditis, sed ob regimen rectum reipublicæ, non peccat grauiter, etsi illud vna, vel altera vice transgrediatur, sed solùm, quando scandalum graue, & graue inconueniens inde timere potest. Ex quo fit non peccare legislatorem non obseruantem suas leges contra virtutem, quam peccant subditi, vt voluerunt Suar. & Bonac. *suprà*, & alij relati, sed contra virtutem potestatiuam.

6 Sed inquires, an hæc leuis obligatio sit in legislatore superiore respectu legum ab inferiori latarum, præcipuè cùm in illa prouincia, ac ciuitate commoratur, vbi vigent. Quod est inquirere, an summus Pontifex, dum in aliqua diœcesi speciali existit, teneatur legibus illius? & idem est de Imperatore, & Rege, an teneatur legibus municipalibus prouinciarum? Videtur teneri, quia indecorum est, non se omnibus conformare: quæ fuit ratio supradictæ obligationis. At dicendum est minimè teneri, etiamsi illæ leges ab ipso fuerint confirmatæ: tenet expresè Suar. *lib.* 3. *de leg. cap.* 35. *num.* 14. & adducit Felin. *cap.* 1. *de constitut. num.* 30. Tiraquell. *de vtroque retractu lib.* 1. *gloss.* 1. §. 3. *num.* 38. consentit Bonacina *p.* 6. dum non fuerint à legislatore confirmatæ. Salas *disput.* 14. *sect.* 2. *num.* 23. *& seq.* Ratio est, quia legislator non solùm est caput illius specialis prouinciæ, seu ciuitatis, in qua de facto commoratur, sed etiam aliarum, in quibus illæ leges non obseruantur. Ergo ex ratione capitis, non tenetur se aliquibus subditis præstare vniformem, cùm alij subditi contrarij sint. Dixi, etiamsi ab ipso legislatore confirmatæ sint; quia non confirmantur pro toto tuo territorio, sed aliqua illius parte. Limitat tamen Suar. *num.* 14. hanc doctrinam in loco proprio, & domiciliario legislatoris, qualis est curia Principis, in hoc enim affirmat debere legislatorem leges illius oppidi accommodatas suæ personæ, & dignitati obseruare; quia aliàs occasionem præberet suo exéplo illas temnendi: crederem tamen leuiorem causam sufficere ad honestandam harum transgressionem, quàm transgressionem legis communis à se latæ.

7 Solùm video obiici posse aduersùs supradicta Principem obligatum esse, sicut obligantur subditi, sequi taxam mercium à se factam: item stare legibus contractuum à se latis, si de facto contrahat. Ergo obligatur grauiter legibus.

Respondeo negando consequentiam, quia sequi taxam mercium, obligatur ex iure naturali, quo cauetur, ne pluris vendatur res, quàm valet communiter: at posita taxatione, iam res illa communiter non valet plus, quàm taxata est. Ergo idem dicendum est in contractibus, in quibus ex iure naturæ expostulatur æqualitas in vtroque contrahentium; quapropter si contrahens cum legislatore, obligatur legibus legislatoris, & ipse legislator stare illis debet, non quia leges illius sunt, sed quia sunt conditiones, sub quibus contractus est celebratus. Quocirca si legislator celebret cótractum cum aliquo, qui aliàs suis legibus est irritus, censetur in suis legibus dispensare, quia præsumitur velle actum fieri meliori modo, quo potest: vt dicit Suar. *lib.* 3. *cap.* 35. *n.* 25. Salas *disput.* 14. *sect.* 3. *num.* 32. Bonacina *disput.* 1. *quæst.* 1. *p.* 6. *num.* 16. vel dicendum est neutrum obligatum esse, quia impossibile est legislatorem deobligatum manere, alio manente obligato: vel sub vna conditione aliquem ex contrahentibus celebrare, quæ ab altero non acceptetur.

8 Ex his infertur, si Princeps condat testamentum, sine solemnitate à se requisita, & instituat aliquem hæredem, validum esse testamentum; quia præsumitur causam habere legitimam omittendi illam solemnitatem, & secum quasi dispensando; cùm in hac dispensatione nemini irroget iniuriam: & ita traditur *in l. ex imperfecto. C. de testament.* At si aliquis instituat Principem hæredem, vel legatarium in testamento, in quo iuris forma seruata non est, nequit Princeps consequi legatum, aut hæreditatem ex illo, quia non præcessit dispensatio testamento condendo; & dispensatione non facta, testamentum illud nullum est, ac proinde Principi ius non potest tribuere: & ita deciditur in supradicta *l. ex imperfecto, &* § *vlt. Instit. quibus modis testamenta infirmentur,* & tradit glossa *ibi.* Suar. *cap.* 35. *num.* 25. *& seq.* Bonacina *p.* 6. *num.* 17. Salas *disput.* 14. *sect.* 3. *num.* 32. Et hæc de prima obligatione legis, quæ est obligatio ad culpam.

9 Quòd si de secunda obligatione legis, quæ est ad pœnam, loquamur, communis, & satis clara est decisio nullum legislatorem ligari posse pœna à se statuta, quia nemo à se ipso cogi potest: neque etiam à lege imponente pœnam; quia est superior ipsa lege, & præcipuè, quia in nostra sententia pœna imponitur ob transgressionem legis positæ à legislatore: at legislator non est suæ legis transgressor, sed solùm legis naturalis dictantis conformationem ipsius cum reliquis membris. Ergo: & ita tenent alios referens Azor *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 11. *quæst.* 2. Sayrus *in claui regia lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 5. Valent. *tom.* 2. *disp.* 7. *q.* 5. *p.* 4. Bonacina *disput.* 1. *q.* 1. *p.* 6. *num.* 14. Suar. *lib.* 3. *cap.* 35. *num.* 15. Salas *de leg. disp.* 14. *sect.* 2. *n.* 8. Vasq. *disput.* 167. *cap.* 1. Lessius *lib.* 2. *de iust. cap.* 35. *dub.* 5. & deciditur expresè *in l. Princeps.* ibi, *Princeps legibus solutus est. &* §. *vlt. Instit. quibus modis testamenta infirmentur.* ibi, *licèt legibus soluti simus; attamen legibus viuimus*, hoc est, etsi nos leges non astringant, attamen ob bonum exemplum legibus conformamur: & licèt videantur hæ leges sub titulo limitato comprehendi, quia de legatis caducis, & testamentis erat titulus: at decisio generalis est, & decisioni est standum potius, quàm rubricæ, vt benè explicuit Menoch. *lib.* 6. *præsumpt.* 1.

10 Aduerto vxorem legislatoris, etsi legibus à legislatore latis subdatur: at beneficio legislatoris exempta præsumitur, ex *l. Princeps. ff. de legibus.* & ita tradit alios referens Sayrus *in claui regia lib.* 3. *cap.* 4. Salas *de legib. disp.* 14. *sect.* 3. *num.* 36. Bonacina *disp.* 1. *quæst.* 1. *punct.* 6. *num.* 10. Suarez *lib.* 3. *cap.* 35. *num.* 28.

§. II.

Infideles, pueri, ebrij, ignorantes, & amentes, qua ratione legibus teneantur.

1 *Infideles nullis legibus Ecclesiasticis tenentur.*

2 *Ebrij, amentes, ignorantésque inuincibiliter legem, à lege excusantur.*

3 *Pueri ante rationis vsum, qui regulariter est septennio completo, legibus Ecclesiasticis non tenentur.*

4 *Post vsum rationis ante pubertatem Ecclesiasticis legibus non teneri, qui doceant.*

5 *Certa*

5 *Certa sententia est obligari pueros habentes perfectum vsum rationis.*
6 *In præcepto Eucharistiæ esse aliquid speciale, qui sentiant.*
7 *Quid sit tenendum.*
8 *Censuris ab homine latis non astringuntur pueri ante pubertatem.*
9 *Imò neque videntur censuris à iure excepta excommunicatione ob percussionem clerici.*
10 *Qui non comprehenduntur sub præcepto, poterunt subministrare, & adiuuare in actione prohibita. Secus qui excusantur.*
11 *Licet infidelibus, pueris, amentibus cibos vetitos subministrare: non tamen licet infideles in monasteria monialium introducere.*
12 *Non licet ignorantibus esse diem ieiunij cibos vetitos ministrare, & ad comedendum inducere.*
13 *Potest pueros ante septennium in monasteria monialium introducere, secus amentes.*
14 *Non licet tibi inuitare ad copulam amentes, ebrios, nec pueros rationis vsu carentes.*

1 PRæmittamus, quæ in hac materia sunt omnino certa, vt gradum faciamus ad ea, quæ aliquam dubitationem habent. Primò certum est infideles nullis legibus Ecclesiasticis teneri, quia sunt extra Ecclesiam, & in illos nullam Ecclesia habet iurisdictionem. *cap. gaudemus, de diuort.* at tenentur legibus naturalibus, & diuinis; quia Deo, & rationi subduntur. Ex quo infertur, an teneantur Eucharistiam sumere, & peccent morientes non solùm in non suscipiendo Baptismo, sed etiam in non recipienda Eucharistia? vtraque opinio est probabilis. Quid autem sit probabilius, in tractatu de Eucharistia definiemus.

2 Secundò certum est ebrios, & amẽtes, sicut & ignorantes inuincibiliter legem, tempore amentiæ, & ebrietatis, & ignorantiæ excusari à legis transgressione; quia illius rei esse non poterant sine libertate, qua omnino carent. At dicendi sunt legibus affici; sicut & afficiuntur dormientes, quia suapte natura legem intelligere possunt, & ad illos, vt ad subditos, per se dirigitur. sic Sanchez *lib. 1. in Decal. cap. 12. n. 2.*

3 Tertiò certum est pueros ante vsum rationis, qui regulariter habetur completo septennio, nullis legibus Ecclesiasticis teneri, quia fundamentum harum obligationum, est rationis vsus. Quapropter possunt lacticiniis, & carnibus vesci, diuinis interesse tempore interdicti, monialium claustra ingredi: sic Salas *disp. 14. de leg. sect. 13.* Sayrus *claui regia, lib. 6. cap. 8. n. 21.* Azor *tom. 1. lib. 7. cap. 40. q. 6.* Sanchez *lib. 1. in Decal. cap. 12. n. 2.* Suarez *tom. 3. in 3. p. disp. 40. sect. 2. vers. & iuxta hanc.* Bonacina *disp. 1. de legib. q. 1. p. 6. n. 6.* & alij plures ab eisdem relati. Videntur tamen teneri legibus naturalibus, quia harum obligatio cum ipsa natura ortum habet, quæ de se capax rationis est; excusantur tamen à transgressione, & peccato, donec perfectum vsum rationis obtineant: sicuti de perpetuò amentibus dicendum est, si enim legibus tenentur, excusantur tamen ab illarum obligatione ob amentiam. Quando verò dubium est, an rationis vsum habuerint, præsumendi sunt habere, si compleuerint septennium, secus antea; vt diximus *tract. de conscientia,* loquentes de conscientia dubia, quia præsumptio desumenda est ex communiter contingentibus. Additque Ioan. Sanchez *in suis selectis, disput. 51. num. 31. fine;* etsi constaret puerum ante septennium habere vsum rationis, non obinde obligari legibus iuris positiui, quia leges positiuæ attendunt ad ea, quæ communiter contingunt. *l. nam ad ea ff. de legib.* & cùm communiter non contingat vsus rationis ante septennium, non debet ante illam ætatem, cui ex accidenti prouenit, obligari.

4 Post vsum verò rationis ante pubertatem non defuerunt Doctores, qui affirmarent legibus Ecclesiasticis non teneri: nam D. Antonin. *2. part. tit. 9. cap. 8. §. 2.* affirmat præcepto confessionis non teneri pueros, vsque ad decimum, & dimidiatum annum, & aliquantulum vltrà, & fœminas, vsque ad nonum, & dimidiatum annum, & aliquantulum vltrà. Sotus *4. dist. 12. quæst. 1. art. 11. ad fin. corp.* dicit vsque ad duodecimum non teneri pueros vllis Ecclesiæ præceptis, nec confessionis. Emanuel Saa *verb. confessio, num. 3.* consentit præceptum confessionis non obligare vsque ad pubertatem; additur verò in summis reformatis ad pœnas non confitentibus impositas. Henriq. *lib. 8. de Euchar. cap. 42. n. 4. init.* censet Ecclesiæ præceptis non obligari pueros, statim ac vsum rationis habent, & *lib. 13. de excomm. cap. 49. n. 2. in comm. litt. N.* dicit dari his lacticinia, & carnes aliquo tempore post vsum rationis, in diebus ieiunij. Quod autem hoc tempus sit, non determinat.

5 Vera tamen sententia, & omnino tenenda, est pueros, cùm ad vsum rationis peruenerint, qui communiter intelligitur aduenire septennio completo, obligari legibus Ecclesiæ, quæ expressè tempus obligationis non determinant: sicut determinat in præcepto ieiunij, tenet expresè Thom. Sanchez plures referens *lib. 1. c. 12. n. 6.* Bonac. *disp. 1. q. 1. p. 6. n. 8.* Salas *de leg. disp. 14. sect. 13.* specialiter de præcepto confessionis, & Missæ, docet Suarez *4. tom. in 3. p. disp. 36. sect. 2. n. 3.* Azor *tom. 1. lib. 7. cap. 2. q. 1. & cap. 40. q. 6.* & de abstinentia à carnibus, & lacticiniis, docet idem Suarez, Azor, & alij relati à Sanchez *suprà.* Ratio efficax est, quia eo ipso, quòd vsum rationis quis habeat, capax est legis humanæ obligationis, siquidem capax est obligationis legis naturalis, & diuinæ. Ergo si expresè non inuenitur exceptus lege, obligabitur illa. Et de præcepto confessionis videtur res indubitata, cùm *in cap. omnis vtriusque sexus,* præcipiatur omnibus fidelibus cùm ad annos discretionis peruenerint, confiteri, cuius præcepti transgressores erunt pueri, si discretionem habentes confessionem omittant, conscij peccati mortalis. Neque alia via ab hoc præcepto, & aliis se excusare possunt, nisi affirmando discretionem perfectam ad illius obseruantiam non habere: est enim res indubitata non æqualiter vsum rationis omni materiæ aduenire, aliqua enim sunt clariora, alia difficiliora: vt bene dicit Vasquez *1. 2. disp. 149. per totam.* & Zumel *ibi quæst. 89. art. 6.* sicuti non omnibus eodem tempore aduenit; pueris enim nobilibus, & inter vrbanos, & politicos educatis, citius vsus rationis prouenit, quàm rusticis, & aggrestibus: vt tenet Reginaldus *tom. 2. lib. 29. n. 82.* Quocirca dicere quis poterit puerum septennio completo peccare posse iurando, mentiendo, non tamen comedendo carnes die Veneris, aut omittendo annuam confessionem; quia discretionem sufficientem in his materiis non habet. At, vt diximus *in tractat. de conscientia, disput. 3. de conscientia dubia,* quoties dubium est puerum habere vsum rationis, præsumendum est habere, & esse obligatum, si impleuit septennium, quia regulariter illo completo in omni materia vsus rationis habetur, & alleganti contrarium incumbit onus probandi, cùm aduersùs præsumptionem ortam ex communiter contingentibus procedat.

6 Limitant tamen hanc sententiam communiter DD. in præcepto communionis, de quo affirmant non teneri statim, ac vsum rationis habent, sed expectari posse, & debere vsque ad decimum, vel duodecimũ annum, quia vsque ad illud tempus regulariter non videntur pueri habere discretionem, vt reuerenter Christi corpus sumant. Quapropter *in cap. omnis vtriusque sexus,* vbi hoc præceptum imponitur, Confessoris iudicio remittitur temporis prorogatio: at quilibet Confessor ex iudicio prudentum, & consuetudine Ecclesiæ satis recepta hanc prorogationem facit. Ergo illa facta iam puer Ecclesiæ præcepto non tenetur.

7 Fateor hanc limitationem veram esse stante prorogatione Confessoris: at si Confessor sic differendam communionem non consulit expresse, summopere inclinor affirmare quemlibet puerum, cùm ad annos discretionis venit, & obligatus est lege confessionis, obligatum etiam esse recipere Eucharistiam, neque expectandum esse ad hanc obligationem longius tempus: tenet hanc sententiam expresse Ioan. Sanchez *in select. disp.16.n.5.* & adducit Anton. *2.p.tit.9. cap.8.p.2. circa marginem, & 3.p.tit.14.cap.12.§.5.in princ.* & Paludan. *in 4.dist.12.q.1.n.25.* qui expresse id affirmat, colligitur ex Tabien, *in sum.verb.communicare, n.3.* Valent. *4.tom.disp.6. q.8.p.2.* quatenus solùm requirit, vt pueri sciant discernere hunc cœlestem cibum à cæteris: quòd si vsum rationis habeant ad confessionem, sufficienter id præstabunt: alij etiam Doctores adduci in fauorem huius piæ opinionis possent, qui nullam ætatem pueris determinant, sed solùm dicunt obligandos esse suscipere Eucharistiam, cùm Confessario visum fuerit rationis vsum sufficienter habere: facit non leuiter Trident. *sess.13.can.9.* & Pius V. *in catechismo de Eucharistia, n.63.* Ratio præcipua est, quia *in cap.omnis vtriusque sexus*, omnibus fidelibus æquanimiter imponitur, & præceptum confessionis, & communionis in Paschate: vt notat ibi glossa. Additur tamen communionem differri posse ex consilio Confessoris, non quia obligatus non sit communicare, qui obligatus est confiteri, sed quia possunt esse plures causæ prorogandi tempus communionis, cùm tempus signatum communioni determinatum sit, quod non est determinatum confessioni. Item puer discretionem habens, & obligatus præcepto confessionis, vel indiget prorogatione Confessoris, vt excusetur à communionis præcepto, vel non? Si indiget Confessoris prorogatione. Ergo signum est illa non stante obligatum esse; si verò illa non indiget. ergo iam *cap. omnis vtriusque sexus*, non æqualiter de præcepto confessionis, & communionis loquitur: quod videtur falsum, cùm verba vniformia sint, neque ex parte fidelium ad hanc obligationem amplius expostulat, quàm discretionem. Adde non minorem discretionem requiri ad recipiendam absolutionem sacramentalem, quàm ad recipiendam reuerenter Eucharistiam: nam ad recipiendam absolutionem sacramentalem, non solùm requiritur, quòd scias distinguere inter bonum, & malum; sed vt scias te debere omnia peccata cum intimo dolore Confessori manifestare: at hoc non minus difficile est, quàm scire te non debere communicare, nisi purgatum peccatis, & ieiunum. Ergo. Denique in articulo mortis, pueris doli capacibus, & aptis confiteri, posse dari viaticum, tenent Armilla *verbo communio, num.10.* Caietan. *verbo minister communionis, in fine*, Viuald. *de Eucharistia, num.160.* Salas *de legib.lib.14. sect.13. num.127.* Reginald. *2.tom.praxis, lib.19.n.82.* Henriq. *lib.8.cap.42. num.4.fine.* Suarez *tom.3.in 3.p.disp.70. sect.1. in fine.* Arboled. *pract.sacram.de Eucharist. not.13.* Zambra *de Eucharist.cap.3.dub.2. num.14.* Nuño *de Eucharistia, q.80. art.9. difficult.2. ad 3.argum.* Nauarr. *summ.cap.21.n.57.* Plures ex his Doctoribus tenent non solùm posse dari, sed debere dari viaticum pueris morituris capacibus pœnitentiæ. Ergo signum est habere discretionem ad Eucharistiam, & consequenter ligari præcepto illius etiam extra illum articulum.

8 Sed quid dicendum de censuris, & pœnis?

Respondeo, si ab homine latæ sint, non adstringuntur pueri, quousque ad pubertatem deueniant: habetur expresse *cap.1.de delictis puerorum, & in cap.referente, eod. tit.* vbi etsi pueri possint ante pubertatem peccare: at ex benignitate Ecclesiæ à pœna peccato imposita excusantur. sic Azor *tom.1.lib.7.cap.40. quæst.6.* Sotus *4.dist. 18.q.1. art.3. ad fin.corp.* Vasquez *tom.de pœnitent.q.90. art.2.dub.4.n.3.* Cordub. *summ.q.60.dicto 4.* Thom. Sanchez *lib.1.in Decal.cap.12.n.7.* Ioan. Sanchez *disput.26. select.n.18.* & alij ab eisdem relati.

Dixi, excusari pueros ante pubertatem à pœnis, & censuris ab homine latis: nam à censura iuris communiter Doctores tradunt non excusari, si doli capaces sunt: mouentur ex *cap.super eo, cap.pueris, cap.quamuis, de sent. excommun.* & tradit Vgol. *de censur. cap.17. §.3. num.5.* Suarez *tom.5. de censuris, disp.5.sect.1. n.19.* Azor *tom.1. lib.7. cap.41. quæst.10.* Henriquez *lib.8. de Eucharistia, cap.42. comm.8.* Thomas Sanchez *num.8.* & Ioan. Sanchez *n.18.* Et rationem differentiæ, quare censura iuris comprehendat pueros doli capaces; secus verò ab homine lata, assignat Suarez, & Vgol. *suprà*, quia impuberis ætas non censetur apta ad ordinem iudiciarium intelligendum; ac proinde neque de iure citari impubes potest, neque ad agendum, vel defendendum se in iudicio admitti, iuxta *cap.vlt. de iudic. in 6.* quod ad incurrendam censuram ab homine latam necessarium est. Verùm hæc solùm probant non incurri censuram specialiter ab homine latam; quæque indiget citatione speciali: at non probat in censura, quæ generaliter ab homine fertur, quæque videtur conformis censuræ à iure latæ.

9 Quocirca dicendum existimo solùm sententiam excommunicationis ipso iure latam ob percussionem clerici propter eius grauitatem contrahi à pueris doli capacibus ante pubertatem, quia in supradictis textibus ita habetur: aliæ autem censuræ, & excommunicationes ab homine latæ etiam generaliter non comprehendunt pueros ante pubertatem; sed sequenda est communis decisio *in cap.1.de delictis puerorum*; quia odia debent restringi. Quare omittentes confessionem, & communionem, non contrahunt excommunicationem ab Episcopo latam aduersùs non communicantes in Paschate, & confitentes in anno. ita Ioan. Sanchez *n.18.* Filliucius *tom.1. tract.11. cap.5. n.130.* & puerum impuberem occidentem non contrahere irregularitatem, testatur Auila *de censur.7.p.disp.6.sect.1.dub.13.* Henriquez *de irregul. cap.3. n.4. litt.Z.* Ioan. Sanchez *suprà*; quamuis contrà teneat Thomas Sanchez cum Syluest. *lib.1.cap.12.n.8.in fin.* Neque hinc fit posito interdicto in aliquo loco non comprehendi pueros impuberes doli capaces: comprehenduntur namque ratione præcepti in interdicto lati, non in aliqua pœna ipsis imposita, ob alicuius præcepti transgressionem, & ita cum communi sententia docet Suarez *tom.5.de censur.disp.5. sect.1.n.19.* Corduba *summ.q.60.dicto 3.* Syluest. *verb.interdictum 2.n.18.* Azor *tom.1.lib.7.cap.41.q.10.* Thomas Sanchez *lib.1.in Decal.cap.12.n.8.*

10 Tandem inquires, an liceat tibi omnibus excusatis à præcepto cooperari in actione per præceptum prohibita? v.g. an liceat tibi, pueris, infidelibus, ebriis, amentibus, ignorantibus, subministrare die ieiunij carnes, aliósque cibos vetitos?

Distinguendum est dupliciter aliquos excusari posse à præcepto. Primò tanquam non comprehensos sub illo. Secundò tanquam comprehensos. Priori modo excusantur infideles à legibus Ecclesiasticis, & infirmi à præcepto ieiunij, & pueri ante vsum rationis ab omnibus legibus saltem p. sitiuis. Secundo modo excusantur, ebrij, ignorantes, dormientes, & amentes; hi enim sub præcepto comprehenduntur: at ratione ebrietatis, ignorantiæ, dormitionis, & amentiæ transgressio præcepti illis non imputatur: qui modus excusationis non est propria excusatio à præcepto, sed à transgressione culpabili illius: quapropter dicuntur transgredi præceptum sibi impositum, etsi illis non imputetur transgressio. Quotiescumque ergo aliqui excusantur à præcepto primo modo, scilicet, quia sub præcepto non comprehenduntur, bene poteris illos in actione prohibita per præceptum ministrare, quia non

mini

ministras in actione, quæ eis sit aliquo modo prohibita; sed in actione honesta, & de se bona: ac proinde neque formaliter, neque materialiter illa actio mala est; non ergo habet vnde malitiam accipiat. At si solùm à transgressione, & non à præcepto excusantur, nullo modo poteris illos ad talem actionem mouere; quia moueres ad rem materialiter malam, & de se prohibitam: sic colligitur ex Thom. Sanchez *lib.1. in Decalog. cap.12. præcipuè à n.9.* Bonacina *disp.1. de legib. q.1. p.6. à n.2. & seqq.*

11 Ex his infertur primò, licere tibi subministrare cibos vetitos die Veneris, carentibus rationis vsu, infidelibus, pueris infirmis, amentibus; quia nec ipsi comedendo peccant etiam materialiter, neque tibi specialiter talis subministratio interdicta est. sic Sanchez, & Bonacina *suprà.*

Notanter apposui, talem subministrationem tibi interdictam non esse, quia potest contingere actionem aliquam, prout ab aliis fit, interdictam non esse, tibi verò esse interdictam; interdictum enim non est infidelibus iure Ecclesiastico ingredi in monialium monasteria; quia nullis Ecclesiasticis legibus tenentur: at si tu illos ibi introduceres, peccares sanè, quia non solùm ingressus, sed & cooperatio ad ingressum est tibi specialiter interdicta, vt constat ex allegatis à Sanchez *lib.6. in Decal. cap.16.* sicuti pueri ante vsum rationis capaces non sunt vllis legibus Ecclesiæ: at si in ea ætate decedant, sepeliri non possunt in loco interdicto, quia hæc prohibitio non tam ipsos, quàm sepelientes respicit. Suarez *de censur. 5. tom. disp.35. sect.1. n.2.* Henriq. *lib.13. cap.42. n.3.* Sanchez *cap.12. lib.1. n.21.* Bonacina *num.7.* Salas *disp.14. de legib. sect.13. n.126.*

12 Infero secundò, non licere tibi ignorantibus esse diem ieiunij, neque ebriis cibos vetitos ministrare, & comedendos consulere; quia absolutè tenentur lege ieiunij, esto ab illius transgressione excusentur. Item cooperareris ad actum de se malum; liceret tamen tibi illos cibos subministrare amentibus: non quia carent ratione, sed quia amentia infirmitas est excusans à ieiunio. ita Sanchez *n.16.* Bonac. *n.5.*

13 Infero tertiò, licere tibi pueros non habentes vsum rationis, quales sunt non septennis regulariter, intromittere in monasteria monialium; & fœminas similiter non septennes in virorum monasteria, quia neque ipsi ingredientes peccant, neque vllo iure videtur prohibita hæc intromissio; cùm ex illa non sequantur inconuenientia, quæ sequuntur, si amentes, vel infideles puberes introduceres: sic docet plures allegans Sanchez *lib.6. in Decal. cap.16. n.5.* Bonacina *num.6.* Salas *disp.14. sect.13. n.126.* Barbosa *remiss. Concil. sess.25. cap.1. de reform.* & alij.

14 Infero quartò, non licere tibi pollicere ad copulam ebrios, perpetuò amentes, neque pueros carentes rationis vsu; quia illa actio est de se omnibus illis prohibita, esto ob defectum rationis, & discursus culpæ illis non imputetur. Qui verò dicerent pueros non septennes nullis legibus etiam naturalibus teneri; consequenter debent affirmare, consulere horum congressum non esse de se malum, sicuti non est malum belluas coniungere. Quapropter nos diximus, etsi à legum transgressione, & peccato excusentur, dũ rationis vsum non habent, non tamen eximi à legibus, sed leges naturales cum ipsis, vtpote rationis capacibus, loqui.

§. III.

De peregrinis, & forensibus, an teneantur legibus loci, qua transeunt.

1 *Forensis accedens animo ibi perpetuò manendi, legibus illius loci tenetur statim.*

2 *Idem iuris est, si maiori anni parte intendas ibi commorari.*

3 *Legibus statuentibus solemnitatem in contractibus teneris.*

4 *Ab hac doctrina excipitur à Sanchez, & aliis contractus dotalis, sed non probatur eius exceptio.*

5 *Explicatur supradicta doctrina, & declaratur, vbi quis est conueniendus.*

6 *Teneris legibus loci, qua transis, si eadem vigent in tuo territorio.*

7 *Idem iuris est de legibus bonum speciale ciuitatis respicientibus.*

8 *Idem de legibus iuris communis, tametsi in tuo territorio vigorem non habeant ex consuetudine recepta.*

9 *Proponitur obiectio, & soluitur.*

10 *Qui censeant, & quomodo probetur extra supradictos casus, legibus loci, qua transis, te deobligatum esse.*

11 *Probabilius existimo te obligari.*

12 *Limitant aliqui nostram sententiam, vt procedat de transitu, cum aliqua perseuerantia, sed repellitur.*

13 *Intelligenda est obligatio peregrinorum, tam quoad culpam, quàm quoad pœnam.*

14 *Procedit resolutio, tametsi lex pro solis aduenis lata esset.*

15 *Idem iuris est de sententia, & præcepto, ac de statuto, & lege.*

16 *Delinquens in suo oppido, si alio accedat, non potest à iudice illius loci puniri, quidquid dicat Basil. de Leon.*

17 *Satisfit argum. num.10. allatis.*

1 IN hac re sunt aliqua, in quibus Doctores communiter conueniunt, alia in quibus est dissensio.

Primò conueniunt omnes forensem accedentem alicui loco, animo ibi manendi in perpetuum, teneri statim legibus illius loci, quia tunc non est forensis, & peregrinus, sed incola, vtpote, qui acquisiuit domicilium, ratione cuius quis subditus est, vt tradit Farinacius *1. part. prax. quæst.7. num.1.* & ita tenet plures referens Sanchez *lib.3. de matrim. disp.18. num 9. & lib.1. in Decalog. cap.12. num.42.* Suarez *tom.1. de relig. lib.2. cap.14. num.15.* Salas *disput.14. sect.4. in princ.* Lessius *lib.4. de iustit. cap.2. dub.7. num.47.* & alij referendi. Domicilium acquiritur eo ipso, quo quis incipit habitare aliquem locum animo ibi perpetuò manendi. *l. domicilium, ff. ad municipalem,* & tradit glossa, & Sanchez plures referens *lib.3. de matrim. disput.23. num.2.* Neque requiritur decennij habitatio, nisi ad præsumendum animum perpetuum: vt bene Sanchez *num.1. & 2.* Semel autem domicilio constituto non deperditur; nisi & habitatio, & animus ibi perpetuò manendi mutentur, quia cùm vtrumque, & habitatio, & animus ad domicilium constituendum concurrerunt, vtrumque est necessarium ad illud amittendum: quia res per quascumque causas nascitur, per eas dissoluitur, *cap.1. de regulis iuris.* ita relati Doctores. Neque audiendus est Ioan. Sanchez *disput.54. in select. num.35.* dicens, non acquiri domicilium, quousque maiori anni parte perseueret quis in voluntate illo in loco perpetuò manendi, quia gratis, & sine authoritate asseritur.

2 Secundò conueniunt communiter Doctores, si intendas maiori anni parte in aliquo loco commorari, sicuti solent scholastici in vniuersitate studentes, solicitatores in curia, locantes operas ad longum tempus, teneris legibus illius, quia esto domicilium non fueris consecutus; consequeris tamen quasi domicilium: hoc enim dicitur assidua, & diuturna habitatio, ratione cuius potes conueniri, iuxta *l.2. in princ.* ibi, *& assiduè versatur, C. vbi senatores, vel alij clarissimi, & l. heres absens, §. proinde, in fine, ff. de iudiciis, & l.2. C. vbi de crimine agi oportet,* & ibi glossa *verbo elegit,* & tradit Tiraquellus *de retract. lignag. §.9. glossa 2. num.16.*

Farinac *suprà n.5.* Thomas Sanchez *lib.3. cap.23.n.12.* Item ratione quasi huius domicilij potes ibi recipere omnia sacramenta præter ordinem, ordo enim excipitur. *cap.cùm nullus, de temp.ordin.in 6.* Item ibi es sepeliendus, nisi alibi eligas sepulchrum. Molin. *de iust.tr.2. disp.214. vers.quando quis.* Ergo absolutè censeris subditus, & legibus illius loci obligatus: docet plures referens Sanchez *lib.3.de matrim.disp.18.n.9.* Lessius *lib.4. de iustit.cap.2.dub.7.num.47.* Bonacina *disp.1.de legibus, q.1.p.6.n.43.* Basilius de Leon *lib.5. de matrim.cap.7.§.1. n.4.* quamuis non desint plures Doctores relati à Sanchez *lib.3.de matrim.disp.18.num.8.* dicentes requiri animum perpetuò manendi, vt legibus, & consuetudinibus illius loci subdaris. Sed non videtur vllo modo admittendum.

3 Tertiò conueniunt Doctores teneri in contractibus seruare conditiones, & solemnitates à legibus illius loci, in quo contrahis, constitutas: quia ratione contractus sortiris forum, ibique ad standum contractui poteris conueniri, ex *cap.dilecti, cap.fin.de foro compet. l.quod si nolit, §.quia assidua, ff.de ædilit.edict. l.si hæres absens, §.si quis tutelas, ff.de iudic.* & in nostro iure, *l.32.tit.2.part.3.* docet plures referens Sanchez *num.10. & seq.* Molina *tract.2.de iust.disp.260.initio.* Basilius *num.21.* Bonacina *num.51.* Salas innumeros referens *disp.14. sect.4. n.52.* Quare si in contractu non seruetur solemnitas à lege locali præscripta, omnino est irritus, & nullus: vt tenet Felin. *cap.1.de sponsalib.num.23.* Bonacina, Salas, & alij *suprà.* Hinc fit te teneri pretium mercibus signatum seruare: quia lex de pretio est, quæ præcipuè pertinet ad contractum. Item quia teneris æquitatem seruare, quæ maximè in pretio procedit. Deinde teneris soluere gabellam, vel aliud quodcumque onus contractui annexum; quia est pars contractus, vel accessorium illius. Quæ omnia vera sunt, etiamsi per epistolam, vel nuntium contractus celebretur, docet Felin. & Basilius *suprà.*

4 Ab hac doctrina excipit Thomas Sanchez, Salas, Bonacina, Suarez *de legib.cap.33.n.13.* contractum dotalem, in quo dicunt non attendi solemnitatem loci, in quo celebratur, sed loci, in quo vir habet domicilium, probántque ex *l. exigere, ff. de iudic.* ibi, *mulier debet, vbi maritus domicilium habet, non vbi instrumentum dotale scriptum est.* Verùm hæc exceptio mihi non probatur, sed absolutè existimo contractum etiam dotalem, quoad lucrum, & alia onera, & conditiones, fieri debere, iuxta leges loci, in quo celebratus est. Moueor, quia nullo iure videtur exceptus hic contractus: nam supradicta lex non loquitur de solemnitate in hoc contractu requisita, & conditionibus illius, sed de exactione, & repetitione illius, quod longè diuersum est. Fateor, inquam, cùm dos repetenda est, debere repeti, vbi vir domicilium habet, non vbi dotis contractus celebratus est, quia bona viri obligata sunt doti soluendæ: at contractus secundùm leges loci, in quo celebratus est, iudicari debet: & ita in iure nostri regni videtur decisum. *l.24.tract.11.p.4.* ibi, *cala costumbre de aquella tierra do fiçieren el casamiento, debe valer quanto en las dotes, en las arras, en las ganançias, que fiçieron, e non la de aquel lugar, do se cambiaron.* & ita tenet, & optimè probat Salas *disput.16. de leg.sect.4. n.36.* cum Gregor. Lopez *in supradict.l.* Simancas *de catholic.instit.tit.9.n.143.* Basil. de Leon *lib.5. de matrim.cap.7.n.22.*

5 Dixi, ad standum contractui te conueniri posse, vbi contractus celebratus est, quia sortiris forum illius ex supradictis legibus: & *l.omnem obligationem, ff. de iudic.* & tradit alios referens Salas *num.45.* Excipi tamen debet, nisi ex voluntate contrahentium, & natura contractus, executio in alium locum designata sit: quod contingit, cùm incola alicuius loci cum aduena contrahit, quem scit statim discessurum; tunc enim non potest aduena conueniri in loco, vbi contractus est celebratus, sed vbi habet domicilium, quia ibi intendit se soluendo obligare, ex *l.contraxisse, ff. de oblig. & act.* ibi, *contraxisse vnusquisq; eo loco intelligitur, in quo vt soluerert, se obligauit;* alias durum esset, quotquot locis quis nauigans, aut iter faciens delatus est, tot locis se defendere, vt dicitur *in l.si hæres absens, 19.§.proinde, de iudic.* Et hac ratione dicimus contractum dotalem repetendum esse in loco, vbi vir habet domicilium, quia ex natura talis contractus, & ex voluntate contrahentium ille locus solutioni designatus est. Aliquas huic doctrinæ limitationes adhibet Matienzo *lib.5.recopil.tit.9.l.2.gloss.1.a n.71.* quæ omnia videnda sunt, quia optimè hanc materiam, & supradictam legem explicant.

6 Quartò conueniunt Doctores te teneri legibus loci, qua transis, si illæ leges obligent simul, vbi ipse habes domicilium. sic Sanchez *de matrim.lib.3.disp.18.n.3. & 24. & lib.4.in Decal.cap.12.n.21.* Salas *disp.14 sect.4. n.40.* Suarez *tom.1.de relig.lib.2.cap.14.n.15.* Bonacina *disp.1.q.1.p.6.n.52.* & contrarium dicere reputant absurdum. Ratio, quia iure communi per consuetudinem introducto, lex propria tui domicilij, vel lex illius loci, vbi resides, te obligat, quod certè æquum esse videtur, cùm ex hac obligatione non graueris amplius, quàm si in tuo proprio domicilio existeres. Quamuis contrà teneat Ioan. Sanchez *in select.disp.54.n.31 ad fin.*

7 Quintò conueniunt DD. si leges latæ sint in bonum illius loci, qua transis, te obligatum esse illas seruare: vt sunt leges prohibentes, ne aliqua merces ex oppido extrahatur, ne peregrini vltra tot dies commorentur, quia aliter populus defendi non potest: & ita tradit plures referens Sanchez *lib.3.de matrim.disp.18.n.14. & lib.1.in Decal.cap.12.n.36.* Salas *sect.4.n.54.* Bonac. *disp.1.q.1.p.6. n.53.* Suarez *lib.3.de leg.cap.32.n.8.* Quapropter in iure nostri regni, eadem incolis, & forensibus præscribuntur, vt constat ex *l.12. tit.12. lib.1. noua compilat. & l.12. tit.10.lib.5. & l.5.tit.18.lib.6.*

8 Sextò ferè omnes conueniunt te obligatum esse seruare leges oppidi, qua transis, si leges sint iuris communis, & vbique obligantes, etiam si in loco tui domicilij vigorem non habeant ex contraria consuetudine. Ratio videtur manifesta, quia tu subiectus es illarum legislatori, neque habes aliquam causam te excusantem ab illius obedientia: siquidem consuetudo tui oppidi, quæ te excusabat, non excedit territorium, non enim facit priuilegium personale, sed locale. sic Henriq *lib.9. de Missa, cap.25.n.2.* Nauarr. *cap.23 n.120.* Sanch. *lib.1.in Decal.cap.12.n.39.* mutans sententiam, quam docuerat *lib.3.de matrim.disp.18.n.7.* Sayrus *claui regia, lib.3.cap.4. n.15.dub.2.* Salas *de leg.disp.14. sect.4. circa fin.* Bonacina *disp.1.q.1.p.6.n.55.* Suarez *tom.1.de relig.lib.2.c.14.n.27. & 28.* Ex quo infertur Castellanum transeuntem per Lusitaniam non posse vesci die Sabbati animalium intestinis, sicut in Castella; quia iure communi obligatur abstinere, & solùm ex consuetudine Castellæ excusabatur. Et idem est de incolis illorum locorum, in quibus non incipit quadragesimale ieiunium à die quarta Cinerum, qui si transeant illac, vbi ieiunium seruatur, tenentur ieiunare. sic supradicti DD. quamuis contra teneat Sanchez *in loco allegato de matrim.* cum Palacios *4. dist.15.disp.8 post 6 concl.fol.126. vers. at verò,* & Petr. de Ledesm. *de matrim.q 45.art.5.p.3.dub.vlt.*

9 Sed obiicies hinc sequi ieiunia, & festa, & quaslibet alias leges latas ab Episcopo, in cuius diœcesi commoraris, vel à tuo Principe, te obligare transeuntem per totam diœcesim, etiamsi in loco, vbi domicilium habeas, vigorem non habeant?

Respondeo, si latæ sunt generaliter pro tota diœcesi, idem esse dicendum, ac diximus de legibus iure communi latis, obligare, inquam, omnes diœcesanos, dum sunt in diœcesi, neque posse excusari, nisi ob contrariam consue-

consuetudinem : quia non excedit terminos alicuius oppidi, extra illud non excusabit. At si leges non sint latæ pro tota diœcesi, sed pro aliqua ciuitate : tunc qui dicunt non teneri peregrinos legibus municipalibus illius loci, qua transeunt ; consequenter de his legibus dicendum est : quia non ad omnes subditos, sed ad subditos in illo loco feruntur. His ergo positis,

10 Prima sententia docet extra supradictos casus te deobligatum esse legibus loci, qua transis, seu in quo maiori anni parte residere non vis. sic Sanchez plures referens *lib. 3. de matrim. disp. 18. n. 6. & lib. 1. in Decalog. cap. 12. n. 38.* Sayrus *in claui reg. lib. 3. cap. 4. n. 15.* Lessius *lib. 4. de iust. cap. 2. dub. 7. n. 49.* Azor *tom. 1. lib. 7. c. 30. q. vlt.* Tolet. *lib. 6. sum. c. 5. n. vlt.* Bonac. *disp. 1. de leg. q. 1. p. 6. n. 36.* Ioan. Sanchez *disp. 54. select. n. 31.* vbi innumeros refert. Mouentur, quia nullus fit alteri subditus, vt obligari, & puniri possit, nisi ratione originis, domicilij, vel delicti, vt multis comprobat Farinac. *lib. 1. sua praxis, q. 7. à n. 1.* Sed domicilium, aut quasi domicilium, non acquiritur ex eo, quòd minori parte anni alicubi commoreris. Ergo non habes fundamentum, quo obligeris legibus loci, qua transis. Secundò Episcopus, v. g. illius loci, qua transis, neque te potest coniungere matrimonio, neque in votis dispensare, neque alios fauores conferre, præter sacramentum pœnitentiæ, & Eucharistiæ, ex tacita tui Episcopi concessione. Ergo neque poterit suis legibus te alligare. Tertiò adducitur à Sanchez decretum Leonis VIII. vulgo noni, *in epist. aduersus Michaëlem Imperatorem Constantinop. cap. 28.* vbi statuit, vt vnusquisq; iuxta ritum suæ Ecclesiæ celebret. Ergo non teneris loci consuetudinibus te conformare. Quartò probant ex Augu[illegible]relato *in cap. illa, dist. 12.* ibi, *Alia, quæ per loca terrarum, regionésque variantur, sicut est, quod alij ieiunant Sabbato, alij non ; totum hoc genus rerum liberas habet obseruationes.* vbi glossa ait, *verbo liberas*, quòd liberum est Sabbato ieiunare, quantum ad extraneos, non quantum ad illos, vbi consuetudo seruata est. Quintò adducunt *l. hæres absens. ff. de ind.* vbi probatur viatores non sortiri forum loci, qua transeunt. Sextò probant, ex eo, quòd qui transit, aut breui tempore diuertit ad locum, non dicitur moraliter in eo esse. *l. quæsitum, 76. §. fin ff. de legat. 3.* ibi, *rebus, quæ in fundo sunt legatis, non accedunt, quæ casu illic fuerunt, & l. si ita, 86. ff. eod. tit.* ibi, *nec quod casu ibi sit, magis esse legatum. & cap. nam & ego, de verb. signif.* vbi statim obiens, quasi non natus reputatur, & eadem de causa dicitur Salomon vnigenitus, quia frater vterinus, quem habuit citò obiit, & *in cap. ad vestram, de regularib.* dicitur, *qui triduo tantum fuit habitu regulari indutus, non dicitur habitum induisse* ; quia, vt ait ibi glossa, non dicitur factum, quod non durat: quam glossam sequitur Felinus *cap. in præsentia, n. 32. de probat.* sic non debet dici præsens esse alicubi, vbi non longo tempore commoraris. Septimò probant ex text. *in cap. à nobis, de sent. excom.* vbi Clemens III. dicit sententiam latam generaliter, in eos qui furtum fecerint, tantùm comprehendere subditos. Ergo tantùm comprehendit subditos incolas, non extraneos. Ergo extranei subditi non sunt. Denique variis exemplis nituntur hanc sententiam confirmare. Primò infideles transeuntes per Hispaniam non obligantur legibus illius. Secundò regulares non obligantur legibus territorij, neq; nouitij legibus professorum; neque Græci Sacerdotes legibus Latinorum. Ergo extranei non subduntur legibus loci, qua transeunt.

11 Nihilominus etsi supradicta sententia probabilis sit, probabilior multo mihi visa est affirmans peregrinum, & forensem teneri legibus loci, qua transit, dum tempore obligationis in illo persistit: sic Nauarr. *cap. 23. n. 120.* Couarr. *4. var. cap. 20. n. 8.* Henriq. *lib. 7. de indulg. cap. 13. n 8.* Suarez *tom. 1. de relig. lib. 2. de festis, cap. 14. & lib. 3. de leg. c. 33. à n. 33.* Salas *disp. 16. de leg. sect. 4. concl. 4.* Gabr. Vasq. *3. tom. in 3. p. disp. 184. c. 3. n. 28.* Basil. de Leon *lib. 5. cap. 7. §. 1. n. 6.* consentit ex parte Lessius *lib. 4. cap. 2. dub. 7. n. 47.* quatenus affirmat, si peregrinus, & forensis aliquibus diebus in loco commoretur, quia ille locus terminus est viæ, teneri legibus : & alij plures relati à Sanchez *illâ disp. 18. de matr. n. 4.* Salas, Suarez *locis cit.*

Ratio præcipua est, quia conformari consuetudinibus, & legibus loci omnes, qui ibi resident, dum præsentes sunt, & commorantur, conuenientissimum est, & rectæ gubernationi, paci, & tranquillitati reipublicæ maximè necessarium : vt colligitur ex August. *cap. quisquis, dist. 41. cap. in nona, 16. q. 7. cap. illa, dist. 12. cap. quæ contra, dist. 8.* Ergo debemus agnoscere esse aliquẽ in rerum natura, qui omnibus obligationem inducat ad seruandam hanc vniformitatem ; sed nullus alius esse potest aptior præter gubernatorem illius loci : ergo gubernator illius loci ex iure ipso naturali, vel gentium potestatem habet obligandi omnes in suo territorio existentes, dum ibi existunt. Et confirmo: si ibi peregrinus delinquat contra ius naturale, omnes conueniunt puniri à superiore illius loci posse ; sed hoc nulla alia ratione contingit, nisi quia ad rectam reipublicæ gubernationem conuenit, vt vbi quis commisit delictum, ibi puniatur, & malum exemplum punitione reparetur, sed æquè ad rectam gubernationẽ conuenit, ne mala exempla præbeantur, néve aliis occasio transgrediendi leges præbeatur. Ergo iustum est quemlibet obligari, se legibus illius loci conformare. Secundò si leges illius oppidi, qua transit peregrinus, in suo territorio obligant, admittunt communiter DD. etiam contrariæ sententiæ inducere obligationem, quia ex iure communi, consuetudine, & praxi recepta, leges eam vim habent; sed hæc consuetudo, & praxis recepta ostendi non potest, specialiter in hoc casu. Ergo dicendum est, esse generalem ad omnes leges, siue communes sint in oppido peregrini, siue diuersæ. Et confirmo, quia in præsenti casu, ideo obligatur peregrinus, quia ex peregrinatione non grauatur, siquidem existens in suo territorio obligatus maneret : at ex eo, quòd forensis legibus territorij, qua transit, obligetur, non inde grauatur : nam grauamen, quod illi imponitur obligatione illatum legum, compensatur aliunde exemptione legum sui territorij. Ergo. Tertiò si cùm leges sunt communes domicilio, & loco, qua transis, dicis te esse obligatum ex iure communi non scripto, etiam ex iure communi scripto manes obligatus seruare omnes ferè leges, & consuetudines loci, qua transis, etiamsi in tuo loco non obligent: nam vniuersalis est lex lata *in cap. fin. de ferijs*, obligans celebrare omnes festiuitates, quas Episcopus cum suo clero in sua diœcesi celebrandas statuerit. & *cap. 2. de obseru. ieiun. §. item*, dicitur in festiuitatibus, & abstinentiis seruandam esse consuetudinem regionis ; sed in his capitibus nihil distinguitur inter viatores, & incolas. Ergo omnes manent comprehensi. Ergo ex iure cõmuni adstringuntur viatores loci consuetudinibus. Quartò cùm lex municipalis est de re ad bonum illius loci pertinente, conueniunt Doctores, vt diximus, viatorem obligatum illa esse ; sed omnis lex ad bonum reipublicæ, & in vtilitatem illius refertur. Ergo ex hac parte omnis lex habebit vim obligandi viatores. Et confirmo, pax, tranquillitas, & bonum exemplum, non minus bonum est reipublicæ, quàm abundantia tritici, & copia armorum, & cuiusuis mercis. Sed quando lex prohibet, ne arma, vel triticum extrahatur, néve aliunde merces in rempublicam inuehantur, obligantur forenses ob bonum reipublicæ. Ergo etiam obligari debent omnibus legibus, ex quibus perturbari pax, & tranquillitas potest. Tandem probari potest ex supradictis locis August. quæ referuntur à Sanctio, Basilio, Salas, Suar. & aliis suprà, specialiter ex *cap. quæ contra, dist. 8.* ibi, *quæ contra mores hominum sunt flagitia, pro morum diuersitate sunt vitanda, vt pactum inter se gentis, aut ciuitatis, consuetudine,*

dine, vel lege firmatum, nulla ciuis, aut peregrini libidine violetur; turpis enim est omnis pars, vniuerso suo non conueniens. Vbi expendéda est ratio, quare August. obligat viatores se conformare consuetudini loci, qua transeunt, quia scilicet turpe est partem non se conformare vniuerso.

12 Aliqui Doctores hanc nostram sententiam limitant, vt solus transitus non sufficiat ab obligationem hanc inducendam, sed necessariò requiri, vt aliquo modo ibi viator sistat. sic Emanuel Saa *verbo Missæ auditio, num.6.* Lessius *suprà num.47.* Nauarr. *cap. 13. num. 5.* Ludouicus Lopez 1.*part. instruct. cap.52. §. nec peccant.* Sed reprobanda est limitatio, & dicendum obligatos esse viatores, ac sunt incolæ illius loci, & teneri legibus municipalibus, si instet tempus adimplendi illas: & ita docet Salas *num.50.* Basilius *num. 14.* Suarez *n.22. & seqq.* cùm enim ratione accessus, & habitationis pars sint illius reipublicæ, subditi fiunt gubernatori illius. Ex quo fit, si ibi seruatur ieiunium, te non posse carnibus vesci; quia abstinentia carnis toto tempore diei obligat. Idem est de Missæ auditione, si instat tempus audiendi, eo quòd non sit alia Missa, præter vnam, quæ dicitur, cùm tu ibi commoraris, teneris sanè illam audire, sicut & incolæ tenentur. Hoc tamen intelligendum est, casu, quo ibi maneas tempore proportionato audiendi sacrum, scilicet toto manè, vel magna illius parte; si enim solùm ad cibos sumendos ibi persistas, non videtur obligatio tibi esse imponenda, quia non est tempus proportionatum ad satisfaciendum huic obligationi. sic Salas *disput.14. de legibus sect.4. num.50. versic. & quamuis.* At si sunt plures Missæ dicendæ, & tu antequam finiantur, vis à loco, in quo est festum, exire, existimo te non esse obligatum audire sacrum; quia dum ades illi loco, non te instat obligatio audiendi sacrum, potes enim illam, vsque ad vltimam Missam differre: exiens verò iam eximeris ab obligatione, quæ ratione existentiæ in loco te tenebat; ergo nunquam censeris obligatus: sic docet Sanchez *lib.3. de matrim. disput.18. num.21.* Lessius *lib.4. cap.2. dub. 8. num.56.* & Salas *num.50.* vbi bene aduertunt, si dum es in illo loco, non celebratur sacrum, te non teneri illic expectare, quia dum ades ibi, non te instat obligatio ob defectum Missæ, expectare autem nulla lege videris adstringi. Ergo. & de his postea latiùs dicemus.

13 Supradicta nostra sententia de obligatione viatorum legibus municipalibus, quà transeunt, non solùm intelligenda est de obligatione directiua, sed etiam pœnali. Quapropter si pœna transgredientibus legem imponatur, afficiuntur illa aduenæ transgressores: tum quia committunt delictum in illa transgressione, vt supponimus; ergo debent ibi puniri: nam ratione delicti superiori illius loci subduntur. *l.15. tit.1. part.1. & ex authent. quæ in prouincia, C. vbi de crimine agi oportet, & cap. fin. de foro compet.* & aliis pluribus relatis à Farinac. *lib.1. praxis, quæst.7. num.1.* Tum etiam, quia vis præceptiua, siue coactiua inefficax esset, & inutilis: & ita tenet alios referens Salas *disput.14. de legibus, sect.4. n.49.* Basilius *num.15.* Suarez *lib.3. de legib. cap.33. num.9.*

14 Secundò intelligenda est doctrina, etiamsi lex pro solis aduenis, & peregrinis feratur, potest enim casus contingere, vt ad bonum commune reipublicæ spectet aliqua statuere solis peregrinis conuenientia, vt quòd non deferant arma, neque in tali loco recipiantur, neque sint tot dies, quin se manifestent, & alia huiusmodi. Ergo concedenda est in republica potestas ad hanc obligationem inducendam: aliàs non posset respublica se incolumem, & indemnem seruare: & ita tenet contra Innocent. *cap. à nobis, el 1. de sentent. excommun.* Panormit. & Hostiens. *ibi.* Syluester *excommunicatio 2. num.5.* Suarez *de legibus, lib.3. cap.33. num.7.* Salas *disput.14. sect.4. num.49.*

15 Ex supradictis fit, si lata sit excommunicatio aduersùs ferentes arma, vel colloquentes cum monialibus sine licentia, vel furtum committentes, incurrere excommunicationem. Sed hoc limitant Doctores, quando excommunicatio lata est per statutum, non per sententiam generalem: & sic explicant *cap. à nobis, el 1. de sentent. excommun.* vbi interrogatus Pontifex, an forenses comprehenderentur in excommunicatione lata ab Episcopo pro futuris delictis? respondet solos subditos comprehendi: dicunt ergo forenses esse exclusos, & ita tenet cum communi sententia Suarez *de legib. cap.33. num.9. & 10.* redditque rationem, quare statutum, & lex comprehendat forenses, non verò præceptum, quia leges afficiunt personas ratione territorij: at præceptum directè ad ipsas personas fertur; & cùm aduenæ solùm ratione territorij sint subditi, solùm legibus, & statutis videntur posse ligari. Deinde, quia leges, vtpote firmæ, & stabiles, sunt magis cognoscibiles: at præcepta non tam facilè cognosci possunt; meritò ergo viatores ab obseruatione præceptorum debent esse immunes, obligari tamen legum obseruatione. Ego verò dicendum existimo posse, forenses præceptis specialibus ligari, quia rectæ gubernationi reipublicæ hæc potestas videtur conuenientissima. Item omnes rationes, quæ militant de legum obligatione, procedunt in præceptis; præcipua enim ratio, ob quam legum obligatio tenet forenses, est conformatio cum reliquis de republica, quæ in præceptis æquanimiter procedit, neque illa distinctio legis à præcepto, scilicet legem ferri ad personas pro territorio, præceptum verò ad solas personas, est satis fundata. Lex enim, & præceptum extra territorium operari non potest. Quocirca non solùm posse, sed de facto obligari peregrinos sententiis generaliter latis, credo probabilius cum glossa *in supradicto cap. à nobis, de sentent. excommun.* Et licèt Pontifex expresè non dixerit aduenas ibi comprehendi: non tamen illos exclusit, sed quasi rem indecisam reliquit, vt locus daretur opinionibus; qui enim dicunt aduenas comprehendi, debent explicare, voluisse Pontificem comprehendere omnes subditos tam incolas, quàm aduenas, dum ibi existunt, secus dum terminos territorij egrediuntur, iuxta *cap. vt animarum, de constitut. in 6.* Adde supradictum caput à nobis posse optimè, non de sententia, sed de statuto, & lege explicari, quia eodem modo procedit, ac *cap vt animarum, de constitut. in 6.* quod esse statutum omnes affirmant: sic aliqui relati à Salas *n.44.* Basilius de Leon *n.19. & 30.*

16 Neque hinc fit delinquentem in suo oppido, si alio accedat, posse ibi puniri, vt intulit aduersùs communem sententiam Basilius de Leon *num.15.* leui fundamento adductus. Mouetur, inquam, quia viator est subditus iudici illius loci, sicut & legibus illius: quod probat ex *Clement. Pastoralis, de sentent. & re iudic.* ibi, *quòd si punitio criminis intra districtum imperialem commissi, ad Imperatorem forsan pertinuisse asseratur, verum est quidem, si in eodem districtu fuisset inuentus delinquens, vel ad illum de more remissus; quare si eius fines transgrediatur, cessat potestas.* Ex quo ipse Basilius infert: ergo delictum causa non est subiiciendi delinquentem iudici; aliàs vbicumque delinquens maneret, subditus esset. Et confirmat suam sententiam ex praxi curiæ Romanæ, quæ alibi delinquentes punit.

Verùm hoc fundamentum leue est, vt à communi sententia recedamus: viatores enim subditi non sunt iudici loci, qua transeunt, nisi in his, quæ ad rectam illius reipublicæ gubernationem pertinent, quia cùm domicilium non acquisierint, neque ibi delictum commiserint, non habent fundamentum integræ subiectionis. Quapropter tota illorum subiectio est indirecta, & quatenus ad bonum commune reipublicæ pertinet: at ad bonum illius reipublicæ, qua transeunt, non pertinet punire delicta alibi commissa, sed ad summum remitte

mittere delinquentem puniendum. Ergo. Et *Clement. Pastoralis* hoc ipsum probat, siquidem dicit, non posse iudicem ordinarium punire delinquentem existentem extra territorium suæ iurisdictionis, nisi fuerit illi de more remissus. Supponit ergo Pontifex de more, & consuetudine esse remittendum: mos autem cùm non sit specialis alicuius prouinciæ, sed generalis, constituit ius, atque adeò de iure est remittendus. Ergo non potest iudex illius loci illum punire. Adde, etsi delictum integra causa sit subiectionis, non obinde sequitur existentes extra territorium posse à iudice puniri, quia constituit subiectionem, dum est intra territorium, secus extra: sicut domicilium, quod est causa integra constituendi subiectionem, non dat actionem iudici extra territorium. Quòd autem alibi delinquens non possit à iudice loci illius, qua transit, puniri, tenet innumeros referens, & latè probans Farinacius *lib. 1. praxis, quæst. 7. à num. 6. & 7.* & ad consuetudinem Romanam optimè respondet *num.* 12. id prouenire ex præscripta consuetudine; cùm enim à principio fuerit totius orbis domina, & ratione sui imperij omnes ei subiicerentur, delinquentes alibi ipsa puniebat: & hæc potestas ex tacita aliorum Principum concessione videtur prorogata. Aduertit tamen Farinacius non pœna ordinaria, sed extraordinaria puniri. Plures limitationes huius doctrinæ adducit Farinacius de fure reperto cum re furata, de hæretico, de bannito, de assasino, de latrone publico. Sed si bene expendantur, hæc non sunt limitationes, sed declarationes regulæ generalis, quæ dicit ratione delicti delinquentem subiectum esse iudici illius loci, in quo delictum commissum est: nam omnes hi censentur continuare delictum, & illud, quasi de nouo, vbi resident, præstare.

17 Restat argumentis num. 10. allatis satisfacere.

Ad primum dico, domicilium, & delictum reddere subditum ad inquisitionem de delicto faciendam: de quo loquitur cum communi sententia Farinac. at ad obligationem ei imponendam sufficit habitatio, quæ si permanens sit, permanenti obligationem inducit, secus transeunti. Quæ solutio necessariò est ab aduersariis admittenda in legibus, & præceptis, quæ ob bonum commune reipublicæ feruntur, quæque diximus adstringere peregrinos, & in legibus, quæ æquanimiter obligant in loco peregrinationis, ac in domicilio. Nam ex aliquo capite oritur tunc subiectio, & obligatio, non ex domicilio, neque ex delicto. Ergo ex transeunte obligatione. Ergo habitatio transiens sufficit ad subiectionem constituendam in his, quæ ad bonum commune reipublicæ pertinent.

Ad secundum facilis esset solutio, si concederemus posse, Episcopum loci, qua transeunt peregrini, illos matrimonio iungere, & in votis dispensare: vt cum aliis defendit Basilius de Leon *lib. 5. de matrim. cap. 13. num. 4.* Sed dato non posse, non inde infertur, non habere iurisdictionem, ad subiiciendum viatorem suis legibus, sicut & habet ad subiiciendum legibus bonum reipublicæ spectantibus; quia ad hanc iurisdictionem solùm requiritur habitatio, etsi modica sit; at ad dispensandum, & coniungendum matrimonio, & reliqua alia sacramenta, quæ necessaria non sunt, potest non solùm habitatio pro maiori anni parte, sed quæ verè domicilium constituat, requiri, vt docet Azor *tom. 1. lib. 5. cap. 11. quæst. 5. fine*, & alij multi relati à Sanchez *illa disput. 18.* Adde non ex eo, quòd Episcopus non possit ordinare, & confirmare viatorem, nisi residentem maiori anni parte, infertur non posse suis legibus illum adstringere. Ergo neque etiam ex eo, quòd non possit coniungere matrimonio, vel dispensare, debet inferri; ex vna enim potestate ad aliam non procedit argumentum. Et ratio omnium est, quia potestas obligandi legibus, ex bono reipublicæ, in qua forensis moratur, procedit: quòd bonum cùm adsit, etiamsi breuissimo tempore ibi existat, tribuit potestatem: at potestas dispensandi, & coniungendi matrimonio, respicit bonum ipsorum, qui coniungendi, vel dispensandi sunt. Non ergo est mirum si remittantur ad proprium pastorem, & denegetur facultas ei, qui ex accidenti solùm proprius est.

Ad tertium fatemur quemlibet Sacerdotem debere celebrare iuxta morem suæ patriæ, vel in azymo, vel in fermentato, quia ita specialiter est constitutum in Concilio Florentino sub Eugenio IV. obseruandam pacem, & vnionem inter Ecclesiam Græcam, & Latinam: ex quo ad alios casus non licet arguere; imò potiùs ex hoc priuilegio licet inferre obligandos esse viatores se conformare legibus loci, qua transeunt, in omnibus illis casibus, in quibus non est speciale priuilegium; quia exceptio firmat regulam in contrarium.

Ad quartum reiicienda est expositio glossæ dicentis, ieiunare in Sabbato, vel non ieiunare, liberam esse obseruationem, quatenus ad extraneos, non quantum ad incolas; omnes enim adstringuntur, vt diximus, consuetudine recepta: quare expositio legitima est. S. August. ait, hoc genus rerum liberam habere obseruationem, quia liberum est cuilibet populo sine præiudicio fidei, quod in hac parte libuerit, obseruare; cùm tamen in rebus ad fidem pertinentibus hæc libera obseruatio admitti non debet.

Ad quintum iam constat, qua ratione viatores non sortiuntur forum loci, qua trãseunt, vt possint, inquam, ibi conueniri, quando scilicet ex mutuo consensu, vel ex natura contractus, alibi est destinata solutio; secus verò dicendum de solemnitatibus, & conditionibus in contractu requisitis.

Ad sextum concedo legato fundo, non legari seruos, qui ibi casu sunt; non enim ex eo, quòd quis habet dominium alicuius rei, debet illud habere omnium illarum rerum, quæ ibi existunt: at vbicumque aliquis sit, necessariò iurisdictioni illius reipublicæ subiici debet, quia ad rectam gubernationem hæc subiectio pertinet. Ea autem, quæ adducuntur ex *cap. nam & ego, & cap. ad vestram, de regularib.* optimè explicat Suarez *illo cap. 14. de relig. num. 15.* ait enim cum Panormit. dici per quandam metaphoram, & impropriet atem non durare ea, quæ breui tempore durant, non quia verè non durent: sicuti Pontifex vnius diei, verè Pontifex est, & inter Pontifices numeratur; etsi possit reputari per metaphoram quandam, ac si non fuisset: cùm autem in præsenti non de metaphora, & improprietate, sed de veritate sermo sit, an scilicet legibus loci teneatur, qui verè in loco existit, dum ibi permanet, non debemus ad metaphoras recurre. Adde Salomonem dici vnigenitum, quia ex legitimo matrimonio vnigenitus fuit. textus verò *in cap. ad vestram, de regularib.* fundabatur in præsumptione, præsumebatur enim monachum illum non consensisse in professione, cùm tam breui tempore ab ea resiliret: at obligatio viatorum ad leges loci, qua transeunt, non in præsumptione animi, sed in vera loci existentia, & vnione cum reliquis de ciuitate fundatur.

Ad septimum iam diximus non solùm statutum, sed etiam sententiam comprehendere subditos intra territorium existentes, secus extra morantes.

Ad vltimum nego infideles non teneri legibus politicis loci, qua transeunt; concedo tamen non teneri legibus Ecclesiasticis, quia sunt extra iurisdictionem Ecclesiæ. Idem dicendum est de regularibus, quia exempti sunt, non obligari legibus cuiuslibet Episcopatus, nisi in casibus à iure expressis: at obligantur legibus illius conuentus, qua transeunt. Nouitij autem, etsi non teneantur legibus professorum, quia non sunt professi: at astringuntur aliquibus legibus propriis, quæ statum

suum respiciunt. De sacerdotibus celebrantibus more suæ patriæ iam dictum est.

§. IV.

Quid dicendum de vagis: qua ratione legibus teneantur.

1 *Quis sit vagus.*
2 *Hos non teneri legibus loci qua transeunt, sicut peregrini, & forenses, affirmant aliqui.*
3 *Reprobatur hæc sententia.*
4 *Vagus puniri potest à iudice loci, in quo capitur, tametsi forensis non possit.*
5 *Probabilius est remittendum esse ad locum delicti, si petatur à iudice illius.*

1 Vagus est, qui nullibi habet certam sedem; quare qui alicubi habuit domicilium, & ab illo exiit animo non redeundi, sed alibi assistendi, vagus est, quousque domicilium figat. sic Thom. Sanchez *lib.3. de matrim. cap.25. à num.1. vsque ad 4. & lib.1. in Decal. c.12. num.23. fine*, & multis allegatis Farinac. *lib.1. praxis quæst.7. num.15.*

2 De his ergo vagis sentit Leonardus Lessius *lib. 4. cap.2. dub.7. num.49.* & Sayrus *in claui regia lib. 3. cap.4. num.8.* idem esse dicendum ac de pereginis, & viatoribus, cùm affirmet peregrinos & viatores nullis legibus oppidi, qua transeunt, adstringi; & de vagis censet esse idem dicendum: & ita tenet Ioan. Sanch. *in suis select. disp.54. num.34.*

3 At meritò ab omnibus aliis Doctoribus reiicitur hæc sententia, etiam ab illis, qui affirmant peregrinos, & forenses exemptos esse à legibus municipalibus, & Episcopalibus. Nam in vagis est specialis ratio, cùm enim nullibi habeant domicilium, debent illud sortiri ex præsentanea habitatione, aliàs omnibus legibus particularibus essent exempti, quod à recta eorum gubernatione dissidet: & ita tenet Sanchez *lib. 3. de matrim. disp.18. num.15. & in Decalog. lib.1. cap.12. num.23.* Azor *tom.1. lib. 5. cap.11. quæst.13.* Salas *disp.14. de leg. sect. 4. num.55.* Bonacina *disp.1. de leg. quæst.1. punct.6. num.54.* Suarez *tom.1. de relig. lib.2. cap.14. n.20.* Basilius de Leon *lib.5. de matrim. cap.7.* Lorca *1.2. tom.2. disp.25. in fine, in tract. de leg.*

4 Ex quo infertur vagum puniri posse à iudice loci, in quo capitur de delicto alibi commisso: sic probat textus cum glossa *in l. 1. C. vbi de criminibus agi oportet*, quam ait Farinac. *lib.1. praxis quæst.7. num.13.* esse communiter receptam.

5 Difficultas autem est, an debeat remitti ad iudicem, vbi commisit delictum, si petatur? in qua re Farinac. *lib.1. praxis quæst.7.* alios referens, docet, non esse remittendum necessariò, si iurisdictiones sint sub diuersis Principibus, secus si sub vno Principe. Nam quando sunt sub diuersis Principibus, verè iudex capiens vagabundum habet iurisdictionem in illum ex præsentanea habitatione; sicut si ibi figeret domicilium. At quando sub eodem Principe versatur iurisdictio, censetur Princeps nolle delinquentem alibi puniri, nisi in loco, vbi commisit delictum. Cæterùm probabilius credo semper delinquentem remittendum esse ad locum delicti, vt ibi puniatur, si à iudice loci illius petatur remissio; quia iudici illius loci ratione delicti subiectus est: neque videtur subiectus iudici loci, qua transit, in punitione delictorum, quæ alibi sunt commissa: nisi ad summum in defectum iudicis, vbi delictum commissum est, quia punitio est ob exemplum, & reparationem scandali dati: quod cùm datum solùm sit, vbi delictum commissum est, ibi est puniendum. quæ ratio probat, siue domicilium acquiratur, siue non. sic Decian. *in tract. crim. tom.1. lib.4. cap.13. num.17. & seq.* Couarr. *pract. qq. cap.11. num.7.* Iulius Clarus *lib.5. recept. sent. in pract. crim. quæst.39. num.7.* consentit Azor *tom.1. lib.5. cap.11. quæst.3. fine.*

§. V.

An peregrinus, & forensis teneatur legibus suæ patriæ, quando alibi est, vbi non vigent.

1 *Nullus adstringitur legibus extra territorium.*
2 *Quid ex eo inferatur.*
3 *Si animo non seruandi legem, à territorio exeas, negant plures te deobligatum manere.*
4 *Probabilius est oppositum, licitámque esse talem fugam.*
5 *Satisfit argum. num.3. adductis.*
6 *Si in tua parochia sit dies festiuus, & extra non; non teneris Missam audire, si non dicitur, dum ibi assistis, neque illam expectare.*
7 *Si tamen dicuntur plures Missæ à mane, vsque ad 12. non potes hora octaua exire Missa non audita, secundùm satis probabilem sententiam.*
8 *Probabilius censeo oppositum.*
9 *Quid dicendum de ieiunio? affirmant plures te posse ientaculum sumere manè vbi ieiunium obligat, si nocte peruenturus es ad locum, in quo nulla est obligatio.*
10 *Probabilius censeo oppositum.*
11 *Cum manè deobligatus fuisti à ieiunio, non teneris vespere illud seruare, defenditur, vt probabilius.*
12 *Si iam impleuisti præceptum communionis, ieiunij, & festi: in loco tui domicilij non teneris illud seruare, secluso scandalo, cum peruenisti ad locum, vbi tunc viget.*
13 *Leges respicientes delictum in territorio commissum ligant subditum extra existentem, quidquid immerito contradicat Basil. de Leon.*
14 *Beneficiarij absentes absque legitima causa ligantur excommunicatione lata aduersus absentes.*
15 *Fur existens extra territorium ligatur excommunicatione lata aduersus illum ob delictum in territorio commissum.*
16 *Statuto municipali obligari potest subditus absens, ad id quod cedit in vtilitatem grauem municipij.*
17 *Excommunicatione lata aduersus colloquentes cum monialibus, ligat beneficiarios, tametsi monasteria extra diœcesim existant, asseritur, vt probabile.*
18 *Proponitur obiectio, & resoluitur, quid sit tenendum.*
19 *Ratione rei sitæ ligari potest absens statuto municipali.*
20 *Communis sententia docet statuto municipali, specialiter in damnum communitatis non cedentes absentes non ligari.*
21 *Contrarium censeo satis probabile.*
22 *Satisfit tacitæ obiectioni.*
23 *Quod dictum est de lege, dicendum est de pœna, quæ ad sui executionem officium iudicis non requirit.*
24 *Si censura imposita est alicui delicto, & illud inchoat in tuo territorio, perficis extra, censura non ligaris, tametsi alij contra sentiant.*
25 *Pœna, quæ officium iudicis requirit, extra territorium imponi non potest.*
26 *Potest imponi à iudice, in quo delictum consummatum est, & etiam ab eo, in quo fuit inchoatum, si ibi habeat domicilium.*
27 *Item, etsi domicilium non habeat, communis sententia docet posse puniri delinquentem à iudice, in quo delictum fuit attentatum, non solum ob attentationem, sed ob delictum, quod alibi consummauit.*
28 *Proponitur quædam obiectio, & fit ei satis.*
29 *Quæ dicta sunt de territorio alieno, dicenda sunt de locis exemptis.*
30 *Quæ dicantur loca exempta?*

1 Com

1 Communis, & recepta sententia est, neminem extra territorium adstringi legibus illius, etiam si leges sint iuris communis; quia extra territorium ius dicenti non paretur impunè, vt est decisio textus *in cap. vt animarum, de constitut. in 6.* & tradunt ibi Doctores, *& in cap. à nobis, de sentent. excommunic.* sic Sanchez *lib. 3. disput. 18. de matrim. num. 18. & in Decalog. lib. 1. cap. 12. num. 26.* Couarr. *4. variarum, cap. 20. num. 8. & in cap. alma, 1. part. §. 10. num. 3.* Azor *tom. 1. lib. 7. cap. 30. fine.* Suarez *lib. 2. de festiuit. cap. 13. num. 2. & cap. 14. n. 25. & lib. 3. de legibus, cap. 32. num. 3.* Basilius de Leon *lib. 5. cap. 8. num. 1.* Bonacina *disp. 1. de legibus, quæst. 1. punct. 6. num. 59.* Salas innumeros referens *disput. 14. de legibus, sect. 5. num. 60.* Lessius *lib. 4. de iustit. cap. 2. dub. 8.* Sayrus *in claui regia, lib. 7. cap. 3. num. 11.* Ratio est, quia Princeps in lege ferenda bono suæ ditionis attendit. Ergo extra suam ditionem nihil imperare potest.

2 Ex quo fit peregrinum, & forensem accedentem ad locum, vbi ieiunium non seruatur, sicuti si veniret Mediolanum, primis quatuor diebus Quadragesimæ, in quibus carnes vescuntur, posse moribus illius se conformare. Idem est, si Lusitanus veniret Castellam, posset die Sabbati intestinis animalium vesci. Et idem est de vicinis vnius parochiæ, si transeant in aliam parochiam. sic supradicti DD. Suarez, Bonacina, Salas, Sanchez, Basilius *suprà.*

3 Sed restant enodandæ aliquæ difficultates.

Prima, an si animo eximendi te ab obligatione, qua in tuo territorio adstrictus es, peregrineris, possis tunc priuilegio vti?

Negat Petr. de Ledesma *de matrim. quæst. 45. art. 5. p. 3. dub. vlt. concl. 1. & 3. fol. 198.* Man. *1. tom. summ. cap. 219. num. 2. fine.* Rebellus *de iustit. 2. part. lib. 2. quæst. 7. sect. 3. num. 16.* & inclinat Salas *disput. 14. de legibus, sect. 5. n. 63. circa finem.* & Sayrus *in claui regia, lib. 7. cap. 3. num. 12.* & specialiter, cùm quis ob confessionem faciendam alteri à proprio Sacerdote proficiscitur: tenet Gabr. Vasquez *in 3. part. quæst. 98. art. 2.* Mouentur ex *cap. sedes, cap. ex tenore, de rescript.* vbi fraus, & dolus nemini patrocinari debent: at hic dolum, & fraudem committit. Deinde *in l. 1. §. iidem aiunt, ff. de aqua pluuia arcenda,* prohibetur fodiens agrum proprium, si id fecerit animo nocendi alteri, scilicet auertendi fontem vicini, quòd si animo fecit meliorem suum agrum reddendi, ei permittitur: at hic animo nocendi legislatori proprio fugit à loco. Ergo ei non est licitum.

4 Nihilominus tenenda est contraria sententia, scilicet licitum esse fugere hanc præcepti obligationem, & exire à loco, vbi ieiunium, vel festum viget, animo solùm in alio loco, vbi præceptum non est, laborandi, vel comedendi. Ratio efficax est, quia in hac fuga vtitur iure sibi concesso; neque enim præceptum, quod in aliquo loco viget, obligat ibi vicinos persistere, sed solùm obligat, vt dum ibi adsunt, seruent illud: postquam autem ex illo loco exierint, iam cessat eius obligatio: & ita tenet alios referens Sanchez *lib. 3. de matrim. disput. 18. num. 29. & lib. 1. in Decalog. cap. 12. n. 35.* Basilius de Leon *lib. 5. de matrim. cap. 9. num. 4.* Suarez *tom. 1. de relig. lib. 2. cap. 13. num. penult.* Bonacina *disput. 1. quæst. 1. punct. 6. num. 64.* qui omnes docent intendentem contrahere sine parocho, & testibus, seruata tamen antiqua forma, posse se conferre ad locum, vbi non est acceptum Tridentinum: etiamsi eo animo faciat, neque obinde peccare, quia non potest dici fraudem committere, vtens iure sibi concesso, ex *reg. nullus videtur, ff. de regul. iur. & l. 3. §. si tamen, ff. de libero homine exhibendo.* qua ratione optimè aduertit Sanchez *illa disput. 18. num. 29.* cum Couarr. & Sarmient. contrahentem cum concubina in articulo mortis, ea intentione, vt filios legitimos faciat, non peccare, etiamsi in fraudem substituti fecerit, quia non potest dici fraudem committere, qui iure vtitur proprio: colligi etiam licet, licere peregrinum habentem casus reseruatos, vel alia causa intendentem alteri, quàm parocho domicilij confiteri, peregrinari ea intentione, quia vtitur iure sibi concesso, tempore peregrinationis, confiteri, inquam, cui voluerit, non ex concessione proprij parochi domicilia-ris, sed ex concessione iuris communis. sic expressè Basilius *num. 6.*

5 Argumenta contraria ex dictis manent soluta: non enim committitur fraus, dum quis iure suo vtitur. Neque in præsenti facis aliquam iniuriam legislatori, ex eo, quòd eius obligationem fugias; ipse enim non habet potestatem obligandi, nisi dum in suo territorio extiteris: at egressus ex illo, iam cessat eius iurisdictio. Adde supradictam *l. 1.* prohibere fossionem agri, cùm constat nullo alio fine fieri, nisi damnificandi vicino: at in præsenti non potest constare fugam esse ob minuendam iurisdictionem superioris, sed potiùs ob commodum tibi inde proueniens. Ergo.

6 Secunda difficultas est, an si in tua parochia sit dies festiuus, & extrà non, tenearis audire Missam, antequam exeas è tua parochia?

Et quidem si nullum est sacrum, antequam exeas, etiamsi postea futurum sit, censeo te non esse obligatum expectare, quia præceptum Missæ non obligat ad expectandum in loco, sed ad audiendum sacrum, cùm audiri potest. Econtra verò si solum vnum sacrum est, quódque celebratur, cùm tu præsens es loco, sine dubio obligatus es audire, quia obligaris præcepto, & est commoditas adimplendi, nec apparet ratio, vnde excuseris: in his conueniunt Doctores statim referendi.

Difficultas est, an quando in tua parochia plures sunt Missæ celebrandæ. v. g. à manè vsque ad duodecimam, possis non audito sacro egredi hora octaua ad locum, in quo Missa dicenda non est, neque illius est obligatio?

7 Negat Suarez *lib. 2. de festis, cap. 5. circa finem, num. 9. & 10.* quem sequitur Basilius de Leon *lib. 5. de matrim. cap. 8. num. 6.* Mouentur; quia dum es illo in loco, afficeris præcepto, & obligatione audiendi sacrum: contracta autem obligatione, non illam pro tuo libito exequtere potes, sed illam debes necessariò adimplere, quia est præceptum affirmatiuum, quod obligat implere, quàm primùm possit, neque suppetit postea via implendi. Et confirmo. Si stante illo in loco scires impediendum fore, audire sacrum, necessariò hora nona, tenebaris hora octaua sacrum audire, & impedimentum præuenire: & idem est de recitatione horarum, & de communione paschali, & generaliter de quolibet præcepto, quo semel fuisti ligatus, si scias impedimentum tibi esse apponendum, teneris ante implere: at in præsenti scis apponendum tibi esse impedimentum, ne audias sacrum, & hoc à tua voluntate; ergo debes anteaquam impedimentum apponas, sacrum audire.

8 Nihilominus, etsi hoc sit satis probabile: at probabilius credo te non teneri audire sacrum in supradicto casu: docet Sanchez *lib. 3. de matrim. disput. 18. n. 21. & lib. 1. in Decalog. cap. 12. num. 32.* Salas *disput. 14. de legibus, sect. 5. num. 66.* Ioan. Sanchez *in select. disp. 54. n. 29.* Probo, quia dum ades in illo loco, & sunt plures Missæ celebrandæ, quibus potes satisfacere præcepto, non te vrget præcepti obligatio: at præceptum non te obligat à loco non exire. Ergo non te obligat audire sacrum, si non vis exire. Probo consequentiam, quia exiens à loco, iam exemptus es ab obligatione. Et confirmo: si scires tibi esse concedendam dispensationem hora decima à præcepto audiendi Missam, illo die non tenebaris Missam præuenire: sicuti si scires tibi esse concedendam dispensationem recitandi horas canonicas

nicas illo die, non tenebaris præuenire tempus dispensationis, sed egrediens à loco, conceditur tibi dispensatio, & egressus nullo iure tibi prohibetur: ergo non teneris Missam præuenire. Secus verò dicendum, si ad locum, vbi obligat præceptum, proficisceretis, in quo tamen scis celebrandum non esse sacrum; tunc enim tenebaris audire sacrum, antequam exires, quia tunc illa Missa, quæ dicitur, quando vis exire, est reputanda vltima, & vnica, & obligatoria præcepti. Quocirca est aduertendum duplex esse genus impedimentorum præcepti adimplendi: alia sunt impedimenta, quæ omnino liberant à præcepto, alia, quæ excusant. Impedimenta, quæ liberant à præcepto, non teneris præuenire, neque impedire, etsi possis: qua ratione non teneris impedire dispensationem, quæ te omnino liberat à præcepto: at impedimenta, quæ solùm excusant à præcepto, quia præcepto manes subiectus, vt sunt infirmitas, ignorantia, obliuio, detentio, & similia, tenebaris præuenire, vt præcepto satisfaceres, neque tibi licitum erat quærere hæc impedimenta, vt ab obligatione præcepti liberareris: at dispensationem præcepti, & egressum à loco vbi obligat, nullo iure cauetur te non posse quærere. Ergo. Et per hæc solutum manet argumentum contrarium.

9 Tertia difficultas est, an idem dicendum sit de ieiunio? in tuo enim oppido est dies ieiunij, extra non est; poterisne in tuo oppido carnes, & ientaculum sumere manè, si scias vespere futurum esse in loco, vbi ieiunium non seruatur?

Et quidem omnes conueniunt te existentem in loco, vbi ieiunatur, non posse carnes comedere, quia obligatio abstinendi à carnibus obligat pro singulis momentis, & quolibet momento integrè adimpleri potest: ergo teneris illa obligatione, dum es in tuo oppido. Dubitatio solum est de ientaculo sumendo, an, inquam, sumere illud possis manè, sciens vespere deobligatum esse à ieiunio? Affirmat Sanchez *disp.* 18. *num.* 22. *& in Decal. lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 34. Lessius *lib.* 4. *cap.* 12. *dub.* 8. *num.* 57. Salas *disp.* 14. *sect.* 5. *num.* 68. Suarez *lib.* 2. *de relig. tom.* 1. *cap.* 13. *fine, & lib.* 3. *de leg. cap.* 32. *num.* 3. Ioann. Sanchez innumeros referens *disp.* 54. *de ieiunio, num.* 27. *&* 30. Mouentur, quia obligatio ieiunij est indiuisibilis, consistens in vnica comestione; quare semel ieiunio violato, nulla est obligatio: at ieiunium nocte obligatorum non est. Ergo neque obligabit summo manè. Neque obstat causam nondum adesse, sufficit moralis illius certitudo; sicut iturus exercendum opus seruile, potest cibos sumere, antequam exeat, non obstante ieiunij præcepto, quamuis causa excusans nondum extet, impedirique posset.

10 Cæterùm hæc sententia mihi non probatur, quia nullus potest excusari à præcepto ob moralem certitudinem superuenientis dispensationis, quia non spes dispensationis, sed dispensatio ipsa obligationem præcepti tollere potest: atqui existens in loco vbi ieiunium seruatur, obligatur ieiunio. Ergo non potest ab illo excusari ob spem existentiæ in loco priuilegiato postea futuræ: aliàs non existentia in loco priuilegiato, sed spes, & voluntas illius priuilegium concederet. Neque est simile de laborante, cui enim labor est necessarius, eo ipso à ieiunio excusatur, non ob laborem existentem, sed ob necessitatem illius: quocirca dicimus communiter laborantes deobligatos esse ieiunare diebus festiuis, non solùm ob defatigationem laboris præcedentis d[illegible], sed ob necessitatem ad laborandum die sequenti. Sed necessitas, aut voluntas obtinendi dispensationem, aut existendi in loco priuilegiato, non eximit à ieiunio. Ergo manes illo obligatus: & ita tenet Basil. de Leon *lib.* 5. *cap.* 8. *num.* 3.

11 Sed quid di[illegible]endum, si manè deobligatus fuisti à ieiunio, vel quia non impleuisti 21. annos, vel quia fuisti in loco, vbi non seruatur ieiunium, & absque illius violatione peruenis ad locum domicilij, vbi ieiunium seruatur, poterisne in reliqua parte diei ieiunium non seruare? Negat Thom. Sanchez *lib.* 1. *cap.* 12. *n.* 33. Lessius *lib.* 4. *cap.* 2. *dub.* 8. *num.* 57. Basil. de Leon *lib.* 5. *de matrim. cap.* 8. *num.* 3. Mouentur, quia absolutè potes præceptum seruare, & illo teneris, cùm es in loco domicilij. Cæterùm credo esse satis probabile in præsenti casu te non esse obligatum, docet Ioann. Sanchez *disp.* 54. *select. n.* 4. *&* 28. Quia præceptum ieiunij, seu abstinentiæ à duplici comestione, respicit totum diem integrum, vt indiuiduum obiectum: non enim per mandatum ieiunij, præcipitur dimidium diei, vel quartam partem ieiunare, sed totum diem. Igitur exemptus à ieiunio per aliquam partem, totaliter liberatur illo die, cùm præceptum illud, vel totum diem comprehendere debeat, vel nullam partem illius. Et confirmat ex principiis, Sanchez, Lessij, & aliorum dicentium, si accessurus sis ad locum, vbi non seruatur ieiunium, posse in loco domicilij, vbi seruatur, prandium sumere, quia sufficit, quòd nocte cœnare possis. Si ergo quòd nocte debeas esse exemptus ab obligatione, honestat comestionem in loco domicilij, vbi viget præceptum, etiam similiter honestabit, quòd fueris manè exemptus.

12 Quarta difficultas est de eo, qui existens in suo oppido, præceptum confessionis, & communionis ieiunij Quadragesimalis, & festi expleuit, peruenit tamen ad locum, vbi tunc obligat, quod sæpè contingere potest ob non receptum nouum Kalendarium Gregorianum: an, inquam, hic sit obligandus consuetudine illius loci, præcipuè si ibi figat domicilium? Basil. de Leon *lib.* 5. *de matrim. cap.* 8. *fine.* A præcepto communionis, & confessionis excusat; secus verò à præcepto ieiunij, & festi: & rationem differentiæ reddit, quia præceptum communionis, & confessionis personas alligat independenter à loco; quare qui illi obligationi fecerit satis, non videtur amplius teneri, aliàs ad bis communicandum in anno obligaretur; secus verò dicit esse dicendum de ieiunio, & festo, quæ personam in ordine ad locum adstringunt. Verùm in vtroque casu idem censeo dicendum, neminem scilicet, secluso scandalo, teneri obseruare festum, & ieiunium, sicuti neque communicare, si iam in sua parochia tali festo, & ieiunio, & communioni paschali satisfecit, quia hoc præceptum adstringit fideles non bis, sed semel in anno. Ergo fideles, qui iam semel illi præcepto satisfecerint, ampliùs illo teneri non possunt, sic docet Lessius *lib.* 4. *de iust. c.* 2. *dub.* 7. *num.* 52. Sanchez *in Decal. lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 22. Bonacina *disp.* 1. *quæst.* 1. *punct.* 6. *num.* 57. Salas *de leg. disp.* 14. *sect.* 4. *in princ. num.* 37. Azor *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 25. *quæst.* 2.

13 Quinta difficultas est, quid dicendum sit de legibus, & præceptis respicientibus delictum in territorio commissum, an ligent subditum extra existentem? negat Basil. de Leon *lib.* 5. *cap.* 7. *num.* 20. cum Gabr. *in* 4. *dist.* 28. *quæst.* 2. *conclus.* 6. neque aliam rationem adducit præter textum *in cap. vt animarum, de constitution. in* 6. vbi extra territorium ius dicenti non paretur impunè. Quocirca dicit Episcopum non posse sententiam excommunicationis ferre, contra subditum suum existentem in alieno territorio, etiam pro delicto commisso in suo territorio.

Reiicienda tamen est hæc sententia, vtpotè contraria expressis iuribus, consuetudini & rationi, & amplectenda communis affirmans posse subditum extra territorium existentem, ligari legibus territorij, si delinquat in territorio. Quare vt extra territorium subditus ligari non possit, debet ipse, & res circa quam operatur, & operatio ipsa extra territorium esse. nam si aliquod ex his intra territorium existit, ligari legibus territorij potest; sic docent communiter Doctores, Syluest. *verbo excommunicatio.* 2. *num.* 8. Angelus *num.* 10. Vgolinus *de censur. tab.* 1. *cap.* 9. §. 3. *fine.* Suarez *tom.* 5. *in* 3. *p. disp.* 5.

sect. 4.

sect. 4. *&* 5. *& lib.* 3. *de legibus*, *cap.* 32. *num.* 8. Bonacina *disput.* 1. *quaest.* 1. *punct.* 6. *num.* 67. Couarr. *cap. alma*, 1. *part.* §. 10. *num.* 3. Salas *de legibus*, *disput.* 14. *sect.* 5. *à num.* 71. Conclusionem probo, quia existens in alieno territorio potest delinquere in territorio. Ergo potest à iudice territorij punire eius delictum: si enim iudex territorij potestatem non habet hæc puniendi, plenam potestatem non habet præcauendi sibi noxia: ne ergo dicamus imbecillem, & inefficacem potestatem esse, affirmare debemus posse sudditum existentem extra territorium, delinquentem tamen in illo punire. Quòd autem subditus existens in alieno territorio, possit in territorio delinquere, constat, quia extra territorium existens potest emittere sagittam, & occidere hominem in territorio existentem. Ergo delinquit tunc in territorio: & si in illo est excommunicatio lata aduersùs occisores, ligabitur illa: sicuti si esset excommunicatio lata aduersùs occidentes in Ecclesia, & existens extrà sagittam mitteres, qua aliquem existentem in Ecclesia occideres, quis dubitare potest te excommunicatum fore? quia delictum plenè est factum in Ecclesia, etsi extrà fuerit ininchoatum.

14 Ex his infertur primò. Si in Episcopatu Salmanticensi sit censura lata etiam per statutum ipso facto aduersùs beneficiarios à sua Ecclesia sine legitima causa absentes, ligare beneficiarium extra diœcesim existentem, quia delictum commisit in diœcesi: cùm enim in diœcesi deberet esse præsens, *cap. ex tue, de clericis non resident. b.* & omittat præsentiam, ibi censetur omittere, vbi præsens esse debebat, iuxta *l. qui non facit*, *ff. de regulis iuris.* ibi, *qui non facit, quod facere debet, videtur facere aduersùs ea, quæ non facit.* & colligitur ex *cap.* 1. *de vsuris, in* 6. *iuncta glossa*, *& cap.* 1. *vt lite non contestata*, & tradunt Syluest. Angel. Suarez, Bonacina, Salas, & alij *suprà.*

15 Infertur secundò, ligari furem existentem extra territorium excommunicatione lata aduersùs furantes, nisi intra mensem satisfecerint, vel se sistant iudici delicti, vel domicilij, in quo est lata excommunicatio; quia tunc delinquit domicilium non se præsentando iudici illius, ex suppositione, quod iudici delicti non se præsentauit, neque satisfactionem fecit. tradit expresè Azor *quaest.* 2. Angel. & Syluest. *suprà*, & Salas *num.* 76. *fine.*

16 Infertur tertiò, statuto municipali obligari posse absentem subditum ad id, quod cedit in vtilitatem grauem municipij, & puniri si id non faciat, quia tunc non punitur propter delictum, extra territorium commissum, sed intra; iniuria enim, & offensa, & damnum municipio proueniens intra, censetur factum moraliter, etsi physicè extrà fiat. sic Couarruuias, Suarez, Salas, & reliqui communiter: qua ratione ligabitur censura lata per statutum, aduersùs extrahentes triticum è ciuitate, vendentes arma barbaris, & alia similia qui hæc fecerit, quia esto actiones materiales, & physicæ extra diœcesim sint, at damnum, & iniuria diœcesi irrogatur, & in illa moraliter existit: ea de causa meritò puniri potest, & deciditur *in l. nemo*, 2. *C. quæ res exportari non debeant*, vbi prohibentur arma illa, aut ferrum vendere barbaris, hoc est, hostibus Romani imperij, & *in l. fin. C. de pœnis*, cauetur, ne scientia subiiciendarum nauium hostibus communicetur. Idem est si Princeps caueret, ne subditus extra prouinciam mercaturam exerceat, quia videtur in damnum, & iniuriam reipublicæ cedere, vt tradit Roman. *singul.* 516. facitque *l.* 2. *C. de eunuchis*, vbi cauetur, *ne eunuchi Romani, ad dominium cuiusque transferantur*, quod intelligi debet, quando is, qui transfert, subditus est Romanorum Principi: hoc dixi vt conciliarem diuersas sententias communiter versantes in intellectu legis Lusitaniæ, quæ prohibet, ne mancipia se vendant: nam Salas *num.* 77. affirmat nequaquam se vendi posse, etiamsi existant in loco, vbi est consuetudo, vt qui vult, se vendat; contrarium sentit Molin. *tom.* 1. *de iustit. disput.* 33. *versic. secundum est, in fine.* Dicendum ergo est, si mancipium amittit domicilium, vt verè censendum est amittere, cùm se vendat alteri à Lusitano, non tenebitur lege, quia tunc non est subditus; secus verò si se vendat Lusitano, quia non videtur amisisse domicilium.

17 Quartò posset aliquis inferre, si statutum sit in hac diœcesi Salmantina, ne vllus clericus, sine speciali licentia sui Episcopi monasteria monialium, vbicumque sint, accedat, & ibi colloquatur, ligari excommunicatione eò accedentes, etiamsi monasteria extra diœcesim existant, quia delictum est aduersùs dignitatem, & decentiam status clericalis huius Episcopatus, quam decentiam, & honestatem illa lege intenditur præcaueri, quia illo accessu, & collocutione labefactari censetur: facitque ad id *l. mercatores, C. de commercijs, & mercatoribus*, vbi prohibentur ciues Romani habere commercium cum Persis, quia non erant imperio Romano subiecti: & *l. fin. ff. de decret. ab ordine faciend.* habetur, ne extra municipium eat aliquis ad commercia. Ergo iam lege municipali, possunt subditis aliquæ actiones prohiberi cedentes in damnum municipij, & ita tradit Bart. *in l. cunctos populos, C. de summa Trinit.* Azor *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 25. *quaest.* 4. Salas *disp.* 14. *sect.* 6. *num.* 86. Aduerto tamen sufficienter debere explicari actionem extra territorium factam, vt lege comprehendi censeatur.

18 Sed aduersùs hoc corollarium obiicies: Quia ex eo videtur inferri nullam esse legem, quæ subditos existentes extra proprium territorium ligare non possit, cùm quælibet lex bonum communitatis respiciat, & de violante illam. Dici posset iniuriam, & damnum, vel in fortuna, vel in opinione reipublicæ facere. Consequens autem videtur esse contra expressam decisionem textus *in cap. vt animarum, de constitut. in* 6. vbi extra territorium ius dicenti non paretur impunè: quem textum, etsi Bart. explicet *in l.* 1. *C. de summa Trinit. num.* 45. *&* 46. de legislatore absolutè ferente legem, neque explicante an velit extra territorium extendere, & dicat talem legem debere ad territorium restringi: at si expresserit suam voluntatem, vt extra territorium procedat, affirmat subditos ligari posse. Cæteri verò Doctores, vt videre est in Couarr. *cap. alma*, 1. *part.* §. 10. *num.* 3. Nauarr. *cap.* 17. *num.* 272. Suarez *tom.* 5. *in* 3. *part. disp.* 5. *sect.* 5. *num.* 17. *& de legibus*, *lib.* 3 *cap.* 32. *num.* 4. hanc interpretationem omnino reiiciunt, & affirmant nullum iudicem extra proprium territorium posse ius dicere, quantumuis velit; quod si dicere attentet, posse illi non parere absque delicto, & merito punitionis. Quocirca respondeo dupliciter actionem prohibitam per legem, & in territorio alieno exercitam, cedere posse in iniuriam, & damnum reipublicæ, à qua prohibetur, vel generaliter, vel specialiter. Si specialiter, cedat in iniuriam, & damnum reipublicæ, vt contingit in lege prohibente extractionem frumenti à ciuitate, venditionem armorum exteris, & similia, absque dubio censeo existentes in alieno territorio ligari posse supradicta lege. At si solùm generaliter cedat in iniuriam, & damnum reipublicæ, quæ tulit legem, quia scilicet non magis cedit in eius iniuriam, quàm in iniuriam alterius reipublicæ, vt contingit in lege, & statuto prohibente furtum, stuprum, homicidium, & etiam in statuto prohibente clericis accessum ad monasteria monialium, comitatum fœminarum: hæc enim omnia æquè labefactant decentiam, & honestatem status clericalis illius reipublicæ, quæ tulit legem, quàm alterius cuiuslibet, ac proinde his statutis, & legibus non ligantur absentes.

19 Infertur quintò ratione rei sitæ ligari posse absentem statuto municipali, quia ratione rei sitæ sortitur quis forum. *cap. fin. de foro competenti.* & probat text. *in cap. Romana.* §. *contrahentes, eodem tit.* Quocirca fieri potest statutum, ne res aliqua, domus, ager, &c. vendantur, nisi tali forma, & solemnitate, ligat enim tunc vendentes, etiamsi extra territorium sint, iuxta *l. 1. ff. de fundo dotali.* & præterea, quia harum legum obseruatio cedit in vtilitatem reipublicæ, & illarum violatio in graue illius damnum, ac proinde delictum committi censetur in diœcesi, non extrà.

20 Sexta difficultas, an possit dari statutum ligans delinquentes subditos extra territorium, etiamsi delictum non cedat specialiter in damnum reipublicæ statuentis?

Communis est sententia dari non posse, ex *supradict. cap. vt animarum,* vbi non attenditur factum, sed potentia; redditur enim ratio, quare existentes extra territorium statutis Episcoporum suorum non ligentur, quia ius dicenti extra territorium non paretur impunè, hoc est, attentanti dicere ius extra territorium, absque punitione non paretur: sic ferè omnes Doctores *in princ. huius* §. relati.

21 Verùm si liceat mihi dicere, quod sentio, existimo esse satis probabile, posse ligari lege, & statuto delinquentes in alieno territorio: atque adeò posse sub excommunicatione ipso facto incurrenda, prohiberi subditis, vbicunque existant, furtum, homicidium, adulterium, & quamlibet aliam actionem prohibitione dignam. Probo, quia per sententiam, & generale præceptum hæc prohiberi possunt, vt cum communi sententia docet Suarez *3. p. tom. 5. disp. 5. sect. 5.* Bonacina *de censur. disp. 1. quæst. 1. punct. 11. num. 11.* Ergo etiam prohiberi possunt per legem, & statutum. Probo consequentiam: nam qui sententiam, & præceptum generale imponit, ius dicit, sicuti cùm legem imponit: si igitur per præceptum dicere potest ius in existentes in alieno territorio, cur non dicere poterit per legem? Affirmare namque legem astringi territorio, secus verò præceptum, hoc est, quod euertere conamur, & rationem huius petimus; vtrumque enim tam generale præceptum, quàm legem ob bonum territorij feruntur. Præterea nullum sequitur inconueniens, ex eo quòd existentes extra territorium ligentur lege, potius, quàm præcepto. Non enim ex hoc specialiter labefactatur iurisdictio iudicis, in cuius territorio delinquens existit: siquidem in eius territorio, & ditione nullum actum iurisdictionis contentiosæ legislator exercet. Nam ibi non citat reum, neque comprehendit, neque punit punitione, quæ secum delictum non trahat, quæque præcepto imponi non possit.

22 Neque obstat, si obiicias extra territorium neminem posse exercere iurisdictionem contentiosam; at imponendo legem exercetur iurisdictio contentiosa, quia iurisdictio contentiosa illa est, quæ in inuitum redditur, vt dixit Accurs. communiter receptus *in l. 2. ff. de officio Proconsulis.* & semper censetur quis inuitus sustinere obligationem legis sibi impositam. Ergo. Non, inquam, obstat, quia hoc argumento probaretur neque præcepto generali, neque speciali posse existentem extra territorium ligari, cùm obligatio præcepti, sicut & legis, censeatur inuitum adstringere. Quocirca dicendum est, contentiosam iurisdictionem non esse, quæ redditur in inuitum præcisè, sed quæ indiget testibus, citatione, aut alia iuris solemnitate. Quando ergo solùm à voluntate obligantis pendet, vt contingit in præceptorum impositione, non contentiosa iurisdictio, sed voluntaria potiùs appellanda est. Adde aliud esse legem imponere, aliud lege obligare; omnia enim illa, quæ ad legis impositionem necessaria sunt, extra territorium exercere nulla ratione possunt, quia extra territorium lex promulgari non potest: at effectus ipsius legis, qui est obligatio extra territorium, esse potest, cùm afficiat insensibiliter personas, sine strepitu aliquo iudicij. Censeo ergo in omnibus illis casibus, in quibus præceptum generale imponi subditis potest extra territorium existentibus, & legem imponi posse. Et econtra in omnibus illis casibus, in quibus statutum ferri non possit aduersùs extra territorium delinquentes, neque præceptum posse ferri. sic docuit Salas *disp. 14. de leg. sect. 7. num. 90.* & insinuauit *sect. 5. num. 80. & seqq.* & Basil. de Leon *lib. 5. de matrim. cap. 7.* §. 2. qui *num. 19.* dicit se nullam differentiam inuenire in excommunicatione lata per sententiam, vel per modum statuti.

23 Septima difficultas, an ea, quæ dicta sunt de lege, dicenda sint de pœna per legem imposita?

Et quidem si pœna iudicis executionem non requirat, sed ipso facto contrahatur, vt contingit in censuris ipso iure latis, eodem prorsus modo dicendum est, ac diximus de lege, & præcepto; illos enim omnes, quos lex, seu præceptum comprehendere potest, poterit & censura comprehendere. Et econtra qui extra territorium existentes lege non ligantur, neque censura per legem imposita ligari possunt, quia censura est pœna transgressionis legis, & vbi nulla est transgressio, nulla esse potest pœnæ impositio, & in hoc nulla potest esse dissensio.

24 At contingere potest, vt in tuo territorio inchoes delictum, & in alieno consummes: vt si existens in tuo territorio occideres existentem in alieno. Item decepisti in territorio proprio virginem, extraxisti à territorio, & in alieno violasti.

In hoc ergo casu placuit Vgolino *lib. de censur. tab. 1. cap. 9.* §. 3. *fine*, te contrahere censuram homicidio, & stupro impositam, quia sufficit inchoare delictum, vt ratione illius subditus sis iudici illius loci, vbi inchoatur.

Cæterùm tenenda omnino est contraria sententia te nullo modo contrahere censuram ipso facto, quia censura non est imposita ob inchoationem delicti, sed ob eius consummationem: at consummatio est extra territorium, & consequenter extra iurisdictionem iudicis legem imponentis. Ergo. sic Suarez *tom. 5. de censur. disp. 5. sect. 4. num. 8. & 9. & lib. 3. de leg. cap. 32. num. 5 & 6.* Syluest. *excommunicatio 2. num. 8.* Angel. *ibi num. 10.* Salas *disp. 14. sect. 5. num. 71.*

25 Quòd si de pœna, quæ iudicis executionem requirat, loquamur, primò certum est nullum iudicem extra territorium illam imponere posse, quia est actus iudicij, & iurisdictionis contentiosæ, siue ob delictum inchoatum, siue consummatum imponatur.

26 Quis autem iudex illam debeat imponere, an iudex loci, in quo delictum fuit inchoatum, an iudex illius, in quo fuit consummatum?

Recepta est omnium sententia puniri posse à iudice loci, in quo delictum est consummatum, etiam si ibi non habeat delinquens domicilium, quia verè ibi delictum est commissum, & ratione illius læsum territorium. Ergo gubernator illius habet potestatem iniuriam sibi factam vindicandi. Deinde conueniunt Doctores, si in loco, in quo delictum est inchoatum, habeat delinquens domicilium, poterit ibi puniri, non solùm pœna debita delicto attentato, sed etiam consummato, quia ratione domicilij subdita est persona delinquentis iudici domiciliario.

27 Quæstio ergo solùm est, an casu, quo delinquens non subdatur iudici loci, in quo delictum attentauit, nisi ob attentationem delicti alibi consummati, possit talis iudex delinquentem punire ob delictum consummatum, v.g. Castellæ vulnerasti Petrum, occidisti Lusitaniæ. Castellæ rapuisti puellam, violasti Lusitaniæ,

potésne

potésne à iudice Castellæ ob occisionem, & stuprum puniri. Communis sententia docet te puniri posse. sic tradit Felin. *in cap. fin. de foro competenti*, *num.* 13. Abbas *in cap. postulasti, eodem tit. num.* 25. Bart. *in l. dominium ff. de furtis*. Marsilius *in l. vnica, num.* 150. *C. de raptu virginum*. Bald. *in l. si quis non dicam rapere, num.* 3. *C. de Episcopis, & clericis*. Suarez *de censuris, disput.* 5. *sect.* 4. *num.* 8. & 9. Salas *de legibus*, *disput.* 14. *sect.* 5. *num.* 72. Farinacius *lib.* 1. *praxis, tit.* 1. *quæst* 7. *num.* 45. Ratio est, quia cùm inchoatio delicti sit consummationi coniuncta, vbi delictum est inchoatum, ibi etiam reputatur consummatum, ac proinde tanquam consummatum puniri potest. Deinde inchoatio, & consummatio delicti vnum delictum censeri debet vtroque loco factum, ac proinde in vtroque loco æquè punibile.

28 Cæterùm hæc communis sententia non leuem patitur difficultatem, quia in re ipsa, & in rigore iuris, aliud est inchoare delictum, aliud illud consummare. Quapropter sæpè delicto inchoato non imponitur ea pœna, ac delicto consummato. Ergo si delictum consummatum est extra tuam iurisdictionem, non poteris ob illius consummationem delinquentem punire; quia solùm potes illum punire ob iniuriam tibi factam: at non fecit iniuriam in delicto, prout est consummatum, sed solùm prout est attentatum. Ergo solam attentationem, & non consummationem poterit iudex punire. Confirmo. Si mandares alicui occidere Petrum, & Petrus à mandatario esset occisus in alio territorio, ab eo, in quo dedisti mandatum, secundùm communiorem sententiam, non posses in loco mandati puniri pœna debita occisioni, quando mandato talis pœna imposita non est, sed es remittendus ad locum, in quo occisio facta fuit, vt docent Abbas *in cap. fin. de foro competenti*. Iulius Clarus *in pract. quæst.* 38. *versic. item quæro*. & alij plures relati à Farinac. *num.* 47. etsi ipse plenè non assentiatur. Sed hoc nulla alia ratione contingit, nisi quia obligatio in mandante, non ex mandato, sed ex delicto ex mandato sequuto oritur; sed etiam obligatio homicidij, & stupri, non ex attentatione homicidij, & stupri oritur, sed ex huiusmodi delictis in re executis. Ergo non potest delinquens in loco attentationis ob delictum alibi consummatum puniri. & ita tenet Bart. *in l. libellorum*, *ff. de accus.* Felin. *in cap. fin. de foro competenti*, *num.* 14. Alexand. plures referens *consil.* 75. *num.* 6. *vol.* 3.

Retinenda tamen est communis sententia, posse, inquam, iudicem loci, in quo delictum fuit inchoatum, punire eius consummationem. Moueor ratione consuetudinis iure gentium introductæ, quæ ne delicta maneant impunita, vtrique iudici delictum integrè subdit. facitque *l.* 1. *C. vbi de crimine agi oportet*, ibi, *commissa, vel inchoata sunt*. Neque obstat ratio in contrarium adducta, quia inchoatione delicti via paratur consummationi: & licèt consummatio, quoad actionem physicam sit in alio territorio; at moraliter in eodem territorio fieri censetur. Præterea esto non lædatur consummatione, potest ius ratione inchoationis subdere personam puniendam quoad totum delictum, quod fortè non subdidit in mandante. Esto Farinacio non absque probabilitate videatur mandantem, & recipientem mandatum in loco mandati puniri posse de delicto consummato. Neque obligatum esse iudicem mandati remittere delinquentem ad iudicem delicti consummati, etiamsi petatur, sed debere tunc consulere Principem.

29 Octaua difficultas, an quæ dicta sunt de territorio alieno, intelligi debeant de locis exemptis, etiamsi intra diœcesim existant?

Respondeo debere: ita ex communi sententia docet Suarez *supradicto loco de censuris, & lib.* 3. *de legibus, cap.* 32. *fine, num.* 9. Bonacina *disput.* 1. *quæst.* 1. *puncl.* 6. *num.* 65. Azor *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 25. *quæst.* 4. Salas plures referens *disput.* 14. *sect.* 6. *in princ. num.* 85. Ratio est, quia ideo vocantur exempta, quia eximuntur à iurisdictione illius, cuius sunt exempta. Ergo ille non poterit iurisdictionem contentiosam ibi exercere, nisi in casibus à iure expressis, & deciditur *in Clement. Archiepiscopo, de priuileg.* facitque *cap. cùm Episcopus, de offic. ordin. in* 6. vbi communiter Doctores. *& cap.* 1. *de priuilegijs*, *eod. lib. & cap. vnico*, *§. fin. de statu regularium*, *in* 6. Quòd si ad obligandum legibus, & præceptis exerceri deberet iurisdictio eo in loco, in quo obligatio imponitur, nullo modo posset exerceri in locis exemptis, extra casus à iure exceptos. At iam diximus legibus, & præceptis obligari posse subditos extra territorium existentes, quia hæc obligatio cùm insensibiliter fiat, neque indigeat citatione, & notificatione facta in loco exempto, optimè poterit subditos ibi existentes afficere.

30 Sed inquires, quæ dicantur loca exempta?

Respondeo loca exempta esse illa, in quibus iudex territorij exercere iurisdictionem non potest, sed alterius iurisdictioni subduntur. Monasteria monialium, & conuentus religiosorum, in quibus sui superiores Episcopalem iurisdictionem non habent, nullo modo reputo exempta, quia illa non sunt exempta, sed personæ ibi habitantes exemptæ dicuntur. Quapropter censeo subditos territorij illuc accedentes ligari præceptis, & statutis latis pro suo territorio: & ita docet Suarez *de censuris, disp.* 5. *sect.* 4. *num.* 10. & Salas *de legib. disp.* 14. *sect.* 6. *num.* 85.

§. VI.

Qua ratione legibus ciuilibus obligentur clerici, & religiosi.

1 *Legibus Ecclesiasticam libertatem violantibus ligari non possunt; secus legibus, quæ eorum statui conuenientes sunt.*

2 *His legibus ita grauiter, ac laici obligantur clerici, quidquid Nauarr. sentiat.*

3 *Hæc obligatio secundùm plurium sententiam nascitur ex conformitate, quam clerici debent habere cum laicis eiusdem reipublicæ.*

4 *Alij dicunt ex sola approbatione Pontificis.*

5 *Refelluntur supradicti modi dicendi.*

6 *Probabilius est has leges per se, & directè, clericos obligare quoad vim directiuam.*

7 *A potestate coërciua, & punitiua omnino clerici exempti sunt.*

8 *Proponitur quædam obiectio.*

9 *Supradictæ obiectioni fit satis.*

10 *Religiosi legibus ciuilibus eodem modo obligantur, & deobligantur, sicut clerici.*

11 *Constitutionibus Episcopalibus deobligantur, exceptis casibus à iure expressis.*

1 QVæstio non procedit de legibus Ecclesiasticam libertatem lædentibus, quales essent illæ, quæ clericos solùm, & eorum bona respicerent; cõstat enim his legibus, vtpote iniustis, minimè ligari, ex *cap. quamquam, de censibus, in* 6. *cap. Ecclesia, cap. quæ in Ecclesiarum, de constitut. cap. nouerit, de sentent. excommun. cap. vlt. de immunit. Ecclesiarum, in* 6. *cap. diligenti, cap. significasti, de foro competenti*. & tradit Trident. *sess.* 25. *cap.* 20. *de reformat.* Sed quæstio solùm est de legibus, quæ clericorum statum non dedeceant, communésque sunt clericis, & laicis, & rectæ gubernationi ciuitatis conuenientes. Talis est lex, quæ prohibet arma noctu deferri, merces ex ciuitate extrahi, vel, quæ signat pretia rebus vendendis, & contractibus formam imponit. Ab his ergo legibus, & eorum obseruatione conueniunt Doctores, aduersùs Nauarr.

Nauarr. *conf. 3. de constitut. concl. 3. num* 4. clericos exemptos non esse: sic docent Vasquez 1.2. *disput.* 167. *cap.* 4. Sayrus *in claui regia, part.* 1. *lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 16. Salzedo *in practic. canon. cap.* 55. Couarr. *in practic. cap.* 33. Suarez *de legibus, cap.* 34. *num.* 6. Salas *disput.* 14. *sect.* 8. *num.* 94. Bonacina *disput.* 1. *quaest.* 1. *punct.* 6. *num.* 29. Molin. *tom.* 1. *de iustit. tractat.* 2. *disput.* 31. *sub fin. conclus.* 6. Bellarm. *lib.* 1. *de clericis, cap.* 28. & alij plures ab eisdem relati.

2 Difficultas autem est, quanta sit hæc obligatio, & vnde nascatur?

Et quod ad primum attinet Nauarr. *consil.* 3. *de constitut. conclus.* 3. *num.* 4. existimat nullam esse obligationem, quia non tenentur his legibus, vtpote non fauorabilibus, sed potiùs odiosis, & præiudicialibus, quia non de contractibus, sed de delictis loquuntur. consentit ex parte Bonacina *disp.* 1. *de legibus, quaest.* 1. *punct.* 6. *num.* 33. dicens non peccare mortaliter, sed tantùm venialiter, posito, quòd indirectè solùm teneantur legibus ciuilibus. Verùm reliqui omnes Doctores affirmant teneri his legibus eadem obligatione, ac tenentur laici, quia non apparet, vnde minuatur eis obligatio, si semel ponamus legibus illis astringi.

3 Quoad secundum verò, vnde nascatur hæc obligatio? Vasquez *disput.* 167. *cap.* 4. existimat nasci solùm ex conformitate, qua teneri debent clerici cum laicis, vtpote partes eiusdem reipublicæ, non ex eo, quòd legibus ciuilibus directè astringi possint. idem tenet Azor *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 12. *quaest.* 3. *& tom.* 2. *lib.* 9. *de imperat. cap.* 7. *quaest.* 8. *&* 9. Salzedo *in pract. canon. cap.* 55. *versic. non tamen intelligas.* Mouentur, quia potestati ciuili nulla est attributa potestas imperandi personis Ecclesiasticis, vt expressè dicitur *in cap. Ecclesia S. Mariæ, de constitut. cap. decernimus, de iudicijs, cap. sæculares, de foro competenti, in* 6. Sed sine potestate imperandi, obligatio obediendi esse non potest. Ergo Ecclesiastici nullam habent obediendi obligationem legibus ciuilibus, qua leges ciuiles sunt. Et confirmo, quia iudices laici nullam habent potestatem puniendi clericos transgredientes suas leges. Ergo signum est non habere potestatem directam illos obligandi, quia potestas coërciua semper est directiuæ coniuncta. Restat ergo, vt aliunde oriatur obligatio: at ex nullo alio capite videtur posse oriri, nisi ex conformitate, quam omnes partes reipublicæ debent inter se habere. Ergo ex illo capite oritur.

4 Propter hæc Suarez *lib.* 3. *de legibus, cap.* 3. *& cap.* 34. *num.* 13. concedit has leges ciuiles, quatenus tales sunt, non obligare Ecclesiasticas personas, sed solùm quatenus à Pontifice approbantur, & canonizantur ad hunc effectum, adducitque pro se Decium *in cap. Ecclesia, de constitution. num.* 27. & ibi Marius Mantua *num.* 23. & Petrus Gregorius *num.* 16. Fortunus Garcia *de vltim. fine, illat.* 10. *princip. num.* 155. *& illat.* 13. *num.* 223. Maranta *disput.* 8. *num.* 17. *&* 47. Rebuffus *in commentar. ad constitut. Galliæ, tom.* 1. *in procemio gloss.* 1. *num.* 62. Qui omnes solùm dicunt huiusmodi leges ciuiles approbari à Pontifice: nullus autem dicit seclusa hac approbatione vim obligandi habere, imò potiùs supponunt ideo esse approbatas, quia verè leges erant, & approbatione dignæ. Probat autem Suarez suam sententiam ex *cap.* 1. *de noui operis nunciatione.* vbi mandatur demoliri ædificium, quod post nunciationem factum erat: & redditur ibi ratio, quia legalibus constitutionibus demoliri debet. Signum ergo est legales constitutiones à Pontifice approbari, & assumi in causis definiendis. Secundò probat ex *cap innotuit, de arbitr.* vbi excommunicatio declaratur nulla, eo quòd lata fuerit aduersùs eum, qui secundùm leges ciuiles non tenebatur stare sententiæ latæ ab arbitris. Tertiò adducit *cap.* 1. *cap. si in adiutorium, cap. de capitulis, dist.* 10. & aliis, in quibus Pontifices promittunt facturi, vt leges Imperatorum seruentur.

5 Mihi verò supradicti modi dicendi non probantur: & quod attinet ad primum, plura ex illo inconuenientia sequuntur. Primò enim sequitur Ecclesiasticos transgredientes leges has ciuiles, vel nullum peccatum committere, vel ad summum veniale. Non enim peccant ciues, qui legitimè exempti sunt ab obligatione alicuius legis ex eo, quòd aliis ciuibus non conformentur, sicuti non peccant legitimè dispensati, hæc enim conformatio obligat, quando nulla est rationabilis causa excusans. Secundò esto clerici partes sint cum laicis vnius reipublicæ: at nulla est dissonantia, etsi in illis in modo procedendi non conformentur, in qualibet enim republica non omnes personæ eodem modo obligatæ esse debent, imò potiùs varietas in hac parte est quædam vniformitas: qua ratione Equites, & Nobiles non subeunt eadem onera, & tributa, ac plebeij, neque proinde dissonantiam causant. Ita ergo in personis Ecclesiasticis philosophandum est; solùm enim dissonantia esset, si personæ Ecclesiasticæ nulla legitima causa intercedente, inter se non conuenirent. Tertiò si leges ciuiles imponentes pretia tritico, & oleo, aliisque mercibus, personas Ecclesiasticas non ligarent, possent vendere Ecclesiastici absque iniustitia, & obligatione restituendi vltra pretium taxatum. Probo, quia illa taxa non ligat Ecclesiasticos, sed seclusa illa poterant Ecclesiastici vendere triticum, & oleum vltra pretium taxa signatum. Ergo etiam poterunt stante taxa. Taxa enim solùm est pro tritico, & oleo laicorum, non Ecclesiasticorum. Neque valet dicere posita taxa, siue à lege, siue à consuetudine, siue à natura, iam triticum, & oleum vltrà non valet: siquidem vltrà æstimari non potest, quia hoc est verum, quando pro omni tritico, & oleo, & pro omnibus personis esset taxa imposita; tunc enim omnes eandem de mercibus æstimationem facerent: at quando solum pro mercibus aliquarum personarum taxa est imposita, mercibus aliarum plurium personarum intactis relictis, hæ merces valorem habent, ac si nulla taxa facta fuerit. Quartò sequeretur non teneri Ecclesiasticos seruare leges formam contractibus imponentes, quia illis non subduntur: quod est contra omnium sententiam, & expressam decisionem textus *in cap. innotuit, de arbitris.* Dices teneri seruare, quia irritant actus taliter factos. Contrà hæc irritatio prouenit ex potestate superiori: at si ciuilis gubernator, nullam in clericos potestatem habet, sed ipsi integrè sint ab eo exempti, non habebit potestatem irritandi eorum actus. Efficacior enim iurisdictio requisita est ad irritationem, quàm ad simplicem obligationem. Hæc ratio clarè conuincit in contractibus factis à clericis inter se: nam si clericus cum laico contrahat, tunc enim quia claudicaret contractus ex parte laici, etiam ex parte clerici reddebatur infirmus: sicuti contingit in contractu matrimonij Christiani cum infideli; ratione enim inhabilitatis positæ Christiano, redditur contractus infidelis nullus: in testamentis autem est specialis ratio; si enim leges ciuiles formam testamentis imponentes testamenta clericorum non comprehendunt, possent illis non seruatis, non solùm alios clericos, sed etiam laicos instituere hæredes, quia laicus capax est hæreditatis ex legitimo testamento relictæ; sicuti capax esset hæreditatis relictæ ex testamento; quod secundùm leges suæ patriæ nullum esset, est tamen firmum secundùm leges proprias patriæ, in qua conditum fuit. Ne ergo hæc inconuenientia sequantur, probandus non est modus dicendi Vasquez.

Neque etiam mihi probatur integrè modus dicendi Suarez. Nam ex supradictis *cap.* 1. *de noui operis nuntiat. & cap. innotuit, de arbitr.* potius colligitur has leges ciuiles obligare clericos ratione sui, quàm ex approbatione

ne Pontificis, ibi enim deciduntur casus, ea solùm ratione, quia legali constitutioni aduersabantur. Supponebat ergo Pontifex legalem constitutionem ex se vim habere. Dices, habere vim ex antecedenti approbatione Pontificis; sed contrà nulla approbatio Pontificis ostendi potest, quæ sit constitutiua obligationis, & illam non supponat. Ergo. Deinde, quia si leges ciuiles ex se non habent vim obligandi, sed solùm quatenus approbantur à Pontifice, cùm approbatio Pontificis generalis sit, censebuntur approbatæ non solùm quoad actum imperatum, sed etiam quoad pœnam illius transgressioni impositam; præcipuè cùm ex hac approbatione nullum speciale inconueniens sequatur; non enim ex hoc sequitur potestatem ciuilem habere iurisdictionem puniendi Ecclesiasticos, cùm non puniat ratione sui, sed quatenus per potestatem canonicam talis punitio approbatur. Consequens autem non admittitur à Doctoribus. Ergo signum est leges ciuiles aliunde habere vim obligandi, quàm ex approbatione Pontificis.

6 Quocirca mihi probabilius apparet, has leges ciuiles, de quibus in præsenti est sermo, per se, & directè clericos obligare: tenent hanc sententiam, & modum dicendi ferè omnes Doctores in princip. relati, & eam probat latè Salas *disput. 14. de legibus, sect. 8. à num. 94.* Ratio præcipua est, quia clerici ciues sunt, & partes præcipuæ ciuilis reipublicæ, ac proinde gubernatori politico reipublicæ debent esse subiecti. Sed gubernator politicus, quique iurisdictionem temporalem habet, in illa republica non est, vt suppono, Pontifex, sed Rex. Ergo Regi in temporalibus subiecti sunt. Poterit ergo Rex illas leges imponere, quæ tam eorum statui, quàm reipublicæ conuenientes sint. Confirmo. Neque iure diuino, neque humano clerici exempti sunt à gubernatione politica reipublicæ. Ergo tenentur eius legibus respicientibus communem gubernationem, ac tenentur reliqui ciues. Antecedens probo. Nam ex iure diuino potiùs constat contrarium ex illo loco Pauli ad Rom. 13. num. 1. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita est.* quæ verba expendens Chrysostom. *homil. 23. ad Rom.* etiam ad clericos extendit; ait enim, etiamsi Apostolus sis, Euangelista, Propheta, siue quisquis tandem fueris; nec enim pietatem subuertit ista subiectio: & paulo superiùs dixerat Christum leges suas non ad hoc induxisse, vt politicas euertat, sed vt ad melius instituat. Ex iure autem canonico constat potiùs huiusmodi leges sæpè præcipi obseruandas; non ergo ab illarum obseruatione eximuntur. Quare cùm personæ Ecclesiasticæ dicuntur exemptæ à iurisdictione laicorum, intelligi debet, quoad vim coërciuam, seu punitionem, & quoad vim directiuam: in rebus tantùm spiritualibus, & quæ eorum immunitatem spectant. Adde clericos obligari legibus communiter latis, neque illis præiudicium afferentibus, vt cum Abbate *in cap. Ecclesia S. Mariæ, de constitut.* & Felino *ibi num. 37.* Decio *num. 27.* tradit Molina *de Hispan. primogen. lib. 2. cap. 10. num. 82. pag. mihi 315.* Sed ex hac directa obligatione nullum detrimentum clerici patiuntur. Ergo.

7 Verùm si de potestate coërciua, seu punitiua loquamur, certum est clericos iure canonico exemptos esse, ex *cap. at si clerici, cap. clerici, cap. qualiter, de iudicijs, cap. Ecclesia S. Mariæ, de constitutionib. cap. decernimus, de re iudicata, cap. sæculares, de foro competenti,* & aliis, quæ passim referuntur à Doctoribus, quæ non solùm probant de punitione, quæ causæ cognitionem requirit, sed etiam de punitione, quæ ipsi delicto annexa est. Nam etiam hæc punitio est quædam virtualis sententia lata non aduersùs communitatem, sed aduersùs quamlibet personam delinquentem: cùm autem clericus, quà clericus est, & quatenus est persona particularis, exemptus sit à iurisdictione laica, vt ex supradictis textibus constat, efficitur sanè ligari non posse pœna per iudicem laicum statuta.

Neque obstat potestati præcipiendi coniunctam per se esse potestatem puniendi, quia hoc est per se: at ex ratione, & ex priuilegio possunt separari, & in diuersis personis existere; per se enim & ex natura rei tam clerici, quàm laici transgredientes leges politicas puniri à Rege poterant: at ex priuilegio, & exemptione illis concessa à Christo, vel à summis Pontificibus puniri non possunt ab alio, quàm ab Ecclesiastico iudice, qui potest eandem pœnam imponere, quæ imposita erat laicis transgredientibus leges politicas; non tamen tenetur, sed potest pro libito pœnam moderari: & in his conueniunt Suarez *lib. 3. de legibus, cap. 34. num. 15. & 18.* Salas *disp. 14. sect. 9. & 10. num. 106.* Bonacina *disp. 1. q. 1. p. 6. n. 29.* Vasquez *disp. 167. cap. 4. n. 30.* Couarr. *in pract. cap. 33. num. 7.* & Salzedo *in pract. canonica, cap. 55. versic. tertio minimè, & seqq.* Bellarm. *lib. 1. de cleric. cap. 28.* & alij innumeri per eosdem relati.

8 Sed obiicies consuetudinem satis vsitatam puniendi clericos transgredientes has leges: si enim clericus arma noctu ferat, aduersùs ciuilem legem prohibentem sub priuatione armorum, ne ferantur, iudex sæcularis arma tollit, neque restituit, esto id intendat iudex Ecclesiasticus: tradit Couarr. *1. variarum, cap. 20. n. 18. ad finem.* Iulius Clarus *lib. 5. recept. sentent. §. fin. quæst. 35. num. 26.* Plaça *1. de delictis, cap. 8. num. 26.* supponit Salzedo *in pract. cap. 55. pag. 166.* Emanuel Saa *verb. clericus, num. 6.* consentit Vasquez *disp. 167. cap. 4.* quando arma sunt prohibita, quæ neque domi retineri possunt. Item si clericus syluas, & nemora ingrediatur ad venationem sub aliqua prohibitione pecuniaria, vel eius animalia aliqua damna fecerint, ab illo exigitur pœna, & si opus est ex eius bonis accipitur illo renuente, aut pignora capiuntur, dum ipse non soluit. sic tradit Salzedo alios referens *cap. 55. pag. 173.* Item signata contributione pro reparatione viarum, pontium, &c. quæque clericis vel ex iure, vel ex permissione Pontificis imponuntur, si de facto negligentes sunt, obligantur soluere saltem per bonorum apprehensionem, etiamsi beneficiorum fructus sint: sic Ioannes de Platea *in l. fin. C. quibus muneribus, lib. 10.* Rebuff. *cap. 1. tit. de sententia, art. 3. glossa 6.* Auiles *in capitib. pratorum, cap. 23. in glossa ad verbum, den orden.* Ludouicus Mexia *ad pragmatic. taxa panis, conclus. 5. num. 43.* Salzedo alios referens, *cap. 55. pagina 172. col. 2.* Ergo iam clerici puniuntur à iudice sæculari.

9 Respondeo nullo modo posse iudicem sæcularem arma tollere ab Ecclesiastico, neque pecuniam pro reparatione damni illati, & solutione vectigalium, si ad hæc facienda cognitio causæ prærequiratur: nam tunc coram iudice Ecclesiastico, & non sæculari clericus conueniendus est. tradit Gregorius Lopez *in l. 24. tit. 15. part. 7.* Castillo *l. 70. Tauri, num. 18.* Auiles *in cap. pratorum, cap. 17. glossa 1. num. 12.* Salzedo *in pract. cap. 55. pag. 172. col. 2.* Ioannes Andreas, Felinus, Abbas, & alij *in cap. Ecclesia, de constitutionib.* (quidquid contra sentiat Bartholom. Cassa. *in consuetudin. Burgundia, rubr. 1. §. 5. num. 90.* Mexia *in pragmat. taxa panis, conclus. 5. num. 29.* Ioan. Faber *in l. adductos ex textu, ibi, in verbo, vltro procedat, C. de episcop. aud.* & alij,) quia clericus exemptus est à potestate ciuili, quoad tribunalia, & iudicia, ex *cap. 2. de foro competenti, cap. clerici, cap. at si clerici, de iudicijs,* & aliis relatis. Ergo absque speciali permissione Summi Pontificis subdi in hac parte non potest. Hanc autem permissionem apud Gallos inualuisse defendit Petrus Rebuffus *in l. armorum, versic. primo, ff. de verborum significat.* Sed an hæc sit reuocata constitutione Bullæ cœnæ, iudicandum relinquo Summo Pontifici, prout reliquit Nauarr. *c. 27. n. 70.* Salzedo *supr. vers. apud Gallos, pag. 168.* Vasquez *disp. 167. cap. vlt. n. 32.* Salas *disp. 14. sect. 9. n. 108.*

Verùm si pœna exigenda est de plano, absque aliqua controuersia iudiciali, qualiter solent iudices exigere ob solam declarationem ministrorum, qui signati sunt ad has pœnas, seu contributiones exigendas, tunc licitè videtur posse sæculares iudices ab Ecclesiasticis exigere, quod si soluere noluerint, poterit ab illis aliqua in pignus accipere solutioni præstandæ, quia hæc non tam in pœnam violatæ legis accipiuntur, quàm in reparationem damni dati, seu in contributionem debitam: sic docet Auendaño *de mandatis regum*, 2. *part. cap.* 14. *num.* 13. Gregorius Lopez *l.* 5 1. *tit.* 6. *versic. por razon*, *part.* 1. Azeuedo *l.* 12. *tit.* 13. *lib.* 1. *nouæ compilationis*, *num.* 2. quos refert, & sequitur Salzedo *in pract. cap.* 55. *pag.* 173. Et idem dicendum est de sublatione armorum, non, inquam, tolluntur arma in pœnam transgressionis legis, sed potiùs ne clericus prosequatur in legis violationem.

Dices hoc verum esse, si clerico postea redderentur; at tolluntur, vt fisco regio applicentur. Ergo in pœnam delicti commissi, ac proinde iam puniuntur clerici à sæcularibus iudicibus.

Respondeo hoc argumentum conuincere non posse spoliari armis clericum à iudice sæculari, nisi ei postea reddatur eorum valor, aut à iudice Ecclesiastico in illorum priuatione condemnetur. sic Salas *disp.* 14. *sect.* 9. *num.* 107. & sic explicat Couarr. & Emanuel Saa suprà relatos.

Sed inquires, qui clerici exempti sint à potestate laicali in punitione?

Respondeo omnes illos, qui priuilegio fori gaudent: qui autem hi sint, latiùs dicemus in tractatu de immunitate Ecclesiæ, & Ecclesiasticarum personarum.

10 Religiosi comparari possunt ad leges ciuiles, & ad constitutiones Episcopi, in cuius diœcesi versantur, si comparentur ad leges ciuiles. Idem dicendum est de illis, ac diximus de clericis, teneri, inquam, seruare illas leges, quæ neque eorum lædunt immunitatem, neque statui religioso opponuntur. Quocirca tenentur non extrahere triticum, vel alias merces à ciuitate, quando ob bonum commune prohibetur talis extractio, tenentur etiam seruare formam, & solemnitatem in contractibus, & alia similia. Non tamen obligari possunt ad pœnam, sicuti neque clerici obligantur.

11 Quòd si religiosi ad constitutiones, & præcepta Episcopalia comparentur, nulla ratione, exceptis casibus à iure expressis, obligantur ea seruare, si exempti sunt à iurisdictione Episcoporum; qualiter iam omnes ferè religiosi sunt. constat ex *cap.* 1. *de priuilegijs*, *in* 6. & ex Trident. *sess.* 25. *cap.* 12. *de regularibus*, vbi solùm eis præcipitur obedire in festorum obseruatione, & in interdicto, & cessatione à diuinis. Ergo ab aliis sunt prorsus exempti; & ita tradit Felinus *in cap. dilectus*, *de officio ordinarij*. Suarez *de legibus*, *lib.* 4. *cap.* 20. *fine*. vbi bene aduertit, neque ex debito vniformitatis teneri has leges seruare, nisi adsit scandalum, quia habent sufficientem causam excusationis ab hac vniformitate; cùm enim obligationibus statui religioso annexis arctentur, cogi non debent alia sustinere. Adducit Suarez in huius confirmationem exemplum de nouitiis, qui non tenentur seruare leges, & præcepta professis imposita; quia nec tenentur ex voto obedientiæ, cùm nullum fecerint, neque etiam ex vniformitate, quia hæc non ligat nisi illos, qui in eodem statu, & professione sunt. At nouitij non sunt in eodem statu cum professis, sed potiùs sunt in probatione illius status, illúmque intendunt experiri. Multo minus videntur teneri religiosi conformari sæcularibus in eorum obseruantiis.

DISPVTATIO II.

De lege pœnali, & irritante.



Væ superiori disputatione diximus, communia sunt cuilibet legi. Sed quia de lege irritante actum, & pœnam imponente, sunt speciales difficultates, placuit de illis specialem disputationem instituere.

PVNCTVM I.

An lex pœnalis possit transgressores illius obligare in conscientia ad subeundam pœnam ante iudicis sententiam.

1 *Pœna alia est priuatiua, alia positiua, alia ipso iure lata, alia ferenda.*

2 *Sotus affirmat nullam pœnam præter censuras incurri posse ante iudicis sententiam.*

3 *Alij distinguunt inter pœnas positiuas, & priuatiuas, & priuatiuas affirmant incurri posse ante iudicis sententiam, secus positiuas.*

4 *Ad vtramque pœnam potest humana potestas obligare ipso facto per legem.*

5 *Intelligenda est conclusio de pœna moderata, non de ea, in qua vita, fama, aut honor periclitatur.*

6 *Satisfit argum. num. 2. & 3. adductis.*

1 PRæmitto primò, duplex esse genus pœnarum. Aliæ sunt priuatiuæ, aliæ positiuæ: seu aliæ sunt, quæ nullam requirunt actionem, aliæ verò, quæ illam requirunt. Priuatiuas pœnas voco, quæ in priuatione consistunt: quales sunt omnes censuræ, inhabilitates, irritationes, & annullationes actuum. Positiuas pœnas voco, quæ actionem aliquam expostulant ad sui executionem, siue actio facienda sit ab ipso delinquente, siue ab alio tertio. Hæc sunt flagellatio, exilium, solutio pecuniæ, mutilatio membri, priuatio vitæ, & similia.

Secundò præmitto pœnam aliam dici latam ipso iure, aliam ferendam. Illa dicitur lata ipso iure, quæ ad positionem delicti consequitur: illa dicitur ferenda, quæ posito delicto ferenda est à iudice.

2 Quæstio ergo procedit de pœnis tam priuatiuis, quàm positiuis. An possit legislator suis legibus obligare transgressores ad subeundum illas ipso facto ante sententiam saltem declaratoriam criminis?

In qua re est prima sententia Soti *lib.* 1. *de iust. quæst.* 6. *art.* 6. *conclus.* 1. & *ad* 1. 2. & 4. & *lib.* 4. *quæst.* 6. *art.* 3. qui ausus est affirmare nullam pœnam præter censuras incurri posse ante iudicis sententiam. fauet Victoria *relect.* 1. *de iudic. num.* 14. & Angel. *in* 4. *in quæst. de iustitia legis pœnalis*. Probari potest hæc sententia. Quia non videtur data reipublicæ potestas ad hanc obligationem inducendam, quia tota potestas reipublicæ est ad politicam gubernationem. Ergo ad coërcenda delicta, quæ politicæ gubernationi obstant. Sed hæc non videntur esse alia, quàm quæ publica sunt, publicatione facti, vel sententiæ. Ergo ob alia delicta pœna incurri non potest. Et hinc nascitur differentia inter leges latas à potestate Ecclesiastica, & ciuili; potestas enim Ecclesiastica bonum spirituale subditorum attendit, ideóque potest secreta delicta pœnis suis spiritualibus coërcere: at ciuilis potestas cùm potiùs attendat politicum regimen, non videtur peccatis secretis pœnam afficere posse. Et confirmo. Pœnæ Ecclesiasticæ sunt medicinales,

quæ

quæ statim, ac quis cessat à delicto, tollendæ sunt. At pœnæ temporales semel impositæ non tolluntur, quantumuis de delicto resipiscas. Ergo ex impositione pœnarum Ecclesiasticarum ad ciuiles non valet argumentum, præcipuè cùm potestas imponendi Ecclesiasticas pœnas manauerit à Christo Domino, qui potuit ob præcauenda secreta peccata hanc potestatem concedere. At potestas ad ciuiles pœnas ferendas manauit à republica, quæ solùm delicta gubernationi politicæ aduersantia præcauere intendit. Secundò, quia exequi pœnam est officium iudicis. Ergo sine interuentu iudicis pœna exequi non potest.

3 Secunda sententia affirmat priuatiuas pœnas contrahi posse ante iudicis sententiam, secus verò pœnas positiuas, quæ actionem ad sui executionem requirunt. ita Caiet. 2.2.q.62.art.3.& *in summa, verb. pœna.* Bannes 2.2.q.12.*art.2.ad* 1. & *vlt.* Arragon q.41.*art.*3.& *q.*62. *art.*3. Valent. 1.2.*disp.*7.q.5.p.6.q.3. *prope finem.* Medina 1.2.q.96.*art.*4. Conrad. *de contract.q.*7.& Corduba *lib.*1. *q.*36. & alij ab eisdem relati. Probat Caietan. quia lege tantùm obligari quis potest ad sustinendam pœnam, cùm pœna in passione consistat, non ad agendum illam.

4 Dicendum ergo est posse legem humanam obligare ad pœnam tam priuatiuam, quàm positiuam subeundam ante iudicis sententiam, modò sit moderata pœna, & humanæ conditioni non admodum difficilis. sic tenent communiter Doctores. Vasquez *disput.*168. *cap.*2. & *seqq.* Castro 2.*de lege pœnali, cap.*5.8.& *seqq.*& *lib.*2. *de iusta hæret. punit. cap.*6. & *seqq.* Nauarr. *cap.*23. *num.*67.& *cap.*25.*num.*117. Couarr. 2.*part. de sponsalib. cap.*6.§.8.*num.*10. Suarez *tom.*5.*in* 3.*part. disp.*3.*sect.*1. & *lib.*5.*de legib.cap.*5.*à num.*15. Salas *de legib.disp.*15.*sect.*2. *num.*25. Bonacina *disput.*1.*quæst.*1.*punct.*7.§.2.*n.*8.& 9. Et quidem de pœnis priuatiuis est res manifesta: si enim potest Ecclesia priuare sacramentorum receptione, & administratione, & communione politica, & aliis bonis ad quæ Christianus habet ius; quare non poterit respublica dominio pecuniarum priuare, & inhabilem delinquentem efficere ad officia publica, aliáve munera subeunda? De pœnis autem, quæ actionem requirunt, sic probo. Quia obligatio ad huiusmodi actiones pœnales efficiendas non excedit potestatem præceptiuam reipublicæ; potest enim respublica ob bonum commune præcipere alicui ieiunium, eleemosynam, remigationem. Quare ergo non poterit hæc eadem præcipere in pœnam, ob aliquod delictum commissum?

5 Dixi posse rempublicam obligare suis legibus ad pœnam subeundam, modò sit moderata, & humanæ conditioni non admodum difficilis. Nam si pœna sit acerba, & nimis grauis, non est expediens illam imponere, quia pauci illam exequerentur. Sed quod communitati expediens non est, non potest præcipi à legislatore. Ergo.

Ex hac doctrina fit non posse legislatorem obligari delinquentem ipso facto ad aliquam actionem efficiendam, ex qua grauiter eius vita, fama, & honor periclitetur, quia non esset obligatio naturæ humanæ accommodata, neque rectæ gubernationi conueniens, & ita docet Salas *disp.*15.*sect.*2.*specialiter n.*37. Suarez *de legib. lib.*5.*cap.*5.*n.*12.& 16.*fine.*

6 Neque obstant argumenta contraria.

Ad primum pro sententia Soti respondeo negando sola crimina publica posse prohiberi à republica, quia etiam secreta obstant rectæ gubernationi; gubernator enim ciuitatis non solùm latrocinia, & quælibet alia crimina publica, sed secreta præcauere debet. Nullus autem aptior modus præcauendi esse potest, quàm impositione pœnæ. Poterit ergo pœnam per legem imponere.

Ad primam & secundam confirmationem dico probare optimè pœnas Ecclesiasticas, præcipuè censuras, aptiùs, & frequentiùs ipso facto imponi posse, non tamen probare reliquas pœnas non posse tam à iudice Ecclesiastico, quàm ciuili imponi, si causa exigat.

Ad secundum concedo exequi pœnam, secundùm quod importat actionem esse officium iudicis, & sine interuentu iudicis exequi non posse: at cùm iudex, seu legislator delicto annectat pœnam, officium iudicis exercet, ipséque reus, vt minister iudicis in se ipsum pœnam exequitur. At quia hæc executio non est forensis, & iudicialis, sed secreta, & in foro conscientiæ, ideo non requirit alios testes, & accusatores præter ipsum delinquentem; ipse enim sibi ipsi est accusator, testis, & minister, qui pœnam imponit, quando pœna actionem eius requirit.

Ad fundamentum Caietani facilis est solutio. Nam etiamsi demus pœnam in passione consistere, obligari quis poterit ad agendam actionem, ex qua talis passio, seu pœna oriatur. Quod necessariò dicendum est post latam sententiam condemnatoriam, qua quis condemnatur ad solutionem pecuniæ, vel ad pergendum in exilium. Adde pœnam dici optimè posse quamlibet actionem grauem, & molestam naturæ.

PVNCTVM II.

An sint aliquæ pœnæ impositæ à legislatore tam Ecclesiastico, quàm ciuili annexæ delictis ante omnem iudicis sententiam.

1 *Censura excommunicationis, suspensionis, & interdicti, & irregularitatis pœna sæpe incurruntur.*

2 *Irritatio actus, & inhabilitas ad illum sæpè est non vt pœna, sed vt forma: aliquando inducitur vt pœna, & quando hæc contingant.*

3 *Pœna conditionalis ante iudicis sententiam obligat.*

4 *An admissus ad collegium, in quo est statutum, si tale delictum committat, priuilegijs priuetur? maneat ipso iure priuatus.*

5 *Proponitur communis sententia nullam pœnam præter censuras, & irregularitatem reo imponi ante sententiã.*

6 *Pœnæ ad sui executionem postulantes actionem, non contrahuntur ante sententiam saltem declaratoriam.*

7 *Pœnæ impedientes ius quærendum absque sententia contrahuntur.*

8 *Ferè nulla est pœna priuans iure quæsito, quæ ante sententiam declaratoriam contrahatur.*

9 *Excipienda est pœna, qua coniuges incestuosi debiti petitione priuantur.*

10 *Obijciuntur aliqua aduersus supradicta.*

11 *Satisfit supradictis obiectionibus.*

12 *Firmatur conclusio probabile esse nullam pœnam, quæ propriè pœna sit, contrahi absque sententia criminis declaratoria, exceptis censuris, & irregularitate.*

13 *Satisfit cuidam obiectioni.*

1 GRauissima est hæc difficultas, ad cuius decisionem aliqua præmittenda sunt, in quibus ferè omnes Doctores conueniunt.

Primò conueniunt Doctores censuras excommunicationis, suspensionis, & interdicti, & irregularitatis pœnam ipso facto, nulla spectata iudicis sententia, sæpè incurri, ex *cap. si quis suadente,* 17.*q.*4.& *ex toto tit. de sent. excomm.& de homicid.* & tradit ipsemet Sotus 1.*de iustit. q.*6.*art.*6. *concl.*2. Salas plures referens *disp.*15. *de legibus, sect.*2.*n.*29.*vers. inhabilitas.* Sanchez *lib.*9.*de matr.disp.*30. *n.*1.& 2. Suarez *de legib.lib.*5. *cap.*5. Ratio præcipua est, quia ita est vsu receptum, & quia conueniens erat, vt Ecclesia, quæ spiritualem subditorum profectum spectat, aliquas pœnas haberet, quibus à contrahendis delictis, quantumcumque occultis, arceret.

2 Secundò conueniunt Doctores sæpe induci annullationem actus, & inhabilitatem ad illum, non vt pœnam, sed vt formam: qua ratione matrimonia clandestina sine parocho,& testibus requisitis à Trident.celebrata, redduntur nulla, alienatio rerum Ecclesiæ sine debita solemnitate, testamentum minus solemne, contractus pupilli sine consensu tutoris, & alia innumera, quæ pœnæ non sunt, sed solemnitates à iure requisitæ. Aliquando verò annullatio actus inducitur in pœnam delicti commissi, qualiter in omnium sententia inducitur ei, qui cognouit consanguineam vxoris intra secundum gradum, ne scilicet habilis sit ad contrahendum, nisi ex dispensatione Pontificis, etsi est coniugatus, ne possit debitum petere, ex *cap. transmissæ, de eo qui cognouit consanguineam vxoris.* Item si aliquis coniugatus sub fide data de matrimonio contrahendo, cum aliqua adulterium commisit, inhabilis redditur mortua vxore ad contrahendum, ex *cap.super hoc, cap.significasti, cap. fin. de eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium.* quæ pœnæ nulla spectata iudicis sententia contrahuntur, vt tenent omnes Doctores. Vt autem sciatur, quando inhabilitas apponitur, vt pœna, quando non? Attendendum est, an imponatur ob punitionem, & detestationem alicuius delicti, aliàs non erit pœna, textus *in cap. pœnitentia, de pœnitentia, distinct.3.* & tunc cessante delicto, cessabit & pœna,& inhabilitas: at si non ob punitionem delicti, sed ob bonum regimen, & fraudes præcauendas apponatur inhabilitas, qualis est in matrimonio clandestino,& intra gradus prohibitos, in alienatione rerum Ecclesiasticarum, in contractibus, in quibus forma non seruatur, tunc non est pœna, neque requirit iudicis sententiam, sed eo ipso actus est nullus, & irritus, vt probat Marienzo *lib.5.recopil.tit.4.l.1.gloss.10 num.35.* & Azeuedo *eodem lib.tit.1.l.1.n.13.* Thomas Sanchez alios referens *lib.3.de matrim. disput.4. num.9.* Salas *disput.16. sect.2.* Farinac.*2.part fragment.crim. vbi de lege, num.160. pag.203.*

3 Tertiò conueniunt Doctores pœnam conditionalem, seu legem sub conditione positam obligare ante iudicis sententiam, quia hæc non est pœna, sed conditio,sub qua aliquid conceditur, qua non impleta,cessat fauor factus. Qua ratione in Trident. *sess.23. cap.6. de reformat.* statuitur vt clericus minorum ordinum carens beneficio, si non gestat habitum clericalem, non gaudeat priuilegio fori: neque coniugatus si non contraxit cum vnica, & virgine,& alicuius Ecclesiæ seruitio sit addictus,quia non apponit conditionem,sub qua hoc priuilegium conceditur. Item *in cap.fin. §. si quis verò, de clandestina desponsatione*, declarantur illegitimi filij nati ex matrimonio clandestino inualido; vtpote quibus deficit conditio requisita, vt filij nati ex matrimonio legitimi essent. & ita tradit Sanchez *lib.3.de matrim.disput.53 num.8. & lib.8.disput.21.num.77.* Valent. *1.2.disput.7.quæst.5. punct.6. §.3.* Suarez *lib.5.de legibus, cap.6.num.10.* Clauis regia *lib.3.cap.9.* Bonacina *disp.1. quæst.1. punct.7. num.24.* Idem contingit in legatis sub conditione & forma, qua non impleta cessat legatum; vt si fœminæ relinquatur legatum sub conditione, *si castè vixerit*, ea turpiter viuente, nullo modo retinere in conscientia legatum potest, sed debet ad hæredes transmittere, quia ibi non priuatur legato in pœnam fornicationis,sed quia conditionem, sub qua fuit concessum, non impleuit. sic Molin. *tom.1.de iustit.tract.2. disput. 96. fine.* Thomas Sanchez innumeros referens *lib.7.de matrim.disput.91.num.2.& 3.* Vasquez *part.2.disput.173.cap.1.* Valent.*1.2.disput.6.quæst.5.punct.6.versic. item intelligendum est.* Bonacina *de legibus, disp.1. quæst.1. punct.7.§.2.num.24.* Salas *de legibus,disput.15 sect.3.circa finem.* Suarez *lib.5.de legib.cap.6.num.10.*

4 Hinc infertur quid dicendum sit de eo,qui admissus est ad aliquod collegium,in quo est statutum,si tale delictum commiserit, priuilegiis collegij priuetur,& obligetur restituere, quidquid à collegio accepit: an, inquam, obligatus sit in conscientia à collegio desistere, & ea omnia, quæ accipit,nulla spectata sententia restituere? docet Sayrus *in claui regia, lib.3.cap.9.* Sotus *lib.1. de iustit.quæst.6.art.6. ad 4.* Reginaldus *lib.13 num.176.* quia videntur priuilegia, & alia bona collegij sub conditione concedi, & sub ea ab ingredientibus acceptari.

Cæterùm plures Doctores defendunt hanc priuationem pœnam propriè esse, ac proinde non incurri ante iudicis sententiam, & delicti probationem. sic Molin. *tract.2.de iustit.disput.96.circa finem.* Nauarr.*cap.23.n.63.* Azor *lib.5.cap.8.quæst.vlt.* Vasquez *1.2.tom.2.disput.173. cap.1.* reputat probabile Bonacina *disput.1. de legibus, quæst.1.punct.7.§.2.num.26.* Mouentur, quia receptio in collegio videtur absoluta, & non conditionalis. Item quia illa est propriè pœna, quæ priuat priuilegiis iam acquisitis, non quæ priuat acquirendis; vt bene dixit Sanchez *lib.8.de matrim.disput.21.num.77.ad fin.* sed pœna propriè dicta non incurritur ante sententiam, vt dicemus. Ergo.

Ego verò dicendum existimo, ex consuetudine, & vsu hoc esse colligendum, negari enim non potest sub hac conditione te posse in collegium admitti, & priuilegia collegij concedi, dum à delicto abstinueris,sicuti conceditur legatum vxori sub conditione, *si castè vixerit*;& in tali casu renuntiare debes collegio,& restituere,quæ ab illo accepisti, quia non priuaris iure tibi integrè concesso, sed concesso sub conditione, qua non seruata, cessat. At si in collegium absolutè fuisti admissus,neque claris, & expressis verbis,tibi declaratum est sub illa conditione admitti, obligandus non es renuntiare collegio, neque restituere,quæ ab illo accepisti, quousque sententia declaratoria saltem intercedat, quia est propriè pœna,& ad eius executionem,vt diximus,hæc sententia requiritur.

5 His ergo positis,est difficultas, an de facto sint aliquæ pœnæ annexæ delictis,nulla expectata iudicis sententia?

Rationem dubitandi fecit communis sententia Doctorum asserentium nullam pœnam reo imponi absque sententia iudicis præter censuras, & irregularitatem, quia hoc non videtur necessarium ad rectam reipublicæ gubernationem: & quia aliàs sæpè obligaretur reus ad manifestandum proprium delictum exequendo pœnam: ita docuit D.Thomas communiter receptus *2.2. quæst.62.art.3. in corpore, & ad 3.& glossa in cap.fraternitas,verbo cum augmento, 12.quæst.2.* Sanchez dicens esse omnium Theologorum,& iuris vtriusque professorum, *tom.1.de matrim.lib.3. disput.53.num.2. & 6. & lib.7.disput.89.num.11.* Anton. Gomez *3.variarum,cap.14.n.3.* Didacus Perez *ad leg.fin. verbo, que en ellas cayere, tit.13. lib.2.ordinam.regij.* Molin. *tom.1.de iustit.tract.2.disp.176. §.illud vniuersis.*

6 Pro resolutione reuocanda est in memoriam distinctio suprà posita de pœnis, quæ actionem ad sui executionem requirunt,& de pœnis,quæ nullam actionem expostulant.

Dico ergo primò, si sermo sit de pœnis, quæ actionem ad sui executionem requirunt, non video vllam esse, quæ taliter delicto annexa sit,vt absque sententia iudicis saltem declaratoria criminis incurratur: & in hoc casu communis sententia amplectenda est, quam tenet vltra Doctores suprà relatos Salas *disput. 15. de legibus, sect.3. num.49.* vbi dicit leges nostri regni obligantes reum soluere pœnam ante sententiam, qualis videtur esse *lex 2.tit.9. & lex 4. tit.4. & lex 30.tit.15. & lex 15.tit.21.lib.2. ordinam.regalis*, non esse consuetudine receptas, vt ante sententiam saltem declaratoriam crimi

criminis reos adstringant. In iure autem ciuili, vel canonico, nulla est lex, quæ ad huiusmodi pœnas ante sententiam obliget. sic Suarez *lib.5. cap.7. n.6.* & pluribus aliis exornat Farinac. *2. part. fragm. vbi de lege, num.157. pag.202.*

7 Quòd si de pœnis priuatiuis loquamur, aduertendum est, esse in duplici differentia. Aliæ, quæ impediunt translationem dominij, seu iuris acquirendi: aliæ, quæ priuant iure quæsito, seu incepto possideri, & hæ vltimæ pœnæ propriæ sunt, vt bene alios referens dixit Sanchez *lib.3. de matrim. disput.53. num.8. circa finem.* Si de pœnis, quæ impediunt ius acquirendum, loquamur,

Dicendum est secundò, plures esse in iure tam canonico, quàm ciuili, quæ absque iudicis sententia contrahuntur: cùm enim respublica suorum bonorum domina sit, iustissimè potest nolle ea donare his, qui leges eius non obseruant: sic recipiens beneficium parochiale sine sacerdotio, si intra annum non ordinetur sua culpa, illud dimittere obligatur, ex *cap. licèt canon. de elect. in 6.* ibi, *si intra idem tempus promotus non fuerit, Ecclesia sibi commissa, nulla etiam præmissa monitione, sit præsentis constitutionis authoritate priuatus.* Idem dicendum est de Episcopis, qui intra sex menses à confirmatione sua non consecrantur, priuantur enim Episcopatibus adeptis, quia sub hac tacita conditione illis sunt concessi. habetur in Trident. *sess.23. cap.2. de reformat.* Idem est de beneficiariis non residentibus in suis Ecclesiis, qui pro rata absentiæ fructus non faciunt suos, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non sequuta, illos detinere possunt, vt habetur in Trident. *sess.23. cap.1. de reformat.* Idem de beneficiariis non recitantibus horas canonicas: nam ex motu proprio Pij V. incipiente, *ex proximo Lateranensi Concilio,* Romæ edito anno 1571. 12. Kalend. Octobris, & refertur à Nauarro *cap. 25. num.121.* non faciunt fructus suos, sed tenentur pro rata illos restituere, si acceperint, quia sub hac conditione illis dati sunt. Item *sess.22. cap.4. de reformat.* priuantur Canonici voce actiua in Capitulo, si in sacris non existant. & *in Clement. vt is qui, de etate, & qualitate*, priuantur præbendati voce actiua in Capitulo, si intra annum non receperint ordinem suis præbendis annexum. Hoc tamen dubium est, si adsit in sacris; existimo enim esse satis probabile requiri sententiam, quia priuantur iure quæsito. Item consequentes secundum beneficium incompatibile cum primo, ipso iure illo priuantur, & redduntur ineligibiles, si non dimiserint: ex *cap. cùm singula, de præbend. in 6. & ibi glossa.* Et idem est de inhabilitate ad matrimonium imposita coniugi, qui vxorem interfecit, vt concubinam ducat, vel sub promissione futuri coniugij cum illa rem habeat, ex *cap.1. cap. super eo, cap. significasti, de eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium.*

8 Verùm si de pœnis priuantibus iure quæsito loquamur,

Dicendum est tertiò, satis probabile esse ferè nullam esse pœnam, quæ iudicis sententiam non requirat ad sui plenam executionem, quantumuis lex dicat, ipso facto, vel ante declarationem: quia semper debet intelligi ante declarationem pœnæ, & non ante declarationem delicti. Moueor, quia in pœnis semper est benignior interpretatio facienda. *regul. in pœnis, de regulis iuris in 6.* Præterea, quia hæretici priuantur ipso iure bonis possessis à die commissi criminis, ex *cap. cùm secundùm leges, de hæret. in 6.* & tamen non tenentur bona fisco tradere, & contractus, & alienationes factæ ab ipsis validæ sunt, vt communis tenet sententia. Ergo bene infertur pœnam non integrè incurri. Item simoniaci spoliantur beneficiis obtentis, & inhabiles redduntur ad alia obtinenda, ex Trident. *sess.24. cap.18. de reformat.* & ex constit. Pij IV. aduersùs committentes simoniam; & tamen non obligantur renuntiare beneficiis, aliàs obligarentur sæpè ad manifestandum se ipsos, vel ad patiendam grauem necessitatem. Ergo signum est priuationem tituli non esse delicto annexam, aliàs priuato non liceret sacramenta ministrare, & alia iura, & munia, quæ ratione beneficij conceduntur, exercere, neque fructus beneficij recipere. Ergo in his pœnis priuantibus iure quæsito, expectanda est sententia declaratoria criminis, vt integrè incurratur. sic Emanuel Saa *verbo lex, num.11.* Perez *lib.2. ordin. regij, tit.9. l.2.* Couarr. *2. p. sponsalium, cap.6. §.8. num.8. & 10.* Vasquez *de legibus, disput.178. cap.4. num.25.* Castro *lib.2. de iusta hæret. punit. cap. 9.* Lessius *lib. 2. de iustit. cap.29 dub.8. cap.34. dub.34. & cap.35. dub.26. & 27.* Salas *de legibus, disp.15. à num.46.* Sanchez *lib.3. de matrim. disp.53. à num.5. & seqq. & lib.7. disp.89. num.11.* vbi dicit, communissimum Doctorum axioma esse, pœnam non deberi ante iudicis sententiam saltem declaratoriam criminis: imò quamuis textus dicant incurri absque alia declaratione, intelligi debent de declaratione pœnæ. Vnde adhuc desiderabitur declaratio criminis facti per iudicis sententiam, vt sustinet verior opinio, quam refert Couarr. *4. decret. 2. part. cap.6. §.8. num.10. versic. tertio.* atque in strictioribus legis verbis docent hoc ipsum Azeuedo *lib.5. recopilat. tit.11. l.5. n.11.* & ibi Matienzo *glossa 1. num. 4.* cùm enim illa lex dicat hæc verba, *por ese mismo echo, sin proceder a ello, ni para ello otro conoçimiento de causa, ni otra sentençia, ni declaraçion alguna ayan perdido las mercadurias*; dicunt adhuc requiri sententiam: quare Molin. *tom.1. de iustit. tract.2. disput.96. fol.591.* docet exigi verba legislatoris luce clariora explicantia ipsius mentem esse, nullam desiderari sententiam. Hæc Sanchez. Et aduertendum est ex eius sententia *lib.3. de matrim. disput. 53. fine*, illam dici pœnam, quæ est priuatio iuris quæsiti, seu incipientis possideri, non acquirendi.

9 Dixi ferè nullam esse pœnam, vt exciperem pœnam, qua coniuges incestuosi priuantur debiti petitione, nulla expectata iudicis sententia, etiam declaratoria criminis: vt testatur de communi sententia Sanchez *lib.9. de matrim. disput.30. num.1.* quia in hac pœna, sicut in pœna excommunicationis, suspensionis, interdicti, & irregularitatis, praxis, & vsus obtinuit ligari delinquentes nulla expectata sententia.

10 Sed aduersùs supradicta obiici potest primò textus *in cap. pro humani, de homicid. in 6.* vbi occidentes alios per assasinos, qui subiecti erant dominis temporalibus, priuantur officio, & beneficio ipso facto, taliter, quòd liberè aliis possint conferri. Sed hic textus nihil contra nos vrget: nam ibi adduntur verba, quæ clarè indicant sententiam iudicis; ait enim textus, *postquam probabilibus constiterit argumentis aliquem tam execrabile scelus commisisse.* quæ verba ad notitiam publicam, & iudicialem debent referri. Quapropter quousque in iudicio constet de tali delicto, non videtur priuatus officiis, & beneficiis: & ita sentit Suarez *lib. 5. de legibus, cap.8. num.15.* cum Felino *in cap.2. de fide instrument. n.9.* Vasquez *disput.166. cap.4.* cum Syluest. *verbo assasinus, in fine.* Sot. *1. de iustit. quæst.6. art.6. ad 8.* Salas *de legibus, disput.15. sect.2. num.30. vers. octauò.*

Secundò adducitur textus *in Extrauaganti Ambitiosæ, de rebus Ecclesiæ non alienand.* vbi Prælati inferiores, & Rectores Ecclesiarum alienantes bona suorum beneficiorum contra præscriptum illius legis, priuantur ipso facto beneficiis per hæc verba: *priuati existant ipso facto, & absque alia declaratione in ea re censeantur.* Si ergo ad vacationem opus esset sententia declaratoria criminis, iam verba legis vera, & effectiua non essent, intendunt enim vacationem absque alia declaratione: & ita tenet Suar. cum Caiet. Nauarr. & Cordub. *lib.5. de legib. c.8. n.14.* Sed addunt illas pœnas non esse vsu receptas.

Tertiò adducitur constitutio Pij IV. aduersùs committentes simoniam confidentialem, quam refert Nauarr. *cap.* 23. *num.* 110. vbi simoniacos confidentiales priuat beneficiis obtentis, ipso facto; quòd autem non requiratur sententia declaratoria criminis, docet idem Nauarr. & Suarez *supradicto loco de leg. num.* 16. retractans sententiam, quam docuerat *tom.* 1. *de relig. lib.* 4. *verſ. nota decimò cap.* 43. *in fine.* Et mouetur, quia Pontifex intendit hac constitutione præcludere viam committendi tale delictum spe subterfugiendi iudicium, quod patet ex illis verbis vltimis dictæ constitutionis, *Sed ne quisquam vana fiducia fretus, non intendendi contra se iudicij in crimine perseueret, vtque hoc malum grauioris censuræ stimulo vsquequaque prohibeatur; omnes, & singulos, &c. & quidquid tale admiserint in futurum, omnibus beneficijs, & officijs, &c. præsentium authoritate priuamus, & ad futurum inhabiles decernimus, & in iuris subsidium excommunicationis sententia innodamus.* Si autem hæ pœnæ non contraherentur, vsque crimen esset declaratum, iam fiducia vana fretus iudicium contra se non esse intendendum, in crimine perseuerare posset, quod est contra mentem Pontificis. Verùm non credo hanc constitutionem quoad pœnam priuationis beneficiorum, & inhabilitatem ad alia contrahi ante sententiam declaratoriam criminis, quia sufficienter satisfit intentioni Pontificis si delinquens à die commissi criminis obnoxius priuationi maneat, neque aliud expostuletur, quàm declaratio delicti, vt priuatus existat. Et ita interpretanda est lex Bonifacij VIII. quam confirmauit Gregor. XIII. priuans beneficiis obtentis, recipientes in curia aliquid pro gratia, & iustitia, eodémque modo debemus explicare Trident. *seſſ.* 24. *cap.* 18. *de reformat.* priuans beneficiis antea obtentis examinatores, simoniam in examine committentes, vt scilicet absolui non possint à peccato simoniæ, nisi dimissis beneficiis, quæ quomodocunque antea obtinebant, subintelligitur, si fuerit eorum crimen declaratum. sic Salas *de leg. diſp.* 15. *sect.* 2. *num.* 31. Lessius *lib.* 2. *de iuſtit. cap.* 35. *dub.* 26 *num.* 147. & generaliter nullam legem etiam in beneficiis incurri ante sententiam declaratoriam criminis, etiamsi dicatur ipso facto, nulla declaratione præmissa: docet Vasq. *diſp.* 168. *cap.* 4. Couarr. 2. *p. de sponſalib. cap.* 6. § 8. *num.* 8. Eman. Saa *verbo pœna. num.* 1. Sanchez *lib.* 9. *de matrim. diſp.* 53. *num.* 1. Mol. *tom.* 1. *de iuſtit. tract.* 2. *diſp.* 96. *pag.* 590. & alij ab eisdem relati.

Quartò obiici potest pœna inhabitationis vocis actiuæ, vel passiuæ ad aliquam cathedram, officium, vel beneficium; sæpè enim ob crimen commissum priuatur quis potestate eligendi. *cap. cum inter. de electione. cap.* 1. *de postulat. Prælatorum. c.* 10. *cum in cunctis, de electione. cap. quia diuersitatem, de concessione præbendæ. cap. fin. de excessibus Prælatorum, cap. vnico.* § 1. *ne sede vacante in* 6. Et in multis vniuersitatibus fiunt ipso iure inhabiles ad cathedras obtinendas, qui aliquos suffragatores corruperint, vel cum aliis competitoribus pactum fecerint de cessione facienda oppositione, vt ipsi etiam vicissim in alia oppositione cedant. Item quia ipsi corrupti inhabiles nulla expectata sententia fiunt: quod constat ex statutis huius Salmanticensis vniuersitatis *tit.* 33. *à num.* 4. *& seqq. præcipuè* 20. 21. 22. & de vniuersitate Complutensi testatur Vasquez 1. 2. *diſp.* 168. *cap.* 6. Suarez *lib.* 5. *cap.* 9. *à num.* 7.

11 Verùm supradicti textus non satis probant; concedo enim priuationem, quæ incurritur per censuras, hanc vim habere; secus verò priuationem, quæ ratione delicti imponitur. Et supradicti textus de ligatis censura loquuntur. Item debet censura esse denuntiata, vt non solùm vsu, sed etiam potestate eligendi quis priuetur: at si censura eligendum adstringit, etiamsi occulta sit, reddit eius electionem passiuam nullam. ex *cap. postulasti, in princ. de clerico excommunic. minist.* Solùm *cap. cum in cunctis, de electione,* potest ingerere difficultatem, quia ibi priuantur Canonici potestate eligendi, si eligant scienter indignum. Sed non habemus efficax argumentum ad negandum requiri priùs sententiam declaratoriam criminis; imò potiùs nobis fauet communis regula de pœnis, quæ temperandæ sunt, quoad fieri possit: cùm autem hæc sit propria pœna, quia priuat iure quæsito, scilicet potestate iam habita priùs eligendi. Censeo satis probabile requiri sententiam declaratoriam criminis. Et idem censeo de supradictis statutis vniuersitatum priuantibus voce actiua, & passiua ad aliquam electionem. Nam licèt dicant, *ipso facto inhabiles sint,* debent tamen temperari facta per iudicem declaratione: tenet hanc sententiam Sotus *lib.* 1. *de iuſtit. quæſt.* 6. *art.* 6. *ad* 4. *& lib.* 4. *quæſt.* 6. *art.* 3. *ad finem.* Ledesma 2. *p.* 4. *q.* 18. *art.* 2. *concluſ.* 3. Eman. Saa *verbo lex, num.* 11. *& verbo pœna. num.* 1. *in vtraque editione.* Thom. Sanchez *lib.* 9. *de matrim. diſp.* 30. *num.* 1. *& lib.* 2. *in Decal. cap.* 22. *num.* 19. *&* 20. Molin. *tom.* 1. *de iuſt. tract.* 2. *diſp.* 99. *pag.* 591.

12 Ex his ergo constat satis probabile esse vltra censuras, & irregularitatem, nullam aliam pœnam contrahi ipso facto ante sententiam declaratoriam criminis. Si de propria pœna loquamur, qualis est priuatio alicuius iuris quæsiti, seu incepti possideri; etiam si lex, aut statutum dicat contrahi ipso facto, absque alia declaratione, & processu; quia ita habet praxis, & vsus, & pluribus exornat vltra allegatos suprà Prosper Farinac. 2. *p. fragment. crimin. num.* 157. *& num.* 164. *pag. mihi* 202. *&* 203. Quod in tantum verum est, vt nullo modo possit talis pœna mandari executioni, nisi talis declaratoria interueniat. Ad quam declaratoriam faciendam citatio partis requiritur, vt testatur Iulius Clarus *in pract.* § *fin. quæſt.* 31. *num.* 3. *verſ. item adde.* Cardin. Tuscus *in verbo declaratio, concluſ.* 98. *num.* 61. Farinacius *suprà num.* 167. & *num.* 168. plures referens docet ab hac declaratoria dari appellationem.

13 Sed obiicies. Ergo frustrà apponuntur in lege pœnali verba ipso facto, & absque alia declaratione, si pœna non contrahitur commisso delicto, sed expectanda est iudicis sententia, neque differentia vlla erit inter legem statuentem pœnam ipso facto, & legem statuentem pœnam ferendam; sed omnis lex pœnalis dicitur esse de pœna ferenda, & non lata.

Respondeo negando assumptum; cùm enim pœna ipso facto à lege imponatur, non requirit sententiam condemnatoriam, sufficit declaratoria criminis; secus verò est in sententia ferenda. Secundò omnes actus, qui post commissum delictum fiunt, veniunt irritandi, si irritabiles sint: quare si ipso facto ob delictum, prieris officio, beneficio, vel bonis, teneris post sententiam fructus restituere fisco petenti, & si alienaueris, potest rescindi contractus, si in damnum fisci celebratus fuerit, quia omnia transeunt cum illo onere. Tertiò hæredes possunt conueniri ad persoluendam pœnam realem, quam debebat defunctus, quia transit res ad illos cum illo onere. Secus verò est in pœnis ferendis, vt latiùs dicemus, cùm de confiscatione bonorum sermo habeatur. Ratio omnium est, quia lex, quæ pœnam imponit ipso facto, priuat quantùm est de se delinquentes bonis, sub conditione tamen, quòd delictum declaretur: quare non indiget, vt iudex sententiam ferat de priuatione, sed de declaratione delicti. At lex quæ imponit pœnam ferendam, non priuat, sed remittit iudici, vt priuet. Ergo est clara differentia inter vnam, & aliam legem: & ità explicat, & pluribus exornat Salas *diſp.* 15. *de leg. sect.* 3. *sub num.* 47. Thom. Sanchez *lib.* 2. *in Decal. cap.* 22. *n.* 28. Bonacina *diſp.* 1. *de leg. q.* 1. *punct.* 7. § 2. *num.* 8. Vasquez *diſp.* 170. *c.* 4. Mol. *tom.* 1. *de iuſtit. tract.* 2. *diſp.* 95. Graffis 1. *p. deciſ. lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 26. *&* 29. *& ſeq.* Henriquez *lib.* 13. *cap.* 56. *n.* 2. *litt. N. in com.* Sayrus *in claui regia lib.* 3. *cap.* 9. Anton. Gom. 3. *var. cap. vlt. num.* 2.

PVN

PVNCTVM III.

An pœna apposita ex mutuo contrahentium consensu debeatur ante sententiam iudicis.

1 *Si expressè ad id se obligarunt, debetur.*
2 *Cum non est hæc expressa obligatio ex solo contractu, prima sententia affirmat deberi in conscientia.*
3 *Secunda dicit deberi, casu quo ab alio petatur.*
4 *Tertia quam approbo probabiliorem, defendit non esse debitam, quousque à iudice declaretur.*
5 *Infertur dari posse præscriptionem pœnæ conditionalis.*
6 *Soluuntur rationes primæ & secundæ sententiæ.*

1 LOquimur de pœnæ appositione non reprobata per textum *in cap. gemma, de sponsalib.* sed de pœna, ad cuius solutionem licitè possunt contrahentes se obligare.

Et quidem cùm omnis hæc obligatio ex intentione contrahentium pendere debeat: si ipsi se expressè obligauerint ad soluendam pœnam ante iudicis sententiam, imò etiam, antequam ab alio petatur, dicendum est obligatos manere. sic sentit Suarez *lib. 5. de leg. cap. 6. n. 9.* & alij statim referendi.

Difficultas autem est, quando non exprimunt hanc obligationem, sed solùm dicunt se obligare stare contractui, quòd si resiliant, soluturos esse talem pœnam: an tunc, inquam, pœna debeatur in conscientia?

2 Triplex est sententia.

Prima affirmat deberi in conscientia, etiam parte non petente, sic Felin. *cap. 1. de constitut. num. 46.* & Decius *ibi lect. 2. num. 20. & lect. 1. num. 78.* Palud. 4. *dist. 27. quæst. 1. art. 2. num. 13.* indicat Nauarr. *lib. 3. de restit. cap. 2. dub. 10. num. 174. in 2. edit.* Mouentur, quia obligatio ad pœnam fit ex contractu, sed quod ex contractu debetur, in conscientia debetur: qua ratione *in l. rescriptum, §. si pacto, ff. de pactis*, datur actio aduersùs debitorem pœnalem; dicitur enim ibi, *si quis in pacto pœnam stipulatus est, posse postea agere, vel ex pacto, vel ex stipulatione suo arbitrio.* Ergo signum est debitorem pœnæ in conscientia esse obligatum. Confirmo argumento desumpto ex voto pœnali, ad cuius obligationem vouens tenetur, nulla expectata sententia, si principali promisso non stetit: ergo etiam debet teneri homini, si à principali obligatione destitit.

3 Secunda sententia docet, teneri resilientem à contractu soluere pœnam, casu quo ab alio contrahente petatur, nulla expectata iudicis sententia: sic docet Menochius *de arbitr. lib. 2. cent. 3. casu 260. num. 40.* Gutierrez *de matrim. cap. 18. num. 19. & de iurament. 1. part. cap. 36. num. 11. fine.* Couarr. *lib. 4. decret. cap. 6. §. 8. n. 11.* Azeuedo *lib. 2. recopil. tit. 1. in rubr. num. 28. & seq.* Bonacina *de legib. disp. 1. quæst. 1. punct. 7. §. 2. num. 23. & de contract. disp. 3. quæst. 3. punct. 7. num. 4.* Suarez *de legibus, lib. 5. cap. 6. num. 8.* Salas *de legibus, disp. 15. sect. 3. num. 51.* Molin. *tom. 1. tract. 2. disput. 97. fine.* Emanuel Saa *verb. pœna, num. 2.* & alij ab eisdem relati. Mouentur, quia hæc videtur esse intentio contrahentis, vt petitio partis loco sententiæ succedat, aliàs si contrahentes intelligerent iudicis sententiam expectandam esse, hoc explicarent. Præterea obtinere sententiam iudicis non leuem patitur difficultatem. Ergo non est obligandus innocens hoc grauamen subire, vt sibi debitum recuperet, nisi ad id se expressè obligauerit.

4 Tertia sententia, cui tanquam probabiliori adhæreo, etsi duæ præcedentes sint satis probabiles, affirmat, non deberi hanc pœnam, quousque à iudice declaretur, ex contrario fundamento. Quia mens contrahentium, nisi aliud verbis exprimatur, non videtur esse obligare ad pœnam, nisi facta condemnatione. Tum, quia hæc obligatio est ob transgressionem legis sibi impositæ. Sed quando quis transgreditur legem à iure communi impositam, non contrahit pœnam, præcipuè si requirat actionem absque sententia iudicis. Ergo neque etiam contrahere debet pœnam, quam sibi ipsi imponit ob transgressionem suæ legis sine sententia iudicis: tum etiam quia has pœnas sæpè moderatur iudex, quia exuberantes sunt, imò ex stylo curiæ, non fit condemnatio harum pœnarum, nisi quatenus interest, vt testatur Sanchez loco statim referendo, cum Auendaño *in suo dictionario, verbo pœna*, & Gutierrez *de iurament. 1. part. cap. 36. num. 10.* Ergo oportet, vt ad earum obligationem inducendam sententia iudicis accedat, qui aduertat, an sint pœnę exorbitantes, an etiam damnum aliquod innocenti sequutum fuerit: nam seclusis his casibus, non debet ad pœnam condemnare. Tandem in casu dubio intelligi debent contrahentes apponere pœnam, iuxta regulam pœnarum iuris communis, quæ non obligat ante latam sententiam saltem declaratoriam: & ita tenet plures referens Thomas Sanchez, scriptorum moralium princeps, *lib. 1. de sponsalib. disput. 37. num. 4.* Nauarr. *cap. 23. num. 67.* Vasquez *disput. 173. cap. 1.* Bçça *1. part. casu 41.* Lessius *lib. 2. cap. 20. dub. 15.* Gutierrez *canon. quæst. lib. 2. cap. 20. num. 13.* Vide Tuscum *verbo declaratio, concl. 98. n. 9. 15. & 26.*

5 Ex his infero cum Sanchez, & Gutierrez *locis citatis*, debitorem pœnæ conuentionalis præscribere posse solutionem, si non petatur coram iudice, ex *l. omnes, C. de prescript. 30. ann.* quia dum non petitur, possidet bona fide. Imò addendum existimo cum Rebuffo *in proœm. constit. regal. glossa 1. num. 47.* hanc pœnam, & quamlibet aliam legis præscribi posse post condemnationem, si à parte interessente non petatur spatio 30. annorum, quia credere potest debitor creditorem nolle iure suo vti, sed gratis remittere; sicuti contingit in hærede, à quo legatarius non petit legatum, & in domino, qui scit feudatarium cecidisse in commissum, & non petit; consentit Vasquez *disp. 173. cap. 5.* Salas *de legibus, disput. 15. sect. 3. num. 52.* Reginald. *lib. 13. num. 283.* Bonacina alios referens *disp. 1. q. 1. p. 7. §. 2. n. 30.*

6 Argumenta verò in contrarium non obstant.

Ad primum primæ sententiæ respondeo, debitorem pœnæ esse obligatum ex pacto soluere posita condemnatione, non antea; & hoc sufficit, vt possit creditor agere aduersùs illum.

Ad confirmationem concedo, votum pœnale statim obligare; quia in voto non est imaginabilis alia sententia præter eam, quam sibi quisque imponit, secus verò in debitis homini factis.

Ad argumentum secundæ sententiæ nego esse illam intentionem contrahentium, sed potiùs contrariam, vt constat ex probatione nostræ conclusionis.

PVNCTVM IV.

Quas pœnas teneatur exequi delinquens post latam sententiam.

1 *Non potest condemnatus iudici resistere, quid si in falsa præsumptione sententia fundetur.*
2 *Non potest obligari ad executionem pœnæ mortis, mutilationis, &c.*
3 *Quæ teneatur præstare condemnatus ad mortem.*
4 *Pœnam verberationis, exilij, carceris, communis sententia docet te obligatum esse exequi.*
5 *Temperatur communis sententia.*
6 *In pœnis pecuniarijs tenenda est communis sententia te obligatum esse.*

1 PRimò est certum delinquentem resistere non posse iudici infligenti pœnas legis, post legitimam

mam ſententiam, eſto poſſit ſine reſiſtentia fugere, cùm pœna grauiſſima eſt; quia ad fugam habet ius à natura, ad reſiſtendum nullum ius habet; quia nulla ei irrogatur iniuria, vt ſuppono. Si autem ex præſumptione falſa damnatus ſis ad graue ſupplicium, non eſt improbabile, poſſe te armis defendere à miniſtris iuſtitiæ, ſi aliquam ſpem habeas euadendi; quia re ipſa tibi infertur iniuria, quam potes vi repellere, ſicuti ſi inuaſus eſſes à furioſo, docuit Leſſius *lib.2. de iuſt. cap.31. dub.4. fine.* Vaſquez *diſp.174. cap.1.* Sotus 1. *de iuſtit. quæſt.6. art.6. & lib.5. quæſt.6. art.4.* Salas *diſp.15. ſect.7. num.87.* Aduertunt tamen non poſſe te miniſtros vulnerare, ſed ſolùm armis terrere, quia non licet tibi iniuriam facere, cùm iudex iniuriam non inferat. At Bannes 2.2. *quæſt.69. art.4.* cum Victor. & alij relati à Couarr. 1. *var. cap.2. num.13.* etiam admittunt te illos vulnerare poſſe, ſi hac via ſpem habeas euadendi: & videtur approbari à Leſſio exemplo furioſi, quem licet tibi vulnerare, ſi alia via eius inuaſiones declinare non potes; ſufficit enim tibi in re fieri iniuri[illegible], etiamſi inferens vt talem non reputet.

2 Secundò credo etiam certum delinquentem, neque per legem, neque per ſententiam condemnatoriam obligari poſſe ad pœnam mortis, mutilationis, verberationis grauis, & infamis ſibi inferendam, quia bono communi non expedit delinquenti hanc obligationem ita grauem imponere, vt ipſe ſui ipſius vindex ſit; ſufficienter enim fit ſatis bono communi, & pœnæ debitæ pro delicto, ſi cùm ab alio imponitur, patienter ſuſtineat. ita Suarez *lib.5. cap.7. ad finem. & cap.10. num.12.* Vaſquez *diſp.173.* Bonacina *diſp.1. quæſt.1. punct.7. §.2. num.29.* Graſſis 1. *p. lib.2. cap.11. num.40.*

Hinc fit, non poſſe reum obligari ſumere venenum, vel abſtinere à cibo oblato, quia nunquam hoc eſt neceſſarium bono communi, vt ipſe ſuæ mortis ſit executor: & ita docuit Suarez *lib.5. de leg. cap.7. num.13. & cap.10. num.14.* Vaſquez *diſp.173. cap.3.* Salas *diſp.15. ſect.7. num 82. & 85.* Leſſius *lib.2. cap.9. dub.6. num.26.* Reginaldus *lib.13. num.288* quamuis contra teneat Bonacina *diſp.2. de reſtit. quæſt vlt. punct.5. num.3.* cum Aragon. 2.2. *quæſt.69. art.4.* Eman. Saa *verbo iudicialis actus, num.54.*

3 Vnum tamen mihi certum videtur facta condemnatione ad mortem, vel exilium, quam condemnationem fugiendo vitare non potes, te poſſe, imò & debere ad locum deſtinatum proficiſci, collum præparare, manus apponere, & alias actiones efficere, quæ ab alio miniſtro iuſtitiæ commodè fieri non poſſunt; quia hæc cooperatio ad mortem, cenſetur remota cooperatio, & de ſe indifferens, mortémque non inducens, & ex alia parte honeſtatur ſufficienter præcepto iudicis, & exemplo adſtantium, qui ſi te ità violenter viderent, indicarent te impatienter mortem ſubire, & velle iuſtitiæ reſiſtere; & ita tradit Sotus 1. *de iuſtit. quæſt.6. art.6. concl.2.* Couarr. 2. *p.4. cap.6. §.8. num.10.* Arag. 2.2. *quæſt.61. art.3.* Salas *diſp.15. de leg. ſect.7. num.82.* Sayrus *lib.3. cap.9. n.41.* Suarez vbi teſtatur de communi *lib.5. cap.10. num.14.* Bonacina *diſp.1. quæſt.1. punct.7. §.2. num.34.* Vaſquez *diſp.173. cap.3.*

4 De aliis pœnis, nempe verberatione, exilio, carcere diuturno, communis ſententia docet, teneri pœnam exequi, ſi ad executionem condemneris ſententia vltima, quam appellatione, vel alio remedio iuris non potes infirmare. Vnde non potes à carcere fugere, ab exilio exire, & ſeruitute liberari, quia eſt iuſta ſententia, & præcepto iuſto parendum eſt. ſic D.Thom. 2.2. *q.62. art.3.* Tiraquellus plures referens *in l. ſi vnquam, C. de reuocandis donation. verbo reuertatur, n.291.* Nauarr. *cap.23. num.66.* Salas *diſp.15. ſect.2. n.32.* Clauis regia *lib.3. c.9. n.4.* Bonacina *diſp.1. q.1. p.7. §.2. n.33.* Azor *tom.1. lib.5. cap.8. q.6.* Suarez plures referens *lib.5. cap.10. à num.5.*

5 Verùm cenſeo hanc ſententiam communem temperandam eſſe: quare ſi carcer ſit durus, & triſtis, non videris obligatus ibi perſiſtere, & à fortiori, ſi ibi malè tracteris: quod docet Suarez *ſuprà num.16.* Et idem cenſeo, ſi condemneris ad exilium terræ inſalubris, & longo tempore ad triremes, & ad quamlibet aliam actionem de ſe nimis moleſtam; præcepta enim humana, humana debent eſſe: at inhumanum videtur, ſi obligeris, vt in pœna adeò moleſta ipſe ſis miniſter iudicis contra te ipſum. Ergo dicendum eſt te non poſſe ad hoc obligari. Et confirmo. Communis ſententia tenet, (vt videbimus loquendo de confiſcatione bonorum) non teneri delinquentem deferre bona fiſco, ſed ſatisfacere non impediendo fiſcum poſſidere. Ergo etiam ſatisfacies non impediendo iudicem, vt exequatur in te ſententiam.

Quod ſi dicas: Iam impedio executionem, cùm fugam ab exilio, & carcere arripio.

Reſponderi poteſt impedire executionem, vtendo iure proprio defenſionis, non tamen inferendo vim. Adde omnibus his condemnatis præcipi obedire ſententiæ, ſub comminatione grauioris pœnæ. Ergo ſignum eſt ſolo timore pœnæ velle iudicem te adſtringere, vt obtemperes; quare ſi in aliquo caſu lex pœnalis cenſenda eſt ad ſolam pœnam obligare, hic debet eſſe, cùm præcipiatur res ita ardua, & difficilis: & ita ſentit probabile Leſſius *lib.2. cap.31. dub.5. num.39.* Salas *diſp.15. ſect.7. num.88.*

6 In pœnis autem pecuniariis tenenda eſt communis ſententia te obligatum eſſe ſoluere pœnam facta condemnatione, vel declarato delicto, quando pœna delicto eſt annexa; *facta*, inquam, *declaratione*, quam appellatione, vel alio remedio iuris infirmare non potes: ſic docet Bonacina *ſuprà num.30.* Vaſq. *de legib. diſp.173. cap.3.* Salas *diſp.15. ſect.7. num.82. & num.106.* Suarez *lib.5. cap.7. num.7.* Graſſis 1. *p. deciſ. lib.2. cap.11. num.40.* Requiritur tamen, vt petatur ab eo, cui eſt ſoluenda; quia ita habet praxis, & vſus communis: quare dum non petitur, retinere eam potes, & ſufficienter præſumere tibi condonari, vt in puncto antecedenti diximus.

Aliæ autem quæſtiones de confiſcatione bonorum, de reo fugiente à carcere, declinante iudicium, negante veritatem, cùm de hæreſi, & de reo ſermo habeatur, aptiùs explicabuntur: neque enim omnia in vnum locum coaceruanda ſunt, cùm ſua loca habeant deſtinata.

PVNCTVM V.

Vtrùm iudex teneatur pœnam imponere lege præſcriptam.

1 *Princeps ſupremus, ſeu legiſlator poteſt, ſi tamen abſque cauſa faciat, venialiter peccat.*
2 *Iudex inferior ſub graui culpa eſt obligatus.*
3 *Proponuntur obiectiones, & ſoluuntur.*

1 LOqui poſſumus de Principe ſupremo, ſeu de ipſo legiſlatore, vel de iudice inferiori. Si de Principe ſupremo, ſeu legiſlatore loquamur, D.Thom. communiter receptus 2.2. *quæſt.67. art.4.* non eſſe obligandum pœnam taxatam delinquenti imponere, ſed poſſe remittere, & arbitrari: conſentiunt Iuriſtæ *in l. nulla iuris ratio. ff. de legibus.* Ratio eſſe videtur; quia cùm ipſe ad imponendam illam pœnam non poſſit arctari niſi ex ſua lege, & lex non arctat legiſlatorem: ſit ſanè non eſſe obligatum. Verùm ſi abſque legitima cauſa rigorem legis temperaret, peccaret ad minus venialiter, quia ſine cauſa excipit ſubditum ab obligatione legis communis: quòd ſi ab omni pœna delinquentem liberaret ſine cauſa, idque conſtaret, cenſeo grauiter peccaturum, non aduerſùs propriam legem, ſed aduerſùs poteſtatem ſibi

sibi à republica concessam, qua abutitur in eius perniciem, præbet enim illa remissione occasionem multiplicandi delicta. At hic casus rarus est, & non moraliter contingens; semper enim præsumendus est Princeps remissionem concedens, moueri causa legitima; plures enim causæ esse possunt hanc remissionem concedendi, quæ in inferiori iudice locum non habent: quales sunt benignitatis, & liberalitatis ostensio, intercessio alicuius magnatis, remuneratio, & gratificatio obsequiorum delinquentis, vel eius progenitorum, & similes; aliqua enim ex his causis interueniente cedit remissio in commune bonum, ac proinde licita est: sic Salas *disp.15.sect.8.n.109.* Suarez *lib.5.cap.11.n.9.*

2 Quòd si de iudice subdito legislatori loquamur, communis sententia docet, teneri pœnam taxatam delinquenti legitimè conuicto imponere, siue pœna sit pecuniaria, siue corporalis. ita Suar. *suprà*, plures referens, & Salas, qui suppresso nomine, Suarez, hanc quæstionem ferè iisdem verbis explicat. Ratio est manifesta: nam vel lex imponit pœnam ipso facto, vel signat ferendam, si constituit ipso facto, iudex declarans delictum, eo ipso declarat pœnam incursam, neque hanc incursionem potest ipse impedire, aliàs legislatore esset superior: si autem est ferenda pœna, & iudex procedit ad punitionem delicti, cùm necessariò aliqua regula regi debeat, vt æquitatem seruet, & hæc nulla alia aptior esse possit, quàm lex, legi debet conformari? Adde legem illam de pœna imponenda aliquem astringere, quia est lex: at nullum alium præter iudicem astringere potest, quia nec delinquens ante impositionem tenetur illam subire, neque alius præter iudicem illam imponere. Ergo.

3 Sed obiicies primò. Aliquando pœnas iudices augent, aliquando minuunt vltra taxam legis. Ergo signum est non teneri seruare leges in hac parte. Secundò sæpe timorati, & religiosi interpellant iudices pro delinquentibus; vt constat ex *tota causa 23.quæst.1.* si autem ipse neque augere, nec minuere posset pœnam pro suo arbitrio, sed lex seruanda esset, inutilis, & vana, imò illicita esset talis interpellatio. Ergo.

Respondeo ad primum. Concedo sæpe iudices augere, vel minuere pœnas delicto secundùm se impositas: nego tamen id fieri vltra taxam legis absolutè, esto fit vltra taxam talis legis in particulari; lex enim aliqua specialis imponit pœnam delicto, vt frequenter committi solet: at si specialem grauitatem, & deformitatem habeat, ob illam grauitatem, augeri pœna potest; quia ita est aliis legibus præscriptum: vt sumi potest ex *l.quidquid ergo,§.pœn.1.ff.de his qui notantur infam.& ibi gl.* Econtra verò si delictum non attingat grauitatem communiter contingentem; quia fuit prouocatus, & subita ira accensus, temperari potest pœna, ex *l. absentem,ff.de pœnis.* Item ratione ætatis, vel senilis, vel puerilis, ex *l.auxilium,ff.de minorib.* Et de pœnis pecuniariis paupertas est sufficiens occasio temperandi pœnam, ex *l.illicitas,§.vlt.ff.de offic.præsid.* Ex quibus constat solutio secundæ obiectionis: cùm enim in horum consideratione multum possit affectus, meritò interpellari potest iudex, vt mitiorem partem eligat.

Pvnctvm VI.

An pœnæ solos delinquentes ligent.

1 *Nullus pro delicto alterius puniri potest.*
2 *Proponitur obiectio de filijs priuatis legitima ob crimen patris.*
3 *Soluitur obiectio.*

1 PRimò in hac quæstione est regula generalis, nullum pro delicto alterius puniri debere, quia pœna suos tenet authores, neque vlteriùs contra eos progreditur, qui procul sunt à delicto, ex *l. sancimus, C. de pœnis.* tradit, pluribúsque exornat Farinacius *lib.1.prax. tit.3. quæst.24. num.1.* Couarruuias *2. variarum, cap.8. num.7.*

2 Difficultas autem est, quia ob crimen læsæ maiestatis præcipuè diuinæ, filij priuantur legitima, quæ illis debebat obuenire ob patris delictum. Item excluduntur ab officiis, & beneficiis. Deinde vnus pro alio se obligare potest ad pœnam subeundam, vt optimè tradit Decius *cap.quæ in Ecclesiarum, de constit.& cap.1.eodem tit.* Rom. *consil.15.& in singul.128.* Ergo iam vnus pro alio puniri potest.

3 Respondeo filium priuari legitima, quia non erat filij, sed patris, priuatur tamen officiis iam habitis, & iure consequendi alia ob delictum patris; quia est aliquid illius: quare non tam priuatur tunc filius, quàm pater filij priuatione, sicuti contingit in Dauid, quem Deus ob homicidium, & adulterium priuauit filio, qui ei natus erat: & in hoc sensu vera est sententia glossæ *in cap.cùm homo, 23. quæst.5. vers.supple*, quam receptam esse omnium consensu affirmat Felin. *cap.2. de constitut.* dicens valere statutum, quo vxor seruitute, vel alia pœna puniatur pro culpa mariti: nam tunc illa seruitus non tam est pœna vxoris, quàm mariti, siquidem in vindictam delicti à marito commissi imponitur. Vt autem hoc verum esse possit, debet delictum mariti talis conditionis esse, vt non censeatur sufficienter punitum pœna marito imposita, sed requiratur ad coniunctos extendi. Nunquam tamen valeret statutum, vt delictum vnius in alio etiam coniuncto puniatur, ipso delinquẽte relicto incolumi. Videtur enim esse contra rationem delinquentem à pœna liberare, & innocẽtem, quia ei coniunctus est, illa afficere. Ex voluntate autem propria optimè potest aliquis puniri ob delictum alterius, si ipse se pœnæ obiecit, cessit enim iuri proprio, & obligationem alterius in se accepit. sic Bonacina *disp.2. de peccat. quæst.7. punct.3 circa finem.*

Pvnctvm VII.

De effectu legis, qui est irritatio, quæ sit? quotuplex? & an lex irritans dicatur pœnalis, vel fauorabilis.

1 *Legislator humanus potestatem habet annullandi actum.*
2 *Dupliciter lex irritare contractum potest, vel ipso iure, vel expectata sententia.*
3 *Irritatio alia implicita, alia explicita.*
4 *An irritatio dicenda sit lex fauorabilis, vel non.*

1 LEgislator humanus non solùm habet vim obligandi subditos, sed etiam annullandi eorum actus, quando bono communi expediens iudicauerit, ita vt censeantur taliter, ac si facti non essent; quia hæc potestas æquè reipublicæ est necessaria ad commune bonum, sicut potestas obligandi. Adde quemlibet ciuem posse suis contractibus conditionem apponere, sub qua se velit obligare, & non aliter. Quare ergo non poterit respublica, cui omnes voluntates subditæ sunt, signare conditiones, sub quibus, & non aliàs valeant gesta per ipsos? Denique ab effectu constat hanc potestatem esse in republica ciuili, & Ecclesiastica; plures enim sunt contractus in vtraque republica irriti, qui seclusa lege irritante validi forent.

2 Dupliciter lex irritare contractum potest, vel ipso iure, vel expectata sententia. Contractus irritus ipso iure est ille, qui ita est nullus, vt nulla indigeat iudicis irritatione: hic est contractus matrimonij clandestini, vel intra gradus prohibitos, contractus impuberum, alienatio rerum Ecclesiæ non seruata forma, & alia huiusmodi,

iusmodi, de quibus in sequentibus; contractus verò, qui ipso iure non est irritus, sed per sententiam venit irritandus, est contractus, in quo est deceptio vltra medietatem iusti pretij, ex *l.2.C.de rescindenda vendit.* Vide de his plura exempla apud Vasquez *disp.163. & 164.* & Lessium *lib.2. cap.17. dub.6.* Salas *de legib. disp.16. sect.1. & 4.* Sanchez *de matrim.lib.3.disp.4 num.3.*

3 Item irritatio alia est implicita, alia explicita: vt dicunt Doctores *in l.actus legitimi, ff. de reg.iuris. & cap. actus legitimi, eodem tit. in 6.* Irritatio explicita est, quæ verbis explicitis habetur; vt si lex prohibeat actum, & insuper addat, quod si fiat, non valeat, sed careat robore firmitatis, iuxta *cap.decet.§.ordinarij. de immunit.Ecclesiarum in 6.* Implicita irritatio est, quæ per verba æquiualentia fit, qualis à Doctoribus connumeratur illa, in qua præscribitur forma seruanda in contractibus; deficiente enim forma, quæ dat esse rei, corruit actus, ex *Clement. vnica, de rebus Ecclesiæ non alien. cap.quia propter, de electione.cap.vlt.de restit.spoliat.cap.cum dilecta.de rescript.* & alijs pluribus, in quibus ob non seruatam formam actus redditur nullus, & in his omnes conueniunt.

4 Ex quibus constat, an irritatio dicenda sit pœnalis lex, vel non?

Dicenda, inquam, est pœnalis, quoties in pœnam alicuius delicti imponitur, vt contingit in lege irritante matrimonium ob vxoricidij, & adulterij crimen cum promissione futuri matrimonij, ex toto *tit. de eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium*, & in lege irritante electionem ad beneficium ob simoniam commissam, & generaliter quoties lex irritationem assignat in odium transgredientis legem, & ob solam legis prohibitionem lex pœnalis est; sic tradit Sanchez *lib.3.de matrim.disp.4. n.9.* Salas plures referens *disp.16. sect.2.* Suarez *lib.5.cap.19.num.7.* Et ratio est clara, quia priuare aliquem potestate contrahendi, vel acquirendi, quam aliàs habebat, onus graue est, & aptum, vt in pœnam delicti meritò apponi possit. At si irritatio non ob commissum delictum, sed ob bonum commune religionis, reipublicæ, vel aliquorum priuatorum apponitur, siue irritatio sit directa, seu indirecta, implicita, seu explicita, non debet censeri pœnalis: talis est lex irritans actum ob non seruatam formam præscriptam; vt contingit in matrimonio ob defectum parochi, & testium, & in testamento non habente testes requisitos, & in alienatione rerum Ecclesiæ sine solemnitate præscripta *in Clement.1. de rebus Ecclesiæ non alienand.* Item lex, quæ directè, & explicitè irritat, si irritat actum ob bonum commune religionis, vel reipublicæ, non debet censeri pœnalis; talis est lex irritans matrimonia religiosorum, clericorum, affinium, & consanguineorum; attendit enim debitam honestatem, & religionem. Deinde si irritet ob bonum priuatorum, non debet censeri pœnalis; non enim censenda est lex pœnalis, quæ irritat professionem ante 16. annum completum, neque contractus pupilli sine authoritate tutoris, imò potiùs videtur fauorabilis. Neque obstat aliquando his legibus irritantibus grauari contrahentes, quia illud grauamen non per se intenditur à lege; solùm enim lex bonum commune, & rectam reipublicæ gubernationem intendit, ob cuius consecutionem aliqua onera suis ciuibus imponere potest: & ita tenent Sanchez, Suarez, & Salas *suprà*, conciliantes Doctores affirmantes, & negantes legem irritantem esse pœnalem.

PVNCTVM VIII.

An eo ipso, quo lex actum prohibeat, censeatur illum irritare.

1 *Proponitur dubitandi ratio.*
2 *Non ex eo, quod prohibeatur, fit actus nullus.*
3 *Quid dicendum in nostro regno?*
4 *Satisfit rationi dubitandi.*

1 Rationem dubitandi fecit *l.non dubium.C.de legibus*, vbi dicitur, *nullum pactum, nullam conuentionem, nullum contractum, inter eos valere volumus subsequutum, qui contrahunt lege contrahere prohibente: quod ad omnes legum interpretationes, tam veteres, quàm nouellas trahi generaliter imperamus, vt legislator, quod fieri non vult, tantum prohibuisse sufficiat, cætera quasi expressa ex legis liceat voluntate colligere.* hoc est, vt ea, quæ legis fieri prohibentur, si fuerint facta, non solùm inutilia, sed etiam pro infectis habeantur: licèt legislator prohibuerit tantùm, neque specialiter dixerit inutile esse debere, quod factum est. Neque valet dicere hanc esse legem ciuilem, & solùm in terris Imperatori subiectis vim habere posse, quia hoc esset verum, si aliis legibus, Hispaniæ, Galliæ, repugnaret: quod non constat. Deinde iure canonico videtur talis lex approbata. *cap. imperiali. 25. quæst.2.* ibi, *imperiali constitutione apertè sancitum est, vt ea, quæ contra leges fiunt, non solùm inutilia, sed etiam pro infectis habenda sunt.* Item *in reg.64. de reg. iuris in 6.* dicitur, *quæ contra ius fiunt, debent pro infectis haberi.* Et ratione probatur, quia aduersùs voluntatem superioris, inferioris voluntas nihil efficere potest; sed voluntati superioris prohibenti actum, aduersatur voluntas inferioris efficiens illum. Ergo. Propter hanc rationem dubitandi tenent communiter Iurisperiti contractus, & alios actus simpliciter prohibitos esse irritos ipso iure, quamuis lex non addat irritos esse. sic Panormit. *cap. nulli, de rebus Ecclesiæ non alienand. & in cap. ad Apostolicam, de regularib.num.11.* Syluest. *verbo lex.quæst.28.* glossa, Bald. & alij *in supradicta l.non dubium.* Tiraquell. plures referens *l.16.connub.* glossa *4.num.5.& 6.* & alij.

Scio huic sententiæ varias limitationes, & distinctiones à Doctoribus adduci, eo quòd multa prohibita sint, quæ tamen si fiant, factum tenent. *cap. ad Apostolicam, de regularib. cap.vnico, de voto lib.6.* & alij, easque adducunt Suarez *lib.5.de legib.c.25.* & Salas *disp.16. sect.8.* & optimè impugnant: quapropter illis omissis, quid dicendum sit, paucis exponam.

2 Dicendum ergo est ex eo solùm, quòd lex prohibeat actum, non censetur actus nullus in conscientia, sed insuper necessarium esse, si velit nullitatem causare, vti verbis id explicantibus, docet Suarez *num.11.* & Salas *num.26.* Mol. *tom.1.de iustit.tract.2.disp.88.* Thom. Sanchez plures referens *lib.7. de matrim. disp. 2. num.10.* Ferdinand. Medonça *1.de pactis cap.4.num.41.* Bonacina *disp.1.quæst.1. punct.7.§.5.num.8.* videtur consentire Farinac. *2.p.fragment. vbi de lege, num.189. pag.206.* & ferè omnes Theologi. Ratio est, quia prohibere, & irritare sunt omnino distincta: quia prohibere actum, est obligare, ne fiat, irritare est inefficacem reddere voluntatem in illius effectione. Ergo sola prohibitione legis non significatur irritatio. Ergo neque illam inducere potest: quia solum inducere potest id quod significat. Dices non significari irritationem, si lex, *Non dubium*, canonizata à Pontifice non adesset: at supposita illa lege irritante actum à lege prohibitum, iam lex prohibens simul irritat. Sed contrà, quia illa lex ad summum habere potest vim in terris imperio subiectis, non in aliis, quia est nimis odiosa, & onerosa. Ergo non est cur obliget Italos, Hispanos, & Gallos. Præterea quia in his terris imperio subiectis, non videtur in illo rigore accepta, vt contractum reddat ipso iure nullum, sed annullandum, iuxta *cap.vides, dist.10.* ibi, *quidquid contra leges accipitur, per legem dissolui meretur*, scilicet à iudice, *& pro infectis habeatur*, supposita sententia, ita tradit Molina *illa disp. 88. ad confirmationem primi argumenti.* & Salas *num.23.* Suarez *lib.5.cap.28.num.7.& seqq.* Sæpè enim actus est nullus, non quia re vera nullus sit ipso iure,

iure, sed quia ope exceptionis, & sententiæ à iudice latæ fieri nullus debet à puncto, in quo fuit factus, casu, quo actus capax sit huius irritationis, & pœnæ. Deinde quia Ecclesia olim prohibuit matrimonia clandestina. *cap. cùm inhibitio, de clandestina desponsatione.* quæ tamen non erant irrita; vt constat ex Trident. *sess. 24. cap. 1. de reformat.* Item adstrictus voto simplici castitatis prohibitus est contrahere: at si contrahat, matrimonium tenet. Prohibitus est quis donare rem alteri promissam; si tamen donet, valida est donatio. Ergo non ex prohibitione directa, & per se sequitur irritatio: & alia plura in confirmationem huius sententiæ adduci possunt, quæ libens omitto, quia per se est manifesta.

3 Sed quid dicendum in nostro regno?

Respondeo ex sola prohibitione facta non inferri annullationem ipso iure, quia nulla est lex, quæ hanc vim simplici prohibitioni tribuat; imò potiùs contrarium colligitur ex consuetudine satis recepta: sunt enim plures leges prohibentes ministris iustitiæ munera accipere, quæ si accipiant, acceptio valida est, dum non infirmatur. Item prohibentur acquirere ludo vetito, & tamen dum non repetuntur acquisita, retineri possunt. Quapropter cùm lex irritationem intendit, non est contenta simplici prohibitione, sed addit clausulam irritantem, vt videre licet *in l. 1. tit. 2. lib. 5. recopilationis.* quam optimè explicat Azeuedo *ibi, & num. 23. & sequent.* vbi ponderat necessitatem illius verbi, *lo aya perdido y pierda, y por el mismo caso pase el derecho de la demasia a los herederos.* sic Suarez *lib. 5. cap. 30.* Molin. *supradicta disput. 88.* Vasquez *de legibus, disp. 164. cap. 3.* Salas *disp. 16. sect. 8. vers. dico quartò,* facitque ad hæc Farinacius *2. part. fragment. vbi de lege, pag. 208. num. 200.*

4 Ex his constat solutio rationis dubitandi, dicimus enim *l. non dubium*, neque in terris imperio subiectis habere vim ipso facto, sed ope exceptionis, & per sententiam, quia non videtur expediens esse alio modo receptam. Adde esse illam irritationem pœnalem, vt constat ex illis verbis legis initio propositis, *nec pœnas insertas legibus euitabit, qui se contra legis sententiam saua prærogatiua verborum contra legem excusat.* In irritatione autem pœnali, etiamsi sit ipso iure, potest expectari sententia declaratoria criminis, vti diximus in pœnis impositis ipso iure, & dicemus. *Caput* autem *imperiali*, loquitur de quodam testamento, quod erat secundùm leges imperiales irritum ipso iure, & licèt ibi subdat generalem rationem, quia erat contra legem, intelligi debet non de lege prohibente præcisè, sed irritante, vel de irritante in pœnam. *Regula* autem *illa 64. de regulis iuris*, vbi cauetur habenda esse pro infectis, quæ contra ius fiunt. Sanchez *lib. 3. de matrim. disput. 5. num. 4. ad 4.* censet intelligi de his quæ fiunt contra ius dans formam actui. At neque hoc est necessarium: nam etiamsi solùm sit contra ius prohibens tantùm, potest à iudice pro infecto haberi, si iudicet esse conueniens ob transgressionem legis talem irritationem apponere. debet tamen actus capax esse irritationis: nam aliqui actus semel validi capaces non sunt huius effectus, vt matrimonium, ordinatio, & alij similes. Ad argumentum ex ratione petitum, dico inferioris voluntatem contraire non posse voluntati superioris: at voluntas superioris si tantùm prohibet actum, non resistit illius valori, sed eius honestati, eáque de causa potest à subdito validè, licèt illicitè effici.

PVNCTVM IX.

Quando lex irritet actum ob nòn seruatam formam à lege præscriptam.

1 *Quid sit forma, & quotuplex, alia substantialis, alia accidentalis.*
2 *Quomodo cognoscitur an sit forma substantialis, vel accidentalis.*
3 *Limitatur, vt non procedat, cùm datur potestas, & præcipitur forma apponi, quæ de iure inest.*
4 *Episcopus excommunicans non seruata forma præscripta in cap. 1. de sentent. excommun. in 6. validè, esto illicitè excommunicat.*
5 *Processus factus omisso iuramento, valet.*
6 *Si habenti potestatem audiendi confessiones indifferenter præcipiat superior, ne audiat fœminarum, valet confessio, esto illicitè faciat Sacerdos.*
7 *Quid dicendum, cum committitur tibi facultas, vt facias actum ex consilio peritorum, sitne actus nullus omisso consilio.*
8 *Quid quando statutum mandat fieri actum certo loco, & tempore.*
9 *In casu dubio, an forma inducta sit substantialis, vel accidentalis, præsumi debet substantialis.*

1 FOrmam definit Decius cum Bald. *in l. hac consultissima, num. 10. C. qui testamenta facere possunt.* Alciat. *lib. 5. paradox. cap. 16. in princ.* esse quandam ordinatam seriem, qua res perficitur. Exemplis manifestari potest, tum in sacramentis, tum in contractibus, & vltimis voluntatibus, in quibus omnibus signatur talis series rerum, quæ sacramenta, contractus, & testamenta ad suam perfectionem deducit.

Duplex est forma, alia substantialis, alia accidentalis. Substantialis est, quæ dat esse rei, accidentalis illud supponit; ob defectum enim formæ substantialis periit actus substantia: secus ob non seruatā formam accidentalem. Exemplum vtriusque formæ videri potest in matrimonio; præsentia enim parochi, & testium requiritur, vt forma substantialis, quia illa deficiente, deficit contractus: denunciationes autem, & aliæ solemnitates Ecclesiasticæ non requiruntur, vt forma substantialis, sed tanquam accidentalis: nam esto non seruentur, adhuc perseuerat actus, & *in cap. quia propter, de elect.* præscribitur forma substantialis, & accidentalis.

2 Tota ergo difficultas est, quomodo cognoscenda sit forma substantialis, & distinguenda ab accidentali? Et omissis variis dicendi modis forma substantialis inducitur, quoties lex dicit hoc esse seruandum pro forma, quia tunc forma stat pro famosiori significato, ac proinde pro forma, quæ dat esse rei: sic docet alios referens Farin. *2. p. fragm. vbi de leg. n. 203. pag. 209. vers. dic primò.* Secundò quando aliàs irritatur actus. Tertiò si loquatur conditionaliter. sic Farinac. ex communi sententia. Quartò quoties lex tribuit facultatem actus faciendi, & simul modum præscribit, talis modus censetur inductus, vt substātialis forma, probatur ex *cap. cùm dilecti, de rescript. cap. venerabili, iuncta gloss. de offic. deleg.* quia censetur dans potestatem, dare illam limitatam: hoc est, sub illa forma seruanda, & non aliàs, & cùm ex defectu potestatis actus ruat, ruit actus ob non seruatam talem formam: & hoc est verum, etiamsi non apponatur clausula irritans: & ita tradit gloss. *in Clem. 1. de iure patron. verbo inhibentes.* Felin. *in cap. ex parte, de constitut. in princ.* Panorm. *ibi n. 5.* & probatur ex ipso textu, vbi Pontifex dedit facultatem conferendi certas præbendas ex consilio Episcopi: & quia hoc omissum fuit, declaratur collationem esse nullam. Thomas Sanchez *lib. 5. Decal. c. 4. n. 16.* Suarez *lib. 5. de leg. c. 31. n. 6. & 32. n. 9.* Salas *disp. 16. sect. 9.*

sect.9.ad fin. Farinac. *2.p.fragm.vbi de lege,n.204.pag.209. & n.225.pag.211.* Bonacina *disp.1.quæst.1.punct.7.§.5. num.17.* Syluest.*verb.consilium,quæst.3.*Rodriquez *tom.2. quæst.regul.quæst.45.art.2.fine.* Saa *verb.lex,n.14.*

Quòd si habenti aliàs potestatem, signetur forma seruanda, non debet censeri irritus actus ob non seruatam formam, nisi à lege ipsa irritetur expresse: docent Doctores suprà relati moti à contrario fundamento, quia talis actus procedit à potestate antea habita, quæ non debet censeri restricta, nisi expressè de tali restrictione constet; non autem constat ex eo præcisè, quòd mandetur seruari talis forma.

3 Hæc doctrina limitanda est, vt non procedat, quando datur potestas, & simul præcipitur forma apponi, quæ de iure communi inest accidentaliter, & non substantialiter; nam tunc non debet præsumi, vt substantialem expostulari. Exemplum est manifestum in contractu matrimonij: si enim alicui des mandatum, vt contrahat tuo nomine, præmissis denunciationibus, ipse tamen omittat denunciationes, contractus legitimus est, quia non censeris illam conditionem alio modo expostulare, quàm à iure expostulata est: cùm autem à iure solùm de solemnitate accidentali, & non substantiali sit requisita, vt bene probat Sanchez *lib.3. de matrim. disp.5.* efficitur sanè, neque à te alio modo expostulari, nisi clarè explices. Idem est si Sacerdoti licentiam concedas assistendi matrimonio, diligenti examinatione præmissa, an sint contrahentes impediti; quia de iure inest talis inquisitio, vt forma accidentalis: sic docet Sanchez *ibi num.4.* Basilius de Leon *lib.5. de matrim.cap.39.num.6.* Salas *disp.16.sect.9.num.39.versic. vnde hæc differentia.* Farinac. *2.p.fragment. vbi de lege, n.203.pag.209. vers.septimo.*

4 Hinc fit primò Episcopum excommunicantem non seruata forma à iure requisita, *cap.1. de sentent. excomm. in 6.* hoc est, sine scriptura, & sine expressione causæ, validè excommunicare, illicitè tamen, quia præcepto apponendi talem formam, non censetur potestas restricta: sic glossa, Salas, Bonacina, Suarez, Emanuel Saa *suprà.* Sanchez *lib.3. de matrim.disp.5.num.4.*

5 Fit secundò processum factum, in quo omissum est iuramentum, quod iudicibus præstanda erat in principio litis, iuxta *l.rem non nouam, C.de iudic.* validum esse, vt ibi glossa notat, & Suarez *lib.5.cap.32.num.3.* quia lex expostulans iuramentum illud, non restringit potestatem iudicis, sed instruit, quid facere debeat.

6 Fit tertiò, si tibi habenti potestatem audiendi confessiones, præcipiat superior, ne audias fœminarum, aut mercatorum, nisi expressè restringat potestatem; integra tibi ad omnes personas manebit, esto licitè vti illa non possis respectu fœminarum, & mercatorum. Ita Salas *sect.10. num.43.* qui idem dicit de acquisitis ludo prohibito, & de muneribus receptis à ministris iustitiæ, qui non tenentur ea in conscientia restituere, quia esto prohibeantur recipere, non tamen sub clausula irritante, & cùm alias habeant potestatem validè illa recipiendi, non debet censeri restricta, nisi expressè constet.

7 Fit quartò, quid dicendum sit ad illam quæstionem, an cùm tibi datur potestas ad aliquem actum, & apponitur clausula, vt fiat de consilio aliquorum, si secus facias, teneat factum?

Respondeo iuxta supradicta, si aliunde non habes potestatem; sed simul cum appositione illius clausulæ potestas conceditur, magnum indicium est nullum esse actum, non petito consilio. est communis sententia Doctorum, ex *cap.cùm in veteri, de elect.* vbi irritatur electio ob omissum consilium: & idem habetur *in cap.nouit, de his quæ fiunt à Prælato* ita Syluest.*consilium,quæst.1. & 3.* Panormitanus *cap.ad Apostolicam, de regularibus, circa finem, & cap.fin. de Ecclesiis ædificandis.* Azor *tom.1. disp.12.cap.5.quæst.3.* Bonacina *disput.1.quæst.3.punct.4. §.2.num.3.* Molin.*tract.5.de iust.disp.21.n.2.* At si aliunde habenti potestatem mandatur consilium peti, ob illius omissionem non debet censeri actus nullus: tenet Syluest.*suprà*, & Panorm.*cap.ex parte, de constitut.circa fin.* Salas *disp.16.sect.10.num.43.* Ratio est, quia tunc præsumitur consilium mandari, vt rectè actus præstetur, non vt validè.

8 Fit quintò, quid dicendum sit, quando statutum mandat fieri aliquid certo loco, & tempore, an actus contra factus irritus sit, & nullus?

Plures Doctores affirmant nullum esse, quia inducit formam substantialem: sic Felin.*cap.cùm dilecti, de rescriptis, col.8.versic.octauum signum.* per textum *in l.scire oportet.§.consequi, ff.de excusat. tutorum.* Bald. *in authent. quæ supplicatio, prope finem, C.de precibus Imperatori offerendis.* Roland. *consil.72. num.7.lib.3.* fauet Tuscus *verbo forma, conclus.414.num.14. 15. 18. & sequentib.* At tenendum est, generaliter loquendo, actum validum esse, nisi lex, aut statutum vlteriùs procedat annullando actum: docuit aliis relatis Farinacius *2. part. fragment. vbi de lege, num.216.* Suarez *de legibus, lib.5.cap.25.num.10.& cap.28. num.17.& 18.* quia tunc non intelligitur circumstantia temporis, & loci, vt forma apposita.

9 Aduerto, quoties dubium est, an forma inducta, sit substantialis, vel accidentalis, præsumi debere substantialem, præcipuè si fauorem contineat: tradit Farinac. *num.121.* cum Mathesilao *singul.130. & seqq.* Roland. *consf.43.num.13.lib.2. & consf.30.n.1. & consf.55.n.26.lib.1.* Vantius *in tract.de nullit.rubr.quot, & quibus modis nullitas in iudicio proponatur, num.52.*

PVNCTVM X.

An lex irritans actum ipso iure indigeat sententia, vt effectum sortiatur.

1 *Si irritatio succedit actui iam facto ob omissionem formæ accidentalis, non habet effectum, quousque à iudice declaretur.*

2 *Quando irritatio comitatur actum, vel illum antecedit, & in odium transgredientis imponitur, probabile est non habere effectum ante sententiam.*

3 *Quædam diligenter notanda, quoties dec... ritur.*

4 *An lex irritans actum, v.g. testamentum, electionem non seruatam solemnitatem, aliquem habeat effectum in conscientia. Proponitur prima sententia non habere, si nihil contineat aduersum naturalis iustitiæ.*

5 *Secunda sententia docet effectum habere.*

6 *Tertia distinguit inter actum publicæ potestatis, vel propriæ.*

7 *Præfertur secunda sententia.*

1 Dico primò, si irritatio succedat actui iam facto ob non seruatam aliquam accidentalem conditionem, censeo non habere effectum integrum, quousque à iudice declaretur, sicuti diximus de pœna à lege imposita. Exempla sunt, si à lege irritaretur donatio, venditio, & alij actus; ex quibus gabella non soluitur, quia tunc actus præsupponuntur ritè facti, & sine vlla legis resistentia; irritatio verò postea subsequens pœna est in odium delicti commissi. Ergo debet sequi naturam legis pœnalis, quæ indiget sententia saltem declaratoria criminis: & ita vt probabile defendit Suarez *lib.5.cap.32.n.2.& 3.* Sanchez *lib.3.de matrim.disp.4.n.9.* Farinac. *2.p.fragm.vbi de lege, n.102. pag.mihi 196.latiùs n.157.160.161.& 232.pag.212.*

2 Dico secundò, quando irritatio comitetur actum, seu illum antecedat, & imponitur ob solam legis prohibitionem, & in odium transgredientis, probabile etiam est

est indigere sententia declaratoria, docet Suar. *supr. n. 5.* & indicat Sanchez *num. 9.* & Farinacius *locis citatis.* & probari videtur ex *cap. si religiosus, de elect. in 6.* ibi, *& in pœnam præsumptionis illius electio eadem viribus vacuetur.* Idem habetur *in cap. nouit, de his quæ fiunt à Prælato.*

Excipiendus est contractus incapax irritationis, si semel validè fiat, hic enim statim irritus fit; etsi in pœnam apponatur irritatio, constat in matrimonio prohibito ei, qui cognouit consanguineam vxoris, vel commisit adulterium sub promissione coniugij, vel mortem intulit vxori animo ducendi concubinam; quibus etsi in pœnam delicti commissi irritatio fiat, statim habet effectum, cùm matrimonium attentatur, quia alio tempore habere non potest. & tradit Sanchez *lib. 3. de matrim. disp. 4. fine.*

3 Aduertendum tamen est ex Farinac. *num. 167.* quoties declaratoria requiritur ad executionem pœnæ impositæ ipso iure, citandum esse delinquentem, vt pœna executioni mandari possit. consentit Clarus *in practic. § fin. quæst. 31. num. 3. vers. item adde.* Tuscus *verbo declaratio, conclus. 96. num. 3. & 98. num. 61.* Ratio esse potest, quia illa declaratio est actus iudicij, & sententiæ, qui sine citatione fieri non potest.

Secundò aduerto cum eodem Farinacio, Tusco, & aliis ab huiusmodi declaratione dari appellationem, quia nihil est, quod obstet. Excipe, nisi factum esset notorium, vel periculum in mora: sic Felin *in cap. 2. de sponsalibus, num. 4. & in cap. Rodulphus, num. 43. de rescriptis.*

4 Difficultas autem est, an in contractibus, & electionibus, quæ irritari possunt per sententiam, esto à principio valida sint, si lex requirat aliquam solemnitatem, & addat verba irritantia, omissio illius solemnitatis, & conditionis reddat actum nullum in conscientia, vel tantùm in foro externo, & mediante iudicis sententia. Exemplum est in testamento minus solemni, quod leges infirmant. *cap. cùm esses, de test. & l. hac consultissima, C. qui testamenta facere possunt.* Item in electione facta sine consensu Capituli, & in alienatione rerum Ecclesiæ? In qua re inuenio plures sententias.

Prima affirmat; si actus nihil contineat contra naturalem iustitiam, & æquitatem, esse ipso iure validum, quousque rescindatur, quia lex irritans illum, fundatur in falsa præsumptione, qua putat electionem esse alicuius indigni, alienationem in damnum esse Ecclesiæ, hæreditatem fraudulenter esse relictam. Si ergo electio est digna, & alienatio cedit in vtilitatem Ecclesiæ, & in testamento nulla est fraus commissa, credibile videtur legem nolle talem actionem irritare: ita docet Nauarr. multis relatis *comment. de alienatione rerum Ecclesiasticarum, notab. 11. num. 19. & comment. de spoliis, num. 6.* Anton. *in cap. quia plerique, de immunitate Ecclesiarum,* & ibi Panorm. *& in cap. 1. de constitut.* vbi Felinus, Innocent. *in cap. quia propter, de elect.* & Archidiacon. *regul. beneficium, de regulis iuris in 6.* consentit Couarr. *cap. cùm esses, de testament. num. 5.* loquens de testamento; cùm hæredi constat de libera voluntate testatoris, posse, inquam, in conscientia hæreditatem accipere, & retinere, quousque hæredibus ab intestato applicetur à iudice. idem docet Medina *C. de restit. num. 23. fine.*

5 Secunda sententia docet huiusmodi leges irritantes statim sortiri suum effectum, neque indigere sententia aliqua. sic Salas *disput. 16. sect. 9. circa finem.* Suarez alios adducens *lib. 5. cap. 34. num. 3.* Mouentur, quia causa irritationis harum legum, non est fraus, vel dolus, qui in singulis casibus interuenit, sed illorum periculum, quod adesse communiter recognoscitur. Quæ ratio semper subsistit, etiamsi in aliquo casu particulari, nulla fraus, nec dolus intercesserit.

6 Tertia sententia distinguit inter actus factos virtute publicæ potestatis, & inter actus factos virtute potestatis propriæ, & dominij. Actus publicæ potestatis vocat electionem Prælati, alienationem rerum Ecclesiæ, actus priuatæ potestatis, & dominij, institutionem hæredis in testamento, venditionem, & alienationem propriarum rerum. Si actus sit publicæ potestatis, censet hæc sententia ipso facto esse irritos, si lex irritos esse decernat, neque indigere sententia; quia cùm eorum valor à publica potestate pendeat, & hæc potestas media lege illi resistat, si non seruetur talis conditio, & forma, absolutè actus nullus est censendus. At si actus à priuata potestate pendeat, non debet censeri irritus in conscientia, ex eo solùm, quòd lex irritum esse decernat, quia bono communi per legem intento sufficienter satisfit, si reddantur irriti accedente sententia.

7 Inter has sententias secunda mihi magis probatur. Existimo enim Principem media sua lege habere efficaciam inhabilitandi personam ad donandum, & contrahendum alia forma, quam ipse præscribit, quia hoc pertinet ad commune bonum: quare si hanc intentionem sufficienter explicet, sine dubio habebit effectum, & irritam reddet donationem. Aduertenda tamen sunt verba legis, & rigorosè pensanda, an reddant actum nullum in se; an solùm in fauorem alicuius partis, an solùm reddant actum nullum in exteriori foro: hoc est, ne ex illo aliquid in iudicio, vel extrà probari possit? Si verba legis irritant actum in fauorem vtriusque contrahentis, certum existimo habere vim nulla expectata sententia; si verò in fauorem alicuius, vt contingit in alienatione rerum Ecclesiæ, & minoris, consentiente Ecclesia, & minore contractus dissoluitur.

Tandem potest fieri irritatio solùm quoad probationem externam, & fidem faciendam, vti dicit Molin. *tom. 1. de iustit. disput. 81. pag. 297. vers. in hac graui, & difficili.* & Suarez *lib. 5. de legibus, cap. 32. num. 6. & 7. circa fin.* contingere in testamentis. Affirmant namque testamenta minus solemnia non esse inualidata à lege, quo ad naturalem obligationem, sed solùm quoad ciuilem, & forum exterius: quapropter concludunt hæredem sic institutum posse retinere hæreditatem, dum non exigitur ab eo; attamen si per iudicem applicetur hæredi ab intestato, qui certè id expostulare potest, extingui eo ipso ius hæredis instituti, quia ob commune bonum lex habere potest hanc efficaciam, auferendi ab vno dominium, & applicandi alteri. Sed hæc latiùs, cùm de testamentis fuerit sermo.

PVNCTVM XI.

An lex eo ipso, quo irritat actum, prohibeat in conscientia illius executionem.

1 *Lex irritans actum, non prohibet illius executionem formaliter.*
2 *Proponitur obiectio, & soluitur.*
3 *Quid dicendum de irritatione facta in fauorem alicuius.*
4 *Cum lege irritante sæpè prohibitiua coniungitur.*

1 Respondeo ex eo præcise, quòd lex irritet actum, non prohibet illius executionem; quia irritatio est effectus distinctus ab obligatione. Exemplis res declaratur. Matrimonium, & professio irritantur, si fiant graui metu, & tamen non peccat sic contrahens ex communi sententia; ratione enim metus excusatur à peccato. Item testamentum conditum sine debita solemnitate est irritum: & tamen sic condens non videtur peccare, quia nulli facit iniuriam. non instituto, poterat enim illum prætermittere. non hæredibus ab intestato; siquidem nullam illis obligationem habet. Ergo vtitur iure suo liberè de propriis bonis disponens. Neque obstat ex illo actu aliquam deceptionem, aut

inimicitiam oriri, quia hoc est per accidens, quod sufficienter honestari potest, si ob rescindendas iniquas querelas, importunas preces, & vexationes ita disponas: sic tenet Salas *disput.* 16. *sect.* 6. Suarez *lib.* 5. *cap.* 20. *præcipuè num.* 8. *&* 11.

2 Dices, si contraheres matrimonium clandestinè, & professionem sine debita forma faceres, peccares grauiter, esto solùm esset decretum irritans. Ergo sufficit irritatio actus, vt prohibitionem inducat?

Respondeo, distinguendo consequens, sufficit irritatio actus, vt prohibitionem inducat per ipsam legem: nego. At si aliunde ex lege ipsa naturali oriatur prohibitio, transeat. In supradictis casibus de matrimonio clandestino, & professione sine debita forma nascitur prohibitio ex lege ipsa naturali, qua teneris actus pertinentes ad religionem, & iustitiam validè præstare, nisi aliqua legitima causa excuseris.

3 Item si irritatio facta est in fauorem alicuius, cui fauori ipse cedere potest, non peccat inualidè actum faciens: sic filia renuncians hæreditati paternæ contenta dote non peccat, esto inualidè renunciet. Vxor alienans fundum dotalem cum licentia mariti, quia hæ irritationes non sunt absolutæ, sed dependenter ab ipsis; possunt enim iuramento illas firmare. Ergo non sunt censendæ peccare in tali renuntiatione, & alienatione: & ita tradit Salas *n.* 8. Suarez *suprà n.* 11.

4 Dixi in principio legem irritantem actum non prohibere illius executionem ex eo præcisè, quòd irritans sit: vt aduerteres sæpè cum lege irritante coniungi prohibitionem, quod tum ex verbis legis, tum ex materia colligendum est. Si enim verba sint præceptiua, directa ad personas, clarum est esse legem præcipientem: si autem materia ita sit execrata à lege, vt in ipsius odium irritatio fiat, tunc certè præceptum de illa vitanda intelligendum est adesse, quod optimè explicuit Suarez *lib.* 5. *de legibus, cap.* 20. *num.* 10. sic enim (inquit) lex irritans collationem beneficij per confidentiam in conscientia prohibet illam; & lex irritans electionem religiosi ad Episcopatum acceptatum sine licentia sui Prælati, prohibet talem acceptationem: sic etiam turpia legata, dum irritantur, in odium scribentis, prohibentur, vel saltem prohibita esse supponuntur, *in l. turpia, ff. de legat.* 1.

PVNCTVM XII.

Quibus modis irritatio impediri possit.

1 *Si ferenda sit à iudice, omnibus illis modis impeditur, quibus impeditur sententia.*
2 *Si iniquis medijs impedias irritationis sententiam, probabilius tenet Suarez te obligatum esse rescindere; tametsi non condemneris.*
3 *Quæ debeant supponi ad nostram sententiam.*
4 *Teneris contractum rescindere, si per actionem iniustam, aduersus emptorem impedis rescissionem.*
5 *Secus si per actionem iniustam aduersus iudicium.*
6 *Quid dicendum in casu beneficij à te possessi, cuius collatio irritari potest.*
7 *Irritatio ipso iure imposita in pœnam delicti commissi, cessante delicto cessat.*
8 *Secus de irritatione ob bonum publicum, quæ nulla ratione etiam ob ignorantiam impeditur.*
9 *Irritatio in fauorem priuatæ personæ illa renuntiante cessat.*

1 Reuocanda est in memoriam distinctio supradicta, de irritatione ipso facto, & incurrenda per iudicem. Si irritatio sit ferenda à iudice, impediri omnibus illis modis potest, quibus potest impediri aliqua sententia; cùm enim hæc dari non possit nisi causa probata, & sæpè probationes deficiant, hac via optimè impediri potest irritatio.

2 Difficultas autem est, si hunc defectum probationis iniquis medijs obtineas, scilicet incutiendo metum parti læsæ, ne rescissionem intentet, vel si intentat, negas veritatem, aut subornas iudicem, aut falsos testes inducis; an tunc tenearis in conscientia contractus rescindere, etiamsi à iudice non fuerit irritatus?

Suarez *lib.* 5. *disp.* 21. probabilius existimat te teneri. Probat, quia per iniustitiam impedisti, ne rescinderetur contractus. Ergo obligaris illum rescindere, cùm possis, & confirmat: nam vel teneris restituere aliquid actori, eo quòd impedisti actus rescissionem, vel non? Dicere autem te nihil restituere esse obligatum, affirmat esse incredibile: si autem obligatus es aliquid restituere, necessariò dicendum est, te esse obligatum restituere rem ipsam, & contractum dissoluere, quia alia recompensatio non est facienda, cùm debitum restitui potest in propria specie.

3 Verùm vt meam sententiam pronuntiem, suppono iure naturæ te obligatum non esse rescindere contractum, sed solùm reparare damnum factum. v.g. vendidisti rem vltra dimidium iusti pretij, teneris, inquam, iure naturæ reddere emptori partem illam pretij, in qua excessisti iustitiæ æquitatem, & insuper damna, si aliqua euenerunt ex dilatione huius restitutionis. Ad rem autem reddendam nunquam teneris, nisi posita sententia, & applicatione iudicis, qui valet rescindere contractum in pœnam excessus, & iniustitiæ commissæ: emptor autem ius non habet recuperandi rem, nisi adueniente sententia, & applicatione iudicis.

Secundò suppono dupliciter te posse impedire hanc irritationem, vel per actionem iniustam aduersùs emptorem, vel per actionem iniustam aduersùs iudicium: actio iniusta aduersùs emptorem est, si dolo, vi, metu, & fraude emptorem detineas, ne contractus rescissionem procuret, vel iudicem impedias, ne sententiam pronunciet. Actio verò iniusta aduersùs iudicium est, si interrogatus in iudicio, negas veritatem; ad idem reduci potest, si precibus, aut donis, absque aliqua vi iudicem persuades ne rescissionem faciat. His ergo positis,

4 Dico primò, si per actionem iniustam aduersùs emptorem impedis rescissionem contractus, teneris contractum rescindere, quia damna, quæ ex iniustitia facta alicui obueniunt, debent reparari. Item emptor & quilibet alius habet ius à natura concessum, ne iniuriosè impediatur à consequutione legati, hæreditatis, muneris, vel alterius cuiusque beneficij: qua ratione dicunt communiter Doctores te teneri ad restitutionem, si vi, dolo, aut fraude impedis alicui legatum, quod defunctus intendebat relinquere. Nam licèt ad legatum non habeat ille ius vllum in te, supposita declaratione voluntatis defuncti: habet ius ne illi hæc declaratio iniuriosè impediatur. Ita similiter in præsenti dicendum est neminem habere ius ad rescissionem contractus validi, nisi supposita sententia iudicis: quia tamen habet ius, ne iniuriosè hæc sententia sibi impediatur; ideo si illam impedis, obligatus es iniuriam reparare: & cùm possis rescindendo contractum integrè reparare, ad eius rescissionem teneris. Et hæc doctrina non solùm habet verum in rescissione contractus, sed etiam in qualibet pœna applicanda actori: nam licèt actor non habeat ius ad pœnam, nisi supposita sententia, & applicatione iudicis; habet tamen ius, ne iniuriosè impediatur talis applicatio.

5 Dico secundò, si per actionem iniustam aduersùs iudicium impedias contractus rescissionem, non teneris rescindere: sic videtur sentire Nauarrus *cap.* 18 *n.* 48. & Vasquez *de legibus*. *disput.* 175. *cap.* 2. quatenus affirmant, nullum reum obligatum esse ad restitutionem pœnæ debitæ post condemnationem, etiamsi iniquè,

&

& iniustè impediat. Probo, quia tunc non committis iniustitiam aduersùs emptorem, quia emptor ante sententiam non habet ius iustitiæ, vt sibi pretium reddatur, sed solùm habet ius à lege illud intentandi, & procurandi. Ergo cùm in iudicio negas veritatem, non committis iniustitiam aduersùs emptorem, quia ipse emptor non habet ius iustitiæ, vt in iudicio veritatem manifestes; hoc enim ius oriri poterat ex eo, quòd haberet ius iustitiæ ad rescindendum contractum: at hoc non habet ante sententiam, sed solùm habet ius ad procurandum, quod est ius legale. Ergo nulla iniustitia aduersùs emptorem committitur, ac proinde nulla est obligatio reparandi. Confirmo. Si denunciatori delinquentis applicanda est aliqua pecunia ob denunciationem factam, & tu impedias illius consecutionem; communior sententia, quam etiam approbat Suarez *lib. 5. cap. 21. num. 7.* tenet te non esse obligatum, quia ipse non habebat ius iustitiæ ad pœnam antecedenter ad iudicis applicationem: sed similiter emptor non habet ius iustitiæ ad rescissionem contractus, nisi applicatione facta. Ergo. Ad intentandam autem, & procurandam pœnæ applicationem à lege habet ius denunciator, sicuti habet emptor ad rescindendum contractum, sed hoc ius non præstat negationem veritatis in iudicio esse contra iustitiam commutatiuam. Ergo. Neque etiam ius, quod habet emptor ad contractus rescissionem: nam quòd vnum ius concessum sit ob bonum commune reipublicæ, aliud ob speciale partis læsæ, accidentarium est, si vtrumque ius est eiusdem rationis, scilicet legale.

6 Ex quo inferendum est, si consequutus fuisti beneficium validè, siue per alicuius resignationem, siue per ordinarij prouisionem; & alius, quia cognouit aliquem defectum, ratione cuius cassari electio potest, intentet cassationem; tu verò negando veritatem in iudicio, vel alia via, quæ non sit actio iniuriosa, impedias irritationem, non teneris ad vllam restitutionem, quia nullam iniustitiam aduersùs procurantem irritationem committis; illa enim irritatio tanquam lex pœnalis iudicanda est: sic docet Suarez de beneficio non per resignationem acquisito, sed vacanti absolutè, & ab ordinario tibi concesso.

7 Restat loqui de irritatione ipso iure imposita. Supponimus ex sæpè dictis hanc irritationem imponi posse, vel in pœnam delicti commissi, vel in fauorem reipublicæ, aut membrorum eius. Si irritatio imposita est in pœnam delicti commissi, quacumque via delictum excusetur, excusabitur irritatio, quia cessante adæquata causa legis, debet cessare lex. Cùm ergo adæquata causa sit culpa, & hæc esset, cessabit irritatio: & ita docet alios referens Suarez *lib. 5. de legibus, cap. 22. num. 3.* Difficultas autem est, an ignorantia irritationis pœnalis excuset ab illa incurrenda, si delictum, cui est annexa, commissum est. Huic difficultati satisfecimus, cùm de ignorantia pœnæ constitutæ per legem loquuti sumus; ibi enim, vt probabile, defendimus non contrahi pœnam.

8 Si autem de lege irritante ob bonum commune loquamur, qualis est illa, quæ testamentis, electionibus, matrimonio contrahendo formam præscribit, ob nullam viam, neque ob ignorantiam, neque ob vrgentem aliam causam, impediri irritatio potest, quia effectus irritationis à sola lege causatur, & cùm illa de se efficax sit, operari talem effectum non poterit à subdito impediri. Confirmo, quia actus non potest habere valorem, nisi ex voluntate legislatoris: at legislator resistit valori, quando non seruatur forma ab eo præscripta. Ergo. Neque obstat legem humanam cum graui detrimento non obligare; quia lex non obligat ad irritationem, sed illam imponit; & ita tenet cum communi sententia Sanchez plures referens *lib. 3. de matrim. disp. 17. num. 10.* Gutierrez *de matrim. cap. 61. num. 7.* Salas *disput. 16. sect. 3.* Suarez *lib. 5. disput. 22. à num. 4.* Nauarr. *cap. 23. à num. 44.* Bonacina *disput. 1. quæst. 1. punct. 7. num. 22.* Henriquez *lib. 11. cap. 5. num. 5.* Contrarium huius conclusionis videtur tenere Tiraquel. alios referens *de legib. connubialib. glossa 6. num. 34.* Alderan. Mascard. *de generalib. statut. interpretand. conclus. 9. num. 78. & 82.* Farinac. citans plures *2. part. fragment. verb. lex, n. 222. & 223.* dicunt enim necessitate compulsos non implere formam præscriptam, non vitiare obinde actum, sed firmum esse, ex præsumpta, inquam, voluntate legislatoris nolentis in eo casu obligare. At hæc doctrina vera esse non potest, nisi cùm irritatio sit in pœnam, vel est irritatio ferenda per iudicem, & non ipso facto.

9 Quòd si lex non absolutè irritet actum, sed in fauorem alicuius priuatæ personæ; tunc certum est irritationem impediri posse ipsa persona renunciante, ex *cap. ad Apostolicam, de regularib. & cap. suis, de testib.* quia tunc lex non intendit causare irritationem, nisi in quantum alteri commodum fuerit. Qua ratione contractus pupilli sine authoritate tutoris, & religiosi sine licentia Prælati, esto irriti sint, si tamen cedant in vtilitatem pupilli, & religionis, debent valere; quia in eorum specialem fauorem irrita decernuntur. & quod in fauorem alicuius introductum est, non debet in eius dispendium retorqueri, ex *regul. 61. de regulis iuris, in 6.* sic docuit Nauarr. *comment. 2. de regularib. num. 32.* Salas *disp. 16. sect. 3. fine.* Suarez *lib 5. cap. 33. num. 7.*

PVNCTVM XIII.

An omissio leuis formæ substantialis reddat irritum actum.

1 *Varia sunt Doctorum placita.*
2 *Dicendum est leuissima formæ substantialis omissionem reddere actum nullum.*
3 *Forma ad vnguem, est specificè seruanda.*

1 Varia sunt placita Doctorum, vt videre est apud Suarez *lib. 5. cap. 32. num. 8.* Bonacin. *disput. 1. quæst. 1. punct. 7. num. 21.* Molinam *de iustit. disput. 81. in fine.* & Molin. *de primog. lib. 2. cap. 6. num. 33.* Azor *1. part. lib. 5. cap. 28. vers. animaduertendum.* Gregor. Lopez *in l. 5. tit. 6. p. 6.* Salas *de leg. cap. 21. sect. 3. versic. decima quarta.* Alij affirmant leuem formæ substantialis omissionem vitiare actum. sic Suarez, & alij. Alij negant, vterque Salas, Molina, Bonacina, & alij.

2 Dicendum tamen est videri implicatum dari leuem omissionem formæ substantialis: nam si aliquid formæ substantialis omittitur, vel illud quod omittitur pertinet ad substantialem formam actus, vel non; si non, iam non est pars formæ substantialis, & de illo non est quæstio: si autem pertinet ad substantialem formam, implicat sine illo substantialem formam esse, & consequenter actum, quia ex illa constituitur: ac proinde non est leuis, sed grauis omissio, & probatur efficaciter ex *l. cùm hi, §. si prætor, ff. de transactionib.* vbi transactio censetur nulla, si non de omnibus inquisierit, quæ oratio mandat, hoc est, de causa, de modo, & de personis, quamuis de quibusdam quæsierit. Adde vix posse contrarium opinantes assignare, quæ formæ substantialis leuis omissio sit: nam in sacramentis omissio vnius litteræ, si mutat sensum, non est leuis omissio: in testamento, & in contractu matrimonij omissio vnius testis, non reputatur leuis omissio: in inquisitione, si non præcedat infamia, & sic de aliis. Quæ ergo signari potest leuis omissio; ergo non est concedenda, & sic tradit plures referens Farinac. *2. part. fragment. vbi de lege, pag. 210. num. 208.* Tuscus *verbo forma, conclus. 415. num. 13. & 421. num. 7.*

3 Ex hac doctrina fit primò, formam ad vnguem, & vt iacet, exequi debere, neque ei aliquid addi, aut minui potest, quin corruat actus: sic Cardin. Tuscus *practic. conclus. verbo forma, conclus.* 415. Tiraquellus *de retractu lignagier, §. 1. glossa 21. sub num. 11. & de retractu conuentionali, §. 4. glossa 6. sub num. 31.* Farinacius 2 *p. fragment. vbi de lege, num.* 214. Alderan. Mascard. *de general. statut. interpret. concl. 9. num.* 56.

Fit secundò, quando lex, seu statutum aliquid pro forma exigit, illa specificè adimplenda est, & non sufficit per æquipollens, tradit Roland. *cons. 30. num. 4. lib. 3. & consil. 72. num. 54. & seqq.* Alderan. Mascard. *suprà num. 62.* Farinacius *num.* 209. Tuscus *verbo forma, conclus.* 415.

PVNCTVM XIV.

An lex irritans incipiat habere effectum à puncto publicationis.

1 *Proponitur ratio dubitandi.*

2 *Resoluitur ante tempus publicationis non habere effectum, nisi expressis verbis declaretur.*

1 Ratio dubitandi est; quia huiusmodi effectus à sola lege emanat, afficitque ignorantes. Ergo optimè potest à puncto publicationis causari. Et confirmo. Lex prohibens concedit tempus subditis post eius publicationem; quia obligationem illis inducit, quam obligationem subire non possunt, sine eius notitia: at lex quatenus est irritans, nullam subditis inducit obligationem, sed tendit ad annullandum actum, siue scienter, siue ignoranter fiat. Ergo ex eo puncto, in quo lex constituta est, poterit irritare; & ita de legibus canonicis sentiunt Nauarr. *cap. 23. n. 44. & lib. 3. consil. tit. de regularib. consil. 31. num. 5.* Menoch. *de arbitr. lib. 2. cent. 2. casu 185. num. 2.* Syluest. *verbo lex. quæst. 6. dicto 3.* & alij plures relati à Suarez *lib. 5. de legibus, cap. 33. n. 5.* & à Sanchez *lib. 3. de matrim. disp. 17. n. 10.* Farinac. 1. *par. fragment. verbo constitutio, num.* 672.

2 Dicendum tamen est nullam legem ciuilem, aut canonicam irritare actum, antequam transeat tempus, in quo possit obligationem inducere, nisi id expressis, & manifestis verbis legislator declaret. Probo, quia ante illud tempus non censetur sufficienter applicata lex, vt in notitiam subditorum deueniat, sed irritare actum, antequam possit in subditorum notitiam deuenire, obstat rectæ gubernationi: quid enim magis contrarium rectæ gubernationi esse potest, quàm existimare subditos se validè contrahere, cùm tamen inualidè contrahant: sequerentur enim ex hoc non leuia incommoda, vt de se patet. Ergo. Dixi, nisi id manifestis verbis legislator declaret: nam tunc procedit ratio dubitandi facta, in qua probatur hunc effectum irritationis non pendere à notitia subditorum, sed à lege causari, ac proinde posse ipsam legem, eo ipso, quo est constituta, illum efficere: sic Sanchez, & Suarez *suprà.*

PVNCTVM XV.

Quando pœna imposita actui, efficiat inualidum, quando non.

1 *Pœna imposita actui, qui non obstante prohibitione fieri validus potest, non efficit inualidum.*

2 *Contrahentes matrimonium clandestinum inualidum, non contrahunt pœnas iure antiquo latas.*

3 *Prælatus excommunicans nulliter, non contrahit pœnam suspensionis, cap. 1. de sentent. excommunicat. in 6.*

4 *Pœna imposita actui inualido, inualidum facit.*

5 *Debet tamen esse inualidus ex illa ratione, qua imponitur pœna.*

1 Respondeo consideranda esse verba legis: si enim lex puniat actum, qui valide fieri potest, non obstante prohibitione, non incurritur pœna ob actum inualidum. Et ratio est, quia non censetur tunc prohiberi illa lege actus inualidus, sed validus. Nomine *actus*, non venit regulariter intelligendus actus nullus, sed verus, vt probat Tiraquellus *de retract. lignagier, §. 1. gl. 2. num. 5. & 6. & l. boues, §. hoc sermone, tota lin. [illegible] 1. ff. de verbor. signific.* Seraphin. *de priuilegijs iuramenti, priuileg. 71. fine.* quia idem est non esse, & esse nullum. *l. duo sunt Titij, ff. de testament. tutel.* & ita tenet alios referens Suarez *lib. 5. cap. 34. num. 13.* Sanchez *lib. 3. de matrim. disp. 2. num. 2. & 5.*

2 Ex quo infero primò contrahentes matrimonium clandestinum inualidum, non incurrere pœnas latas ab antiquo iure contra celebrantes matrimonia clandestina, quia illæ erant latæ contra celebrantes matrimonia clandestina valida, non inualida, vt constat ex verbis Concilij *sess. 24. cap. 1.* vbi reddit rationem, quare irritauerit matrimonia clandestina antiquitus valida, quia ex illis ad alias nuptias transibant, & in perpetuo concubinatu viuebant. Supponebat ergo Concilium esse valida matrimonia. Ergo ob inualida matrimonia non imponuntur illæ pœnæ. sic Sanchez alios referens *num. 5.* Suarez *num. 12.*

3 Secundò inferre possumus Prælatos sola voce, & non scriptis excommunicantes contra *cap. 1. de sentent. excommunicat. in 6.* non contrahere suspensionem illo cap. impositam, si excommunicatio aliunde fuit nulla; vel si de facto non habuit effectum, eo quòd subditus appellauit, aut paruit mandato; quia tunc Prælatus non commisit actum, cui est annexa suspensio; suspensio enim non cuicumque excommunicationi, sed excommunicationi latæ fuit imposita: non enim est lata excommunicatio, quousque aliquis illam contrahat, etsi tentauerit; & ita tenet Sanchez *lib. 3. de matrim. disp. 2. n. 5.* cum Lapo *allegat. 73. de sentent. excommun. paulo post princ. vers. sed de secundo.*

4 Quòd si pœna imposita sit actui aliàs inualido, vel qui fit inualidus lege illa, quæ pœnam imponit, tunc ob actum inualidum contrahitur pœna: sic Sanchez, Suarez, & alij suprà relati. Ratio est manifesta, quia tunc solum factum, & deprauatum animum intendit lex punire, non iuris effectum, vel, vt clariùs dicam, intendit lex punire attentationem actus, non ipsum actum verum. Quapropter si aliqua via excusetur nullitas actus, pœnæ hæ euitabuntur, quia non est factum id, cui pœnæ sunt annexæ.

5 Limitat autem Suarez *num.* 10. hanc doctrinam, in casu, quo actus non sit aliàs inualidus, nisi ob eam causam, quæ à lege punitur. Nam si aliunde inualidus est, affirmat non contrahi pœnas impositas: hac ratione excusat emphyteutam, qui inconsulto domino vendidit, vt non cadat in commissum, si venditio aliàs nulla sit. Item excusat Notarium conficientem instrumentum falsum, vt non cadat in pœnas falsario impositas, si instrumentum ex alio capite nullum sit. Idem est de rebaptizante, si de facto primus Baptismus nullus extiterit, non contrahere pœnas rebaptizanti impositas; quia tunc re vera non est rebaptizatio: etsi ipse ex conscientia erronea sic esse existimet. Idem est de nubente secundò, si ex alio capite nullum sit secundum matrimonium, vel primum fuerit nullum. Ratio omnium est, quia cùm hæ leges sint pœnales, & odiosæ, strictè sunt interpretandæ. Placet hæc sententia.

***

PVN

PVNCTVM XVI.

Quando lex censeatur pœnam imponere ipso iure.

1 *Non censetur imponere, cùm loquitur per verba indifferentia.*
2 *Aliqui limitant in pœna infamiæ, sed repellitur limitatio.*
3 *Secundò limitant, nisi duplici constitutione idem esset statutum, sed non approbatur.*
4 *Tertio limitant in constitutione verbis geminatis prolata.*
5 *Lex pœnam imponens sub verbis de præsenti, intelligitur ipso iure.*
6 *Inducit nullitatem in omnibus subsequentibus.*
7 *Si sub verbis imperatiuis directis in iudicem feratur, non censetur pœna ipso iure imposita; secus si directa sint in reum speciali aliqua circumstantia.*

1 DIco primò, quoties lex per verba indifferentia pœnam imponit, non censetur pœna ipso iure imposita esse, sed per sententiam imponenda, quia leges pœnam imponentes in mitiorem partem sunt interpretandæ: ita Cardin. Tuscus *practic. conclus. verbo pœna, conclus.*238.*num.*4. *& in verbo priuatio, conclus.*719.*num.*7. Suarez *lib.*5.*de legibus, cap.*6. *num.*2. *& cap.*7. *num.*5. Salas *de legibus, disput.*15.*sect.*6. *num.*79. Farinacius *fragm. crim.* 2.*p. verb. lex, n.*59.*pag. mihi* 189.

Ex quo fit, si statutum intendat aliquid fieri sub pœna capitis, triremis, exilij, excommunicationis, priuationis honorum, &c. non incurri has pœnas, nisi aduenerit sententia: sic Tuscus *suprà*. Suarez *cap.*6. *num.*4. Salas *sect.*3.*num.*4. *& sect.*6.*num.*77. Tiraquellus *in l. si vnquam, C. de reuocand. donat. verbo reuertatur, num.*254. Farinacius *num.*69.

2 Limitant aliqui supradictam conclusionem in pœna infamiæ, quæ non ab homine, sed à lege imponitur. At, vt optimè expendit Suarez *lib.*5.*cap.*6.*num.*17.*& seq.* & Salas *disp.*15.*sect.*6. *num.*77. *ad finem.* & Vasquez *disput.* 73. *cap.*1. non semper delicto annexa est; & dato esse annexam alicui delicto, & illo commisso incurri, indiget sententia declaratoria criminis; secus verò est de propria irregularitate, quæ nunquam ab homine, sed à iure imponitur; consentit Farinacius *num.* 77. *& num.*85.

3 Limitant secundò, nisi duplici constitutione idem esset statutum; tunc enim affirmant, ne frustratoria sit, & inutilis constitutio pœnam ipso iure imponere, etiamsi per verba de futuro, aut indifferentia procedat, & verba extrahi à propria significatione, tradit plures referens Tiraquel. *in l. si vnquam, C. de reuocand. donat. verbo reuertatur, num.*34.35.44.45. & videtur consentire Farinacius *num.*90.91. & aliquantulum Suarez *lib.*5.*c.*6. *num.*14. *&* 15. quatenus dicit seruandam legem, & si non addat pœnam ipso iure, posse aliquem effectum habere specialem, si prima lex in desuetudinem venit. Sed tunc iam non esset secunda lex, sed prima, si prima non obligabat. At ex sola geminata constitutione efficax argumentum non desumitur, cùm possit ob maiorem rei obseruantiam, & recommendationem pluribus constitutionibus idem mandari.

4 Limitant tertiò, nisi verbis geminatis constitutio procederet; tunc enim & annullationem actus, & pœnam ipso iure incurri, tradunt communiter scribentes: vt videre est apud Tiraquel. *num.*64. Farinacium *n.*72. Tuscum *practic. conclus.*719. *num.*12. At si rationi inhærendum est, non videtur hæc geminatio sufficere, vt defendit Suarez *lib.*5. *de legibus, cap.* 6. *num.*12. Salas *num.*78.

5 Dico secundò, lex pœnam imponens sub verbis de præsenti, aut præteriti temporis, intelligitur ipso iure, vt si dicat: Excommunicatus, suspensus, priuatus sit, non teneat, nullius sit roboris, nullius momenti; sic docet innumeros referens Farinacius *num.* 73. *&* 74. consentit Tiraquellus, Tuscus, Francisc. Suarez, Salas, & alij. Fateor tamen hæc verba sæpè futurum tempus significare. Quapropter, nisi aliquid addatur, denotans præsens tempus, non debent intelligi pœnam ipso iure imponere, vt ex his, quæ *num.* 7. dicemus, colligi potest; semper enim in pœnis benigna interpretatio facienda est.

6 Ex hac conclusione infert Farinac. *num.*83. cum Tiraquel. *in l. si vnquam, C. de reuocand. donat. verb. reuertatur. num.*212. *& seqq.* Cardin. Tusco *conclus.*719. *n.*25. *&* 27. & aliis, si per statutum, aut sententiam alicui denegantur iudicia: vt si dicat, non audiatur bannitus, aut excommunicatus sit, inducere nullitatem ipso iure in omnibus gestis per ipsum. Et idem est, si statutum præfigat terminum ad probationem aliquam faciendam, & transacto termino iubeat, vt non audiatur, audiri non poterit, neque admitti ad probandum: & omnes probationes transacto illo termino esse nullas.

7 Excipe tamen ab hac conclusione legem, quæ fertur per verba imperatiui modi directa in iudicem: vt si dicat lex, *Petrus si hoc fecerit, excommunicetur, priuetur, deponatur, interdicatur, spolietur, abyciatur, repellatur*; tunc enim non contrahitur pœna ipso iure, sed est ferenda per iudicem: illa enim lege non obligatur reus, sed iudex instruitur quid debeat facere cum reo, si tale delictum commiserit; sic docet cum communi Salas *disp.*15. *sect.*3. *num.*41. *& sect.*6. *num.*78. *conclus.*3. Tuscus *verbo priuatio, conclus.*719. *num.*13. Farinac. 2. *part. fragm. crim. verbo lex, pag.*191. *num.*67. & facit, quod dicit *num.*78. *& num.*131. *& seqq.* At si verba sint directa ad reum, vt amittat ius, careat iure, perdat, incidat in excommunicationem, subiaceat excommunicationi, censenda sunt pœnam ipso iure contrahere, præsertim si addatur aliqua ex illis particulis, *mox, incontinenti, statim, illico, extunc, continuò, protinus*, & similia. sic Salas *de legib. disp.*15. *sect.*6. *num.*78. Et quidem de excommunicationis pœna illis verbis additis certum existimo. De priuatione iuris quæsiti non probo, vt rectè probat Tiraquellus *in l. si vnquam, C. de reuocandis donat. verbo reuertatur, à num.*151. Farinacius *part.*2.*fragment. verbo lex, pag.*199. *à num.*125.

PVNCTVM XVII.

Quæ sint verba, quibus lex censeatur annullare actum, aut pœnam imponere.

1 *Si verbis expressis irritatio fiat, nulla est dubitatio.*
2 *Quid de verbis, nullius sit momenti, nullius valoris, & efficaciæ.*
3 *Quid de illis, careant omni robore firmitatis.*
4 *Quid de illis, non potest, non possit.*

1 DE verbis expressis id declarantibus nulla est controuersia: vt si lex dicat, talis actus irritus sit ipso iure, ipso facto, eo ipso, ex tunc; quia cùm lex ipso iure possit annullare actum, nullis verbis clarioribus id significare potest. De aliis verò verbis est aliqua inter Doctores controuersia, an actus nullitatem ipso iure inducant?

2 Et primò dubitatur de illis verbis, nullius sit momenti, nullius sit efficaciæ, & valoris, de quibus Tiraquel. *in d. l. si vnquam, C. de reuocand. donat. verbo reuertatur, num.*97. Salas *disp.*15.*sect.*6.*sub num.*79. docet ipso iure nullitatem inducere. Cui modo dicendi assentior, quando nullitas præcedit actum: at si actus supponitur

factus, & ob alicuius omissionem postea sequutam irritatur, non censeo irritationem esse ipso iure. Explico. Prouisus fuisti in aliquo beneficio; imperatur tibi residere; aliàs gratia facta nullius sit momenti, non inducitur irritatio ipso iure, quia solùm intelligitur pœnam vacationis tibi esse comminatam, quia illa irritatio est propria pœna, cùm tendat ad tollendum ius quæsitum: sic docet Oldrad. *conf.* 155. quem refert, & sequitur Tuscus *verbo comminatio concl.* 477. *num.* 1. Farinac. 2. *p. fragment. verbo lex. num.* 100. *&* 102. & Tiraq. *num.* 238. *& seqq.*

3 Secundò dubitatur de illis verbis, careat omni robore, omni iure, firmitatem non habeat, &c. Distinguendum similiter est, si hæc verba cadunt super actum faciendum, de quo dicitur, vt careat omni robore, omni iure, omni firmitate, omnibus viribus: probabilius existimo inducere nullitatem ipso iure, quia est ferè omnium sententia. Ratio esse potest, quia illa verba denotá nullam firmitatem habere actum: nam si aliquam habet, iam non caret omni robore firmitatis, esto posset responderi actum irritabilem etiam carere omni firmitate, siquidem irritabilis est: sic colligitur ex *cap. decet. §. vlt. de immunit. Eccles. in* 6. *& in Clement. quia contingit, §. vt autem, de religiosis domibus.* & tradit Salas *disp.* 16. *secti.* 8. *sub num.* 29. Farinac. *p.* 2. *fragment. crimin. verb. lex. pag. mihi* 198. *num.* 120. Verùm si illa verba non super actum, sed super rem, qua quis priuari debet, cadunt, non censentur importare annullationem ipso iure: vt si lex dicat, priuetur omni iure, omni commodo, omne ius amittat; hæc enim verba indifferentia sunt, & referri possunt, æquè ad iudicem, & ad reum: quando autem verba referri possunt ad iudicem, & importare sententiam, debemus hanc partem, vt benigniorem amplecti, & ita docent Doctores suprà relati.

4 Tertiò dubitatur de verbis, quæ resistunt actus potentiæ: qualia sunt, non potest, non possit, quæ inducunt nullitatem ipso iure: tradit plures referens Tiraquell. *de legibus connubialib. gloss.* 4. *num.* 1. *& seqq.* sed, vt bene expendit Suar. *lib.* 5. *cap.* 32. *num.* 11. Salas *disput.* 16. *secl.* 8. *num.* 32. Couarr. *cap. quamuis pactum. p.* 2. *§.* 4. *num.* 4. non semper hoc verum esse, quia aliquando solùm inferunt licitum vsum non validum. *cap. litteris, de restitut. spoliat & cap. faciat homo* 22. *quæst.* 2. nam quod licitè fieri non potest, absolutè verum est, te facere non posse. Regulariter autem semper censenda sunt hæc verba nullitatem inducere: nam si materia legis pendet ab ipso Principe, & lege; vt est electio, administratio bonorum communium, sententia, tutoris officium, & similia, & in his dicatur, vt aliter fieri non possit, omnes conueniunt tolli potentiam, ac proinde ex defectu potestatis reddi actum nullum, quia cùm ab ipsamet lege detur potestas faciendi actum, censetur dari sub illa forma, qua non seruata corruit actus; si verò materia sit proprij dominij, qualis est alienatio, donatio proprij patrimonij, & lex dicat, non possit aliter alienare, donare, & similia, etiam regulariter censendum est tolli potentiam aliter faciendi, quia hæc potestas limitari, & auferri potest pro voluntate reipublicæ. Ex quo fit leges prohibentes donationes inter coniuges, meliorationes filiorum, contractus minoris, omissis conditionibus, quæ à lege præscribuntur, reddere actus irritos ipso iure, & docet aliis relatis Farinac. 2. *p. fragment. vbi de lege, num.* 181. *pag.* 206. Alia verba referuntur à Farinacio, Tiraquello, Tusco, & aliis Doctoribus, in quibus parua est controuersia, an inducant sententiam ipso iure, an ferendam.

DISPVTATIO III.

De lege non scripta, quæ consuetudo appellatur.

Explicuimus legem scriptam, & eius conditionem, restat explicare aliam legem non scriptam, quæ consuetudo appellatur.

Pvnctvm I.

Quid sit consuetudo, & quotuplex.

1 *Definitur consuetudo.*
2 *Proponitur obiectio, & soluitur.*
3 *Quomodo differat consuetudo ab vsu, ab stylo, à præscriptione.*
4 *Quotuplex sit consuetudo. Alia est canonica, alia ciuilis; alia totius Ecclesiæ, alia alicuius prouinciæ, seu diœcesis; alia secundùm legem, alia præter legem, alia contra legem.*

1 Consuetudo sumi potest pro facto, vel pro iure. Si sumatur pro facto, vt sumitur *in cap.* 1. *de constitut. in* 6. & ab Isidoro *in cap. mos, dist.* 1. est idem, ac frequens vsus; vt tradit Greg. Lop. *in l.* 1. *tit.* 2. *part.* 1. si sumatur pro iure, vt sumitur *in cap. vlt. de consuetudine*, definitur ab Isidoro communiter recepto; & relato *in cap. consuetudo, dist.* 1. esse ius quoddam moribus constitutum, quod pro lege suscipitur, cùm deficit lex, & consonat *lex* 4. *tit.* 2. *part.* 1. vbi Alfonsus Rex definiẽs consuetudinem, dicit esse ius non scriptum, quod ex longo, & continuo vsu ortum est; quam definitionem recipiunt Iuristæ communiter *in rubric. de consuetudine*; *& in l. de legib. ff. de legibus.* Dicitur autem esse ius quoddam moribus institutum, quia à moribus hominum, & vsu frequenti illorum, ius illud obligans instituitur; eâque de causa vocatur ius non scriptum, quia scripturam non requirit, sed ex more, & vsu frequenti, qui in facto, & non in scriptura consistit, ortum habet. Additur deinde consuetudinem esse ius, quod pro lege suscipitur: non quia verè non sit lex, sed quia loco legis scriptæ suscipitur, & eandem cum illa obligationem inducit. Vltimò dicitur hoc contingere, cùm deficit lex, hoc est, cùm lex non adest, quæ obligationem inducere possit.

2 Sed obiicies aliquando consuetudinem aduersari legi, aliquando esse legi scriptæ conformem: ergo non semper introducitur consuetudo in defectum legis?

Respondeo, quando consuetudo conformatur integrè cum lege scripta, tunc non constituit ius, sed potiùs ius constitutum exequitur; si verò aliquid superaddit, aut immutat, illa in parte poterit nouum ius constituere, quia in illa parte iam deficit lex. Quòd si consuetudo opponatur legi, tunc manifestum est deficere legem in eo circa id, quod est consuetudo, cùm lex de opposito sit. Adde cum Bartolo, *in l. de quib. ff. de legib. q.* 1. *num.* 6. consuetudinem perfectam nunquam aduersari legi scriptæ, quia derogat legi, ac proinde non habet legem, cui aduersetur; non enim duo iura possunt esse sibi contraria: sed solùm aduersari legi, dum non est perfecta consuetudo, sed inchoata.

3 Ex hac definitionis explicatione colligi potest, qua ratione distinguatur cõsuetudo sumpta pro iure ab vsu frequenti, ab stylo fori, & præscriptione. Distinguitur namque hæc consuetudo ab vsu, tanquam effectus à causa; ex vsu enim frequenti nascitur hoc ius. Ab stylo tamen distinguitur, tanquam includens ab incluso, quia stylus est consuetudo, sed est consuetudo limitata ad iudicia

iudiciales actus, quia stylus significat modum procedendi alicuius reipublicæ in suis iudiciis, & sententiis: sic tradit Bald. *in l. vlt. C. quæ sit longa consuetudo.* & Cynus *in l. 1 eodem tit.* Bart. *in repetitione legis de quibus, ff. de legibus, num.* 10. *in fine, & in l. 2. C. quæ sit longa consuetudo.* Rochus de Curte *in tract. de consuetudine, n.* 33. Burgos de Paz *l. 1. Tauri, num.* 200. Ex quo communiter dicitur stylum curiæ Romanæ facere legem, quia ex frequenti vsu, quo causæ deciduntur in Romana curia, siue decidantur aliqua sententia, siue rescripto, aut bulla, nascitur consuetudo obligans modum illum seruare. Eadem ratione consuetudo à foro distinguitur; est enim forum, vt alias acceptiones omittam, consuetudo de vsu iurisdictionis, in iudiciis seruando, qui vsus si legitimè fuerit introductus, vim legis sortiri potest; ac proinde latius patet consuetudo, quàm forum: sic Salas *disput.* 19. *sect.* 1. *num.* 5. & Suarez *lib.* 7. *cap.* 5. *à num.* 9. Gregorius Lopez *l.* 7. *tit.* 2. *part.* 1. Burgos de Paz *in l. 1. Tauri, n.* 385. Differt autem consuetudo à præscriptione variis modis, vt videre est in Panormit. *cap. fin. de constitut. num.* 20. Rochus de Curtis *in cap. vlt. de consuetudine.* Azor *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 18. *quæst. vlt.* Molin. *lib.* 2. *de primogen. cap.* 6. *n.* 10. *&* 11. Matienzo *l.* 1 *glossa* 6. *num.* 3. *tit.* 7. *lib.* 5. *noua collection.* Salas *disput.* 19. *sect.* 1. *num.* 6. Suarez *lib.* 7. *cap.* 1. *à num.* 10. Primò consuetudo est lex obligans communitatem ad aliquem actum efficiendum, vel omittendum: at præscriptio non attendit communitatem, sed inter particulares personas esse potest. Quando autem vna communitas aduersùs aliam præscribit, habet se, ac si persona particularis esset. Secundò consuetudo sæpè inducit obligationem legalem in his, qui vtuntur consuetudine, vel à legali obligatione eximit: at præscribens non inducit obligationem legalem in eo, aduersùs quem præscribit, nec se eximit ab obligatione legali, sed inducit obligationem iustitiæ, vel à iustitiæ obligatione se eximit, quia præscriptio parit dominium, consuetudo legem. Tertiò differt, quia in præscriptione requiritur semper bona fides: at in consuetudine non semper est necessaria: nam esto mala fide incepta sit consuetudo, præscribere aduersùs legem potest. Quartò ad præscriptionem non requiritur nec expressus, nec tacitus consensus eius, aduersùs quem præscribitur. Ad consuetudinem autem requiritur saltem consensus tacitus Principis. Ex quo fit consuetudinem aduersùs nullum præscribere: nam si aduersùs aliquem præscriberet, is esset Princeps, & aduersùs Principem non præscribit, cùm potiùs ex eius consensu consuetudo inducatur, & vires obtineat, vt rectè dixit Gabriel Vasquez *disput.* 177. *cap.* 5. *num.* 43. Adde ad præscriptionem requiri titulum, ad consuetudinem nullum esse necessarium, tacitus enim populi, vel Principis consensus sufficit pro titulo. Denique ad consuetudinem inducendam, diuersum tempus requiritur, ac requiritur ad præscriptionem, vt inferiùs dicemus. Ergo differt consuetudo à præscriptione.

4 Cùm consuetudo propriissimè habeat rationem legis, vt dicemus, easdem diuisiones patitur, ac lex. Primò enim diuidi potest in consuetudinem canonicam, & ciuilem. Canonica est, quæ frequenti vsu clericorum est introducta. Ciuilis, quæ laicorum vsu dimanat; aliquando verò clerici, & laici in eadem re conueniunt, & communem vsum habent, & tunc ciuilis consuetudo appellanda est, vt rectè dixit Suarez *lib.* 7. *cap.* 5. *n.* 2. quia est de communi bono politico ciuitatis, & ad rectum illius regimen temporale pertinet, neque in hoc distinguuntur clerici à laicis, quia non inducunt illam consuetudinem, quatenus clerici sunt, sed quatenus ciues sunt, & partes communitatis.

Secundò diuidi potest consuetudo canonica, & ciuilis iuxta communitates, à quibus ortum habet: si enim sit totius Ecclesiæ, vel regni, dicetur ius commune canonicum, vel ciuile: si vnius prouinciæ, nationale; si vnius ciuitatis, municipale.

Tertiò, & præcipuè solet diuidi consuetudo in eam, quæ est secundùm legem, præter legem, & contra legem. Vt autem hæc diuisio rectè intelligatur, aduerte loqui nos posse de lege naturali, diuina, & humana. De omnibus his dubitari potest, qua ratione consuetudo esse possit aduersùs illas leges, præter illas, & secundùm illas? Et quidem si consuetudo est secundùm legem, siue lex naturalis sit, siue diuina, & humana, non ponit, nec tollit legem; quia ipsa est obseruatio legis iam positæ, & ex intentione obseruandi legem habetur, non ex intentione introducendi nouam. Adde Principem nunquam intendere obseruatione suæ legis nouam legem inducere, sed eandem firmare, & facilem esse eius obseruationem ostendere: & in hoc sensu dixit Gratian. *in cap. in istis, distinct.* 4. §. *leges*, leges institui cùm promulgantur, firmari autem, cùm moribus vtentium comprobantur. Non quia per vsum aliqua firmitas noua legi accrescat; sed quia remouentur ea, quæ legem tollere poterant, remouetur enim contraria consuetudo, & allicitur voluntas legislatoris ad suam legem firmandam; & hæc est consuetudo, quæ dicitur optima legum interpres, *cap. cùm dilectus, de consuetudine*, interpretatur enim legem, & illius sensum, qui fortè dubius foret, ea non interueniente consuetudine. Quòd si de consuetudine contraria legi loquamur, distinguendum est: si enim contraria sit legi naturali, clarum est non esse consuetudinem, quæ vim legis habere possit, sed corruptelam, cùm sit de actu malo, & peccaminoso, in quem nulla obligatio cadere potest. *cap. si consuetudo, cap. quæ contra mores, distinct.* 8. Si autem sit contraria legi diuinæ, idem est affirmandum, quia semper erit peccatum, & consequenter inefficax ad inducendam obligationem. Erit, inquam, peccatum, quia lex diuina semper perseuerat, neque Deus censetur consentire in eius abrogatione, ex eo quòd multo tempore contra illam homines pugnauerint: sic omnes Doctores cum D. Thom. *quæst.* 97. *art.* 3. At si consuetudo contraria sit legi humanæ, optimè poterit aduersùs illam præualere, & obligationem inducere, quia non obinde sequitur obligationem inducere ad aliquid malum, vt latiùs infrà. Verùm si de consuetudine, quæ sit præter legem, loquamur, nemini dubium esse potest efficaciam habere inducendi obligationem. Nam si hæc consuetudo obligationem non inducit, nulla est, quæ inducere possit.

PVNCTVM II.

De conditionibus requisitis ad consuetudinem.

PLures conditiones ad consuetudinem inducendam exigunt Doctores, cum glossa *in cap. fin. de consuetudine, & in l. de quibus, ff. de legibus, & l. 2. C. quæ sit longa consuetudo.* Omnes tamen comprehenduntur duplici illa conditione assignata *in cap. fin. de consuetudine*, scilicet esse *rationabilem, & legitimè præscriptam.* quia nihil aliud ibi exigitur, vt consuetudo vim legis habere possit.

§. I.

Quæ vocetur rationabilis consuetudo.

1 *Deciditur rationabilem consuetudinem esse, quæ est de re honesta, & vtili reipublicæ.*
2 *Proponuntur quædam obiectiones.*
3 *Illis fit satis.*
4 *Quando censeatur bono communi consuetudo expedire.*

5 *In*

5 *In dubio præsumenda est bono communi expedire.*
6 *An peccent introducentes consuetudinem contra legem.*

1 VAriant Doctores in explicatione huius termini, vt videre est apud glossam *in cap. fin. de consuetudine*, & Panormit. *ibi*, *num.* 5. Nauarr. *comment. de spolijs* §.14.*num.*7. Menoch.*de arbitr.lib.*2.*cent.*1.*casu* 81. *& consil.*52. *num.*131. Rochus de Curte *tract. de consuetud.sect.*2.*à num.*20. Salas *de legib. disput.*19.*sect.*5. Suar. *lib.*7.*cap.*6. Vasq. 1.2. *disput.*177. Sed omissis variis dicendi modis, ille mihi verior, & probabilior apparet, qui affirmat consuetudinem rationabilem esse, quæ est de re honesta, & vtili reipublicæ. Ratio est manifesta: nam consuetudo pro lege suscipitur. Ergo eandem cum lege æquitatem habere debet. quare cùm nulla lex ferri possit, quæ non sit de re honesta, & vtili reipublicæ, efficitur manifestè consuetudinem nullam esse posse rationabilem, nisi quæ hanc æquitatem contineat: sic Sanchez *lib.* 7. *de matrim. disput.* 4. *num.* 14. Salas *suprà num.*50.*& sect.*11. *num.* 89. Suarez *num.*14. Basil. de Leon *lib.*6. *de matrim. cap.* 5. *num.*2. Bonacina *disput.*1. *quæst.*1. *punct.vlt.* §.3. *num.* 46. & alij ab eisdem relati.

2 Sed obiicies supradictam doctrinam solùm procedere posse de consuetudine, quæ sit præter legem, non autem de consuetudine, quæ legi aduersetur. nam cùm lex necessariò debeat esse rationabilis, hoc est conformis rationi,& bono communi expediens. *cap.erit autem lex,distinct.*4.*& l.leges sanctissimæ. C. de legibus*, consuetudo illi aduersa rationabilis esse non poterit.Quomodo enim potest esse rationabilis,si peccatum continet?

Secundò obiicies te præscribere non posse aduersùs aliquam personam priuatam,nisi illius rei,quam intendis præscribere, titulum legitimum existimes habere: bona enim fides requiritur ad præscriptionem. Ergo neque communitas aduersùs legem præscribere poterit, nisi bonam fidem habeat: at hoc est impossibile in consuetudine aduersa legi, cùm lex à communitate cognoscatur, & consequenter cognoscitur illius transgressio,qua firmari intenditur consuetudo.

3 Respondeo ad primam obiectionem,non solùm de consuetudine præter legem, sed de consuetudine contraria legi positiuæ intelligendam esse. Fateor enim legem, dum durat,esse rationabilem, sed hoc non obstante, potest esse consuetudo illi aduersa rationabilis, non quidem dum legi aduersatur,sed cùm legem tollit; stat enim optimè consuetudinem incipere,& procedere irrationabiliter:at si multo tempore perseueret reddi rationabilem, quia iam est rationi consonum, & reipublicæ expediens, ne culpa vltrà progrediatur, néve ciues ad obseruantiam rei difficilis tanto tempore adstringantur: sic docuit Suar. *lib.* 7. *cap.*18. *n.*24. Bonac. *num.*45.*&* 46.

Ad secundam obiectionem concedo præscriptionem nunquam posse esse cum mala fide, quia non dicebat furta, & latrocinia fouere: fouerentur autem, si mala fide rem alienam possidenti præscriptio faueret. At consuetudo induci potest cum mala fide, quia non obinde transgressiones legis fouentur, cùm facilè possit Princeps consuetudinem interrumpere, & legem suam renouare. Adde præscriptionem priuare aliquem iure proprio,& dominio acquisito,& hoc irreparabiliter ob vitandas lites,quod non erat conueniens concedi mala fide possidenti. At consuetudo aduersa legi neminem iure suo priuat,sed solùm remouet obligationem legis, quam facile potest legislator renouare, & denuo stabilire,si id expediens iudicauerit.

4 Sed inquiris, quando censeatur consuetudo bono communi expedire,ac proinde esse rationabilem?

Respondeo si consuetudo nulli legi aduersetur, sed præter legem,clarum est bono communi expedire eius obseruationem, quia bono communi videtur expedire id,in quod communiter omnes conueniunt: quod notauit Menoch. statim referendus. At si legi aduersetur, tunc relinquendum est arbitrio prudentis, vt tradit glossa *in cap.*1.*de constitutionib. in* 6.*verbo rationabile.* Panormit. Ioan. Andr. *cap. vlt. de consuetud.* & alij plures, quos refert,& sequitur Menoch. *lib.* 2.*cent.* 1. *de arbitr. casu* 82. *in princ.* Thom.Sanch. *lib.*7. *de matrim. disput.*4. *num.*14. *circa finem.* Aduerto tamen minorem causam, ad tollendam legem esse necessariam,quàm ad statuendam de nouo,vt rectè ponderauit Suar. *lib.*7.*de leg.cap.* 18.*num.*9.*&* 10.

5 In dubio autem, an consuetudo contraria legi sit rationabilis, hoc est,expediens communi bono, præsumenda est rationabilis, & communi bono expediens, quia in dubio in fauorem consuetudinis iam introductæ firmandum est: tradit Sanch. ibi. Suar. *lib.*7. *cap.*6. *num.*15. Vtrùm si consuetudo non solùm sit contraria legi,sed etiam à lege prohibita, aut reprobata, tunc in dubio pro lege firmandum est, & iudicandum consuetudinem esse irrationabilem: hoc tanquam certum dicit Sanch.& Suar.*suprà* Salas *disp.*19.*sect.*18.cum Roch. de Curtis *tract. de consuetud. sect.*7.*num.*24. & probatur optimè ex *cap.*3.*de eo,qui mittitur in possessio.* ibi. *si laudabilem esse constiterit.* Et ratio est clara, quia reprobatio consuetudinis facta à lege,est certa:ergo non potest ab honestate dubia vinci. Insuper notat benè Sanch. & Salas *suprà*, cum Caietan. 1.2.*quæst.*97.*art.*3.*supplemen.* Gabr. 4.*dist.*42.*quæst.*1.*art.*3.*dub.*6. Valent. 1.2. *disput.*7. *quæst.* 5.*p.*8. Ex quo patet posteros consuetudinem à suis maioribus introductam obseruantes à culpa excusari, nec inuestigare teneri de illius iustitia, sed posse illam præsumere. In quo sensu dixit Basil de Leon *in l. de quib.ff.de legibus*; quod ab omnibus fit,rectè fieri præsumitur. Intelligendum tamen est,quando toto tempore necessario ad præscriptionem,consuetudo præualuit. Denique si consuetudo immemorialis fuerit, præsumenda est iusta,& rationabilis,etiam si esset contra dispositionem legis anterioris; quia ratione tẽporis diuturni, præsumitur in ea iustus titulus, sic docuit Alexand.*cap.quo iure. dist.*8. Auendan. *de exequend. mandat. cap.*6.*num.*8. Salas *disp.*19 *sect.*18.*fine.*

6 Ex his venit decidẽda quæstio,an introducentes cõsuetudinem aduersùs legem peccent, toto eo tempore, quo consuetudo introducta non est? Et dicendum existimo peccare, quia à legis obseruatione excusari non poterant,nisi ob consuetudinem legitimè præscriptam. Ergo si consuetudo nondum præscripta est, nulla est ratio excusans. Item dum non est introducta consuetudo, lex obligat, sed facere contra legem obligantem est peccatum. Ergo.& ita tenet Suar. illo *cap.*18. *n.* 24. Bonac. *disput.*1.*quæst.*1. *p.vlt.*§.3.*num.*45. Sanch. *lib.*7.*de matrim.disp.*4.*num.*14.*circa finem.*

§. II.

De tempore requisito ad consuetudinem.

1 *Proponitur prima sententia tempus immemoriale requirens.*
2 *Sententia distinctione vtitur præter legem, vel contra legem ciuilem decennium dicit sufficere,contra legem canonicam, quadragenarium expostulat.*
3 *Nullum tempus determinat tertia sententia, sed arbitrio prudentis relinquit.*
4 *Aduersus hanc sententiam proponitur obiectio, & soluitur.*
5 *Placet mihi quarta sententia affirmans decennio sufficienter consuetudinem præscribi.*
6 *Limitant aliqui in consuetudine introducta præsente Principe.*

7 *Reijcitur*

7 *Reijcitur supradicta limitatio.*
8 *Alij limitant, vt in lege ciuili procedant, non in canonica.*
9 *Non admittitur hac limitatio.*
10 *Apponitur tertia limitatio, vt procedat de consuetudine, qua ex superueniente consensu Principis introducitur. Reijcitur.*
11 *Consuetudo non debet interrumpi, & quando censeatur interrupta.*

1 SEcunda conditio necessaria ad consuetudinem inducendam, est temporis diuturnitas, sed quanta hæc debeat esse, non constat inter Doctores. Prima sententia affirmat requiri tempus immemoriale; sic videtur sentire Duaren. *ad tit. de legibus, cap.* 11. & Balduinus *Institut. de iure naturali, verbo diuturni.* & probant, quia ad legem inducendam videtur requiri consuetudo inueterata, vt probat *l. de quibus,* 32. *ff. de legibus.* at consuetudo inueterata est illa, de cuius initio non est memoria. *l. vlt. C. quæ sit longa consuetudo.* Item inueteratum dicitur, quod fuit 40. annis stabilitum, *l. vlt. C. de fund. rei priuatæ, lib.* 11. *& ibi gloss.* Ergo. Item consuetudo sæpè appellatur illa, quæ excedit hominum memoriam. *l. hoc iure, §. ductus aquæ, ff. de aqua quotidiana, & æstiua.* at hoc tempus centum annos comprehendit, vel paulo minus, vt tradit Crauet. *tractat. de antiq. tempor.* 2. *particul.* 4. *partis princ. num.* 1. Curtius iunior *consil.* 158. *n.* 16. Adde ad consuetudinem, quæ legem introducat, longum tempus requiri. *cap. vltim. de consuetudine*; sed longum tempus comprehendit centum annos. *l. vlt. C. de sacrosanct. Eccles.* Ergo.

2 Secunda sententia distinctione vtitur, si consuetudo sit præter legem, vel contra legem ciuilem, decennio affirmat compleri: si contra legem canonicam, quadraginta annos expostulare. sic Panormit. *cap. fin. de consuetud. num.* 11. Azor *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 4. *quæst.* 4. Gregorius Lopez *l.* 5. *gloss.* 4. *tit.* 2. *part.* 1. Couarr. *lib.* 1. *variarum, cap.* 17. *num.* 8. *§ quarto.* Molin. *tom.* 1. *de iustit. disp.* 77. & alij plures relati à Salas *disp.* 19. *de legibus, sect.* 4. Fundamentum huius opinionis est, quia leges ad inducendam consuetudinem solùm expostulant longum tempus. *l.* 1. *C. quæ sit longa consuetudo, l. de quibus, l. sed ea quæ, ff. de legibus, l.* 1. *in fine, ff. de aqua pluuia arcenda, & alijs.* at secundùm ius ciuile decennium est longum tempus requisitum ad præscriptionem. *toto tit. C. de prascript. longi tempor. & §.* 1. *Instit. de vsucapionib. & l. super longi temporis, ff. de præscript.* secundùm verò ius Ecclesiasticum quadrigennium expostulatur, *authent. quas actiones, C. de sacrosanct. Eccles.* Ergo hoc tempus erit ad consuetudinem requisitum.

3 Tertia affirmat nullum tempus determinatum esse ad consuetudinem inducendam, sed arbitrio prudentis hoc pensandum esse, qui pro negotij qualitate, & pluralitate actionum limitare, vel extendere tempus debet. sic tradit doctissimus Menochius *de arbitrar. lib.* 2. *cent.* 1. *casu* 83. *num.* 6. Corras. *in l. de quibus, ff. de legibus, num.* 8. *& in comment. de iure ciuili in artem redigendo, p.* 2. *cap.* 19. Cuiac. *lib.* 2. *obseruat. cap.* 1. Anton. Faber *ad leg.* 38. *ff. de legib.* Duaren. *de legib. cap.* 11. Gabriel Vasquez 1. 2. *disp.* 177. *cap.* 5. Medin. *quæst.* 97. *art.* 3. *§ sed dubitatur.* Valent. *disput.* 7. *quæst.* 5. *punct.* 8. Sotus 1. *de iustit. quæst.* 7. *artic.* 2. Basilius de Leon *lib.* 6. *de matrim. cap.* 5. *num.* 9. Lessius *lib.* 2. *de iustit. cap.* 6. *dub.* 14.

Fundamentum huius sententiæ est, quia consuetudo vt legem præexistentem abroget, aut denuò constituat, aliquod tempus requirit: quod autem hoc sit, non est determinatum iure naturę, vt de se constat, neque etiam iure ciuili, aut canonico: ergo relinquendum est arbitrio prudentis. Quòd autem iure ciuili, vel pontificio determinatum non sit, probo: quia in iure ciuili, aut canonico non inuenitur textus loquens de consuetudine legali, qui hoc tempus determinet. Nam si aliquis textus est, qui hoc tempus in consuetudine determinet, non de consuetudine legali, sed de consuetudine requisita ad præscriptionem rerum mobilium, & immobilium aduersùs priuatas personas, vel communitates loquitur, vt expendenti totum titulum de consuetudine patebit.

4 Dices, *cap. vlt. de consuetud.* quod expresè loquitur de consuetudine legali, tacitè determinat tempus requisitum ad inducendam consuetudinem; cùm enim ibi dicat Pontifex non esse vilis authoritatis consuetudinem longæuam, si sit rationabilis, & legitimè præscripta, tacitè illis verbis, *longæua, & legitimè præscripta tempus requisitum ad consuetudinem determinauit.* siquidem solùm expostulauit tempus sufficiens, vt dicatur longæua, & legitimè præscripta. Sed contrà, quia longum tempus, & diuturnum non est in iure determinatum, aliquando enim biennio comprehenditur, argum. textus *in l.* 56. *ff. locati*; aliquando quinquennio. *l.* 2. *§.* 2. *ff. de re milit. iuncta l.* 13. *§. vlt. eod. tit.* aliquando 40. annos amplectitur. *l.* 57. *§.* 1. *ff. de ritu nuptiarum, l.* 12. *C. de præscript.* 30. *annorum.* & tradit Cuiac. *lib.* 18. *obseruat. cap.* 28. Ergo ex verbo longæuo, quod denotat longum tempus, tempus non determinatur. Deinde neque ex verbo legitimè præscripto id inferri potest. Tum quia non omnibus pręscriptionibus idem tempus signatur legitimum; aliquando enim decennium sufficit, aliquando vigesimum requiritur, aliquando trigesimum, aliquando quadragesimum, aliquando centesimum, seu immemoriale, vt constat ex *Institut. de vsucapionibus, §.* 1. *l. cùm in longi, C. de præscriptionibus, cap. sanctorum, cap. de quarta, de præscript. authent. quas actiones, C. de sacrosanctis Ecclesiis.* Tum etiam, quia etsi præscriptioni tempus signatum sit, non inde infertur consuetudini in legali signatum esse, quia consuetudo legalis non est præscriptio, præscriptio enim acquirit ius præscribenti, aduersùs quem præscribit: at consuetudo legalis non semper acquirit ius, sed aliquando à iure obediendi se eximit, & tunc non præscribit aduersùs aliquem; nam si aduersùs aliquem præscriberet, is esset Princeps, seu legislator: contra hunc autem non præscribit, cùm potiùs ex eius consensu tacito, vel expresso vim legis consuetudo sortiatur. Ergo ex ratione præscriptionis tempus signari non potest.

5 Quarta sententia, quæ mihi probabilior apparet, quia communior, affirmat consuetudinem esse longæuam, legitiméque præscriptam, sufficientémque ad abrogandam legem, vel denuo constituendam, si decennio perseueret. tradit plures referens Franciscus Suarez *lib.* 7. *de legibus, cap.* 8. *num.* 7. *iuncto cap.* 15. *num.* 5. *& cap.* 18. *num.* 12. Donell. *lib.* 1. *cap.* 10. & ibi Osuald. *in notatis litt. E.* Bonacina *disput.* 1. *quæst.* 1. *punct. vlt. §.* 3. *n.* 31. Mascard. *de probat. conclus.* 424. *à num.* 24. Emanuel Saa *verbo consuetudo, num.* 3. Ratio qua mouetur est, quia iura solùm requirunt ad consuetudinem inducendam longum tempus, sed decennium est longum tempus, & infra illud non reputatur. *l. vlt. C. de præscript. long. temp. §.* 1. *Instit. de vsucap.* Præterea requirunt, vt consuetudo sit legitimè præscripta. *cap. vlt. de consuetud.* sed quæ per decennium durat, legitimè est præscripta: nam licèt multæ aliæ sint præscriptiones longius tempus exigentes, quia tamen hoc est sufficiens, standum est huic tempori, cùm agatur de re omnino fauorabili, & nemini contraria: non enim est contraria Principi, cùm ex eius voluntate consuetudo vim habeat, neque etiam subditis; cùm ab eorum consensu pendeat. Ergo. Et per hæc soluuntur fundamenta contraria.

6 Supradictam conclusionem aliqui limitant in consuetudine, quæ habetur in præsente Principe, seu legislatore; secus verò illo absente: cùm enim legislator absens est, existimant requiri non decennium, sed vicennium ad inducendam consuetudinem.

Probant

Probant primò longum tempus esse decennium inter præsentes: at inter absentes est vicennium, ex *supradicta l.vlt.C.de prascript. longi tempor.* Ergo cùm legislator absens est, requiritur vicennium ad præscribendum aduersùs illum. Ergo non semper consuetudo constituit legem, vel abrogat præexistentem decennio: confirmarique potest ex *l.5.tit.2.part.1.* vbi Alphonsus Rex, declarans vim consuetudinis dicit, *el tal pueblo como ese, o la mayor parte del si vsaren diez, o veinte años a facer alguna cosa en manera de costumbre, &c. puedan la facer, e daba ser tenuda, e guar dada por costumbre.* vbi sub disiunctione apposuit decem, aut viginti, vt tacitè insinuaret absente legislatore 20. requiri, præsente illo decem. Aliàs cur dixit decem, aut 20. potius, quàm 10. vel 15. vel 30.

7 Sed reiicienda est supradicta limitatio, quam reiicit Suar. illo *cap.15.num.6.& cap.18. num.11.* Salas *disp. 19.sect.4.num.31.* cum Vasq.1.2.*disp.177.cap.3.num.33.* Quia consuetudo non introducit legem, neque abrogat præexistentem ex consensu subsequente Principis, sed ex consensu eius lege iam stabilito, quæ declarat consuetudinem longi temporis authoritatem habere inducendi legem, ac proinde impertinens est esse Principem absentem, vel præsentem consuetudini.

Ad confirmationem respondeo primò cum Gregor. Lop. *in d.l.* & Burgos de Paz 1. *l.Tauri, à n.205.* illam particulam, aut esse disiunctiuam, & respectu eiusdem applicari, faceréque hunc sensum, si consuetudo siue absente Principe, siue præsente inualuit decem, aut 20. annis, obseruanda est: quasi diceret, si consuetudo decem annorum est sufficiens, multo magis, si 20. annis, vel 30. durauerit: quem sensum tradidit glossa in rub. *C.qua sit longa consuetudo*, & alij relati à Burgos de Paz *suprà.*

Responderi secundò posset, dictionem illam 20. *annos*, importare consuetudinem, quæ habetur in absentia legislatoris, ac proinde iure Hispano requiri in consuetudine inducente legem decem annos, si fuerit præsens legislator; 20. verò, si fuerit absens. Cæterùm legem illam iam hodie in Hispania non vigere, sentit Gabr. Vasq.1.2.*disput.177.cap.3* Suar. *lib.7.de leg.cap.15. num.7.* Basil. de Leon *lib.6.de matrim.cap.5.num.7.fine.*

8 Secundò limitant plures supradictam conclusionem, vt procedat in lege ciuili tantùm. nam in canonica affirmant 40. annos requiri, quia aduersùs Ecclesiam non datur præscriptio, nisi post 40. annos. *cap. de quarta, cap.ad aures, de prascriptionibus.* Sed consuetudo abrogans legem canonicam suo modo præscribit contra Ecclesiam. Ergo tempus necessariò requisitum ad præscribendum contra Ecclesiam, erit etiam requisitum ad præscriptionem consuetudinis Ecclesiæ: & ita tenet Suarez plures referens *lib. 7.cap.18.num.12.* Salas *disp. 19.sect.4num.42.* Reginald.*lib.13.num.247.* Rebellus *1.p.lib.1.quast.5.num.12.* Bonacina *disput.1.quast.1. p.vlt.§.3.num.32.* Mascard. *verbo consuetudo, conclus.424. num.32.*

9 Sed neque admittenda est hæc limitatio, quam non admittit Lessius *lib. 2. cap.6.dub.14. num.46.* Azor *1.p. lib.5.cap.1!. quast.6.* Eman. Saa *verbo consuetudo. num.6.* quia consuetudo abrogans legem Ecclesiasticam, non est contra Ecclesiam, sed potiùs pro illa, cùm ex consensu ipsius Ecclesiæ tradito *in cap. vlt. de consuetudine*, hæc abrogatio procedat, sed præscriptiones, quæ sunt in fauoren Ecclesiæ, & contra illam, non indigent spatio 40. annorum; sed decennio perficiuntur, vt tradit Rota *in nouissimis p. 2. decis. 375. num. 8.* apud Farinac. Ergo. Deinde si ob similitudinem desumptam à præscriptione propria, expostulantur in consuetudine canonica 40. anni, etiam debent expostulari centum, vel tempus, cuius initij non sit memoria. Probo, quia aduersùs Ecclesiam Romanam non datur præscriptio, nisi spatio centum annorum. *auth. quas actiones. C. de sacrosanct. Eccles.* Ergo consuetudo, quæ legem latam à Romano Pontifice abrogat, spatium centum annorum ad præscriptionē exiget. Deinde aduersùs reseruata Principi non præscribitur, nisi consuetudine immemoriali: ex *cap.super quibusdam. §.praterea, de verbor. significat.* & tradit multos allegans Mascard. *de probation, concl.424. num.40.* Sed lex lata à Principe, sibi est eius dispensatio reseruata. Ergo non solùm spatium 30. annorum, sed immemoriale requireretur, si ex proportione ad præscriptionem esset desumenda præscriptio in consuetudine legali. Item vna Ecclesia aduersùs aliam præscribit decem annis, nisi obstet ius. Ergo aduersùs legem municipalem, vel statutum decem annis præscribitur. Ergo consuetudo canonica abrogans legem, non expostulat 40. annos.

10 Tertiò limitant aliqui, vt procedat de consuetudine, quæ vires habet ex superueniente consensu Principis; de hac enim dicunt decennium expostulare, secus de consuetudine, quæ in ratione consuetudinis vim habet introducendi legem.

Sed neque hanc limitationem probo; dico enim consuetudinem ex consensu Principis introductam inducere legem, vel abrogare antiquam, eo ipso, quo constet Principem ad eiusmodi effectum consuetudinem approbare, quia tunc non in vi consuetudinis, sed in vi approbationis, & consensus Principis lex abrogatur, vel denuo constituitur. Ita autem abrogatio non censebitur facta ex eo quòd consuetudini non contradicat, cùm possit, vt non rectè dixit Lessius *lib.2. cap.6. dub.14.num.46.* Valen. *disput.7.quast.5.p.8.* Bonac. *disp.1. q.1.p.vlt. num.33. vers.addit Lessius.* Nam potest Princeps habere aliquas causas permissionis, seu dissimulationis, vt manifestè constat ex *cap. super eo, de cognatione spirituali.* ibi, *Verùm si de consuetudine habeatur, vt talia coniugia permittantur in Ecclesia tua, dissimulare poteris: ita quòd nec contradicere, nec tamen videaris prastare assensum*, &c. Requiritur ergo manifesta approbatio, quæ legi æquiualeat, vel æquiualeat legitimæ abrogationi legis factæ: & ita tradit Suar. *lib.7.cap. 12. circa finem.* Basil. de Leon *lib.6.de matrim.cap.6.num.6.*

11 Aduerto tamen consuetudinem decennalem, quæ ad constituendam legem nouam, vel antiquam abrogandam necessaria est, non debere interrumpi: sic docuit alios referens Suar. *lib.7.de leg.cap.8.n.14.* Et probatur; nam si interrumpitur, iam non durat decennio. Secundò à præscriptione excluditur interruptio; ergo & à consuetudine. Tertiò tempus requisitum à iure ad aliquem effectum de tempore continuo, & non interrupto intelligitur, vt notauit Lapus *allegat. 47.* & Syluest. *verbo religio.3. quast.5.* Nauarr. *consil.87. de regularib.num.1.* Tunc autem censebitur interrupta consuetudo, si à tota communitate, vel à maiori illius parte contra consuetudinem agatur, etiamsi vnico actu fiat: sic docuit Panormit. *cap.vlt.de consuetudine, num.19.* Reginald. *lib.10.num.249.* Bonac. *disp.1.quast.1.p.vlt.n.33.* Salas *disput.19.sect.11.num.93.* Item si à Principe introducentes consuetudinem puniantur, tacitè tunc resistit eius introductioni, & consuetudinem interrumpit: sic Suar. *lib.7.de leg.cap.8.num.15.*

§. III.

Examinatur tertia conditio de frequentia, & qualitate actuum.

1 *Requiritur ad consuetudinem actuum frequentia.*
2 *Quot actus sint requisiti, examinatur.*
3 *Vnum, neque duos actus non sufficere ad consuetudinem.*
4 *Limitatur, nisi legislator consuetudinem sciens, non resistat: sed non approbatur limitatio.*
5 *Explicantur Doctores, qui videntur contrarium sentire.*

6 *Actus*

6 *Actus tametsi iudiciales sint, non sufficiunt ad consuetudinem inducendam, nisi decennio durauerint.*
7 *Decisiones Rotæ, & declarationes Cardinalium vim legis non habent, esto magnæ sint authoritatis.*
8 *Quid de stylo curiæ.*
9 *Non est necesse consuetudinem in contradictorio iudicio approbatam esse.*
10 *Proponuntur quædam obiectiones, & soluuntur.*
11 *Ad stabiliendam consuetudinem actus voluntarij requiruntur, & consequenter non ex errore, aut ignorantia.*
12 *Debent procedere ex intentione introducendi consuetudinem, hoc est, introducendi obligationem.*
13 *Quomodo cognoscetur consuetudo inducta ex obligationis intentione, vel ex intentione liberali.*
14 *Actus introducentes consuetudinem debent esse externi, vniformes, & pacifici.*

1 Tertiò ad consuetudinem requiritur actuum frequentia, seu vsus crebrò iteratus. Probari potest tum ex definitione consuetudinis, tum ex *l. 1. C. quæ sit longa consuetudo.* ibi, *Probatis his, quæ in oppido frequenter in eodem controuersiarum genere seruata sunt.* Idem habetur *in §. ex non scripto, Instit. de iure natur. & l. 3. C. de ædificijs priuatis.*

2 Difficultas est, quot actus requirantur?

Aliqui affirmant vnum continuatum sufficere. sic Panormit. *cap. vlt. de consuetud. n. 17.* & Azor *tom. 1. lib. 5. cap. 17. quæst. 9. & cap. 18. quæst. 15.* quia ratione continuationis ille actus pluribus æquiualet. Alij dicunt duos, vel tres actus efficaces esse ad abrogandam legem; maximè si fiant sciente Principe, & non contradicente, dum commodè potest contradicere, quia tunc censetur consentire. Deinde, quia quod bis, vel ter fit, dicitur fieri frequenter, *cap. ita nos, 25. quæst. 2.* sic Lessius *lib. 2. cap. 6. dub. 14. num. 45.* Syluest. *verb. consuetudo, quæst. 4.* Saa *eodem num. 3.* Mascard. pluribus relatis *concl. 424. à num. 16.* & indicat Sanchez alios referens *lib. 4. de matrim. disp. 1. num. 12.* Alij supradictam sententiam veram esse existimant, si actus iudiciales fuerint; secus verò si sint extraiudiciales: nam de iudicialibus dicunt constituere stylum, qui bino actu perficitur, ac proinde consuetudinem in illa materia. Adde his, quæ authoritate publica fiunt, maior vis, & efficacia danda est; quàm his, quæ solùm à communi populo operantur; & ita tenet glossa *in l. de quibus, ff. de legibus, verbo inueterata.* Bart. *ibi in repetit. quæst. 4.* & loquentes de stylo docent Rebuff. *tract. de consuetud. art. 2. gloss. 13. n. 10. & 17.* Decius *in rubr. de constitut. num. 35.* & alij plures, quos refert Osuald. *in epitome Don. lib. 1. cap. 10. litt. S.* Alij tandem hanc frequentiam relinquunt iudicis arbitrio: sic pluribus relatis Menochius *lib. 2. de arbitrar. cent. 1. casu 81. num. 4.* Duaren. *de leg. cap. 11.* Basilius de Leon *lib. 6. cap. 6. num. 1. fine.* & ex parte sentit Suarez *lib. 7. de legibus, cap. 10. num. 4.* Ratio esse potest, quia ad inducendam consuetudinem habentem vim legis ea frequentia necessaria est, quæ sufficienter ostendat populi consensum, & Principis voluntatem; sed voluntas Principis, & populi consensus aliquando paucioribus, aliquando pluribus manifestatur. Ergo relinquendum est prudentis arbitrio.

3 Cæterùm dicendum est primò, vnum, neque duos actus non sufficere ad consuetudinem. Tum quia quod semel, aut bis fit, non dicitur fieri frequenter, ex *l. item apud Labeonem, §. aliud est, ff. de iureiurando.* Tum etiam, quia consuetudo, quæ ex ratione consuetudinis vim habet legis, debet esse longæua, & legitimè præscripta, vt ex dictis constat. Vnico autem, vel duobus actibus longæua, & legitimè præscripta esse non potest; quia ad hanc longitudinem, & præscriptionem requiritur decennium. Ergo si actus eo tempore non durauerint, consuetudo non erit longæua, nec legitimè præscripta: & ita docet Suarez *lib. 7. cap. 10. num. 3.* Bonacina *disp. 1. quæst. 1. punct. vlt. num. 32.* Salas *disp. 19. sect. 8. num. 71.* Basilius de Leon *lib. 6. de matrim. cap. 6. num. 1.*

4 Limitant tamen supradicti Doctores conclusionem, nisi legislator consuetudinem sciens ei non resistat. Sed iam dixi ex non resistentia præcisè non inferri approbationem. Quòd si legislator iudicetur approbare consuetudinem, in tali casu consuetudo non habet vim legis ratione sui, cùm non sit propria consuetudo, sed inchoata, sed habet vim ex approbatione legislatoris: quæ approbatio sicut se sola potest legem statuere, & præexistentem abrogare; idem efficere potest annexa vnico, vel duobus actibus.

5 Quando autem Panorm. & Azor ad consuetudinem vnum actum permanentem sufficere dicunt, non de consuetudine legali, sed de præscriptione dominij loquuntur; hoc enim dominium præscribi potest, vnico actu perseuerante, vnica enim collatione beneficij, cui tibi non opponitur lis, poteris aduersùs quemlibet præscribere. *cap. cùm de beneficio, de præb. in 6.* & possessione domus domum præscribere: in præsenti autem non loquimur de præscriptione iuris, & dominij, sed de consuetudine vim legis inducente, quæ in actuum frequentia necessariò consistit. Neque obstat *cap. ita nos, 25. q. 2. & l. 3. C. de episcop. aud.* In quibus geminatio actus vocatur consuetudo, & frequentia: non vocatur consuetudo, & frequentia, quæ ad legem inducendam sufficiat, sed quæ sufficiat ad grauiorem criminis punitionem, ad cuius effectum quælibet imperfecta consuetudo, seu assuefactio sufficit: & ita explicat Bonacina *disp. 1. q. 1. punct. vlt. n. 32.* Suarez *lib. 7. cap. 10. n. 3.* cum Bart. *in l. 1. C. quæ sit longa consuet.*

6 Dico secundò. Actus tametsi iudiciales sint, non sufficiunt ad consuetudinem inducendam, nisi decennio durauerint: sic alios referens docuit Suarez *cap. 11. num. 12.* quia quòd sint in iudicio, vel extra, non extendit longitudinem, & præscriptionem consuetudini requisitam: & ex alia parte illi actus iudiciales non faciũt ius; quia non procedunt ab habentibus potestatem illud constituendi, vt suppono. Ergo ex nullo cap. vim legis habere possunt. Quapropter sicut extra iudicium requiritur decennia frequentia actuum, similiter etiam in iudicio, neque alio modo inducetur stylus necessariò obseruandus. Excipe, nisi actus iudicialis sit à supremo legislatore: tunc enim eius sententia, etiamsi vnica sit, loco legis habenda est, vt diximus in principio huius tractatus; quia tunc non ratione consuetudinis, sed ratione suæ voluntatis sufficienter declaratæ vim legis habet.

7 Ex his constat decisiones Rotæ, & declarationes Cardinalium, & sententias Cancellariæ, & regij Senatus non esse necessariò habendas pro lege, quia non procedunt à iudicibus habentibus authoritatem legis constituendæ: & ita tradit Suarez *lib. 7. cap. 11. circa fin.* Vasquez *1. 2. disp. 177. cap. vlt. num. 75.* Sanchez *lib. 8. de dispensat. disp. 2. n. 10. circa fin.* Salas alios referens *disp. 19. sect. 19. sub n. 109.* Habent tamen hæc omnia maximam authoritatem; quapropter ab illis recedendum non est, nisi in contrarium obstet vrgentissima ratio, vt præcitati Doctores aduertunt.

8 Si autem de stylo curiæ Romanæ, Bullis, & decretis Pontificum manifestato loquamur, certum debet esse ius continere, neque indigere ad sui vigorem diuturnitate: constat ex *cap. quàm graui, de crimine falsi,* & tradit alios referens Sanchez *lib. 8. de matrim. disp. 21. num. 16.* vbi optimè probat stylum curiæ Romanæ seruandum esse. Quapropter si ex stylo curiæ aliqua sunt in dispensatione necessariò manifestanda, & contra fiat, dispensatio subreptitia erit. Idem tradit Mascard. *de probat. conclus. 1317. num. 51.* Salas *disput. 19. de legibus, sect. 19.* Bonacina *disp. 1. de legib. quæst. 1. punct. 4. n. 14.*

9 Sed inquires primò, an consuetudo debeat esse in contradictorio iudicio approbata, vt vim legis habeat?

Respondeo cum communi sententia debere esse necessariò approbatam, quia consuetudo eo ipso, quo rationabilis sit, & legitimè præscripta, vim legis habet, ex *l. de quibus ff. de legibus, & cap. vlt. de consuetud.* neque vllus est textus, in quo amplius expostuletur. Ergo approbatio iudicialis sine fundamento fingitur: & ita tenet Suarez *lib. 7. cap. 11. num. 2.* Salas *disput. 19. sect. 11. n. 93.* Gabriel Vasquez *disp. 177. cap. 6.* Basilius de Leon *lib. 6. de matrim. cap. 6. num. 2.* Mascard. *concl. 427. num. 3.* Bonacina *disput. 1. quæst. 1. punct. vlt. §. 3. num. 25.* Salas *disp. 19. sect. 11. sub num. 93.* & alij plures apud præcitatos Doctores.

10 Sed his obstat textus *in cap. Abbate, de verb. signific.* vbi quædam consuetudo eligendi iudicatur insufficiens, quia non fuit in contradictorio iudicio probata. Verùm huiusmodi textus non loquitur de consuetudine vim legis habente, sed de præscriptione iuris eligendi, quod est longè diuersum: & concesso, quòd de consuetudine loquatur, solùm probat consuetudinem ex allegatis à parte aduersa non esse sufficienter probatam, siquidem pro consuetudine non fuit data in contradictorio iudicio sententia mota lite super consuetudinem; non tamen probat huiusmodi sententiam ad firmandam consuetudinem necessariò requiri, imò nec probat sententiam necessariam esse ad probandam consuetudinem, siquidem ad illam sententiam probatio consuetudinis supponenda est. Adde totum hoc allegatum esse pro parte aduersa, neque à Pontifice approbatum. Secundò obstat *lex cùm de consuetudine 34. ff. de legibus*, vbi cauetur in allegante consuetudinem primò inspiciendum esse an in contradictorio iudicio firmata sit. Sed respondeo esse quidem inspiciendum non de necessitate, sed de vtilitate, quia maximè vtile est ad probationem consuetudinis esse firmatam in contradictorio iudicio: nam ex hac probatione releuatur allegans ab onere probandi consuetudinem, quod notauit Donell. *lib. 1. comment. cap. 10.* Tertiò obstat textus *in l. 5. tit. 2. part. 1.* vbi videtur requisitus non vnus tantùm, sed duplex actus iudicialis pro firmanda consuetudine; inquit enim lex, *debe ser tenida, y guardada por costumbre, si en este tiempo mismo fueren dados conseferamente dos Iuiçios por ella de h.mes sabidores, e entendidos de iuzgar.* Huic legi repulsis aliis explicatoribus respondet Burgos de Paz *in l. 1. Tauri, num. 247.* Gabriel Vasquez 1. 2. *disput. 177. cap. 6.* assentiendo iuri nostri regni duas illas sententias esse necessarias ad consuetudinem, esto iure communi, & ciuili nulla fuerit necessaria: quam explicationem, vt absurdam, & repugnantem, refellit Suarez *lib. 7. cap. 11. num. 7.* Basilius de Leon *lib. 6. cap. 6. num. 4.* Ea, inquam, ratione, quia si duæ illæ sententiæ necessariæ sunt ad stabiliendam consuetudinem, prima sententia non posset ferri pro consuetudine, seu secundùm consuetudinem, quia nondum est consuetudo, cùm prima sententia profertur; sed fateor hanc rationem conuincere dari non posse sententiam decisiuam alicuius litis in vi consuetudinis, si consuetudo contraria sit legi; quia tunc æquitas non patitur dari sententiam contrariam legi in vi consuetudinis non constitutæ. At hinc non infertur non posse ad consuetudinem stabiliendam, sententiam declaratoriam consuetudinis requiri; cùm enim consuetudo ex voluntate legislatoris vires habeat, poterit legislator supremus statuere non valere consuetudinem, quantumuis longæuam, nisi in iudicio contradictorio declarata fuerit: & ita sentit Burgos de Paz *à num. 247.* factum esse in iure Hispano. Sed addit ad consuetudinem triginta, vel quadraginta annorum, vel immemorialem, hos actus iudiciales non requiri, sed solùm in consuetudine decennia, vel vicennia, quod ipse optimè probat *à num. 251.* Suarez verò *lib. 7. cap. 11. num. 7.* reiecta interpretatione supradicta, subricit aliam: affirmat namque supradictam legem duplicem partem habere; in prima statui quid necessarium sit ad consuetudinem stabiliendam, & hoc fit cùm dicitur debere decennio, aut vicennio durare. In secunda tradi, quid requiratur, vt irreuocabilis sit consuetudo, & affirmatur ex virtute, & ordinatione talis legis fieri irreuocabilem, & firmam omnino consuetudinem, si pro illa duo actus iudiciales lati fuerint. Verùm hæc interpretatio mihi non probatur; quia eo ipso, quòd consuetudo introducta est, irreuocabilis est ex se, sicut & quælibet alia lex: at sicut quælibet alia lex quantumuis firma, reuocari potest, alia lege superueniente, vel consuetudine contraria, ita & consuetudo etiamsi actibus iudicialibus firmata fuerit, reuocari hoc modo poterit. Quapropter dicendum existimo actus illos iudiciales non exigi ibi ex necessitate, sed ex vtilitate, neque pro conditione, sed pro abundantia; ita vt faciat hunc sensum, consuetudo, quæ decennio, vel vicennio durauit, seruanda est, maximè si illo tempore bis pro illa iudicatum fuerit. sic Basilius de Leon *lib. 6. de matrim. cap. 6. num. 4.* Item poteris dicere legem illam loqui pro foro externo, & iudiciali: ita vt sensus sit, postquam in Senatu regio iudicatum fuerit, consuetudinem habere vim, non posse iam in iudicio controuerti, sed pro consuetudine esse iudicandum: facitque *lex cùm de consuetudine, ff. de legibus*, vbi dicitur in consuetudine primò explorandum esse, an fuerit in iudicio firmata, & ita explicat Salas *disput. 19. sect. 6. num. 67. circa finem.* Neque puto ab hac interpretatione dissentire Suarez, sed hoc ipsum, etsi obscurè voluit intendere esse consuetudinem irreuocabilem.

11 Inquires secundò, quales actus ad stabiliendam consuetudinem requirantur?

Respondeo primò, requiri actus esse voluntarios his, qui consuetudinem introducere debent; quia ex eorum consensu libero debet introduci, aliàs vim legis habere non poterit, & ita docet cum communi sententia Suarez *lib. 7. toto cap. 12. & cap. 18. num. 8.* Salas *disput. 19. sect. 11. num. 9.* Bonacina *disput. 1. quæst. 1. punct. vlt. §. 3. num. 12.* & alij ab eisdem relati. Quapropter si per vim, aut metum grauem, obligetur populus actionem aliquam præstare, & in ea longo tempore persistere, numquam censendus est præstare consensum sufficientem consuetudini introducendæ, quia præsumi non potest velle stabilire ius actibus ita sibi repugnantibus. sic alios referens Suarez *illo cap. 12. fine, & cap. 18. num. 8.* Si autem illi actus ex ignorantia, aut errore circa substantiam consuetudinis procedant, mihi etiam est manifestum, non posse illis consuetudinem introduci, quæ firmas vires habeat. sic Suarez, & alij *suprà*; quia nihil magis voluntati contrarium, quàm ignorantia, & error. Quapropter, etsi durante errore, aut ignorantia intelligatur consuetudo vires habere; at illis sublatis omnino corruit. Et explico in hunc modum: si ignorat populus legem latam, & ex illa ignorantia violat, nullo modo potest aduersùs legem præscribere, quia non habet talem intentionem: si autem credit legem esse, cùm tamen non sit, & obseruat, non potest legem statuere, quia non habet animum statuendi legem, sed seruandi eam, quam falsò existimat, quòd si legem illam existimatam violet, tunc illa violatio non est derogatiua legis, cùm nulla sit lex, cui derogetur. Ergo numquam ignorantia, & error vim legis habere potest. Neque obstat *lex quod non ratione 39. ff. de legibus*, vbi dicitur, *quod non ratione introductum est, sed errore primum, deinde consuetudine obtentum, in alijs similibus non obtinet*, quæ hunc sensum videtur habere: ea, inquam, quæ non ratione, id est,

cogi[illegible]

cognitione, sed errore à principio introducta sunt, consuetudine ipsa vim obtinere in eadem materia, non in aliis similibus. Ergo iam ex errore introduci potest consuetudo. Adde lege non limitari præscriptionem ad consuetudinem ortam ex scientia; ergo etiamsi ex errore procedatur, habebit effectum, & ita sentit, vt probabilius, Salas *disput.19.sect.6.num.61.* Non, inquam, obstat, quia supradicta lex (vt communis docet sententia) non loquitur de consuetudine legali, sed præscriptiua, & non de quacumque præscriptione, sed de ea, cui ius naturale resistit, eo quòd per errorem introducatur; secus verò, vbi non est fundamentum præscriptionis error. Et hæc explicatio probatur optimè communi exemplo, quo glossa *in supradicta leg.* & Panorm. *in cap. fin. de consuetud.* vtuntur. Videlicet, si consuetudo sit aurigam obligatum non esse de periculo vini, quod in plaustro defert, si dominus vini plaustrum comitetur, eo quòd existimet nullum ius habere, nulla est consuetudo, quia fundamentum illius est error, quo cessante euanescit consuetudo; secus verò, si ex alio errore introducta foret. Et hac ratione dicit Suarez *num.5.* aduersùs Rochum, si populus consueuit non extrahere frumentum è ciuitate, quia credebat id sibi esse prohibitum, non ideo consuetudinem obligantem inducere, quia non abstinuit ab illa actione, animo inducendi consuetudinem, sed animo obseruandi legem, quam sibi esse positam existimabat. Quòd si supradicta lex de consuetudine legali loquatur, tunc sensus illius est, quòd non ratione, sed errore introductum est, & consuetudine obtentum, manifestato errore, neque iure, neque in similibus obtinere, quia per huiusmodi consuetudinem nullum ius acquisitum est ad similes actus exercendos. Ad illud quod addatur, leges non limitare præscriptionem ad consuetudinem ortam ex scientia, negamus, si loquatur de consuetudine legali ob rationem dictam, quia esto leges non limitent clarè, & verbis expressis, tacitè id significant, cùm expostulant consuetudinem debere esse rationabilem, & legitimè præscriptam, quod per actus inuoluntarios numquam fieri potest.

12 Dico secundò. Non solùm actus, quibus introducitur consuetudo, debent esse voluntarij, sed etiam debent esse ex intentione introducendi consuetudinem: nam absque hac intentione authoritatem, & efficaciam habere consuetudo non potest. Consuetudo enim pro lege suscipitur: ac proinde, sicut ad rationem legis requiritur in legislatore intentio ferendi illam; sic ad consuetudinem requiritur in his, qui illam introducere possunt, intentio introducendi illam. Hæc tamen intentio duplex esse potest in populo; potest enim populus intendere consuetudinem, vt deuotioni, & pietati, gratitudini, aut vrbanitati faciat satis, absque animo se obligandi; & potest intendere consuetudinem, animo se ad illius obseruationem obligandi. Vel si consuetudo est contraria alicui legi, potest intendi illa consuetudine legem abrogari, vel solùm voluntati deprauatæ satisfacere. Consuetudo ergo, quæ legem abrogare debet, vel nouam statuere, necessariò procedere debet ex speciali intentione abrogandi legem, & ex speciali intentione statuendi nouam; quæ alia via statui non potest, nisi procedat ex intentione se obligandi ad illius obseruationem, quia iuxta intentionem populi talis est consuetudo, & in his ferè omnes Doctores conueniunt, vt videre est in Suarez *lib.7. cap.14. num.6. & cap.15. num.10.* Salas *disput.19. sect.11. num.92.* Saa *consuetudo, num.3.* Rochus de Curte *tract. de consuetud. sect.4. num.36.* Bonacina *disput.1. quæst.1. punct. vlt. §.3. num.19.* Vasquez 1.2. *disput.177. cap.2. ad finem.* Azor *tom.1. lib.5. cap.18. quæst.5.* & alij plures ab eisdem relati. Ex quo fit ad iudicium ferendum de consuetudine necessariò attendendum esse, qua intentione fuerit incepta, & continuata. Requiritur enim, vt tempore requisito ad præscriptionem continuata fuerit consuetudo animo inducendi obligationem, etiamsi à principio ex deuotione fuerit incepta. At si solùm ex deuotione incepta, & continuata est, nullam obligationem inducit, vt non inducit consuetudo salutandi Virginem, ad signum campanæ noctis, ieiunandi in eorum vigiliis, sumendi aquam benedictam in ingressu Ecclesiæ, panem benedictum diebus Dominicis, & Cinerem benedictum primo die Quadragesimæ, & ramum in Dominica palmarum, recitationem matutini ante Missam, & alia exempla his similia congerit Bellarmin. *lib.4. de Roman. Pontif. cap.18.* Suarez *lib.7. cap.14. num.6.* Salas *disp.19. sect.11. sub num.92.* Azor *tom.1. lib.5. cap.18. quæst.5.* Idem est, si ex vrbanitate, aut liberalitate, alicui obsequium, vel beneficium præstaret populus etiam multo tempore, non inde ex necessitate obligatus manet continuare, quia cùm solùm ex vrbanitate, & liberalitate introducta sit consuetudo, non potest aliam in continuatione obligationem inducere: sic Menochius *de arbitrar. lib.2. centur.5. casu 494. num.4.* & probat ex *l. creditores, C. de pignorib. l. ciuile, C. de furt. & cap. potuit, de locat.* consentit Syluest. *consuetudo, num.4.* Bonacina *suprà num.19. & 20.* Molin. *tom.1. tract.2. disp.77.* Salas *disp.19. sect.11, num.92.* & alij.

13 Difficultas autem est, quomodo cognoscetur quòd consuetudo inducta sit ex intentione inducendi obligationem; vel solùm ex deuotione, & liberalitate.

Respondeo breuiter, si de consuetudine legali loquamur, relinquendum hoc esse prudentis arbitrio, qui pensatis circumstantiis sententiam de consuetudine proferet. Nam cùm actus, quibus consuetudo introducta est, indifferentes sint, vt ex deuotione, vel ex obligatione fiant, aliunde quàm ex illis colligenda est intentio. Quapropter Suarez *lib.7. de legibus, cap.15. num.13. fine*, quatuor coniecturas assignat, ex quibus deduci potest consuetudinem obligare. Prima, si consuetudo sit rei grauis, difficilis, & communiter seruata à populo; quia non solet populus vniformiter conuenire in his actibus, nisi quando se obligatum sentit. Secunda, si viri timorati malè sentiant de his, qui non seruant consuetudinem, vel communiter populus scandalizatur. Tertia, si Prælati, & superiores puniant violantes consuetudinem. Quarta, si materia consuetudinis, & illius obligatio multum conferat reipublicæ. Quælibet enim ex his coniecturis non leue indicium est obligationis. In casu autem dubio semper præsumendum est consuetudinem ex deuotione, & non ex obligatione inductam esse. tum quia ea, quæ sunt facti, & non iuris, non præsumuntur, & lex non præsumitur, nisi probetur: tum etiam, quia nemo præsumitur sibi velle onus, & obligationem imponere, nisi id manifestè constet: & ita tenet Suarez *lib.7. cap.15. num.13.* Bonacina *disput.1. quæst.1. punct. vltim. §.3. num.21.*

14 Dico tertiò. Actus, quibus inducitur consuetudo, debent esse externi, quia de consuetudine externa loquimur. Insuper debent esse manifesti maiori parti communitatis introducentis consuetudinem, quia ab illa maiori parte communitatis debent procedere. Item consuetudo pro lege suscipitur, & cùm non indigeat alia promulgatione à se ipsa, efficitur re ipsa esse manifestam. sic Vasquez *tom.2. disp.177. cap.7. num.56.* Bonacina *disp.1. quæst.1. punct. vlt. §.3. num.26.* Suarez *lib.7. cap.10. num.5.* Item addi potest debere esse actus vniformes, pacificos, & non controuersos. sic Rota *decis.65. n.13. & 16. in nouissimis*, apud Farinac. Sed hoc de præscriptione intelligitur, non de consuetudine legali. Nam etiamsi minor pars populi consuetudini resistat, maior pars præualere debet.

§. IV.

Expenditur quarta conditio de consensu legislatoris ad consuetudinem requisito.

1 *Consensum legislatoris esse requisitum, constat.*
2 *Aliqui affirmant requiri consensum alium, præter eum, qui in cap. vlt. de consuetud. exprimitur.*
3 *Sufficit consensus contentus in supradicto textu.*
4 *Satisfit fundamento num. 2. adducto.*

1 Requiri consensum legislatoris ad inducendam consuetudinem, quæ vim legis habeat, vel antiquam deroget, est constans sententia desumpta ex *l. de quibus, l. sed & ea, ff. de legib.* Et ratione probatur manifestè, quia nullus potest statuere legem, & statutam abrogare, nisi qui potestatem habeat leges ferendi. Ergo absque huius consensu, non poterit induci consuetudo, quæ vim legis habeat.

2 Difficultas autem est, an huiusmodi consensus legislatoris sit satis expressus *in cap. fin. de consuetud.* in quo dicitur consuetudinem rationabilem, & legitimè præscriptam legi derogare posse. An insuper requiratur consensus alius expressus, seu personalis legislatoris, quo approbet consuetudinem introductam?

Non desunt Doctores, qui hunc nouum consensum expostulent: sic Basilius de Leon *lib. 6. de matrim. cap. 6. num. 7.* Vasquez 1. 2. *disp.* 177. *cap.* 2. *&* 3. Mouetur Basil. quia non omnis consuetudo approbatur à Principe, sed multæ consuetudines permittuntur tantùm, aliæ approbantur. Ergo non potest ob vniuersalem illam doctrinam *cap. fin. de consuetud.* præsumi in quauis consuetudine approbatio. Item consuetudo specialis, specialis est lex. Ergo specialem consensum legislatoris prærequirit, qui esse non potest sine speciali scientia, & approbatione consuetudinis.

3 Cæterùm tenenda est communis, & receptissima sententia, nullum alium consensum, præter traditum *in cap. vlt. de consuetud. & l. de quibus, ff. de legib.* requiri. sic Panormit. *cap. vlt. de consuetud. num.* 13. Rochus de Curte *tract. de consuet. sect.* 4. *n.* 14. Thomas Sanchez *lib. 7. de matrim. disp.* 4. *n.* 11. *&* 14. *& disp.* 82. *n.* 20. Suarez *lib. 7. de leg. cap.* 13. *à n.* 6. Salas *disp.* 19. *sect.* 3. *n.* 20. *&* 37. *& sect.* 4. *n.* 39. *&* 40. *& sect.* 5. *n.* 58 *& sect.* 6. *n.* 62. Bonacina *disp.* 1. *q.* 1. *punct. vlt.* §. 3. *n.* 34. Azor *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 18. *q.* 1. & alij innumeri ab eisdem relati.

Fundamentum est, quia Princeps supremus, scilicet, Rex, aut Pontifex, optimè poterat lege sua stabilire, vt quoties populus in aliqua consuetudine rationabili decennio durauerit, ea consuetudo pro lege suscipiatur: facta autem hac lege nemini dubium esse potest consuetudinem rationabilem decennio durantem vim legis habere ex approbatione legali supremi Principis: neque alia est approbatio expostulanda. Sed hoc ipsum factum iam est iure canonico, & ciuili. Ergo. Iure autem canonico constat hoc factum esse *in cap. vlt. de consuetud.* vbi stabilitur consuetudinem rationabilem, & legitimè præscriptam iuri positiuo derogare: quòd autem sit rationabilis, non pendet ex scientia, & voluntate legislatoris, sed ex natura ipsius rei, cuius est consuetudo: esse autem legitimè præscriptam, habetur ex cursu temporis. Ergo cùm nulla alia conditio ad stabiliendam consuetudinem requiratur iure canonico, gratis, & sine fundamento expostulatur scientia Principis, & eius nouus consensus. Item iure ciuili constat eadem doctrina ex *l. de quibus, ff. de legibus,* vbi dicitur, *rectissimè receptum est, vt leges non solùm suffragio legislatoris, sed etiam tacito consensu omnium per desuetudinem abrogentur,* id est, non solùm suffragio legislatoris expresso, & personali, quæ consuetudini introductæ superueniat; sed consensu populi ex facultate accepta à legislatore, & *l. vlt. C. quæ sit longa consuetudo,* dicitur, *probatam, & seruatam tenaciter consuetudinem, perpetuæ legis vicem habere statuimus.* Idem habetur *in l. 1. C. eodem tit.* quibus legibus non obstat *l. 2. C. quæ sit longa consuetudo,* relata *in cap. consuetudinis, distinct.* 11. vbi dicitur, *consuetudinis, vsusque longæui non vilis authoritas est, sed non vsque adeò sui valitura momento, vt aut rationem vincat, aut legem.* Non enim consuetudo sua authoritate vincit legem, sed ex authoritate legislatoris, & illius consensu, non quidem exercitus postquam iam est consuetudo introducta, sed antecedenter ad ipsam consuetudinem manifestatus.

4 Neque obstat fundamentum Basil. de Leon. Concedimus non omnem consuetudinem approbari à Principe, sed solùm rationabilem, & legitimè præscriptam: & hæc est, quæ *in supradicto cap. fin. de consuetud.* approbatur, & non alia. Cùm verò dicitur consuetudinem specialem, specialem esse legem. Ergo specialem consensum legislatoris expostulare: distinguendum est de speciali consensu, & dicendum requiri specialem consensum proprium, & manifestum; non tamen ita singularem, vt solùm vnam consuetudinem comprehendat, potest enim vnus, & specialis consensus pluribus consuetudinibus deseruire.

PVNCTVM III.

Qui possint consuetudinem introducere.

1 *Ab vna persona consuetudo introduci non potest.*
2 *Imperfecta communitas introducere consuetudinem non potest.*
3 *Communitas perfecta optimè potest.*
4 *Regnum, & prouincia superiorem recognoscens, neque habens authoritatem leges condendi, potest introducere consuetudinem.*
5 *Est introducenda consuetudo à maiori parte communitatis, quæ consuetudinem introducere potest.*
6 *Aliqua inferuntur pro horum clariori intelligentia.*

1 In primis certum est ab vna tantùm persona, etiamsi potestatem legislatiuam habeat, qualis est Princeps, non posse consuetudinem suis actibus introduci, quæ vim legis habeat: tum quia ad consuetudinem consensus plurium, & conuenientia in actibus expostulatur: tum & præcipuè, quia Princeps non censetur præceptum, aut legem imponere subditis, ex eo, quòd hoc, vel illo modo operetur: sic docuit Suarez *lib. 7. de legibus, cap.* 3. *num.* 8. cum Rocho de Curte *tract. de consuetud. in præfat. num.* 16. *&* 22. & tenent omnes. Ex quo à fortiori fit, nullam aliam priuatam personam id efficere posse. Neque obstat aliquando priuatam personam consuetudine à se introducta se eximere ab obligatione legis; sicuti Episcopus obligatus erat in correctione subditorum procedere ex consilio Capituli. *cap. 1. de præscriptionibus, in 6.* & tamen consuetudine à se introducta se eximere potest ab hac obligatione, *cap. non est, de consuetud. in 6.* Non, inquam, obstat, quia hæc exemptio non est exemptio directa à communi lege, sed indirecta, quatenus tollit materiam illius legis præscriptione aduersùs Capitulum: consuetudo autem præscriptiua iuris dari potest à priuata persona; secus verò consuetudo legalis, quia sicut priuata persona capax non est legis, ideo sua consuetudine introducere legem non potest. Adde esse nimis irrationabile, & contra bonum commune, si subditus transgrediendo legem, aut præceptum posset se ab obligatione illius eximere, daretur enim ansa leges violandi.

2 Secun

Secundò est certum, imperfectam communitatem, qualis est familia quædam, non posse consuetudinem legalem introducere, quia non est capax ferendi legem: consuetudo autem legalis, lex quædam est. sic supradicti Doctores, & colligitur manifestè ex *l. de quibus, l. sed ea ff. de legibus.*

3 Tertiò certum est communitatem perfectam, qualis est respublica, prouincia, regnum superiorem non recognoscens, posse consuetudinem legalem statuere, quia potest legem ferre; ergo potest consuetudinem, quæ pro lege suscipitur, introducere.

4 Difficultas nonnulla est de populo superiorem recognoscente, neque habente authoritatem condendi legem, qualis est generaliter Hispaniæ regnum: an, inquam, hoc regnum, & quælibet prouincia illius, possit consuetudinem introducere, quæ vim legis habeat? Et eadem difficultas est de quolibet Episcopatu, an possit consuetudinem legalem introducere? cùm ipse non habeat potestatem condendi legem; sed hæc potestas tota resideat penes superiorem, Pontificem, scilicet, aut Episcopum?

Dicendum ergo est habere quidem potestatem introducendi consuetudinem derogatiuam legis antiquæ, aut nouæ constitutiuam, quia ad hanc potestatem sufficit de se posse legem introducere, etsi ex accidenti id non possit. Adde solùm requiri ad hanc consuetudinem introducendam esse communitatem, cui lex possit imponi, esto non sit capax ferendi illam; quia consuetudo talis communitatis non introducit legem, vt suam, sed ex consensu Principis, qui consuetudini communitatis capacis legis recipiendæ applicatus est, & ita docet Salas *disput. 19. de legibus, sect. 6. num. 59. & sect. 11. num. 90.* Bonacina *disput. 1. quæst. 1. punct. vlt. §. 3. num. 13. & 28.* Suarez *lib. 7. cap. 9. à num. 7.* probátque latè Burgos de Paz *l. 3. Tauri, conclus. 4. num. 601. pag. 246.*

5 Aduerto tamen, consuetudinem introducendam esse à maiori parte communitatis, qui illam introducere potest; quia tunc tota illa communitas censetur consentire, consentiente maiore illius parte: & ita tradit Salas *disput. 19. sect. 6. num. 60.* ex glossa *l. consuetudinis, C. quæ sit longa consuetudo.* Suarez dicens esse communem omnium *lib. 7. cap. 9. num. 12.* Non tamen requiritur, vt duæ partes communitatis consentiant; hoc enim ad aliquas electiones est specialiter requisitum, non ad consuetudinem, ex *l. quod maior, ff. ad municipalem, & cap. 2. de his quæ fiunt à maiori parte capituli.* Hæc maior pars debet esse ex personis habilibus, & capacibus legis; vnde amentes, & infantes, & omnes illi, qui legibus non tenentur, non possunt sua consuetudine legem abrogare, aut nouam constituere.

6 Ex hac doctrina fit primò laicos non posse sua consuetudine eximere clericos ab obligatione clericis imposita, neque econtra: & generaliter consuetudine vnius communitatis non potest alia deobligari; quia actus vnius communitatis ad aliam non pertinet: sic Suarez *num. 11. & cap. 16. num. 9.* Salas *num. 91. & sect. 15. num. 105.* Bonacina *disput. 1. quæst. 1. punct. vlt. num. 16.* Verùm si laici consuetudinem aliquam introducerent, non quatenus laici sunt, sed quatenus ciues sunt, & circa materiam clericorum propriè, vt contingit in ieiuniis, & festiuitatibus seruandis; tunc eorum consuetudo clericos etiam adstringit, quia illa consuetudo est consuetudo ciuitatis; ergo adstringit omnes ciues illius. Ergo clericos, qua tenus ciues illius sunt; & ita docet Suarez *lib. 7. cap. 16. num. 12.* contra Paludan. & alios relatos à Suarez *ibi*, quibus fauet Salas *disp. 19. sect. 15. num. 105. circa finem.*

Fit secundò, moniales posse consuetudine à legibus sibi impositis eximere, quia sunt capaces legis recipiendæ: sic docuit Suarez *suprà num. 11.* Salas *sect. 11. num. 91.* Bonacina *num. 15.*

Fit tertiò, communitates mercatorum consuetudine posse à lege sibi imposita se eximere, & nouam constituere, quia est communitas capax obligari lege. Ergo etiam se à lege eximendi per consuetudinem, quia non se eximit vi sua, sed ex consensu legislatoris; & ita tenet Bonacina *n. 30.* Salas, & Suarez *suprà.*

PVNCTVM IV.

Quos effectus consuetudo habeat.

MVltipliciter consuetudo humanas actiones afficere potest. Primò obligationem imponendo. Secundò abrogando obligationem legis antea positæ. Tertiò interpretando illam. Quartò irritando actum contra factum.

§. I.

Expenditur primus effectus consuetudinis, qui est obligatio.

1 *Examinatur, possitne introduci consuetudo obligans tantùm ad pœnam determinatam? Resoluitur posse.*
2 *Consuetudo vnius ciuitatis aliam non obligat.*
3 *Quando in vna ciuitate non est lex, nec consuetudo, recurrere debet iudex ad vicinas ciuitates, non ex obligatione, sed ex æquitate.*

1 DE priori effectu consuetudinis, qui est obligatio, satis superque dictum est; cùm enim consuetudo pro lege suscipiatur, & de ratione legis sit obligationem inducere, infertur manifestè consuetudinem hanc vim obligandi habere. Quocirca sicut lex pro materiæ grauitate obligat ad culpam; sic consuetudo, quæ est vera lex, ad eam obligabit.

Difficultas ergo prima est, an consuetudo introduci possit, quæ solùm ad pœnam obliget, & ad pœnam determinatam?

Et quidem mihi videtur certum id fieri posse; quæ enim est repugnantia, vt consuetudo introducatur puniendi transgressores alicuius legis, hac vel illa pœna determinata? cùm enim id lege fieri possit, cur non poterit fieri consuetudine, quæ pro lege suscipitur? Item introduci potest consuetudo, vt tali pœna multetur transgressor alicuius constitutionis, etiamsi constitutio ad culpam moralem non obliget. Ergo iam potest consuetudo ad pœnam tantùm obligare: & ita tenet Suarez *lib. 7. de legib. cap. 16. num. 2. & 3.* cum Roch. de Curt *tract. de consuet. sect. 4. n. 20.*

2 Secunda difficultas est, an consuetudo vnius ciuitatis aliam obliget?

Respondeo obligare non posse, quia consuetudo, & præscriptio tantum habet de potestate, quantum de vsu, & actu, vt ex Baldo, & aliis probat Menochius *de retinenda possess. rem. 5. num. 92.* & Rota *in nouissimis decis. 288. num. 4. tom. 1.* ad Farinac. Quocirca non extenditur de loco ad locum, nec de persona ad personam, nec de casu ad casum. sic Salas *disp. 19. sect. 14.* Suarez *lib. 7. cap. 16. num. 6.* & alij plures ab eisdem relati. Ratio est, quia Princeps solùm censetur velle consuetudine obligare communitatem, quæ illam introduxit, non aliam; communitas item illam introducit ex intentione se obligandi tantùm. Ergo nunquam ex consuetudine vnius communitatis alia obligatur.

3 Nihilominus tamen, si in aliqua ciuitate non fuerit statutum, aut lex, aut consuetudo, quibus causa decidatur, recurrere debet iudex ad consuetudinem vicinarum ciuitatum, si rationabilis est, iuxta *cap. cùm eo, de censibus, & cap. cùm olim, de consuetud.* & tradit Panormit. *ibi num. 1.* Et idem est in eadem ciuitate circa diuersum casum,

casum, si subest eadem ratio, & æquitas. Conceditur enim tunc extensio, & vsus præscriptionis, vt relatis aliis docet Menochius *suprà num.65*. Verùm, vt rectè aduertit Salas *disput.19.sect.14.num.102.* hoc intelligigendum est non de obligatione, sed de conuenientia, & æquitate; quia consuetudo vnius ciuitatis ad aliam authenticè non extenditur, neq; de vno casu ad alium, vt dictum est. Neque obstat textus *in cap.super eo,de cognat. spirituali*, vbi videtur præcipi Episcopo consuetudinem suæ metropolitanæ Ecclesiæ, vel aliarum circumpositarum inquirere, & diligentiùs imitari: tum, quia hoc non videtur iniungi ex præcisa obligatione, sed ex æquitate: tum & præcipuè, quia illa inquisitio, & inuestigatio consuetudinis metropolitanæ Ecclesiæ, vel vicinarum ciuitatum fit ad inuestigandam consuetudinem propriæ Ecclesiæ, quæ ignorabatur; quare consuetudo vicinarum ciuitatum, vel metropolitanæ Ecclesiæ non obligat suffraganeum,quia est metropolitanæ Ecclesiæ, vel ciuitatum vicinarum; sed quia præsumitur eandem esse consuetudinem in propria Ecclesia, licèt ignoretur. Vt autem plenè cognoscatur, (ait Pontifex) consulendos esse vicinos Episcopos,& maximè metropolitanum: an, inquam, consuetudo suæ Ecclesiæ,sit consuetudo communis totius diœcesis,sic explicat Suarez *suprà num.7*.

§. II.

Qua ratione consuetudo abroget legem præexistentem, qui est secundus effectus consuetudinis.

1 *Consuetudo legitimè præscripta abrogat legem.*
2 *Quod intelligitur de lege præcipiente,& pœnali.*
3 *Potest consuetudo abrogare pœnam legis, manente legis obligatione.*
4 *Potest consuetudo econtra abrogare legem manente obligatione ad pœnam.*
5 *Potest abrogare legem irritantem.*
6 *Quid dicendum de lege prohibente consuetudinem contrariam? Proponitur ratio dubitandi abrogari non posse.*
7 *Proponitur distinctio Suarez, & aliorum, sed non admittitur.*
8 *Lex improbans consuetudinem per generalia verba, non solùm de consuetudine præterita, sed etiam futura intelligitur.*
9 *Proponitur obiectio,& soluitur.*
10 *Si lex improbet consuetudinem,vt reipublicæ inconuenientem, non potest aduersùs illam consuetudo præualere; nisi res ita mutentur, vt prudenter possit legislator velle legi derogare.*
11 *Potest consuetudo præualere aduersùs legem versantem circa sacramentalia.*
12 *Aduersùs ius gentium communis sententia tenet consuetudinem præualere non posse.*
13 *Contrarium probabile est.*
14 *Aliqua notantur in huius probabilitatis confirmationem.*

1 TEnet communis sententia consuetudinem rationabilem,& legitimè præscriptam efficaciam habere abrogandi legem, seu tollendi eius obligationem, ex *cap.vlt. de consuetud. & l.de quibus, l.sed ea, ff.de legib.* neque opus est in re manifesta authores coaceruare. Ratio est,quia ad bonum commune, & rectam reipublicæ gubernationem pertinet, ne Princeps suis legibus adstringat populum diu earum obseruationi repugnantem; sed potiùs conniueat, & consentiat consuetudini à populo introductæ. Ergo ex huiusmodi consensu efficaciam habet consuetudo tollendi legem.

2 Ad plenam tamen intelligentiam huius communis sententiæ, aliquæ expediendæ sunt difficultates. Prima est, an intelligatur supradicta doctrina non solùm de lege purè præcipiente,sed etiam pœnali? Deinde, an consuetudo valeat abrogare pœnam, relicta obligatione ad culpam? Et circa primum omnes affirmant consuetudinem præualere posse aduersùs quamlibet legem positiuam,quia potest esse rationabilis,& legitimè præscripta: imò circa legem pœnalem potest excogitari maior conuenientia, eo quòd populus efficaciùs eius obseruationi repugnare potest.

Circa secundum verò Castro *lib.2. de lege pœn.cap.12.* alios referens existimat consuetudinem abrogare non posse pœnam lege impositam, nisi simul abroget ipsam legem, seu eius obligationem. Mouetur, quia faciens contra legem committit culpam; ergo astringitur pœna, quia pœna est propter culpam. Ergo consuetudo non potest abrogare pœnam legis, manente legis obligatione.

3 Nihilominus dicendum est posse consuetudinem abrogare pœnam non solùm ferendam à iudice(de hac enim nullus dubitat) sed etiam ipso iure latam,manente legis obligatione. sic docuit Nauarr.*comment.3.de regularib.num.55.& in summ.cap.27.num.106.* Suarez *lib.7. cap.19. num.3.* Salas *disput.19. sect.9. num.76.* cum Panorm.*cap.1.de treuga,& pace.* Syluest. *consuetudo.quæst.3. & 11.* Azor *tom.1.lib.5. cap.18. quæst.10.* Ratio est manifesta, quia esto transgressioni legis debeatur pœna, sed non debetur hæc pœna determinata, cùm potuerit alia imponi; vel relinqui arbitrio iudicis imponenda. Ergo optimè potest consuetudo pœnam abrogare manente legis obligatione. Et confirmo. Nemini dubium est, posse Principem abrogare pœnam in lege positam, manente legis obligatione; sed quod fit lege expressa, fieri potest consuetudine. Ergo. Item *in Extrauag.1. de rebus Ecclesiæ non alienand. & in Clement.ambitiosæ, eodem tit.* & in aliis multis decretis, variæ pœnæ sunt impositæ,quæ iam vsu cessarunt, manente legis obligatione, vt testatur Nauarr.*cap.27.num.150.* Suarez,& Salas *suprà*. Ad fundamentum contrarium respondeo, violantem legem committere culpam, & pœnæ obnoxium esse, non tamen huic pœnæ determinatæ, sed arbitrio iudicis relinqui.

4 Secunda difficultas est è contra,an consuetudo possit abrogare legem obligantem, manente obligatione ad pœnam?

Respondeo breuiter posse, nisi pœna talis conditionis sit, vt culpam præsupponat. sic tradit Salas *disp.19. de legibus, cap.9. num.77.* cum Nauarr.*in cap.fraternitas, 12.quæst.2.num.vlt.considerat.3.* Suarez *lib.7.cap.19.n.12.* Ratio est,quia dari possunt leges purè pœnales,quæ solùm ad pœnam obligent, non ad culpam propriam. Ergo etiam consuetudine hoc ipsum introduci potest. Dixi, nisi pœna talis conditionis sit, quæ culpam propriam supponat. quod dixi propter censuras,quæ nunquam imponuntur, nisi contumacibus,& inobedientibus Ecclesiæ, ac proinde culpam propriam committentibus.

5 Tertia difficultas est de lege irritante, an,inquam, consuetudo possit abrogare huiusmodi legem?

Respondeo posse,quia per legem id fieri posse nemo dubitat. Ergo etiam per consuetudinem fieri potest, quæ loco legis succedit. Item potest inueniri causa honestans legem,quæ deroget priori irritanti, vt de facto à Trident. factum est in variis impedimentis matrimonij iure antiquo positis.Ergo etiam potest inueniri causa honestans consuetudinem, quæ simili legi deroget. sic docuit Sanchez *lib.7.de matrim. disput.4.n.11. & 14.* Suarez *lib.7.cap.19.num.*[illegible] Salas *disput.19 sect. 10.n.78.* Basilius de Leon *lib.6.de matrim.cap.4.num.6.* & alij plures ab eisdem relati. Ex qua resolutione inferunt supradicti

dicti Doctores, posse consuetudine introduci impedimenta matrimonium irritantia, & introducta iure humano aboleri. Neque obstat textus *in cap. quod super his, de consanguinit. & affinit. in fin.* vbi Pontifex cauet ne intra gradus prohibitos matrimonium contrahatur, & præsumptores Ecclesiastica districtione puniendos esse, non obstante consuetudine, quæ dicenda est corruptela. Loquitur enim de consuetudine non legitimè præscripta, hæc enim non habet vim legis abrogandæ; secus verò de consuetudine rationabili, & legitimè præscripta, quæ esse potest, etiamsi à principio reprobata fuerit, vt statim dicemus.

6 Quarta difficultas est de lege prohibente consuetudinem contrariam, an, inquam, abrogari consuetudine possit?

Ratio difficultatis est, quia prohibens consuetudinem futuram, prohibet illius efficaciam, aliàs nullius effectus erit talis prohibitio; qualibet enim lege prohibentur actus illi contrarij; ac proinde prohibetur introduci consuetudo facta. Ergo si specialiter consuetudo prohibetur introduci, de consuetudine iuris, seu de efficacia consuetudinis intelligenda est prohibitio. Et confirmo. Consuetudo vi sua non habet authoritatem derogandi legi, sed ex consensu, & voluntate legislatoris: at legislator expressè manifestat se nolle consuetudinem huic legi præualere. Ergo nullo modo præualet. Confirmo secundò à simili ex præscriptione, si enim lex prohibeat præscriptionem alicuius rei, vel saltem intra tempus quadraginta annorum: tunc aduersùs talem legem vel omnino non præscribitur, vel non, nisi tempore quadragenario, idque esto interueniat bona fides, & titulus, vt constat ex *l. vbi lex, ff. de vsucap.* vbi dicitur, *vbi lex tollit præscriptionem, non præscribatur.* traditque optimè Molin. *tom. 1. de iustit. tract. 2. disput. 77. fine.* Salas *disput. 19. sect. 7. num. 70.* & alij, sed cùm lex prohibet consuetudinem introduci, prohibet, ne præscribatur contra legem. Ergo talis consuetudo nullam vim, & efficaciam habere potest: & ita tenet Molin. Salas *ibi*, & alij innumeri apud ipsos, & apud Azor *1. part. lib. 5. cap. 17. quæst. 10.* Bonacina *disp. 1. q. 1. punct. vlt. §. 3. proposit. 2.* Couarr. *3. variarum, cap. 13. num. 3. & 4.*

7 In hac re Suarez *lib. 7. cap. 7. à num. 2. & cap. 19. n. 18.* & Salas *disput. 19. sect. 7. num. 71.* distinguunt inter legem prohibentem introduci consuetudinem, & inter legem improbantem illam; dicúntque aduersùs legem prohibentem consuetudinem futuram, præscribi posse consuetudine; secus verò aduersùs legem improbantem consuetudinem, quia non obstante prohibitione consuetudinis, potest esse consuetudo rationabilis, & legitimè præscripta: at consuetudo improbata, vt irrationabilis, rationabilis esse non potest. Ergo.

Cæterùm supradicta distinctio vera quidem est, si quoties reprobatur consuetudo, reprobaretur, vt dissona rationi, & contraria legi naturali, aut diuinæ, aduersùs quam legem nulla consuetudo præualere potest. At quia non semper reprobatur consuetudo, vt sit irrationabilis, sed quia reipublicæ, aut Ecclesiæ non censetur conueniens, ideo existimo supradictam distinctionem necessariam non esse; sed idem esse dicendum de lege sic improbante consuetudinem, ac de lege consuetudinem prohibente, quia si prohibet legislator consuetudinem, ideo illam prohibet, quia iudicat esse reipublicæ inconuenientem: cùm enim iudicet legem latam conuenientem esse, necessariò iudicare debet consuetudinem illi contrariam inconuenientem esse. Ergo in idem redit prohibitio, & reprobatio consuetudinis inconueniens: & ita eodem modo loquuntur cæteri alij Doctores; vt videre est apud Sanchez *lib. 7. de matrim. disp. 4. n. 14.* Couarr. *lib. 3. var. cap. 13. n. 4.* Basilius de Leon *lib. 6. de matrim. cap. 6. n. 9.*

8 Dicendum ergo est primò, si lex improbet consuetudinem per generalia verba, & indifferentia ad præteritam, & futuram consuetudinem, qualia sunt, non obstante contraria consuetudine, de vtraque consuetudine debet intelligi, quia est fauor legis constitutæ. Et videtur satis probari ex *cap. ad nostram, 3. de consuetud.* vbi illis verbis, *præmissa consuetudine non obstante,* non solùm comprehenditur præterita, sed etiam futura: & *cap. cùm inter, eod.* vbi consuetudo non seruandi interdictum generale irritatur, ad futuram consuetudinem extenditur, vt tenent in supradicto cap. ferè omnes Doctores, & tradit Molin. *tom. 2. de iustit. disput. 79.* & consentit Suarez infrà referendus. Neque valet dicere ideo extendi prohibitionem ad futuram consuetudinem, quia erat irrationabilis, & disciplinę Ecclesiasticæ contraria, quia semper consuetudo prohibetur, vt irrationabilis, hoc est, vt minus rationi consona, & aliquo modo disciplinæ Ecclesiasticæ, vel bono communi contraria. sic tradunt innumeros referentes Tiraquel. *de retract. in præfat. num. 18. & 19.* Couarr. *3. variarum, cap. 13. num. 4.* Burgos de Paz *l. 1. Tauri, num. 464. & num. 479.* Cæuallos *in suis quæst. pract. quæst. 704.* Salas *disput. 19. sect. 7. fine.* Thomas Sanchez *lib. 7. de matrim. disput. 4. num. 13. aduersùs gloss. in Clemem. statutum, verbo consuetudini, de elect.* affirmantem ad solam præteritam consuetudinem illa verba se extendere, neque improbare futuram.

9 Sed obiicies primò, improbare consuetudinem est quid odiosum. Ergo non est extendenda, sed limitanda. Secundò quia illis verbis solùm intendit legislator tollere consuetudinem contrariam suæ legi: consuetudo autem, quæ nondum est, non est legi contraria. Ergo de illa lex non loquitur. Tertiò, quia sæpè legislator verbis claris consuetudinem futuram prohibet, vt si dicat, nolumus contra legem hanc aliquam consuetudinem valere. Ergo cùm id non exprimit, censendus est solùm præteritam consuetudinem improbare. Propter hæc Suarez *lib. 7. de legibus, cap. 7. à n. 2.* cum glossa *in Clement. statutum, verbo consuetudine, de elect.* & alij Doctores existimant verba illa generalia, *non obstante contraria consuetudine,* solùm ad præteritam consuetudinem se extendere, neque futuram respicere. Sed retinenda est nostra sententia, vt communior. Et

Ad primum dicimus reuocare consuetudinem, esse odiosum consuetudini: at legi fauorabile; ideóque reuocatio extendenda, non limitanda.

Ad secundum concedo solùm consuetudinem existentem contrariari legi formaliter: at quia etiam futura ei contrariari potest, si introducatur, ideo lex eam præuenire, & impedire vult.

Ad tertium concedimus aliquando legislatorem verbis expressis, & claris futuram consuetudinem improbare; sed non obinde infertur, si verbis indifferentibus procedat, non improbare illam, sed solùm infertur non esse certum, & indubitatum improbare illam, vt contingit, cùm verbis expressis improbat; at esse satis probabile illam improbare.

10 Dico secundò, quoties lex prohibet, vel improbat consuetudinem contrariam, vt inconuenientem reipublicæ, non potest consuetudo aduersùs legem præualere, nisi res ita mutentur, vt prudenter possit legislator velle legi derogari consuetudine: sic tradit Sanchez *suprà num. 14.* Nauarr. *comment. de spolijs §. 15. n. 8.* Couarr. *3. variarum, cap. 13. num. 4.* Azor *tom. 1. lib. 5. cap. 17. quæst. 10.* Salas *disput. 19. sect. 7. sub num. 71.* Suarez *lib. 7. cap. 19. num. 21. & 24.* Basilius de Leon *lib. 6. cap. 6. num. 9.* Bonacina *disput. 1. quæst. 1. punct. vlt. §. 3. num. 37.* Priorem partem conclusionis mihi probat ratio dubitandi cum suis confirmationibus. Non enim existimo esse sufficientem rationem reprobandi consuetudinem, vt dixit Suarez *num. 22.* specialiter aduertere

tere iudices, & gubernatores, ne permittant vsum contrarium; satis enim hoc ipsa lege aduertitur. Sed credo ideo reprobari consuetudinem, vt vires non assumat aduersùs legem; intendit enim legislator legem firmare, & roborare quoad potest: videt autem consuetudine contraria posse infirmari, & destrui; cauet sua prohibitione hanc destructionem.

Secundam partem conclusionis sic probo, & explico: si enim res ita mutentur, vt prudenter possit legislator legi velle derogare, tunc consuetudo aduersùs legem reprobantem consuetudinem præualere potest; quod contingit, quando est aliqua ratio bonum commune attingens, quæ legislatorem latuit, cùm legem tulit, vel quando denuo se offert, quam ipse excogitare non potuit. Tunc, inquam, rationabiliter posset legislator legem suam abrogare. Ergo optimè potest consentire, vt per consuetudinem abrogetur.

Dices, non obstante illa ratione quæ denuò se offert, lex in suo robore persistit, & persistit etiam reprobatio consuetudinis illi contrariæ. Ergo non præualet aduersùs legem.

Respondeo legem in suo robore persistere, non enim ipso iure cessat lex, ob quamlibet rationem, quæ sufficiat, vt illam legislator mutet. At reprobatio consuetudinis, vt credo, non persistit, quia illa consuetudo, quæ denuo introducitur, iam non est irrationabilis, sicuti à principio excogitata fuit, sed potiùs est rationi consonea, & apta, vt legislator ei consensum præbeat: quod probatur à simili ex *l. si hominem 30. ff. mandati*. vbi dicitur, generalem procuratorem posse reuocare à domino prouisa specialiter, si habuerit iustam causam reuocandi, hoc est, si habuit causam nouam, vel de nouo cognitam, quæ dominum præsumitur latuisse. Ergo similiter non potest obstare consuetudinem esse reprobatam, quominus vires assumat aduersùs legem noua causa superueniente, quo argumento vtitur Sanch. innumeris relatis lib. 7. de matr. disput. 40. num. 14. non longè à principio.

Quinta difficultas est de lege versante circa sacramentalia, an, inquam, hæc lex derogari consuetudine possit.

Respondeo posse, etiamsi à legislatore non cognoscatur talis consuetudo, quia *in cap. fin. de consuetud.* nullum datur fundamentum excipiendi consuetudinem aduersùs legem sacramentalem, neque expostulandi scientiam Principis de consuetudine. Item legislator sæpe leges sacramentalium à se statutas mutat pro aduersitate temporum: vt videre est in matrimonio, in ordine, Eucharistia administranda. Ergo consuetudo poterit idipsum efficere ex consensu legislatoris. & fauere videtur tex. *in cap. 1. de cognat. spirituali, & cap. super eo, eodem tit.* in postrema sui parte: vbi standum esse consuetudini Ecclesiæ deciditur, præcipuè, si consuetudo sit, quæ scandalum generat, hoc est, ex cuius violatione præsumatur scandalum generandum esse. Si ergo consuetudo valet introducere legem attingentem sacramentorum administrationem, à fortiori poterit legi latæ derogare: & ita tenet Couarru. 4. *decret. 2. p. cap. 6. §. 10. num. 19.* Sanchez plures referens *lib. 7. de matr. disp. 82. num. 20.* Suar. *lib. 7. de leg. cap. 19. num. 26.* Nauarr. *cap. 22. num. 83.* Salas *disp. 19. de leg. sect. 5. num. 58.*

Neque obstat Clement. *fin. de ætate, & qualitate*, vbi Clemens V. decernens ætatem seruandam in suscipientibus ordines sacros, dicit; *generalem Ecclesiæ obseruantiam volentes antiquis iuribus in hac parte præferri, decernimus*, &c. Ergo signum est obseruantiam Ecclesiæ non derogasse antiqua iura, siquidem indiguit hac speciali constitutione; verbum enim *decernimus*, nouum ius insinuat constitui, vt tradit ibi glossa, non declarat iam constitutum. Adde particulam illam *in hac parte*, denotare illam obseruantiam, & consuetudinem Ecclesiæ velle Pontificem antiquis iuribus præferri, non tamen aliam obseruantiam, & consuetudinem. Non, inquam, obstat, quia Pontifex non ex speciali indigentia firmandi consuetudinem illam, prætulit antiquis iuribus, sed vt clariùs constaret præferendam esse, cuiusque voluntatem esse sic præferri; cùm enim posset Pontifex illam obseruantiam, & consuetudinem abrogare, sicuti abrogauit consuetudinem suscipiendi ordines extra quatuor tempora, *cap. 2. de temporib. ordinat.* non solum hanc abrogationem noluit præstare, sed potiùs illam consuetudinem, vt valdè rationabilem approbauit.

Sexta difficultas est de iure gentium, an possit consuetudo aduersùs illud præualere?

Communis sententia negat: sic Panormit. *cap. vlt. de consuetud.* Rochus *ibi sect. 5. num. 16.* Azor. *t. 1. lib. 5. cap. 17. quæst. 4.* Salas *disp. 19. sect. 6. n. 65.* Mouentur, quia ius gentium est ius naturale, & aduersùs ius naturale non datur præscriptio. Sed hæc ratio nullius est ponderis, cùm ius gentium à naturali distingatur, vt constat ex his, quæ diximus in principio huius tractatus. Quapropter ratio efficax ea est, quia ius gentium ab omnium communitate introductum est, & acceptatum; sed ab hominum communitate nulla est facta lex de præscriptione aduersùs illud. Ergo. Et cõfirmo: vel consuetudo præscribens aduersùs ius gentium est singularis, hoc est, alicuius regni, vel prouinciæ; vel est consuetudo omnium nationum. hoc secundum est ferè impossibile, quia impossibile videtur conuenire omnes nationes in consuetudine opposita iuri, quod est naturæ rationali maximè conforme, quodque à principiis naturalibus deriuatur. Primum verò non videtur satis ad derogandum iuri gentium, etiam in illa prouincia, vbi est consuetudo: tum ob rationem dictam, quia nulla datur lex efficaciam præbens consuetudini aduersùs ius gentium: tum & præcipuè, quia consuetudo non potest habere vim aduersùs ius gentium, nisi de consensu illius, qui ius gentium condidit, vel de consensu alicuius, qui sit illo superior; inferior enim non potest legem superioris abrogare: atqui condens ius gentium non tribuit hanc efficaciam consuetudini: Deus autem, qui solus est illo superior, non apparet hanc efficaciam concessisse. Ergo ex nullo capite illam potest habere. Adde nullum specialem Principem habere potestatem ferendi statuta contraria iuri gentium, quia est inferior condente illud, quod tradit Bald. *tit. de natura feudi, c. 1. & tit. qui feudum dare possunt. cap. 1. §. vlt.* & Iason *in l. quominus, ff. de fluminib. in repetit. n. 3.* Ergo neque poterit consuetudini hanc potestatem tribuere; quod enim sua lege expressa facere non potest, minus poterit tacita.

Verùm satis probabile existimo & posse singularem Principem aliqua statuere, in sua republica contraria iuri gentium, si ita expediens visum fuerit rectæ reipublicę gubernationi, & consuetudinem ipsam ex eiusdem Principis consensu, idipsum posse pręstare. Quia habere Principem hanc potestatem, videtur maximè conueniens reipublicæ administrationi. Quare dicendum est illam habere ex tacita hominum concessione; ius enim gentium dictat illis hanc potestatem concedi debere & ita tradit glossa *in l. si locus. ff. quemadmod. seruit. amitt.* Suar. *lib. 7. de leg. & cap. 4. n. 6.* consentit ex parte Azor. & Salas *suprà*.

Ex his fit posse in aliqua prouincia consuetudine, vel statuto firmari, captiuos in bello non esse redigendos in seruitutem, sed relinquendos in libertate. Item potest introduci, si causa iusta, & communis subsistat, vt ciues aliqui priuentur possessionibus suis, etiam non soluto pretio à republica. Item vt vendant domum, vel agrum, vel mutuo concedant, vel soluat vnus pro alio pecuniarium debitum, & similia; quæ licèt de iure gentium sint, potest tamen consuetudo, vel statutum Principis

cipis ob bonum suæ reipublicæ aliter statuere. Adde si hæc omnia rectè inspiciantur, nunquam iuri gentium fit derogatio; ius enim gentium nunquam obligabat captiuos in seruitutem redigere, sed id permittebat, dum contrarium à gubernatore reipublicæ non statuitur. Item ius gentium nunquam prohibuit priuationem dominij in particularibus ciuibus, si illa priuatione respublica indigebat ad sui gubernationem, sed solùm prohibuit priuationem nulla communi causa intercedente, & alias priuationes permittit. Quapropter nunquam videtur consuetudo aduersùs ius gentium directè procedere.

§. III.

De tertio effectu consuetudinis, qui est legem interpretari.

1 *Clarum est consuetudinem posse interpretari legem.*
2 *De interpretatione authentica, vel probabili, quomodo differant.*
3 *Item consuetudo interpretatiua authentica requirit decennium, secus probabilis seu coniecturalis.*
4 *An secundùm consuetudinem, vel secundùm legem debeat iudicare arbiter, in quem est compromissum factum de iudicio ferendo secundùm ius.*
5 *Secundùm consuetudinem sunt regulandi contractus.*
6 *Iudicium internum, & externum iudicandum est secundùm consuetudinem.*

1 CONstans est omnium sententia, consuetudinem habere hunc effectum, & traditur sufficienter *in l. minimè, l. si de interpretatione, ff. de legib. & cap. cùm dilectus, de consuetud.* ibi enim dicitur, *consuetudo est optima legum interpres.* Ratio autem est manifesta: nam si consuetudo habet vim introducendi legem, & abrogandi institutam; à fortiori habere debet efficaciam interpretandi illam, præcipuè cùm hic effectus magis necessarius esse videatur, quàm alij; sæpe enim leges obscuræ sunt, & ambiguæ, tum in obligatione, tum in materia, ad quam se extendunt, neque legislator suam mentem declarat: consuetudine autem huiusmodi obscuritas, & ambiguitas tollitur. Ergo est maximè necessaria talis interpretatio.

2 Obseruandum tamen est dupliciter consuetudinem posse interpretari legem. Primò authenticè, & necessariò. Secundò coniecturaliter, & probabiliter. Quando consuetudo legem interpretatur authenticè, ipsamet interpretatio habet vim legis, & necessariò est seruanda, vt traditur *in l. nam imperator, ff. de legib.* ibi, *in ambiguitatibus, quæ ex legibus proficiscuntur, consuetudinem, aut rerum perpetuò similiter iudicatarum authoritatem, vim legis obtinere debere.* Cùm enim legislator legem à se latam, alia denuo lata lege interpretari soleat, quæ interpretatio sequenda est, vt lex, quia verè est lex: ita consuetudo legitimè præscripta eandem vim habere debet, quia pro lege suscipitur. Quocirca omnia quæ requiruntur, vt consuetudo vim legis habeat, eadem requiruntur, vt legem authenticè interpretetur, quia in hac interpretatione legis rationem sortitur. Verùm si consuetudo interpretans legem non est legitimè præscripta, tunc solùm coniecturaliter, & probabiliter legislatoris mentem interpretatur; sicuti Doctores solent leges interpretari: altiori tamen ratione, eo quòd plures in vnum conueniant. Quapropter ad hanc interpretationem faciendam, tam consuetudo subsequens legem, quàm antecedens deseruire potest, vt rectè dixit Suarez *lib. 7. cap. 17. num. 2.* cum glossa *in cap. nonnulli, de rescript.* Bart. *in l. omnes populi, ff. de iustitia, & iure,* & Panormitanus *in cap. certificari, de sepulturis.* quia lex non intelligitur derogare consuetudini, nisi id expresè caueatur, imò potiùs secundùm consuetudinem solet institui.

3 Notanda tamen est differentia inter consuetudinem interpretatiuam, coniecturalem, & authenticam. Nam authentica, quia vim legis habet, expostulat tempus decennij ad sui valorem: at coniecturalis, quia eam non habet authoritatem, minori tempore contenta est. Quapropter dixit Menochius *lib. 2. de arbitrar. centur. 1. casu 83. num. 10.* si agatur de consuetudine interpretatiua, posse iudicem æstimare eam satis stabilitam paruo tempore, quia temporis diuturnitas in his non requiritur; intellige ad probabilem, & satis efficacem coniecturam faciendam. Excipit ipse Menochius cum aliis, nisi sit consuetudo interpretatiua contra iuris communis dispositionem, intellige claram; tunc enim, dum non est consuetudo præscripta, corruptela est, non consuetudo; ac proinde non debet mouere iudicem, vt secundùm illam sententiam ferat.

4 Ex qua doctrina fit satis illi quæstioni, quid debeat facere iudex arbiter, in quem compromittunt partes, vt secundùm iura sententiam ferat, si aliud lex, aliud consuetudo habeat? Et dicendum est, dum consuetudo legitimè præscripta non est, secundùm legem debere iudicare: at si consuetudo præscripta est, quia habet vim legis abrogandæ, secundùm illam ferenda est sententia. Neque obstat compromissum esse factum, vt secundùm iura detur sententia, quominus dati possit secundùm consuetudinem præscriptam, quia consuetudo præscripta ius est, & sub iure continetur, & à iure imperatur seruari: sic ex Panorm. & Syluest. notauit Salas *disp. 19. sect. 13. n. 104.*

5 Fit secundò, secundùm consuetudinem introductam regulandos esse contractus, quia secundùm illam intelliguntur facti, nisi aliud fuerit expressum. *l. semper stipulationibus, ff. de regulis iuris, l. quod si nolit, §. qui assidua, ff. de ædilitio edicto.* Salas *disput. 19. sect. 19. sub num. 103.*

6 Fit tertiò, regulandum esse tam iudicium internum, quàm externum secundùm consuetudinem introductam, quia iudices debent secundùm leges iudicare; sed nulla firmior, & solidior illarum interpretatio esse potest, quàm ea, quæ per consuetudinem habetur. Ergo debet secundùm illam iudicare.

§. IV.

De quarto effectu consuetudinis, qui est irritatio.

1 *Vim habet irritandi consuetudo.*
2 *Aliqui limitant, vt procedat ex scientia Principis, sed non admittitur.*
3 *Debet esse mixta laicorum, & Ecclesiasticorum, qui sentiant.*
4 *Neque hæc limitatio approbatur.*
5 *Alij limitant, vt procedat in consuetudine, quæ scandalum generat, si non obseruetur.*
6 *Non admittitur limitatio.*

1 CONstat ex supradictis in difficultate tertia, consuetudinem vim habere derogandi legem irritantem, si rationabilis, & legitimè sit præscripta. Ergo etiam habere potest vim introducendi legem aliquam irritantem, quia non minorem authoritatem requirit ad abrogandam legem, quàm ad legem introducendam: & cùm hæc omnia ex consensu Principis pendeant, sicut potest consuetudini vim dare abrogandæ legis, potest etiam dare illam constituendi. Quòd autem sic factum sit, constat ex *cap. fin. de consuetud. & l. de quibus, ff. de legibus,* vbi cuilibet consuetudini rationabili, & legitimè præscriptæ datur potestas legalis, neque

ibi

ibi sit aliqua limitatio. Adde, consuetudine redditur quis inhabilis ad beneficium, *cap. cùm olim, de cleric. coniugat.* & reddi potest inhabilis ad matrimonium contrahendum, *cap. super eo, in postrema sui parte, de cognat. spirituali.* Item & ad electionem, *cap. Cumana, de elect. cap. cùm Ecclesia, de causa possess. & propriet.* Ergo iam consuetudo legem irritantem inducere potest, & ita tenet innumeros referens Sanch. *lib. 7. de matrim. disput. 4. n. 11.* Suar. *lib. 7. cap. 16. num. 4. & cap. 19. num. 14.* Salas *disp. 19. sect. 10. num. 86. iuncto num. 84.*

2 Limitant tamen aliqui primò supradictam doctrinam, modò adsit scientia Pontificis de tali consuetudine. Verùm, vt rectè Sanch. Salas, & Suar. *suprà*, hæc limitatio non est necessaria, quia *in supradict. cap. fin. de consuetud. & l. de quibus*, nulla mentio fit huius scientiæ, solùm enim ibi petitur consuetudinem esse rationabilem, & legitimè præscriptam, hoc est, durantem tempore necessario ad præscriptionem, talique consuetudini authoritas legis tribuitur. Neque obstat introducentes consuetudinem inferiores esse Pontifice, quo minus possint legem Ecclesiasticam irritãtem matrimonium, electionem, & alios contractus introducere, quia non vi sua, sed ex Pontificis consensu dato *in cap. fin. de consuetud.* procedunt.

3 Limitant alij secundò in consuetudine irritante matrimonia, seu inducente impedimenta irritantia, vt talis consuetudo mixta sit laicorum, & clericorum: sic docuit Sanch. *illo lib. 7. disput. 4. num. 11. circa finem*, cum Couarr. *4. decret. 2. p. cap. 6. §. 10. num. 18.* Ludouic. Lop. *2. p. instruct. de matrim. cap. 46. col. 5. §. deinde dubitare.* quia in legibus Ecclesiasticis nil possunt laici. Ergo consuetudo laicorum præcisè non valebit impedimenta matrimonij statuere. Qua ratione consuetudo Gallica allegata *in cap. 1. de sponsalib.* non obstabit valori matrimonij; quia erat à laicis, & non à clericis introducta. sic Sanch. *suprà*, cum Anton. *in supradict. cap. 7. & 8.* Abbas *num. 6.* Alexand. de Næuo *num. 10. 11. 21. 22.* Felino *num. 2.*

4 Sed neque hæc limitatio necessaria est, vt docet Salas *disput. 19. sect. 10. num. 86.* quia laici absque clericis introducere possunt consuetudinem Ecclesiasticam, si ad laicos pertinet materia consuetudinis; quia non introducunt ex authoritate, quam ipsi habent à se, sed ex consensu Pontificis, vt videre est in ieiuniis, & festiuitatibus; consensus verò Pontificis applicatur illis, quibus conuenit consuetudo: at consuetudo matrimonialis laicis conuenit, esto eius cognitio ad Ecclesiæ forum spectet. *cap. tuam, de ord. cogn.* Ergo possunt laici consuetudinem in hac materia introducere. Neque obstat text. relatus *in cap. 1. de sponsal.* tum quia illa consuetudo fortè non erat rationabilis, & legitimè præscripta: tum & præcipuè, quia non erat de substantia matrimonij; sed de quadam solemnitate accidentali, vt ibi explicat glossa, & alij relati à Salas *suprà.*

5 Tertiò alij limitant, vt consuetudo, quæ has vires obtinere debet, secum ferat scandalum, id est, eius violatio scandalum generet: sic Couarru. Ludouic. Lop. Henriq. relati à Sanch. *illa disput. 4. num. 7.* Mouentur ex *cap. 1. de cognat. spirituali*, ibi, *nisi consuetudo Ecclesiæ, quæ scandalum generet, aliter se habere noscatur.* Vbi consuetudini Ecclesiæ scandalum generanti, hæc efficacia introducendi impedimenta matrimonij tribuitur, non consuetudini, quæ scandalum non generet.

6 Sed neque hæc limitatio admittenda est: nam etiamsi nullum sequeretur scandalum ex violatione talis consuetudinis, si consuetudo est rationabilis, & legitimè præscripta, hanc efficaciam habebit, ex *cap. fin. de consuetud.* Econtra verò, si rationabilis non est, aut non est legitimè præscripta, etiamsi scandalum ex eius violatione sequatur, seruanda non erit. Quapropter non scandalo, sed consuetudini rationabili, & legitimè præscriptæ hæc efficacia tribuenda est. Illa autem verba Pontificis solùm indicant id quod communiter accidit; consuetudo enim legitimè præscripta, & rationabilis scandalum generat, si non obseruetur. Adde Pontificem ibi velle consuetudinem tollere, nisi scandalum inde sequatur. Quapropter timore scandali ducitur ad approbandam illam consuetudinem, & relinquendam in sua vi, iuxta *cap. quod dilecto, de consanguinit. & affinit.* ibi, *Vnde in hac parte consultius duximus multitudini, & obseruantiæ consuetudini deferendum, quàm aliud in dissensionem, & scandalum populi statuendum, quadam adhibita nouitate.* hic Sanchez suprà *num. 11. post medium.* Salas *disput. 19. sect. 10. n. 85.* Suar. *lib. 7. cap. 16. num. 4.* Basil. de Leon *lib. 6. de matr. c. 6. num. 10.*

Pvnctvm V.

An consuetudo mutari, abrogaríque possit, & qua ratione.

Dvpliciter mutari, seu abrogari consuetudo potest. Primò, lege expressa. Secundò, alia consuetudine.

§. I.

De abrogatione consuetudinis per legem.

1 *Potest lege consuetudo abrogari.*
2 *Nulla lex abrogat consuetudinem, nisi consuetudini contraria sit.*
3 *Lege vniuersali abrogari consuetudo vniuersalis potest.*
4 *Lege vniuersali non censetur derogata consuetudo alicuius loci, neque statutum.*
5 *Explicatur text. in cap. vnic. de feudi cognit.*
6 *Lege speciali facta à Principe pro aliqua prouincia, probabile est non derogari illius prouinciæ consuetudinem; nisi lex contineat clausulam derogatoriam.*
7 *Qualis debeat esse consuetudo, vt non censeatur lex illam abrogare? Probabile censet Suar. intelligi de consuetudine præscripta, & quæ tendit ad præscriptionem.*
8 *Probabilius est de sola consuetudine præscripta esse intelligendum.*
9 *Satisfit fundamentis num. 7. adductis.*
10 *Sub clausula reuocatoria generali consuetudinis, non venit immemorialis.*

1 Posse consuetudinẽ rationabilem, & legitimè præscriptam lege expressa abrogari, nemini esse potest dubium, cùm sit expressa decisio tex. *in cap. 1. de constitution. in 6. cap. cùm consuetudinis, de consuetudine.* Ratio est clara, quia tota consuetudinis vis, & efficacia à legislatoris voluntate saltim tacita pendet. Ergo si legislator ei resistit, nullam vim, & efficaciam habebit. Adde consuetudine non arctari potestatem superioris, vt non possit contrarium disponere, si videat conuenire; cederet enim in perniciem communitatis. Denique legem à se latam potest superior abrogare alia lege, & constitutione. Ergo & consuetudinem, quæ pro lege suscipiatur. Explicandum tamen est, quando id fieri censeatur.

2 Dico primò. Nulla lex consuetudinem abrogat, nisi clarè ex diametro illi contraria sit; quare si obseruantia consuetudinis compati potest, etiamsi ad hunc effectum verba legis restringenda sint, non debet censeri consuetudo abrogata. Ratio est manifesta, quia iuris correctio vitanda est, quoad fieri potest, ex *l. præcipimus, C. de appellat.* Sed consuetudo legitimè præscripta ius quoddam est. Ergo. Item legislator in statuenda lege moribus subditorum censendus est potius se accommodare, quàm resistere, ex text. *in cap. erit autẽ lex dist. 4.* ibi, *secundum patriæ consuetudinem.* sic omnes Doctores.

3 Dico

3 Dico secundò lege vniuersali abrogari consuetudinem æquè vniuersalem illi oppositam, etiamsi illius non fuerit facta mentio, neque lex habuerit clausulam derogatoriam: & hoc siue lex procedat à supremo Principe, qualis est Pontifex, aut Rex, siue ab Episcopo, aut gubernatore ciuili; quicumque enim sit, qui legem vniuersalem comprehendentem totam suam ditionem instituit, eo ipso & consuetudinem illi oppositam abrogat. Est communis sententia, quam tradit Panormit. *cap. fin. de consuetud. num.* 24. Azor *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 16. *quæst.* 7. Bonacina *disp.* 1. *de legib. quæst.* 1. *punct. vlt.* §. 3. *num.* 39. Salas *disp.* 19. *sect.* 13. *num.* 98. Suarez *lib.* 7. *cap.* 20. *num.* 7. Reginald. *praxi pœnitent. lib.* 13. *num.* 247. *ad finem*, & alij ab eisdem relati; & sumitur apertè ex *cap.* 1. *de constitut. in* 6. vbi solùm singularium consuetudines censentur exceptæ à generali lege. Ratio est, quia consuetudo vniuersalis non præsumitur ignorata à Principe, vt dicitur *in supradicto cap.* 1. Ergo cùm legem illi contrariam statuit intelligitur velle illi derogare.

4 Dico tertiò, lege vniuersali non censetur derogari consuetudo alicuius loci, neque statutum ius commune non continens, nisi talis statuti, aut consuetudinis fiat mentio specialis, vel saltem in genere apponatur clausula derogatoria cuiuscumque statuti, aut consuetudinis contrariæ. sic supradicti Doctores; & constat ex *dicto cap.* 1. *de constitut. in* 6. vbi redditur ratio conclusionis, quia Pontifex, vel alius Princeps, specialium locorum consuetudines, & statuta ignorare probabiliter censetur. Ergo censetur nolle illis derogare, præcipuè cùm derogatio consuetudinis iuri communi obstet, ex *l. minimè ff. de legib.* Et in hoc sensu est verum illud axioma, *Consuetudo Principum leges, & rescripta silere facit*, quod probat ex aliis Menoch. *de arbitrar. lib.* 1. *quæst.* 71. *num.* 9. vbi dicitur, si alicui committatur à Principe potestas iudicandi, semper intelligitur, salua consuetudine, præcipuè municipali. Item si mandaret Rex proprio exactori compellere debitorem, quocumque modo sibi visum fuerit, numquam censetur velle derogare consuetudini, & legi municipali in exigendis tributis. Ergo signum est statuta, & consuetudines municipales lege vniuersali non derogari.

5 Ex his facilè intelligitur textus *in cap. vnica, de feudi cognitione*, vbi Obertus filio suo Anselmo scribit: *Legum Romanarum non est vilis authoritas, sed non adeò vim suam extendunt, vt vsum vincant, aut mores.* Intelligendus, inquam, est textus, leges Romanorum non vincere vsum, aut mores particularium prouinciarum, cùm vniuersales sunt, vel non vincere vsum, aut mores titulo præscriptionis comparatos. Nam quod dicit Cuiac. *in supradicto text.* leges Romanorum non vincere vsum, & mores, si sint in contradictorio iudicio confirmati, optimè refellitur à Vasquez *disp.* 177. *num.* 63. eo quòd quælibet consuetudo quantumcumque in contradictorio iudicio firmata sit, potest abrogari lege superueniente. Quòd verò ipse Vasquez, & Salas *disp.* 19. *sect.* 7. *num.* 72. dicunt textum intelligendum esse de consuetudine Longobardorum, & facere hunc sensum, leges Romanorum, licèt apud Longobardos authoritatem non leuem haberent, quia ex parte seruabantur, non tamen adeò vim suam extendebant, vt vsum Longobardorum vincerent, aut mores, sustineri posset, nisi textui videretur obstare, qui non de qualibet consuetudine, sed de consuetudine feudali loquitur; quam consuetudinem, siue sit Longobardorum, siue Romanorum, non abrogant leges, vt docuit Bald. *ibi*, & constat ex illis verbis textus, *iudicium de feudis etiam legibus nostris contrarium dici solet.* Neque etiam mihi probatur, quod dicit Suarez *lib.* 7. *cap.* 20. *num.* 4. leges vniuersales non vincere consuetudines proprias in materia feudorum, nam vel intelligit leges vniuersales loquentes de feudis non vincere consuetudines specialium locorum, & prouinciarum: & si hoc dicit, nobiscum conuenit, vel intelligit leges vniuersales non loquentes de feudis, neque oppositas consuetudini feudali, non habere vim aduersùs consuetudinem; & sic nihil speciale diceret, & sententiam friuolam contineret: præterquam quòd expresè textui opponitur, siquidem dicit, *iudicium de feudis etiam legibus nostris contrarium dici solet.* Ergo signum est consuetudinem, in qua iudicium illud fundabatur, contrariam esse legibus.

6 Dico quartò, lege speciali facta à Principe superiore, v.g. Rege, aut Pontifice, pro aliqua ciuitate, vel prouincia suæ ditionis, probabile est non derogare consuetudinem illius prouinciæ, nisi expresè apponatur clausula derogatoria: sic Suarez *lib.* 7. *cap.* 20. *num.* 15. Emanuel Saa *verbo lex*, *num.* 19. Bonacina *disput.* 1. *quæst.* 1. *punct. vlt.* §. 3. *num.* 42. Ratio sumitur ex *supradict. cap.* 1. *de constitut. in* 6. ibi, *non enim censetur derogata consuetudo specialis generali lege, quia præsumitur Princeps ignarus talis consuetudinis.* Sed idem fundamentum ignorantiæ est, siue legem vniuersalem, siue specialem statueret; hæc enim ignorantia fundatur, in eo quòd Princeps non potest omnibus sui imperij partibus assistere, neque pro varietate negotiorum, & multitudine occupationum omnia singularia cognoscere. Neque obstat legem illam reddi frustraneam, & inutilem, vtpote quæ neminem ligat, quia hoc est per accidens ob consuetudinem ignoratam. Adde dici non posse esse frustraneam, & inutilem; quia verè obligantur illa subditi, esto illius obligatio suspendatur, dum ad legislatorem accedunt, & certiorem faciunt de consuetudine contraria: quòd autem illa obligentur, patet; quia certior factus legislator de consuetudine, non tenetur legem de nouo statuere, & publicare. Ergo antea erat lex, ac proinde obligationem inducebat, esto excusarentur subditi consuetudine contraria. Ex qua doctrina infertur, idem esse dicendum de statuto facto ab aliqua ciuitate, vel populo, ad cuius valorem Principis consensus requiritur, nempe tale statutum non derogare consuetudinem contrariam, nisi Princeps conscius fiat talis consuetudinis derogandæ; fortè enim si sciret consuetudinem, non præstaret consensum statuto derogatorio; ac proinde ignorantia consuetudinis, cui opponitur statutum, reddit consensum inualidum: sic docet Suarez *lib.* 7. *de legib. cap.* 20. *num.* 8.

7 Sed inquires primò, qualis debeat esse consuetudo, vt lex non censeatur illam abrogare ex præcisa positione legis, sed addenda sit clausula derogatoria; an, inquam, debeat esse consuetudo præscripta, vel sufficiat ea, quæ tendit ad præscriptionem?

Suarez *lib.* 7. *cap.* 20. *num.* 12. probabiliter censet non esse restringendam regulam illam, *cap.* 1. *de constitutionibus, in* 6. ad solam præscriptam consuetudinem, sed posse extendi ad quamlibet aliam rationabilem, & honestam, & tanto tempore firmatam, vt posset Princeps pro illa legem ferre. Mouetur primò, quia *in supradicto cap.* solùm mentio fit de rationabili consuetudine, nihil de conditione præscriptionis. Ergo non est nobis talis conditio expostulanda. Secundò, quia lex semper præsumitur ferri iuxta consuetudinem patriæ, & non econtra. Ergo. Tertiò, quia si sciret legislator talem consuetudinem, fortè contrarium disponeret, vel saltem à lege abstineret. Ergo ex præsumpta voluntate legislatoris, non derogat eius lex tali consuetudini.

8 Fateor his rationibus meritò motum esse doctissimum Suarez, iudicare probabile de vtraque consuetudine, præscripta scilicet, & non præscripta intelligendam esse regulam *cap.* 1. *de constitut. in* 6. Verùm etsi hoc probabile sit, probabilius tamen existimo de sola consuetudine præscripta intelligendam fore. Moueor, quia consuetudo, quæ præscripta non est, non est ius, neque

facul

facultatem tribuit illa vtendi, vt constat ex superioribus, & omnes admittunt. Ergo illa excusari non possunt subditi à legis obseruatione. Secundò, sola consuetudo præscripta præualet aduersùs legem latam. Ergo sola illa impedit obligationem legis ferendæ. Tertiò, derogatio propriè est alicuius iuris, & facultatis: at ex consuetudine non præscripta nullum resultat ius. Ergo nulla indiget derogatione talis consuetudo. Quartò, consuetudo introduci non potest resistente Principe: at qui legem contrariam instituit, resistit eius introductioni. Ergo. Quintò, impediri legem consuetudine res est odiosa, & in legislatoris detrimentum. Ergo non debet extendi ad omnem consuetudinem. Sextò, consuetudo est stricti iuris, strictéque est interpretanda: vt tradit Rota in nouissimis *p.* 2. apud Farinac. *decis.* 112. *num.* 4. Ergo sola præscripta debet obstare legis efficaciæ, quia sola hæc est, quæ propriè dicitur consuetudo, & ita hanc nostram sententiam eruditè probat Mascard. *de probationib. verbo consuetudo, conclus.* 423. *num.* 17. vbi dicit cùm se verba facere de consuetudine, intelligere de præscripta, iuxta glossam *in cap. mos,* 1. *dist.* ex textu ibi, & tradit Bald. *in cap.* 1. *de feudi cognit. col.* 1. vbi inquit, quod dicitur de consuetudine, intelligitur de præscripta. nam antequam sit præscripta, non dicitur consuetudo, sed voluntas inducendi consuetudinem. Item appellatione consuetudinis venit intelligenda propria consuetudo, quæ solùm dicitur, cùm præscripta est, vt tradit alios referens Mascard. *suprà.*

9 Neque obstant fundamenta contraria. Concedo, inquam, in supradict. cap. solùm fieri mentionem consuetudinis rationabilis, sed non obinde excludi debere esse legitimè præscriptam, imò potiùs hoc supponebatur, quia de derogatione illius erat sermo, & non est derogatio, nisi vbi est ius quæsitum. Adde solo illo verbo rationabilis videri exclusam consuetudinem non præscriptam. Nam posita lege, & valore illius, iam illa consuetudo censenda non est rationabilis, quia bono communi non expedit.

Ad secundum dico, legem semper præsumi ferri iuxta consuetudinem receptam patriæ; non tamen iuxta consuetudinem non receptam: de hac enim non curat legislator.

Ad tertium æquè dubium, & contingens est, legislatorem cessare à legis institutione, ac illam ferre, si sciret consuetudinem inchoatam, sæpe enim conuenit his initiis resistere, & contrarium disponere.

10 Inquires secundò, an sub clausula generali reuocatoria consuetudinis, comprehendatur consuetudo immemorialis, vel longissimi temporis?

Respondeo cum communi sententia non comprehendi, etiamsi dicatur, non obstante quacunque consuetudine, sed debet addi immemoriale, vel aliquid simile: sic Tiraquell. *de vtroque retract. tract.* 2. §. 1. *glossa* 2. *num.* 25. Couarr. *lib.* 3. *var. cap.* 13. *num.* 5. Suarez *lib.* 7. *c.* 20. *num.* 18. Bonacina *disp.* 1. *quæst.* 1. *punct. vlt.* §. 3. *n.* 43. Salas *disp.* 19. *sect.* 11. *sub num.* 95. *circa finem*, explicans Eman. Saa. Ratio est, quia pro consuetudine immemoriali titulus iustus præsumitur; consuetudo enim immemorialis habet vim priuilegij à Principe concessi, vt tradit Mascard. *de probation. conclus.* 419. *à num.* 3. *ex l. hoc iure*, §. *ductus aquæ*, *ff. de aqua quotid. & æstiua. & cap. super quibusdam*, §. *præterea, de verbor. significat.* & docuit Decius *consil.* 11. *num.* 9. Abbas *consil.* 71. *volum.* 2. & aliis pluribus allegatis à Salas *disput.* 17. *de legib. sect.* 2. *sub num.* 23. Sed priuilegium non derogari censendum est ex clausula generali derogante consuetudinem. Ergo. Et confirmo argumento à simili de præscriptione, quæ si immemorialis fuerit, non censetur exclusa, cùm præscriptio generaliter excluditur, quod constat ex *l.* 3. §. *ductus aquæ*, *ff. de aqua quotid. & æstiua.*

§. II.

De abrogatione consuetudinis alia consuetudine.

1 *Posse abrogari non est dubium.*
2 *Debet consuetudo abrogans contraria esse præexistenti, & quomodo hoc contingat?*
3 *Proponitur quædam obiectio de tempore requisito ad consuetudinem, maximè Ecclesiasticam abrogandam.*
4 *Affirmat Suarez esse quadragenarium.*
5 *Probabilius defenditur decennium sufficere.*
6 *Qui non vsus censeatur legem abrogare?*

1 Res est indubitata consuetudinem abrogari consuetudine posse; sicuti lex abrogari potest alia lege: colligiturque ex *l. pacta nouissima. C. de pactis. & l.* 2. *C. de inofficiosis dotib.* & tradit Medicis *tract. de legib. p.* 2. *q.* 14. *n.* 5. Suarez *lib.* 7. *c.* 20. *n.* 19. Salas *disp.* 19. *sect.* 13. *n.* 99. Bonacina *disp.* 1. *quæst.* 1. *punct. vlt.* §. 3. *n.* 44. & omnes.

2 Vt autem consuetudo subsequens hanc vim habeat abrogandi præexistentem, primò debet esse illi contrariè opposita. quare si consuetudo est vniuersalis, abrogari debet alia vniuersali: particulari autem abrogari non potest vniuersalis, nisi eo in loco, in quo cum generali habuerit oppositionem. Ratio est, quia consuetudo non introducit ius, nisi vsu, & facto. Ergo non potest contrarium ius introducere, nisi vsus, & facta contraria sint. Secundò requiritur in consuetudine derogatoria idem tempus, quod consuetudo præexistens requisiuit ad sui constitutionem: nam cùm vtraque habeat vim legis, & eius efficacia fundetur, *in cap. vlt. de consuetud. & l. de quibus ff. de legib.* & ibi nullum diuersum tempus consuetudini deroganti legem scriptam, & deroganti consuetudinem assignetur, efficitur idem esse assignandum.

3 Sed obiicies, consuetudo præexistens in materia Ecclesiastica, si fuit præter ius decennio, habebit vim obligandi: at abrogans illam consuetudinem requirit tempus quadragenarium, quia procedit contra ius per consuetudinem stabilitum. Ergo non expostulatur idem tempus in consuetudine abrogante, ac in consuetudine abrogata. Item si consuetudo prior, fuit contra ius commune, indiguit quadragenario tempore, ad sui præscriptionem, vt tenet communior sententia. At si hæc consuetudo non fuit vniuersalis, sed particularis, decennio abrogari potest; quia consuetudo abrogans non procedit contra ius commune, sed potiùs reducit res ad terminos iuris communis.

4 Propter hæc Suarez *lib.* 7. *cap.* 20. *num.* 21. censet in materia Ecclesiastica regulariter consuetudinem abrogantem semper requirere quadragenariũ tempus. Nam si consuetudo abrogata erat vniuersalis, iam ius per illam erat constitutum; si est particularis, & non opposita iuri communi, etiam constituit ius. Ergo consuetudo abrogans contra ius procedit. Ergo requirit tempus quadragenarium. Solùm autem censet probabile decennium sufficere in consuetudine abrogante particularem consuetudinem aduersam iuri communi, obreptionem dictam; quia talis consuetudo abrogans non procedit contra ius commune, sed res reducit ad terminos illius.

5 Nihilominus de omni consuetudine legali retinenda est, vt probabilior, nostra doctrina, idem tempus esse necessarium ad abrogandam consuetudinem consuetudine, ac fuit requisitum ad illius introductionem: cùm autem ad introducendam consuetudinem, siue abrogatiuam legis, siue illius constitutiuam dixerimus decennium sufficere tam in materia ciuili, quàm Ecclesiastica, efficitur sanè idem tempus decennij sufficiens esse ad abrogandam consuetudinem: rationem reddimus, quia

quia consuetudo abrogans legem, & ius constitutum, non est contra ius, sed potiùs iuri conformis, quia ex ipso iure habet hanc efficaciam nemine repugnante: leges autem expostulantes tempus quadragenarium ad præscriptionem, loquuntur de præscriptione iuris contra Ecclesiam, Ecclesia contradicente: at consuetudo legalis non præscribit contra Ecclesiæ mandatum ex repugnantia Ecclesiæ; sed potiùs ex eius consensu, & voluntate. Ergo non est idem tempus expostulandum.

6 Aduertendum tamen est pro intelligentia superioris doctrinæ consuetudinem abrogantem legem, consistere aliquando in facto positiuo, aliquando in omissione alicuius facti positiui, in facto consistit: vt si obliget consuetudo audire Missam, soluere decimas, &c. in omissione consistit; quando lex mandat actum positiuum. v. g. audire sacrum, & populus voluntariè omittit, ipsa omissione præualet contra legem; quia tunc illa omissio est quædam consuetudo, seu desuetudo, & non vsus legis. Quapropter ad abrogandam legem, consuetudine, desuetudine, seu non vsu, necessariò requiritur violatio legis, & consuetudo, seu non vsus illi contrarius: vnde si casus legis non accidat, nunquam non vsus abrogare potest: & in hoc sensu est verum, quod Iurisperiti dicunt, desuetudine, seu non vsu abrogante legem, non venire actus negatiuos, sed priuatiuos; quia non veniunt actus, qui legi non opponuntur, sed potiùs qui illi sunt oppositi: sic docuit Azor *tom. 1. lib. 5. cap. 4. quæst. 7.* Salas *disp. 19. sect. 20. num. 114.* Suarez *lib. 7. cap. 5. num. 14. & cap. 18. num. 7.* Bonacina *disp. 1. quæst. 1. punct. vlt. §. 3. num. 27.* Rebellus *1. part. lib. 1. quæst. 5. n. 23.* Reginald. *lib. 13. num. 250.* Mascard. *verb. consuetudo, conclus. 424. sub num. 3.* & alij ab eisdem relati.

PVNCTVM VI.

Quomodo probetur consuetudo.

1 *Allegans consuetudinem tenetur probare.*
2 *Excipitur consuetudo notoria.*
3 *Item consuetudo de ordine procedendi in iudicio.*
4 *Idem est de stylo fori, & curiæ.*
5 *Tandem excipitur consuetudo, de qua est dubium, an sit rationabilis.*
6 *Consuetudo, quæ ab allegante probanda est, plenè probari debet.*
7 *An vnus testis semiplenè consuetudinem probet.*
8 *Duobus testibus plenè consuetudo probatur; debent tamen deponere, de frequentia actuum, & diuturnitate temporis.*
9 *Doctori excellenti de consuetudine testanti credendum est præsumptiuè non concludenter secundùm Mascard.*
10 *Testantes communiter Doctores de consuetudine integrè illam probant.*
11 *Vni Doctori in foro conscientiæ, dum alij non contradicunt, integrè fides adhibenda est.*

1 ALleganti consuetudinem legalem, siue præscriptionem (hæc enim Doctores inter se sæpè confundunt) incumbere onus probandi, est recepta omnium sententia; quia ea, quæ consistunt in facto, non præsumuntur: & tradit Parisius *cons. 51. num. 14. vol. 1. & cons. 10. num. 14. vol. 4.*

2 Solùm excipi debet primò consuetudo notoria; hæc enim propter ius notorietatem, non indiget probatione, sed sufficit eam allegare: vt multis relatis docuit Mascard. *de probat. verbo consuetudo, conclus. 423. num. 27.* & Tiraquel. *tract. de prascript. §. 1. gloss. 2. fol. 8. verbo sed quæstionis est.*

3 Secundò excipit Mascard. *num. 33.* cum Decio, Bart. & aliis, consuetudinem, quæ respicit ordinem procedendi; quia hæc est modici præiudicij, ideóque illam allegans, non est cogendus probare: secus est de consuetudine decisionem causæ respiciente. Exceptioni assentior; sed non, quia sit modici præiudicij hanc, vel illam consuetudinem in prosecutione litis seruare; sæpè enim ex vna consuetudine prægrauatur litigans, & causæ decisio prolongatur, & aduersæ sententiæ exponitur; ex alia verò consuetudine hæc omnia inconuenientia cessant. Sed ratio præcipua est, quia consuetudo in prosecutione litis nota debet esse iudici, quòd si de illa dubius fuerit, ipse se tenetur informare.

4 Tertiò excipit Mascard. *num. 34.* consuetudinem, quæ vocatur stylus fori, & curiæ: tum quia hæc non à populo, sed à iudice ipso, vel illius superiore introducta est: tum & præcipuè, quia hæc pertinet ad ipsum iudicem, cui obligatio incumbit sciendi ea, quæ ad rectam sui officij executionem pertinent.

5 Quartò excipi debet consuetudo, in qua dubitatur, an rationabilis, & honesta sit: tunc enim si de qualitate consuetudinis agatur, cùm non sit res facti, sed iuris: ad iudicem pertinet discernere, an honesta, vel inhonesta sit: sic docuit Rochus de Curte *tractat. de consuetud. sect. 7. num. 24.* cum Panormit. *cap. fin. de consuetud. num. 5. ad finem.* & Salas *disp. 19. sect. 18. num. 108. versic. oppositum.*

6 Consuetudo autem, quæ ab allegante probanda est, plenè probari debet: sic Bart. *in l. de quibus, num. 22. ff. de legib. & in repetit. l. 2. quæst. 27. C. quæ sit longa consuet.* Rochus de Curte *tract. de consuetud. num. 644. & seqq.* Mascard. plures referens *suprà num. 19.* Ratio est, quia sæpè ex consuetudine pendet causæ decisio. Quapropter si de consuetudine principaliter non agatur in iudicio, sed secundariò, & incidenter, tunc semiplena probatio videtur sufficere: sic ex Bart. & Guid. Papa tradit Mascard. *concl. 423. num. 6.*

7 Aduerto tamen non probari etiam semiplenè consuetudinem, si vnicus solus testis inducatur; imò neque in hac parte deferri iuramentum suppletiuum. sic ex Bald. & aliis docuit Mascard. *num. 21.* Ratio est, quia cùm consuetudo debeat esse pluribus nota, consistit enim in facto, & in populi consensu; si vnus tantùm inueniatur eam cognoscens, eo ipso eius cognitio suspecta censetur, & eius testimonium fallax. Duas tamen limitationes adducit Mascard. huic aduertentiæ. Prima, vt depositio sit de consuetudine vigente illo in loco, vbi testis commoratur; secus si de probanda consuetudine alterius loci tractaretur, quia tunc vnus testis videtur semiplenam probationem præstare, quia est probabilis ignorantia illius consuetudinis. Sed hæc limitatio mihi non probatur, si in loco illo, de quo probanda est consuetudo, non adsint alij testes illam testificantes: nam tunc à fortiori cognitio absentis suspecta censeri potest, & eius testimonium fallax. Secundò limitat Mascard. vt non procedat, quando ageretur de probanda consuetudine multum antiqua, quia tunc vix est, qui illius recordetur, & vnus testis iuratus semiplenam constituit probationem, ex *authent. sed cùm testator, C. ad legem Falcid. & l. si arbiter, ff. de probat.* cui limitationi assentior.

8 Plenè autem probatur consuetudo, si duo testes de illa deponant: sic Guid. Papa *consil. 116. num. 9. & consil. 171. num. 3.* Bart. *in l. 2. C. quæ sit longa consuet. quæst. 26. & in l. de quibus, in 4. q. in princ.* Rochus de Curte *tract. de consuetud. sect. 14. n. 66.* Mascard. alios referens *concl. 424. n. 4. & n. 13.* Salas *disp. 19. sect. 18. num. 108.* Hi autem testes debent deponere de vsu populi, frequentia actuum, & diuturnitate temporis illius actus, quia hæc omnia ad consuetudinem præscriptam requiruntur, aliàs non probant consuetudinem. sic Guid. Papa *consil. 231.* Rebuff. *tract. de consuetud. n. 196. tom. 1.* Mascard. *suprà n. 2.* Quocirca debent testes deponere se vidisse sic obserua-

tum esse illo in loco, scientibus, & præsentibus multis toto temporis spatio, quod ad introducendam consuetudinem requiritur: vt eleganter tradit Rota *decis.255. in nouiss.* apud Farinac. *pag. mihi 291. tom. 1. decisionum nouissimarum, & decis. 5. & 6. num. 7. fine, & part. 2. decis. 497. num. 2.* neque sufficit, si testentur esse consuetudinem, nisi illius rationem reddant, vt optimè tradit Decius *consil. 215. num. 3.* Rochus de Curte *in tract. de consuetud. num. 617. versic. & quod testis.* Bart. *in l. de quibus, col. 9. versic. sed quid si testis.* Ratio est, quia consuetudo est vsus frequens populi longo tempore durans. Ergo qui de consuetudine testari debet, de vsu frequenti longo tempore durante debet ferre testimonium. Verùm, si de immemoriali consuetudine testes deponant, sufficit, si testentur, se ita vidisse, & à maioribus audisse obseruatum, quin viderint, aut audierint aliquid contrà fieri.

9 Sed inquires, an consuetudo probetur sufficienter per assertionem alicuius excellentis Doctoris, de consuetudine testificantis?


Varia sunt Doctorum placita in hac re, vt videre est apud Thomam Sanchez *lib. 7. de matrim. disp. 17. num. 8.* & Mascard. *de probationib. conclus. 426. num. 1. & seqq.* Salas *disp. 19. sect. 18.* Illos tamen in concordiam redigit Mascard. *n. 11.* affirmans, Doctori excellenti testanti in suis scriptis esse consuetudinem, credendum esse præsumptiuè, non concludenter. Et probat præsumptiuè esse credendum, quia testis etiam non iuratus facit præsumptionem: vt obseruat glossa *in cap. nuper, de testibus.* Item dictum honesti viri inducit credulitatem; vt obseruat Accurs. *in l. Titio fundus, ff. de condit. & demonstrat.* & Decius *consil. 540. & consil. 691. fine.* Item pro indice præsumitur *cap. in nostra, de procuratoribus, & in cap. in præsentia, de renuntiat.* quin etiam pro Notario præsumitur. *cap. ad audientiam, de prescript.* Ergo etiam præsumendum est pro dicto excellentis Doctoris, donec contrarium probetur. Quòd autem dictum excellentis Doctoris non faciat concludentem probationem, probat optimè Mascard. primò, quia consuetudo est quid facti: in his autem, quæ ad factum pertinent, nihil magis Doctori, quàm aliis credendum est; secus verò fieret in his, quæ ad eius professionem spectarent. Secundò, quia ea, quæ sunt facti, plerumque etiam prudentissimos fallunt. *l. 2. ff. de iuris & facti ignorantia.* Ergo non concludit dictum prudentissimi. Tertiò testi cuiuscumque sit qualitatis, non creditur absque iuramento, vt in religiosis patet *cap. tuis, de testibus.* Et de Episcopo constitutum est *in cap. fin. de iurament. calumn.* quinimo, neque etiam S. Romanæ Ecclesiæ Cardinali creditur, si deponat absque iuramento, vt docuit glossa *cap. cum olim, 1. in verbo fratrum,* & ibi Abbas *de priuilegijs,* & idem Abbas *in cap. super, de testibus.* Ergo multo minus videtur credendum Doctori etiam præstantissimo absque iuramento. Quartò probat idem Mascard. quia aliàs sequeretur duplicem specialitatem circa idem concurrere. Prima quòd admitterentur testes non iurati. Secunda quòd admitterentur testes, qui deponerent per scripturam; quod non licere sancitum est *in cap. testes, 3. quæst. 9. & in l. 3. §. idem diuus ff. de testib.* Sed istud non debet admitti, quia duplex specialitas circa idem concurrere non debet. *l. 1.* & quod ibi notat Bart. *C. de inofficiosis dotib. & in l. si is qui pro emptore, ff. de vsucap.* Ergo vni Doctori fides integra non est adhibenda.

10 Verùm si communiter Doctores consuetudinem testentur, & nullus sit, qui contradicat, credo fidem eis integrè habendam esse, quia tunc videtur probata consuetudo notoria, & dicta illorum Doctorum habentur tanquam publica instrumenta. sic docuit Mascard. plures referens *conclus. 426. num. 17.* Sanchez *lib. 7. de matrim. disput. 17. num. 8.* Salas *disput. 19. sect. 18. num. 108.* Debet tamen consuetudo iuri communi esse conformis, & non aduersa: nam si iuri communi aduersatur, dicta illorum Doctorum plenè non probant; omnibus enim illis ius commune præponderat: vt rectè ex aliis Doctoribus docuit Mascard. *ibi num. 24.* Qua etiam ratione, etsi ex authoritate vnius glossæ consuetudo probetur, vt censet Bald. *cap. cum dilectus, col. 2. de consuetud.* & Decius *consil. 540. num. 9. & 10.* & glossa *in l. dos à patre, C. soluto matrimonio.* hoc intelligendum est, si communi non aduersetur: vt ex aliis notat Mascard. *n. 29.*

11 Hæc omnia intelligenda sunt de probatione fori externi, & iudicialis. Si enim de foro conscientiæ loquamur, existimo vni excellenti Doctori asserenti consuetudinem esse, dummodo alij non contradicant, posse integrè fidem adhiberi; quia facit rem moraliter certam, ac proinde aptam, cui fides in foro conscientiæ meritò habenda sit. sic Salas *disp. 19. sect. 18. n. 108.* Suarez *lib. 7. de legib. cap. 11. n. 8.*

DISPVTATIO IV.

De lege concedente priuilegium, seu de priuilegijs.



AD perfectam legis notitiam pertinet priuilegiorum cognitio, vtpote quæ extrahunt subditos à legis communis obseruatione.

Multipliciter priuilegium nuncupatur; quælibet enim gratia, beneficium, fauor, prærogatiua, exemptio, indulgentia, & facultas alicui specialiter concessa, priuilegium dicitur: & quia hæc solent per rescriptum Principis, diploma, seu bullam Pontificis concedi; ideo illud præscriptum, diploma, seu bulla, solet priuilegium appellari, non quia sint priuilegium, sed quia priuilegium continent; qua verò ratione differant, statim videbimus.

PVNCTVM I.

Quid sit priuilegium, & qua ratione à lege, dispensatione, gratia, & rescripto distinguatur.

1 *Definitur priuilegium.*
2 *Qua ratione dicatur lex priuata.*
3 *Inferuntur aliqua valdè notanda.*
4 *Leges pœnales priuilegia dici non debent.*
5 *Explicatur, quomodo priuilegium differat à lege, dispensatione, gratia, & rescripto.*

1 DOctores communiter definiunt priuilegium, vt sit priuata lex aliquod speciale beneficium concedens. sic sumitur ex Isidoro relato *in cap. priuilegia, dist. 3. & cap. in his, de priuileg. cap. Abbate, cap. olim, de verborum significat.* Dicitur *lex* non propriè, tum quia sæpè priuilegium non est perpetuum, sed temporale: tum etiam, quia necessitatem non imponit priuilegiato vtendi priuilegio; sæpè enim illum liberum relinquit vtendi priuilegio, vt contingit, quando priuilegium est in fauorem priuatæ personæ, & non in fauorem communitatis: dicitur tamen *lex*, quia dum durat, aliis necessitatem importat, ne priuilegiato vsum priuilegij impediant; esto huiusmodi necessitas etiam ex iure ipso naturali ortum habeat, quia ius ipsum naturale dictat ne priuilegiati iure, & facultate sibi à superiore concessa priuentur; quare priuilegium respectu aliorum est lex, non respectu priuilegiati.

2 Voca

2 Vocatur autem *lex priuata*, quia regulariter priuatæ personæ conceditur, ei dato, quòd alicui communitati concedatur, & tanquam parti communitatis superioris, quæ erat lege communi obligata, conceditur; præcipuè tamen appellatur lex priuata, quia priuatum aliquod beneficium priuilegiato concedit; si enim nihil speciale concederet, quod ex iure communi concessum non esset, inutile, & frustraneum esset priuilegium, vt dicitur *in cap. in his, de priuilegijs, cap. Abbate, eodem tit.* & tradit Gratian. §. *vlt.* 25. *quæst.* 1. Neque obstat sæpè reputari priuilegia concessiones factas à Principe illarum rerum, quæ aliàs iure communi concessa erant; vt constat ex *cap. quia in causis, de procuratoribus*; vbi conceditur vniuersitati Parisiensi, vt possit procuratorem creare, quod de iure communi, vt ibidem dicitur, fieri poterat: & *in cap. etsi Christus, §. fin. de iureiurando*, religiosis conceditur potestas iurandi in propriis causis alia probatione deficiente. quod iure etiam naturali facere poterant. Non, inquam, obstat: tum quia hæc non sunt propriè priuilegia concessiua, de quibus loquimur; nihil enim speciale his personis concedunt, quod aliàs concessum non esset: sunt tamen priuilegia declaratiua, quia declarant quod fortè illis erat dubium, & obscurum: quæ declaratio meritò reputari potest priuilegium, quia causat securitatem, & certitudinem in operante: & ita docet glossa *in supradicto cap.* Azor *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 23. *quæst.* 3. Nauarr. *consil.* 5. *de statu monachali, num.* 5. Salas *disput.* 17. *sect.* 1. *num.* 4. Suarez *lib.* 8. *cap.* 1. Quòd si his concessionibus non solùm securitas, & certitudo concedatur, sed etiam licentia, & facultas faciendi aliquid, quin possit ab aliquo inferiori Prælato impediri: tunc clarum est esse propriè priuilegium concessiuum. Semper tamen, quoad fieri potest, intelligendum est priuilegium, de priuilegio concessiuo, non declaratiuo; quia hoc est propriissimè priuilegium, vt sumitur ex *cap. in his, de priuileg.* & tradit Panormit. & Felin. *in cap.* 1. *de rescript.* Azor *suprà.* Salas *num.* 4. Suarez *num.* 8.

3 Ex qua doctrina infert Azor *quæst.* 3. & ex illo Salas *num.* 5. priuilegium concessum Episcopo, vt testari queat, intelligendum esse de bonis ratione Ecclesiæ, cui præest, quæsitis, non de patrimonialibus, de quibus iure communi testari potest. Secundò si concedat priuilegium, vt procedat in causa appellatione rempta, intelligitur, non de iniusta appellatione, sed de iusta, quia procedere semota iniusta, & friuola appellatione quilibet iudex potest; quod sentit Manuel Rodriquez *tom.* 1. *regul. quæst. quæst.* 18. *art.* 13. Tertiò facultas data Episcopo creandi nouam dignitatem in Ecclesia, censetur data sine consensu Capituli. Quartò mandatum Pontificis de conferendo beneficio in certa Ecclesia, protenditur vsque ad canonicatum, si in ea Ecclesia non sint alia beneficia. Quintò, si Princeps concedat alicui ius inquirendi, & animaduertendi in aliquos homines, intelligitur de his, in quos inquirere, & animaduertere alioqui non poterat. Sextò, si concedat, vt agnoscat delicta, quæ alioqui antea poterat, intelligitur, vt de his delictis procedere queat, etiam fama publica non præcedente. Adde quando priuilegium solum concederet id, quod iure communi concessum esset, rectè poterat vocari priuilegium concessiuum, non quidem noui iuris, & facultatis, sed eiusdem, etiam habitæ nouo titulo, quæ concessio nouo titulo facta, reputari potest priuilegium, vt docet Suarez *lib.* 8. *cap.* 22. *num.* 3. Naldus *verbo priuilegium, num.* 3. Bonacina *disput.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 4. *num.* 1. Deseruit autem hæc concessio, ne per simplicem prohibitionem impediri possit illius vsus, sed necessaria sit reuocatio priuilegij concessi, vt aliis relatis docuit Suarez *suprà.*

4 Dixi in definitione, priuilegium concedere speciale aliquod beneficium, vt excluderem à ratione priuilegij leges omnes pœnales, quæ licèt in defensionem aliquarum personarum, vel immunitatis Ecclesiæ latæ sint, priuilegij naturam non obtinent, quia non per se concedunt beneficium, licèt ex impositione pœnæ, & delinquentis punitione aliquo modo resultet. sic Salas *sect.* 1. *num.* 2. *& sect.* 2. *num.* 17. cum Vasquez *disput.* 151. *cap.* 3. *num.* 19. Suarez *lib.* 8. *cap.* 6. *num.* 6. vbi optimè notant non esse priuilegium decretum, quo aliqui excluduntur ab aliqua congregatione, & collegio ob defectum aliquem; quia licèt decretum cedat in fauorem communitatis, quia tamen hoc non est per se, sed ex consequenti; siquidem materia illius decreti non est fauor, sed pœna, & priuatio; ideo non est priuilegium; sicuti nec priuilegia dici debent decreta Pontificis, quibus aliqua genera personarum ab ordinibus suscipiendis arcentur; nullum enim beneficium tali statuto alicui directè confertur.

5 Ex his constat, qua ratione priuilegium à lege, à dispensatione, à gratia, & rescripto differat. Differt enim à lege primò, quia lex respicit ius commune, & publicum; priuilegium ius speciale. sic Vasquez *disput.* 115. *cap.* 1. *num.* 2. *&* 3. Secundò, quia lex semper astringit ad sui obseruationem eos, in quos fertur; priuilegium à legis obseruatione excipit priuilegiatum. Tertiò lex aliquando imponit pœnam transgressoribus, priuilegium non item.

Differt autem à dispẽsatione, quia latius patet, quàm dispensatio; dispensatio enim semper est alicuius legis: at priuilegium non semper dispensationem legis continet; quando scilicet priuilegium non est aduersum iuri communi, sed præter illud. Item dispensatio ad vnum solum actum conceditur. v.g. ad vnicam excommunicationem, vel irregularitatem, vel impedimentum matrimonij tollendum: & tunc certè talis facultas dici in rigore non potest priuilegium, quia non est priuata lex; non enim ad modum legis permanet, sed potiùs ad modum præcepti transit: ius autem, & facultas per priuilegium concessa, debet esse aliquo modo permanens, & stabile. A gratia autem, & beneficio Principis differt, tanquam inferius à superiore; omne enim priuilegium gratia est, & beneficium Principis: at non omnis gratia, & beneficium priuilegium est, siquidem datur gratia, qualis est absolutio alicuius excommunicationis incursæ, & dispensatio alicuius irregularitatis, quæ priuilegium non est. Denique differt priuilegium à rescripto, quia rescriptum, si nomen propriè attendamus, significat responsum Principis scriptum ad decisionem alicuius dubij iuris; vel iuris, inquam, communis, vel specialis: ac proinde à priuilegio est omnino distinctum, quod non constituit ius, sed potiùs regulariter à iure eximit. Verùm communiter iam rescriptum sumitur pro scriptura, qua gratia, vel iustitia alicui conceditur. Rescriptum iustitiæ est rescriptum datum, vt ius alicui seruetur; ac proinde priuilegium differt multo ab illo, quia priuilegiũ gratiam, & non iustitiam continet. A rescripto autem gratiæ differt, quia sæpè hoc rescriptum pro solo vnico actu conceditur, vt contingit in rescriptis dispensatiuis, alicuius impedimenti canonici, & inhabilitatis. Rescriptum autem, quod priuilegium cõtinet, facultatem ad plures actus concedit. Item rescriptum gratiæ, sæpè est alicuius gratiæ quoad factum, non quoad ius; hoc est, est alicuius gratiæ, quæ cõsistit in facto esse, seu quæ vnico facto completur, vt contingit in rescriptis concedentibus beneficia, dignitates, & officia. At priuilegium propriè est facultas de aliqua gratia, quæ non absorbetur vnico facto, sed relinquit facultatem exercendi actiones plures iuri communi contrarias, vel saltem distinctas.

PVNCTVM II.

Quotuplex sit priuilegium.

MVltiplex est priuilegium, aliud reale, aliud personale, aliud remuneratorium, aliud gratiosum, aliud purum, aliud sub conditione. Alind ob bonum commune, aliud ob priuatum, aliud fauorabile, aliud odiosum, aliud temporale, aliud perpetuum, aliud scriptum, aliud non scriptum. De quibus omnibus sigillatim est dicendum.

§. I.

De priuilegio personali, & reali, quid sint, & qua ratione distinguantur.

1 *Explicatur vtrumque priuilegium.*
2 *Duo notabilia inferuntur pro clariori intelligentia superioris doctrinæ.*
3 *Priuilegium concessum alicui ob aliquam illius excellentiam, quando censeatur reale, quando personale.*
4 *Apponitur quædam limitatio.*
5 *Quid quando est dubium, an sit reale, vel personale? Placet aliquibus debere intelligi personale.*
6 *Sub distinctione respondetur.*
7 *Si tibi probabilius sit esse priuilegium personale, & non reale, tametsi Suarez & alij sentiant te debere stare parti maioris probabilitatis: at securè potes probabili parti adhærere.*
8 *Si tibi possidenti priuilegium, vt reale suboriatur dubium, sitne personale, neque potes vincere, reale poteris reputare.*

1 PRimò diuiditur priuilegium in personale, & reale, secundùm omnium sententiam, ex *l. priuilegia, ff. de regul. iur.* ibi, *Priuilegia quædam causæ sunt, quædam personæ.* & *cap. mandata, de præsumptionib.* dicitur: *non loco tribuimus, sed personæ.* Personale priuilegium est, quod personæ ratione ipsius conceditur. Reale quod personæ conceditur ratione alicuius rei ab ipsa distinctæ; semper enim priuilegium siue personale sit, siue reale, personam respicit, quia sola illa capax est fauoris, & beneficij per priuilegium concessi: at quia hoc beneficium, loco, officio, dignitati, aliisque similibus solet annecti, priuilegium tunc reale dicitur, quia immediatè rei conceditur, & ratione illius personæ. Hæc distinctio est maximè aduertenda ob diuersos effectus priuilegij personalis, & realis. Nam priuilegium personale cum persona finitur. *cap. priuilegium, de regulis iuris, in 6. l. vnica, §. ne autem, C. de caducis tollendis, l. cùm quis, 55. l. fin. ff. de verborum obligat. §. finitur, Institut. de vsufructu.* Priuilegium verò reale durat toto eo tempore, quo durat res, cui annectitur. *l. Imperatores, ff. de publicanis.* & tradit alios referens Ioannes Garcia *de nobilitate, glossa 6. num. 38. versic. 8.* Gutierrez *de gabellis, quæst. 166. num. 3.* Barbosa *in l. quia tale, 14. ff. soluto matrimonio, num. 77. fine.* Donell. *de iure eligendi, lib. 15. comment. cap. 2.* Res autem, quibus solet annecti priuilegium reale, sunt in duplici differentia: alia vocantur corporea, alia incorporea. Corporea vocantur Ecclesiæ, monasteria, agri, aliáque similia. Incorporea, Episcopatus, Clericatus, Doctoratus, officium, & munus iudicis, scholaris, militis. Quandocumque ergo priuilegium alicui fuerit concessum ob aliquam rem, & qualitatem, ex his supradictis, priuilegium reale dicendum est.

2 Ex quo fit primò, priuilegium concessum religioni, vniuersitati, ciuitati, collegio, monasterio, vt ipsa communitas, quatenus talis est, illo vtatur, priuilegium reale propriè dici debere; quia tunc non descendit ad singulares personas, sed ipsi communitati, qua talis est, conceditur. Tum etiam, quia de se est priuilegium perpetuum, sicuti ipsa communitas de se perpetua est. *l. proponebatur, 76. ff. de iudiciis.* Quæ est ratio sufficiens, vt priuilegium reale dicatur, ex *l. forma, §. quamquam, ff. de censibus.* Si verò priuilegium communitati sit concessum, vt singuli ex illa communitate illo frui possint, etiam reputo priuilegium reale dici debere; quia esto descendat ad singulares personas, non qua tales sunt, sed ob qualitatem communem sibi adhærentem, scilicet, quia sunt ex tali communitate.

Fit secundò, priuilegium concessum minoribus, & absentibus, vt in aliquibus casibus instituі possint, & priuilegium concessum filiisfamilias, ne ratione mutui possint obligari, & concessum fœminis, ne pro fideiussione obligentur, priuilegium reale dici debet; quia illas personas singulares respicit, non qua tales sunt, sed ratione qualitatis communis illis adhærentis: & in his omnes ferè Doctores conueniunt, vt videre est in Azor *lib. 5. cap. 22. quæst. 2. & seqq.* Salas *disp. 17. sect. 2. à num. 9.* Suarez *lib. 8. cap. 3. à num. 3.* Basil. de Leon *lib. 8. de matrim. cap. 18. à num. 4. & num. 6.*

3 Difficultas autem est, quando priuilegium alicui personæ conceditur ob aliquam illius excellentiam? Verbi gratia, ob labores in bello factos, ob ingentem victoriam, ob singularem scientiam; an tunc priuilegium illud sit personale, vel reale? Et quidem si priuilegium illud ob materiæ incapacitatem, ad successores, vel hæredes illius transire non potest, priuilegium personale erit, quantumcumque verba aliud indicent; quia verba debent rebus accommodari: sic ex Panormit. Ancharan. & aliis docet Suarez *lib. 8. de legibus, cap. 3. à num. 13.* Menochius *lib. 3. præsumpt. 103. num. 1. & 16.* Basilius *cap. 18. §. 1. num. 6.* Sanchez *lib. 8. disput. 27. num. 3.* At si priuilegium illud ad successores, vel hæredes transmitti potest; tunc, inquam, attendenda sunt verba, quibus priuilegium conceditur, vt ex illis intentio concedentis colligatur. Nam si verba priuilegij dirigantur ad dignitatem, officium, & munus illius personæ, quod munus, & dignitas ad successores transit, regulariter priuilegium reale iudicari debet, & ad successores transmitti. Vt si dicat Princeps: Concedo Episcopo Salmanticensi, Comiti Benauenti, Duci Sidoniæ hanc, vel illam facultatem, &c.

Dixi, regulariter, quia ex verbis, & materia priuilegij, potest constare non fuisse priuilegium concessum dignitati, sed personæ, etiamsi persona nominata non fuerit. Vt si Episcopo Salmantino concedatur potestas aliqua dispensandi, & addatur in priuilegio, id illi concedi ob eius prudentiam, & singularem scientiam, & sanctitatem, concessio personalis erit, neque ad successores transmittenda, vt multis allegatis docet Thomas Sanchez *lib. 8. de dispensat. disput. 27. num. 3.* & probatur satis ex *cap. mandata, de præsumptionibus.* Verùm si dicas: Concedo tibi Petro Francisco, &c. regulariter personale priuilegium est reputandum: tum quia concessio ad personam dirigitur: tum quia non nominat officium, cùm possit: ita Panormitanus, & Felinus *in cap. quoniam Abbas, de officio delegati.* glossa *in cap. tua, de his, quæ fiunt à prælato, & 25. quæst. 2. in princip.* Baldus *in cap. 1. de his, qui feudum dare possunt, §. Marchio, num. 4.*

4 Limitanda tamen est hæc doctrina, nisi addantur aliqua verba, quę perpetuitatem, & transmissionem priuilegij ad successores denotent: tunc enim reputandum est priuilegium, non personæ singulari, sed officio, vel familiæ concessum. Vt si priuilegium dicat, tibi, & successoribus tuis hæc facultas conceditur. Et idem est, si diceret: Tibi in perpetuum concedo hanc facultatem; ratione illius particulæ, *in perpetuum*, ad successores priuile-

priuilegium transit. Nam si ad successores non transiret priuilegium, nihil illa particula operaretur, sed esset inutilis, & frustranea: quod in legibus, & priuilegiis omnino vitandum est, vt deciditur *in cap. si Papa, de priuilegiis, in 6.* ibi, *cùm verba aliquid operari debeant, & l. 3. in princip. ff. de iureiurand.* nec frustrà adiicitur. Quod adeò verum est, vt etiam quælibet syllaba aliquem effectum debeat sortiri: & tradit Staphileus *de litteris gratia, tit. de vi, & effectu clausula, §. 1. num. 6.* Simon de Prætis *de interpret. vltim. volunt. lib. 2. interpret. 3. dub. 2. solut. 5. & glossa cap. soluta, de maiorit. & obed. verbo tanquam.* Sed ex eo præcisè, quòd priuilegium dicat: Concedo tibi hanc facultatem, sine vlla temporis restrictione, intelligitur tibi concessa toto tempore vitæ tuæ. Ergo vt aliquid operetur, particula illa *in perpetuum*, ad successores debet extendi. Neque obstat concessionem tibi tantùm esse factam, quia tibi tantùm est facta sub expresso nomine, & successoribus, sub nomine implicito, & virtuali: sic Felin. *in cap. quoniam Abbas, de offic. delegat. num. 11.* Suarez *lib. 8. cap. 3. num. 12.* Basil. de Leon *lib. 8. cap. 18. num. 5.* Menochius *de præsumptionibus, lib. 3. præsumpt. 103. num. 38.* Ioan. Garcia *de nobilit. glossa 1. §. 1. num. 25.* Neque obstat *l. 1. ff. pro socio,* vbi contractus societatis, etsi dicatur factus in perpetuum, non extenditur vltra vitam, quia non possunt socij obligare hæredes ad societatem, ex *l. cùm duobus, 52. §. idem respondit, l. adeò, 60. ff. pro socio.*

5 Sed inquires, quando pensatis verbis priuilegij, & illius materiæ dubium est, an priuilegium reale sit, an personale, quod reputandum sit; verba enim priuilegij simul & ad personam, & ad officium dirigi possunt. Vt si dicat priuilegium: Concedo tibi Episcopo Salmanticensi facultatem, &c. illa enim verba tum ad dignitatem, tum ad personam diriguntur, ambiguúmque sensum reddunt, an ad personam ratione ipsius, vel ratione dignitatis dirigantur: quid ergo dicendum tunc est? Aliquibus videtur reputandum esse priuilegium personale, quia duplici præsumptione concurrente, alia speciali, alia generali, præualet specialis, vt ex multis probat Menochius *de arbitrar. lib. 2. casu 472. num. 14. & de præsumptionibus, lib. 1. quæst. 29. num. 7.* Sed personalis præsumptio magis specialis est, quàm realis. Ergo pro personali in casu dubio standum est: sic tenet relato Decio *cap. quoniam Abbas, num. 36. de officio delegati, in noua editione.* Thomas Sanchez *lib. 8. de matrim. disput. 27. num. 4.*

6 Verùm sub distinctione respondendum censeo. Si priuilegium est omnino fauorabile, quia nec iuri communi, neque iuri tertij contrarium est, reputari debet reale in casu dubio, & extẽdendum. sic ex Bart. & Bald. Barbosa, Rodriquez, & aliis docet Suarez *num. 18.* Bonacina *disput. 1. de legibus, quæst. 3. punct. 1. num. 7.* & innumeros referens Thomas Sanchez *lib. 8. de dispens. disp. 1. num. 1. in fine, & num. 4.* Basil. de Leon *lib. 8. de matrim. cap. 18. §. 1. num. 7.* Ratio est, tum quia beneficium Principis latè est interpretandum, ex *l. vlt. ff. de constit. Princip.* tum etiam, quia beneficium concessum à Principe decet esse mansurum, ex *reg. decet, 16. de regul. iur. in 6.* Verùm si priuilegium iuri communi deroget tantùm, etsi plures Doctores sentiant latè interpretandum esse, ac proinde, vt reale iudicandum: at meritò Thomas Sanchez pluribus relatis, Suarez, & Bonacina, Basilius *suprà*, sentiunt limitandum esse, & personale iudicandum. Et ratio desumitur ex *cap. 1. §. ille verò, de filijs presbyterorum, in 6.* vbi ea de causa restringitur dispensatio illegitimi, quia à iure communi exorbitat. Si autem priuilegium præter ius commune sit, vergit tamen in præiudicium aliorum, ea parte, qua in præiudicium vergit, strictè est interpretandum; ac proinde reputandum erit tunc personale, & non reale. sic Sanchez, Bonacina, Suarez, & alij apud ipsos. Debet tamen præiudicium graue esse, aliàs non debet in considerationem venire; sic ex *gloss. fin. cap. olim, de verb. signific.* & aliis, docet Sanchez *suprà num. 4. circa finem.* Neque obstat aduersùs hanc doctrinam regula illa, quòd præsumptio specialis generalem cessare faciat, quia hoc intelligitur, quando specialis generali opponitur. Secus verò de præsumptione speciali, quæ si in generalem transeat, fauorabilior erit.

7 Aduertit tamen Suarez, & Bonacina *suprà*; si tibi maior probabilitas est, priuilegium personale esse, & non reale, vel econtra; pro parte maioris probabilitatis stare debes, etiamsi probabile iudices oppositum, quia illa maior probabilitas est quædam moralis certitudo, & maius ius confert: ac proinde non solùm in foro interno, sed externo sic iudicandum est. Verùm, vt constat ex dictis *in tract. de conscientia probabili,* etsi tibi sententia aliqua probabilior appareat, non teneris illi adhærere, sed probabilem sequi potes: tum quia non est certum illam sententiam, quæ tibi probabilior apparet, esse probabiliorem; ab aliis enim, vt minus probabilis iudicabitur, ac proinde cautè dixit Suarez *lib. 8. de legibus, cap. 3. circa fin.* sententiam probabiliorem sequendam esse, si excessus probabilitatis certus sit, quod ferè est impossibile: tum etiam, quia id quod verè est probabile, in ea ratione, qua probabile est, prudenter te illi conformas. Ergo non teneris probabiliorem partem sequi.

8 Aduerto secundò, si tibi possidenti priuilegium, vt reale, suboriatur dubium, an fuerit personale, & re diligenter examinata, dubium vincere non potes, reale esse poteris reputare; iuxta vulgatam regulam, *In dubijs melior est conditio possidentis.* sic Bonacina, & Suarez *suprà.*

§. II.

De priuilegio perpetuo, & temporali.

1 *Explicatur priuilegium perpetuum, & illius conditio.*
2 *Explicatur temporale, & quotupliciter contingat.*

1 Secundò diuiditur priuilegium in perpetuum, & temporale. Priuilegium perpetuum est, quod durare perpetuò potest, nisi à concedente reuocetur. Temporale econtra, quod de se tempore limitato finitur. Priuilegium perpetuum semper est reale, ac proinde tunc solùm contingit, quando adhæret rei de se perpetuæ, & concessum est absque vlla temporis limitatione. Sic dicitur priuilegium perpetuum, quod conceditur monasterio, Ecclesiæ, alterique loco pio, quia hæc loca de se perpetua sunt. *cap. quæ semel, 19. quæst. 3.* Item quod vniuersitati, collegio, & religioni primò est concessum; quia communitas illa semper manet, etsi singulares finiantur. Idem est de priuilegio concesso dignitati, officio, & muneri, quod ad successores transit, quia successione ipsa perpetuatur, & durat.

2 Priuilegium autem temporale tripliciter contingit. Primò ex parte eius conceditur. Secundò ex parte concedentis. Tertiò ex parte ipsius priuilegij. Ex parte eius, cui conceditur, contingit, si personæ tantùm concedatur, quódque vocatur priuilegium personale, singulare. Nam licèt hoc aliquo modo dici possit perpetuum, sicut exilium pro tota vita perpetuum dicitur: comparatione tamen facta cum priuilegio alio reali perpetuo, temporale est, quia pro tempore signato, qualis est hominis vita, durat; hac enim finita, & priuilegium finitur, ex *cap. priuilegia, de regulis iuris, in 6. & l. priuilegia, l. in omnibus causis. ff. eodem.* Ex parte concedentis est priuilegium temporale, quando pro sola eius vita conceditur, vel pro limitato aliquo tempore. Nam licèt priuilegium, quia gratia est, & fauor, non finiatur de se

morte concedentis, quando absolutè conceditur, ex *cap. gratum, de offic. deleg. &c. & cap. si super gratia, eodem tit. in 6.* At si concedens limitauerit intentionem suam, vt solùm pro tanto tempore, vel pro sua vita vim habeat, vltra illam extendi non poterit, quia non potest extendi priuilegium vltra intentionem concedentis illud. Quando verò hoc censeatur contingere, ex verbis ipsius priuilegij desumendum est, & nos explicabimus, cùm de cessatione priuilegij loquamur. Ex parte verò priuilegij est temporale, si concedatur sub aliqua conditione, quæ lapsu temporis finitur: nam vltra illam extendi non poterit, quia non extenditur priuilegium vltra intentionem concedentis illud.

§. III.

De priuilegio gratioso, & remuneratorio, conuentionali, & puro.

1 *Explicantur hæc priuilegia.*
2 *Quodlibet ex his priuilegijs potest esse reale, & personale.*
3 *Proponuntur aliquot obiectiones.*
4 *Soluuntur.*
5 *In casu dubio, an hæc censenda sint priuilegia personalia, an realia.*

1 Tertiò diuiditur priuilegium in gratiosum, & remuneratorium. Remuneratorium priuilegium dicitur, quod alicui conceditur in præmium, & satisfactionem meritorum eius, vel suorum parentum, vel consanguineorum. Gratiosum verò, in quo non habetur respectus ad vlla merita tanquam merita. Concedens enim priuilegium dupliciter se gerere potest in illius concessione. Primò purè gratiosè, cui gratiæ non obstat respectus ad merita priuilegiati, tanquam ad causam impellentem, & mouentem ad concessionem; obstat tamen, si respiciat merita, tanquam merita, & pretium; pro quibus, & in quorum satisfactionem, & præmium intenditur priuilegium concedi. Si ergo priuilegium merita, vt merita non respiciat, erit priuilegium gratiosum: si autem illa, vt merita spectet, & priuilegij concessione velit illa remunerari, & quodammodo satisfacere, censebitur priuilegium remuneratorium; in hac enim explicatione omnes Doctores conueniunt.

Quartò, diuiditur priuilegium in conuentionale, & purum. Conuentionale autem priuilegium, vt ex ipsis terminis constat, est, quod ex conuentione, & pacto conceditur. Non conuentionale, seu purum, quod omni conuentione, & pacto caret.

Dices conuentionem priuilegio stare, quia quæ debentur ex conuentione, sunt debita; priuilegium autem est gratia, vt diximus: gratia autem debito opponitur. Ergo.

Respondeo, de ratione priuilegij solùm est facultas alicui concessa extra id, quod à iure habet, quæ de se gratia est: quòd autem hæc facultas, & gratia concedatur ex debito, vel ex liberalitate, nihil interest ad priuilegium: vt bene dixit Suarez *lib. 8. de priuileg. cap. 4. num. 9.*

2 Sed inquires, an quodlibet ex his priuilegiis possit esse reale, vel personale?

Respondeo & posse esse reale, & personale, quia siue purè, siue ex pacto, siue in remunerationem, siue gratiosè priuilegium concedatur, potest concedi personæ, vel officio limitato tempore, vel in perpetuum. Ergo ex se indifferens est, vt personale sit, vel reale; quare attendenda sunt verba priuilegij, & materia circa quam versatur, vt inde colligatur, an priuilegium reale sit, vel personale.

3 Sed obiicies, quia priuilegium remuneratorium non videtur posse esse reale; econtra verò priuilegium conuentionale non videtur esse posse personale. Ergo supradicta doctrina non subsistit: quòd autem priuilegium remuneratorium non possit esse reale, hoc est, ad hæredes, & successores transire, inde probatur; quia ad ipsos non transeunt merita, ob quod priuilegium est concessum. Ergo neque priuilegium transire potest; priuilegium enim remuneratorium debet habere merita, quæ remuneret. Ergo vbi non habet merita, quæ remuneret, priuilegium remuneratorium esse non potest. Et confirmo ex *l. 69. ff. de regul. iur.* ibi, *in omnibus causis id obseruatur, vt vbi personæ conditio locum facit beneficio, ibi deficiente ea, beneficium quoque deficiat.* & ex *l. 1. ff. de constitut. Princip.* vbi Vlpian. dicit, *Quæ Princeps alicui ob merita indulsit, vel si quam pœnam irrogauit, vel si cui sine exemplo subuenit, personam non egreditur.* Ergo priuilegium concessum ob merita alicuius, illius personam non egreditur: siquidem conditio ipsius locum fecit beneficio, ac proinde ea deficiente, beneficium deficere debet. Quòd autem priuilegium conuentionale personale esse non possit, inde probatur, quia fundatur in pacto, & non in persona. & ratione pacti neque ab ipso concedente reuocari potest. Ergo est priuilegium reale, & de se perpetuum.

4 Facilis est horum solutio. Dico ergo priuilegium remuneratorium non exigere actu merita, quando est, sufficit, si aliquando præcesserint; propter merita enim præterita tibi priuilegium remuneratorium concedi potest; imò propter merita tuorum parentum, vel consanguineorum: illa enim merita in te remunerantur, & illud priuilegium remuneratorium est, non tuorum meritorum, sed aliorum, quæ tibi applicantur.

Ad confirmationem desumptam ex *regul. 69.* concedo, vbi personæ conditio locum facit beneficio, taliter, quòd beneficium à conditione personę pendeat in esse, & conseruari, deficiente ea, beneficium quoque deficere. Quia tunc est priuilegium personale, qualitatem personalem respiciens. At quia sæpè personæ conditio locum fecit beneficio, quod beneficium non dependet in sui conseruatione à conditione, quæ illius fuit occasio; ideo tale beneficium non semper finitur deficiente persona, sed ad successores transire potest. Ad legem illam primùm concedo priuilegia, quæ Princeps alicui ob merita indulsit, vel gratis donauit, personam illius cui sunt concessa, non egredi; per consequentiam, inquam, similitudinem, & exemplum, quia *in regul. 74. de regulis iuris, in 6.* dicitur, *Quod alicui gratiosè conceditur, trahi non debet ab alijs in exemplum.* Hoc tamen non obstat, quominus per identitatem possint personam egredi, & ad successores transire. Quod si rectè expendatur, non est propriè egredi personam, cui sunt priuilegia concessa; siquidem à principio non fuerunt vni, & singulari personæ concessa, sed multis, scilicet omnibus ex familia, vel successoribus in dignitate. Alia verò obiectio de priuilegio conuentionali difficultatem non habet. Concedo ergo priuilegium conuentionale fundari in pacto, tanquam in occasione, & causa, ob quam est concessum: non tanquam in fundamento, cui annectatur ipsa concessio; est enim pactum occasio concessionis, non materia illius.

5 Sed vlteriùs inquires, quid in casu dubio censendum sit, an priuilegium reale, an personale? Et quidem de priuilegio conuentionali regulariter censendum est reale, ex *l. 2. ff. de iure immunitatis.* Ratio est, quia huiusmodi priuilegium rationem contractus sortitur, qui regulariter ad hæredes transit, ex *l. iurisgentium, §. pactorum, ff. de pactis.* Menochius *de præsumpt. lib. 3. præsumpt. 103. num. 22.* Barbosa *in l. quia tale, ff. soluto matrimonio, num. 6. ad finem.* De priuilegio autem remuneratorio censeo probabilius in casu dubio personale esse, quia merita,

merita, in quibus fundatur, personalia sunt: sic Menochius plures referens *suprà num.12.* Barbosa *n.6.* Basil. *lib.8.cap.18.§.1.n.9.*

§. IV.

De priuilegio affirmatiuo, & negatiuo, communi, & singulari, fauorabili, & odioso.

1 *Explicatur affirmatiuum, & negatiuum, & quomodo distinguantur.*
2 *Priuilegium commune, & singulare expenditur.*
3 *Fauorabile, & odiosum declaratur.*

1 Quintò priuilegium sicut & lex, & præceptum diuidi solet in affirmatiuum, & negatiuum. Diuisio est ratione materiæ priuilegij. Affirmatiuum priuilegium vocatur, quod facultatem concedit ad aliquid efficiendum: negatiuum, quod concedit facultatem ad omittendum. Multipliciter autem hæc differunt. Primò differunt, quia priuilegium affirmatiuum aliquando est contra ius commune, aliquando est præter illud, quia in actione consistit, quæ potest esse, & iuri communi aduersa, vel saltem ab illo non concessa: sic priuilegium concessum ingrediendi monialium monasteria, est contra ius commune, & priuilegium lucrandi indulgentias, eligendi Confessorem præter ius commune. At priuilegium negatiuum semper est contra ius certum, vel saltem dubium; quia esse non potest priuilegium, nisi concedat facultatem aliàs non habenti: at quilibet habet potestatem omittendi ea, ad quæ facienda nullo iure tenetur. Ergo ad hæc omittenda non datur priuilegium. Dixi, contra ius certum, vel dubium, vt comprehenderem omne priuilegium tam declaratiuum facultatis, quàm concessiuum illius, quando enim ius dubium est, & non obligat nisi ex ignorantia, & scrupulo alicuius; tunc priuilegium, quod illi conceditur, non est propriè priuilegium, quia non est concessio alicuius facultatis aliàs non habenti, sed est declaratio facultatis incognitæ, quam habebat. Hinc est secunda differentia priuilegij affirmatiui à negatiuo; quia negatiuum semper est oppositum positiuo præcepto: at affirmatiuum non semper est oppositum præcepto, & quando ei opponitur, negatiuo præcepto opponitur. Alij tertiam differentiam addunt, quia priuilegium negatiuum amitti non potest per non vsum, seu omissionem; secus verò affirmatiuum. Quod verum habet, si non vsus intelligatur de non vsu, seu omissione legis communis, quia per talem omissionem, & non vsum legis priuilegium seruatur. Quomodo ergo amitti potest? At si intelligatur de non vsu, & omissione ipsius priuilegij, potest sicut & affirmatiuum priuilegium deperdi.

2 Sextò diuiditur priuilegium in commune, & singulare. Voco priuilegium commune, quod ob finem boni communis, immediatè conceditur. Singulare, quod ob bonum alicuius singularis est immediatè concessum. Notanter apposui particulam *immediatè*: nam omne priuilegium siue concessum communitati, siue concessum singulari personæ, semper est ob finem communis boni vltimatè, quia ad bonum commune spectat priuilegia indigentibus, & benemeritis concedi: sed non obinde debent dici priuilegia communia, & ob finem boni communis immediatè concessa, sed singularia; quia licèt multis cõcedantur, cuilibet tamen conceditur, quatenus talis est. At priuilegium, quod ob finem boni communis immediatè conceditur, primò, & per se communitati conceditur, & inde ad singulos deriuatur, non qua singuli sunt, sed qua partes sunt illius communitatis. Exemplum est manifestum in priuilegio concesso clericis, ne ad tribunal sæculare trahantur, quod est concessum statui clericali primò, & inde ad quoslibet clericos deriuatur, quatenus partes sunt illius status. Huic ergo priuilegio communi nemo potest renuntiare, ex *cap. si diligenti, de foro compet. cap. contingit, de sentent. excommun. & l. ius publicum, ff. de pactis.* quia nemo potest renuntiare, quod sibi directè concessum non est, esto illo fruatur. bonum enim commune pendere non debet à cuiusque voluntate. Item ipse non potest renuntiare esse partem illius communitatis, cui concessum est priuilegium. Ergo nec priuilegio, quod illi aduenit, quatenus est pars, & membrum communitatis. Priuilegio autem in commodum vniuscuiusque introducto cedere quiuis potest, ex *cap. ad Apostolicam, de regularibus, & l. si quis in conscribendo, C. de pactis.* tum quia non decet beneficium inuito concedi: tum & præcipuè, quia si in commodum ipsius est priuilegium, ipse constituitur illius dominus, ac proinde renuntiare poterit. Limitanda tamen est hæc doctrina, nisi priuilegium concessum in gratiam vnius, respiciat etiam commodum alterius, & vnum ab alio separari non possit, quia tunc ab vno tantùm non poterit renuntiari; aliàs posset renuntiare priuilegio alterius. Qua ratione dicitur vxorem non posse renuntiare priuilegio senatusconsulti Velleiani, non se obligandi fideiussione sine consensu mariti; quia tam in fauorem vxoris, quàm mariti hoc priuilegium est vxori concessum. Idem est, si priuilegium concessum in fauorem tui, esset etiam directè concessum in vindictam alterius; quia tunc tali priuilegio renuntiare non posses, eo quòd non possis intentionem legislatoris, quæ tuum consensum non respicit, impedire. sic Bonacina *disput.1. quæst.3. punct.1. num.10.* Suarez *lib.8.cap.6. à num.1.* Salas *disp.17 sect.2. num.24.*

3 Septimò diuiditur priuilegium in fauorabile, & odiosum. Fauorabile est, quòd ita fauorem continet, vt nemini incommodum afferat. Tale est priuilegium audiendi Missam tempore interdicti, vescendi lacticinia, vel carnes tempore Quadragesimæ, faciendi testamentum sine iuris solemnitate, & alia similia. hæc enim etsi obseruationi iuris communis opponantur; quia tamen nemini specialiter præiudicium afferunt, fauorabilia priuilegia absolutè dicenda sunt. Odiosum verò priuilegium è contra dicitur, quòd ita fauet priuilegiato, vt simul alteri noceat: tale est priuilegiũ, quo exemptus es à decimarum solutione; nocet enim illi, cui decimæ debebantur, etsi tibi prosit. Item priuilegium, quo capax es habendi plura beneficia, cedit enim in præiudicium aliorum. Simile est priuilegium concessum ad lites, & maximè si datur, vt procedat iudex appellatione remota, quia hæc omnia etsi tibi faueant, aliis damnosa sunt. sic Panormit. *in cap. quia, de priuileg. & cap. olim, de verb. signific.* Bald. *in l.1. ff. de constit. Princip.* Tiraquel. *de vtroque retractu, in præfat. num.62.* Azor *lib.5. cap.23. quæst.2.* Bonacina *disp.1. quæst.3. punct.1. num.21.* Suarez *lib.8. cap.6. num.5.*

§. V.

De priuilegio scripto, & non scripto pro foro conscientiæ & externo.

1 *Quid sit priuilegium scriptum, & an transumpto fides habenda sit? quid non scriptum.*
2 *Consuetudine comparari potest priuilegium.*
3 *Proponitur quædam obiectio, & soluitur.*
4 *Explicatur priuilegium pro foro conscientiæ, & pro foro externo.*
5 *An priuilegium pro foro conscientiæ intelligatur pro foro sacramentali? approbatur non intelligi.*
6 *Imò neque concessum pro foro pœnitentiæ importat necessariò*

cessariò forum sacramentale, quidquid contrà sentiat Sanchez. & alij.

1 OCtauò diuiditur priuilegium in scriptum, & non scriptum. Scriptum priuilegium est, quod per scripturam conceditur. Debet autem scriptum esse authenticum, & obsignatum Principis sigillo, vt fidem saltem in foro externo faciat. Si autem velis transumptum aliquod deducere, debes citare partem, cuius interest, aliàs nullam fidem facit transumptum, sic deductum ex originali.

At si priuilegium nulli specialiter opponitur, debes edicto generali vocare; si aliquis fortè est, cui intersit tale priuilegium, vt compareat ad contradicendum. sic Couarr. *quæst. practic. cap. 2. circa finem.* Baptista de Salas *in sum. verbo priuilegium, fol. 199. col. 1.* Emanuel Rodriq. *quæst. regul. quæst. 8. art. 16.* & probant omnes, ex *cap. Albericus, de testibus.* Verùm post Clementem V. ferè semper in omnibus priuilegiis specialiter religionibus concessis, apponunt Pontifices clausulam, vt transumptis, etiam impressis habeatur integra fides, modò sint manu Notarij publici subscripta, & sigillo personæ in dignitate constitutæ munita, vt videri potest in omnibus bullis. Imò Iulius II. vt refert Emanuel Rodriq. *tom. 1. regul. qq. quæst. 8. art. 16.* vnum sufficere concessit, vel transumptum obsignari manu Notarij publici, vel sigillo personæ in dignitate constitutæ. quod priuilegium non censetur reuocatum, ait Eman. etiam si Pontifices subsequentes vtrumque ad fidem expostulent, subintelligitur enim, nisi aliud sit specialiter concessum. Priuilegium non scriptum est, quod verbotenus à Principe est concessum, vel consuetudine est introductum. Supponimus modò ex dicendis in puncto seq. scripturam non esse de substantia priuilegij, sed consensum Principis, quomodocumque manifestetur, sufficere.

2 Difficultas autem est, an huiusmodi consensus in consuetudine inueniatur, ac proinde priuilegium consuetudine comparari possit?

Respondeo cum communi omnium sententia posse. sic glossa *in cap. super quibusdam. §. præterea, verbo non extat, de verbor. significat. & in cap. nouit, de iudicijs, verbo consuetudinem, & in cap. conquestus, 9. quæst. 3.* Innocent. *cap. constitutus, de rescriptis.* Suarez *lib. 8. cap. 7. à num. 5.* Bonacina *disp. 1. quæst. 3. punct. 1. num. 3.* Salas *disp. 17. sect. 2. num. 21.* Ratio est, quia consuetudo legalis vim habet abrogandi legem in totum, vel in parte, si de communitate procedat, sed talis abrogatio verè priuilegium est. Si autem consuetudo non sit ab aliqua communitate, quæ legem introducere possit, sed ab aliqua familia, vel singulari persona; tunc idem est, ac præscriptio: præscriptione autem acquiruntur varia iura, & facultates, & iurisdictiones, vt constat ex *cap. cum contingat, de foro competenti*, vbi id notat glossa, & Panormit. Felin. *cap. auditis, num. 17. de præscription. & cap. super quæstionum. §. si verò, de officio delegati, num. 17.* Cassanæus *in consuetudinib. Burgundiæ rub. 1. §. 6. verbo du prince, num. 13.* Hæc autem reputari debent, & verè priuilegia sunt. Consensus autem Principis ad huiusmodi consuetudinem legalem, vel præscriptionem subsequens non requiritur. Sufficit enim datus *in l. de quibus, ff. de legib. & cap. vlt. de consuetud.* vt loquendo de consuetudine diximus. Quocirca omnes conditiones, quæ ad consuetudinem legalem, vel præscriptionem requiruntur, eæ omnes requiruntur ad hoc priuilegium, siquidem media consuetudine legali, vel præscriptione debet introduci. Cùm autem ad consuetudinem legalem, & ad præscriptionem diuersæ conditiones requirantur, vt constat ex supradictis de consuetudine, ad consuetudinem legalem diximus sufficere decennium, ad præscriptionem non semper, sed pro qualitate rei præscribendæ. Ad consuetudinem introducendam non expostulatur bona fides, secus ad præscriptionem. Diuersæ etiam conditiones requiruntur ad priuilegium consuetudine legali, vel præscriptione comparatum.

3 Sed obiicies sequi ex hac doctrina, quoties reuocantur alicui priuilegia, reuocari ea, quæ consuetudine, & præscriptione comparauit; siquidem verè, & propriè priuilegia sunt. Consequens autem communiter non admittitur. Ergo non sunt verè priuilegia.

Respondeo negando sequelam, & ad probationem dico, etsi iura, & facultates consuetudine, vel præscriptione comparatæ verè, & propriè priuilegia sint, quia tamen nomen priuilegij pro priuilegio specialiter à Principe concesso sumitur communiter: ea de causa in materia odiosa, qualis est reuocatio, non debent venire intelligenda, quæ consuetudine, vel præscriptione comparata sunt. sic docuit Salas *disp. 17. sect. 2. num. 21.* Bonacina *disp. 1. quæst. 3. punct. 1. num. 3.* Suarez *lib. 8. cap. 7. à num. 10. & præcipuè num. 15.* Et fauent omnes illi, qui dicunt, priuilegium hoc esse præsumptum, seu fictum fictione iuris, quos refert Suarez *suprà num. 6.* Verùm si sermo sit de augmento, & extensione aliqua fauorabili, optimè possunt consuetudines, & præscriptiones sub nomine priuilegij comprehendi, quia verè sunt priuilegia; & nulla apparet ratio, quare talis fauor illis competere non possit.

4 Nona diuisio priuilegij in priuilegium pro foro conscientiæ tantùm, & in priuilegium pro foro externo, est satis vsitata, & cognitu necessaria. Priuilegium datum pro foro conscientiæ tantùm, ita prodest priuilegiato in illo foro, vt non possit in exteriori foro virtute illius operari, sed debet se exteriùs gerere, ac si nullo priuilegio gauderet. At priuilegium datum absolutè, seu datum pro foro externo, non solùm in illo foro prodest, sed etiam pro foro conscientiæ. nam securus in conscientia procedit, qui virtute talis priuilegij operatur. Quod intelligendum est, quando verè priuilegium est, & non præsumptum, seu subreptitiè acquisitum: nam tunc licèt in exteriori foro videatur esse priuilegium; re tamen ipsa nullum est, sed solùm præsumitur.

5 Difficultas autem est, an idem sit priuilegium datum pro foro conscientiæ, & pro foro pœnitentiæ? Negat Eman. Rodriq. *tom. 1. quæst. regular. quæst. 61. art. 10.* & Thom. Sanchez *lib. 8. de matrim. disp. 34. num. 29.* hi enim Doctores distinguunt cum Præposito *cap. præterea, el 2. num. 5. de sponsalib.* triplex forum; primò contentiosum; secundò pœnitentiale; tertiò quasi pœnitentiale, quod est medium inter hæc, quódque vocatur conscientiæ: quando ergo priuilegium concessum est pro conscientiæ foro; existimant ij Doctores extra sacramentum Pœnitentiæ exerceri posse: at si concessum sit pro foro pœnitentiæ, solùm in foro sacramentalis pœnitentiæ exercendum esse. Assentior his Doctoribus, qua parte dicunt priuilegium concessum pro foro conscientiæ non expostulare forum sacramentale, cùm multa ad conscientiam pertineant, quæ extra sacramentum exerceri possint, vt benè dixit etiam Nauarr. *lib. 5. consil. tit. de priuilegijs, consil. 11. num. 2. in 2. editione, & in summ. cap. 27. num. 41.* Idem docet Eman. Saa *verbo excommunicatio*, vbi de absolutione, *num. 1.* Quare priuilegium pro conscientiæ foro concessum, solùm importat vsum occultum illius, minimè deseruientem iudiciali foro, nullóque modo expostulantem sacramentalem confessionem, nisi materia priuilegij aliud indicet.

6 Dissentio tamen à Thom. Sanchez, Eman. Rodr. & Præposito, quatenus affirmant priuilegium concessum pro foro pœnitentiæ, seu pœnitentiali, importare confessionem necessariò. Pœnitentia enim Ecclesiastica sæpè extra confessionem sacramentalem imponitur, vt cùm aliquis ab excommunicatione solemniter absolui-tur,

tur, talis absolutio pœnitentialis est, & in foro pœnitentiæ datur, & tamen non datur in foro sacramentali. Quocirca forum pœnitentiæ à foro conscientiæ in eo solùm existimo distinguendum, quòd forum conscientiæ comprehendit quidquid ad conscientiam pertinet, quod non solùm est remotio cuiuscumque mali, & peccati, sed etiam cuiuscumque boni concessio. Vtile enim est conscientiæ, non solùm tollere ab illa mala, quæ habet, sed etiam fauores aliquos, & bona, quibus capax est, concedere. At forum pœnitentiæ solùm comprehendit culpam, vel malum aliquod, & vinculum, pro quo tollendo pœnitentia facienda est; cùm autem hoc vinculum, & malum sæpè possit tolli extra sacramentum Pœnitentiæ; manifestè videtur inferri priuilegium concessum pro foro pœnitentiæ, non semper importare forum sacramentale, sed solùm quando malum, quod tollendum est, alia via tolli non possit, quàm per sacramentalem confessionem, quod malum solum est culpa, & peccatum, non censura, & pœna; & ita docet Suarez, adducens Syluest. Rosellum, Antoninum, & Tabien. *lib.* 8. *de legibus*, *cap.* 6. *num.* 15. insinuat Basilius de Leon *lib.* 8. *cap.* 21. *num.* 17. Quod adeò verum est (inquit Suarez) vt etiamsi indultum committatur Sacerdoti confessori, vel qui audit confessiones, non debeat ob id intelligi exercendum necessariò in sacramento Pœnitentiæ; quia illis verbis solùm indicatur qualitas personæ eligendæ, non actualis vsus confessionis. Idem docet Thomas Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disput.* 34. *num.* 29.

Ex qua doctrina infero cum ipso Suarez *num.* 16. indultum datum Episcopis in Trident. *sess.* 24. *cap.* 6. de absolutione à qualibet censura, & impedimento occulto in foro conscientiæ, iniuncta pœnitentia salutari, non indigere ad sui executionem sacramento Pœnitentiæ, sed extra illud imponi posse pœnitentiam salutarem. Idémque esse in foro conscientiæ iniuncta pœnitentia salutari, ac in foro pœnitentiæ, vel pœnitentiali.

§. VI.

De priuilegio ad instantiam partis, vel motu proprio concesso.

1 *Quæ sint hæc priuilegia.*
2 3 *Probarine possit testibus priuilegium esse motu proprio concessum.*
3 *Clausula motus proprij in priuilegio tollit vitium subreptionis, ex communi sententia.*
4 *Intelligitur, si nulla à te facta sit supplicatio.*
5 *Tametsi supradicta gratia careat vitio subreptionis, potest ex alijs capitibus infirmari.*
6 *Si concedens priuilegium exprimit in concessione falsitatem, nullum est.*
7 *Quid si supplicationem facias diminutam, & concedens apponat clausulam ex motu proprio? probabilius censeo valere, esto doctissimus Suarez contrarium defendat.*

1 Illud dicitur priuilegium concessum ad instantiam partis, quando propter instantiam priuilegiati, vel alterius, qui eius partes gerit, conceditur, aliàs non concessurus. Econtra verò illud dicitur motu proprio concessum, in cuius concessione Princeps à se ipso mouetur independenter à qualibet alia intercessione. Sed quia hæc motio, & voluntas Principis constare non potest, nisi ipse eam declaret, imbibit enim vniuersalem negatiuam ex nullo alio motum esse, cuius probatio moraliter impossibilis est: ea de causa nunquam censetur priuilegium, & gratia motu proprio concessa, nisi in ipsa concessione sic exprimatur: deciditur *in cap. si motu proprio, de prebendis, in* 6. Neque inde fit excludi à tali gratia, & priuilegio petitionem priuilegiati; poterat enim petiisse priuilegium, & nihilominus priuilegium non ob eius petitionem, tanquam ob causam finalem, sed ex voluntate Principis esse concessum, quia concedit ex sua voluntate, sicut petitum est, non quia petitum est. & ita ex Baldo, Decio, Felino, & aliis tradit optimè Menochius *lib.* 2. *de arbitrar. centur.* 3. *casu* 201. *num.* 79. Rebuff. *in concord. in forma mandati Apostol. verbo motu proprio, versic. notandum est. & praxi beneficiaria tit. de mandat. Apostol. in clausulis mandatorum, num.* 21. Thomas Sanchez *lib.* 8. *de dispens. disp.* 1. *num.* 6. Suarez *de legib. lib.* 8. *cap.* 12. *n.* 6. *&* 7. & alij apud præcitatos Doctores.

2 Ex qua doctrina infert bene Suarez, & Sanchez *suprà*, alios allegans, & Mascard. *de probat. conclus.* 845. *num.* 34. non posse testibus probari gratiam esse motu proprio concessam; quia non possunt testificari de illa vniuersali negatiua, à nullo moueri Principem in concessione. At si Princeps semel id expresserit, & rescriptum deperdatur, possunt testes deponere in illo appositam esse clausulam motu proprio. sic Sanchez *suprà*. Mascard. *num.* 24. Addo etiam posse probari testibus, si gratia verbo tenus concessa fuisset, & testes deponerent concedentem dixisse se motu proprio concedere.

3 Sed inquires, an clausula motus proprij apposita in priuilegio tollat vitium subreptionis?

Communis sententia affirmat tollere vitium subreptionis, quæ prouenire potest ex taciturnitate veritatis, alioqui necessariò explicandæ; secus verò ex falsæ causæ expressione. sic Menochius *lib.* 2. *de arbitrar. centur.* 3. *casu* 201. *num.* 80. Thomas Sanchez *lib.* 8. *de dispensat. disput.* 21. *num.* 47. *&* 52. Mouentur, quia ex tacita veritate non colligitur, an concedens bene, vel malè informatus gratiam proprio motu concesserit: at quando falsa causa exprimitur, satis constat illa informatum esse, & cùm ex falsa informatione motus fuerit ad concessionem, concessio nullius momenti erit.

4 Cæterùm dicendum est primò, si nulla à te, vel pro te facta est supplicatio, sed Princeps motus est à se priuilegium concedere, & in concessione nullam falsitatem exprimit, & si taceat ea, quæ alioquin exprimenda essent, gratia firma est, neque vllum habet vitium subreptionis: sic Doctores suprà relati, & tradit Suarez *lib.* 8. *de legibus, cap.* 12. *num.* 14. & est expressa decisio textus *in cap. si motu proprio, de prebendis, in* 6. *& Clement. si Romanus, eodem tit.* Ratio est manifesta, quia vbi nulla à te, vel pro te facta est supplicatio, nulla surreptio interuenire potest; ad summum enim interuenire potest ignorantia ex parte concedentis, quæ non debet præsumi.

5 Nihilominus, etsi gratia sic concessa vitio subreptionis careat: at non inde infertur semper firmam, & validam esse, potest enim ex aliis capitibus irritari. Primò enim irrita redditur, si alioqui inhabili concedatur; vt si illegitimo, excommunicato, aut irregulari concedatur beneficium, non impetrata priùs dispensatione illius impedimenti: quia hæc clausula motus proprij solùm significat moueri concedentem à se, & non ab alio in priuilegij concessione; non autem significat se dispensare in impedimentis, & inhabilitatibus illius. sic glossa *in supradicto cap. si motu proprio, verbo ob hoc, per textum ibi.* Rebuff. *in concordatis, tit. de forma mandati Apostolici, in clausula motus proprij, in* 6. 7. *&* 10. *effectibus.* Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *centur.* 3. *casu* 201. *num.* 81. *&* 82. Thomas Sanchez *lib.* 8. *disput.* 21. *quæst.* 3. *num.* 49. Suarez *lib.* 8. *cap.* 12. *num.* 14. *fine.* Secundò inualidatur gratia, si cedat in præiudicium tertij, quia non censetur concedens iuri acquisito derogare, nisi illius faciat mentionem; item si sit aduersùs constitutum municipale,

pale, & consuetudinem receptam ob eandem rationem. sic Rebuff. Menoch. Thom. Sanchez *suprà*. Gigas *de pensionib. quæst. 9. num. 4. & 5. & quæst. 29. num. 4. & 5.* in quibus alia exempla videri possunt, quæ quia materiam de beneficiis Ecclesiasticis attingunt, omitto, latiùs in proprio tractatu dicturus.

6 Dicendum secundò, si concedens priuilegium falsitatem exprimit in concessione, qua non extante non solet priuilegium sic concedi, siue tu illius falsitatis fueris occasio, siue aliunde in mentem concedentis obuenerit, gratia irrita redditur, esto addat clausulam, *Motu proprio*; quia tunc non censetur Princeps concedere priuilegium, nisi quatenus intelligit rem sic se habere. Cùm ergo aliter sit, ac ipse existimat, efficitur non habere intentionem concedendi: & ex defectu intentionis gratia est irrita. Neque obstat se dicere proprio motu concedere, concedit enim proprio motu, posita veritate talis relationis. Ex quo fit inualidam esse dispensationem concessam in impedimento consanguinitatis, si in tali dispensatione ipse Pontifex referat puellam pati iacturam honoris, & innuptam mansuram; cùm tamen hoc falsum sit, esto addat clausulam motus proprij, quia hæc subintelligitur posita veritate supradictæ relationis, quæ cùm non sit, non subsistit concessio. Idem est in collatione beneficij Ecclesiastici, cuius valorem falsò expressit Pontifex, non valet vtique, quantumuis habeat clausulam motus proprij. & alia plura exempla his similia adduci possent, quia, vt benè dicit Menoch. *num.* 83. ex Rota *decis. 10. n. 2. de rescriptis in nouis*, & ex communi sententia, multa expressa nocent, quæ tacita nocere non possent, & ita tenet Staphileus *de litteris gratiæ, tit. de vi, & effectu clausularum, in clausula, motu proprio. effectu 7. num. 3.* Menoch. *suprà num. 83. & seq.* Sanchez *num. 52.* Suarez *num. 15.* & alij ab eisdem relati.

7 Verùm si supplicationem facias diminutam pro priuilegio obtinendo, & Princeps ex illa moueatur concedere priuilegium, aliàs cognita veritate non concessurus, esto addat clausulam motus proprij, existimat Suarez *suprà num. 16.* cum Panormit. & aliis irritam esse concessionem, quia deficit intentio concedentis. Crederem tamen in præsenti validam esse, quia omnes Doctores, qui supponunt taciturnitatem veritatis non vitiare gratiam ex motu proprio concessam, supponunt petitam esse: & videtur apertè constare ex *Clement. si Romanus, de præbendis, & ex supradicto cap. si motu proprio.* Ergo si ex petitione diminuta redditur concessio nulla, nullus est casus, in quo propriè ex taciturnitate veritatis facta à priuilegiario valeat gratia. Neque clausula motus proprij aliquid speciale operaretur in priuilegio, vbi priuilegiatus supplicationem fecit, quod est contra communem sententiam, vt videre est in Menochio, Sanchez, & aliis *suprà*. Quocirca etsi Princeps fortè non concessurus esset priuilegium, si veritatem integrè cognosceret; at absolutè vult concedere, & hunc defectum supplere, eo ipso, quòd addit ex motu proprio se concedere. Aduerte aliquando ob diminutam relationem priuilegij concessionem esse nullam; quod contingit, cùm relatio est occasio, vt res diuersa ab ea, quæ conceditur, intelligatur; si enim petens beneficium Ecclesiasticum taceas esse regulare, vel hospitale, vel vnitum alteri, concessio nulla est, etiamsi fiat motu proprio, non tam ob taciturnitatem veritatis, quàm ob defectum intentionis in concedente; intendit enim concedere beneficium commune, quia ita per se fuit repræsentatum; non tamen intendebat concedere illis qualitatibus affectum: atque adeò rem diuersam concessit ab ea, quam intendebas, eáque de causa fuit concessio nulla. Vnde cùm dicimus taciturnitatem veritatis, non vitiare gratiam, intelligitur de taciturnitate veritatis extrinsecæ rei, & quæ illam non mutat, non de qualitate aliqua intrinseca, quæ rem esse facit diuersam, & ita tenet Abbas *cap. ad aures, num. 3. de rescriptis.* Rebuff. *in concordatis, tit. de forma mandati, in clausula, motu proprio, in 5. effectu.* Sanchez *lib. 8. disp. 21. num. 51.* Menoch. *de arbitr. lib. 2. cent. 3. casu* 201. *num. 80. & seqq.*

§. VII.

De priuilegio absolutè, vel sub conditione, aut modo concesso.

1 *Quid sint explicatur.*
2 *Quando omissio operis, sub cuius onere priuilegium fuit concessum, irritet eius vsum? sub distinctione respondetur.*
3 *Si detur tibi facultas dispensandi, absoluendi, puniendi cum consilio alicuius, si omittas consilium petere, nulla est dispensatio, absolutio, &c.*
4 *Intelligitur doctrina de opere expostulato, quod de iure non inest.*

1 SAtis communis, & vulgaris est diuisio priuilegij in absolutè concessum, vel sub conditione, aut modo. Illud dicitur concessum absolutè, quod sine vllo onere priuilegiarij conceditur. Econtra illud sub conditione, aut modo, quod conceditur sub onere alicuius operis efficiendi.

2 Difficultas ergo est, quando omissio operis, sub cuius onere priuilegium conceditur, irritet eius vsum? & quidem si opus iniunctum possit fieri post priuilegij vsum, nequaquam illius omissio irritum reddit priuilegij vsum, quia iam supponitur vsus legitimus priuilegij: hac ratione valida est absolutio à reseruatis, quam obtinuisti cum obligatione comparendi, cui obligationi, etsi non satisfacias, absolutio data, valida est; peccas tamen, quia sub illo onere tibi fuit hoc priuilegium absolutionis concessum. Idem est in facultate concessa per Iubilæum, etsi illud postea non lucreris; absolutio tamen priùs data tenet, quia opus subsequens expostulatur, vt onus priuilegij concessi, non pro conditione ad illud concedendum. At quando opus iniunctum antecedere debet priuilegium, communis sententia docet, nullum esse vsum priuilegij, si tale opus omittatur, quia tunc censetur concedens priuilegium, sub conditione illius operis concedere, & ex defectu intentionis priuilegium non operatur effectum. sic Suarez *lib. 5. cap. 13. num. 4. & seqq.*

3 Ex qua doctrina infert, si detur tibi priuilegium dispensandi, absoluendi, vel puniendi aliquem, cum consilio alicuius, & omittas petere, nullam esse dispensationem, absolutionem, vel punitionem à se factam, quia consilium natura sua antecedit actum: vt colligitur ex *cap. cùm in veteri, de electione.* vbi id notat glossa, Innocent. & Panormit. *in fine.* quare debes consilium priùs petere, non tamen obligaris sequi, quia in petitione consilij hoc non includitur; aliud enim est petere consilium, aliud consilio assentiri. Neque semper mandatur consilium expostulari, vt idipsum sequaris, sed vt meliùs instructus possis prudentiùs operari. At si tibi data esset facultas aliquid faciendi de consensu, vel cum consensu alterius; tunc necessariò sequi debebas beneplacitum illius: aliàs non de consensu, sed potiùs ex dissensu illius fieret opus. sic Suarez *suprà num. 6.* & adducit glossam *in cap. si pro te, de rescriptis in 6. verbo assensu, & in cap. 1. ne sede vacante in 6.* & Felinum *in cap. ex parte, de constitution. in princ.* Federicum Senensem *consil. 1. num. 4.*

4 Aduerte tamen supradicta intelligi debere de opere expostulato, quod iure ipso non inest priuilegio concesso; hoc enim si necessariò antecedere debeat priuilegij vsum, præsumi debet peti sub conditione, & sub illa

illa priuilegij vsum concedi. Verùm si opus expostulatur, quod alioquin ex iure ipso tenetur priuilegiatus facere, si vti priuilegio velit, tunc videndum est, an à iure expostuletur tale opus, vt substantialis forma, an vt solùm accidentalis? igitur eo modo, quo à iure expostulatur; sic præsumendum est concedentem priuilegium, expostulare illud à priuilegiato; neque aliud intendere per expressionem illius operis, quàm monere priuilegiatum, quid teneatur facere. Quæ omnia constant ex his, quæ diximus de lege irritante, quæ in præsenti accommodanda sunt.

§. VIII.

De priuilegio ad instar.

1 *Quid sit.*
2 *Debet habere effectum priuilegium, ad cuius similitudinem est concessum, alias non tenet concessio.*
3 *Proponitur quædam obiectio, & soluitur.*
4 *Quædam limitationes supradictæ sententiæ apponuntur.*
5 *An sub illa forma, Concedo tibi cathedram, seu canonicatum, sicuti tuus prædecessor habuit, censeantur tibi concessæ facultates personales prædecessoris? Sub distinctione respondetur.*

1 PRiuilegium ad instar vocatur, quod ad similitudinem, & exemplum alterius concessum est: si enim Princeps concesso alteri priuilegio dicat: Concedo tibi priuilegium idem, ac Petro concessi; tunc priuilegium tibi concessum vocatur priuilegium ad instar, quia est ad instar, & similitudinem priuilegij Petro concessi: ita vt omnem limitationem, vel extensionem, quam habuerit Petri priuilegium, habeat priuilegium ad instar: aliàs non erit perfectè ad instar illius. ita docet Nauarr. *comment. de Iubileo, notab. 26. num. 2.* Bonacina *disput. 1. quæst. 3. punct. 7. §. 1. num. 20.* Suarez *lib. 8. cap. 15. num. 2.* cum Bald. *in l. omnia, C. de Episcop. & cleric.* Mandos. *tract. de priuileg. ad instar, quæst. 4.*

2 Quapropter ad huius priuilegij valorem requiritur necessariò, vt priuilegium illud, ad cuius similitudinem est concessum, habeat effectum, & valorem, & sit verè priuilegium, aliàs nulla erit concessio. Nam cùm totum suum esse, sit esse aliud, si aliud priuilegium effectu caret, etiam priuilegium ad instar carebit effectu. Neque obstat Principem expressisse satis voluntatem concedendi tibi priuilegium; cùm enim non expresserit, quid concesserit, concessio eius fuit nulla, quia priuilegium debet esse de re certa, & determinata: facitque ad id *lex si sic legatum, 75. §. si mihi. ff. de legatis* 1. ibi, *si quantitas non sit adiecta, euidenti ratione nihil debetur; quia non apparet, quantum fuerit legatum.* sic docet Suarez alios referens *lib. 8. cap. 15. num. 6.* Bonacina *disput. 1. quæst. 3. punct. 7. num. 20.*

3 Sed obiicies *legem in testamento, 2. ff. de conditionibus, & demonstrat.* vbi cauetur, si testator iusserit fieri monumentum instar existentis in tali loco, & ibi nullum reperiatur, adhuc teneri hæredem monumentum statuere, iuxta vires hæreditatis; quia satis expressit velle monumentum construi; esto non appareat, quomodo sit construendum. Ergo idem erit in priuilegio, cùm satis expresserit Princeps se velle priuilegium concedere.

Respondeo esse longè diuersam rationem, primò, quia testator mandans monumentum construi, satis expressit, quid faciendum sit; potest enim fieri monumentum, esto non fiat simile alteri; ac proinde satisfieri voluntati testatoris in substantia, etsi non fiat satis in modo: at priuilegio vti non potes, nisi scias in qua materia, & quomodo vti illo debeas, ac proinde qui tibi per generalia verba priuilegium concessit simile alteri, quod nullum est, nullam tibi facultatem concessit, sed solum nomen priuilegij dedit, & animum concedendi significauit. Secundò est diuersa ratio in illo casu testamenti, ac in priuilegio; quia esto testator non expresserit, quid faciendum sit; ipse tamen hæres interpretari debet eius voluntatem, cùm vices illius gerat: at priuilegiato non committitur potestas interpretandi voluntatem concedentis, quia ad concedentem, vel eius successorem adire potest. Quapropter hæres tenetur monumentum facere, vt sibi ex coniecturata mente mandantis, visum fuerit; priuilegiatus verò non potest vllo priuilegio vti, quin ad concedentem, vel eius successorem adeat pro priuilegij explicatione.

4 Aduerto tamen, si aliquo modo Princeps in hoc priuilegio ad instar expresserit, quid concedat; vt si dicat, Concedo tibi hanc vel illam facultatem dispensandi in votis, eligendi Confessorem, &c. sicuti habet Petrus: tunc priuilegij concessio tenet, etsi Petri priuilegium nullum sit; quia per illam particulam, ad similitudinem priuilegij Petri, non irritatur concessio facta, & satis explicata; quia non apponitur vt conditio, sed exempli gratia: sic tradit alios referens Felin. *in cap. quoniam Abbas, de officio delegati, num. 11.* Mandos. *in tractat. de priuilegijs ad instar, quæst. 5.* Suarez *num. 7.* Bonacina *num. 10.*

Aduerto secundò, si priuilegium Petri fuit aliquando validum, & firmum, vsu verò, vel renuntiatione amiserit, & Princeps concedat tibi priuilegium, sicuti habet Petrus: probabiliter existimare poteris tuum priuilegium valere; quia videtur facta concessio de priuilegio ad similitudinem illius, quod Petro concessum fuit, & quod existimabas habere.

Aduerto tertiò, si augeatur, vel diminuatur, aut omnino tollatur Petri priuilegium post concessum tibi priuilegium ad instar illius, non obinde augeri, & diminui tuum priuilegium; quia Petri priuilegium fuit tantùm adductum in exemplum, & similitudinem, ad determinandam voluntatem concedentis; facta iam determinatione, & concessione tuum priuilegium ex alio non dependet. Item voluntas concedentis priuilegium ad instar, solùm attendit priuilegium Petri in exemplo secundùm statum, quem habebat tempore concessionis, quia solùm ad instar illius est facta concessio. Ergo ex varietate postea subsequenti in exemplari non variatur priuilegium ad instar. Quæ omnia satis confirmari possunt, argumento *legis in testamento, 2. ff. de condit. & demonstrat.* & docuit Mandos. *suprà q. 6. & 9.* Suarez *num. 3. & 4. & cap. 16. num. 17. fine.* vbi de priuilegij communicatione, quod idem est, ac priuilegium ad instar, vt statim dicemus. Bonacina *num. 20.* Eman. Rodriq. *tom. 1. qq. regul. q. 9. art. 9.*

5 Sed quid dicendum de illa forma: Concedo tibi cathedram, canonicatum, & beneficium, sicuti habuit tuus antecessor: an, inquam, succedas non solùm in his, quæ iure ordinario cathedræ, & beneficio sunt annexa, sed etiam in priuilegiis personalibus, si fortè illa habebat?

Ratio dubitandi est, quia in priuilegiis personalibus non datur successio, sed cum ipsa persona extinguũtur, ex *regul. priuilegium, de reg. iur. in 6.* Nihilominus dicendum est, si modus concessionis tibi factus nouus fuit, neque antea vsitatus, credendum est voluisse Principem transferre tibi non solùm canonicatum, & præbendam, cum his, qui ex iure ordinario ei erant annexa, sed etiam quæ ex particulari priuilegio illi annectebantur, quia aliàs ille specialis modus, & forma concessionis frustrà esset appositus: & ita docet aduersùs Barbos. *in l. quia tale, ff. solut. matrim.* Suarez *lib. 8. cap. 15. num. 11.* Quam doctrinam aliquo modo confirmatam vidi in Ecclesia Compostellana: vbi Ludouicus Henriquez obtinuit cantoriam, quæ etsi dignitatem tenet,

verè,

verè, & in re est canonicatus in illa Ecclesia, & simul etiam obtinuit alium canonicatum, obiit, & eius frater Antonius de Castro petiit à Pontifice vtramque præbendam, eo modo, quo suus frater obtinuerat; annuit Pontifex supplicationi: & licèt controuersum fuerit, an ex vi illius clausulæ, sicut prædecessor suus obtinuit, fuerit satis dispensatum, de facto iudicatum fuit in eius fauorem.

§. IX.

De priuilegio per communicationem concesso.

1 *Quotupliciter hoc contingat.*
2 *Numquam priuilegium vni religioni concessum, censetur alteri communicari, si obseruantia regularis inde minuatur.*
3 *Quid si in ipsis priuilegijs caueatur, vt non censeantur alijs communicata.*
4 *Restrictio facta religiosis Societatis* IESV *ne possint suis priuilegijs vti, nisi à Præposito generali fuerint communicata, non communicatur alijs religiosis, tametsi priuilegia communicentur.*
5 *Priuilegia Iubilea, & gratia concessæ alicui religioni in honorem alicuius sancti proprij ad alias transfertur, in communicatione proportione seruata.*

1 PRiuilegium per communicationem, est quando communicatur tibi priuilegium, quod alteri est concessum. Tripliciter autem hæc communicatio contingere potest. Primò, per quandam quasi extensionem eiusdem priuilegij, ita vt vnum, & idem priuilegium, quod aliquibus personis erat concessum, ad alios æquè extendatur, non per nouam concessionem, sed per aggregationem plurium subiectorum: ita vt concessio potius tendat ad applicationem eiusdem priuilegij ad plura subiecta, quàm ad noui priuilegij concessionem: & tunc cùm sit idem priuilegium, aucto, vel diminuto in his, quibus fuit primò concessum, augetur, & diminuitur in omnibus aliis. Secundo modo contingit communicatio priuilegij concessi, non per communicationem, & applicationem priuilegij ad plura subiecta æquè primò, & principaliter, sed secundariò; qua ratione priuilegium concessum religiosis extenditur ad moniales: & priuilegium concessum domino, extenditur ad eius seruos, non quidem æquè primò, sed accessoriè; cùm autem accessorium sequatur naturam principalis, aucto, vel diminuto principali, augetur, vel diminuitur accessorium. Tertiò, & principaliter contingit communicatio priuilegij per nouam priuilegij concessionem; sed quia illud priuilegium, quod denuo conceditur, est eiusdem rationis cum priuilegio antea concesso; ideo per quandam similitudinem, & imitationem dicitur priuilegium concessum communicari. & in hoc sensu communicantur priuilegia vnius religionis alteri religioni: neque inter huiusmodi priuilegium, & priuilegium ad instar inuenio aliquam in se differentiam, sed solùm secundùm maiorem, vel minorem explicationem. Quapropter omnia illa, quæ dicta sunt de priuilegio ad instar, intelligi debent de hac priuilegij communicatione. Sæpè tamen non solum priuilegium concessum communicatur, sed etiam concedendum: vt patet ex Bulla Pij V. Societati concessa, quæ incipit, *Cùm indefessæ*; vbi non solùm priuilegia concessa aliis religionibus, sed & concedenda communicantur; debet tamen hoc exprimi, aliàs non intelligetur communicari priuilegium nisi secundùm statum, quem habet tempore communicationis.

2 Sed circa hanc priuilegiorum communicationem est primò aduertendum, non communicari priuilegia alicuius religionis alteri, si ex eius communicatione obseruantia regularis labefactetur; quia Pontifex non intendit religionem destruere, sed potiùs fouere. Quocirca priuilegia concessa ordinibus militaribus habendi proprium, testandi, &c. siue concessa sint per modum dispensationis, siue ob aliquos fines superiores religionibus mendicantibus non communicantur; quia sui monasterij rectæ gubernationi obessent; sic Manuel Rodriq. *tom.* 1. *qq. regul. quæst.* 55. *art.* 2. Suarez *lib.* 8. *cap.* 17. *num.* 3. *&* 4.

3 Secundò aduerto: si in ipsis priuilegiis communicandis cauetur, ne censeantur aliis communicata, qui priuilegio communicationis gaudent: sicuti in Bulla Gregorij XIII. edita anno 1584. quæ incipit, *satis superque*; & in Bulla Gregorij XIV. de instituto Societatis cauetur: necessaria est, vt postea alteri hæc priuilegia concedantur, specialis clausula huius derogationis; aliàs hæc specialis prohibitio non censebitur derogata: & ita tradit Suarez *lib.* 8. *cap.* 17. *num.* 8.

4 Tertiò aduerto restrictionem factam religiosis Societatis de suis, & aliorum priuilegiis, ne scilicet illis vti possint: nisi in quantum à Præposito generali fuerint communicata: vt concessit Gregor. XIII. anno 1575. in Bulla incipiente, *Ad futuram.* non obstare, quominus aliæ religiones suis priuilegiis vti possint, quamuis per suos præpositos non fuerint communicata, quia illa restrictio non est in priuilegio, sed in ipsius vsu ob specialem modum, quem habet Societas in suo regimine; dependet enim tota eius gubernatio à suo primo capite: & sic erat conueniens, vt etiam in vsu suorum priuilegiorum dependeret; quod tamen aliis religionibus, quæ hoc gubernationis modo carent, non videtur necessarium: atque ita possunt aliis religionibus nostra priuilegia communicari, quin communicetur hæc restrictio: & ita tenet Manuel Rodriq. *tom.* 1. *regul. quæst. quæst.* 55. *art.* 17. *vers. secundum dubium.* Suarez *lib.* 8. *c.* 17. *num.* 6.

5 Quartò aduerto priuilegia, gratias, & indulgentias concessas alicui religioni in honorem aliquorum Sanctorum sui ordinis transferri ad omnes alias religiones, quæ cum illa religione in priuilegiis communicant, proportione seruata; vt sicut illa prima religio habet facultatem non seruandi interdictum, vel lucrandi Iubilæum die vocationis suæ Ecclesiæ, & in festiuitate sui fundatoris, & aliorum Sanctorum: pari ratione alia religio communicans his priuilegiis gaudeat in die vocationis suæ Ecclesiæ, & in festiuitate sui fundatoris supradictis priuilegiis; hoc enim operatur illa communicatio priuilegiorum: sic optimè explicat Eman. *tom.* 1. *reg. qq. quæst.* 55. *art.* 20. adducens Bullam Iulij II. in qua hoc fuit declaratum. Suarez *lib.* 8. *de leg. cap.* 17. *num.* 7.

§. X.

De priuilegio concesso in forma communi, vel ex certa scientia.

1 *Explicantur supradicta.*
2 *Quando censeatur in forma communi, quando ex certa scientia priuilegium confirmari.*
3 *Si ex certa scientia fiat, renouat priuilegium iam amissum.*
4 *Non censetur confirmatum priuilegium subreptione impetratum. Neque derogatum Concilio generali.*
5 *Si inseratur priuilegium confirmandum in confirmatione, tametsi nullum sit, valet confirmatio, defenditur, vt probabilius.*
6 *Clausula, vt omnes defectus iuris, & facti suppleantur, æquiualet clausulæ, ex certa scientia.*
7 *Quid operetur clausula, vt brachium seculare inuocari possint.*

8 An

8 *An debeat index sæcularis certificari de iustificatione causæ, vt teneatur auxilium præstare? Negant aliqui. Sed probabilius est ostendendam esse per summariam informationem, vel authenticam ostensionem litterarum.*

1 HÆc non habent locum nisi in priuilegij iam concessi confirmatione; solet enim Princeps concessum tibi priuilegium confirmare, duplici tamen forma: alia ex certa scientia, cognoscendo, inquam, qualitatem & circumstantias priuilegij, quod confirmat: alia sine tali scientia, & notitia. Si primo modo priuilegium confirmet, dicitur confirmare illud ex certa scientia; si secundo modo, dicitur confirmare illud in forma communi.

2 Vt autem censeatur Princeps confirmare priuilegium suum ex certa scientia, id debet explicare, vel in actu signato, affirmando expresse ex certa scientia priuilegium confirmare: tunc enim illi credendum est, vel per verba æquiualentia, qualia censenda sunt, si dicat se confirmare, non obstante qualibet alia lege contraria, seu de plenitudine potestatis: vel debet explicari in actu exercito, inserendo in confirmatione tenorem priuilegij, quod confirmat: sic docet glossa *in cap. venerabilis, de confirmatione vtili.* Bart. *in l. priuilegia, C. de sacrosanct. Eccles.* Felin. *in cap. cùm inter, de except. in princ. & in cap. nonnulli, de rescript.* Suarez alios referens *lib. 8. de leg. cap. 18. num. 5. & seqq.* Quando autem sic non explicat, censetur confirmare priuilegium in forma communi, hoc est, confirmare priuilegium eo modo, quo est concessum, & vsu obseruatum. Quòd si contingat priuilegium vim non habere, illa confirmatio in forma communi nullius est effectus; quia non intendit priuilegium de nouo concedere, casu quo non existat, sed solùm intendit approbare, roborare, & sub sua speciali protectione accipere, quod factum est, si fortè sit aliquid, quod possit accipi. Quapropter sæpè Princeps cùm priuilegia in forma communi confirmat, addere solet ad maiorem explicationem suæ voluntatis, se confirmare, sicuti factum est; quæ clausula, vt bene expendit Suarez *suprà num. 7.* necessaria non est, sed ex eo solùm, quòd cognoscatur ex perfecta cognitione, priuilegij confirmationem non processisse, intelligi debet esse confirmatum in forma communi, hoc est, confirmare priuilegium, seu illud approbare, vt de præsenti existit. & ita tradit Riccius *in rubr. de confirm. vtili, vel inutili, dub. vlt.* Felin. *in cap. inter dilectos, de fide instrument. num. 13. & in cap. cùm venisset, de testibus, num. 2.* & sumitur ex *cap. 1. cap. quia diuersitatem, de concess. preb. cap. examinata, de confirmat. vtili, vel inutili*; & aliis.

3 Verùm si Princeps ex certa scientia priuilegium confirmat, habet talis confirmatio vim, & efficaciam renouandi, seu concedendi priuilegium, si fortè vsu, vel alia via amissum fuit. Probo, quia vel Princeps cognoscit defectum, & nullitatem priuilegij confirmandi, & illa non obstante confirmat: & tunc clarum est talem confirmationem nouæ concessioni æquiualere, quia intendit dare illi firmitatem, quoad possit, aliàs intenderet facere actum superfluum, inutilem, & frustraneum; qui omnino præcipuè in legibus, & dispositionibus Principum vitandus est: si autem Princeps nullitatem priuilegij non cognouerit, vel de illa dubius existat, præterquam quòd hoc præsumi non debet contra verba ipsius confirmantis, qui dicit ex certa scientia confirmare: adhuc censendus est velle dare priuilegio vim, & efficaciam, ne cogamur dicere apposuisse illa specialia verba, *ex certa scientia*, inutiliter, & frustraneè, siquidem non præstant in eo casu aliquem specialem effectum: quòd si addat, *de plenitudine potestatis*, intelligendus est, se velle confirmare in quantum potest, & necessarium est. sic Tuscus *verbo confirmatio* ex certa scientia, per totam conclusionem. Suarez *lib. 8. de legibus cap. 18. num. 12.* & alij plures ab eisdem relati.

4 Sed circa hanc confirmationem priuilegiorum *ex certa scientia*,

Aduerto primò non censenda esse confirmata priuilegia, quæ subreptione, & falsa causa impetrata sunt, nisi expresse Princeps diceret se confirmare, non obstante surreptione priori: tum quia hic est defectus commissus in ipsa priuilegij consecutione, qui non præsumitur cognitus à Principe: tum etiam, quia Princeps non intendit confirmare, nisi priuilegium concessum: priuilegium autem subreptione impetratum, nunquam concessum fuit, & ita docet Panorm. *in cap. inter dilectos, de fide instrum. num. 8.* Felin. *ibi num. 6. & in cap. 2. de rescript. num. 42.* Rota *decis. 2. in nouis, tract. de confirm. vtili, vel inutili.* Suarez *lib. 8. de legib. cap. 19. n. 3.*

Aduerto secundò non censeri confirmata, quæ generali Concilio reuocata sunt: nisi expresse derogatio huius reuocationis addatur, quia non præsumitur velle legi à Concilio stabilitæ derogare ob concessionem ita generaliter factam: quod enim multorum consensu stabilitum est, maiori authoritate est firmatum, ac proinde maiori, & speciali reuocatione indiget: ita Suarez *num. 5.* Eman. Rodriq. *tom. 1. regul. qq. q. 8. art. 10. in medio*, vbi alios allegat.

5 Aduerto tertiò, si priuilegium confirmatur inserendo in confirmatione priuilegium confirmandum, & hoc nullum sit, vel quia reuocatum est à Principe speciali reuocatione, vel quia renuntiatum à priuilegiato: existimat Suarez *lib. 8. cap. 19. n. 4.* non censeri confirmatum, nisi fiat mentio reuocationis eius, vel addatur clausula generalis, *non obstantibus*, &c. quia non præsumitur Princeps scire illam reuocationem, aut renuntiationem, quia est de re, & facto speciali, quod Princeps præsumitur ignorare, iuxta *cap. 1. de constit. in 6.* secus verò affirmat esse dicendum, si Princeps diceret expresse se ex certa scientia, vel ex plenitudine potestatis priuilegium confirmare. Verùm probabilius existimo in omnibus his casibus priuilegium manere confirmatum: tum quia diximus in princ. huius §. & consentit ipse Suarez *cap. 18. n. 5.* tenorem priuilegij insertum in confirmatione æquiualere clausulæ ex certa scientia: quódque satis probatur ex *cap. venerabilem, de confirm. vtili, vel inutili*, & ibi gloss. & Panorm. Ergo debet æquiualere in valore, & efficacia: tum quia si huiusmodi scientia reuocationis, aut renuntiationis non præsumitur, quia est de re speciali ad factum pertinente, & obinde non censetur renouatum priuilegium: neque etiam censebitur renouatum, & confirmatum, quando per non vsum fuerit amissum, quia etiam hic defectus est specialis, & pertinet ad factum, ac proinde in nullo casu renouabitur priuilegium nullum, quod est contra communem sententiam.

6 Aduerto quartò, in confirmatione priuilegiorum solere apponi clausulam, qua supplentur omnes iuris, & facti defectus, si qui interuenerint in iisdem, hoc est, in priuilegiis, quæ confirmantur: sic apposuit Sixtus V. & Paulus IV. in confirmatione priuilegiorum minoribus facta, prout refert Eman. Rodriq. *tom. 1. qq. reg. q. 8. ar. 15.* & pro nostra Societate in Bulla edita à Greg. XIV. & à Paulo V. eadem clausula habetur. quæ verba nihil speciale videntur addere confirmationi ex certa scientia, sed solùm apponi ad maiorem claritatem, & euidentiam, quia nec suppletur defectus subreptionis, si qui interuenit, quia hoc est contra naturam priuilegij confirmatorij, & tradit Eman. Rodriq. *suprà n. 15.* Suarez *cap. 20. circa fin. n. 12.* neque etiam supplet defectus, & inhabilitates priuilegiatij: vt si sit spurius, excommunicatus, & irregularis; quia hæc specialem notitiam requirunt, & clausula generali non videntur sublata: neque etiam supplet alios defectus naturales, quia vel hi suppleri

pleri non possunt, vel saltem non possunt licitè; vt bene dicit Host. *in cap. 1. de transact.* & Felin. *in cap. sciscitatis, de rescript. num.* 4. Suarez, & Emanuel *suprà*. Ergo nihil est, quod per illam clausulam specialiter suppleatur, quod per confirmationem ex certa scientia suppletum non sit.

7 Aduerto quintò in supradictis priuilegiis sæpè concedi, vt possint inuocare brachium sæculare: quæ quidem concessio ad maiorem abundantiam est. nam iure ipso tenentur iudices sæculares Ecclesiastico fauere; si is suo officio impediatur, & auxilium expostulet, vt constat ex his, quæ tradit Roland. à Valle *in consil. 39. lib. 1.* Menoch. *lib. 2. de arbitr. cent. 5. casu 451. n. 4.* & alij ab eisdem relati. Quapropter iudex delegatus, & virtute priuilegiorum ad eorum obseruationem electus, si viderit priuilegiatos à sæcularibus impediri, poterit inuocare auxiliū sæcularis iudicis: quòd si parere noluerit, poterit censuris compellere, aliàs inutiles esset inuocandi concessio, si simul non daretur potestas compulsiua renuentis: sic aliis relatis docet Emanuel Rodriq. *tom. 1. quæst. 8. art. 14.*

8 Difficultas autem est, an debeat sæcularis iudex certificari de iustificatione causæ, vt teneatur auxilium præstare, antequam censuris possit compelli à iudice Ecclesiastico? Negat Eman. *suprà*, cùm Aualos *in direct. iudic. Ecclesiast. 2. p. cap. 13. n. 13.* quia si hæc informatio, & certificatio requiritur, facilè poterit à iudice sæculari repelli auxilium, affirmans non esse satis iustificatam causam. Item in competentia iurisdictionis, & præoccupatione inter Ecclesiasticum iudicem, & sæcularem, Ecclesiasticus debet sententiam pronuntiare, & tenetur ei obedire sæcularis: vt multis relatis docet Couarr. *pract. qq. cap. 33. n. 1. vers. quibus & suffragatur.* Ergo impertinens est quælibet ostensio litterarum, & informatio, siquidem semper standum est pro iudice Ecclesiastico. Verùm probabilius credo debere iudicem Ecclesiasticum ostendere sæculari iudici, à quo petit auxiliū, facultatem, quam habet, & iustitiam ad petendum, vt sic prudenter omnes procedant: aliàs pluribus vexationibus res esset exposita. Hæc tamen manifestatio per ostensionem authenticam litterarum, aut per informationem summariam factam ab ipsomet iudice Ecclesiastico, fieri debet. quòd si his non credit iudex sæcularis, & ob id renuit auxilium præstare, poterit tunc Ecclesiasticus illum excommunicatione, aliisve censuris cogere, quia sufficiēter manifestauit se iustè procedere.

Aduerto sextò, in pluribus religiosorum priuilegiorum confirmationibus, habere hanc clausulam, *dummodo decretis Concilij Tridentini contraria non sint*; per quam exceptionem solùm intelliguntur excepta ea, quæ Concilij Tridentini decretis specialiter reuocantibus sunt contraria. Quare omnia priuilegia, quæ per Concilium specialiter reuocata non sunt, illa confirmatione censebuntur confirmata; quia non sunt simpliciter contraria Concilio: & ita tradit alios allegans, & bene probans Eman. Rodriq. *reg. qq. tom. 1. q. 8. art. 6. & 7.* expendit, quæ priuilegia derogentur per Tridentin. regularibus.

PVNCTVM III.

De priuilegiorum conditionibus.

DVplex conditio videtur expostulanda ad priuilegium. Prima scriptura. Secunda promulgatio. Necessitatem harum conditionum in præsenti examine intendimus. Et quidem si de priuilegio consuetudine comparato loquamur, certum est nullam aliam scripturam, & promulgationem in illo esse posse, præter ipsos actus, quibus consuetudo inducitur. Quare solùm de priuilegio à Principe concesso controuerti potest.

§. I.

An requiratur scriptura ad priuilegium.

1 *Non est necessaria.*
2 *Proponitur quædam obiectio, fit illi satis.*
3 *An habeat locum in beneficijs.*
4 *An in facultate residendi.*
5 *An in facultate ingrediendi monialium monasteria.*
6 *An in iudicibus à Romano Pontifice designatis.*
7 *An in remissionibus delictorum in nostro regno.*
8 *An in gratia, quæ consistit in iure ad agendum, qui affirment ad hanc gratiam necessariò requiri scripturam.*
9 *Probabilius est oppositum.*

1 COmmunis est sententia, scripturam per se necessariam non esse ad gratiæ valorem: sic sumitur ex *Clem. dudum, verb. in quibus per ipsos, de sepultur.* ibi, *vniuersa priuilegia, gratias, vel indulgentias, verbo, seu scripto, seu quacumque forma concessa.* & ex *Extrauag. etsi dominici, de pœnit. & remiss.* ibi, *tam verbo, quàm scriptis confectis litteris.* & ex *cap. institutionis, 25. q. 2.* quod est ex Gregor. *siue quæ scripto decernimus, siue quæ in nostra præsentia videntur esse disposita.* & tradit glossa *in suprad. Clem.* Salas *disp. 17. sect. 2. n. 20.* Bonacina *disp. 1. q. 1. p. 4. circa finem.* Nauarr. *lib. consil. in 2. edit. tit. de priuileg. cons. 1. n. 1.* Molin. *lib. 2. de primog. cap. 7. n. 55.* noster Molina *tom. 3. de iustit. disp. 599. n. 1.* Mascard. *de probat. verb. gratia, conclus. 845. art. 14.* Suarez *lib. 8. de leg. cap. 2. n. 2.* Thom. Sanchez *lib. 3. disp. 35. n. 10. & lib. 8. de matr. disp. 29. n. 2.* & alij innumeri ab eisdem relati. Probatur, quia totus valor priuilegij pendet ex voluntate concedentis, quæ verbis sicut scriptura manifestari potest. Secundò nemo potest arctari lege lata à Principe contra Principis voluntatem. Ergo si Princeps vult te non arctare, eo ipso liber existis. Vt autem hæc libertas tibi constet, scriptura non est necessaria; sed verbo, aut aliis signis id fieri potest. Tertiò, quia priuilegium est quædam donatio: donatio autem perfecta est, etiamsi litteræ non expediantur.

2 Sed obiicies. Ante expeditionem litterarum, censetur gratia informis, & imperfecta, vt colligitur ex *regul. 25. Cancell.* vbi dicitur, ne iudicetur iuxta formam supplicationum signatarum super quibusdam impetrationibus, & concessionibus, sub scripto verbo, placet, vel fiat, quia gratia Apostolica informis censetur, & imperfecta. Et confirmo. Officiales Pontificis possunt expeditionem litterarum impedire. Ergo signum est gratiam non esse plenè consummatam ante illarum expeditionem. Confirmo secundò ex reg. Cancell. 53. aliàs apud Rebuff. *praxi benef. 56.* vbi cauetur dispensationes non suffragari, nisi litteris expeditis. & Gregor. XIII. *reg. 50. Cancell.* sic disponit: Nulla talis dispensatio, cuiquam in iudicio, vel extra suffragatur; antequam super ea litteræ Apostolicæ sint confectæ.

Respondeo ex communi sententia gratiam, & facultatem concessam à Pontifice verbotenus censeri informem, & imperfectam in ordine ad iudicium; quia non habet perfectionem necessariam, vt ex illa iudicetur: at in se formalis, & perfecta est, & in foro conscientiæ omnino valida, & ius impetranti acquiritur, ex *cap. si probè, de rescriptis, in 6. cap. fin. de concess. prebend. in 6.* & ex aliis in principio relatis. Ad confirmationem primam concedo officiales posse impedire expeditionem litterarum, sed non obinde sequitur perfectam gratiam non esse; sed non esse perfectam ad iudicium, & forum externum, & eodem modo explicandæ sunt regulæ illæ Cancellariæ, quibus cauetur gratias à Pontifice factas litteris non expeditis, non suffragari in iudicio, neque extrà, hoc est, neque in iudicio contentioso, neque extra iudicium; in foro tamen externo publico non suffragari. Quapropter si aliquis incapax alicuius

alicuius muneris, officij, vel beneficij, virtute huius dispensationis, viuæ vocis oraculo impetratæ se opponat, poterit non solùm in iudicio contentioso, sed etiam nullo iudicio præcedente repelli; quia tam in foro iudiciali, quàm publico non suffragatur gratia sic obtenta. Dixi, gratiam à Pontifice concessam, litteris non expeditis, non suffragari in foro externo (etsi in se perfecta sit.) Nam gratiæ aliæ concessæ ab inferioribus Prælatis, à Rege, & aliis sæcularibus Principibus, non solùm in foro conscientiæ, sed etiam iudiciali suffragari potest, si per testes sufficienter probetur; quia nullo iure cautum est oppositum: & ita tenet alios referens Mascard. *de probat. concl.* 845. *n.* 11. Azeuedo *l.* 2. *tit.* 25. *lib.* 8. *nouæ recop. n.* 2. Qua verò ratione debeat probari, consulendi sunt Mascard. Azeuedo, & Matienzo *ibi.* Cevallos *qq. pract. q.* 722.

3 Supradictæ doctrinæ plures limitationes adhibentur à Doctoribus. Prima est in beneficiis collatis, confirmatis, vel vnitis à Sede Apostolica, quorum possessionem nullus apprehendere potest, nisi litteris expeditis: alioqui totum est irritum, nec facit fructus suos, & beneficiis obtentis priuatur, nec iuuari potest annali, biennali, aut triennali possessione; quia est intrusus, & violentus possessor: & ex *Extrauag. incurristi, de elect.* iuncta constitutione Pauli III. quæ incipit, *cum nobis,* & Iulij II. quæ incipit, *Romani Pontificis*, quæ constitutiones ad beneficia ab ordinariis impetrata non extenduntur; ac proinde litteris non expeditis poterit impetrans capere possessionem, & fructus accipere, vt docuit Azor *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 2. *q.* 5. *circa fin.* Bonacina *disp.* 1. *q.* 1. *p.* 4. *n.* 50. Aduerto tamen, etsi non possis beneficij collati à Sede Apostolica capere possessionem litteris non expeditis: at facta gratia poteris commutare cum alio, quia est tuum. sic ex Rebuff. Ioan. Monach. & aliis tradit Mascard. *de probat. concl.* 845. *n.* 18. & colligitur ex Sanchez, & aliis ab ipso relatis, *lib.* 8. *de matr. disp.* 29. *n.* 5.

4 Secundò limitant Doctores in facultate non residendi in beneficiis curam animarum habentibus: quæ vt valida sit, vltra causam exigit dari in scriptis ab ordinario. sic Trident. *sess.* 23. *cap.* 1. *de reform.*

5 Tertiò in facultate ingrediendi intra septa monasterij, quæ valida non est sine Episcopi, vel superioris licentia in scriptis obtenta. Trident. *sess.* 25. *c.* 5. *de reform.*

6 Quartò in iudicibus signatis à Romano Pontifice, quique ad iudicandum eliguntur, qui non possunt inchoare iudicium, quousque litteræ iurisdictionem concedentes expediantur: constat ex *suprad. reg. Cancellariæ* 25. *de non iudicando iuxta formam supplicationis*, & tradit ibi Gomezius *q.* 6. *n.* 1. Molin. *lib.* 2. *de primog. cap.* 7. *n.* 56. & 57. noster Molin. *tom.* 3. *de iustit. disp.* 499. *n.* 2. Thom. Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disp.* 29. *n.* 10. Alij verò iudices à sæculari Principe, vel Episcopis signati hac regula non tenentur.

7 Quintò limitatur ex legibus nostri regni, in remissionibus delictorum; inualida enim est delicti remissio à Rege facta, quousque Rex suo nomine, & sigillo obsignauerit remissionem, & insuper duo Consiliarij; constat ex *l.* 1. *tit.* 25. *lib.* 8. *nouæ compilat.* tradit, & pluribus exornat Azeuedo *ibi à n.* 2.

8 Sextò, & præcipuè limitatur in gratia, quæ consistit in facto, non in iure ad agendum, hoc est, quæ consistit in sola concessione Principis, non in potestate ad aliquid ex concessione faciendum. Quapropter dicunt Doctores statim referendi, dispensationem factam alicuius irregularitatis, & inhabilitatis, remissionem obligationis contractæ, confirmationem alicuius facti validam esse litteris non expeditis: at verò gratia, seu facultas facta alicui, vt aliquid operetur, quod aliàs efficere non poterat, nulla est, quousque litteræ expediantur. sic Bald. *in l. falsus, n.* 21. *C. de furtis*, & ex illo tradit Molin. *lib.* 2. *de primogen. cap.* 7. *n.* 57. & *seqq.* Gutierr. *quæst. canon. lib.* 1. *cap.* 17. *n.* 4. & *quæst. pract. lib.* 2. *q.* 75. *n.* 1. Auendaño *l.* 43. *Tauri, gl.* 1. *n.* 1. Man. Rodriq. *qq. reg. tom.* 2. *q.* 46. *art.* 8. Matienzo *lib.* 5. *compil. tit.* 7. *l.* 1. *gl.* 2. 3. 4. & 5. & indicat (licèt obscurè) Azeuedo *ibi n.* 11.

Ex qua doctrina infert supradictus Molin. Matienz. & Azeued. non esse validam licentiam concessam à Rege nostro instituendi maioratum, quousque subscribat, & litteris expediat concessionem: & inclinare videtur in hac parte noster Molin. *tom.* 3. *disp.* 599. *n.* 3. non ob rationem generalem gratię, & priuilegij ad aliquid agendum, sed ob peculiaria illa, quæ in hac gratia cernũtur. Secundò infert Gutier. *ead. q.* 75. *n.* 2. & Man. *art.* 8. licentiam concessam à Pontifice Episcopis ad testandum, non valere, quousque litteræ expediantur, quia est ad aliquid agendum. Tertiò inferunt supradicti DD. omnes illas gratias, quæ ad aliquid faciendum sunt concessæ, quæque, vt ipsi dicunt, non habent esse perfectum, perire mortuo concedente, neque à successore posse expediri.

9 Verùm admittenda non est hæc limitatio, sicut neque illam admittit noster Molin. *disp.* 599. *n.* 4. Suarez *lib.* 8. *cap.* 2. *n.* 4. Azor *tom.* 1. *lib.* 5. *c.* 2. *q.* 5. *circa fin.* Thom. Sanchez *lib.* 8. *c.* 29. *n.* 7. quia iure naturæ ad committendam alicui iurisdictionem, & facultatem ad aliquid agendum, non requiritur scriptura, vt de se constat; iure autem positiuo non inuenitur talis exigentia ad omnes actus, sed solùm ad iudicandum: & hoc non ex iure communi, sed ex *reg.* 25. *Cancell.* Ergo sine fundamento firmo hæc conditio expostulatur. Quapropter infero cum Azor, & nostro Molin. validam esse facultatem ad testandum, ad instituendum maioratum, ad eligendum Confessorem, qui absoluat à reseruatis, ad non seruandum ieiunium, ad celebrandum tali hora, & tempore sacrificium, ad suscipiendos ordines non seruatis interstitiis, vel extra tempora, vel ante legitimam ætatem, ad lucrandas indulgentias, & alia similia; etiamsi litterę non expediantur, sed solùm verbo *placet*, sit facta concessio: consentit Nicol. Garc. 6. *p. de benef. cap.* 2. *circa fin. à num.* 350.

§. II.

An promulgatio, seu notitia priuilegij ad priuilegium requiratur.

1 *Requiritur promulgatio, vt alij priuilegiatum non impediant, & quæ sufficiat.*

2 *Quid dicendum de priuilegio, quatenus fauor est priuilegiati? Notatur distinctio priuilegiorũ pro declaratione.*

3 *Non censetur priuilegium concessum, quousque illius notitiam habeat.*

4 *Satisfit cuidam obiectioni.*

5 *Limitatur ab aliquibus, vt intelligatur de priuilegijs gratiosis, non remuneratorijs. Sed non admittitur.*

6 *Secundò limitatur, vt ante acceptationem, seu notitiam priuilegiati non habeat suam vim integram, tametsi non possit reuocari à concedente? Non admittitur.*

7 *Priuilegium non expostulat notitiam illorum, in quorum damnum cedit.*

8 *Excipe nisi priuilegio tollatur alicui tertio ius quæsitum.*

9 *Scientia priuilegij requiritur in priuilegiato per se, & directè, secus in indirectè priuilegiato.*

10 *Quæ acceptatio sufficiat? sufficit facta per procuratorem, nuntium, &c.*

11 *Limitant aliqui, vt non intelligatur de priuilegijs, quæ secum inuoluunt dispensationem.*

12 *Non admittitur limitatio.*

13 *Proponitur obiectio quædam, & soluitur.*

1 Ex superioribus constat priuilegium habere rationem legis, non quidem respectu illius, in cuius

ius fauorem est concessum, sed respectu aliorum, quia ipsi vel ex iure ipso naturali, vel ratione præcepti in priuilegio lati, tenentur non impedire priuilegij vsum.

Si ergo de priuilegio, quatenus inducit obligationem in his, qui formaliter priuilegiati sunt, loquamur; certum esse debet indigere promulgatione, quæ sufficienter priuilegium manifestet: tum quia in hac parte priuilegium habet rationem legis, seu præcepti: tum quia præcepti, & legis obligatio esse non potest, vbi non est illius notitia. Hæc autem notitia non debet dari publicatione solemni, nisi priuilegium sit vniuersali lege constitutum: quale est latum *in Extrauag.* 1. *de reliq. & venerat. Sanctor. & Clement. vnica, de Baptismo*, & aliis, quia priuilegia, quæ non vniuersali lege, sed particulari indulto, & rescripto conceduntur singularibus personis, & communitatibus, singularem commoditatem, & fauorem respiciunt. Ergo singularis publicatio sufficit; ea enim quæ sufficit priuilegiatis ad vtendum priuilegio, eadem per se sufficit aliis, ne illius vsum impediant, quia ex vno aliud necessariò sequitur. At quia sæpè occultè conceditur priuilegium, & solùm priuilegiato innotescit: ideo necessarium est hanc concessionem aliis etiam manifestari, vt teneantur illius vsum non impedire. Manifestanda tamen est ostensione publici instrumenti, quia publico instrumento fuit facta concessio, vel saltem manifestari debet per testes omni exceptione maiores, qui de concessione facta, & litteris expedita nullum vitium habentibus testentur, vel saltem testentur publicè, & coram omnibus priuilegiatum vsum fuisse priuilegio, aliàs fidem perfectam in iudicio non facient. sic Syluest. *verb. exemptio, q.* 5. *&* 7. Suarez *lib.* 8. *de legib. cap.* 24. *n.* 10. Mascard. *de probat. conclus.* 845. *n.* 24. in foro tamen conscientiæ non tanta probatio requiritur, sed sufficit ea, quæ prudentem hominem certum reddere potest de priuilegio concesso, qualis est censenda ea, quæ à solo priuilegiato habetur, etiamsi ipse sub iuramento affirmet se habere priuilegium; quia, vt bene dicit Suarez *suprà n.* 9. nullus in propria causa est testis omni exceptione maior, cui ex obligatione fides sit adhibenda, esto ex vrbanitate aliquando credi possit.

2 Verùm, si de priuilegio, quatenus fauor, & beneficium est priuilegiati, loquamur, certum est, si sit priuilegium per modum legis concessum indigere promulgatione, sicut & ipsa lex indiget, & consequenter expostulat notitiam illius in priuilegiato, esto non debeat singulorum auribus intimari: sic omnes DD. referendi; hoc enim non est tam ratione beneficij, quàm ratione obligationis inductæ ex lege. At si loquamur de priuilegio concesso per modum rescripti singularibus personis, vel communitatibus, in quorum commodum, & fauorem cedit, varia sunt Doctorum placita. Nam esto communiter dicant non valere priuilegium, quousque priuilegiatus illius notitiam habeat, & priuilegium acceptet, tot limitationes adhibent, vt ex illis potiùs videatur pro regula generali esse statuendum, valere priuilegium absque notitia priuilegiati. Vt ergo cum distinctione procedamus, distinguenda sunt priuilegia, alia sunt priuilegia præter ius, alia contra ius. Priuilegia præter ius voco ea, quibus aliqua iurisdictio, & facultas tibi conceditur, quæ communi iuri nō repugnat: contra ius voco omnes dispensationes, & facultates, quibus à iuris communis obseruatione eximeris. Et quidem posse Principem de plenitudine suæ potestatis alicui priuilegium concedere inuito, & nolenti, res debet esse indubitata: quæ enim repugnantia ostendi potest, in eo, quod Pontifex habilitet clericum ad matrimonium contrahendum, si causa communis expostulet, vel dispenset cum illegitimo ad ordines etiam nolente dispensationem, & obligationem decimandi, & ieiunandi auferat? Impedimenta enim hæc, cùm à potestate Pontificis tantùm fuerint introducta, ab illo solùm auferri possunt, & dispensari, nec consensus subditi requiri necessariò debet. sic Bonac. *disp.* 1. *q.* 3. *p.* 3. *n.* 4. Salas *disp.* 20. *sect.* 14. *num.* 13. Suarez alios referens *lib.* 8. *cap.* 25. *n.* 15. Aduerto tamen, nunquam sic intelligendum est factam esse concessionem, nisi clarè constet.

3 Quapropter regula. Etsi Princeps supremus possit priuilegium quoddam tibi concedere, nulla illius notitia à te habita: attamen nunquam sic censentur concedere; sed eius concessio imbibit tacitam conditionem, dummodo non resistas. Probo, quia hoc expedit rectæ gubernationi, ne beneficia, & mercedes Principis exprobrentur, & contemnantur: néve dentur nisi indigentibus & petentibus. Secundò, quia priuilegium est quædam donatio, quæ absque acceptatione donatarij non censetur habere effectum: sic Menoch. *lib.* 1. *de arbitrar. centur.* 2. *casu* 185. *num.* 31. Sanchez *lib.* 1. *de matrim. disput.* 6. *num.* 10. *&* 29. *& lib.* 3. *disput.* 30. *num.* 13. *& disput.* 36. *per totam.* Bonacina *disp.* 1. *de legibus, quæst.* 3. *punct.* 3. *num.* 5. Suarez *lib.* 8. *de legib. cap.* 25 *n.* 13. *& seqq.* Vasquez *disp.* 156. *cap.* 4. *n.* 30. *&* 31. Salas *disp.* 20. *sect.* 14. Azor *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 3. *q.* 7. *& cap.* 13. *q. vlt.* & alij plures ab eisdem relati.

4 Neque obstat aduersùs hanc regulam, quòd priuilegium æquiparari solet legato. *authent. de nupt. §. disponat, collat.* 4. Sed legatum relictum à testatore acquiritur legatario, etiam ignoranti à tempore mortis testatoris. *l. cùm pater, §. surdo, ff. de leg.* 2. Ergo & priuilegium. Non, inquam, obstat; quia solùm æquiparatur in eo, quòd vtrumque seruandum sit, & priuilegium, & testamentum: at quodlibet diuersas conditiones expostulat ad sui valorem; testamentum enim morte testatoris firmatur, priuilegium verò acceptatione priuilegiarij. Neque item obstat *l.* 2. *§.* 1. *ff. de iudic.* vbi ignorans sibi esse prorogatam iurisdictionem, illam de facto habet; sed prorogatio est quoddam priuilegium. Ergo. Non, inquam, obstat, quia iurisdictio prorogata eadem est cum principali, ac proinde non est mirum, si ad prorogationem specialis scientia, & acceptatio non requiratur.

5 Supradictæ conclusionis plures limitationes adhibentur. Prima vt intelligatur de priuilegiis gratiosè concessis, non verò de priuilegiis remuneratoriis; hæc enim etsi expressè non acceptes, neque illorum notitiam habeas, valida iudicantur, quia tacitè videris illa acceptare, cùm rem dignam præmio operaris: sic alios referens Menoch. *lib.* 2. *de arbitrar. centur.* 2. *casu* 185. *n.* 45. 49. *&* 50. Bonacina *disp.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 3. *num.* 15. Sanchez *lib.* 3. *de matrim. disp.* 36. *num.* 3. quibus fauet Bart. *in l. omnes populi, ff. de iustit. & iur. num.* 37. *&* 38. dicens statutum priuilegiatiuum continens commodum habere effectum absque notitia priuilegiarij; & sic bannitum capientem habere debere præmium à statuto propositum, etsi ignorauerit statuti dispositionem.

Sed hæc limitatio admittenda non est: tum quia nullus est textus, qui hāc exceptionem assignet: tum etiam, quia sola acceptatio, quæ fundatur in dignitate operis, est nimis remota, & confusa; ex illa enim solùm sequitur ad summum te sic bene operantem velle, vt detur præmium opere dignum: at quod sit hoc, vel illud, non infertur. Ergo cùm tibi hoc determinatum præmium offertur, acceptatione indigebat: aliàs cogeris acceptare, quod fortè tibi conueniens non est, nec meritis æquale. Deinde expendo modum, quo dari potest hoc priuilegium remuneratiuum sine scientia, & cognitione priuilegiati: dari, inquam, potest generali edicto, quo à Principe constitutum est, faciendū tale opus, tali priuilegio esse afficiendum, vel ipso facto afficiatur tali præmio: vel denique, si pro opere iam facto in illius satisfactionem, & remunerationem tali prēmio afficiatur. Si primo modo præmiū constitutū est, facto opere, non conse

consequeris præmium statim, sed solùm obligationem in Principe te præmiandi: si autem præmium ipso iure constitutum sit, consequeris quidem illud, sed non in vi meriti, quia non potes mereri, quod nescis esse concedendum, sed consequeris illud ex conditione apposita, sub qua Princeps intendit priuilegium concedere. Ergo si intentio absoluta Principis in priuilegiis gratiosis non sufficit sine notitia, & acceptatione priuilegiarij: neque etiam videtur sufficere in huiusmodi priuilegiis sub conditione concessis; sed in omnibus æquè scientia, & notitia priuilegij requirenda est. Quod idem à fortiori constat, quando priuilegium conceditur ob opus iam factum: tum quia tale opus nullo modo fuit factum ex respectu ad tale priuilegium: tum quia esse priuilegium remuneratorium illius operis, non tollit debitam illius acceptationem; ideo enim hæc acceptatio in priuilegiis gratiosis expostulatur, ne priuilegia Principis repellantur, & contemnantur. Quapropter ipse non censetur intentionem habere faciendi gratiam inuito, & nolenti; sed eadem prorsus ratio, imò efficacior militat in remuneratiuis priuilegiis, si Princeps ea concedit ignoranti, & non acceptanti: siquidem facta concessione repellere potest priuilegium remuneratorium, vt sibi non conueniens, neque meritis dignum. Ergo excludenda est hæc limitatio conclusionis de priuilegiis remuneratiuis: sicuti eam excludit Decius *cap.2.de constit.in 1.lect. num.*44. & ibi Panorm. *num.*7. Alexand. de Neuo *n.*29. Felin. *num.*7. *versic. tertiò limita.* Beroius *num.*48. & latè Suarez *lib.*8. *de legibus, cap.*25. *à num.*18. solúmque in eo sensu vera est hæc doctrina, quatenus Princeps offerens priuilegium bene operanti, tenetur vi suæ promissionis concedere, si operans acceptauerit; & in eo casu non caret difficultate, an requiratur etiam sententia declaratoria operis meritorij: sicuti in legibus ipso facto pœnam imponentibus, dicimus requiri sententiam declaratoriam criminis ante pœnæ incursionem.

6 Secundò limitatur, vt priuilegium ante acceptationem, & notitiam priuilegiati, non habeat suam vim integram, & valorem, habere tamen aliquem effectum, scilicet, vt non possit à concedente reuocari: sic Decius, Alexand. & Felin. *suprà.* Bald. *in l. beneficium, n.*15. *ff. de constitut. Princip.* Cardin. *in proœm. Clementinarum, verbo vniuersitatis, quæst.*5. & fundatur *in cap. si tibi absenti, de præbend. in* 6. vbi collatio beneficij absenti facta, esto non habeat effectum integrum, quousque acceptetur, reuocari tamen non potest.

Verùm neque hæc limitatio admittenda est, quia aliud est beneficij Ecclesiastici collatio, aliud priuilegij concessio. concedere namque priuilegium non tenetur Princeps: at beneficium conferre tenetur; cùm igitur conferendo etiam absenti functus fuerit officio suo, non est mirum, vt non possit beneficij collationem reuocare, sed debeat expectare consensum eius, cui facta est: at priuilegij concessio, cùm sit quædam liberalis donatio, quousque à priuilegiato acceptatum non sit, poterit à donante reuocari: & ita tenet alios referens Couarr. 3. *variarum, cap.*16. *num.*1. Menoch. *casu* 185. *num.*46. & 47. Thomas Sanchez *lib.*3. *de matrim. disp.*36. *num.*4. Bonacina *disput.*1. *quæst.*3. *punct.*3. *num.*12. & 13. Suarez *lib.*8. *cap.*25. *num.*7. Adde dispositionem illius *cap. si tibi absenti*, esse specialem in beneficiis, propter eorum perpetuitatem. Ergo non est extendenda ad priuilegia, imò neque ad alia munera, & officia Ecclesiastica, & sæcularia, quamuis concedens obligatus sit illa conferre: aliàs Princeps assignans Petrum pro gubernatione alicuius prouinciæ, assignationem reuocare non posset, quousque Petrus acceptet, quod falsum est: sicut enim post acceptationem potest illum reuocare, poterit à fortiori ante acceptationem. Item hæc obligatio non reuocandi priuilegium oriri poterat, vel ex iure naturali, vel positiuo: non ex iure naturali; quia ex illo non censetur facta donatio irreuocabilis, quousque acceptet donatarius, quia sub hac conditione censetur facta: vt multis probat Sanchez *lib.*1. *disput.*6. *à num.*3. Ergo siue donatio sit facienda ex obligatione, siue ex mera voluntate, nunquam censebitur facta irreuocabiliter, quousque donatarius acceptet, quia respectu illius, cui fit, semper est gratuita: ex iure autem positiuo solùm in beneficiorum collatione disponitur. quod ius supremum Principem non arctat, sed illo non obstante, poterit reuocare priuilegium non acceptatum: de aliis materiis nulla est dispositio a iure. Ergo non est ad alias materias extendendum, & ita sentire videtur Azor *tom.*1. *lib.*5. *cap.*23. *quæst. vlt.* Salas *disp.*17. *sect.*5. *sub num.*37. Suarez *cap.*25. *num.*7. *in princ.*

7 Tertiò limitatur, vt priuilegium requirat scientiam, & acceptationem priuilegiati; secus verò illorum, in quorum damnum cedit: sic Menoch. *lib.*2. *de arbitrar. casu* 185. *num.*28. Decius & Felin. *suprà.* Roman. *consil.*130. Sanchez *disp. illa* 36. *num.*5. Bonacina *disp.*1. *de legib. quæst.*3. *punct.*3. *num.*14. & 15. Suarez *lib.*8. *cap.*25. *num.*28. & 30. Mouentur ex *cap.*1. *de concess. præbend. in* 6. *versic. dicebat autem, ad finem.* ibi, *Nam si alicui à Sede Apostolica concedatur, quod excommunicari non possit, licèt id forsitan suus ignoret Episcopus, non tamen propter hoc eius ligatur sententia.* Et paulo inferiùs: *si alicui conferendi præbendam aliquam à Sede Apostolica tribuatur potestas, ex hoc ipso videtur, quòd sit Episcopo conferendi tunc iam penitus interdicta facultas.* Verùm hæc limitatio, non est limitatio nostræ conclusionis; quid enim mirum, quòd priuilegium non expostulet notitiam, in quorum damnum cedit, cùm illorum acceptationem non requirat, neque respectu illorum sit priuilegium?

8 Aduerto tamen, licèt ex ratione priuilegij non petatur notitia illius in alio, quàm in priuilegiato: at si per priuilegium reuocetur ius quæsitum tertio, censeo notitiam priuilegij illi dandam esse, quia non debet præsumi velle Principem priuare aliquem inscium iure suo; est enim bono communi, & suaui gubernationi non leuiter damnificatiua talis priuatio, & ex alia parte est valde expediens damnificatum monere, vt possit, si velit, se opponere. Quod, meo iudicio, expressè deciditur *in cap. cum persona, de priuileg. in* 6. vbi ligatur excommunicatione ordinarij, & delegati exemptus, qui priuilegij, seu præscriptionis, quibus ab ordinarij iurisdictione se defendit, non fecerit plenam fidem: & *in cap. si duobus, de appellat.* vbi ex priuilegio appellans ad Rom. Pontificem ligatur excommunicatione ordinarij, nisi iudex cognouerit eum ad audientiam Romani Pontificis appellasse: vbi glossa *verbo tenebit*, dicit, quia debuit ire, & allegare priuilegium suum, ex *cap. cum parati, eodem tit. de appellationibus*, & *l. si quis ex aliena ff. de re iud.* ex quacumque enim causa quis vocetur, debet ire ad prætorem. *l.* 2. *ff. si quis in ius vocatus non ierit.* Neque obstat textus *in cap.*1. *de concess. præbend. in* 6. vbi ignorante Episcopo eximitur quis ab eius censura: nam, vt bene explicat Suarez *illo cap.*25. *num.*30. *fine.* hoc intelligendum est, quando iudex non petiit ostensionem priuilegij, & sufficiens tempus elapsum est, in quo posset illius notitiam consequi, & per illum stetit, vel casu accidit, vt non haberet.

9 Quartò limitari potest ad priuilegiatum directum, etiam per se; secus verò de priuilegiato indirectò, & per accidens; in hoc enim non requiritur scientia, notitia, & acceptatio priuilegij. Explico limitationem. Concessum est priuilegium alicui communitati pro omnibus sociis illius lucrandi indulgentias, absoluendi à peccatis, quilibet ex illa communitate illo priuilegio gaudet, etsi ignorantiam illius habeat. Item clericus coniugatus si habeat omnes conditiones à iure

requisitas, priuilegio fori gaudet, etsi illius ignarus sit. Item obtinuisti dispensationem de affinitate, consanguinitate, aliôve impedimento communi cum puella, quam ducere intendis, puella etiam censetur dispensata, etsi ignara sit. Et ratio omnium est, quia per quandam consequentiam, & necessariam illationem hoc priuilegium in his personis ignorantibus sequitur; & ita docet Suarez *lib.8. cap.25. num.17.* Bonacina *disp.1. quæst.3. punct.3. num.2. in 2. edit.* Henriquez *lib.11. de matrim. cap.3. num.6. in comment. litt. H.* Sanchez *lib.8. de matrim. disp.16. n.6.* Hæc tamen limitatio, seu potiùs explicatio conclusionis verissima est.

10 Sed inquires, quæ scientia, notitia, & acceptatio priuilegij sufficiat, vt verè priuilegium tibi concessum valorem habeat?

Communis sententia docet sufficere, si acceptes per te, vel per tuum nuntium, aut procuratorem, aut per epistolam à te missam, qua beneficium petis; illa enim est anticipata acceptatio, & sub conditione si Princeps consenserit, & vltra dictas acceptationes nullam esse sufficientem. sic docet Bonacina *disp.1. quæst.3. punct.3. num.5.* Salas *disp.17 sect.5. sub num.38. concl.2. & disp.20. sect.14. num.109.* Suarez *lib.8. cap.25. num.13. & 14.* Sanchez *lib.1. de matrim. disp.6. num.3. & 20. & lib.3. disp.36. num.8. & lib.4. in Decalog. cap.48.* Ratio quare hæc acceptatio sufficiat est, quia hæc sufficit ad constituendam validam, & firmam quamlibet aliam donationem. Ergo & priuilegium. Consequentia est legitima, quia priuilegij concessio est quædam donatio. Antecedens probatur, quia inter voluntatem donantis priuilegium, & recipientis illud, debet esse aliqua vnio, & respectus: at hic sufficienter intercedit, si nomine tuo alius acceptet; ea enim, quæ alius nomine tuo facit, tu facere censeris. Quapropter *in l.4. tit.4. p.5.* hoc necessariò ad donationem, vel promissionem requiritur, ibi, *mensajero çierto, que le imbie a deçir señaladamente lo que leda. & in l.3. tit.11. part.5.* ibi, *embiando a prometer, o deçir por su carta firmada, o por su mensajero çierto.* & multis allegatis docet Sanchez *illo lib.1. de matrim. disput.6. num.3.* Ex quo fit validum esse priuilegium à puncto acceptationis per te, vel per tuum nuntium, procuratorem, aut litteras factæ. Quòd autem alia acceptatio non sufficiat, probatur, quia acceptatio, quæ à te immediatè, vel mediatè per nuntium, aut procuratorem non fit, tibi tribui non potest. Quocirca si tibi absenti Titius concederet priuilegium aliquod, & Petrus, qui neque est tuus nuntius, neque procurator, neque habet ad id mandatum, acceptaret, nulla esset talis acceptatio, quia reputari non potest tua, eo quòd nomine tuo facta non fuerit: si autem ipse Petrus non missus à donante, sed sua sponte tibi nuntiaret concessionem à Titio factam, & tu acceptares, etsi Gregorius Lopez *l.4. verbo no lo puede, tit.4. part.5.* & Azeuedo *lib.5. recopil. tit.16. l.2. n.20.* affirment valere: at cum communi sententia tenendum est esse inualidam, nec sortiri effectum, quia illa non est acceptatio donationis factæ, non enim censetur facta, quousque donans, donatario, vel alicui nomine ipsius manifestet. sic Capicius multis relatis *decis.180. num.9.* Sanchez *lib.1. disp.6. num.3.* Ex his plures illationes inferunt Sanchez, & Bonacina *supra*, sed & ex doctrina posita manifestæ sunt.

11 Temperat tamen supradictam doctrinam Vasquez *de legibus, disput.156. cap.4. num.31. & 32.* Suarez *lib.8. de legibus, cap.25. num.25.* vt procedat in priuilegiis, quæ fructum habere possunt sine operatione priuilegiarij; secus verò de priuilegiis, quæ secum inuoluunt legis communis dispensationem; de his enim censent non valere, quamuis nuntius, vel procurator acceptet, quousque priuilegiarius notitiam illius habeat. Probant, quia hoc priuilegium, & dispensatio legis est, vt licitè facias, quod aliàs tibi illicitum erat, sed hoc obtinere non potes, quousque illius priuilegij notitiam habeas. Ergo non censetur vsque tunc priuilegium concessum.

12 Sed reiicienda est hæc limitatio, vt eam reiicit Sanchez *lib.4. in Decalog. cap.48. num.9.* & Bonacina *disput.1. quæst.3. punct.3. num.15.* cum Syluest. *verbo priuilegium, quæst. vlt.* Ratio est, quia concedens tibi priuilegium dispensatiuum legis, non intendit te à legis obseruatione eximere per se, & vi priuilegij. Sed hæc exemptio fieri potest, etsi tu illam ignores. Ergo ignorantia tua valori priuilegij obstare non potest. Minorem probo. Lex legitimè publicata potens est ligare ignorantes, etsi ipsi à legis obseruatione excusentur. Ergo priuilegium legitimè publicatum, & acceptatum eximit ignorantes à legis obligatione, etsi ipsi ob ignorantiam lege obligentur. Hæc enim ignorantia est per accidens, & non per se, quam Princeps non attendit. Et confirmo ex his quæ admittunt Suarez, & Vasquez; hi enim dicunt, si tibi concedatur priuilegium, ne excommunicatione ordinarij ligari possis, esse validum priuilegium, à tempore, quo tuus procurator acceptauit, etsi tu illius ignarus sis; quia hoc priuilegium non petit in se aliquem vsum, sed potiùs tollit vsum facultatis ordinarij te excommunicandi. Item dicunt, si tibi concedatur facultas colligendi decimas ex aliquo loco, valere priuilegium à tempore concessionis, & acceptationis factæ per tuum procuratorem, quia vt illarum sis dominus, non est necesse, vt decimas colligas ante notitiam priuilegij. At ex his exemplis non leuiter confirmatur nostra sententia, & contraria infirmatur. Fundamentum enim contrarium eò tendebat, vt probaret non esse intentionem concedentis priuilegium dispensatiuum legis, quousque illius notitiam habere possis; quia illo priuilegio legislator intendit licitum, & honestum vsum in priuilegiato. Sed hæc ratio in supradictis exemplis æquè procedit; ideo enim eximeris ab excommunicatione ordinarij, vt licitè procedere possis illa non seruata: & habes ius decimandi, vt sine peccato colligere decimas possis; sed hæc intentio etsi de facto non habeat effectum ob ignorantiam priuilegiati, non obstat horum priuilegiorum valori. Ergo neque etiam obstabit priuilegiis dispensatiuis. Et confirmo: matrimonium contractum per procuratorem validum est, & ad licitum copulæ vsum ordinatur; & tamen illo vti non potes, quousque perfectam illius notitiam habeas: & generaliter quælibet donatio per procuratorem acceptata ius tribuit donatario vtendi re donata; & nihilominus illa vti non potest, quando ignorat donationem. Ergo sicut hæc impotentia non obstat valori donationis: ita neque valori cuiusuis priuilegij, quia semper censetur hæc impotentia per accidens, & non orta ex ratione priuilegij, & manifestationis illius. sicque fit satis fundamento contrario.

13 Sed obiicies. Priuilegium tibi concedens exemptionem à lege, nullius effectus est, dum priuilegium ignoras, quia de facto à lege non eximeris. Ergo non est verisimile valorem habere, quousque ad tuam notitiam deueniat?

Respondeo idem argumentum fieri posse in lege, probariq; legem non habere valorem in subditis ignorantibus. quare cùm ibi necessariò dicendum sit ignorantiam esse per accidens à legis valorem: sic dicendum est in priuilegio acceptato. Præterea multiplex effectus ex valore priuilegij oritur. Primò, si lex in qua dispensatur, non solùm erat prohibens, sed irritans actum, & de facto posito priuilegio actum operaris, valet actus, quamuis ex ignorantia peccatum commiseris. Hac enim ratione, si tibi habenti impedimentum contrahendi matrimonium concedatur dispensatio Romæ, & tuus procurator acceptet, & sub probabilitate illius, etsi ignarus contrahis, peccas; at matrimonium

nium tenet. Et idem est de iurisdictione concessa ad absoluendum,& de omni alio priuilegio. Si autem priuilegium solùm det licitum vsum, quia lex, in qua dispensatur, solùm erat prohibens, potest deseruire, si habeat excommunicationem, aut reseruationem annexam, ne in illam incurras,& dato non obtineri effectum à superiore intentum, id est, per accidens ex tua ignorantia, non ex ratione priuilegij, quod sufficienter censetur promulgatum, dum tuo procuratori intimatum fuit,& ab illo tuo nomine acceptatum.

PVNCTVM IV.

A quo, & cui priuilegia concedi possint.

1 *Nullus alius præter legislatorem priuilegium concedere potest.*

2 *Neque alijs, nisi subditis possunt priuilegia concedi.*

1 Regula est, nullum alium præter legislatorem posse priuilegia concedere. Et quidem de priuilegio dispensatiuo legis res est manifesta, quia nullus alius præter legislatorem, aut superiorem illo, potest propria authoritate in lege dispensare. Si autem de priuilegio concessiuo facultatis extra ius commune, vel municipale loquamur, probatur non posse ab alio concedi, quàm à legislatore; quia nullus alius potest legem ferre obligantem subditos præter legislatorem: at concedens hoc priuilegium, simul etiam fert, vel ferre potest legem obligantem, ne priuilegiatus impediatur in vsu priuilegij, aliàs priuilegium non erit lex priuata: ergo necessariò dimanare debet priuilegium à legislatore,& ita tenet alios referens Suarez *lib.8.cap.8. n.1.* Salas *disp.17.sect.3. à n.17.* Bonacina *disp.1.q.3.p.3. n.1.* Azor *1.p.lib.5.cap.22.*

Quocirca omnes illi,& soli, qui potestatem habent legislatiuam, possunt priuilegia concedere;& hæc circa materiam sibi subiectam, & circa quam legem ferre possunt. Quapropter Pontifex,& Rex potest concedere priuilegium derogans iuri communi; Episcopus verò, & magistratus iuri solùm à se statuto. Item Pontifex,& Rex possunt concedere priuilegia circa materiam sibi subiectam, quæ latissima est; Episcopus verò, & magistratus solùm in materia, quæ illis subiicitur, & circa cuius obseruationem subditos cogere possunt: sic tenent supradicti Doctores.

2 Ex quibus constat, quibus personis concedi possint priuilegia; si enim priuilegia sint dispensatiua legis, solùm subditis, qui lege arctantur, possunt concedi: si autem sint facultatis concessiua, non solùm subditis, sed etiam non subditis, concedi possunt; potest enim Rex clericis, tam naturalibus, quàm exteris, & quibuscumque forensibus, permittere aliquos contractus in suo regno, qui aliis sunt prohibiti. Item potest permittere extrahere ex regno arma, cibos, & alia, quæ subditis prohibentur. Ergo priuilegium concessiuum facultatis non subditis dari potest. Ratio est, quia per huiusmodi facultatem, & priuilegium non arctatur priuilegiatus ad vsum illius, sed liberè omittere potest. Ergo sicut est capax cuiusuis donationis, capax etiàm est huius priuilegij. At quia priuilegium inuoluit respectu aliorum, qui priuilegiati non sunt, rationem legis obligantis, ne priuilegiatum in vsu priuilegij impediant; ideo hæc priuilegia concessa à Principe non subditis, debent esse de materia, quæ Principi est subiecta,& circa quam subditos cogere potest: sic Doctores suprà relati.

PVNCTVM V.

An in concessione priuilegij causa aliqua requiratur.

1 *Ad licitam concessionem semper causa requiritur.*

2 *Secus ad eius valorem, nunquam tamen sic datum præsumitur.*

1 Sermo esse potest de valore priuilegij, vel de licita illius concessione. Si de licita illius concessione loquamur, semper causam habere debet. Nam vel priuilegium est dispensatiuum legis communis,& tunc omnes concedunt ratione dispensationis causam adesse debere, vt licitè legislator procedat: aliàs non seruaret iustitiam distributiuam, si pro sua voluntate, nulla alia causa intercedente, aliquem à communi lege eximeret. Si autem est purum beneficium Principis, neque alieni tertio, nec iuri communi derogans, etiam causam honestam habere debet, vt licitè concedatur: aliàs prodigalitatis, & vitij acceptionis personarum arguetur, & occasionem dabit inuidiæ, & perturbationis reliquis aliis non priuilegiatis: & ita tenet Suarez *lib.8.cap.21. num.1.* Salas *disp.17.sect.4.sub num.29.* esto contrà teneat Sanchez *lib.8. de dispensat. disp.1. num.1.* Causa autem concedendi priuilegium, non est necesse, vt immediatè bonum commune respiciat, quia priuilegium est lex priuata,& primariò bonum priuatum respicit; quare si in remunerationem alicuius virtutis, scientiæ, vel laboris priuilegiarij conceditur priuilegium, sufficienter honestatur eius concessio; quia hæc causa particularis mediatè ad bonum commune dirigitur, quatenus fouet religionem, pietatem, vel iustitiam. sic Salas *disput.17. sect.4. fine.*

2 Quòd si de valore priuilegij loquamur, si legislator velit dare absque causa, validum est priuilegium, quia semper est de re, quæ solùm à voluntate legislatoris pendet. nam si priuilegium est purum beneficium, est de bonis illi subiectis, & quorum ipse est dominus: si autem est dispensatiuum suæ legis, sicut potest legem totam abrogare, ita potest limitare illius obligationem, & ratione illius limitationis aliquas personas eximere. sic Suarez, Salas, & Sanchez *suprà cum communi sententia.* Quod secus est de indulgentiarum concessione, quia tunc disponit nomine Christi, de eius meritis, & reliquorum Sanctorum: cui dispositioni Christus non censetur consentire, nisi quando rationabilis est,& ex iusta causa procedit. Dixi valere priuilegium, si legislator velit dare absque causa, quod nunquam est præsumendum, quia nunquam debet delictum præsumi, præcipuè in Principe; & ex dictis constat esse delictum, si absque causa concedatur. Ex quo fit sæpè inualidum esse priuilegium, quia causa, ob quam fuit concessum, verè non est, sed falsò allegata, vt infrà dicemus: quando autem priuilegiatus bona fide processit, vel Princeps motu proprio priuilegium concessit, semper præsumi debet, esse ritè concessum; quia stat præsumptio pro superiore. sic Salas *suprà sect.4. num.30.*

PVNCTVM VI.

Possítne priuilegiatus vti suo priuilegio in quolibet loco, etiam extra territorium concedentis.

1 *Pro omni loco concedentis valet priuilegium.*

2 *Si à concedente limitatur pro aliquo loco, extra illum non potest extendi.*

3 *Si priuilegium sit dispensatio alicuius impedimenti, te habilem reddit pro omni loco, ac si impedimentum non habuisses.*

4 *Si vsus tui priuilegij non est extra territorium concedentis prohibitus iure communi, aut speciali constitutione illius loci, vti illo poteris.*
5 *Secus est, si obstat legibus, & constitutionibus contractum respicientibus.*
6 *Expenditur, vti ne possis priuilegio ab Episcopo concesso; si eius vsui obstet legibus communibus, vel municipalibus illius loci, qua transis? Defenditur, vt probabilius, te vti non posse, si vsus aduersetur speciali constitutioni illius loci, secus si communi.*
7 *Proponuntur aliquot obiectiones.*
8 *Illis fit satis.*

1 PRimò certum est priuilegium concessum absolutè, & sine vlla limitatione valere pro omni loco, & territorio concedentis; quia non est maior ratio de vno loco, quàm de alio. Ergo ne inutile fit, ambiguum, & incertum pro omni loco intelligendum est. Adde, si legislator non vellet pro determinato loco priuilegium valere, ipse se debebat explicare: cùm autem non se explicauerit, prudenter intelligimus pro omni loco concessisse, præcipuè cùm sit reg. iuris 55. *contra eum, qui legem apertius dicere potuit, est interpretatio facienda.* sic Suarez *lib. 8. cap. 26. num. 2.* Bonacina *disp. 1. quæst. 3. punct. 5. num. 1.*

2 Secundò certum est, si ab ipso concedente priuilegium limitetur pro aliquo loco, extra illum extendi non posse, quia non potest extendi vltra intentionem concedentis, cùm ex eius intentione, totus valor priuilegij pendeat: hæc autem limitatio colligi potest, vel ex verbis, quibus priuilegium conceditur, vel ex fine, ob quam conceditur, vel ex materia, circa quam conceditur. Quando ex verbis priuilegij limitatio constat, tunc conclusio est clara, vltra illa extendi non posse; si verò verba sint indifferentia, & ex fine, aut ex materia concessionis appareat pro aliquo determinato loco priuilegium concedi, vltra illum extendendum non est. Hac ratione dicunt plures Doctores priuilegium Bullæ cruciatæ cōcessum Hispanis comedendi lacticinia tempore Quadragesimæ, non posse extra Hispaniam extendi; quia ob inopiam piscium Hispanis conceditur. Credo tamen non esse hunc finem, sed ieiunij rigorem temperare sumentibus Bullam, ob subsidium, & eleemosynam ab ipsis datam: aliàs habitantes in locis maritimis, vt sunt plures in Hispania, priuilegio illo vti non possent. Sed quidquid sit de hoc exemplo, regula est certissima, vndecunque constet finem concessionis esse pro loco limitato, non debere vltra illum extendi. Hic autem finis ex tenore ipsius priuilegij cum antecedentibus, & consequentibus, & ex materia ipsius coniecturandus est.

3 Tertiò certum est, si ratione alicuius impedimenti, inhabilitatis, irregularitatis impediaris functionibus communibus, & dispenseris in supradicto impedimento, vbilibet poteris vti functionibus communibus, ac si impedimento nunquam fuisses ligatus; hoc enim non est concedere priuilegium pro omni loco, sed tollere impedimentum, quod tuam habilitatem impediebat: sic vxoratus impeditus ob votum castitatis, vel ob affinitatem contractam petere debitum, si dispensationem impedimenti obtineat, vbilibet debitum petere potest: & irregularis, suspensus, & excommunicatus, qui ratione excommunicationis, suspensionis, aut irregularitatis impeditus erat ordines, aut beneficium suscipere; si dispensationem obtineat, habilis vbique manebit. sic Thom. Sanchez *lib. 8. de dispensat. disp. 31. num. 17. aduersus aliquos num. 16. relatos.*

4 Quartò certum est, si vsus tui priuilegij illo in loco, qua transis, non est prohibitus iure communi, neque aliqua synodali, aut municipali constitutione, te illo vti posse, quia aliunde, quàm ex iure communi, constitutione, aut mandato speciali superioris illius loci impediri non potest. Neque obstat, concedentem tibi priuilegium exercere iurisdictionem extra territorium suum; quia non exercet iurisdictionem contentiosam, cum strepitu iudicij, sed voluntariam, quam vbique exercere potest.

5 Quintò est certum, si priuilegij vsus obstat legibus, & constitutionibus respicientibus contractus, vel bonum commune illius loci, qua transis: quibus legibus diximus in omnium sententia peregrinos, & forenses teneri, te illo priuilegio vti non posse extra locum concedentis, quia concedens non habet potestatem (vt suppono) te à iurisdictione superioris illius loci eximere, quia non est superior illo: ac proinde non potest te liberare ab obseruatione illarum legum, qua reliqui peregrini, & forenses tenentur. In his consentiunt Doctores, vt constat ex Suarez, & Bonacina *suprà.*

6 Difficultas est, an vti possis priuilegio à tuo Episcopo concesso, quando in alieno territorio existis; si eius vsus obstet legibus communibus, vel specialibus constitutionibus, aut mandatis illius loci, qua transis? v. g. Obtinuisti priuilegium eligendi confessorem, comedendi carnes diebus prohibitis, non recitandi horas, laborandi festis diebus, legendi libros hæreticorum: quæ omnia possunt esse & prohibita lege communi, & speciali aliqua constitutione, aut mandato. Difficultas ergo est, an possis vti illo priuilegio, vbicunque existas?

Censeo resolutionem huius difficultatis pendere ex illa, an forenses teneantur legibus, constitutionibus, & mandatis loci illius, qua transeunt. Nam in sententia illorum, qui dicunt non teneri, manifestè infertur vti te posse priuilegiis supradictis: siquidem mandato, lege, aut constitutione locali impediri non potes. At quia nos, vt probabilius, resoluimus, forenses non solùm legibus per modum statuti, sed etiam per modum sententiæ, hoc est, constitutionibus, & mandatis localibus ligari, sicuti ligantur vicini, & naturales; ideo censeo te supradictis priuilegiis vti non posse, si illo in loco, qua transis, est speciali aliqua constitutione, aut mandato prohibitus illorum vsus; quia ab obligatione illius constitutionis, & mandati, quam contrahis ratione transeuntis habitationis, exemptus esse non potes virtute priuilegij alibi tibi concessi, quia priuilegium illud non est ab aliquo, qui potestatem habeat remittendi obligationem impositam tibi per superiorem illius loci, qua transis; quia non est superior illo. & ita docet Suarez *lib. 8. cap. 26. à num. 7.* Salas *disp. 17. sect. 10. num. 54.* Bonacina *disp. 1. quæst. 3. punct. 6. num. 4.* Aduerte, etsi Bonacina, & Suarez, cùm de obligatione forensium legibus loci, qua transeunt, loquerentur, affirmarent, non teneri mandatis, & sententiis superioris illius loci; nihilominus in præsenti dicunt priuilegiatum his teneri: neque vti posse priuilegio eligendi confessorem, aut comedendi carnes, si specialiter prohibeatur à superiore illius loci, quod non videtur satis consequenter dictum. Aduerto secundò ex benigna interpretatione voluntatis superioris illius loci, qua transis, præsumere potes te obligatum non esse eius legibus, à quibus in tuo territorio exemptus es, & quæ specialiter loci illius non sunt propriæ. sic Salas *disp. 17. sect. 10. n. 56.* Bonacina *disp. 1. quæst. 3. punct. 7. num. 6.* Suarez *suprà.*

Si autem vsus tui priuilegij non sit contra aliquam specialem constitutionem, aut mandatum loci illius, qua transis, sed solùm aduersetur legi communi æquè in tuo, ac in alieno territorio obliganti, vt probabilius existimo te exemptum esse, liberéque vti posse tuo priuilegio, quia obligatio illius legis eadem est in tuo, ac in alieno territorio; sed ab obligatione illius legis exemptus es virtute priuilegij: ergo vbique exemptus es. Et confirmo. In lege communi, & generali non dispensat

sat Episcopus, nisi ex commissione Pontificis; sed si Pontifex dispensaret, valeret dispensatio, & priuilegium, pro omni loco. Ergo etiam valet, quando dispensat Episcopus. Qua ratione dicunt communiter Doctores dispensatum ad plura beneficia à legato Sedis Apostolicæ, posse vbilibet ea retinere, & accipere, quia nomine Pontificis dispensatio in iure communi facta est: & ita docet Suarez *lib.8. cap.26. à num.15. & seqq.* Salas *disput.17. sect.10.* Bonacina *disput.1.quæst.3. punct.6.num.4.* Sanchez *lib.8.de matrim.disp.31.num.17.* Azor *lib.5. cap.23. quæst.6.* & alij plures ab eisdem relati.

7 Sed obiicies primò. Si ea, quæ sunt prohibita iure communi, speciali etiam constitutione, & mandato superioris illius loci prohiberentur, priuilegiũ te liberare non poterat ab illorum obligatione: ergo neque liberat, quando solùm iure communi sunt prohibita. Probo consequentiam, quia prohibitio specialis non addit specialem obligationem; aliàs grauius delinquerent subditi, quoties à pluribus superioribus illis materia prohiberetur. Secundò Episcopus illius loci tibi prohibere potest vsum priuilegij à tuo Episcopo concessi, quia constitutionibus, & mandatis illius Episcopi, vbi resides, obligaris, sicut cæteri commorantes. Item si est priuilegium de non ieiunando diebus prohibitis ab Ecclesia, potest tibi imperare ieiunium, cui præcepto debes obedire. Ergo signum est priuilegio non integrè liberatum te esse à præcepto. Tertiò ideo teneris seruare statuta, & leges loci, qua transis; quia per habitationem etiam transeuntem factus es pars illius loci; & est inconueniens,quòd pars discordet à toto; sed eadem ratio, imò efficacior militat in lege vniuersali. Ergo. Quartò ideo priuilegium tui Episcopi non ieiunandi, non te eximit à constitutione, & lege ieiunij alterius Episcopi, quia est diuersa lex, & diuersa obligatio ab ea, à qua dispensationem obtinuisti; sed lex communis,& generalis, etsi physicè vna, & eadem in omni loco videatur esse: at moraliter, & secundùm obligationem, in quolibet loco distincta est, quod ex eo sufficienter constat, quia abrogari potest consuetudine in vno loco,perseuerando in alio. Ergo licèt tuus Episcopus tibi priuilegium concesserit in lege communi, non inde infertur in omni illius obligatione concessisse, sed solùm in obligatione sui territorij. Ergo obligatio alterius territorij, qua transis, te ligat.

8 Verùm etsi hæc argumenta, & præcipuè quartum satis probabilem reddant sententiam affirmantem priuilegium à tuo Episcopo concessum non te liberare ab obligatione legis communis, quandiu in alio Episcopatu commoraris: nihilominus, quia contrarium est communiter receptum, ideo retinendum est. Quare ad primum dicimus prohibitionem factam per statutum speciale, non addere supra communem legem specialem obligationem in his, qui lege communi ligantur; quia omnem obligationem, quam inducere potest, habent iam à lege communi: at in his, qui à lege communi exempti sunt, valet obligationem inducere, quia non est vnde impediatur.

Ad secundum nego Episcopum illius loci, in quo transeunter resides, tibi impedire posse vsum priuilegij à tuo Episcopo concessi, nisi ex subreptione arguatur, neque imperare ieiunium, quo iam exemptus es, nisi aliquam specialem, & honestam causam habeat: poterit tamen tibi impedire vsum priuilegij, quousque illi priuilegium manifestes, quia ad manifestationem te obligare potest. sic Suarez *illo cap.26. num.17.* Ex quo fit, si licentiam habeas celebrandi,administrandi sacramenta, eligendi Confessorem, comedendi carnes diebus prohibitis, &c. debere Episcopum examinato priuilegio tibi liberum vsum relinquere.

Ad tertium concedo ideo forensem obligari constitutionibus loci, qua transit, quia est factus pars illius, & non habet priuilegium exemptionis ab illorum obligatione: at quia ab obligatione legis communis habet priuilegium exemptionis, ideo lege communi non tenetur.

Ad quartum concedo te obligari lege, & constitutione municipali, quia est diuersa lex à diuerso legislatore proueniens, à quo non habes exemptionem: at non obligaris lege communi,quia esto in diuersis locis habeat distinctam obligationem, ab omnibus illis exemptus es per priuilegium concessum ab ipsomet legislatore; nomine enim ipsius tuus immediatus Prælatus priuilegium,& dispensationem concessit: & cùm dispensatio fuerit facta absolutè,pro omnibus locis debet intelligi.

PVNCTVM VII.

Vtrùm priuilegiatus teneatur suo priuilegio vti.

1 *Nemo tenetur suo speciali priuilegio vti.*
2 *Excipitur,nisi per priuilegium legi subijciatur,cùm antea subiectus non esset.*
3 *Explicatur supradicta limitatio.*

1 Resolutio communis est neminem teneri suo speciali priuilegio vti, *cap.si de terra,de priuileg.* quod enim in fauorem alicuius factum est, non debet in grauamen eius retorqueri,ex *regul.61.de regulis iuris, in 6.* Neque contra hanc resolutionem obstat, quòd clericus debeat vti priuilegio fori, & canonis, si casus occurrerit; quia non cogitur vti priuilegio sibi specialiter concesso, sed priuilegio concesso statui clericali: & cùm ipse statum clericalem à se abdicare non possit,neque etiam priuilegium poterit abdicare.

2 Aliqui limitant supradictam resolutionem, dummodo per priuilegium non fiat actus licitus, qui antea illicitus erat, & legi subiiciatur: nam in huiusmodi casu tenetur priuilegiatus suo priuilegio vti. Exemplum adhibent in præcepto audiendi Missam tempore interdicti,quo ratione interdicti excusaris: at si priuilegium habeas audiendi Missam tempore interdicti, illam audire teneris. Ecce qua ratione priuilegio vti cogeris: sic Bonacina *disput.1. quæst.3. punct.4. fine.* Idem est in coniuge votum castitatis habente, qui ob matrimonij ius tenetur reddere debitum petenti: at si alter coniux adulterium commisit, iam ratione illius excusatur à redditione, & non solùm excusatur, sed neque potest reddere, quia tunc votum castitatis seruari potest, vt docet Sanchez *lib.9.de matrim.disp.6.num.15.*

3 Verùm,vt rectè notauit Suarez *lib.8.de legib.cap.23. num.9.circa finem*, hæc non est limitatio communis resolutionis, quia obligatio in supradictis casibus non prouenit ex priuilegio, sed ex voto, aut Ecclesiæ præcepto. nam in illo casu interdicti priuilegium tollit interdictum respectu priuilegiati: sublato autem interdicto, præceptum Ecclesiæ manet, quo priuilegiatus obligatur. Ergo non ex priuilegio,sed ex præcepto Ecclesiæ nascitur obligatio. Et idem est in illo coniuge votum castitatis habente, impediebatur enim ab obseruatione voti ob ius alterius coniugis petentis debitum,quo iure priuatur per adulterium; & sic cessat impedimentum, quod coniux innocens habebat,seruandi integrè votum: tenetur ergo posito adulterio illud seruare. quæ obligatio non oritur formaliter ex priuilegio obtento per adulterium,sed ex voto facto.

***

PVNCTVM VIII.

Vtrùm priuilegiatus vti possit suo priuilegio aduersùs pariter priuilegiatum?

1 *Affirmatiuè respondetur.*
2 *Quid dicendum, si in re diuersa alius priuilegiatus sit?*

1 CONclusio est affirmatiua, & ratio euidens; quia si tuum priuilegium æquale est alteri priuilegio, illo non derogabitur: vti ergo illo poteris, non obstante alterius priuilegio. Explico conclusionem. Exemptus es à decimis soluendis: alius item similiter exemptus est, exemptio alterius non potest tuam impedire, sed est omnino per accidens; aliàs implicaret simul pluribus idem priuilegium exemptionis concedi, si vnius priuilegium alterum impedire posset: sic Couarr. *in reg. possessor. 2. p. §. 2. num.* 4. Suarez *lib. 8. cap. 23. num.* 3.

2 Difficultas ergo solùm est, an vti possis tuo priuilegio aduersùs illum, qui in re non simili, sed diuersa est pariter priuilegiatus; v. g. exemptus es à decimis soluendis: alius habet priuilegium accipiendi decimas à quocunque, qui in suo territorio existit. Item habes priuilegium, ne ob debita possis vinculis alligari; alius verò habet priuilegium comprehendēdi quemlibet sibi debitorem, poteritne vti tuo priuilegio: nam si illo vteris, iam tuum priuilegium superius est alio, siquidem præualet aduersùs illud.

Dicendum ergo est in supradicto casu te vti posse tuo priuilegio, nisi per priuilegium alterius sit specialiter derogatum; quia cùm tuum priuilegium sit speciale, & aliud sit generale, speciale præualet: quia generi derogatur per speciem, ex *reg. 34. de reg. iuris.* Neque obinde fit tuum priuilegium præualere aduersùs aliud generale; quia in generali subintelliguntur excepti priuilegiati specialiter: sicuti in omni lege generali subintelliguntur excepti, qui priuilegium exemptionis habuerint: & ita non sunt priuilegia formaliter contraria, licèt videantur esse; sed vnum est generale, & aliud speciale, non specialiter oppositum generali, sed ab illo exceptum. & ita tradit Eman. Rodriq. *tom. 1. qq. regul. quæst. 9. art.* 11. vbi duplici exemplo conclusionem illustrat, quæ ibi videri possunt, & tradit optimè Salas *disp. 17. sect. 14. sub num.* 74. Quòd si priuilegia reperiantur contraria, neque aliqua via appareat, quomodo in concordiam reduci possint, vt vtrumque valeat, tunc examinandum est, quod sit antiquius, vel ab altiori Prælato concessum, & illud iudicandum est præualere; aliud verò illi contrarium cessare. sic Suarez *lib. 8. cap. 23. num. 5. & 6.* Ex quo colligit Emanuel Rodriq. *suprà.* Si aliquod monasterium ædificatum priuilegio gaudeat, ne aliud intra certas cannas ædificetur, & alteri sit concessum intra cannas illas ædificari; nisi supradicto priuilegio derogetur, non censebitur habere priuilegium aduersùs monasterium priùs priuilegiatum; quia non censetur Princeps velle iuri alterius acquisito derogare, nisi illius expressè meminerit.

PVNCTVM IX.

Qua ratione priuilegium interpretandum sit.

1 *Priuilegium verbis claris concessum interpretatione non indiget; in dubio potius menti, quàm verbis inhærendum est, & ex supplicatione colligenda concessio.*
2 *Priuilegium derogans iuri communi, vel alteri nocens, secundùm hanc partem odiosum est; aliquando quod vni est odiosum, alteri est fauorabile, & tunc est mi[xt]um.*
3 *In [priuil]egij interpretatione seruanda est verborum pro[prietas]: quæ desumenda est ex vsu, & stylo concedentis.*
4 *Non est facienda ita stricta priuilegij interpretatio, vt reddat priuilegium inutile, & priuilegium extenditur ad necessario connexa.*
5 *Quæ sit lata interpretatio. Quæ stricta?*

1 ALiqua sunt, in quibus Doctores conueniunt. Primò, Doctores conueniunt, si priuilegium feratur verbis claris sufficienter intentionem concedentis exprimentibus, interpretatione non indigere; quia interpretatio est ad inuestigandam voluntatem concedentis, ex qua tota efficacia priuilegij pendet. Si ergo hæc ex ipsis verbis apparet, superuacanea erit alia diligentia. At sæpè contingit aliud sonare verba, aliud constare ex manifestis coniecturis, esse ex mente concedentis; tunc potius menti, quàm verbis inhærendum est, ex *cap. in his, de verbor. significat.* ibi, *non sermoni res, sed rei est sermo subiectus, & non intentio verbis, sed verba debent intentioni seruire.* Idem colligitur ex *cap. Martinus, 1. quæst. 1. cap. sedulò, 38. dist.* & aliis, & tradit Azor *lib. 5. cap. 23. quæst. 2.* Syluester *priuilegium, quæst. 3.* Salas *disp. 17. sect. 8. num. 45. & disp. 20. sect. 10. num. 90. §. quarto.* Si verò verba indifferentia sunt obscura, & incerta, tunc attendenda est supplicatio: nam Princeps precibus sibi factis se solet accommodare, ex *l. si preces, ff. de legib. cap. inter dilectos, §. cæterùm, de fide instrument.* & tradit Matienz. *lib. 5. recopil. tit. 2. leg. 1. glossa 2. num. 3.* Gutierr. *lib. 3. pract. quæst. quæst. 17. & 18. num. 42. & 43.* Salas *disp. 7. sect. 9.* Bonacina *disp. 1. quæst. 3. punct. 7. num. 3.* Suarez *lib. 8. cap. 28. num. 19.* Deinde attendi debet initium ipsius indulti, quia iuxta illud reliqua solent adiungi. *l. vlt. C. de hered. instit.* Item materia, circa quam priuilegium versatur; quia ex re, & materia subiecta optimè intentio Principis inuestigatur: ac denique possumus spectare aliud simile priuilegium, & ex illo interpretationem sumere. Quòd si adhuc res sit dubia, nec probabiliter per receptam doctrinam definiri potest, (inquit Suarez, Salas, & Bonacina suprà alios referentes;) consuli debet Princeps, nisi aliquod sit periculum in mora: nam si est, vti licebit, quod secundùm prudentiam visum fuerit pro loco, & tempore conuenire.

2 Deinde duplex est priuilegium, aliud directè derogans iuri communi, vel alicuius tertij; aliud, quod nemini nocet. Priuilegium, quod derogat ius commune, vel alicuius tertij, secundùm hanc rationem odiosum est, quia nocumentum, & grauamen continet. Priuilegium verò, quod nemini nocet, fauorabile est, quia fauorem, & gratiam continet nullo grauamine mixtum: solet autem priuilegium vni fauere, nocendo alteri; & tunc priuilegium est mixtum ex odio, & fauore, quale est priuilegium exemptionis à decimarum solutione: vt autem hoc priuilegium reputandum sit absolutè fauorabile, vel absolutè odiosum, spectanda est causa, ob quam conceditur, quæ si bono communi, & religioni maximè faueat, censendum est priuilegium fauorabile.

3 Item in priuilegij interpretatione seruanda est verborum proprietas, quoad fieri possit. Quia si ad improprias significationes liceret recurrere, nihil in priuilegiis esset firmum: sic glossa *in Clem. litteras. de præbendis, verbo dilectus.* Bonacina *disp. 1. quæst. 3. punct. 7. §. 1. num. 2.* Salas *disp. 17. sect. 8. num. 47. & 49.* Suarez *lib. 8. cap. 28. num. 15. & 16.* Thom. Sanchez *lib. 8. de dispensat. disp. 1. num. 5.* vbi alios refert.

Hæc autem proprietas verborum attendenda est penes vsum, & stylum concedentis: vt si priuilegium sit regium, attendendus est stylus Regis; si Pontificium, attendendus est stylus Pontificis; quia inde aptiùs cognoscitur intentio concedentis, quæ per interpretationem inuestigatur. sic ex Bald. *l. si quando. 1. C. de bonis vacantib. lib. 10.* Syluest. *verbo priuilegium, quæst. 3.* Azor *lib. 5. c. 23. quæst. 2.* tradit Salas *num. 49.* Bonacina *num. 2.* Suarez *n. 16.* vbi variis exemplis doctrinam declarant; inquiunt

inquiunt enim, si priuilegium concedatur Episcopo pro suis familiaribus, vt conceditur in Trident. intelligi debet de familiaribus, qui actu famulantur, non de illis, qui per litteras ad famulatum recepti sunt, iuxta *cap. vlt. de verborum significat. in 6.* quia hi in rigore, & proprietate famuli non sunt, sed electi in famulos. Item si concedatur facultas minuendi numerum ministrorum Ecclesię ob penuriam reddituum, non intelligitur concessa ad augendum numerum, etiamsi redditus crescant, quia minuere non significat propriè augere. Item priuilegium circa modum seruandi interdictum, non extenditur ad cessationem à diuinis; quia illa duo diuersa sunt. Et ob eandem rationem priuilegium ascendendi ad maiorem dignitatem, non intelligitur ad accipiendam æqualem. *cap. licèt, de translat. Episcopi*; sicut priuilegium datum regularibus transeundi ad arctiorem religionem, *cap. licèt, de regularib.* non intelligitur transeundi ad æquè arctam. Similiter facultas concessa prouidendi primam præbendam vacantem per decessum, non intelligitur data, si vacauerit per renuntiationem, vel cessionem; quia vacare per decessum, vel per renuntiationem distincta sunt. *cap. susceptum, de prabendis, in 6.*

4 Rursus nunquam est facienda interpretatio priuilegij ita strictè, vt reddat priuilegium inutile. *l. non dubium, C. de legibus*, quia inutilem, & frustraneam actionem efficere, non decet Principem. Quapropter cùm priuilegium tendat ad concedendum aliquid priuilegiato, quod aliàs ei non liceret, semper extendenda est interpretatio, quantum fieri potest, vt hunc effectum operetur; neque contenti esse debemus, vt confirmet, quod aliàs licet priuilegiario, nisi ad id manifesta ratio cogat: sic tradit Nauarr. *summ. cap. 12. n. 79.* & in apologet. *de redditibus, quaest. 3. membr. 6. num. 3.* Salas *de legibus, disput. 17. sect. 8. num. 46.* Suarez *lib. 8. de legib. cap. 28. num. 2.* Ex quo fit priuilegium, seu dispensatio, quantumuis odiosa sit, extendi debere ad ea, quæ illi sunt necessariò connexa, & sine quibus effectum habere non potest; quia dans formam, dat consequenter, quæ ad illam requiruntur. sic Angel. *verbo dispensatio, num. 9.* Syluest. *quaest. 5. num. 9.* Bonacina *disp. 1. quaest. 3. punct. 7. §. 1. num. 5.* Suarez *lib. 6. cap. 11. num. 10.* Sanchez *lib. 8. de matrim. disput. 1. num. 19.* vbi pluribus relatis docet dispensatum ad plura beneficia, simul esse dispensatum in residentia vtriusque; & dispensatum in minori ætate, vt beneficium parochiale habeat, esse dispensatum in obligatione assumendi intra annum sacerdotium: & parochum dispensatum, ne intra annum ordinetur, simul esse dispensatum, ne eius beneficium vacari possit, quia non vacatur, nisi ob culpam, quæ nulla est stante dispensatione; & idem aliis relatis docet Sanchez *num. 24.* de Episcopo, cui est dispensatio concessa differendi consecrationem vltra tres menses à iure præscriptos; non, inquam, eius beneficia vacari posse, quia nullam committit culpam. Aliud etiam exemplum adducit *num. 27.* quod mihi optimè probatur; inquit enim, si cum illegitimo, vel aliàs irregulari dispensetur ad omnes ordines, vel ad sacros ordines, dispensari simul ad beneficium aliquod simplex, quo possit ordinibus insigniri; quia sine huiusmodi titulo nequit promoueri in sacris, ex Trident. *sess. 21. de reformat.* Neque obstat habere patrimonium, seu pensionem; quia pensio, aut patrimonium non per se sufficiunt ad ordines sacros recipiendos, nisi adsit necessitas, vel vtilitas Ecclesiæ.

5 Tandem latè interpretatio priuilegij illa est, quæ extendit priuilegium, tam quoad rem concessam, quàm quoad personas, quantum verba patiuntur; illa verò stricta, quæ restringit priuilegium, quantum fieri potest: sic omnes Doctores.

PVNCTVM X.

Quod priuilegium latè, vel strictè interpretandum sit.

1 *Priuilegium in nullius praeiudicium cedens latè est interpretandum.*
2 *Priuilegium derogans iuri communi regulariter est strictè interpretandum.*
3 *Explicatur exemplis.*
4 *An extendatur hac doctrina ad priuilegium derogans statuto, vel consuetudini speciali.*
5 *Limitatur doctrina in priuilegio cedente in fauorem religionis, vel pia causa.*
6 *Item in priuilegio inserto in iure communi.*
7 *Item in priuilegio ex certa scientia concesso.*
8 *Priuilegium derogans alterius iuri strictè interpretandum est. Quid de priuilegio ad lites, ad beneficia, &c.*
9 *Priuilegium derogans iuri communi, an debeat continere clausulam derogatoriam expressè? Resoluitur negatiuè.*
10 *Limitatur doctrina, dummodo ius commune priuilegijs non resistat.*
11 *Derogans iuri alterius debet habere clausulam expressam derogatoriam.*

1 Dico primò. Priuilegium, quod in nullius præiudicium cedit, latè est interpretandum, ex *cap. olim, de verborum significat.* tum quia est purum beneficium Principis, quod latam admittit interpretationem. *l. beneficium, ff. de constitut. Princip.* tum etiam, quia fauor, & gratia semper amplianda est, ex *l. hoc modo, ff. de condit. & demonstrat. & l. cùm quidam. ff. de liberis, & posthumis*, & ex regula iuris, *Odia restringi, fauores conuenit ampliari.* Neque obstat, si dicas priuilegium nunquam esse ita fauorabile, quin etiam aliquod præiudicium afferat; affert enim præiudicium concedenti, qui priuilegij concessione priuatur potestate, aliis idipsum donandi: præiudicat item aliis sua singularitate, & exceptione. Ergo ex hac parte limitandum est. Non, inquam, obstat; quia præiudicium concedentis est ab ipsomet concedente intentum; eo enim ipso, quo concedit beneficium, & suam mentem non satis explicat, præsumitur concedere amplè, quia sic decet eius liberalitatem: singularitas autem, & exceptio priuilegiarij, si ex iusta, & rationabili causa facta est (vt semper præsumi debet fieri) aliis non nocet, sed potiùs vtilis est; quia illa incitantur ad simile priuilegium merendum. sic Salas *disput. 17. sect. 6. num. 44.* Bonacina *disp. 1. quaest. 3. punct. 7. §. 1. num. 4.* Suarez *lib. 8. cap. 27. num. 3.*

2 Dico secundò. Priuilegium derogans iuri communi regulariter est strictè interpretandum, ex *cap. sanè, cap. porrò, de priuilegijs.* Ratio est manifesta, quia qua parte derogat legi communi, includit dispensationem, quæ strictè est interpretanda. Adde bonum commune regulariter esse particulari præferendum; ac proinde in casu dubio pro iure communi, & non pro particulari priuilegij est iudicandum: & ita docet Panormitanus *in cap. quod dilecto, de consanguinit. & affinit. cap. quia circa, de priuileg. cap. olim, cap. Abbate, de verborum significat.* Syluest. *verbo priuilegium, quaest. 3.* Suarez *lib. 8. cap. 27. num. 5.* Thomas Sanchez *lib. 8. disp. 1. num. 1. & 5.* Bonacina *num. 5.* Salas *num. 44.* & alij plures ab eisdem relati.

3 Ex his fit, si illegitimo concedatur priuilegium ad ordines, intelligendum est de minoribus ordinibus: tum, quia permissio in genere mediocritatem respicit, ex *l. fin. §. 1. C. communia de legatis, & l. legato generaliter. ff. de*

ff. de leg. 1. at ordines minores sunt medij inter tonsuram, & sacros. Ergo. Tum etiam, quia est odiosa dispensatio: & sic quoad minus fieri possit, debet lædere ius commune. sic Doctores statim referendi. Excipe, nisi iam illegitimus minoribus esset insignitus; quia tunc ne priuilegium esset frustraneum, & inutile, de maioribus debet intelligi. sic Syluest. *verbo clericus*, 1. *quæst.* 4. *& verbo priuilegium, quæst.* 3. Salas *disp.* 17. *sect.* 8. *num.* 49. *&* 50. Bonacina *disp.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 7. §. 1. *num.* 10. Azor *lib.* 5. *cap.* 23. *quæst.* 2. Suarez *lib.* 8. *cap.* 28. *num.* 16. Sanchez *lib.* 8. *disp.* 1. *n.* 26. qui hoc limitat cum Bellamera, quando Pontifex dispensans nouit illegitimum minoribus initiatum, secus si id ignorabat. idem docet Salas *disp.* 20. *sect.* 10. *num.* 91. Quòd si Pontifex dicat. Dispenso cum illegitimo ad omnes ordines, de minoribus, & maioribus est intelligendum; quia cautè addita est illa particula, *omnes*, vt ordines etiam sacri intelligerentur. sic glossa *cap. fin. verbo ad omnes, de filiis presbyter. in* 6. & alij relati à Sanchez *suprà*, quos ipse sequitur. Item si cum illegitimo, vel aliàs irregulari dispensetur ad beneficia, priuilegium, & dispensatio intelligenda est de simplicibus, non de dignitatibus, & curatis. sic Salas *disp.* 17. *sect.* 8. *num.* 50. Bonacina, Sanchez, & Suarez *suprà*. Si verò dicat Princeps: Dispenso cum irregulari in irregularitate, quam habet, censetur tollere vinculum omne, ac proinde habilem reddere ad omnes ordines, & beneficia. Adde in illis verbis non esse fundamentum vllum, vt possit magis de ordinibus, quàm de beneficiis intelligi. Ergo de vtroque est intelligenda dispensatio, ne ambigua, & incerta, ac inutilis reddatur. sic Sanchez *suprà num.* 28.

4 Sed inquires, an extendenda sit hæc doctrina ad priuilegium derogans statuto, vel consuetudini speciali.

Respondeo. Probabilius est extendi debere, modò statutum, vel consuetudo non contrarietur iuri communi. sic Suarez *suprà num.* 16. Bonacina *num.* 8. esto contrà teneat Salas *sect.* 8. *num.* 52. Azor *cap.* 23. *quæst.* 2. Ratio est clara, quia tale statutum, & consuetudo est instar communis iuris. Ergo præferendum est iuri speciali priuilegij. Ex quo fit dispensatus ab oneribus, debet intelligi de oneribus extraordinariis, & non ordinariis. sic Syluest. *verbo priuilegium, quæst.* 9. Suarez *suprà num.* 16. cum Bart. *in l.* 2. *ff. de iure immunitatis*. Ratio omnium est, quia priuilegium, quod secum trahit dispensationem in iure communi, strictè est interpretandum: ita vt quoad minus fieri possit, ius commune lædatur, ex *cap. cùm dilectus, de consuetud.* & ibi glossa.

Dixi, modò statutum, aut consuetudo non contrarietur iuri communi. nam si contrariatur, tunc priuilegium latè explicandum est; quia eius explicatio lata fauet iuri communi. sic Salas *disp.* 20. *sect.* 10. *num.* 90. Sanchez *lib.* 8. *disp.* 1. *num.* 12. Bonacina *num.* 9. Henriquez *lib.* 7. *cap.* 30. *num.* 3.

5 Supradicta conclusio aliquas patitur limitationes.

Prima & principalis est, vt non intelligatur, quando priuilegium cedit in fauorem religionis, aut piæ causæ, tunc enim, etsi aliquo modo derogat ius commune, latè explicandum est; quia summum ius est, quod pro religione facit. *l. sunt personæ, ff. de religios. & sumpt. funerum.* Qua ratione priuilegium concessum filiisfamilias contra commune ius strictè est explicandum; ita vt solùm pro filiis legitimis intelligatur, iuxta *l. vlt. C. de his, qui veniam ætatis impetrauerunt.* & Bart. *in l. omnes populi, ff. de iustit. & iure, num.* 60. *&* 62. At si priuilegium cedat in fauorem religionis, & piæ causæ, ad legitimatos per priuilegium extenditur: tradit Suarez *lib.* 8. *c.* 27. *num.* 7. Salas *disp.* 17. *sect.* 6. *num.* 43. cum Bart. *in l. si constanter, ff. soluto matrim. num.* 44. & videri potest Tiraquell. *tract. de pia causa, num.* 160. Tale est priuilegium concessum militibus, religiosis, & aliis similibus; expedit enim maximè reipublicæ, religioni, & communi bono his personis fauere; quo bono compensatur sufficienter vulneratio iuris communis per dispensationem facta. sic Suarez *suprà*. Salas *sect.* 8. *num.* 52. *& disp.* 20. *num.* 90. *vers. sexto.* Bonacina *disp.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 7. §. 1. *num.* 5. Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disp.* 1. *num.* 33. Eman. Rodriq. *tom.* 1. *regul. qq. quæst.* 11. *art.* 6. *vers. decima regula.* Hinc infert Sanchez *num.* 14. Salas *sub num.* 90. *vers. sexto.* Si tibi Episcopus dispensationem concedat colligendi fructus in absentia causa studij, esse latè interpretandum; quia non tam ob personam, quàm ob causam publicæ vtilitatis conceditur dispensatio.

6 Secunda limitatio est ad priuilegium non insertum iure communi; quia si in iure communi insertum sit, latè est interpretandum. Ratio est manifesta, quia non est priuilegium contra ius absolutè, sed potiùs iuri conforme, cùm ius commune constituat. sic Suarez *lib.* 8. *cap.* 27. *num.* 8. Bonacina *suprà*. Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disp.* 1. *num.* 7. Hinc infertur, priuilegia omnia, quæ in perpetuum religionibus conceduntur, latè esse explicanda: tum, quia fauent religioni: tum, quia reputantur ob eorum perpetuitatem, ac si corpori iuris inserta forent. sic Sanchez *lib.* 8. *disp.* 1. *num.* 13. Henriquez *lib.* 7. *de indulg. cap.* 22. *num.* 3. *& cap.* 24. *num.* 4. *fine.* Bonacina *disp.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 7. §. 1. *num.* 6. *&* 7. & alij apud ipsos. Extenditur hæc limitatio ad priuilegium de materia iuris communis; quia tunc secundùm ius commune debet intelligi. qua ratione dicit alios referens, Salas *disp.* 20. *sect.* 10. *num.* 90. & Sanchez *suprà num.* 8. Bonacina *num.* 7. etsi dubitanter, dispensationem in tertio consanguinitatis gradu extendi ad secundum cum tertio; quia est conforme iuri communi, vt gradus desumatur ab eo, qui à stipite remotior est, *cap. fin. de consanguinit.* & licentiam testandi concessam Episcopis prodesse vt testamentum ante illam factum conualescat; quia est conforme iuris dispositioni, vt testamentum valeat, si facultas testandi tempore mortis existat. *l. si quis filio exhæredato, §. irritum, ff. de iniusto, rupto testament.* Matienz. *lib.* 1. *recopil. tit.* 4. *leg.* 3. *glossa* 3. *num.* 4. Bart. Anton. Gom. & alij apud Sanchez *num.* 9. Salas *disp.* 20. *sect.* 10. *num.* 90.

7 Tertia limitatio est de priuilegio, proprio motu, vel ex certa scientia concesso; hoc enim latè explicandum est, quantumuis sit contra ius commune, iuxta *cap. si motu proprio, de præbendis, in* 6. quia tale priuilegium sic concessum, est proprium beneficium Principis, ac proinde decet eius honorem, & liberalitatem lata interpretatio. sic plures referens Sanchez *lib.* 8. *disp.* 1. *num.* 5. *&* 6. Suarez *lib.* 8. *de legib. cap.* 27. *num.* 8. Bonacina *disp.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 7. §. 1. *num.* 7. Salas *disp.* 20. *sect.* 10. *num.* 89.

8 Dico tertiò. Priuilegium derogans iuri alterius restringendum est, quantum patitur proprietas verborum, quia non præsumitur Princeps velle huic iuri derogare, nisi id expresserit, sumitur ex *l.* 2. §. 1. *verbo merito. ff. ne quid in loco publico. l. nec auus C. de emancipat. libero. cap. licet in corrigendo, de officio ordin. cap. ex tuarum, de authorit. & vsu pallij.* & tradit Panormit. *in cap.* 1. *de iudiciis, cap. certificari, de rescriptis, num.* 9. Sanchez *lib.* 8. *disp.* 7. *n.* 6. Suarez *lib.* 8. *de leg. cap.* 27. *num.* 9. *& cap.* 28. *num.* 10. Salas *disp.* 17. *sect.* 8. *ad finem.* Bonacina *disp.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 7. §. 1. *n.* 33. & alij plures apud ipsos.

Ex his fit priuilegium ad lites concessum strictè explicandum esse; quia præbet occasionem litigandi, & vexandi alios, ac frequenter minuit inferiorum iudicum potestatem: sic communiter Doctores. Et idem est de priuilegio ambitioso, quale reputatur ad plura beneficia obtinenda; semper enim hæc derogant vel ius commune, vel alterius tertij, ac proinde strictè sunt explicanda. Idem est de priuilegio concesso ad beneficia vacantia conferenda, quod non est intelligendum de beneficiis prouidendis ab ordinario, nisi exprimatur. sic Sanchez *lib.* 8. *disp.* 2. *num.* 3.

9 Sed

9 Sed inquires, quibus verbis ferendum est priuilegium derogans ius commune, vel tertij, vt intelligatur derogare iuri communi, vel alicuius tertij?

Respondeo de priuilegio derogante ius commune, etsi probabile sit requiri clausulam expressam derogatoriam iuris communis, cui priuilegium opponitur: at probabilius existimo sufficere ipsius priuilegij concessionem, nulla derogatione superaddita. Probo, quia Princeps non præsumitur ignorare ius commune, sed potiùs illud scire, *cap. 1. de constitutionib. in 6.* Ergo dans priuilegium derogatiuum iuris communis, præsumitur velle illud derogare; aliàs præsumeretur nihil velle concedere, sed tantùm actionem inutilem efficere: & confirmari optimè potest ex *cap. in his, de priuileg.* vbi priuilegium datum minoribus celebrandi in altari portatili absque clausula derogatoria iuris communis requirentis licentiam Episcopi, vim habet absque illa: sic glossa *in dicto cap. 1. de constitutionib. in 6. verbo noscatur.* Felin. alios referens *in cap. nonnulli, de rescript. regul. 2. fallent. 2. num. 11.* Bald. *in l. item lapidi, ff. de rerum diuis. num. 8.* Suarez *lib. 8. cap. 14. num. 4. & 5.* Ex quo infertur, si tibi concedatur priuilegium aduersùs priuilegium in corpore iuris insertum, valebit priuilegium ob rationem iam dictam; quia præsumitur Princeps scientiam huius priuilegij in corpore iuris inserti habere, & quia idem iudicium faciendum est de illo, ac de iure communi. sic Suarez *num. 8.*

10 Limitanda tamen est hæc doctrina, dummodo ius commune priuilegiis non resistat; si enim resistit derogando, seu reuocando illa, debet priuilegium, vt effectum habeat, huic iuri sic fortificato derogare, aliàs nullius valoris erit. Ratio est, quia omnis efficacia priuilegij derogatur clausula illa iuris communis. Ergo dum illius clausulæ efficacia non tollitur, effectum non potest habere priuilegium. Et confirmo: si priuilegium absque clausula derogatoria valeret derogare legem sic fortificatam, cuius vtilitatis erat illa roboratio, si eodem modo, ac si non esset roborata per priuilegium, derogetur? Neque obstat illam resistentiam priuilegiorum esse de iure communi, ac proindè non esse præsumendum à Principe ignorari; quia esto non præsumatur ignorari; potest tamen præsumi nolle illi derogare, cùm priuilegium verbis communibus concedit absque clausula derogatoria, sed satisfacere tantùm importunitati petentium. sic Felinus, & Suarez *suprà.*

11 Verùm si priuilegium sit contrarium iuri alterius, vel consuetudini, aut statuto speciali; nullo modo vim habebit, nisi addatur clausula reuocatoria talis iuris, consuetudinis, aut statuti, etiamsi priuilegium sit proprio motu concessum. Quia nunquam præsumitur Princeps iuribus specialibus derogare, nisi illorum faciat mentionem, eo quòd ignorare illa præsumatur, ex *cap. 1. de constitutionibus, in 6.* sic Suarez *lib. 8. cap. 14. num. 8. & cap. 22. fine, & cap. 28. num. 9. & 10.* vbi alios refert. Emanuel Saa *verbo gratia, num. 12. in vtraque editione.*

PVNCTVM XI.

An priuilegium, seu potestas dispensandi, absoluendi à reseruatis latè, vel strictè interpretanda sint.

1 *Proponitur ratio dubitandi.*

2 *Potestas dispensandi personis non expressis, latè est interpretanda.*

3 *Soluitur ratio dubitandi.*

4 *Si potestas dispensandi concedatur expressa persona, distinctione vtitur Sanchez.*

5 *Semper esse strictè interpretandum resoluitur, vt probabilius.*

6 *Potestas concessa Episcopis in Trident. sess. 24. cap. 6. latè est interpretanda.*

7 *Quid de potestate concessa per Iubileum, & Bullam cruciatæ? Resoluitur latè interpretandam esse.*

8 *Quid de potestate concessa alicui eligendi Confessorem? An sit intelligendum de peccatis commissis, vel committendis? Resoluitur de commissis, si in bonum ipsius concessa sit potestas.*

1 Ratio dubitandi est, quia hoc priuilegium in ordine ad actum, & propter illum conceditur: actus autem, qui est dispensatio, seu à reseruatis absolutio stricti iuris est. Ergo etiam debet esse ipsamet potestas; debet enim imitari naturam illius, propter quod est: vt tradit Bart. *in l. constitutionibus, num. 1. ff. ad municipal.* Adde, quidquid derogat iuri communi, strictam admittit interpretationem; sed hæc potestas dispensandi, & absoluendi à reseruatis, derogat ius commune; commune enim ius est neminem dispensari posse, aut à reseruatis absolui, nisi à proprio iudice. Si ergo aliis datur facultas dispensandi, & absoluendi, iam læditur huiusmodi ius. Ergo ex hac parte strictè interpretandum est hoc priuilegium: & ita sentire videtur glossa *in cap. 1. de rescript. in 6. verbo processus, & in cap. solet, de sent. excommunicat. in 6. verbo per superiorem.* Anton. de Rosella *tractat. de legitimat. lib. 2. §. de causa materiali, num. 10.*

2 Nihilominus tenenda est communis sententia, potestatem dispensandi, & absoluendi à reseruatis, non expressis personis absoluendis, vel dispensandis, latè esse interpretandam. Ratio est, quia nulli iuri est contraria talis potestas; nullum enim est ius prohibens ordinario delegare facultatem, quam habet, imò potiùs iuri est maximè conformis hæc delegatio, quia sic occurrentibus necessitatibus faciliùs subuenitur. Item hæc facultas delegata nemini nocumentum affert. nam si alicui afferret, afferret iudici ordinario: at huic non potest dici afferre nocumentum, cùm potiùs nomine ipsius habeatur, & exerceatur; & dato quòd ipsi nocumentum aliquod afferret, cùm in illud voluntariè consentiat, non est reputandum alicuius considerationis, vt ob eam causam restringenda sit facultas. Adde. Potestas ordinaria dispensandi latè est interpretanda, ex *cap. per venerabilem, qui filij sint legitimi, & cap. fin. de simonia.* Ergo etiam delegata, quia ideo ordinaria latè interpretatur, quia nec respicit personam aliquam specialem, sed communitatem, cui necessaria & vtilis est hæc potestas; sed potestas delegata nullis expressis personis respicit communitatem, ad cuius regimen multum interest talis potestas. Ergo. Et ita tenet innumeros referens Sanchez *lib. 8. de matrim. disput. 1. num. 1.* Salas *de legibus, disput. 20. sect. 11. num. 110.* Saa *verbo dispensatio, num. 7.* Bonacina *disput. 1. quæst. 3. punct. 7. §. 1. num. 14.* Molin. *tractat. 2. de iustit. disput. 173. versic. obseruandum est.* Suarez *lib. 8. de legibus, cap. 17. num. 11.* Couarr. *4. decret. 2. part. cap. 8. §. 8. num. 6.* & alij apud ipsos.

3 Neque obstat ratio dubitandi. Fateor, inquam, absolutionem, & dispensationem esse strictè interpretandam, quia ius commune vulnerat: nego tamen potestatem dispensandi eiusdem rationis esse, quia non datur propter dispensationem aliquam specialem, & determinatam, sed pro omnibus illis, quæ communi bono, & rectæ gubernationi visæ fuerint expedire. quod certè beneficium est & reipublicæ necessarium, & iuri conforme. Aliàs etiam potestas ordinaria dispensandi esset strictè interpretanda, cùm sit propter dispensationem. Ad confirmationem dico, ius commune dictare, neminem absolui, aut dispensari posse, nisi à proprio iudice,

iudice, vel ab illo, qui vices illius gerat, qualis est, qui potestatem habet delegatam.

4 Verùm si persona, aut personæ absoluendæ, vel dispensandæ exprimantur, distinctione vtitur Sanchez *illa disput.2.num.6.* Salas *disput.20.sect.11 num.110.* Bonacina *disput.1.quæst.3.§.1. versic.quarta, num.19.* dicunt enim si in gratiam dispensaturi concedatur facultas dispensandi, late esse interpretandam; secus verò si in gratiam eius, cui est concedenda dispensatio. Et mouentur ex *cap. si cui nulla, de prabendis, in 6.* vbi facultas alicui concessa prouidendi de beneficiis vacaturis, nulla expressa persona, non expirat morte concedentis; secus verò si super prouisione certæ personæ facienda sit data potestas eidem, non ob suam, sed eius, cui prouideri mandatur, gratiam, vel fauorem; illa verò expirat omnino, si concedens re integra moriatur.

5 Cæterùm probabilius censeo, in vtroque casu idem esse dicendum, nempe facultatem dispensandi cum determinata persona, siue in gratiam dispensantis, siue in gratiam eius, cui est facienda dispensatio, strictè interpretandam esse: sic docet doctissimus, & nunquam satis laudatus P. Franciscus Suarez nostræ Societatis, & religionis Christianæ optimè meritus *lib. 6. de legib. cap.17.num.7.* & adducit Angel. *verbo dispensatio, num.9.* Syluest. *quæst. 5. num. 9.* Gambara *de authoritate legati, lib.10. num.200.* Francisc. *in cap. is qui, de filiis presbyter. in 6.* Tabien. *verbo beneficium, 2. num.16.* Sayro *tom.1. cap.11. num 8. fine.* Ratio est; quia dari facultatem dispensandi cum determinata persona in gratiam dispensaturi, vel in gratiam eius, cui est concedenda dispensatio, non immutat facultatem, cùm huiusmodi finis sit extrinsecus; sed cùm datur in gratiam eius, cui est concedenda dispensatio, est strictè interpretanda, eo quòd sit inchoata, & quasi virtualis dispensatio. Ergo similiter interpretanda est, cùm datur in gratiam dispensaturi, quia etiam tunc est inchoata, & virtualis dispensatio. Et confirmo: sæpè dispensandus potest esse æquè dignus fauore, & gratia, ac est dispensans. Ergo in illo casu æquè erit fauorabilis, & amplianda, vel restringenda facultas alicui data in gratiam eius, vel in gratiam eius, cui est danda dispensatio. Caput autem, *si cui, de prabendis, in 6.* non tendit ad decidendum, an gratia, & facultas concessa exprimendo personam, sit latè, vel strictè interpretanda; sed solùm an expiret morte concedentis, & ibi affirmatur: si gratia sit in fauorem eius, cui prouideri mandatur, expirare re integra; secus verò erat dicendum, si esset in gratiam eius, qui prouidere debebat; quia tunc gratia sortita erat suum effectum. Ex hoc autem non infertur, sitne gratia strictè, vel latè interpretanda, cùm ipsemet Sanchez *lib. 8. disput.28. num.87. & sequentib.* affirmet mandatum ad dispensandum dispensatione necessaria non perire mortuo mandante, & tamen est strictè interpretandum. Ergo durare priuilegium post mortem concedentis non infert latam eius interpretationem.

6 Ex his infertur primò, potestatem concessam Episcopis in Trident. *sess.24. cap.6. de reformat.* esse latè interpretandam: tum, quia est facultas data non expressis personis, & ob bonum commune Ecclesiæ, & in corpore iuris inclusa. Ergo est latè interpretanda, & ita sentit Henriquez *lib. 10. de sacrament. ordinis, cap. 20. num.2. & lib.14. cap.18. num.2.* Bonacina *disp.1. quæst.3. punct.7. §.1. num.19.* Sanchez *lib.8. disp.2. à n.10. & seqq. & in summ. lib.4. cap.54. num.7.*

7 Secundò infero, quid dicendum sit de potestate concessa per Iubilæum, & Bullam cruciatæ eligendi Confessarium, qui absoluat à reseruatis, vel dispenset in votis, & aliis canonicis impedimentis? Sanchez *lib.8. disput.2. num.7.* Nauarr. *lib.2. consil. tit. de iureiurando, in 2. edit. consil.1. n.6.* Salas *disput.20. sect.11. num.100. fine.* existimant strictè interpretandam esse, quia est beneficium, & fauor accipientis Bullam, & obtinentis Iubilæum. Item est inchoata dispensatio; siquidem tenetur electus, si causa subsit dispensationis, dispensationem concedere, vt bene probat ipse Sanchez *disput.28. num.93.* Verùm etsi attenta hac ratione hæc facultas esset strictè interpretanda: at ob fines, & circumstantias huius concessionis late explicanda est; sicuti de dispensatione in fauorem piæ causæ, & religionis diximus. Nam finis præcipuus huius facultatis non est aliquod priuatum commodum sumentis Bullam, & obtinentis Iubilæum, sed est commune bonum Ecclesiæ, & subuentio illius in aliqua publica necessitate. Ergo ex hac parte latam accipit interpretationem. Itèm hæc potestas dispensandi, & absoluendi ordinatur ad lucrandum efficaciùs indulgentiam, & remissionem peccatorum concessam: indulgentia autem, & remissio cùm sit Principis beneficium nemini nocens, nec iuri communi aduersum, latè est explicandum. Ergo etiam & hæc potestas: & ita tenet Suarez *lib.6. de voto, cap.16. n.3.* Bonacina *disp.1. quæst.3. punct.7. §.1. num.17. & de indulgent. punct.7. ad finem.* Henriquez *lib.7. de indulg. cap.30. in princ.* Ludouic. Lopez *2. p. tit. de claui, cap.9. col.6.*

8 Tertiò infertur, quid dicendum sit de potestate alicui concessa eligendi Confessorem, qui eum absoluat à censuris, & casibus reseruatis? Azor *lib.5. cap.23. quæst.2.* affirmat strictè interpretandam esse, ac proinde limitari ad censuras, & peccata præcedentia facultatem, nisi aliter constet de mente concedentis. Mouetur, quia si pro peccatis committendis daretur, ansam præberet liberiùs peccandi. Ergo non est extendenda ad illa. Friuola ratio, cùm hoc per accidens sit, & non à facultate proueniens, sed à malitia abutentis. Quapropter Bonacina *disput.1. quæst. 3. punct.7. §.1. num.11.* Salas *disput.17. sect. 8. num. 51.* existimant latè esse interpretandam hanc facultatem, comprehenderéque non solùm commissa, sed committenda: tum, quia verba generaliter prolata, generaliter sunt intelligenda: tum, quia fauet animæ saluti, ne peccator in peccatis sordescat. Mihi tamen absolutè dicendum videtur hanc facultatem strictè interpretandam esse, si ob bonum priuatum ipsius absoluendi concessa fuerit: ac proinde ad solas censuras contractas, & peccata commissa extendi posse, non ad committenda, quia est fauor singularis personæ derogans legi communi reseruationis; est enim illa facultas inchoata dispensatio, & exemptio à lege communi, qua cæteri adire superiorem tenentur pro absolutione; ipse verò ab illa obligatione eximitur. Ergo tanquam dispensatio in lege est strictè interpretanda. Ergo non debet extendi ad omnes casus, quibus verba adaptari possunt. Notanter apposui strictè interpretandam esse, si ob bonum priuatum absoluendi concessa fuit facultas: nam si ob bonum commune, vel ob aliquod singulare ita graue, & necessarium, vt eius grauitas præponderet derogationi legis communis, concessa facultas latè tunc interpretanda erit; eáque de causa Salas *illa disput.17. sect. 8. num.51.* sibi contrarius his quæ dixerat *disput.20. sect.11. fine,* dicit facultatem eligendo Confessorem per Bullam cruciatæ ampliandam esse, vt non solùm extendatur pro peccatis commissis ante sumptionem Bullæ, sed etiam pro committendis, quantumuis fuerint in confidentiam Bullæ.

PVNCTVM XII.

An priuilegium fauorabile extendatur ad alios præter expressos.

1 *Non extenditur ad alios præter expressos. Explicatur exemplis. In aliquibus priuilegijs qui censeantur expressi.*
2 *Proponitur quædam obiectio; soluitur.*

1 REgula generalis est non extendi ad alios præter ibi expressos, quia tota efficacia priuilegij pendet ex intentione significata concedentis, quæ intentio verbis significatur. Ergo vltra expressionem verborum non potest extensio fieri. Hinc est, quod communiter dicitur, priuilegia valere tantum, quantum sonant. Aliquibus exemplis regula illustratur. Priuilegium concessum religiosis etiam sub nomine masculino, comprehendit religiosas illius ordinis, in his, quorum sunt capaces, quia in illo priuilegio satis exprimuntur, siquidem non attenditur sexus, sed qualitas. Manuel Rodriquez *tom. 1. regul. qq. q. 13. artic. 22.* Bonacina *disput. 1. quæst. 3. punct. 7. §. 2. num. 2.* Suarez *lib. 8. cap. 10. num. 7.* Verùm si in priuilegio dicatur, *viris religiosis*, vt dicitur *in cap. pastoralis, de priuilegijs*; tunc ad fœminas non extenditur, quia ratione illius nominis viri, fœminæ non exprimuntur, sed potiùs excluduntur. sic Suarez, & Bonacina *suprà*. Item priuilegium concessum filiis, filias comprehendit; quia nomine filij, & filiæ sunt intelligendæ, ex *l. iusta, l. filij, l. cognoscere, ff. de verborum significat.* & tradit optimè Matienzo *lib. 5. recopilat. tit. 7. l. 11. à num. 5.* Secus verò si dicatur filiis masculis, fœminæ tunc manent exclusæ. sic Rebuff. *in l. 1. ff. de verborum significat. verbo masculos.* Suarez, Bonacina *suprà*. Esto contrà videatur tenere Emanuel Saa *verbo gratia, num. 11. in vtraque editione*; ibi in priuilegio nomine marium comprehenduntur etiam fœminæ: & *verbo interpretatio, num. 3.* dicit in fauorabilibus masculinum comprehendere fœmininum; secus in contractibus. Item priuilegium fratribus, sororibus est commune, nisi aliunde appareat restrictio; quia sub nomine frattum sorores veniunt intelligendæ, ex *l. Lucius, 93. §. quæsitum, ff. de legat. 3.* vbi dicitur, nomine fratrum in testamento sorores intelligi, nisi aliud de mente testatoris constet. Idem habetur *in l. tres fratres ff. de pactis*, & tradit Tiraquel. *lib. 1. de retract. lignagier, §. 1. glossa 9. num. 200.* Suarez *lib. 8. cap. 10. num. 7.* Bonacina *num. 4.* Nomine autem filiorum non veniunt nepotes, regulariter loquendo, quia sub nomine filij in rigorosa significatione non comprehenduntur. sic Rebuff. *in l. liberorum, 220 ff. de verborum significat.* Barbosa *in l. maritum, num. 80. ff. soluto matrimonio.* Quare, vt priuilegium concessum filiis, ad nepotes extendatur, debet ex iuris dispositione, vel alia via de mente concedentis constare. sic Suarez *lib. 8. de legibus, cap. 11. num. 6.* & sic intelligit *authent. si quid, C. qui potiores in pignore habeantur, & l. iusta, 101. ff. de verborum obligation.* in quibus locis nomine filiorum solent nepotes intelligi.

2 Sed obiici potest primò. Priuilegium concessum Sacerdoti celebranti tempore interdicti, conceditur ministro eius, & domino, conceditur seruis: at nec minister sub nomine Sacerdotis, nec seruus sub nomine domini exprimuntur. Ergo iam priuilegium extenditur ad alios præter ibi expressos. Secundò priuilegium nobilitatis concessum marito ad vxorem extenditur, & concessum patri, ad filios: at vxor sub nomine mariti non comprehenditur, neque filius sub nomine patris. Ergo.

Facilis est horum solutio.

Ad primum dico. Dupliciter aliqua in priuilegio exprimi possunt, formaliter, vel virtualiter: quocumque autem modo in priuilegio exprimantur, ad illa priuilegium extenditur. Exprimuntur autem virtualiter omnia illa, sine quibus priuilegium inutile redderetur. Nam concedens priuilegium, intendit commodum eius vsum concedere, & consequenter omnia illa, quæ huiusmodi vsui, vel ex præcepto, vel ex consuetudine annectuntur: cùm autem celebrationi annectatur minister, si conceditur priuilegium Sacerdoti, & ministro virtualiter conceditur: sic priuilegium concessum Sacerdoti ad celebrandum, vel cuilibet alteri ad audiendi diuina tempore interdicti; conceditur etiam familiaribus, qui eum comitari solent, *cap. licet, de priuilegijs, in 6.* quia aliàs inutilis redderetur concessio, siquidem ex consuetudine habet, cùm pergit ad audienda diuina deferre illum comitatum. Hinc infert Suarez *lib. 8. cap. 11. num. 7. & 8.* & ex illo Bonacina *disput. 1. quæst. 3. punct. 7. §. 2. num. 6.* si Sacerdoti concedatur priuilegium recitandi matutinum statim post meridiem (vt ipsemet Suarez habebat) concedi consequenter socio cum illo recitanti; quia conceditur priuilegium iuxta vsum ab Ecclesia receptum: at vsus Ecclesiæ est recitare cum socio. Ergo socio conceditur, aliàs ferè inutile esset priuilegium, siquidem cogeretur sæpè recitare solus, cùm raro inueniret socium, qui recitare vellet, sciens obligationi propriæ non satisfacere. Indicat Saa *verbo gratia, num. 30.*

Ad secundum fateor priuilegium nobilitatis marito concessum, ad vxorem extendi, & concessum patri ad filios, non ex vi illius priuilegij, quo maritus, & pater nobilitantur, sed ex alia iuris dispositione, qua cauetur, quoties marito, aut patri priuilegium nobilitatis conceditur, vxorem, & filios illo gaudere, ex *l. fœmina, ff. de Senatoribus, & l. 1. C. de dignitatibus, lib. 12.* Hæc autem nobilitas communicatur vxori, & filiis, sicuti communicatur marito. Quocirca, si nobilitas marito ingenita sit, vxor per participationem, tam viuente marito, quàm illo mortuo nobilis permanet; & idem est de filiis: si autem nobilitas non ex sanguine, sed ex officio, & munere marito adueniat, tunc distinguendum est: si perpetua sit in marito etiam renuntiante officium, ad vxorem, & filios transit, illo etiam mortuo: si autem cum officio coniuncta sit nobilitas solùm dum illud durat, nobiles existent maritus, & filij: sic Suarez *lib. 8. de legibus, cap. 11. num. 2. 3. & 4.* consentit ex parte Azor *lib. 5. cap. 23. quæst. 4.* cum Panormitan. *in cap. licèt, de censibus*, & Cyno *in l. 2. C. de Episcopis, & clericis.* Syluest. *priuilegium, quæst. 5.* Salas *disput. 17. sect. 11.* Bonacina *disput. 1. quæst. 3. punct. 7. §. 2. num. 10.* Efficitur ergo ex his veram esse regulam positam, nunquam priuilegium extendi ad alios præter expressos formaliter, vel virtualiter in priuilegio: siquidem, vt priuilegium nobilitatis extenderetur ad vxorem, & filios, necessaria fuit noua iuris dispositio. Quapropter, si priuilegium exemptionis à tributis concedatur marito, ob eius necessitatem, aut aliam rationem, excepta nobilitate, non extenditur ad vxorem, neque ad filios. sic Azor, Salas, & Suarez *suprà*. Sicuti priuilegium canonis, & fori concessum clerico coniugato non extenditur ad eius vxorem, & filios; quia nec iure habetur talis extensio, neque etiam erat conueniens, siquidem clerico conceditur ob dignitatem clericalem, quæ vxori communicari non potest: ac tandem ratione matrimonij in ipso clerico eius priuilegium coarctatur; vt constat ex *cap. vnico, de clerico coniugato, in 6.* & Trident. *sess. 23. cap. 6. de reformat.* eo quòd non sit ita ad diuinum obsequium expeditus, ac si liber existeret. Ergo longè erit ab extensione

tensione in ordine ad alios: sic Sanchez plures referens *lib.7. disput.47. num.1. & 3.* Suarez *lib.8. de legibus, cap.11. num.3.* Bonacina *disput.1. quaest.3. punct.7. §.2. num.9.*

Pvnctvm XIII.

Extendatúrne priuilegium ad casus alios, vel personas, in quibus est similis, vel efficacior ratio.

1 *Negatiuè respondetur.*
2 *Proponuntur quaedam obiectiones.*
3 *Quid sentiat Sanchez.*
4 *Defenditur non esse extensionem faciendam etiam in fauorabilibus de casu ad casum, nec de persona ad personam.*
5 *Satisfit positis obiectionibus.*
6 *Quid dicendum de potestate legitimandi adulterinum, & incestuosum, si vtrumque vitium in eadem persona concurrat? Proponitur dubitandi ratio.*
7 *Resoluitur te posse legitimare.*
8 *Quomodo limitet Sanchez. Explicatur eius limitatio.*

1 EX supradicta regula in puncto praecedenti apposita liquidò videtur constare, priuilegium extendi non posse ad casus alios, vel personas ob similitudinem, vel maiorem rationem. tenet expresse Salas *disput.20. de legibus, sect.11. num.110.* Suarez *lib.8. cap.28. num.11.* Bonacina *disput.1. de legibus, quaest.3. punct.7. §.1. num.15. & §.2. num.11. & 12.* & alij plures, quos ipsi referunt. Ratio est manifesta, quia tota efficacia priuilegij ex voluntate concedentis significata pendet: ipse autem concedens verbis exprimit suam voluntatem; cùm igitur haec verba casum, vel personam similem non comprehendant, ad illos priuilegium extendi non potest. Item priuilegium est, quaedam lex priuata, quam Princeps alicui concedit ob specialem rationem. Ergo etiamsi eadem, & efficacior ratio sit in alio, non obinde infertur Principem illi priuilegium concessisse, ac proinde neque priuilegium habere, sed solùm infertur esse priuilegio dignum. Deinde etiamsi in alio similis ratio sit, vt Princeps priuilegium concedat; si prius priuilegium concessum non fuisset: at posita iam priori concessione, saepè non videtur sufficere; efficacior enim ratio requiritur, vt pluribus communicetur idem priuilegium, quàm si tantùm vni concedatur. Denique si ob similitudinem rationis liceret priuilegia extendere, nihil esset in priuilegiis firmum, & plures contra voluntatem priuilegiantis priuilegium haberent; concesso enim patri priuilegio, esset concedendum filio, imò extraneo, si in eo eadem ratio militat: & concesso alicui speciali religioni, omnibus aliis aequalibus esset concedendum, & vni militi, omnibus aliis militibus aequalibus. quae omnia sunt absurda: non igitur est extendendum ad casus similes.

2 Sed obiici potest primò, quia in lege datur extensio ob similitudinem rationis. Ergo etiam in priuilegio. Et confirmo ex *cap. cùm dilecta, de confirmat. vtili, vel inutili*, vbi ex eo, quòd admittuntur testes aliàs non admittendi, arguit Pontifex se moueri ad concedendam innouationem priuilegiorum, eiusdem aequitatis similitudine prouocatus. Ergo datur in priuilegiis extensio ob similitudinem rationis.

Secundò probatur ex *cap. ex parte tua, 27. de decimis*, vbi priuilegium concessum percipiendi decimas de laboribus terrae parochiarum suarum, extenditur ad noualia; quia vbi maius conceditur (inquit Pontifex) minus concessum esse videtur, fauétque *regula iuris 53. in 6. Cui licet quod est plus, licet vtique, quod est minus.*

Tertiò ex *cap. per venerabilem, qui filij sint legitimi*, vbi Pontifex probat dispensationem illegitimo concessam ad actus spirituales, extendi ad temporales; quia quod in maiori conceditur, licitum esse videtur, & in minori.

Quartò priuilegium ad dispensandum in votis, extenditur ad vota iurata, quia est eadem ratio, item extenditur ad illa commutanda: & priuilegium testandi extenditur ad faciendum codicillum, vel donandi causa mortis. Et facultas concessa clerico beneficiario accipiendi fructus in absentia causa audiendi Theologiam, extenditur etiamsi ius canonicum audiat. Ergo iam priuilegium extenditur ad casum similem.

3 Propter aliqua ex his argumentis Sanchez *lib. 8. disput.1. num.33. & sequentib.* etsi admittat in dispensationibus odiosis, non valere argumentum à paritate rationis, vel à maiori ad minus: at in fauorabilibus admittit valere quidem, & *num. 34.* dicit valere argumentum à maiori, quando casus, in quo dispensatur, rationem expressam concessionis continet, & *num. 36.* concedit valere argumentum à maiori ad minus in his, quae à canone, vel lege inducuntur; secus verò in dispensationibus ab homine concessis. & *disput.2. num.2.* dicit potestatem dispensandi non extendi ad casus, qui non comprehenduntur sub lata forma concessionis, extendi tamen ad consecutiua, etiam separabilia, in quibus est eadem, vel maior ratio. Et Emanuel Saa *verbo gratia, num.18.* dicit absolutè priuilegia extendi ad casus similes.

4 Caeterùm retinenda est indemnis conclusio posita, non solùm in dispensationibus, & priuilegiis odiosis, in quibus est *regula iuris in 6. Quae à iure communi exorbitant, non sunt ad consequentiam trahenda*; sed etiam in fauorabilibus, quantumuis sint à iure concessis, & in eis exprimatur ratio concessionis: nullo modo, inquam, valere argumentum à paritate rationis, neque extensionem faciendam esse de casu ad casum, vel personam similem. Quae ratio superior assignata aequè de omnibus probat. Non enim extendi potest dispensatio, aut priuilegium, quantumuis fauorabile, nisi ex voluntate concedentis, quam si verba priuilegij non manifestant, nullo modo efficaciam habet. Quòd autem in priuilegio exprimatur ratio concessionis, non facit concessionem ad plura se extendere; talis enim expressio solùm declarat motiuum concedentis, non extendit concessionem. Probatúrque potest exemplis; si enim Petro ob eius merita in priuilegio expressa concedatur pluralitas beneficiorum, vel priuilegium non decimandi, vel non soluendi tributum, vel habendi oratorium, non obinde infertur tecum dispensatum esse, & omnia illa priuilegia concessa, etiamsi tua merita aequalia, vel maiora existerent. Item si moniali ob eius infirmitatem in priuilegio expressam concedatur è monasterio egressus, non obinde est concessus aliis aequè infirmis: & ita tenet Felinus *cap. postulasti, num. 9. limitat. 1. de rescriptis.* Salas *disputat. 20. sect.10. num.95.* Basilius de Leon *lib.8. cap.21. num.8. & seq.*

5 Quapropter ad obiectiones factas respondeo.

Ad primum concedo gratis legem fauorabilem extendi ad casum, in quo est eadem ratio; quia lex pendet à ratione: at priuilegium non à ratione, sed à voluntate concedentis.

Secundò dico nunquam legem extendi ad casum non comprehensum, etiamsi in illo sit similis ratio; sed ex vno casu per legem deciso, alius à iudicibus decidendus venit, non ex necessitate, sed ex quadam aequitate, &

& conuenientia. Confirmatio ex *cap. cùm dilecta*, solùm probat, quoties adest similis ratio, sufficiens esse, vt Princeps idem decernat, & simile priuilegium concedat; quod satis innuit illis verbis, *ob eiusdem æquitatis similitudinem prouocatus*; id est, prouocatus fuit priuilegium innouationis concedere, non tamen de se concessum erat.

Ad caput *ex parte*, concedo priuilegium concessum illi Abbati percipiendi decimas extendi ad noualia; quia vbi maius conceditur, concessum est minus, quod est in maiori inclusum; in illa enim priori concessione, attenta verborum proprietate noualia includebantur; siquidem noualia terra erat illius Abbatis. Ergo si illi Abbati concessæ erant decimæ ex laboribus terræ parochiarum suarum, & noualia conceduntur secundùm latam interpretationem; ac proinde non est extensio de vno casu ad alium, ob similem rationem, sed est casus in priuilegio comprehensus. Et eodem modo intelligenda est *l. neque ea*, 22. *ff. ad legem Iuliam, de adulter.* vbi dicitur, qui occidere potest adulterum, multo magis contumelia poterit iure eum afficere; quia contumelia in ipsamet occisione videtur inclusa. Quapropter habens potestatem in vitam alicuius, & in eius bonis videtur habere, quia & sunt accessoria vitæ, & tacitè inclusa; sic bannitum spoliare potes, quia potes interficere: sic glossa *cap. litteris, verbo prædo, in fine, de restit. spoliat.* Salas, Sanchez *suprà*.

Caput *per venerabilem*, fateor esse difficile, vt dixit glossa.

Primò responderi potest esse allegationem partis, valere argumentum de maiori ad minus à legitimitate in spiritualibus, ad legitimitatem temporalem; non decisionem Pontificis.

Secundò respondeo in illo casu valere, si penes concedentem legitimationem in spiritualibus, sit potestas legitimandi in temporalibus, non quia priuilegium de vno casu ad alium extendatur, si casus sunt separabiles: at quando ex decentia, & æquitate separari non possunt; sed vnius concessio aliam secum trahit: tunc in concessione vnius aliud virtualiter continetur. Qua ratione diximus priuilegium concessum alicui audiendi diuina tempore interdicti extendi ad eius familiares: in præsenti autem legitimatio in temporalibus, annectitur legitimitati in spiritualibus, ne legitimatio in spiritualibus indecens esset, & monstruosa, siquidem (vt dicit Pontifex) monstruosum videretur, vt qui legitimus ad spirituales fieret actiones, circa sæculares actus illegitimus remaneret.

Ad quartum permitto priuilegium dispensandi in votis, extendi ad vota iurata, quia est accessorium, & extendi ad ea commutanda, quia commutatio, qua ratione deficit ab æqualitate pars dispensationis est. Item priuilegium testandi extendi ad codicillum, vel tanquam accessorium testamento, vel tanquam sub nomine testamenti comprehensum; excepto enim vsu, & vulgari significatione, quælibet dispositio causa mortis testamentum vocatur, vt dicitur *in l. Marcellus, ff. de donationibus causa mortis.* ibi, *Nam & mortis causa donare poterit, cui testari concessum est.* atque adeò non est extensio ad alium casum extra priuilegium, sed ad casum in priuilegio comprehensum: sic Mandos. *in praxi signaturæ gratiæ, verbo licentia, versic. alia etiam ambiguitas.* Molin. *tom. 1. de iustit. tractat. 2. disput. 141. ad finem.* Suarez *lib. 8. de legibus, cap. 28. num. 15.* Sanchez alios referens *lib. 8. disput. 1. num. 38.* Bonacina *disput. 1. quæst. 3. punct. 7. §. 2. num. 11.* Salas *disput. 20. sect. 10. n. 96.* Eadem ratione infert Sanchez, Salas, & Bonacina *suprà*, licere lacticinia comedere habenti priuilegium comedendi carnes die ieiunij, quia est accessoria prohibitio: & dispensatione facta in principali, censetur facta in accessorio. Similiter habenti priuilegium comedendi oua, & lacticinia esse licita; quia nec lacticinia, neque oua prohibentur, quatenus talia sunt sed quatenus sementinam trahunt originem à carnibus vt dicitur *in cap. denique, 4. distinct.* Quapropter dispensatione facta in aliquo ex illis, in omnibus facta est; quia ratio prohibitionis eadem, & non similis in omnibus originatis à carne inuenitur.

6 Ex his venit decidenda quæstio, an habens potestatem legitimandi adulterinum, & incestuosum, possis legitimare, si vtrumque vitium in eadem persona concurrat?

Ratio dubitandi est, quia esset extendere potestatem ad casum in priuilegio non comprehensum, laborans enim vtroque vitio non comprehenditur sub illo, qui aliquo tantùm laborat, quia diuersum est mixtum à simplici. Item magis odiosus, & execrandus est natus ex adulterio, & incestu simul, quàm natus ex adulterio tantùm, vel ex incestu tantùm. *l. adulterium cum incestu, in princip.* vbi Bart. *ff. ad legem Iuliam, de adulter.* Ergo ex facultate legitimandi adulterinum, & incestuosum, non venit vtroque vitio laborans: & confirmo ex *cap. porrò, de priuilegijs*, vbi non censetur concessum maius ex concessione minoris: at legitimare vtroque vitio laborantem, maius est, quàm legitimare laborantem vnico tantùm. Ergo in concessione legitimandi laborantem vnico vitio, non est concessa facultas legitimandi laborantem vtroque.

7 Cæterùm dicendum est tanquam probabilius, te posse legitimare laborantem vtroque vitio, si habeas potestatem legitimandi adulterinum, & incestuosum seorsim sumptos. Ratio præcipua est, quia illa vitia, siue in diuersis subiectis, siue in vno existant, eadem sunt; sed cùm in diuersis subiectis existunt, potes illa tollere. Ergo etiam cùm in vno existunt. Et confirmatur ex *l. si ita, in princip. ff. de liberis, & posthumis*, vbi sub simplici mixtum comprehenditur, præcipuè in materia fauorabili, qualis est potestas legitimandi non expressis personis concessa: & ita tenet Mandos. *regul. 10. Cancellariæ, quæst. 3. num. 10.* Emanuel Saa *in vtraque editione, verbo dispensatio, num. 7.* Henriquez *lib. 14. de irregularitate, cap. 14. num. 10.* Syluest. *verbo dispensatio, num. 10.* Thomas Sanchez plures referens *lib. 8. disput. 2. num. 28.* Neque obstat ratio dubitandi, quia laborans vtroque vitio simul, esto non æquiualeat laboranti vno tantùm: at æquiualet pluribus, qui singulis laborant.

8 Limitat tamen Thomas Sanchez cum multis aliis, vt non intelligatur, si de præiudicio tertij tractetur. Sed ego hanc limitationem intelligendam puto, quando potestas data esset pro personis expressis; tunc enim quia est dispensatio, quasi inchoata, limitari debet iuxta dicta: at quando hæc potestas conceditur personis non expressis, latè interpretari debet, esto exercitium potestatis strictè interpretandum sit, si in præiudicium alicuius vergat.

PVNCTVM XIV.

De priuilegij amissione. An, inquam, amitti possit priuilegium ex solo lapsu temporis.

1 *Multis modis amittitur priuilegium.*

2 *Priuilegium pro limitato tempore concessum illo transacto finitur.*

3 *Idem est, quando deficit conditio priuilegio inhærens.*

4 *Quando priuilegium conceditur ad aliquid agendum, non finitur actu inualido.*

5 *Neque etiam vnico actu, si verba sint indifferentia. Probat Sanchez, Suarez, Salas.*

6 *Communis sententia docet vnico actu finiri.*
7 *Quid sentiendum sit.*
8 *Explicantur plures casus difficiles, in quibus vnico actu videtur priuilegium finitum.*

1 Certum est multis modis priuilegium amitti. Primò cessatione causæ finalis. Secundò morte priuilegiati, vel concedentis priuilegium. Tertiò renuntiatione expressa. Quartò renuntiatione tacita, scilicet non vsu, vel vsu contrario, vel abusu. Quintò per reuocationem concedentis, de quibus in seqq. In præsenti autem dubitamus, an ex solo lapsu temporis amittatur?

2 Certum est priuilegia pro limitato tempore concessa, finito eo tempore finiri; quia cùm tota virtus, & efficacia priuilegij pendeat ex voluntate concedentis, & hæc non extendatur vltra tale tempus in priuilegio signatum, efficitur sanè neque priuilegium extendi posse, sumitúrque ex *l. 2. & 4. C. de precibus Imperatori offerend. & cap. de causis, de officio delegati.* Idem est de priuilegio concesso dependenter ab aliqua conditione, illa enim sublata priuilegium euanescit, ratione supradicta, quia concedens priuilegium annectit illud conditioni appositæ. Qua ratione priuilegium clerico, & monacho concessum peribit, si mutat statum, quia sub conditione clericatus, vel monachatus conceditur.

3 Aduertendum tamen est cum Suarez *lib. 8. cap. 29. num. 5.* conditionem appositam posse se tenere, vel ex parte concessionis, vel ex parte priuilegij, vel ex parte vsus, & exercitij priuilegij: si ex parte concessionis se teneat conditio, priuilegium ab illa in conseruari non pendet, sed solùm in fieri; quia solùm ad dandum priuilegium fuit conditio requisita, non ad illud conseruandum. Exemplo res illustratur. Concedit Pontifex monasterio priuilegium non soluendi decimas, si Episcopus consentiat, consentiente Episcopo semel, priuilegium manet firmum, quamuis postea mutet voluntatem, & dissentiat, quia eius consensus requisitus fuit ad effectum priuilegij, non ad illius conseruationem. At si ex parte priuilegij conditio insit, quia videlicet concedens significat concedere priuilegium, quamdiu illa conditio existat. Verbi gratia, quamdiu fueris monachus, sis à tributo exemptus, quamdiu Episcopus consenserit, non soluas decimas, tunc pereunte conditione priuilegium perit. Verùm si conditio ex illis est, quæ semel sublatæ facilè possunt redire, vt in casu de consensu Episcopi: tunc existimo priuilegium non omnino perire, sed suspendi, quoad eius vsum. Quod à fortiori constat, quando conditio vsui priuilegij esset apposita; vt si diceret Pontifex, Concedo tibi ne soluas decimas, possis ministrare sacramenta, concionari, consentiente Episcopo; æquiualet enim huic, ne soluas decimas, concioneris, ministres sacramenta; quandiu, vel quoties Episcopus consenserit. Quocirca his conditionibus, quæ varietatem communiter recipiunt, non censetur priuilegium, quoad suum esse annecti, sed quo ad vsum, ac proinde redeunte conditione, priuilegio vti priuilegiarium posse.

4 Hinc venit decidenda quæstio illa, an priuilegium absolutè concessum, ad aliquid agendum, vel omittendum vnico actu finiatur?

Et quidem quando verba priuilegij clara sunt pro vnico actu, nemini est dubium illis inhærendum esse, neque vltrà esse extendendum: debet tamen actus esse validus. nam irritus reputatur, ac si non esset appositus, ex *regul. vulg. Quod nullum est, nullum sortiri potest effectum:* & tradunt Doctores statim referendi. & Emanuel Saa *verbo interpretatio, num. 12. in vtraque editione.* Excipe, nisi ex voluntate, & scientia nullitatis factus fuerit à priuilegiario, quia tunc ne commodum ex sua iniquitate reportet, eo actu priuilegium finitur: sic multis relatis docet Tiraquel. *in l. boues, §. hoc sermone, limit. 2. à num. 1. & seqq. præcipuè num. 19.* Ancharan. *cap. 1. quæst. penult. de filijs presbyter. in 6.* & ibi Dominic. *num. penult.* Francus *num. 13.* Quare difficultas est, quando verba sunt ambigua, & indifferentia, ita vt possint ad vnum actum limitari, vel ad plures extendi, quæ regula sit seruanda?

5 Sanchez *lib. 8. de matrim. disput. 31. num. 8.* Salas *de legibus, disput. 20. sect. 19. num. 127.* Suarez *lib. 8. de legibus, cap. 29. num. 8.* Bonacina *disp. 1. quæst. 3. punct. 8. §. 2. num. 2.* existimant vnico actu non finiri tale priuilegium, nec dispensationem; excipit tamen Sanchez, nisi cesset omnino causa, ob quam fuit concessum. Mouentur, quia quando dispensatio, & priuilegium pro vnico actu tantùm conceditur, clarè significatur. Addi enim solet, pro hac vice dumtaxat, semel in vita, vel in morte, & similia, quæ clarè denotant restrictionem. Ergo quando hæc significatio non est clara, sed dubia, non debet ad vnicum actum limitari. Ex quo infert Sanchez *num. 10.* cum Ioan. Andr. *cap. 1. de filijs presbyt. in 6. & cap. non potest, num. 5. de præbendis, in 6.* Angel. *verbo beneficium, num. 24.* & ibi Armilla *num. 29.* Syluest. *verbo beneficium, 3. quæst. 11. num. 14.* Tabiena *eod. 2. q. 17. num. 19.* illegitimum dispensatum absolutè ad beneficium, posse illo dimisso aliud accipere; quia illa dispensatio tendit ad reddendam personam habilem ad vnum beneficium, qua habilitate supposita beneficium retinere potest. Secundò infert, si cum habente votum castitatis dispensetur ad matrimonium, dispensationem intelligi non de solo vnico matrimonio, sed de aliis priori dissoluto. Tertiò infert, si cum religioso, vel sacris ordinato dispensetur ad matrimonium, non solùm prima vice, sed secunda, posse matrimonio iungi, perseuerante causa dispensationis; secus verò si ea causa non perseuerat; vnde si ob successionem in regno fuisset dispensatum, & haberet sobolem, vel in ea ætate esset matrimonium dissolutum, vt generare non posset, nequit ad aliud transire. Quartò infert, si cum habente votum castitatis dispensetur, ad hoc tantùm, vt possit cum Maria contrahere, eo quòd ipsa famæ iacturam patiatur, nisi nubat, mortua illa, vel aliunde matrimonio dissoluto, non licebit sic dispensato aliud matrimonium inire, quia tota causa dispensationis cessauit.

6 Communis tamen sententia docet facultatem, & priuilegium faciendi aliquid, finiri primo actu in rebus odiosis; secus in fauorabilibus: sic Felinus *cap. 2. de treuga, & pace.* Nauarr. *cap. placuit, de pœnitent. distinct. 6. num. 166.* Azor *lib. 5. cap. 23. quæst. 5.* Rochus *de iure patronatus, verbo honorificum, quæst. 10.* consentit Henriquez *lib. 12. de matrim. cap. 5. à num. 7. in comment. litt. V.* fauet Bart. *l. vlt. ff. de constitut. Princip. num. 6.* dicens priuilegium ad agendum in iudicio, finiri illo iudicio finito; secus verò ad excipiendum, quia priuilegium ad agendum est odiosum, vtpote contra alium; secus verò ad excipiendum, quia est in defensionem propriam.

7 Cæterùm in hac re difficile est ferre iudicium, & regulam generalem tradere; quia tota perseuerantia priuilegij, vel eius decisio pendet ex intentione, qua fuit concessum. Hanc autem intentionem inuestigare cùm verba ipsa clara non sunt, vel ex se, vel ex stylo, aut consuetudine, difficultatem habet. Crederem tamen satis probabiliter inuestigari posse ex motiuo, & causa, ob quam priuilegium fuit concessum. Non quia cessante causa priuilegij cesset priuilegium, hoc enim non est vniuersaliter verum, vt videbimus; sed quia ex ipsa causa concessionis inuestigari potest animus concedentis. Causa autem dupliciter esse potest, alia, quæ alicui determinato vsui priuilegij annectatur, alia quæ illi annexa

annexa non est, quando causa ob quam priuilegium conceditur, est annexa alicui speciali vsui priuilegij, neque aliis communis: tunc priuilegium finito illo vsu cessat, quia solùm pro illo vsu præsumitur concessum: quod probatur efficaciter exemplo illo adducto à Thoma Sanchez *in 4. illatione*, quia illa non est dispensatio voti, sed potiùs suspensio illius obligationis, vt satisfieri posset damno Mariæ illato. At si priuilegium concedatur ob finem, qui pluribus actibus communis esse potest: tunc existimo non esse limitandum priuilegium, quantumuis odiosum ad vnicum actum, nisi ex verbis, aut alia circumstantia constet id manifestè Principem voluisse. Quia licèt priuilegium odiosum restringendum sit, quoad fieri possit: at non extra proprietatem verborum, & materiam subiectam. Limitatio autem ad vnum actum extra proprietatem verborum est, quando verba plures comprehendunt: & in hoc sensu Suarez, Salas, Sanchez, & Bonacina sunt loquuti.

8 Sed vt clariùs nostra doctrina intelligatur, placet discurrere per casus, quos adducit Felin. *in cap. 1. de treuga, & pace*, & ex illo Azor *lib. 5. cap. 23. quæst. 5.* Salas *de legibus, disput. 17. sect. 13. num. 61.* Basilius de Leon *lib. 8. cap. 20. num. 12.* Primò dicunt dotis promissionem pro primis tantùm nuptiis intelligendam esse; ex *l. dotis promissio, ff. de iure dotium*, & ex eo, quod habetur *in l. bones, ff. de verborum significat.* ibi, *hoc sermone dum nupta erat*, vbi primæ nuptiæ significantur. Quæ doctrina verissima est, quia dos semel concessa, de se perpetua est: & non solùm pro primis, sed etiam pro secundis nuptiis deseruire potest: extendere autem promissionem dotis, vt non solùm pro primis nuptiis, sed etiam pro secundis, & tertiis multiplicetur, est extra verborum proprietatem, & materiam subiectam, quæ solùm exigunt, vt concedatur fœminæ dos competens eius qualitati, non plures dotes, quæ simul sumptæ qualitatem eius excedunt. Secundò dicunt, si detur alicui facultas, vt duo simul beneficia curam animarum habentia obtinere queat, ad duo prima protenditur. *cap. non potest, de prebendis, in 6.* quod verum est; quia hæc facultas non est propriè priuilegium, sed dispensatio in pluralitate beneficiorum iuri communi maximè contraria, ac proinde strictissimè interpretanda. Item est impedimentum ex parte beneficiorum, non ex parte obtinentis illa. Quocirca si illegitimo detur facultas obtinendi beneficium, non obtentione prioris beneficij finitur, sed eo dimisso aliud poterit obtinere, vt ex Sanchez suprà retulimus; quia est impedimentum ex parte personæ: neque causa dispensationis alicui beneficio speciali annectitur. Tertiò si facultas data est, vt veniat in vrbem, is qui publicè proscriptus est, semel tantùm venire potest: adducunt Bart. *in l. 1. ff. ad legem Iuliam, de adulter.* At credo attendendam esse causam concessionis; cui si illo primo aduentu satisfactum sit, vlteriùs non esse extendendam concessionem; secus verò si causa communis sit tam primo, quàm secundo aduentui. Quartò potestas data arbitro in compromisso, de prorogando termino compromissi, finitur prima prorogatione. Ratio esse potest, quia causa dispensandi se tenet ex parte compromissi, vt illa prorogatione finiatur. Quintò potestas ingrediendi in cœnobia sanctimonialium primo ingressu finitur; intelligi debet, si datur ob occurrentem necessitatem: secus si per modum priuilegij. Idem est si daretur moniali facultas egrediēdi è cœnobio, spectanda, inquam, est causa concessionis, quæ si sit infirmitas, aut alia occurrens necessitas, prima vice finitur. Sextò facultas data patrono laico, qua possit, postquam vnum clericum nominauit, alium nominare, vno actu finitur, ex *cap. quod autem, de iure patronatus.* At hoc intelligendum est, postquam nominatus fuerit institutus, nam ante institutionem variare potest, vt constat ex supradicto textu, & glossa ibi. Septimò facultas data Patribus Concilij generalis, de eligendo locum, in quo Concilium celebretur, prima electione finitur; quia ea electione facta, non potest dici integrè satisfactum non esse priuilegio; præcipuè si illo in loco expediri potest Concilium, & acceptatur à Patribus electio. Octauò, si quis emit fructus, qui ex prædio aliquo percipiantur, intelligitur emisse primos tantùm; sed hoc ex pretio dato colligendum est. Nonò, potestas data arbitrandi, censetur data ad semel arbitrandum; intellige si pro speciali negotio data fuerit. Decimò, si testator instituit, vt eleemosyna erogaretur in die S. Laurentij, prima erogatione finitur, nisi adderet, vt quotannis fieret. Vndecimò, facultas data monacho, vt procurator sit, intelligitur data, vt semel tantùm: quod intellige, si causa concessionis fuerit aliquod speciale negotium; secus si causa communis. Duodecimò, si promitto dare Kalendis, intelligitur de proximo venturis, quia promissio, quamprimùm fieri potest, adimplenda est. Decimotertiò, si Princeps priuilegium confert tibi, & hæredi, in primo hærede extinguitur: intelligendum est de priuilegio personali, non reali, & quæ ex subiecta materia aliud expostulat, vt optimè alios referens docet Matienzo *lib. 5. recopil. tit. 7. l. 11. gloss. 8. num. 5.* Molin. *de primogen. cap. 5. num. 21. & seqq.* vbi explicant testamentum factum ab Henriquo II. in quo dixit donationes à se factas velle firmas esse in illis personis, quibus concessæ fuerunt, & in suo filio primogenito: nomine autem filij primogeniti non solùm intelligunt primum successorem, sed reliquos in perpetuum. Decimoquartò, promissio facta de reparanda domo, prima reparatione finitur, quia integrè promissioni satisfacit. Decimoquintò, si Episcopus priuilegium habeat adepta possessione Ecclesiæ nominandi vnum in canonicum, & hic postquam fuit institutus, canonicatum deposuit, alium nequit nominare; quia iam satisfactum est priuilegio: aliàs haberet potestatem non vnum, sed plures canonicos nominandi. Decimosextò locator relinquens scienter conductorem in re conducta, censetur renouare conductionem, & illam eisdem conditionibus, ac erat antea, prorogare: constat, quia aliud non explicat. Decimoseptimò, Princeps promittens præmium, ei qui vexillum hostibus eripuerit, creditur primo eripienti tantùm promisisse; quia stat vexillum pro famosiori, quod est primum; reliqua verò erepto primo facilè habentur. Decimooctauò, si promittis iudici dare centum, prima datione satisfacis, aliàs non centum, sed 200. promitteres. Item promittis dare Petro, quidquid iactu retis ceperis; de primo iactu videtur intelligendum. Insuper addit Felin. Salas, & Azor *suprà*, in his, quæ odium, pœnam, onus, aut detrimentum non continent, facultatem datam non finiri primo actu. Probant primò ex facultate data alicui eligendi Confessarium, qui eum absoluat. Sed hoc intelligendum est, quando datur facultas per modum priuilegij, & pro peccatis non tantùm commissis, sed committendis. At si occasione alicuius peccati commissi daretur simplex facultas alicui, prima absolutione illorum peccatorum finiretur; quia annectitur concessio causæ, quæ ad plures actus non extenditur. Secundò probant ex facultate legendi libros prohibitos, edendi carnem diebus ieiunij, sacrificium offerendi in domo priuata; sed in his spectanda maximè est causa concessionis, quæ ad vnicam lectionem, & comestionem, & sacrificium arctari potest. Quando autem causa, ob quam conceditur priuilegium, non ita limitatur, ad plures actus extendi potest. Qua ratione priuilegium concessum alicui, & eius familiaribus, vt tempore interdicti diuinis assistant, non solùm extenditur ad familiares, qui de præsenti sunt, quando conceditur priuilegium, sed ad alios, qui fuerint successu temporis. sic Matienzo

suprà num. 5. Addunt tertiò Salas, Azor, & Felin. quando res aliqua natura sua, vel more postulat iterationem, primo actu non finitur. Probant primò, testator præcipiens heredi, vt vestiat, & alat viduam, intelligitur toto tempore viduitatis, nec sufficit semel vestire. Probo, quia illa verba, vestiat, & alat, continuationem denotant, alias mandaret testator, dari illi vnicam vestem. Secundò, si legasti vxori Titij alimenta, præsumi potest te legasse secundæ vxori, quod intelligo, si causa legandi fuit Titius: secus si ex parte vxoris se tenebat, quia tunc legatum cum illa finitur. quod satis probatur ex his, quæ supradicti Doctores statim subiungunt; dicunt enim, si Titius vxori suæ alimenta leganit, intelligi legata vxori, quam de præsenti habebat, non alteri; quia causa legandi videtur ex parte vxoris stare. Tertiò, si quis instituat posthumum, censetur instituisse plures si fuerint; quia non est maior ratio de vno, quàm de alio. Quartò, si testator reliquit domum suam, vt in ea habitaret filia sua vidua, quoties ipsa vidua fuerit, gaudebit priuilegio; imò probabile mihi videtur, etiamsi nubat, gaudere; dummodo, non ratione viduitatis [illegible] pater relinquere domum, sed apposuerit nomen viduæ ad significationem, & denotationem filiæ, cui legatum relinquebat.

Pvnctvm XV.

Qua ratione priuilegium cesset, cessante causa finali, ob quam fuit concessum?

1 *Si priuilegium nondum sit integrè concessum, cum cessat causa finalis, cessat priuilegium.*

2 *Expenditur illa grauis difficultas. An causa priuilegij, & dispensationis Romæ concessæ verificanda sit tempore concessionis, vel tempore, quo ab ordinario expeditur? Resoluitur vtroque tempore.*

3 *Priuilegia non habentia tractum successiuum, si tempore concessionis adest causa finalis, valent, tametsi postea cesset.*

4 *Quando dispensatio, seu priuilegium ad effectum integrum productum non est, si cessat causa, defendit Sanchez, cessare dispensationem.*

5 *Non admittitur supradicta sententia.*

6 *Priuilegium, & dispensatio de obligatione diuidua, & ob causam similiter diuiduam, cessat cessante causa.*

7 *Si causa concessionis integrè existit, cum conceditur priuilegium, vel dispensatio, non cessat, cessante causa successu temporis.*

8 *Quoties ex aliqua causa redditur priuilegij vsus iniquus, cessat priuilegium.*

9 *Satisfit argum. num. 4. adductis.*

10 *An peccet vtens dispensatione, cessante causa illius.*

1 PRæmittenda sunt aliqua, in quibus ferè omnes conueniunt, vt gradum faciamus ad ea, in quibus est specialis difficultas.

Primò, conueniunt Doctores: si priuilegium nondum sit integrè concessum, quando omnino cessat causa finalis concessionis, nullam esse illius concessionem; quia cessat intentio concedentis, quæ est concedere priuilegium ob illum finem. sic Tiraquell. plures referens *in tract. cessante causa, tota limit.* 12. Menoch. *lib.* 4. *de præsumpt. præsumpt.* 189 *circa finem, num.* 196. *&* 197. Sanchez *lib.* 8. *disp.* 30. *num.* 8. *&* 9.

2 Hinc deciditur grauis illa difficultas, quando debeat verificari causa finalis priuilegij, & dispensationis, quæ Romæ obtinetur ad contrahendum matrimonium: an, inquam, sufficiat verificari, quando Romæ impetratur dispensatio, an quando ab ordinario, vel confessore expeditur, an vtroque tempore simul? Cui difficultati respondeo, vtroque tempore verificandam esse causam dispensationis, & quidem de tempore, quo Romæ impetratur, (quamuis Nicol. Garcia 6. *p. de benefic. cap.* 2. *num.* 283. affirmet non requiri tunc verificari, sed solùm tempore quo ab ordinario, vel confessore exequuntur,) probabilius censeo oppositum, quia tunc est vera concessio, donatio, seu dispensatio ob finem, & causam allegatam, quæ si falsò allegetur, nulla est concessio ex defectu intentionis in concedente: & est decisio textus *in cap. quia circa, de consanguinit.* vbi nulla est dispensatio secundùm glossam, & Doctores ibi, in gradibus prohibitis ad matrimonium contrahendum, eo quòd fuerit falsò allegata proles, siquidem vnica filia, quam habebat ille nobilis, cum quo dispensabatur, iam erat mortua; clariùs deciditur *in cap. si eo tempore, de rescriptis. in* 6. vbi nulla est prouisio de beneficio curato facta ei, qui tempore datæ carebat legitima ætate, quamuis tempore collationis illam habebat.

De tempore autem, quo ab ordinario, vel confessore expeditur dispensatio, an tunc debeat causa finalis verificari?

Negat Mascard. *de probation. conclus.* 1128. *num.* 22. vbi in hæc verba dicit. Quintò conclusionem declarabis, vt tunc impetranti necesse sit probare narrata esse vera tempore impetrationis, per *cap. quia circa, de consanguinit. & affinit.* vbi habetur: si quis narret habere filiam, & habeat tempore impetrationis, quæ postea tempore comprobationis mortua sit, sufficiat probare se habuisse tempore impetrationis, sicut dicitur de læsione probanda tempore contractus, *in l.* 2. *l. si voluntate, C. de rescind. vendit.* sic asseuerauit Rebuff. *in præfat. de rescriptis, num.* 56. *vers.* 14. consentit Eman. Saa *in vtraque editione. verbo gratia, num.* 6. *&* 10. Et ratio esse potest, quia ordinario, vel confessori committitur executio dispensationis. Ergo dispensatio iam ante illorum expeditionem facta est.

Verùm probabilius existimo illo etiam tempore, quo ab ordinario, vel confessore expeditur dispensatio, verificandam esse causam concessionis; quia verè ordinarius, vel confessor dispensat. Quod constat tum ex verbis indulti, quæ dicuntur in decretis, si preces veritati nitantur, cum illis dispenses, &c. Tum etiam, quia ante hanc expeditionem dispensationis, si matrimonium contraheretur, nullum erat. Ergo signum est non esse dispensatum antè; ergo si tunc dispensatur, tunc debet adesse causa dispensationis: sic Couarr. 4. *decret.* 2. *p. cap.* 6. §. 9. *num. vlt.* Mandos. *praxi signaturæ tit. de dispensation. vers. dispensatio est.* Gallego *de cognat. spirituali, c.* 23. *num.* 2. *& cap.* 4. *num.* 17. & alij, quos refert, & sequitur Thom. Sanchez *lib.* 8. *disp.* 30. *num.* 12. Nicol. Garcia *illa* 6. *p. cap.* 2. *à num.* 270. *& num.* 289.

3 Secundò, certum esse debet, si priuilegium sit ex illis, quæ actione ipsius concedentis perficiuntur, neque habent tractum successiuum, si tempore concessionis vera fuit causa finalis, ob quam fuit concessum, etiam si postea cesset, non perit priuilegium. Exemplis rem declaro. Absolutus fuisti ab excommunicatione, dispensatus in irregularitate, in voto, vel alio impedimento, si tempore dispensationis, vera fuit causa allegata, etiamsi postea cesset, non cessat dispensatio, ex *reg.* 73. *de regul. iuris. in* 6. ibi, *factum legitimè retractari non debet, licet casus postea eueniat, à quo non potuit inchoari.* Item donasti Petro centum ob paupertatem, quam habuit tempore donationis, venit postea ad pinguiorem fortunam, non cessat donatio. Ratio est, quia effectus iam consummatus non dependet à causa concessionis; causa enim solùm ad productionem illius, non ad conseruationem necessaria fuit. Adde similia priuilegia absolutè concessa cessare non possunt ipso facto, sed indigent reuocatione concedentis. Ergo dum non adest talis reuocatio, ipsa priuilegia, & dispensationes perseuerant. Denique aliqua ex supradictis nec reuocatione cessare possunt;

possunt; omnia enim illa priuilegia, & dispensationes, quæ consistunt in remotione alicuius impedimenti, si semel illud impedimentum tollatur, iam redire non potest; non enim redire potest excommunicatio, irregularitas, votum sine voluntate vouentis, si semel sublata sint; & ita relato Bart. Iasone, & aliis docet Menochius *lib. 4. præsumpt.* 189. *circa finem, num.* 197. Tiraquel. *in tract. quod cessante causa, cesset effectus*, 2. *part. limit.* 12. Suarez *lib.* 8. *de legibus, cap.* 30. *à num.* 4. Sanchez *lib.* 8. *de dispensat. disput.* 30. *num.* 10. Emanuel Saa *verbo gratia, num.* 6. Ex quo fit, si cum irregulari dispensetur ob eius paupertatem ad beneficium, & ordines; & ordinibus susceptis, & beneficio acquisito diues factus est, non cessat, nec cessare potest eius dispensatio, quia iam habuit suum consummatum effectum: sic Doctores suprà relati. Et idem est de matrimonio contracto virtute dispensationis ob paupertatem factæ. nam etiamsi postea puella diues effecta est, matrimonij dispensatio non reuocatur. Neque in his, & similibus est dissensio.

4 Quare difficultas est, quando dispensatio ad effectum integrum perducta non est, & cessat integrè causa dispensationis, antequam perducatur, an tunc cesset dispensatio?

Sanchez plures referens *lib.* 8. *de dispensat. disput.* 30. *num.* 14. existimat cessare dispensationem, ita vt eius vsus non solùm illicitus, sed inualidus sit. Addit tamen *num.* 17. non ita cessare, quin si postea redeat causa, ob quam fuit concessa dispensatio, & ipsa dispensatio redire non possit. Quocirca affirmat non propriè cessare, sed suspendi eius valorem, quousque causa concessionis præexistat, variis argumentis suam sententiam probat. Primò ex *cap. generaliter,* 16. *quæst.* 1. *& cap. tuæ, de cleric. non resident. & cap. Abbate, in fine, de verbor. signif.* vbi reuocatur gratia, & priuilegium cessante causa. Secundò ex *l. Vranius,* 72. *versic. sed cùm duo. ff. de fideiussorib.* vbi quædam fideiussoris obligatio extinguitur; & redditur ratio his verbis: *vt quemadmodum incipere aliàs non possunt, ita nec remaneant.* vbi glossa verbo *remaneat,* inde infert, quod impedit faciendum, destruere quoque iam factum; quod impedit, inquam, faciendum per modum causæ finalis, impedire iam factum quoad illum effectum, qui non est in esse productus, vel si partim productus est, impedit effectum successiuum, qui commodè diuidi potest. Tertiò, quia faciliùs tollitur priuilegium, seu ius extraordinarium, & speciale, quale est dispensatio, quamuis commune. *l. ius militis,* §. 1. *& ibi glos. verbo quocumque modo, C. ad senatusconsult. Velleianum,* & docent multi alij, quos refert, & sequitur Tiraquel. *in tract. cessante causa, limit.* 11. *fine.* At ius commune cessat, cessante causa eius finali, vt apud omnes est compertum. Ergo à fortiori ius speciale. Et confirmat, quia lex generalis indulgens priuilegium aliquod cessat, cessante causa eius finali. Ergo à fortiori, priuilegium, & dispensatio priuata cessabūt. Tum quia maiori firmitate gaudere debet priuilegium omnibus per legem indultū, quæ tanta consultatione fit, quàm priuilegium priuatæ personæ, quæ passim conceditur. Tum etiam, quia priuilegium per legem indultum latè est interpretandum; secus verò priuilegium, & dispensatio communi iuri derogans. Quartò probat, quia actus non operantur vltra agentium intentionem; *cap. quemadmodum, de iureiurand.* at in omni dispensatione subintelligitur conditio, si causa permaneat, aliàs iniquus esset dispensator, si vellet dispensationem extendi ad eum casum, quo causa prorsus cessaret. Et confirmat ex *l. facto, in princ. ff. de vulgar. & pupill. substit.* vbi deciditur priuilegium patri concessum substituendi filio furioso, cessare filio sanæ mentis effecto, & euanescere substitutionem illi antea factam; cùm tamen priuilegium iam esset ad effectum deductum: quia is reuocabilis erat, & reddit textus rationem his verbis, *etenim iniquum incipit fieri beneficium Principis, si adhuc id valere aucamus, auferret enim testamenti factionem homini sanæ mentis.* sic ergo in nostro casu, cùm cessante causa, incipiat esse iniqua dispensatio; vtpote quæ absque vlla ratione ex tunc eximit priuatum à iure communi, vel naturali diuino, in præiudicium communitatis, cui id scandalo est, cessabit tunc quoad effectum, qui commodè reuocabilis est. Et confirmat ampliùs, quia paria sunt nullam ab initio fuisse causam, & fuisse aliquam, sed illam omnino finitam esse, vt expresè probatur ex *l.* 1. *ff. de cōdictione sine causa, & l. nihil interest, ff. de nautico fænore.* & docet Afflictis, quem refert, & sequitur Tiraquel. *tractat. cessante causa, in princip. num.* 14. At quando à principio nulla esset causa, dispensatio irrita esset, vel illicita. Ergo eodem vitio afficietur, si postea perseueret: at credendum non est, velle dispensantem peccare intendendo, vt dispensatio vim habeat in eo casu, in quo dispensatio aut irrita esset, aut illicita. Quintò probat, quia *regul. in ambiguis pro dotibus* 85. §. *non est nouum, num.* 3. *ff. de regulis iuris,* probat actum legitimè retractari, quando res ad eum casum peruenit, vt causa finalis deficiat. Tandem probat, quia absurdum videtur, vt is cum quo est legitimè dispensatum ad carnium esum ratione debilitatis dubiæ, & quæ ex se non excusabat seclusa dispensatione, possit eis vesci, si integram & firmam valetudinem recipiat.

5 Cæterùm hæc sententia sic vniuersaliter posita mihi probari non potest; contradicit enim formæ dispensationis absolutæ, & facit omnes dispensationes fieri conditionatas, vt statim videbimus. Quocirca distinguendum censeo inter causas dispensationis; aliæ enim sunt integrè existentes, quando conceditur dispensatio; aliæ verò habent tractum successiuum, sicut & ipsa dispensatio habet. Exemplo distinctionem manifesto. Dispensat tecum Pontifex in voto castitatis ob carnis tentationem, & in impedimento matrimonij ob paupertatem, & in pluralitate beneficiorum ob munus, quod geris: integra causa dispensationis adest, quando conceditur dispensatio, quia non conceditur dispensatio in voto castitatis ob tentationem præteritam, neque futuram; neque dispensatur in matrimonij impedimentis ob paupertatem, quæ non est; sed ob illam, quæ de præsenti existit. Verùm si Pontifex tecum dispenset in esu carnium ob dubiam infirmitatem, & in recitatione horarum, ob imminentes occupationes; causa dispensationis non integrè existit, sed succedit, sicuti succedit vsus dispensationis, & cum illo commensuratur; dispensat enim Pontifex tecum in esu carnium hoc mense, propter infirmitatem huius mensis: at ob hanc non potest dispensare vt sequenti mense carnes comedas, sed ob infirmitatem, quam tunc habebis, quia infirmitas huius mensis parum deseruit ad honestandum esum carnis in mense sequenti. quòd si infirmitatem mense sequenti non habes, iam cessat causa dispensationis pro illo mense, pro quo dispensatio illam requirebat. Hoc posito,

6 Dico primò. Quotiescumque priuilegium, & dispensatio de obligatione diuidua, & successiua est, & est concessa ob causam similiter diuiduam, & successiuam, cessante causa, cessat dispensatio, quia dispensatur in obligatione, quandiu fuerit causa, & cùm sit multiplex obligatio, multiplicem causam requirit ad illius exemptionem: & in hoc sensu vera est sententia Sanchez suprà relata, quam etiam docet Suarez *lib.* 8. *cap.* 30. *num.* 18. & Tiraquel. plures referens *in dict. tract. cessante causa, limit.* 23. *num.* 11. Et satis apertè confirmatur de dispensatione ieiunij, & recitatione horarum, ob infirmitatem dubiam, quamuis Salas statim allegandus etiam in hoc exemplo affirmet non cessare dispensationem, quod non probo.

7 Dico

7 Dico secundò. Quoties dispensatio, aut priuilegium conceditur ob causam, quæ integrè tunc existit, nullo modo desinit, aut suspenditur ob causæ cessationem: sic docet Suarez *lib.8.de legib.cap.30.à num.12.* Salas *disp.20. sect. 6. num.67. & seq.* Gutierr. *canon. quæst. lib.1. cap.15. num.22.initio & fine. & lib.2.cap.15.num.30.& 132.* Tiraquell. *tractat.cessante causa, in princip. num. 92. & 94.* Syluest. *verbo dispensatio.quæst.6.* Eman. Saa *verbo gratia, num.6.* & alij plures relati à Sanchez *lib.8. disp.30. n.13.* quam licèt ipse Sanchez non sequatur, affirmat esse probabilem. Probo primò, quia tota causa, quam priuilegium, & dispensatio ad sui valorem requirit, est cùm priuilegium, & dispensatio conceditur, vt suppono. Ergo quòd in posterum cesset, nihil interest priuilegio, & dispensationi; quia non propter futuram causam, sed propter actu præsentem fuit concessum. Secundò per priuilegium, & dispensationem legitimè factam, est ius priuilegiario acquisitum; quia eo ipso, quòd est legitima dispensatio, & legitimum priuilegium, habet ius vtendi illo: at ius semel quæsitum non reuocatur ex cessatione causæ, ob quam fuit priùs concessum, vt optimè aliis relatis docet Menoch. *lib.4.præsumpt.189.n.197.* Gutierr. & Tiraquell. *suprà.* Ergo. Tertiò, communis est distinctio dispensationis, & priuilegij in absolutum, & conditionatum: & priuilegium conditionatum vocatur, quod dependenter ab aliqua conditione conceditur, ita vt priuilegij duratio commensuretur cum causæ duratione, vt sumi potest ex *cap. Abbate, de verbor. signif.* vbi tandiu monasterium prærogatiua ibi præscripta debet gaudere, donec in illo viguerit obseruantia regularis. Priuilegium verò absolutum est, quod non arctatur durationi alicuius conditionis, sed ob causam semel positam conceditur. Ergo quòd postea cesset causa, priuilegium cessare non debet; causa enim temporalis, & transiens honestare potest concessionem aliquam, & priuilegium perpetuum. Quartò, probo aliquibus exemplis; si enim cum muliere ob eius paupertatem dispensetur in impedimento consanguinitatis, & antequam matrimonium contrahat, diues facta sit, non ex eo amittit dispensationem, neque eius vsus suspenditur, quia non fuit concessus sub conditione, si paupertas perseuerauerit toto tempore ante matrimonium; neque hoc inuestigatur à contrahentibus, essétque occasio non leuis scrupulorum: vt bene dicit Nicol. Garcia *6.p. de benefic. cap.2. num 291.* Item datur puellæ dispensatio in voto castitatis, ob periculum incontinentiæ, ex vi huius dispensationis absolutè concessæ soluitur vinculum voti. Ergo illa non solùm semel, sed pluries potest nubere, etiamsi iam periculum incontinentiæ non habeat; quia aliàs non fuisset facta relaxatio voti, & obligationis ad Deum, sed suspensio. Deinde priuilegium concessum religioni accipiendi, vel non soluendi decimas, ob eius regularem obseruantiam, & singularem fructum in proximos, etiamsi postea cesset huiusmodi causa, & deueniat ad statum, in quo Pontifex tale priuilegium minimè concederet, non obinde cessat priuilegium ipso facto; quia non fuit concessum sub illa expressa conditione; sicuti *in cap. Abbate, de verb. significat.* fuit concessum.

8 Dico tertiò. Quotiescunque ex aliqua circunstantia priuilegij vsus redderetur iniquus, cessat pro tunc priuilegium. Conclusio est omnium, & ex terminis liquet, aliàs liceret, quod illicitum est. Qui modus cessandi priuilegium vocatur à Suarez *lib. 8. cap.30. num. 6.* per cessationem causæ finalis contrariæ; quia contrariatur causæ, ob quam fuit concessum: quod non mihi plenè satisfacit, q[...] priuilegium decimandi ex aliqua Ecclesia concessum alicui ob specialem seruitutem Romanæ Ecclesiæ factam, suspendi potest, si Rector illius Ecclesiæ non habet congruam sustentationem, & tamen tunc non cessat ratio concessionis; hæc enim cessare non potest, siquidem non potest non esse factum illud seruitium Ecclesiæ Romanæ: necessitas autem rectoris non est contraria illi speciali seruitio, sed exemptioni. Ergo non benè explicatur hic modus cessationis, per cessationem causæ finalis contrariæ. Sed est quæstio de nomine, ac proinde parui momenti; quod enim ab omnibus admitti debet, est cessare vsum priuilegij, quoties redditur ex aliqua circunstantia iniquus.

At dices, quando cessat causa finalis concessionis priuilegij, priuilegij vsus est iniquus. Ergo semper cessat priuilegium, cessante causa finali illius.

Respondeo negando antecedens, quando propter causam integrè existentem cócessioni fuit priuilegium, aut dispensatio concessa, quia tunc iam habet vsus dispensationis sufficientem honestatis rationem, scilicet dispensationem legitimè factam, & vtilitatem ipsius priuilegiati: vnde si ex alia circunstantia non vitiatur, licitus erit illius vsus. Dixi cessare pro tunc priuilegium, quia non extinguitur, sed sopitur, argum. *cap. Abbatis, de verbor. significat. in fine.* & tradit ibi glossa *verbo donec.* Suarez *lib.8.cap.30.num.22.* Sanchez *lib.8.disp.30. num.17.* cum Mencha. *lib.1.controuers.illustr.cap.46. n.3. & lib.1.de successionum progressu, in præfatione, num.67.*

9 Argumenta pro sententia Sanchez adducta nobis non aduersantur; probant enim cessare priuilegium cessante causa concessionis, quando concessio petit causam successiuam cócessioni commensuratam; vel quando concessio redditur iniqua ex aliqua circunstantia superueniente. Sed vt clariùs veritas constet, placet omnia argumenta percurrere.

Ad primum ex *cap. generaliter*, quod desumptum est ex Cod. Iustiniani, constat, dari priuilegium immunitatis ab omni tutela, & cura cuiuscunque generis, & cuiuscunque personæ, omnibus Episcopis, Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis, & Monachis, qui apud sanctas Ecclesias, vel monasteria permaneant non diuagantes: quare si diuagantes officiis diuinis non intersint, perdunt huiusmodi immunitatem, quia propter hoc ipsum conceditur, vt ibidem dicitur. Ecce quomodo causa concessionis est successiua, scilicet permanentia. Eodem modo respondemus *cap. tua, de clericis non residentibus.* ibi enim studiorum gratia erat canonicis indultum, vt in absentia fructus percipiant præbendarum suarum; ipsi verò accepta licentia ad villas se transferunt. Dicit, inquam, Pontifex Innocent. præfatam indulgentiam illis competere non debere, & meritò; quia ob causam successiuam, scilicet assistentiam in studiis, illis fuerat concessa, quæ expositio clariùs competit *cap. Abbati, de verbor. significat.* vbi conceditur cœnobio sancti Bertini, vt ex illo Alciatens. monachi sibi eligant personam idoneam in Abbatem tamdiu, donec ibidem viguerit obseruantia regularis. Ecce priuilegium dependens à viridi obseruantia, quæ est causa successiua.

Ad secundum ex *l. Vranius*, respondeo illam obligationem omnino extingui; quia peruenit ad statum, à quo incipere non potuit, non propter cessationem causæ finalis, sed propter circunstantiam aduenientem, quę reddit illius obligationis vsum iniquum: & cum glossa dicit, quod impedit faciendum, destruere iam factum, intelligendum est, quando est impedimentum honestati contrarium; secus verò, quando est impedimentum per præcisam cessationem causæ.

Ad tertium cum eius confirmatione concedo faciliùs mutari posse priuilegium, quàm legem: tum reuocatione, tum decisione; quia faciliùs à Principe reuocari potest, & faciliùs suboriri potest aliqua circunstantia, quæ vsum priuilegij impediat: at non inde sequitur debere cessare ex omni causa, qua lex cessat; lex enim cessat deficiente causa eius finali adæquata, quia ex huiusmodi defectu redditur inutilis: at iniustum est obligare subditos ad obseruantiam legis inutilis. Ergo.

Priuile

Priuilegium verò, & dispensatio, etiamsi cesset causa, ob quam fuerunt concessa, vtilia esse possunt priuilegiato, & ex alia parte non obligantur ad illius vsum. Ergo.

Ad quartum concedo priuilegium non operari vltra concedentis intentionem: at intentio concedentis absolutè priuilegium, est, vt vtatur priuilegiarius illo, etiam cessante causa, ob quam fuit concessum. Neque obinde fit peccare priuilegiatum, neque peccare concedentem: non peccat priuilegiatus, quia priuilegio ritè concesso vtitur, neque peccat concedens priuilegiũ, cùm ob legitimam causam concedat, quæ causa non requiritur, vt semper existat, quoties fuerit vsus priuilegij. Neque obstat tunc non adesse causam, ex qua posset priuilegium incipere, quia plus requiritur ad inceptionem priuilegij, quàm ad eius continuationem, vt optimè ipsemet Sanchez probat *illa disput.* 30. *num.* 8. Ex qua doctrina infert ipse non cessare dispensationem, si causa finalis non omnino cessauit, quamuis reliquę manentes non iudicarentur sufficientes ad priorem dispensationis concessionem. Ergo idem debet dicere, etiamsi omnino causa cesset.

Ad confirmationem ex *l. ex facto*, respondeo substitutionem illam euanescere, si filius sanæ mentis efficiatur, quia ex subiecta materia constat fuisse conditionalem, nempe si filius in furore vsque ad mortem perseueret, aliàs, vt bene dicit textus, iniqua esset substitutio: & ratione circumstantiæ, quæ reddit substitutionem iniquam, cessat substitutio.

Ad secundam confirmationem ex *l. 1. ff. de condictione sine causa, & ad l. nihil interest*, respondeo, sicut ad quartum dixi magis requiri ad honestam inceptionem priuilegij, & dispensationis, quàm ad illorum continuationem, ad inceptionem enim requiritur legitima causa; secus verò ad illius continuationem, decet enim concessum à Principe beneficium esse mansurum: *reg. decet. 16. de regul. iur. in 6.*

Ad quintum ex *regula in ambiguis*, dico probare, cessante causa concessionis posse sæpè à Principe reuocari priuilegium; at non probat Decius ipso facto priuilegium cessare.

Ad vltimum negat Salas *disput. 20. sect. 6. fine*, absurdum esse sic dispensatum vesci carnibus, etiamsi iam causa infirmitatis cessauerit; quia retinet dispensatio suum valorem, eo quòd data fuerit ob infirmitatem non solùm præsentem, sed quam probabiliter concedens existimabat futuram. At credo in tali casu cessare dispensationem, quia dependenter à causa futura fuit concessa, quæ cùm cesset, cessabit dispensatio.

10 Ex his patet decisio illius quæstionis, an peccet vtens dispensatione cessante causa illius?

Respondeo iuxta supradicta non peccare, si dispensatio fuit concessa ob causam actu existentem, quia verè manet dispensatus, legibúsque solutus: at peccare si dispensatio fuit ob causam successiuam, & vsum dispensationis commensuratum, quia cessat dispensatio; creditur enim dependenter ab illa causa fuisse concessum, siquidem præsens infirmitas non est sufficiens causa concedendi perpetuam dispensationem in ieiunio: concedere autem dispensationem sine causa, vel sine causa sufficienti, etiam in propria lege non est præsumendum de Principe. Ergo affirmandum est dispensationem esse dependentem ab existentia causæ, ac proinde illa cessante cessare dispensationem, esto contrà teneat Salas *suprà dicta disput. 20. sect. 6. à num. 66. versic. ego in hac re, & seqq. & num. 65.* refert aliquos recentiores id probabile existimare.

PVNCTVM XVI.

Vtrùm cesset priuilegium, rescriptum, & dispensatio morte concedentis.

Ex huius puncti enodatione pendet decisio plurium difficultatum, ideo placet exactiùs rem explicare, neque breuitatis solitæ obliuiscar: si enim priuilegium, rescriptum, & dispensatio, non fuerint in statu integro, morte concedentis non pereunt, vt dicemus ex omnium sententia. Quapropter inuestigandum est, quando dicantur esse in statu integro, quando in statu inceptionis: & primò loqui debemus de rescriptis iustitiæ, & ex ibi dictis facile erit inferre, quid dicendum sit de rescriptis gratiæ.

§. I.

Quando rescripta iustitiæ, & gratiæ dicantur esse in statu integro, quando dicantur esse incepta.

1 *Triplicem sententiam refert Sanchez, qui sentit per solam citationem iuridicam desinere rem esse integram, & perpetuari iurisdictionem in rescriptis iustitiæ.*

2 *Censerem probabilius sufficere iudicem iurisdictione incepisse vti, tametsi citationem non fecerit. Sed quia commune est citationem requiri, illud est sequendum.*

3 *Sufficit citationem egressam esse à delegato, tametsi parti intimata non fuerit, defendit Sanchez, vt probabilius.*

4 *Censeo probabilius oppositum.*

5 *An requiratur trina citatio in casibus, in quibus per edictum citari quis potest, vt perpetuetur iurisdictio? Probabilius videtur sufficere vnam citationem.*

6 *Perpetuetur ne iurisdictio, ex eo quod delegatus subdelegauerit? Probabilius est non perpetuari, tametsi partibus præsentibus fiat.*

7 *Per rescripti præsentationem non firmatur iurisdictio.*

8 *An per vnam citationem firmetur iurisdictio rescripti plures causas continentis? Sub distinctione respondetur.*

9 *Quid si constituaris iudex delegatus ad vniuersitatem causarum, & citationem in vna causa facias? Affirmo cum Sanchez firmatam esse circa omnes iurisdictionem.*

10 *Si causa commissa non indiget citatione, prima muneris executione facta, firmatur iurisdictio.*

11 *In rescriptis gratiæ ex vocatione partis dicitur negotium cœptum.*

1 De rescriptis iustitiæ refert Sanchez *lib. 8. disp. 28. à num. 8.* triplicem sententiam.

Prima affirmat desinere rem esse integram, eo ipso, quo iudex cœperit iurisdictione sibi data vti, etsi citationem non fecerit. Quia modus firmandi, & radicandi iurisdictionem est per vsum ipsius. Si igitur ante citationem vti iurisdictione potest, iam iurisdictionem firmat. Adde iurisdictio delegata tunc dici potest esse integra, quando nullum illius vsum habuisti. Ergo si in virtute illius aliquem vsum exercuisti, qualis est signare locum iudicij, nominare Notarium, testes percipere, redigi litteras in publica forma, verè iurisdictio integra non est, sed potiùs cœpta. Fauet huic sententiæ *cap. licet vndique, de officio delegati, & cap. si à subdelegato, eodem tit. in 6.* in quibus solùm expostulatur ad perpetuandam iurisdictionem, quod delegatus iurisdictione delegata vti non cœperit, seu in aliquo ex illa processum non fecerit: neque ibi arctatur ad vsum per citationem, vel per litis contestationem, vel per sententiam, vel per nominatio

minationem Notarij, aut designationem loci. Ergo non est cur aliquis determinatus vsus expostuletur, & pro hac sententia adducit Sanch. plures Doctores, & videri potest Syluester *verbo delegatus, quæst. 6.*

Secunda sententia docet iurisdictionem delegatam integram esse, quousque lis contestata sit. Mouetur ex *cap. relatum, de officio delegati*; vbi deciditur expirare iurisdictionem delegati lite non contestata; & idem habetur *in l. regia. 21. tit. 4. part. 3.* & vltra Doctores, quos Sanch. allegat, potest allegari Salas *disp. 20. sect. 17. num. 125.* ibi, *erit autem causa saltem cœpta, quando lis fuerit contestata.* August. de Barbosa *de potestate Episcopi, 2. p. allegat. 39. num. 29.* vbi tenet delictum non dici deductum ad forum contentiosum, quousque lis contestata fuerit, quia forus contentiosus dici non potest, nisi inter partes contentio fiat: non est autem perfecta contentio, quousque contestetur lis. Ergo neque forus contentiosus, quousque lis sit contestata. Ergo neque iurisdictio contentiosa exercita ante litis contestationem. Adde iudicium propriè esse post litis contestationem; omnia enim alia præambula illius dicuntur ex resolutis per Alin. *in praxi Florent. §. 1. cap. 1. num. 14. & seqq.* Lancelot. *de attentat. in pref. n. 7.* Peregrin. *var. lib. 2. sub rub. de conditionib. num. 54.* & tradit alios referens Sigismund. Scaccia *de iudic. cap. 2. num. 22. & cap. 8. num. 15.* Ergo iurisdictio iudicialis non erit exercita, nisi post litis contestationem. Item lis non mouetur, quousque contestata non fuerit, ex text. *in cap. ex parte 30. de verb. significat.* & tradit Maranta *de ordin. iudic. p. 5. tit. & omnia fiant durante instantia, n. 64.* Surd. *de aliment. tit. 5. quæst. 8. n. 4.* Ergo neque iurisdictio ad iudicandum concessa firmata, seu exercita censebitur, quousque lis mota sit, & immediatè delegatus cœperit.

Tertia sententia, cui tanquam probabiliori adhæret ipse Sanch. docet per solam citationem iuridicam desinere rem esse integram, & perpetuari iurisdictionem, ducitur ex *cap. gratum, de officio delegati.* vbi ad firmandam iurisdictionem solùm petit citationem, ibi, *cum citatione facta, negotium sit quasi cœptum, & cap. vlt. de officio legati,* dicitur perire iurisdictionem, si citatio non præcessit, per quos textus affirmat explicandos esse relatos pro prima & secunda sententia; quia correctio iurium vitanda est: nam textus qui generaliter dicunt requiri vsum iurisdictionis, intelligendi sunt de vsu, qui ad minus sit per citationem, quia citatio est primus actus iudicij. *cap. quoniam contra, de probationibus.* Textus autem dicentes per litis contestationem rem non esse integram, non id tanquam necessarium petere, sed tanquam maximè conueniens. pro hac sententia plures Doctores adducit.

2 Mihi verò maximè arridet prima sententia, quam ipsemet Sanch. valdè probabilem dicit; tum ob rationes, quas ibi adduxi: tum quia decet beneficium Principis esse mansurum: tum, quia licèt citatio sit primus actus iudicij, non est tamen primus actus iurisdictionis; cùm ante citationem pluries exerceri iurisdictio possit. Verùm, quia video communi Doctorum sensu probatum citationem requiri, vt res desinat esse integra, ideo in praxi iudico hoc esse sequendum, quódque defendit Mol. *tract. 5. disp. 9. num. 12. & 14. & disp. 19. num. 3.*

3 Sed dubium est, an sufficiat citationem egressam esse à delegato, etiamsi parti intimata non fuerit, vt censeatur res non integra?

Sanch. alios referens *num. 13.* probabilius censet sufficere. Mouetur, quia *in cap. gratum, de officio delegati,* solùm requiritur, vt negotium sit quasi cœptum, quod propositum sit citationis edictum. Deinde, quia citatio tribus partibus constat, ex mandato iudicis, & ex parte citanda, seu ex euictione nuntij, & ex illius assertione se citationem fecisse. at ex his tribus solum mandatum est vsus iurisdictionis. Ergo solo illo iurisdictio radicatur. Item solus iudicis actus est pensandus ad perpetuandam iurisdictionem, qui perfectus est per solum actus mandatum.

4 Cæterùm retenta sententia, non per quemcunque actum iurisdictionis, sed per citationem desinere rem esse integram ad effectum perpetuandi iurisdictionem in delegato, probabilius censeo non sufficere citationem egressam esse à iudice, nisi parti intimetur: sic docet Mol. *illa disput. 19. num. 3.* Ratio est, quia vsque parti intimetur, non est vera citatio, sed expeditio citationis, neque enim dici potest pars citata, ex eo quòd mandet iudex eam citari. Deinde, quia *in cap. gratum,* non expeditionem citationis, sed ipsam citationem factam expostulat Pôtifex, vt negotium sit quasi cœptum, inquit Vrbanus III. *Nos autem inquisitioni tuæ taliter respondemus, quòd cùm in casu priori citatione facta negotium sit quasi cœptum.* Et licèt in principio dicatur, proposito citationis edicto, hæc verba non indicant citationem non esse factam, sed potiùs indicant esse factam: nam si propositum fuit citationis, edictum alicui fuit propositum, atque adeò aliquis fuit citatus. Adde illa verba, à parte fuerunt dicta, non à Pontifice approbata; ipse enim absolutè dicit, *citatione facta.* Deinde iura expostulantia citationem, de citatione perfecta, & consummata debent intelligi: argumento sumpto ex *cap. quia propter, & cap. cùm post petitum, de electione*; sed in ratione citationis non est perfecta, & consummata, quousque ad partis notitiam deuenire possit. Ergo. At dices mandatum citationis esse citationem perfectam, quoad effectum inchoandi in iudice delegato iurisdictionem, ad cuius effectum fuit requisita. Sed respondeo non esse perfectam, quoad hunc effectum, eo ipso, quòd petatur citatio ad inchoandum iurisdictionem. Fateor, inquam, per mandatum citationis aliquo modo inchoari iurisdictionem, imperfectè quidem; sed quia non inchoatur per citationem, quæ est primus actus iudicij, ea de causa non dicitur propriè inchoari iurisdictio ad eum effectum, vt perpetuetur mortuo delegante. Et per hæc patet responsio ad rationes oppositas. Dico ergo, nô solùm iudicem exercere iurisdictionem, quando pronuntiat citationem faciendam, sed etiam quando ipse Notarius illam facit. Non enim Notarius est, qui citat, sed iudex est, qui citat partes medio Notario, sicut voce præconis legislator legem promulgat.

5 Insuper dubitari secundò poterat, an si hæc citatio fiat per edictum, seu proclama, in his casibus, in quibus de iure fieri potest, debeat esse trina, vt censeatur iurisdictio perpetuata, & res inchoata? Alicui videri posset trinam requiri, eo quòd nullus censeatur citatus per edictum, quousque trina fuerit publicatio illius, iuxta *Authent. qui semel. & l. tres denuntiationes. C. quomodo, & quando iudex.* & tradit Menoch. *lib. 2. de arbitrar. cent. 5. casu 464. num. 4.* Cæterùm probabilius censeo sufficere vnam citationem, etiam per edictum, vt intelligatur iurisdictio delegata esse incepta; tum quia *in cap. gratum, & cap. si à subdelegato, & alijs relatis,* non expostulatur, nisi citatio: at verò illa vocatio per edictum, etsi vnica sit, citatio est, licèt non sufficiens, vt condemnetur citatus. Ergo firmatur ex illa delegati iurisdictio; & ita aliis relatis docet Sanch. *num. 14. & num. 16.* aduertit optimè citationem illam debere esse validam: nam si ex aliquo capite irrita fuerit, reputatur, ac si non facta; quod enim nullum est, nullum potest producere effectum.

6 Tertiò dubitatur, an ex eo quòd delegatus subdelegauerit causam, vel partem illius, censeatur perpetuata iurisdictio?

Pluribus, quos recenset Sanch. *num. 18.* placet esse perpetuatam, quia verè delegatus vsus fuit iurisdictione: subdelegatio enim illa facta actus iurisdictionis est. At mihi cum eodem Sanch. *ibi,* & Mol. *disput. illa 9.*

num.

num. 3. probabilius videtur firmatam non esse iurisdictionem: tum quia subdelegatio non est vsus iurisdictionis delegatæ, sed est vsus iurisdictionis à lege concessæ. Lex enim concedit in his, & illis casibus subdelegare: ac proinde est vsus iurisdictionis non delegatæ, sed potiùs ordinariæ. Excipit tamen Sanchez *ibi*, nisi præsentibus partibus subdelegatio facta fuisset; quia tunc existimat talem subdelegationem citationi æquiualere. At credo hoc concedendum non esse. Nam *cap. si à subdelegato, de officio, & potestate iudicis delegati*, quo mouetur ipse ad affirmandum subdelegationem præcisè non firmare iurisdictionem delegati, non distinguit, an fuerit præsentibus partibus facta, vel absentibus, imò potiùs supponit ex consensu partium factam fuisse. Item subdelegatio siue sit præsente parte, siue absente, non est vsus iurisdictionis delegatæ, sed à lege concessæ. Ergo semper manet res integra. Adde iura ad minus citationem expostulare pro forma, ad firmandam iurisdictionem delegati, vt ipsemet Sanchez *num.* 10. fatetur. Sed cùm aliquid expostulatur pro forma, non impletur per æquipollens: vt tradit Gutierrez *canon. qq. lib.* 2. *tom.* 2. *cap.* 15. *à num.* 112. *cum seq.* Bart. *in l. nemini, C. de aduocatis diuers. iudic.* Iason *in l. si procurator, C. de procuratorib. num.* 2. confirmat Beroius *in cap. cùm sit Romana, de appellationib. n.* 78. Denique ipsa subdelegatio non potest dici æquiualere citationi, eo quòd fiat præsentibus partibus; siquidem partes citandæ sunt denuo, vt ipse subdelegatus possit in causa procedere.

7 Quartò dubitatur, an per rescripti præsentationem desinat res esse integra, & firmetur iurisdictio?

Respondeo cum Sanchez *lib.* 8. *disput.* 28. *num.* 19. & aliis ab eo relatis, nullo modo firmari iurisdictionem; quia acceptans rescriptum, non illo vtitur, sed potiùs se disponit ad vtendum, vt manifestè constat ex *cap. is qui, de procurator. in* 6. ibi, *post mandatum susceptum, etiamsi eo vsus non fuerit.* At rescriptum firmari non potest, nisi aliquem illius vsum habueris. Ergo.

8 Quintò dubitatur, quando multæ causæ distinctæ tibi in vno rescripto delegantur, vel circa vnam, vel circa diuersas personas, & vnam citationem facis, an eo ipso incepta sit quoad omnes iurisdictio?

Respondeo breuiter, si citatio illa communis fuit, eo quòd citaueris vniuersaliter, vt compareant coram te partes interessentes, tunc clarum est circa omnes causas firmatam esse iurisdictionem; quia omnes illas causas citatio comprehendit; ac proinde verum est esse illarum omnium citationem factam; si verò circa vnam tantùm causam citatio facta sit, etsi non desint Doctores, qui affirment perpetuari iurisdictionem quoad omnes, eo quòd vsus sis rescripto tibi concesso, & iurisdictione data per illud. Nam esto sit citatio de vna tantùm causa, videtur sufficiens ad verificandum absolutum vsum illius rescripti. At probabilius censeo non perpetuari iurisdictionem, quoad reliquas, sed solùm quoad illam, de qua fuit citatio facta. Quia illud rescriptum, etsi materialiter vnicum sit; at formaliter multiplex est iuxta multiplicitatem causarum, seu personarum, quæ in illo rescripto continentur: ac proinde ex vsu illius rescripti circa vnam causam, non videtur probari illius vsus absolutus quoad reliquas. Et confirmari potest ex *l. scire debemus, in princip. ff. de verborum obligat.* vbi statuitur multiplicari stipulationes ad multiplicitatem rerum specialiter designatarum; secus verò, si nulla specialiter designetur, etiamsi plures sub vniuersalitate comprehendat: & ita tenet Bart. *in l. more, num.* 14. *ff. de iurisdict. omnium iudic.* Imola *cap. pastoralis, §. quoniam, num.* 9. *de rescriptis.* Sanchez alios referens *lib.* 8. *disput.* 28. *num.* 15. Molin. *tractat.* 5. *de iustit. disput.* 19. *num.* 4. Excipe, nisi vna causa sit alteri annexa: nam tunc ex citatione illius perpetuatur in altera annexa iurisdictio ob connexionem, ex *l. fin. C. de duobus reis*, & tradit Panorm. *cap. licèt, de off. deleg. num.* 5. Molin. *suprà.* Sanchez *n.* 21.

9 Sextò dubitatur, si constituaris iudex delegatus ad vniuersalitatem aliquarum causarum, an tunc citatione facta circa vnam causam, cœpta sit iurisdictio circa omnes?

Affirmat Sanchez referens plures *num.* 27. & Molin. *disput. illa* 19. *num.* 4. Mouentur, quia tunc est vnica commissio, vnicáque iurisdictio plures causas comprehendens. Ergo vtendo iurisdictione circa vnam causam, censeris vti illa circa omnes; cùm enim in rescripto, & commissione facta, nulla causa specialiter designetur, efficitur sanè quando aliquam causam specialem iudicas, illam iudicare ex iurisdictione tibi vniuersaliter tradita: ac proinde iam firmas iurisdictionem communem.

Sed obiicies, ex citatione, & contestatione litis circa vnam causam, non infertur citationem esse factam circa aliam. Ergo neque negotium quasi cœptum circa illam: ergo neque firmatam iurisdictionem respectu illius. Item parum referre videtur ad rem moralem causas singulariter esse positas in rescripto, vel vniuersaliter esse datam commissionem respectu illarum. Tum quia iurisdictio in vtraque delegatione per modum vnius datur, & potest esse æquè vniuersalis: siquidem possunt enumerari omnes causæ, quæ contigerunt illo anno in tali territorio, respectu cuius constitueris iudex delegatus vniuersalis. Tum etiam, quia *in l. quid tamen, in princ. ff. de arbitr.* plura compromissa reputantur, si compromissum plures causas comprehendat?

Respondeo ex citatione circa vnam causam non inferri esse citationem factam circa alias: at inferri te vsum esse iurisdictione, quam habes circa illas; quia est eadem iurisdictio omnium. Ad confirmationem nego parum referre ad perpetuandam iurisdictionem circa omnes causas esse commissionem per modum vnius, vel plurium; siquidem quando nominantur causæ, non est vnica, sed plures formaliter commissiones: at quando causæ non nominantur, etsi æquiualenter sint plures commissiones, formaliter tamen vnica est, & consequenter incepta iurisdictio ratione vnius causæ, circa omnes censetur incepta. Ad legem *quid tamen*, respondet optimè Decius *in cap. pastoralis, §. quoniam, num.* 19. *de rescript.* reputari, inquam, plura compromissa, non verè, & propriè, sed virtualiter. Quapropter textus non dicit absolutè esse plura compromissa, sed quasi plura, denotans solùm virtualiter esse plura.

10 Aduerte tamen cum Molin. *illa disput.* 19. *num.* 4. si tibi aliquod munus delegetur, cuius exercitium citatione non indiget, quale reputari solet, munus visitandi prouinciam aliquam religiosorum; tunc prima muneris illius executione circa aliquid eorum, ad quæ id munus se extendit, dicitur iurisdictio incepta, quia non habet alium modum inceptionis.

11 Ex his deducitur, quando rescripta gratiæ dicantur esse in statu integro, & quando in statu inceptionis; cùm enim in his rescriptis non habeat locum citatio iudicialis, sed loco illius succedat vocari partem, cum qua est dispensandum, eo ipso, quo authoritatiuè illam voces, censetur iurisdictio incepta. Item si mandes informationem fieri de veritate precum, quia iam est vsus authoritatiuus rescripti. Nullo tamen modo per præsentationem rescripti censeo rem inceptam esse, quia præsentatio rescripti non est vsus iurisdictionis per illud concessæ, sed est dispositio ad illius vsum. sic Felin. *cap. pastoralis, §. quoniam, num.* 3. *de rescriptis.* Sanchez *lib.* 8. *de dispensationibus, disput.* 28. *num.* 20.

Sed quid si rescriptum plures personas contineat, censebitur ne ex dispensatione vnius res incepta, quoad alias?

Respondeo iuxta superiùs dicta censeri, si vocasti communiter omnes, vel aliquem alium actum communem omnibus feceris; secus verò si totum negotium circa vnam personam actum est, & rescriptum plures personas continebat. sic relato Felin. Angel. Syluest. & aliis docet Sanchez *num.29.*

§. II.

Quando dicatur gratia facta, quando facienda.

1 *Sumitur decisio ex cap. si cui, de prebend. in 6.*
2 *Obstat Suarez.*
3 *Defenditur, vt probabilior modus dicendi Sanchez. Et rationibus contrarys fit satis.*
4 *Limitatur doctrina, vt procedat de facultate, & mandato prouidendi certa persona, & de certo beneficio.*
5 *Neque intelligitur gratia facta, quousque acceptata fit.*

1 VT videamus, quando rescripta gratiæ permaneant morte concedentis, præsupponendum est, quando dicantur habere rationem gratiæ factæ, quando faciendæ.

Resolutionem huius facultatis colligunt DD. ex *cap. si cui, de præbend. in 6.* vbi deciditur facultatem alicui concessam prouidendi personas idoneas de beneficiis vacaturis esse factam gratiam; quia cùm prouidendæ personę non nominentur, tota gratia videtur esse illius, cui conceditur facultas, ac proinde non expirat morte concedentis; secus verò si super prouisione certæ personæ facienda, sit data potestas eidem non ob suam, sed eius, cui prouideri mandatur, gratiam, vel fauorem: illa quidem expirat omnino, si concedens re integra moriatur. Quia illa facultas non censetur gratia illius, qui de beneficiis prouidere debet; quia non datur ei libera facultas prouidendi, quem voluerit, vel de beneficiis, quæ voluerit; sed potiùs censetur gratia illius, qui prouidendus est, quia in eius vtilitatem, & commodum cedit: quæ cùm non reputatur facta, sed facienda, ea de causa periit morte concedentis re integra, circa quem textum obseruat Sanchez *lib.8. disp.28. n.87.* illam facultatem, quæ tibi datur de prouisione certæ personæ in aliquo beneficio, vel de absolutione, aut dispensatione aliqua facienda in fauorem eius, qui prouidendus, aut dispensandus est, esse gratiam faciendam, si liberè vti possis illa facultate: at si tenearis ex præcepto, & mandato (inquit) illam gratiam præstare, erit gratia facta. probat quia in priori casu nemini est ius quæsitum per illas litteras non dispensaturo, quia in eius fauorem illa facultas non conceditur, vt suppono, non dispensando, quia relinquitur arbitrio dispensantis, velit ne dispensare? Ergo non habet ius ad dispensationem, ac proinde non est gratia ei facta: at si minister necessarius sis, iam censetur gratia facta dispensando, & solùm exigitur tunc executio, quam negare non potes.

2 Sed aduersùs hunc modum dicendi insurgit Suarez *lib.8. de leg. cap.31. n.13.* quia esse ministrum necessarium, seu ex obligatione, potius videtur obstare gratiæ factæ, quàm illam statuere. nam illa necessitas transit in mandatum: mandatum autem periit morte madantis re integra, ex *cap. gratum, cap. relatum, de off. deleg. & l. mandatum, C. mandati.* Et confirmat, quia difficile creditu est, vt licentia data Sacerdoti ad te absoluendum in tui fauorem sit gratia facienda, & pereat, si nullum Sacerdoti præceptum de tali confessione audienda imponatur, & sit gratia facta, & duret, si præceptum imponatur, cùm præceptum pereat morte mandantis. Propter hæc Suarez *n.18.* censet spectandum esse, ad quem rescriptum directè referatur. Nam si dispensaturo referatur directè, vt te à peccatis absoluat, vel tecum dispenset, etiam si in fauorem tui datum illi sit rescriptum, affirmat non esse gratiam tibi factam, sed faciendam, quia per tale rescriptum solùm videtur tibi paratam esse causam, quę gratiam illam debet conferre. At si rescriptum ad te referatur, vt ratione illius eligas Confessorem, qui tecum dispenset, vel absoluat, vel de beneficio prouideat, gratia censetur tibi facta, siue Confessor teneatur dispensare, absoluere, & prouidere, siue non; quia illa facultas tibi per rescriptum concessa, est quasi dispensatio facta in re. Et idem tenet noster Molin. *tract.5. de iustit. disp.20. num.4.* D. Sahagun de Villafranc. *in cap. relatum, de off. deleg. n.14.*

3 Cæterùm retinendus est, vt probabilior, modus dicendi Sanchez, quem sequitur Nicol. Garc. *6. p. de benefic. cap.2. §.3. à num.304.* Non enim attendendum est, ad quem rescriptum gratiæ referatur, sed cui gratia in effectu fiat; in effectu autem fit gratia dispensando, siue rescriptum referatur ad dispensantem, siue ad dispensandum, cùm in fauorem solùm dispensandi latum sit. Quid enim tua interest dari huic Sacerdoti licentiam, & mandatum te absoluendi, & dispensandi, &c. in tui fauorem, si volueris ad illum accedere, & elegeris in Confessorem, quàm dare tibi potestatem eligendi illum in Confessorem, qui tecum dispenset, &c. Imò, si bene aduertis, in vtroque casu datur potestas Sacerdoti ad tuam electionem. Ergo si in vno casu est gratia facta, in vtroque debet esse. Quocirca existimo non solùm rescriptum, in quo tibi conceditur beneficium primò vacaturum, esse gratiam factam, si mandetur ordinario vt te prouideat, sed etiamsi econtra dirigatur mandatum ad ordinarium, vt te de primo beneficio vacaturo prouideat, quia in vtroque casu non tam ordinarius tibi confert gratiam, quàm exequitur gratiam à Pontifice factam. Neque obstant rationes adductæ pro modo dicendi Suarez. Fateor enim mandatum expirare morte mandantis, & minuere gratiam, si fieret illi, cui imponitur mandatum: at cùm gratia non fiat ei, sed alteri, & vt firmitatem habeat, imponitur executuro mandatum, mandatum non minuit gratiam, sed potiùs auget. Neque difficile creditu est facultatem in tui fauorem Sacerdoti concessam ad te absoluendum, imposito præcepto de excipienda tua confessione esse gratiam factam tibi; secus verò si nullum sit illi præceptum impositum, quia quando nullum est præceptum impositum, non habes ius ad illum cogendum, vt tuam confessionem excipiat; secus verò posito præcepto.

4 Supradictam doctrinã limitant Rota, Gigas, Mandos. Graffis, & alij, quos refert, & sequitur Nicol. Garc. *d.6. p. de benefic. cap.2 §.3. n.301.* & docet Molin. *tract.5. disp.20. n.2. circa fin.* vt intelligatur de facultate, & mandato prouidendi certæ personæ de certo beneficio. Et idem est de facultate cum aliquo dispensandi in re certa, & determinata: aliàs dicunt non esse gratiam factam, sed faciendam; quia cùm non determinetur, in quo gratia fiat, non potest dici facta, sed facienda, & videtur probari ex supradicto *cap. si cui nulla, vers. secus,* vbi non censetur gratia prouidendi facta, potestas data alicui super eius prouisione, quia non determinatur, cuiùsnam beneficij debeat esse prouisio. Neque obstat, quod Hieronym. Paulus *in pract. Cancell. vers. prestantissime Doctor.* & Rebuff. *in concord. rubr. de mandatis Apostolicis, §.1. verbo fuit purificatus.* Gutierr. *lib.2. canon. qq. cap.17. num.5.* Thomas Sanchez alios referens *illa disp.28. num.87.* excludant hanc limitationem, & affirment supradictum textum *si cui,* debere intelligi de facultate simplici absque mandato prouidendi certam personam de beneficio siue certo, siue incerto; quia, vt bene aduertit Nicol. Garcia *num.301.* violatur illa interpretatione littera textus: siquidem ibi dicit *mandatur.*

5 Secun

5 Secundò limitari non potest, vt non intelligatur gratia facta, quousque acceptata sit ab eo, cui gratia fit; quia hæc est quædam donatio, quæ non censetur facta, quousque interueniat donatarij acceptatio: sic docet Bonacina *disput.1.quæst.3.punct.8.§.1.* Cæterùm reiicienda est hæc limitatio,& affirmandum est,esse integrè gratiam factam, quatenus est ex parte concedentis, etsi acceptatio non interuenerit; acceptatio enim requiritur, non vt gratia fiat,sed vt fiat firma,neque reuocari possit pro libito: & ita docet Sanchez *lib.8. disput.28. num.43. & 69.* Suarez *lib. 8. cap. 31. num.21.* & ferè nullus est, qui hanc acceptationem requirat, vt gratia facta dicatur.

§. III.

An rescriptum iustitiæ, seu iurisdictio delegata expiret finita iurisdictione in delegante.

1 *Si res delegata,integra sit, perijt; secus si non sit integra. Quod procedit, tametsi delegatus ignoret iurisdictionem delegantis expirasse.*
2 *Quid si ignorantia populi comitatur.*
3 *Extenditur doctrina,etiamsi sit delegatus à Principe: & etiamsi dixerit delegãs,quousque reuocauero,imò etiam si partes consentiant.*
4 *Quid si delegatus aliquem subdelegauit, peribit ne iurisdictio in subdelegato morte delegantis, si superest primus delegans? Proponitur triplex sententia.*
5 *Eligitur secunda sententia,vt probabilior expirare iurisdictionem in subdelegato.*
6 *Quid si primus delegans moriatur, postquam subdelegatus vti incepit iurisdictione? Sub distinctione respondetur.*
7 *Apponuntur aliqua declarationes superioris doctrinæ.*

1 SI res delegata integra sit, perit rescriptum iustitiæ, & iurisdictio delegata; secus verò si non sit integra: decisio est expressa *in cap.gratum, cap.relatum, cap.licet vndique, de off.deleg cap.vlt.§.vlt.de off.legat.cap.si cui nulla, de præbendis, in 6. & l.& quia, 6.ff.de iurisdict. omnium iudic.l.21.tit.4. part.3.* Ratio est, quia esto delegatus iurisdictionem acquirat per rescriptum, non radicatur in illo, quousque illa vti cœperit, neque quando illa incepit vti, vtitur vt iurisdictione sibi propria, sed vt quid delegantis, quod satis constat ex *cap. quamuis, de officio delegati, in 6.* ibi, *cùm iurisdictio,ex quo ipse vsus non extitit, non censetur in eum efficaciter transisse.* Ergo pereunte iurisdictione perit iurisdictio delegata, si res sit integra. Dubitant tamen aliqui,an pereat ipso iure, an ope exceptionis. Sed tenendum est ipso iure cessare. Tum quia textus, & ratio allegata id probat,& in officio conseruatorum expressè deciditur, *in cap.hac constitutione, versic.officium, de offic.delegat.in 6.* Quod adeò verum est, vt etiamsi delegatus ignoret iurisdictionem in delegante expirasse, & ex hac ignorantia citationem faciat, & sententiam pronuntiet, citatio, & sententia nullam vim habeant: sic Couarr. *quæst. practicar. cap.11.num.2.* & testatur esse omnium Maranta *de ordin.iudic.4.part.distinct.5.tit.an sit iudicium ordinarium.* Gregorius Lopez *l.21.tit.4. part.3. glossa 1. in fine.* Panormitanus *cap.gratum,de officio deleg.num.10.* Molin.*tractat.5.disput.19.num.2.* vbi testatur esse communem.

2 Quod intelligendum est, dummodo ignorantiam delegati, non comitetur ignorantia populi. Nam si adest communis error, & ignorantia cessatæ iurisdictionis in delegante,sufficit,vt gesta per ipsum delegãtum valeant, vt multis relatis docet doctissimus Thomas Sanchez *lib.3. de matr.disp.22.n.59.* Molin. *disp.21. num.2.* Basilius de Leon optimè *lib.5. de matrim.cap.24. num.2.* Aduerto tamen per citationem,aut contestationem litis illo tempore factam non firmari iurisdictionem in delegato, quia firmari non potest iurisdictio, quæ iam non est; delegatus enim nullam ex rescripto habet iurisdictionem, solùm enim illam habet ex communi errore vulgi in ordine ad validitatem actuum, quos fecerit ob communem vtilitatem, ex *l.Barbarius, ff.de officio prætor.* & tradit plures referens Richard.*§.sed cum aliquis, Instit.de testam. num.10.* & Basilius de Leon *lib.5.cap.24.num.4.*

3 Extenditur autem supradicta doctrina,siue delegatus sit à Principe, siue sit ad vniuersitatem causarum; semper enim perit iurisdictio, pereunte in delegante, quia ratio facta, & textus allegati id probant, vt bene tradit Maranta *de ordin.iudic. 4.par.distinct.5.an iudicium sit ordinarium, vel delegatum, n.61.* Sanchez *lib.8.disp 28. de matrim.num.33.& 34.* Basilius de Leon *lib.5.de matr. cap.23.num.14.& 16.* & alij ab eisdem relati. Secundò extenditur, etiamsi dixerit, quousque reuocauero habeas hanc potestatem;cessat enim in te delegato,morte delegantis, si res sit integra; secus verò, si vti cœpisti iurisdictione. Sanchez *suprà n.54.* At si tibi commissa est facultas, & rescriptum iustitiæ ad beneplacitum concedentis; cessat etiamsi illo vti cœperis, quia deficit conditio,scilicet voluntas concedentis,sub qua fuit iurisdictio concessa, vt ipsemet Sanchez notat. Tertiò extenditur perire iurisdictionem delegati; etiamsi partes consentiant, quia partes non dant iurisdictionem, neque possunt prorogare iam extinctam; ad summum enim possunt in illum consentire, tãquam in arbitrum, constat ex *l.priuato,C.de iurisdict.*ibi *sanè si partes actis ab hoc legato* (scilicet,qui iam priuatus est) *consentiant, valebunt illa non in vim sententiæ,sed contractus.*& tradit innumeros referens Thom. Sanchez *disp.28.num.41.* Morla *tom.2.in prælud.num.98.*Basilius de Leon *lib.5.de matrim. cap.23.n.17.*

4 Sed quid si delegatus aliquem subdelegauit, expirauit ne iurisdictio in subdelegato, morte delegati, superstite primo ordinario delegante, si res sit tam in subdelegato, quàm in delegato integra? Quadruplex sententia refertur à Sanchez *illa disp 28.n.36.*& omnes sentit esse probabiles. Prima affirmat,non expirare iurisdictionem in subdelegato, quia iurisdictio in primo delegante non expirauit, & in illo specialiter debet radicari iurisdictio in subdelegato. Secunda censet expirare iurisdictionem, quia non fuit in subdelegatum efficaciter transmissa: siquidem illa vti non cœpit,ac proinde manet penes delegatum. Ergo pereunte in illo, perit in subdelegato. Tertia distinguit, si subdelegatio facta est in totum, scilicet committendo omnes vices suas,tunc censet non perire in subdelegato; secus verò si solùm partem delegationis commiserit, quia committendo omnem causam, abdicauit à se iurisdictionem, ac proinde radicatur in primo delegante; secus verò committendo partem,ex *cap.super quæstionum §.porrò,de off.deleg.* Quarta sententia,cui ipse Sanchez vt probabiliori adhæret, sentit, si delegatus subdelegauit ex commissione sibi facta à primo delegante, non perire iurisdictionem subdelegati, morte delegati: superstite primo ordinario delegante, siue commiserit partem causæ,siue totam causam; quia tunc subdelegatus non videtur esse substitutus delegati,sed primi ordinarij delegantis: at si nomine proprio subdelegauit, sine speciali commissione, censet perire iurisdictionem subdelegati.

5 Inter has sententias,quæ verè probabiles sunt,mihi magis placet secunda, scilicet spirare omnino iurisdictionem in subdelegato, quam tenuit Anchar. *in cap.licet vndique,de off.delegat. quæst.5.* Molin.*tract.5.disput.21. versic. si priori modo.* Moueor ratione pro illa sententia adducta, quia dum subdelegatus vti non cœpit iurisdi-

iurisdictione sibi commissa à delegato delegante, non fuit in illo radicata iurisdictio; sed penes delegatum delegantem manet, ita vt pro libito possit subdelegationem reuocare, vel causam reassumere, si subdelegatus moriatur, vt habetur expresè *cap. quamuis, de off. deleg. in 6.* Ergo si perit delegati iurisdictio, peribit & subdelegati, quæ alia non est, & hoc siue nomine proprio, siue ex commissione expressa ordinarij subdelegauerit; quia hæc commissio impertinens esse videtur ad perpetuandam iurisdictionem, si aliunde ab ipso iure habeat delegatus eam facultatem subdelegandi, quam ab speciali commissione recipit. Solùm excipio, si ordinarius dixerit, ex nunc illi delego, cui tu delegatus vices commiseris; tunc enim ipsemet ordinarius subdelegare, vel potiùs delegare intelligitur; & ille signatus non tam erit subdelegatus, quàm delegatus, ac proinde iuxta regulas delegati metienda est eius iurisdictio, & tradit alios referens Basilius de Leon *lib. 5. de matrim. cap. 26. à num. 14. sed præcipuè num. 16.*

6 Quid si primus delegans moriatur, postquam subdelegatus vti incipit iurisdictione sibi commissa, sed antequam delegatus illa vsus fuerit?

Respondeo, si subdelegatio fuit absoluta, neque aliquam iurisdictionem in causa sibi delegatus reseruauit, tunc perseuerat iurisdictio in subdelegato. Ratio est manifesta, quia per vsum iurisdictionis radicata fuit in subdelegato iurisdictio, & consequenter facta fuit independens à primo delegante, & à delegato, & videtur colligi argumento à contrario ex *cap. si à subdelegato, de off. deleg. in 6.* sed clarè deciditur *in cap. si delegatus, eodem tit. in 6.* ibi, *nam talis commissio, per quam censetur etiam sententiæ prolatio committi, nequaquam morte committentis expirat, ex quo res integra non existit.* & tradit alios referens Sanchez *lib. 8. disput. 28. num. 37.* Molin. *tract. 5. disput. 21. num. 4.* At si subdelegatio non fuisset absoluta, sed sub hac forma, vsque ad beneplacitum meum, vel quousque ego voluero, aut fuerit mea voluntas; tunc morte delegati expiraret iurisdictio in subdelegato, etiam re non integra, quia defecit conditio subdelegationis: constat ex *cap. si gratiosè, de rescript. in 6.* & affirmat gloss. *in cap. si delegatus, de officio delegati, in 6.* & tradit Molin. *supra*, & est communis.

Quòd si delegatus vti cœperit iurisdictione commissa, antequam subdelegauerit, & subdelegatione facta, priusquam subdelegatus subdelegatione vsus fuerit, moriatur primus delegans, non obinde extinguitur iurisdictio in subdelegato, sed illa vti poterit, quia illam non habet à primo delegante, sed à delegato, cuius iurisdictio firmata fuit in delegato per vsum illius: sic colligitur ex *cap. si delegatus*, & tradit Sanchez alios referens *num. 38.*

7 Quadrupliciter temperatur supradicta doctrina de cessatione iurisdictionis delegatæ morte delegantis re integra, à Sanchez *lib. 8. disp. 28. num. 42. 43. & 44.* Primò vt intelligatur, quando datur noua potestas per delegationem. Nam si solùm excitatur per commissionem potestas antea habita, non peribit morte delegantis, & benè, quia non habet ex delegatione potestatem, sed solùm mandatum exercendi iurisdictionem, quam habet. Ergo solum mandatum peribit, & non iurisdictio. Secundò temperat, nisi iurisdictio delegata sit accessoria gratiæ iam factæ. cùm enim, vt postea dicemus, non pereat gratia facta, morte concedentis, neque iurisdictio data ad illius executionem perire potest: tum, quia accessorium sequitur naturam principalis: tum, quia gratia redderetur inutilis, si simul cum illa non concederetur potestas, quæ accessoria est ad illius executionem. Tandem quia ita deciditur *in cap. si super gratia, de off. deleg. in 6.* Tertiò temperat, nisi ea potestas delegata, commissa sit nomine dignitatis: nam cùm hæc semper permaneat, & iurisdictio ab illa concessa semper permanere debet. Quando autem intelligatur facultas data nomine dignitatis, quando nomine personæ, ex supradictis constat, & ex dicendis statim ampliùs elucidabitur. Adde si delegatus lege aliqua constitutus sit, perseuerat delegatio, quandiu lex perseueret. sic Molin. *tom. 5. de iustit. disp. 19. num. 5. fine.* cum Panorm. & aliis *in cap. irrefragabili, §. cæterùm, de off. ordin.* Ex qua doctrina infert Molin. vt quotiescumque in Concilio Tridentino, aut alibi Episcopis committitur, vt procedant tanquam Sedis Apostolicæ delegati, etiamsi nunquam processerint, quia casus non occurrit, poterunt mortuo Pontifice conditore illius canonis procedere, quia lex perseuerat, & consequenter iurisdictio data per illam. Quartò imperari potest in delegatis ad res fidei cognoscendas, cuius iurisdictio non perit morte concedentis re integra ob fauorem fidei, & religionis: habetur expresè *cap. ne aliqui, de heret. in 6.* & tradit Decius *cap. pastoralis, §. quoniam, num. 18. de rescript.* Iason *l. more, num. 65. ff. de iurisdict. omnium iudic.* Sanchez *lib. 8. de matrim. disput. 28. num. 27.*

§. IV.

An rescriptum gratiæ absolutè concessum expiret finita iurisdictione concedentis.

1 *Si gratia facta sit non expirat, secus si sit facienda.*
2 *Licentiam tibi datam in fauorem pœnitentium ad audiendas illorum confessiones, qui affirment perire morte concedentis.*
3 *Probabilius est oppositum, & sit satis contrariæ rationi.*
4 *Quod si indultum sit de absolutione facienda alicuius certæ personæ, communis sententia docet perire morte concedentis re integra.*
5 *Non videtur carere probabilitate oppositum, tametsi in praxi non consulendum.*
6 *Satisfit rationi communis sententiæ.*
7 *Quid de facultate tibi concessa eligendi Confessorem? Resoluitur non perire.*
8 *Idem procedit in dispensationibus, quæ committuntur ordinariis, si preces veritati nitantur.*
9 *Quid de mandato, vt prouidearis in aliquo beneficio tunc vacante? Qui censeant expirare.*
10 *Probabilius est oppositum.*
11 *Idem dicendum de facultate, & licentia testandi Episcopis concessa.*
12 *Item de facultate à Rege concessa instituendi maioratum.*
13 *Dupliciter gratia, & priuilegium concedi potest. Primò cum aliqua limitatione. Secundò absolutè, si priuilegium, & gratia absolutè concedantur.*

1 Regula communis est, & omnino certa, si gratia facta sit, non expirare finita iurisdictione concedentis; secus verò si sit facienda; colligitur ex *cap. si super gratia, de off. deleg. in 6. & cap. si cui nulla, de præbend. in 6.* & tradunt ex supradictis textibus, præcipuè ex *cap. si cui nulla, gloss. ibi, notab. 1.* Archidiac. *ad fin. vers. secus facienda.* Decius *in cap. relatum, de offic. deleg. n. 3. & in noua edit. n. 21.* Nauarr. *cap. 27. n. 253. vers. 9. & lib. 1. consil. in 2. edit. tit. de off. deleg. consil. 2. n. 1.* Gutierr. *lib. 1. canonic. qq. cap. 15. n. 24. & lib. 2. cap. 17. à princ.* Molin. *lib. 2. de primogen. cap. 7. n. 63.* Rebuff. *in pract. tit. de gratia, 2. p. §. rationi congruit.* Thom. Sanchez *lib. 8. de matrim. disp. 28. num. 64.* Suarez *lib. 8. de leg. cap. 31. n. 1.* & alij plures ab eisdem relati. Quando autem sit gratia facta, quando facienda, iam suprà diximus. Sed vt res clarior fiat, ad aliquos casus, in quibus potest esse aliqua difficultas, deueniamus.

2 Primus est de licentia, & facultate tibi data à Pontifice, Episcopo, vel parocho audiendi confessiones in fauorem pœnitentium, an pereat morte concedentis, vel finita eius iurisdictione?

Perire affirmat Philiar. *de offic. Sacerd. tom. 1. p. 2. lib. 2. c. 24. ad fin.* & de licentia data per Episcopum, seu alium Papa inferiorem, docet Nauarr. *summ. Hispan. cap. 27. num.* 264. D. Antonin. *3. p. tit. 17. cap. 9. fin.* Vgolin. *de off. Episc. cap* 36. §. 10. *n.* 3. *& alias cap.* 26. §. 21. *n.* 21. & de licentia data à parocho alteri Sacerdoti, docet noster Molin. *tit.* 5. *de iustu. disp.* 20. *n.* 5.

Præcipuum fundamentum est, quia iurisdictio delegata perit morte concedentis, si res fuerit integra, quia non radicatur in delegato, sed manet penes delegantem, quousque delegatus ea vti cœperit. Ergo similiter hæc iurisdictio ad audiendas confessiones, ad dispensationes faciendas, peribit concedentis morte; siquidem est iurisdictio delegata. Item hæc facultas semper videtur data in gratiam pœnitentium; sed illis non est gratia facta, sed facienda. Ergo perit morte concedentis.

3 Cæterùm longè probabilius est licentiam concessam Sacerdoti, audiendi confessiones pœnitentium, per Pontificem, vel Episcopum, vel parochum, non perire morte concedentis. Quia est gratia, & fauor factus, præcipuè ipsi Sacerdoti, potius quàm pœnitentibus, cùm non sint ipsi expressi, & nominati, & ad ipsorum petitionem: gratia autem facta non perit concedentis morte, vt diximus. Ergo. Et ita tenet Thomas Sanchez *illa disp.* 28. *num.* 72. Nicol. Garcia 6. *p. de benefic. cap.* 2. *n.* 321. Salas *de legibus, disp.* 20. *sect.* 17. *vers. dico sextò.* Suarez *lib.* 8. *cap.* 31. *num.* 3. *& cap.* 32. *n.* 9. Ægid. de Coninch *disp.* 8. *dub.* 10. *num.* 72. Saa *verbo gratia, num.* 4. Basil. de Leon *lib.* 8. *de matrim. cap.* 19. §. 1. *n.* 1. & alij plures, quos ipsi referunt. Et licèt aliqui ex illis solùm in generali de licentia concessa loquantur; alij verò expressè dicunt, etiamsi à parocho concessa fuerit, non perire; quia nulla est in hoc ratio differentiæ. Et exempli gratia, de priuilegiis, & gratiis Pontificum iura loquuntur, non quia ad sola priuilegia Pontificis sit limitandum. sic Nicol. Garcia, Basilius, Ægidius, Sanchez *suprà.* Suarez *cap.* 32. *num.* 9.

Neque obstat fundamentum contrarium. Fatemur iurisdictionem delegatam, si sit in materia iustitiæ, perire morte concedentis; quia ita deciditur *in cap. gratum, cap. relatum, cap. licet, de off. deleg.* at cùm in materia gratiæ nihil determinetur, non debet morte concedentis perire. Adde in materia iustitiæ totam iurisdictionem delegatam censeri factam in fauorem, qui iudicandi sunt, non in fauorem ipsius iudicis; secus verò in delegatione gratiosa.

Ad confirmationem respondeo non solùm in gratiam pœnitentium, sed Confessoris datam esse, quando persona non determinatur.

4 Secundus casus est, si detur tibi indultum, vt absoluas aliquas determinatas personas, vel cum illis dispenses ob illarum fauorem: an tunc si res integra sit, expiret morte concedentis? Sanchez *lib.* 8. *disp.* 28. *num.* 73. ex communi sententia sentit expirare, consentit Garcia 6. *p. cap.* 2. *n.* 327. Bonacina *disp.* 1. *q.* 3. *p.* 8. §. 1. *n.* 25. Mouentur, quia tunc est gratia facienda, & non facta, quæ expirat morte concedentis re integra, ex *cap. si cui nulla, de prabend. in* 6.

5 Fateor hanc esse communem sententiam, & in praxi consulendam: at reputo satis probabile, & securum in conscientia tibi indultum non perire; censeo enim potestatem tibi datam ad dispensandum, vel absoluendum, non solùm esse gratiam illius, cui est absolutio, vel dispensatio concedenda, sed etiam tui; siquidem tu vt magis idoneus electus es ad illam dispensationem concedendam: & ita tenet Emanuel Saa *verbo dispensatio, num.* 6. in editione genuina, & reformata, & indicat *verbo gratia, num.* 4. Salas illum referens *disp.* 20. *sect.* 17. *fine.* & in potestate ad absoluendum probabilius censet Suarez *cap.* 31. *num.* 18. *ad finem.* inclinat maximè, & securum reputat Basilius de Leon *lib.* 8. *de dispensat. cap.* 19. §. 1. *n.* 5. & *n.* 8. absolutè eam tenet.

6 Neque obstat textus *in cap. si cui nulla, de prabendis, in* 6. ibi enim solùm deciditur, facultatem concessam alicui super prouisione certæ personæ facienda expirare, si non ob suam, sed eius, cui prouideri mandatur, gratiam, & fauorem sit concessa: quare si non solùm ob gratiam eius, cui prouideri mandatur, sed etiam ob prouisorem facultas concedatur, gratia non expirat. At cùm facultas absoluendi, & dispensandi videatur, non solùm in fauorem dispensandi, & absoluendi, sed etiam in fauorem absoluentis, & dispensantis fieri, perseuerare dicendum est; quia saltem ex vna parte iam est gratia facta, scilicet ex parte dispensantis: & cùm hæc perseuerare non possit, nisi simul perseueret gratia facienda dispensando, vtraque perseuerat, vt multis allegatis probat Sanchez *lib.* 8. *disput.* 28. *num.* 80. *&* 81. Adde satis probabile videri, quamlibet facultatem datam alicui ad effectum causandum in alio esse gratiam factam illi, cui data est talis facultas, etiamsi ex speciali intentione ad alium referatur, ac proinde non perire morte concedentis, nisi in his casibus, in quibus ex iure aliud colligitur, qui solùm duo sunt. Primus in materia ambitiosa, qualis est beneficialis, ex *dicto cap. si cui nulla, & cap. si super gratia, de officio delegat. in* 6. Alius in materia fori contentiosi, vt *in cap. gratum, cap. relatum, de officio delegat.* ad quem reducuntur externi contractus, & negotia humana, & aliæ leges, quæ statuunt mandatum expirare morte mandantis. sic Suarez *lib.* 8 *cap.* 31. *n.* 14. & ex illo Basil. de Leon *lib.* 8. *cap.* 19. §. 1. *n.* 5.

7 Tertius casus est de facultate tibi concessa eligendi Confessorem, siue determinatum, siue indeterminatum, qui à reseruatis absoluat, vel tecum dispenset: an, inquam, hæc facultas pereat morte concedentis re integra? Et dicendum est nullo modo perire, quia est gratia iam facta tibi, & beneficium legitimè à te possessum, ratione cuius potes Sacerdotem eligere; sic tenet Nauarr. *cap. placuit, de pœnitent. distinct.* 6. *num.* 35. *&* 161. Henriquez *summ. lib.* 7. *cap.* 21. §. 6. Suarez 4. *tom. de pœnitent. disput.* 26. *sect.* 3. *num.* 7. *& lib.* 8. *de legibus, cap.* 31. *num.* 3. *&* 19. Sanchez *lib.* 8. *disput.* 28. *num.* 72. *&* 75. Nicol. Garc. 6. *part. de benefic. cap.* 2. *n.* 315. Basilius de Leon *lib.* 8. *cap.* 19. §. 1. *num.* 7. & alij, quos ipsi referunt, quamuis contrà teneat Angel. Philiarcus, Gomezius, & alij relati à Garcia *num.* 316. in licentia concessa per Episcopum, aut alium Papa inferiorem. Quæ doctrina procedit à fortiori in facultate eligendi Confessorem data per Iubilæum; quia huiusmodi facultas est accessoria indulgentiæ, seu facultas lucrandi indulgentiam, quæ cùm sit gratia iam facta, & morte concedentis non expirat, vt est communis sententia; neque etiam potestas eligendi Confessarium, quæ illi est accessoria. Item in facultate concessa eligendi Confessorem per Bullam Cruciatæ, constat non expirare morte Pontificis concedentis: tum quia est gratia iam facta Regi, in cuius fauorem, pro expeditione belli contra infideles conceditur, tum quia conceditur pro tempore determinato: sic Sanchez alios referens *num.* 78. Basilius de Leon *num.* 9. Garcia *num.* 317. *&* 318. Item in facultate recipiendi ordines extra tempora, vel non seruatis interstitiis, celebrandi in priuato oratorio, comedendi carnes diebus prohibitis, & aliis similibus, quia hæ omnes sunt gratiæ factæ ipsi, cui tales facultates conceduntur, ac proinde perire non possunt morte concedentis, vt supradicti Doctores autumant.

8 Quartus est de dispensationibus, quæ committuntur ordinariis, si preces veritati nitantur; dicendum, inquam, est expediri posse ab ordinariis, quia est gratia facta ipsi dispensando, etiamsi res fuerit integra, quando Sedes Apostolica vacauerit, sic Basilius *num.*7. Sanchez *num.*87. Garcia *num.*312. Molin.*tract.*5.*disput.*20. *num.*4. Salas *disp.* 20. *sect.*17.*num.*125. Suar. *lib.*6.*de leg. cap.*17. *num.*9.

9 Quintus est, si pro te à Pontifice, vel eius Legato detur mandatum, vt prouideatis in aliquo beneficio tunc vacante, an hæc gratia, & mandatum expiret morte concedentis re integra? Videtur expirare, quia mandatum morte mandantis expirat. *l.mandatum, C.mandati, & §.rectè.Instit eodem tit.cap.gratum, cap.relatum,de officio delegati.* Item quia text.*in cap si cui nulla,* videtur id decidere: siquidem dicitur, si super prouisione certæ personæ facienda detur potestas alicui, & res fuerit integra, cùm concedens moritur, perire gratiam: & ita tradit Staphileus *de litteris gratiæ,tit. quibus modis spirent litteræ ad beneficia, in princ.num.* 1. *&* 2. Zerola 2. *p. praxis Episcopalis,verb.delegatus.*§.1. Thom.Sanch.inclinat *lib.* 8.*disp.*28.*num.*43. 64. *&* 81. Emar odriq.*qq.reg.tom.*1. *quæst.*9.*art.*1.

10 Nihilominus, etsi supradicta sententia sit probabilis, probabilior mihi videtur non perire tale mandatum. Quia eo ipso, quo de prouisione certi beneficij obtinuisti mandatum, acquisisti ius ad rem ad supradictum beneficium, quod ius maxima gratia reputari debet; ac proinde non cessat morte concedentis re integra, ex *cap.si super gratia, de officio deleg.in* 6. & tradit Gigas *de pensionib.q.*91.*n.*4. Gutierr.*lib.*2.*can.qq.cap.*17.*n.*5. Henriq.*sum.lib.*14.*cap.*17. *num.*7. Thom. Sanch.*suprà n.* 87.Mandos.*reg.*10.*q.*2.*num.*4. Nicol.Gar.6.*part.de benefi. cap.*2.*n.* 300. & alij plures ab eisdem relati. Et ad rationem in contrarium facilè respondetur, expirare quidem mandatum morte mandantis, quando non est gratiæ factæ annexum; secus verò, si datum sit pro illius executione. Textus autem *in cap.si cui nulla,* loquitur quando non pro certo beneficio, sed incerto, & posito in electione mandatarij conceditur mandatum, quia tunc non videtur gratia facta certa, & determinata, sed facienda, vt ex Rota, Gigas, Mandos. Rodriq. & aliis docet Garc.*num.*30. vel potest dici loqui text. quando non datur propriè mandatum, sed solùm licentia, & facultas, quia tunc non est executor necessarius, sed voluntarius; ac proinde cessat morte concedentis re integra: sic ex Hieronym. Paulo, Rebuf. & aliis docet Sanch.*num.*87. 95. Adde supradictam doctrinam procedere, etiam si detur mandatum de prouisione certæ personæ, ad certum beneficium cum causæ cognitione, & citatione partis. Quia semper habet rationem gratiæ factæ, & executoris potestas accessoria gratiæ reputatur, sic ex Paulo, Rebuf. Gutierr. Sanch.*num.*88. Garcia *n.*303. Quocirca si tibi sit gratiæ rescriptum concessum, ratione cuius assignatur certa pensio super aliquod beneficium, non spirat hoc rescriptum morte Pontificis concedentis; sed executor poterit ad illius executionem procedere: sic Gigas *de pensionibus,q.*91. Gutier.*lib.*2. *can.qq.cap.*17.*n.*5. Sanch.*num.*88. Garc.*num.*310. si tamen committeretur assignatio pensionis, quæ executori videbitur, tunc in opinione Garciæ, Mandosij, Roderici, & aliorum expirat, quia non censetur gratia facta, siquidem non est de re certa, & determinata. At in opinione Sanch. quæ satis probabilis videtur, non expirat; quia non est leuis gratia habere mandatum super prouisione incerti beneficij.

11 Sextus est de facultate, & licentia testandi concessa Episcopis à Papa; quæ cùm sit gratia facta, non spirat morte Papæ concedentis re integra: sic Ioann. Gutierr.*lib.*2.*pract.q.*75. noster Mol.*de iustit.*1.*tom.tract.* 2.*disp.*241.*ad finem.* Sanch.*lib.*8.*disp.*28. *num.*82. Couarr. *in noua edit.in cap.cùm in officiis, de testament. n.*8. Garcia 6.*p.de benefic.cap.*2.*num.*328. Fachin.*lib.*5.*controuers.cap.* 99. & alij ab eisdem relati. Adde hoc verum esse, etiamsi litteræ expeditæ non fuerint, quia est gratia perfecta eo ipso, quòd Pontifex dixit, *fiat*: sic Sanch. *disp.*29.*n.*7. Gonçalez *super reg.*8.*cancellar.glossa* 12.*num.*45. Mol.*tom.* 3.*de iustit. disp.* 599. *num.*6. Garcia *num.*334. Saa *verbo gratia,num.*11.

12 Septimus est de facultate data à Rege faciendi maioratum, vel alienandi bona ipsius. & dicendum est non expirare morte concedentis re integra: & est expressa decisio *leg.*43.*Tauri.& leg.*2.*tit.*7.*lib.*5. *nouæ compilat.* & tenent omnes: quod non solùm habet verũ, quando litteræ huius facultatis sint expeditæ, sed etiam litteris non expeditis: vt tradit Garcia *num.* 351. Sanch. *disp.*29.*num.*7. Gonçalez *reg.*8. *cancellar.glossa* 12.*à n.* 45. Mol.*de iustit.tom.*3.*disp.*599.*num.*6 Ratio est, quia, vt suprà diximus, gratia, & priuilegium non petit ad sui valorem scripturam. Si verò facultas faciendi maioratum concessa esset à ministris, & Regis consiliariis, dependenter tamen à Principis subscriptione; quę tamen subscriptio non esset facta, quando Princeps moritur; tunc gratia facta à ministris Regis expirat, neque illa vti poteris ad instituendum maioratum, etiam successore Principe subscribente: nisi de plenitudine suæ potestatis vellet concessionem ministrorum supplere; quia tũc gratia non est perfectè facta, sed potiùs est in fieri: sic intelligendus est Mol. *de primog.lib.*2.*cap.*7.*num.*64. Gutierr.*lib.*2.*pract.q.*74. *in princ. &* q.75. *num.*2. *& lib.*2.*canon.qq.cap.*17.*num.*14. Matien.*leg.*2.*recop.tit.*7.*lib.*5 *gloss.* 2.*n.*1.*fine*, ibi Azeued.*num.*11. Auend.*leg.*43.*Tauri.gloss.*1. *num.*2. & alij qui affirmant facultatem concessam instituendi maioratum litteris nõ expeditis à Principe perire; loquuntur enim non de facultate à Principe, sed ab ipsius ministris concessa, quæ est dependens à subscriptione Principis, vt rectè explicuit noster Mol.3. *tom.disp.*599.*num.*6. Thom.Sanch. *lib.*8. *disp.*29. *num.*7. Gonçalez *gloss.*12. *à num.*45. Garcia *num.*333.

§. V.

An rescriptum gratiæ pro limitato tempore concessum spiret morte concedentis.

1 *Non perijt, quousque tempus finiatur.*
2 *Sed quid si concessum sit sub hac forma, ad annum, ad meum beneplacitum? Affirmant plures prorogari post annum, si Princeps viuit.*
3 *Censeo oppositum probabilius.*
4 *Quid de gratia, dum fuerit nostra voluntas, ad beneplacitum nostrum? Probabilius est perire.*
5 *Non caret probabilitate oppositum.*

1 Contingere potest, vt rescriptum gratiosum sit concessum pro aliquo tempore limitato. v.gr. pro tempore vnius anni: si intra illum annum concedens moriatur, non perit, sed valet, quousque annus finiatur; & hæc est vna ex rationibus, quare priuilegia Bullæ cruciatæ non pereunt morte concedentis intra illum annum contingente; quia pro duratione vnius anni fuerunt concessa, & sic sunt gratia facta pro illo anno. sic Basil. de Leon *lib.*8.*cap.*19.*n.*7. Sanch.*disp.*28. *à n.* 50. & specialiter de Bulla *n.*78. Suarez *lib.*8.*cap.*32. *num.*10. Henriq.*lib.*7.*de indulg.cap.*21.*num.*4.

2 Sed quid si dicat Princeps: Concedo tibi licentiam ad annum, ad meum beneplacitum, peribit ne licentia, si intra annum moriatur, vel vltra annum prorogabitur, si Princeps viuit? Affirmat Sanch.*num.*51. prorogari post annum. consentit Henriq. *lib.*7.*de indulgent. cap.* 21.*num.*4. Anton. Gabriel *tom.*3. *commun.opin. lib.*6.*tit. de præbend. concl.*2. *n.*31. Quia illa concessio facit hunc sensum:

sensum: Concedo tibi licentiam ad annum,& vlteriùs ad meum beneplacitum.

3 Cæterùm probabilius censeo non prorogari post annum, etiamsi viuat concedens. Quia illa verba, ad beneplacitum meum, non videntur extensiua prioris facultatis, sed potiùs restrictiua illius: & facere hunc sensum, ad beneplacitum meum tibi concedo licentiam per annum: id est, licentiam tibi concessam per annum volo esse dependentem à mea voluntate. Et confirmatur. Si Princeps concederet licentiam per annum, & adderet, nisi reuocauero, clarum est non prorogari vltra annum: ergo neque cùm dicit ad beneplacitum. Præterea quia sensus ille pro sententia Sanchez allatus extra proprietatem verborum esse videtur, facit enim duplicem concessionem, scilicet ad annum, & vlteriùs ad beneplacitum; cùm tamen verba eam non admittant: non enim est concessio facta per propositionem hypotheticam, sed cathegoricam, neque per copulatiuam, sed per simplicem: & ita tenet Suarez *cap.32.num.11.& 12.* Ex quo mihi etiam satis probabile videtur, si intra annum moriatur concedens, perire licentiam sub illis terminis datam; quia datur per annum ad beneplacitum: & cùm beneplacitum pereat, pereunte persona, perit concessio. Posset tamen non incongruè habere hunc sensum supradicta propositio; scilicet concedo tibi licentiam ad beneplacitum meum, id est, ex beneplacito meo, qui sensus non denotat conditionem concessionis, sed potiùs causam illius: ac proinde perseuerat pro toto anno, etiam mortuo concedente intra illum. sic Suarez *illo cap.32.in fine*, & Henriquez *cap.21.num.4.*

4 Quando autem Princeps concedit gratiam, apponendo illam dictionem, *ad beneplacitum meum*, vel quandiu voluero, aut fuerit nostra voluntas, dubitari potest, an pereat concedentis morte? Et quidem perire probabilius est; quia post mortem neque est voluntas, neque vllum velle, nec beneplacitum; ac proinde cessat conditio, sub qua fuit gratia facta: *cap. si gratiosè, de rescriptis, in 6.*

Dices, ergo si non adderentur illa verba, sed absoluta esset concessio, periret gratia, siquidem perit voluntas, & beneplacitum, ex quibus habet gratia efficaciam.

Respondeo ex voluntate positiua concedentis habere gratiam efficaciam, vt sit, non tamen, vt conseruetur; non enim indiget ad sui conseruationem positiua voluntate concedentis; solùm enim requirit, ne adsit contraria voluntas, scilicet reuocatio. At quando sub illis terminis conceditur; tunc indiget positiua voluntate conseruante, quia sub illa conditione conceditur: quare si hæc absolutè cesset, cessat & gratia: sic docent Sanchez plures referens *disp.27.num.52.* Menoch.*lib.1. de arbitrar.quæst.69. num.2. & seq.* Couarr.*3.var.cap.15. num.3.* Basilius *lib.8.cap.19.§.1.n.9.& 10.* Suarez *lib.8. de legibus, cap.32.num.3.*

5 Addendum tamen existimo, non carere probabilitate, ex illis verbis non limitari gratiam ad vitam concedentis, sed prorogari post illam, quousque reuocetur; quia videntur in communi loquendi modo æquiualere illa verba, ad beneplacitum meum, illis verbis, donec reuocauero, seu aliter ordinauero, quia dum aliter non ordinatur, semper videtur esse, & perseuerare eadem voluntas. Et confirmari potest ex vsu, & consuetudine ordinariorum, cùm facultatem religiosis, & aliis personis concedunt administrandi sacramenta; subiungunt ferè semper, se velle, vt illa licentia efficaciam habeat, dum fuerit nostra voluntas: at ex his verbis non reputantur licentiæ cessare, quousque reuocentur; ergo. & ita tenet Emanuel Saa *verbo gratia, num.7.* in vtraque editione genuina, & reformata: ibi, gratia, in qua dicitur, donec voluero, vel donec aliter ordinauero, vel ad beneplacitum Sedis Apostolicæ, durat mortuo concedente. Ecce qua ratione pro eodem vsurpat illa verba, donec voluero, vel donec aliter ordinauero: & in editione genuina subiungit (etsi contrà habeatur in reformata) quòd si dicat Papa, ad nostrum beneplacitum, spirare eo mortuo quidam putant, alij negant: & remittit se ad id, quod dixerat verbo *delegatus*, vbi *in num.3.* inquit: Delegatio non expirat delegante excommunicato, aut suspenso, neque ipso mortuo, si est data ad eius beneplacitum.

§. VI.

An rescriptum gratiæ, & iustitiæ morte delegati, vel eius finito officio spiret.

1 *Delegatio personalis spirat, secus realis.*
2 *Si sub nomine proprio delegatio fiat, regulariter censenda est personalis.*
3 *Si sub nomine dignitatis realis, & ad successores transit.*
4 *Extenditur, siue res integra sit, siue non.*
5 *Item etiamsi nudum factum comitatur.*
6 *Item esto sit consanguineus delegantis.*
7 *Si in commissione exprimatur nomen proprium, & nomen dignitatis, censenda est commissio personalis.*
8 *Apponuntur duæ limitationes: vna approbatur, altera reijcitur.*

1 OMnes conueniunt delegationem personalem spirare; secus verò realem. Quando autem commissio sit personalis, quando realis, non est facile explicatu; quia contingere potest, esse commissionem personalem, etiamsi solùm dignitas delegati exprimatur: si in commissione addantur tales circumstantiæ, quæ indicant sufficienter electam esse industriam personæ, vt suprà diximus latiùs, cùm de priuilegio reali, & personali loqueremur, & videri potest de hac re doctissimus Menochius *lib.1. de arbitrar. quæst.68. à num.1. vsque ad 25.*

Sed claritatis gratia notandum est tribus modis fieri delegationem posse. Primò expresso nomine delegati tantùm. Secundò illo tacito, expresso tamen officio, & dignitate. Tertiò expresso vtroque nomine, & proprio, & dignitatis.

2 Dico primò, si commissio nomine proprio fiat, v.gr. Petri, regulariter censenda est personalis: nisi ex circumstantiis, & subiecta materia aliud manifestè colligatur. Conclusio est ferè omnium Doctorum, quos statim referemus. Et ratio est clara, quia ad successorem non potest transire, nisi ex voluntate delegantis explicata: cùm autem id non explicuerit, sed potiùs signando personam contrarium significauerit, efficitur sanè commissionem esse personalem ex vi illius.

3 Dico secundò, si commissio sub nomine dignitatis facta sit, v.g. Episcopo Salmantino, Decano talis Ecclesiæ, realis est, & ad successorem in dignitate transit; quia tunc commissio non est facta personæ, ratione illius, sed ratione dignitatis sibi inhærentis: & cùm hæc perpetua sit, & ad successores transit, transit & commissio: habetur expressè *cap.quoniam Abbas, de offic.delegat.* ibi, *quia sub expressis nominibus locorum, & non personarum commissio emanauit*; & ita tenet glossa *ibi*, Abbas *num.8.* Menoch.*lib.1.q.68.de arbitr.n.21.* Salas *disp.20. de legib. sect.17.concl.1.* Sanchez *lib.8.disp.27.n.6.* Bonacina *disp.1. q.3.p.8.§.1.n.3.vers.respondeo secundò.*

4 Extenditur conclusio, siue res integra sit, siue non; quia esse rem integram, vel non esse, non immutat concessionem: & cùm hæc dignitati potius, quàm personæ facta sit, cum illa transit. sic Panormit. *in cap. quoniam Abbas, num.12.* Menoch.*num.22.* Sanchez *num.7.* Salas,

Bonacina *suprà*, & reliqui omnes Doctores; excepto Angelo, vt testatur Menoch. & Sanchez *suprà*.

5 Extenditur secundò, vt locum habeat, etiamsi solùm nudum factum committatur; quia nudum factum minus exigit industriam personæ: ergo faciliùs potest ad successorem transire. Adde cùm iurisdictio exercenda committitur, quæque transit ad successores, plures actus ibi committuntur, qui nudum factum respiciunt. Ergo iam commissio nudi facti transire ad successores potest: sic cum Abbate, & Decio defendit vt probabilius Menoch. *dicto lib.1. quæst.68.num.25.* Sanchez alios referens, *num.*14. Bonacina *disp.*1. *quæst.*3. *punct.*8. §.1. *num.*16.

6 Extenditur tertiò conclusio, vt habeat locum, etiamsi ille, cui committitur delegatio sub nomine dignitatis, sit consanguineus, aut amicus delegantis: adhuc censenda est commissio realis, si commissio sit ex illis, quæ solùm personis constitutis in dignitate regulariter fiunt, iuxta *cap. statutum, de rescript. in 6.* quia tunc qualitates illæ consanguinitatis, vel amicitiæ non principaliter spectantur: at verò si commissiones sint ex illis, quæ nudo ministerio contentæ sunt, tunc præsumptio non leuis est esse commissionem personalem, & ad successores non transire; quia videtur spectata qualitas amicitiæ, vel consanguinitatis potius, quàm dignitatis: sic legatum relictum Archiepiscopo consanguineo, vel amico, præsumitur relictum personæ, non dignitati. *cap. requisisti, de testamentis.* Et idem est si illum in executorem nomines; quia ad executionem testamenti potius amicitia, quàm dignitas prodest: sic docet Menoch. *lib.1.de arbitr.quæst.68.num.25.* & adducit pro se Iason *in l.more,num.65.vers.quartò limita. ff. de iurisdict omn.iud.* Couarr. *in cap.requisisti, de testament.* & glossam *in cap.religiosus,in glossa penult. de testament. in 6.* Sanchez *lib.8.disput.27.num.15.* Secus verò dicendum, si in Archiepiscopo non esset illa qualitas amicitiæ, vel consanguinitatis, quia tunc præsumitur legatum ad successorem transire, vt optimè probat Menoch. *lib.4. præsumpt.*121. *num.*5.

7 Dico tertiò, si in commissione exprimatur nomen proprium delegati, & simul eius dignitas, reputanda est commissio personalis, & non realis, etiamsi nomen proprium fuerit postpositum nomini dignitatis: sic docent alios referentes Flamin. *de resignat. lib.1.quæst.11. n.12.* Salas *disput.20. de leg.sect.17. num. 124. conclus.2.* Sanch. *lib.8.disp.27.num.20.* Bonacin. *disput.1.q.3.p.8.§.1.num.3.* Gutierr. *de matrim.cap.125.num.1.& 9.* Ratio est, quia nomen personæ in commissione positum restringere videtur vniuersalem significationem prouenientem ex nomine dignitatis; ac proinde facit, vt solùm vnicæ personæ communicetur commissio, & non pro omnibus habẽtibus illam dignitatem: aliàs si omnibus communicatur, nomen personæ in rescripto positum esset inutile, & confusionem causaret; quod non est dicendum, quia verba in rescripto semper debent habere effectum, ex *l.si quando,ff.de legatis* 1.

Dices, etiam nomen dignitatis, inutiliter ponitur, siquidem ratione illius non extenditur rescriptum amplius, quàm si solùm sub nomine personæ latum esset.

Respondeo negando esse inutiliter positum, quia licèt nomen dignitatis non deseruiat ad extendendam commissionem, deseruit tamen, vt clariùs, & euidentiùs cognoscatur persona, cui est facta commissio: non enim tunc nomen dignitatis gratia disponendi fuit appositum; sed potiùs gratia demonstrandi, cui dispositio concedebatur. At si commissio esset generalis facta omnibus habentibus talem dignitatem, nomen speciale, & proprium vnius personæ in commissione positum ad nihil aliud, nisi ad confusionem posset deseruire.

8 Limitant plures Doctores hoc esse intelligendum, quando delegatus cognitus erat deleganti; secus verò si illi esset incognitus, quia tunc videtur nomen proprium non esse in consideratione; ac proinde nomen dignitatis, vt potentius, & firmius præualere: sic docent Bart. *in l. si seruus communis ff. de stipulat. seruor.* per textum *ibi.* Abbas *in cap.quoniam Abbas,num.*8. *de officio deleg.* Beroius *ibi num.* 91. & dicit esse communem Greg. Lop. *leg.47.fin.tit.18.part.3.* Menoch. *de arbitr. lib.1.q.68.num.16.& 17.* & alij relati à Sanch. *lib.8. disput.27. num.19.* Verùm hæc limitatio mihi non probatur: tum quia rationes supradictæ in hoc etiam casu militant, scilicet inutiliter fore appositum tunc nomen personæ: tum etiam, quia *in cap.quoniam Abbas,de offic.delegati*, vbi declaratur quænam sit commissio realis, dicitur esse in qua sub expressis nominibus locorum, & non personarum fit. Ergo à contrario, vbi sub expressis nominibus personarum fit commissio, non realis, sed personalis censenda est: & ita tenet Sanch. Bonac. Flamin. Salas, & alij suprà relati nihil distinguentes.

Secundò limitat Sanch. Bonac. Salas, & alij *suprà*, vt intelligatur commissionem esse personalem, nisi ex circunstantiis redderetur, vel damnosa alteri, iniusta, vel inutilis, quia semper in casu dubio præsumendum est delegantem non velle suam dispositionem iniustam, vel inutilem esse.

§. VII.

Quæ dignitas successorem habeat.

1 *Proponitur quæstio, & distinguuntur dignitates.*
2 *Commissiones factæ legato non transeunt ad successorem.*
3 *Commissiones factæ canonico, qui existiment non transire ad successorem. Probabilius censeo oppositum in Ecclesia, vbi est certus numerus canonicorum.*
4 *Iudici synodali facta commissio ad successorem nõ transit.*
5 *Vicarius Episcopi non habet dignitatem perpetuam.*
6 *De rigore iuris commissionis illi factæ non debebant ad successorem in officio transire; at transeunt ex consuetudine.*
7 *Nomine vicarij, seu officialis non comprehenditur Episcopus, etiam mortuo, seu remoto ab officio vicario.*
8 *Neque nuntius, seu legatus Apostolicus.*
9 *Neque auditor cameræ Apostolicæ.*
10 *De vicario capituli sede vacante, qui affirment nomine officialis, & vicarij diœcesani intelligi, ac proinde expediri posse commissiones diœcesano factas.*
11 *Quid dicendum.*
12 *Sed quid si duo sint officiales? principalior eligi debet; si æquè sint principales in gratiosis rescriptis, quilibet eligi potest, in contentiosis variant Doctores: censeo probabilius recurrendum esse ad delegantem.*
13 *Electo vno officiali in rescriptis pro foro externo, non potest alius adiri, secus in foro pœnitentiæ.*
14 *Non potest Episcopus ab vno has commissiones auferre, & alteri committere, si in officio vicariatus illum teneat.*
15 *Sub nomine vicarij diœcesani intelliguntur vicarij prælatorum habentium iurisdictionem, quasi Episcopalem.*
16 *Vicarij foranei non possunt commissiones factas diœcesano expedire.*

1 PRo intelligentia superioris doctrinæ restat explicare, quæ dignitas intelligatur successorem habere; vt sic commissio facta alicui ratione dignitatis ad successorem illius transeat. Et ratio difficultatis est. Nam commissio facta Vicario, Legato à latere, Canonico, & iudici synodali, videtur ad successorem transire; cùm tamen hæ dignitates propriè successorem non habeant.

Vt ergo cum distinctione procedamus,
Primò dicendum est de Legato.
Secundò de Canonico.

Tertiò

Tertiò de iudice synodali.
Quartò de vicario.

2 Et primò de Legato dicendum est, commissiones illi factas etiam sub nomine solius dignitatis, non transire ad successorem in legatione, sed esse personales: ac proinde finito eius officio extingui. Ratio est clara, quia dignitas Legati successorem non habet, quia non est dignitas permanens in Ecclesia, sed ad voluntatem Pontificis constituitur: ac proinde quoties alicui legatio committitur, de nouo creari Legatus dicitur, non succedere præterito. Quapropter prouisiones, & reseruationes beneficiorum à Legato factæ, si effectum sortitæ non sunt, finita legatione expirant: vt habetur *in cap. præsenti, de off. legat. in 6.* & tenet Sanchez alios referens *lib. 8. disp. 27. n. 11.* Gutierr. *de matrim. cap. 125. n. 4.* Bonacina *disp. 1. q. 3. p. 8. §. 1. n. 15.*

3 Secundò de Canonico dubitari potest, an commissio illi facta, etiam sub nomine solius dignitatis, transeat ad successorem?

Respondet Sanchez aliis relatis, *lib. 8. disp. 27. num. 12.* siue in Ecclesia sit certus numerus Canonicorum, siue non; commissio facta Canonico ad successorem non transit de rigore iuris; quia non habet successorem, bene tamen ex benigna interpretatione voluntatis Pontificis, sicuti de vicario dicemus: consentit Bonacina *disp. 1. quæst. 3. p. 8. §. 1. num. 14.*

At mihi probabilius est, si in Ecclesia sit certus numerus Canonicorum, quorum quilibet habet suum titulum, vt in multis Hispaniæ Ecclesiis contingit, commissio facta Canonico S. Petri, v. g. sub nomine dignitatis ad successorem transit. Moueor, quia verè huiusmodi canonicatus est beneficium perpetuum, quod petit successorem, siquidem tenetur Prælatus de illo prouidere, neque potest diuidere, aut extinguere. Caput autem *dilecto, de præbend. §. præterea*, vbi deciditur canonicatum cum Canonico nasci, & desinere cum defuncto, loquitur quando in Ecclesia non est certus numerus præbendarum; quia tunc per mortem vnius Canonici nulla dignitas vacat, siquidem liberum est electoribus de nouo illum creare: at in Ecclesia vbi est certus numerus præbendarum, præbenda verè dicitur vacare, vt colligitur ex illis verbis, *vno indiuiduo iure vacante.* sic tenet relato Anastasio Germonio, Nicol. Garc. *6. p. de benefic. cap. 2. num. 37.*

4 Tertiò dubitari potest de iudice synodali, an, inquam, ad successorem transeat? Et breuiter dicendum est, nullo modo transire, sed cum ipso extingui: tum, quia huiusmodi iudices debent designari nominatim, & in particulari: vt colligitur ex Trident. *sess. 25. de reformat. cap. 10.* vbi statuitur designari personam, quæ qualitates habeat, iuxta *cap. statutum, de rescript. in 6.* quibus causæ à Romano Pontifice delegari possint. Ergo eorum assignatio non transit ad successorem in præbenda: tum quia esto assignarentur in genere, & sub nomine dignitatis. verbi gratia, sit iudex synodalis Decanus huius Ecclesiæ, illo mortuo non transit ad successorem decanatus, quia non transit iudicatura, sed cum primo assignato spirat. sic docet Garcia *9. p. de benefic. cap. 2. à num. 349.* cum Michaële Acosta *in cap. quoniam Abbas, de offic. delegat.* & refert ita declaratum fuisse in regia Cancellaria Pintia, & à sacra Congregatione super Concilium *illo cap. 10.* quam declarationem refert Barbosa *super Concil. in noua edit.* Flamin. *de resign. benefic. lib. 1. quæst. 11. num. 14.* Cæuallos *commun. contra comm. quæst. 666.*

5 Quartò dubitatur de vicario: & quidem statuendum est vicarium Episcopi non habere dignitatem perpetuam, quia vicariatus non est dignitas, quæ successorem expostulat. Non enim tenetur Episcopus mortuo vicario alium substituere, sed pro libito illum substituit: sicuti & pro libito illum in officio conseruat; poterat enim ab officio remouere. quæ omnia constant ex *cap. 1. & 2. de offic. vicar. in 6. & Clement. 2. de rescript.* tradit Rebuff. *tit. de forma vicarij, num. 192.* Barbosa *de potestate Episcopi, 2. part. allegat. 54. num. 170.* & multis citatis *num. 145.* Quapropter vicarij dignitas, quæ nulla alia est, quàm iurisdictio ab Episcopo delegata, perit morte vicarij, vel remotione illius ab officio: & quando alius loco illius assumitur, non debet dici subrogari in eadem prorsus dignitate, sed in alia simili: & sic propriè est de nouo creatus, non tamen est propriè successor. Ex qua doctrina videbatur inferri necessariò commissiones factas vicario Episcopi, etiam sub nomine dignitatis, tantùm esse personales; quia eius dignitas personalis est, & non perpetua, neque illi per se inhærens, sed ex voluntate alterius contingens: sic tradit [illegible] probans, & alios allegans Menochius *lib. 4. præsu. [illegible] 121. à num. 5. & de arbitrar. lib. 1. quæst. 68. num. 24.* Mantica *de coniecturis, lib. 8. tit. 17. num. 3.* Flamin. *de resignat. lib. 7. quæst. 24. num. 76.* & alij plures relati à Garcia *6. part. de benefic. cap. 2. num. 32.* Sanchez *lib. 8. disp. 27. num. 8.*

6 Nihilominus etsi hoc de rigore iuris verum sit: at attenta consuetudine, & stylo curiæ commissiones factæ vicario sub nomine dignitatis ad successorem in vicariatu transeunt; præsumitur enim intentionem Pontificis ita esse, ne passim rescripta vicariis Episcoporum commissa pereant, & ne sumptus in nouis expeditionibus multiplicentur; néve conscientiæ multorum diu sint vinculis alligatæ, & grauatæ dilatione nouæ expeditionis. sic docuit Abbas *in cap. quoniam Abbas, num. 11. de offic. delegat.* Cardinal. *ibi, & in Clement. 2. de rescript. quæst. 5.* vbi gloss. *verbo principalis.* Hieronym. Gabr. *consil. 33. lib. 2.* Thom. Sanchez *num. 10. & 31.* Bonacina *disput. 1. quæst. 3. punct. 8. num. 5.* Salas *disput. 20. sect. 17. sub n. 124. versic. ex dictis.* Gutierrez *de matrim. cap. 125. num. 14.* Nicol. Garc. *de benefic. 6. part. cap. 2. num. 34.* & alij apud ipsos.

7 Sed adhuc est difficultas, qui veniant nomine vicarij Episcopi, seu officialis diœcesani intelligendi, vt possint dispensationes, & commissiones factas vicario Episcopi, seu officiali diœcesano expedire?

Et primò dicendum est, nullo modo venire intelligendum ipsummet Episcopum, etiam mortuo, vel remoto ab officio vicario, quia Episcopus non est vicarius, neque dignitas Episcopi est dignitas vicariatus, sed omnino distincta: vt constat ex *cap. venerabilibus, in princ. de sentent. excommun. in 6.* Neque obstat esse idem tribunal Episcopi, & vicarij, vt possit Episcopus causas commissas vicario expedire, quia est idem tribunal in his, quæ competunt vicario ex commissione Episcopi & iure ordinario, non ex commissione, & delegatione Pontificis: sic Nauarr. *lib. 1. consil. in 2. edit. tit. de offic. delegat. cons. 5. num. 4.* Sanchez plures referens *lib. 8. disp. 27. num. 30.* Bonacina *disput. 1. quæst. 3. punct. 8. §. 1. num. 12.* Gutier. *de matrim. cap. 125. num. 11.* Salas *disp. 20. sect. 17. versic. ex dictis.*

8 Nec videtur intelligendus nomine vicarij, seu officialis diœcesani, Nũtius, seu Legatus Apostolicus, tum quia Legatus Apostolicus non est vicarius, neque officialis diœcesanus, cui est commissa talis facultas: tum quia Legatus non potest se intromittere in his, quæ à Sede Apostolica specialiter delegantur: iuxta *cap. studuisti, 2. de officio legati.* & ita tenet relato Sahagun, Nicol. Garcia *6. part. de benefic. cap. 2. sub num. 58. versic. sed restat.*

9 Tertiò nec videtur intelligendus auditor cameræ Apostolicæ: nam licèt hic sit litterarum Apostolicarum vniuersalis executor, id est, vbi alij executores deputati non fuerunt; at vbi deputati sunt, solùm potest accumulatiuè cum illis litteras expedire, sic Garcia *suprà.*

10 Quartò de vicario Capituli Sede vacante plures affirmant nomine vicarij diœcesani venire intelligendum: ac proinde litteras commissas vicario Episcopi, seu diœcesani, posse illas expedire: sic docet Cardinal. *Clement.* 2. *de rescript. quæst.* 13 *num.* 15. Sanch. *disp.* 27. *num.* 10 32. *&* 33. Zechus *de vicario Episcopi, cap.* 23. §. 1. *n.* 1. indicat Salas *disput.* 20. *sect.* 17. *vers. ex dictis*; præcipuè si sub nomine vicarij diœcesani commissio facta est. Mouentur; quia hic vicarius Capituli Sede vacante verè est vicarius diœcesanus: imò verè dici potest vicarius Episcopi, id est, illius, qui Episcopalem habet iurisdictionem.

11 Verùm si cõmissio facta sit vicario Episcopi, censeo non venire intelligendum vicarium Capituli Sede vacante; quia proprie, & in rigore vicarius Capituli, non est vicarius Episcopi, sed iurisdictionis Episcopalis, vt docet glossa *in Clement.* 2. *de rescriptis. verbo Episcopi.* Lambertinus *de iure patronatus,* 3. *p.* 2. *lib. quæst.* 1. *art.* 7. *num.* 3. Garcia 6. *p. de benef. cap.* 2. *num.* 41. vbi plures refert. Bonacina *disp.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 8. § 1 *num.* 7. *vers. ego verò.* August. Barbos. *de potestate Episcopi.* 2. *p. allegat.* 54. *num* 142. Si autem commissio facta fuerit vicario, seu officiali diœcesano, vt communiter fieri solet, tunc probabilius, imò pro certo existimo non venire intelligendum vicarium Capituli Sede vacante in dispensationibus matrimonialibus, & rescriptis iustitiæ, & gratiæ, quæ dantur in forma *dignum*; quia attenta consuetudine, & stylo curiæ Romanæ non censentur commissæ vicario Capituli: siquidem semper committuntur Episcopo viciniori, aut eius vicario: neque vicarius Capituli audet illas litteras expedire sine noua commissione. sic Hieronym. Paul. *de pract. Cancellar. in princ. vers. circa qualitatem personarum.* Leo *in thesauro fori Ecclesiastici cap.* 10. *num* 8 *fallent.* 5. *&* 6. Sahagun *in cap. quoniam Abbas, num.* 15. Garcia pluribus decisionibus Rotæ comprobans 6. *p. de benefic. cap.* 2. *num.* 44. *vsque* 58. Bonacina *suprà.* August. Barbosa *de potestate Episcopi.* 2. *p. allegat.* 54. *num.* 158. Notanter dixi non posse vicarium Capituli Sede vacante expedire dispensationes matrimoniales, & rescripta, quæ dantur in forma *dignum*, commissa officiali diœcesano; quia ex stylo curiæ contrarium habetur: vt intelligas commissiones, & executiones in forma *gratiosa*, seu in forma *commissoria*, quæ non sit in forma *dignum*; & executiones pensionum, & delegationes causarum, & litium posse per vicarium Capituli Sede vacante expediri, si fuerint vicario, seu officiali diœcesano commissæ: tum, quia in his non habetur in contrarium stylus curiæ: tum quia nomine vicarij, seu officialis diœcesani venit intelligendus vicarius Capituli Sede vacante, vbi contrarium de stylo non constat: vt docet glossa *Clement. etsi principalis, de rescriptis, verbo Episcopi.* Imola. Anchar. & alij. quos sequitur Sanchez *lib.* 8. *disp.* 27. *num.* 32 *&* 33. & plures, quos refert. & sequitur Garc. 6 *p. cap.* 2. *num.* 41. & ita tenet ipse Garcia *sub num.* 58. cum D. Sahagun *in cap quoniam Abbas, de officio deleg. num.* 15. & additur delegationes factas à Nuntio Apostolico in Hispania vicario diœcesano, etiam in forma *dignum*, posse expediri per vicarium Capituli, quia solùm ex stylo curiæ Romanæ non venit intelligendus vicarius Capituli nomine vicarij diœcesani, non tamen ex stylo Nuntij, & aliorum.

12 Sed quid si eiusdem Episcopi sint duo officiales, quisnam poterit expedire litteras officiali diœcesano commissas?

Respondeo, si vnus est principalior, eo quòd magis latam iurisdictionem habeat, is solus poterit expedire; quia is solus nomine officialis diœcesani intelligitur in rescriptis Pontificis, vt constat ex *Clement.* 2. *de rescriptis, & ibi glossa verbo principalis.* Item quia nomen *dignitatis* absolutè prolatum stat pro principaliori significato. Quocirca si plures in vna Ecclesia essent Archidiaconi, & commissio facta esset Archidiacono absolutè, intelligi debet esse facta principaliori: sic Sanchez alios referens *n.* 36. Salas *sect.* 17. *sub num.* 124. Gutierr. *de matr. cap.* 125. *num.* 14. Bonacina *num.* 10.

Si autem vterque officialis esset æquè principalis, tunc distinguendum est inter dispensationes, & rescripta contentiosa, & non contentiosa: nam pro dispensationibus, & rescriptis, quæ contentiosa non sunt, neque inter partes agitantur, poteris quemlibet illorum eligere, quia nullum inde sequitur inconueniens; & sic videtur esse mens concedentis: sic glossa *cap. quoniam Abbas. verbo substitutum, de offic. deleg.* Sanchez *num.* 37. *fine.* Bonacina, & Salas *suprà.* Pro dispensationibus verò, & rescriptis contentiosis tenet glossa supradicto loco esse iudicem, quem actor maluerit; quia in fauorem eius rescriptum concessum est. & sic videtur electio eius voluntati remitti. Alij, vt Beroius *dict. cap. quoniam Abbas, à num.* 77. censent ambos esse simul iudices, & neutrum seorsim, quia non est maior ratio vnius, quàm alterius. Salas autem, & Bonacina *suprà* censent consentientibus partibus quemlibet eligi posse, quia quilibet habet authoritatem, neque vlli fit iniuria: at dissentientibus partibus recurrendum esse ad Principem, vt determinet. Mihi verò probabilius videtur neutrum à partibus eligi posse, sed electionem, & determinationem faciendam esse à delegante. Moueor, tum quia hæc est communis sententia, vt videri potest in his, quos refert, & sequitur Sanchez *num.* 37. tum quia tota iurisdictio, & potestas iudicandi, quam quilibet illorum officialium habere potest, est ex commissione, non ex electione partium. Ergo si commissio non magis vnum, quàm alium iudicem signat, partes non poterunt vnum potius, quàm alium designare. Vtrumque autem designare non possunt, quia non duobus, sed vni tantùm commissio facta est. Adde quando vna pars in assignatione dissentit, non potest iudex assignatus ab alia parte procedere, & non ob aliam rationem, nisi quia in rescripto non fuit actori talis potestas eligendi concessa, sed neque etiam fuit concessa, quando alia pars consenserit. Ergo.

Dices, ergo manebit irritum rescriptum, quia est incertum, iuxta *cap. ad hæc, cap. fin. de rescript.*

Respondeo negando consequentiam; quia non est incertum rescriptum, sed certum, de re, inquam, certa, & de persona certa sub disiunctione: quod etsi hæc sit aliqua incertitudo, non vitiat rescriptum, quia purgari potest ex assignatione delegantis, nulla facta in rescripto mutatione; vitiaret autem rescriptum, si omnino incertus iudex eligeretur: at quia in præsenti ex certis personis iudex eligitur, non incertus omnino, sed certus reputari debet: & ita cum Beroio defendit Sanchez *illo num.* 37.

13 Vnum tamen est omnino aduertendum, in rescriptis pro foro externo electo vno officiali, quando partes illum eligere possunt, non posse alium æquè principalem adiri. Probant aliqui, quia vbi cœptum est iudicium, ibi terminari debet. *l. vbi cœptum,* 30. *ff. de iudiciis.* Sed friuola ratio, quia per solam rescripti præsentationem iudicium cœptum non est, vt suprà diximus; sed per citationem, vel litis contestationem. Ratio autem vera est, quia electione illius facta per rescripti præsentationem, cum animo procedendi circa illum, acquirit iudex signatus iurisdictionem; quæ tamen pro voluntate partis tolli non potest. neque ipse in alium nisi subdelegando in causis, in quibus subdelegare permittitur, transferre potest. sic Antonin. *cap. licet vndique, num.* 13. *de offic. deleg. glossa illo cap. quoniam Abbas, verbo substitutum.* Sanchez *num.* 38. Bonacina *num.* 10. At si electus moreretur, deponeretur, aut alia via alius loco illius subrogaretur, hic posset causam finire. sic Salas, Sanchez *suprà*, quia tunc successor reputatur eadem persona cum illo,

illo, qui fuit primò electus. In foro autem pœnitentiæ satis probabile est electo vno iudice alium adiri posse, quousque inuenias, qui dispensationem in tui fauorem expediat. Quia videtur concessa facultas iuxta naturam fori pœnitentialis, quæ est, vt possit pœnitens electo vno Confessore, illum relinquere, & alium adire, & ab eo absolutionem impetrare. In electione Confessoris delegati videtur dicendum te posse, si eius sententia non placuit, alium eligere; qui iudicet; quia censetur tibi data potestas eligendi, quousque impetres rescripti consummationem. sic Sanchez *lib.8. disput.27. num.40.* cum Suarez *tom.4. de pœnitent. disp.27. sect.4. dub.2. num.7.* Salas *num.114. fine*, aduersùs Nauarr. *lib.1. consil. in 2. editione, tit. de officio delegati, consil. 8. num. vnico.*

14 Secundò aduerto, nullo modo posse Episcopum à suo vicario has commissiones auferre, & alteri concedere, manente priori in officio vicariatus; quia non pendet ab Episcopo vicarius in harum commissionum expeditione: neque potest ad solas harum commissionum expeditiones vicarium statuere, quia iste non esset vicarius Episcopi propriè, quod requiritur, vt capax sit harum delegationum. sic Salas *disput.20. sect.17. sub num. 124. fine.* Sanchez *lib.8. disput. 27. num. 42.* Bonacina *disp.1. quæst.3. punct.8. §.1. num.11.* liberum tamen est Episcopo vnum vicarium ab officio remouere, & alium constituere: & tunc nequibit prior dispensationes sibi præsentatas, tanquam vicario expedire, sed expediendæ erunt per successorem: sic Doctores nuper relati. quod examinandum est in §. sequenti.

15 Quintò de vicariis Prælatorum habentium iurisdictionem, quasi Episcopalem, est dubium, an veniant intelligendi sub nomine vicarij, seu officialis diœcesani, cui committuntur rescripta?

Plures, quos refert Sanchez *lib.8. disput.27. num.34.* negant cum glossa *in Clement. etsi principalis, de rescript. verbo Episcopi*, consentit nouissimè Augustin. Barbosa *de potestate Episcopi, 2. part. allegat.54. num.141.* Sbrozius *lib.2. quæst.23. num.8.* Mouentur, quia hi non sunt capaces harum delegationum, eo quòd non habeant dignitatem. Cæterùm probabilius censeo capaces esse harum delegationum: tum quia hi verè habent dignitatem, sicuti vicarius Episcopi; habent enim rerum Ecclesiasticarum administrationem cum iurisdictione, in quo consistit dignitas Ecclesiastica, vt testatur multis relatis Sbrozius *lib.2. quæst.27. num.11.* Barbosa *de potest. Episcop. 2. part. allegat.54. num.133.* tum quia verè hi vicarij, sunt vicarij diœcesani, neque vllus alius ibi adest: tum denique, quia ita videtur in praxi receptum, ne deterioris conditionis sint illæ diœceses omnibus aliis: & ita tenet Sanchez alios referens *suprà num.34.* Flores de Mena *var. lib.1. quæst.4. à num.14.* Bonacina *disp.1. q.3. p.8. §.1. n.9.*

16 Sextò dubitari potest de vicariis Episcopi foraneis, an, inquam, expedire litteras commissas vicario diœcesano possint?

Et pro certo tenendum est non posse, quia non sunt vicarij diœcesani: ita aliis relatis docet Barbosa *n.139.* Adde vicarium foraneum non propriè dici obtinere dignitatem, sed officium, vt testatur Aloysius Riccius *in praxi fori Ecclesiastici, decis.577. num.1. in 1. edit. & in 2. edit. resol.551.* Barbosa *suprà n.140.*

Septimò de vicario Episcopi electi, sed nondum consecrati, an, inquam, possit expedire has litteras commissas vicario Episcopi?

Respondeo probabilius posse: tum quia hic verè est vicarius Episcopi, & nullus alius ibi adest, qui has litteras expedire possit. Tum quia de se capax est harum delegationum, vtpote in dignitate constitutus. sic glossa *verbo Episcopi, in Clement. etsi principalis., de rescriptis.* Sanchez *lib. 8. disput. 27. num.35.* Barbosa *de potestate Episcopi, 2. part. allegat. 54. num. 138.* & alij apud ipsos.

§. VIII.

An si delegatus, cui sunt commissa rescripta Pontificia, remoueatur à dignitate. v.g. Canonicus à canonicatu, vicarius à vicariatu, possit eas litteras expedire.

1 *Si commissio facta est ratione officij, expirat.*
2 *At si facta sit personalis? Proponitur dubitandi ratio.*
3 *Censeo expedire commissionem posse, si aliquem ex supradictis titulis habuit tempore commissionis.*
4 *Satisfit rationi contrariæ.*
5 *Excipe, nisi delegatus priuatus fuerit in pœnam dignitate.*
6 *Item si delegatus transit ad statum incompatibilem.*

1 ET quidem si commissio fuit facta ratione dignitatis, seu officij, certum esse debet relicto officio extingui commissionem, siue res incepta sit, siue non. Quia cessat conditio, sub qua commissio fuit facta. sic glossa *verbo principalis, in Clement.2. de rescript.* vbi Cardinal. *num.7.* Imola *num.11. & 13.* Abbas, Bald. Henriquez, Ioann. Andr. Bellamera, & alij, quos refert, & sequitur Sanchez *lib.8. de dispensat. disp.27. num.23. & 28. fine.* Bonacina *disput.1. quæst. 3. punct. 8. §. 1. num.13.* Sbrozius *lib.3. quæst.47.* Barbosa *de potestate Episcopi, 2. p. allegat.54. num.156.* Flamin. *lib.1. quæst.11. num.16.* Garcia *de benefic. 6. part. cap.2. num.49.* Gutierr. *de matrim. cap.125. num.13.*

2 Si autem commissio facta fuit personalis, non caret difficultate, an delegatus possit illas litteras expedire? quia illæ litteræ committi non possunt, nisi in dignitate constitutis, vt constat ex *cap. statutum, de rescript. in 6.* & Trident. *sess.25. cap.10. de reformat.* sed ille delegatus iam non est in dignitate constitutus. Ergo iam non valet illas litteras expedire. Probo consequentiam; quia ratio, quare in delegato Sedis Apostolicæ expostulatur dignitas, est, ne Papa, & Sedes Apostolica à vili ministro repræsententur: vt tradit glossa *in supradicto cap. statutum, verbo committantur.* ibi, *ne vilipendantur à tali ministro.* Sed hæc ratio militat tam in principio causæ, quàm in medio, & fine; imò magis in expeditione causæ, quàm in eius acceptione. Ergo.

3 Nihilominus tenendum est, posse huiusmodi delegatum, cui sub nomine proprio commissio facta est, litteras expedire, quamuis nec dignitatem, personatum, aut canonicatum habeat, modò aliquem ex his titulis habuerit, quando commissio illi facta fuit, docet glossa *in supradicto cap. statutum, verbo canonicis, in fine.* Decius *cap. quoniam Abbas, de officio delegat. num. 56.* Beroius *num.95.* Felinus *num.5.* Cæuallos *pract. quæst.666. num. 5. & quæst.667. num.10. fine.* Sanchez plures referens *lib.8. disput.27. num.28.* Flamin. *lib.1. quæst.11. num.6. & seqq.* Bonacina *disput.1. quæst.3. punct.8. §.1. num.17.* Augustin. Barbosa *de potestate Episcopi, 2. part. allegat.54. num. 155.* Garcia *9. p. de benefic. cap.2. num.351.* & alij apud ipsos: & testatur Garcia, Barbosa, Flamin. Sanchez, sic decisum fuisse à sacra Congregatione, quas decisiones ipsemet Flamin. & Garcia referunt, & nouissimè adducuntur à Ioanne Gallemart *illo cap.10. Concil. sess.25. de reformat.* Probatur, quia illa commissio personæ, & non dignitati facta est. Ergo si illa persona capax fuit illius commissionis, quando illi commissio facta est, nequit illam deperdere, ob deperditam dignitatem, quia non videtur in conseruari, pendere à dignitate, sicuti donationem

nem factam pauperi non deperdit pauper, ex eo quòd postea diues factus fuerit, quia non paupertati, sed personæ pauperi facta est. Ratio est, quia huiusmodi qualitas non expostulatur adesse, nisi tempore commissionis, quod constat ex illis verbis *dicti cap. statutum. Sancimus, vt nullis, nisi in dignitate praditis, aut personatum obtinentibus, seu Ecclesiarum cathedralium canonicis causa, authoritate litterarum, Sedis Apostolica, vel Legatorum eiusdem de catero committantur.* Ergo. Si dignitas adfuit tempore commissionis, commissio habuit effectum. Ergo etiam si postea deperdatur dignitas, non deperdetur commissio; quia nullibi habetur ad executionem litterarum requiri, sed solùm ad illarum commissionem. Vide Flamin. *illa quæst.* 11. multis hanc rationem exornantem.

4 Neque obstat ratio in contrarium, cui benè satisfacit Flamin. cum Imola *in Clement. etsi principalis, de rescript. col.* 4. Negat enim dignitatem expostulatam esse à delegato, tanquam finalem causam, ne à vili ministro Sedes Apostolica repræsentetur. nam licèt hæc ratio fuerit impulsiua, non tamen finalis, finalis enim fuit; ne ab imperitis, & inhonestis Sedes Apostolica repræsentetur, argum. *cap. cùm in cunctis, de electione.* Quæ ratio semper permanet, etiamsi dignitas cesset. nam propter qualitatem præcedentem tempore commissionis, semper præsumptio est peritiæ, & honestatis in delegato. Adde, etiamsi daremus finem expostulandi dignitatem in delegato esse, ne à vilibus personis Sedes Apostolica repræsentetur, non cessare huiusmodi finem, etiamsi cesset dignitas, modò non cesset per priuationem, aut inhabilitatem aliquam, quia iam illa persona qualificata est ob dignitatem tempore commissionis habitam, neque vilis reputari potest.

5 Ex quo fit limitandam esse primò hanc doctrinam, vt intelligatur, nisi delegatus in alicuius delicti pœnam priuatus fuerit tali dignitate, quia tunc cessat finis, ob quem diximus, dignitatem in delegato expostulari, qui est morum honestas, & peritia. Adde esse personam vilem, & indignam repræsentandi Sedem Apostolicam; sic tradit Sanchez *num.* 26. cum Bald. *l. generaliter. C. de Episcopis, & cleric. num.* 7. Decius *cap. quoniam Abbas, n.* 58. *de officio deleg.* & ibi Felin. *num.* 5. Beroius *num.* 96. & probat ex text. *in l. Cassius, & seq. ff. de Senatorib.* vbi remotus à senatu ob turpitudinem iudicare nequit, secus si ob aliam causam.

6 Secundò limitanda est doctrina cum eodem Sanchez *num.* 27. Decio, Felin. & Beroio *suprà.* Flamin. *lib.* 1. *quæst.* 11. *num.* 15. Bonacina *disp.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 8. §. 1. *num.* 13. vt intelligatur, nisi delegatus transierit ad statum incompatibilem delegationis, eo quòd factus fuerit incapax iurisdictionis Ecclesiasticæ; vt quia contraxit matrimonium, vel quid simile fecit. nam in hoc casu non poterit illam causam expedire, quia non præsumitur Pontifex velle, vt eius iurisdictione vtatur, qui sic est impeditus.

PVNCTVM XVII.

An priuilegium, & dispensatio cessent renuntiatione ipsius priuilegiati.

1 *Controuersia est de priuilegio in fauorem priuilegiati concesso, non de priuilegio in bonum commune, quod renuntiari non potest.*

2 *Clericus renuntiare non potest priuilegio fori, & canonis. Quid de filiofamilias in priuilegio Macedoniano; & de minore in beneficio restitutionis in integrum?*

3 *Vinculum, quod semel per priuilegium, seu dispensationem sublatum est, non redit renuntiatione.*

4 *Renuntiatio priuilegij non est non vsus illius.*

5 *Ad renuntiationem, per quam priuilegium cessat, requiritur voluntas libera renuntiantis.*

6 *Sed an hæc sufficiat, sub distinctione respondetur.*

7 *Proponitur obiectio, & soluitur.*

8 *Electus renuens consentire electioni, mutata voluntate consentire potest.*

9 *Limitatur supradicta doctrina in vinculo voti, & iuramenti, sed cum declaratione.*

10 *Renuntiatio priuilegij acceptari debet à concedente priuilegium.*

11 *Quæ sit renuntiatio tacita.*

12 *Per ipsam, nisi à concedente acceptetur, non amittitur priuilegium.*

13 *Si obtinuisti dispensationem, vt duceres Mariam, duxisti aliam, ea mortua potes priorem ducere.*

14 *Dispensatus ad beneficia, si ad nuptias transit, non ob id cassatur dispensatio, sed mortua vxore illa vti poterit.*

1 POnendum est primò, sermonem esse de priuilegio, & dispensatione, quæ in bonum priuilegiarij, primò, & per se cedunt; quia hæc solùm sunt, quæ renuntiari possunt, ex *l. quod fauore. C. de legib. & l. pacisci. ff. de pactis, & l. pactum inter heredes, eodem. l. 1. ff. de ferijs. & l. si iudex, ff. de minorib. & cap. ad Apostolicam, de regularib.* Priuilegia namque, quæ in bonum commune directè ordinantur, renunciari nullo modo possunt à particularibus, quia non sunt propria bona cuiusque. *l. cùm publicum, ff. de pactis. cap. si diligenti, de foro competenti,* & aliis. Ad hæc reducitur, si priuilegium sit pluribus pro indiuiso concessum, non poterit quilibet eorum renuntiare, quia non potest vnus iuri alterius præiudicare.

2 Ex his fit nullum clericum renuntiare posse priuilegio fori, & canonis; quia statui clericali concessum est. Item nec vllus religiosus priuilegiis suæ religioni concessis; & in his omnes conueniunt. An verò filiusfamilias possit renuntiare priuilegio Macedoniano, quòd non possit ex mutuo pecuniæ obligari, & minor beneficio restitutionis in integrum, & mulier priuilegio Velleiani, vt fideiussio sit firma? alterius est loci. Breuiter dico filiumfamilias, id est, illum, qui est sub patria potestate, non posse priuilegio Macedoniano renuntiare, quia non in fauorem ipsius tantùm, sed præcipuè in fauorem parentum concessum est, quorum indemnitas per tale priuilegium intenditur. Cùm autem nullus possit priuilegio in fauorem alterius concesso renuntiare, non poterit filius huic priuilegio renuntiare: & ita tenet Anton. Gom. 2. *var. cap.* 6. *num.* 2. *paulo post princ.* cum glossa, & com. Doct. *in l. tametsi, ff. ad Macedon.* Azor *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 22. *quæst.* 10. Salas *disp.* 17. *de legib. sect.* 2. *num.* 25. *& sect.* 13. *num.* 69. Bonacina *disp.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 8. §. 6. *num.* 11. *& de contract. disp.* 3. *quæst.* 3. *punct.* 1. *ad finem.* Idem dicendum est de minoribus, non posse, inquam, renuntiare beneficio restitutionis in integrum; quia hoc priuilegium non est concessum minoribus, vt singulis personis, sed potiùs statui minorum, ob eorum imbecillitatem, & pericula deceptionis, quæ illis poterunt occurrere. sic Salas *illa sect.* 13. *ad finem.* Addit tamen Bonacina *disp.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 8. §. 5. *num.* 8. huic beneficio posse minores renuntiare, si addant iuramentum se non vsuros hoc priuilegio, vel si petant à Principe ætatis veniam. At credo ex solo iuramento non renuntiare hoc priuilegium, esto iuramentum seruandum sit, dum non relaxatur: at relaxatione obtenta poterit agere minor beneficio restitutionis, neque poterit ei opponi iuramentum factum: sic in filiofamilias docet Anton. Gom. cum Bart. & aliis *suprà.* Eodem modo dicendum est de muliere, quæ non potest pro marito fideiubere, neque renuntiare priuilegio Velleiani; quia hoc priuilegium non fuit introductum in fauorem cuiusque, sed in fauorem status, & vt imbecillitati mulierum prospiceretur. sic Salas *illa disp.* 17. *sect.* 13. *fine.* Azor *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 22. *q.* 10. *sub fine.* Anton. Gom.

plures

plures referens *tom. 2. var. cap. 13. num. 17.* vbi aduertit in nostro regno valere prædictam renuntiationem; quia ita statuitur *l. 3. tit. 12. part. 5.* At si huiusmodi renuntiationi accedit iuramentum soluendi, & fiat instrumento publico; tunc quidem fideiussio firma est, si conscia erat mulier absque iuramento illo præstito non teneri: vt multis relatis docet Sanchez *lib. 4. de matrim. disput. 9. num. 15.* quia iuramento firmatur contractus, & purgatur deceptio. Et idem est, si coram magistratu sit facta renuntiatio; quia ita cauetur *in l. fin. §. fin. ff. ad Velleianum.* propter authoritatem, & vigorem iudicij.

3 Ponendum secundò est, priuilegium, & dispensationem alicuius vinculi, quod semel sublatum fuit, non posse per renuntiationem priuilegij redire; non enim potest dispensatio facta in consanguinitate, in irregularitate, aliòve simili impedimento desinere effectum habere, quantumuis tu dispensationis factæ pœniteas, quia non stat in tua voluntate cassam reddere dispensationem, quæ iam habuit effectum.

4 Ponendum tertiò renuntiationem priuilegij non esse formaliter non vsum illius, potes enim priuilegio, & dispensatione tibi concessa non vti, & nihilominus tamen nolle priuilegio renuntiare; quia priuilegium consistit in facultate vtendi, cùm volueris; quæ facultas remanere potest, etiamsi illa de facto non vtaris. Exempli gratia. Data est tibi facultas non ieiunandi, ieiunas, non ob id renuntias priuilegio: in his Doctores omnes conueniunt.

5 Quocirca explicandum est, quæ renuntiatio sufficiat, vt priuilegium amittatur: amitti namque renuntiatione constans est Doctorum sententia, ex *cap. si de terra, cap. accedentibus, de priuileg. cap. ad Apostolicam, de regul. l. si quis in conscribendo, C. de pactis.* Ad hanc autem renuntiationem requiritur voluntas libera renuntiantis, hoc est, non coacta, qua scilicet velit abdicare à se ius, & potestatem sibi concessam vel in totum, si sit totius priuilegij, vel in parte, si sit renuntiatio alicuius partis priuilegij.

6 Sed an hæc voluntas sola sufficiat, est controuersia. Et quidem si priuilegij renuntiatio cedit in aliorum vtilitatem; quia scilicet renuntiatione ius aliis confertur, vel remittitur, vt contingit in priuilegio non soluendi tributa, exigendi decimas, & similia. tunc certum est renuntiatione etiam exteriùs manifestata non amitti priuilegium, nisi accedat acceptatio eius, cui interest; quia illa renuntiatio reuocabilis est: sicut & quælibet alia donatio, dum à donatario accepta non fuerit. sic glossa ex *cap. cùm venissent, de eo qui mittitur in possessionem, verbo obtuli.* & ibi notat Bald. *num. 8.* Ias *in l. postquam liti, C. de pactis, num. 1.* cum aliis. Basilius de Leon *lib. 8. de dispensat. cap. 18. §. 2. num. 17.* Suarez *lib. 8. cap. 33. num. 9.* Si autem priuilegium sit ex illis, quæ solùm spectant priuilegiatium, neque alteri damnum inferunt, vt sunt priuilegium eligendi Confessorem, recitandi ante horam consuetam, comedendi carnes diebus prohibitis. Probabilius censeo non amitti, nisi concedentis priuilegium acceptatio renuntiationis accedat. sic docet Sanchez *lib. 8. disput. 32. num. 2.* Salas *disput. 20. sect. 19. sub num. 128.* Bonacina *disput. 1. quæst. 3. punct. 8 §. 4. num. 3.* Suarez *lib. 8. cap. 33. num. 18.* Basilius de Leon *lib. 8. de dispensat. cap. 18. §. 2. num. 18.* Ratio est, quia per renuntiationem non immutatur voluntas concedentis priuilegium; sed cùm perseuerat voluntas concedentis, perseuerat priuilegium, cuius vis, & efficacia ab illo dependet. Ergo. Et explicatur ampliùs discurrendo per priuilegia, quæ tibi possunt concedi; alia enim sunt, quibus à lege communi eximeris: & hæc non videntur posse sola tua voluntate perdi, quia voluntas propria non est sufficiens imponere tibi nouam legis obligationem, à qua iam per priuilegium exemptus eras; si enim exemptus fuisti per priuilegium ab obseruatione alicuius interdicti, quomodo per voluntatem tuam iterum contrahere poteris illius obligationem? Est enim obligatio non ex tua voluntate, sed ex lege. Si autem priuilegium sit facultatis, & iurisdictionis concessiuum, vt contingit in priuilegio absoluendi pœnitentes, iudicandi reos, & similia: iam illud priuilegium à tua voluntate in conseruari non pendet, sed permanens est, quoties concedens non reuocauerit, quia ita communi bono, & rectæ gubernationi expediebat. Quæ omnia satis confirmantur ex *cap. licet, de procuratoribus, in 6.* vbi licèt is, qui procurator constituitur ab absente, dixerit præsentatum sibi suscipere nolle mandatum: hoc tamen nequaquam obstante, *quam diu constituens in eadem perstiterit voluntate, ipsum acceptare poterit, quamdiucumque placuerit.* Ecce qua ratione sola renuntiatione non amittitur mandatum procurandi. Ergo neque etiam priuilegium.

7 Dices. Pendet quidem priuilegium à concedente, sed est concessum sub hac tacita conditione, dum priuilegiarius illud acceptauerit: cùm autem per renuntiationem iam priuilegiarius non censeatur acceptare priuilegium, cessat quidem priuilegium, quia cessat etiam voluntas concedentis illud. Quòd autem sub hac conditione fuerit concessum, inde probatur. Tum quia est in fauorem priuilegiarij, & fauor inuito non debet concedi. Tum quia ea de causa à principio expostulatur acceptatio priuilegiarij, vt suum effectum sortiatur priuilegium. Ergo.

Sed contra, quia concessio priuilegij fuit absoluta, vt suppono. Ergo non debemus facere illam conditionalem contra verba priuilegij; decet enim beneficium Principis permanere, & latam interpretationem habere. Aliàs liceret etiam dispensationem aliquam concessam in consanguinitate, affinitate, & irregularitate affirmare, datam esse sub conditione, id est, dum dispensatus vti illa voluerit. Item si aliqua conditio, quæ fauorem priuilegiarij contineat, in concessione priuilegij includatur, ea est, vt priuilegiarius habeat priuilegium, quamdiu voluerit habere, & careat quamdiu noluerit, vt sic in voluntate priuilegiarij priuilegium positum sit. quæ gratis, & sine fundamento dicuntur, ac proinde affirmandum est concesso, & acceptato priuilegio, semper perseuerare, quoties concedens renuntiationem illius non acceptauerit; acceptando enim renũtiationem, reuocat priuilegium. Acceptatio autem in principio expostulatur, quia natura priuilegij, sicut & cuiuslibet donationis, acceptationem requirit.

8 Ex quo fit electum renuentem consentire electioni, posse mutata voluntate eandem acceptare electoribus in eadem voluntate perseuerantibus. Et idem est de iudice delegato, & arbitro, qui delegationem repudiarunt, & de beneficiario, cui beneficium collatum est, posse etiamsi priùs collationi dissenserit ei consentire, & beneficium obtinere, dummodo conferens in priori voluntate perseueret. sic docet Sanchez *lib. 8. disp. 32. n. 2.* cum gloss. Ioan. Andr. Archid. & aliis.

9 Limitat autem Sanchez *illa disp. 32. n. 3.* vt supradicta doctrina intelligatur in priuilegiis, & dispensationibus aliarum legum; secus verò in dispẽsatione voti, & iuramenti; quia obligationem aliarũ legum non potest quilibet sibi pro libito imponere: at obligationem voti, & iuramẽti, cùm à propria voluntate pendeat, poterit quilibet, etsi dispensatus sit, sibi iterum imponere: censetur autem sibi imponere, quoties renuntiat dispensationi sibi factæ in tali voto, & iuramento; quia hæc renuntiatio nihil aliud esse videtur, quàm voluntas redeundi ad priorem obligationem. Ergo per renuntiationem solùm absque vlla acceptatione amittitur in voto,

& iuramento dispensatio concessa. Verùm si bene perpendatur hæc limitatio, nobis contraria non est. Aliud enim est dispensationem, & priuilegium concessum tolli voluntate priuilegiati tantùm, aliud indigere noua dispensatione, & nouo priuilegio, si nouum vinculum contrahatur. Fateor ergo dispensatum in voto, & iuramento posse denuo vouere, & iurare, & nouum vinculum sibi imponere, indigens noua dispensatione; sicuti qui ab irregularitate homicidij esset dispensatus, poterat nouam irregularitatem alio homicidio contrahere. At hoc non probat, dispensationem in voto priori, & iuramento renuntiari posse; quantumcumq; enim velis illi renuntiare, non poteris obtinere, quia iam à tua voluntate non dependet, sublato enim illo vinculo, semper manet sublatum, etsi possis aliud denuo, & omnino simile tibi imponere. Adde contingere posse te velle renuntiare dispensationi concessæ in voto, aut iuramento, quin votum, aut iuramentum denuo facias. quod contingit, quando ignoranter existimas in tua voluntate esse positum prodesse, vel non prodesse dispensationem; & insuper habes voluntatem non repetendi votum; tunc enim votum non repetis, & renuntiat o non habet effectum. sic Salas *disp.20.sect.19.fin.*

10 Sed inquires, quis possit hanc renuntiationem priuilegij, & dispensationis acceptare?

Respondeo nullum alium præter concedentem priuilegium, aut habentem ab illo commissionem: cùm enim hæc acceptatio renuntiationis, sit virtualis reuocatio concessionis factæ; à nullo alio oriri potest, nisi ab illo à quo fuit facta concessio, aut ab illo, qui ab eo habet commissionem. Hanc autem commissionem non censetur habere executor dispensationis, & priuilegij; quia hic non est delegatus ad reuocandam dispensationem, sed potiùs ad illam exequendam; & ita aliis relatis docet Sanchez *lib.8.disp.32.n.4.*

11 Sed quid dicendum de tacita renuntiatione? Tacitam renuntiationem appello eam, quæ desumitur ex actibus, qui non videntur stare posse cum animo vtendi dispensatione, & priuilegio. v.g. dispensatus fuisti in aliquo impedimento ad contrahendum matrimonium cum Maria, contraxisti postea cum Catalina, videris renuntiare dispensationi tibi cōcessæ. Item dispensatus fuisti ad beneficia obtinenda, ducis vxorem, videris renuntiare dispensationi factæ.

12 Credo tamen huiusmodi actus stare optimè posse sine voluntate renuntiandi dispensationem, & priuilegium concessum; quia potest habere animum retinendi priuilegium pro tempore, quo eius vsus licitus illi sit. Sed demus fieri illos actus animo reuocandi priuilegium, vel dispensationem, non obinde dispensatio, aut priuilegium amittitur; quia si renuntiatio expressa priuilegij non valet cassare priuilegium, nisi acceptata sit à concedente priuilegium, neque etiam renuntiatio tacita illam efficaciam habebit, quousque per concedentem priuilegium fuerit acceptata. Requiritur ergo, vt priuilegium, & dispensatio cessent per renuntiationem, tacitam acceptari à concedente.

13 Ex his infertur primò, si dispensationem obtinuisti, vt consanguineam duceres, & duxisti aliam, vel castitatis votum fecisti, poteris mortua vxore, vel dispensato voto, vti priori dispensatione; quia illa dispensatio non fuit amissa, habuit enim effectum, qui non reuocatur. Quod verum est, etiamsi ruperis instrumentum, vel indultum dispensationem continens; quia hoc solum impedit, ne faciat fidem in foro exteriori, non tamen inualidat dispensationem iam concessam. sic Sanchez *disput.32.num.6.* Basilius de Leon *lib.8.cap.18.§.3. num.20.*

14 Infertur secundò, si illegitimus impetraret dispensationem ad beneficia, vel quilibet alius ad plura beneficia habenda; & obtenta dispensatione ad nuptias transiret: adhuc non extingui dispensationem, sed mortua vxore posse beneficia consequi. Ratio est, quia matrimonium non reddit cassam dispensationem, sed illius vsum suspendit. Item quia dispensatio illegitimitatis tollit inhabilitatem ad beneficia; quæ inhabilitas semel sublata non rediit per matrimonium contractum; non igitur matrimonium facere potest, vt iterum censeatur illegitimus. Si autem dispensatio sit ad plura beneficia obtinenda, est dispensatio in lege statuente, neminem posse plura beneficia retinere, sed vnum tantùm. At ex tali dispensatione non conceditur dispensato ius aliquod ad beneficium, quia neque est institutio, neque electio, nec præsentatio, sed solùm redditur habilis, & capax illorum: siquidem lege prohibente pluralitatem beneficiorum solutus est. Hanc autem capacitatem, & habilitatem: quia non est ius ad beneficium, non tollit matrimonium, sed suspendit eius vsum. sic Sanchez *lib.7. de impedim. disput.42. num.9.* & consentire videtur Basil. *loco citato.*

Pvnctvm XVIII.

An priuilegium, & dispensatio amittatur per non vsum.

1 *Amitti per non vsum. Et qui non vsus debeat esse.*
2 *Proponitur efficax dubitandi ratio.*
3 *Priuilegia, quæ in aliorum grauamen non cedunt, non perduntur per non vsum.*
4 *Quæ cedunt, tunc amittuntur, quando grauati præscribũt.*
5 *Excipe nisi in priuilegio fuerit appositum, vt vtaris illo tuo arbitratu.*
6 *Decennium affirmat communis sententia sufficere, vt grauati præscribant aduersus priuilegiatum, priuilegio non vtentem.*
7 *Resoluitur dari non posse regulam generalem, sed aliquando decennium, aliquando vicennium, & vltra est requisitum.*
8 *Amittuntur hæc priuilegia tam in foro externo, quàm in conscientia.*

1 QVæstio procedit solùm in priuilegiis, & dispensationibus respicientibus actum aliquem positiuum, qualis est accipiendi decimas, comedendi carnes diebus prohibitis, eligendi ad beneficia, & similia; quia solùm in his potest inueniri non vsus, hoc est, carentia huius priuilegij. sic DD. statim referendi.

De his ergo priuilegiis regula generalis est per non vsum amitti: sic docent glossa, Abbas, Innocent. Felin. Decius *in cap. cùm accessissent, de constitut.* Azor *lib.5.cap.4. quæst.8.& cap.42.q.8.* Salas *de legib.disp.17 sect.13.à n.63. & disp.19.sect.10. num.115.* Suarez *lib.8. cap.34. num.2.* Bonacina *disp.1.q.3.p.8.§.5. n.3.* Basil. de Leon *lib.8. de matrim.cap.18.§.3.n.21.*

Pro huius regulæ explicatione aduertendum est primò, non deperdi priuilegium, per quemlibet non vsum illius, sed per non vsum voluntarium, & liberum, data occasione vtendi priuilegio, qui vocatur non vsus priuatiuus, seu omissiuus. Nam si longissimo tempore nunquam se obtulit occasio vtendi priuilegio, vel oblata occasione non potuisti illo vti, per talem non vsum amitti non potest priuilegium. quod constat ex *l. vnus ex socijs, §. vlt. & l. seq. ff. de seruit. rust. præd.* vbi habetur non amitti seruitutem mihi debitam, de aqua ducenda in fundum meum, si illa vsus non fuerim; quia fons exaruit. sic Doctores suprà relati. Ex quo fit, si vniuersitati sit concessum priuilegium scholasticos ad gradus magistri, vel Doctoris promouendi: & per decennium, vel longius tempus neminem promouit; quia nullus promoueri voluit, priuilegium non amittere. Excipe, nisi vniuersitas causam dederit scholasticis, quare

quare nolint promoueri; quia tunc est idem, ac si noluisset promouere volentem. Idem est si priuilegium habens à Principe exigendi aliquod tributum, vel excludendi milites à ciuitate: & nulla se occasio obtulit exercendi priuilegium, priuilegium non amittit. sic Basil. Salas, Azor, Bonacina, Suarez *suprà*, cum aliis. Ad idem est, si priuilegio nō vtaris ob conuentionē factam cum alio. sic Bonac. *n.* 5. Suar. cum Felin. *lib.* 8. *c.* 34. *n.* 26. *ad fin.* quia tunc ratione conuentionis factus es impotens vtendi illo, vel, vt meliùs dicam, videris æquiualenter priuilegio vti, si aliquid pro non vsu illius recipis.

2 Sed circa supradicta est prima difficultas, qua ratione per non vsum possit priuilegium, quod absolutè, & absque determinatione temporis conceditur, amitti? Ratio difficultatis est, quia non vsus rei propriæ non tollit dominium illius; hoc enim dominium non deperditur præcisè ex eo, quòd re propria non vtaris. Ergo non deperditur priuilegium per non vsum. Aliàs dominium pecuniæ, & vestium, aliarúmque rerum mobilium, & immobilium deperderes eo solùm, quia illis non vteris, quod est falsum. Requiritur ergo ad minus quòd illas relinquas, & à te abiicias, & quasi pro derelicto velis habere, ex *l.* 1. *&* 2. *ff. pro derelict.* Ergo quoties priuilegiū à te non abiicis, quod renuntiatione debebat fieri, non poteris illud per non vsum amittere. Deinde non vsus in tantum esse potest causa amittendi priuilegium, in quantum indicat illius renuntiationem, vel est occasio, quòd grauatus priuilegio aduersùs priuilegiatum præscribat. At neutra ex his rationibus probat amitti priuilegium per non vsum. Ergo. Probo minorem quoad primam partem. Nam licèt non vsus priuilegij indicet renuntiationem illius: at renuntiatione etiam expressâ non amittitur priuilegium, quousque acceptetur à concedente. Ergo ex non vsu, quatenus significat renuntiationem, amitti ipso iure non potest. & sic vltra DD. superiori §. relatos docet Suarez *illo cap.* 34. *n.* 27. Adde ex non vsu priuilegij præsumi non posse renuntiationem illius; quia ob alios fines potest priuilegiarius priuilegio non vti, vt notauit Basil. de Leon *illo cap.* 18. §. 2 *&* 3. cum Vasquez 1. 2. *disp.* 177. *n.* 54. *&* 55. Suarez *c.* 34. *n.* 17. *& seq.* Quòd autem ex non vsu, quatenus occasio est, quod grauatus priuilegio aduersùs priuilegiatum præscribat, amitti non possit, sic probo. Tum quia hoc non esset amittere priuilegium per non vsum formaliter, sed solùm occasionaliter tantùm: tum quia non in omnibus priuilegiis potest dari præscriptio. Quæ enim præscriptio dari potest, in priuilegio tibi concesso comedendi lacticinia, recitandi ante horam consuetam, & alia similia; quæ solùm priuilegiatum respiciunt, neque versantur circa alios, vel tollendo ab illis commoditatem aliquam, vel imponendo nouum onus, siquidem præscriptio non est sine possessione continuata rei, quæ præscribitur: at huiusmodi priuilegia non habent vsum, qui extra priuilegiatum egrediatur. Ergo in illis nullus potest præscribere. In aliis autem priuilegiis, quæ in aliorum grauamen, & seruitutem redundant, vt sunt priuilegia decimandi, imponendi tributa, etsi videantur posse grauati illis priuilegiis præscribere aduersùs priuilegiatum: at hæc præscriptio tolli videtur à concedente priuilegium, siquidem in voluntate priuilegiarij constituit vsum eius. Quoties autem voluntati priuilegiarij remittitur vsus priuilegij, censent plures non contemnendi Doctores non posse aduersùs priuilegiarium præscribi. sic Felin. *in c. cùm accessissent, de constit. n.* 26. *&* 27. Decius *n.* 17. Balb. *de præscript.* 4. *p.* 5. *princ. vers. quartò quæro, n.* 4. Gloss. ordin. *in cap. vt priuilegia, gloss. pen. in fin. de priuileg.* vbi Anton. Molin. *de Hispan. primog. lib.* 2. *cap.* 7. *fin.* §. *sed verius videtur.* Azeued. *lib.* 5. *tit.* 7. *l.* 2. *noua compilat. fine.* Azor *lib.* 5. *cap.* 4. *q.* 8.

3 Pro resolutione huius difficultatis dicendum est primò priuilegia, quę in aliorum grauamen non redundant, qualia sunt priuilegium non ieiunandi, non recitandi, comedendi lacticinia, dicendi sacrum ante horam consuetam: quibus etiam annecti debet priuilegium audiendi confessiones, ministrandi sacramenta, eligendi Confessorem; quia ex tali priuilegio non derogatur ordinaria potestas, siquidem integra manet, & ex alia parte leuat eius onus, & animarum saluti maximè prodest: vt bene dicit Suarez *n.* 15. Bonacina *n.* 5. Basil. de Leon *n.* 21. De his ergo priuilegiis, probabilius censeo, nunquam perdi per non vsum quantumcumque continuatum; quia nulla est lex statuens hæc priuilegia amitti per non vsum, leges enim statuentes priuilegia per non vsum amitti, vt *l.* 1. *ff. de nundinis*, & in nostro regno *l.* 41. *tit.* 18. *p.* 3. *l.* 3. *tit.* 7. *p.* 5. loquuntur de priuilegiis, quæ in grauamen aliorum cedunt, vt legenti constabit. Ergo non sunt extendenda ad hæc priuilegia. Tum quia restrictio priuilegiorum, & illorum decisio est odiosum: tum quia est diuersa ratio, siquidem in illis, quæ circa aliorū actus versantur, potest dari præscriptio: at in his priuilegiis, quæ solùm priuilegiarij actiones respiciunt, nulla esse potest, vt ex ratione dubitandi constat. Ergo. Et ita sentit Suarez *n.* 16. Bonacina, Basil. de Leon *suprà*.

4 Dico secundò, priuilegia, quæ in aliorum grauamen cedunt, tunc amittuntur à priuilegiato per non vsum, quando grauati aduersùs priuilegiatum pręscribunt. sic docet Basil. de Leon *lib.* 8. *c.* 18. §. 3. *n.* 22. Suar. *illo cap.* 34. *à n.* 16. *præcipuè n.* 20. *& seqq.* Bonac. *n.* 5. Salas, Azor & alij in principio relati. Ratio est, quia præscriptio vim habet mutandi rerum dominia, & consequenter auferendi ab alio, quod sibi proprium erat. Ergo si grauati aliquo priuilegio aduersùs priuilegiarium præscribunt, præscriptione facta peribit in priuilegiario priuilegiū: dicetur autem perire per non vsum illius, quia ex non vsu orta fuit formaliter præscriptio. Quòd autem in his priuilegiis præscriptio inueniri possit, probatur facilè, quia vel illa priuilegia sunt de exercenda aliqua actione illis onerosa, vel de exigenda ab illis; quocumque enim modo sit priuilegium, si priuilegiarius eo non vtitur longo tempore, alij præscribere poterunt contra priuilegiarium, ne illo priuilegio vtatur. Ergo. Probo minorem. Nam ex eo quòd priuilegiatus tali priuilegio non vtatur, alij possident se, & sua pro libito, siquidem priuilegiatus illos non grauat ex actione alicuius operis, vel impositione illius. Sed possessio hæc longo tempore continuata, est præscriptio. Ergo.

5 Limitant tamen hanc conclusionem glos. Balb. Decius, Molin. Azor, & alij relati suprà in ratione dubitandi, vt intelligatur, quando non est in priuilegio expresse appositum, vt vtaris illo pro tuo arbitratu: nam si tuæ voluntati vsus liberè relictus est, censent hi DD. non præscribi aduersùs illud, quia dici non potest dum vita durat, te non vti priuilegio, siquidem priuilegium dicit: Vtaris illo, quandiu volueris. Ergo dum potes velle vti priuilegio, concessioni illius non contradicis. Et confirmo. Si priuilegium diceret: Concedo tibi facultatem instituendi maioratum in tua vita, vel tempore mortis, tale priuilegium in tua vita per non vsum amitti non poterat, quia dum vita finita non est, indicari non potest te priuilegio non vti, vt expresse tradit in hoc casu Molin. *de primog. illo cap.* 7. *fin.* Azeued. *l.* 2. *fin. tit.* 7. *lib.* 5. *noua compil.* Mol. Theol. *tom.* 3. *de iust. tract.* 2. *disp.* 599. *fin. n.* 10. Sed idem casus esse videtur, quando tuæ voluntati vsus priuilegij relinquitur; facit enim hunc sensum: Si velis in tua vita hoc priuilegio vti, tibi est concessa facultas. Hæc limitatio displicet nostro Mol. Theol. *suprà*. Salas *disp.* 19. *de leg. fin. n.* 115. Suarez *lib.* 8. *c.* 34. *n.* 28. & displicet Abbati *in cap. vt priuilegia, de priuil.* & Ias. etsi sub dubio, *in l. fin. n.* 57. *ff. de constit. Princip.* Anton. de Padilla *in l.* 2. *C. de diuers. rescript. n.* 5. Quia in quolibet priuilegio tacitè inest hæc conditio, si illo vti voluerit priuilegiatus, non enim obligatur illo vti.

Cæterùm mihi retinenda videtur limitatio supradicta, vtpote maiori Doctorum calculo firmata. Fateor ergo in quolibet priuilegio subintelligi illam conditionem, vt priuilegiatus illo vtatur, si voluerit, sed non subintelligitur eodem modo, ac quando exprimitur; quando enim exprimitur illa conditio, extenditur pro tota priuilegiati vita, ac proinde impeditur præscriptio aduersùs illud, durante vita; at quando illa conditio non apponitur, solùm intelligitur concessa facultas pro tempore, quo alius aduersùs priuilegiatum non præscribit. Moueor ad hanc distinctionem apponendam, ne cogar dicere illa verba, quibus vsus priuilegij liberæ voluntati priuilegiarij remittitur, esse inutiliter apposita.

6 Secunda difficultas est, quantum tempus requiratur, vt aduersùs hæc priuilegia, quæ in aliorũ grauamen cedunt, detur præscriptio? Communis sententia docet requiri, & sufficere decenniũ. sic Felin. Panorm. Decius *in cap. cùm accessissent, de constit.* Bart. Ias. & alij *in l. 1. ff. de nundinis, & in l. falsò, C. de diuersis rescr.* Rebuff. *in pract. tit. de different. inter priuilegia, & rescripta, n. 41.* Mandos. *tract. de priuileg. ad instar, gloss. 11. n. 5.* & alij plures relati per Bald. *in tract. de praescript. 4. p. 5. princ. vers. quartò quaero.* Mouentur ex *supradicta l. 1. ff. de nundinis*, vbi facultas concessa à Principe celebrandi nundinas, si per decennium illis non fuerit vsus, amittitur. Et confirmari potest ex *l. 42. tit. 18. p. 3.* vbi affirmantur priuilegia, quæ dantur ad aliquid agendum, quæ aliàs non licent, decennio perire, si illis priuilegiatus non fuerit vsus: & ponit exemplum in priuilegio nundinarum, extrahendi à regno vetita, vel vendendi ea, quæ vendere non licebat, seu per aliam mensuram inconsuetam, & his similia; hæc enim priuilegia, subiungit lex, semper durant, *si vsaren dellos fasta diez años desde el dia, que les fueren dados, mas si fasta este tiempo no vsaren dellos, dende adelante purdense, e no deben valer.*

7 Cæterùm existimo regulam generalem statui non posse, sed attendendas esse leges præscriptionis, vt inde colligatur, quando hæc priuilegia amittantur; aliquando enim in præscriptione sufficit decennium, aliquando verò requiritur vicennium, vel tricennium, vel quadrigennium. Ergo cùm hæc priuilegia non amittantur præcisè ex non vsu, sed ex præscriptione; tempus, quod fuerit ad præscriptionem requisitum, erit etiam ad amissionem horum priuilegiorum. & ita tenet Suarez *lib. 8. cap. 34. n. 20.* Basil. de Leon *lib. 8 cap. 18. n. 23.* Menoch. *lib. 6. praesumpt. 41. fine, & lib. 8. consil. 727. in fine, num. 13.* in nouissima editione. in quibus locis plures Doctores refert, affirmantes decennium solùm intelligi de priuilegiis singularibus concessis, non de priuilegiis concessis communitatibus, & Ecclesiasticis personis, in quibus longius tempus ad eorum amissionem requiritur: regulariter enim decennium inter pręsentes requiritur, vicennium inter absentes, quia hoc tempus sufficiens est ad præscriptionem seruitutum, & iurium incorporalium; vt tradit Anton. Gomez *lib. 2. var. c. 15.* Couarr. *lib. 1. var. cap. 17.* Molin. Theolog. *tract. 2. de iust. disp. 7.* ad quæ priuilegia reduci possunt. At si priuilegia sunt Ecclesiis, aut monasteriis concessa: tunc quadrigennium est necessarium, ex *cap. accedentibus, de priuileg. cap. illud, de praescript.* & licèt *in cap. si de terra, de priuileg.* videatur expostulari, vt sufficiens tricennis præscriptio; at per caput *accedentibus*, correctum esse videtur, vt ibi tradunt glossa, Felin. Abbas, & alij communiter.

In nostro tamen regno priuilegia ad agendum concessa deperduntur per non vsum illorum intra decennium à concessione; priuilegia verò ad non agendum, scilicet ad non soluendum tributum, non deperduntur, nisi per non vsum per triginta annos, quæ omnia constant ex *l. 42. tit. 18. part. 3.* & ibi Lopez. Matienzo *lib. 5. tit. 10. l. 1. gloss. 17.*

Neque obstat aduersùs hæc *l. 1. ff. de nundinis*; tum quia hæc loquitur in speciali casu, & qui maximè præiudicat vniuersis, ideóque breuiori tempore amittitur, vt dixit gloss. *ibi, & in l. falso, verbo perennia, C. de diuers. rescr.* tum quia erat priuilegium laicis concessum, quod decennio amitti potest præscriptione in contrarium. Et eodem modo explicanda est *l. 42.* suprà relata. Adde nõ carere probabilitate in nostro regno non amitti priuilegia illa ad agendum, vel non agendum concessa; si in primo decennio, vel tricennio à die concessionis illis vsus fueris, etiamsi infra illud decennium, vel tricennium longissimo tempore illis vsus non fueris, quia ita videtur decidi in supradicta *l. 42.* illis verbis, *Tales priuilegios como estos duran por siempre, pero purdense, si losque los tubieren no vsaren de ellos fasta treinta anos, del dia, que les fueren concedidos.* Idem habetur *in l. 3. tit. 7. p. 5. in fin.* & infrà loquens de priuilegiis ad agendum dicit, *duran siempre, si vsaren de ellos, fasta diez años, des de el dia, que les fueren dados.* Vnde ad perpetuitatem horum priuilegiorum, solùm videtur expostulari, vt in primo decennio, vel tricennio, illis fuerit vsus: quódque satis ex principio illius legis constat, & tradit Gregor. Lopez *ibi, verbo fasta treinta anos*; & probabile reputat Suarez *num. 24.* Basil. de Leon *n. 23.* etsi probabilius censeant per non vsum decennij, quocumque tempore sit, amitti.

8 Tertia difficultas est, an hæc priuilegia, quæ per non vsum cum alterius præscriptione amittuntur, non solùm in foro externo, sed etiam in interiori amittantur?

Respondeo affirmatiuè, quia præscriptio præbet iustum titulum, possidendi rem, & tollit potestatem à quocumque alio illa vtendi. sic docet Suarez *lib. 8. c. 34. num. 26.* Bonacina *disput. 1. quaest. 3. punct. 8 §. 5. fine.* Basil. *lib. 8. de matrim. cap. 18. §. 3. num. 24.* Salas *disp. 17. sect. 13. num. 64. vers. nihilominus.*

Pvnctvm XIX.

An priuilegium amittatur per actum contrarium illius.

1 *Non amittitur, si priuilegium solum fauorem priuilegiati respicit.*
2 *Cessat priuilegium, si tractum successiuum non habeat.*
3 *Quæ cedunt in aliorum grauamen non amittuntur, nisi ipsi praescribant.*
4 *Quoad valorem actuum, quibus priuilegio contradicis, cessat priuilegium, tametsi alij non praescripserint.*
5 *Si habes priuilegium non soluendi vectigalia, & permittas te scribi in libro, vbi cæteri non priuilegiati scribuntur, non amittis priuilegium.*
6 *Idem si priuilegium habeas, ne eligaris ad munera publica, & permittis te eligi.*
7 *Idem est de communitate exempta à decimis, si semel, vel iterum soluat.*
8 *Quæ requirantur ad praescriptionem contra priuilegiũ.*
9 *Quid dicendum, si condemneris ante praescriptionem, in amissione priuilegij.*

1 EX dictis in puncto præcedenti facilis est huius difficultatis solutio. Dicendum ergo est primò, priuilegia absoluta, quæ solùm respiciunt priuilegiatũ, nullo modo amittuntur per vsum contrarium: tum quia contrarius vsus priuilegij non inducit renuntiationem illius, cùm possit ob alios fines haberi à priuilegiato, scilicet ob vitandam aliquam litem, aut in gratiam personæ alicuius; quotiescumque autem aliqua, etsi leuis, coniectura fieri potest alterius finis à renuntiatione, præscriptio renuntiationis excludenda est, quia talis renuntiatio odiosa est, & restringenda, vt relato Felin. Anton. & aliis docet Suarez *lib. 8. cap. 35. num. 12.* Basilius de Leon *lib. 8. cap. 18. §. 3. num. 28.* Bonacina *disp. 1. q. 3. punct. 8. §. 6. n. 5.* Adde etsi præsumatur renuntiationẽ fecisse,

fecisse, ex illa non adimitur priuilegium, quousque acceptetur renuntiatio a concedente, vt suprà diximus. Ergo. Et ita tenet in his priuilegiis Suarez *à num.* 7. Basilius *num.* 25.

2 Dico secundò, priuilegia, quæ non habent tractum successiuum, sed ad vnicum actum conceduntur, per contrarium vsum illius omnino cessant. Et in hoc sensu est verissima sententia communis, priuilegium amitti per contrarium vsum. de quo communiter DD. *in cap. cùm accessissent, de constitut. cap. si de terra, cap. accedentib. de priuileg.* glossa *in cap. ex ore, de his quæ fiunt à maiore, verbo renuntiasse. & in cap. gratum, de offic. deleg. verbo recessum.* Bart. Ias. & alij *in l. vlt. ff. de constit. Princip.* & tradunt Bonacina, Suarez, Basil. Salas, Azor, Gregor. Lopez, & alij locis sæpè allegatis. Ratio est manifesta, quia si priuilegium datum erat pro vno actu, & tu illum non efficis, sed potiùs contrarium, cessat tibi priuilegium.

3 Dico tertiò, priuilegia, quæ in aliorum grauamen cedunt, quæque tractum habent successiuum, eo quòd dentur ad plures actus, non amittuntur neque vno, neque pluribus actibus contrariis, nisi ex parte illorum, qui grauati sunt, detur præscriptio. Probo, quia huiusmodi actus non sunt toti priuilegio contrarij, cùm non sint contrarij omnibus actibus, qui fieri possunt ex tali priuilegio, sed aliquibus. Ergo non derogatur priuilegium ex illis. Et confirmo. Si habeas priuilegium non soluendi tributa, & soluas hac occasione, & tempore, potes nolle in posterum soluere. Ergo vna, vel altera solutio non integrè contradicit priuilegio. Ergo non possunt ex illis actibus amitti. Quod satis probatur ex *l. 2. ff. de priuileg. veteran.* vbi asseritur non labefactari priuilegium immunitatis ab oneribus ciuitatis, esto quis sponte aliqua munera subeat. Idem colligitur ex *l. voluntariè, C. de excusat. tut. l. 2. C. de his qui sponte munera subeunt. lib. 10. & l. 43. tit. 18. p. 5. & cap. si de terra, cap. accedentib. de priuileg.* & relatis aliis tradit Gregor. Lopez *l. 42. tit. 18. p. 3. in princ.* Suarez *cap. 35. n. 10.* Bonacina *disp. 1. q. 3. p. 8. §. 6. n. 11.* Salas *sect. 13. n. 66.* Basil. *n. 27.*

4 Verùm etsi hoc priuilegium non deperdas contrariis actibus, quousque ex parte illorum, qui priuilegio grauantur, detur præscriptio: at quoad valorem illorum actuum, quibus contradicis priuilegio, cessat tibi priuilegium, neque allegare illud potes: sic glossa ex *cap. gratum, de off. deleg. cap. ex ore, de his quæ fiunt à maiore.* & colligitur ex *l. 2. & 3. C. de his qui sponte munera subeunt, lib. 10.* & tradit Gregor. Lopez, Bonacina, Suarez, Salas, Basil. *suprà.* Ratio est manifesta, quia in eo, in quo vis contradicere priuilegio, non potes velle vti illo: si enim habeas priuilegium non soluendi tributum, & soluas, iam in illa solutione non vis priuilegio gaudere, sed potiùs renuntiare. Qua ratione *in l. 43. tit. 18. p. 3. fine*, dicitur, habentem priuilegium super aliquas res, si de vna illarum conueniatur in iudicio, & condemnetur, eo quòd non allegauerit priuilegium, priuilegium illi cessat, quoad illam rem tantùm: ita vt amplius in iudicio allegari priuilegium super illa re non possit.

Hoc tamen intelligi debet, modò priuilegium sit ex illis, quæ in tui fauorem directè concessa sunt, quibus tu præiudicare potes, aliàs nihil priuilegio derogas, etiamsi plures actus contrarios illi facias, vt notauit Basil. *n. 26.* Suarez *à n. 11.* Salas, & Bonacina *suprà.*

5 Ex his infertur primò. Si habeas priuilegium non soluendi vectigalia, & permittas scribi in libro, vbi cæteri non priuilegiati scribũtur: & intra decem dies non appelles à tali grauamine, non obinde amisisse priuilegium; quia non processit tempus requisitum ad præscriptionem, sed solùm infertur te velle illa vice soluere: sic tradit Ias. *in l. vlt. C. de constit. Princip.* Alexand. *consil. 33.* quod refert, & valde commendat Gregorius Lopez *supradicta l. 42. tit. 18. part. 3.* consentit Bart. *in l. voluntariè, C. de excusat. tutorum. & in l. vlt. ff. de constitut. Principum.* Suarez *num. 14. fine.* Basilius *num. 28.*

6 Secundò infertur, si habeas vniuersale priuilegium, ne eligaris ad munera publica, & permittis eligi, non ideo amittis priuilegium, ne ad alia munera eligaris, imò ne eligaris alia vice; sed solùm amittis pro illa vice, qua electioni consensisti: colligitur ex *suprad. l. voluntariè.* ibi, *voluntariæ tutelæ munera priuilegijs nihil derogant.* hoc est, nihil derogant quoad alia munera, præter ea, quæ sunt voluntariè suscepta, sic glossa *ibi.* Basil. *n. 28.* Suarez cum Felin. Bart. & aliis *n. 12.* & iuxta hæc explicanda est *l. fin. ff. de priuil. veteran.* Veteranos, si passi sunt se in ordinem legi, muneribus fungi cogendos esse, cogendos, inquam, esse fungi his muneribus, quibus se subiecerant, & quoad ea, quæ inde consequuntur, non tamen cogendos esse fungi aliis muneribus.

7 Tertiò infero. Si communitas priuilegio exempta à solutione decimarum, decimas semel, aut iterum soluat, non amittere priuilegium absolutè, sed solùm quo ad illas decimas solutas; quia non est præsumendum voluisse integrè renuntiare priuilegium, sed ad euitandam litem, aut alia de causa id fecisse. sic docet Basilius *illo n. 28.* Gregor. Lopez *suprad. l. 42.*

8 Dixi in conclusione non amitti priuilegium per actus contrarios, nisi accedat præscriptio illorum, qui grauati priuilegio sunt. Vt autem hæc præscriptio accedat, non requiruntur plures actus contrarij priuilegio, sed sufficit, si vnus adsit continuatus, & sine vlla illius retractatione, quia tunc aduersùs priuilegiatum in illo genere præscribitur. quod optimè aduertit Suarez *illo cap. 35. num. 20.* vbi dicit: Si quis priuilegiatus semel soluit gabellam, etiamsi iterum non soluat, non ex vsu priuilegij, sed quia non occurrit occasio, & in eo statu permaneat per legitimũ tempus, amittet priuilegium, saltem quoad illam speciem tributi, quia præscribitur contra ipsum. Idem est, si passus est se eligi ad munus, ad quod erat immunis, vel passùs est electionem fieri sine suffragio, ad quod habet priuilegium: nam licèt nulla alia electio fiat, illa cum tempore sufficiente sufficit. Quod autem sit legitimum tempus ad præscribendum? iam dixi superiori puncto.

9 Dico quartò. Si in his priuilegiis, quæ tractum habent successiuum, condemneris in amissione illorum ante tempus præscriptionis, eo quòd feceris actum priuilegio contrarium, quia iudex præsumit te fecisse ex animo renuntiandi integrè priuilegium, cùm tamen non feceris, non teneris in conscientia sententiæ obedire, sed potes secluso scandalo priuilegio vti; quia sententia in falsa præsumptione fundata non obligat: at in foro externo debes te reputare, vt priuilegio destitutum: sic docet Bonacina *illa disput. 1. quæst. 3. punct. 8. §. 6. num. 16.* Suarez *illo cap. 35. num. 25. circa fin.*

Secus verò, si sententia daretur, non ob præsumptionem renuntiationis, sed ob contrauentionem priuilegij: nam tunc etiam in foro conscientiæ, obedire teneris, quia est iusta sententia; rarò tamen sententia ob hunc finem pronuntiatur, sed solùm, quia præsumitur priuilegiarius renuntiasse priuilegio. Suarez *suprà*, cum glossa *in cap. pro illorum, verb. authoritate, de præbend.*

PVNCTVM XX.

An priuilegium amittatur per illius abusum.

1 *Quibus modis abuti potes priuilegio.*
2 *Quemcumque abusum exerceas, dignus es illius amissione.*
3 *Ipso facto propter abusum, non priuatur quis priuilegio, nisi ex verbis priuilegij aliud constet.*
4 *Explicatur supradicta doctrina, discurrendo per abusus communiter contingentes.*

1 PRiuilegio abuti potes tripliciter. Primò, si extendas priuilegium vltra id, quod concedit. Secundò,

cundò, si occasionem ex illo sumes delinquendi. Tertiò addi solet, si fini priuilegij tuis prauis moribus resistis. v.g. est tibi concessum priuilegium, ne in Ecclesia resideas, vt litteris vaces; tu verò teris tempus, & vanis rebus occuparis, fini priuilegij resistis.

2 Quocumque autem ex his modis priuilegio abutaris, mereris illud amittere, iuxta doctrinam satis receptam: Priuilegium meretur amittere, qui concessa sibi abutitur facultate. *cap. vbi, distinct.* 74. *cap. priuilegium*, 11. *quæst.* 3. *cap. licet, de regularib. cap. vt priuilegia, de priuileg. cap. contingit*, 2. *de sentent. excommunicat.* & alibi sæpè. Quia in quolibet ex his modis datur verus priuilegij abusus, ac proinde verum amissionis meritum. sic Salas *disput.* 17. *sect.* 13. *num.* 67. Bonacina *disput.* 1. *quæst.* 3. *punct. vlt.* §. *vlt. num.* 2. Suarez *lib.* 8. *cap.* 36. *a num.* 4.

3 Difficultas est, an priuilegiatus propter abusum priuetur ipso facto priuilegio, vel veniat priuandus. Item an priuetur toto priuilegio, vel parte illius, id est, valore actuum, quos virtute priuilegij facit?

Cui difficultati respondeo, regulariter loquendo, nullum priuari suo priuilegio ob illius abusum, sed solùm venire priuandum; quia in allegatis textibus solùm dicitur mereri amittere priuilegium, qui concessa sibi abutitur potestate: id est, dignum esse amittere. sic docet Salas, Bonacina, Suarez *suprà*. Basilius de Leon *lib.* 8. *cap.* 18. *n.* 29.

Dixi in conclusione, regulariter loquendo, propter abusum non amitti priuilegium ipso facto, vt intelligeres aliquandò ipso facto amitti, quia ex priuilegij verbis debes colligere; quæ si hanc pœnam expresse non apposuerint, non debes censere ipso facto impositam, sed solùm ferendam. Adde, etiamsi ipso facto imposita sit, non teneris te priuilegij vsu priuare, quousque adueniat sententia saltem declaratoria abusus, ob quem priueris priuilegio, iuxta dicta de lege pœnali; & tradit in præsenti Suarez *lib.* 8. *cap.* 36. *num.* 8. Bonacina *disp.* 1. *q.* 3. *p.* 8. §. *vlt. n.* 1.

4 Vt autem supradicta clariùs intelligantur, placet discurrere per modos, quibus abuti potes priuilegio. Et quidem quando abuteris priuilegio, extendens illud vltra id quod potes, clarum est extensionem illam esse nullam, vtpote factam sine potestate; ob illam tamen extensionem, & priuilegij abusum mereris priuilegio priuari: & de facto aliquando priuaris, vel toto priuilegio, vel parte illius: vt *in cap.* 2. *de postulat. prælator. cap. cum in cunctis*, §. *vlt. & cap. cùm VVintonensis, de elect.* In quibus textibus priuaris pro illa vice potestate eligẽdi, eo quòd elegeris indignum. Si autem secundo modo abutaris priuilegio, occasionem ex illo desumens delinquendi, mereris quidem priuilegio priuari: at facto ipso non es priuatus saltem, quousque adueniat sententia declaratoria criminis: vt videri potest *in cap. contingit*, 2. *de sentent. excommunicat.* vbi clericus incedens sine habitu, & tonsura, occasione liberiùs viuendi, non amittit priuilegium clericale, quousque ter monitus sit. Facta autem trina monitione iam illi priuilegium prodesse non potest. Credo tamen non teneri ipsum se priuilegio priuare, quousque per sententiam declaretur. Idem habetur *in cap. ex litteris, de vita, & honestate clericorum*, vbi clericus negotiator ter monitus non defenditur à soluendis tributis; quia facto ipso priuilegium abiecit clericale: debet autem constare ter monitum esse, & insuper declarari, quod prætermissis diuinis officiis sæcularibus negotiationibus institerit. Ad idem reduci potest: qui in Ecclesia delinquit, eius immunitate priuatur. *cap. vlt. de immunit. Ecclesiar.* Quòd si abusus priuilegij tollat finem, & fundamentum illius: tunc clarum est cessare priuilegium eo modo, quo cessat finis, & fundamentum illius; si enim finis, & fundamentum priuilegij non omnino cessat, sed solùm quoad aliquem actum, tunc priuilegium pro illo actu cessabit. Si verò in totum cessat finis, in totum etiam cessabit priuilegium; sed hæc cessatio non est in pœnam abusus, sed ob defectum finis à priuilegio intenti. Exemplis manifestatur; conceditur enim clerico coniugato gaudere priuilegio clericali, si habitum deferat clericalem, & alicui Ecclesiæ deseruiat: quo priuilegio priuatur eo ipso, quòd laicè viuat; quia cessat tunc causa concessionis: vt constat ex Trident. *sess.* 23. *cap.* 6. *de reformat.* & dictum erat *in cap. ex parte, de clerico coniugato, cap. vnic. eod. tit. in* 6. Sed hæc amissio non est absoluta, & in perpetuum, sed interim dum laicè viuit: nam si deposito habitu laico habitum clericalem deferat, & Ecclesiæ destinatus sit, gaudebit priuilegio. Accipe aliud simile, quod adducit Didacus Perez *l.* 8. *tit.* 2. *lib.* 1. *ordinam. regal.* Suarez *lib.* 8. *de legibus*, *cap.* 36. *num.* 7. Bonacina *disput.* 1. *quæst.* 3. *punct. vlt.* §. 7. *fine.* Salas *disput.* 17. *sect.* 13. *num.* 68. de beneficiato, cui est priuilegium concessum lucrandi fructus suæ præbendæ absque residentia ob studium litterarum, qui si non studeat, amittit priuilegium, non quidem absolutè, sed quoad fructum illius, hoc est, pro tempore, quo non studet, quia scilicet dum non studet, non poterit gaudere priuilegio, & virtute illius fructus præbendæ in absentia recipere; quia cessat conditio, seu causa, sub qua priuilegium est concessum: sicut enim beneficiatus absens à beneficio sine causa, non potest fructus illi tempori correspondentes lucrari; ita neque hic, qui illo tempore absque causa studiis non vacat, non poterit similes fructus lucrari virtute priuilegij; quia priuilegium residentiam Ecclesiæ in studium commutare visum est: quæ omnia non leuiter confirmantur ex *cap. generaliter*, 16. *quæst.* 1. quod est sumptum ex *l. generaliter, C. de Episcop. & cleric.* ibi, *eos tamen clericos, & monachos habere huiusmodi beneficium* (scilicet ex emptionis à tutela, testamentaria, datiua, siue legitima) *sancimus, qui apud sanctas Ecclesias, vel monasteria permanent, non diuagantes, neque circa diuina ministeria desides, cùm propter hoc ipsum beneficium eis indulgeamus.* Addit tamen Salas *illo num.* 68. & consentiunt Suarez, & Bonacina *suprà*, supradictam doctrinam procedere, quando ex priuilegio constat solùm ob illam causam, quæ cessat, esse priuilegium concessum; secus verò si ob aliam æquè principaliter concessum fuisset, quæ tamen non cessaret. Item quando cessat ob causæ cessationem, priuilegium non cessat in se, sed quoad fructum eius pro tali tempore, seu modo operandi. Nam si postea velis bene vti, poteris fructu priuilegij gaudere.

PVNCTVM XXI.

De amißione priuilegij per reuocationem.

PRæmitto primò priuilegium esse in triplici differentia. Primò est priuilegium gratuitum, id est, ex libera Principis voluntate concessum. Et hoc contingit dupliciter. Aliud consistens solùm in potestate, & licentia delegata ad aliquem vsum contra legem, vel præter legem, aliud, per quod ius in priuilegiarium transfertur. Secundò est onerosum, & lucratiuum, qui datur ob aliquod onus, vel lucrum à priuilegiario exhibitum. Tertiò est priuilegium remuneratiuum, quod datur in præmium, & remunerationem seruitiorum, quæ à priuilegiario sunt Principi exhibita.

Præmitto secundò, priuilegium & subdito, & non subdito concedi potest.

Præmitto tertiò, priuilegium, siue gratuitum, siue onerosum, aliquando inuoluit dispensationem legis, aliquando non.

§. I.

§. I.

An priuilegium gratis concessum reuocari possit.

1 *Priuilegium datum ob aliquem vsum validè reuocario potest absque causa, sed peccatum veniale committitur.*
2 *Priuilegium transferens dominium in priuilegiatum nequit à concedente, neque ab eius successore reuocari.*
3 *Satisfit cuidam obiectioni.*
4 *Expenditur, quæ causa sufficiat ad reuocandum priuilegium acceptatum, cuius priuilegiatus habet dominium.*
5 *Princeps reuocans priuilegium, quod sine causa reuocare non potest, tenetur probare causam adesse reuocationis.*
6 *An requiratur ad huius reuocationem vltra legitimam causam compensatio priuilegij? Probabilius est non requiri.*

1 Dicendum est, si priuilegium consistat in facultate, & licentia delegata ad aliquem vsum, vel contra communem legem, vel præter illam, potest validè concedens, & eius successor reuocare, quando voluerit: at peccabit venialiter, si absque vlla causa id fecerit. sic cum communi sententia tradit Felin. *num.* 8. 9. *&* 10. *de iud.* Thomas Sanchez *lib.* 8. *de dispensat. cap.* 33. *num.* 1. Suarez *de legibus*, *lib.* 8. *cap.* 37. *num.* 10. Salas *disput.* 17. *sect.* 14. *num.* 70. *& disput.* 20. *sect.* 18. *num.* 126. Matienz. *lib.* 5. *tit.* 10. *l.* 6. *num.* 5. Bonacina *disp.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 8. §. 3. *num.* 1. Basilius *lib.* 8. *de matrim. cap.* 19. *n.* 11. Priorem partem conclusionis, scilicet validè posse reuocare hanc facultatem, constat; quia hæc est, quasi quædam delegatio: delegatus autem nomine delegantis operatur. Ergo ex voluntate delegantis cessare potest. Quòd si hæc facultas, & licentia operandi contra communem legem, alicui subdito sit concessa; clariùs constat reuocari posse à concedente, quia potest ipse concedens exemptum à lege subditum iterum legi subiicere: quia cùm non amiserit potestatem iurisdictionis in illum, poterit circa illum exercere, denuo imponens præceptum, quod per priuilegium sublatum fuit. Secundam partem conclusionis, scilicet in hac reuocatione peccatum veniale admitti probo. Quia sine causa voluntatem mutare, leuitatis, & inconstantiæ est, & contra naturam beneficij Principis, quod decet esse mansurum, ex *reg. decet, de reg. iur. in* 6. & tradit pluribus exornans Molin. *de primogen. lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 20. Sanchez *num.* 11. Bonacina *n.* 6. Salas *disp.* 17. *num.* 70. Limitat tamen Sanchez *num.* 6. *&* 7. supradictam doctrinam in concessione iurisdictionis, quam dicit reuocari posse pro libito absque causa, etiam sine vllo peccato, quia videtur semper hæc excepta, vt duret, quoties concedenti placuerit. At credo retinendam esse communem sententiam, vt peccatum sit veniale hanc reuocationem facere absque causa, quia arguit leuitatem, & mutationem, & docet Suarez, Molin. Salas, & alij *locis allegatis*.

2 Verùm si de priuilegio, quod dominium transfert in priuilegiarium, loquamur, siue subdito, siue non subdito concessum sit, non poterit concedens, neque eius successor reuocare validè absque causa, si iam fuerit acceptatum; quia donatio acceptata non potest ad libitum donantis reuocari. Aliàs absque causa poterit quis priuari rebus suis. sic cum communi sententia docet Suarez *illo cap.* 37. *num.* 7. Bonacina *num.* 5. Sanchez *n.* 2. Matienz. *supradicta gloss.* 1. *num.* 6. vbi plures refert. Molin. *suprà num.* 21. Ex quo fit, si tibi priuilegium sit concessum, decimandi, exigendi aliquod tributum, non potest Princeps pro libito à te tollere, quia possides illud tanquam bonum proprium, quo sine causa priuari non potes.

3 Neque obstat *l.* 15. *tit.* 10. *lib.* 5. *noua compilat.* vbi dicitur, *Tenemos por bien, y mandamos que las mercedes que se hicieren por sola voluntad de los Reyes, que se puedan del todo reuocar.* Quæ lex videtur esse contraria, tum dictis, tum *l.* 6. *eod. tit.* 10. *lib.* 5. vbi dicitur, *Las causas que el Rey diere a alguno, no se las pueda quitar el ni otro alguno sin culpa.* Quia, vt bene explicat Matienz. *l.* 5. loquitur in quodam speciali facto, scilicet in beneficiis factis à Rege ex sola eius voluntate, sine consilio procerum; vel loquitur de beneficiis, quæ à Rege fiunt de redditibus sibi propriis, quales Hispanè vocantur *Iuros.* Si enim de his feudum gratis alicui concedatur à Rege, poterit pro libito reuocari; quia conceditur sub hac conditione, vt duret, quoties concedenti placuerit: & traditur *in l.* 1. *fine*, *tit.* 26. *part.* 4. In aliis verò priuilegiis, & concessionibus retinenda est communis sententia, non posse pro libito concedentis reuocari.

4 Sed inquires, quæ causa legitima sit ad reuocandum priuilegium acceptatum à priuilegiato, & cuius ipse habet dominium?

Respondeo, si priuilegium non subdito fuit concessum, & ab illo acceptatum, nulla in concedente relinquitur reuocandi potestas, nisi in casu, in quo donatio perfecta reuocari potest; quia concedens non habet potestatem, neque in personam priuilegiarij, neque in bonis illius; non igitur poterit priuilegiatum acceptato priuilegio priuare: sicut enim Princeps ob bonum sui regni, non potest alterius regni subditum priuare bonis, ita neque poterit priuilegiis illi concessis, quia iam illa priuilegia bona sunt illius, & non concedenti subiecta: sic cum communi sententia docet Anton. Gabr. *lib.* 3. *tit. de iure quæsito non tollendo*, *conclus.* 6. *num.* 20. Matienz. *lib* 5. *recopil. tit.* 10. *l.* 6. *gloss.* 1. *num.* 4. Dixi, nisi in casu, in quo donatio perfecta reuocari potest; quia huius priuilegij concessio, est quædam donatio; ac proinde ex illa causa, ex qua donatio reuocari potest, & priuilegium hoc reuocabile est: & notauit Matienz. cum aliis *suprà*.

Sed dices. Poterit priuilegium non subdito concessum cedere in graue detrimentum concedentis, vel regni. Ergo in tali casu poterit reuocari.

Respondeo ex illa causa, etiam donatio perfecta videtur reuocabilis, quid mirum si etiam priuilegium reuocetur? Adde illam propriè non esse reuocationem, sed cessationem priuilegij ex noua rerum mutatione; videtur enim concedi sub tacita conditione, dummodo damnosum non sit concedenti, & regno. Aliàs si concessum fuisset ea intentione, vt extenderetur ad euentum, in quo præiudicium graue concedenti, vel eius regno afferret, esset irrationabilis concessio. sic Suarez *lib.* 8. *cap.* 37. *num.* 3. Si verò priuilegium subdito fuerit concessum, clarum est reuocari posse ex illis causis, quibus donatio perfecta reuocabilis est. Item quoties in grauem iacturam Regis, vel regni cedit, vt ex non subdito diximus. Adde non solùm ob has rationes posse subdito reuocari priuilegium acceptatum, & cuius ipse habet dominium, sed etiam, quoties ad publicam vtilitatem spectauerit talis reuocatio; quia cuiusuis bona subditi subduntur dispositioni Principis in ordine ad publicam vtilitatem. Ergo in illis casibus, in quibus potest Princeps subditos priuare bonis suis, poterit & priuilegia illis concessa reuocare. Adde hanc non esse tam reuocationem, quàm cessationem priuilegij: videntur enim sub hac tacita conditione concessa, vt durent, quoties ad publicam vtilitatem, eorum cessatio non pertinuerit: sic docet multis relatis Matienz. *lib.* 5 *tit.* 10. *l.* 6. *gloss.* 1. *num.* 11. *&* 12. Suarez *num.* 5. Basilius *lib.* 8. *cap.* 19. §. 2. *num.* 13.

5 Sed inquires secundò, an quoties Princeps reuocat priuilegium alteri concessum, quódque absque causa validè reuocare non potest, teneatur probare causam, vel sufficiat, si adesse affirmet?

Respondeo probabilius videri teneri probare causam; aliàs nihil esset firmum, sed facillimo negotio posset Princeps ius tertio quæsitum auferre: sic docet multos allegans Matien. *lib. 5. recopil. tit. 10. leg. 6. glossa 1. num. 16.* redditque rationem, quia vbi aliquid permittitur ex aliqua causa, & ea deficiente est prohibitum, satis non est causam exprimere, nisi verè probetur: & docet Bart. *in l. si forè, per illum textum, ff. de castrensi peculio. & in l. si donatione*, vbi latè moderni *C. de collationib.* Ripa *lib. 2. respons. tit. de rescript. cap. 19. num. 19.* latissimè omnium Aymon Crauetta *de antiquit. tempor. in princ. num. 16.* & deinceps vsque in finem.

6 Inquires tertiò, an requiratur non solùm iusta causa ad validam reuocationem huius priuilegij, sed etiam aliqua illius compensatio? Videtur requiri, quia priuatur priuilegiatus iure iam quæsito. Ergo est illi debita satisfactio: si enim aliis bonis priuaretur, deberet Princeps recompensationem, quoad posset facere. Ergo etiam debet pro priuilegio, quod bonum illius est. Nihilominus tamen probabilius censeo, non requiri ex iustitia compensationem. Quia licèt priuilegium sit bonum priuilegiati, est tamen bonum gratis illi donatum. Ergo habet conditiones donationis, quæ reuocari absque compensatione potest, cùm adest legitima causa reuocandi. Non enim concedens priuilegium gratis, intendit hanc sibi obligationem imponere non reuocandi, causa iusta intercedente, nisi facta recompensatione; sed potiùs præsumitur concedere sub potestate reuocandi absque recompensatione, cùm iusta causa intercesserit: & ita relato Decio *in cap. nouit, n. 7. verbo quartò fallit, de iudicijs*, docet Suarez *lib. 8. cap. 37. num. 9.* Basil. de Leon *lib. 8. cap. 19. §. 2. num. 13.* Bonacina *disp. 1. quæst. 3. punct. 8. §. 3. num. 3.*

§. II.

Reuocarine possit priuilegium onerosum, & remuneratorium.

1 *Non potest hoc priuilegium reuocari, nisi causa boni communis intercedat, & satisfactio à reuocante exhibeatur.*
2 *Dispensationes concessæ pro foro externo non possunt, nisi supradictis conditionibus intercedentibus reuocari.*
3 *Priuilegia concessa in Bulla non reuocantur anno Iubilæi.*
4 *Extenditur doctrina ad priuilegium remuneratiuum.*
5 *Probabilitate non caret ad huius reuocationem requiri compensationem.*
6 *Explicatur quid requisitum, vt priuilegium censeatur concessum in remunerationem.*
7 *Censeantur ne probata merita, si concedens adesse affirmet?*

1 PRiuilegium concessum per contractum, id est, sub onere alicuius pretij, vel operis exhibendi, reuocari à concedente non potest; nisi legitima causa interueniat, quæ nulla alia est, nisi communis boni, & vtilitatis publicæ; iuxta superiùs dicta: & insuper tenetur reddere pretium, si accepit; quòd si pretium non accepit, sed opus iniunxit, tenetur reddere æquiualentiam illius operis, aliàs nulla erit reuocatio, vtpote iniusta. sic multis allegatis probat Matienz. *lib. 5. nouæ compilat. tit. 10. leg. 6. gloss. 1. num. 13.* Gregor. Lop. *leg. 2. tit. 1. part. 2. verbo, buen cambio, per textum ibi.* Sanch. *lib. 8. disp. 33. num. 9.* Suarez alios allegans *lib. 8. cap. 37. num. 5.* Salas *disp. 17. sect. 14. num. 70. & disput. 20. sect. 4. num. 42. vers. prædicta temperat.* præcipuè tamen *sect. 18. num. 126.* Bonac. *disp. 1. quæst. 3. p. 8. §. 3. num. 2.* Vasquez *in opusculo cap. 6. §. 1. dub. 1. num. 15. & dub. 2. num. 33.* Lessius *lib. 2. de iustit. cap. 33. dub. 4. num. 35.* Basil. de Leon *lib. 8. de matrim. cap. 19. §. 2. num. 13.* Azeued. *lib. 1. recopilat. tit. 3. leg. 4. num. 42.*

2 Ex hac doctrina infertur primò dispésationes concessas pro foro externo à Pontifice in gradibus prohibitis ad contrahendum matrimonium, non posse ab eodem reuocari, nisi causa iusta intercedat, & insuper reddatur pretium ei, cum quo fuit dispensatum. sic Sanch. *suprà n. 13.* Bonacina *num. 12.* Basil. *num. 13.* Salas *disp. 20. sect. 18. sub finem.* Et ratio est manifesta; quia data est dispensatio, & priuilegium ob pecuniam solutam.

3 Infertur secundò, priuilegia in Bulla cruciata concessa non reuocari per Iubilæum, quod olim centesimo anno concedi solebat, & nunc 25. anno conceditur, quamuis Pontifex dicat se reuocare omnes gratias, priuilegia, & facultates singularibus personis quacunque dignitate fulgentibus, etiam Regibus, ex quacunque causa sint concessa: adhuc non reuocantur concessa in Cruciata, quia illa sunt concessa sub contractu oneroso, cuius debebat specifica mentio fieri; concessa enim sunt priuilegia Bullæ singulis, quia singuli signatam illam eleemosynam tribuunt, & non aliàs; vt constat ex illis verbis, *porque days tanta limosna os concedo*, &c. debebat insuper reddi vnicuique eleemosyna data, aliàs reuocatio esset iniusta, & nulla: & ita tradit Henriquez *lib. 7. de indulg. cap. 21. num. 7.* Manuel *in exposit. cruciata, §. 12. num. 13.* Bonacina *disp. 1. quæst. 3. punct. 8. §. 3. n. 13.* Salas *disp. 20. de legib. sect. 18. circa finem, §. hinc colligitur.* Sanch. *disp. 33. num. 10.* & testatur Clementem VIII. sic explicasse. & anno 1625. in tota Hispania publicata fuit Cruciata, & valorem habuit, & Pontifex Vrbanus VIII. declarauit 15. Februarij non esse eius mentem per Iubilæum Romanum gratias, indulgentias, & facultates in Cruciata concessas suspendi. idem tradit Basil. de Leon *lib. 8. de dispensationib. cap. 19. num. 13.* vbi addit hæc validè obseruanda esse ad ea, quæ nonnulli dicunt de reuocatione Bullæ comparatione religiosorum.

4 Idem quod dicimus de priuilegio dato per contractum onerosum, dicendum est de priuilegio remuneratiuo, siue remuneratio fuerit debita ex iustitia, siue ex gratitudine; quia quocunque modo debita sit, cedit priuilegiatus illius debito ob priuilegium sibi concessum: eáque de causa transit in contractum: sic relato Felino *cap. nouit, de iudicijs, num. 12.* docet Sanchez *suprà num. 5.* Basil. *num. 13.* Suarez *num. 6.* Matienz. *lib. 5. recopil. tit. 10. leg. 6. glossa 1. n. 18.* latiùs dixit *tit. 7. leg. 11. glossa 1. & glossa 9.* Bonacina *num. 2.*

5 Sed est difficultas, an non solùm ad huius reuocationem causa publica requiratur, sed etiam aliqua compensatio, sicuti diximus de priuilegio concesso per contractum onerosum? Negant, etsi dubitanter, Suar. Basil. Bonac. quando remuneratio non est debita ex iustitia, sed solùm ex gratitudine. Et ratio esse potest, quia reuocans priuilegium reducit res in pristinum statum, & consequenter reddit priuilegiario sua merita, quorum cessionem fecerat ob priuilegium: cùm autem illa merita non expostulent ex iustitia compensationem, non videtur compensatio illi debita esse. Fateor hoc esse satis probabile: at probabilitate non caret requiri compensationem ex iustitia, non quidem propter merita præcisè, sed propter cessionem illorum, quam fecerat ob priuilegij consecutionem; quæ cessio pretio quidem est æstimabilis, cùm sit actio libera damnosa cedenti, & vtilis cessionario: quæ tamen nunquam reddit, etiamsi reddant merita. Quapropter reliqui omnes Doctores eodem modo de priuilegio remuneratorio, ac de priuilegio per contractum onerosum, & lucratiuum loquuntur.

6 Secunda est difficultas. Quid requiratur, vt priuilegium

legium censeatur concessum in præmium, & remunerationem meritorum?

Respondeo non sufficere generalem mentionem meritorum, sed requiritur specialis, ita vt expresse dicat: Ob hæc, & illa merita tibi hoc priuilegium concedimus. Ratio est, quia priuilegiũ ob merita concessum debet meritis adæquari, sed non potest constare hæc adæquatio, nisi merita exprimantur. Ergo. Secundò, quia generalis mentio meritorum in priuilegio facta potius videtur pro honore priuilegiatij fieri, quàm pro veritate. Quapropter reputanda est, ac si facta non fuisset. argument. *l. quod venditor*, & ibi notatur, *ff. de dolo*, *& l. si quid venditor*, *& l. seq. ff. de adilit. edict.* Tertiò, quia obscura, & dubia locutio nullius effectus esse videtur, ex *l. vbi autem*, *§. qui illud, ff. de verb. obligat. l. cùm incertis*, *ff. de legatis* 1. *l. vlt. C. de annali except.* At generalis locutio meritorum dubia est, & obscura, ex *l. prætor edixit*, *in princ. ff. de minoribus*. Ergo non amplius valet, quàm si apposita non fuisset: & ita tradit pluribus exornans Tiraquel. *in l. si vnquam*, *C. de reuocand. donat. verbo donatione largitus, num.* 85. Socin. *consil.* 395. *num.* 8. *vers.* 4. *casus*, *lib.* 2. Matienz. *lib.* 5. *recopilat. tit.* 10. *l.* 15. *gloss.* 12. *num.* 2.

7 Tertia est difficultas, an hæc merita censeantur probata ex eo solùm, quòd concedens priuilegium illa esse affirmet?

Respondeo, si merita specialiter fuerunt expressa, sufficienter censentur probata ex Principis assertione, maximè si per instrumentum publicum id asserit; secus si solùm generaliter dixerit, quia est bene meritus. sic Ias. *consil.* 227. *vol.* 9. *vers.* 9. *pro ista parte, lib.* 2. Gregorius Lopez *in l.* 3. *tit.* 10. *part.* 2. *verbo la merecieße*, & multis allegatis Matienz. *lib.* 5. *recopil. tit.* 10. *l.* 6. *gloss.* 1. *num.* 19. *& l.* 15. *gloss.* 12. *num.* 5. Limitat autem hanc assertionem Matienz. & Gregor. Lopez, & Tiraquel. *in d. l. si vnquam*, *verbo donatione largitus*, *n.* 77. dummodo Princeps prohibitus non sit alienare, nisi præcedant merita: nam tunc secundùm communem sententiam merita non probantur, etiamsi expressa fuerint. Quia præsumuntur expressa, vt eius donatio valeat, ex *l. qui testamentum*, *& ibi gloss. ff. de probationib.* Quod adeò verum est, vt non sufficiat, etiamsi iuramentum in eius confirmationem addiderit, vt ipse Tiraquel. *num.* 79. & Matienz. *l.* 15. *gloss.* 12. *num.* 7. probant.

§. III.

Quis possit supradicta priuilegia gratuita, onerosa, & remuneratoria reuocare, casu quo reuocabilia sint.

1 *Concedens, & eius in dignitate successor optimè potest.*
2 *Quid dicendum de dispensatione inferioris in lege superioris? Affirmant aliqui posse reuocare.*
3 *Probabilius est oppositum.*
4 *Duo inde inferuntur notanda.*
5 *Quid dicendum de inferiori prælato? An illius superior possit reuocare dispensationem ab illo factam.*

1 Clarum est fieri posse à concedente priuilegium, & eius successore; quia habet eandem cum illo iurisdictionem. Quod non solùm in supremo Pontifice, in quo resolutio certa est, sed etiam in quolibet inferiori habet verum: licèt Anton. Gabr. alios referens *lib.* 3. *tit. de iure quæsito non tollendo, concl.* 7. *num.* 9. contrarium dicat absque fundamento, vt bene aduertit Suarez *illo cap.* 37. *num.* 12. Basil. *cap.* 19. *n.* 15. Ratio est, quia priuilegium solam iurisdictionem concedentis spectat, & ab ipsius solùm voluntate pendet. Ergo poterit sicut supremus illud tollere; quia in illius concessione tanquam supremus operatur.

2 Difficultas est, an sicut priuilegium concedens contra ius proprium, potest validè illud reuocare absque legitima causa; idipsum possit inferior dispensans, vel concedens priuilegium contra legem superioris, quando illi concessa est facultas dispensandi?

Affirmant aliqui fieri posse. Tum quia facultas his Prælatis concessa habet tacitam conditionem, vt perseueret quoties ab ipsis non fuerit reuocata. Tum quia ipsi intendunt per dispensationem factam non derogare suæ iurisdictioni. sic tradit Bonacina *disput.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 8. §. 3. *n.* 11. reputat probabile Suarez *lib.* 8. *cap.* 37. *num.* 15.

3 At mihi probabilius est validè inferiorem absque causa reuocare non posse dispensationem à se factam: causa autem interueniẽte, posse, docet Sanchez *disp.* 33. *num.* 12. cum glossa *cap. cùm ex eo*, *verbo septennium*, *de elect. in* 6. & ibi Archidiacon. Dominic. Francus, & alij. Roman. *singul.* 517. Salas *disput.* 20. *de legibus, sect.* 18. *fin.* Basilius de Leon *lib.* 8. *cap.* 19. *num.* 15. & reputat probabile Suarez *num.* 14. *&* 16. addit: cùm conceditur pro tempore limitato dispensatio, valde probabile esse reuocari non posse. argument. textus *in cap. vnico, de commodato*. vbi dicitur rem commodatam ad certum vsum, vel tempus, non posse ante illud repeti: & subdit rationem, cùm non deceat beneficio nos decipi, sed iuuari. Item quia pro toto illo tempore abstulit legem superioris, quam ipse inferior restituere non potest. Ratio verò generalis ea est, quia inferior non potest validè dispensationem in lege superioris concedere, absque causa. Ergo neque etiam poterit dispensationem iam concessam absque causa reuocare: cùm enim ex voluntate superioris operatur, non est vnde colligatur voluntatem superioris esse, vt validè absque causa reuocet; cùm tamen absque causa non possit validè concedere? Neque obstat ratio in contrarium; quia dispensatio fuit absoluta, & gratis fingeretur habuisse conditionem.

4 Ex quo infertur primò, non posse absque causa Episcopum reuocare licentiam parocho concessam ad non residendum, vel ad differendos ordines ratione studij, quia est dispensatio in lege superioris, quam ipse denuò stabilire non potest: sic docent Sanchez, Salas, Basil. & alij, *num. præcedenti* relati. Secundò infertur dispensationes à sacra Pœnitentiaria concessas non posse absque causa ab ipsamet reuocari ob eandem rationem. Quia voluntas Pontificis est, vt semper causa interueniente vtatur iurisdictione. sic Salas *suprà*, & tenentur reliqui consentire.

5 Sed quid dicendum de inferiori Prælato, an illius superior possit reuocare dispensationem ab illo datam validè absque causa?

Respondeo, si Pontifex sit, qui reuocat, validè reuocare, quia ab illo omnis iurisdictio pendet; & quia potest denuo legem ablatam imponere, & subditum ab alio exemptum illius obligationi subdere. At inferiores Prælati non videntur posse, eo quòd videatur iniustum priuare inferiorem vsu legitimo suæ ordinariæ iurisdictionis: sic docet Sanchez *disput.* 33. *num.* 7. cum Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. disput.* 26. *sect.* 5. *num.* 3. *& lib.* 8. *de legib. cap.* 37. *n.* 17. *fine.* Basilius *lib.* 8. *cap.* 19. *n.* 15. *fine.*

§. IV.

Qua ratione facienda est reuocatio priuilegij, vel dispensationis, vt censeatur effectum habere.

1 *Dupliciter reuocari priuilegium potest.*
2 *Clausula generalis in reuocatione expressa sufficit.*
3 *Excipiuntur priuilegia concessa per modum contractus, oneris, siue remunerationis.*

4 *Item*

4 *Item priuilegia habentia clausulam, vt non possint derogari.*
5 *Item priuilegia inserta in corpore iuris.*
6 *Quid si priuilegia sint in Concilio generali, debet expresse illius mentio fieri.*
7 *Sublimitanda hac sunt, nisi aliter constet de voluntate derogantis.*
8 *Derogatio tacita, qua consistit in contrarietate posterioris priuilegij cum antiquo derogat antiquum, si concedatur ex scientia prioris priuilegij.*
9 *Quando prasumitur hac scientia. Distinguitur ad eius explicationem triplex derogationis modus.*
10 *Si priuilegium insertum sit in corpore iuris lege vniuersali contraria derogatur, secus si extra corpus iuris sit.*
11 *Item dicendum, cum alio priuilegio contrario derogatur; si in corpore iuris sit insertum.*
12 *Proponitur obiectio, & fit illi satis.*
13 *Extra corpus iuris priuilegium non derogatur, nisi illius fiat mentio, qui teneant.*
14 *Probabilius est secundum priuilegium valere non obstante generali priori.*
15 *Satisfit argum. num. 13. adductis.*
16 *Per sententiam derogari priuilegium, quibus probetur.*
17 *Reuocatur, si condemnetur reus in amissione priuilegij, seu per sententiam contrariam.*
18 *Satisfit rationibus, num. 16. adductis.*

1 DVpliciter reuocari priuilegium, vel dispensatio potest. Primò expresse. Secundò tacitè. Expressè reuocatur, quando verbis expressis reuocatio fit. Tacitè reuocatur, quando Princeps actum facit, qui cum priuilegio stare non potest.

2 Loquendo igitur de reuocatione expressa, dicendum est, regulariter loquendo, sufficere clausulam generalem, qua Princeps dicit velle tale priuilegium, vel constitutionem valere, non obstantibus quibusuis priuilegiis in contrarium; quia hæc de se sufficiens est qualibet contraria priuilegia abrogare: sic Doctores statim referendi.

3 Limitanda tamen est primò in priuilegiis concessis per modum contractus, siue onerosis, siue remuneratiuis; hæc enim reuocata non censentur sub quacunque clausula generali, nisi exprimantur in reuocatione priuilegia etiam per contractus concessa; quia cùm hæc priuilegia irreuocabilia sint ob ius tertio quæsitum, nisi causa publica intercedente, & compensatione, quoad fieri possit, facta, nullo modo illorum reuocatio debet præsumi, quousque exprimatur: sic alijs relatis Sanchez *disp.* 33. *num.* 8. Suarez *lib.* 8. *cap.* 38. *num.* 3. Bonacina *disp.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 8. *num.* 11. Salas *disp.* 17. *sect.* 14. *n.* 71. 73. *& 79. ad finem.* Azor *lib.* 5. *cap.* 22. *quæst.* 12. Basil. *lib.* 8. *cap.* 19. *num.* 16. Azeued. *lib.* 1. *recopil. tit.* 3. *leg.* 14. *n* 42.

4 Limita secundò in priuilegiis habentibus clausulam, vt derogari non possint, nisi eorum specifica mentio fiat. Tunc enim, vt reuocata censeantur, debet addi aliqua clausula, qua hæc priuilegia videantur contineri; vt si dicat Princeps: Reuocamus priuilegia in contrarium, etiam si clausulam habeant, vt derogari non possint, nisi de verbo ad verbum illorum fiat expressa mentio. Tunc enim clarum est derogari; quia illa lege, quam sibi Princeps imposuit, ne reuocare censeatur, nisi exprimendo priuilegium reuocatum, iam dispensat per illam reuocationem. Adde sufficere, si dicat se reuocare priuilegia in contrarium, sub quacunque forma concessa sint: nam illa verba, sub quacunque forma concessa, aliquid operari debent, ac proinde reuocatoria debent esse priuilegiorum habentium clausulam reuocatoriam quorumcunque priuilegiorum, alias superflua essent, contra textum *in cap. si Papa, de priuilegijs, in* 6. ibi, *cùm verba aliquid operari debeant, & l.* 3. *in princ. ff. de iureiurando.* ibi, *nec frustrà adijcitur.* sic Doctores *in cap. nonnulli, de rescript. per textum ibi.* Felin. *num.* 6. & habetur *Clement.* 1. *&* 2. *de sepulturis.* & tradit Suar. *cap.* 38. *num.* 2. Basil. *num.* 16. Bonacina *num.* 11. Salas *disput.* 17. *sect.* 14. *num.* 71.

5 Limita tertiò in priuilegiis insertis in corpore iuris: hæc enim, quia non solum sunt priuilegia, sed canones, & leges, quousque legum, & constitutionum fiat derogatio, non censentur derogata, tradit Basil. *num.* 16. Suarez *num.* 1. Salas *disp.* 17. *sect.* 14. *sub num.* 73. *cum glossa in l.* 3. *C. de silentiarijs, & decurionib. lib.* 10. Iason *in l.* 1. *ff. soluto matrim.* glossa, & Doctores *Authent. quia in prouincia, C. vbi de crimine agi oporteat, verbo omni priuilegio.*

6 Addendum tamen est; si priuilegia sint à Concilio aliquo generali stabilita, tunc non sufficit clausula derogatoria quorumcunque priuilegiorum, sub quacunque forma fuerint concessa, aut constitutionum, & canonum, vt censeantur reuocata, sed insuper debet exprimi Concilium, saltem sub generalibus verbis, dicendo, non obstante quacunque constitutione, etiam in Concilio generali edita: colligitur ex *cap. ex parte, cap. vltimo, de capellis monach. cap. nonnullis, de rescript.* & tradit Couarr. 4. *var. cap.* 16. *num.* 6. *&* 4. *decretal.* 2. *p. cap.* 8. *§.* 9. *num.* 6. Menoch. *volum.* 3. *consil.* 294. *num.* 11. *&* 12. Mol. *de iust. tract.* 2. *disp.* 173. *vers. occasione, pag. mihi* 630. Sanch. *lib.* 3. *disp.* 26. *num.* 7. vbi plures refert. Bonacina *disp.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 8. *num.* 13. Padilla *in l. vniuersi. C. de diuersis rescriptis* (esto contrà teneat Basil. de Leon *lib.* 8. *cap.* 19. *num.* 19. vbi affirmat ita declarasse Pium V. in quadam extrauaganti, & praxim Ecclesiæ idem testari.) Fallitur tamen, meo iudicio: si enim Pius V. ita declarasset, & praxi Ecclesiæ ita esset receptum, ignorari non poterat à tot ita doctis, & eruditis viris. Item debebat ostendere extrauagantem, in qua Pius V. declarauit. Præterea adducit pro se glossam *in cap. ex parte, de capellis monach.* approbatam ab Innocent. & aliis, quæ illi non fauet, sed potiùs oppositæ sententiæ. nam *in illo cap. ex parte, verbo, nulla mentio,* dicit. Si quis litteras impetrat contra aliquod ius, siue Concilium, non valent, nisi fiat mentio de illo iure: & refert se ad *cap. nonnulli, de rescript.* vbi verbo *fecerit mentionem,* dicit. Rescriptum debet facere mentionem de constitutione, ad hoc, vt ei præiudicet: & in margine additur, communiter non exprimitur nomen constitutionis, sed dicitur: Non obstante constitutione de duabus dietis edita in Concilio generali. Ecce qua ratione mentio facienda est vel illius constitutionis, vel in genere constitutionis, addendo, conciliaris. Rationem reddit Menoch. & Sanch. quia constitutio Concilij generalis ob eius grauitatem censetur habere tacitam clausulam derogatoriam ad postea concedenda, *cap. vnico, de excessibus Prælatorum.* Innocent. & Ioann. Andr. *in cap. ex parte, de capellis monach.* Ergo non censetur derogata, nisi illius fiat specifica mentio. Addit tamen Sanchez, cum Henriquez *lib.* 7. *de indulgent. c.* 26. *num.* 3. Viuald. *candelab.* 3. *p. cap.* 11. *num.* 12. Si Concilium generale modernum sit, quale est Tridentinum, non sufficere clausulam derogatoriam cuiuscunque Concilij; sed requiri specificam Tridentini mentionem. Sed non video, quo fundamento hoc dicatur, cùm omnia Conciliorum decreta æqualis authoritatis sint. Imò potiùs pro decretis Trident. censeo non esse necessariam specialem; imò neque generalem derogationem, eo quòd in decreto vltimo eiusdem Concilij *sess.* 25. declaratur omnia in dicto sacro Concilio statuta de morum reformatione & Ecclesiastica disciplina ita decreta fuisse, vt in his salua semper authoritas Sedis Apostolicæ & sit & esse intelligatur: ac proinde cùm contrarius Pontifex decernit, Concilio non contradicit, sed facultate ibi expressa vtitur. ergo si indiget derogatione. sic aliis relatis docet Nicol. Garcia 4. *p. de benef. cap.* 5. *num.* 30. *& num.* 32. adducit motum proprium

Pij V. editum anno 1570. in quo declarauit neque speciali, neque generali derogatione Concilij Tridentini opus esse in quibusuis concessionibus Apostolicis propria manu Papæ signatis.

7 Hæ tres limitationes sublimitandæ sunt, nisi aliter constet de voluntate derogantis; si enim clarè constet velle Principem sub verbis generalibus priuilegia hæc exempta derogare, derogata erunt; quia hæc, vel illa verba apponit derogans, ad denotandam suam voluntatem. Ergo quocumque modo voluntatem clarè significet, etiamsi formam communem clausulæ derogatoriæ non seruet, priuilegium reuocabit: & ita tradit Bonacina *num.* 13. *circa finem.* Iulius Clarus dicens esse communem *lib.* 3. *receptarum*, §. *testamentum*, *quæst.* 99. *versic. cæterùm.* Sarmiento *lib.* 3. *select. cap.* 14. *num.* 7. Henriquez *lib.* 7. *de indulgent. cap.* 26. *num.* 3. Couarr. *rubr. de testamentis*, 2. *part. num.* 19. *vers. quarta conclusio.* Sanchez *lib.* 3. *disput.* 16. *num.* 7. *in medio.* & habetur in decisionibus Farinacij *decis.* 614. *num.* 3. *tom.* 3. *pag. mihi* 84. Ex quo fit dispensationes super impedimento affinitatis, & consanguinitatis obtentas à Pontifice, vel à sacra Pœnitentiaria cum clausula, *Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrarijs quibuscumque*, validas esse, etsi non fecerint expressè mentionem constitutionis contrariæ Concilij generalis, relati *in cap. non debet*, *de consanguinit. & affinit.* Quia ex vsu, & praxi satis indicatum est voluntatem Pontificis esse pro illo casu speciali, & certo Concilij generalis dispositioni derogare. Præterea, quia illa generalis derogatio solùm habere potest effectum circa illius Concilij generalis dispositionem; quia nullibi est alia prohibitio. Ergo reputari debet, ac si derogatio esset specifica, ex *l.* 1. *ff. de liberis, & posthum.* vbi Ias. & ita tradit, relato Felin Ioan. Sanchez *lib.* 8. *de matr. disp.* 35. *n.* 17.

8 Si autem reuocatio non expressa sit, sed tacita, eo quòd lex, vel priuilegium nuper latum contrarietur præcedenti, non leuis est inter Doctores controuersia, quòd debeat præualere? Alij affirmant præualere primum, alij secundum.

Et quidem si secundum priuilegium contrarium priori concedatur, ex scientia, & notitia prioris priuilegij, certum est derogare illud ea in parte, in qua illi est contrarium, quia aliàs intenderet concedens facere actum nullum, quod non est de Principe præsumendum. Dixi, derogare primo priuilegio ea in parte, in qua illi est contrarium; quia contingere potest, vt secundum priuilegium, vel dispensatio saluetur, cum sola derogatione prioris priuilegij quoad partem: & tunc solùm quoad illam partem debet censeri priuilegium derogatum. Vt si alicui habenti priuilegium non soluendi tributum, exigatur de mandato Regis tributum, reputandum est exigi pro illa vice, vel pro illo anno: & tunc secundùm illam, & quoad illam partem priuilegium derogabitur, non tamen omne priuilegium, sed integrum manebit pro annis sequentibus; derogatio enim est odiosa, ac proinde restringenda: sic docet ex communi sententia Suarez *lib.* 8. *cap.* 38. *num.* 5. Basilius de Leon *lib.* 8. *cap.* 19. §. 2. *num.* 17. Bonacina *disp.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 8. *num.* 14. *fine.* Dixi insuper debere secundum priuilegium, vel actum priori priuilegio contrarium, procedere ex notitia, & scientia prioris priuilegij, aliàs non derogabit; quia hæc derogatio debet esse libera, & voluntaria, & consequenter ex cognitione saltem virtuali derogati procedens. Quod apertè colligitur ex *cap. nonnulli, de rescript. cap.* 1. *de constit. in* 6. *& ex l. idem Vlpian.* §. *sunt & alij*, *ff. de excusat. tutor.* vbi facultas concessa tutori ad mutandum domicilium, censetur virtualis facultas dimittendi munus, & solicitudinem tutoris, si data fuerit ex rescripto Imperatoris scientis illum tutorem esse; quare seclusa illa scientia talis voluntas non præsumitur.

9 Tota ergo difficultas sita est in explicando, quando præsumenda sit & scientia, & voluntas in Principe, cùm verba priuilegij, legis, vel rescripti nihil aliud contineant, quàm nouam dispositionem repugnantem priori priuilegio. Pro cuius explicatione suppono tripliciter priuilegium derogari posse. Primò lege aliqua generali contraria supradicto priuilegio. Secundò priuilegio contrario aliis concesso. Tertiò sententia data contra primum priuilegium.

10 De primo ergo modo derogationis per legem aliquam vniuersalem, in qua non adest clausula derogatoria, distinguendum est, aut priuilegium derogandum est insertum in corpore iuris, aut extra illud: si est insertum in corpore iuris, illa lege vniuersali derogatum manet; quia ea quæ sunt in corpore iuris inserta, non præsumuntur à Principe ignorata, ex *cap.* 1. *de constitut. in* 6. Adde, huiusmodi priuilegium insertum in corpore iuris, est lex communis. Lex autem communis alia communi lege contraria abrogatur absque eo, quòd præcedentis fiat mentio; vt videtur constare ex *l. sed & posteriores, ff. de legibus.* ibi, *nisi contrariæ sint.* & tradit glossa *in supradicto cap.* 1. *verbo reuocare, & verbo noscatur*, & Doctores statim referendi. Si verò priuilegium derogandum extra ius commune sit, non derogatur lege vniuersali illius mentionem non faciente, quia non præsumitur in Principe illius priuilegij scientia, vtpote ius speciale, & priuatum, quod ad notitiam Principis non semper venit, iuxta *cap.* 1. *de constitut. in* 6. ibi, *licèt Princeps præsumatur scire ea, quæ sunt iuris communis, tamen ignorare posse iura, facta, & consuetudines priuatas.* sic ex communi sententia docent Salas *disput.* 17. *sect.* 14. *n.* 74. Bonacina *disput.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 8. §. 3. *num.* 15. Basilius *lib.* 8. *cap.* 19. *num.* 19. Suarez *lib.* 8. *cap.* 39. *num.* 2. pluribus exornans Matienz. *lib.* 5. *recopilat. tit.* 11. *l.* 8. *gloss.* 12. *n.* 6. *&* 7. & constat ex *cap. cùm ordinem, cap. nonnulli, de rescr.* & tradit glossa *ibi, & in cap.* 1. *eod. tit. & in l.* 3. *C. de silentiarijs, lib.* 12.

11 De secundo modo derogationis, alio scilicet priuilegio, distinguendum similiter est de priuilegio inserto in corpore iuris, & extra illud. Et dicendum. Si primum priuilegium sit insertum in corpore iuris, derogatur secundo priuilegio, ea in parte, qua illi contrarium est, etiamsi illius mentionem non faciat, quia præsumitur scitum à Principe, ex *cap.* 1. *de constitutionib. in* 6. Quod verum habet, siue secundum priuilegium derogans sit speciale, siue generale, siue inseratur iuri, siue non. sic docent Salas *num.* 75. Basilius *num.* 19. Bonacina *num.* 17. Suarez *num.* 2. *&* 5. & alij ab eisdem relati. Esto contrà teneat Saa *verbo gratia, num.* 19. in vtraque editione.

12 Sed obiicies. Rescriptum, seu mandatum contra communem legem non habet effectum, nisi illius mentionem faciat: iuxta *l. rescripta, C. de precibus Imperatori offerendis*, & habetur *in cap. rescripta*, 25. *quæst.* 1. & tradit glossa *in cap. nonnulli, de rescript. verbo fecerit mentionem, & in cap. ex parte, de capellis monach. verbo nulla mentio.* & ibi Abbas, referens multos alios: & rationem reddunt, quia rescriptum est particularis actus, qui non præsumitur factus cum tanta consideratione, & aduertentia ad leges oppositas. Ergo etiam priuilegium contrarium iuri communi non habet effectum, nisi iuris communis mentionem faciat.

Propter hanc obiectionem respondeo primò limitandam esse communem sententiam, vt intelligatur de priuilegio perpetuo, quod quia matura consideratione conceditur, præsumi debet consideratum etiam ius, cui opponitur. At si priuilegium sit temporale pro aliquo actu, vel pro limitato tempore, tunc præsumi potest in concedente ignoratio iuris communis oppositi, ac proinde illius debet mentionem facere; hoc enim priuilegium sic limitatum non videtur differre à rescripto,

scripto. Fauet huic modo dicendi aliquantulum Salas *disp.17.sect.14.circa finem,num.77.*

Respondeo secundò concedendo antecedens, & negando consequentiam. Et ratio disparitatis est, quia rescriptum debet esse iuxta commune ius, quando aliud non exprimitur: at dispensatio, & priuilegium potiùs est illi contrarium; eáque de causa rescriptum non derogans ius commune, non valet, valet tamen priuilegium, & dispensatio.

13 Quòd si primum priuilegium sit extra corpus iuris, nunquam derogatur subsequenti priuilegio, nisi illius mentionem faciat, siue vtrumque sit generale, siue vtrumque speciale, siue primum speciale, & secundum generale. Ratio est, quia præsumitur secundum concessum ex ignorantia prioris, ex *cap. 1. de constitutionib. in 6.* & videtur satis probari ex *c.cum ordinem,de rescript.* vbi priuilegium Cistertiensibus concessum non derogatur per subsequens priuilegium illius mentionem non faciens. sic Suarez *num.6.* Basilius *num. 21.* Salas *sect.14.num.74.* Bonacina *disp.1.quæst.3.punct.8.§.3.n.17. circa finem.* At si primum sit generale,& secundum speciale, videtur primum semper præualere, si illius non sit facta mentio: tum quia præsumitur semper ignoratum, eo quòd non sit in iure communi insertum, cuius tantùm scientia præsumitur: tum quia videtur esse priuilegiario ius quæsitum, cui non censetur Princeps derogare velle, nisi illius fiat specifica mentio. Tum denique, quia *in cap.ex parte,de officio delegati,* vbi rescriptum speciale ad Archidiaconatum auunculi obtinendum, non derogat priori rescripto generali ad Archidiaconatum primò vacaturum obtinendum. Item *in cap. ex tua, de filijs presbyterorum,* secundum rescriptum speciale priori generali non derogat: sic glossa *in reg. generi, de reg. iuris, in 6.* Panormit. *cap. veniens, de præscriptionibus, num.12.*

14 At probabilius censeo secundum priuilegium valere non obstante generali priori. Moueor, tum quia regula est in iure expressa, genus derogari per speciem, maximè, quando species subsequitur: *reg. 34. de regul. iuris in 6.* tum quia secundum speciale priuilegium non est directè contrarium primo generali, sed solùm est quædam exceptio illius. Quam exceptionem faciendi non est credendum Principem sibi abdicasse potestatem, cùm primum priuilegium generale concessit: & tradit glossa *cap 1. de rescriptis, cap pastoralis. §.quoniam, eodem, & in reg. generi. lib. 6. & in l. doli clausula. ff. de verbor.obligation.*& probatur satis ex *cap.dudum,§.nos igitur,de præbendis in 6.& cap.quamuis tibi,eodem tit.*& tradit Basil. *lib.8.cap.19. num. 21.* Suarez *lib.8.cap.39.num.7.* Bonacina *num.17. vers. secundò limita.* Salas *n.74.& 79.* Limitanda tamen est supradicta doctrina, casu quo priuilegiatus generaliter non acquisierit virtute priuilegij ius in re, circa quam secundum priuilegium conceditur; nam tunc non est censendus Princeps velle iuri iam quæsito derogare, argumento textus *in cap. fin. de concess.præbendæ. in 6.* sic Panormit. *in d.cap.veniens,n.12.* Suarez *num.8.*Bonacina *num.17.fine.* Salas *num.74.fine.* Basil. *illo cap.19. circa finem, num.26.* & faciunt ea, quæ tradit Mol. *de Hispan. primogen. lib. 4. cap.3. num.13. & num.21.*

15 Neque obstant rationes adductæ pro sententia Panormit.

Ad primam concedo generale priuilegium ignorari, cùm speciale conceditur, sed illam ignorantiam non obstare, quominus secundum priuilegium speciale validum sit: tum quia non est propriè contrarium priori priuilegio, sed quædam illius exceptio: tum quia illa ignorantia censetur concomitans, quia eodem modo concederetur priuilegium secundum cognito priori, ac illo ignorato; vt dicitur in supradicto *cap.dudum*; & notat Basil,*n.25.* Suarez *n.8.* Bonacina *n.17.* Salas *n.74.*

Ad secundam concedo, si virtute priuilegij cessisset ius in re quæsitum priuilegiario, non derogari secundo priuilegio: sed quia sæpe ex priuilegij concessione non acquiritur ius in re, quousque priuilegio vsus fuetis; ideo potest Princeps pro aliqua illius parte minuere causa rationabili interueniente.

Ad tertiam ex *cap. ex parte,* dico, primum rescriptum non fuisse generale, sed speciale quoad effectum; verificatur enim, & complebitur primo Archidiaconatu vacante, & consequenter secundum rescriptum non poterat aduersùs illud præualere, vt rectè dixit glossa, & Beroius *in cap.1. de rescriptis,* & tradit Basil. *num. 23.* vbi aduertit; si secundum rescriptum non concurreret cum primo, eo quòd Archidiaconatus primò vacans, non fuit Archidiaconatus auunculi, sed alius, quem occupauit primò priuilegiatus, non potest secundò priuilegiatus vi sui rescripti obtinere Archidiaconatum auunculi, non quia opponatur priori rescripto, sed quia irrogaretur præiudicium Ecclesiæ, grauando illam duobus mandatis de prouidendo, quod non est præsumendum de Pontifice, nisi clarè constet, vt colligi potest ex *d.cap.ex parte.vers.quoniam igitur*; ibi, *nullatenus scripsissemus, & ex cap.literis de rescriptis. in 6.*

Ad textum *in cap.ex tua,* respondeo vtrumque rescriptum esse generale, & circa diuersa: nam primum rescriptum fuit concessum Episcopo Eboracensi, vt filiis presbyterorum bonæ vitæ, posset præbendas parentum conferre: secundum rescriptum fuit obtentum, vt hi filij priuarentur præbendis obtentis: quod rescriptum si intelligatur de illis, qui præbendas habuerunt ex dispensatione, nullum est; quia tacita est veritas: si autem intelligatur de illis, qui sine dispensatione Episcopi præbendas obtinerent, tunc validum est, neque contrarium priori.

16 De tertio modo derogationis per sententiam priuilegio contrariam defendunt plures reuocari priuilegium, si lata sit ab eo, qui priuilegium reuocare potest. sic Azor *lib.5.cap.22.quæst 9* Salas *disp.20.sect.14.n.72. fine, & sect.15.num.78.* Bonacina *disp.1,quæst.3. punct.8. §.3.num.18.* Mouentur, quia sententia æquiparatur iuri, & legi, sed lege, & iure contrario reuocatur priuilegium. Ergo & sententia. Deinde *in cap. suborta, de sententia, & re iudic. ad finem,* dicitur: Si Innocentij priuilegium fuit Alexandro in iudicio repræsentatum, & ipse tulit sententiam aduersùs illud, intelligitur reprobasse, vel, vt alij legunt, intelligitur reuocasse. Nam vt glossa ibi dicit, instrumentum reprobatum censetur, eo ipso, quòd cùm iudici ostenditur, contrarium iudicat, & alios casus allegat ibi glossa *verbo reprobasse.* Aduertunt tamen Salas, Bonacina, Azor *suprà,* sententiam debere esse iustam, & latam ab eo, qui priuilegium reuocare potest, alias non esset reuocatio. Secundò cum cognitione priuilegij.

Pro resolutione supponendum est aliud esse reuocare priuilegium, & aliud illud reprobare. Reuocare priuilegium est auferre priuilegium, quod verum est, & validum: at reprobare est excludere priuilegium tanquam nullum, vel quia subreptitium, vel quia abolitum, vel ob alium defectum. His positis,

17 Dicendum existimo per sententiam tunc reuocari priuilegium, quando priuilegiatus in pœnam delicti commissi priuilegio priuatur: at tunc illa non est tacita reuocatio, sed expressa, & de hoc modo reuocationis nullus dubitat; debet tamen fieri vel à concedente priuilegium, vel ab alio ex eius licentia; quia aliàs inferior non potest priuilegiis à superiore concessis subditos priuare. At per sententiam contrariam priuilegio, qua scilicet reus condemnatur, non obstante priuilegio, nullo modo priuilegium reuocari potest, sed solùm poterit reprobari, quia vel sententia est iusta, vel iniusta: si iniusta sit, non habet effectum, neque ex illa priuilegium

deroga

derogatur, vt ipsimet Doctores contrarij fatentur. Insta autem esse non potest stante valore priuilegij: nam si priuilegium valet, non potest priuilegiatus ob factum virtute illius condemnari. Quocirca si reus condemnetur, non obstante priuilegio exhibito, est, vel quia iudex censet priuilegium illud non esse validum, vtpote subreptitium, vel dissuetudine derogatum, vel quia ad illum casum non se extendit: & tunc non est reuocatio priuilegij, sed reprobatio illius, vel declaratio authentica, quod ad illum casum non se extendebat: & ita tenet Suarez *lib.8.cap.39.num.4.* Basilius *lib.8.de matrim. cap.19.fin.num.27.*

18 Neque obstant rationes contrariæ. Fateor, per sententiam, sicut per ius reuocari posse priuilegium; sed debet esse sententia iusta, non iniusta: sententia autem iusta esse non potest, quæ reuocet priuilegium, nisi sit ob aliquod crimen a priuilegiario commissum dignum priuilegij priuatione; potest tamen esse sententia reprobans, & excludens priuilegium, vtpote inualidum, seu illum casum non comprehendens. Quæ sententia reprobatiua non est reuocatiua priuilegij, sed declaratiua illius; & in hoc sensu explicatur textus *in cap. suborta*, & glossa *ibi*.

§. V.

Quæ publicatio reuocationis necessaria sit, vt priuilegium reuocatum censeatur.

1 *Si lege lata est reuocandum, debet publicari ea publicatione, qua lex.*

2 *Si priuatim reuocatur priuilegium, non habet effectum, quousque priuilegiato innotescat.*

3 *Qui censeant hanc reuocationem quocumque modo cognitam priuilegiario sufficere.*

4 *Probabilius est, debere fieri per nuntium, vel epistolam, & rescriptum ad id specialiter destinatum.*

1 PRæmittendum est, reuocationem aliam esse ab homine, aliam à lege.

Si lege lata priuilegium reuocetur, necessaria est illa publicatio, quam ad legis constitutionem diximus requiri, quia non potest talis lex vim habere reuocandi, quousque in suo esse sit constituta: non autem est constituta, quousque publicetur. Ergo. Adde in hac reuocatione separari non posse vim obligandi à vi reuocandi, cùm ab eodem fundamento, scilicet à lege, vterque effectus nascatur. At quia diuersimodè de lege ciuili, & canonica loquuti sumus, iuxta eam diuersitatem de reuocatione per legem ciuilem, aut canonicam dicendum est. Diximus namque legem ciuilem, si pro diuersis prouinciis feratur ab his, qui imperatoriis legibus reguntur, in qualibet prouincia esse publicandam, & in ea non habere effectum, nisi post duos menses à die promulgationis: si autem feratur pro vnica prouincia, in ea solùm publicandam esse, & in ea non habere effectum, nisi postquam currerit tempus sufficiens, vt in subditorum notitiam deueniat: legem autem canonicam diximus sufficere Romæ esse publicatam, vt omnes obliget, postquam ad illorum notitiam deuenerit, aut commodè deuenire possit, & non antea. Idem ergo dicendum est de lege hac reuocatoria, quia vera est lex, & habet effectum obligandi, & sæpè irritandi actus contra illam factos: quæ omnia expostulant, vt seruentur in illa conditiones necessariæ ad legem. sic docent, relato Felino, Panormitano, & aliis, Salas *disp.17. de legibus, sect.17. num.80. & 82.* Suarez *lib.8. cap.40. à num.1. & seqq.* Bonacina *disput.1. quæst.3. punct.8. §.3. num.20.* Non desunt tamen qui dicant requiri publicationem legis reuocantis priuilegium fieri in qualibet diœcesi. sic docent Soto *1. de iustit. quæst.1. art.4.* Medin. *1.2.quæst.90. art.4. post 5. conclus.* Eman. Saa *verbo gratia, num.17.* in vtraque edit. At certe sine fundamento, cùm videamus reuocari sæpè priuilegia ob legem Romæ publicatam.


2 Verùm si priuilegium priuatim reuocetur, quod fieri potest vel mandato concedentis, vel alio priuilegio, affirmandum est non habere effectum reuocationem, quousque priuilegiato innotescat: sic ex communi sententia docet Syluest. *verb. gratia, n.4. & verb. indulgentia, n.17.* Corduba *in qq. lib.4.q.36. concl.3.* Sotus *1. de iustit. q.1. art.4.* Medin. *1.2.q.90.art.4.post 5. conclus.* Azor *lib.5.cap.12.q.7.* Bonacina *n.20.* Salas *n.81.* Suarez *n.6. & de pænit. disp. vlt. sect.2.* Basilius *lib.8. cap.19. num.14.* Ratio est, quia ad rectam reipublicæ, & Ecclesiæ gubernationem pertinet, vt velit Princeps priuilegiatos suis priuilegiis vti, quousque agnoscant esse reuocata; aliàs vellet plures actus inualidos fieri, quod non est credendum de Christiano Principe.

3 Addunt verò aliqui hanc reuocationem non esse necessariam fieri per nuntium, vel per epistolam ad hoc missam ab ipso reuocante, sed quocumque modo certus reddatur priuilegiatus de sui priuilegij reuocatione, priuilegium esse reuocatum. sic docet Suar. *lib.8.cap.40. num.7.* Bonacina *disp.1.quæst.3. punct.8.§.3. num.20. fine.* Ratio esse potest, quia ex natura rei hic modus notitiæ per nuntium, vel epistolam ad reuocationem non est necessarius, vt de se constat: iure autem positiuo nullibi inuenitur præscriptus. Ergo sine fundamento expostulatur. Et confirmo. Reuocatio priuilegij solùm ex voluntate concedentis pendet, non ex voluntate priuilegiarij, siquidem priuilegiario renuente fieri potest. Ergo si illius notitia in priuilegiario requiritur, & ob suaue regimen Ecclesiæ, quod certè saluatur, ex quocumque capite notitia habeatur. Neque obstat ad concessionem priuilegij requiri intimationem illius per rescriptum, vel nuntium ad id destinatum: vt inde discamus etiam in reuocatione necessarium esse, quia priuilegij concessio non habet effectum absque acceptatione priuilegiarj, ac proinde debet concedens manifestare suam voluntatem, & concessionem priuilegiario, vt ipse acceptet: non autem potest dici manifestare suam voluntatem, si nomine ipsius non fit. Ergo. Adde. Concedentis, & acceptantis voluntates debent aliquo modo vniri, ad cuius vnionem hæc intimatio videtur ex natura rei expostulata: at quia reuocatio non pendet ex acceptatione priuilegiarij, sed illo inuito fieri potest, efficitur non videri necessariam illam intimationem.

4 Verùm etsi hoc sit satis probabile. At credo probabilius esse reuocationem fieri debere per rescriptum, epistolam, vel nuntium ad id destinatum: sic docet expressè Basilius *lib.8.cap.19.n.14.* Saa *verb. gratia, n.1.* in vtraque editione: & meo iudicio tenentur docere omnes illi, qui dicunt reuocationem iurisdictionis ordinariæ, vel delegatæ debere fieri per nuntium ad id destinatum, neque sufficere notitiam reuocationis aliunde habitam, quos refert, & sequitur Thom. Sanchez *lib.3. de matrim. disput.30. num.12. & disput.36. num.9.* quia hæc iurisdictio est quoddam priuilegium, & quidquid de illa dicitur, de priuilegio dici potest. Ratio autem est, quia reuocans priuilegium, siue per legem, siue priuatim, tenetur reuocato intimare reuocationē, ne amplius priuilegio vtatur, aliàs imprudenter operaretur. Ergo quousque ipse intimet, non censetur velle reuocare. Adde reuocationem priuilegij, sicut & legis debet reuocans publicare. Ergo publicatio, quæ à reuocante non procedit, non est publicatio authentica, ac proinde non firmat reuocationē, sicut diximus de publicatione legis non facta à legislatore. Quocirca huiusmodi publicatio, & intimatio non propter acceptationem ipsius priuilegiati, sed propter naturam ipsius reuocationis necessaria est. Et per hæc fit satis fundamēto contrario.

DISPVTATIO V.

De cessatione legis, eiúsque interpretatione.



DVPLICITER obligatio legis cessare potest, vel in totum, vel in parte. In totum cessat, quando cessat lex, eo quòd cesset omnino causa, ob quam fuit concessa, vel ex eo quòd abrogata sit. In parte cessat lex, quando aliquo casu speciali, vel pro aliquo tempore eius obligatio cessat; & hoc contingere potest dupliciter. Primò eo quòd aduenerint tales circumstantiæ, quibus adstantibus prudenter iudicatur legislatorem, vel noluisse, vel non potuisse sua lege ibi obligare: & hæc non est propria cessatio, quia nunquam ad illum casum lex extensa fuit. Secundò contingit, quando lex casum comprehendit, & legislator sua voluntate ab illius obligatione subditos exemit. Quapropter cessare potest adæquatè lex. Primò ex cessatione causæ finalis illius. Secundò abrogatione. Tertiò cessare ex parte potest interpretatione. Quartò dispensatione. De prioribus dicendum est in præsenti disputatione, & in sequenti agemus de cessatione per dispensationem.

PVNCTVM I.

De cessatione legis ex cessatione causæ finalis illius.

1 *Distinguitur duplex finis, alius intrinsecus, alius extrinsecus.*
2 *Quando censeatur preceptum ex fine extrinseco desumi.*
3 *Lege lata ob duplicem finem intrinsecum, & extrinsecum, intrinsecus spectandus est.*
4 *Cessante tota causa finali, ob quam res præcipitur, cessat lex.*
5 *Proponitur obiectio, & fit satis.*
6 *Limitat Soto, vt procedat posita declaratione Principis, vel consuetudine. Sed non admittitur limitatio.*
7 *Si cessat adæquatus finis pro determinato tempore, vel in parte legis, pro illo tempore, & illa parte cessat lex, seu suspenditur.*
8 *An cessatio finis legis toti communitati constare debeat, vt singulares eximantur? Resoluitur sufficere cuilibet constare.*
9 *An si cesset finis legis in aliquo speciali casu, cesset lex? Proponitur casus, & prima sententia affirmans.*
10 *Contraria sententia est communior, & secura.*
11 *Qua ratione nobis probetur.*

1 PRæmitto duplicem finem in lege attendi posse; alium intrinsecum, qui à re præcepta non distinguitur: alium extrinsecum, & à materia præcepti distinctum. Prioris exemplum est, si legislator tibi præcipiat ieiunare, orare, eleemosynam facere, propter honestatem, quæ in oratione, ieiunio, & eleemosyna reperitur. Posterioris exemplum est: si hæc ipsa præcipiat, vt peccatorum debito satisfacias, vt carnem maceres, tentationes vincas; peccatorum enim satisfactio, maceratio carnis, & tentationum victoria non est materia præcepti.

2 Præmitto secundò aliquando cum fine intrinseco, & materia præcepti, finem alium extrinsecum coniungi, & spectari; aliquando verò solùm spectari in materia præcepti finem extrinsecum illius. Quoties materia præcepti de se habet honestatem, & lex illam præcipit, nisi aliud expressè constet, censetur præcipere ob finem intrinsecum illius, esto simul habeat alios extrinsecos fines. At quoties materia præcepti de se honestatem non habet, vel si illam habet, à legislatore non intenditur, sed solùm intenditur illius executio, quatenus alicui fini extrinseco conuenit, tunc ex illo fine extrinseco desumenda est tota honestas rei præceptæ. quod bene aduertit Suarez *lib.6.de leg.cap.9.n.8.* His positis,

3 Dicendum est primò. Quando lex fertur ob duplicem finem intrinsecum, & extrinsecum; attendendus est semper finis intrinsecus pro perseuerantia legis, vel illius cessatione. Quocirca, etsi finis extrinsecus cesset, si perseuerat intrinsecus, non cessat lex. Ratio est manifesta. nam ex fine intrinseco habet materia præcepta sufficientem honestatem bono communi conuenientem, & propter illam præcipuè est præceptum. Ergo perseuerat præceptum. Quod exemplo ieiunij manifestatur, ad cuius obligationem omnes tenentur, etsi carnem habeant spiritui subiectam; quia non tantùm ob carnis subiectionem imponitur, sed etiam ob honestatem temperantiæ in ieiunio repertam: & durante hac honestate durat præceptum: sic Salas *disp.11.de legibus, sect.3.n.34.* Azor *tom.1.lib.5.cap.16.quæst.15.* Castro *lib.1.de potest.leg.pœn.cap.5.docum.3.* Suarez *lib.6.de leg.cap.9.num.9.* Bonacina *disp.1.quæst.1.punct.vlt.§.2.num.1.vers. dixi cessante tota causa.*

4 Dico secundò. Cessante tota causa finali, ob quam res præcipitur, cessat lex, & obligatio illius: sic cum communi sententia docet Couarr. 4 *decret.2.p.§.9. n.8. & cap.cùm esses.de testament. num.9.* Azor *suprà.* Victor. *relect.de potestate ciuili, n.22.* Suarez plures referens *n.5. iuncto num.10.* Bonacina *suprà.* Ratio ea est, quia lex in tantum obligare potest, in quantum materia ipsius iudicatur à legislatore bono communi expedire, sed cessante causa, ob quam iudicatum est bono communi expedire, cessat & legislatoris iudicium. Ergo cessat lex. Et confirmari potest exemplo voti, cuius obligatio cessat, si cesset causa finalis illius: vt si vouisti, non ingredi aliquam domum ob periculum puellæ ibi commorantis; & ipsa recedat, & commoretur alibi, cessat tibi votum.

5 Dices contingere posse, vt materia legis bono communi expediat, etiamsi cesset finis ob quam fuit imperata. Ergo in illo casu non cessabit lex: sic docet tanquam valde probabile Salas *disput.11.sect.3.num.32. concl.2.*

Respondeo tamen cum reliquis Doctoribus negando consequentiam: nam ad cessationem legis, sufficit, si cesset conuenientia, quæ per legem fuit intenta: alia autem conuenientia, quæ succedit, à legislatore intenta non fuit; ac proinde ex illa non firmatur lex: solùm enim deseruit, vt denuo lex alia circa illam materiam ferri possit. Quod exemplo voti confirmari potest; cessat enim votum ingrediendi illam domum, cessante periculo, ob quod fuit factum, etiamsi aliud denuo superueniat, ob quod meritò possis votum aliud facere.

6 Hanc conclusionem limitat Soto *lib.1. de iustit. quæst.6.art.8. & lib.3.quæst.4. art.5. ad 1.* vt intelligatur cessare adueniente declaratione Principis, vel consuetudine in contrarium; secus verò ante illam. Moueri potest, quia esto cesset finis intentus à legislatore, adhuc lex sine peccato obseruari potest, vt suppono. Ergo poterat Princeps velle subditos ad illius obligationem teneri, quousque sua declaratione, vel consuetudine in contrarium eximerentur. Ergo præsumendum est ita velle, quia hæc subiectio, & subditorum subordinatio bono communi videtur expedire.

Sed hæc limitatio admittenda non est: tum quia nullus, præter Sotum, illam admittit: tum quia apponit legem, & obligationem nouam absque vllo fundamento. Nam vel obligatur communitas ad illius legis obser-

obseruantiam ex virtute illius legis: & hoc non ob rationem superiùs dictam, quia non iudicat legislator ex illa lege materiam illam bono communi necessariam esse; siquidem illa necessitas, & conuenientia iam expirauit. Vel obligatur communitas ex alia lege superueniente, qua Princeps statuit suas leges seruandas esse, quoties seruari possunt sine peccato, etiamsi cesset finis adæquatus illarum, quousque declarationem authenticam faciat; sed hæc lex nullibi inuenitur. Ergo fingenda non est. Adde si hæc declaratio necessaria esset, nunquam lex cessaret propriè ex cessatione causæ finalis; quod est contra communem sententiam desumptam ex *cap. cum cessante, de appellationib.* ibi, *cessante causa cessat effectus. & cap. etsi Christus, de iureiurando. cap. post translationem, de renunciat.* vbi glossa, *verbo cessante, & cap statuimus, 61. distinct. verbo causa, in fine. & cap. quod pro remedio, 1. quæst. 17.* Ex quibus textibus colligitur cessante causa, cessare & legis obligationem, neque vllam Principis declarationem desiderari, aliàs potius diceretur cessare per abrogationem, quàm per cessationem causæ finalis.

7 Aduerto tamen, sæpè non cessare causam finalem absolutè, sed pro aliquo tempore, & tunc non cessat absolutè lex; quia absolutè non est reddita inutilis, sed solùm suspenditur eius obligatio pro illo tempore, pro quo iudicatur inutilis: ita docuit Suarez *illo cap. 9. fine.* Salas *disput. 11. sect. 3. num. 32.* Bonacina *disput. 1. quæst. 1. punct. vlt. §. 2. num. 4.*

Aduerto secundò, si lex plura diuisibilia contineret, & respectu vnius partis facta esset inutilis, & respectu aliorum vtilis perseueraret; cessaret quidem in illa parte, in qua reddita fuit inutilis: at perseueraret respectu aliorum, in quibus vtilis iudicatur. quod nullum est inconueniens; cùm in illo casu, non sit vnica lex, sed plures pro diuersitate rerum, quæ præcipiuntur: si tamen res præceptæ inseparabiles sint, & vna reddita est inutilis, regulariter videtur lex cessare: tum quia illa inutilitas inficit totam legem. tum quia bonum ex integra causa, & malum ex quocumque defectu. sic ex patte Suarez *suprà num. 18.* Bonacina *num. 5.*

8 Sed inquires, an necessarium sit communitati cognoscere cessasse causam finalem legis, vt possit quilibet particularis contra legem facere, vel sufficit notitia cuiuslibet?

Respondet Suarez *illo lib. 6. cap. 9. num. 12.* necessariam esse publicam, & manifestam illius cessationis notitiam in tota communitate, & hanc sufficere; & quòd sufficiat est clarum, quia iam communitati constat redditam esse legem inutilem fini communi à legislatore intento. Quòd verò hæc notitia necessaria sit, inde probat; quia lex communitatem adstringit, & ratione illius singulas personas. Ergo dum communitati non constat de cessatione, etsi singulis constet, singuli excusari non possunt; quia non prius excusari possunt, quàm ipsa communitas excusetur. Credo tamen si de facto aliquibus constaret, cessasse integrè finem à legislatore intentum, posse aduersùs legem procedere, secluso scandalo, etiamsi communitati id non constaret; quia singulæ personæ communitatis non deobligantur à lege, ex eo quòd communitas cognoscat rationem legis cessasse, sed ex eo quòd de facto cessauerit. Ergo si ipsi cognoscunt de facto cessasse, cognoscent deobligatos esse. Adde à puncto cessationis causæ communitatem deobligatam esse; quia lex perit, esto ipsa communitas ex ignorantia non cognoscat. Ergo quòd ipsa communitas ex ignorantia se censeat obligatam, non inde inferendum est carentes illa ignorantia obligatos esse.

Secundò inquires, an sufficiat probabile iudicium, vel dubium de cessatione causæ, vt possit communitas contra legem operari? Cui difficultati satisfecimus *tract. 1. de conscientia opinatiua, p. 6. & disp. 3. de conscientia dubia. p. 7. & 8.* videantur ibi dicta.

9 Maior difficultas est; si cesset causa finalis in aliquo speciali casu circa aliquam particularem personam, cùm tamen vniuersaliter circa reliquos perseueret, an in illo casu cesset obligatio legis? v.g. latum est generale præceptum, ne arma noctu deferantur ob vitandas rixas, & perturbationes, cognoscis nullam sequendam esse rixam, neque perturbationem, etiamsi deferas, poteris ne absque transgressione legis deferre? Item lex prohibet cum Sarracenis commercium ob periculum peruersionis; cognoscis nullum tibi ex tali commercio periculum adesse, poterisne commercium prosequi? Item est præceptum, ne scholastici vestibus sericis vtantur, ne opes parentum exhauriantur, poterit ne his vestibus vti, qui parentem ditissimum habet? & sic de aliis exemplis.

Circa hanc difficultatem prima sententia affirmat, quoties lex aliqua edita est, ob vitanda inconuenientia, cessare eius obligationem in quolibet casu, in quo ipsa inconuenientia cessent: secus verò dicunt de lege edita ob finem bonum, quæ non cessat, etiamsi cesset finis, ob quem fuit edita, dummodo maneat alius, qui legis obseruationem honestet: sic docent expressè Caietan. *tom. 1. opusc. tract. 12. de matrim. q. 2.* Nauarr. *summ. cap. 16. n. 37.* Henriq. *lib. 11. de matrim. cap. 17. n. 2. comm. litt. O.* Ludouic. Lop. *1. p. instruct. cap. 85. § præterea peccat.* Bartholom. à Ledesma *dub. 17. de matr. fol. 1275.* Eman. Saa *in vtraque editione, verbo lex, n. 1.* insinuat glossa *in cap. etsi Christus, de iureiur. verbo cessante, in princ.* Panormit. *in cap. quoniam, de probat. num. 6.* & latiùs *in cap. quia in insulis, de regularib.* per textum *ibi.* & concludit generaliter cessante legis ratione in particulari cessare legem. fauet Syluest. *verb. lex, q. 8. & 9.* Angel. *ibi n. 4. casu 7.* Ratio huius sententiæ ea esse potest, quia finis & ratio legis est anima ipsius legis. Ergo in illo casu, in quo deficit, & lex ipsa deficere debet. Et confirmo. Cùm deficit ratio legis vniuersaliter, cessat integrè lex, & cùm deficit pro aliquo tempore, pro illo deficit, seu suspenditur eius obligatio, vt diximus. Ergo etiam suspendi debet pro casu, & persona, pro qua deficit ratio legis. Quia ideo in supradictis casibus cessat obligatio legis, cessante illius causa; quia tunc lex non iudicatur bono communi expedire, sed vbicumque cesset ratio ipsius, cessat ratio iudicij. Ergo & iudicium. ergo & lex.

10 Nihilominus communior, & secura sententia docet ob præcisam cessationem negatiuam causæ finalis in aliquo speciali casu, circa aliquam, vel aliquas particulares personas non cessare obligationem legis, si in vniuersali causa finalis perseueret; sic pluribus relatis docet Suarez *lib. 6. cap. 7. à n. 5. & toto cap. 8.* Salas dicens esse certum *disp. 11. sect. 3. n. 31. concl. 3.* Bonacina *disp. 1. q. 1. p. vlt. §. 2. n. 3.* Thomas Sanchez *lib. 3. disp. 3. num. 39. versic. sed displicet solutio.* Ratio huius sententiæ ea est, quia lex, & generale præceptum non respicit casus speciales, sed ea, quæ communiter contingunt. *l. ea quæ rarò, ff. de regul. iur.* non enim lata est de prohibitione armorum, ob vitandam huius vel illius rixam, sed ob vitandas rixas communiter contingentes. Ergo dum communiter contingere possunt, quilibet est censendus obligatus; quia iam videtur comprehensus sub lege, & sub fine illius. Item non leuia inconuenientia ex opposita sententia sequerentur; daretur enim occasio violandi leges, non solùm positiuas, sed naturales; cùm facilè posset quis affirmare cessare in illo rationem prohibitionis. Exemplum sit, si dicamus fornicationem esse prohibitam solùm ob malam prolis educationem, & quis apposuisset media, quæ ad rectam illius educationem possunt excogitari, necessaria; dicere etiam posset sibi licere fornicationem. quod absit.

11 Mihi hæc sententia omnino probatur non ob rationem allatam, nisi ampliùs explicetur; sed quia existimo finem legis in nullo casu speciali cessare, si in vniuersali non cesset; etsi cessent in illo aliquo modo inconuenientia, quæ lege intendebantur vniuersaliter præcaueri. Aliud enim est cessare damnum, & periculum illius speciale, aliud cessare generale periculum illius. Finis enim legis, & vniuersalis præcepti, prohibendi armorum delationem, v.g. est vitare generale periculum rixæ, non speciale. Et ob huiusmodi finem omnibus etiam pacatissimis delatio armorum prohibetur, & meritò; quia lex est generalis, & omnes, qui in illam delinquere possunt, debet comprehendere. Ergo non possunt ipsi allegare, cessare in illis rationem prohibitionis, siquidem non cessat generale periculum, licèt speciale cesset. Et ex hac ratione facillimo negotio soluitur fundamentum primæ sententiæ. Cuius distinctio de lege lata ob vitanda inconuenientia, vel ob finem bonum nullo modo est admittenda: nam, vt rectè expendit Suarez *lib. 6. de legibus, cap. 9. num. 14.* eandem dependentiam vtraque lex habet à suo fine. Neque imaginari potest, quare ex cessatione vnius cesset lex, & non ex cessatione alterius, si in vtraque eodem modo cesset.

PVNCTVM II.

De cessatione legis per eius abrogationem.

DVpliciter lex tolli potest à Principe, vel secundùm se totum, vel quoad aliquam illius partem, si integrè tollatur, dicitur abrogatio, si secundùm partem, derogatio. Quod autem de abrogatione dicitur, de derogatione similiter intelligendum est, quia est partialis abrogatio.

Secundò, præmitto abrogari legem posse vel alia lege contraria inducente obligationem ad contrarium actum, vel ad abstinendum ab eo, qui erat per priorem legem imperatus. Vel abrogari potest tollendo obligationem illius, & nullam aliam imponendo. Videndum ergo est, quæ conditiones seruandæ sint, siue hoc, siue illo modo lex abrogetur, & quis legem possit abrogare.

§. I.

Quæ conditiones seruandæ sint in legis abrogatione.

1 *Lex valida, & vtilis abrogari potest.*
2 *Vt honestè fiat abrogatio, requiritur causa bono communi prospiciens.*
3 *Sine causa abrogatio legis ab eo, qui legem tulit, valida est, tametsi illicita.*
4 *Quæ publicatio in abrogatione requiratur, proponuntur duæ extremæ sententiæ.*
5 *Reducuntur in concordiam.*
6 *Quæ publicatio sufficiat, si non est per legẽ reuocatio facta.*
7 *Lex posterior priorem abrogat, si in corpore iuris prior fuerit inserta.*
8 *Limitatur, nisi iuramento firmata fuerit.*
9 *Posterior abrogat priorem, dummodo illi contraria sit, neque patiatur interpretationem.*
10 *Lex abroganda specialis, vel generalis extra corpus iuris non abrogatur, nisi illius fiat mentio saltem in genere.*
11 *Lex specialis pro aliquo loco, vel speciali materia, tametsi corpori iuris fuerit inserta, non abrogatur lege contraria, nisi illius fiat mentio saltem in genere.*

1 PRimò certum est legem validam, & reipublicæ vtilem abrogari posse, non solùm validè, sed etiam licitè, & honestè: sic omnes expositores cum D. Thoma 1. 2. *quæst. 97. art. 1.* Iuristæ *in l. vnica, C. de caduc. tollend. in princ. & in l. 1. & 2. ff. de constitut. Princip. & in cap. non debet, de consanguinit. & affinit. & cap. alma mater. de sentent. excommunicat. in 6.* Ratio est, quia obligatio legis pendet à voluntate legislatoris. Ergo si cessat eius voluntas, cessabit & lex. Quòd autem licitè possit hanc voluntatem habere tollendi legem factam, inde constat; quia pro varietate temporum res solent mutari, & quæ vno tempore bono communi iudicabatur vtilis, postea minus vtilis esse potest. Adde, etsi lex vtilis sit reipublicæ, potest magis vtilis esse illius reuocatio: tum quia ex illa fortè grauantur nimis subditi: tum quia facta est tanta legum multiplicatio, vt videatur non leuiter conuenire aliquas abrogare: tum quia passim violatur, & cedit ex malitia subditorum in illorum perniciem. Ex quibus rationibus constat & posse legem vtilem esse reipublicæ, & ex alia parte posse validè, & honestè abrogari.

2 Secundò certum esse debet, vt honesta sit, & licita abrogatio, necessariam esse causam pertinentem ad bonum commune. Constat ex supradictis textibus, præcipuè ex *l. 2 ff. de constitut. Princip. & ex cap. non debet, de consanguinit. & affinit.* Et ratio est clara, quia abrogare legem vtilem reipublicæ absque legitima causa, est abuti potestate, & iurisdictione sibi concessa. Ergo peccat. Deinde Princeps ex officio tenetur sibi subditos regere legibus conuenientibus. Ergo si has leges tollit absque causa, iniquè facit, quia subditis præiudicat.

3 Tertiò certum esse debet puram legis abrogationem factam absque causa, ab eo, qui legem tulit, validam esse, esto illicita sit. Probo, quia legis obligatio ex voluntate legislatoris pendet. Ergo si cessat eius voluntas, & nolit amplius ea lege obligare, cessabit obligatio legis. Dixi, abrogationem puram: nam si fiat per nouam legis impositionem, certum est sine causa non valere; quia non valet lex, quæ non iudicatur bono communi expedire. Minus enim necessarium est ad legis abrogationem, quàm ad illius impositionem; quia minus necessarium est ad tollendam subditis obligationem, quàm ad imponendam illis. & in his omnes ferè Doctores conueniunt: vt videre est in Vasquez *2. part. de legibus, disput. 178. à cap. 1.* Salas *disput. 18. sect. 1. præcipuè num. 3. & 4.* Suarez *lib. 6. cap. 25. à num. 3.* Bonacina *disput. 1. quæst. 1. punct. vlt. §. 1. num. 1. & 2.*

4 Difficultas prima est. Quæ publicatio requiratur in abrogatione, vt censeatur lex abrogata? In qua re sunt duæ extremæ sententiæ. Prima expostulat publicationem similem cum lege; quia vsque legis reuocatio subditis insinuetur, lex publicata viget, & subditi illa adstringuntur: sic docet Vasquez *disput. 156. cap. 4. num. 25.* consentit expressè Azor *tom. 1. lib. 5. cap. 3. quæst. 7.* Salas *disput. 12. sect. 8. & disput. 18. sect. 2.* Secunda sententia huic contraria est, nullam publicationem requiri, sed sola voluntate Principis abrogari legem posse. sic docent Cordub. *lib. 3. qui est de indulgent. quæst. 36. post 3. conclus.* Capreolus *in 4. distinct. 1. quæst. 3. ad 1. contra 1. conclus.* Conrad. 1. 2. *quæst. 90. art. 4.* vbi Medin. *circa finem art.* Mouentur; quia in tantum lex obligat, in quantum legislator intendit obligare. Ergo si cessat eius intentio, cessabit obligatio. Et confirmo. Si à principio sine intentione obligandi legem ferret, etsi subditi ignari illius intentionis crederent se obligatos: at re vera obligati non erant. Ergo etiam postea deobligati manebunt, cùm primam reuocat intentionem.

5 Facilè possunt huiusmodi sententiæ in concordiam reduci. Si dicamus priorem sententiam loqui de reuocatione,

catione, quæ fit per nouam legis impositionem, hæc enim abrogatio omnes conditiones legis habere debet: neque censenda est vim habere reuocandi legem, quousque fit in ratione legis constituta, quia effectus reuocationis est illi secundarius. Secundam autem sententiam dicere possumus loqui de pura reuocatione, quæ sola reuocatione Principis etiam interiùs facta compleri potest. At reuocare hoc modo absque promulgatione, non est præsumendum de Principe: quia esset reuocatio debitæ gubernationi contraria, & multis inconuenientibus exposita, & ferè nullius effectus. Quocirca mihi valde probabile apparet non posse Principem solam voluntatem iam intimatam, & quæ obligationem induxit, sola reuocatione interiori reuocare; quia actibus interioribus non se homines communicant, neque ex illis potest effectus aliquis in alios resultare. Ergo ex sola interiori reuocatione non potest obligatio subditorum tolli; aliàs posset dici absolutionem a censura, & dispensationem cuiusuis vinculi fieri posse ex sola interiori voluntate dispensantis. Item hæc reuocatio est iurisdictionis exercitium; sed hoc esse non potest per actus internos. Ergo non potest esse legis reuocatio actu solo interiori. Requiritur ergo, vt aliquo modo subditis manifestetur: & ita tenent Salas, Azor, Vasquez, Suarez, & alij ab eisdem relati *suprà*.

6 Quæ autem publicatio sufficiat, & necessaria sit, prudentis arbitrio est consideranda, & præcipuè attendenda est consuetudo, si aliqua sit. Nam cùm hæc reuocatio non fiat per legem, non erit necessaria publicatio, quæ ad legem est requisita. At censeo debere esse ita publicam, vt facilè in omnium, qui lege ligantur, notitiam deuenire possit; neque debere Principem velle aliter legis obligationem desinere, quia rectæ gubernationi maximè conuenit, vt sicut omnes simul fuerunt lege obligati, omnes simul illa soluantur. Ex quo fit scientem legis reuocationem non adhuc solui lege, quousque reuocatio fuerit publicata, vt communiter in subditorum notitiam deuenire possit, sicuti diximus de lege Pontificia: neque præsumenda est alia voluntas in legislatore ob rationes dictas, dum aliud non exprimit.

7 Secunda difficultas est in abrogatione per legem, quando lex posterior censeatur priorem abrogare?

Cui difficultati respondeo primò. Si lex prior generalis erat, & in communi iure inserta, & secunda eadem generalitate loquitur, eo ipso, quo fertur lex priori contraria, censenda est abrogata, neque necesse est prioris mentionem facere. Ratio est, quia Princeps legem posteriorem ferens, conscius erat legis prioris contrariæ; hanc enim ignorare non præsumitur, ex *cap.1. de constitut. in 6.* Sed non obstante illa lege, tulit legem contrariam; ergo voluit illam derogare: sic docent omnes cum glossa *in suprad. cap. & in l. sed & posteriores, ff. de legib. verbo, nisi contraria sint.*

8 Limitant aliqui, nisi prior lex firmata fuerit iuramento, de non derogando illam, nisi illius fiat expressa mentio, quia tunc illa lex nouo vinculo est stabilita, ac proinde non est præsumendum contraria lege voluisse Principem abrogare. sic docet Azor 1. *part. lib.5. cap.16. quæst.6.* Emanuel Saa *verbo lex, num.19.* in vtraque edit. consentit Bonacina *disp.1. quæst.1. punct. vlt. §.1. vers. ego verò*, in casu, quo iuramentum non est solùm assertorium de præsenti, sed promissorio de futuro, scilicet de non reuocando legem: & sumi potest ex his, quæ de reuocatione priuilegiorum tradit Suarez *lib.8. cap.14. num.6.*

Placet mihi hæc limitatio, ea præcipuè ratione, quia tunc non est præsumendum Principem habuisse memoriam legis prioris iuramento stabilitæ; & consequenter procedere reuocatoriam legem ex ignorantia prioris, ac proinde non habere effectum. Neque obstat iuris communis ignorantiam in Principe non præsumi. *cap.1. de constit. in 6.* quia hoc est generaliter verum, quoties nullum sequitur inconueniens: at in præsenti sequitur non leue inconueniens, nisi præsumatur illa ignorantia, quia sequitur Principem violasse iuramentum factum de non reuocanda lege, siquidem illam non relaxato iuramento intendit reuocare: quoties autem duæ præsumptiones concurrunt in vno actu, illa præualere debet, pro qua est honestas, & excludenda præsumptio delictum continens. Neque obstat etiam pro actus valore præsumendum esse, & consequenter pro lege posteriori, vt multis relatis docet Menochius *de præsumpt. lib.6. tota præsumpt. 4.* quia, vt ipsemet Menochius *supradicta præsumpt. num.50.* affirmat, non procedit hæc præsumptio de valore actus, quando repugnat mens disponentis, quæ omnino offenderetur, si sumeretur interpretatio validitatis actus. At in præsenti clarum est offendi Principem, si præsumatur sciens iuramentum à se factum de non reuocanda lege, nisi illius mentionem faciat, illam reuocare, nulla prioris facta mentione, nec relaxato iuramento.

9 Dixi posteriorem legem abrogare priorem, dummodo priori contraria sit. nam si aliquo modo excusari potest contrarietas, legum correctio, quoad fieri possit, vitãda est, ex *l. vlt. C. de appellat. & l.1. C. de inofficiosis dotib. & ex cap. cum expediat, de elect. in 6. & ex cap. cum dilectus, de consuetud.* & tradit Bart. *l. si constante, ff. soluto matrim. num.39.* & pluribus relatis Tiraquel. *in præfat. ad retract. num.62.* Et ratio est, quia mutatio legum damnosa est reipublicæ, per se loquendo; quapropter fieri non potest, nisi vbi vrgens necessitas, vel vtilitas interueniat, vt colligitur satis ex supradictis textibus.

Aliqui hãc doctrinam extendunt, vt procedat etiam, si ad hanc correctionem vitandam, fuerit necessarium verba legis correctoriæ impropriare: sic docent alios referens Sanchez *lib.1. de matrim. disput.17. num.6.* Gutierrez *lib.3. practic. quæst.15. num.34.* At hæc extensio mihi absolutè non probatur, quia aliàs nihil esset firmum in legibus; solùm enim verba improprianda sunt, vt euitetur aliqua iniquitas, & iniustitia, vel saltem ne dispositio inutilis, & illusoria reddatur, vt bene tradunt Felinus, Panormitanus, & Decius *in cap.1. de constitut.* Bart. *in l. omnes populi, ff. de instit. & iure, num.57. & 58.* Suarez *lib.6. de legib. cap.27. num.11.* Salas *disp.18. sect.6. num.15.* & sumitur ex glossa *l. non possunt, ff. de legib.*

10 Dico secundò, si lex specialis, aut generalis abroganda extra ius commune sit, tunc per posteriorem legem contrariam non abrogatur, nec derogatur, nisi illius saltem in genere faciat mentionem, quia non præsumitur edita ex scientia prioris legis, eo quòd ea quæ sunt extra ius commune, ignorari à Principe præsumantur, ex *d. cap.1. de constit. in 6.* tradit Suarez *n.12.* Salas *sect.6. circa finem.*

11 Dico tertiò, si lex abroganda in iure communi inserta specialis sit pro aliquo loco, vel speciali aliqua materia per posteriorem legem vniuersalem, non censetur abrogata, nisi illius meminerit, sed potiùs ex illa lege lex vniuersalis debet limitari, seu derogari. Tum quia est regula communis: Generi per speciem derogatur. vbi glossa communiter recepta explicat, etiamsi species præcedat: tum quia vtraque lex potest subsistere. Ergo credendum est ita Principem voluisse: tum denique, quia derogatio legis est vitanda, quoad fieri potest, sed in præsenti vitari potest, affirmando posteriorem legem vniuersalem ferri cum illa tacita limitatione, & exceptione prioris legis; ergo ita interpretandum est: sic docent Bart. Abbas, Ias. Decius, Bald. & alij plures relati à Sanchez *lib.2. de matrim. disp.24. n.6.* & addit hoc esse verum, etiamsi in lege noua sit clausula, Non obstante; debet enim (inquit) intelligi lege contra

contraria, quæ non possit cum præcedenti sustineri per aliquam limitationem, seu distinctionem. idem tradit Suarez, & Salas *suprà*. Anton. Gabr. *tom. 2. comm. lib.* 10. *verbo lex, fol.* 50. Azeued. *lib.* 5. *recopil. tit.* 4. *l.* 1. *num.* 52. Matienz. *ibi glossa* 3. *num.* 11. *& tit.* 11. *l.* 1. *glossa* 8. *num.* 36. *in princ.* & alij plures, quos ipsi referunt.

§. II.

Qui possint legem abrogare, vel derogare.

1 *Qui illam tulit, & eius successor illam abrogare potest.*
2 *Inferior non potest legem superioris abrogare.*
3 *An inferior in suo territorio possit superioris legem abrogare? Proponitur dubitandi ratio.*
4 *Communis sententia hanc potestatem in legibus ciuilibus admittit, non in canonicis.*
5 *Nullus inferior potest, siue pura derogatione, siue statuto contrario superioris legem abrogare.*
6 *Satisfit rationi dubitandi.*
7 *Statuta confirmata à superiore, possit ne inferior illa condens reuocare? Negat communis sententia.*
8 *Qua ratione hæc communis sententia vera sit, exponitur.*
9 *Possit ne Episcopus abrogare constitutiones factas in Synodo diœcesana? Proponitur dubitandi ratio.*
10 *Censeo probabilius posse.*
11 *Satisfit argum. num. 9. adductis.*

1 Certùm est legem reuocari posse ab eo, qui illam tulit, vel ab eius successore, qui eandem cum legislatore habet potestatem, vel à superiore illorum. De legislatore constat, quia dependet ab eius voluntate. De successore idem probatur, quia habet cum illo eandem potestatem. Item quia nullus suo successori æquali prohibere potest abrogationem legis à se factæ, sicut nec sibi prohibere potest. Quia par in parem non habet iurisdictionem. De superiore autem idem constat, quia habet vniuersaliorem iurisdictionem. Qua ratione Pontifex sæpè leges ciuiles abrogauit, eo quòd bonis moribus contrariæ fuerint, vel præiudicauerint libero vsui sacramentorum, dispositioni rectæ piarum causarum, & aliorum bonorum Ecclesiasticorum; quia ob huiusmodi titulum, superior est Pontifex quolibet legislatore ciuili, vt rectè multis exemplis confirmat Azor 1. *p. lib.* 5. *cap.* 20. *& seqq.* docet Suarez *lib.* 6. *cap.* 26. *num.* 3. Salas *disp.* 18. *sect.* 4.

2 Secundò certum est inferiorem non posse legem superioris abrogare, quia superior potestas non subditur inferiori, ex *cap. cùm inferior, de maiorit. & obedient.* & habetur *Clement. ne Romani, de elect.* Ex quo fit neque Episcopum abrogare posse legem Pontificiam, neque Concilij prouincialis, quia huiusmodi leges latæ sunt à superiore. Item Episcopus solùm habet iurisdictionem in sua diœcesi, extra illam non habet: leges autem Pontificiæ, & Synodi prouincialis obligationem inducunt non solùm pro sua diœcesi, sed etiam pro aliis. Ergo Episcopus non potest illarum obligationem tollere, sic omnes supponunt, quos superuacaneum est recensere.

3 Difficultas autem est, an inferior habens potestatem condendi legem in suo territorio, possit legem condere contrariam legi vniuersali superioris, vel illam pro suo territorio abrogare? Ratio dubitandi est, quia inferior ea de causa habet potestatem dispensandi in lege superioris; Episcopus, inquam, in legibus Pontificiis, & magistratus in legibus regiis; quia pertinet hæc potestas ad rectam, & suauem suæ ditionis gubernationem. Sed etiam ad rectam, & suauem ditionis gubernationem pertinet habere potestatem derogandi leges superioris, cùm sæpè lex vniuersalis in aliqua prouincia minus vtilis, vel potiùs damnosa iudicatur. Ergo gubernator illius prouinciæ potestatem habere debet impediendi illius obligationem. Et confirmari potest hæc ratio ex pluribus statutis municipalibus iuri communi contrariis, quæ valorem habent. plura refert Azor *lib.* 5. *instit. cap.* 25. *quæst.* 11. *&* 14. Ex iure enim communi habetur, ne aliquis ob delictum alterius puniatur, vt tradit Bart. *in l. ne quid, num.* 1 *ff. de incend. ruin. naufrag.* & Iulius Clarus cum communi sententia *lib.* 5. *recept. sentent. in pract. crimin. quæst.* 86. *num.* 1. *& sequent.* & tamen valet statutum, quo cauetur dominum teneri satisfacere damna famulorum, quæ commissa fuerint etiam ipso nesciente, & patrem damna filiorum, & alia similia statuta passim fiunt. Ergo optimè potest inferior in suo territorio legem superioris abrogare.

4 Communis sententia admittit hanc potestatem in ciuilibus legibus; negat tamen in Canonicis. sic Iaf. *in l. omnes populi, ff. de iustit. & iur.* Panormitanus *in cap. vlt. de consuetud.* Felinus *cap. quod super his, de maiorit. & obedient. num.* 2. Rochus de Curte *tractat. de consuetud. sect.* 3. *num.* 6. Albetic. *tractat. de statutis,* 1. *part. quæst.* 7. Prior pars huius communis sententiæ probari potest ratione dubitandi. Secundò videtur definita *in cap. quod super his, de maiorit. & obedient.* ibi, *nihil statuat, quod canonicis obsit institutis.* Idem constat ex *Clement. ne Romani, de elect. & ex cap. institutionis, cap. Ecclesiasticæ,* & aliis quæ referuntur 25. *quæst.* 2. Ratio autem differentiæ ea esse potest, quia omnis iurisdictio Ecclesiastica, seu circa leges canonicas dimanat à Pontifice, qui non accepit illam ab Ecclesia, sed à Christo Domino. Ergo dum non constat Prælatis inferioribus dedisse Pontificem facultatem derogandi suis legibus, non sunt censendi illam potestatem habere. At in iurisdictione politica, aliter res se habet, siquidem à republica Rex accepit potestatem. Quid ergo mirum, si transtulerit in illum ea conditione, vt quoties sibi visum fuerit bono communi expediens legum regalium efficaciam impedire, id efficere possit? Ergo.

5 Nihilominus tenendum est nullum inferiorem posse superiorem legis derogare, siue pura derogatione, siue statuto contrario, nisi ab ipsomet superiore habeat potestatem, quæ tamen præsumenda nunquam est, nisi probetur: sic latè, & optimè probat Suarez *lib.* 6. *cap.* 26. *à num.* 9.

Præcipua ratio desumi debet ex ipsis terminis inferioris, & superioris: si enim inferior à se potestatem haberet leges superioris derogandi, inferior non esset illo, sed potiùs superior. Ex qua ratione probauimus suprà ad legis constitutionem non esse necessariam populi acceptationem, quin legislator posset populum renuentem legibus conuenientibus adstringere. Nam licet à populo potestatem gubernationis acceperit, non illam accepit populo subordinatam; aliàs populus maneret superior, & non posset à Principe cogi, quod est contra debitam Principi subordinationem.

6 Neque obstat ratio dubitandi. Nego enim inferiorem habere de se potestatem dispensandi in lege superioris; habet tamen regulariter illam à superiore. Tum quia dispensationis potestas magis est necessaria, quàm abrogationis, quia frequentiùs occurrunt circumstantiæ petentes dispensationem, & non derogationem. Tum etiam, quia dispensatione, quæ fit ad vnum, vel alium casum, non ita vulneratur lex, ac derogatione communi. Quòd si daremus aliquando legem communem minus vtilem prouinciæ iudicari, consuli debet superior, & ab illo derogatio expostulari, interim tamen seruanda est, nisi manifeste constet non potuisse Principem, vel noluisse in illa occasione obligare.

Ad confirmationem respondeo statuta illa non esse contra dispositionem iuris communis, sed præter illam; iur•

iure enim communi non est prohibitum expresſè, ne aliquis innocens puniatur in bonis suis ob delictum alterius, quando id à republica iudicabitur expedire ob commune bonum, sed solùm est concessa talis punitio in personis, quæ aliquo modo participes fuerint delicti facti: omisit tamen disponere pro personis, quæ delicto cooperatæ non fuerint; statuta verò de his personis disponentia non aduersantur iuris communis dispositioni, sed potiùs illam adiuuant; siquidem faciunt, vt maiori cura, & diligentia delicta euitentur: condere autem statuta præter ius commune, & potius illi fauentia, quàm nocentia, est reipublicæ concessum *in l. omnes populi, ff. de iustit. & iur.* Adde esse receptissimam sententiam, quòd quamuis inferior abrogare legem superioris non possit, potest tamen illius obseruationem nouis statutis, & pœnis adiuuare; vt tradunt glossa communiter recepta *in Clement. ne Romani, verbo tolli, de elect.* Cardinal. *ibi quæst.* 3. Bonifac. *num.* 16. & 17. Imola *num.* 18. Couarr. 4. *decret.* 2. *p. cap.* 6. *initio, num.* 18. & 19. Menoch. *de arbitrar. lib.* 2. *centur.* 4 *casu* 398. *n.* 46. Matienz. *lib.* 5. *recopilat. tit.* 1. *l.* 1. *glossa* 7. *num.* 4. Marant. *pract.* 6. *part. tit. & peruenitur aliquando per viam, num.* 2. & alij ab eisdem relati. Illa tamen statuta non contrariantur, sed potiùs adiuuant communis iuris dispositionem, ac proinde seruanda sunt.

7 Secunda difficultas est, an statuta confirmata à superiore, possit conditor illorum abrogare. Verbi gratia, statuta alicuius Episcopatus à Sede Apostolica confirmata, possit Episcopus abrogare; & statuta alicuius prouinciæ confirmata à Rege possit ipsa prouincia?

Communis sententia docet reuocari non posse, quia per illam factæ sunt leges superioris, siquidem authoritate illius sunt roboratæ: illa enim nostra facimus, inquit Pontifex, *in cap. si Apostolica, de prebend. in* 6. quibus authoritatem impertimur. Item vbi Princeps confirmat, idem est, ac si ferat sententiam. *l.* 1. §. *sed neque, C. de veteri iure enucleand.* sic docet Botteus *de Synod. Episcop.* 2. *p. art.* 4. *num.* 12. Sayro *thesauri casuum, in* 1. *tom. lib.* 6. *cap.* 11 *num.* 11. Azor *lib.* 5. *institut. moralium, cap.* 15. *quæst.* 7. Syluest. *verbo beneficium,* 3. *quæst.* 9. *num.* 13. Thomas Sanchez alios referens, *lib.* 8. *de matrim. disput.* 17. *num.* 30. Barbosa *de potestate Episcopi,* 2. *part. allegat.* 34. *num.* 7.

8 Hæc tamen communis sententia verissima est, casu quo Princeps addiderit in confirmatione clausulam illam, vt si quidquam contrà fieret, nõ valeret; tunc enim ipsis statuentibus tollitur, ne contra statutum sic confirmatum procedant: habetur expresſè *cap. dilecto, de prebendis,* & notauit glossa *ibi.* Suarez *lib.* 6. *de legibus, cap.* 26. *num.* 24. Salas eius verba transcribens *disput.* 18. *sect.* 5. *num.* 11.

At si Princeps illa verba non addiderit, sed solùm confirmationem simplicem apposuerit, non caret difficultate illa communis sententia; potest enim confirmatio superioris expostulari, & fieri ob quandam authoritatem, & specialem splendorem; qui ex approbatione superioris aduenit statutis sic confirmatis, & non ob specialem aliquam vim obligandi. Ergo cùm non constat esse petitam hanc nouam obligationem, non debet censeri à Principe concessa: tum quia inducere nouam obligationem, odiosum est; tum quia Princeps si velit inducere obligationem legis communis, poterat addere illa verba *d. cap. dilecto,* vt si quid contrà fieret, non valeat. Ergo cùm non addit, censetur solùm statuta approbare iuxta illorum obligationem, non nouam inducere. Quapropter censeo, quoties statutum respicit commodum statuentium, etiamsi à Sede Apostolica confirmatum sit, confirmatione, inquam, simplici, posse derogari, seu abrogari ab statuentibus; quia non debet præsumi superior velle inuito beneficium conferre, & ad fauorem recipiendum obligare nolentem: sic glossa *in dicto cap. dilecto filio, de prebendis, verbo huiusmodi clausula,* & constat ex *cap. cum M. cap. cum accessissent, de constitutionib.* & tradit Suarez, & Salas *suprà.* Emanuel Saa in vtraque editione *num.* 30. ibi contra statutum etiam à Principe confirmatum possunt facere statuentes, si est principaliter in eorum fauorem, quia tunc confirmatio habet vim priuilegij, cui potest renuntiari.

Verùm si statutum confirmatum à Principe non tam sit in fauorem statuentium, quàm aliorum, pro quibus statuitur, censeo distinctione esse vtendum, si seclusa confirmatione Principis habebat vim obligandi, eo quòd conditor statuti iurisdictionem habebat imponendi obligationem, & statuta condendi, regulariter confirmatio ob authoritatem, & honorem expostulatur, & sic censenda est concedi, dum aliud non constat, ac proinde poterit statutum abrogari à conditore, ac si confirmatum non esset, sic docent Bald. *l. ex placito, C. de rerum permutat. à num.* 12. & *seq.* Bart. *in l. omnes populi, ff. de iustit. & iure, num.* 33. Suarez *num.* 22. Si autem conditor statuti in bonum aliorum potestatem non habet obligandi illos, pro quibus statutum conditur, vt sunt plurimæ communitates statuta condentes, tunc certè præsumendum est confirmationem expostulari, vt legem à superiore; siquidem ipsi statuentes legem facere non possunt, & superiorem ita concedere. sic Suarez *num.* 25. Salas *illa sect.* 5 *fine.* Qua confirmatione posita non poterit statuti conditor statutum derogare, quia non potest legem superioris derogare. Non nego tamen posse aliquando confirmationem expostulari, etiam in his statutis ob authoritatem, & honorem, & non ob obligationis impositionem. Sed dico hoc non esse præsumendum, nisi clarè constet, quia consuetudo, & communis vsus declarauit hanc confirmationem pro obligatione sibi necessaria expostulari; siquidem ex se non habent vim obligandi.

9 Tertia difficultas est, an Episcopus, vel Archiepiscopus abrogare possit constitutiones à se factas in Synodo diœcesana? Videtur non posse, primò, quia constitutiones sic factæ vim habent ab Episcopo, & à clericis ibi congregatis; omnis enim ibi habent suffragium decisiuum, vt docet Imola *cap. graue, num.* 22. *de prebend. ad finem.* Ergo non potest solus Episcopus eas abrogare, quia non est solus earum legislator. Secundò, quia Episcopus non est superior suo Synodo: est enim pars illius, sicut Decanus est pars Capituli Ecclesiæ Cathedralis. Ergo non potest abrogare statutum factum à Synodo. Tertiò, quia ipsemet Episcopus legibus, & constitutionibus synodalibus arctatur, vt docet Medin. 1. 2. *quæst.* 96. *art.* 5. *dub.* 2. *conclus.* 1. Gallego *de cognat. spiritu. cap.* 21. *n.* 18. Manuel 1. *tom. summ. in* 2. *edit. cap.* 237. *num.* 1. *fine.* Vega 1. *tom. summ. cap.* 88. *casu* 2. *fine.* Quartò. Nam etiamsi Episcopus solus sit, qui in Synodo diœcesana habet potestatem condendi statuta, & clerici ibi congregati solum præstant consilium; hoc tamen efficere videtur, vt absque illorum consensu abrogari non possit, quia statutum factum de consensu aliquorum transit in contractum, ac proinde non potest sine simili consensu reuocari, vt tenet Bart. *in l. omnes populi, num.* 29. *versic. distingue, ff. de iust. & iur.* Alexand. *cons.* 101. *num.* 1. *vers. & idem tenet, lib.* 1. Barbatius *consil.* 2. *num.* 12. *vers. ergo sequitur, lib.* 4. Cardin. *consil.* 85. *num.* 4. *vers. illud statutum.* Felin. *in cap.* 1. *num.* 19. *vers. alius casus, de constit.* Ex quibus omnibus videtur inferri non posse Episcopum abrogare constitutiones factas in Synodo diœcesana, nisi ipsa Synodus consentiat. & ita tenet expressò Gallego, Man. Veg. *suprà.*

10 Nihilominus probabilius censeo posse Episcopum inconsulta Synodo constitutiones synodales abrogare, si id viderit expedire (rarò tamen id expediet)

sic colligitur ex Nauarr. *sum. cap. 25. num. 74. & cap. fin. num. 4. de simonia.* Azor. illum referente *lib. 5. instit. c. 15. quæst. 3.* Sanch. *lib. 8. de matr. disp. 17. num. 33.* Barbosa *de potest. Episcopi 2. p. allegat. 34. num. 3.* Hi omnes docent Episcopum dispensantem in constitutionibus synodalibus absque causa, validè dispensare, quia dispensat in constitutionibus à se solo factis: nam clerici, & parochi in Synodo congregati non faciunt constitutiones, sed solùm præbent consilium ad illas faciendas, non ex necessitate, sed ex vtilitate, & conuenientia, vt prudentiùs Episcopus procedat. Ex qua ratione efficitur posse Episcopum tales constitutiones abrogare, cùm ab eius voluntate solùm dependeant.

11 Neque obstant argumenta contraria.

Ad primum nego habere votum decisiuum clericos ibi congregatos, cuius non leue indicium est solum Episcopum constitutiones subscribere, absque vlla clericorum mentione.

Ad secundum concedo Episcopum esse partem Synodi, & caput illius, & illius superiorem habentem iurisdictionem legislatiuam, & coërciuam, quam non habet Decanus respectu Capituli; solùm illi conceditur potestas congregandi Capitulum, proponendi, & resoluendi, quod pro maiori parte fuerit decisum.

Ad tertium negamus Episcopum arctari constitutionibus synodalibus alio modo, ac arctatur suis constitutionibus à se factis, quibus solùm ex quadam decentia obligatur.

Ad quartum respondeo cum Rota *tom. 3. decis. nouissim.* Farinacij *decis. 34. à n. 3. pag. mihi 31.* negando statutum factum de consensu aliquorum transire in contractum, quando consensus non expostulatur, vt necessarius, & quando consentientes non tribuunt aliquid statuenti, sicut tribuunt forenses venientes ad habitandum in aliquo loco, eo quòd illis immunitas concedatur, si venerint; aduentus enim illorum, est quasi quædam illorum donatio, qua facta reuocari non potest statutum: vt benè tradit Bart. *in l. quod semel. n. 1. vers. ex quo habet. ff. de decretis ab ordine faciendis.* At in supradicta Synodo, neque consensus clericorum, qui ibi congregantur, est necessarius, neque aliquid Episcopo tribuunt, aut recipiunt; sed solùm se habent, sicut populus, qui legem Principis acceptat, vel sicut Regis consiliarij, qui consilium præbent Regi, illúmque instruunt in lege ferenda, à quibus tamen Rex non necessariò dependet; neque in constitutione legis, neque in illius abrogatione. Sic est dicendum de Episcopo in Synodo diœcesana.

Pvnctvm III.

De interpretatione legis.

INterpretatio nihil aliud est, quàm declaratio legis ad illum casum esse, vel non esse extensam. Dupliciter autem hæc fieri potest, vel ab ipso legislatore, vel à viris doctis. Si fiat à legislatore, quatenus talis est, vocatur interpretatio authentica. Si fiat à viris doctis, vocatur doctrinalis declaratio, de quibus glossa *in l. si de interpretatione. ff. de legib.* Syluest. *verbo interpretatio n. 1.* Tabiena, Angel. Saa, & alij Summistæ *ibi.* Decius, & Panormit. *c. 1. de postulat. prælatorum.* Vt autem cognoscas, quando lex per interpretationem cesset, oportet examinare,

Qui possint legem interpretari, & quo casu interpretatio illis licita sit.

Secundò quæ regulæ seruandæ sint in interpretatione facienda.

Tertiò ad quos casus lex extendi, vel coarctari debeat.

§. I.

Qui possint legem interpretari authenticè.

1 *Solus conditor legis, vel illius successor, aut illorum superior potest.*

2 *Proponitur obiectio. Soluitur. Declaratur hanc interpretationem publicandam esse, sicut & legem.*

3 *An declarationes Cardinalium circa Tridentinum decreta vim legis habeant? Proponitur non habere.*

4 *Si publicata sint vim legis habent.*

5 *Si publicata non sint, tametsi de illis authenticè constet, non habent vim legis. Qui censeant.*

6 *Probabilius videtur oppositum.*

7 *Iudicibus inferioribus non licet legem authenticè declarare.*

1 REspondeo solùm conditorem legis, aut illius superiorem, & successorem eam interpretari posse: quia solus ille est, qui potestatem habet obligandi per illam legem, ac proinde inducendi ex eius declaratione obligationem, constat ex *l. fin. C. de legib.* ibi, *leges condere soli Imperatori concessum est, & leges interpretari solo dignum imperio esse oportet. l. in prætorijs ff. de prætor. stipulationib. & cap. sicut 11. q. 1. & cap. inter alia. de sentent. excommunicat.* & aliis quæ referuntur à glossa *in reg. contra iura, de reg. iur. in 6.* Azor. *tom. 1. lib. 5. cap. 16. q. 16.* Salas *de leg. disp. 21. sect. 2.* Suar. *lib. 6. cap. 1. num. 2.*

2 Dices mentem cuiuscunque sibi soli notam esse; ergo solus, qui condit legem, potest illam certò, & infallibiliter declarare. Ergo non successor, neque eius superior. Hi enim solùm illius mentē cōiectari possunt.

Respondeo successorem, vel superiorem legislatoris, cùm legem aliquam declarat authenticè, non tam declarat intentionem personalem primi conditoris, quàm sensum, in quo debeat lex deinceps recipi, & obseruari. Et licèt huiusmodi sensus fortè sit extra mentem primi conditoris, non tollit, quominus dici possit illius legis declaratio, quia in illa lege fundatur. Debet autem hæc declaratio publicari ea solemnitate, qua lex; aliàs non erit authentica, neque legis obligationem habebit, sed solùm erit declaratio doctrinalis, sicut cuiuslibet alterius viri docti, grauioris tamen authoritatis. sic Suar. *lib. 6. cap. 1. num. 3.*

Dixi, solum conditorem legis, eius successorem, aut superiorem posse legem interpretari authenticè, quia nullus alius in actum superioris habere potest iurisdictionem, sic omnes.

At dubium est, sitne aliquibus commissa hæc potestas saltem pro aliquo casu?

Et dubitari potest primò de congregatione Cardinalium designata ad declarandum Concilium. Secundò de iudicibus inferioribus.

3 Circa primum de congregatione Cardinalium extat Bulla 7. Sixti V. edita ann. 1588. quæ incipit, *In mēsa.* In qua postquam sibi Pontifex reseruauit potestatem congregandi Concilium, & res fidei definiendas, subiungit. *Cardinalibus verò præfectis interpretationi, & executioni Concilij Tridentini, si quando in his, quæ de morum reformatione, disciplina, ac moderatione, & Ecclesiasticis iudicijs, & alijs, quæ humana statuta sunt, dubietas, aut difficultas emerserit, interpretandi facultatem, (nobis tamen consultis) impertimur.* Ex quibus verbis constat supradictæ congregationi commissam esse hanc facultatem interpretandi leges Concilij Tridentini: illa tamen conditione, vt summus Pontifex consulatur. Hinc ergo oritur dubium, an declarationes huius sanctæ congregationis, quæ passim circumferuntur, vim legis habeant, vel solùm sint quædam declarationes doctrinales, magni ponderis, & authoritatis?

Videtur

Videtur quidem, vt doctrinales habendas esse. Primò, quia rarò hæc sancta congregatio Pontificem consulit: vt testatur Salas *disput.21.sect.12.pag.566.* vbi ait: Illud verò ex declarationibus impressis, & manuscriptis patet, quòd congregatio non semper, sed in raro casu, & in grauioribus, & difficilioribus dubiis summum Pontificem consulere solet. Si ergo non seruat conditionem, sub qua potestas declaratiua illi est concessa, non debet censeri eius declaratio vim legis habere. Secundò, quia huiusmodi declarationes sæpè inter se pugnant, vt notauit Suarez *tom.4. in 3.p. disp.28. num.6.* Ergo nulla est authentica. quæ enim ex illis est authentica interpretatio? non prior: aliàs non succederet secunda illi contraria. Non secunda, quia non habent potestatem derogandi legem, sed interpretandi factam. Ergo nulli illarum declarationum est necessariò standum. Tertiò, si declarationes huius sanctæ Congregationis vim legis haberent, deberent solemniter publicari, sicut & communiter dicitur de declaratione authentica ipsius legislatoris: at hæ declarationes nec typis mandantur, nec à Pontifice mandantur publicari. Ergo signum est vim legis non sortiri. Quartò, quia multitudo legum, & obligationum vitanda est, quoad fieri possit: at si declarationes Cardinalium vim legis haberent, innumeræ essent leges Ecclesiasticæ, prout innumera sunt responsa huius sanctæ congregationis. Ergo dicendum est solùm esse declarationes doctrinales: & ita tenet Sanchez *lib.8. de matrim. disp.2. num.10. circa finem.* Vasquez idem sentire videtur 1.2. *disp.177. cap. vltim.* Nauarr. relatus à Salas *disput. 2. de legibus, sect.9. n.4.* docet his declarationibus non esse standum.

4 Pro resolutione aduertendum est nos loqui posse de his declarationibus, antequam promulgentur, vel facta illarum promulgatione. Et quidem si aliquæ sint solemniter promulgatæ, nemini esse potest dubium vim legis habere; quia concurrunt in eis omnes conditiones, quæ pro legis constitutione sunt requisitæ, scilicet potestas, & promulgatio.

Neque obstat, si dicas potestatem esse datam ad declarationem doctrinalem, non legislatiuam: vt sentit quidam vir doctissimus tacito nomine relatus ab Emanuel. Rodriquez *1. tom. qq. regul. q.11. art.2.* Quia ad hanc doctrinalem declarationem non indigebant Cardinales potestate concessà. Ergo dicendum est potestatem pro declaratione legislatiua illis datam fuisse. Item eadem congregatio censuit has declarationes eam vim habere, ac si à Romano Pontifice emanassent, prout refert Nicol. Garcia *tract. de benefic. in præfat. ad Lectorem.* Salas *de legib. disp.21. sect.12.* Bonacina *disput.1. quæst.1. punct.8. num.4.* Sed si à Pontifice declarationes suarum legum promulgatæ sint, vim legis habent in omnium sententia. Ergo etiam hæ declarationes habent, postquam sunt promulgatæ. Neque aduersùs hanc conclusionem obstant superiores rationes, quia in his declarationibus, quæ publicantur, præsumi non potest omissum fuisse consilium Pontificis, si necessarium erat. Neque aliqua pugnantia, & contrarietas; nam per subsequentem declarationem tollebatur, sicut lex posterior præcedenti contraria abrogat præcedentem.

5 At si publicatæ non sint, etiamsi authenticè de illis constet, plures Doctores tenent vim legis non habere. sic docet Bonacina *disp.1. quæst.1. punct.8. num.4. vers. secunda pars.* Suarez generaliter loquens de omni declaratione facta à Principe, *lib.6. cap.1. num.3.* Lorca 1.2. *disput.18. appendice, circa finem.* Salas *disput.2. sect.9. fine, disp.10. sect.9. num.68. & disp.12. sect.1. num.8.* & idem indicat *disp.21. sect.12. corollar.5. fine.*

Mouentur, quia publicatio est de essentia legis, ita vt declaratio Principis, si vim legis habere debeat, indiget publicatione. Ergo etiam hæ declarationes. Quòd si obiicias publicationem esse requisitam ad legis constitutionem, non ad illius declarationem, quia declaratio cum ipsa lege à principio inest. *l. ita fidei, ff. de iure fisci.*

Respondent supradicti Doctores declarationem claram, & euidentem inesse ipsi legi à principio: non autem declarationem in re dubia, & ambigua, & pro qua sunt variæ opiniones; hæc enim declaratio, vt omnino sequenda sit, publicari debet, siquidem ex publicatione legis non infertur. Stare enim optimè potest lex cum contraria declaratione. Deinde si obiicias Rotam Romanam sequi omnino declarationes Cardinalium, etiamsi promulgatæ solemniter non sint, vt constat ex pluribus decisionibus Rotæ, quas referunt Salas *illa disput.21. sect.12.* Emanuel Rodriquez, & Bonacina *suprà,* respondent id fieri, quia iudicant maximi ponderis, & authoritatis esse, vt verè sunt, non quia vim legis habeant. Fateor hanc sententiam probabilem esse, illique stari posse, dum aliud à Pontifice non definitur.

6 Verùm probabilius, & securius censeo has declarationes vim legis habere, & astringere in iudicio, & extrà, cùm authenticè de illis constat per breue Pontificis, vel per monitorium auditoris Cameræ, vel per epistolam alicuius Cardinalis suo sigillo munitam, vel per transumptum authenticum ex registro congregationis parte citata; quia huiusmodi publicatio videtur satis in harum legum declaratione ex vsu, & consuetudine. Nam licèt ex illa publicatione non statim multis innotescat, paulatim in multorum notitiam deuenit, & de se apta est deuenire; quod videtur sufficiens ad obligationem inducendam. sic docent Emanuel *illa q.11. art.2.* Salas alios referens *disp.21. sect.12. fine.* Garcia *in præfat. de beneficiis.*

7 Circa secundum dubium de iudicibus inferioribus, an illis liceat authenticè declarare leges superioris?

Respondeo nullo modo licere declarare, taliter, quòd eorum declaratio liget, ac ipsa lex; quia nullibi constat datam illis esse eam potestatem. Bene tamen poterunt secundùm veriorem Doctorum sensum legem interpretari, & secundùm illam interpretationem iudicium ferre, præcipuè si Princeps consuli non potest. sic Emanuel *qq. regul. q.11. art.1.* Salas *disput.21. sect.2.* & tradit Syluest. *verbo interpretatio, quæst.1.* Adde, in rebus facillimis, & minutioribus credendum est inferiores Prælatos habere potestatem declarandi legem, non solùm doctrinaliter, sed etiam authenticè; quia aliàs nulla legis obseruantia perfectè introduceretur, si passim recurrendum esset ad Principem. Quapropter Constantinus Imperator Plotiano rescripsit *in l.1. C. de relationib. in Cod. Theodosiano*; super paucis, quæ iuridica sententia decidi non possunt, nostram debes consulere maiestatem, ne occupationes nostras interrumpas cum litigatoribus, legitimum maneat arbitrium à sententia prouocandi. sic Emanuel Rodriquez, & Salas *suprà.* Quod credo habere verum, quando agitur de interesse partium, & necessaria est interpretatio ad decidendam litem; possunt enim tunc Prælati inferiores legem, prout sibi probabilius videbitur, interpretari, & cogere, vt partes hanc interpretationem sequantur.

§. II.

An cuilibet liceat legem doctrinaliter interpretari? Vbi de epiikeia.

1 *Cuilibet licet hæc interpretatio.*
2 *Pluribus placet non esse licitum à verbis legis deuiare.*
3 *Vti licet epijkeia non solùm in casu, in quo obseruantia legis iniqua esset, sed etiam in quo esset difficilis.*
4 *Causa in hac interpretatione debet ad minus esse probabilis.*
5 *Quando prohibetur à lege eius interpretatio, possit fieri*

fieri hæc doctrinaliter? Proponitur dubitandi ratio.

6 *Solum censetur prohibita interpretatio friuola, & contra mentem legis.*

7 *Aliquando etiam prohibetur interpretatio typis mandata, & ex professo.*

1 FErè omnes Doctores conueniunt, cuilibet licere hanc interpretationẽ, si eam faciat iuxta regulas, & sensus Doctorum non proprio cerebro innixus; cùm enim lex sæpè ambiguitatem in sua significatione contineat, neque legislator de facili consuli potest, necessarium erat, vt Doctoribus daretur facultas hanc interpretationem faciẽdi *l. vnic. C. de professorib. l. 1. ff. de origine iuris. l. 1. ff. si certum petatur, l. si negotium. ff. de priuilegijs creditor.* & colligitur satis ex *cap. 2. de priuileg. in 6. & ex procœmio decret. 6. & Clement. in fine, & alijs in locis.* Regulas autem, quibus hæc explicatio facienda est, postea subiiciemus.

2 Difficultas autem duplex est. Prima, an liceat cuilibet contra verba legis hanc interpretationem facere? quod est inquirere, an licitum sit vti epikeia, seu emendatione legis vniuersaliter loquentis ob aliquas speciales circumstantias?

Aliquibus videtur non esse licitum à verbis legis deuiare, nisi quando esset iniqua illius obseruatio. sic videtur tenere D. Thom. 2. 2. *quæst.* 120. *art.* 1. & ibi Caiet. Sotus *lib. 1. de iustit. quæst. 6. &* 8. Corduba *4. 2. p. §. 9. n. 8.* Ratio est, qui epikeia est emendatio legis in eo casu, in quo lex peccat, vt constat ex Aristotel. communiter recepto, *5. ethic. cap.* 10. Sed lex non peccat, cùm non obligat ad aliquid iniquum. Ergo nequit emendari, nisi quando iniquum esset illi obedire.

3 Nihilominus tenenda est communis sententia, à qua nec D. Thomas dissentit, non solùm licitum esse vti epikeia, in casu, quo obedire legi esset iniquum, sed in casu, quo esset nimis graue, & difficile, propter aliquod graue damnum inde resultans; quia iam tunc peccat lex, si ad rem ita difficilem velit obligare. Iugum enim Dei suaue est, & onus eius leue. Ergo nunquam leges censentur ita duram obligationem imponere. Optimè interpretari quis potest non habere legislatorem tunc voluntatem obligandi; hac enim ratione ieiunia Ecclesiastica interpretamur non obligare, si ægritudine labores; neque præceptum audiendi Missam, si damnum graue honoris, vitæ, aut rei familiaris inde timeas. Sic latè Suar. *lib. 6. cap. 7. num. 9 & seqq.* vbi extendit doctrinam, non solùm, quando sequitur graue damnum ex obseruantia legis in rebus acquisitis, sed etiam in acquirendis; quia lucrum cessans iustum, & graue, damno, moraliter loquendo, æquiparatur, vt constat ex *l. vnic. C. de sententijs, quæ pro eo, quod interest, proferuntur, in fine.* Quare si ex obseruantia legis, v. g. festi, amittis occurrentem occasionem magni lucri, ab obseruatione festi cessare poteris, & iustè interpretatis ibi nolle legislatorem obligare.

4 Aduertendum tamen est in hac interpretatione facienda causam excusantem debere esse ad minus probabilem; vel quia probatur Doctoribus, vel quia firma ratione fulcitur, iuxta dicta de sententia probabili. Posita autem hac probabilitate, rectè poteris interpretari illo in casu te obligatum non esse. Maior difficultas est, quando hanc probabilitatem non attingit excusans causa, sed haeres dubius, an casum illum comprehendere voluerit legislator? Cui difficultati dicendum est: si consuli potest superior, non posse contra legis verba facere, quia iam habes remedium deponendi dubium; si verò dubius sis, an potuerit superior comprehendere, & verbis legis comprehensus sit, regulariter verbis legis est standum; neque licitum tibi erit interpretari non esse obligationem, quia lex possidet. Sic Salas alios referens *disp. 21. sect. 10. num. 25.* Vide quæ dicta sunt de dubia conscientia, *p. 8. & seq.*

5 Secunda difficultas est. Quando per aliquam legem prohibetur eius interpretatio, an liceat tunc Doctoribus interpretationem doctrinalem facere? Ratio dubitandi est, quia illa prohibitio aliquem effectum habere debet, sed non potest habere alium, nisi hanc interpretionem prohibeat. Ergo hæc censetur prohibita. Minorem probo; quia interpretatio authentica, & necessaria, & quæ vim legis haberet, iam ipso iure, & ratione naturali erat omnibus extra legislatorem prohibita. Interpretatio autem friuola, & inanis per se ipsam est exclusa. Restat ergo, vt solùm interpretatio probabilis, & doctrinalis prohibeatur.

6 Respondeo, regulariter loquendo, quoties in aliqua lege prohibetur interpretatio, solùm prohibere interpretationem friuolam, & quæ est contra mentem ipsius legis. Sic docet Salas *disp. 21. sect. 2. fine.* Saa *verbo interpretatio, in vtraque editione num. 5.* quod colligitur ex Tridentin. *sess. 4. decreto de vsu sacrorum librorum*; vbi prohibetur fieri interpretatio contra eum sensum, quem tenuit, & tenet sancta mater Ecclesia. quare si quis præter consensum Patrum, non tamen illi contrarium, Scripturam interpretetur, huic prohibitioni non aduersatur. sic Bannes *1. p. q. 1. art. 10. dub. 6.* Azor. *1. p. lib. 8. c. 2. quæst. 3.* & approbatur ab Augustino Barbosa *in remissionib. Concilij illo in loco.* Neque obstat hanc interpretationem per se esse exclusam, vt non possit etiam præcepto excludi.

7 Dixi, regulariter loquendo, solùm prohiberi interpretationem friuolam, & contra mentem legislatoris. Nam aliquando etiam interpretatio doctrinalis prohibetur, non quæcunque, sed quæ typis mandatur, & ex professo fit. Hæc enim interpretatio est, quæ videtur prohibita à Pio IV. *in Bulla confirmatoria Concilij Trident.* ibi enim prælatiæ præcipitur, sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ, & reliquis omnibus sub pœna excommunionis latæ sententiæ, ne commentarios, glossas, annotationes, scholia, vllúmve interpretationis genus super ipsius Concilij decretis quoquo modo edere, aut statuere audeant, etiam prætextu maioris corroborationis, aut executionis ipsius Concilij. Per quæ verba, etsi prima facie videatur prohibita quælibet declaratio supradicti Concilij; quia illud verbum *edere* non solùm de declaratione typis excusa, sed de qualibet quomodolibet dicta & publicata sumi potest, vt tradit ex aliis Simon Schardius *in lexico iuris, verbo edere*; & probat textus *in l. 1. §. 1. ff. si quis ex argentarijs, §. in victum ff. de edendo.* attamen consuetudine ipsa de declaratione typis excusa intelligitur, quæ consuetudo verborum proprietati præualere debet: & ita tradit Eman. Rodr. *tom. 1. regul. qq. quæst. 11. art. 3.* Henriq. *1. p. summ. lib. 7. de indulgent. cap. 19. num. 4.* Salas *disput. 21. sect. 11. vers. neque obstat.* August. Barbosa *in remissione Concilij sess. 25. capt. 2. de reformat.* Reginald. *lib. 20. num. 53. fine.* Adde neque etiam prohiberi quamlibet interpretationem typis excusam, sed eam, quæ ex professo desumitur. Nam si vnum, vel alterum Tridentini decretum incidenter interpreteris, huic decreto non aduersaris, vt notauit Eman. *suprà.* Bonacin. *disp. 1. q. 1. p. 8. num. 3. fine.* Suar. *tom. 5. de censuris. disp. 27. sect. 7. num. 12.* Salas *sect. 11. vers. ad secundum.* Illa ergo interpretatio videtur hîc tantùm prohibita, quæ esset quasi glossa, & scholia, & commentaria Concilij, quæque esset ex professo desumpta, & authenticis scriptis redigenda. tradit Burgos de Paz *in procœmio legum Tauri. n. 236. pag. mihi 35. colum. 4. & sequent.*

§. III.

§. III.

Quæ regulæ seruandæ sint in legis interpretatione.

1 *Si de intentione constat, illi standum est.*
2 *Seruanda est proprietas verborum.*
3 *Quod est verum, etiamsi legislator extra legem dicat, se aliter intelligere.*
4 *Limitant aliqui in lege correctoria, sed nobis non probatur.*
5 *At limitandum est, nisi ex proprietate verborum sequatur absurdum.*
6 *Item nisi reddatur lex inutilis.*
7 *Quæ proprietas verborum seruanda est? Resoluitur seruandam esse naturalem.*
8 *Quod est intelligendum de lege præceptiua, & pœnali, non de fauorabili: hac enim ad ciuilem etiam significationem extenditur.*
9 *Quid si duplicem habet significationem.*
10 *Intentio legislatoris, & materia legis ex proœmio desumitur.*
11 *Interpretatio in lege fauorabili extendenda est, in pœnali limitanda.*
12 *Quoties de obligatione agitur, stricta interpretatio facienda est.*
13 *Correctio legis vitanda quoad fieri possit.*
14 *Lex noua debet secundum antiquam interpretari.*
15 *Videnda sunt alia regula pro legum interpretatione in Doctoribus relatis.*

1 HÆ regulæ diriguntur ad inuestigandam mentem, & intentionem legislatoris. nam si de hac constat aliquibus aliis circumstantiis, illa obseruanda est; quidquid in contrarium verba legis aliud significent: iuxta *l. non dubium, C. de legib.* vbi dicitur, In legem committit, qui verba legis amplectens, contra legis nititur voluntatem. idem colligitur ex *l. scire, §. aliud, ff. de excusat. tutor. & ex l. non aliter, ff. de legat. 3. & l. si pater, §. dulcissimis ff. de legat. 2. & ex cap. humanæ aures, 22. q. 5. cap. secundò requiris, de appellat. cap. ratio nulla, de præbend.* & aliis. Ratio est, quia verba apponuntur ad declarandam mentem, & intentionem proferentis. Ergo si illam mentem non declarant, illis standum non est: sic docet, & latè probat Tiraquel. *ad l. si vnquam, C. de reuocand. donat. verbo libertas, num. 45.* Azor 1. *part. lib. 5. quæst. 9.* Salas *disp. 21. sect. 3. vers. at si ratio.* Bonacina *disp. 1. quæst. 1. punct. 8. à num. 4.* Suarez *lib. 6. cap. 1. à num. 12.* Sanchez *lib. 2. disp. 37. n. 3.*

2 Prima ergo regula ad mentem legislatoris inuestigandam, ea est, vt in legis interpretatione seruetur proprietas verborum, & secundùm illam proprietatem intelligatur legem latam esse. sic Suarez *illo cap. 1. num. 7.* Salas *disp. 21 sect. 3. num. 4.* Azor 1. *p. lib. 5. cap. 16. quæst. 9.* Bonacina *disp. 1. quæst. 1. punct. 8. num. 15.* Eman. Rodriq. *tom. 1. regul. qq. q. 11. art. 6. vers. tertia regula.* & constat ex *l. non aliter, ff. de legat. 3. & in l. prospexit, ff. qui, & à quibus.* & colligitur satis ex *cap. 2. § sed neque, de translat. Episcopi.* Ratio est manifesta, quia legislator debet procurare legem claram esse, & distinctam. Ergo debet vti verbis in significatione propria, aliàs nihil firmum stabiliret, sed omnia essent cauillationibus subiecta.

3 Quod adeò verum est, vt etiamsi legislator extra legem dicat se aliter intelligere, quàm ipsa verba sonant, non obligamur eius interpretationi stare. quia duplici ex capite obligari possemus; vel quia illa interpretatio est declaratio clara mentis habitæ à legislatore, cùm legem tulit: vel quia est ipsius legislatoris. Non primum, quia manifestum est non esse claram declarationem, siquidem ad impropriam significationem recurrit, & non est præsumendum legislatorem impropriè fuisse loquutum, cùm legem tulit, ac proinde neque illam interpretationem imbibitam esse in lege: si autem in lege imbibita non fuit, ad illam modò extendi non potest; quia lex extendi non potest ad casum, qui à principio à lege non fuit comprehensus, vt optimè docet Anton. *cap. post translationem, de renunciat. n. 34.* & ibi Abbas *in 2. lectura, num. 17.* Sanchez *lib. 2. de matr. disput. 37. num. 3.* quia si extenderetur de nouo, iam esset noua lex, & nouum præceptum. Ergo illa declaratio, quatenus est declaratio mentis habitæ non obligat. Item quod ex verbis non venit intelligendum, neque ex mente prouenire creditur. *l. Labeo, §. ad Tubero, ff. de supellect. legat.* Neque etiam quatenus est facta ab ipso legislatore; quia dum ipse legislator non promulgat suam declarationem, & per illam intendit obligationem inducere, solùm se habet, vt quidam specialis Doctor, cuius opinionem, & sensum sequi non tenemur, cùm rationes firmæ sunt in contrarium. sic docent Salas *disp. 21. sect. 13. fin. n. 31.* Saa *verb. lex, n. 25. & 26.* Bonacina *disp. 1. q. 1. p. 8. n. 16.* Qui omnes testantur ea de causa Hostiens. & alios Doctores recessisse à declaratione facta ab Innocent. IV. super constitutione à se antea edita.

4 Limitant tamen supradictam doctrinam aliqui Doctores in lege correctoria; in hac enim dicunt impropriianda esse verba, & recedendum à communi illorum significatione, vt iuris correctio vitetur. sic docent Abbas *cap. cum olim, fine, de sentent. & re iudic.* Felin. *cap. non potest, eodem tit. num 8. vers. limita dupliciter.* Anton. *cap. cùm dilectus, num. 15.* & ibi Imola *num. 12. de consuetud.* Alexand. *consil. 85. num. 12. lib. 4.* Mieres *de maioratibus, 1. part. quæst. 1. num. 74.* Gozad. *consil. 43. num. 2.* Beroius *cap. quoniam, num. 31. de iure patronat.* Gutierr. *lib. 3. practic. quæst. 15. num. 34.*

Hæc tamen limitatio absolutè sumpta mihi non probatur, quia ratio supradicta æquè in omnibus legibus militat, scilicet debere proferri per verba in communi acceptione sumpta, ne æquiuocationibus, & fallaciis exposita sit. Quapropter si in aliquo sensu proprio verba explicari possunt, quia legis correctio euitetur, etiamsi ille sensus non sit ita proprius, ille retinendus erit. Quod abundè constat ex *cap. cùm olim, de re iudic. in fine.* vbi ad electionem requisita est concordia eligentium, & tamen si maior pars in vnum conuenerit, censentur omnes concorditer conuenire, ne communi iuri fiat derogatio, vt tradit ibi glossa, & Panorm. Suarez *lib. 6. cap. 1. num. 18.* Salas *disp. 21 sect. 6. num. 16.* quia illa in iure vocatur concordia: recurrere autem ad sensus improprios, nunquam licet sine manifesta ratione, vt iam dicam.

5 Secundò limitant, nisi ex proprietate verborum sequeretur aliqua absurditas, vel iniquitas in legislatore; tunc enim verba impropriianda sunt, vt vitetur iniquitas. Placet hæc limitatio, quia cùm lex debeat esse iusta, non debet præsumi voluisse legislatorem iniustitiam committere in illa ferenda: colligitur ex *l. nulla iuris ratio, ff. de legib. & l. 18. & 19. eodem tit.* & tradunt Azor *lib. 5. cap. 16. quæst. 9.* Salas *disput. 21. sect. 3. num. 4. versic. at si.* Suarez *lib. 6. cap. 1. num. 17.* Eman. Saa *verbo interpretatio, num. 1.* Bonacina *disp. 1. quæst. 1. punct. 8. num. 14.*

6 Tertiò limitant, nisi ex proprietate verborum redderetur lex inutilis, tunc enim ad impropria possit recurri. sic Nauarr. *cap. 27. num. 51.* Couarr. *3. variarum, cap. 3. num. 9.* Felin. *in cap. translato, de constitut. num. 14.* Suarez *lib. 6. cap. 1. num. 7.* Mascard. *de probat. conclus. 596. num. 2.* Sarmiento *lib. 1. select. cap. 12. num. 7.* Tiraquel. *in l. connubial. glossa 5. num. 115.* & alij apud ipsos. Et probatur ex *cap. si ciuitas, de sentent. excomm. in 6.* vbi ne sententia interdicti illusoria reddatur, extenditur ad suburbia, & *in l. 4. ad Macedonian.* vbi ratione mutui filij fami

familias excusantur ab obligatione: extenditur hoc priuilegium ad venditionem pecuniæ creditæ. Sub nomine testamenti etiam codicillus intelligitur, ne fiat illusoria dispositio. sic glossa *cap. vlt. de vsuris in 6.* Verùm si rectè perpendatur, hæc non est limitatio conclusionis: non enim verba impropriantur, sed retenta propria illorum significatione extenditur lex ad ea, quæ sunt omnino connexa; suburbia enim est accessorium ciuitati, & ea de causa interdicta ciuitate, interdicuntur suburbia, sicut interdicta Ecclesia, & cœmeterium interdicitur, quia est accessorium: & lex loquens de testamentis, debet ad codicillum extendi; quia est accessorius, seu illius complementum. Item venditio pecuniæ creditæ est propriè mutuum. Quid mirum si nomine mutui comprehendatur in dispositione fauorabili.

7 Sed inquires, quæ proprietas verborum seruanda sit, naturalis, an ciuilis? Naturalem voco, quæ ex communi hominum acceptione habetur. Ciuilis, quæ ex sola fictione iuris, & per quandam quasi translationem. Exemplis res declaratur. Nomen mortis ex communi hominum acceptione morti naturali est accommodatum: at fictione iuris, & per quandam quasi analogiam, & translationem, professioni religiosorum, & exilio attribuitur. Item nomen *filius* de naturali dictum est: at iuris beneficio de illo, qui priuilegio Principis est adoptatus. Item nobilis attribuitur illi, qui ex iure sanguinis talis est: per translationem autem accommodatur ei, qui ex Principis beneficio factus est.

Respondeo ergo: per se loquendo seruanda est proprietas verborum naturalis, seu quæ communi hominum acceptione, & vsu habetur; & iuxta illam lex intelligenda est: quia analogum absolutè sumptum stat pro famosiori, & principaliori significato. Colligitur manifestè ex *l. vlt. C. de his, qui veniam ætatis.* vbi legitima, & perfecta ætas de naturali intelligitur, non de illa, quæ beneficio Principis obtinetur. Idem sumitur ex *cap. susceptum, de rescriptis in 6.* & tradit ibi glossa: & Tiraquel. pluribus exornans, *in l. si vnquam. C. de reuocan. do. donat. verbo susceperit. n. 17.* Matien. *lib. 5. tit. 8. l. 9. glossa 3. fine num. 15.* vbi probat leges de filiis loquentes ad legitimos referri.

8 Hæc doctrina habet verum in lege præceptiua, & pœnali: at in lege fauorabili non solùm proprietas verborum communis, sed etiam ciuilis solet attendi, & secundùm vtramque proprietatem lex extenditur. Quia ratio fauoris petit, vt extendatur lex, quantum fieri possit seruata proprietate verborum. Hac enim ratione sub nomine filij in his dispositionibus venit adoptiuus, & sub nomine legitimi legitimatus. sic Suar. *lib. 6. cap. 2. num. 6.* Bonacin. *disp. 1. quæst. 1. p. 8. num. 9. & seq.* Menoch. *lib. 4. præsumpt. 89. num. 36. & seqq.* vbi id variis limitationibus, & ampliationibus confirmat, & pluribus Doctoribus exornat. Aduerto tamen cum Eman. Rodr. *tom. 1. reg. qq. quæst. 11. art. 6. reg. 12.* verba legis esse intelligenda secundùm subiectam materiam; *cap. intelligentia, de verbor. significat.* Exemplum desumit ex Bulla Clement. VIII. qua decreuit informationes illorum, qui in religionem debebant ingredi, esse faciendas à 4. Patribus ex antiquioribus Conuentus, & Notario: nomine autem Notarij non regius, nec Apostolicus, sed electus à prouinciali, vel generali est intelligendus.

9 Quòd si verba duplicem significationem, propriam, & vsualem, habeant, & lex sit fauorabilis, & vtrique possit accommodari, in vtraque est intelligenda; quia id petit fauor: at si vtrumque sensum retinere non possit, vel sit lex præceptiua, correctoria, vel pœnalis: tunc in casu dubio legis materia spectanda est, & benignior sensus amplectendus. Bart. *in l. omnes populi. ff. de iustit. & iure, num. 58.* Saa communiter receptus *verbo interpretatio num. 1.* Salas *disp. 21. sect. 3. octaua regula*; & traditur *in l. benignior. ff. de legib.* & videtur constare ex *reg. 68. ff. de reg. iur.* ibi, *quoties idem sermo duas sententias exprimit, ea potissimum accipitur, quæ rei gerendæ aptior est.* Semper tamen vsus loquendi communis est præferendus propriæ verborum significationi, eo quòd semper præsumatur legislator iuxta communem intellectum verba proferre; quia lex est communis omnibus, & omnibus proponitur obseruanda; ac proinde debet proponi verbis communi vsui accommodatis. sic Eman. Saa *verbo interpretatio num. 15.* Salas *disp. 21 sect. 3. vers. prima regula.* Sanch. *lib. 6. disp. 23. num. 3.* Azor. *1. p. lib. 5. cap. 16. quæst. 9.* & constat ex *l. librorum §. quod tamen Cassius. ff. de legat. 3. & ex cap. cùm dilectus, de consuetud.* Ex quo fit, si consuetudo declararet, in quo sensu verba sunt acceptanda, illi necessariò est standum; quia consuetudo est optima legum interpres. *l. si de interpretatione. ff. de legib. & l. in obscuris. ff. de reg. iuris, & cap. cùm dilectus, de consuetud.* sic Azor *suprà*, Salas, *vers. vndecima.*

10 Materia autem legis, & præcepti, & consequenter intentio legislatoris ex nullo alio ita efficaciter colligi potest, quàm ex prooemio, & initio legis; sæpè enim ibi apponitur finis, & causa, ob quam lex fertur: sic tradunt alios referens Tiraquel. *tractat. cessante causa. limit. 1. num. 65.* Burgos de Paz *cons. 32. num. 6.* Mol. *lib. 1. de primog. cap. 5. num. 3. 4. 5. & cap. 12. num. 28.* Gutierr. *3. pract. quæst. 17. num. 90. & 91.* Salas *disp. 21. sect. 3. vers. tertia regula.* Suar. *lib. 6. cap. 1. num. 11.* Thom. Sanch. *lib. 2. disp. 37. num. 3. in medio.* Eman. Rodr. *tom. 1. regul. qq. q. 11. art. 6. vers. prima regula,* & alij apud ipsos: & constat ex *l. regula, circa finem. ff. de iuris, & facti ignor. & l. fin. ff. de testamentaria tutela,* & ibi Bart. & alij.

11 Secunda regula esse potest, quam tradit Eman. Saa *verbo interpretatio num. 1.* & ferè ab omnibus Doctoribus recipitur. Interpretatio (inquit) in pœnis, facienda est mitior, in fauorabilibus amplianda, in dubio facienda, vt potius valeat res, quàm pereat. Triplicem partem habet huiusmodi regula. Prima est in pœnis esse faciendam mitiorem interpretationem, & est decisio textus *in cap. in pœnis; de regul. iur. in 6. l. penult. ff. de pœnis.* Secunda pars, scilicet in fauorabilibus latam esse interpretationem faciendam, constat ex *reg. iuris, Odia restringi, & fauores conuenit ampliari, l. in testamentis. ff. de reg. iuris.* & tradit glossa communiter recepta *l. fin. ff. de constitution. princip.* Tertia pars, vt in dubio pro valore actus interpretatio facienda sit. Quia nemo præsumendus est inutiliter operari, ex *l. 3. ff. de milit. testamento. l. quoties la 2 ff. de rebus dubijs, l. quoties, de verbor. obligat.* & tradit Menoch. *de præsumpt. lib. 6. tota præsumpt. 5.* Sanch. *lib. 1. disp. 38. num. 4. & lib. 3. disp. 35. num. 19.*

12 Tertia regula est similis præcedenti, quamque tradit Eman. *num. 2.* scilicet vbi tractatur de obligatione, strictam esse interpretationem adhibendam. *cap. 1. de iureiurando in 6. l. quidquid astringendi. ff. de verb. oblig.* est enim obligatio res odiosa, ac proinde restringenda, quoad fieri possit: quapropter in contractibus iuxta minimam obligationem est interpretatio facienda. *l. semper in stipulationibus. ff. de reg. iuris.* Ex eadem regula nascitur reo potius in iudiciis fauendum esse, quàm actori; & possessori, quàm petitori. *§. commodum. Instit. de interdictis l. fin. C. de probationib.* Et ratio est, quia non est inducenda obligatio sine manifesta ratione: sic docent Salas *disp. 21. sect. 3. vers. octaua regula.* Sanch. *lib. 1. disp. 9. num. 11.*

13 Quarta lex nunquam censetur derogata alia lege, nisi lex derogans priori sit omnino contraria; quia correctio legis vitanda est, quoad fieri potest, ex *l. præcipimus. C. de appellationib.* Quocirca si lex prior sit specialis pro aliquo casu, & posterior generaliter loquatur, non est censenda correcta prior, sed potiùs posterior limitari priori, nisi expressis verbis posterior priori contradicat,

dicat, argum. *cap. cùm expediat. de elect. in 6. & l. si quando, C. de inofficios. testament. l. sed & posteriores, ff. de legibus.* Anton. Gabriel *2. tom. comment. lib. 10. verbo lex, fol. 50. col. 2.* Azeued. *lib. 5. recopilat. tit. 4. l. 1. num. 12.* & ibi Matienzo *glossa 3. num. 11. & 12.* Sanchez *lib. 2. de matrim. disput. 24. num. 6.* Salas *disput. 21. sect. 6. num. 16.* Rebellus *lib. 1. de obligat. iustit. quæst. 6. sect. 5.* Quæ doctrina adeò vera est, vt etiamsi posterior lex habeat clausulam, Non obstante; ex illa non intelligatur prior derogata, nisi quatenus posteriori est contraria. quare si per aliquam limitationem, vel distinctionem possit prior lex specialis sustineri, retinenda est. sic Sanchez *suprà*, cum gloss. *Authent. de successión. ab intestato, circa princip. verbo vacantibus.* Bart. *super extrauag. ad reprimendam, §. non obstantibus, num. 6. & l. sciendum, verbo non compelli, ff. qui satisdare cogantur, num. 2.* & ibi Ias. *num. 4. & in l. 1. num. 9. ff. soluto matrim.* Nunquam tamen per legem generalem constitutiones speciales, & consuetudines prouinciarum censentur derogatæ, quia cùm hæ constitutiones ad factum pertineant, illarum ignorantia in legislatore supremo præsumitur, ex *cap. 1. de constitutionib. in 6.* & notauit Salas *illa disput. 21. sect. 6.* & est omnium.

14 Quinta regula esse potest, vt semper lex noua debeat secundùm antiquam interpretari, ex *l. non est nouum, & l. sed & posteriores, ff. de legibus, l. 1. §. lex Falcidia, ff. ad legem Falcid.* vbi Alexand. *num. 7.* & gloss. notabilis *in l. sciendum, in glossa 1. ff. qui satisdare cogantur,* & tradit Menoch. *casu 499. num. 22. & centur. 6. casu 502. num. 67. vers. & quidem hæc opinio.* Quod adeò verum est, vt licèt antiquiores leges abrogatæ sint, iuxta illas nouæ sunt explicandæ: vt notauit ex Bart. & Ludouic. Gom. Burgos de Paz *l. 1. Tauri, num. 570.* Sanchez *lib. 2. de matrim. disp. 24. num. 6.* Rursus, quoties lex vna venit ad interpretationem alterius, recipit omnes limitationes, restrictiones, ac extensiones, quas recipit lex interpretata, vt deciditur *authent. de filiis ante dotale instrum. natis, collat. 3.* ibi, *cùm omnibus manifestum sit oportere ea, quæ adiecta sunt per interpretationem in illis valere, in quibus & interpretatis legibus sit locus.* vbi glossa aduertit esse mirabile verbum. Idem colligitur ex *l. nihil, ff. de coniungendis cum emancipato liberis,* & ibi Bart. Ludouic. Roman. *cons. 345. num. 18. & seqq.* Socin. *cons. 187. & 188. num. 4. lib. 2.* Matienz. alios plures referens *lib. 5. tit. 4. l. 2. gl. 9. n. 6. & 10.*

15 Aliæ regulæ assignantur à Doctoribus, pro legum explicatione, quas videre potes in Salas *illa sect. 3. & seqq.* & Azor *illo cap. 16. à quæst. 9.* sed ad supradictas facilè possunt reduci. Omitto explicationem aliquarum dictionum, quæ disiunctiuæ, vel copulatiuæ numerantur, quia perfectus earum sensus ex subiecta materia, & ex modo dicendi, & vsu colligendus est; sæpè enim disiunctiua pro copulatiua sumitur, vt constat ex *l. ita sæpè, ff. de verb. signif.* Videri tamen potest Azor *cap. 27. & 28.* & Salas *disput. 21. sect. 3.* vbi de his latè agunt. Vnum tamen placet aduertere cum his Doctoribus, & Bonacina *disput. 1. quæst. 1. punct. 8. in fine.* particulam *seu*, & *siue*, copulatiuè accipi, cùm apponitur post aliquid vniuersaliter, & pluraliter dictum; disiunctiuè verò cùm apponitur post aliquid singulariter dictum.

§. IV.

An lex extendatur ad casum sub lata verborum forma non comprehensum, ob similitudinem, vel identitatem rationis.

1 *Explicatur quæstio.*
2 *Negatiuè respondetur legem vnquam non extendi ad casum sub lata verborum forma comprehensum.*

3 *In legibus irritatoriis, & pœnalibus non datur extensio ad casum non comprehensum.*
4 *In legibus correctoriis non datur extensio.*
5 *Corrigens vnum ex æquiparatis aliud corrigere censetur.*
6 *In legibus exorbitantibus non datur extensio.*
7 *Neque etiam in fauorabilibus est admittenda extensio.*
8 *Limitandum est: nisi iniustitia, vel absurditas sequatur.*
9 *Dispositum in vno correlatiuo, censetur in alio dispositum.*
10 *Idem in æquiparatis.*
11 *Idem in connexis.*
12 *Idem in mensuratione, & mensurato.*
13 *Sæpè lex casum nominat specialem exempli, & demonstrationis causa.*
14 *Tametsi lex non extendatur ad casum similem: at iudex in iudicando pro illo debet sententiam ferre, si aliqua alia lege non fuerit decisum.*

1 Satis perplexa est hæc quæstio. Vt autem in illa distinctè procedamus, oportet aduertere communem illam distinctionem rationis similis, vel identicæ. Stat enim optimè in dispositione aliqua non militare eandem rationem omnino, sed solùm similem, vel maiorem; aliquando verò eandem omnino rationem militare: sæpè tamen similis ratio cum identica confunditur, & difficillimum est illas distinguere, si est perfecta similitudo. Exemplum ergo similis rationis, & identicæ desumi potest ex *cap quia in insulis, de regularib.* vbi ad professionem prohibetur in insulis admitti monachus, qui 18. annum non habuerit, & redditur ibi ratio, *quia ibi est dura congregatio.* quæ ratio in aliis regularibus ibi existentibus militat: at si alibi existant, etiamsi duriorem vitam degant, non militat eadem ratio, sed similis, vel maior. Aliud exemplum desumi potest ex *Clement. 1. de elect.* vbi cauetur, ne eligatur in Abbatem, vel Prælatum conuentus religiosus alterius religionis, vel habitus: & redditur ibi ratio; *cùm rationi non congruat, vt homines disparis professionis, vel habitus simul in eisdem monasteriis socientur.* Quæ ratio eadem est in monasteriis monialium, vt ibi notat glossa. Similis est, ne religiosus in Episcopum sæcularis, vel regularis Ecclesiæ eligatur; quia etiam tunc homines disparis professionis in eadem Ecclesia sociantur. Item eadem, vel similis ratio est, ne eligatur religiosus alterius religionis in socium, quia socius etiam cum aliis sociatur.

2 Dicendum ergo est ob solam similitudinem, vel identitatem rationis nunquam legem esse extendendam ad alium casum, qui sub lata verborum forma non fuerit comprehensus. Hæc conclusio sub his verbis à paucis asseritur; quia regulariter dicunt Doctores, ob similitudinem, vel identitatem rationis legem extendi: at subiungunt tot limitationes huic generali doctrinæ, vt potiùs censeam pro generali regula ponendum esse ex similitudine, vel identitate rationis præcisè, non esse legem extendendam: sicut nec eam extendit Suarez *lib. 6. cap. 3. à num. 4.* &, meo iudicio, satis probatur ex *supradicta Clement. de elect.* vbi esto similis, vel potiùs eadem ratio procederet, ne religiosus in Episcopum cathedralis, vel regularis Ecclesiæ eligeretur, ac procedebat, ne eligeretur in Abbatem monasterij diuersæ professionis: nihilominus electio Episcopatus permittitur; non tamen prælaturæ regularis. Deinde ratio prohibendi electionem religiosi diuersi habitus, & professionis in Prælatum, procedit in quolibet religioso diuersæ professionis, si velit viuere in conuentu alieno: & tamen hoc non prohibetur, vt constat ex gloss. *in suprad. cap.* Ergo esse eandem, vel similem rationem in vno, ac in alio casu, non arguit vtrumque prohiberi, quando solus vnus exprimitur. Et ratione

probatur; quia ratio legis non est lex: ergo etiam si in alio casu eadem ratio sit, adhuc non infertur esse de illo legem; quia optimè potest legislator de vno disponere,& non de alio, vel quia non vult, vel quia non expedit omnia simul prohibere, neque omnia omittere, etiamsi in illis eadem ratio sit. Et confirmo. Obligatio legis non potest, nisi legislator voluntatem obligandi manifestet: at hanc voluntatem non manifestat, qui sublata verborum forma legis casum non comprehendit. Ergo circa huiusmodi casum nulla est obligatio legis.

Dices, ex ratione finali legis, quę pro illo casu eadem est, sufficienter eius voluntatem manifestari; quia legislatoris voluntas rationabilis est,& in ratione fundata. Ergo manifestata ratione manifestatur voluntas.

Respondeo ex ratione finali legis manifestari sufficienter voluntatem legislatoris in illo casu, de quo verba legis procedunt: at de aliis casibus, ad quos verba non se extendunt, non sufficienter manifestari voluntatem legislatoris, voluisse illos comprehendere; quia stare optimè potest assumpsisse illam rationem pro decisione vnius casus,& non pro alio. Neque inde infertur non esse eius voluntatem rationabilem, quia ad hoc vt sit rationabilis, solùm requiritur, quod in ratione fundetur: fundatur autem in ratione, etiamsi non disponat de omnibus, ad quæ ratio illa extendi potest. tum quia illa extensio fortè non expedit, tum quia potest esse aliqua superior ratio nobis ignota, mouens Principem, vt in vno casu,& non in alio disponat:& ita est præsumendum; quia semper præsumi debet legislator prudenter operari.

3 Infertur primò. Ex supradicta conclusione, in legibus pœnalibus irritatoriis,& odiosis non dari extensionem ad casum in lege non comprehensum ob similitudinem, vel identitatem rationis. Et primò, quòd pœna non extendatur de vno casu ad alium, est omnium Doctorum, quos statim referam. Quòd autem lex pœnalis ea parte, qua est directiua, & obligatiua, non extendatur, sic probo: tum quia odia debent restringi, tum quia sicut legislatori liberum fuit casum sub hac pœna prohibere, quia poterat prohibitionem facere, sub alia pœna, vel sub nulla: ita liberum est hunc casum,& non alium comprehendere; ideo enim in pœnis non datur extensio, quia pœnæ pendent præcipuè à voluntate imponentis: sed etiam obligatio ad hunc casum, & non ad alium pendet præcipuè ex voluntate legislatoris. Ergo eadem ratio est, ne detur in illis extensio. Adde. Si lex pœnalis quoad vim directiuam ad casum similem extenderetur, & pœna, quæ est accessoria legi, deberet extendi. Ergo cùm pœna non extendatur, neque obligatio extendenda est: sic glossa *in cap. in pœnis*, 49. *de regul. iur. in 6.* Castro *lib. 1. de lege pœnali, cap. 7. docum. 3.* noster Molin. *tract. 2. de iust. disp. 176. §. quarto.* Sanchez *lib. 10. de matrim. disp. 4. num. 3. circa med.* Eman. Rodriq. *1. tom. qq. regul. q. 11. art. 6. reg. 14.* Suarez *tom. 3. de Eucharist. q. 67. art. 8. in comment. §. maius verò dubium est. & lib. 6. de legibus, cap. 3. num. 5.* Salas *disp. 21. sect. 5. sub num. 11.* Nauarr. pluribus exornat *in cap. pœna, de pœnit. distinct. 1. à num. 1.*

4 Infertur secundò in legibus correctoriis non dari extensionem ex vno casu ad alium in lege non comprehensum ob similitudinem rationis, quia correctio legum est odiosa. Ergo quantum fieri potest vitanda est, ex *l. præcipimus, C. de appellat.* Ergo non est extendenda ex vno casu ad alium: sic glossa *authent. quas actiones, C. de sacrosanct. Eccles.* Ias. *num. 21. ante fin.* dicens esse receptam. Bart. *num. 8. & 9.* Barbosa alios referens *l. si constante, 25. ff. solut. matrim. num. 101. vers. tertia principalis conclusio pag. 561.* vbi varias limitationes, & ampliationes ponit Suarez *lib. 6. cap. 3. num. 4.* Salas *disput. 21. sect. 6. vers. tertia.*

5 Sed quid si lex correctoria corrigit vnum ex æquiparatis iure antiquo, extenditur ne ad aliud æquiparatum?

Respondeo affirmatiuè, si æquiparata sunt ob eandem propriam rationem, quia tunc non datur extensio in lege ex vno casu ad alium, sed potiùs dispositio vnius alium ad se trahit ob connexionem,& ęquiparationem, quam habet à iure. sic Bart. communiter receptus *in l. 1. de legat. 1.* & latè Euerard. *in centur. legalib. in loco à ratione legis, num. 72.* Menoch. *cent. 6. casu 502. num. 36.* latè probat Barbosa *l. si constante, ff. soluto matrim. num. 104. & seqq.* Matienz. *l. 6. tit. 6. gloss. 1. n. 6.* At si æquiparata non sunt ob eandem rationem, sed ob diuersam, lex correctoria vnius ex æquiparatis aliud non corrigit. Exemplum est manifestum *in l. fin. C. de sacrosanct. Eccles.* vbi Ecclesia, & ciuitas æquiparantur in præscriptione, ne scilicet aduersùs illas præscribi possit minori tempore, quàm centenario. Attamen *in authent. quas actiones, eodem tit.* corrigitur hoc priuilegium Ecclesiarum; & solùm Romanæ Ecclesiæ permittitur illo vti. Ex qua correctione non sequitur correctum esse priuilegium ciuitatibus concessum; quia esto Ecclesia,& ciuitas fuerint in illa lege finali æquiparata in præscriptione; non tamen sub eadem ratione: Ecclesiæ enim fuit illud priuilegium concessum fauore religionis, ciuitatibus autem propter ius publicum. sic glossa recepta *in suprad. auth.* Tiraquel. *l. si vnquam, verbo libertis, num. 45. ad fin. C. de reuocand. donation.* Barbosa *l. si constante, 25. ff. soluto matrim. num. 105. pag. 564.* Salas *disput. 21. sect. 6. circa finem.*

6 Infertur tertiò, in legibus exorbitantibus non dari extensionem ob similitudinem, vel identitatem rationis. Legem exorbitantem voco eam, quæ deuiat à iure communi ob aliquem specialem fauorem alicui personæ, vel personis factum: vt rectè expendit Barbosa *in l. si constante 25. in princ. ff. soluto matrim. num. 92.* Has ergo leges affirmo non extendi ad casus similes. tum quia hæ leges assimilantur dispensationibus, & priuilegiis: priuilegia autem, & dispensationes non recipiunt extensionem. *l. quod verò, ff. de legib. & cap. sanè, de priuileg.* Ergo neque hæ leges. Tum etiam, quia ea, quæ à iure communi exorbitant, non sunt in consequentiam trahenda, ex regula vulgari iuris: sic tradit,& eruditè probat Barbosa *supradicto loco, sub n. 96.* Salas *sect. 5. num. 14.* Rebell. *1. p. de oblig. iust. q. 6. sect. 4.* Quocirca esto possit pater imperare occidere filiam in adulterio deprehensam. *l. patria, 20 ff. ad leg. Iul. de adult.* non tamen auo id est permissum, etiamsi eadem, vel similis ratio videatur. sic Barbosa, Salas,& alij *suprà.*

Limitant autem hoc corollarium Salas, & Barbosa *supr.* cum Tiraquel. *l. si vnquam, verb. libertis, n. 61.* & aliis, ne intelligatur in materia fauorabili,& pia; de hac enim dicunt, si in se fauorabilis sit, recipere extensioné. Quod intelligendum est, si sub verbis latè sumptis comprehendi potest; secus si extra illorum latam significationem sit: sic Barbos. alios referens *n. 100.* Salas *sect. 5. circa fin.* & probant ex *l. filium habeo, ff. ad Maced.* Priuilegium enim concessum filiosfamilias, ne creditoribus ex mutuo obligetur, extenditur ad nepotes, quia nepos sub appellatione filij comprehendi potest.

7 Infertur quartò. Etiam in legibus fauorabilibus non esse admittendam extensionem de casu ad casum, qui sub lata verborum forma non fuerit comprehensus à lege. sic docet Suarez *illo cap. 3. num. 9.* Bonacina *disp. 1. quæst. 1. punct. 8. num. 26.* Et ratio meo iudicio est efficax, quia si verba legis casum illum non comprehendunt, nec lex comprehendere censetur; quia lex verbis exprimitur. Ergo si fiat extensio, ab homine erit, & non à lege: vt ponderauit Anton. *cap. fin. num. 58. versic. breuiter, de consuetud.* Dominic. *cap. 1. num. 9. post princ. de tempor. ordin. in 6.* Item quòd ex verbis non prouenit, neque

neque ex mente creditur prouenire. *l. Labeo, §. idem Tubero, ff. de supellect. leg. l. non aliter ff. de legatis* 3. Ergo nunquam extra verba debet fieri extensio sine manifesta ratione.

8 Limitanda tamen est supradicta doctrina cum suis illationibus, vt intelligatur, quando nulla iniquitas, vel absurditas sequitur ex eo, quòd non extendatur lex ad casum sub lata verborum forma non comprehensum. Nam si aliquid ex his sequitur, tunc affirmandum est legem comprehendere illum casum, quia vt vitetur iniquitas, & imprudentia in legislatore, verba legis, si opus fuerit, sunt improprianda; ergo multo magis extendenda. Neque illa est propria extensio legis, quasi à principio casum non comprehendens; verè enim à principio casum illum comprehendebat lex, vel ex ratione expressa in lege, vel ex verbis in lata significatione sumptis, vel ex alia circumstantia. Per quam limitationem satis fit communi sententiæ affirmanti legem extendi ad casum, in quo est eadem ratio; habet enim verum non solùm in lege fauorabili, sed in pœnali, odiosa, & correctoria: si ex negata extensione arguatur legislator iniustitiæ, vel imprudentiæ; secus verò, si nulla iniustitia, vel imprudentia sequatur. Quod vt clariùs constet, placet discurrere per casus communiores, in quibus Doctores extensionem admittunt ex identitate rationis, qui si bene perpendantur, non tam comprehenduntur sub lege ob identitatem rationis, quàm ob veram significationem verborum, vel ob connexionem inter se.

9 Primus casus esse potest de correlatiuis, quatenus tales sunt; dispositum enim in vno correlatiuo, censetur esse dispositum in alio, ex *l. fin. C. de indicta viduitate, l. fin. ff. de accept. l. 1. C. de cupress. lib.* 11. & probat latè Euerard. *loco à correlatiuis, num.* 8. Sanchez *lib. 1. disp. 54. n. 1. & lib. 9. disp. 14. num.* 16. Suarez *lib. 6. cap. 4. num.* 7. Salas *disp. 21. sect. 5. num. 12. vers. tertia regula.* Nauarr. *cap. pœna, de pœnitent. distinct. 1. num.* 5. Exemplis manifestatur; ob adulterium enim vxoris eximitur maritus ab obligatione reddendi debitum, similiter etiam & vxor ob adulterium mariti, aliàs esset lex iniusta. Item ob absentiam sponsi sine licentia sponsæ dissoluuntur sponsalia, *cap. de illis, de sponsalib.* qui textus, etsi non loquatur de sponsa ad illam, debet extendi, casu, quo abesset, vt rectè Sanchez *suprà*, & probat *l. 7. tit. 1. p.* 4. Item statutum determinans, vt maritus succedat in bonis vxoris, debet extendi, vt vxor succedat in bonis mariti, aliàs iniustè procederet. sic Salas *suprà*, cum Bald. *l. liberorum, ff. de his qui not. infam.* Ecce qua ratione non tam ob identitatem rationis, quàm ob seruandam æqualitatem, & iustitiam lex lata pro vno correlatiuo aliud comprehendit.

10 Secundus casus esse potest de æquiparatis, dispositum enim in vno, in alio censetur dispositum: videlicet in ea re, in qua sunt æquiparati, secundùm gloss. & Bart. *in l. quod verò ff. de legib. & l. si quis seruo, C. de furtis,* & ibi Angel. Salas *disp. 21. sect. 3. num.* 13. Nauarr. *cap. pœnæ, de pœnitent. distinct. 1. num. 6. & 14.* Suarez *lib. 6. cap. 4. num. 9.* & alij apud ipsos. Quapropter cùm Falcidia, & Trebellianica æquiparentur in iure, *l. Marcellus, §. quod autem, ff. ad Trebell.* efficitur dispositum in Falcidia, censeri dispositum in Trebellianica; vt multis probat, & exornat Matienz. *lib. 5. recopil. tit. 4. l. 1. gloss. 19. n.* 12. Idem est de electione, postulatione, prouisione, & præsentatione, quæ in iure parificantur, & dispositum in vno, in alio censetur dispositum ob connexionem earum, ex gloss. *in cap. si postquam, in verbo prouisio, de elect. lib. 6. & in Clement. 1. verb. sacerdotium, de off. vicar.* Nauarr. *num.* 12.

11 Tertius casus esse potest de connexis, dispositum enim in vno, in alio censetur dispositum: connexio tamen potest esse ex iure, vel ex consuetudine, quomodocumque sit dispositum in vno, in alio est dispositum, docet Sanchez *lib. 7. disp. 20. num.* 1. Idem est de contentis: dispositum in continente, censetur dispositum de contento. Qua ratione constitutio loquens de vicario Episcopi, extenditur ad vicarium Capituli Sede vacante, quia est contentum sub illo. Et constitutio disponens de gradibus consanguinitatis, censetur de publica honestate, & affinitate disponere: & dispositum in diaconatu, censetur in subdiaconatu dispositum. Et statutum excludens filiam à successione, excludit neptem, quæ sub nomine filiæ latè sumpto comprehenditur, ex *l. secundùm liberorum, ff. de verb. signific.* & tradit Suarez *suprà, cap. 4. num.* 8. Nauarr. *cap. pœna, de pœnit. dist. 1. num. 11. 12. 18. & 20.*

12 Ad idem est de mensurante, & mensurato; dispositum enim in mensurante, censetur in mensurato dispositum. sic Dominic. *cap. 1. num. 9 fallent. 5. de temporib. ordin. in 6.* ibi Franc. *num. 8. limit. 9.* Sanchez *lib. 7. de matrim. disp. 10. num.* 10. vbi exemplo cognationis spiritualis confirmat. Inquit enim, Quia impedimentum hoc restrictum est per Trident. *sess. 24. cap. 2. ad 1. gradum,* quando oritur ex Baptismo, restrictum censetur, quando oritur ex catechismo. Aliud exemplum adducit Salas *disp. 21. sect. 5. vers. quinta regula,* ex Rebello *de obligat. inst. quæst. 6. sect.* 4. Tutela legitima commensuratur successione ab intestato. Vnde si per statutum agnati præferantur cognatis in successione, præferuntur in tutela. Bart. *l. 1. ff. de legit. tutela.* Item si lege permissum sit laico donare certam quantitatem sine insinuatione, & postea detur ei facultas donandi Ecclesiæ duplo maior, censetur data facultas ea conditione, ac in prima, scilicet sine insinuatione, quia commensuratur ex prima facultate.

13 Aduerto primò, sæpè legislatorem de aliquo casu, seu persona speciali loqui, non quia velit ad illum casum, seu ad illam personam legem limitari; sed exempli gratia, & tunc lex ad omnes casus similes extendenda est. Qua ratione videmus Pontifices, & Imperatores decidendo casum aliquem specialem, illum pro lege statuere: quando autem hoc contingat, ex circumstantiis pensandum est. sic docent alios referens Suarez *lib. 6. cap. 4. n.* 10. Salas *disp. 21. sect. 5. in princ.* Rebell. *lib. 1. de oblig. iustit. q. 6. sect.* 4. plures referens Tiraquel. *l. si vnquam, verbo libertus, à n. 45. C. de reuoc. donat.* & satis probatur ex *l. his solis, C. de reuoc. donat.* Et ratio est, quia lex non agit de singularibus, sed de omnibus, neque illud exemplum limitat dispositionem, sed declarat. Quod adeò verum est, vt etiam in lege correctoria id ipsum affirmandum sit ex *l. regula, § fin ff. de iuris, & facti ignor.* & tradit alios referens Barbosa *n.* 102. Salas *sect. 6. n. 16. vers. tertia.* Hinc est illud, quod communiter dici solet, cùm lex frequentioris vsus causa aliquid decernit, casum minus frequentem non excludere, sed comprehendere: vt tradunt Doctores *in l. vnic. C. de raptu virginum, cum gloss. ibi, & in l. 1. verbo Dei capite, C. de his, qui ad Eccles. confug. & Clement. 1. verbo præsidentes, de rescript.* Rebuff. *tract. nominat. quæst. 5. n.* 25. Valasc. *tom. 1. cons. 8 n.* 2. Peralta *in l. Lucius, la 1. num. 22. ff. de legat.* 2. Sanchez *lib. 3. de matrim. disp. 20. num. 5. circa finem, & lib. 9. disp. 14. num.* 16.

14 Aduerto secundò. Etsi lex ob similitudinem rationis non extendatur ad casum in lege non comprehensum: at iudex in iudicando illam debet extendere; prudentia enim, & recta ratio postulat, vt cùm pro aliquo casu decidendo non est certa lex, à similis casus decisione, decisio illius petatur: iuxta *l. nam, ff. de legib.* ibi, *quando lex in vno disponit bonam esse occasionem, cætera, quæ tendunt ad eandem vtilitatem, vel interpretatione, vel certa iurisdictione suppleri.* & ita tenet ibi gloss. & pluribus exornat Felin. *in cap. translato, de constit. à n.* 10. Quapropter solet dici casum similem expresso non esse omissum à lege: siquidem per legem casus expressi decidi potest ille casus similis, vt tradit Tiraquel. *de retract. consanguinit. §. 2. gloss. 1. num.* 19.

§. V.

An lex extendatur ad præterita.

1 *Præmittitur distinctio de lege constitutionis declaratiua. Et deciditur declaratoriam legem propriè legem non esse.*
2 *Lex noui iuris constitutiua non trahitur ad præterita.*
3 *Item neque quatenus præceptiua est.*
4 *Quatenus pœnam imponit, potest trahi ad præterita.*
5 *Lex irritans aliquando potest trahi ad præterita: rarò tamen.*
6 *Lex declaratoria quatenus talis, futura, & præterita comprehendit.*
7 *Lex, statutum, constitutio non censentur extendi ad actum inchoatum ante illam legem, si perfectus sit, secus si imperfectus.*
8 *Explicatur conclusio aliquorum casuum decisione. Primò de lege dante formam testamenti, & contractibus.*
9 *Secundò de statuto determinante, vt vir lucretur tertiam dotis vxoris præcedentis. An, inquam, tale statutum comprehendat vxorem nuptam ante statutum.*
10 *Tertiò de statuto prohibente, ne merces extrahantur; & iam eas extrahere incepisti.*
11 *Quid de statuto ponente pœnam? An extendatur ad delicta ante statutum commissa.*
12 *Statutum concedens delinquentibus remissionem pœnæ. An extendatur ad delinquentes præteritos, vel futuros.*
13 *Loquens lex de præteritis ad omnia extenditur.*
14 *Excipiuntur præterita iam decisa.*
15 *Item conclusa in causa.*
16 *Item decisa per sententiam, tametsi ab ea fuerit appellatum.*
17 *Quid in prima instantia.*
18 *Probabilius est non extendi ad pendentia in iudicio.*

1 PRæmittenda sunt aliqua, in quibus ferè omnes conueniunt, vt ad controuersa gradum faciamus. Præmitto primò, aliam esse legem declaratoriam iuris, aliam illius inductiuam, seu constitutiuam. Lex constitutiua iuris est, quæ legem propriè constituit. Lex declaratoria, quatenus talis est, non constituit ius, sed declarat ius iam constitutum, vt habetur *in l. hæredes palàm, §. sed etsi notam, ff. de testam.* & tradit Felin. *in cap. licèt causam, col. 12. de probationib.* & Doctores communiter *in l. 1. ff. si certum petat.* declarans enim nihil aliud facit, quàm manifestare id, quod absconditum, & abstrusum est: sicuti, qui granum sub aristis latens de spica excuteret: vt probatur *in l. adeò, §. videtur ff. de acquir. rerum domin.* & pluribus exornat Decius *in consil. 498. num. 30.* Burgos de Paz *in proœmio legum Tauri, à n. 355.* Matienz. *lib. 5. tit. 10. l. 3. gloss. 16.* Quocirca lex declaratoria, quatenus talis est, non est propriè lex; quia de ratione legis est esse regulam necessariam operationis: at declaratio non regulat operationem, sed manifestat legem regulantem. Ergo. Sæpè tamen contingit declarando antiquum ius, nouum etiam constituere; & ex hac parte erit lex propria. sic Suarez *lib. 3. de leg. cap. 14. num. 4.* Salas *disput. 21. sect. 7. num. 21.* Azor *lib. 5. cap. 16. quæst. 13.* & probant ex *cap. quanta, de sent. excommun.* vbi excommunicatio lata aduersùs percussores Episcopi, interpretatur Pontifex extendi debere ad eos, qui percussoribus non obsistunt: quæ interpretatio non est pura declaratio antiqui iuris, cùm ius antiquum ad non impedientes non extenderetur, sed non est noui iuris constitutio.

2 Præmitto secundò, nullam legem noui iuris constitutiuam ad præterita trahi, nisi verbis claris id exprimatur. Decisio est certa ex *l. leges, C. de legib.* ibi, *leges, & constitutiones certum est futuris dare formam negotijs, non ad facta præterita reuocari, nisi nominatim, & de præterito tempore, & adhuc pendentibus negotijs cautum sit. & Authent. vt factæ nouæ constitutiones.* Idem sumitur ex *cap. 2. & vlt. de constitut.* vbi glossa, & Doctores ibi, *& in Clement. 2. de ætate, & qualit. vers. in posterum, & in cap. 1. de cleric. non resident. in 6. verb. receperint,* & aliis in locis: & tradit Syluest. *verbo lex, quæst. 23.* Azor *lib. 5. cap. 16. quæst. 13.* Farin. *2. part. fragment. verbo lex, n. 26. & seqq.* Suarez *lib. 3. cap. 14. num. 8. & 12.* Salas *disp. 21. sect. 7. num. 18.* Matienz. *lib. 5. recop. tit. 10. l. 3. gloss. 16.* Ratio est, quia præcipuus effectus legis est dirigere humanas actiones: id autem, quod factum est, dirigi non potest. Ergo respectu illius non potest lex præcipuum suum effectum sortiri. Ergo lex absolutè prolata ad præterita non debet censeri extensa, siquidem non potest censeri extensus præcipuus eius effectus. Quæ doctrina extendi debet, etiamsi per verba præteriti temporis lex loquatur. Exemplum apponit Bart. *in l. illicitas, ff. de offic. præsid.* quòd stante lege, quòd iudex venditiones factas à minoribus rescindat; licèt propter verbum *factas* de præteritis venditionibus esset intelligendum: at quia natura legis est comprehendere futura, & non præterita, de factis post legem debet intelligi, quia aliàs lex esset modici effectus. sic Felin. pluribus exornans *cap. fin. de constitut. n. 2. vers. amplia tertiò.* Alderan. Mascard. *de general. statut. interpret. cap. 13. n. 2.* Farinac. *2. p. fragm. verbo lex, n. 42.* Sed quia lex non solùm habet effectum dirigendi, sed etiam puniendi, vel irritandi, ideo de singulis claritatis gratia videndum est, an possit extendi ad præterita? Pro quo

3 Præmitto tertiò, lex quatenus præceptiua est, nullo modo potest trahi ad præterita, quia actus præteritus præcipi non potest, quia non potest præcipi fieri, quod est factum, sed quod est faciendum. Ex quo euidenter fit legem, quatenus talis est, nunquam ad præteritum extendi; quia lex quatenus talis est, semper est præceptiua. sic Suarez *n. 8.* Salas *n. 18.* & alij relati.

4 Præmitto quartò, lex quatenus pœnam imponit, potest trahi ad præterita; quia potest legislator pro præteritis actibus pœnam dignam imponere. Item per sententiam potest illos punire; ergo & per legem. Vt autem pœna propriè possit actibus præteritis imponi, siue per sententiam, siue per legem, debent esse actus culpabiles, hoc est, facti contra aliquam legem, siue positiuam, siue naturalem, vel diuinam, quia pœna cadere non potest nisi in culpam; quocumque autem ex his modis culpabiles sint, possunt à legislatore puniri. Dixi, pœnam propriam: nam inhabilitas aliqua, & irregularitas etiam ob actus inculpabiles imponi potest, sicuti quando irregularitas ad ordines, & beneficia illegitimis fuit imposita, omnes, qui tunc erant illegitimi, comprehendit. In his conueniunt Suarez, & Salas *suprà.*

5 Præmitto quintò, lex irritans actum, aliquando loquitur de actibus, qui irritabiles sunt, (vt excludat matrimonium, & reliqua sacramenta, quæ semel valida irritari non possunt,) potest trahi ad præterita; rarò tamen sic. Salas, & Suarez *suprà.* Saa *verbo lex, num. 24.* Priorem partem probo. Potest enim Princeps omnes venditiones tam faciendas, quàm factas, in qua fuit dolum, etiam citra dimidium iusti pretij irritari. Quid ergo id vetat. Ergo iam lex irritans ad præterita potest extendi. Secundam partem, scilicet hanc irritationem rarò fieri, facilè probo, quia ad hanc irritationem faciendam debet adesse causa à bono publico expostulata, quæ tamen non ita facilè inuenitur, præcipuè si actus nullã malitiam contineant, sed omnino validi fuerint.

6 Præmitto sextò, lex declaratoria, quatenus talis est, futura, & præterita comprehendit. quatenus declarat legem antea latam, fertur ad præterita, scilicet ad legẽ; quatenus verò declarat actus esse contra legem, vel præter illam, tam præteritos, quàm futuros actus comprehendit.

hendit. Exemplum est manifestum *in cap. vlt. de sponsa duorum.* vbi Pontifex declarat matrimonium contractum, & consummatum ab eo, qui antea matrimonio rato copulatus erat, non esse validum. Quæ declaratio tam ad præterita matrimonia, quàm ad futura extenditur, vt de se constat. Idem sumitur ex *cap. vt lex 27. quæst. 1.* iuncta gloss. *ibi,* & tradit ex communi sententia Suarez *suprà num. 2.* Salas *num. 17.* Azor *quæst. 13.*

7 Difficultas verò est, an lex actum prohibens extendatur ad actum inchoatum ante illam legem? Omissis variis dicendi modis, censeo legem, statutum, seu constitutionem prohibentem, punientem, vel irritantem aliquem actum, nunquam extendi ad actum inchoatum ante illam legem, si ille actus perfectus sit; secus verò si sit imperfectus. Ratio, quia natura constitutionis, (vt sæpè dixi) est respicere futura, non præterita, nisi id expresse caueatur: si autem actum iam perfectum comprehenderet, ad præterita extenderetur. Ergo ne hanc extensionem sine fundamento firmo admittamus, dicendum est ad actum perfectum non extendi; & colligitur ex gloss. *in cap. 2. verbo commiserint, de constit. in 6. & in cap. vnic. de cleric. non residentib. eod. lib.* & tradunt Farin. *2. p. fragm. verbo lex, num. 29. & 33.* & Doctores statim referendi. Conclusio explicanda est aliquorum casuum decisione.

8 Primus casus sit in lege constituente formam, & solemnitatem testamentis, an talis lex comprehendat testamenta condita ante ipsam; etiamsi executio, & effectus testamenti succedat post illam? Et dicendum est, non comprehendere, quia post illam succedit mors testatoris, quia testamentum erat omnino perfectum, & consummatum ante legem. sic Alderan. Mascard. *de in interpret. statut. concl. 13. n. 11. & seqq.* Farin. *n. 30.* Eman. Saa *n. 24. verbo lex,* & deciditur *in l. iubemus, C. de testam.* limitat autem Felin. alios allegans, *cap. quoniam, de constitut. vol. 3. & 4.* vt intelligatur, modò condens testamentum non habuerit potestatem illud mutandi; sed hæc limitatio admittenda non est, sicut neque eam admittunt reliqui Doctores, quia licèt possit mutare, attamen est perfectum, dum non mutatur. At si testamentum nondum subscriptum sit, vel Notario signatum, vel alio modo sit imperfectum, cùm lex de testamentis promulgatur, comprehendit ipsum; quia licèt sit inchoatum: at absolutè in ratione testamenti futurum est, siquidem non habet suum esse. Idem quod dico de testamentis, dicendum est de contractibus: si enim lex dans formam contractibus, inueniat contractus iam perfectos, illos non comprehendit, etiamsi executioni mandati non sint, comprehendit tamen inchoatos nondum perfectos in suo esse. text. est *in l. contractus, C. de fide instrument.* ibi, *qua tam in postea conficiendis instrumentis, quàm in his, quæ iam scripta: nondum autem absoluta locum habere præcipimus.* sic Abbas *in cap. fin. num. 11. versic. aut statutum procedit, de constitutionibus.* Bart. *in l. omnes populi, num. 44. versic. primo casu, ff. de iustit. & iur.* Farinacius *2. part. fragment. verbo lex, num. 33.* Nauarr. alios referens, *cap. si quando, de rescript. except. 21. in noua edit. num. 12. & 13.* facitque ad hæc textus *in cap. statuimus, de maiorit. & obedient.* vbi statuitur inter Canonicos maior in dignitate minori præferatur in considendo, etiamsi posteriùs esset receptus, quæ constitutio non comprehendit Canonicos ante illam receptos; ex eo quod *in cap. fin. de constitut.* excipiantur; quia est actus, & executio rei perfectæ, & consummatæ, scilicet possessionis, & in qua erat ius quæsitum ratione præbendæ, vt rectè explicat Nauarr. *in §. de confutat. contrariorum, n. 6.*

Aliquibus exemplis adductis à Nauarr. *illa except. 21. num. 53.* hæc resolutio firmari potest. Statutum enim, ne filia dotata succedat, comprehendit filias dotatas ante statutum. sic Bald. *in l. illam, C. de donation.* Et statutum, ne fœminæ succedant, extenditur ad eas, quæ non acceperunt hæreditatem. sic Bart. *in l. omnes populi, ff. de iustit. & iure, num. 42.* Quam doctrinam extendit Nauarr. *num. 52.* ad filias iam patre defuncto, cùm fertur statutum, si hæreditatem non acceperunt. At hoc non credo; quia morte patris verè iam successerunt, & est successio perfecta. Actus autem perfectus, & eius quæsitum, tolli non debet, nisi clarè, & manifestè explicetur: vt bene dixit Bald. *in l. illam, C. de collationib.* & tradit Felin. *cap. fin. de constitutionibus, num. 11. versic. fallit 5.* Item statutum, ne fœminæ succedant stantibus masculis, ad iam natas extenditur, vt ex Alexand. & aliis probat Nauarr. *n. 58.* quia loquitur de actu integrè futuro, non de aliquo præterito. Item statutum, vt detur tantùm capienti bannitum, debet dari illi, qui cepit ante statutum, & post statutum præsentauit; quia illa captura, quousque sit præsentata, non est perfecta, ac proinde præmium offertur pro re futura. sic ex Felin. *cap. fin. de constitutionib. col. 11.* Nauarr. *num. 54.* Item stante statuto, ne querelæ bannitorum audiantur, si accusator pendente accusatione banniatur, ampliùs audiri non potest, quia iam est de re, & vsu non perfecto, sed inchoato. Nauarr. *num. 55.* Item statutum prohibens electo, ne ante confirmationem administrationem Ecclesiæ gerat, etiam tanquam procurator, *cap. auaritiæ, de elect. lib. 6.* comprehendit electum, qui antequam eligeretur administrabat ipsam Ecclesiam, tanquam procurator, vel œconomus, quia illa administratio est res omnino distincta, & futura, circa quam cadere potest prohibitio: sic ex Ioan. Andr. *in supradict. cap.* tradit Nauarr. *suprà num. 57.* Ad idem est lex determinans executores testamentorum rationes reddere ordinariis de sua executione, solùm comprehendit executores, qui post illud decretum fuerint, non illos, qui ante decretum executores extiterint, etiamsi rationes non reddidissent, quia illa redditio rationum mandata est, ne malè executores administrarent: quæ ratio cessat omnino in his, qui iam administrationem finierunt, cùm lex illa promulgatur, vt bene ex gloss. *in Clement. 1. de testam.* notauit Nauarr. *illo cap. si quando, de rescr. except. 21. num. 68. & 69.*

9 Secundus casus est de statuto determinante, vt vir lucretur tertiam partem dotis, vxoris præcedentis in matrimonio. An, inquam, tale statutum comprehendat vxorem nuptam ante statutum, & mortuam post statutum? Negat Imola *in cap. fin. de constitut. col. 7.* ibi Felin. *col. 2.* Mouentur primò communi ratione, quia lex non debet trahi ad præterita. At hæc ratio nullius est ponderis, nam si rectè expendatur hæc constitutio, non trahitur ad præterita; licèt enim dos præcesserit ante constitutionem: at lucratio dotis, de qua est constitutio, non præcedit vllo modo, sed subsequitur. Secundò præcipuè mouentur, quia ex contractu dotis ius quæsitum est hæredibus vxoris. Ergo non est censendum per statutum illud nouum tolli; sed neque hæc ratio est firma, quia ius filij, & hæredis in bonis viuentis, non est propriè ius, neque spes aliqua à lege approbata, quominus per legem facillimè tolli non possit; vt rectè Bart. *in l. is potest, n. 3. & 9. ff. de acquir. hæred.* Quocirca censeo probabilius maritum lucraturum esse tertiam illam partem dotis, vxoris præcedentis in matrimonio, quia est constitutio in fauorem matrimonij lata, & fauorabilis marito, qui est immediatè per constitutionem spectandus. Ergo est latè interpretanda. sic Nauarr. alios allegans, *cap. si quando, de rescript. except. 21. n. 49.* Farinac. *n. 30.* Vide de hoc Cardin. Tuscum *pract. conclus. verb. lex, concl. 264. n. 25. 34. 50. 52. & seqq.*

10 Tertius casus esse potest, de statuto prohibente, ne vinũ, triticũ, aliáve res extrahatur è ciuitate. An, inquã, comprehendat triticũ, quod iam extrahere incepisti? Et quidem, si ante statutum perfectè extractum est, etiamsi postea

postea casu ad ciuitatem redierit, poteris illud extrahere; quia tunc non tam extrahis e ciuitate triticum, quàm extractum iam contineas, nec illud triticum dici potest extrahi è ciuitate, cùm ciuitatis non sit post primam extractionem: & hic est casus decisus *in l. Cæsar, ff. de publicanis, & vectigalib.* vt inspicienti constabit, & tradit Azor *lib. 5. cap. 16. quæst. 13.* Salas *disput. 21. sect. 7. num. 20.* At si triticum incepisti extrahere, qua parte extractum non est, comprehenditur statuto, quia nulla ratione excusari potest. sic Farinac. *2. p. fragment. verbo lex, num. 30.*

11 Secunda difficultas est, an statutum pœnam imponens delicto, extendatur ad delicta ante statutum commissa? Et quidem si punita sunt, clarum est non extendi; quia non decet punire bis in idipsum: similiter si pœna ipso iure per constitutionem imponatur, constat afficere non posse delictum commissum; quia tunc pœna trahitur à delicto, & delictum iam commissum eam trahere non potest: vt ex aliis notauit optimè Felin. *cap. quoniam, de constitutionib. num. 14. versic. secundò intellige.* Quare solùm est dubium de pœna à iudice imponenda pro delicto non punito. An, inquam, delictum antea commissum puniendum sit pœna nouæ legis, vel legis antiquæ? Cui difficultati respondet optimè Felin. *suprad. loco, n. 14. versic. fallit octauò*, sub distinctione, si pœna antiquæ legis erat delicto conueniens, secundùm illam debet puniri, ex *l. 1. ff. de pœnis, & cap. fin. de sentent. excommun.* At si conuenientior est pœna per nouam legem imposita, sicut semper ita est præsumendum, secundùm illam debet delinquens iudicari; quia ad imponendam pœnam, tempus sententiæ regulariter attenditur, ex *l. pen. ff. si ex noxali causa agatur.* vbi seruus delinquens in seruitute, & accusatus in libertate, punitur, non vt seruus, sed vt liber: consentit huic resolutioni Bart. *in l. omnes populi, num. 51. ff. de iust. & iur.* Farinac. alios referens *num. 39.*

12 Tertia difficultas est, an lex, vel statutum concedens remissionem pœnæ delinquentibus debitæ, extendatur ad delinquentes præteritos, vel ad futuros?

Respondeo ad solos præteritos extendi, & non ad futuros: ne, inquam, detur occasio delinquendi: & hoc, etiamsi loquatur statutum per verba futuri temporis, ex *l. cùm lex, ff. de legib.* per quem textum dicunt Bart. & Bald. statutum disponens bannitum extrahi de banno, si soluat decem, solùm ad bannitos tempore statuti extendi, quia lex in decisiuis, & in contractibus dat formam futuris negotiis, non autem in remissionibus pœnarum ex beneficio concessis. sic Felin. latè id probans *suprà num. 13.* Farinacius *2. part. fragment. verbo lex, num. 38.* Alderan. Mascard. *de general. statut. interpret. conclus. 13. num. 56.* Tuscus *verbo lex, concl. 264. num. 10. & 65.* Azor *lib. 5. cap. 16. quæst. 13.* Salas *disp. 21. sect. 7. num. 20.* Suarez *lib. 6. cap. 4. fine.*

13 Quarta difficultas est, an lex, vel statutum loquens nominatim, & expresè de præteritis, de omnibus præteritis intelligatur? Regulariter de omnibus intelligitur, quia verba sunt generalia, & ita *in l. leges, C. de legib.* dicitur leges, & constitutiones ad præterita non extendi, nisi nominatim, & de præterito tempore, &c. Ergo quando nominatim, & de præterito tempore loquitur, ad ea extenditur: habetur *cap. fin. de constitut. & Clem. 2. de iudic.* & omnium sententia, vt testatur Farinac. Felin. & alij statim allegandi.

14 Dixi, regulariter, vt aduerterem plures casus, in quibus lex de præteritis loquens ad præterita non se extendit. Primò non trahitur ad præterita iam decisa. sic Felin. *cap. fin. de constit. num. 3. vers. hanc fallentiam*, vbi testatur esse omnium, ex text. *in l. causas, C. de transaction.* quia non præsumitur legislatorem voluisse reuocare quæstiones decisas. Et hoc habet verum, quomodocumque res decisa sit, siue per sententiam, transactionem, iuramentum, solutionem, quietationem, præscriptionem, & similes. sic Felin. *suprà num. 3.* Abbas *num. 9. & in Clement. dudum, §. hos etenim, in verbo pacta, de sepult.* Farinac. *2. part. fragment. verb. lex, num. 44.* Tuscus *eodem verbo, conclus. 265. num. 13.* & alij apud ipsos.

Excipe primò, nisi lex expresè nominaret decisa, ad illa quidem esset extendenda: deberet tamen iusta causa adesse, aliàs neque per rescriptum, neque per legem iuri alterius quæsito per decisionem derogari posset: sic glossa *in l. causas, in glossa fin. in fine, C. de transactionibus.* Abbas *cap. fin. de constitutionib. num. 9.* Felin. *num. 3. versic. secundus casus.* Farinac. *2. part. fragment. verbo lex, num. 50.* Excipe secundò, nisi lex noua diceret, quòd omnia facta priùs habeantur pro infectis; quia tunc etiam decisa annullata erunt. ita Felin. *suprà col. 4. versic. procedunt ista.* Farinac. *num. 49.* & probat text. *in Clement. 1. de immunit. Eccles.* & ibi gloss. *verbo pro infectis.*

15 Secundò, lex de præteritis loquens non trahitur ad præterita iam in causa conclusa, nisi expresè illa ipsa nominaret; quia paria sunt esse conclusum in causa, ac esse decisum: siquidem ex conclusione in causa negotium finitum est. *cap. auditis, de procurat. & cap. pastoralis, de causa possess. & propr. & cap. cùm dilectus, de fide instrum.* Debet autem hoc intelligi, quando in causa ita conclusum est, vt nulli partium liceat nouas iuris productiones allegare, quia ex conclusione facta debet proferri sententia, & secundùm leges tunc vigentes, eo quòd concludendo, quodammodo inter se paciscantur se nolle alio iure vti. At si partibus liceat post conclusum in causa alias de nouo probationes offerre, ad causas iam sic conclusas lex loquens de præteritis extenderetur; quia tunc ius partis, quæ vult reprobare, non est in totum sigillatum: non igitur erit illi via præclusa vtendi lege noua sibi fauorabili: & ita tenet Alderan. Mascard. *de general. statut. interpret. concl. 13. n. 19. & seq.* Farinac. *verbo lex, num. 55.* Felin. *cap. fin. de constitut. num. 3. vers. limita secundò*, dicens in his casibus indubitanter in practica sic esse seruandum.

16 Tertiò, lex, seu statutum de præteritis loquens ad præterita decisa per sententiam non extenditur, etsi à sententia fuerit appellatum. Excipe semper, nisi illa ipsa expresè nominaret: colligitur ex text. *in Authent. vt cùm de appellat. cognosc. circa princ.* Abbas *cap. fin. de constit. num. 9. vers. aut præterita.* ibi Felin. *col. 6. vers. limita tertiò.* Et testatur esse omnium Farinac. *suprà num. 56.* Alderan. Mascard. *num 30.* Tuscus *verbo lex, conclus. 261. num. 17. & 18.* & alij plures apud ipsos. Ratio est, quia iudex appellationis succedit loco primi, eáque de causa iudicare tenetur secundùm ius commune, quod in prima instantia vigebat. Aduertit autem optimè Felin. hoc esse intelligendum in spectantibus ad decisionem, & merita causæ: nam in his iudex appellationis debet seruare ea, quæ debebat seruare iudex causæ principalis, cùm in eius loco succedat. At in his, quæ ad ordinem procedendi spectant, cùm in his debeat appellans sequi ordinem iudicis ad quem appellat, & loci, in quo causa agitanda est, ex *l. 3. in fine, ff. de testam.* & tradit Abbas *in cap. quod clericis, de foro competenti*, & ex communi sententia Felin. *num. 10. vers. fallit quartò.* Efficitur sanè debere partes se conformare legi præscribenti iudici ordinem procedendi.

17 Sed quid dicendum in prima instantia, quando lis agitatur, neque conclusum est in causa, sed est in pendenti? Trahitur ne tunc ad illam causam, ita vt ex lege illa superueniente causa decidi possit? Communis sententia affirmat, si lex nominatim mentionem faciat de præteritis: sic plures, quos allegat Felin. *illo cap. fin. de constit. col. 7. vers. limita quartò.* Farin. *2. p. fragm. verb. lex, n. 47.* Tuscus *ibi, concl. 264. n. 9. 11. 70. & concl. 265. n. 19. & 20.* Hanc tamen communem sententiam limitat Felin.

lin. Farinac. & alij ab ipsis relati, vt procedat in lege, & rescripto procedente ex motu proprio Principis, & non ad instantiam partis; quia quando ad instantiam partis emanauit lex, habet rationem priuilegij: priuilegium autem concessum pendente lite etiam motu proprio superioris, non nocet parti aduersæ, vt notauit Anton. Hostiens. Imola, Abbas *in cap. causam, el 2. de testam.* & Ioan. Andr. *tit. de dolo, & contum. §. fin. versic. porrò in addito.*

18 Verùm probabilius mihi est non extendi legem ad pendentia in iudicio, etiamsi mentionem præteritorum faciat, nisi simul mentionem faciat pendentium. Et de statuto id docet Bald. post Bart. *in l. sancimus, C. de sacrosanct. Eccles.* Generaliter autem tam de statuto, quàm de lege. In quo in hac parte nulla est differentia, vt bene ex Imola notauit Felin. *col. 7. vers. limita quartò.* id affirmant Bart. *in l. omnes populi, num. 40. ff. de iust. & iur.* Alexand. *consil. 96. num. 4. lib. 2.* Alderan. Mascard. *de general. statut. interpret. concl. 13. n. 33. & seqq.* & Felin. reputat probabile. Probo primò, quia ex eo quòd causa deducta est in iudicium, quælibet pars litigans ius aliquod acquisiuit, vt secundùm leges tunc vigentes iudicetur. Quod ius læditur, si lex de nouo lata locum in his habet: atqui Princeps nunquam censetur iuri partis litigantis præiudicare, nisi exprimat. Ergo. Secundò, quia *in l. leges, 2. C. de legib.* expresè habetur leges, & constitutiones futuris negotiis dare formam, neque ad præterita reuocari, nisi nominatim, & de præterito tempore, & adhuc dependentibus negotiis cautum sit. Ergo non sufficit nominare præterita, vt intelligantur pendentia negotia comprehensa, sed debet mentio fieri negotiorum pendentium. Tertiò, lex emanans ad instantiam partis non comprehendit negotia pendentia, ne pars aduersa præiudicium habeat: at idem præiudicium sequitur, etsi motu proprio lex emanet. Adde, etiamsi lex, vel statutum ad instantiam alicuius fuerit promulgatum: at finis illius non est fauor specialis, sed communis vtilitas, ex *cap. erit autem lex, dist. 4.* Ergo postulatio partis non potest obesse, vt lex ad pendentia in iudicio non extendatur, si quando motu proprio Principis emanat, extenditur: cùm semper habeat eundem finem, ac proinde eodem modo sit extendenda. Quartò, lex loquens de præteritis, sufficienter saluatur cum tota sua significatione, si comprehendat ea, quæ deducta non sunt in iudicio: quare ergo ad deducta in iudicio debemus extendere?

§. VI.

Quam vim sortiantur verba, & litteræ commendatitiæ alicuius.

1 *Dupliciter stat commendatio, generalis, & specialis.*
2 *Si ex commendatione mea generali Petro res tuas commisisti, non teneor de damno sequuto.*
3 *Excipe nisi dolo fecerim.*
4 *Si litteræ, vel verba specialia continent verum, non teneor damnum reparare, nisi verba denotent me voluisse obligationem subire.*

1 DVpliciter aliquem tibi commendare possum. Primò verbis generalibus affirmantibus esse virum probum, fide dignum, cui securè negotia tua committere possis. Secundò, si in particulari causa dicas esse hominem, cui tale negotium possit committi, & talis contractus cum eo iniri.

2 Dico primò. Si verbis generalibus tibi commendaui Petrum, & tu hac commendatione fisus res tuas Petro commisisti, non teneor de damno tibi sequuto, nisi dolo fecerim: decisio est *l. & eleganter, §. vlt. ff. de dolo. & l. fin. vers. nec, C. quod cum eo,* glossa *ibi.* Anton. Gom. *2. var. cap. 13. num. 5.* Salas *disput. 21. sect. 9. num. 23.* Rebellus *1. part. lib. 1. quæst. 6. sect. vlt. num. 48.* Ratio pro deobligatione in conscientia est clara, quia hæc obligatio esse non potest, nisi culpam commiserim in commendatione Petri. At suppono mihi ignotum esse, esse improbum, & infidelem. Ergo nullam culpam in eius commendatione commisi, delicta enim non tenebar præsumere. Pro deobligatione autem externi fori ea ratio est, quia hæc generalis laudatio ad vrbanitatem pertinet: tibique culpæ imputare debes, qui ita facilè credidisti, & res tuas sine debito examine commisisti.

3 Dixi me deobligatum esse, nisi laudationem dolo fecerim, dolum autem commisisse censebor, si sciens Petrum furtis assuescere, pro fideli commendauerim: sic Doctores suprà relati, & constat ex *dict. l. & eleganter,* tum ex definitione doli, quam tradit gloss. *in l. 1. ff. de dolo.* quæ est calliditas quædam ad decipiendum alium. Et probari potest, tum quia ius habet vnusquisque, ne fallacia decipiatur. Si ergo te decepi, & media deceptione causa fui, vt damna patiaris, videor teneri resarcire. Solùm in mei fauorem est, quia hæc verba non videntur de se efficacia inducendi damnum, eo quòd cordatus, & prudens illis non decipietur. Ergo si tu deceptus es, tuæ facilitati debet tribui, non mihi. At video non sufficienter hac ratione excusari, si semel cognoui, vel dubitaui te illis verbis esse decipiendum, quia stante tua facilitate iniuriosus fui vtens illis fallaciis, & mendosis verbis.

4 Maior difficultas est, quando litteræ, vel verba continent quid certum. v. g. quando circa casum specialem laudo Petrum, & dico fidelem esse, quo cum inire potes talem, vel talem contractum, &c. An, inquam, tunc sim obligatus?

Et quidem si addidi aliqua verba, quæ denotarent me velle assecurationem illorum facere, vt si dicerem: *Yo lo tomo a mi cuenta, o corra por mi riesgo;* non est dubium manere obligatum actione mandati. textus *in l. si verò non remunerandi, §. si quis mandauerit, ff. mandati.* & ibi gloss. & Doctores communiter. Anton. Gom. *illo cap. 13. num. 5.* Salas *disp. 21 sect. 9. in princ.* Rebellus *de oblig. iustit. lib. 1. quæst. 6. num. 47. & seqq.* Ratio, quia illa verba non tam continent approbationem personæ, quàm susceptionem alieni periculi.

Verùm si absque his verbis Petrum laudarem, & tibi commendarem, quantumcumque in negotio speciali commendatio fieret, si absque dolo feci; credo probabilius me non teneri damna reparare. Quia non inuenio in hoc casu aliquam specialem rationem, quæ in laudatione generali non procedat: & fauet *regula iuris 62. in 6. Nemo ex consilio, nisi fraudulenter fit, obligatur;* & ita tenet Rebellus *illa quæst. 6. sect. vlt. num. 49.* Salas eius verba transcribens *sect. 9.* Credo tamen in foro externo condemnandum fore actione mandati, si circa rem aliquam specialem Petrum tibi commendassem, affirmans te posse securè cum illo contrahere; quia præsumor quasi mandare, ex *l. Lucius ff. de fideiuss. & l. si litteras, C. mandat.* glossa, Bart. Bald. & alij, quos refert, & sequitur Anton. Gom. *num. 5.*

DISPVTATIO VI.

De dispensatione legis.



PRÆ manibus habenda est huius disputationis doctrina, vtpote in praxi maximè frequens; ex illa enim dependet decisio plurium difficultatum in variis materiis contingentium. In tres partes hanc disputationem diuidemus. In prima agemus de

natura dispensationis, & causis illius: quis, inquam, concedat dispensationem, & quibus concedatur. In secunda de conditionibus requisitis ad valorem dispensationis. In tertia de causis, quibus dispensatio cessat; vbi de interpretatione illius. Si autem aliqua in huiusmodi disputatione desiderantur, ex disputatione de priuilegiis petenda sunt.

PVNCTVM I.

Quid sit dispensatio.

1 *Definitur dispensatio in genere.*
2 *Proprius, & ad rem definitur ab aliquibus. Reijcitur, & statuitur propria definitio.*
3 *Dispensare non est legem interpretari.*
4 *Neque etiam est permittere.*
5 *Dispensatio differt ab absolutione à peccatis, & censuris.*
6 *Differt à simplici licentia requisita per legem.*
7 *Differt à legis abrogatione, & derogatione.*
8 *Differt à priuilegio.*
9 *Legis dispensatio, & dispensatio voti, & iuramenti multum differunt.*

1 SI nomen dispensationis in genere sumatur, eius definitio est, iusta rerum communium distributio, iuxta illud Lucæ 12. *Quis putas est fidelis dispensator?* & 1. ad Corinth. 4. *Ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* & cap. 9. *Dispensatio mihi credita est.* Eadem dispensationis acceptio constat ex iure ciuili; text. *in l. dispensatori*, 51. *& in l. dispensatorem*, 61. *ff. de solution. l. vrbana*, 166. *ff. de verb. significat.* Et ex iure canonico idem habetur, *cap. dispensatio*, 43. *dist. & in extrauag. vnigenitus, de pœnitent. & remission.* & tradunt Doctores statim referendi. Verùm omissa hac dispensationis lata acceptione, dispensatio apud Theologos, & Iurisperitos sumitur pro exemptione alicuius à lege, ex *l. Princeps, ff. de legib.*

2 Dispensatio communiter sic definitur. Est relaxatio iuris communis cum causæ cognitione facta ab eo, qui potestatem habet relaxandi. sic *glossa penult. in princ. in cap. requiritis, §. nisi rigor*, 1. *quæst.* 7. Couarr. *de sponsalib. p.* 2. *cap.* 6. *§.* 9. *num.* 1. Nauarr. *in sum. præludio* 9. *n.* 15. Sanchez plures referens *lib.* 8. *de dispensat. disp.* 1. *num.* 2. & alij. At hæc definitio sustinenda non est. Primò, quia dispensatio non solùm est iuris communis, sed etiam municipalis, & synodalis: quod ius nomine iuris communis non venit intelligendum, ex *cap.* 1. *de constitution. in* 6. Secundò, ad dispensationis valorem, causa non semper exigitur, vt postea videbimus, etiamsi ad licitam illius concessionem requiratur. quare Sanchez hanc particulam *cum causæ cognitione*, à definitione dispensationis excludit. Tertiò, neque etiam videtur apponenda illa verba, *facta ab eo, qui potestatem habet relaxandi*, quia in ipsamet relaxatione legis includitur debere fieri ab habente potestatem; aliàs etiam deberet exprimi causa materialis dispensationis, & conditiones, quæ ad valorem illius requiruntur. Quapropter aptior definitio ea esse potest. *Dispensatio est iuris alicuius relaxatio*, seu exemptio alicuius à legis obligatione: sic colligitur ex *cap. de multa, de præbend. cap. necessaria, cap. dispensationes, cap. tanta, cap. si qui.* 1. *quæst.* 7. quibus in locis vocatur dispensatio relaxatio, seu moderatio canonum, & *in cap. ipsa pietas. §. si inquirat*, 23. *quæst.* 4. vocatur ab August. vulnus contra integritatem seueritatis; & ita tradit Salas *disp.* 20. *sect.* 1. *vers. vt tamen.* Basil. de Leon *lib.* 8. *cap.* 1. *num.* 3. Suarez *lib* 6. *cap.* 10. *num.* 7. Salas *disp* 20. *sect.* 2. *num.* 9. & alij plures apud ipsos.

3 Ex hac definitione infertur primò dispensare non esse interpretari legem pro illo casu non obligare; sed est exemptio à lege, illius obligatione posita: constat ex iuribus suprà relatis, & tradit plures referens Suarez *num.* 2. Basil. *num.* 4. Salas *sect.* 1. *num.* 4. Vasquez 1. 2. *tom.* 2. *de legib. disp.* 178. *à num.* 6. Sanchez *lib.* 8. *disp.* 1. *num.* 1. & *lib.* 4. *sum. cap.* 37. *quæst.* 1. Et ratio est manifesta. Primò, quia interpretatio non est actus iurisdictionis, sed doctrinæ, argum. textus *in §. constat autem ius nostrum. vers. Responsa prudentum, Instit. de iure natur.* Quilibet enim vir doctus interpretari potest legem in tali, vel tali casu non obligare, dispensare autem non potest. Quòd si in casu dubio alteri à superiore non permittatur interpretatio, non inde infertur interpretationem esse actum iurisdictionis, sed doctrinæ, reseruatæ tamen superiori. Secundò, sæpè dispensat legislator, certus obligationem in dispensato non cessare, vt contingit, cùm tecum dispensat in esu ouorum, eo quòd erogaueris pro subsidio contra infideles duo dragmata in acceptione Bullæ cruciatæ, & in impedimentis ad matrimonium, & ad ordines ratione alicuius canonici impedimenti, manifestè appatet. Tertiò, si dispensatio esset declaratio legis pro illo casu non obligantis, quoties euidenter constaret casum esse omnino similem, posset quis absque dispensatione se à legis obligatione eximere, quod est absurdum. Quartò, sequeretur æqualem potestatem esse in Principe ad dispensandum in lege propria, ac in lege diuina, & naturali: si in lege propria, nulla alia potestas cōceditur præter potestatem declaratiuam. Quintò, non posset in propria lege negare dispensationem; quia non potest in propria lege illius declarationem petitam repellere. Neque credendum est D. Thom. *quæst.* 97. *art.* 4. *in corp. & ad* 3. oppositum sentire, vt aliqui recentiores illi attribuunt; quia ibi loquutus est D. Thom. de dispensatione latè sumpta, prout est quædam gubernatio, ordinatio, & distributio attenta personarum necessitate, & qualitate: tum quia dicit legislatorem alicui licentiam concedere non obseruandi præceptum, cùm videt communi bono non expedire. Ex quo non infertur cessare ipso facto obligationem, sed esse causam sufficientem, vt illum relaxet.

4 Infertur secundò dispensationem non esse permissionem propriè, quia dispensatio tollit legis obligationem in dispensato: at permissio illam non tollit. Deus enim permittit peccata, non tamen in illis dispensat. Quapropter permissus facere contra legem, committit culpam, & pœnæ subiicitur, etiamsi eius executionem dissimules: at dispensatus nullam culpam facit contra legem operans. Interdum verò dispensatio solet appellari permissio, & dissimulatio. *cap. dispensationis*, 1. *q.* 7. sed non propriè. sic Salas *disp.* 20. *sect.* 1. *num.* 5. *vers. secundò.* Basil. *lib.* 8. *cap.* 1. *num.* 5. Suarez *lib.* 6. *cap.* 11. *num.* 3.

5 Infertur tertiò dispensationem differre ab absolutione à peccatis, & à censuris; quia horum absolutione non vulneratur ius, sed potiùs ius ipsum impletur. Ius enim iubet rectè disposito absolutionem à peccatis, & censuris concedi; at ius non iubet semper dispensationem facere. Item potest secum quis dispensare, vt dicemus, se tamen non potest absoluere. Denique absolutio, vtpote iuri conformis, latè est interpretanda, secus verò dispensatio. sic Suarez *lib.* 6. *cap.* 10. *à num.* 9. Basil. *lib.* 8. *cap.* 1 *num.* 5. Salas *sect.* 1. *coroll.* 3. & colligitur ex glossa *cap. cupientes, §. cæterùm, de electione. in* 6. *verbo dispensatio.* Panormit. *cap. tam litteris vestris, num.* 3. *de testib.*

6 Infertur quartò dispensationem differre à simplici licentia requisita per legem, in eo quòd licentia non est contra legem, sed potiùs pro lege; neque licentia tollit per se obligationem legis, sed potiùs per ipsam obligationi legis fit satis. Qua ratione cùm Prælatus tibi concedit egressum è monasterio proprio, & Pontifex ingressum in monasteria monialium, & Episcopus ex legitima causa; non tecum dispensant, sed apponunt condi

conditionem à lege requisitam: lex enim cauebat, ne è monasterio proprio absque licentia exires, néve in monialium monasteria intrares absque licentia illius, qui eam potest concedere. Cùm ergo tibi Prælatus ad hos actus facultatem concedit, iam lex non obligat, quia ex apposita licentia, illius materia cessabit. Et idem est, cùm tibi facultas conceditur donandi, vel accipiendi nummos, nullo modo in voto paupertatis dispensaris; quia huius dispensatio solùm est Pontificis. argument. text. *in cap. cùm ad monasterium, de statu regul.* sed cessat casus, pro quo voto teneris. sic Basil. *n.* 5. Salas *sect.* 1. *circa fin.* Suarez *n.* 11.

7 Infertur quintò, dispensationem differre à legis abrogatione, & derogatione: in eo quòd abrogatio est cassatio totius legis, tam quoad materiam, quàm quoad personas. Derogatio verò est cassatio legis pro aliquo tempore, vel pro aliqua parte communitatis, vel pro aliqua parte legis, si lex secundùm materiam habeat latitudinem: constat ex *l. derogatur*, 102. *ff. de verborum significat. & ex l. derogatur, ff. de reg. iur.* ibi, *derogatur legi, cum pars detrahitur; abrogatur, cùm prorsus tollitur.* Sanchez *lib.* 8. *disp.* 1. *n.* 1. Salas *disp.* 20 *sect.* 1. *circa princ.* Suarez *num.* 12. Basil. *num.* 5.

8 Infertur sextò, dispensationem differre à priuilegio, quia dispensatio semper est contra ius: at priuilegium non est semper contra ius, sed sæpè præter ius. Quando verò priuilegium est contrarium iuri, idem est, ac dispensatio, & eodem modo causam requirit. sic Salas *sect.* 1. *circa finem.* Suarez *lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 13. Basil. *num.* 5. Sanchez *lib.* 8. *disput.* 1. *num.* 1. Deinde dispensatio sæpè non est permanens, hoc est, non est pro vsu pluries repetito contra legem, sed est pro vnico actu determinato: at priuilegium semper consistit in facultate permanenti operandi contra legem, vt diximus explicando priuilegij naturam, & notauit Salas *sect.* 1. *in fin.*

9 Infertur septimò, dispensationem legis, & dispensationem voti, & iuramenti multum differre. Primò, quia dispensatio in voto, & iuramento nunquam fieri potest validè sine causa: at legis propriæ dispensatio optimè potest, vt dicemus. Secundò in voto, & iuramento dispensat Prælatus nomine Dei, cui est ius per votum acquisitum: ipse autem vices suas Prælato committit: in lege autem proprio nomine propriè dispensat. Tertiò in voto fieri potest commutatio, etiam propria authoritate, si sit in melius, & in euidenter æquale, secundùm probabilem sententiam: at in lege nunquam potest dari commutatio, quia obligatio voti à vouentis voluntate ortum habuit, & solum diuinum honorem respicit, qui cùm per materiam meliorem, vel æquè bonam conseruatur, poterit ex voluntate vouentis mutari: at legis obligatio ex voluntate legislatoris pendet, ac proinde à sola voluntate legislatoris pati potest mutationem: sic Vasquez *disput.* 178. *cap.* 2. Salas *sect.* 1. *sub num.* 5. *& sect.* 2. *num.* 7. Aduerto ex supradictis Doctoribus ex iuramento sæpè oriri non solùm obligationem Deo, sed etiam alteri homini: vt si in fauorem alicuius fecisti iuramentum, ipséque acceptauit, non poteris commutare, illo non consentiente, & licèt Prælatus possit relaxare obligationem Deo factam: at sæpè non potest obligationem homini acquisitam, quia illius vices non habet.

PVNCTVM II.

An dispensatio cadere possit in his, quæ iuris naturalis, & diuini sunt.

1 *Explicatur ius naturale tum fundatum in voluntate humana, tum in diuina, tum in conuenientia rerum.*

2 *Aliqua dicuntur de iure naturali non præceptiuo, sed concessiuo.*

3 *Ius præceptiuum mutari non potest, secus ius concessiuum.*

4 *An ius naturale præceptiuum, seu præcepta naturalia dispensari in aliquo casu possint? Proponitur dubitandi ratio.*

5 *Probabilius censeo in nullo iure naturali cadere posse dispensationem.*

6 *Satisfit fundamentis num. 4. adductis.*

7 *Expenditur quorum præceptorum naturalium possint Prælati facere dispensationem indirectam.*

1 IVs generale voco, quod ab ipsa natura rationali ortum habet; ab ipsa enim natura rationali ortum habet malum à se furari, non subuenire pauperi, non defendere innocentem, cùm possim. Hoc autem ius naturale, aliquando fundatur in voluntate humana, aliquando in diuina omnino libera, aliquando in sola conuenientia cum natura rationali. Ius ergo naturale fundatum in voluntate humana, est iuramentum, votum, matrimonium, & quilibet alius contractus; natura enim ipsa dictat hæc omnia seruanda esse, eo ipso, quòd facta sint. Ius verò naturale fundatum in voluntate diuina omnino libera est illud, quod ex institutione sacramentorum, & mediorum ad salutem pertinentium promanat; facta enim institutione horum sacramentorum ratio ipsa naturalis dictat honestè, & religiosè esse tractanda. Denique ius naturale ortum ex sola conuenientia cum rationali natura est tum affirmatiuum, tum negatiuum, tam erga Deum, quàm erga proximum. Affirmatiuum erga Deum est præceptum de illius cultu, & reuerentia. Negatiuum est, ne falsos Deos colas, ne verum odio habeas. Erga proximum est ius negatiuum, scilicet ne illum occidas, & affirmatiuum, nempe, vt illi subuenias.

2 Præmitto secundò aliqua dici de iure naturali non præceptiuo, sed concessiuo, vel probatiuo. Concedit enim ius naturale bona esse communia, homines esse liberos: non tamen præcipit sic permanere semper. Item concedit matrimonium, non tamen omnibus præcipit. Item approbat filium succedere patri, & duobus testibus fidem integrè haberi; non tamen præcipit id esse seruandum.

3 Hæc ergo omnia ab hominibus mutari possunt pro circumstantiis occurrentibus; quia non à natura præcipiuntur, sed conceduntur. Quapropter etsi communitas rerum à natura concessa fuerit. *§. quædam enim, Instit. de rerum diuis.* ab hominibus tamen ob pacem seruandam tolli, vel minui, aut coarctari potuit. *cap. ius naturale, dist.* 1. *& cap. quo iure, dist.* 8. *& cap. dilectissimis,* 12. *quæst.* 1. Item etsi libertas fuerit à natura hominibus concessa, *§. ius autem, Instit. de iure naturali gent. & ciuili.* At iure gentium aliquando aufertur. *l. manumissiones, ff. de instit. & iur. & §. seruitus, Institut. de iure personarum.* ibi, *contra naturam.* Item à natura est, ne quis alterius damno locupletetur, néve alienum retineat. *l. nam hoc natura, ff. de condict. indebit. & l. iure naturæ, ff. de regulis iuris.* at sæpè respublica ob commune bonum, & pacem seruandam bona vnius alteri tribuit, in quo fundatur vsucapio, & præscriptio à lege introducta. *l.* 1 *ff. de vsucap. & vsurpat.* Ratio est, quia sæpè expedit hæc iura, & dominia mutari: si enim attenta propria vtilitate potest tibi non expedire libertatem, & bona amittere, téque in seruum tradere, si amissione illius libertatis, & traditione in seruum graue damnum vitas; quid mirum ob bonum reipublicæ id in aliquibus casibus statui possit? at mutare præcepta naturalia nunquam esse potest expediens, quia nunquam esse potest expediens omittere, quod intrinsecè bonum est, & cuius omissio per se, & ab intrinseco est mala. Et hinc fit, quare ius gentium,

gentium mutare possit ius, seu dominium datum à natura, non tamen ius præceptiuum illius; quia præcepta naturæ fundantur in intrinseca eorum rectitudine, & honestate, seu necessaria veritate: & cùm essentiæ rerum variari non possint, non potest illorum præceptorum honestas, & rectitudo variari. At ius dominatiuum, seu dominia rerum fundantur in ipsis rebus, quæ cùm sint variabiles, dominium in illis fundatum variari potest.

4 Controuersia ergo est, an esto ius naturale, seu præcepta naturalia integre mutari non possint, possint tamen in aliquo casu dispensari, vel ab ipso Deo, vel ab homine?

Ratio dubitandi est, quia quilibet legislator in suis legibus dispensare potest, & alteri vices dispensandi committere: cùm enim leges ex legislatoris voluntate obligationem sortiantur, poterit legislator obligationem coarctare, ac proinde efficere, ne omnes æquanimiter obligentur. At præceptorum naturalium legislator est ipse Deus: ergo poterit in ipsis cum aliquibus dispensare, & alicui hanc potestatem committere. Et confirmo. Sæpè occurrunt casus hanc dispensationem expostulantes, ne gubernatio communis deficiat. Ergo concedenda est: hac enim ratione cogitur sæpe legislator humanus in suis legibus dispensare; quia ea, quæ pro communi vtilitate omnibus imperantur, non omnibus expediunt. Deinde probo variis exemplis Deum per se in his naturalibus præceptis dispensasse, & vices dispensandi commisisse; dispensauit enim cum Abrahamo in occisione proprij filij, *Genes.* 22. & cum Osea in copula fornicaria, *Osea* 1. & cum filiis Israël in spoliatione Ægyptiorum, *Exod.* 12. & poterat dispensare in pluralitate vxorum, in matrimonio consummato, & in matrimonio inter fratres, & inter alios, qui iure naturæ sunt contrahere impediti. Deinde Pontifici commisit potestatem dispensandi in votis, & iuramentis, & in matrimonio rato, & in residentia Ecclesiæ, quorum omnium obligatio ex iure naturæ prouenit. Ergo dari potest dispensatio in lege naturali: & ita defendit tanquam probabilius Thom. Sanchez plures referens *lib.* 8. *de matrim. disp.* 6. *num.* 5. eam tamen *num.* 6. limitat, vt non de omni iure naturali intelligatur, sed de eo, cuius dispensatio censetur esse rectæ gubernationi expediens. Quod autem hoc sit, non satis explicat, sed apponit exemplum voti, residentiæ, & sacrificij in vtraque specie. Vnde videtur ad hæc sola limitare.

5 Nihilominus dicendum est in nullo iure naturali cadere propriè & directè posse dispensationem, neque à Deo, neque ab alio vices ipsius habente. sic docent Couarr. *reg. peccatum, p.* 2. *cap.* 6. §. 9. *num.* 3. Suarez *de legib. lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 5. vbi quamplures refert, *&* *cap.* 15. *num.* 2. *&* 26. Vasquez *disp.* 179. *cap.* 2. Basil. de Leon *lib.* 8. *cap.* 2. *num.* 4. Nauarr. *consil.* 4. *de desponsat. impub. num.* 16. plures, quos refert Thom. Sanchez *lib.* 8. *de matr. disp.* 6. *num.* 4. & tradit glossa *in cap. sunt quidem,* 25. *quæst.* 2. ex text. ibi, *& in cap. proposuit, de concess. prabendæ.* Probatur conclusio. Dispensatio est relaxatio legis, eo casu quo lex obligat absque mutatione circunstantiarum causantium obligationem, sed nunquam Deus in iure naturali dispensare potest, quin circunstantiam aliquam obligantem mutet. Ergo nunquam potest in iure naturali dispensatio cadere directè. Consequentia, & maior propositio ab omnibus admittitur. Minorem probo; quia ea, quæ sunt de iure naturali, habent intrinsecam honestatem, & debitam decentiam per conformationem ad rectam rationem, seclusa omni lege extrinseca; sed rebus omnibus in mutatis hanc conformitatem Deus mutare non potest; quia essentia rerum est inuariabilis, sibique esset contrarius. Ergo neque potest immutare debitam honestatem illarum; ergo neque dispensare: quia dispensare est ex voluntate superioris facere licitum, quod aliàs illicitum est rebus omnibus immutatis. Quòd si Deo in iure naturali dispensatio non concedatur, à fortiori neque humanæ potestati est concedenda, quia homo ex se hanc potestatem habere non poterat, sed ex Deo: siquidem inferior in lege superioris dispensare non potest, sine eius commissione. *cap. inferior, dist.* 21. *& Clement. ne Romani, de electione.* Vnde consuetudo aduersùs ius naturale præualere non potest. *cap. cum tanta, de consuetud.* & tradit ibi glossa, *& in* §. 1. *dist.* 5. *&* §. *vlt. dist.* 6.

6 Neque obstant fundamenta contraria. Ad rationem enim dubitandi respondeo, nunquam contingere posse casum, in quo conueniens sit in iure naturali dispensare; quia numquam potest esse conueniens facere id, quod de se malum est, vel omittere, quod per se debetur. In legibus autem positiuis conuenit sæpè dispensatio; quia causæ, ob quas fuerunt appositæ, non æquanimiter circa omnes procedunt. Exempla item adducta non probant dispensare Deum in iure naturali, sed mutare circunstantias rerum, & conditiones, in quibus ius naturale obligat. Pro quo supponendum est aliqua esse præcepta naturalia immutabilia, quæque in qualibet circunstantia præcepta sunt. Hæc censentur esse omnia illa, quorum materia non pendet ex dominio Dei, qualia sunt mentiri, falsos Deos colere, odio Deum habere. Alia verò sunt, quorum materia ex dominio Dei pendet: hæc, inquam, si Deus vti velit suo absoluto dominio, non obligabunt; quia mutabitur materia obligationis. hæc autem mutatio, dispensatio non est. Non enim dispensat respublica in lege reddendi depositum, quando ob commune bonum redditionem impedit, neque dispensat in lege naturali occidendi hominem, quando ob punitionem delicti commissi mandat occidi. Sic ergo cùm Deus Abrahamo imperauit filium occidere, & Oseæ copulari mulieri fornicariæ, & Israëlitis, Ægyptios spoliare, non dispensauit in præcepto naturali occidendi, fornicandi, aut furandi; hæc enim semper inuariabilia manserunt, sed apposuit conditionem, qua illorum obligatio cessabit, & qua posita numquam ius naturale negauit occisionem, commixtionem corporum, aut spoliationem. Hæc autem conditio fuit vsus suæ potestatis dominatiuæ; cùm enim ipse dominus sit absolutus omnium creaturarum, tam rerum, quàm corporum, & vitæ; potest pro libito illis vti, ac proinde spoliare quosdam, aliósve ditare, vnum occidere, alium conseruare, vnum commiscere, commixtione alteri denegata. Eodem modo dicendum est de aliis exemplis in illa ratione dubitandi allatis: mutari, inquam, materiam, qua obligatio naturalis cessat, non tamen dispensari directè in illius obligatione, & in voto res videtur esse manifesta: non enim potest Deus facere, vt manente voto, & eius acceptatione, non debeat vouens votum implere; quia hoc est intrinsecè debitum rationi: at quia potest nolle oblatum acceptare, vel acceptatum remittere; ideo potest obligationem relaxare,: remissio autem huius acceptationis dispensatio propriè dici non debet, quia hæc non est actus iurisdictionis, sed dominij; aliàs cùm Petro promitteres hereditatem aliquam, ipse verò cederet promissioni, dispensare tecum diceretur, quod est impropria locutio, & ita non debet concedi, sicut non concedit Suarez *de legib. lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 11. Basil. *de matrim. lib.* 8. *cap.* 2. *num.* 9. Salas *disp.* 24. *sect.* 5. *fine.* Exemplum de residentia eodem modo soluitur. Admitto residentiam de iure naturali esse, quoties supremus pastor, & rector illius non cesserit obligationi à te contractæ. at si ipse cedat, & subeat in se onus prouidendi Ecclesiæ necessitatibus; cessat tibi obligatio non per dispensationem propriam, sed per remotionem materiæ, ex qua obligatio consurgebat, vt optimè explicat Suarez *cap.* 14. *num.* 21. & Basil. *n.* 15. Similiter dicendum est de dispensatione in

in matrimonio rato; est enim matrimonium illud à natura indissolubile, ita vt ex voluntate contrahentium dissolui nullatenus possit: at ex voluntate Dei, qui supremus Dominus est voluntatis humanæ,& vinculi inde consurgentis, dissolui poterit, quod quidem non est propriè dispensare in matrimonio, cùm matrimonium non maneat,sed tollere matrimonium,& consequenter illius obligationem: sicuti quando solet respublica dissoluere alios contractus legitimè factos, non dicitur tunc dispensare, sed potestate sua dominatiua vti. sic Vasquez *disp.179.cap.3.prope finem.* Basilius *num.14.*

7 Sed inquires. Quorum præceptorum naturalium habeant Prælati potestatem mutandi materiam, ac proinde tollendi obligationem? quod est inquirere, in quibus præceptis naturalibus possit cadere humana dispensatio indirecta?

Respondeo breuiter, posse cadere dispensationem indirectam in illis omnibus,in quorum materia habent Prælati potestatem dominatiuam, quia si illa potestate vtantur, cessat præceptorum obligatio. Exemplis declaro. Quia habet respublica potestatem dominatiuam circa bona suorum subditorum, vt possit ob necessitatem boni communis ea expendere, datur vsucapio, & præscriptio in alienis bonis. Item potest rem ab vno auferre, & alteri tribuere. At in illis rebus, in quibus non habent Principes potestatem dominatiuam, nequeunt etiam indirectè dispensare, seu naturale ius variare. Quocirca cùm in corpora humana non habeant liberam facultatem disponendi, non poterunt mulierem sine consensu illius alteri applicare,& commixtionem carnalem licitam efficere. Neque Deus censendus est hanc potestatem Principibus sæcularibus, neque Pontifici summo reliquisse,quia non videbatur expediens hanc illis potestatem relinquere. erat enim non leuibus inconuenientiis exposita. Qua ratione dicit Thom. Sanchez *lib.8. disp.16. num.10.* cum innumeris à se relatis Suarez *lib.2.de legibus, cap.14.num.23.* Basilius *lib.8.de matrim.cap.2.num.16.* Pontifici summo relictam non esse potestatem dispensandi in impedimentis iure naturæ dirimentibus, qualia sunt impedimenta erroris, impotentiæ,ligaminis, & consanguinitatis in primo gradu. Quia licèt in aliquo casu hanc dispensationem concedere videatur expedire: at conuenientius esse videtur hanc potestatem omnino denegatam esse,ne frequentius,quàm par esset, illa Pontifices vterentur,& via incestuosis nuptiis aperiretur.

PVNCTVM III.

An in iure diuino positiuo dari possit dispensatio, & à quo.

1 *Deus optimè potest in illo dispensare.*
2 *Sed non est credendum concedere, nisi per Ecclesiæ authoritatem.*
3 *Non est concessa hæc potestas Regibus,neque aliis sæcularibus Principibus.*
4 *Proponitur triplex sententia. An Pontifex in iure hoc dispensare possit.*
5 *Approbatur tertia,negans posse dispensare.*
6 *Proponuntur quædam obiectiones,& soluuntur.*

1 POno primò,posse Deum dispensare: si enim potestas dispensandi in propriis legibus cuilibet legislatori humano conceditur; quomodo supremo legislatori neganda erat? Et licèt humanus legislator non possit pro libito dispensationem concedere, sed debet causa adesse dispensandi. At legislator diuinus pro libito suo illam concedere potest; quia eius voluntas est sufficientissima causa honestandi dispensationem; tum quia est supremus Dominus: tum quia eius voluntas est infallibilis regula bonitatis.

2 Pono secundò, hanc dispensationem non esse credendum Deum concedere, nisi per Ecclesiæ authoritatem constet,aut per aliam certam reuelationem ab Ecclesia approbatam, ex *cap. nisi cùm pridem, de renunciat. cap. cùm ex iniuncto, de hæret.* & tradit Basil. de Leon *lib.8. cap.3.num.1.* Suarez *lib.10.de legibus, cap.6.num.1.* Salas *disp.24.num.31.*

3 Pono tertiò hanc potestatem non esse concessam Regibus, & aliis sæcularibus Principibus, quia ipsis non est concessa alia potestas,nisi temporalis,quia hæc sufficit ad gubernationem politicam. Hæc autem potestas est spiritualis,& supernaturalis, vtpote circa spiritualia,& supernaturalia versans. Ergo. Deinde affirmo non esse concessam Prælatis inferioribus à Pontifice,scilicet Episcopis, Patriarchis, &c. quia vsus huius potestatis rarissimus esse debebat, casu quo concessus esset: ac proinde necessarium non erat penes quemlibet Prælatum residere. Adde dispensationem hanc esse ex grauioribus causis, quæ in Ecclesia contingere possunt. Ergo si ad aliquem pertinet, solùm debet esse summus Pontifex, ex *cap. maiores, de Baptism.* sic Suarez *suprà n.2.* & supponunt omnes alij Doctores.

Quare solùm de Pontifice mouent quæstionem? An, inquam,dispensare in hoc iure diuino possit?

4 In hac re triplex est sententia. Prima affirmat in omni iure diuino positiuo, seclusis fidei articulis,posse ex causa graui, & vrgente Pontificem dispensare. sic Panormitanus *in cap. proposuit. de concess. præbend. num.20.* Felin. *in cap. quæ in Ecclesiarum, de constitut. num.19. & 20.* vbi pluribus exornat, *& in cap.1. de constitution. num.23.* Decius *consil.112. num.3. & in supradicto cap. quæ in Ecclesiarum, num.44. in nouis.* Secunda sententia limitat supradictam. Affirmat namque dispensare Pontificem posse non in omni iure diuino, sed in aliquo,in eo scilicet, in quo maius Dei obsequium videatur esse, dispensationem concedere, quàm ius diuinum integrè obseruari. sic docuit Cano *relect. de pœnitent. part.5. ad finem.* Sanchez *de matrim.lib.8. disput.6. num.6.* Fundamenta vtriusque sententiæ ex probatione nostræ conclusionis dissoluuntur;quòd si aliqua fuerint, quæ speciali indiguerint explicatione,postea subiiciemus.

5 Tertia sententia communis, & verissima est. Affirmat in nullo iure positiuo diuino posse Pontificem dispensare. sic D.Thom. quem communiter Theologi sequuntur, *1.2.quæst.97.art.4. ad 3. & 2.2.quæst.88.art.10. in solut.ad 3. & quodlib.4. art.13.* Suarez plures referens *lib.10.cap.6.num.7.* Salas *disput.24.sect.5.num.33.* Basilius *lib.8.cap.3.num.2.* Couarr. *4.decret.part.2.cap.6.§.9. num.4.* Syluest. *verbo Papa,quæst.16.* Salmeron *tract.61. in act.in 4.& 5.difficult.* & alij apud ipsos,& facit textus *in cap. sunt quidam,& cap. contra statuta patrum,& cap. omne quod,* & alij 25. *quæst.* 1. vbi asseritur non esse Sedis Pontificiæ aliquid condere contra Apostolorum statuta,vel aliquid illorum mutare. Ratio est,quia Pontifex non habet hanc potestatem, nisi à Christo Domino illi sit specialiter commissa. At hæc commissio non constat primò ex illis verbis, *quodcumque ligaueris super terram*; tum quia illa verba nimis generalia sunt. Ex verbis autem ita generalibus non debet inferri concessio rei ita grauis,& extraordinariæ; quia propter eius grauitatem specialem concessionem desiderabat. Quocirca nunquam intellexerunt Pontifices illis verbis esse talem potestatem concessam,aliàs sæpè vsi illa fuissent, sicuti vtuntur aliis potestatibus sibi datis, quásque habere agnoscunt. Item hæc potestas non cedebat in ædificationem Ecclesiæ,sed potiùs in illius destructionem; destruebat enim vnitatem, & firmitatem Ecclesiæ: Ecclesia enim per totum orbem terrarum est vna, non solùm in articulis fidei, sed etiam in religioso cultu, qui

in

in sacrificiis, & sacramentis continetur: si igitur hic religiosus cultus variari posset decursu temporis, vix vnitas Ecclesiæ agnosceretur. Adde Christum Dominum nulla alia præcepta positiua Ecclesiæ imposuisse, præter illa, quæ pertinent ad fidem, & ad sacramenta, & sacrificia; si igitur in his admittatur dispensatio, facilè Ecclesia corruere poterit, cùm eius fundamenta corruant. Denique nulla potest excogitari causa legitima dispensandi in aliquo præcepto diuino, quæ in omnibus præceptis locum non habeat: at concedere potestatem dispensandi in omnibus, videtur Ecclesiæ vnitati, & stabilitati omnino perniciosum. Ergo etiam videtur perniciosum concedere potestatem dispensandi in quolibet ex his præceptis diuinis. Maiorem probo exemplis, sæpè continget casus, vt ob defectum aquæ paruulus absque Baptismo moriatur, sæpè, vt sacerdos non adsit absoluendo. Poterit ergo in his casibus dispensare, vt aqua rosata pro naturali apponatur, & laicus nomine sacerdotis absoluat? Absit. Item in aliqua regione esse potest summa penuria tritici, in alia vini. Dispenset ergo Pontifex, vt in pane hordeaceo, vel in sicera consecretur? Item ex obseruatione sigilli confessionis, graue damnum sacerdoti, vel regno imminere potest. Dispenset ergo Pontifex in tali præcepto? Quòd si in his, & aliis dari non possit dispensatio, in nullo præcepto diuino est concedenda. Quia firmitas horum præceptorum magis expedit Ecclesiæ, quàm quælibet alia causa, quæ pro dispensatione illorum excogitari potest.

6 Sed obiicies primò, ex verbis Christi Domini Matth. 19. *Quodcumque ligaueris super terram*, &c. colligunt Doctores Pontificem dispensare posse in voto, iuramento, & in matrimonio rato, & in matrimonio spirituali inter Episcopum, & Ecclesiam; sed hæc omnia sunt iuris diuini. Ergo iam in iure diuino dari potest dispensatio.

Respondeo primò. In iure diuino fundato in humano contractu benè potest dari dispensatio; quia hoc non est dispensare in iure diuino, sed in fundamento illius. At in iure diuino absoluto, & independenti à voluntate hominis, qualia sunt, materiæ, & formæ sacramentorum, & sacrificij, & præcepta fidei, spei, charitatis, nullo modo cadit dispensatio.

Secundò respondeo ex illis verbis Matth. colligere Doctores, posse Pontificem remittere nomine Dei obligationem, voti, & iuramenti, & matrimonij rati; quia ex praxi, & vsu Ecclesiæ id constat: at ex vsu, & traditione Ecclesiæ contrarium colligitur in aliis diuinis præceptis. Ergo in illis non est admittenda talis dispensatio, sicuti non admittitur in matrimonio consummato.

Obiicies secundò. In solemni religiosorum professione solet Pontifex dispensare; sed hæc obligatio videtur esse ex iure diuino. Ergo in iure diuino debet admitti dispensatio?

Respondeo solemnitatem in professione non ex iure diuino, sed Ecclesiastico esse, vt constat ex Bulla, *Ascendente Domino pro societate Iesu expedita*, atque ideo sicut potest causa existente remittere obligationem cuiuslibet voti Deo facti, ita potest remittere obligationem professionis. Deinde Pontifex est supremus, & immediatus Prælatus religiosorum, cui in obedientia subduntur religiosi. Si ergo Pontifex hanc obedientiam remittit, cessat obligatio voti; sicuti si tibi promitterem hæreditatem sub voto, & tu nolles eam acceptare, vel acceptatam remitteres, cessaret in te voti obligatio, quia cessabit materia voti. Deinde sublata obedientia, tollitur etiam votum paupertatis, & castitatis, quæ tacitam habebat conditionem, dum sub obedientia existerem. sic explicuit Basil. de Leon *lib. 8. de matrimon. cap. 3. num. 5. & lib. 7. cap. 12. in fine*. Salas *disp. 24. sect. 5. num. 35*.

Obiicies tertiò. Aliquando Pontifex dispensat, vt minister confirmationis sit simplex sacerdos, cùm tamen videatur esse de iure diuino, quòd sit Episcopus.

Respondeo. De iure diuino solùm est, quòd minister ordinarius confirmationis sit Episcopus, non tamen absolutè; absolutè enim quilibet simplex sacerdos est ex institutione diuina, confirmationis, & ordinis minister: ac proinde cùm ex commissione Pontificis simplex sacerdos confirmet, non censetur in iure diuino dispensatus. sic Basilius *suprà cap. 3. n. 6.* Suar. *lib. 10. cap. 6. n. 20. & 3. tom. de Eucharist. disp. 36. sect. 2.* Salas *disput. sect. 5. num. 35*.

Obiicies quartò. Pontificem dispensare posse, imò dispensasse in sacrificio ob vrgentem aliquam causam, vt fieri possit in vna tantùm specie, vini scilicet, vel panis. At fieri sacrificium in vtraque specie est de iure diuino. Ergo iam datur in iure diuino, immediata, & directa dispensatio: sic docuit de hoc exemplo expressè Thom. Sanch. *lib. 8. de matrimon. disp. 6. num. 6.* & tradit Turrecremata *in cap. comperimus, de consecrat. distinct. 2. &* Anton. *3. part. titul. 13. cap. 6. §. 1.*

Respondeo primò negando Pontificem vnquam dispensasse; quia de tali facto authenticè non constat, imò neque dispensare posse. sic Vasq. *tom. de Eucharist. disp. 228. per totam.* Basil. *de matrim. lib. 8. cap. 3. fine.* Suar. *de Eucharist. disp. 43. sect. 4. & de legib. lib. 10. c. 6. num. 21.* & alij apud ipsos. Tum quia non potest à sacrificio expressam significationem mortis Christi separare, quæ videbatur separata, si in vna tantùm specie fieret consecratio; quia in consecratione vnius tantùm speciei non satis apertè significatur separatio sanguinis à corpore. Tum etiam, quia non apparet, quare magis in hoc iure, quàm in sigillo confessionis, & matrimonio consummato, & in materia Baptismi, & aliorum sacramentorum, non detur dispensatio, si semel ponamus de iure diuino esse consecrationem fieri in vtraque specie.

Secundò respondeo probabile esse posse authoritate Pontificis in vna tantùm specie sacrificium offerri, vrgenti, graui, & communi bono alicuius prouinciæ; sed tunc Pontifex non dispensabit in iure diuino, sed declarabit doctrinaliter ad illum casum non se extendere. Pro quo supponendum est in hac sententia offerri sacrificium ex iure diuino esse: at quòd sit in vtraque specie, non esse per se ex iure diuino, sed ex iure naturali dictante, si offeratur sacrificium Deo, integrum, & perfectum esse offerendum. Cùm ergo Pontifex permitteret in aliqua prouincia sacrificium in vna specie offerri, declarat vtique præceptum naturale sacrificandi integrè ad illum casum non se extendere. sic Suar. *lib. 10. cap. 6. fine.* vbi aduertit hanc declarationem fieri non posse ab alio præter Romanum Pontificem, quia est res grauissima, & satis dubia.

PVNCTVM IV.

An in lege humana legislator illius possit dispensare.

1 *Cuilibet legislatori competit potestas dispensandi in suis legibus.*
2 *Pontifex in suis legibus, & in legibus Concilij, & in legibus aliorum Pontificum potest dispensare.*
3 *Episcopus in legibus Synodi diœcesanæ.*
4 *Aliqui limitant, nisi iuramento sint constitutiones firmatæ, sed repellitur limitatio.*
5 *Secundò limitatur, nisi constitutiones transierint in contractum. Explicatur limitatio.*
6 *Tertiò limitant, nisi fuerint constitutiones à superiore confirmatæ. Sed intelligenda est de vera confirmatione.*
7 *An in legibus superioris non reseruatis expressè, possint inferiores dispensare? Proponitur prima sententia.*

8 *Probabilius est hanc potestatem inferiores non habere, nisi expreßè, aut tacitè concedatur à superiore.*
9 *Satisfit argum. num. 7. adductis.*
10 *Non potest Episcopus in legibus Concilij prouincialis dispensare, aliter, quàm in legibus Pontificijs.*
11 *Idem dicendum est de Archiepiscopo, qui tali Concilio præfuit.*

1 CONstat legislatori competere potestatem dispensandi, quia ab eius voluntate pendet legum obligatio. Et idem est de successore in iurisdictione; quia reputatur eadem persona cum legislatore. Et idem est à fortiore de superiore legislatoris, vt ex terminis liquet. sic Vasquez *disput.* 178. *de legibus, cap.* 2. Bonacina *disput.* 1. *quæst.* 2. *punct.* 5. *num.* 15. Azor *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 15. *quæst.* 5. Salas plures referens *disp.* 10. *sect.* 3. *n.* 16. & alij statim referendi.

2 Ex hac doctrina fit posse Pontificem dispensare in legibus à se latis, quia est earum legislator, & in legibus Concilij generalis, quia est superior, & in legibus aliorum Pontificum, quia est æqualis authoritatis; nullus enim extra Deum limitare Pontificis authoritatem potest. Adde posse dispensare in lege qualibet Apostolica humana, vt in lege ieiunij quadragesimalis in obseruatione diei Dominicæ, in bigamo non ordinando. Quia licèt Apostoli in dignitate Apostolica, aliisque prærogatiuis fuerint Pontifice superiores, & excellentiores: at in iurisdictione illis Pontifex inferior non est, siquidem non est inferior Petro, in cuius iurisdictionem succedit. sic alios referens tradit Couarr. 4. *decret.* 2. *part. cap.* 6. §. 3. *num.* 6. Suarez *lib.* 10. *de legib. cap.* 14. *n.* 2. Salas *disp.* 10. *sect.* 3. *sub num.* 16. Basil. *lib.* 8. *de matr. cap.* 5. *num.* 2. Bonacina *num.* 8.

3 Secundò fit posse Episcopum, vel Archiepiscopum in legibus Synodi diœcesanæ dispensare; quia leges synodales sunt leges ab ipsomet Episcopo latæ: parochi autem solùm sunt consiliarij, non legislatores. sic Nauarr. *in summ. cap.* 25. *num.* 74. Azor *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 15. *quæst.* 3. Thomas Sanchez *lib.* 8. *disput.* 17. *num.* 33. Ioan. Salas *disput.* 20. *sect.* 4. *num.* 43. Suarez *lib.* 6. *cap.* 15. *num.* 8. Basilius *lib.* 8. *cap.* 5. *num.* 3. Bonacina *num.* 5. Barbosa *de potestate Episcopi,* 2. *part. allegat.* 34. *num.* 3. Quocirca his legibus, quoad vim coactiuam non arctantur Episcopi, vt bene notauit Basilius *suprà.* Aduerto non requiri Episcopum esse consecratum, sufficit, si electus, & confirmatus sit; quia potestas dispensandi non est potestas ordinis, sed iurisdictionis. sic Basilius *cap.* 4. *num.* 4. Sanchez pluribus relatis *lib.* 4. *in Decalog. cap.* 37. *num.* 16. & 20. Barbosa 1. *part. de potestate Episcopi, allegat.* 36. *num.* 8. & colligitur satis ex *cap. cum in cunctis,* §. *cum verò, suncta gloss. verb. administrationem, de elect.*

4 Limitant tamen aliqui, dummodo constitutiones non sint à legislatore iuramento firmatæ, quia cùm ipse sibi relaxare iuramentum non possit, neque poterit dispensationem legis concedere. sic Syluest. *verbo dispensatio, quæst.* 13. *num.* 19. Sayro *Thesauri casuum tom.* 1. *lib.* 6. *cap.* 11. *num.* 11. Azor *lib.* 5. *institutionum, cap.* 15. *quæst.* 7. Barbosa 2. *part. allegat.* 34. *num.* 6. Cæterùm admittenda non est hæc limitatio, sicuti neque illam admittit Sanchez pluribus relatis *lib.* 8. *disput.* 17. *num.* 31. Salas *disput.* 20. *sect.* 4. *num.* 42. *versic. tertiò temperant.* Basilius *lib.* 8. *cap.* 5. *num.* 1. & 5. Ratio est, quia iuramentum semper habet subintellectam conditionem æquitatis, hoc est, non esse dispensandum in lege, nisi causa iusta dispensandi interueniat, vt multis probat Farinacius *lib.* 1. *praxis, quæst.* 17. *num.* 15. Item tecum Episcopus dispensare potest in iuramento, sicuti potest cum suis subditis, vt tradit Sanchez *disput.* 3. *num.* 8. & nos postea dicemus. Ergo non obstante iuramento poterit legislator in constitutione iurata dispensare, dispensato priùs iuramento. Denique iuramentum solùm impedire potest, ne licitè dispensationem concedat: at valorem dispensationis impedire non potest, quia valor dispensationis in lege propria ex voluntate solùm dispensantis pendet.

5 Limitant secundò. Nisi illa constitutio transierit in contractum, & commodum alterius; vt si constitutio facta sit, vt gaudeant immunitate à tributis omnes, qui ad ciuitatem venerint, vel in ea habitauerint, non poterit legislator venientes, vel habitantes legis beneficio priuare. sic Syluest. *verbo dispensatio, quæst.* 13. *num.* 19. Sanchez plures referens *num.* 29. Barbosa *num.* 6. Addit tamen Sanchez, & Barbosa ex legitima causa superueniente posse tali constitutioni contrauenire legislatorem. Verùm indiget explicatione hæc limitatio: si enim Episcopus, vel alius Princeps animo se obligandi illam constitutionem promulget, absque dubio posita conditione ex parte subditorum obligatus manebit, neque poterit postea resilire, non quia non possit in sua lege dispensare, sed quia non potest dispensare in lege naturali illum obligante seruare contractum initum. At si Princeps nolit, vel non possit se hoc modo obligare: tunc equidem dispensare posset, quia esset dispensatio in propria lege, non in contractu. sic Salas *disp.* 20. *sect.* 4. *n.* 42. *limit.* 1. Basil. *lib.* 6. *cap.* 5. *num.* 7.

6 Tertiò limitant: nisi illæ constitutiones à superiore legislatore fuerint confirmatæ. Vt si Episcopales constitutiones confirmet Pontifex, non videtur tunc posse Episcopum in talibus constitutionibus dispensare, quia ex illa confirmatione nouam authoritatem receperunt, & factæ sunt, quasi leges Pontificiæ. Vnde cùm leges Pontificias neque abrogare, neque mutare potest Episcopus, ita neque poterit has à Pontifice confirmatas. sic Boter. *de Synod. Episcop. part.* 2. *artic.* 4. *num.* 12. Sayrus *de censuris, lib.* 6. *cap.* 11. *num.* 11. Azor *lib.* 5. *cap.* 15. *quæst.* 7. Sanchez *disput.* 17. *num.* 30. Barbosa *allegat.* 34. *num.* 7. At hæc limitatio vt verum habeat, intelligenda est de vera confirmatione, qua Pontifex velit constitutionem inferioris propriam sibi facere, sæpè enim solùm intendit constitutionem factam approbare, & quasi laudabilem esse iudicare; non autem nouam vim obligandi tribuere. Quod ita præsumendum est, quoties ante approbationem Pontificiam habebat constitutio vim obligandi. nam si nullam habebat, eo quòd non erat lata ab his, qui legem statuere poterant, præsumi debet approbationem Pontificiam expostulatam esse pro vi obligandi. Quapropter tenor confirmationis semper inspiciendus est. sic Salas *disput.* 20. *sect.* 3. *num.* 29. *circa finem.* Basilius *lib.* 8. *cap.* 5. *num.* 6.

7 Difficultas ergo est, an in legibus superioris non reseruatis expresse habeant inferiores Prælati potestatem dispensandi ex suo officio?

Prima sententia docet Prælatum inferiorem posse in legibus superioris dispensare, si ei interdictum non sit. sic Anton. 1. *part. tit.* 17. §. 20. Soto *in* 4. *distinct.* 27. *quæst.* 1. *art.* 4. §. *at quo tandem.* Couarr. *cap. alma,* 1. *part.* §. 7. *num.* 8. reputat probabile Bonacina *disput.* 1. *de legibus, quæst.* 2. *punct.* 1. *num.* 27. plures adducit Barbosa 2. *part. de potestate Episcopi, allegat.* 33. *num.* 17. Et probant primò, quia sine hac facultate non possunt inferiores gubernationi consulere; quia non debent pro quocumque casu ad Principem recurrere; esset enim nimis molestum. Ergo censetur illis concessa. Secundò sæpè reseruat superior sibi dispensationem legis à se constitutæ. Ergo cùm non reseruat, censetur illam concedere; aliàs frustrà reseruaret, si ex positione tantùm legis reseruata esset. Et confirmo ex *cap. nuper, de sentent. excommunicat.* vbi dicitur, cùm Pontifex non reseruat sibi absolutionem excommunicationis, eo ipso censetur inferioribus Prælatis concedere. Ergo idem erit dicendum

dum in dispensatione. Tertiò, quia in votis, & iuramentis inferior dispensat, cùm non interdicitur. Ergo etiam in qualibet lege Ecclesiastica, cuius obligatio inferior est obligatione voti, quæ est ex iure diuino. Quartò in obseruatione festorum, & ieiuniorum dispensant inferiores Prælati, quia non interdicuntur. Ergo etiam in aliis legibus. Denique est ratio à priori, quia quilibet Episcopus in sua diœcesi potest quidquid potest Papa in tota Ecclesia, nisi à Pontifice prohibeatur. sic Victor. *relect. de potest. Ecclesiæ, num.* 28. Sanchez plures referens, 1. *de matrim. disput.* 61 *num.* 3. Barbosa 2. *part. de potestate Episcopi, allegat.* 33. *num.* 17. Est enim pastor ordinarius, cui incumbit regimen suæ diœcesis adæquatè. Ergo dum non limitatur, æquè ac Pontifex habet iurisdictionem; hac enim ratione Confessor ordinarius habet potestatem absoluendi ab omnibus casibus, qui Episcopo, vel Pontifici reseruati non sunt; quia est ordinarius. Ergo idem erit dicendum de Episcopo in dispensationibus concedendis.

8 Nihilominus probabilius existimo nullum inferiorem habere potestatem dispensandi in legibus superioris, nisi superior expressè, vel tacitè concedat: sic glossa *in cap. cùm singuli, §. fin. verbo canonici, de prebend. in* 6. *& in cap. in quibusdam, de pœnis.* Couarr. 4. *decret.* 2. *part. cap.* 6. *num.* 15. Ioan. Gutierrez *lib.* 1. *canon. quæst. cap.* 5. *num.* 10. Basilius *lib.* 8. *cap.* 6. *num.* 1. Suarez *lib.* 6. *de legibus, cap.* 14. *num.* 4. Salas *disput.* 20. *sect.* 3. *num.* 20. Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disput.* 5. *num.* 9. *& lib.* 2. *disput.* 40. *num.* 1. Barbosa 2. *part. de potestate Episcopi, allegat.* 33. *num.* 18. Bonacina *disput.* 1. *quæst.* 2. *punct.* 1. *num.* 17. & alij apud ipsos, & colligitur satis ex *cap. cùm inferior, de maiorit. & obedient. & ex Clement. ne Romani, de elect.* vbi cauetur inferiorem non posse superioris iura mutare: si autem absque illius consensu tacito, vel expresso dispensationem concedere inferior posset, iam superioris iura sine illius consensu posset mutare. Deinde inferior non potest voluntatem superioris impedire ipso non consentiente; aliàs esset ipso superiore superior. Ergo non potest concedere dispensationem ipso non consentiente; quia per dispensationem impeditur voluntas superioris intendentis obligare. Neque satisfacis, si dicas ex vi officij tibi hanc potestatem esse concessam, dum non prohiberis; quia aliàs non bene argueret textus *in cap. dilectus, de temporibus ordinat.* condemnans Episcopum, quòd vno die plures ordines sacros conferret, etiamsi de mandato Metropolitani faceret; quia à iure ei non est permissum. poterat enim replicare, sufficit, quod mihi non sit prohibitum. Adde plures esse irregularitates, & inhabilitates à iure statutas, in quibus nequeunt Episcopi ex proprio munere dispensare, quia non inueniuntur concessæ, etiamsi non inueniantur prohibitæ. Requiritur ergo expressa, vel tacita concessio. Denique etsi glossa *in supradicto cap. dilectus, verbo, permissa,* censeat in criminibus posse Episcopum dispensare, nisi expressè ei prohibeatur. At *in cap. at si clerici, §. de adulterijs, de iudicijs,* cum communi sententia docet in criminibus adulterio maioribus dari non posse dispensationem, eo quòd non reperitur concessum; bene tamen in minoribus.

9 Neque obstant argumenta contraria.

Ad primum dico plures esse casus, in quibus conceditur inferioribus potestas dispensandi, quibus sufficienter prouisum est gubernationi, de quibus statim dicemus.

Ad secundum reseruat quidem dispensationem, ne veniat intelligenda in generali concessione.

Ad confirmationem, ex *cap. nuper,* dico absolutionem excommunicationis concedi, quoties non reseruatur; secus verò dispensatio, quia absolutio non est contra ius, sed potiùs iuri conformis; ius enim præcipit dispositum absoluere: at dispensatio semper ius violat. Item absolutio ab excommunione, & peccatis ad bonum animæ ordinatur, ideóque expediebat facilius concedi, quàm dispensatio. Quapropter non solùm Episcopo, sed parocho est concessa, dum non reseruatur; vt constat ex *ex suprad. cap. nuper.*

Ad tertium dico dispositionem in votis, & iuramentis non esse dispensationem in lege superioris, quia nullus dispensat, vt manente voto cesset obligatio, sed est remissio materiæ per votum promissæ, quam remissionem possunt omnes Prælati facere nomine Dei, quoties sibi non interdicitur, quia hoc videbatur expedire communi bono, eo quòd frequentissimè occurrat occasio in his dispensandi.

Ad quartum concedo ex tacita concessione Pontificis consuetudine manifestata habere inferiores Prælatos potestatem dispensandi in obseruatione festorum & ieiunij, eo quòd hi censentur casus satis frequentes.

Ad vltimum nego illud axioma verum esse, Episcopum in sua diœcesi habere eandem potestatem, ac summum Pontificem pro tota Ecclesia; numquam enim Episcopus potuit committere presbytero sacramentum ordinis, aut confirmationis, quod tamen potest Pontifex, neque potuit dispensare in matrimonio rato, neque definire res fidei, canonizare Sanctos, concedere indulgentias absolutè vsque ad plenariam remissionem, instituere censuras, approbare religiones, & alia huiusmodi; solùm enim illa propositio habere potest verum in his, quæ ad commune regimen spectant, & antequam à Pontifice lex aliqua constituatur. Nam illa lege constituta ex vi illius limitata est inferioris iurisdictio, vt non possit circa illam se intromittere. Adde quoties non conceditur inferiori potestas dispensandi in lege superioris, expressè censetur denegata. nam licèt non denegetur in particulari, denegatur tamen in genere; eo quòd generaliter ius statuat præcepta superioris ab inferioribus obseruanda esse. *cap. super his, cap. cùm inferior, de maior. & obed. & cap.* 1. *de constit.*

10 Ex his infertur primò, Episcopum non posse dispensare in legibus Concilij prouincialis, alio modo, quàm potest dispensare in legibus Pontificiis, quia sunt leges superioris. sic Basilius *lib.* 8. *cap.* 6. *num.* 10. Suarez *lib.* 6. *cap.* 15. *num.* 4. & Doctores referendi corollario sequenti. Concilium enim prouinciale superius est quolibet Episcopo, vt constat ex *tota dist.* 18. *& ex cap. saluo,* 9. *quæst.* 3. *& cap. graue nimis, de prebend.* Item Concilium prouinciale potest condere leges, quas Episcopi obseruare tenentur, & facere obseruari, vt dicitur *cap. sicut olim, de accus.* & in Trident. *sess.* 24. *cap.* 2. Adde, tempore antiquo Concilium prouinciale potestatem habebat cognoscendi de causis Episcoporum, & illas terminandi, vsque ad definitiuam sententiam. quod est satis clarum Concilium prouinciale semper fuisse quolibet Episcopo superius.

11 Infertur secundò. Idem quod dictum est de quolibet Episcopo, dicendum est de Archiepiscopo, qui Concilium prouinciale congregauit, nō posse, inquam, dispensare in his legibus, quia hæ leges non sunt leges latæ à solo ipso, sed sunt leges latæ à Concilio superiore illius; sunt enim latæ ab aliis Episcopis per modum vnius, omnes enim habent votum decisiuum. *cap. sicut olim, de accus.* Item Metropolitanus solùm habet potestatem supra alios Episcopos congregandi Concilium: vt constat ex Trident. *sess.* 24. *cap.* 2. Deinde, quia ab Archiepiscopo ad Concilium prouinciale datur appellatio, tanquam ab inferiore ad superiorem, vt tradunt *gloss. fin. in cap. à collatione, de appellat. in* 6. Cardinal. *in Clement.* 1. *§. quod etiam in interdictis, num.* 1. *notab.* 1. *de sent. excommunicat.* vbi Anchar. *num.* 5. *notab.* 5. & tradit Nauarr. *consil.* 6. *sub tit. de maiorit. & obedient. in nouo ac, n.* 4. Neque obstat Archiepiscopum esse caput Concilij; quia non est caput Concilij quoad iurisdictionem: non

non enim est in iurisdictione superior ipso Concilio congregato; sed est caput illius quoad vocandum, & congregandum Concilium, & quoad locum sedendi in Concilio, sicut Decanus, & Canonicus senior in Capitulis Ecclesiæ cathedralis. Neque etiam obstat textus *in cap. graue, de prebendis*, vbi dicitur: Metropolitani delictum superioris iudicio relinquitur ex parte Concilij nuntiandum. Ergo Concilium non est superius Archiepiscopo. Non, inquam, obstat, quia non dicimus Concilium superius esse Archiepiscopo quoad omnes actus, sufficit, si quoad constitutiones ibi ordinatas superius sit, ita vt possit Archiepiscopum compellere ad illarum obseruationem. Adde, etsi Concilium non posset compellere Archiepiscopum ad constitutionum obseruationem, propter eius dignitatis reuerentiam; sufficit vt eius subditi compellantur à Concilio, quam compulsionem ipse Archiepiscopus tollere non potest, quia non est Concilio superior: & ita tenet Nauarrus *supradicto loco, num. 5.* Suarez *lib. 6. de legibus, cap. 15. à num. 5.* Thomas Sanchez pluribus exornans *lib. 8. disput. 17. num. 36. & 37.* Basilius *lib. 8. cap. 6. num. 11. & 12.* Bonacina *disput. 1. quæst. 1. punct. 1. num. 14.*

PVNCTVM V.

An sint aliqui casus, in quibus inferiores potestatem habeant dispensandi in superioris legibus.

1 *Proponitur primus casus. Cum lex clausula generali dicit, vt dispensari possit.*

2 *Limitant aliqui, vt intelligatur de pœnis, quas alij à legislatore imponere possunt. Sed reijcitur.*

3 *Secundò limitant, ne in constitutione Concilij generalis intelligatur. Sed non probatur limitatio.*

4 *Secundus casus, in quo censetur inferioribus commissa facultas, cùm materia legis leuis est.*

5 *Tertius, si casus frequentes sint.*

6 *Quartus, quando leges sunt illius prouinciæ propriæ, non alijs communes.*

7 *Quintus, in extraordinario aliquo euentu.*

8 *Hic casus limitatur ab aliquibus: nisi inferior totam illam necessitatem moderata aliqua eleemosyna, vel diligentia suppleri possit.*

9 *Sed non approbo limitationem.*

10 *Sextus casus, in quo censetur concessa potestas dispensandi, est, cum est dubium an indigeat dispensatione. Et explicatur de dubio probabili, & negatiuo, quando dispensatio necessaria non est.*

11 *Septimus est, si consuetudine præscribatur inferiores in lege superioris dispensare posse.*

12 *Hæc potestas inferiorum in supradictis casibus ordinaria est. Et inferuntur aliqua notabilia.*

13 *Non pendet hæc potestas à Capitulo.*

1 RESpondeo plures à Doctoribus assignari. Primus est, si generaliter concedatur facultas: hæc autem concedi potest verbis expressis, & de his nulla est dubitatio, vti conceditur in Trident. *sess. 24. cap. 6.* pro casibus occultis etiam Pontifici reseruatis. Potest item concedi verbis aliquo modo dubiis, qualia sunt, si in lege ipsa additur impersonaliter dispensari posse; tunc enim censeo inferioribus concedi facultatem, quia illa verba ad alium præter legislatorem referri debent, ne superflua sint. De legislatore namque dubitari non poterat posse in lege sua dispensare. Ergo illi non est intelligenda commissa facultas. Ergo pro aliis venit intelligenda. Item potestas dispensandi amplè est interpretanda, vt in fine huius disputationis dicemus. Ergo pro aliis à legislatore interpretari debet: & ita tradunt *glossa fin. in cap. penult. de pœnis; & in cap. postulasti, verbo dispensatur, de clerico excommunicato ministr. & in cap. quisquis, de elect.* Innocent. *in cap. dilectus, de temporibus ordinat.* Felinus *in cap. at si clerici, §. de adulteriis, de iudic. num. 1.* innumeros referens Sanchez *lib. 8. disput. 5. num. 1.* Salas *disput. 20. sect. 3. num. 21.* Barbosa *2. part. allegat. 33. num. 22.* Suarez *lib. 6. cap. 14. num. 8.* Bonacina *disput. 1. quæst. 2. punct. 1. num. 17. versic. addit Syluest.* Basilius *lib. 8. cap. 6. num. 5.* & alij apud ipsos. Neque obstat textus *in cap. cùm ex eo, de elect. lib. 6. & cap. 1. de ætate, & qualitate, eodem lib.* vbi concessa facultate dispensandi additur Episcopis, quæ additio videtur superfluere, si vera est doctrina tradita. Non, inquam, obstat, quia sæpe in concessione additur Episcopis, vt omnino dubitatio tollatur, quæ esse potest Episcopis non nominatis. hac enim ratione in Trident. dicitur *sess. 24. cap. 6.* liceat Episcopis dispensare in omnibus irregularitatibus occultis, &c.

2 Hanc doctrinam limitant aliqui, vt intelligatur de pœnis, quas alij à legislatore imponere possunt. Nam si pœnam solus Pontifex imponere posset, solus ipse censebitur habere potestatem relaxandi, quia illius est soluere, cuius est ligare. At hæc limitatio omnino reiicienda est, si ab ipsomet legislatore relaxandi potestas concedatur; quia rationes suprà relatæ omnino pro hoc casu limitant, vt rectè cum aliis notauit Sanchez *disp. 5. num. 4.* Basilius *num. 6.*

3 Secundò limitant, ne intelligatur de constitutione Concilij generalis, sed Pontificij. Nam si sit Concilij generalis, affirmant plures, quos refert Sanchez *n. 5.* non posse inferiorem Prælatum dispensare, nisi claris verbis illi committatur. & docuit Barbosa *2. part. de potestate Episcopi, allegat. 83. num. 23. & 24.* Mouentur, quia iam illa verba, quibus permittitur dispensatio in illa constitutione, habere possunt aliquem effectum, quin inferioribus concedatur dispensandi facultas. Primus est, vt si abroganda sit, non sit necesse fieri illius specificam mentionem. Secundus est, vt Pontifex faciliùs dispensationem concedat. Verùm neque hæc limitatio admittenda est; quia si in illa lege permittitur dispensatio non legislatori, qui tali permissione non indiget, sed aliis permittenda est. Adde etiam facta hac permissione, indiget conciliaris constitutio expressa illius mentione, vt derogetur, vt ex his, quæ adducit Barbosa suprà, colligi facilè potest, & ita tenent plures referentes Couarr. *cap. alma, 1. part. §. 7. num. 8.* Sanchez *lib. 8. disput. 5. num. 5.* Basilius *num. 6.* Tertiò limitant, vt intelligatur in constitutione ligante subditos, secus si ipsum dispensaturum ligaret. Quæ limitatio admittenda est, ne dicamus in proprio facto, & ad propriam vtilitatem dispensare. Quod est rationi dissonum; & tradit alios referens Sanchez *num. 3.* Basilius *num. 6.* Ex quo venit intelligendus textus *in cap. 2. de bigamis*, vbi cum Episcopo promouenti ad ordines bigamum, dicitur dispensari posse, non quidem ab ipso Episcopo, sed à Pontifice, qui illi depositionis pœnam imposuit.

4 Secundus casus est, si materia legis leuis sit, præsumitur enim legislator inferioribus Principibus potestatem dispensandi concedere. Ratio est, quia esset nimis onerosum ad Principem in minimis recurrere; vel quia in moralibus parum pro nihilo reputatur; vel tandem, quia commissa iurisdictione in minoribus, videntur hæc minora concessa. Et idem est, si lex non obligat ad culpam mortalem, sed solùm ad venialem, vel ad nullam, vt contingit in religionibus, quia eo ipso, quòd legislator noluit obligationem rigorosam ponere, iudicauit rem tanti momenti non esse, vt dispensatio ipsi maneret reseruata. sic Caietanus *quæst. 97. art. 4.* Emanuel Saa *verbo dispensatio, num. 9.* Salas *disput. 20. sect. 3. num. 22. & 23.* Suarez *lib. 6. cap. 14. num. 9.* Bonacina

cina *disput.1.quaest.2.punct.1.num.17.* Basilius *lib.8.cap.6. num.7.*

5 Tertius casus est, si casus frequentes sint; quia non est praesumendum legislatorem velle, vt pro ipsis decidendis ad ipsum sit recursus, esset enim nimis onerosa gubernatio, si gubernatores in his potestatem dispensandi non haberent. Vnde in his admitti potest illa vniuersalis propositio, Episcopum posse dispensare in omnibus sibi non prohibitis. Qua ratione diximus habere potestatem dispensandi in votis omnibus, obseruatione festorum, & ieiuniorum. sic Caietan. 2.2.*q.*143. *art.*4. Nauarr. *cap.*21 *num.*21. Eman. Saa, Salas, Suarez, Bonacina, Basilius *suprà.*

6 Quartus casus est. Quando leges non sunt communes aliis prouinciis, sed propriae vnius; tunc gubernatori illius prouinciae censetur data facultas in illis dispensandi. Tum, quia ea, quae sunt propria alicuius loci, vel communitatis, sunt minus nota Principi. *cap.2. de constitut. in 6.* Ergo credi potest commissam esse gubernatori proprio, qui pleniorem illius loci habet notitiam. Quia eo ipso, quòd arctatur lex pro sola illa prouincia, vel congregatione, censetur induere conditiones legis ab illa prouincia factae, ac proinde dispensari à gubernatore posse causa intercedente. sic Caietanus *quaest.97.art.4.* Sotus 1. *de instit. quaest.7. art.3.* Valent. 1.2. *disput.7. quaest.5. punct.* 9. Azor *tom.1. lib.5. cap.15. quaest.7.* Verùm mihi probabilius apparet non inferri satis potestatem dispensandi ex eo solùm, quòd lex pro illa tantùm communitate lata sit; quia lata est absolutè à legislatore supremo, neque induit conditiones legis municipalis, siquidem abrogari à gubernatore non potest; sicuti poterat lex ab ipso facta. Item etsi ea, quae propria sunt alicuius loci, supremo Principi nota satis non sint: at eo ipso, quòd legem posuit pro illa communitate, cognouit communitatem indigere illa lege. Ergo etiam potest velle cognoscere, quando egeat dispensatione: aliàs in omni lege vniuersali ex hoc argumento possit inferri quemlibet gubernatorem dispensare posse; quia dispensatio non generalem conuenientiam totius communitatis ligatae per legem, sed specialem illius, quo cum est dispensandum, attendit; quae tamen conuenientia supremo Principi minus nota est, quàm speciali gubernatori. sic docet Suarez *lib.6.cap.14. num.*10. inclinat Salas *disp.20.sect.3.num.22.& 23.*

7 Quintus casus est in extraordinario aliquo euentu, quando vrget necessitas dispensandi, éstque periculum in mora, neque facilè ad legislatorem potest recurri: siue lex sit de matrimonio impediendo, vel de aliqua irregularitate, vel reseruatione voti, aut similium. De omnibus his asseritur posse inferiorem dispensare, si vrgeat necessitas; quia tunc ex praesumpta legislatoris voluntate censetur inferiori commissa dispensandi facultas. Negare enim in his casibus potestatem dispensandi, videtur esse contra charitatem, & suaue Ecclesiae regimen, & commune bonum, quod non est praesumendum. Adde, saepè absolutionem alicuius criminis reseruat Pontifex sibi, praeterquam in mortis articulo: & tamen si ad Pontificem recursus non sit, potest Episcopus absolutionem concedere. Ergo ex necessitate vrgenti praesumi potest potestas concessa dispensandi. sic relatis multis docent Thomas Sanchez *lib.2.disput.40.num.3. & lib.8.disput.6.num.*10. Salas *disput.20. sect.3. num.25.* Suarez *lib.6.cap.14 circa finem, num.*10. Basilius *lib.8.cap.6. num.7.* Bonacina *disput.1. quaest.2.punct.1. num.17.* Vasquez *disp.178. cap.2. num.16.* Barbosa 2.*part.de potest.Episcop.allegat.33.n.27. & alleg.35.à num.3.*

8 Huic casui adhibet Vasquez suprà limitationem, vt intelligatur, nisi tota illa necessitas suppleri possit aliqua moderata eleemosyna, vel diligentia facta ab ipso Episcopo: tunc enim affirmat Vasquez non posse Episcopum dispensare in lege Pontificia, sed debere pauperiem dispensandorum supplere: consentit Bonacina *suprà, punct.1.circa finem.* Mouentur, quia illa non reputatur necessitas, siquidem ita facilè suppleri potest. Et confirmatur exemplo simplicis Sacerdotis, qui secundùm probabiliorem sententiam non potest periclitanti beneficium absolutionis impendere praesente proprio Sacerdote, vel non petita ab illo priùs licentia.

9 At haec limitatio mihi non probatur, sicuti neque probatur à Thoma Sanchez *lib.4. summ.cap.40.num.39. versic.secundò limitantur.* & Salas *disput.20.sect.3.num.27.* Moueor, quia nullus ex innumeris Doctoribus, qui hanc potestatem inferiori concedunt, huius limitationis meminerunt, praxísque Ecclesiae illi aduersatur. Item, quia licèt Episcopus supplere suis sumptibus possit necessitatem illorum, quibus concedenda est dispensatio: at non videtur obligatus illam hoc modo supplere, quia neque obligatur ex virtute misericordiae, cùm dispensandus non indigeat, (vt suppono) ad sui sustentationem illis sumptibus, neque obligatur ex proprio munere Episcopi; quia munus Episcopi est dispensare cum subditis, quando ipsi necessitate dispensationis vrgentur, non tamen illius munus est impedire necessitatem dispensationis suis sumptibus. Et per haec soluitur ratio contraria. Ad confirmationem concedo, praesente proprio Sacerdote, non posse simplicem, beneficium absolutionis impendere; quin priùs simplici constet nolle Sacerdotem proprium absolutionem concedere, quia vsque tunc non constat absoluendum vrgeri necessitate. At sicut nolente proprio Sacerdote non tenetur simplex pecunia inflectere, vt velit, neque si absens sit, tenetur sumptus facere, vt veniat, quia ipsi non incumbit tollere necessitatem, sed solùm incumbit posita necessitate absolutionem concedere. Ita in praesenti dicendum est.

10 Sextus casus est, cùm dubium est, an casus indigeat dispensatione? Et quidem si dubium sit positiuum, non excludens probabilitatem, certum esse debet posse dispensandum absque dispensatione operari, nulli enim morali periculo se exponit, sequens opinionem probabilem. sic Bonacina *disput.1. quaest.2. punct.1.num.18.* & multis relatis Barbosa 2. *part. de potestate Episcopi, allegat.35. num.18.* At si dubium sit negatiuum, neque valet iudicium probabile efformare tibi dispensationem supernacaneam esse in tali casu; existimat Bonacina suprà, dispensationem petendam esse à Sede Apostolica, ne te exponas periculo faciendi contra legem superioris: & quia praxis ita obtinuit. Caeterùm mihi probabilius apparet; si aequè dubium sit, an casus indigeat, vel non indigeat dispensatione, reputandum esse non indigere; quia tunc est praesumptio pro libertate: neque alicui morali periculo faciendi contra legem exponeris; si verò inclines te indigere dispensatione; adhuc existimo te reputari posse non indigere illa, quia non debes censeri lege adstrictus, quousque de lege tibi certò moraliter constet. Concesso tamen gratis in illo dubio tibi esse necessariam dispensationem, existimo Episcopalem sufficere: tum quia non videtur Pontifici reseruatus casus dubius, sed certus: tum quia potestas dispensandi latè est interpretanda: & ita tradit Emanuel Saa *in vtraque editione, verbo dispensatio, num.1.* Salas reputans probabilem *disput.20.sect.3.num.28.* Barbosa *suprà num.19.* & loquentes de voto reseruato tradit Suarez *tom.2. de relig. lib.6. de voto, cap.26. num.6.* Sanchez *lib.4.in Decalog.cap.40. num.26.*

11 Septimus casus esse potest, si consuetudine praescribatur inferiorem in lege superioris dispensare. Nam

Nam consuetudo legitimè præscripta iurisdictionem concedit, vt constat ex dictis de consuetudine: & traditur *cap. cùm contingat, de foro competenti*, & aliis ibi per glossam. Ex quo fit parochos, quibus de iure non competit dispensatio, dispensare solere in festorum, & ieiuniorum obseruatione; videbatur enim maximè necessaria illis hæc potestas ob frequentes casus expostulantes hanc dispensationem. sic Sanchez *lib.* 8. *disput.* 9. *num.* 27. Suarez *lib.* 6. *cap.* 14. *in fine*. Basilius *cap.* 6. *num.* 8. *lib.* 8. Ad huiusmodi casum reduci potest potestas, quam singuli Episcopi habent pro sua diœcesi dispensandi in legibus Concilij prouincialis. Erat enim maximè expediens hanc illis Concilium facultatem concedere, ne subditi obligati essent pro dispensatione obtinenda ad Pontificem recurrere, vel aliud Concilium prouinciale expectare. sic docuit Suarez *lib.* 6. *cap.* 15. *num.* 7. Bonacina *disput.* 1. *quæst.* 2. *punct.* 1. *num.* 14. Neque valet dicere Archiepiscopum hanc potestatem habere, quia neque à iure illam habet, cùm sit inferior Concilio, sicuti reliqui alij Episcopi. Neque à Concilio inuenitur ei aliquo modo specialiter commissa. Quocirca dicendum est cuilibet Episcoporum pro sua diœcesi commissam esse. sic Suarez, & Bonacina *suprà*, & multis exornat Sanchez *disp.* 17. *n.* 35. *& seq.* & Salas *disp.* 20. *sect.* 4. *num.* 46.

12 Aduerto hanc potestatem inferiorum dispensandi in omnibus supradictis casibus debere dici ordinariam, potius quàm delegatam: tum quia conceditur ratione muneris, & officij; tum quia est perpetua, quæ sunt conditiones iurisdictionem ordinariam constituentes, vt tradit glossa *in cap. fin. de offic. ordin.* Felin. *in cap. licèt, eodem tit.* plures referens Couarr. 3. *variarum, cap.* 20. *num.* 6. *&* 10. Sanchez *lib.* 2. *de matrim. disput.* 40. *num.* 14. Suarez *lib.* 6. *cap.* 15. *num.* 1. Basilius *lib.* 8. *cap.* 6. *num.* 9. Ex quo infertur primò potestatem, quam habet Legatus ad dispensandum in legibus, & votis, ordinariam esse, quia est annexa illi officio, & muneri in perpetuum. Sumitur ex *cap. quòd translatio, de officio legati.* & tradit Panormitanus *in cap. vlt. de transactionib. num.* 5. Specilator *tit. de dispensationib. §. consequitur*. Suarez, & Basilius *suprà*. Secundò infertur potestatem, quam habent ex priuilegio superiores religionum ad dispensandum cum religiosis, & ad illos absoluendum, esse etiam ordinariam, & non delegatam, quia est in perpetuum concessa: sic ex Collectore priuilegiorum fratrum minorum, *verbo absolutio ordinaria quoad fratres, in fine, num.* 27. *dub.* 2. tradit Basilius *suprà num.* 9. Tertiò infertur posse hanc potestatem delegare. sic Suarez, & Basilius *suprà*. Eman. Rodriquez *tom.* 1. *qq. regul. q.* 22. *art.* 11. *circa fin.*

13 Aduerto secundò, hanc potestatem dispensandi concessam Episcopis, & omnibus illis, qui Episcopali gaudent iurisdictione, non pendere à Capitulo in eius vsu. Ratio est, quia nullibi inuenitur apposita talis dependentia, sed potiùs cùm Episcopis conceditur dispensandi facultas, illis absolutè conceditur, nulla facta mentione Capituli, vt constat ex *cap. at si clerici, §. de adulterijs, de iudic.* & aliis multis à glossa *ibi*, & Trident. *sess.* 14. *cap.* 7. *& sess.* 24. *cap.* 6. *de reformat.* Adde, etiamsi à iure consensus Capituli requisitus esset ad dispensationem (quod non probo) iam consuetudine abrogatum est. sic aliis relatis docet Suarez *lib.* 6. *cap.* 15. *num.* 10. Basilius *lib.* 8. *cap.* 5. *num.* 4. Neque obstat, si dicas in rebus arduis debere Episcopum Capituli consilium expostulare, ex text. *in cap. penult.* 15. *quæst.* 7. *& cap. quanto, de his, quæ fiunt à Prælato sine consensu Capituli.* Nam, vt supradicti Doctores docent, dispensatio non est ex rebus arduis, quæ huiusmodi consensum, vel consilium requirunt; solùm enim consensus Capituli requisitus est, quando vellet iuri proprio, & indemnitati Ecclesiæ, seu Capituli derogare: quod non est, quando dispensat cum irregulari ad ordines, vel beneficia, & alia similia.

Pvnctvm VI.

Qui habeant potestatem dispensandi in pœnis à lege statutis, vel ab homine latis.

1 *Explicatur quæstio.*
2 *Legislator imponens pœnam, & ante patratum delictum, & post illud dispensare potest.*
3 *Pœnas annexas delicto non possunt inferiores impedire.*
4 *Pœna à lege statuta, & quæ executioni mandanda est per iudicem, augeri, aut minui non potest ab eo, sine causa.*
5 *Apponuntur tres limitationes superiori doctrinæ.*
6 *Post latam sententiam, & pœnam inflictam nullus iudex inconsulto Principe potest augere, vel minuere pœnam, spectato iure ciuili. Secus iure canonico.*
7 *Hæc potestas competit Capitulo Sede vacante, & omnibus illis, qui Episcopali gaudent potestate.*
8 *Infertur corollarium maximè notandum pro Prælatis religiosorum.*
9 *Limitatur doctrina, dummodo dispensandus pœnitentiam per aliquot dies egerit.*
10 *Prælatus secum dispensare non potest in pœna, quæ illi per sententiam est imposita.*
11 *Item debet fieri dispensatio absque tertij praiudicio.*
12 *Non extenditur hæc potestas ad crimina adulterio maiora.*
13 *Religiosus condemnatus à Rectore, non potest prouincialis renuente Rectore pœnam tollere.*

1 NOn est animus per omnes pœnas sigillatim discurrere; esset enim omnes materias morales huic disputationi immiscere. Solùm intendo tradere generalem doctrinam dispensationis pro pœnis contractis. Potestas ergo dispensandi, & sumi potest ante pœnam contractam, vel post illius incursionem. Deinde loqui possumus de legislatore imponente illam pœnam, vel de inferiore, aut superiore illius.

2 Dicendum ergo primò est legislatorem supremum, quique pœnam delinquentibus imposuit, posse dispensare, siue ante patratum delictum, siue post illud cum delinquentibus, ne pœnam à se statutam contrahant, néve contractam retineant; quia dispensat in sua lege, cuius obligatio, & punitio ex voluntate ipsius pendet.

3 Dicendum secundò. Si pœna sit à lege, consuetudine, vel statuto imposita ipso iure pro aliquo delicto, quæque nullam iudicis executionem requirit, nullus inferior legislatore impedire potest, ne committens illud delictum talem pœnam contrahat, tum quia nullibi habetur talem potestatem inferioribus esse datam: tum quia id non erat expediens, cùm pœna ante commissum delictum detinet, ne committatur. Quapropter nullus dicet posse Episcopum impedire, ne percutiens clericum contrahat excommunicationem, & homicidium committens irregularitatem: sunt enim hæ pœnæ delicto annexæ, nulla indigentes executione, sic communiter Doctores. Neque de his est dubitatio.

4 Dicendum tertiò, quando pœna executioni mandanda est per iudicem, & pœna est à lege statuta, non licet iudici absque causa pœnam minuere, neque augere, bene tamen causa intercedente. Priorem partem probat textus, quem mirabilem dicit Accursius *in §. oportet, in authent. de iudic.* vbi iudex non debet esse lege ipsa clementior: & sumitur ex *cap. de causis, de off. deleg. & in cap. licet, & ibi glossa, verbo pœnam pecuniariam, de pœnis.* & probat alios referens Tiraquel. *de pœnis, in præfat. num.* 1.

num.1. Menochius *de arbitr. lib.1. quaest.96. n.10. & seqq.* Farinac. *praxi lib.1. tit.3. quaest.17. num.5.* Ratio est, quia frustrà esset pœna constituta à lege, si iudici absque causa liceret illam minuere, vel remittere: arbitrio enim iudicis factum committitur, non pœna; hæc enim legis authoritati reseruatur, ex *cap. iudicet, 6. quaest.7. & ex l. si qua pœna, ff. de verborum signific.* Posteriorem partem conclusionis, scilicet causa intercedente, posse iudicem pœnam à lege statutam remittere, vel minuere, & aliquando augere, docet innumeros referens Farinac. *in praxi quaest.17. num.7.* Menochius *lib.1. quaest.96. num.14. & seqq.* Basilius de Leon *lib.8. de matrim. cap.7. num.6.* Iulius Clarus *quaest.85. vers. vlterius quaero.* & colligitur apertè ex *l. etsi seuerior*, vbi glossa, & Doctores, *C. ex quibus causis, l. hodie, ff. de pœn. l. quid ergo, §. pœna grauior, ff. de his qui notantur infam. cap. quoniam frequenter, §. fin. vt lite non contest. cap. at si clerici, §. de adulterijs, de iud.* & alibi sæpè. Rationem subdit præ omnibus Farinac. quia delicta diuersis circumstantiis, & qualitatibus perpetrantur, pro quarum diuersitate aliquando fiunt excusabiliora, aliquando grauiora. Expediebat ergo iudici pro grauitate, vel leuitate delicti pœnam temperare, vel augere, siquidem à lege temperari, vel restringi non potuit. Neque inde fit (inquit Farinac.) iudicem esse benigniorem lege, nec contra legem venire, vel ab eius dispositione recedere, sed potiùs legem seruare, quæ ita vult, atque disponit non solùm in præallegatis iuribus, sed etiam in genere per illam regulam, quod pœna est commensuranda delicto. *l. sancimus, C. de pœnis, cap. sicut dignum, de homicid. cap. vt clericorum, de vita, & honestate cleric.*

5 Huius conclusionis varias limitationes adducit Farinacius *supradict. quaest.17. per totam*, qui omnino videndus est. Tres tamen sunt præcipuè. Prima, vt procedat in maioribus magistratibus, secus in minoribus, qui etiam ex causa non possunt ordinarias pœnas alterare, nisi vel consulto Principe, vel nisi causa cohæreat delicto. sic Farinac. *num.67.* Menochius *lib.1. de arbitrar. quaest.96. num.18.* Iulius Clarus *quaest.85. sub versic. vlterius quaero.* Secunda limitatio, vt procedat, nisi statutum expressè prohiberet iudici ne pœnam alteraret, vt *in cap. inquisitionis, de accusat. in princ.* & alibi sæpè. tunc nequit contra legem facere, aliàs frustranea esset prohibitio. sic Farinac. *num.68.69. & 70.* Tertia limitatio est in pœnis parti applicandis. Exemplum est in statuto mandante vulnerantem puniri pœna ducentorum, quorum centum fisco, alia verò centum vulnerato applicentur, non poterit isto casu pœnam debitam vulnerato remittere, vel minuere. sic Farinac. *num.61.* Menochius *dict. quaest.96. num.1. & 2.* vbi Menochius ampliat doctrinam ad ipsummet Principem, qui si de plenitudine suæ potestatis hanc pœnam remitteret, teneretur de suo proprio supplere, aliàs peccaturum mortaliter, cui consentit Grammat. *consil.34. num.2.* Dominic. Soto *lib.4. de iustit. quaest.5. art.4.* quod intelligendum est, quando sine causa remitteret. nam causa subsistente, scilicet publicæ vtilitatis, & bono pacis, optimè potest pœnam hanc delinquentibus remittere, vt optimè relatis aliis, docet Farinacius *lib.1. praxis, tit.1. q.6. à num.22.*

6 Dico quartò post latam sententiam, & pœnam inflictam, siue fuerit imposita ad instantiam partis, siue ex officio, attento iure ciuili nullus iudex potest inconsulto Principe pœnam impositam minuere, vel augere, aut aliquo modo tollere, quia data sententia functus est officio suo, nec habet vltrà quid faciat, constat ex *l. mortis, §. iste ferè ff. de pœnis, l. iudex postquam, ff. de re iudic.* & tradit glossa communiter recepta *in l. quid ergo, §. pœna grauior, in verbo onerasset, circa princ. ff. de his qui notant. infam.* Couarr. *pract. quaest. cap.35. circa finem, & lib.2. var. resolut. cap.9. num.8.* Clarus *in practic. §. fin. quaest.85. sub versic. vlterius quaero.* Farinacius *quaest.17. lib.1. tit.3. n.61.* Basilius *lib.8. cap.7. num.7.* At attento iure canonico poterit iudex post latam sententiam pœnam minuere, vel aliquo modo in illa dispensare, præcipuè si ex officio in causa processum sit. argument. textus *in cap. commissi, §. necnon, de haeret. in 6.* & habetur *cap. at si clerici, §. de adulterijs, de iudic.* vbi clericum confessum, & conuictum de adulterio, & ob id depositum ab officio, potest Episcopus peracta pœnitentia restituere. tradit Alciat. *ibi num.2.* Tiraquel. *de pœnis temperand. causa 53. n.2.* Basil. *n.7. & seqq.* Farinac. *n.61.* Man. Rodriq. *regul. qq. tom.1. q.14. art.18.* & alij apud ipsos.

7 Aduertendum tamen est, hanc potestatem competere Capitulo Sede vacante, & omnibus aliis, qui Episcopali potestate gaudent, quales sunt Prælati religionum, respectu suorum religiosorum, quia hi nomine Episcopi veniunt intelligendi: & tradit Man. *suprà, col.1.* Sanchez plures referens *lib.8. disp.3. à num.10. præcipuè num.12. & 13. & lib.2. summ. cap.11. num.4. & lib.4. cap.38. num.17.* Salas *de legib. disp.8. sect.16.*

8 Ex quo fit, si Prælatus alicuius religionis ob furtiuum è monasterio discessum, vel mulieris ibi ingressum, vel fornicationem, aut adulterium ibi, vel foras commissum, condemnet religiosum in priuatione vocis actiuæ, & passiuæ, & inhabilitate ad omnia honoris officia, poterit, si religiosus resipuerit, cum illo misericorditer dispensare, sic docet expressè Man. Rodriquez *suprà.* Neque obstat, si pœna priuationis, & inhabilitatis apposita per sententiam fuerit, etiam lege aliqua statuta ipso facto, & sub verbis perpetuò, omnino, &c. adhuc poterit Prælatus dispensare, vt relato Abbate, Decio, & Marsilio docet Eman. Rodriquez *suprà, q.14. art. vlt. §. secundum argumentum.* Basilius *de matrim. lib.8. cap.7. num.18.*

9 Limitanda tamen est hæc quarta conclusio. Primò, vt intelligatur posse Prælatum dispensare cum clerico verbaliter deposito ob adulterium, &c. si pœnitentiam egerit, quia ita cauetur *in illo cap. at si clerici.* Nam antequam clericus per aliquot dies pœnituerit, non videtur causa adesse dispensationis, nisi fortè à populo expostuletur dispensatio, quia tunc videtur necessariò concedenda, vt tradit Manuel *illa quaest.24. §. aduertendum, fine.* eo quòd videatur populo necessarius, vel vtilis talis minister: & vtilitas publica honestat dispensationem.

10 Secundò limita non posse Prælatum secum dispensare, si fortè ipse per sententiam priuatus officio sit, aut alia pœna mulctatus, quia licèt possit cum aliis dispensare, non tamen secum in his, quæ iurisdictionem coactiuam, & sententiam concernunt, vt fit in præsenti, aliàs inutilis, & friuola esset sententia, si ab ipsomet sententiato tolli posset. sic Basilius *cap.7. num.17.* & probat textus *in cap. ideo, 2. quaest.6. cap. cùm inferior, 16. de maior. & obed.*

11 Tertiò limita, vt procedat dispensatio absque præiudicio tertij; si enim tertio ius esset quæsitum, non posset ex dispensatione tolli, veluti si pendente accusatione impetrasti beneficium clerici in euentu priuationis, vel post condemnationem illius impetrasti, non poterit Episcopus à te beneficium tollere, & dispensatio ad beneficium clerico delinquenti facta de beneficiis obtinendis debet intelligi, non de habitis, & alteri datis, ex text. *in cap. quamuis, de rescript. in 6.* vbi restitutio alicui concessa intelligitur sine præiudicio tertij in iure quæsito, & ex *l. quod si minor 25. §. non semper, ff. de minorib.* & tradit Abbas *cap. at si clerici, num.18.* Decius *num.155.* Sahagun *ibi num.14.* Calderin. *consil.12. de rescript.* quos omnes refert, & sequitur Basilius *lib.6. de dispensat. cap.7. num.13.*

12 Quartò limita, vt intelligatur posse Prælatum dispensare in pœna pro adulterio, & minoribus crimi-

nibus

nibus imposita; secus si pro grauiori crimine imponeretur, constat ex *dicto cap. at si clerici, §. de adulterijs, de iudic.* ibi, *De adulterijs verò, & alijs criminibus, quæ sunt minora, potest Episcopus cum clericis post peractam pœnitentiam dispensare.* Vbi glossa ait, cùm concedatur de minoribus, de maioribus per consequens denegatur. & *cap. qualis, 25. distinct.* Neque obstat textus *in cap. presbyterum, 50. distinct.* vbi Episcopus dispensat cum hæretico, quod crimen est longè maius adulterio; quia non dispensat nisi simul cum Inquisitore, & ex speciali commissione illi facta, *in cap. vt commissi, §. necnon, de hæreticis, in 6.* Neque etiam obstat textus *in cap. si quis presbyter, eadem distinct.* quia sacrilegium non reputatur ita graue, & reipublicæ damnosum, sicut adulterium, vt tradit gloss. *in supradicto cap. at si clerici.* Quocirca iuxta regulam Alexand. III. *in supradicto cap. at si clerici*, potest Episcopus, & quicumque alius Episcopalem iurisdictionem habens, dispensare in pœnis debitis adulterio, fornicationi, stupro, & periurio simplici, & aliis similibus; non tamen poterit in pœnis ob periurium qualificatum, simoniam, incestum, sodomiam, assasinatum; quia hæc inter grauissima crimina reputantur. tradit Man. Rodriquez *quæst. 24. art. 18.* cum Couarr. *4. decret. 2. part. cap. 6. §. 8. à num. 2.* Mandos. *in praxi signat. §. dispensat cum incestuoso.* Salcedo *practic. crimin. cap. 86.* In his, inquam, pœnis poterunt dispensare, si adsint conditiones requisitæ à Trident. *sess. 24. cap. 6. de reformat.*

13 Dico vltimò pro religiosis specialiter post latam sententiam, & condemnationem factam à iudice ordinario, v.g. à Rectore Conuentus, si velit prouincialis dispensare, vel post latam sententiam à prouinciali, velit generalis, id efficere non poterit renuente iudice ordinario: colligitur ex Trident. *sess. 14. cap. 1. de reform.* vbi suspensum ab ordinario non potest Metropolitanus, neque alius contra voluntatem ipsius Prælati suspendentis promouere. Ratio est, ne authoritas iudicantis contemnatur à subditis. sic expressè Man. Rodriq. *tom. 1. quæst. regul. q. 22. art. 8.* vbi aduertit, si condemnans finierit officium suum, posse tunc prouincialem, aut generalem subditum condemnatum à Rectore absoluere, nulla requisita licentia à Rectore moderno, seu ab eo, qui reum condemnauit, quia tunc authoritas Prælati, qui condemnauit non contemnitur, siquidem iam desinit esse Prælatus: quæ erat ratio prohibitionis Concilij.

PVNCTVM VII.

Circa quos dispensatio exerceri possit.

VNo verbo respondere possemus, asserentes necessariò circa subditos exercendam esse; cùm enim actus sit iurisdictionis, & superioritatem ex parte dispensantis, & subiectionem ex parte dispensati importat. Et hinc oritur ratio dubitandi,

Quinam possint induere hanc subiectionem: an idem respectu sui ipsius.

An vagi, & forenses respectu superioris illius loci.

An suffraganei respectu Metropolitani.

An religiosi respectu sui Episcopi.

De his ergo sigillatim est dicendum.

§. I.

Quilibet superior secum dispensare potest.

1 *De dispensatione indirecta non est dubium.*

2 *Quoad leges, vota, iuramenta, probabilius est directa dispensatione posse Prælatum secum dispensare.*

3 *Extenditur doctrina ad Prælatos, religiosos, &c.*

4 *In censuris non potest secum dispensare.*

5 *Probabile est posse in irregularitate, inhabilitate, & depositione ipso iure contractis.*

1 DE dispensatione indirecta nemini potest esse dubium, secum posse superiorem dispensare. Quando enim Prælatus in lege ieiunij, vel festi concederet dispensationem pro tota ciuitate, vel Conuentu, necessariò in illa dispensatione includitur, sicuti includitur, cùm distribuit indulgentias pro tota communitate, quia ipse est pars præcipua illius; debet ergo in illa distributione includi. sic Sotus *4. distinct. 21. quæst. 1. art. 4. in fine corporis.* Ludouicus Lopez *2. part. instruct. cap. 5. col. 32.* Suarez *tom. 3. disput. 82. sect. 2. circa finem, & loquens de indulgent. 4. tom. disput. 52. sect. 1. n. 20.* Sanchez *lib. 6. cap. 12. num. 8.* Item nemini esse potest dubium posse alteri vices suas committere, qui dispensationem ei concedat: tum, quia *in cap. fin. de pœnitent. & remission.* datur facultas Prælatis exemptis eligendi Confessorem, qui eos absoluat, ne cogantur superiorem absentem adire. Sed hæc ratio est eadem in dispensatione. Ergo. Tum quia congregatio Concilij decreuit facultatem datam Episcopis *sess. 24. cap. 6. de reform.* absoluendi, & dispensandi sibi subditos posse cum ipsis Episcopis à Confessario ab illis electo exerceri. Tum denique, quia Prælati non debent esse deterioris conditionis, quàm subditi, qui præ manibus habent, quo cum possint absolui, & dispensari; ipsi verò debeant absentem superiorem quærere. sic docet innumeros referens Sanchez *lib. 8. disput. 3. num. 3. & in Decalog. lib. 2. cap. 11. num. 11.* Suarez *tom. 5. de censuris, disput. 41. sect. 2. à num. 9.* Garcia *de benefic. part. 11. cap. 10. num. 139.* Augustin. Barbosa *ad cap. Concilij sess. 24. cap. 6.* Basil. de Leon *lib. 8. cap. 4. num. 9.*

2 Solùm est dubium de directa dispensatione, an scilicet quilibet Prælatus possit secum dispensare in legibus, votis, iuramentis, irregularitatibus, & aliis pœnis, in quibus possunt cum subditis?

Respondeo, quod ad leges, vota, & iuramenta attinet, probabilius credo superiorem secum dispensare posse, sicuti potest cum suis subditis; est communior sententia, vt multos referentes docent Couarr. *cap. alma, 1. part. §. 1. num. 7.* Sanchez *lib. 8. disput. 3. num. 6. & lib. 4. in Decalog. cap. 37. num. 40.* Salas *disput. 20. sect. 3. difficult. 3. & sect. 12.* Suarez *vbi suprà, & de legibus, lib. 6. cap. 12. à num. 8.* Basilius *lib. 8. cap. 4. num. 9.* Bonacina *disp. 1. quæst. 2. punct. 1. num. 9.* & alij apud ipsos. Ratio est, quia neque ex iure naturali, neque ex positiuo repugnat aliquem secum dispensare. Ergo non est negandum superiori. Non, inquam, ex iure naturali, quia si inde repugnaret, id esset, quia dispensatio requirit distinctionem personarum; eo quòd sit actus iurisdictionis, & nemo videtur in se ipsum iurisdictionem posse exercere, & sibi ipsi subiici. Sed ex hoc capite nulla est repugnantia, quia iurisdictio, quæ requirit distinctionem personarum, est iurisdictio coactiua, nemo enim à se ipso cogi potest. Item est iurisdictio contentiosa, quæ inter partes fieri debet. Item est iurisdictio in actu sententiæ, nemo enim se ipsum sententiare, condemnare, vel absoluere in aliqua causa potest. At iurisdictio, quæ in dispensatione exercetur, neque est contentiosa, neque condemnatiua, aut absolutiua, sed omnino voluntaria. Ergo non repugnat, vt in se ipsum quis illam exerceat. Explico hanc rationem. Hæc dispensatio esse potest in lege propria, vel in lege superioris. In lege propria non est propria dispensatio: nemo enim sua lege propriè, & directè ligatur, sed ligatur lege naturali dictante non esse excusandum ab obseruatione suæ legis, cùm honestam aliquam causam excusationis non habeat: & posito, quòd di-

rectè propria lege esset ligatus, facillimo negotio se ab illa soluere posset, nolens obligari, siquidem ex propria eius voluntate obligatio legis pendet. Si verò dispensatio facienda sit in lege superioris, & ex illius commissione, quid obstat superiorem committere suas vices inferiori, vt quoties sibi visum fuerit dispensare cum subditis, vel secum in obligatione legis, id facere possit? Sic ergo creditur esse commissum, ne superiores deterioris conditionis sint, quàm subditi. Et eodem modo dicendum est in voto, & iuramento: nomine enim Dei obligationem superiores remittunt, quibus à Deo hæc potestas non solùm quoad subditos, sed etiam quoad se ipsos censetur concessa. Ex iure autem positiuo nullibi inuenitur prohibitum generaliter, superiorem non posse secum dispensare in his, quæ potest cum subditis. Quocirca, si alicubi reperiatur prohibitum, ne in se ipsum quis iurisdictionem voluntariam exerceat, id est, in materia ambitiosa, & fraudibus subiecta, non tamen in dispensatione legis, voti, & iuramenti, vt notat ex *cap. per nostras, de iure patronatus.* ibi, *nullus se ingerere debet Ecclesiasticæ prælationis officijs, & cap. fin. de institutionib.* vbi dicitur eum, qui beneficium conferre potest, non potest se ipsum instituere. Et licèt ibi subdatur ratio, cùm inter dantem, & accipientem debeat esse distinctio personarum, non est illa ratio generaliter sumenda, sed in illa materia beneficiorum ob inconueniens maximum, quod esset, si Prælatus beneficiorum distributor sibi ipsi conferret, vt rectè docuit Abbas *suprad. cap. num. 5. & cap. ex litteris, num. 11. & 12. de probationib.* & idem constat ex *Clement. 2. de rebus Eccles. non alienand.* vbi vnio Ecclesiæ alteri facta de consensu Episcopi, & Capituli valet; secus si ipsi Capitulo vnio fieret, eo quòd in proprio facto, vt ait glossa, in materia ambitiosa nemo ius sibi dicere posset. In quo sensu explicanda est *lex 1. ff. de authorit. & consens. tutor.* vbi regula iuris est, in rem suam tutorem authorem fieri non posse; & alia plura, quæ traduntur à Gothofredo *ibi, & l. 9. ff. de pactis.* Neque obstat aduersùs hanc doctrinam textus *in cap. magnæ, de voto,* vbi laudatur Episcopus Trecensis, eo quòd noluit se voti obligatione exemptum iudicare absque consilio Sedis Apostolicæ, cùm videatur id posse, eo quòd causa voti cessarat, vti glossa ait, *verbo, consilio.* Quia nemo iuramentum, vel votum suum debet interpretari. Non, inquam, obstat, quia ibi laudatur, non quia fecit opus necessarium, sed quia fecit opus supererogationis, & maximè decens.

3 Supradicta doctrina extendenda est ad Prælatos religiosos, generales, prouinciales, priores, rectores, & vicerectores, & qui illorum vices in absentia gerunt; quia hi omnes iurisdictionem habent quasi Episcopalem. sic Sanchez relatis pluribus *disp. 3. num. 9.* Suarez *de legib. cap. 12. num. 12.* Basil. *num. 12.* Salas *sect. 12. n. 105.* & est expressa sententia D. Thom. 2. 2. *quæst. 185. art. 8.* Et generaliter idem dicendum est de quolibet habente potestatem dispensandi cum aliqua communitate, cuius ipse pars fuerit, censetur & secum posse in eisdem dispensare, ne deterioris conditionis fiat.

4 Dixi Prælatum dispensare posse secum in lege superioris, & in votis, aut iuramentis à se factis, quæ potest cum sibi subditis, nisi expresè prohibeatur. De censuris autem aliter dicendum existimo: si enim censura aliqua ligatus sit, v. g. excommunicatione, suspensione, aut interdicto, non potest nisi medio sacerdote à se electo absolui; quia hæc tolli non possunt nisi absolutione, & absolutio est quædam sententia, quam in seipsum quis exercere non potest. De irregularitate, depositione, & qualibet alia inhabilitate maior est dubitatio, an possit secum dispensationem facere? Et quidem si per sententiam contraxerit, certum est non posse illam à se immediatè, & directè, nec medio aliquo à se electo tollere; quia illam tollere non potest nisi ex commissione imponentis, quam non est præsumendum concedere, aliàs frustranea esset eius coactio. Et in hoc sensu verissimum est eius esse soluere, cuius est ligare, *cap. cum inferior, de maior. & obedient.* & ita notauit Basil. de Leon *lib. 8. cap. 6. num. 6. & cap. 7. num. 17.* & satis colligitur ex *cap. at si clerici, de iudic. cap. 2. de bigamis.*

5 At si pœna, & inhabilitas non per sententiam, sed ipso iure incurratur, credo posse Prælatum secum dispensare, sicut potest cum sibi subditis; quia licèt per iurisdictionem coactiuam ligatus fuerit, solui tamen potest, ex iurisdictione voluntaria, & directiua. Item non tam se ipsum soluit, quàm soluit superior, qui pœnam imposuit; ipse enim potuit Prælato committere vices suas, vt dispenset in omnibus pœnis, & irregularitatibus tam secum, quàm cum sibi subditis. ex qua commissione ipse secum dispensat. Et ita in hoc casu videntur sentire omnes Doctores in princip. huius §. relati. Siquidem absolutè controuertunt, an Prælati secum possint dispensare in omnibus, in quibus possunt cum subditis, & specialiter nominant irregularitates, vt videre est in Sanch. *disp. 3. citata, num. 4.* Quare solùm in casu, quo lex tantùm esset pro Prælatis lata, & pœna tantùm ipsis imposita, censerem restringendam esse potestatem, vt relatis aliis docet Sanch. *disp. 5. num. 3.*

§. II.

An vagi, & forenses possint dispensari à superiore illius loci, in quo de præsenti resident.

1 *De vagis nullibi habentibus domicilium est certum. De forensibus dubium.*
2 *Prima sententia docet dispensari posse, etsi breuissimo spatio commorentur.*
3 *Secunda expostulat, vt illuc confluant animo ibi habitandi.*
4 *Tertia requirit domicilium.*
5 *Quælibet ex his sententijs est probabilis. Placet prima sententia in dispensatione legis municipalis, & communis.*
6 *Pro dispensatione voti, iuramenti, aut alterius singularis impedimenti, non acquiritur sufficiens subiectio ex habitatione transeunte.*
7 *Imò neque ex habitatione diuturna, si domiciliaris non sit.*

1 De vagis nullibi habentibus domicilium certum est dispensari posse ab eo loci superiore, vbi resident, sicuti & administrari reliqua omnia sacramenta, ratione enim habitationis subduntur, vt benè dicit Sanch. *lib. 3. de matrim. disp. 25. num. 5. & lib. 2. cap. 11. num. 8. & lib. 4. sum. cap. 37. num. 31.* Lessius *lib. 2. cap. 40. dub. 18. num. 121.* De forensibus autem res dubia est.

2 In qua re est prima sententia, peregrinos, & forenses, etiamsi breui tempore commorentur, posse à diœcesano illius loci dispensari in legibus, votis, & iuramentis, sicuti possunt reliqui alij subditi. sic Basil. *lib. 8. cap. 5. num. 7.* Mouetur, quia peregrini ratione habitationis subduntur legibus illius oppidi, qua transeunt. Ergò non deficit illis subiectio necessaria ad dispensationem obtinendam. Quòd si congregatio Concilij, prout refert Farinac. *sess. 24. Trident. cap. 6.* declarauit forenses, & peregrinos posse absolui ab ordinario loci, quia transeunt, non tamen dispensari; non est, quia deficiat iurisdictio, & potestas ad concedendam dispensationem; sed quia regulariter deficit causa requisita. Vnde, si causa adesset, credit dispensari posse.

3 Secunda sententia requirit, vt peregrini, & forenses possint dispensari in legibus, votis, iuramentis, & irregularitatibus, vt illo confluant animo ibi habitandi tempore

tempore diuturno, qui animus colligitur satis, si illò confluant expediendi alicuius negotij causa, quod breui expediri non potest. Qua ratione dicunt scholasticos Academiæ ab Episcopo illius loci posse dispensari, sicut possunt reliqui. sic docent pluribus relatis Sanchez *lib. 3. de matrim. disput. 23. num. 12. & 13.* Henriquez *lib. 6. de pœnitent. cap. 14. num. 8.* Lessius *lib. 2. cap. 40. dub. 18. num. 121.* Suarez *lib. 2. de diebus festis, cap. 14. à num. 6. & seq.* contrarius his, quæ docet *lib. 6. de voto, cap. 11. num. 11.* Man. 1. *tom. summ. noua edit. cap. 55. num. 5.* Ratio præcipua est, quia ratione habitationis diuturnæ, præcipuè si conducta sit domus, contrahit quis quasi domicilium, & sortitur forum, ita vt possit ibi de alibi gestis conueniri, vt probat Abbas *cap. quod clericis, n. 5. de foro competenti.* Innocent. aliis relatis *cap. ex parte, n. 1. eod. tit.* & constat ex *l. hæres absens, §. proinde, in fine, ff. de iudic. & l. 2. C. vbi de crimine agi oportet. & ibi glossa, verbo degit, & l. quisquis, C. si certum petatur. & ibi glos. verb. versatur.* Ergo etiam in rebus spiritualibus, quales sunt dispensationes, acquiretur quasi domicilium ex hac diuturna habitatione.

4 Tertia sententia affirmat ad dispensationem obtinendã in legibus, votis, iuramentis, & pœnis contractis necessariò requiri domicilium, neque alio modo subdi potestati dispensandi peregrinum, & forensem. sic docent Abbas, Syluest. Tabiena, Angel. & alij relati à Sanchez *lib. 3. disp. 23. num. 11.* Suarez *lib. 6. de voto, cap. 11. num. 11.* Barbosa *2. part. de potestate Episcopi, allegat. 36. num. 18.* Fauent huic sententiæ plures declarationes Cardinalium, asserentes hunc forensem non esse subditum illius diœcesani, quoad dispensationem obtinendam; bene tamen quoad absolutionem à peccatis, & censuris, quas declarationes refert Garcia *de benefic. 11. part. cap. 10. num. 139.* Ratio est, quia vsque acquirat domicilium, non censetur verè subditus illius, quia non censetur esse illius parochianus; vt enim esset parochianus illius, deberet habitare animo ibi perpetuò manendi, sicuti habitat, vbi habet domicilium: hic enim animus ad acquirendum domicilium requiritur, ex *l. nihil interest, 15. ff. de captiuis, & postlim. reuers.* ibi, *neque enim satis est corpore domum quem reduxisse, si mente alienus est*; & tradit innumeros referens Sanchez *suprà n. 1.*

5 Quælibet ex his sententiis est satis probabilis: at vt veritas cognoscatur, aliter de dispensatione in lege municipali, & communi, & aliter in dispensatione voti, iuramenti, & cuiuslibet alterius specialis impedimenti dicendum existimo. Et quidem de dispensatione legis municipalis, & communis affirmo cum prima sententia, dispensari posse forensem à superiore illius loci, sicuti quemlibet alium ciuem; quia ad superiorem illius loci pertinet, vt omnes ibi commorantes leges obseruent. Ergo etiam pertinet causas perpendere, quæ earum obseruationem impediunt, vel excusant. Ergo etiam perpendere causas, quæ petunt dispensationem concedere; ergo & dispensare. Confirmo. Forensem diximus obligari legibus loci illius, qua transit, ne deformitatem causet. Ergo superior loci illius iurisdictionem habet cogendi illum ad talem obseruationem. Ergo & iurisdictionem, vt possit ex causa obligationem relaxare. Aliàs forensis deterioris conditionis esset quolibet incola, siquidem esset obligatus legibus, sicut sunt incolæ, & non haberet recursum ad obtinendam dispensationem illarum.

6 De dispensatione autem voti, iuramenti, aut alterius singularis impedimenti, nullo modo credo ex habitatione transeunte acquiri subiectionem sufficientem, vt possit à superiore illius loci dispensari; quia hæc iurisdictio multum pendet ex consuetudine. At hæc consuetudo sufficienter declaratur à congregatione Cardinalium admittente absolutionem propter eius necessitatem, negante tamen dispensationem, quia ita necessaria non est. Ergo non debet admitti. Item ex transeunte habitatione non contrahitur parochia, vt possit parochus illius parochiæ matrimonio forensis assistere. Quod non leuiter colligitur ex *cap. is qui, de sepult. in 6.* vbi is, qui habet domicilium in ciuitate, vel castro, quandoque ad villam ruralem se transfert recreationis gratia, vel vt ruralia exerceat, si non electa sepultura decedat, non in Ecclesia dictæ villæ, sed in sua parochiali sepeliri debet. Ecce qua ratione non reputatur parochia ea, in qua breui, & transeunter quis commoratur: & docet multos referens Menochius *vol. 4. consil. 398.* Nauarr. *consil. 6. lib. 4. consil. tit. de clandest. desponsat.* Denique ordinarius illius loci, etsi possit forensibus, & peregrinis breui tempore commorantibus sacramentum Eucharistiæ, & Pœnitentiæ ministrare, id habet ex concessione proprij ordinarij, propter horum sacramentorum necessitatem; secus verò de sacramentis voluntariis dicendum est. Quapropter Basilius, qui affirmabat cum his dispensare posse ordinarium loci, vbi commorantur, subdit id fieri debere vrgente causa, vt si contrahendum esset matrimonium ad restaurationem alicuius damni illati fœminæ, vel ad legitimationem filiorum parente existente in mortis periculo, in quibus casibus concederem eos dispensari posse non ex iurisdictione, quam per se habent ordinarij loci circa forenses ad hoc voluntaria, sed ex præsumpta voluntate suorum ordinariorum.

7 Ex habitatione autem diuturna, si domiciliaris non sit, probabilius credo non sufficere, vt loci illius ordinarius dispensationem concedat. Moueor præcipuè ex declarationibus Cardinalium relatis à Garcia, & Farinac. *suprà*, quæ de hoc casu expressè loquuntur; inquit enim congregatio: Absoluere ordinarius potest ex decreto Trident. in sacramento Pœnitentiæ forensem, qui gerit officium Prætoris, Medici, vel Officialis, qui habet domum, & commoratur in ciuitate, vel diœcesi, & in eis Ecclesiastica sacramenta percipit, non tamen poterit cum eisdem dispensare. Item est alia declaratio: Qui non est subditus Episcopi, puta Medicus, Prætor, & similes cæteri, qui tantùm habitant in ciuitate, hoc decreto comprehenduntur, etiamsi commiserint crimina in aliis ciuitatibus. Habita tamen hac distinctione, quòd scilicet possint absolui in sacramento Pœnitentiæ à suis criminibus, non tamen dispensari. Et ita S.D.N. Gregorius XIII. audita relatione congregationis declarauit. Neque obstat dicere non posse dispensare, deficiente causa; secus illa intercedente. Nam vel est causa sufficiens, vt concedatur dispensatio ab habente potestatem, vel non? si non, nullus poterit dispensare, si adest causa, & est ordinarius, sicuti est ordinarius ille, vbi hic forensis habet domicilium, cur non poterit dispensari? Quòd si dicatur vltra causam requisitam ad dispensationem, adesse causam specialem, vt ordinarius illius loci dispenset, tunc ex præsumpta voluntate proprij ordinarij censerem dispensationem esse concedendam non ex propria iurisdictione; vt dixit Suarez *lib. 6. de voto, cap. 11. fine.* & Barbosa *suprà, num. 18.* Neque obstat textus *in cap. cùm nullus, de tempor. ordinat. in 6.* vbi dicitur, nullus clericum alienæ parochiæ debeat præter superioris licentiam ordinare. Superior in hoc casu intelligitur, in cuius diœcesi promouendus domicilium obtinet. Cùm ergo singulariter de sacramento ordinis dicat in hoc casu superiorem debere esse, in cuius diœcesi promouendus domicilium habet, tacitè censetur ad reliqua sacramenta recipienda, & dispensationes obtinendas superiorem habitationis saltem diuturnæ sufficere. Non, inquam, obstat, quia per illa verba in hoc casu voluit Pontifex distinguere sacramentum ordinis, à reliquis sacramentis, præcipuè Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, circa quorum administrationem ex habitatione etiam transeunte acquiritur iurisdictio. Adde

nihil

nihil ibi Pontifex de aliorum sacramentorum administratione intendit disponere, sed solùm, quid in administratione ordinis seruandum sit, decidit, alia relinquit dispositioni iuris.

§. III.

Quid dicendum de subditis suffraganeis, an possint à Metropolitano dispensari?

1 *Resoluitur non posse.*
2 *Enumerantur casus, in quibus potest.*

1 Dicendum est non posse; quia Metropolitanus non habet in suffraganeos potestatem, nisi in aliquibus casibus à iure concessis, vt dicitur *in cap. pastoralis. de officio ordinar.* ibi, *cùm tamen exceptis quibusdam articulis nullam habeat potestatem, cap. 1. in princ. de foro competent. lib. 6. cap. de eo, de offic. ordin. & cap. nostra, de pœnitent. & remiss.* vbi conceditur tanquam quid speciale posse in suffraganeis Ecclesiis indulgentias concedere. Signum ergo efficax est alia non posse. & ita tradunt ex communi sententia Syluest. *verbo votum, 4. q. 3.* Sayrus *lib. 6. cap. 11. num. 79.* Suarez *lib. 6. cap. 10. num. 8.* Barbosa *2. p. de potest. Episc. alleg. 36. fine, num. 20.* Basil. *lib. 8. cap. 5. num. 9.* Thom. Sanchez alios referens *lib. 4. summ. cap. 38. num. 11.*

2 Casus autem, in quibus Archiepiscopus cum suffraganeis subditis dispensare potest, sunt. Primus, si per appellationem ad ipsum causa deuoluta sit, eo quòd nolit inferior dispensationem concedere. sic communis sententia *in cap. 1. de officio legati, & cap. duo, de officio ordinar.* Secundus, si inferior remissus sit in concedenda dispensatione, & ob eam causam imploretur Metropolitani potestas, & iurisdictio, etiamsi legitima appellatio non interueniat, & hanc causam sufficere, vt Archiepiscopo iurisdictio deferatur, videtur docere glossa *in cap. Romana, de supplenda negligentia Prælat.* & Panorm. *in cap. ex frequentibus, de institutione.* At hoc sustinendum non est, nisi causa concedendi dispensationem, sit ita necessaria, vt teneatur suffraganeus illam concedere, idque manifestissimè constet, & notorium sit; tunc enim illa negligentia sic manifesta vicem gerit appellationis, aliàs ad Metropolitanum deferri non poterit iurisdictio. Scio tamen non deficere authores, qui solùm ex eo quòd inferior renuat dispensationem concedere, causa dispensandi interueniente, posse Metropolitani auxilium implorari, vt ex misericordia dispenset, vel faciat, vt inferior dispenset. sic docuit Henriquez *lib. 14. de irregular. cap. 18. n. 3.* Auila *de censur. 7. p. disp. 10. dub. 6. notab. 2. circa primam conclus.* Sanch. illos referens, & sequens, *lib. 4. sum. cap. 38. num. 12.* Sed quod diximus tenendum est vt probabilius, scilicet non posse, nisi causa ita necessaria sit, vt malè faciat inferior dispensationem denegans, idque manifestum sit, quia alio modo negligens reputari non potest inferior, vt loco illius Metropolitanus subrogetur. Tertius casus est, dum Metropolitanus visitat, quia tunc videtur esse superior. At tunc non est superior ad dispensandum, sed solùm ad absoluendum, *cap. fin. de censib. in 6.* Aliàs posset dimissorias concedere, quod communiter reprobatur. sic tradit Suarez *tom. 5. de censur. disp. 41. sect. 2. num. 12. & tom. 2. de relig. lib. 6 de voto, cap. 10. num. 9.* Basil. *lib. 8. cap. 5. num. 11.* Sanchez *num. 14.* Quartus casus est respectu Episcoporum, qui ei suffraganei sunt, quorum comparatione dicitur superior; cum his enim poterit dispensare, non solùm dum visitat, sed etiam alio tempore. sic tenet Henriquez *lib. 14. de irregularit. cap. 18. num. 3.* Angel. Anton. Paludan. Sayrus relati à Sanchez *lib. 4. sum. c. 38. num. 16.* quam ipse probabilem reputat, consentit Auila *de censur. 2. p. cap. 7. disp. 1. dub. 10. conclus. 3. & p. 7. disp. 10. dub. 6. notab. 2. circa 1. conclus.* licèt limitet tempore visitationis. At credo hunc casum admittendum non esse, sicuti neque admittit Suarez *lib. 6. de voto, cap. 11. num. 3.* Basilius *lib. 8. cap. 5. num. 10.* Tum, quia ex iure non constat hæc potestas. tum quia non est necessaria. Nam vel dispensatio concedenda est in legibus Archiepiscopi, & his non ligantur Episcopi, neque illius suffraganei: & sic pro his nulla est dispensatio necessaria, vel concedenda est dispensatio in legibus Pontificiis, & Concilij generalis, & in his æquè omnibus inferioribus est interdicta dispensandi potestas. Quando verò Archiepiscopus cum suis subditis in his dispensare potest; & potest etiam Episcopus cum suis subditis, & secum. Ergo nullo casu hæc potestas necessaria est. Et idem est de votis, iuramentis, & irregularitatibus.

§. IV.

Cum religiosis quinam possint dispensare in votis, iuramentis, & pœnis.

1 *De religiosis exemptis procedit dubium.*
2 *Hi religiosi à suis Prælatis possunt dispensari.*
3 *Ab Episcopo non possunt hi religiosi absque suorum Prælatorum licentia dispensari.*
4 *Si iniustè hæc licentia negatur, potest religiosus Episcopum adire. Secus si iustè negetur. Et in casu dubio præsumendum est pro superiore.*
5 *Si non potest Prælatus religiosorum adiri, poterit tunc Episcopus.*
6 *Limitatur conclusio: nisi religiosus possit adire intra religionem superiorem alium Prælatum.*
7 *Quando nullus religionis Prælatus cum religioso dispensare potest, potest ipse de licentia sui Prælati Episcopum adire.*
8 *Ex priuilegijs religiosorum omnes possunt de licentia sui Prælati Episcopum adire pro dispensatione obtinenda, tametsi iure communi eis prohibitum sit.*
9 *Religiosi, & sæculares subiecti Prælatis ordinum militantium, quibus non competit potestas absoluendi, & dispensandi in Trident. concessa, possunt de licentia suorum Prælatorum adire Episcopum.*

1 Loquimur de religiosis exemptis à iurisdictione Episcopi, quales communiter sunt hodie omnes. nam si aliqui sunt Episcopo subiecti, reputantur ac alij clerici sæculares in ordine ad dispensationem, ita vt nihil in hac parte poterit Prælatus regularis, quia non gaudet iurisdictione quasi Episcopali, quæ ad hanc dispensationem concedendam requiritur, sic Suarez *lib. 6. de voto, cap. 10. num. 14. & 15.* Nauarr. *summ. cap. 12. n. 75.* Thomas Sanchez *lib. 4. summ. cap. 39. num. 9.*

2 De religiosis ergo exemptis tenendum est posse ab ipsorum Prælatis dispensari, quatenus est ex parte iurisdictionis; quia eam habent respectu suorum religiosorum, sicut Episcopus in clericos, docuit Sanchez *n. 3.* Nauarr. Suarez, Lessius, & alij plures ab eisdem relati. Quod non solùm de superioribus Prælatis, sed etiam de inferioribus, quales sunt conuentuales Prælati, Rectores, vicerectores, dum rectores absunt, respectu suorum subditorum; quia hi iurisdictionem quasi Episcopalem habent in subditos; cum hac tamen subordinatione, vt possit eorum iurisdictio à superioribus Prælatis limitari. sic Sanchez *lib. 4. summ. cap. 39. num. 5.* Quocirca cùm religiosus subiectionem Prælato amittit, eo ipso Prælatus non poterit vllam cum illo dispensationem exercere, vtpote, quæ in iurisdictione fundatur. Sic non poterit religionis Prælatus dispensare in votis, pœnis, vel aliis inhabilitatibus sui religiosi iam Episcopi, quia exemptus est à iurisdictione religiosa. Similiter non poterit dispensare cum eiecto in perpetuum, quia

quia religio illius iurisdictionem abdicauit, & sic subditur Episcopo, sicut quilibet alius clericus sæcularis. Sanchez *num.* 13. & 14.

3 Difficultas autem est de Episcopo, & Archiepiscopo, an in religiosos exemptos potestatem habeant dispensandi, sicuti habent in sæculares clericos? Et primò tanquam certum tenendum est, absque licentia sui Prælati non posse religiosum ab Episcopo dispensationem vllam impetrare; quia illa exemptio, quam religiosus habet ab Episcopali iurisdictione, non tam est in fauorem ipsius religiosi concessa, quàm in fauorem totius religionis. Nequit ergo pro suo arbitrio sine voluntate Prælati huic priuilegio cedere, & iurisdictioni Episcopali se submittere. Adde hanc renuntiationem cedere in non leue detrimentum religiosi status; esset enim contraria quieti, & tranquillitati, & subiectioni debitæ religioso Prælato. non ergo est concedenda. sic Sanch. *lib.* 4. *summ. cap.* 39. *num.* 27. Basil. *lib.* 8. *cap.* 5. *num.* 13.

4 Sed quid si Prælatus regularis nolit, vel non possit subdito dispensationem petitam concedere; poteritne tunc religiosus Episcopum adire?

Respondeo primò, si iniustè neget, posse, quia tunc præsumitur Pontifex licentiam concedere, & exemptionem tollere; cùm enim hæc exemptio pro bono religionis, & religiosi concessa sit, non debet in eorum damnum verti, esset enim non leue damnum tum religioni, tum religioso, si negata iniustè licentia cogeretur religiosus pro dispensatione, vel absolutione obtinenda euagari, & Pontificem adire. Debet autem, vt per epiikeiam hæc licentia Pontificis præsumatur, constare subdito licentiam à Prælato regulari iniustè negari: nam in casu dubio an iustè, vel iniustè neget, possidet lex exemptionis in fauorem religionis facta, ac proinde non poterit adiri Episcopus. sic Mol. *tom.* 4. *de instit. tract.* 3. *disp.* 61. *num.* 5. Thom. Sanchez *lib.* 4. *summ. cap.* 39. *num.* 36. Basil. *lib.* 8. *cap.* 5. *num.* 14.

5 Dico secundò, si non possit Prælatus dispensare cum religioso, eo quòd excommunicatus denuntiatus sit, aut defunctus, aut longè abest, neque est alius, qui eius vices gerat (quod rarò potest contingere) tunc poterit Episcopum religiosus indigens dispensatione adire ob rationem dictam; quia præsumitur Pontifex ob bonum religionis, & religiosi in hac parte exemptionem tollere, sic relato Henriq. Antonin. Syluest. docet Sanchez *num.* 35. Basil. *num.* 15.

6 Vtramque conclusionem limitat Sanchez *num.* 38. cum Mol. *suprà num.* 3. Basilio *num.* 15. vt intelligatur casu, quo in Prælato superiore non esset potestas absoluendi, vel dispensandi. nam si hæc esset, debebat religiosus prius ad illum recurrere, quàm ad Episcopum, quia dum intra religionem, remedium quærere potest religiosus, non est censendum Pontificem tollere exemptionem. tum quia id noceret debitæ subditorum subordinationi, tum quia frustranea esset casuum reseruatio facta superiori Prælato, si religiosus adire posset Episcopum pro illius absolutione, & dispensatione, quoties immediatus Prælatus non potest, vel non vult dispensare. Placet mihi hæc limitatio adhibita moderatione, quam Basil. apponit, scilicet, nisi necessitas vrgeat impetrandi dispensationem, & superior Prælatus longè absit, & facilè adiri non possit, cui moderationi non videtur contradicere Sanch. & Mol. *suprà*.

7 Quòd si nullus religionis Prælatus possit subditum absoluere, vel dispensare, probabilius existimo de licentia sui Prælati posse religiosum adire Episcopum pro absolutione, vel dispensatione obtinenda; quia adire hoc modo Episcopum non obstat priuilegio exemptionis; siquidem præsumi potest fieri ex licentia religionis cuilibet Prælato communicata. Neque etiam obstat bono regimini illius, & debitæ subditorum obedientiæ, cùm ex licentia superioris fiat. Ergo. Adde præsumi posse Pontificem hoc modo priuilegium exemptionis concedere, scilicet, nisi aliter visum fuerit Prælatis expedire. Aliàs in hoc casu deterioris conditionis essent religiosi quolibet sæculari, cùm non possint à suis Prælatis, neque ab Episcopo absolutionem, vel dispensationem impetrare, sicuti possunt sæculares, sed debent necessariò contra suum institutum euagari, & Sedem Apostolicam adire. Ne ergo hoc inconueniens sequatur, dicendum est de licentia sui Prælati posse Episcopum illos absoluere, & dispensare. sic alios referens Auila *de censuris, 2. part. cap. 7. disput. 1. dub. 6.* Henriquez *lib. 14. de irregular. cap. 10. num. vlt. & lib. 6. de pœnitent. cap. 16. num. 8. & lib. 10. de sacrament. ordin. cap. 20. num. 2.* Suarez *de pœnitent. disput. 30. sect. 2. num. 3.* qui dicit ita esse in praxi receptum, *& tom. 5. de censuris, disp. 41. sect. 2. num. 12.* plures referens Sanchez *lib. 4. summ. cap. 39. num. 32.* Molin. *disput. 61. citata, num. 4.* Basilius de Leon *num. 16.*

8 Aduerto tamen, etsi de iure communi non possent religiosi ex suorum Prælatorum licẽtia Episcopum adire pro dispensatione obtinenda: at ex priuilegiis à Sede Apostolica concessis rectè possunt. est enim omnibus ferè religionibus hoc priuilegium concessum, vt testatur Corduba *in compendio priuilegiorum mendicant. in suis addit. verbo absolutio ordinaria quoad fratres,* §. 1. & ex illo tradit Sanchez *n.* 31. Basil. *n.* 18.

9 Aduerto secundò cum Basil. de Leon *illo cap. 5. n. 21.* religiosos, & sæculares subiectos prioribus ordinum militarium, quibus non competit potestas absoluendi, & dispensandi subditos in casibus commissis à Trident. Episcopis; posse de licentia suorum Prælatorum ad Episcopum recurrere, pro dispensatione, vel absolutione obtinenda, quia non debent deterioris conditionis esse aliis sæcularibus. Episcopus autem (inquit Basil.) erit ille, in cuius diœcesi commorantur, aut si nullius diœcesis sint Metropolitanus, tamquam ad ordinarium Metropolis, vel nuntius, qui si potestatem habeat Legati à latere, potest etiam & religiosos quoslibet absoluere, quia est legitimus exemptorum superior, vt bene dicit Sanchez *lib. 4. summ. cap. 39. num. 25.* Imò existimat posse hos subditos remitti ad vicinum Episcopum, etiamsi illius diœcesis non sint. Tum quia ista subiectio fit tantummodo ex voluntate Prælati, quoad hunc effectum. Tum etiam, quia nisi fuisset priuilegium exemptionis, ad illum iure communi illi exempti pertinerent.

PVNCTVM VIII.

De causa requisita ad dispensationem.

Dispensatio esse potest in legibus propriis, & obligationibus inde consurgentibus, vel in legibus superioris. Item causa requiri potest, vt licitè dispensatio concedatur, & vt validè concedatur.

§. I.

Quæ causa requiratur pro dispensatione propriæ legis.

1 *Vt valida dispensatio in proprijs legibus sit, nulla causa requiritur.*
2 *Sine causa concedens dispensationem peccat.*
3 *Proponitur obiectio, & soluitur.*
4 *Aliquibus placet hoc peccatum mortale esse.*
5 *Probabilius est esse tantum veniale.*
6 *Quid dicendum de Principe sine causa dispensante.*
7 *Vtens ne dispensatione sine causa data, an peccet? Placet aliquibus venialiter ad minus peccare.*

8 *Proba*

8 *Probabilius credo nullum committere peccatum.*

1 PRima regula sit, nullam causam requiri, vt validè legislator in propria lege dispenset: sic tenet innumeros referens Salas *disp.* 20. *sect.* 4. *num.* 37. Sanchez *lib.* 8. *disput.* 17. *num.* 24. Suarez *lib.* 6. *de legibus, cap.* 19. *num.* 6. Basilius *lib.* 8. *cap.* 14. *num.* 7. Couarr. 2. *p. de matrim. cap.* 6. §. 9. *num.* 8. Ratio est, quia voluntate Principis lex constituitur, & ex illa integrè pendet eius obligatio. Ergo si Princeps velit ab obligatione eximere aliquos, aliis obligatis manentibus, exempti erunt ab obligatione. quæ non solùm verum est in supremo legislatore, sed etiam in quolibet alio inferiore respectu propriarum legum. Nam ratio facta æquè de omnibus probat. & ita docet Sanchez *illa disput.* 17. *num.* 27. Salas *sect.* 4. *num.* 42. Basilius *num.* 7. Quocirca Episcopi, & Archiepiscopi dispensatio in legibus suis, vel Synodi diœcesanæ concessa sine causa valet, etiamsi leges iuramento firmatæ sint; quia esto periurium committat: at dispensatio, vtpote in re propria, & in propria voluntate tenet. Adde secum posse in iuramento dispensare. Deinde est valida dispensatio propriarum legum, esto confirmatæ sint à Pontifice, dummodo confirmatio solùm sit approbatiua, non authoritatiua, qua illas leges sibi Pontifex proprias facit, vt bene notat Salas, & Basilius *suprà*.

2 Secunda regula sit. Legislator dispensationem sine iusta causa concedens peccatum committit. sic D. Thomas communiter receptus 1. 2. *quæst.* 97. *art.* 5. Vasquez *disp.* 178. *cap.* 3. & 4. Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disput.* 18. *num.* 3. Salas *disp.* 20. *sect.* 5. *num.* 50. Suarez *lib.* 6. *de legibus cap.* 18. *n.* 4. & alij innumeri ab eisdem relati: neque contrarium, vt probabile defendi potest. Et probatur ex *l.* 4. *in princ. ff. de damno infect.* ibi, *prætorem posse definitum terminum ex causa dare. & ex l. relegati, in fine, ff. de pœnis.* ibi, *Nemo potest commeatum, remeatúmve dare exuli, nisi Imperator ex aliqua causa.* Idem colligitur ex text. *in cap. quod pro remedio, & in cap. necessaria,* 1. *quæst.* 7. & præcipuè ex Trident. *sess.* 23. *cap.* 1. *de reformat. & sess.* 24. *cap.* 5. loquens de matrimonij impedimentis, *vel nulla*, inquit, *dispensatio detur, vel rarò, idque ex causa. & sess.* 25. *cap.* 14. petitur causa ad dispensandum, & *cap.* 18. dicitur, quòd si vrgens, iustáque ratio, maiórque quandoque expostulauerit, cum aliquibus dispensandum esse, id causa cognita, & summa cum maturitate à quibuscumque ad quos dispensatio pertinebit, præstandum est. Et ratio est manifesta, quia si Princeps sine causa ab obligatione legis communis te eximit, inæqualitatem facit, & aliquo modo vitium acceptionis personarum committit, & occasionem aliis præbet querelas efformandi, cùm videant se esse sub onere legis, à qua tu sine speciali causa exemptus es: quæ omnia sunt contra rationem. Ergo non potest Princeps, qui debet esse fidelis, & prudens obligationum dispensator, hanc facere inæqualitatem.

3 Neque obstat, si dicas obligationem pendere ex voluntate legislatoris, qui sicut potuit pro libito illam imponere, ita potest eam abrogare, vel dispensare. Quia nunquam potuit absque causa boni communis legem imponere, neque absque illa (vt multi docent) abrogare, neque cum aliquo dispensare, si causa, quæ saltem mediatè cedat in bonum commune, non intercedat; quia iure naturæ obligatur bono communi prospicere, cui non satis consuleret, si pro libito ab obligatione legis aliquos eximere posset. Item neque obstat Deum posse pro sola sua voluntate à legum obligatione aliquem eximere, vt dicamus etiam legislatorem humanum idipsum posse. quia voluntas diuina est summa regula bonitatis, quæ tamen non est humana. Item legislator humanus tenetur tam in legis impositione, quàm in illius dispensatione bono communi prospicere, quia est dispensator bonorum communium, cui tamen bono Deus non tenetur attendere, sufficit, si bono speciali alicuius prospiciat, quia est dominus omnium. Neque obstat etiam posse Principem tributa sibi debita debitori remittere absque vlla alia causa, præter eius voluntatem, & vt illi benefaciat, vt inde inferas posse à legis obligatione debitorem remittere, quia in remissione tributi debiti habet se Princeps vt priuata persona: at in exemptione à lege non personam priuatam, sed communem induit. Tandem non obstat plures dispensationes in gradibus prohibitis à Pontifice expostulari, nulla tamen causa assignata, quia licèt non assignetur causa, non tamen sine causa conceduntur; pro causa enim concessionis succedit copiosior eleemosyna à dispensato donata in sumptus publicos, sicuti pro causa concedendi priuilegium Bullæ succedit eleemosyna à quolibet Bullam sumente tributa.

4 Sed inquires, quod peccatum sit dispensationem sine causa concedere? Plures affirmant ex genere suo esse mortale. sic Couarr. 4. *decret.* 2. *part. cap.* 6. § 9. *num.* 7. Manuel Rodriquez 1. *part. summ. cap.* 196. *fine in* 2. *edit.* Suarez *lib.* 6. *de legibus, cap.* 18. *n.* 17. & alij plures, quos refert Sanchez *lib.* 8. *disp.* 18. *num.* 6. Mouentur præcipuè ex Trident. *sess.* 25. *cap.* 5. *de reformat.* vbi grauiter prohibet dispensationem sine causa datam: & ratio assignatur *in dict. sess.* 25. *cap.* 18. cùm dicit, dispensare sine causa nihil aliud esse, quàm vnicuique ad leges transgrediendas aditum aperire. Negari enim non potest inde sumi occasionem minoris obseruantiæ.

5 Cæterùm verius credo solum esse peccatum veniale ex genere suo, si secludamus scandalum, & damnum notabile aliorum. sic docet Sanchez plures referens *num.* 7. Salas *disput.* 20. *sect.* 5. *num.* 55. Valent. 1. 2. *disp.* 7. *quæst.* 5. *punct.* 9. *ad finem.* Nauarr. *prælud.* 9. *num.* 11. & *cap.* 12. *num.* 57. Basilius de Leon *lib.* 8. *cap.* 14. *num.* 4. Ratio est, quia non videtur grauis deformitas partem toti non se conformare. Ergo secluso scandalo, & damno aliorum non est graue peccatum sine causa dispensationem concedere. Quocirca si ex concessa dispensatione sine causa, sumerent dispensati occasionem grauem contemnendi legem; tunc certè teneretur Princeps sub mortali dispensationem talem negare. Et idem est, si graue damnum Ecclesiæ, vel subditis ex tali dispensatione proueniret, & sine dubio proueniret, si cum Sacerdote absque vlla causa dispensaretur in cœlibatu, vel in recitatione continua horarum, vel in pluralitate beneficiorum. Et ex his soluitur fundamentum contrarium. Ideo enim Concilium prohibet grauiter dispensationem sine causa, quia ex illa oriuntur supradicta inconuenientia. Quare in casu, in quo illa sequuntur, erit mortale. Adde inferioribus præcipi grauiter posse, ne dispensationem sine causa concedant, quia hi mortaliter peccant, vt dicemus, eo quòd nulla sit dispensatio.

6 Ex his infertur Principem secum sine causa dispensantem in legibus, quas ipse debet ex honestate obseruare, peccare mortaliter, vel venialiter, iuxta diuersas sententias nuper relatas, quia iure naturæ tenetur non discordare à subditis sine causa. Quòd si dicas, posita secum dispensatione, iam discedit cum causa, obstat, quia hanc dispensationem concedere sibi non potest, & concessam tenetur reuocare. Secundò infertur subditum petentem dispensationem sine causa peccare eodem genere peccati, quo peccat superior illam concedens; quia petit rem intrinsecè malam. Contingere autem potest, vt excusetur subditus, si ignorantia inuincibili laboret, & non excusetur superior cognoscens causam non adesse. Et econtra contingere potest, vt excusetur superior putans esse causam, cùm tamen subditus non excusetur, qui optimè nouit causam non adesse. sic Suarez *lib.* 6. *cap.* 18. *num.* 12. & 13. Basil. de Leon *lib.* 8.

lib.8.cap.14.num.5. Cùm autem superior cognoscit causam non adfuisse ad dispensandum, dispensationem datam tenetur reuocare, quia semper tenetur consulere, vt subditi vniformiter viuant, & legibus communibus æqualiter obligentur, nisi iusta causa excusans intercedat. sic Basilius *suprà.*

7 Inquires secundò, an vtens dispensatione sine causa à legislatore concessa in propria lege peccet? Aliqui existimant peccare ad minus venialiter, tum quia cooperatur dispensationi iniquæ superioris, illam acceptando, tum quia non se conformat aliis subditis. Tum denique, quia superior ipse vtens tali dispensatione peccaret. Ergo. sic Couarr. *in 4.decret. 2.part. cap.6.§.9. num.7.* Ledesma *2.p.4.q.17.art.3.fol.204.col.3.* Sanchez *lib.8.disp.18.num.12.* Salas *disp.20.sect.6. num.59.* & alij apud ipsos.

8 At credo satis probabile esse sic vtentem dispẽsatione valida non peccare, nec venialiter; sic ex communi Canonistarum tradit Emanuel *tom.1.reg.qq.q.22. art.4. summa corona. cap.1. de cognoscend.peccat.num.32.* Viuald. *appendice ad candelab. cap.12. num. 8. & 22.* Nauarr. *cap.12.num.57.* Basilius de Leon *lib.8.cap.14.n.5.* Suarez *lib.6.cap.19.num.14.* Vasquez *disp.178.cap.4.* Salas *n.60.* & alij plures ab eisdem relati. Et ratio est efficax, quia nec peccat contra legem positiuam, quæ iam non est, neque etiam contra naturalem, quia dispensatus non tenetur ex iure naturæ se aliis conformare; habet enim causam legitimam exemptionis, scilicet dispensationem validam, etiamsi illicitè obtentam. In quo est valde diuersa ratio subditi, & superioris. Superior namq; vtens dispensatione sibi sine causa in lege concessa, peccat, quia tenetur dispensationem reuocare, & potest: at subdito non incumbit tale onus. Neque etiam esse potest peccatum, quia cooperatur dispensationi iniquè à superiore concessæ, quia solùm cooperatur, cùm petit, petita iam, & concessa vtitur illa, qui vsus non videtur specialiter esse prohibitus.

§. II.

Quæ causa requiratur pro dispensatione legis superioris.

1 *In lege diuina, & naturali qualibet dispensatio sine causa inualida est.*
2 *Idem est de dispensatione inferioris in lege superioris.*
3 *Aliqui temperant, nisi inferior habeat plenitudinem potestatis. Sed reijcitur.*
4 *Secundò limitant alij, nisi in facultate dispensandi exprimantur nomina, quibus dispensatio est concedenda, & non exprimatur causæ cognitio. Sed non admittitur limitatio.*
5 *Tertiò limitant alij, nisi bona fide inferior processerit, existimans adesse causam. Sed non approbatur.*
6 *Inferior dispensans in lege superioris absque causa, mortaliter peccat.*
7 *Non potest certa regula definiri, quæ sit legitima causa dispensandi in legibus superioris.*
8 *Stante iusta causa dispensandi affirmant plures obligatum esse superiorem dispensare.*
9 *Aliquando tenetur dispensationem concedere, aliquando potest negare.*
10 *Quando hoc contingat.*
11 *Delegatus teneatur ne dispensare, quoties adest causa sufficiens? Sub distinctione respondet Sanchez.*
12 *Aliter distinguendum est.*

1 DIco primò, in lege diuina, seu naturali, qualibet dispensatio facta ab humano legislatore sine causa, inualida est. Quare si Pontifex in voto, iuramento, matrimonio rato, & residentia pastorum, sine causa dispenset, nulla erit eius dispensatio. Quia non accepit à Deo potestatem dispensandi pro libito, sed iusta causa intercedente; aliàs non esset potestas in ædificationem, sed in destructionem concessa, neque censendus esset dispensator fidelis, & prudens, sed potiùs imprudens, & infidelis: & ita Theologi docent cum D.Thom. *2. 2. q. 88. art.12.* Canonistæ cum glossa *cap. non est, verbo adimplere, de voto.* Vasquez *disput.178.cap.3. n.17.* Sanchez *lib.8.disp.17.n.3.* Salas *disp.20.de leg.sect.4. num.30.* Suarez *lib.6.de voto, cap.17.* & alij innumeri ab eisdem relati.

2 Dico secundò. Dispensatio inferioris in lege superioris inualida est, si facta sit absque causa legitima: ita communis sententia; prout videre est ex innumeris, quos referunt, & sequuntur Sanchez *illa disp.17.num.4.* Couarr. *2.p.4.cap.6.§.7.num.11.* Salas *disp.20.de legibus, sect.4.num.31.* Vasquez *disp.178. cap.3.num.17.* Valent. *disp.7.q.5.p.9.* Basil. *cap.14.n.8.* Barbosa *2.p. de potestate Episcopi, alleg.33.n.3.* Ioan. Sanchez *disp.54.select. n.38.* Ratio est, quia non censetur superior potestatem concedere, nisi pro dispensatione rationabili. Ergo inferior aliter dispensans excedit commissionem, & mandatum; & consequenter nulla est eius dispensatio. Ex quo fit dispensationem Episcopi, vel Archiepiscopi, in legibus Concilij prouincialis sine causa datam nullam esse; quia est dispensatio in legibus superioris, vt docet multis relatis Sanchez *disp.17.n.36.* Salas *de legib.sect.4. n.45.* & nos diximus suprà.

3 Temperant tamen aliqui hanc doctrinam, nisi inferior habeat plenitudinem potestatis à superiore concessam, qualis habet Legatus à latere in casibus sibi à Pontifice commissis. sic Eman. *in summ. tom.2. in 2.edit. cap.24.concl.3.num.5.* Quia tunc videtur reputandus, ac ipse legislator, cuius dispensatio absque causa valida est. Sed hæc limitatio meritò reiicitur à Sanchez pluribus relatis, *disp. illa 17. n.5.* quia non est præsumendum sic concessam esse potestatem, esto possit illam sic concedere; posset enim Pontifex concedere facultatem dispensandi in suis legibus, taliter quòd data dispensatio sine causa teneat. sic Salas *disp.20. sect.4. n.32.* est enim dispensatio in re propria.

4 Secundò temperant alij, nisi in potestate dispensandi exprimantur nomina eorum, quibus dispensatio est concedenda, nulla facta mentione cognitionis causæ; quia tunc dispensans censetur merus executor, & præsumere debet committentem certiorem esse factum de dispensationis causis, sic relato Felino, Speculatore, Garibay, docet Sanchez *num.6.* At licèt hoc sit probabile, mihi tamen probabilius apparet teneri causas dispensationis inuestigare, quia absolutè ipse dispensat. Quòd verò potestatem concedens nullam fecerit mentionem de causarum cognitione, non arguit omittendam esse, cùm à iure ipso moneatur dispensans debere causas dispensationis examinare, idque meritò Princeps debebat supponere.

5 Tertiò temperant; nisi bona fide inferior Prælatus procedat, existimans adesse causam legitimam, cùm tamen non sit. Quia non est credendum aliam esse Pontificis mentem circa suas leges, & Dei circa suas; siquidem hac ratione scrupulis obuiatur, & conscientiæ securæ redduntur, & gesta à Prælatis firma permanent. quæ omnia rectæ Ecclesiæ gubernationi conducunt. sic docet Sanchez *lib.8. disput.illa 17. num.8.* cum Azor *lib. 7. institut. moralium, cap.29. quæst.6.* consentit Ioan.Sanchez *in select.disp.54.num.39.* At hæc limitatio mihi non probatur. Tum quia ad rectam gubernationem Ecclesiæ non pertinet firmare dispensationes sine causa, sed illas excusare; aliàs pertineret etiam ad rectam gubernationem, vt quoties dispensandi putarent bona fide nullam sibi dispensationem esse necessariam, validos actus efficerent, nulla adhibita dispen

dispensatione, & sic contrahentes bona fide in gradibus prohibitis validè contraherent. quod non est admittendum. Tum quia allegantes superiorem absque legitima causa dispensasse audiuntur, etiamsi superior bona fide processerit. Ergo signum est manifestum, bonam fidem dispensantis non firmare dispensationem, & ita tenet *illa sect.4.num.37.* Basilius *lib.8. cap.14. num.8.*

6 Dico tertiò. Dispensatio inferioris in lege superioris data sine causa peccatum mortale est, & consequenter illam petens, & vtens peccat mortaliter. Et idem à fortiori est in dispensatione de votis, & iuramentis, & omni iure diuino, & naturali, quia vsurpat alienam iurisdictionem, & facit actum irritum: sic omnes Doctores. vt testatur Salas *disput.20.de legib.sect.6.num.59.* vbi aduertit ex leuitate materiæ aliquando posse esse veniale petere, & concedere talem dispensationem, sicuti esse potest, violatio voti, & cuiuslibet alterius legis sub mortali obligantis.

7 Sed inquires, quæ sit legitima causa ad dispensationem in legibus concedendam?

Respondeo non posse certa regula definiri, sed multum ex arbitrio prudentis pendere, qui ponderare debet qualitatem personarum, ex qua sæpè oritur sufficiens causa dispensationis, eo quòd ad commune bonum pertineat personas excellentes gratas habere, vt dixit D. Thomas 2. 2. *quæst.63.art.2. ad 2.* & Trident. *sess.24.cap.5. de reform.* attendere etiam debet pietatem, necessitatem, vtilitatem dispensationis: nam pro maiori, vel minori vtilitate, pietate, & necessitate dispensatio faciliùs concedi potest. Semper tamen dispensatio cedere debet in bonum publicum, quia est actus potestatis publicæ, & iurisdictionis communis. At cùm lex pro bono publico statuta sit, pro bono publico est relaxanda, & tradit Panormitanus *in cap. de multa, de prabendis, num.8.* Sotus 1.*de iustit.quæst.7.art.3.* & colligitur ex Trident.*sess.25. cap.18.de reformat.* Non tamen requiritur, vt causa, ob quam conceditur dispensatio, immediatè bonum commune respiciat, sufficit si mediatè ad illud ordinetur, quatenus bonum particularis personæ in bonum communitatis refertur; expedit enim reipublicæ aliquas gratias, & exemptiones aliquibus facere, vt sic alij excitentur ad bene merendum de republica. Adde legislatori competere singulorum necessitatibus subuenire, quia id communi bono expedit. Quocirca sæpè ob inopiam mulieris dispensatur in consanguinitatis impedimento, & ob periculum incontinentiæ in votò castitatis, & ob vitationem maioris mali in aliqua lege; quæ sunt causæ personam singularem attingentes: at mediatè ad bonum commune ordinantur. sic aliis relatis docet Sanchez *lib. 8. disp.19.in princ.* Salas *disp.20 sect.8.num.75.* Basilius *lib.8. cap.14. n.12.* & colligitur satis hæc doctrina ex *cap. requisitis, §. nisi rigor, 1.quæst.7.cap.necesse est, 29.dist.cap.ipsa pietas, 23.quæst.4.cap.fraternitas, 34.dist.* & Trident.*sess.25. cap.18.de reform.*

8 Inquires secundò, an stante iusta causa dispensationis teneatur superior dispensationem concedere, vel possit illam denegare?

Prima sententia affirmat peccare Prælatum, si non dispenset, quoties subest iusta causa dispensandi. glossa *cap. Domino sancto, verbo necesse, 50. dist.* Rebuff. *repetit. cap.postulastis, notab.3. num.12.* Syluest. *verbo dispensatio, quæst.1.in fine.* Rosella *ibi num.4.* Eman.Saa *n.2.* Armilla *num.14.* Ioan.Sanchez *in select.disp.43.num.8.§.præterea.* & alij relati à Thom.Sanchez *lib.3.de matrim.disput.10. num.2.* quámque ipse reputat probabilem, & verè probabilis est. Ratio præcipua est, quia potestas dispensandi commissa est Prælatis in bonum reipublicæ, & subditorum. Ergo si causa iusta adest exercendi hanc potestatem, videtur Prælatus teneri illam exercere; aliàs contra debitum sui muneris faceret. Et confirmo. Ex iustitia distributiua tenetur Prælatus in distributione obligationum communium, & exemptione illarum procedere. Ergo tenetur merita personarum attendere. Ergo si existentibus meritis alicuius, vt eximatur ab onere, & obligatione communi illum non eximat, malè distribuit. Quòd si negata vni exemptione, alteri æqualia merita habenti exemptionem concedat, iam videtur personarum acceptor. Ergo peccat. Non declarat autem hæc sententia quale peccatum sit: at attenta materiæ grauitate videtur dicendum graue esse.

9 Secunda sententia, cui tanquam probabiliori adhæreo, affirmat aliquando teneri Prælatum dispensationem concedere, aliquando non; sed posse illam iustè denegare. tenet Sanchez *suprà*, plures referens *num.3.* Salas *disp.20.sect.7.num.70.* Suarez *lib.6.de legib.cap.18. num.22.* Basilius *lib.8.cap.14.num.6.* & alij apud ipsos. Prior pars conclusionis, scilicet aliquando dispensationem esse debitam, videtur colligi ex *cap. Domino sancto, 50.distinct.* ibi, *vt necesse sit illos restaurare in loco honoris, qui per pœnitentem reconciliationem recepisse merentur. & ex cap.quanto, in fine, 2.quæst.4.* & ex Trident. *sess.24.cap.1.* vbi prudentiæ, & iudicio ordinarij committitur dispensatio in denuntiationibus, quando est probabilis suspicio matrimonium malitiosè impediri posse. quod iudicium, & prudentia ad eximendam suspicionem videtur expostulari, non ad negandam, vel concedendam dispensationem cognita suspicione malitiosi impedimenti. Idem etiam colligitur ex *sess.14. cap.7.* vbi de occidente in defensionem propriam, excedente tamen moderamen inculpatæ tutelæ, ait Concilium dispensationem ei quodammodo deberi. Fateor has iuris probationes facilè solui posse. Quod ergo efficaciter hanc conclusionis partem probat, est ratio pro prima sententia facta, potest enim contingere ita vrgens causa boni communis, vel specialis alicuius, vt Princeps, cuius officium est hæc omnia respicere, censeatur contra debitum sui muneris procedere, si dispensationem neget; si enim media dispensatione pax reipublicæ obtinetur, & negata destruitur, quis negare potest debere Principem, & reipublicæ gubernatorē dispensationem concedere? Item si dispensandus dispensatione sibi concessa reparat honorem sibi ablatum, quia alia via reparari non potest, vt contingit in fœmina stuprata, quo modo negari absque iniustitia dispensatio poterit? Secundam partem conclusionis, scilicet non semper debitam esse, probatur primò, quia sæpè in iure dispensatio vocatur indulgentia. *cap.1. de statu monach. in 6.* aliquando misericordia. *cap.postulasti, de cleric. excommunic. ministr.* aliquando gratia. *cap.didici, 1.quæst.7. fine, cap.licet canon, de elect.in 6.* sed indulgentia, misericordia, & gratia non sonant debitum. Ergo. Secundò dispensatio debere potest vel ex aliquo præcepto positiuo, vel naturali. ex præcepto positiuo non semper debita est: nam dispensatio concedenda est à supremo legislatore, tunc certum est ex præcepto positiuo deberi non posse, cùm nullis legibus positiuis humanis arctetur. Si autem ab inferiore concedenda est, sæpè eius voluntati committitur dispensatio, vt *in cap. at si clerici, §. de adulterijs, de iudic.* Ergo. Tertiò quia esto Princeps teneatur ex suo munere dispensationem concedere, si vrgens causa boni communis, aut alicuius particularis intercedat: at sæpè non ita vrget, quin etiam vrgeat ferè æqualiter causa negandæ dispensationis. Ergo in tali casu & poterit concedere dispensationem, & illam denegare, sicuti contingit in ferenda lege. Non enim semper Princeps cùm legem fert, obligabatur illam ferre, poterat enim alia via bono communi prospicere, aliàs quidquid posset facere, ex necessitate faceret: contra *leg. quidquid, 40. ff. de iudicijs*, vbi non quidquid potestati

iudi

iudicis permittitur, id necessitati iuris subiicitur, & notat glossa *in cap. consuluit, verbo gratiam, de off. deleg.* Quartò esse potest probabile, adesse causam dispensationis, & non adesse. Ergo in hoc casu non tenetur dispensare superior, etsi possit, quia sequi potest opinionem probabilem.

10 Quòd si inquiras, quando sit debita dispensatio? Vno verbo respondere possum: quoties bono communi, vel speciali grauiter conducit, neque alia causa in contrarium præponderet. sic Doctores pro sententia secunda relati, specialiter Sanchez, Salas, & Suarez: quando autem id conducat, prudentiæ, & iudicio superioris relinquendum est. Adde, quoties in iure denotatur causa ad dispensandum, tenetur inferior posita tali causa dispensare, quia tunc instruitur inferior, cui committitur potestas, quomodo illa debeat vti: sic docent Sanchez *lib. 3. de matrim. disput. 10. num. 6.* Ioan. Sanchez *disput. 43. num. 8. versic. præterea.* Suarez *lib. 6. cap. 18. num. 21.* Salas *disp. 20. sect. 7. circa finem.* Quapropter tenetur Episcopus dispensare cum clerico, ne resideat ratione studij, ex *cap. cum ex eo, de elect. in 6.* quia ibi apponitur hæc causa, ex qua potest dispensari, sic relato Ioann. Andr. Decio, Franco, docet Sanchez, Suarez, & Salas *suprà.* Item tenetur dispensare in denuntiationibus matrimonij, si probatur adesse suspicionem malitiosi impedimenti. Item in interstitiis, si id vtilitati Ecclesiæ viderit expedire, ob eandem rationem.

11 Ex his infertur, quid dicendum sit in delegatis. An, inquam, hi teneantur dispensationem concedere, cùm viderint adesse causam sufficientem? Thomas Sanchez *lib. 4. summ. cap. 54. num. 12.* loquens de voto distinguit inter delegatos habentes priuilegium dispensandi in sui fauorem concessum, vel in fauorem dispensaturi. Et de habentibus priuilegium in sui fauorem, negat teneri dispensationem concedere postulanti, eo quòd nemo teneatur suo priuilegio vti, & sic excusat regulares nolentes dispensationem votorum concedere pœnitentibus, quia ipsi non adstringuntur vti suo priuilegio: at si priuilegium concessum sit in fauorem pœnitentis, vt est priuilegium Bullæ, & Iubilæi, affirmat teneri electum Confessarium dispensationẽ concedere, quia pœnitens petit ius ex priuilegio sibi concessum: consentit quoad hanc secundam partem Aragon 2.2. *q. 88. art. 12.* in dubio quod mouet circa 2. conclus. *fol. 1041.* Viuald. *candelab. sacram. 3. p. cap. 14. n. 58.* Chapeauila *de casib. reseruat. q. 2. diffic. 12. fol. 2.* Stunica *de voto, q. 5. n. 38.* Sayrus *claui regia lib. 6. cap. 12. num. 18. fine.*

12 At existimo aliter esse in hac parte distinguendum, aut enim loqui possumus de Confessario, antequam pro dispensatione votorum, vel impedimentorum illum eligat, vel facta electione, & ab ipso acceptata; si post factam electionem, & acceptationem deneget tibi Confessarius dispensationem, pro qua obtinenda causam iustam habes, infidelis est, & iniustus; quia iam quasi ex iustitia ratione acceptatæ electionis obligatus est concedere. Et hoc siue concedenda sit dispensatio ex priuilegio in tui fauorem concesso, vel in fauorem dispensantis. Quia iam ipse priuilegiatus se ipsum obligauit vti priuilegio suo, eo quòd electionem acceptauerit. Verùm si loquamur antequam ipse Confessarius acceptet electionem sui ad dispensationem concedendam, nullo modo tenetur tibi dispensationem concedere, etiamsi confessionem audiat, quia priuilegium concessum per Bullam non est ad arctandum Confessarium ad dispensationem concedendam, sed est priuilegium concedens facultatem dispensandi Confessori volenti, non renuenti; aliàs quilibet Sacerdos approbatus requisitus per Bullam teneretur confessionem cuiuslibet pœnitentis, qui illum requirit, auscultare. quod est sine fundamento dictum.

Aduerto, aliquando posse delegatum teneri consentire electioni de se factæ, & dispensationem concedere; nempe, si id iudicauerit grauiter bono dispensaturi expedire, eo quòd ab aliis repellitur, & ob repulsam tristatur grauiter, & in periculo peccandi existit. sic Ioan. Sanchez *disp. 14. select. n. 17. circa finem.*

PVNCTVM IX.

An liceat habentibus potestatem dispensandi imponere aliquam mulctam pecuniariam, vel onus personale dispensaturis.

1 *Si dispensatio est in voto, fieri potest. Et idem est quoties ex onere imposito integratur causa dispensationis.*

2 *Causa legitima ad dispensandum intercedente nequit Prælatus, siue inferior, siue superior mulctam imponere: qui defendant.*

3 *Resoluitur in casibus, in quibus debetur dispensatio, non posse mulctam imponi; secus in illis, in quibus denegari potest.*

4 *Inferior non potest sub onere aliquo, & pecuniaria mulcta dispensationem concedere; vt probabilius defenditur.*

5 *Proponitur obiectio, & fit illi satis.*

1 Si dispensatio sit in voto, nemini est dubium id fieri posse, quia tunc dispensans non imponit obligationem, sed ipse dispensandus sibi illam assumit. Item si causa iusta dispensandi non intercedit, nisi posita illa mulcta pecuniaria: potest quidem imponi, & ex illius impositione resultat sufficiens causa dispensationis, vt in dispensatione impedimentorum matrimonij fieri solet, & tradit Ledesma *2. part. 4. quæst. 17. art. 3. in fine.* Suarez *lib. 6. de legibus, cap. 16. in princip. & cap. 18. fine, & tom. 1. de relig. tract. 3. lib. 4. de simon. c. 20. num. 11. & 12.*

2 Quare difficultas solùm est, an causa legitima intercedente possit superior nolle dispensare absolutè, sed sub aliquo onere? Et procedit quæstio tam de Principe supremo, quàm de inferiori.

De vtroque negat Ioan. Sanchez *disp. 54. select. n. 40.* Mouetur, quia causa legitima intercedente tenetur superior dispensationem concedere ex vi sui muneris; sed pro exercenda actione debita non potest peti pretium aliquod, neque onus poni. Ergo. Et confirmo. Vel absque impositione illius oneris est causa sufficiens, vt superior legem relaxet, vel non? Si non est sufficiens causa, non est de illo quæstio: si autem absque illius oneris impositione est causa sufficiens, vt legislator dispenset, iniustè videtur grauare dispensandum, cum absque causa onus imponat. Non ergo videtur onus imponendum, nisi pro complemento causæ ad dispensationem necessariæ.

3 Dicendum ergo existimo illis in casibus, in quibus diximus dispensationem debitam esse, nullo modo poterit legislator mulctam, vel onus aliud tibi renuenti imponere, quia pro actione debita onus imponi non potest. sic Filliucius *2. tom. tract. 27. cap. 7. n. 129.* & in hoc sensu est verum, quod dicit Ioan. Sanchez. At cùm dispensatio debita non est, sed potest absque iniustitia negari, poterit, si legislator sit, mulctam pecuniariam, vel aliud onus imponere, aliàs nolle dispensare. sic Suarez *lib. 6. cap. 16. in princ.* vbi testatur esse omnium. Supponit Sanch. *lib. 3. de matr. disp. 10. n. 9.* & videtur satis colligi ex *cap. licèt, de fer.* vbi conceditur diebus festis posse vacare piscationi haleciæ, ita vt post factam capturam Ecclesiis circumpositis, & Christi pauperibus congruam faciant portionem. Et ratio est, quia cùm non teneatur suam legem absolutè relaxare, poterit illius obligationem in alia materia subrogare.

4 Quòd si dispensans inferior legislatore sit, & in lege superioris tibi concedit dispensationem, probabilius existimo non posse sub onere aliquo, & pecuniaria mulcta illam concedere. sic Sotus 4. *distinct*. 28. *quest*. 1. *art*. 2. *versic. ex his*. Ludouicus Lopez 2. *part. instruct. de matrim. cap*. 39. §. *sed si quis*. Thomas Sanchez *lib*. 3. *disput*. 10. *num*. 9. *& lib*. 8. *disput*. 14. *à num*. 2. Ioan. Sanchez *in select. disput*. 54. *num*. 40. Probatur, quia ad illud onus, & pecuniariam mulctam obligari non potes ex contractu, aliàs redoleret simoniam, si ob dispensationem tibi concessam in lege imponeretur obligatio pretio æstimabilis. Neque etiam ex lege præcedenti obligari potes, quia inferior non valet legem præexistentem ad aliam materiam extendere, neque de nouo legem, aut præceptum imponere. Vnde enim constat talis potestas? Quòd si dicatur à legislatore illam habere, eo quòd debet præsumi legislatorem concedere potestatem dispensandi in lege, prout melius ipsi videbitur, absolutè, vel miscendo commutationem. Negamus id posse præsumi, aliàs præsumi posset datam esse potestatem inferiori commutandi superioris legem, in aliquod opus pium, quoties viderit subdito conuenientius esse. Quocirca inferiori Prælato solùm committitur potestas relaxandi legem causa iusta intercedente: at subrogandi loco illius aliam nullo modo; & in legibus, quæ non imponunt onera subditis, sed ad vitanda aliqua inconuenientia, vel ad seruandum debitum ordinem feruntur, affirmat Suarez *lib. 6. cap. 16. num. 9.* imponi non posse mulctam pecuniariam, & hinc infert pro remittendis denuntiationibus ad matrimonium, interstitiis ad ordines, pro licentia suscipiendi ordines ab alio Episcopo non posse mulctam pecuniariam imponi; & fauet Concil. Trident. *sess*. 24. *cap*. 1. *& sess*. 25. *cap*. 18. *& sess*. 21. *cap*. 1. *de reform*.

5 Sed obiicies, Prælati inferiores sæpè dispensant in obseruatione festorum, ieiuniorum, imponendo aliquod onus, & pecuniariam mulctam pauperibus, vel fabricæ Ecclesiæ applicandam, iuxta *cap. licèt, de feriis*. Ergo signum est à legislatore supremo commissam illis esse potestatem hoc modo dispensandi.

Respondeo cum Sanchez *lib*. 8. *de matrim. disput*. 14. *num*. 2. hoc esse signum sequi sententiam probabilem sibi fauentem, & iurisdictionem extendentem, non tamen esse certum commissam illis esse talem potestatem.

Obiicies secundò, cui commissa est potestas dispensandi in votis, & iuramentis, commissa est etiam potestas commutandi, eo quòd maior sit potestas dispensandi, quàm commutandi. potestas enim dispensandi tollit integrè obligationem; potestas verò commutandi ex parte tollit. Ergo. Similiter concessa potestate dispensandi in legibus, censebitur commissa potestas commutandi, quia minus est.

Respondeo negando consequentiam. Et ratio differentiæ est, quia potestas commutandi vota, censetur sub potestate dispensandi inclusa, tanquam quid minus in maiori: at potestas mutandi legem non potest includi sub potestate dispensandi, quia maius est; maius enim est tollere legem, & aliam denuo imponere, quàm solùm tollere absolutè, sed non est maius commutare votum, quàm votum dispensare, quia licèt commutans tollat antiquum votum, quoad materiam præexistentem subrogat aliam materiam, ob quam votum extenditur ex voluntate ipsius cui est facta commutatio: at in commutatione legis tota subrogatio, non ex voluntate illius, qui est ligatus per legem, sed ex voluntate legislatoris prouenit, eáque de causa maius quid est commutare legem, quàm in illa dispensare.

PVNCTVM X.

An asserenti se habere potestatem dispensandi, debeas illi fidem adhibere.

1 *In foro conscientiæ bene potes; non teneris.*
2 *In foro externo nemini est credendum, nisi instrumentum commissionis ostendat.*
3 *Limitatur in his, quæ graue præiudicium generare possunt, secus in his, quæ nullum, vel minimum.*
4 *Asserenti potestatem se habere dispensandi, absoluendi, concedendi indulgentias, credi potest.*
5 *Creditur Episcopo non subditum ordinanti, si dicat in titulo de licentia proprij Episcopi fecisse.*
6 *Item de Pœnitentiario dicente viuæ vocis oraculo sibi concessam esse potestatem absoluendi à reseruatis.*

1 SI sermo sit de foro conscientiæ, fides ei potest adhiberi; experientia enim testatur credi Confessori dicenti se habere potestatem absoluendi, vel dispensandi. sic Sanchez *lib*. 8. *disput*. 17. *num*. 22. imò non solùm Confessori dicenti se habere potestatem, sed etiam tibi asserenti potestatem, & priuilegium habere, vt absoluaris à reseruatis, vel dispenseris, poterit Confessor credere, quia solùm de tuo commodo, vel præiudicio agitur. Neque tamen videris obligatus credere; quia nemo in propria causa censetur testis omni exceptione maior.

2 Si autem loquamur de foro externo, regula generalis est, nemini credendum esse habere potestatem delegatam, nisi instrumentum commissionis ostendat, quia est res facti, quæ non ab ipso, sed ab alio, scilicet à delegante pendet, eáque de causa probanda est, aliàs quilibet priuatus officium iudicis assumere sibi posset: sic multis allegatis docet Menoch. *de arbitr. lib*. 1. *q*. 76. *præcipuè à n*. 8. Mascard. *de probat. concl*. 168. *à n*. 15. Sanchez *lib*. 8. *disp*. 17. *à n*. 18. & probatur satis ex *cap. cùm in iure peritus, de off. deleg.* vbi statuitur non credi delegato, nisi de suæ obligationis mandato fidem faciat; quia dum non constat de mandato delegationis, is loco priuati habetur. Quæ ratio probat de quocumque delegato, etiam in magna dignitate constituto, vt relato Decio, Ias. & aliis tradit Menoch. *illo num*. 8.

3 Limitat autem Sanch. *n*. 19. Menoch. *n*. 10. Mascard. *n*. 22. vt intelligatur in his, quæ graue præiudicium generare possunt; secus verò in his, quæ nullum, vel minimum præiudicium afferunt, quia tunc præiudicium inferres assertori, si absque causa ei fidem non adhibeas.

4 Ex qua limitatione infert Sanchez *n*. 19. cum Ias. *repet. l. admonendi, n*. 175. *de iureiur*. & Gutierr. *lib*. 2. *qq. canon. cap*. 17. *fin*. asserenti se habere potestatem dispensandi, absoluendi, concedendi indulgentias credi posse; quia agitur de nullo, vel minimo præiudicio: cautè tamen hæc illatio accipienda est, non enim cuilibet in hac parte credi debet, sed viro timorato, & in dignitate constituto, & de quo præsumi non posset falsum dicere. Tum quia esto hæc potestas nullum, vel minimum præiudicium ordinariis afferat: at affert habenti illum specialem honorem, & authoritatem, ob cuius causam præsumi potest tibi falsò arrogare. Non ergo est credendum, nisi probet.

5 Secundò infert Sanchez *n*. 20. credi Episcopo promouenti ad ordines non subditum, si dicat in titulo collationis de licentia proprij ordinarij fecisse: consentit Menoch. *n*. 10. Gutierr. *lib*. 2. *qq. can. cap*. 17. *n. pen*. Rebuff. *praxi benef. tit. de forma dimissoriarum, n*. 36. Ratio esse potest, quia illa ordinatio non subditi cedit in modicũ præiudicium Episcopi proprij, & in graue damnum Episcopi ordinantis, siquidem manet suspensus. Non ergo præsumi potest mendacium committi. Placet.

6 Tertiò infert Sanchez, & bene, alios referens, *n*. 21. credi

credi summo Pœnitentiario dispensanti in aliquo casu reseruato, si asserat viuæ vocis oraculo sibi concessam esse potestatem, quia non videtur hæc cedere in præiudicium alicuius: si enim dispensatio in alterius præiudicium cederet, credi ei non debet, vt pluribus relatis docet Mascard. *concl.268.num.22.*

PVNCTVM XI.

Quæ forma seruanda sit in dispensatione expressa.

1 *Nulla est præscripta forma verborum, sed illa sufficit, quæ mentem dispensantis exprimit.*

2 *Ad valorem dispensationis, cum absenti conceditur, mandatum eius non requiritur.*

3 *Non tamen habet effectum, quousque dispensando innotescat.*

4 *Gratia impetrata valet absque tuo mandato, secus illius acceptatio.*

1 DVpliciter dispensatio concedi potest, tacitè, inquam, vel expresè. Expressam dispensationem voco eam, quæ verbis expressis conceditur. Tacitam, quæ ex signis aliquibus, vel factis infertur, & præsumitur.

Nulla est præscripta verborum forma pro dispensatione concedenda, neque ex natura rei, neque ex iure; sed illa erit sufficiens, quæ satis expresserit & voluntatem dispensantis, & effectum dispensationis. Hic autem effectus dispensationis potest & specialiter, & generaliter declarari. Specialiter declaratur, si sumatur specialiter id, cuius est dispensatio. Vt si superior diceret: Dispenso tecum in hoc, & illo impedimento, in hac, vel illa irregularitate. Generaliter declaratur, si sub verbis generalibus exprimitur, dicendo, in quacumque irregularitate, vel in quocumque impedimento, quod habeas, tecum dispenso. Qui modus dispensandi sat est ad constituendam dispensationem expressam, vt bene probat Tiraquel. *de legib. connub. gloss.7.n.86. & seqq.* Item debet exprimi persona, quia dispensatio, alicuius est dispensatio. Debet, inquam, exprimi, vel exprimendo eius nomen, vel æquiualens. Item non est necessaria scriptura ad hanc expressam dispensationem; sufficit si verbo tenus fiat, vt latè diximus *in disput. de priuileg.* Et ratio pro dispensatione est manifesta; cùm enim dispensatio legis, sit relaxatio obligationis, quam lex inducit, & hæc obligatio ex voluntate pendeat legislatoris, si legislator cessat à voluntate obligandi, tibique manifestat, cessat tibi obligatio legis, & consequenter es in lege dispensatus. Excipiuntur tamen aliqui casus, in quibus ex iure non prodest etiam in foro conscientiæ dispensatio, nisi in scriptis fiat. aliquos enumerat glossa *in cap.1.§.postquam, de censib.lib.6. verbo in scriptis.* & Trident. *sess.25. cap.5. de reformat.* & nos diximus illo loco de priuilegiis.

2 Deinde ad valorem dispensationis, cùm absenti conceditur, mandatum eius non requiritur, sed ipsi ignoranti concedi potest. quia nullibi habetur necessarium esse mandatum pro gratia, priuilegio, & dispensatione obtinenda. Hæc enim differentia est inter rescripta gratiæ, & iustitiæ, quòd rescripta iustitiæ speciale mandatum requirunt, vt habetur *in cap.nonnulli, §.fin.de rescript. & ibi glossa, & in cap. qui ad agendum, de procuratoribus, in 6.* At rescripta gratiæ nullum mandatum expostulant. Optat enim ius præcidere lites, ideóque ne augeantur, hoc speciale impedimentum apposuit pro rescriptis ad lites, quod in rescriptis gratiæ non procedit. Quapropter *in l.vniuersis, C.de precibus Imperat. offerend.* dicitur rescriptum ab Imperatore concessum validum esse, per quemcumque impetratum sit. Neque obstat textus *in cap.innotuit, de elect.* vbi videtur annullatum rescriptum, eo quòd fuerit sine mandato impetratum: inquit enim textus, *cùm non ad postulandam dispensationem, sed ad petendam confirmationem ipsius fuerint nuntij destinati.* Quia ibi non annullatur rescriptum, quia fuit concessum sine mandato, sed quia fuit concessum pro confirmatione irritæ electionis, nulla dispensatione facta. Item ibi requirebatur mandatum Capituli, quia agebatur de confirmatione electionis ad ipsum pertinente: non tamen inde infertur requiri mandatum eius, cui gratia confertur, imò potiùs contrarium non leuiter ex illo text. probatur. & ita tenet Azor *lib.5. cap.23. q.12.* Suarez cum Rebuff. & Nauarr. *lib.6. cap.13. num.5. & 6.* Salas *disp.20. sect.14.* Saa *verbo gratia, num.13.* Petr. Gregor. *in cap. nonnulli, verb. absque speciali mandato, de rescript. lib.2.* Hugolin. *de irregular. cap.62. num.5.* Basil. de Leon *lib.8. de matrim. cap.15. num.3.* Thomas Sanchez alios referens *lib.8. de matrim. disp.26. num.4.*

3 Aduerto tamen, etsi dispensatio, gratia, & priuilegium absque tuo mandato impetratum, vel concessum à Principe valorem habeat; non tamen habet effectum, quousque tibi innotescat, & illud acceptes, quia est quædam donatio, quæ per acceptationem completur: & licèt tibi inuito, & renuenti concedi possit, hoc tamen nunquam debet præsumi, nisi id manifestè constet, ne gratiæ Principis vilipendantur. Quapropter semper trahunt secum imbibitam conditionem, si tibi placita sit, & grata existat, sic videtur decisum *cap. ad medium, vers. ex parte, de concess. præbend.* & tradunt Suarez, Salas, Basilius, & Sanchez *suprà.* Adde neque expedire Principi dispensationem concedere, nisi petitionibus sit coactus; quia est iuris relaxatio, ad quam faciendam non se debet Princeps facilem exhibere. Mandos. *de resignat. grat. tit. de dispens.* Rodriquez *tom.1. q.22. art.3. regul.qq.* & colligitur ex *l.4.§.1. ff. de damno infecto.* Non tamen inde infertur non posse aliquando absque petitione concedere, si id viderit expedire, vt rectè Suarez *lib.6. cap.13. num.8.*

4 Aduerto secundò. Quamuis impetrata gratia absque tuo mandato valeat, at acceptatio illius non valet, nisi ex tuo mandato; quia gratiæ valor pendet à concedente præcisè: at acceptatio illius pendet ab ipso, cui gratia confertur, argum. text. *in cap. si tibi absenti, de præbend. in 6.* & notauit ex Petro Gregorio, Basilio *illo cap.15. num.3.*

PVNCTVM XII.

Quæ conditiones seruandæ sint in dispensatione tacita.

1 *Quilibet potest tam in suis legibus, quàm in legibus superioris hanc dispensationem concedere.*

2 *Cognoscitur hæc tacita dispensatio, si tibi à Prælato mandetur actus, qui sine dispensatione fieri non potest.*

3 *Secundò, si videat te disponi ad operandum contra legem, & non impediat, cum facilè possit.*

4 *Proponitur sententia plurium asserentium taciturnitatem, & dissimulationem Prælati non esse sufficiens signum tacitæ dispensationis.*

5 *Satisfit, & explicatur doctrina.*

6 *Ratihabitio, & præsumptio excusans ab obligatione, non debet subsequi actum, sed antecedere.*

1 OMissis variis dicendi modis, qui à veritate sunt alieni, quid probabilius censeam paucis exponam.

Dicendum ergo est dispensationem tacitam, quæ consistit in ratihabitione, seu præsumptione voluntatis superioris dispensantis, non solùm concedi posse à quolibet legislatore respectu suarum legum, sed etiam respectu

spectu legum superioris. sic docet plures referens Sanchez *lib.8.disp.4.num.16.* Suarez *lib.6.cap.13.num.13.* & *tom.5.de censur.disp.41.sect.3.in fine.* Salas *disput.20.sect.2. num.8* Emanuel Saa *verbo dispensatio,n.12.* Basil.*lib.8.de matrim.cap.15.num.5.*

Ratio est, quia pro dispensatione concedenda non est in iure forma aliqua præscripta, sed eo ipso, quo manifestetur voluntas dispensantis, dispensatio habet effectum: at non tantùm verbis,sed etiam signis manifestari potest eius voluntas. Ergo dari potest dispensatio tacita?

Neque obstat ad dispensationem requiri notitiam causæ; nam hæc esse potest vel testibus, vel rei notorietate, & illa posita dicimus dari posse dispensationem tacitam. Adde,vt videbimus statim. Satis probabile est causæ cognitione non præmissa validam esse dispensationem, si causa subsistit. Ergo nihil obstat, quominus legislator dispensationem tacitè concedere possit.

2 Difficultas ergo est, quibus signis censeri iure potest Prælatus velle dispensationem concedere? cùm enim sit quæstio de facto,& quæ pendet ex animo Prælati,non est præsumenda,nisi probetur.

Primum signum, & communiter receptum est,si tibi à Prælato præcipiatur, vel concedatur actus, qui sine dispensatione exerceri non potest: tunc enim censetur dispensare; quia non censeri debet Prælatus præcipere,vel concedere ea,quæ illicita sunt,& iure repugnantia. Quapropter, si tibi irregulari dimissorias ad ordines concedit, vel beneficium confert, censetur quidem tecum dispensare illa in parte: & colligitur ex *l.quidam consulebat,57 fine,ff.de re iudic.* vbi Princeps dignitatem concedens minori, censetur dispensare, vt gesta per ipsum valeant. Debet autem procedere sciens te esse impeditum, aliàs non erit dispensatio, cùm ex ignorantia impedimenti mandatum procedat. sic Rebuff.*in practic.tit.de dispensat.à num.5.* Suarez alios referens *lib.6. cap.13. num.23.* & 24. Salas *disput.20. sect.2. num.8. versic. secundus modus.* Azor *tom.1. lib.5. cap.15. quæst.10.* & *vltim.* Nauarr. *prælud.9. num.15.* & *cap.25. num.74.* Sanchez *lib.8.disp.4. num.2.* & *seqq.* dicens esse communem omnium sententiam in supremo Principe, eámque latè probat. Et idem est de inferioribus in his, in quibus dispensare possunt.

3 Secundum signum tacitæ dispensationis, & præsumptæ voluntatis est, si potens dispensare videat te disponi ad operandum contra legem, & de facto operari, & taceat, nec impediat,cùm facile id impedire possit. Quia qui tacet, consentire videtur,ex *reg.iur.43. in 6.* quæ maximè procedere debet, cùm ex officio tenetur non tacere, nisi consentiat. Ratio quare hoc signum videatur sufficere,est, ne præsumatur in superiore delictum,quòd sanè esset, si sibi subditum non coërceret, & detineret, cùm facile posset, ne legem sine dispensatione transgrederetur. Adde, illa patientia est ratihabitio de præsenti, quæ sufficit ad concedendam iurisdictionem, vt multis allegatis probat Sanchez *lib.3. disput.35. num.20.* Vasquez *tom. de pœnitent.q.93. art.2. dub.2. num.5.* Emanuel Saa *verbo Confessor, post num.31.* & *verbo consensus, num.1.* & *verbo iurisdictio,n.1.* & *verbo Prælatus,num.4.* Basilius *lib.5.de matrim.cap.19. num.1.* & *lib.8. cap.15. num.7.* & alij innumeri,quos refert, & sequitur Ioan.Sanchez *in select.disput.44.num.3.* Ergo multo magis sufficiet ad concedendam legis relaxationem.& ita tenet alios referens Sanchez *lib.8.disp.4. num.26.* Salas *disp.20.de legib.sect.9.num.87.* Suarez *lib.6. cap.13. num.21.*

4 Video tamen grauissimos Doctores asserere taciturnitatem præcisè, & dissimulationem, cùm possit à superiore effectus impediri, non esse sufficiens signum concessæ dispensationis:sic glossa,Cardinal. Ancharan. Imola, Bonifacius,Innocentius,Hostiensis,Anton. Panormitanus, Henriquez, Bellamera, Anania, Felinus, Socinus senior,Selua, Anton. Gabriel,Menoch.Mayol, & Sayrus locis relatis à Sanchez *lib.8.de matrim. disp.4. num.25.* & à Suarez *lib.6.de legibus,cap.13.num.18.* licèt *num.22.* maximè in hanc partem inclinet, inquit enim solam taciturnitatem non sufficere ad præsumendam dispensationem, nisi addantur aliquæ aliæ circumstantiæ, videlicet quòd defectus illius esset vtrique, essétque causa sufficiens non petendi expressam dispensationem, & inter dispensatum,& dispensantem esset familiaritas. Mouentur, quia ad dispensationem concedendam requiritur non tam permissiua voluntas,quàm concessiua, siquidem est concessio alicuius priuilegij: at ex taciturnitate, & dissimulatione solùm infertur permissio, non tamen concessio. Quod videtur clarè probari ex text.*in cap.super eo, de cognatione spirituali.* ibi, *id in Ecclesia tua dissimulare poteris, ita quòd nec contradicere, nec tuum videaris præstare assensum.* Idem colligitur ex *cap.cùm desideres, in responso ad primam quæstionem, de sententia excommunicat.* vbi Episcopus admittens ad diuina excommunicatum, non censetur illum absoluere. Ergo ex taciturnitate, & dissimulatione non infertur dispensatio.

5 Respondetur præcisam taciturnitatem, & dissimulationem non esse sufficiens signum concessæ dispensationis,nisi aliunde etiam constet Prælatum facilè posse effectum impedire: hæc autem facultas,dum non probatur, nullo modo debet præsumi,quia potius stat præsumptio pro permissione facti, quàm pro illius concessione, eo quòd sæpius Prælatus permissiuè se habet, quàm concessiuè; cùm enim sæpè ex subita resistentia, subditi audaciores fiant,ob hoc damnum Prælatus dissimulat,esto non dispenset. Adde,etsi in hac dissimulatione aliquam culpam committeret pusillanimitatis,& negligentiæ; fortè grauiorem faceret, si absque causæ examinatione dispensationem concederet, & ansam non mediocrem pluribus daret transgrediendi legem coram superiore, vt sic superior dispensare cum illis censeretur; quando autem duæ præsumptiones concurrunt, illa præferenda est, in qua minor culpa intercedit, ex *l.si adulterium cum incestu,§.1.2.* & *3.ff.ad legem Iuliam, de adulter.* & in hoc sensu dixit textus *in cap.cùm iam dudum, de præbend.* multa per patientiam esse tolerata, quæ si deferantur in iudicium, non subsistunt. Quia non præsumi debet adfuisse superioris consensum,sed permissionem,eo quòd non possit ob inconuenientia facilè expedire, vel id non aduertit. At si subdito constet facilè à superiore impediri posse, & obligationem impediendi aduertisse: tunc certè nescio qua ratione, talis dissimulatio, non sit absoluta concessio: sicuti est, cùm præsente proprio parocho illius subditum absoluis. Et per hæc soluitur fundamentum communis sententiæ canonistarum. Fateor namque præcisam dissimulationem, & taciturnitatem non arguere concessionem,maximè,quando in tali concessione sunt non leuia inconuenientia, vt *in supradicto cap. super eo,* contingebant. Verùm si constet nullum esse inconueniens in concedenda dispensatione, quia causa adest sufficiens, si Prælatus videat subditum contra legem procedere, & non impedit, cùm facile possit,& aduertit; tunc certè dissimulatio erit concessio, ne delictum in superiore,& subdito præsumatur. Ad textum *in cap. cùm desideres*, etsi Sanchez *lib.8. disp.4. n.24.* dicat non præsumi ibi absolutionem, quia absolutio à censura non potest esse tacita, sed expressa. At longè probabilius est nullam esse pro absolutione excommunicationis, aut alterius censuræ formam præscriptam ab Ecclesia, vt relatis aliis docet Nauarr. *de pœnit. distinct.6. cap.1.in princ.num.59.* & *in comment.de Iubilæo, notab.30. num.8.* Couarr.*cap.alma,§.11.n.6.* & 7. Suarez *de censur. disp.7.*

disp.7.sect.9.num.2. Salas *disp.20.sect.9.num.85.* Quapropter non ex defectu formæ, & signi sufficientis ad exprimendam absolutionem, non præsumitur ibi adfuisse, sed quia noluit Episcopus eam dare; procedebat enim ex inconsideratione, & aduertentia, qua putabat ob iuramentum præstitum, quòd excommunicatus fecerat de obediendo Ecclesiæ mandatis, esse iam absolutum. Adde, etsi pro valore absolutionis ab excommunicatione non requiratur vlla forma: at pro licito eius vsu requiritur, qui absque vlla causa omitti non debebat, ideóque non præsumpsit Pontifex Episcopum illum intendisse absoluere per illam communicationem, sic excommunicatum.

6 Aduerto ratihabitionem, & præsumptionem voluntatis superioris, quæ sufficiens est ad deobligationem legis, non debere esse voluntatis futuræ, sed præsentis,& antecedentis actum legi contrarium, quia voluntas futura non est absolutè voluntas, sed erit. Ergo non potest actu te eximere ab obligatione legis, quia non potes eximi ab illius obligatione, nisi actu velit superior te eximere: sicut nec potes obligari lege,ex eo quòd superior voliturus est te obligare,sed ex eo,quòd actu vult.

Neque obstat ex ratihabitione voluntatis futuræ honestari actum aliàs prohibitum, vt contingit secundùm probabilem sententiam in religioso, cui distributio, & acceptatio pecuniæ est prohibita sine licentia superioris, qui si rationabiliter præsumat superiorem non fore inuitum, si ipse accipiat, & distribuat, sed de facto si peteret, concessurum, non peccat. Ergo etiam in dispensatione legis est idem dicendum. Non, inquam, obstat, quia tunc religiosus non facit contra legem sibi per votum impositam, sed potiùs legi satisfacit, & illam exequitur. Lex enim non prohibebat acceptationem, & distributionem pecuniæ absolutè, sed exclusa licentia, taliter quòd formaliter, vel virtualiter distributionem pecuniæ posita licentia concedebat. Vnde licentia non soluit legem, sed legem adimplet: secus dispensatio, quæ est legis vulneratio, quia in lege ipsa non includitur. Ex qua differentia nascitur, quoties à lege præscribitur licentia pro actu faciendo,posse extendi ad licentiam futuram; quia cùm talis licentia non aduersetur legi, debet extendi, quoad fieri possit; ita vt non solùm comprehendat præsentem, sed futuram: at dispensatio, cùm legem vulneret, restringi debet,vt solùm pro dispensatione præsenti sumatur.Quapropter nullo modo fieri potest actus à lege absolutè prohibitus, sub spe futuræ dispensationis, seu sub dispensatione, quæ concederetur, si petita esset. & ita tenet Suarez *lib.6.cap.13.num.20.* Salas *disp.20.sect.2.n.8.* Sanchez innumeros referens *lib.8.disp.4. num.11. iuncto n.15.* aduersùs Menoch. *de præsumpt. lib. 2. præsumpt.20. num.23. & 26.* Anton.Gabr. *tom.3. commun. lib.1.tit. de præsumpt.conclus.8.num.15.*

PVNCTVM XIII.

An cognitio causæ debeat præcedere dispensationem faciendam,ita vt dispensatio facta absque præmissa causæ cognitione nulla sit.

1 *Explicatur quæstio. De quo legislatore sit sermo.*
2 *De legislatore in proprijs legibus dispensante, valida est dispensatio, absque causa cognitione.*
3 *De inferiore dispensante in legibus superioris plures affirmant validam esse dispensationem absque causæ cognitione, si verè causa existit.*
4 *Probabilius est oppositum.*
5 *Quæ cognitio causæ ad licitam saltem dispensationem requiratur? Probabile est debere esse iudicialem.*
6 *Probabilius sufficere, quocunque modo sit.*
7 *Quomodo in foro externo probandum sit adfuisse causam dispensationis.*
8 *Motus proprius testibus probari non potest: benè tamen scientia.*
9 *Clausula, Ex certa scientia, in rescriptis posita,operatur solum quoad causas ibi expressas.*

1 Loqui possumus de legislatore in proprijs legibus dispensante, & de illo dispensante in legibus superioris. Item loqui possumus de foro externo,& iudiciali, & de foro conscientiæ.

2 Si de legislatore dispensante in proprijs legibus sermo sit, credo dispensationem validam esse absque causæ cognitione, dummodo ipse illam velit concedere. Nunquam tamen sic esse concessam debet præsumi, nisi id manifestis signis demonstretur. Ratio prioris partis est,quia tota obligatio legis pendet à legislatoris voluntate: si ergo ipse absque causæ cognitione eximere te velit ab obligatione, exemptus manebis: & ita multis relatis docet Sanchez *lib.8.disp.17.num.24.* Couarr. *4.decretal.2.p.cap.6.& 9.num.8.& seqq.* Azor *tom.1. lib.5.cap.15.quæst.19.* Salas *disp.20.sect.9.in princ.* Basil. de Leon *lib.8.cap.15.num.18.* Suarez *lib.6.cap.19.num.6.* & alij innumeri apud ipsos. Ratio verò pro secunda parte est manifesta. quia dispensatio absque causæ cognitione fit temerè. Ergo non debet sic de legislatore præsumi. Quapropter in Trident. *sess.25.cap.18.de reformat.* dicitur,quòd si vrgens,maiórque ratio quandoque postulauerit,cum aliquibus dispensandum esse,id causa cognita, summáque maturitate, atque gratis, à quibuscunque, ad quos dispensatio pertinebit, erit præstandum; aliterque facta dispensatio subreptitia censetur. Expende verbum, *subreptitia censetur.* quasi semper debeat censeri subreptitia, & præter voluntatem concedentis,dum contrarium non constat.

3 Verùm si de legislatore dispensante in legibus superioris loquamur,plures Doctores affirmant dispensationem datam absque causæ cognitione validam esse vtroque foro, quousque reuocetur; reuocari tamen posse vel ab ipso concedente, vel à superiore ipsius: sic tenent alios plures referentes Sanchez *lib. 8. de matrim. disp.17.num.11.* Salas *disp.20.sect.9.num.79.* Suarez *lib.6. de legib.cap.19.num.2.* Basil. *lib.8.cap.15.num.18.* Præcipuum fundamentum est, quia licèt ius ipsum expostulet cognitionem causæ præmitti dispensationi: non tamen constat illam expostulare pro forma, & valore ipsius,sed vt licitè concedatur. Quod non leuiter colligitur: siquidem æquè illa forma pro dispensatione facienda à Prælatis inferioribus, & à supremis Principibus constituitur, vt expendenti iura allegata pro contraria sententia constare potest: at supremi Principes optimè possunt in legibus à se latis absque causæ cognitione validè dispensare. Ergo etiam possunt inferiores. Et probari satis potest ex *cap. nihil, de electione.* vbi de electo,absque causæ cognitione dicitur deiiciendum esse,si indignus sit. Ergo si dignus sit, deiici non debet. Quòd autem sic concessa dispensatio reuocari possit tum à concedente,tum à superiore illius, est communis Doctorum, vt testatur Salas *illa disp.20.sect.9.num.79.* quia est contra ius positiuum,& naturale concessa.Ergo poterit infirmari,& quasi in pristinum statum reduci,si causa reducibilis est. Quod dixi,quia sunt aliqua impedimenta, quibus semel sublatis non est in potestate legislatoris ea facere, vt reuiuiscant.

4 Nihilominus probabilius censeo vtroque foro nullam esse dispensationem factam absque causæ cognitione, etiamsi in re causa subsistat. sic docent post alios antiquiores Nauarr. *cap.fin. num.4.de simon.* Azor *tom.1. lib.5.cap.15.quæst.9.& 10.* Couarr. *de matrim. 2.p. cap.6. §.9.num.12.* Stunica *quæst.6. de voto, num.104.* Gutierr. *lib.1.*

lib.1.canon.quæst.cap.19.num.5. Menoch.*consil.15.num.15.* vbi testatur esse omnium. Barbosa *2.p. de potest. Episc. alleg.33.num.4. & 5.* & alij apud ipsos. Probant; quia non videtur facultas dispensandi inferioribus commissa, nisi seruato iuris ordine: at ordo iuris expostulat dispensationem præcedere causæ cognitionem.*cap.necesse. cap.dispensationis,1.quæst.7.* & ex Trident.*sess.14.cap.7.de reformat. & sess.25.cap.18. de reformat.* Secundò & præcipuè moueor, quia dispensatio facta sine cognitione causæ, est facta sine causa; quia in tantum causa mouere potest dispensantem, in quantum cognita est: si igitur nulla illius cognitio præcedit, dispensatio non erit data propter illam, & consequenter erit data sine causa. Ex qua ratione sentit Suarez loquens de voto, *lib.6.cap.27.num.7.* dispensationem voti factam absque cognitione causæ nullam esse, etiam si in re causa subsistat. quod de omnibus legibus superioris dicere debebat.

Neque obstat fundamentum contrarium. Fateor cognitionem causæ expostulari à Concilio, vt licita sit dispensatio in legislatore dispensante in propria lege: at in inferioribus expostulari pro forma; quia inferiores absque causæ cognitione non possunt dispensare, & consequenter non possunt dispensare, quin causam cognoscant, aliàs dispensatio non nititur illi causæ, si cognita non sit.

5 Sed inquires, an hæc cognitio causæ ad licitè concedendam dispensationem requisita debeat esse iudicialis, vel sufficiat, quocunque modo nota sit dispensanti. Menoch. alios referens, & latè probans *illo consil.num.15. & 16.* iudicialem cognitionem requirit, quia requirit citationem eorum, quorum interest, & terminum datum ad allegandum: aliàs, inquit, non præcedit causæ cognitio.

6 At mihi probabilius est quocunque modo dispensanti constet de causæ cognitione requisita ad dispensationem validè dispensare posse. Et in primis, quando causa notoria est, & manifesta, docent ferè omnes Doctores, cum glossa *cap.manifesta,2.quæst.1. cap.si quis sine examinatione,dist.81. & cap.fin.verbo qui concubinas,dist.51.* Panormit. *cap.præterea,num.11. de testibus cogendis.* Sanchez alios referens *lib.8. de matrim. disp.4. num.22.* quia id quod est notorium, examinatione non indiget; habetur enim ac si iure esset probatum. Quando autem causa notoria non est, est tamen nota dispensanti, credo licitè dispensantem concedere dispensationem; quia cùm à iure solùm causæ cognitio pro dispensatione requiratur, & hæc cognitio iudicialis, & extraiudicialis esse possit, immeritò ad iudicialem cognitionem restringetur. Adde cognitionem causæ requiri, vt vitetur temeritas dispensantis, quam omnino vitat, dum sibi de iustificatione causæ constat. & ita docent, relato Syluest. *verbo dispensatio,in fine.* & Bart. *in l.Barbarius, ff.de officio prætoris,num.8.* Suarez *lib.6.cap.13.num.16.* Salas *disp.20. sect.9.num.79.vers.imò quidam.* Basil.*lib.8.cap.15.n.16.*

7 Aduerto in foro externo nunquam admitti dispensationem: nisi probetur testibus causam adfuisse legitimam pro illius concessione. Hæc tamen probatio post datam dispensationem superuenire potest, qua facta admittenda erit in illo foro dispensatio. sic Suarez *lib. 6. cap.13. num.16.* Basil. *lib.8.cap.15. num.16. & 17.* Nunquam tamen existimo requiri necessariò, vt ex ipsomet instrumento dispensationis probetur adfuisse causam, aut illius cognitionem: sufficit, si testibus, aut alia via constet; quia & hoc instrumentum amitti potest; & nullibi est statutum hoc solo genere probationis probari posse. sic Suarez *lib.6.cap.13.in fine.* & pluribus exornat Sanchez *lib.8.disp.4.num.5.*

8 Neque obstat aliquid motu proprio Principis esse factum, non posse testibus probari, sed solùm assertione Principis dicentis in concessione rescripti motu proprio duci, vt expressè deciditur *cap. si motu proprio, de prebendis.in 6.* Quominus dicamus certam scientiam, & cognitionem causæ ex assertione tantùm Principis probandam esse. Non, inquam, obstat: nam motus proprius imbibit absolutam negationem, nunquam esse sic concessum expostulatum à Principe: quæ negatio aliunde quàm ex dicto Principis probari nullatenus potest. Quis enim scire potest, si ante hunc, vel alterum annum quis supplicauerit Principi pro concessione facienda? At certa scientia, cùm quid positiuum includat, probari potest aliunde, quàm ex dicto ipsius Principis: sic docet glossa *in suprad.cap.si motu proprio, verbo expressè.* Menoch. alios referens *lib.2. præsumpt.20.num.7.* Mascard. *de probation. conclus.845.num.23.* Thom.Sanchez *lib.8. disp.4. num.5.* Basil.de Leon *lib.8.cap.15.num.17.*

9 Addit insuper Sanchez *num.6.* Menoch. *num.3. &* Felin. *cap.cùm inter, num.5. vers. intellige. de exception.* & Basil.*num.17.* clausulam appositam, Ex certa scientia, in rescripto dispensationis solùm operari quoad expressas causas, non tamen operari quoad extrinseca, quæ in rescripto expressa non sunt; quæ enim ibi non exprimuntur, quomodo potest intelligi à Principe esse cognita: ipse enim nequit omnia vitia dispensati nota habere, quod maximè verum habet in supremo Principe, iuxta *cap.1.de constitution.in 6.* qui nec tenetur, nec potest facta subditorum nosse; secus verò dicendum fortè esset de Episcopo, aut Prælatis particularibus, quibus obligatio inest subditorum vitam examinare, & eorum facta crebrò prospicere, qui si dicant se ex certa scientia dispensare, videntur dispensare ex notitia, & scientia omnium impedimentorum, quæ subdito poterant obstare dispensationi. sic Suarez *lib.6.cap.13.num.24.* cum Abbate ex *cap.innotuit,de elect.num.9.* per textum, & glossam *ibi.*

PVNCTVM XIV.

An credi debeat Prælato dispensanti præmisisse dispensationi causæ cognitionem, præcipuè, si id affirmet.

1 *In foro conscientiæ optimè ei potest credi.*

2 *In foro externo si in propria lege dispenset. At si causam ex facto alieno pendentem alleget ad dispensandum, tametsi præsumptionem faciat, datur probatio in contrarium.*

3 *In dispensatione legis superioris credendum est asserenti causam habuisse dispensandi, donec contrarium probetur.*

4 *Debet tamen declarare saltem in genere, se habuisse causam, aliàs probabilius est non esse credendum causam adesse.*

1 Breuiter dicendum est, si pro foro conscientiæ loquamur, dum tibi contrarium non constet, credere potes Prælatum dispensantem causam legitimam dispensandi habuisse, & cognouisse; quia delictum nunquam debet præsumi, nisi probetur. *l.si merito. ff.pro socio.* at esset delictum, si Princeps dispensaret absque legitima causa, eiúsque cognitione: non igitur est præsumendum. Adde, vt fidem possis alicui in foro conscientiæ adhibere, sufficit probabilis aliqua ratio, quod te non decipit. Videtur autem satis probabile, vt credas te non decipere Prælatum, quod nullum, vel leue ex tali dispensatione commodum illi accrescat, imò potiùs graue damnum, si absque causa dispenset, siquidem peccat. Ergo nixus hac ratione, cordatè procedis, si credas habuisse, & examinasse causam dispensandi. & ita tenet expressè Sotus *in 4.dist.21.quæst.2.art.2.col.antepenult. & lib.7. de iustit. quæst.4. art.3. ad 2. in fine.* Suarez *de censur. disp.41. sect.3. & lib.6.de legib.cap.13.num.16.* Thom.Sanchez *lib.8.disp.17.num.15. & 16.*

2 Si

2 Si autem pro foro externo loquamur, distinguendum est de dispensatione in propria lege, & in lege superioris, siue positiua sit, siue naturalis, vel diuina. In dispensatione ergo propriæ legis admitterem credendum esse Prælato dispensanti habuisse causam, si ipse asserat; quia cùm ipse absque causa concedere dispensationem possit, non est cur de examinatione causæ pro valore dispensationis moueatur dubium. Quòd si causam aliquam alleget, quæ ex facto alieno pendet, vt ferè semper solet fieri in dispensationibus; etsi eius dictum præsumptionem faciat, non tamen adeò efficacem, vt in contrarium non possit admitti probatio, vt pluribus allegatis docet Mascard. *de probat. concl.* 1233. *à num.* 35. *& seqq.* Menochius *vol.* 1. *consil.* 100. *num.* 25. quia id non est Principem arguere mendacij, sed inculpabilis ignorantiæ, & deceptionis; non enim omnia specialia potest Princeps cognoscere. *cap.* 1. *de const. in* 6.

3 In dispensatione autem legis superioris, quámque dispensans absque causa concedere non potest, si ipse testetur causam adesse, credendum illi est, donec contrarium probetur: sic Crauet. *consil.* 155. *num.* 42. *& tractat. de antiquit. tempor. part.* 1. *num.* 32. Menochius plures referens *consil.* 100. *num.* 29. *&* 30. Mascard. *concl.* 1233. *num.* 109. *& seqq.* rationem reddunt, quia dictum superioris dispensantis circa causam, facit grauem præsumptionem eam adesse, pro qua standum est, donec manifestis rationibus elidatur: imò non contemnendis Doctoribus placet integrè probare Principis assertionem, neque posse probationem in contrarium admitti. sic docuit Bald. *in consil.* 328. *Quæritur si Rex, col. penult. versic. porrò in Principe, lib.* 1. *& consil.* 327. *vers. item omnes Reges.* Socin. senior *consil.* 4. *col.* 3. *lib.* 3. *& consil.* 87. *num.* 18. Ias. *consil.* 227. *col.* 8. *lib.* 2. *& consil.* 236. *col.* 2. *lib.* 2. Alexand. *consil.* 203. *num.* 11. *lib.* 6. & alij relati à Crauet. *illo tractat. de antiquit. tempor.* Menochius *num.* 26. *&* 27. Mascard. *num.* 108.

4 Quòd si Princeps dispensando in lege illa superioris non declarauerit, ex qua causa mouetur, saltem in genere asserendo ex certa scientia, & sufficienti informatione causæ moueri, probabilius est non esse credendum ex causa iusta factam esse dispensationem, ac proinde nec validam esse: tum quia frustrà expostulata esset causa pro valore dispensationis, si quoties fit dispensatio, semper adesse causam sit præsumendum. tum quia debebat Princeps significare non temerè, sed cordatè, & ex iuris ordine, scilicet ex cognitione causæ processisse; cùm autem id non significauerit, meritò eius dispensatio repellitur. sic tenent Menochius *de præsumpt. lib.* 2. *tota præsumpt.* 10. *& consil.* 100. *num.* 30. *&* 31. Mascard. *de probat. concl.* 1233. *num.* 109. Nauarr. *lib.* 3. *consil. tit. de regularib. consil.* 56. *& comment. de spolijs, super cap. non licet,* 12. *quæst.* 2. §. 2. *num.* 7. *&* 8. Sanchez *lib.* 8. *disput.* 17. *num.* 14. *&* 16.

Pvnctvm XV.

Quas conditiones seruare debeant hi, quibus committitur dispensationis expeditio.

SVnt aliqui, quibus non tam facultas dispensandi, quàm dispensatio ipsa expedienda committitur. Videndum ergo est, quas conditiones seruare debeant tam dispensatione concessa pro foro externo, quàm concessa pro foro conscientiæ.

§. I.

Explicantur clausulæ, quæ communiter apponi solent in dispensatione pro foro conscientiæ.

1 *Explicatur prima clausula de qualitatibus in delegato requisitis, esse, inquam; Magistrum in Theologia, vel Doctorem iuris canonici, & ab ordinario approbatum.*

2 *Sacerdotes Societatis* IESV *habent hoc priuilegium, quamuis non sint gradu Doctoris, vel Magistri insigniti.*

3 *Potest dispensandus relicto vno dispensante, alium adire in dispensationibus concessis pro foro interno, secus pro foro externo.*

4 *Præmittere debet dispensans causæ cognitionem, aliàs nulla est dispensatio: at dicto tametsi non iurato dispensdi creditur, & explicantur reliquæ aliæ conditiones.*

5 *An absolutio sacramentalis præmitti debeat? Affirmat Basil. de Leon.*

6 *Probabilius est oppositum.*

7 *Qua ratione facienda est commutatio in pia opera.*

8 *An necessariò litteræ dilaniandæ sint.*

9 *Qua ratione impedimentum dispensandum debeat esse occultum.*

10 *Neque ad contentiosum forum deductum.*

11 *Quid si deductum fuit, & non fuit probatum integrè, sed semiplenè.*

12 *Quid si plenè probatum, & punitum.*

13 *Qua ratione coniux impedimenti ignarus conscius debet fieri nullitatis prioris matrimonij.*

14 *Quid de potestate legitimandi prolem in his dispensationibus concessa.*

1 HAnc dispensationis formam tam pro voto castitatis, quàm pro quolibet alio impedimento ad matrimonium contrahendum refert Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disp.* 34. *à num.* 1. vbi videri potest.

Prima ergo clausula continet qualitatem personæ, cui committitur dispensatio. Requiritur enim, vt talis delegatus insignitus sit gradu Doctoratus canonici iuris, in aliqua Academia, vel Magistri in Theologia: neque sufficit esse Licentiatum in decretis, aut Theologia, aut Doctorem iuris Cæsarei. Neque item harum facultatum professorem in Academia approbata, quantumuis idoneum. Item nec sufficit esse Magistrum in Theologia ex instituto aliquarum religionum, sed necessariò requiritur, vt gradu Doctoris, & Magistri insignitus sit in aliqua vniuersitate approbata, iuxta textum *in cap. statutum, de rescript. in* 6. Item neque sufficit si communi errore quis existimetur magisterij gradum habere; quia communis error non dat qualitatem, sed iurisdictionem: cùm autem in præsenti qualitas in persona electa requiratur, & hæc deficiat, deficit conditio, vt validè eligi possit. sic Basilius *lib.* 8. *cap.* 21. §. 1. *num.* 13. Insuper requiritur esse ab ordinario approbatum ad confessiones excipiendas; constat ex tenore litterarum, quæ communiter expediuntur, quásque refert Sanchez *lib.* 8. *disp.* 34. *num.* 1. 2. *&* 3. Salas *disput.* 20. *de legibus, sect.* 10. *num.* 96.

Quæ autem approbatio requiratur? Thomas Sanchez *disput.* 34. *num.* 16. sufficere placet, etiamsi pro singularibus personis data sit. v. g. pro viris, non pro fœminis, pro personis huius oppidi; quia ille est approbatus: neque approbatio restringenda est ad approbationem absolutam. At probabilius credo non sufficere, si respectu latoris approbatus non sit. Tum quia est satis probabile non posse has litteras expedire, nisi præmissa sacramentali confessione. Ergo qui illam efficere non est capax, non erit capax huius delegationis. Adde approbationem debere esse comparatione alicuius; ergo comparatione illius, qui illum ad dispensandum eligit. sic docet Basilius *lib.* 8. *cap.* 1. §. 1. *num.* 13. Si autem ex communi errore aliquis existimetur parochus, vel approbatus ab ordinario, is validè expediet has litteras; quia is, qui ex communi errore approbatus existimatur,

tur, ab ordinario approbatur, & iurisdictio ei conceditur; secus verò est in qualitate Magistri, vt diximus; quia magisterium non est qualitas concedens iurisdictionem, secus approbatio.

2 Sacerdotes tamen Societatis IESV, quibus generales, aut alij superiores permiserint, priuilegium habent ad expediendas has litteras, ex priuileg. Gregor. XIII. concesso 3. Aprilis anno 1582. constátque ex compendio priuilegiorum, *verbo, Confessarius, num.* 3. licèt nullo gradu Doctoratus, aut Magistri sint insigniti. tradit Sanchez *suprà num.* 11. Basil. *c.* 21 *num.* 13. Salas *disp.* 20. *de legib. sect.* 10. *num.* 97. Rodriq. *tom.* 1. *qq. regul. quæst.* 63. *art.* 8.

3 Quòd si hic Doctor, vel Magister iudicet esse subreptitiam, aut inualidam dispensationem, potest mutare postea sententiam, vel impetrans dispensationem potest alium adire, qui sibi videatur dispensationem validam esse iudicaturus. Ratio est, quia hæ dispensationes, cùm committantur Confessario in foro conscientiæ tantùm, sequuntur naturam illius fori, in quo potest iudex sententiam datam reuocare, vel pœnitens aliud denuò adire, vt patet in eo, qui ex priuilegio ad absolutionem censuræ, aut peccati, aut ad voti commutationem elegit confessorem, potest alium & alium adire, quando primi electi sententia ei non placuerit. sic Sanchez *disp.* 27. *num.* 40. Basil. *num.* 14. Secus verò est in dispensationibus, quæ pro foro externo conceduntur; ibi enim si iudex delegatus declaret esse subreptitium, aut validum, cùm functus sit officio suo, ad quod fuit delegatus, non habet ampliùs quid faciat, neque alius adiri potest, vt communiter tradunt Doctores *in l. iudex postquam, ff. de re iudicata.* & docet Sanchez *disp.* 27. *num.* 39. Basil. *num.* 14.

4 Secunda clausula continet conditiones aliquas obseruandas ante dispensationis expeditionem. Debet enim Confessarius verificationem causarum, quæ allegatæ sunt ad dispensationem, indagare. Vnde si absque examine, cognitionéve causarum dispensationem expediat, nulla erit dispensatio; quia Pontifex non vult prodesse dispensationem, nisi sub conditione, & forma huius examinis, vt constat ex verbis in litteris dispensatoriis appositis. ibi, *si ita esse per diligentem latoris examinationem, ac post monita, & consilia, opportuna illi præstita, inueneris.* Quod adeò verum est, vt etiamsi causa subsisteret, nulla esset dispensatio omisso hoc examine, quia omittitur forma, & conditio requisita: sic cum Gutierr. docet Sanchez *disp.* 34. *num.* 26. Salas *disp.* 20. *sect.* 10. *num.* 97. Basil. *num.* 16. Examen hoc non debet fieri recipiendo testes, sed solùm interrogando ipsum latorem, cui in hac parte fides est omnino adhibenda. An autem requiratur iuramentum à latore expostulari? Dicendum, inquam, est, necessarium non esse, quia diligenter examinari potest lator, absque eo, quòd iuramento grauetur. sicut examinatur in foro pœnitentiæ: cui foro hæc expeditio maximè est conformis. Sanchez *disp.* 34. *n.* 21. Salas *sect.* 10. *num.* 97. Non tamen condemnarem eum, qui vt pleniùs sibi satisfaceret, hoc iuramentum à partibus expostularet. sic Basil. *num.* 16. quia hæc expeditio non plenè imitatur sacramentale forum. Si tamen constat causam esse notoriam, & manifestam, vel ipsi confessario satis cognita, nullum erit examen necessariò præmittendum, quia cessat causa, ob quam mandatur, scilicet cognitio veritatis. Thom. Sanchez. Salas, Basil. *suprà.* Quòd si Confessarius aliunde cognoscat causam esse falsam, non debet credere latori, nec potest exequi dispensationem; quia hoc examen ad veritatem indagandam assumitur, quæ cùm iam indagata sit, impertinens est latoris in contrarium testificatio. sic Sanchez, Salas, Basil. *suprà.* Consilia autem, & monita, quæ Confessarius adhibere debet ad veritatis cognitionem ordinantur: probabile autem est hæc non necessariò requiri, sed ex æquitate, & conuenientia; sufficienter enim veritas indagatur interrogatione confessoris, & responsione oratoris. sic Sanchez *num.* 27. Salas *num.* 97. Basil. *num.* 16. Additur insuper in rescripto, vt eundem à mutatione propositi absoluas hac vice, in forma Ecclesiæ consueta, iniuncta pœnitentia salutari. A mutatione, inquam, propositi, si fortè culpabilis fuit, debet dari absolutio; vt si habens votum castitatis, illud fuerit transgressus: tunc enim debet absolui ab illa transgressione, per illam enim mutauit propositum antè per votum conceptum.

5 An autem hæc absolutio præmittenda necessariò sit dispensationi, vel dispensatio concedi debeat audita peccatorum confessione? Basil. de Leon *lib.* 8. *cap.* 21. §. 1. *num.* 17. affirmat. Mouetur, quia Pœnitentiarius vtitur in his dispensationibus ea voce in foro pœnitentiæ, quæ non potest extra sacramentum aptari. Deinde, quia omnia, quæ in his litteris continentur, indicant sacramentalem confessionem. Primò, quia vtitur verbo absoluendi, & in forma Ecclesiæ consueta. Secundò & præcipuè, quia requirit qualitatem approbationis, quæ superuacanea videtur, posita qualitate magisterij, si confessio non requiritur.

6 Nihilominus probabilius est hanc dispensationem expediri posse, quin confessio sacramentalis præmittatur. sic Sanchez *disp.* 34. *num.* 29. Gallego *de cognat. spirit. cap.* 23. *num.* 2. Salas *disp.* 20. *de legib. sect.* 10. *num.* 98. Ratio præcipua est, quia ibi Pontifex non dicit dispensationem expediendam esse pro foro pœnitentiæ, sed pro foro conscientiæ. forum autem conscientiæ non est forum sacramentale, sed secretum, & extraiudiciale, vt optimè tradit ex Præposit. *cap. præterea, el* 2. *num.* 5. *de sponsalib.* Sanchez *suprà*, & docuit Nauarr. *summ. cap.* 27. *num.* 41. *& lib.* 5. *consil. tit. de priuileg. consil.* 11. *num.* 2. *in* 2. *edit.* Saa *verbo excommunicatio, num.* 1. Eman. Rodriq. *tom.* 1. *reg. qq. quæst.* 61. *art.* 10. Item absolutio danda ei, qui mutauit propositum votum transgrediens, non expostulatur à Pontifice, vt conditio, & forma ad dispensationem concedendam: tum, quia non semper hæc absolutio necessaria est, quia non semper quis voti fuit transgressor: tum, quia quando est necessaria absolutio, non videtur esse ad dispensationem; sunt enim res omnino diuersæ, neque in rescripto est aliquod verbum, ex quo colligi possit hanc absolutionem priùs, & necessariò dandam esse, & aliter factam dispensationem esse nullam. Nam quòd Pœnitentiarius vtatur verbo absoluendi in forma Ecclesiæ consueta, non arguit hanc absolutionem præmittendam esse dispensationi necessariò, poterit enim subsequi, vel omitti, quin dispensatio annulletur. Duplex enim potestas in his litteris confessori committitur, altera absoluendi, si fortè lator transgressor fuerit sui propositi; altera dispensandi in proposito, seu voto, vel impedimento, quæ vna ab alia non pendet in exercitio. Quòd si instes facultatem istam absoluendi non videri necessariam, cùm ipse approbatus ab ordinario illam habeat? Respondet optimè Sanchez illam sæpè non habere; quia sæpè transgressio voti est reseruata in diœcesi. Neque etiam arguit hanc absolutionem debere præmitti qualitas approbationis requisita in dispensante; quia hæc qualitas requiritur, tum vt possit absolutio concedi, quando de facto necessaria est: tum vt Pontifici omnimodo constet de scientia illius, cui committitur dispensatio. Et per hæc fit satis rationibus Basilij.

7 Tertia clausula continet commutationem in pia opera, quam debet Confessarius virtute huius priuilegij, & delegationis facere. Circa quam conditionem obseruandum est non esse in potestate dispensatoris hæc opera omittere, quia opponitur pro forma; poterit tamen ea moderari, prout sibi visum fuerit, dummodo aliqua singulis diebus facienda exprimat. Sanchez *disp.* 34.

*disp.*34. *à n.*33. Basil.*n.*18. Salas *n.* 98. dicitur enim in rescripto: Commutes (scilicet votum) in frequentiam sacramentalis confessionis, singulis scilicet mensibus semel, vel quoties tibi videbitur, & in alia pœnitentiæ opera iniungenda, inter quæ sint aliqua pietatis opera, quæ quotidie facere teneatur. Quapropter licet tibi imponere dispensando non singulis mensibus, sed tertio quoque mense confessionem; & opera religionis, vel pietatis quotidiana, quæ tibi visa fuerint saluti dispensandi vtiliora: hic enim finis attendendus necessariò est. sic Sanchez *disp.*34. *à num.*33. Basil.*lib.*8.*cap.*21. *num.*18. Salas *disp.*20. *de legibus, sect.*10.*n.*98. An autem iniungi possint opera, vel confessiones, aliàs ex voto, vel pœnitentia d 8. affirmat. Et probari potest; quia est ta vno titulo, non obstat, quominus a. ocantur. Item cùm tibi imponitur singulis mensibus confessio, non intendit Confessarius mense, quo præcepto Ecclesiæ satisfacis, duplicare confessionem, vt Sanch. docet *n.*37. Ergo iam confessio debita ex præcepto iniungi potest. At credo commutationem necessariò esse faciendam in opera supererogationis, quia ea videtur esse mens Pontificis, obligare, inquam, dispensandum, aliàs non obligatum; cùm enim gratis tollat impedimentum, vult loco illius, vt aliquid Deo gratiosum subrogetur. Et confirmari potest ex pœnitentia in sacramento iniuncta, quæ absolutè prolata de operibus aliàs indebitis intelligitur. sic Sanchez *n.* 37. Basil. *n.* 8. Neque obstant rationes contrariæ. Concedo posse opera multiplici titulo deberi, atque adeò posse Pontificem in opera aliàs debita admittere commutationem: at dum non exprimit, non est ita censendum. Quando autem singulis mensibus imponitur confessio ex benignitate Pontificis, subintelligitur mensis exceptus, in quo præcepto Ecclesię vis facere satis.

8 Quarta clausula est; vt hæ litteræ dilanientur à Confessario, nec tradantur oratori, & si ei traditæ fuerint, nihil ei suffragentur. Circa quam conditionem aduerto non esse de substantia dispensationis, cùm eam dispensatio præcedat; mens enim Pontificis solùm videtur esse, ne illæ litteræ in foro externo suffragentur impetranti, non tamen infirmare in foro conscientiæ dispensationem factam. sic Sanchez *num.*42. Basil. *n.*19. Salas *n.*98. *circa finem.*

9 Quinta clausula est, vt impedimentum in ratione impedimenti occultum sit, hoc est, non publicum, & notorium tale delictum adesse, sicuti dicitur in Trident. *sess.* 24. *cap.*6. *de reformat.* dicitur occultum, non quòd non potest probari, vt tenet Graffis *tom.*2. *consil. sub tit. de homicid. cons.*2. *num.*20. Nicol. Garcia *de benefic.* 7. *part. cap.*11. *n.*46. sed quod non est publicum, hoc est, quod non est cognitum à maiori parte viciniæ, in qua sint ad minus decem personæ. sic Sanchez *lib.*2. *de matr. disp.*37. *num.*11. *& lib.*8. *disp.*34. *num.*55. *& in Decal. lib.*2. *cap.*11. *n.*19. Barbosa 2. *p. de potest. Episcopi, alleg.*39. *n.*24. *&* 25. vbi innumeros refert.

10 Deductum ad forum contentiosum non dicitur, ex eo quòd iudici delictum denuntiatum sit, sed ex eo, quòd pars sit à iudice citata; quia à citatione incipit iudicium, §. *fin. Instit. de pœna temerè litigantium.* glossa *in rubr. C. de in ius vocand.* Riccius *in praxi fori Ecclesiastici, resol.* 449. *in* 2. *edit. & in* 1. 522. Sanchez *locis alleg.* Imò non paucis, neque contemnendis Doctoribus placet, non dici deductum ad forum contentiosum, quousque lis contestata sit. sic docet Barbosa 2. *part. de potest. Episcopi, alleg.*39. *num.*19. *& seqq.* Mouetur primò, quia vsque tunc non verè datur inter partes contentio, negando, vel confitendo: per confessionem enim, vel negationem actu lis contestatur, vt aliis relatis docet Farinac. *tom.* 1. *prax. crimin. quæst.*10. *sub num.*35. *ad finem.* Secundò, quia forus contentiosus est idem ac iudicium, sed iudicium propriè non est, neque ad litis contestationem, ex allegatis per Lancellot. *de attentatis, in præfat. num.*7. Peregrin. *variar. lib.*2. *sub rubr. de iudic. num.*54. Tertiò, quia forus contentiosus dicitur ex eo, quòd in foro, seu iudicio concedatur, sed contendere in iudicio, est idem ac mouere litem in iudicio: at in iudicio non censetur lis mota, quousque fuerit contestata, ex text. *in cap. ex parte,* 30. *de verb. signific.* & tradit Maranta *de ordin. iudic. part.* 5. *tit. & omnia fiant durante instantia, num.*64. Surdus *de alim. tit.*5. *q.*8. *n.*4.

11 Quòd si postquam deductum est ad forum contentiosum in illo foro fueris absolutus; iam tunc occultum delictum est, & poterit dispensari, quia non potest dici cum effectu deductum, & quia per absolutionem manet magis occultum, quàm si nunquam ad iudicium deductum fuisset. sic Sanchez, & Barbosa *locis suprà allegatis.* Quod habet verum, etiamsi mediis deprauatis obtinueris absolutionem. sic Suarez *de censur. disp.*41. *sect.*2. *à num.*6. Sanchez *lib.*2. *de matrim. disp.*37. *num.*12. *& lib.*8. *disp.*34. *num.*57. Barbosa *num.*33. Limitat autem Suarez hanc sententiam, vt intelligatur, quando absolutio data est de delicto, eo quòd non fuerit probatum; secus verò si semiplenè probatum fuit. At meritò à Sanchez *lib.*8. *disput.*34. *num.*57. reiicitur, quia tunc absoluitur ab instantia iudicij, neque potest iam illud delictum in iudicium deduci, nisi ex nouis circumstantiis superuenientibus. quare dum illæ non succedunt, iam manet illud delictum occultum, siquidem per illam sententiam interlocutoriam purgata fuit informatio certa ex illa semiplena probatione; & facit id, quod docet Barbosa *n.*34. cum Sayro, Mayol. & aliis. Quòd si iudicium non fuerit sententia finitum, eo quòd accusator per annum tacuerit, manere occultum, ita vt possit dispensari.

12 Sed quid si deductum sit, & probatum, & punitum, erit ne tunc dispensabile? Affirmat Henriquez *lib.*14. *cap.*9. *n.*5. Auila *de censur. p.*2. *disp.*2. *dub.*7. *& p.*7. *disp.*10. *dub.*7. Sanchez *in Decalog. lib.*2. *cap.*11. *n.*21. *vers. sed quod.* Reginald. *lib.*30. *praxis, tract.*2. *n.*29. Mouentur, quia cessat ratio, quare delicta publica, & deducta ad forum contentiosum prohibeantur dispensari, quæ est ne impediatur eorum iudicialis punitio. Cæterùm etsi in dispensatione irregularitatis, inhabilitatis, excommunicationis, & aliorum impedimentorum commissa Episcopis in Trident. id censeam vt probabile sustineri posse. At in his dispēsationibus, quę à sacra Pœnitentiaria pro delictis, & impedimentis occultis conceduntur, nequaquam assentior, quia ibi petitur, vt delictum sit occultum. Quid ergo magis publicum, quàm quod nulla tergiuersatione celari potest, & super quo in iudicio est lata sententia? Et ita de omnibus generaliter negat dispensari, vel absolui posse. Barbosa *illa alleg.*39. *n.*35. cum Gutierr. *lib.*1. *canon. qq. cap.*3. *ad fin.* Eman. *in summ.* 1. *part. cap.*168. *in fin.* Suarez *disp.*41. *de censur. sect.*2. *n.*5. *ad fin.* Bonacina *de censuris, disput.*1. *quæst.*3. *punct.*2. *num.*2. *& disp.*7. *q.*5. *p.*1. *n.*5.

13 Sexta clausula est, vt coniux impedimenti ignarus, certior sit factus de nullitate prioris matrimonij: & ponitur hæc notitia sub ablatiuo absoluto, quod videtur conditionem necessariam importare, ex *l. à testatore, ff. de condit. & demonstr.* Cæterùm mihi placet sententia Sanchez *illa disp.* 34. *n.*61. illam notitiam non apponi pro conditione ad dispensationem, sed in instructionem Confessarij, qui cùm viderit id fieri posse, quin latoris delictum detegatur etiam sub graui suspicione, id faciat; secus verò si absque graui suspicione delicti, certiorari non potest coniux de nullitate prioris consensus. Item sæpè hæc notitia fieri non potest, quin graues inimicitiæ inter coniuges oriantur, maximè si impedimentum fuit ex parte fœminæ. Ergo in illo casu non est credendum velle Pontificem certiorem facere

coniu

coniugem de nullitate prioris matrimonij; quia esset certiorari virum de delicto fœminæ. Adde illam clausulam non tam expostulari à Pontifice pro valore dispensationis, quàm pro matrimonij restauratione, quia existimauit instaurari non posse matrimonium, nisi certiorato coniuge de nullitate prioris consensus: at vrgenti causa est probabile satis instaurari posse, quin habeatur talis notitia. Ergo ad summum intelligitur esse faciendam, quando pro restauratione matrimonij expostulatur.

14 Potestas legitimandi prolem concessa in his dispensationibus, solùm etiam prodest pro foro conscientiæ. Vnde pro solo ipso foro potest, & vtrique parenti succedere, & ad ordines accedere, non tamen in foro externo. Quare si beneficium ei collatum sit, & impedimentum manifestatur, impetrari ei potest vt omnino vacans, & collatum illegitimo; quia solùm pro foro interno profuit dispensatio. Quando verò ex parte vnius est bona fides, proles in vtroque foro legitima est: neque tunc apponitur clausula decernens legitimam esse prolem, nisi vt scrupuli tollantur. Vltimò aduerte has dispensationes gratis semper exhiberi, neque per modum recompensationis aliquid expostulari, vt constat ex verbis illic appositis, & ex communi stylo.

§. II.

Explicantur clausulæ apponi solitæ in dispensationibus pro foro externo.

1 *De qualitate delegati.*
2 *Quæ causæ, & quibus modis dispensatio concedenda sit.*
3 *Possintne delegari hæ dispensationes? Proponitur dubitandi ratio.*
4 *Resoluitur examinationem testium, veritatis indagationem delegari posse, non absolutionem, neque dispensationem, neque prolis legitimationem.*

1 HÆ clausulæ apponuntur à Sanchez *lib. 8. disp. 35. à num. 1. 2. & 3.*

Prima continet personam, cui dispensationes committuntur expediendæ, qui est officialis diœcesanus. Nomine officialis, qui veniat intelligendus, latè dixi *in tract. de priuileg.* ibi enim probaui debere esse vicarium Episcopi, vel illius, qui iurisdictionem quasi Episcopalem habet: quales sunt aliqui Abbates, vel priores. sic Basil. *lib. 8. cap. 21. num. 20.* Riccius *in praxi decis. 252.* vbi testatur sic declarasse Summum Pontificem: si autem contrahentes diuersæ sint diœcesis, sufficit, si ordinario vnius litteræ præsententur. Basil. *suprà.* Sanchez *disp. 35. num. 5.* quia absolutè est illorum ordinarius, vnius directè, & alterius indirectè.

2 Secunda continet causas, ob quas expedienda est dispensatio, quando ex causa conceditur, quas causas explicuimus, cùm specialiter de dispensationibus concessis pro matrimonio contrahendo disseruimus.

Tertia continet modum, quo hæ causæ debent verificari. Non enim est necessarium officiali, cui talis expeditio conceditur, Notario, & testibus iuratis veritatem inuestigare, sed quomodocunque de veritate causarum, quæ ad dispensationem concedendam sunt allegatæ, certus fiat, sufficiens est. ita Paris. *volum. 4. consil. 75. num. 55.* Basil. *lib. 8. cap. fin. num. 25. & lib. 5. cap. 32. num. 3.* vbi quando aliquid relinquitur iudicio alicuius, idem est ac relinqui conscientiæ, nec iudicialem indaginem requiri: vt constat ex multis iuribus, quæ colligit glossa *in cap. fin. de voto, & cap. nisi cùm pridem, de renunciat. ad finem.* ibi, *tibi reduximus relinquendum.* & præcipuè *cap. statutum, de rescriptis. in 6. §. assessori.* ibi, *quod conscientiæ relinquatur eiusdem*, vbi glossa, cùm enim hoc conscientiæ relinquatur ipsius. Ergo solus Deus, hic, & nullus alius est iudex, vel cognitor, quam glossam pluribus exornat Philippus Francus *ibi, num. 6.* Quòd si in dispensatione affirmet Pontifex dispensare ob aliquas causas, quæ contrahentium animum mouerunt, vt cuperent se inuicem copulari; cùm tunc nullius causæ in particulari mentio fiat, censetur Pontifex gratis dispensare, pecunia à contrahentibus in subsidium data. Neque tunc tenetur commissarius, cui expeditio dispensationis delegatur, inuestigare causam aliquam, vt rectè docet Sanchez *disput. 35. num. 24.* Neque obstat mandari officiali in his dispensationibus, vt inuestiget, an preces veritati nitantur: id enim solùm ad impedimentum refertur, hoc est, inuestiget, an verè sint impedimenta, vt possit dispensare, vel solùm ex communi stylo curiæ apponitur.

Quarta clausula est, quæ etiam habetur in dispensationibus pro foro conscientiæ, vt fiat gratis, nec aliquid etiam sponte oblatum accipiatur. quod qua ratione verum sit, latè dicemus *in tract. de simonia.*

3 Sed inquires, an hi, quibus hæ dispensationes committuntur, possint eas subdelegare, vel saltem informationem causæ, aut aliquid simile?

Ratio difficultatis est, quia videtur in his dispensationibus electa industria personæ. Dicitur enim, discretioni tuæ, de qua in his specialem in Domino fiduciam obtinemus. Item conscientia oneratur dispensantis, tam in examinatione veritatis, quàm in dispensatione facienda: at quoties conscientia alicuius grauatur, videtur subdelegatio prohibita, & personæ industria specialiter electa, vt tenet Iason *in l. à iudice. C. de iudic. num. 11. limit. 5.* Bald. *in cap. si pro debilitate, de officio deleg. num. 6.* Imola *in cap. fin. §. 1. eodem tit.* Leo *in thesauro fori Ecclesiæ, cap. 15. num. 49.* Et casu quo nominatæ personæ dispensatio expedienda committeretur, affirmat Graffis *decis. 9. casuum conscient. lib. 1. cap. 13. n. 19.* Sanchez *lib. 8. disp. 27. fine, num. 43.*

4 Nihilominus dicendum est, etiam si personæ nominatæ commissio fiat, posse veritatis indagationem, examinationémque testium delegari; non tamen dispensationem, neque legitimationem prolis, neque absolutionem, impositionémque pœnitentiæ, seu commutationem in pia opera. Priorem partem, scilicet examinationem testium, indagationémque veritatis delegari posse, tenet Abbas *in cap. vlt. §. 1. de officio delegati, num. 7. & in cap. cùm in veteri, in princ. de electione.* Nauarr. *consil. 6. de officio deleg. num. vnico in 2. edit.* Marc. Anton. Genuens. *cap. 83. num. 5.* Nicolaus Garcia plures alios referens *6. p. de benefic. cap. 2. à num. 100.* Thom. Sanchez *lib. 8. de dispensat. disput. 27. num. 43.* Menoch. *tom. 1. consil. consil. 17. num. 12.* Ratio est, quia examen testium, indagatioque veritatis actus est iurisdictionis, ac proinde delegari potest. Secundam autem partem, scilicet dispensationem, legitimationem prolis, impositionémque pœnitentiæ delegari non posse, tenent ferè omnes Doctores suprà relati, præcipuè Thom. Sanchez, & Menoch. quia est nudum ministerium, quòd subdelegari non potest, ex doctrina recepta *in cap. fin. de officio delegati*, quam pluribus exornat Felin. *ibi. §. vlt. ad fin. vers. 4.* Graffis *decis. 157. in addition. ad eam. num. 6. & 7.* Genuensis *cap. 83. num. 6.* Et de legitimatione prolis est alia specialis ratio, quare subdelegari non possit, quia est ex Principi reseruatis in signum suæ supremæ iurisdictionis. *§. si verò is qui solummodo. in auth. quibus modis natur. effic. sui.* Bald. *in l. 1. col. 1. C. de iure aureorum annul.* Felin. *in cap. vlt. num. 4. vers. fallit in reseruatis, de officio delegati*, & Purpurat. *in l. 1. num. 373. & 374. de officio eius.* Menoch. *dicto consil. 17. num. 9.* at vbi reseruata Principi delegantur, subdelegari non possunt, vt tradit ibi Menoch. cum Baldo *in rubr. de officio deleg. & cap. vlt. eodem tit.*

&

& ibi Felin. *num. 4.* Ias. *in l. à iudice. col. vlt. versic. 13 limita. C. de iudic.* Decio, Alexand. Purpurato, & aliis. Ergo.

Pvnctvm XVI.

De causis, ex quibus dispensationis rescriptum reddatur nullum.

TRipliciter dispensationis rescriptum reddi potest nullum. Primò, si deficiat causa requisita ad dispensationem. Secundò, si deficiat potestas in dispensante. Tertiò, si deficiat consensus. De primis duobus modis satis superque in hac disputatione dictum est. De tertio restat nunc dicendum. Consensus namque deficere potest. Primò, si dispensans cogatur per metum cadentem in virum constantem concedere dispensationem. Secundò, si per ignorantiam, vel errorem inducatur ad illam concedendam.

§. I.

Quid de consensu per metum.

1 *Probabilius censeo, si causa legitima intercedit, non esse irritam dispensationem.*

2 *Secus si non adest causa, nisi in propria lege, dispensatio concedetur.*

3 *Debet tamen dispensans absolutam voluntatem habere dispensandi.*

1 ET quidem de consensu coacto, omnes illi Doctores, qui affirmant metum iure naturæ annullare quemlibet contractum, consequenter affirmabunt annullare dispensationem. At quia loquens de metu probabilius censui ex hoc capite non esse iure naturæ irritum contractum, censeo neque dispensationem sic extortam esse irritam, si causa dispensandi aliàs intercedit, quia metus non tollit voluntarium, etiamsi illud diminuat. Quapropter si demus dispensantem habere absolutam voluntatem dispensandi, non obstante iniuria per metum sibi facta, dispensatio obtinebit. Iure autem positiuo non inuenitur talis dispensatio irritata, & annullata; solùm enim de absolutione ab excommunicatione inuenitur cautum, esse nullius effectus. *cap. vnic. de his quæ vi, in 6.* quod non licet extendere ad dispensationem, quæ est omnino diuersa. quæ doctrina tam in dispensatione legis positiuæ, quàm naturalis, scilicet voti procedit. & ita tenet Suarez *lib. 6. de legibus, cap. 21. num. 21. & lib. 6. de voto, cap. 17. n. 27.*

2 Dixi. Si causa legitima dispensandi in lege intercedat, quod notanter apposui ob dispensationem concessam in voto, iuramento, & qualibet lege superioris; in quibus si dispensans cogeretur concedere dispensationem, legitima causa dispensandi non proposita, nulla esset dispensatio non tam ex metu, quàm ex defectu causæ. quod optimè aduertit Suarez *lib. 6. de voto, c. 17. n. 18.* At si cogitur dispensare legitima causa intercedente, iustus videtur esse metus incussus: neque conqueri potest Prælatus de tali incussione, præcipuè si causa sit, ex qua debebat ipse dispensationem concedere. Quòd si metus legislatori esset iniustè incussus, vt ipse in propriis legibus dispensationem concederet, & de facto concedat, nulla illi allegata causa, dispensatio tenet, quia illam dare potest absque causa, præcipuè cùm ex parte ipsius sufficiens causa sit honestandi dispensationem, metus incussus.

3 Dixi similiter, si dispensans habet absolutam voluntatem dispensandi, valere dispensationem; quia sufficiens fundamentum est, vt præsumatur, non animo, sed verbo tenus dispensationem concedere. At quia etiam est præsumptio neminem alio sensu verba proferre, quàm in animo habet, ex *cap. humanæ aures, 22. quæst. 5.* ibi, *humanæ aures verba nostra talia iudicant, qualia foris sonant.* Quare nisi manifestè constet de contraria voluntate, pro verbis iudicari debet, vt tradit glossa *in supradicto cap.*

§. II.

Quid de consensu per ignorantiam, vel errorem.

1 *Ignorantia, vel error tollens voluntarium, annullat gratiam, & quamlibet dispensationem.*

2 *Rescriptum gratiæ per subreptionem obtentum ipso iure est nullum. Rescriptum iustitiæ venit annullandum.*

3 *Debet in rescripto attendi, quod sit primò concessum, vt intelligatur, quando est rescriptum gratiæ, quando iustitiæ.*

4 *Taciturnitatis veritatis, vel expressio falsitatis, reddit supradicto modo rescriptum nullum, tametsi in culpa non sis.*

5 *Si deceptio committatur circa substantialia, vel circa personam, cui committitur, rescriptum annullatur. Explicatur exemplis de substantialibus in materia rescripti.*

6 *Explicatur de errore commisso circa personam.*

7 *Quid si ex errore concedens dispensationem, intelligit esse alium ab eo, cui re vera concedit. Affirmat Sanchez valere dispensationem.*

8 *Probabilius est oppositum.*

1 PRæsupponenda sunt aliqua certa, vt gradum ad difficiliora faciamus.

Primò certum est; si detur ignorantia, vel error, qui voluntarium tollat, dispēsationem, & quamlibet aliam gratiam, & rescriptum esse nullum; quia hæ concessiones sine voluntate concedentis habere non possunt effectum. Dupliciter autem error, vel ignorantia contingere potest. Primò, si causam, ex qua impeditur dispensatio, taceas. Secundò, si falsò exprimas causam, ex qua conceditur; quocumque enim ex his modis error, vel ignorantia contingat, dispensatio, gratia, & quodlibet aliud rescriptum irritum est. habetur *cap. ex parte, cap. sedes, cap. si proponente, cap. constitutus, cap. postulasti, de rescript. cap. quia circa, de consanguinit. & affinit. cap. inter dilectos, 2. e. §. vlt. de fide instrum. cap. vlt. de filijs presbyter. in 6. & l. quod si nolim, ff. de adilit. edict.* Ratio est, quia non intendit Pontifex tali errore, vel ignorantia stante rescriptum concedere; in quolibet enim rescripto subintelligitur hæc conditio, si preces veritati nitantur. quæ cùm à veritate alienæ sint, vel per suppressionem veri, vel per expressionem falsi, conditio requisita ad rescripti valorem non subsistit, & consequenter neque rescriptum. Quod adeò verum est, vt etiamsi in rescripto non diceretur expressè, si preces veritati nitantur, si de facto non nituntur veritati, rescriptum nullum est, vt est decisio expressa *in cap. ex parte, de rescript.* ibi, *in huiusmodi litteris intelligenda est hæc conditio, etiamsi non apponatur, si preces veritati nitantur.* quia est conditio, quæ de iure inest, vt bene explicat glossa ibi. Neque obstat textus *in l. fin. C. de diuersis rescript.* ex qua videbatur ad irritationem rescripti necessarium esse hanc exprimi conditionem: inquit enim lex, *sub ea conditione proferri præcipimus, si preces veritati nitantur.* Ergo quando non sub ea conditione profertur rescriptum, valorem obtinebit. Non, inquam, obstat: tum quia ibi non præcipitur rescriptum proferri sub ea conditione expressa, quia id necessarium sit ad irritationem rescripti, sed quia est conueniens sic proferri; vt nemini detur locus dubitandi. Tum, quia verbum illud proferri non videtur sumendum in rigorosa significatione, ita vt

vt intelligatur præcipi ab illa lege, in quolibet rescripto hanc exprimi conditionem; non enim videtur hic sensus esse, cùm videamus plura rescripta hanc expressam conditionem non continere, sed sensus est, sub ea conditione prolatum censeri præcipimus; quia cùm sit conditio, quæ de iure inest, parum interest si exprimatur, cùm non expressa subintelligenda sit.

2 Secundò est certum diuerso modo rescriptum gratiæ per subreptionem obtentum esse irritum, ac rescriptum iustitiæ. Rescriptum gratiæ voco illud, quod continet dispensationem, vel facultatem dispensandi, præsentationem, collationem beneficij, aut aliam quamcumque gratiam. Rescriptum iustitiæ est, quod dat iurisdictionem ad lites, vt multis probat Menochius *lib. 2. centur. 3. casu 201. num. 1.* Rescriptum ergo gratiæ est nullum ipso iure, si per subreptionem, hoc est, per taciturnitatem veri, vel expressionem falsi obtentum sit. *cap. fin. de filijs presbyterorum, in 6.* ibi, *veluti per subreptionem obtentum nullius penitus est momenti. & cap. postulasti, de rescript.* ibi, *commodum reportare non debet de huiusmodi litteris, vtpote veritate tacita impetratis.* Et idem dicitur *in cap. constitutus, eodem tit.* & licèt huiusmodi iura in materia beneficiali loquantur, quæ grauiùs, & rigorosiùs solet à iure prohiberi ob præcludendam ambitionem, iuxta *cap. quamuis, de prebend. in 6.* At ferè omnes Doctores illorum textuum decisionem extendunt ad quamlibet gratiam, & dispensationem, quia militat eadem ratio, scilicet defectus voluntatis in concedente, quæ non est censenda adesse, quando exprimitur, quod tacendum erat, & tacetur, quod erat exprimendum. sic pluribus exornat, & comprobat Felin. *in cap. ad audientiam, 2. de rescript. num. 22. versic. amplia secundò.* Tiraquel. multos referens *tract. cessante causa, limit. 1. n. 12. & seqq.* & pluribus exornans Nicol. Garcia *8. part. de benef. cap. 3. à princ.* Gutierr. *qq. canon. lib. 2. cap. 15. n. 22.* Suarez *lib. 6. de voto, cap. 27. num. 3.* Sanchez *lib. 8. disput. 21. num. 10.* At rescriptum iustitiæ sic per subreptionem obtentum, non est ipso iure nullum, sed venit annullandum ope exceptionis, quare, quousque per exceptionem elidatur, validum est. habetur *cap. si autem, & cap. plerumque, de rescript.* vbi secundum rescriptum impetratum per subreptionem, id est, per taciturnitatem primi rescripti, non est nullum, sed venit cassandum, quia si esset nullum ipso iure, non conualesceret data negligentia primi impetratoris. quam inductionem testatur Felin. *supradicto cap. ad audientiam, n. 17. in princ.* approbari ab omnibus: & ita tenent omnes supradicti Doctores. Ratio autem, quare rescriptum iustitiæ non annulletur à iure ipso facto, sed ope exceptionis, rescriptum verò gratiosum reddatur irritum; ea mihi videtur præcipua, quam tradit Felin. *suprad. cap. ad audientiam in fin.* cum Cardin. & Imola, videlicet, quia litteræ ad beneficia tribuunt ius, sed litteræ ad lites tribuunt iudicem, non ius; & sic primæ sunt maioris præiudicij, ideo faciliùs inficiuntur.

3 Plures limitationes, & ampliationes adhibentur huic doctrinæ, quas potes videre specialiter in Felino, qui in supradicto loco optimè hanc materiam expendit. Illa tamen est præcipua, spectandum esse in rescripto, quid sit primò concessum, quando in litteris rescriptum gratiæ, & iustitiæ continetur. Nam si primò concessum sit rescriptum gratiosum, & pro illius executione detur rescriptum iustitiæ. Si primum vitiatum est subreptione, secundum rescriptum est ipso iure nullum, ex *cap. si super gratia, de off. deleg. in 6. & cap. constitutus, de rescript.* & aliis, quæ allegat Felin. *in cap. ad audientiam, 2. de rescr. n. 18.* Econtra verò si primum rescriptum datum sit ad lites, & consequenter, rescriptum gratiæ sit factum, cui scilicet concedatur aliquod beneficium, v. g. reuocetur alicui iurisdictio, valet hoc secundum rescriptum, sicut & primum, quousque ope exceptionis elidatur, vt tradit Felin. cum aliis *suprà n. 21.* Ratio desumitur ex *reg. iur. accessorium, de reg. iur. in 6.* accessorium enim sequitur naturam principalis: & ita alios referens tenet Felin. *in d. cap. ad audientiam, n. 17. & 19.* & ibi Abbas *n. 14.* Nauarr. *cap. si quando, prælud. 1. num. 1. de rescript.* Sanchez *lib. 8. disp. 21. n. 6.* Aduertunt tamen plures Doctores supradicta intelligenda esse de rescriptis impetratis à Pontifice, vel eius Legato; secus de gratiis, & rescriptis impetratis ad ordinario; existimant enim nullam gratiam, nullámve dispensationem ab ordinario impetratam vitiari ex subreptione: sic loquens de benefic. docuit Gonçalez *reg. 8. cancell. gl. 4. n. 173.* Menoch. *de arbitr. casu 201. à n. 155.* & generaliter loquens de omnibus gratiis videtur docere Eman. Saa *verb. gratia, n. 22.* & expresè alios referens Nicol. Garcia *8. p. de benef. c. 3. n. 6.* & alij apud ipsos. Sed, vt bene notat Thom. Sanch. *lib. 8. de matr. disp. 21. n. 4. & lib. 4. in Decal. cap. 47. à n. 10.* hæc limitatio sic vniuersaliter accepta, vera non est. Negari enim non potest subreptitiam, & nullam esse dispensationem ab ordinario obtentam, circa votum assumendi ordinem sacrum, falsò allegata causa incontinentiæ. Quare illam doctrinam veram esse iudico solùm in materia beneficiorum, in quibus deceptio circa valorem beneficij non vitiat gratiam ab ordinario concessam: quia non cauetur à iure hanc qualitatem esse ordinario exprimendã, quia ipse supponitur perfectam omnium notitiam habiturus, ex *Clem. 2. de off. ordin.* Idem putarem dicendum de falsitate circa ea, quæ ordinarius teneretur omnino scire; oppugnare enim non potest talis dispensatio vitio subreptionis: qua ratione impetrans ab ordinario absolutionem ab excommunicatione, falsò allegans parti satisfecisse, tenet absolutio; quia ordinarius tenebatur hæc rectè inuestigare, & tradit Nauarr. *cap. 27. n. 38.* Couarr. *cap. alma, 1. p. §. 11. num. 14.* & multis relatis Nicol. Garcia *8. p. de benefic. cap. 3. n. 10.* At in reliquis, & præcipuè in dispensationibus legum superioris retinenda est doctrina posita, vt intelligatur tam de Pontifice, quàm de ordinario.

4 Tertiò certum esse debet, quomodocumque taceatur veritas necessariò exprimenda, vel exprimatur falsitas necessariò tacenda, rescriptum subreptitium erit, & nullum nullitate supradicta. Ratio est, quia deficit voluntas concedentis, & videtur decisum *in cap. si super litteris, §. si verò, de rescript.* & tradit gloss. *cap. si motu proprio, de prebend. in 6. verb. taceatur.* Mascard. *de probat. concl. 846. n. 4.* Menoch. *de arbitr. lib. 2. cent. 3. casu 201. n. 27.* & alij, quos refert, & sequitur Sanchez *lib. 8. disp. 21. n. 14. 42. & 56.* Salas *disp. 20. sect. 15. n. 116.* Gutierr. *lib. 2. can. qq. c. 15. n. 133.* Ex quo fit, si absque tua culpa, tuus procurator, vt faciliùs dispensationem impetraret, mutauit narrationis substantiam, vel tacendo verum, vel exprimendo falsum, nulla erit impetratio rescripti, habetur *cap. si motu proprio, de prebend. in 6. vers. secus si ad petitionem illius, vel alterius pro te oblatum, &c.* sic alios referens docet Sanchez *lib. 8. de dispensat. disp. 21. n. 56. 57. & 58.* & ratio est eadem, quia deficit voluntas.

5 Quartò certum esse debet, si deceptio commissa sit circa substantialem materiam rescripti, vel circa personam, cui committitur rescriptum, vitiari omnino. Exemplis declaro de errore commisso circa materiam substantialem. Petis dispensationem pro voto castitatis, cùm tamen sit voto religionis. Petis dispensationem pro voto non fornicandi, non nubendi, cùm tamen sit votum castitatis. Licèt enim in voto castitatis, includatur votum non fornicandi, non nubendi, non polluendi, includuntur sub absoluta voluntate castitatis; quare si absoluta voluntas castitatis non declaratur, non declaratur materia dispensanda. Item si pro voto assumendi ordines, petas dispensationẽ non nubendi; sunt enim hæc omnino diuersa. sic Suarez *lib. 6. de voto, cap. 27. n. 6.* Sanchez *lib. 4. cap. 47. num. 28.* Ad idem est si petas dispensationem voti religionis, cùm tamen sit etiam

profi

profitendi in religione; quia secundùm probabiliorem sententiam votum profitendi aliquid superaddit primo. sic Nauarr. *cap.12.num.*47. Suarez *suprà*. Sanchez *lib.*4. *cap.*47. *num.*35. Econtrà verò si habens votum religionis peteres dispensationem de voto profitendi: credo dispensationem valere, quia in voto profitendi, clauditur expressè votum religionis: etsi insuper aliquid addatur, ac proinde non est commissus error in voti substantia. Suarez *suprà num.*8. Sanchez *num.*29. Item si peteres dispensationem voti dubij, cùm tamen sis certus, varias substantialem materiam dispensationis; quia votum dubium fortè non obligat, sicuti nec remissio debiti dubij prodest debitori certo. Sanchez *disput.*21. *num.*40. *& lib.*4. *Decalog. cap.*47. *num.*34. Suarez *lib.*6. *de voto, cap.*27. *num.*6. Idem quod dicimus de dispensatione voti, dici poterat de rescripto ad beneficia, vel pro illorum executione: si enim petis beneficium curatum, cum tamen sit simplex, nulla est concessio, nisi fortè esse curatum, vel simplex, gratia demonstrationis esset appositum, quod tamen non est præsumendum, si eadem oratione concessio fiat, vt rectè docet Felin. *cap. super litteris, de rescript. num.*4. Idem in impedimentis ad matrimonium, ad ordines, & ad beneficia; si enim habens vnum impedimentum, dispensationem in alio petas, etsi grauius, corruet dispensatio, quia erratur in materia substantiali dispensationis. Ad idem est, si Princeps declarasset voluntatem suam repugnantem dispensationi in aliquo casu, & tu sub verbis generalibus peteres illius dispensationem. Vt si diceres, præsta facultatem dispensandi in aliquo casu, non censeretur ille casus concessus, quia sub generali concessione non veniunt ea, quæ quis in specie non esset verosimiliter concessurus. *reg. in generali, de reg. iur. in* 6. sicuti in generali concessione absoluendi à reseruatis, non comprehenditur hæresis. sic Sanchez *lib.*8. *disp.*21. *num.*14. *& lib.*4. *in Decalog. cap.*47. *num.*26. Salas *disp.*20. *de legib. sect.*15. *num.*122. *vers. sextum dubium*, vbi bene aduertunt, si hæc voluntas repugnans non præcesserit, sed solùm quædam naturalis repugnantia, quia minutissima quæque obseruat, ob quam conditionem præsumi potest non concessurum facultatem, si casus in specie declararetur, validam esse concessionem illam absolutam, quia absolutè concedit.

6 Si autem error commissus sit circa personam, cui committitur rescriptum expediendum, censeo omnino vitiare. v.g. affirmasti te esse diœcesis Salmantinæ, cùm tamen sis Vallisoletanæ, & rescriptum commissum est Officiali Salmantino, putans Pontifex te esse ex illa diœcesi, rescriptum nullum est, quia nec expedire illud potest Officialis Salmantinus, eo quòd ex errore sibi concessum sit, aliàs non concedendum: nunquam enim Pontifex alteri ab ordinario dispensandi, nisi ex certa scientia rescripta delegat, iuxta Trident. *sess.*22. *cap.*5. *de reform.* Neque etiam expedire illud potest Officialis Vallisoletanus, siquidem illi commissum non est. Ergo. sic Sanchez *lib.*8. *disp.*21. *num.*39. quamuis contrà teneat Basilius *lib.*8. *cap.*17. *n.*43. *fine*. Quòd si error commissus sit circa personam, pro qua est rescriptum concessum, distinguendum est, aut error facit, vt dispensans intelligat alium esse, cui concedit dispensationem ab eo, cui re vera concedit, aut non facit. si non facit, erit error per accidens, & non vitiabit rescriptum. Qua ratione dicunt communiter Doctores: si erretur in nomine, vt si pro Francisco ponatur Petrus in rescripto, non vitiari rescriptum; quia nominari Franciscum, vel Petrum dispensatum non variat conceptum dispensantis, neque alteri ab eo, qui sibi offertur, intendit dispensationem concedere. est expressa decisio *Instit. de legat.* §. *si quis in nomine*, *& l. si quis in fundi*, 4. *ff. de legat.* 1. & plures allegans docet Sanchez *lib.*8. *disp.*21. *num.*37.

7 Quòd si error faciat, vt dispensans intelligat alium esse, cui concedit dispensationem ab eo, cui re vera expostulatur concedi; vt si propositus esset Ioannes dispensandus notus, & familiaris dispensanti, cùm tamen esset Petrus omnino incognitus. Thomas Sanchez *num.*38. affirmat, validam esse dispensationem, neque hunc errorem obstare, si constaret eodem modo concedendam dispensationem Petro incognito, si expressus esset, ac conceditur Ioanni eius noto, & familiari. Mouetur, quia in his Princeps non debet spectare, quis est sibi propositus; sed quis est qui verè dispensationem petit, & illa indiget, sicuti administrator sacramentorum, excepto matrimonio, non spectat, quisnam sit, cui est administrandum sacramentum, an notus, vel ignotus sibi sit, sed suam mentem dirigit ad eum, qui sibi est præsens.

8 Cæterùm credo probabilius hunc errorem vitiare omnino rescriptum. Quia dispensans tantùm concedit dispensationem ei, qui sibi est propositus: nullo autem modo est sibi propositus is, qui indiget dispensatione, sed alius. Nam licèt procurator intenderit proponere indigentem dispensatione, de facto alium proposuit; siquidem alium esse cognouit ex relatione dispensans. Ergo dispensans non indigenti dispensatione, sed tibi proposito dispensationem concessit. Ergo est nulla concessio. Et confirmo ex §. *si quis in nomine, Instit. de legatis*, vbi error nominis, aut pronominis legatarij non obstat legato, notanter apponitur, *quando aliàs de persona constat*, quia tunc est error accidentalis: at in præsenti casu non constat de persona, cui petitur dispensatio, & relatio facit, vt prorsus intelligatur distincta. Ergo. Secundò confirmo ex *cap. significante, de rescript.* vbi rescriptum datum contra Vicarium Remensis diœcesis, cùm tamen fuerit Leodiensis, irritum decernitur, quia non constabat aliunde de persona, contra quam erat rescriptum impetratum, sed in casu nostro, de persona, cui petitur dispensatio, non constat, imò potiùs intelligitur dari omnino distinctæ. Ergo. Et ita tenet gloss. *in supradicto cap. & in cap. Rodulphus, eod. tit.* Neque obstat exemplum sacramentorum, quia ibi determinatur persona, cui administratur sacramentum per præsentiam: at in præsenti nec determinatur per petitionem, cùm potiùs erretur in illa, neque per necessitatem, cùm sint multæ, quæ eandem necessitatem habeant, quibus omnibus dispensatio non prodest. Ergo ex nullo capite determinatur. Aliàs, vt bene dicit gloss. *in d. cap. significante, verbo, non de Remensi*, vna clausula, quæ certa, & determinata videretur, posset trahi ad plures personas, quod esse non debet, tum quia generalitas in huiusmodi litteris reprobatur. tum quia rescripta, & præcipuè ad lites, stricti iuris sunt, & potius restringendæ sunt, quàm laxandæ.

§. III.

Quid de suppressione veritatis, vel falsitatis expressione, circa causam finalem.

1 *Quæ sit causa finalis.*
2 *Quando vitium in hac causa vitiet rescriptum? Proponitur triplex sententia.*
3 *Præfertur tertia sententia affirmans ex sola taciturnitate veritatis quæ iure debebat exprimi, & ex sola expressione falsitatis, quæ iure taceri debebat, reddi rescriptum subreptitium.*
4 *Expressio causæ, & taciturnitas veri debet esse circa causas finales.*
5 *Nomine iuris intelligitur non solùm ius scriptum, sed etiam stylus Principis concedentis.*

1 NOn est facile distinguere inter causam motiuam, & finalem. Illa mihi videtur germanior explicatio, quæ affirmat, finalem causam esse, quæ cernit

cernit intrinsecè materiam ipsius rescripti, & sine qua rescriptum non concederetur. Motiuam, quæ extrinsecè se habet, & per accidens, & qua posita, vel sublata rescriptum eodem modo concederetur, & ti non ea facilitate. sic Tiraquel. *tract. cessante causa, limit.* 1. *num.* 11. Couarr. *lib.* 1. *variarum, cap.* 20. *num.* 5. Vnum tamen debet esse omnino certum, si in rescripto solùm apponatur vnica causa, illa finalis, & non motiua censenda est, ac proinde si falsa sit, vitiabit rescriptum, quia semper censetur Princeps priuilegium velle concedere causa allegata, etiamsi motu proprio, & ex certa scientia dicat concedere. ita Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *cent.* 3. *casu* 201. *n.* 8. Sanchez *lib.* 8. *disp.* 21. *n.* 41. Gutierr. *lib.* 2. *canon. qq. cap.* 15. *n.* 103. *&* 104.

2 Difficultas ergo est, quando suppressio veritatis, vel falsitatis expressio circa causam rescripti, vitiet rescriptum? Variæ sunt sententiæ. Prima docet eam suppressionem veritatis reddere subreptitium rescriptum, quæ si exprimeretur, vel non concederetur rescriptum, vel si concederetur non ea facilitate, sed grauiori difficultate, & econtra, eam falsitatis expressionem vitiare, qua sublata non concederetur rescriptum, aut non cum ea facilitate. Secunda sententia inquit, esse rescriptum subreptitium, si supprimatur veritas, qua cognita minimè Princeps rescriptum concederet, vel exprimatur falsitas, qua sublata non concederet, aut non concederet eo modo. Tertia sententia dicit non ex quauis suppressione veritatis, neque ex quauis expressione falsitatis reddi rescriptum subreptitium, sed cùm tacetur veritas, quæ iure debebat exprimi, vel exprimitur falsitas, quæ iure debebat taceri. Doctores, & rationes harum sententiarum adducit eleganter Sanchez *lib.* 8. *disput.* 21. *à num.* 10.

3 Hæc tertia sententia, vt probabilior sustinenda est, quámque probat Sanchez *à num.* 13. Salas *disput.* 20. *sect.* 15. *num.* 115. Basilius de Leon *lib.* 8. *de matrim. cap.* 17. *num.* 2. Suarez *lib.* 6. *de voto, cap.* 27. *à num.* 6. Ratio est, quia plura sunt, quæ si expressa essent, retardarent Principem à concessione, imò omnino eum ab illa remouerent, vt si dispensatus sit vitiosus, sit eius inimicus. Alia sunt, quæ falsò expressa impellunt Principem concedere, aliàs fortè non concessurus, vt quòd sit vir doctus, pius, & prudens; quorum tamē expressio, vel suppressio, quia non cauetur à iure, non annullat rescriptum, vt ex communi sententia docent supradicti Doctores. Quocirca pro regula statuendum est, illorum taciturnitatem impedire concessionem, quæ à iure mandantur exprimi, & illorum expressionem falsam vitiare concessionem, quibus secundùm ius mouetur Princeps in rescripto concedendo, ita vt iure cautum sit, quòd eis expressis gratiam Princeps non concessisset, sic vltra Doctores nuper relatos docet innumeros referens Nicol. Garcia 8. *part. de benefic. cap.* 3. *num.* 20. Ratio prioris partis est, quia cùm ius aliquam conditionem exprimendam expostulat, intelligitur illam expostulare pro forma: quod non leuiter colligitur ex *cap. si motu proprio, de prebend. in* 6. vbi taciturnitas modici beneficij vitiat gratiam, quia à iure cauetur exprimi, cùm tamen expressum gratiam non impediret; sed deficiente forma, deficit actus. Ergo. Ratio verò secundæ partis est, quia si falsò allegatur causa, quæ mouet Principem ad rescriptum concedendum: iam rescriptum conceditur præter voluntatem concedentis. Ergo non potest habere effectum. Item omne rescriptum habet subintellectam conditionem, si preces veritati nitantur. *cap.* 2. *de rescriptis.*

4 Aduerto tamen expressionem falsi, sicut & taciturnitatem veri debere esse circa causas finales, non impulsiuas tantùm, hoc est, circa causas pertinentes directè ad concessionis materiam, non ad ipsum concedentem, vel quæ concessioni sunt extrinsecæ. Qua ratione eleemosyna data pauperi iniquo, vel fingenti se deuotum, valida est, quæ tamen non daretur, si eius vitia cognoscerentur, quia non committitur falsitas in causa, quæ ad ipsam donationem à iure requisita sit. sic Henriquez *lib.* 11. *de matrim. cap.* 3. *n.* 7. Couarr. *lib.* 1. *var. cap.* 20. *n.* 5. *vers. falsitas.* Sanchez *lib.* 8. *disp.* 21. *n.* 18. *&* 32. Mandos. *reg.* 32. *Cancell. q.* 9. *num.* 10. Gutierr. *canon. qq. lib.* 2. *cap.* 15. *num.* 19. vbi plures refert.

5 Aduerto secundò, nomine iuris intelligi non solùm ius scriptum, sed etiam stylum Principis concedentis, & consuetudinem. Et de stylo constat, quia stylus curiæ ius facit, *cap. quàm graui, de crimine falsi.* Et eodem modo, ac ius obseruandum est, sic Menoch. *de arbitrar. lib.* 2. *cent.* 3. *casu* 201. *num.* 28. Mascard. *de probat. conclus.* 846. *num.* 8. Sanchez alios referens *illa disp.* 21. *num.* 16. Garcia 8. *part. de benefic. cap.* 3. *num.* 21. Neque obstat extra curiam Romanam illius stylum non obligare: nam hoc est verum quoad solemnitates accidentales iudicij, non quoad qualitates in dispensationibus, vel litteris gratiæ, aut iustitiæ exprimendas, quæ iuxta stylum vnde emanarunt, veræ, vel falsæ iudicandæ sunt. Sanchez *suprà.* Salas *disp.* 20. *sect.* 15. *num.* 117. Garcia 8. *part. de benefic. cap.* 8 *num.* 65. De consuetudine autem similiter probatur, quia consuetudo habetur pro lege. *l. minimè, ff. de legib.* & tradunt supradicti Doctores.

§. IV.

Expenduntur causæ, quæ iure, & consuetudine debent exprimi in dispensationibus obtinendis, quarúmque taciturnitas vitiat rescriptum.

1 *Non est necessarium mentionem facere alio tempore negatam esse dispensationem.*
2 *Sitne dispensatio nulla, ex eo quod taceas aliam tibi esse in ea materiam concessam.*
3 *Resoluitur, vt probabilius non esse.*
4 *Limitatur supradicta doctrina, si prima dispensatio fuit in praeiudicium tertij, quia tunc debes illius mentionem facere.*
5 *Idem est, si est necessarium, vt Princeps qualitatem, & quantitatem gratiæ intelligat. Explicatúrque exemplis.*
6 *Item si necessarium est, vt impedimentum dispensandum integrè cognoscatur.*
7 *Valet dispensatio secunda sine mentione primæ, quoties ad tollendos scrupulos, vel dubium secundum impetratur.*
8 *Sed quid si obtinens secundam dispensationem priori vsus non fuerit? Affirmat Sanchez priorem euanescere.*
9 *Sed probabilius est secundam esse inualidam, casu quo prima extincta non sit impedimento perpetuo.*
10 *Duplici impedimento ligatus debeat ne vtriusque mentionem facere: prima sententia negat.*
11 *Secunda probabilior affirmat.*
12 *Quid si habeas votum castitatis, & velis cum consanguinea contrahere? An possis voti dispensationem impetrare, tacito impedimento consanguinitatis? Resoluitur posse in aliquo casu.*
13 *Quid si habeas votum castitatis, & religionis.*
14 *Si impedimenta irritatione tolli debent, non est necessariò facienda mentio in impetratione dispensationis.*
15 *Quid si impedimentum sit aliud publicum, aliud occultum.*
16 *Quid dicendum in dispensatione irregularitatis, & aliarum pœnarum.*

NOn est animus inuestigare, quæ debeant exprimi pro dispensatione in beneficiis, in matrimonio, in

in censuris, neque pro obtinendo rescripto ad beneficia, matrimonium, & censurarum absolutionem; quia hæc propriam sedem habent, suisque locis debent reseruari. In præsenti autem solùm dicam de his, quæ omni dispensationi, & rescripto generalia sunt.

1 Primò ergo dubitatur, an debeas in impetratione dispensationis mentionem facere tibi alio tempore negatam esse, si fortè petiisti, & negata fuit? Docet Menochius *lib. 2. de arbitrar. centur. 3. casu 203. num. 6.* Et ratio esse potest, quia concedit ex errore; aliàs non concessurus, si sciret antea negasse. Cæterùm tenendum est hoc non esse necessarium, quia neque ex iure, neque ex stylo, neque ex consuetudine habetur: quòd autem Princeps esset negaturus dispensationem, si sciret antea negasse, non obstat, quia tunc non negaret ex causa concernente dispensationem, sed ex causa satis extrinseca dispensationi, qualis est negasse illam. Ergo si causa allegata ad dispensandum sufficiens est, tacere negatam esse prius dispensationem, non potest reddere illam insufficientem. & ita tenet Sanchez *lib. 8. disput. 22. num. 14.* Suarez *de legibus, lib. 6. cap. 22. num. 1. & seq.* Basilius *lib. 8. de matrim. cap. 17. num. 3.* Et hæc doctrina vera est, siue idem sit superior, qui negauit dispensationem, & secundo concedit, siue inferior illo, qui negauit; adhuc existimo valere. Quia ex negatione superioris non est sublata, aut restricta inferioris facultas. Si ergo antequam superior negarat, poterat hic inferior dispensationem expedire, idem poterit post negationem: & ita tenet Basilius *suprà num. 4.* Suarez *num. 6.* aduersùs Thom. Sanchez *lib. 8. de matrim. disp. 14. num. 5.*

2 Secundò dubitatur, an sit nulla dispensatio, si taceas aliam tibi esse in ea materia concessam? Et in primis certum esse debet, si prima dispensatio ob aliquem defectum fuit nulla, non esse necessarium illius mentionem facere in impetratione secundæ, quia non præstat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum, iuxta *regul. 52. de regulis iuris, in 6.* & tradit Suarez *lib. 6. de legibus, cap. 23. num. 17.* Mascard. *de probationib. conclus.* 846. *num.* 20. Sanchez *lib. 8. disput. 22. n. 21.* & alij plures ab eo relati. Dixi in ea materia, quia circa diuersas, clarum est non esse necessarium, mentionem prioris facere, vt docet Panormitanus *cap. pen. num. 13. de rescriptis.* Sanchez plures referens *disput. 22. num. 5.* Suarez *lib. 6. de legibus, cap. 23. num. 2.* Vnde non est necessarium, si dispensatus fuisti in ieiunio, illius dispensationis mentionem facere, cùm irregularitatis dispensationem obtines, nec si fuisti dispensatus in voto castitatis, narrare dispensationem, cùm de illegitimitate petis. At si in eadem materia dispensatio secundò petatur, eo quòd prima limitatè fuit concessa, plures Doctores affirmant secundam esse subreptitiam: sic glossa communiter recepta *in cap. 2. de filijs presbyter. in 6. per text. ibi.* Molin. *de primogen. lib. 2. cap. 4. num. 51. & lib. 4. cap. 3. num. 43.* Gutierrez *lib. 2. canon. qq. cap. 15. num. 91.* Menochius *de arbitrar. lib. 2. centur. 3. casu 201. num. 39. & casu 203. num. 33.* Couarr. *4. decret. 2. part. cap. 8. §. 8. num. 5. versic. 7.* & alij plures relati à Sanchez *disput. 22. num. 2. & 6.* vbi eam expresè affirmat: & videtur colligi ex *supradicto cap. 2. de filijs presbyter. in 6.* vbi illegitimus dispensatus ad vnum beneficium, si postea ad plura beneficia dispensationem obtineat, redditur hæc secunda dispensatio subreptitia, quia prioris dispensationis mentionem non fecerit. Idem colligitur ex *cap. penult. de præscriptionib.* vbi declaratur subreptitium priuilegium absolutè concessum cuidam Abbati recipiendi sacramenta à quocumque antistite, cùm tamen antea illi erat concessum sub hac moderatione, si proprius antistes noluerit ministrare. Tertia ex *l. 3. C. de episcop. audient.* vbi deciditur, crimina semel tantùm commissa remissionem habeant. Ergo semel impetrata dispensatione de vno impedimento impetrari alia non potest tacita dispensatione priori. Et ratio esse potest, quia non est verisimile Principem concessurum dispensationem alio modo, quam priùs concesserat, ne leuitatis, & inconstantiæ arguatur. Si ergo priùs limitatam dispensationem concedit, quomodo ex eadem causa præsumendum est velle illam concedere absolutam.

3 Cæterùm tenendum est secundam dispensationem non vitiari ex eo præcisè, quòd primam impetraueris, & illius mentionem non feceris, quia supradicti textus, neque ratio allata non conuincunt, vt ex ipsomet Sanchez *num. 3.* & Suarez *lib. 6. de legibus, cap. 23. à num. 2.* colligi potest. Nam *cap. 2. de filijs presbyterorum, in 6.* ideo est nulla secunda dispensatio, non quia prioris mentionem non fecerit, sed quia non fecerit mentionem prioris defectus, scilicet illegitimitatis, in qua solùm ad vnum beneficium erat facta dispensatio; neque poterat denuo plura obtinere, quin obtineret dispensationem illius defectus, & ita intelligunt idem textum Dominic. *ibi num. 7.* Francus *num. 2. notab. 3.* Couarr. *in 4. decret. 2. part. cap. 8. §. 8. num. 5.* Suarez *num. 7.* Basilius de Leon *lib. 8. cap. 17. num. 7.* Textus enim *in cap. penult. de præscriptionib.* loquitur in casu speciali, quando scilicet concessum est priuilegium primum in præiudicium tertij, cum aliqua tamen moderatione, seu conditione, quæ ius ipsum commune tertij conseruat, & retinet, si postea secundum priuilegium ex eadem causa concedatur amplians primum, & iuri tertij plus derogans, necessariò est facienda mentio prioris priuilegij, quia per illud primum priuilegium, in eo, in quo non fuit derogatum communi iuri tertij, fortificatum indirectè mansit, quasi si tertio fuisset priuilegium concessum. Si autem fuisset ei priuilegium concessum, requirebat mentionem expressam, vt ei esset derogatum: sic videtur in præsenti requiri. Neque hic casus est ad alias dispensationes, & gratias tertio non præiudicantes trahendus, vt tradit Innocent. *ibi num. 4.* Felin. *num. 2.* Bald. *num. 10.* Suarez *num. 6. & 7.* Basilius *num. 6.* lex item *3. C. de episcop. audient.* loquitur specialiter de remissione criminum, quæ ad alias dispensationes crimina non supponentes trahenda non est, eo quòd in criminibus sit specialior ratio negandi secundam dispensationem, seu remissionem ei, cui est prima in eo crimine concessa, ne scilicet audeat secundò crimen committere, videns remissionem sibi esse negandam. Ratio autem, qua mouetur communis sententia, firma non est. Non enim argui potest leuitatis, & inconstantiæ legislator, etiamsi secundam dispensationem latiorem concedat, quàm primam, quia extendere primam dispensationem non est reuocare primam, sed superaddere primæ, & liberalitatem ostendere. Ad ostendendam autem liberalitatem potest se mouere, etiamsi antea motus non fuerit, sine vlla animi leuitate ex eadem ratione; quia liberè in hac parte procedit. Adde si negasset Princeps dispensationem, & postea concedat, non ideo censetur inconstans, vt propter hanc mutationem dispensatio nulla fuerit. Ergo neque censeri debet inconstans, si priorem dispensationem moderatam concesserit, & secundam latiorem, cùm in hoc minus inconstantiæ, & mutationis inueniatur.

4 Quapropter solum in duplici, vel triplici euentu censeo prioris dispensationis mentionem esse faciendam.

Primus quando obtinuisti dispensationem cedentem in præiudicium tertij, & per dispensationem secundam ampliorem amplius præiudicatur. tunc enim est primæ dispensationis, seu priuilegij mentio facienda, vt intelligatur derogari iuri communi tertij per primam dispensationem indirectè conseruato, iuxta textum *in cap. penult. de præscriptionib.* vbi si obtinuisti dispensationem, ne decimas solueres Ecclesiæ ex agro; & postea impe

impetres dispensationem, ne soluas ex vinea, vel nullam soluas; teneris prioris dispensationis mentionem facere, vt valeat secunda, quia ius commune Ecclesiæ ex vi prioris exemptionis læsum fuit ea in parte, in qua subtrahebantur decimæ, & consertuatum indirectè, & fortificatum in omnibus illis partibus, in quibus debitæ manebant: ac proinde secunda dispensatio, quia est derogatio communis iuris fortificati per priuilegium, nulla est, si prioris dispensationis, seu priuilegij mentio non fit, quia non censetur hanc fortificationem cognoscere Princeps, etiamsi iùs commune cognoscat. Basilius *cap.* 17. *num.* 11. Suarez *num.* 7. *&* 10. Ad idem potest reduci obligatio faciendi mentionem prioris beneficij obtenti, vt obtineas secundum, aliàs nullum erit beneficium, quia cedit in præiudicium Ecclesiæ vni plura beneficia conferri, cùm possint pluribus adaptari, & Ecclesia plures ministros habere. & probat textus *cap. constitutus, cap. ad aures, cap. postulasti, cap. ad audientiam,* 2. *de rescriptis*, & aliis. Quod adeò verum est, vt etiamsi modicissimi beneficij, & insufficientis ad sustentionem sit impetratum, debere illius mentionem facere pro impetratione secundi, iuxta textum *in cap. si motu proprio, de prebend. in* 6. Quæ videtur esse noua decisio iure antiquo non expostulata. Neque obstat textus *in cap. gratia, de rescriptis, in* 6. vbi impetratio secundi beneficij non facta mentione prioris obtenti, non est subreptitia, si per ignorantiam, & simplicitatem factum fuerit. Non, inquam, obstat: nam licèt aliqui dicant ignorantiam excusare à facienda mentione prioris beneficij, si sit probabilis ignorantia. Secundò, si nemini fiat præiudicium. Tertiò, si Papa aliàs esset concessurus, si cognouisset: vt tradit Menochius *de arbitrar. lib.* 2. *centur.* 3. *casu* 201. *num.* 53. In casu illius textus hæc concurrere non possunt, quia tertium non concurrit, eo quòd primum beneficium absenti, & ignoranti collatum pingue fuerit, & omnino cum secundo incompatibile, ac proinde præsumi non poterat Principem concessurum. Quocirca ibi non fuit mentio necessariò facienda prioris beneficij, quia non erat impetratoris; erat enim illi absenti, & ignoranti collatum, & quousque ipse acceptasset, vel eius procurator nomine ipsius, dici non poterat esse suum, iuxta *cap. si tibi absenti, de prabendis, in* 6. ac proinde non tenebatur illius mentionem facere, & ad huiusmodi effectum ponderatur à textu ignorantia. sic explicat Sanchez *lib.* 8. *disput.* 21. *num.* 60. *fine*. Basilius *lib.* 8. *cap.* 17. *num.* 19. Couarr. *lib.* 3. *variarum, cap.* 16. Quod si instes. Ergo etiamsi scires primum beneficium tibi esse collatum, si tamen illud non acceptasses, posses secundum beneficium impetrare, nulla facta mentione prioris; siquidem non est habitum, & possessum, quousque illud acceptes? Neganda est consequentia quia tunc dolo procedis, & solùm ignorantia in hoc casu beneficij nondum acceptati excusare potest.

5 Secundus casus, in quo debes mentionem prioris dispensationis facere, vt secunda valida sit, est quando id necessarium est, vt intelligat Princeps qualitatem, & quantitatem gratiæ adæquare causæ sibi propositæ. Nam si hæc cognitio ex suppressione primæ dispensationis non habetur, gratia facta voluntaria non est, ac proinde omnino cessat. sic Suarez *lib.* 6. *cap.* 23. *num.* 11. Basilius *lib.* 8. *cap.* 17. *num.* 8. declaratur exemplis. Primò obtinuisti dispensationem non residendi in beneficio cum perceptione fructuum per quinquennium; illo expleto vis ex eadem causa aliud quinquennium impetrare; debes necessariò mentionem facere primæ concessionis, tum quia causa illa fortè non erat sufficiens, nisi ad quinquennium vnum, non ad duplex quinquennium. Tum quia illa concessio æquiualet decennij concessioni, quam non præsumitur facturus Princeps, si prioris dispensationis conscius esset. sic ex Felino *in cap. penult. de prascript. num.* 2. docet Basilius *num.* 8. Suarez *num.* 11. Ad idem est, si impetrasti dispensationem ad alienanda bona maioratus, & post illius vsum, aliam similem, vel ampliorem impetras, tacita priori dispensatione, impetratio secunda subreptitia erit, si sit ex eadem causa; quia non est censenda causa sufficiens ad tantam alienationem concedendam: neque est verisimile Principem secundam facultatem concessurum, si conscius esset prioris facultatis concessæ, nulla noua causa superueniente. Secus verò si peteretur secunda facultas ex diuersa causa, quæ spectatis circumstantiis, crederetur Princeps concessurus. sic Molin. *de Hispan. primogen. lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 42. Gutierr. *lib.* 2. *canon. quæst. cap.* 15. *num.* 95. Basilius *lib.* 8. *de matrim. cap.* 17. *num.* 16. Sanchez *lib.* 8 *disput.* 22. *num.* 12. Secundum exemplum adducitur, si habens votum castitatis, obtineas dispensationem ad vnum matrimonium contrahendum, & mortua vxore iterum petas dispensationem ad matrimonium ex eadem causa, scilicet quia tentationibus vexaris tacita priori dispensatione. Basilius, & Suarez *suprà*, existimant nullam esse secundam dispensationem, quia non concipit Pontifex, quantam relaxationem faciat in eo voto. At huiusmodi exemplum mihi non probatur. Satis enim concipit Pontifex quam relaxationem faciat in illo voto iuxta causam sibi propositam; concipit enim se relaxare votum ad matrimonium ex causa legitima: quòd autem priùs fecerit relaxationem ad matrimonium vnum, non inducit aliquod impedimentum, vt ex eadem causa subsistente non possit idem votum relaxare; imò potiùs quasi cogitur dispensationem priorem continuare; secus verò erat de illo exemplo non residentiæ concessæ per quinquennium, vbi tacitè insinuatur causam pro solo quinquennio sufficere, præterquam quòd ibi est præiudicium Ecclesiæ, ac proinde debet quasi specialiter derogari, iuxta dicta in primo casu. & Basilius, meo iudicio, sibi est contrarius in eadem pagina: nam cùm priùs *illo num.* 8. dixisset prioris dispensationis voti mentionem esse faciendam, vt valeret secunda ad contrahendum matrimonium, subdit *num.* 9. Si post obtentam dispensationem in voto, v.g. castitatis ad contrahendum matrimonium, postea petat aliam, mentione facta tantùm voti, valet secunda, vera enim est narratio totius impedimenti auferendi. Quod intellige, siue vsus fuerit prima dispensatione, siue ob superueniens impedimentum euanuerit. Et idem videtur sentire Suarez *num.* 16. Ego verò (inquit) in hoc præcisè, quòd prior dispensatio taceatur, nullam fraudem inuenio: quandoquidem totum votum auferendum proponitur, & Pontifex ignorare non potest peti puram dispensationem sine limitatione solitis, & insolitis, & ideo ex hoc capite non video subreptionem, & nullitatem. Quod optimè confirmatur ex his, quæ tradit Sanchez *disput.* 22. *num.* 13. inquit enim: Si fœmina ob dotis defectum impetrauit dispensationem nubendi consanguineo, & illo mortuo velit alteri consanguineo nubere, non indiget mentionem facere prioris dispensationis, si idem defectus dotis perseuerat: tum quia illa perseuerantia defectus dotis, reputatur noua causa superueniens, & honestans nouam dispensationem: tum etiam, quia vna dispensatio non habet cum alia connexionem. Ergo similiter dicendum est in voto: nam licèt per dispensationem ad secundum matrimonium ampliorem relaxationem in voto faciat, quàm per dispensationem ad vnum tantùm, si perseuerat causa, quæ primam dispensationem honestauit, honestabit secundam dispensationem, quia reputatur distincta causa, neque vnum matrimonium cum alio connectitur. Tertium exemplum est, si petas dispensationem in vxoricidio ad contrahendum matrimonium, & illo contracto aliud crimen simile committas, teneris, si velis secundò dispensationem impetrare

trare

trare, mentionem primæ facere. argumento textus *in l. 3. C. de episcop. audient.* & tradit Basilius *lib. 8. cap. 17. num. 8.* Suarez *lib. 6. cap. 13. num. 12.* Sanchez *lib. 8. de matrim. disput. 22. num. 10.* cui exemplo libenter assentior. Et ratio est, quia cùm in secundo homicidio tibi dispensatur, non cognoscit superior qualitatem, & quantitatem gratiæ, quam facit. An, inquam, sit proportionata causæ allegatæ. nam licèt causa sit proportionata pro impetranda dispensatione primi vxoricidij, non tamen inde infertur esse proportionatam pro secundo; quia secundum crimen, eo quòd post remissionem primi succedat, redditur iure ordinario indispensabile, ex *supradicta l. 3.* ac proinde requirit causam grauiorem. Quocirca si non manifestas, cùm secundò impetras dispensationem tibi fuisse primam concessam, non manifestas qualitatem gratiæ, quam petis, neque Princeps illam censetur concedere. Et confirmari potest ex communi omnium sententia asserente ineuntem scienter matrimonium in gradu prohibito, teneri in dispensatione narrare hanc malitiam, neque sufficere si dicas te in gradu prohibito contraxisse, eo quòd tunc impedimentum est regulariter indispensabile, iuxta Trident. *sess. 24. cap. 5.* Quapropter Sanchez *lib. 8. de dispensat. disput. 21. num. 15.* generaliter infert, quoties in iure cauetur, ne in aliquo casu dispensatio concedatur, néve delictum remittatur, esse illius specialem mentionem faciendam; aliàs non erit voluntaria gratia facta.

6 Tertius casus solet addi, in quo prioris dispensationis est mentio necessariò facienda, quando scilicet est necessaria talis commemoratio, vt impedimentum dispensandum integrè cognoscatur. qui casus est omnino admittendus: at rarò, vel numquam prioris dispensationis mentio est necessariò facienda, vt impedimentum integrè cognoscatur: si enim tibi illegitimo dispensatio concessa fuit ad vnum beneficium simplex, & postea velis curatum, vel aliud simplex obtinere, non videtur necessariò mentio facienda prioris dispensationis, sed prioris defectus nondum integrè sublati, iuxta ea, quæ diximus suprà explicantes textum *in cap. 2. de filijs presbyter.* sic docet Basilius de Leon *lib. 8. cap. 17. num. 7.*

7 Extra hos casus, non est necessariò mentio facienda prioris dispensationis, vt obtineatur secunda. Quocirca valet dispensatio secunda, sine mentione primæ, quoties ad tollendum scrupulum, vel dubium primæ fuit impetrata circa eandem rem; quia nullibi cautum est prioris dispensationis tunc esse mentionem necessariò faciendam, imò valet dispensatio secunda, etiamsi petatur ad extensionem primæ, dummodo non sit in præiudicium tertij, vt si obtinuisti dispensationem irregularitatis ad ordines minores, poteris explicata irregularitate ad ordines maiores, vel ad omnes ordines dispensationem obtinere, & impetrata dispensatione ad ordines, poteris dispensationem super interstitia impetrare, quia irregularitas non est impedimentum respectu interstitiorum. Item poteris dispensationem ad beneficia impetrare, nulla facta mentione dispensationis; facta tamen mentione irregularitatis. Item si obtinuisti dispensationem in voto castitatis ad contrahendum vnum matrimonium; poteris causa intercedente aliam dispensationem impetrare, quin mentionem facias prioris dispensationis. Quòd si dispensatio facta in voto castitatis, ita fuit absoluta, vt omnino tolleret votum illud, quia in pia aliqua opera commutauerit; tunc quidem non debet fieri mentio voti, quia non est, sed potiùs piorum operum, in quæ fuit facta commutatio. Ad idem est, si dispensatio in eadem lege secundùm diuersas partes concedatur, non est necessariò mentio facienda prioris dispensationis. Verbi gratia, si obtinuisti dispensationem huius ieiunij, vel festi, & alius dies ieiunij, vel festi superueniat, non teneris prioris dispensationis obtentæ mentionem facere. Item obtinuisti dispensationem pro ducenda consanguinea, & mortua illa poteris aliam dispensationem pro alia obtinere, absque mentione primæ. in his conuenit Suarez *lib. 6. de legibus, cap. 23. à num. 13.* & Basilius *lib. 8. cap. 17. à num. 9.* quamuis contrà videatur sentire Sanchez *illa disput. 22. à num. 15.* vbi affirmat, quoties petitur secunda dispensatio ad corroborationem, vel augmentum primæ, secundam corruere, & validam esse primam, quia non censetur priori renuntiare, nisi ex eo, quòd valeat secunda, quæ ob taciturnitatem primæ inualida est. Sed quod diximus est longè probabilius.

8 Sed quid dicendum, si cùm obtines secundam dispensationem, priori vsus non fueris? Verbi gratia, non fuisti vsus dispensatione ad contrahendũ cum consanguinea, vis cum alia contrahere, & obtines dispensationem, nulla facta mentione prioris dispensationis. Quæ ergo dispensatio valet, posterior ne, an prior, an vtraque?

Thomas Sanchez *lib. 8. de dispensat. disput. 21. num. 19.* sentit posteriorem valere, & primam omnino euanescere. Mouetur euanescere primam; quia ex impetratione secundæ censeris renuntiare primæ in manus Pontificis; & dato te nolle sic renuntiare, Pontifex non intendit secundam concedere, nisi exclusa prima. Ergo prima omnino euanescit. Quòd autem secunda valeat, inde probat, quia prioris non debebas mentionem facere in impetratione secundæ, quia non est ad priorem dispensationem augendam, sed est super matrimonio diuerso, & nullam inter se connexionem habent.

9 Cæterùm mihi probabilius est, secundam dispensationem esse inualidam, casu quo prima extincta non sit, & impossibilis eius vsus per mortem coniugis, vel alterius impedimenti perpetui. Ratio est, quia vtraque valere non potest; non quia Pontifex non possit vtramque concedere, sed quia non est verisimile id velle; est enim nimia gratia, & indulgentia, quam concedere Pontificem alienum est à ratione. Prior autem dispensatio valida perseuerat, eo quòd solùm per renuntiationem cessare potest, cui tamen non renuntiat impetrans, cùm secundam obtinet, quia non habet eum animum, & casu quo renuntiare velit, non manifestat, ita vt Pontifex id intelligens renuntiationem acceptare possit. Infertur ergo debere corruere secundam dispensationem; eo quòd prioris mentio non sit facta, quia sine illius mentione non cognoscit Pontifex, quantam gratiam huic impetranti faciat. sic docet Suarez *lib. 6. de legibus, cap. 23. num. 21.* Basilius *lib. 8. cap. 17. num. 9. circa finem.* Ex quo fit, si impetrasti facultatem ad alienanda bona maioratus, & illa facultate nondum vsus impetres aliam, vel ex eadem causa, vel diuersa: hæc secunda non videtur valere, nisi mentionem primæ feceris, vt Princeps primam facultatem irritam reddat, vel validam relinquat, quia non censendus est velle, vt vtraque facultas simul valida perseueret, & tantum grauamen maioratui fiat. sic indicat Basil. *illo cap. 17. §. 1. fin. num. 9.*

10 Tertiò dubitatur, an ligatus duplici impedimento, debeas illorum omnium mentionem facere, cùm alicuius dispensationem impetras? v. g. vis consanguineam ducere, adstrictus es voto castitatis, affinitatis, & consanguinitatis, poterisne per partes horum impedimentorum dispensationem impetrare, ita vt prius impetres dispensationem voti. Secundò affinitatis. Tertiò consanguinitatis, quin in vna dispensatione mentionem facias aliorum impedimentorum. Idem est si plures irregularitates habeas, & velis ad ordines promoueri. An, inquam, tenearis in qualibet dispensatione

tione omnium mentionem facere? In hac re est duplex sententia. Prima, negat mentionem esse necessariò faciendam illorum impedimentorum, sed posse dispensationem obtineri vnius, tacito alio, & postea alterius, & sic plurium. sic docuit Nauarr. *lib. 4. consil. tit. de de consanguinit. consil. 7. num. 2. & 3. & consil. 8. & 9. eodem tit.* Eman. Saa *verbo dispensatio, num.* 16. Cæuallos *pract. quæst.* 737. *num.* 27. & alij relati à Sanchez *disput.* 23. *num.* 1. quámque ipse probabilem reputat. Fundamentum præcipuum est, quia nullibi habetur in dispensatione vnius impedimenti reliqua esse manifestanda. Ergo non est hoc onus dispensato imponendum: præcipuè cùm integrè possit vnum impedimentum absque alio manifestari, & causa tollendi illud integrè cognosci.

11 Secunda sententia vniuersaliter affirmat debere in dispensatione vnius impedimenti reliqua manifestari, aliàs esse subreptitiam dispensationem: sic docet Couarr. 4. *decret. 2. p. cap. 6. §. 4. fine.* Menoch. *de arbitrar. lib. 2. centur. 3. casu* 203. *num.* 12. Sanchez *lib. 8. disp.* 23. *num.* 2. & alij innumeri ab eis relati. Huius communis sententiæ ea solùm mihi videtur ratio firma, quæ ex praxi, & consuetudine desumitur: & cùm hæc in dispensationibus impedimentorum matrimonij clarior appareat, in illis, vt probabilior, & securior tenenda est. Congruentia autem addi potest; quia impedimentum vnum ex alterius coniunctione redditur difficilius dispensatu; difficilius enim dispensatur cum persona pluribus impedimentis laborante, quàm si vnum tantùm haberet, quod intelligendum est, quando ad eundem effectum dispensatio postulatur; tunc enim militat supradicta ratio ex coniunctione, scilicet aliorum impedimentorum, quodlibet impedimentum reddi difficilius dispensatu, & quasi aggrauari; quia cùm dispensatio tendat ad habilitandam personam ad vnum, & eundem effectum, ad quem ex pluribus impedimentis est incapax; & hæc habilitas non consequatur per vnius dispensationem, ob taciturnitatem aliorum impedimentorum, sequi videtur, neque dispensationem valere, quia cessat finis, ob quem data est. Hæc, inquam, ratio solùm est quædam congruentia ad inuestigandam intentionem concedentis, non tamen videtur omnino firma; siquidem in excommunicationibus eodem modo procedit. Pluribus enim excommunicationibus ligatus absolutionem impetrare ab vna potest, aliis tacitis, vt tradit glossa communiter recepta *in cap. ex parte, verbo reddere. de officio ordin.* quamuis ex vna excommunicationis absolutione habilis ad diuina non sis factus.

12 Dixi notanter, quando ad eundem effectum dispensatio postulatur. Ex quo fit quid dicendum sit, si habeas votum castitatis, & velis cum consanguinea contrahere? Poteris dispensationem à voto castitatis priùs impetrare, etiam si animo contrahendi cum consanguinea facias; dummodo causa allegata ad dispensandum in castitate non sit ducere consanguineam, neque ad illum effectum dispensatio ordinetur. Ratio est, quia dispensatio voti castitatis alium effectum habere potest præter matrimonium cum consanguinea, neque votum castitatis est speciale impedimentum ad contrahendum cum consanguinea, neque ex coniunctione consanguinitatis est difficilius dispensatu. Impetrata autem dispensatione circa votum, potes de consanguinitatis impedimento dispensationem impetrare, quin mentionem facias dispensationis voti? quia votum omnino sublatum est. sic Suarez *lib. 6. de legibus, cap. 24. num.* 5. Basilius de Leon *lib. 8. de dispensat. cap. 17. num.* 24. Sanchez *lib. 8. disp. 23. num.* 4. Secus verò dicendum est, si habens votum castitatis, dispensationem petas priùs de consanguinitate, tunc necessariò votum debes manifestare, quia cùm dispensatio consanguinitatis ad nullum alium effectum tendat, nisi vt te habilem, & expeditum reddat ad matrimonium, & ex voto castitatis impeditus adhuc existis, ea de causa, vt effectum sortiatur, teneris votum manifestare: sic supradicti Doctores. quamuis contrà absque fundamento teneat Nicol. Garc. 8. *p. de benefic. cap. 3. à num.* 61. motus, quia non est impedimentum irritans, sed impediens, & consequenter non videtur posse impedimentum irritans augere. Sed hoc non obstat; sufficit, quòd verè impediat.

13 Fit secundò, quid dicendum, si habeas votum castitatis, & religionis, & velis vnius dispensationem impetrare, an debeas vtrumque manifestare? Et quidem si petis priùs dispensationem in voto religionis, affirmat Suarez *lib. 6. cap. 24. num.* 8. validam esse tacito voto castitatis, quia ex voto castitatis non redditur difficilior dispensatio in voto religionis, cùm potiùs in illud soleat commutari; & ex alia parte suum effectum habere potest independens ab alio. At si petatur dispensatio in voto castitatis, tacito voto religionis, existimat inualidam esse, quia cùm religio ad seruandam castitatem obliget, nulla causa videtur posse allegari sufficiens ad dissoluendum votum castitatis, manente voto religionis. nam incontinentia non videtur sufficere, siquidem per matrimonium succurri non potest, durante voto religionis. At credo satis esse probabile impetrare te posse dispensationem in voto castitatis, etiamsi taceas votum religionis. sic Basil. *lib. 8. cap. 17. num.* 24. quia votum religionis non obligat ad perseuerandum. Ergo dispensatio pro voto castitatis vtilis esse potest, casu quo in religione non perseueres. Item esse vtilis potest toto tempore, quo religionem experiris, ne tot peccata committas: & ex hac vtilitate dari potest sufficiens causa dispensationis. Secus verò dicerem de solo voto non nubendi, quia non videtur adesse posse causa dispensandi in illo, si votum religionis perseueret.

14 Fit tertiò. Quid dicendum si impedimenta non solùm dispensatione, sed alia via, scilicet irritatione, aut remissione tolli possunt. An tunc sit necessariò facienda mentio omnium tam impedimentorum, quæ dispensantur, quàm illorum, quæ irritatione tolli debent?

Respondeo, solùm ea impedimenta narrari debent dispensanti, quæ per dispensationem tolli debent: at ea, quæ alia via tolli possunt, necessarium non est manifestare; siquidem extra dispensantis iurisdictionem sunt, ac proinde videtur extra rem illi narrare. Qua ratione si contraxisti sponsalia, vel votum castitatis ante pubertatem emisisti, & vis cum consanguinea contrahere, poteris impetrare dispensationem impedimenti consanguinitatis, quin sponsalia, & votum manifestes; quia votum illud irritatione tolli potest, & sponsalia remissione illius, cuius interest. sic Sanchez *lib. 8. disput. 23. num.* 6. Basil. *lib. 8. cap. 17. num.* 23.

15 Fit quartò. Quid dicendum, si impedimenta concurrunt diuersa, aliud publicum, aliud occultum? An, inquam, debeas manifestare simul omnia?

Respondeo te non debere manifestare occultum, cùm publici dispensationem petis, etiamsi ex manifestatione occulti non sequatur infamia; quia non præsumitur Pontifex id velle, esset enim nimis durum, & alienum à suaui regimine Ecclesiæ: quia præcluderetur via pluribus contrahendi matrimonium. Quapropter pro his impedimentis occultis constituti iudices pœnitentiarij sunt, quibus non solùm occulta, sed etiam publica impedimenta manifestanda sunt, vt ex stylo curiæ refert Sanchez *disp. illa* 23. *n.* 7. & tradit Basilius de Leon *lib. 8. cap. 17. n.* 23.

16 Fit quintò. Quid dicendum in dispensatione irregulari

gularitatis,& aliarum pœnarum? An, inquam, debeas, cùm vnius dispensationem impetras alias manifestare. Et quidem ratio suprà allegata in his videtur procedere, quia scilicet vnum impedimentum ex coniunctione alterius videtur dispensatu difficilius. Item quia ad eundem effectum dispensatio vnius, & alterius ordinatur, nempe ad habilitandam personam. Ergo omnia debent explicari: & ita tenet Basilius *lib.8. cap.17. num.24.*

Suarez verò *lib.6. cap. 24. circa finem*, negat esse necessariò explicandam, nisi casu quo vna irregularitas, vnáve pœna non posset sine alia explicari. Mouetur; quia neque ex iure, neque ex stylo id habetur. Quòd autem difficiliùs obtineret vnius dispensationem, si alia scirentur, non obstat, si datur ex sufficienti causa, & cum plena cognitione, quia illa difficultas est extrinseca dispensationi singulorum, sicuti habens plura crimina,& vnius petens remissionem,non tenetur omnia manifestare, etiamsi sciret ex manifestatione aliorum negandam esse remissionem illius petiti, & hæc mihi sententia probatur. Illa autẽ limitatio,quam Suarez adducit, scilicet aliarum irregularitatum,& pœnarum esse mẽtionem faciendam,casu,quo grauitas vnius non possit sine alia explicari,est verissima. At exempla, quibus eam explicat, mihi non probantur. Primus est, si contraxisses irregularitatem, eo quòd clericum occideris,teneri te manifestare clericum fuisse,neque satisfacere,si dicas hominem occidisse,quia debes explicare grauitatem criminis, & sacrilegij commissi, & docuit Nauarr.*lib.1. consil.tit. de rescriptis, consil.18.num.vnic.in 2.edit.* Emanuel *1.tom. summ.2. edit. cap.179. conclus.5. num.10.* At verius censeo non esse necessariam illius qualitatis manifestationem, quia ad irregularitatem est omnino extrinsecum, & per accidens fuisse clericum; non enim ob sacrilegium, sed ob defectum perfectæ lenitatis imponitur, qui defectus in quacumque hominis occisione reperitur: & ex alia parte neque ex consuetudine, neque ex stylo curiæ constat hanc qualitatem debere manifestari. Non ergo onus sine causa imponendum est: & ita tenet Sanchez *lib.8. disput.21. num.22.* Salas *disput.20.sect.15.num.122. §.quartum dubium.* Basilius de Leon *lib.8.cap.17.§.4. num.24. finè.* Secundum exemplum, quod adducit Suarez, est, si plura homicidia commisisses, & velis vnius irregularitatis dispensationem impetrare, tacitis aliis, quia licèt irregularitates illæ sint numero distinctæ,moraliter tamen quasi efficiunt vnam grauiorem, vel certè vna illarum non satis absque alia explicatur. Verùm, meo iudicio, non video, quare vna irregularitas non satis absque alia explicetur, cùm satis vnum homicidium absque alio explicari possit,nec cur vnius dispensatio cum alia colligata sit, siquidem ex distincta omnino causa procedit,neque ex pluribus illis irregularitatibus vna coalescit, sed sunt distinctæ, ac si quælibet in suo subiecto distincto existeret. Adde,sicut potest remissio vnius homicidij sine alio impetrari, cur non poterit dispensatio irregularitatis vnius homicidij sine dispensatione alterius obtineri? Denique si percussisses plures clericos, posses obtinere absolutionem vnius excommunicationis, non obtenta absolutione alterius. Ergo similiter contingere potest in irregularitate. Denique non caret probabilitate contracta vna irregularitate ob homicidium, non contrahi aliam numero distinctam, etiamsi aliud homicidium committas; quia cùm irregularitas sit inhabilitas per modum habitus, non potes ampliùs ex eadem causa inhabilitari; neque vna causa super aliam operari. sic tradit Henriquez *lib.12.cap.10. §.3.& lib.14.cap.7. §.3.* Thomas Sanchez *lib.8. disp.14. num.7.* Auila *disput.10.de irregular. dub.8.* & in excommunicato, qui pluries in excommunicatione celebrauit,tenet Nauarr. *consil.3.de raptoribus,num.6.* Zerola *in praxi,2.part.verbo irregularitas,§.12.ad finem.* Garcia hos referens *8.part. de benefic. cap. 3. num. 80. vsque ad 87.* & confirmari satis potest ex copula cum consanguinea sæpiùs repetita, quæ non inducit nouum impedimentum, neque est necessariò facienda mentio omnium illorum delictorum, sufficit si vnius tantùm mentionem faciat, & docet Sanchez *lib.8. disput. 24. num. 7.* Toletus *lib.7.cap.19.ad finem.* Azor *3.part. lib.3. cap.10. quæst.1.* Garcia *num.77.* Idem, si quis teneat in Baptismo plures filios alicuius,vnica tantùm est compaternitas. Garcia *num.78.* Et si quis ter, vel quater contraxit nuptias, non est necessarium id exprimere in dispensatione bigamiæ. Garcia *num.79.* Sanchez *lib.7. disp.86. num.24.* Henriquez *lib.12.cap.6.§.9.* Nauarr. *consil.2. de bigam.* Vgolin. *de irregular. cap.56.§.7. num.3.* Auila *de censur.7.part.disp.8.fine.*

§. V.

Expenduntur ea, quorum falsa expressio vitiat rescriptum.

1 *Quæ sint certò præsupponenda.*
2 *Si ex causa vera, & falsa integratur causa sufficiens dispensationi, dispensatio corruit. At si vera causa allegata sufficiens est,ex falsa superaddita non vitiatur dispensatio secundùm communiorem sententiam.*
3 *In casu dubio,sit ne falso causa allegata,finalis, vel motiua,præsumitur motiua,non finalis.*
4 *Quid si causa falsis testibus probetur.*
5 *Subreptio commissa in vna parte rescripti non vitiat totum rescriptum, si per ignorantiam etiam culpabilem, modò non sit crassa,subreptio commissa sit.*
6 *Vitiat tamen,si ex fraude,& malitia procedatur.*
7 *Debet tantum vna pars cum alia coniunctionem habere, & ad eundem finem ordinari.*
8 *Impetrans rescriptum ad primum beneficium vacaturum, tacito defectu legitimæ ætatis ad curatum, valet ad simplex.*
9 *Impetrans dispensationem voti, & consanguinitatis ad matrimonium, falsò allegata causa circa votum rescriptum vitiatur.*
10 *Rescriptum hoc modo vitiatum non habet effectum, quousque vitium commissum in illa parte rescripti declaretur.*
11 *De interpretatione, & cessatione dispensationis remittitur ad ea,quæ dicta sunt de priuilegijs.*

1 Constat apud omnes, si falsitas occasio sit, ne impedimentum dispensandum integrè manifestetur,vitiari omnino dispensationem. Item si est occasio,ne causa allegata ad dispensationem vera sit,quia dispensatio semper expostulat causam, præcipuè si in lege superioris fiat. Secundò suppono aliud esse impetrare gratiam, & beneficium ab ordinario,aliud à Sede Apostolica,& eius Legato,si ab ordinario impetres,notari non potes subreptione.

2 Difficultas ergo est, cùm plures causas allegas, vt tibi dispensatio concedatur, & aliqua illarum est falsa, an corruat tota dispensatio? Et quidem si ex falsa causa, & vera allegata integratur sufficiens causa dispensationis,sine dubio corruet dispensatio, quia corruit fundamentum, cui voluntas dispensantis nititur. sic Couarr.*lib.1.variarum, cap.20. num.5.* Basilius *lib.8.cap.17. §.vlt. num.41.* Suarez *lib.6.de voto, cap.27.num.11.* At si non obstante falsa causa admixta allegas veram, quæ de se,& secundùm stylum, & consuetudinẽ solet reputari sufficiens ad dispensationem concedendam; communior sententia docet validam tunc esse dispensationem. sic docet Sanchez *lib.8. disput.21. num.32.* multis relatis Suarez, Basilius *suprà.* Sed hoc intelligendum esse

esse videtur de causa extrinseca dispensationi, & quæ per se non solet mouere Principem ad dispensationem concedendam: nam si causa falsò allegata, æquè ac vera mouet Principem ad dispensationem concedendam, quis dicere poterit hic, & nunc ex vtraque simul motum non esse? neque enim est vlla ratio, quare magis ex vera, quàm ex falsa causa moueatur, cùm vtraque eodem modo illi proposita sit. Si ergo ex vtraque motus sit, qualibet ex illis cessante, cessat intentio hæc dispensantis, & consequenter dispensatio: & ita tradit Gutierr. *canon. quæst. lib. 1. cap. 15. num. 129. & 130.* Neque credo Sanchez dissentire, vt colligi facilè potest ex his, quæ dicit *num. 44. & 45.*

3 Sed quid dicendum est in casu dubio? An sit causa finalis, hoc est, pertinens ad dispensationem intrinsecè, an verò solùm impulsiua, & motiua, & extrinseca dispensationem concernens?

Respondeo præsumi motiuam, & non finalem, quia semper debet stare præsumptio in fauorem valoris actus; at si præsumeretur finalis, corrueret dispensatio, & præsumpta solùm motiua dispensatio subsistit. Ergo: & ita tenet Tiraquell. *tract. cessante causa, limit. 1. num. 14. & 48.* Loazes *de matr. Regis Angliæ, dub. 5. num. 42. & 43.* Menoch. *volum. 2. consil. 106. num. 91.* Sanchez plures alios referens *lib. 8. disput. 21. num. 20.* Basil. *lib. 8. cap. 17. num. 41.* Et idem dicendum est, cùm dubium est, an dispensatio valida sit, quia dubium est, an satis probetur veritas narratorum, vel quia est dubium, an causa falsò allegata sit finalis? Semper, inquam, præsumendum est in hoc dubio validam esse dispensationem, quia pro valore actus stare debet præsumptio. *l. quoties, ff. de reb. dub. & cap. Abbate, de verbor. significat.* & multis allegatis docet Menoch. *lib. 6. præsumpt. 4. per totam*, & tradit Sanchez *lib. 8. disput. 21. num. 25.*

4 Quid si causa falsis testibus probaretur, essétne tunc dispensatio nulla? v. g. commissa est ordinario dispensatio in impedimento consanguinitatis, si paupertas, defectúsque dotis verus sit, probas falsis testibus defectum dotis adesse, eritne tunc dispensatio valida?

Respondeo; si verè in re defectum dotis non habeas, dispensatio omnino vitiatur, quantumuis exteriùs constet, quia sine causa subsistere non potest dispensatio. & sententia lata ab ordinario fundatur in falsa præsumptione contra veritatem, quam intendit Pontifex. At si defectus dotis verus sit, falsis tamen testibus probatus, quia absque perfecta notitia iurarunt, credo dispensationem valere, quia verificatur conditio à dispensante requisita. sic Sanchez *lib. 8. disput. 21. num. 33.* Basil. *lib. 8. cap. 17. num. 41. circa finem.* Verùm si per ignorantiam, & simplicitatem allegasti, v. g. defectum dotis, cùm tamen verè non fuerit, & ordinarius facta informatione declarauit defectum dotis existere, & sic dispensauit, & ex hac declaratione, & dispensatione concessa ad contrahendum matrimonium processisti, videris validè contrahere, neque posse tale matrimonium oppugnari, ex *cap. cùm inter. de sentent. & re indic. cap. eo qui appellat. §. si verò, 2. quæst. 6.* & tradit Basil. *lib. 8. cap. 16. num. 5. & cap. 17. num. 41.* & facit id quod docuit Socin. *consil. 170. ad finem, volum. 2.* & Felin. *cap. super litteris, de rescript. num. 7. versic. demum.* vbi asserunt, si subreptio commissa non sit ab eo, qui litteras impetrauit, sed à solicitatore, qui falsam causam allegauit, ignorante eo, pro quo rescriptum impetratum est, valere rescriptum, nec subreptitium esse. Quia ignorantia facit, vt præsumatur Pontifex in tali casu de plenitudine suæ potestatis dispensare, & sententia tunc data transit in rem iudicatam. At credo hoc tenendum non esse, quia tale rescriptum, vtpote in falsa causa fundatum, nullum est, neque ignorantia prodesse potest ad valorem ipsius, sed solùm ad excusandum impetrantem, à culpa commissa, & videtur expresè decidi *cap. super litteris, de rescript.* vbi æquè de taciturnitate veritatis, ac de expressione falsitatis, quando contingit circa totum rescriptum, dicitur nullum esse, etiamsi per ignorantiam, & simplicitatem factum sit. *Si verò* (inquit textus) *per huiusmodi falsitatis expressionem, vel suppressionem etiam veritatis litteræ fuerint impetratæ, quæ tacita, vel expressa nos nullas litteras dedissemus, à delegato non est aliquatenus procedendum.* sic Tiraquell. *tract. cessante causa, in princ. num. 116.* Abbas *dict. cap. super litteris, num. 4. & 6.* & alij, quos sequitur Sanchez *lib. 8. disp. 21. num. 56. & 57.*

5 Difficultas grauis est, an quando subreptio commissa sit in aliqua parte rescripti, & non in toto, rescriptum totum reddatur nullum? v. g. Impetras rescriptum pro impedimento voti, & affinitatis, quam habes ad matrimonium contrahendum, & falsò causam allegas pro affinitatis impedimento, veram tamen, pro voti impedimenti impetratione, eritne tunc totum rescriptum subreptitium? Idem est, si impetrasti litteras ad beneficium, siue curatum, siue simplex, allegata falsò legitima ætate, cùm tamen solum ad simplex legitima esset, an tunc rescriptum respectu vtriusque beneficij sit nullum? Idem est, si impetrasti rescriptum contra tuum debitorem, affirmans falsò ex consuetudine patriæ causas tractari simpliciter, & de plano; eáque de causa commissa est iurisdictio delegato, vt sic cognosceret, an tunc iurisdictio expiret, vel solùm quoad illam formam? Et quidem tunc vitiari rescriptum, quoad illam partem, in qua falsitas expressa est, nemini esse potest dubium. Solùm de alia parte, circa quam falsitas commissa non est, dubitatur, in qua omissis aliis dicendi modis distinguendum est, si per ignorantiam, & simplicitatem etiam culpabilem, modò non sit nimis crassa, contigerit falsitatis expressio, vel veritatis taciturnitas, circa causam finalem illius partis rescripti, non vitiatur totum rescriptum, sed solùm illa pars, in qua ex ignorantia processum est. sic ex communi sententia docet Sanchez *lib. 8. disp. 21. num. 61.* Gutierr. *canon. quæst. lib. 2. cap. 15. num. 45.* & multis relatis Nicol. Garc. *8. p. de benefic. cap. 3. num. 16.*

6 At si ex fraude, & malitia subreptio commissa sit, totum rescriptum vitiatur in pœnam fraudis, & malitiæ, vt deciditur expresè *in cap. super litteris.* ibi, *in suæ peruersitatis pœnam nullum ex illis litteris commodum consequantur. & in cap. sedes, eodem tit.* ibi, *mendax peccator careat penitus impetratis.* Neque valet dicere verba debere intelligi solùm de eo capitulo, in quo falsitas commissa est, non de alio, quia respectu illius, circa quod falsitas est commissa, non erat necessarium dicere in pœnam suæ peruersitatis nullum debere commodum consequi. Siquidem, etiam si per ignorantiam factum sit, nullum commodum obtinetur. Restat ergo, vt intelligatur de alia parte rescripti, in qua fraus commissa non est.

7 Aduerto tamen debere vnam partem cum alia coniunctionem habere, & ad eundem finem, & effectum ordinari: aliàs si in se omnino separatæ sint, etiamsi in eodem rescripto contineantur, credo non vitiari vnam ex subreptione alterius. Moueor, quia pœna non debet extendi, sed limitari quoad fieri possit: cùm autem irritatio illius partis rescripti, circa quam falsitas commissa non est, solùm sit in pœnam falsitatis commissæ circa aliam partem, non debet extendi extra casum in iure expressum: at in iure, vt constat ex *cap. super litteris, & ex dict. cap. sedes,* partes rescripti inter se vniebantur, & ad eundem effectum ordinatæ erant. Ergo quando cessat hæc connexio, & ordinatio,

tio, cessabit pœna. & ita explicandus est textus *in cap.ad audientiam, de rescript. & in l.si ex falsis,C.de transact.* vbi videtur decidi, vitium commissum in vna parte rescripti, reliquas vitiare. Intelligi debet, si inter se vniantur, secus si separatæ sint. & ita tenet Basilius *lib.8. cap.16. num.9.* Sanchez *lib.8. disput.21. num.71.* Garcia *8.p.de benefic. cap.3.num.16.* vbi variis decisionibus probat.

8 Ex quo fit, si impetres rescriptum ad primum beneficium vacaturum, siue curatum sit, siue simplex, iuxta textum *in cap.si eo tempore,de rescript. in 6.* tacito defectu legitimæ ætatis ad curatum, cùm tamen ad simplex sufficeret, valet rescriptum respectu beneficij simplicis; esto cum dolo, & malitia processeris. sic Basilius, & Sanchez *suprà*, quia sunt gratiæ separatæ, neque vnà ab alia pendet, diuersimodè tamen valebit, si cum dolo, vel absque dolo processeris. nam si absque dolo processisti, valebit tibi gratia ad beneficium simplex, etiam si contingat primò vacare beneficium curatum. Nam licèt de iuris rigore gratia illa deberet verificari in beneficio primo vacante, iuxta *cap.mandati, de prabendis, in 6.* at quia incapax per ignorantiam illius es, ex quadam æquitate, & benigna interpretatione videtur extendenda gratia ad beneficium simplex primò vacans, cuius capax existis, argum. textus *in cap.2. de renuntiat. in 6.* Quòd si ex dolo processisti, & beneficium primò vacans fuit curatum, non poteris simplex expectare, sed omnino sibi gratia cessabit; quia non est æquum tuæ iniquitati, & peruersitati fauere, & ita notauit Basilius *lib.8.cap.16.fine.*

9 Fit secundò, si impetres dispensationem voti, & consanguinitatis ad matrimonium contrahendum falsò allegata causa circa votum, esto vera circa impedimentum consanguinitatis; totum rescriptum vitiabitur, si dolo processisti; secus si ex ignorantia, quia tunc vtriusque impedimenti dispensationes inter se connectuntur, & ad eundem finem tendunt; secus verò, si pro diuersis votis esset dispensatio, pro voto, inquam, castitatis, & peregrinationis, quia sunt causæ separatæ, & per accidens in vno rescripto vniuntur. sic Sanchez *lib.8.disp.21.num.72.*

10 Sed inquires, an in illo casu, in quo pars dolo carens vitiatur, ex dolo in alia parte commisso, vitietur ipso iure, tam in rescriptis iustitiæ, quàm gratiæ, vel solùm ope exceptionis, aut per sententiam.

Respondeo, neque in rescriptis iustitiæ, neque gratiæ vitiari ipso iure, sed quousque vitium commissum declaretur. Ratio legitima est, quia hæc annullatio est pœna, vt constat ex illis verbis textus *in cap. super litteris.* ibi, *in suæ peruersitatis pœnam nullum ex illis commodum consequantur.* Sed pœna, & præcipuè, quæ iu communi derogat, indiget, vt contrahatur, sententia saltem declaratoria criminis. Ergo. Neque obstat si dicas textum *in cap. super litteris*, dicere, nullum ex illis litteris commodum consequantur, *& cap.sedes, eodem tit.de rescript.* impetratorem penitus carere debere impetratis: quæ dictiones videntur omnem vtilitatem excludere, quam certè non videntur excludere, si ipso iure validæ sint litteræ. Non, inquam, obstat, quia iuxta subiectam materiam debent intelligi, carere scilicet penitus effectu, & nullum commodum ex illis obtineri, postquam crimen oppositum est, & declaratum. sic docet Sanchez *lib. 8. disputat. 21. num. 76. & 77.*


11 De interpretatione dispensationis, & illius cessatione latè egi, cùm de priuilegij interpretatione, & illius cessatione sermonem habui, neque occurrit aliquid speciale notandum. Semper tamen præ oculis est habendum aliud esse dispensationem, aliud facultatem dispensandi. Item aliam esse dispensationem insertam in iure communi, aliam extra ius commune. De his omnibus, an latè, vel strictè interpretandæ sint, & quando, & quomodo cessent, loco allegato pro tenuitate nostra disseruimus.

TRA



TRACTATVS QVARTVS DE FIDE, ILLIQVE CONTRARIIS.

PROOEMIVM.



ACTVRVS de virtutibus, à fide iudicaui incipiendum; vtpote quæ, vt ait Trident. *sess.6. cap.*8. reliquarum radix, & fundamentum est, & iustificationis initium. Hunc tractatum nouem disputationibus absoluam.

Prima erit de fide, eiúsque obligatione.

Secunda, de infidelitate.

Tertia, de hæresi.

Quarta, de pœnis spiritualibus hæreticorum, excommunicatione, infamia, priuatione beneficiorum, & officiorum.

Quinta, de pœnis temporalibus, præcipuè confiscatione bonorum.

Sexta, de pœnis corporalibus.

Septima, de hæresis suspectis, filiísque hæreticorum.

Octaua, de modo iudicialiter procedendi.

Nona, de crimine confessarij solicitantis ad Venerem.

DISPVTATIO I.

De fide, eiúsque obligatione.

PVNCTVM I.

Quid sit fides, & quotuplex.

1 *Multipliciter nomen* fidei *vsurpatur.*

2 *Declaratur propria fidei acceptio, eiúsque definitio exponitur.*

1 NOMEN *fidei* variè accipitur à Theologis, vt videre potes apud commentatores D.Thom. 2.2.*quæst.*1. Aliquando enim accipitur pro fiducia, iuxta illud dictum à Domino Petro Matth. 14. *Modica fidei, quare dubitasti?* & illud Iacob.1. *Postulet in fide, nihil hæsitans,* hoc est, in fiducia de Domini misericordia. Aliquando pro executione rei promissæ, seu pro dictorum, conuentorúmque constantia, & veritate: & in hoc sensu dixit Paul.ad Rom.3. *Numquid incredulitas eorum fidem Dei euacuabit?* id est, diuinæ promissionis constantiam, & veritatem infirmabit? *Absit.* & illud 1.ad Timoth.5. *habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt*; id est, quia vouerunt, & non reddiderunt, vt explicuit August. *Psal.*75. & ab hac acceptione sæpè Deus vocatur fidelis, *Psal.*144. *&* 1.*Corinth.*10 & alibi. Aliquando sumitur pro iudicio, seu existimatione, quæ de aliquo fit, fore, vt stet promissis, iuxta illud Ecclesiast. 27. *qui denudat arcana amico, fidem perdit*; id est, perdit existimationem, quæ de illo habebatur secreta seruaturum. Aliquando sumitur fides pro conscientia bona, iuxta illud ad *Rom.*14. iuxta communem expositionem, *Omne, quod non est ex fide, peccatum est.* id est, omne, quod est contra conscientiam, & dictamen rationis, peccatum est. & in hoc sensu Innocent. III. *cap. vlt. de præscript.* dixit nullam esse præscriptionem absque bona fide, id est, absque notitia recta.

2 Verùm hæ acceptiones, vt rectè expendit Valent. 2. 2. *disput.* 1. *quæst.* 1. *p.* 1. *in princ.* alienæ sunt nostro instituto consideranti fidem, quatenus quædam virtus est nostræ iustificationis initium, & reliquarum virtutum radix, & fundamentum, de qua Apostol. *ad Hebr.* 11. dixit, *est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Dicitur substantia rerum sperandarum, tum quia per eam quodammodo substant, seu subsistunt in nobis res, quas speramus; tum quia ipsa, vt fundamentum substat omnibus aliis virtutibus, quibus via paratur gloriæ speratæ. sic Magister *sentent. in* 3. *dist.* 23. Chrysost. *homil.* 21. *in suprad. loco ad Hebr.* Vocatur argumentum, seu conuictio non apparentium, ob ineuidentiam, quam habet simul cum eius certitudine, quæ fundatur in ipsa authoritate diuina. sic exposita verba Pauli conuincunt ibi Apostolum definisse fidem, quæ est virtus theologica: tum quia de illa loquebatur, siquidem loquebatur de illa, per quam iustus viuit: tum quia sic tradunt Basil. Chrysost. Gregor. August. & alij Patres, quos refert, & sequitur Valent. *disp.* 1. *quæst.* 4 *p.* 1. Neque obstat aduersùs hanc definitionem plura fideles credere, quæ non sperant, credunt infernum, qui non speratur,

speratur, sed potiùs timetur: credunt peccasse nostros primos parentes, & nos nasci maculatos, quod nec timetur, neque speratur. Non, inquam, obstat: nam cùm dixit Apostolus, esse substantiam rerum sperandarum per ordinem ad obiectum principale, qui est Deus speratus, definiuit fidem; non tamen obinde tollit de aliis rebus fidem esse. Neque etiam obstat dari posse fidem absque spe, quominus dicatur esse substantiam sperandarum rerum. nam licèt non sit rerum sperandarum actu, ab ipso, qui habet fidem, potest tamen illas sperare, & ab aliis sperantur; ac proinde est substantia rerum sperandarum. Alteram autem definitionem tradunt communiter Scholastici, quæ supradictam explicat, & in idem recidit, videlicet, vt fides sit habitus, quo infallibiliter, & sine vlla formidine credimus à Deo reuelatis ob authoritatem Dei reuelantis. sic Bannes 2.2. *quæst.* 1. *art.* 1. *circa principium.* Valent. *suprà, versic. septimò.* & communiter omnes D. Thomæ expositores. Vt autem hæc definitio, & quam adduximus ex Paulo, clariùs innotescat, videndum est, quæ comprehendantur sub reuelatis, quæve reuelatio necessaria sit, & quæ ad illam requirantur, & ad illius assensum? Quibus cognitis cognoscetur tum obiectum formale, tum materiale fidei, & alia ad definitionem fidei pertinentia.

PVNCTVM II.

Quódnam sit obiectum formale fidei.

1 *Statuitur Deum reuelantem esse.*
2 *Proponuntur variæ obiectiones, & soluuntur.*
3 *Ecclesiæ propositionem ad fidem requiri.*
4 *Explicatur, quid sit hæc propositio, & quomodo ad obiectum formale fidei non pertineat, tametsi conditio sit.*
5 *Regulariter ad recipiendam fidem plura concurrunt.*

1 CVm fides diuina nitatur authoritati Dei reuelantis, vt in comperto est apud omnes; communiter Doctores conueniunt Deum reuelantem esse obiectum formale fidei, seu rationem, sub qua intellectus reuelatis assentitur. sic D. Thomas 2.2. *quæst.* 1. *art.* 1. Bannes, & Aragon *ibi.* Valent. *disput.* 1. *quæst.* 1. *punct.* 1. §. 4. *in princ.* & alij plures, quos ipse refert, Ægidius de Coninch *disp.* 9. *de fide, dub.* 3. *concl.*... *n.* 22. *& dub.* 4. *concl.* 1. *num.* 35. Verùm vt hæc definitio communis clariùs innotescat, aduersùs illam

2 Obiicio primò, quia fides non videtur niti posse diuinæ reuelationi, tanquam rationi formali vltimæ assentiendi: nam si rogeris, quare credis Deum esse trinum, & vnum? & respondeas, quia Deus reuelauit; & rursus interrogeris, vnde cognoscas Deum sic reuelasse? debes ad propositionem Ecclesiæ recurrere, & respondere, quia sic tibi ab Ecclesia est propositum: quòd si tandem rogeris, vnde scis Ecclesiam habere infallibilitatem in rebus propositis? necessariò debes respondere, quia sic est à Deo reuelatum, in quo sanè circulum committis. Ergo non bene assignatur reuelatio diuina, seu Deus reuelans, pro ratione formali vltima, in quam fides diuina resoluitur?

Respondeo, etsi diuina reuelatio tibi sit ineuidens, & obscura: at esse potest ratio cognoscendi, tum alia, tum se ipsam, quia cùm illorum cognitio non possit esse euidens, nequit in reuelatione, tanquam in re euidenti intellectus acquiescere; at quiescit in illa, tanquam in re omnino certa, obscurè cognita. Quando autem vrgeris, vnde cognoscis reuelasse Deum? respondere teneris id te cognoscere obscurè ex ipsamet reuelatione ab Ecclesia proposita; ita vt propositio non sit ratio formalis assentiendi, sed conditio sine qua non diuinæ reuelationi assensum præberes, & sic vitatur circulus, & processus in infinitum.

Obiicio secundò, cùm Deus Apostolis, vel Prophetis mysterium aliquod primò reuelauit, ipsi Apostoli, vel Prophetæ reuelato mysterio assensum præbuerunt fide diuina; quia illa reuelatio non fuit clara mysterij cognitio, sed obscura. At talis assensus diuinæ reuelationi non nititur; quia suppono illam reuelationem primam esse, quæ non potest esse, sui ipsius obiectum. Ergo iam fidei diuinæ obiectum, non est diuina reuelatio.

Respondeo actum illum reuelationis, quo primum mysterio reuelato assentitur Propheta, non esse actum fidei, etsi sit obscurus, ob ratione dictã; quia assentitur mysterio in se, & non vestito reuelatione; reducitur tamen ad fidem ob eius obscuritatem. At si Propheta alio actu reflexo mysterio sibi reuelato credit, quia sibi est reuelatum, tunc actum fidei eliciet.

Tertiò obiicio. Reuelatio diuina ideo est infallibilis, quia Deus est summa sapientia, & bonitas, qui nec fallere, nec falli potest. Ergo in Deum, quatenus talis est, debet resolui nostræ fidei infallibilitas.

Respondeo negando consequentiam. Aliud enim est, quærere, quare Deus sit infallibilis; & hoc fateor esse, quia est summè bonus, & sapiens: aliud autem quærere, cui rationi infallibili fides diuina assentiatur, & hæc non est diuina bonitas, & sapientia; cùm fides non assentiatur reuelatis, nisi quia à Deo reuelata sunt; suppono tamen reuelationem Dei esse omnino infallibilem, quia à Deo summè bono, & sapienti procedit.

Quartò obiicio. Plures sunt reuelationes singularibus personis factæ, quæ non videntur esse obiectum formale fidei, aliàs Ecclesiæ propositio necessaria non esset ad credendum.

Respondeo omnes reuelationes esse obiectum formale fidei, quia nituntur authoritati Dei, qui nec fallere, nec falli potest. Idem enim est, qui singularibus personis reuelat, ac qui reuelauit Prophetis, Apostolis, &c. Ergo eadem est in omnibus reuelationibus authoritas, & veritatis fundamentum; & ita tenet Vega *lib.* 9. *in Trident. cap.* 3. Bellarmin. *lib.* 3. *de iustificat. cap.* 3. Malder. 2.2. *quæst.* 1. *art.* 1. *sect.* 5. Turria. *disput.* 5. *dub.* 1. Ægidius Coninch *disput.* 9. *de fide, dub.* 6. *num.* 87. Thomas Sanchez *lib.* 2. *in Decalog. cap.* 7. *num.* 32. Vt tamen personæ, quibus non est facta reuelatio, eliciant actum fidei, indigent propositione Ecclesiæ, vt de illis moraliter constet; qua deficiente, etsi ex se obiectum fidei sit reuelatio fidei, actus non valet terminare, sicuti ignis esto virtutem habeat producendi ignem, requirit tamen approximationem passo, tanquam conditionem, vt de facto ignem producat.

3 Sed inquires, an propositio Ecclesiæ, miracula, & sanctitas fidelium, intrent in obiectum formale fidei?

Requiri Ecclesiæ propositionem ad fidem ab omnibus in confesso est; iuxta illud ad Roman. 10. *Quomodo credent ei, quem non audierunt: aut quomodo audiunt sine prædicante?* & tandem concludit: *Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* Et ratio est; quia de mysteriis reuelatis, déque ipsa reuelatione nobis aliunde constare non potest: ideóque Christus Dominus hoc medium instituit ad fidem propagandam.

4 Aduerto tamen hanc propositionem Ecclesiæ, quam diximus esse necessariam ad acceptandam fidem, non esse reuelationem aliquam, si fortè daretur factam Ecclesiæ, vel Pontifici de veritate aliqua credenda; talis enim assensus, seu reuelatio non est ex fide, sed potiùs fidei obiectum constituit, & ad donum prophetiæ pertinet, vt rectè expendit Valent. 2.2. *disp.* 1. *quæst.* 1. *punct.* 1. §. 6. *pag.* 30. & 31. Sed propositionem Ecclesiæ dico esse illam manifestationem, qua Pontifex ex speciali Spiri-

tus sancti assistentia manifestat, & proponit veritates aliquas iam Ecclesiæ reuelatas credendas fidelibus. Illa ergo propositio, est conditio requisita ad fidem, non obiectum fidei.

Quòd si dicas, illa manifestatio, & propositio est infallibilis. Ergo est obiectum fidei.

Respondeo esse quidem infallibilem, & obiectum fidei non formale, sed materiale; sicuti quælibet alia veritas reuelata est obiectum materiale fidei, non formale; formale autem solum est reuelatio, materiale quidquid reuelatum est; cùm verò sit reuelatum propositionem Ecclesiæ esse infallibilem, iuxta illud dictum Petro, *Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua*, efficitur sanè infallibilitatem propositionis ad obiectum materiale fidei pertinere.

Aduerto secundò non esse necessarium ab omnibus æquè cognosci hanc Ecclesiæ propositionem; alij enim confusè, alij distinctiùs cognoscunt: rudibus enim hominibus simplex suorum maiorum propositio sufficit, atque adeò satis confusè & implicitè propositio Ecclesiæ repræsentatur. sic Valentia *suprà*, §.6. *fine*.

5 Requiritur præterea regulariter ad credendum, imò & ad fidem retinendam alia motiua, scilicet miracula, patientia martyrum, sanctitas fidelium, & similia: at non intrant in obiectum formale fidei. sic Valentia ex communi sententia *suprà* §.7. *&* 8. Priorem partem probo; quia reuelatio, quam dicimus esse formale obiectum, & infallibilitas propositionis Ecclesiæ, nobis obscura sunt, sicut & quilibet alius articulus. Ergo indiges, vt mouearis ad credendum diuinæ reuelationi, & infallibilitati propositionis Ecclesiæ aliquibus rationibus, & motiuis. Neque obinde fit in hæc motiua fidem resolui, quia hæc motiua non sunt obscura, sed clara, clarè enim cognoscitur sanctitas fidelium, & patientia martyrum. Ergo in rem claram, non poterat fides, quæ obscura est, resolui. Et præterea, quia per illa miracula Deus non loquitur, sed locuta confirmat. Ergo non sunt obiectum fidei, esto ad recipiendam fidem conducant. Quod aliunde confirmatur exemplo Samaritanorum *Ioan*.4. qui ex dicto mulieris affirmantis dixisse sibi Christum omnia, quæ acciderant, moti sunt ad fidem recipiendam.

PVNCTVM III.

An diuina reuelatio, quæ est obiectum formale fidei, habeat omnimodam certitudinem.

1 *Proponitur dubitandi ratio.*
2 *Nunquam Deus potest alicui falsum manifestare.*
3 *Soluitur dubitandi ratio.*

1 Ratio dubitandi est; quia non videtur repugnare Deum mouere intellectum creatum ad falsum aliquem assensum: tum quia assensus falsus non est peccatum: tum quia est quædam entitas physica, quæ à Deo causatur, & producitur simul cum intellectu creato: tum quia inde non infertur Deum absolutè mentiri; quia mentiri est dicere aliquid aliter, quàm habetur in mente: at cùm Deus falsum iudicium creato intellectui imprimeret, non diceret aliud, quàm habet in mente; quia ipse non dicit: non enim per tale iudicium ipse Deus dicit, sed homo est, qui dicit, & loquitur. Ergo. Tum denique, quia fides esse potest causa saltem mediata assensus falsi, vt contingit in hoc discursu: Quidquid Deus reuelat, credi debet fide diuina; sed Deus reuelauit Christum non esse Deum. Ergo fide diuina credendum est non esse Deum. Ecce falsissimum consequens illatum ex vna propositione de fide, & altera falsa. Ergo saltem mediatè ad assensum falsum potest Deus concurrere.

2 Nihilominus tenendum est tanquam omnino certum, Deum non solùm de potentia ordinaria, sed neque de potentia absoluta posse falsum alicui manifestare, & erroneum conceptum intellectui creato imprimere. sic D.Thomas 2.2.*quæst*.1. *artic*.3. & omnes eius expositores. Valent. *punct*. 2. *conclus*.2. Vasquez *art*.3. *conclus*.1. Coninch *disput*.10.*dub*.1.*conclus*.2.*num*.5. *&* *dub*.2. *conclus*.1.*&* 3. Turria. *disput*.3. *dub*.1.*&* 2. Conclusio duplici ratione probari potest. Prima & à priori, quia Deo conuenit summa, & infinita authoritas ad persuadendum, vt eius dictis fides adhibeatur: at si Deus fallere aliquem posset, non haberet summam, & infinitam authoritatem, ad persuadendum, vt suis dictis fides adhibeatur; maior enim excogitari posset in eo, qui nullo modo fallere posset. Ergo. Secunda ratio à posteriori est, quia inde sequeretur fidem nostram nullam firmitatem habere. Nam cùm omnis eius firmitas in diuina reuelatione fita sit, si hæc falsa esse posset, quæ firmitas in fide haberetur? Vnde enim constare cuilibet posset in tali, vel tali reuelatione vsum non fuisse Deum sua omnipotentia, & falsum pro vero reuelasse? Quapropter Scriptura *ad Rom*. 3. *&* *Num*.23. aliter de Deo, ac de homine loquitur; & de homine dicit esse mendacem, non quia omnis homo mentiatur, sed quia potest mentiri: at de Deo econtra dicit esse veracem, hoc est, taliter verum esse, vt nequaquam mendacium, & falsum dicere posset; aliàs si mentiri posset, & fallere, æquè esset mendax, & fallax, ac verax.

3 Neque obstat ratio dubitandi. Nego enim non implicare contradictionem. Et

Ad primam probationem admitto assensum falsum peccatum non esse, nego tamen mouere ad illum non esse peccatum, quia est contra rectam rationem; recta enim ratio dictat neminem esse decipiendum, etsi deceptio permitti posset.

Ad secundam probationem dico, ex eo quòd ipse Deus hominem deciperet mouendo ad assensum falsum, manifestè inferri mentiri, quia esto ille homo interiùs loquatur per iudicium illud falsum: at ipse Deus exteriùs per tale iudicium loquitur; & ipsi Deo, tanquam authori præcipuo tribuitur, & cùm loquatur aliter, quàm habet in suo diuino intellectu, mentitur; aliàs si Deus per reuelationes factas Prophetis non diceretur loquutus, falsò assereret Paulus ad Hebr. 1. *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens in Prophetis, nouissimè diebus istis locutus est nobis in filio*, &c.

Ad tertiam probationem respondeo assensum fidei diuinæ causare assensum conclusionis falsum; non ratione sui, sed ratione falsæ præmissæ, quæ ei adiungitur. quia cùm conclusio sequatur debiliorem partem, & vna ex præmissis falsa sit; ipsa potest in consequens falsitatem deriuare. Per se autem nullo modo causat assensus fidei conclusionem falsam, sed solùm occasionaliter, sicut ait Coninch *disput*.10. *dub*.4. *num*.82. Si iaceres sagittam in scopum, & Petrus illam deflecteret, vt Ioannem occideret; occisio Ioannis non potest dici à te per te causata, sed potiùs à Petro, qui sagittam deflexit. sic in præsenti.

PVNCTVM IV.

Quod, qualéque sit obiectum materiale fidei.

Obiectum materiale voco, quidquid fide diuina credendum est: credi autem debet, quidquid à Deo fuerit reuelatum. Quod tamen hoc sit, paucis explicabo.

§. I.

§. I.

Sitne obscuritas de ratione obiecti fidei.

1 *Hoc obiectum debet esse non visum.*
2 *Stante cognitione euidenti de aliquo obiecto, qui teneant te non posse de illo habere fidem.*
3 *Probabilius est oppositum.*
4 *Satisfit contrarijs rationibus.*

1 VT certa ab incertis separemus, certum est apud omnes Doctores Catholicos obiectum fidei, quatenus fidei est, esse non visum, id est, per fidem ipsam non videri, neque euidenter cognosci; constat ex Paulo *ad Hebr.* 11. ibi, *Fides*, inquit, *est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* quæ sanè verba saltem in sensu formali vera esse debent. Item ad credendum fide diuina requiritur specialis motio Spiritus sancti. Trident. *sess.* 6. *cap.* 6. at ad credendum, & assentiendum obiectis euidentibus hæc motio non requiritur. ergo.

2 Quare difficultas solùm est, an stante cognitione euidenti de aliquo obiecto possis illius habere fidem?

Plures Doctores negant. sic D. Thomas 2. 2. *quæst.* 1. *art.* 4. & 5. & ibi Caietan. & Bannes, Scotus *in* 3. *dist.* 24. *quæst. vnica*, §. *ad quæstionem, in fine*, & §. *si aliter loquamur.* Rich. *ibi quæst.* 5. Capreol. *dist.* 25. *quæst. vnica*, *art.* 2. *conclus.* 1. & 2. Mouentur primò, quia ea quæ euidenter cognoscuntur, absolutè apparent; ergo cùm fides sit non apparentium, vt ait Apost. esse non potest de euidentibus. Secundò de ratione fidei est, vt ita reuelatis assentiaris, vt possis eis dissentire, quia aliàs meritorius actus non esset: at si euidentiam illorum habeas, dissentire nequaquam potes. Ergo fides cum euidentia compati non potest. Tertiò scientia, & opinio de eodem obiecto non videntur esse posse simul, quia nequis eidem obiecto cum formidine, & sine formidine assentiri; sed non minus pugnant euidentia, & ineuidentia. Ergo fides cum euidentia esse non potest. Quartò ideo in Beatis non datur fides, quia Deum vident facie ad faciem. Ergo cum euidentia stare fides non potest.

3 Nihilominus probabilius existimo te credere posse fide diuina omnia illa mysteria, quorum euidentiam habes, atque adeò fidem cum scientia compati posse. sic Albertus Magnus *in* 3. *distinct.* 24. *art.* 9. & ibi Bonauent. *art.* 2. *quæst.* 3. Gabr. *quæst. vnic. art.* 2. *conclus.* 3. Valentia alios referens *tom.* 3. *disput.* 1. *quæst.* 1. *punct.* 4. *pag.* 64. Suarez *tom.* 2. *in* 3. *p. disput.* 19. *sect.* 2. *in fine.* Coninch *de fide, disput.* 11. *dub.* 1. *conclus.* 2. *num.* 15. Ratio est, quia plura proponuntur credenda fide diuina, quorum euidentiam habere potes, videlicet Deum esse vnum, esse sapientem, esse fidelem, & potentem promissa adimplere, & similia: sed ex horum cognitione euidenti impediri non potest fidei exercitium, aliàs deterioris esset conditionis homo doctus indocto. Ergo. Minorem probo. Nam accedentibus ad Deum, siue doctis, siue indoctis, proponitur fide diuina credendum; *quia est, & quia inquirentibus se remunerator sit*, ad Hebr. 11. Sed posset eò tingere, quòd saltem de esse Dei quis euidentiam habeat. Ergo talis euidentia obesse ei non potest, quo minus fide diuina id ipsum credat.

4 Non obstant argumenta apposita. Concedo ea, quæ euidenter cognoscuntur esse apparentia non vndequaque, sed ex vi illius cognitionis, qua euidenter cognoscuntur; cùm autem cognoscuntur ex alia obscura, & ineuidenti, apparentia non sunt. Quocirca cùm Apostolus dicit fidem esse argumentum non apparentium, intelligendus est formaliter, hoc est, esse argumentum non apparentium ex vi talis cognitionis, & secundùm rationem, qua ipsa nititur: & in hoc sensu explicandus est Augustinus *tractat.* 40. *in Ioannem*, vbi dicit, Quid est fides, nisi credere, quod non vides? Fides ergo est, quod non vides, credere; veritas, quod credidisti, videre. & *tractat.* 79. *in Ioannem*, hæc est laus fidei; si quod creditur, non videtur; intelligendus enim est formaliter, & ex vi rationis, qua ipsa fides nititur. Similiter etiam explicandus est Gregorius *homil.* 26. *in Euangel.* cùm dicit, neque fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum; non habet, inquam, meritum ex experimento, sed ex reuelatione, qua nititur.

Ad secundum nego de ratione fidei esse, vt possis reuelatis dissentire absolutè, sufficit, si possis eis dissentire ex vi illius rationis, qua ipsa fides nititur. Item ad libertatem, & meritum non requiritur potentia ad dissentiendum; sufficit, si potentiam habeas ad non assentiendum, vt rectè explicuit Coninch *disput.* 13. *dub.* 4. *num.* 38.

Ad tertium nego scientiam, & opinionem simul esse non posse: cùm enim sub diuersa ratione procedant, nulla inuenitur repugnantia. Quod autem ex Durand. notat Valentia 2. 2. *disput.* 1. *quæst.* 1. *punct.* 4. §. *ac potest*, *pag.* 66. scilicet assensum opinatiuum, & scientificum, & assensum scientificum, & supernaturalem fidei sola ratione differre, mihi non probatur: sicuti neque Suarez *disput.* 3. *de fide, sect.* 9. *à num.* 7. Non enim intelligere possum, qua ratione idem assensus possit falsò subesse, & non subesse, & esse euidens, & euidentia carere, etsi sub diuersa ratione feratur. Adde si realiter idem esset assensus opinatiuus, & scientificus, & assensus scientificus, & fidei diuinæ; assensus opinatiuus rationem formalem obiectiuam fidei attingeret, quia necessaria esset illius cognitio. Ergo implicat esse opinatiuum, hoc est, de se incertum, cùm diuino testimonio nitatur, etsi simul nitatur ratione humana.

Ad quartum dico in Beatis non dari fidem, quia loco fidei supernaturale lumen gloriæ succedit, quod nequaquam contingit viatoribus. Adde in hac vita solùm posse euidentiam haberi de aliquibus obiectis, quæ per fidem diuinam creduntur, non de omnibus. Ergo erat necessaria fides tum pro illis, quæ naturali lumine cognosci non possunt, tum etiam pro illis, quæ per euidentiam cognoscuntur, vt illorum cognitio meritoria sit.

§. II.

Sitne obiectum fidei euidenter credibile.

1 *Varijs rationibus probatur obiectum fidei esse euidenter credibile.*
2 *Proponuntur variæ obiectiones, & fit illi satis.*
3 *Non est necessarium, vt quis fide diuina credat cognoscere euidenter fidei credibilitatem.*

1 LIcèt obiectum fidei obscurum sit, & ineuidens: at esse euidenter credibile mihi indubitatum est. Varijs rationibus hæc veritas comprobatur à Doctoribus. latè eas congerit Valent. *disp.* 1. *quæst.* 1. *punct.* 4. Bannes *art.* 4. *dub.* 4. Coninch *disput.* 11. *de fide*, *dub.* 3. Præcipua est, quæ sumitur, tum ex prophetia, tum ex miraculis; tum ex stabilitate religionis, tum ex sanctitate eorum, qui eam profitentur. Et primò ex prophetia non leue argumentum sumitur esse euidenter credibilem nostram fidem; siquidem multis antea sæculis pronuntiata sunt à Prophetis, quæ Christo contigerunt; vt rectè expendit Prosper *lib. de prædictionibus, & promissionibus Patriarcharum.* & Eusebius Cæsariens. *in lib. de Euangel. demonstrat.* Augustinus *lib.* 18. de

de ciuitate Dei, *cap.23*. Clemens Romanus *lib.5 constit. Apost. cap.6.* at contingentia futura non possunt certò prædici, nisi à Deo. Ergo à Deo sunt hæc contingentia prædicta. Ergo euidens est fidem illis esse adhibendam. Secundò ex miraculis constat fidem nostram dignam esse præ omnibus aliis sectis creditu; quia nulla est secta, in cuius confirmationem similia miracula patrata sint; non enim mortui sunt resuscitati, neque cœci illuminati, sicuti passim factum est in confirmationem nostræ religionis. Ergo nostra religio euidenter est credibilior. Neque enim credi potest Deum in confirmationem falsitatis tot miracula patraturum; aliàs obiicere ei possent fideles se ab illo esse deceptos, vt benedixit Richard. Victorin. *lib.1. de Trinit. cap.2.* Quòd si omnia miracula proteruè neges, negare non potest esse maximum miraculum, tot regna, & prouincias suscipere religionem Christianam absque miraculo: sicuti expendit August. *lib.22. de ciuit. Dei*, *cap.5.* Tertiò ex stabilitate religionis, contra quam neque Reges, nec Principes tyranni, neque hæretici, neque idolorum cultores, neque Philosophorum argutiæ, neque portæ inferni potuerunt, neque poterunt præualere. Quod non leue argumentum est diuinæ potentiæ iam vt sibi propriam defendentis. Quartò sumitur euidens credibilitas nostræ fidei ex sanctitate eorum, qui eam profitentur, & ex constantia Martyrum, qui pro ea passi sunt. Quæ enim secta est, aut fuit in mundo, quæ tot viros, & fœminas angelicam vitam degentes habuerit, tot fuerit Martyribus illustrata, tot præclaris hominibus decorata? Ergo euidens est hanc esse à Deo hominibus datam viam, vt possint ad finem æternitatis peruenire.

2 Sed obiicies primò. Si hæc argumenta probant fidem nostram esse euidenter credibilem, probant etiam esse euidenter veram, quia non alia via probamus veritatem nostræ fidei, quàm supradictis motiuis, & argumentis. Si igitur illa probant euidenter dignam esse creditu, probant euidenter veram esse. Atqui euidentia esse non potest in fide. Ergo hæc argumenta non probant euidenter eius credibilitatem.

Respondeo, etsi supradictis rationibus, & motiuis, veritas nostræ fidei probetur, non tamen eodem modo probatur, ac probatur eius credulitas; eius enim credulitas euidenter probatur, non sic veritas. Et ratio differentiæ est, quia credibilitas consistit in eo, quòd digna sit creditu: at res, quæ in se ineuidens est, & contingens, potest euidenter esse digna creditu. Ergo stare optimè potest euidentia credibilitatis, absque euidentia veritatis. Ergo rationes probantes euidentiam credibilitatis, non probant euidenter rem ita esse; sed obscuram, & ineuidentem, & qualis in se est, relinquunt.

Obiicio secundò. Si supradictæ rationes euidenter persuadent fidem esse sequendam, quomodo tot hæretici, & pagani, quibus hæ rationes proponuntur, illam reiiciunt?

Respondeo illam reiicere: tum quia supradictarum rationum efficaciam non callent malitia, & prauis moribus excæcati, iuxta illud Sapient. 2. *Excæcauit eos malitia eorum.* & 2. Corinth. 4. Deus huius sæculi excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat in eis illuminatio Euangelij gloriæ Christi: tum quia etsi vim rationum percipiant, malitia tamen, & affectu erga se, aut erga suos magistros nolunt illam acceptare.

Obiicio tertiò. Supradictæ rationes ad summum probant omnia, quæ per fidem proponuntur, digna esse creditu: at esse digna creditu fide diuina non videntur probare. Ergo non sunt mysteria fidei euidenter credibilia fide diuina.

Respondeo non solùm probare supradictas rationes mysteria fidei esse digna creditu, sed esse digna creditu fide diuina. Quia probant esse mysteria reuelata à Deo, quibus meritò cordatus, & prudens debet assentiri, non tamen est euidens, fide diuina te assentiri.

3 Aduerto tamen non esse necessarium, vt quis fide diuina credat, euidenter cognoscere eius credibilitatem; sufficit, si aliquo modo eam cognoscat: hac enim ratione rudes, & ignorantes à maioribus instructi assentiuntur mysteriis fidei, quia sibi persuadent in re graui non esse decipiendos; quæ tamen persuasio non constituit euidentiam credibilitatis fidei, esto ex illa aliqualiter deduci possit. sic Valent. *disput.1. quæst.1. punct.4. fine, pag.96.*

§. III.

Quæ sint obiecta fidei.

1 *Nullum est aliud præter contentum in symbolo Apostolorum, sacris litteris, & Apostolicis traditionibus.*
2 *Proponitur obiectio, & fit satis.*
3 *Nulla veritas Ecclesiæ credenda proponitur fidelibus ad salutem necessaria, quæ Apostolis incognita fuerit.*
4 *Proponitur obiectio ex varijs Scripturæ locis.*
5 *Fit illi satis.*

1 Breuiter respondere possumus esse ea, quæ in symbolo Apostolorum, sacris litteris, & Apostolicis traditionibus continentur. Neque alia successu temporis fidelibus credenda proponuntur, vt satis colligitur ex Trident. *sess.4.* Nam licèt Ecclesia in dies illuminetur propositione, & explicatione plurium veritatum, quæ antea erant incognitæ, & abstrusæ; non tamen illuminatur in aliqua veritate, quæ in sacris litteris, traditionibúsque Apostolicis contenta expresè, vel virtualiter non sit. Et ratio est manifesta, quia aliàs diminutè Christus Dominus processisset, si suis discipulis, & magistris totius orbis necessariò credenda ad salutem non manifestaret. sic D. Thomas communiter receptus 2. 2. *quæst.1. artic.7.* & ibi Caietanus, & Bannes, Valentia *disput. 1. quæst. 1. punct. 6. præcipuè ad 3.*

2 Neque obstat Ecclesiam habere authoritatem non solùm definiendi, & explicandi aliqua esse reuelata; sed etiam proponendi fidelibus ea, quæ denuò reuelata sunt. Quia licèt Ecclesia gaudeat prærogatiua nouas reuelationes recipiendi, vt testatur Valent. *punct.1. & punct.6. ad 3.* quod Bannes *art. 7. conclus.1. in fine*, non placet; existimat namque Ecclesiam non indigere nouis reuelationibus, sed solùm gaudere assistentia Spiritus sancti in explicatione eorum, quæ reuelata sunt, non tamen gaudere prærogatiua recipiendi reuelationem de aliquo mysterio, quod Apostolis, & Ecclesiæ magistris reuelatum non sit; atque adeò semper verum est eadem esse obiecta fidei, neque in dies augeri.

Neque etiam obstat plures fieri posse reuelationes à Deo de rebus contingentibus, tum Pontifici, tum aliis singularibus personis, quas diximus terminare posse fidem, si ab Ecclesia proponerentur credendæ; quia hæc non sunt obiecta fidei necessaria ad salutem in singulari; nisi quatenus vestiuntur authoritate Pontificis, quem credere debemus errare non posse in propositione earum rerum, quas ad salutem animæ conuenientes esse definit. Hac ratione credendum nobis est Sanctos canonizatos esse in cœlis, religiones has approbatas esse viam securam ad salutem.

Neque obinde fit alia esse obiecta fidei, quæ in sacris litteris non contineantur virtualiter; continentur enim omnia hæc obiecta in sacris litteris, non in singulari, & expresè, sed virtualiter, & per euidentiam consequen

sequentem: cùm enim in sacris litteris contentum sit errare non posse Pontificem in declaratione eorum, quæ ad mores vniuersales Ecclesiæ proponit, & ipse proponat Sanctum aliquem colendum vt beatum, & in cœlis degentem, & religionem aliquam, vt securam salutis viam; efficitur sanè hæc omnia sacris litteris virtualiter contineri.

3 Ex hac doctrina fit primò nullam ab Ecclesia veritatem fidei credendam fidelibus proponi, de his quæ pertinent ad salutem, quam Apostoli clariùs, & expressiùs non cognouerint. sic D.Thomas 1.2.*quæst.*106.*artic.*4.*ad* 1.*&* 2.2.*quæst.*11.*art.*10. Bannes 2.2.*quæst.*1.*artic.* 7. *dub.*2. vbi contrarium asserere erroris notâ inurit. latè probat VValden. *lib.* 2. *doctrinalis fidei*, *cap.*22. *&* 23. *can.lib.*2.*de locis*, *cap.*7. *& lib.*4. *cap.*4. Alphons.à Castro *in sua summ. lib.*1. *cap.*8. Valent. *disput.*1.*quæst.*1. *punct.*6. §.*his non obstantibus*, *&* §.*ad* 3.*pag.*101. Videtur manifestè probari ex illo Ioan.14. *Paraclitus, quem Pater mittet in nomine meo, ille vos docebit omnia*, &c. & Ioan.15. *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis*, & Ioan.16. *Cùm venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Si igitur aliqua veritas necessaria ad salutem superesset, quam Spiritus sanctus Apostolos non doceret, fallax esset Christi promissio. quod absit.

4 Dices. Spiritus sanctus, cùm super Apostolos descendit, non docuit illos omnem veritatem absolutè, sed quæ visa fuit pro illo tempore necessaria: at successu temporis aliam, & aliam veritatē eis manifestauit. Ergo ex illis locis non satis infertur Apostolis omnem veritatem fidei esse manifestatam, sed esse manifestatā, quæ pro illo tēpore necessaria erat. Antecedens probari potest tum ex illo *Act.*10. vbi Petrus, & alij Apostoli nō videntur satis cognouisse admitti posse incircumcisos ad fidem: à quo dubio, seu ignorantia liberati sunt visione illius lintei de cœlo in terram missi, in quo erant quadrupedia, &c. & voce facta: *Occide, & manduca*, tum ex *cap.seq.* vbi reliqui Apostoli, & fideles increpabant Petrum, quare introierit ad viros incircumcisos, & manducarit cum eis? Ipsique Apostoli, etsi dispersi fuerint per varias regiones occasione exortæ persecutionis; post mortem Stephani non ausi sunt fidem Gentibus prædicare, sed solùm Iudæis. Tum etiam *Actorum* 15. magna fuit contentio in Concilio illo congregato Hierosolymis, an Gentiles admittendi ad fidem circuncidi deberent; qui quiescere non potuerunt, quousque Petrus dixit, visum est Spiritui sancto, & nobis nihil imponere, &c. at veritas hæc summè ad salutem pertinebat. Ergo non omnem veritatem ad salutem Spiritus sanctus Apostolis manifestauit, cùm super illos descendit.

5 Responderi primò posset admittendo Apostolos non fuisse plenè instructos in omni veritate ad salutem necessaria, cùm super illos Spiritus sanctus descendit, sed non obinde sequitur, non verificari Spiritum sanctum, cùm descendit, docuisse illos omnem veritatem: docuit namque illos omnem veritatem, non in illomet instanti, in quo visibilis apparuit, sed in reliquis, in quibus inuisibilis apud illos extitit. Cui explicationi fauet communis modus loquendi; scribis enim amico te missurum nuntium, qui cùm venerit, certiorem faciet de omnibus, quæ tibi acciderunt: non tamen ad veritatem huius propositionis requiritur, vt cùm primùm nuntius peruenerit, omnia, quæ tibi acciderunt, narret: sufficit si paulatim amico manifestat. sic in præsenti.

Secundò & probabilius respondeo negando antecedens, & ad probationem dico, Petrum non fuisse instructum legales cæremonias necessarias non esse, sed fuisse instructum, qua ratione se à Iudæis illum oppugnantibus defenderet. Item fuisse instructum in particulari, quos debebat tunc admittere, quidve illa visio significaret. Nam licèt clarè cognouisset circumcisionem necessariam non esse, & legales ceremonias iam non obligare, omnésque Gentiles ad fidem admitti posse: at nescire poterat, an hîc, & nunc admittendi essent ob scandalum pusillorū, à qua dubitatione liberatur visione illa. Neque obstant huic expositioni illa verba Petri, *In veritate comperi, quòd non sit personarum acceptor Deus*, &c. quasi ante illam visionem non compertsset acceptare Deum Gentes, sicut & Iudæos; compertum enim habebat; sed non ex illo facto: sicuti Deus Abrahamo volenti sacrificare Isaac dixit: *Nunc cognoui, quòd timeas Dominum*, quia ex illo facto cognouerat, etiamsi aliunde cognitum haberet. Quòd verò Apostoli non ausi fuerint Gentibus prædicare, non probat intellexisse Gentes excludi à susceptione Baptismi, sed ad summum probat non iudicasse illo tempore esse conueniens illis fidem manifestare, quòd multis rationibus id iudicare poterant. Ad illud verò de contentione Apostolorum super circumcisionem ferè omnes Pontifices ex Græcis testantur fuisse simulatam contentionem, vt omnes illi, qui legalium obseruationem prætendebant, obmutescerent, videntes Petrum sententiæ Pauli acquiescere, & quasi delictum suum recognoscere, in prætensione à se habita de obseruatione circumcisionis.

PVNCTVM V.

An obiectum fidei indigeat Ecclesiæ propositione, & quam efficaciam, & authoritatem habeat Ecclesia in obiecto fidei proponendo.

GRauissima est hæc difficultas, ideóque per partes examinanda est, sed non ita latè, ac multi recentiores.

§. I.

Quid sit Ecclesia, & quæ eius proprietas.

1 *Varijs modis Ecclesia sumitur latè, & strictè. Quid vtrumque.*

2 *Catechumeni non sunt propriè Ecclesiæ membra, bene tamen hæretici, excommunicati, & peccatores baptizati.*

3 *Proprietates Ecclesiæ sunt septem. Et explicantur.*

4 *Congregatio fidelium Romano Pontifici obediens est vera Ecclesia.*

1 PRæmittenda est cognitio Ecclesiæ, antequam eius authoritatem inuestigemus. Ecclesia ergo variis modis sumitur. Primò vniuersalissimè pro qualibet collectione Deum venerante, vti sumitur ab Apostol. *ad Ephes.*1.*&* 5.*cap.* comprehendente collectionem hominum, & Angelorum, & viatores, & beatos. Secundo modo pressiùs sumitur pro congregatione fidelium, seu qui fidem in Deum profitentur. Et hoc modo eadem est Ecclesia, quæ fuit ab initio mundi, & quæ modò est; sed quia hæc professio fidei diuersimodè habetur post Christi aduentum, ac antea, ideo Ecclesia post Christi aduentum definitur: vt sit congregatio fidelium, seu eorum, qui fidem Dei sub speciali sacramentorum signo, & sub eodem capite profitentur. Constat hæc definitio ex *cap. Ecclesia, distinct.*1. *& cap. firmiter, de summa Trinitate, & fide Catholica.* & tradit alios referens Bannes 2.2.*quæst.*1.*art.*10.*in comment. circa princ.* Valent. *disp.*1.*q.*1.*p.*7.*q.*4.§.14.

2 Ex hac definitione fit primò Catechumenos, etsi fidem firmatam habeant, non tamen esse propriè Eccle-

siæ membra, quia non profitentur fidem sub speciali sacramentorum signo, esto sint quoad meritum Ecclesiæ membra; merentur enim salutem, sicuti si intra Ecclesiam residerent. Secundò fit hæreticos & esse intra Ecclesiam, & extra Ecclesiam. Sunt intra Ecclesiam, quatenus sub speciali sacramentorum signo fidem aliquando professi sunt, & ratione illius professionis Ecclesia potest illos punire, & coërcere. Sunt tamen extra Ecclesiam: tum quia sunt extra vnionem inuisibilem cum Christo: tum quia reiiciunt fidem, in qua reliqui fideles conueniunt: tum quia Ecclesia illos eiicit à se, vt membra arida, & reliquo corpori damnosa. Tertiò fit peccatores, & reprobos baptizatos ad Ecclesiam pertinere, & illius membra esse, iuxta illud *Matth.* 13. vbi Ecclesia nomine regni cœlestis comparatur sagenæ missæ in mare ex omni genere piscium congreganti, habentíque bonos, & malos. Comparatur etiam decem virginibus, fatuis, & prudentibus. Item areæ habenti triticum, & paleas, & domui, in qua sunt vasa in honorem, & alia in contumeliam. Et ratio est manifesta: nam peccatores baptizati profitentur fidem eodem signo Baptismi, & aliorum sacramentorum, ac prædestinati. Neque in his video esse inter Catholicos controuersiam. Quartò fit excommunicatos ad Ecclesiam pertinere, & illius membra esse: tum quia esse possunt membra viua, & Christo Domino inuisibiliter vnita per charitatem, si contriti, & pœnitentes existant: tum quia non deserunt fidem, sed solùm excluduntur à participatione communi orationum, & suffragiorum Ecclesiæ.

3 Proprietates huius Ecclesiæ ad numerum septenarium reduci possunt, vt ex doctrina omnium Catholicorum constat: hæ sunt, quòd sit vna, sancta, Catholica, Apostolica, visibilis, ab Spiritu sancto gubernata, & extra quam salus esse non potest. Dicitur *vna*, quia est ab vno principio, scilicet Deo vocante, & ad vnum finem, nempe vitam æternam, & per vnica media, qualia sunt sacramenta: & sub vno capite, & pastore Christo, eiúsque vicario. Secundò est *sancta*, tum quia plures sanctos habet, etsi omnes, quos habet, sancti non sint. Tum quia eius caput præcipuum, sanctum est; scilicet Christus, Petrique vicarius, quatenus talis est; tum quia sanguine Christi sanctissimi est decorata, multiplicibúsque charismatum donis ornata, & in diuinum cultum spiritualibus præceptis, institutis, & sacramentis dedicata est: ita vt verum sit omnes illius partes sanctissimum cultum profiteri, etiamsi vitæ sanctitatem non profiterentur: ac denique, quia vocat nos omnes, vt sobriè, & iustè, & piè viuamus in hoc sæculo. Tertia est *Catholica*, id est, vniuersalis, tum ratione fidelium, qui eius membra sunt; recipit enim omnes, qui salutem velint consequi, siue Iudæus, siue Græcus, siue seruus, siue liber, siue masculus, siue fœmina: tum ratione loci, quia ad omnem locum extenditur, iuxta illud: *In omnem terram exiuit sonus eorum.* Tum ratione temporis, quia vsque ad finem mundi sine interruptione duratura est; sicut etiam ab initio aliqua Dei Ecclesia fuit. Neque obstat in passione Christi Apostolos scandalum passos esse, *Matth.* 26. quia non obinde sequitur dereliquisse fidem, sed solùm exteriùs illam non manifestasse. Neque obstat etiam in fine mundi ob persecutionem Antichristi dixisse Christum Dominum Lucæ 18. *Putas ne filius hominis veniens inueniet fidem in terra?* quia inde non sequitur aliud nisi in paucis esse fidem inueniendam, vt rectè D. Augustinus *lib. de vnitate Ecclesiæ, cap.* 13. Tum denique vniuersalis dicitur ratione doctrinæ, quæ vniuersaliter vera est, nullúmque errorem continet, neque continere potest. Quarta est *Apostolica*, tum quia ab Apostolis habuit initium, & ab illis per orbem terrarum propagata est: tum quia eorum doctrinam, & traditiones sequitur: tum quia eorum martyrio, & sanguine decorata est. Quinta est *visibilis*, id est, visu ipso cognoscibilis; cognosci enim potest euidenter esse in mundo aliquem hominum cœtum, ita Deum colentem, vt meritò vnusquisque debeat, etsi obscurè, & ineuidenter, at firma fide cognoscere esse veram Ecclesiam: quare euidentia non est an talis cœtus, & hominum congregatio rectè colat Deum; hæc enim euidentia pugnat cum illo articulo fidei, *Credo Ecclesiam sanctam Catholicam.* Sed euidentia est adesse in mundo talem cœtum, & congregationem, vt meritò vnusquisque debeat de illo credere fide diuina Deum ritè colere. Sexta proprietas est *assistentia diuini spiritus*, ob quam nec fallere, nec falli potest. Est enim Ecclesia, vt ait Apostolus 1. *ad Timoth.* 3. columna, atque firmamentum veritatis, à quo firmamento excludi debet omnis error, & ignorantia etiam inculpabilis. Aliàs non esset certa regula, si aliquando falli, aut fallere possit. Ex qua proprietate sequitur pastores, & Doctores omnes errare non posse; tum quia si hi possent errare, diceretur absolute Ecclesiam errare posse; quia cùm hi sint præcipua Ecclesiæ membra, ab illis Ecclesia denominanda est, iuxta doctrinam Aristot. *lib.* 9. *ethicorum, cap.* 9. Tum quia ex doctrina Apostol. *ad Ephes.* 4. hi dati sunt à Christo Domino, vt reliquos fideles doceant, ne circumferantur omni vento doctrinæ. Requiritur ergo, vt firmiter, & infallibiliter veritatem cognoscant, & doceant. Tum denique, quia si hi omnes errarent, totam Ecclesiam eorum error inficeret; quia reliqui fideles tenerentur superioribus viris, & Doctoribus obedire, iuxta illud Matth. 23. *Super cathedram Moysis sederunt Scribæ, & Pharisæi; omnia ergo quæcumque dixerint vobis, seruate, & facite.* Sed dices: Assistentia Spiritus sancti Petro tantùm, eiúsque successoribus promissa est, iuxta illud. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* & illud, *Ego pro te rogabo Petre, vt non deficiat fides tua.* Ergo non est promissa reliqui Doctoribus, & magistris. Ergo hi errare possunt.

Respondeo, cùm dicimus, omnes pastores, & magistros errare non posse, Pontificem, seu summum pastorem, & magistrum non excludimus. Si autem vt distinctos à summo Pontifice illos sumamus; etsi de fide non sit, non posse errare: at est theologicè certum nunquam erraturos, quia hoc pertinet ad specialem Dei prouidentiam, qua Ecclesiam regit, & gubernat. Vltima proprietas Ecclesiæ est esse *viam salutis*, neque enim extra Ecclesiam salus esse potest: qua ratione D. Petrus 1. *epist. cap.* 3. eam cum arca Noë comparauit. Ratio autem est manifesta; quia nemo potest salutem consequi, nisi qui Christi membrum fuerit, & cum illo per fidem, & charitatem vnitus: sed qui est voluntariè extra Ecclesiam, non vnitur Christo; sed potiùs à Christo separatur. Ergo salutem consequi non potest, sed erit tanquam palmes extra vitem, qui solum igni deseruit. De his autem proprietatibus videndus est Cardinalis Turrecremata in illo satis erudito lib. suæ summæ *de Ecclesia, à princ. lib.* 1. & Melchior Cano *lib.* 3. & 4. *de locis.* VValden. *lib.* 2. *de doctrina fidei.* Bannes 2. 2. *q.* 1. *art.* 10. Valent. *disp.* 1. *q.* 1. *p.* 7. *à* §. 16. & alij relati ab eisdem.

4 Sed inquires, an hæ proprietates soli congregationi obedienti Romano Pontifici pro tempore existenti conueniant, ipsáque sola vera Ecclesia sit?

Respondeo de fide esse solam congregationem Romano Pontifici pro tempore existenti obedientem veram Ecclesiam esse, haberéque omnes supradictas proprietates: quod probari facilè potest, discurrendo breuiter per singula. Est enim *vna*, quia ab vno, scilicet Christo, Deo, & homine, & sub vno capite, & in vnum finem, nempe gloriam, & sub certis mediis, præceptis, sacramentis, & sacrificiis instituta est. Secundò est *sancta*,

sancta, quia plures Sanctos continet, & quia Sanctos efficit, & quia habet sacramenta, & media ad salutem sanctissima. Tertiò est *Catholica*, siquidem per omne tempus idem docet, & docebit, iuxta illud Apost. 2. ad Corinth. 1. *Fidelis Deus, quia sermo noster, qui fuit apud vos, non est in illo, est, & non, sed est in illo, fuit.* quasi diceret, non est in illo inconstantia vlla, aut mutatio; sed firmiter idem perseuerat, vtpote fundatum super firmam petram, aduersùs quam portæ inferi non præualebunt. Est etiam Catholica; quia omnes quotquot volunt Christo vniri, in se recipit, neminem excludens. Quartò est *Apostolica*, quia sequitur doctrinam Apostolorum, etiam si typis mandata non sit. Quintò est *visibilis*, quia visibiliter apparet esse congregationem, quam meritò credere fide diuina debemus colere Deum, & quia sub visibilibus sacramentis, & visibili cultu est instituta. Sextò habet hæc congregatio sub Romano Pontifice militans diuini Spiritus assistentiam, & protectionem; quod non leuiter colligitur ex eo, quòd semper eadem perseuerat, nec circumfertur vento doctrinæ. Ex quibus tandem concluditur esse viam vnicam salutis; quæ omnia sectis hæreticorum conuenire nullo modo possunt, sed solùm Ecclesiæ Romanæ, vt expendenti facilè patebit, & latè, & eruditè prosequitur Valent. *disp. 1. q. 1. p. 7. à §. 20.*

§. II.

An Romanus Pontifex regula sit infallibilis veritatis, ita vt errare nullo modo possit in rebus fidei proponendis.

1 *In Ecclesia necessariò constituenda est regula infallibilis.*
2 *Hac regula non est sola sacra Scriptura.*
3 *Petro, & eius successoribus commisit Christus regimen Ecclesiæ.*
4 *Hac regula infallibilis in nullo alio præter Romanum Pontificem residet.*
5 *An errare possit in articulis fidei proponendis? Proponuntur rationes dubitandi.*
6 *Statuitur conclusio de fide Pontificem errare non posse.*
7 *Satisfit contrariis num. 5. adductis, specialiter primo argumento.*
8 *Satisfit secundo argumento, & examinatur an hunc numero Pontificem sit de fide esse verum Pontificem? Qui negent, & qua ratione probent.*
9 *Non solùm certitudine morali, sed certitudine fidei tenendum est, hunc esse verum Pontificem; postquam vniuersali Ecclesiæ aliquid de fide credendum proponit.*
10 *De Pontifice ab vniuersali Ecclesia recepto, antequam veritatem aliquam definiat, seu antequam aliquid statuat ad regim Ecclesiæ institutionem: probabilius censeo de fide esse, esse verum Pontificem.*
11 *Explicatur differentia inter hanc propositionem, Non est de fide Vrban. VIII. esse verum Pontificem, & illam, Vrban. VIII. non est verus Pontifex.*
12 *Satisfit tertio argumento num. 5. adducto, & explicatur diligentia, quam Pontifex facere debet ad veritates fidei proponendas.*
13 *Reliquis argumentis supradicto num. 5. adductis fit satis.*

1 PRæmittendum est dari in Ecclesia aliquam regulam infallibilem veritatis, quæque doctrinam credendam fidelibus proponat, sedétque fidei controuersias; hoc enim ad diuinam prouidentiam maximè pertinet: cùm enim nemo sit, qui res fidei suo ingenio assequi possit, & dubitationes suborientes viribus propriis vincere; necessarium erat aliquod medium, quo hæc omnia superari possent. Alias Deus non satis de mediis necessariis hominibus prouideret: & imperans res fidei certò, & indubitanter credere, impossibilia imperaret, quod est nimis absurdum.

2 Secundò præmittendum est hanc regulam infallibilem, quæque quæstiones circa fidem dirimat, non esse solam sacram Scripturam: tum quia circa sacram Scripturam solet esse controuersia, an scilicet hæc Scriptura sit canonica, vel non? Ergo ex ipsa sola hæc controuersia definiri non potest. Tum quia regula infallibilis, quæque quæstiones suborientes valet dirimere, debet esse omnibus nota, qualis tamen non est Scriptura sacra, eius enim sensus non facile ab omnibus percipitur: & constat manifestè, ex eo quòd sectarij hæretici eadem verba nunc sic, nunc alio modo intelligunt.

3 Tertiò præmittendum est Petro, & eius successoribus commisisse Christum regimen vniuersale Ecclesiæ illis verbis, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & tibi dabo claues regni cælorum*, &c. quod luculenter, & eruditè satis probat Valent. 2. 2. *disput. 1. quæst. 1. punct. 7. à §. 28. & 36.* Neque pro solo Petro hæc verba dicta sunt, sed pro omnibus illius successoribus: succedunt autem omnes Romani Pontifices legitimè electi; vt ex vsu nascentis Ecclesiæ vsque in præsentem diem facilè probari potest; & eruditè probat Sanderus *lib. 7. de visibili Ecclesiæ monarchia.* Turrecremata *lib. 2. de Ecclesia, cap. 36. & seqq.* Valent. *disp. 1. quæst. 1. punct. 7. de fide, §. 37.* & licèt Dominic. Sot. *in 4. sentent. distinct. 24. q. 2. art. 5.* visum sit hunc successorem Petri non esse ex diuina institutione Romanum Pontificem, sed esse posse Toletanum, vel Hispalensem, vel nullius diœcesis, eo quòd verba Christi tradentis potestatem Petro nullam sedem determinauerint. At certissimum est ex diuina institutione, traditione manifestata successorem Petri esse etiam Romæ Episcopum, quod copiosè, & luculenter probat Valent. 2. 2. *disp. 1. p. 7. §. 38.*

4 Quartò præmittendum est hanc regulam infallibilem veritatis in nullo alio residere, nisi in Romano Pontifice; quia cùm in aliquo residere debeat, nullus apparet, quis is sit, nisi Petri successor; quia nemini alteri dictum est nisi Petro, & eius successoribus: *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; ego rogabo pro te, vt non deficiat fides tua.* Item *pasce oues meas.* Ergo ex Christi authoritate successor Petri authoritatem habet pascendi fideles omnes infallibili doctrina, tum ad fidem, tum ad mores pertinente. Iis præmissis,

5 Difficultas ergo est, an aliquando errare possit in fidei articulis proponendis?

Ratio difficultatis est prima, quia videtur stare posse aliquem eligi, & haberi summum Pontificem à tota Ecclesia, qui tamen verè non sit: sed tunc si definiat aliquam veritatem, non infallibiliter definiet. Ergo errare potest Pontifex in fidei articulis proponendis. Consequentia est legitima, minor videtur nota; quia eatenus Pontifex veritatem aliquam fidelibus credendam infallibiliter proponit, quatenus Spiritus sanctus ei assistit: sed assistentia Spiritus sancti Petro, & vero eius successori est promissa, non autem simulato, & ficto. Ergo. Maior verò propositio, scilicet, quòd possit eligi, & haberi aliquis tanquam summus Pontifex, qui tamen verè non sit, probatur primò, potest namque ipse esse hæreticus, qualis refertur fuisse Anastasius, *cap. Anastasius, 19. distinct.* & Honorius, prout refertur in Concilio Constantinopolitano VI. *act. 13. & 18.* sed cùm in hæresim incidit, ipso iure amittit authoritatem; & definit esse vicarius Christi, & Petri successor: vt tradit Turrecremata *in sum. Ecclesia, lib. 2. cap. 12. ad 7 argum. & lib. 4. p. 2. cap. 18.* Driedo *de libertate Christiana, cap. 14.* Simanc. *cap. 29. de Catholic. instit.* & Canonistæ communiter: vt constat ex his, quę adducit Iacobat. *lib. 3. de concord. art. 2.*

Secundò potest eligi non ordinatus, vel non baptizatus, vel cum alio defectu electionem annullante, qualem videtur habuisse Martinus V. electus in Concilio Constantiensi: siquidem non fuit electus iuxta formam præscriptam pro electione Summi Pontificis.

Secunda ratio difficultatis est, quia saltim non est de fide hunc Pontificem electum verum esse Petri successorem: siquidem non est de fide certum, esse baptizatum, aut nullum in eius electione defectum substantialem habitum esse. Ergo non poterat esse de fide certum, errare non posse, quia impotentia errandi annexa est, (vt dixi) vero Christi vicario, non simulato. Et confirmari potest exemplo Eucharistiæ: licèt enim de fide sit in hostia ritè consecrata adesse corpus Christi; non tamen de fide est in hac numero hostia adesse: quia non est de fide consecrantem esse sacerdotem baptizatum, habentémque intentionem consecrandi; solum enim id creditur morali certitudine. Ergo similiter esto verum sit, & de fide certum, verum Christi vicarium, & Petri successorem errare non posse in rebus fidei proponendis: at non videtur esse de fide certum, hunc numero errare non posse; quia non videtur esse de fide certum, esse verum Pontificem.

Tertia, vt Pontifex veritatem aliquam fidelibus credendam proponat, indiget consilio, & inquisitione, & Doctorum disputatione, quod satis confirmat vsus congregandi Concilia: sed in his potest esse negligens, & temerarius. Ergo potest tunc errare.

Quarta, Pontifex si hæreticus sit, potest velle Ecclesiam suam errore maculare, & ad hanc maculam imponendam definitione vti. Ergo eius definitio non est infallibilis veritatis. Et confirmo, si hoc tempore, quo Pontifex occulta hæresi infectus sit, suboriretur aliqua dubitatio de rebus ad fidem pertinentibus, quid obstare potest, quominus tunc Pontifex errorem firmet, & pro veritate credendum fidelibus proponat? Poterit ergo Pontifex errare.

Quinta, plura sunt scripta Doctorum à Pontifice approbata, quæ tamen non sunt omnino vera. Ergo Pontifex errare potest. Antecedens probatur ex *cap. sancta Romana. 15. dist.* vbi à Gelasio Papa approbantur scripta Cypriani, Chrysostomi, Gregorij Nazianz. Basilij, & Ambrosij: atqui in his scriptis plura, quæ veritatem non attingunt, continentur. Nam cùm illis temporibus non erat de omnibus elucidata veritas, & ex alia parte non erant scriptores canonici; meritò potuerunt errare, vt rectè expendit Cano *lib. 7. de locis cap. 3. conclus. 2.*

Sexta, sæpè videtur Pontifex plura falsa definisse. Cœlestin. namque III. prout refertur *in cap. quanto, de diuortijs,* videtur sensisse per hæresim matrimonium dissolui: & *in cap. licet. de sponsa duorum*, denotatur aliquos Pontifices Alexandro III. anteriores iudicasse matrimonium ratum irritari secundo consummato: & *in cap. cùm esses, de testament.* decernitur à diuina lege esse alienum in testamentis plures testes requiri quàm duos, vel tres, cùm tamen leges ciuiles iustæ reputentur, quæ plures expostulant.

6 Nihilominus tenenda est veritas Catholica, nullum Pontificem sic ab Ecclesia vniuersali reputatum errare posse in rebus fidei proponendis. Conclusio est recepta ab omnibus Catholicis cum D. Thom. 2. 2. *q. 1. art. 10. à quæst. 11. art. 2. ad 3. & lib. 4. contra gentes, cap. 76.* VValden. *lib. 2. doctrina antiqua fidei, cap. 47. & 48.* Turrecremata *lib. 2. sum. à cap. 107. vsque ad 112.* Cano *de locis lib. 6. à cap. 3. vsque ad 7.* Gregor. de Valent. *disp. 1. quæst. 1. punct. 7. quæst. 5 circa finem, & quæst. 6. §. 40. & seqq.* Bannes 2. 2. *q. 1. art. 10. dub. 2. præcipuè conclus. 4.* Probatur manifestè: nam cùm Pontifex veritatem aliquam fidelibus credendam proponit, ipsi fideles ei assentire tenentur, aliàs non haberet Pontifex authoritatem efficacem regendi Ecclesiam: sed Ecclesia obligari non potest falsæ propositioni assensum præbere; quia aliàs posset tota Ecclesia errare, quod est contra diuinam prouidentiam, & Christi promissionem dicentis spiritum veritatis semper in Ecclesia mansurum. Ergo nequit à Pontifice summo falsum pro vero proponi.

7 Neque argumenta contraria huic veritati obstant.

Ad primum dico, nullum ab vniuersali Ecclesia recipi pro Pontifice summo, & Christi vicario, qui verè esse non possit; quia ad diuinam spectat prouidentiam hoc impedire.

Ad primam probationem admitto, Pontificem esse posse hæreticum: sic ex communi sententia testatur Bannes 2. 2. *quæst. 1 art. 10. dub. 2. conclus. 1.* Caietan. *ibi, & opusculo 1. de authorit. Papæ, & in apologia de eadem re. cap. 13. ad 2.* Driedo *lib. 4. cap. 3. p. 3.* Cano *lib. 6. cap. vlt. ad 12.* Soto *in 4. dist. 22. quæst. 2. art. 2.* Corduba cum aliis à se relatis *lib. 4. quæst. 3.* Aragon. 2. 2. *quæst. 1. art. 10. tract. de summo Pontifice.* Valent. *disp. 1. quæst. 1. p. 7. quæst. 6. §. 40.* & ex multis historiis constat plures Pontifices in hæresim lapsos esse, vt de Victore V. Marcellino, Liberio, Honorio, Anastasio II. & aliis tradunt supra relati Doctores. Nam de Victore tradit Euseb. *lib. 5. histor. Eccles. cap. penult.* fuisse hæreticum. Idem constat de Marcellino thus offerente idolis. Neque dici potest non dereliquisse fidem, vnde non constat mente non consensisse. de Liberio id affirmat Hieron. in chronicis. de Anastasio refert Gratian. *cap. Anastasius, 19. dist.* De Honorio verò constat ex epistola Adriani relata in VIII. Synodo *act. 7.* & ex epistola Agatonis relata in VI. Synodo *act. 4.* Et quamuis Albertus Pighius *lib. 4. de Ecclesiast. hierarchia cap. 8.* & Ioan. Turrecremata *lib. 2. de Ecclesia, cap. 93.* conentur ab hac nota hos Pontifices liberare, affirmantes, vel interiùs in hæresim non consensisse, vel ex falsa informatione fuisse condemnatos: at non est dubitandum, in hæresim incidere potuisse, aliàs Concilia illa generalia accusationem de hæresi omnino exploderent, vtpote omnino alienam à Pontifice. Verùm etsi Pontifex in hæresim incidere possit; nihilominus tamen credo certissimum authoritatem Pontificiam non amittere, quousque ab Ecclesia deponatur: sic tenent omnes suprà relati Doctores, specialiter Bannes, Valent. Caietan. Soto, Canus, Cordub. tum quia reliqui Episcopi in hæresim incidentes retinent suam dignitatem Episcopalem, donec deponantur. Ergo & Pontifex summus. Tum quia de nullo Pontifice possemus esse certi secundùm fidem esse verum Pontificem, & aptum proponendi res fidei vniuersali Ecclesiæ, cùm de nullo possemus certificari non amisisse occultè fidem. Tandem, quia authoritas Pontificia non fundatur in fide speciali, quam habet Pontifex, sicut neque in gratia; sed fundatur in eo, quòd receptus sit ab vniuersali Ecclesia, vt Christi vicarius, & Petri successor, qui dum sic fuerit receptus, habet à Christo potestatem, & authoritatem regendi Ecclesiam, & pascendi oues fidei, morúmque doctrina; verúsque est Christi, & Petri successor, ipsique vnitus, non quoad internam fidem, & sanctitatem, sed quoad externam Ecclesiæ administrationem.

Ad secundam probationem nego eligi posse iure diuino incapacem; quia ex speciali, & ordinaria prouidentia, qua Deus assistit Ecclesiæ, credi debet similem electionem impediendam esse, & dato quòd sic eligatur, credendum est defectum manifestandum esse, antequam ab Ecclesia vniuersali recipiatur. Quod autem solet circumferri de Ioan. VIII. fuisse, inquam fœminam, fabula est, & hæreticorum commentum, vt rectè probat Onuphrius *in annot. ad Platinam de vita Ioan. VIII.* in cuius probationem extat insigne testimonium Leonis IX. qui fuit plusquam centum annis post Ioan. VIII. hic enim Pontifex epistola ad Michaëlem, & Clementem Episcopos *cap. 23.* & habetur 3. *tom. Conciliorum,* probans

probans primatum Ecclesiæ Romanæ, contenditque diuina protectione liberatam ab ignominiis, quæ aliis Ecclesiis acciderunt: inter quas refert famam esse, quòd Constantinopolitanæ Ecclesiæ aliquando fœmina præfuerit, quod vocat abominabile scelus, & detestabile facinus. Est autem plusquam euidens quòd qualiscumque suspicio foret de eo quòd Romanæ Ecclesiæ id aliquando accidisset, nequaquam hoc genus argumenti attigisset ad laudandam Sedem Romanam. quare nulli Catholicorum dubium esse debet illud fuisse merum commentum hæreticorum: si autem electus in Pontificem fuerit cum aliquo defectu iure humano introducto, ex acceptione Ecclesiæ integrè purgatur: cùm enim Ecclesia vniuersalis habeat authoritatem suprá ius humanum; hoc ipso, quòd acceptat hunc Cardinalem tanquam verum Pontificem, supplet omnem defectum electionis, si quis interuenit, & sic ille manet verus Pontifex.

8 Secundum argumentum tangit grauem quæstionem, an scilicet de fide sit hunc numero Pontificem esse verè Christi vicarium, & Petri successorem? Negant plures Doctores in manuscriptis. Didacus de Arce Lector Theologus 2.2.*q.*1. *art.*10. & ibi Mag. Mancio *quæst. de authorit. Papæ, ad* 3. Id supponit ibidem Deza ex Societ. IESV *dub.* 1. *de potestate Pontificis, paulo ante solutionem argumentorum. & clariùs in quæst. de canonizat. Sanctorum*, vbi subdit, constare potest alicui, quòd hic Pontifex non sit verus Pontifex, quia baptizauit illum absque intentione. Bonauentura *ibidem*, tenet tanquam probabilem, esto probabiliorem censeat oppositam. Torres publicè illam defendit Compluti, cui subscripsit Gabr. Vasquez, Cardinal. Bellarmin. *tom.* 1. *tract. de concilior. authorit. cap.* 9. Ad postremam obiectionem ait, naturali solùm euidentia, aut sola fide humana haberi Concilium Nissenum, & Ephesinum fuisse legitimè congregatum; & hoc sufficere, vt definita ab illis habeantur tanquam de fide. Constat autem (quod præsens institutum spectat) eandem esse quæstionem, an sit de fide hoc Concilium fuisse, vel esse legitimum: & an sit de fide hunc numero Pontificem esse verum Papam. Gregorius Valentia 2.2. *disput.* 1. *quæst.* 1. *punct.* 7. *in quæst.* 5. §. 39. Ad hanc expediendam difficultatem, vt probabilem admittit posse eligi in Pontificem non baptizatum, aut iure diuino incapacem; quia id graues Doctores admittunt: absolutè illam defendit Bannes 2.2. *quæst.* 1. *art.* 10. *dub.* 2. *ad* 2. vbi affirmat hanc propositionem: Hic Pontifex numero est verus Papa, esse solùm certam certitudine morali, cui speculatiuè potest subesse falsum. Probant primò, quia non est de fide hunc electum in Pontificem esse baptizatum. Ergo neque esse verum Pontificem. Secundò potest definire res fidei, & vniuersalem Ecclesiam regere, quin sit verus Pontifex; sufficit si vt talis existimetur, & reputetur: si enim prætori incapaci confert respublica iurisdictionem, quando vt legitimus existimatur; ne ex actibus nullis grauia inconuenientia sequantur: quare idem non dicemus in Pontifice incapaci, qui vt legitimus reputatur, conferre illi Christum omnem iurisdictionem, & authoritatem, sicuti si verè Pontifex esset?

9 Cæterùm tenendum existimo non solùm certitudine morali, cui falsum subesse potest, vt dicit Bannes, sed certitudine fidei electum in Pontificem, & ab vniuersali Ecclesia receptum esse verum Papam, Christi vicarium, & Petri successorem: quod non solùm existimo esse ita tenendum, postquam aliquam veritatem credendam fidelibus proposuit, & viam salutis demonstrauit, sed etiam antequam aliquid horum fecerit: eo enim ipso, quo ab vniuersali Ecclesia, vt verus Pontifex recipitur, de fide est, esse Christi vicarium, & Petri successorem. Et quidem in priori statu cùm Pontifex aliquam propositionem credendam fidelibus proponit, esse tunc de fide esse verum Pontificem, tenet Valent. suprà relatus. Aragon 2. 2. *quæst.* 1. *art.* 10. *tractat. de Concilys, dub. principali, ad* 3. *principale.* vbi postquam probauerat hoc Concilium esse legitimum secundùm fidem; subdit: Eadem ratione probari potest, Gregorium esse verum Pontificem, & baptizatum. Idem docuit Ludouicus de Leon *ibidem.* & ante illum Mag. Gueuara, & è Societate IESV Doctor Andreas Martinez *dict. art.* 10. 2. *p. princip. dub.* 1. *ad* 2. P. Bonauent. *ibi tractat. de author. Papæ, dub.* 3. & nouissimè P. Suarez *disput.* 10. *de fide, sect.* 5. *per totam.* Et probari facilè potest primò. Ille secundùm fidem est verus Pontifex, cui Christus Dominus præcipit obedire in his, quæ ad fidem, & mores pertinẽt: sed de fide est legitimè electo, & ab vniuersali Ecclesia recepto præcipere Christum Dominum obedire, cùm aliquid ad vniuersalem Ecclesiam pertinens statuit. Ergo de fide est legitimè electum, & ab vniuersali Ecclesia receptum esse verum Pontificem. Conclusio euidenter sequitur ex præmissis. Præmissas autem sic probo. Et quidem illa maior propositio, scilicet illum esse verum Pontificem, cui Christus Dominus præcipit obedire, videtur probari ex illis locis, quibus Petro, eiúsque successoribus contulit potestatem pascendi oues, fidei, morúmque doctrina: quam potestatem nemini, nisi Petri successoribus contulit. Ergo nullus alius nisi successor Petri habet potestatem pascendi oues fidei, morúmque institutis. Minor autem propositio, nempe de fide esse Pontifici electo, & ab vniuersali Ecclesia recepto obediendum esse in rebus ad fidem, & mores pertinentibus, quia de fide est fideles obligatos esse obedire ei, quem superiorem agnoscunt: sed cùm legitimè aliquis ab Ecclesia in Pontificem, & caput supremum eligitur, & acceptatur, vt superior agnoscitur. Ergo huic tenentur fideles obedire. Et confirmo, si Pontifex electus definiat aliquam veritatem fidei, & Ecclesiæ credendam proponat, errare non potest secundùm fidem. Ergo secundùm fidem est verus Papa. Quia verus Papa est, qui habet authoritatem ad infallibiliter definiendum, & Ecclesiam Dei obligandam. Confirmo secundò. Ille est verus Pontifex, qui habet potestatem confirmandi fratres, ne in fide vacillent, iuxta illud Lucæ 22. *Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos*; sed hic numero Pontifex definiens aliquam veritatem confirmat fratres in fide, cùm antea circa illam dubitarint: & post factam definitionem vnam, non licet dubitare. Ergo hic est verus Pontifex. Secundò probo, postquam Concilium Tridentinum aliquam veritatem definiuit, & Pontifex confirmauit, est certum secundùm fidem hoc Concilium esse legitimè congregatum. Ergo etiam postquam hic Pontifex definiuit aliquam veritatem fide diuina credendam, est certum eadem fide esse legitimè electum, atque adeò verum Pontificem. Consequentia est euidens, & à nemine nunquam negata; quia est eadem prorsus ratio de hoc Concilio, & de hoc Pontifice. Antecedens verò sic probatur. De fide est Concilium legitimè congregatum, & à Pontifice confirmatum obligare ad credendum; non legitimè congregatum non habere hanc vim, & efficaciam. Sed Concilium Tridentinum obligat ad credendum. Ergo fuit ritè congregatum. Quæ enim in hoc discursu fallacia esse potest, cùm consequentia sit euidens, maior certa secundùm fidem, minor eadem gaudet certitudine? Aliàs nullum Concilium obligaret ad credendum definitis ab illo; quia non est maior ratio de aliis, quàm de Trident. Tertiò probo; quia omnis propositio de fide potest inferri ex duplici præmissa de fide, vel, vt aliis placet, altera de fide, altera contenta lumine naturali. Sed ista propositio: Papa definiens non potest errare, est certa de fide. Ergo potest inferri ex duplici præmissa modo dicto: quod tamen nulla ratione fieri potest, vt patebit discurrenti, nisi propositio ista sit de fide.

Hic

Hic Pontifex definiens est verus Papa: nam in quocunque syllogismo inferatur conclusio illa, Papa definiens non potest errare, debet assumi, vt minor, Hic Pontifex definiens est verus Papa; quæ cùm non sit nota lumine naturali, necessariò debet esse de fide, aliàs conclusio non esset de fide.

Huic argumento respondet Bannes *loco citato*, non requiri, vt conclusio aliqua de fide inferatur vtramque præmissam de fide esse, vel vnam de fide, & alteram euidentem; sed sufficere vnam esse de fide, & alteram moraliter certam. quia tunc conclusio non sequitur ex illa propositione moraliter certa, tanquam ex causa, sed tanquam ex conditione, sine qua non, siue vt applicante. Et exemplo prædicatoris illustrat, qui si ritè tibi proponat doctrinam Euangelicam, teneris fide diuina veritatibus propositis assentiri: cùm tamen non sit fide diuina certum, hunc prædicatorem esse infallibilis veritatis.

Sed hæc solutio facillimo negotio præcluditur, argumento ducto ab inconuenienti: si enim vera esset, sequeretur hanc propositionem esse de fide; sub hac numero hostia consecrata est corpus Christi, quia reuera infertur per euidentem consequentiam ex vna de fide; qualis est ista, In omni hostia debitè consecrata est corpus Christi: & insuper infertur tanquam ex conditione, & vt applicante ex altera certa moraliter; scilicet hæc hostia est debitè consecrata. Ergo sub hac hostia est corpus Christi, erit propositio de fide? Idem argumentum formari potest de his propositionibus. Hic paruulus baptizatus recipit gratiam, iste qui ordinatur est sacerdos, & de aliis similibus, quas compertum est apud omnes, non esse de fide; cùm possit illis subesse falsum ex defectu intentionis baptizantis, ordinantis, & consecrantis. Neque exemplum de prædicatore obstat; quia licèt prædicator aliis, in rebus non sit infallibilis veritatis: at prout hìc, & nunc prædicat, credere debes infallibilis veritatis esse; siquidem obligaris eius dictis fide diuina assentiri.

10 Quòd si de Pontifice ab Ecclesia vniuersali recepto loquamur, antequam veritatem aliquam fidelibus credendam proponat, seu antequam pro vniuersali Ecclesia aliquid statuat ad rectam morum institutionem: aliquibus placet non esse certum de fide esse verum Pontificem, sed solùm esse certum certitudine morali, longe maiori quàm sit in supradictis propositionibus de hostia consecrata, & de hoc homine baptizato, vel ordinato. Nam in his propositionibus nullus adest exterior effectus, qui sit signum existentiæ corporis Christi, vel gratiæ, aut characteris in Baptismo, & ordinatione recepti. At in Pontifice adest vniuersalis Ecclesiæ consensus, quod est signum euidens esse illum verum Pontificem. Cæterùm mihi probabilius est etiam in hoc statu de fide esse, esse verum Pontificem, quod sentit Valent. *disp.1.quæst.1.p.7.quæst.5.§. deinde dicimus, pag.225.* Suarez *suprà disp. illa 10. sect.5. præcipuè ad primum arg.* & videtur esse sententia August. *tom.6.in epist. contra potest. Donat. & tom.2.epist.115.* Irenæi *lib.3.cap.3.* Basil. Ambros. Hieron. quos refert Manti. 2. 2. *quæst.1. art.10. de authoritate Papæ ad 5.* fauent sacra Concilia: nam VI. Synodus nominatim respicit Agathonem, confitendo illum verum Pontificem. Concilium Chalcedonense Leonem, Concilium Mileuitanum Innocent. III. ac tandem *in cap. de libellis, dist.20.* approbantur tanquam veri, & legitimi Pontifices Siluerius, Sozimus, Innocent. & alij.

Sed rationibus probo, primò. Vniuersalis Ecclesia recipit Vrbanum VIII. tanquam verum Pontificem. Ergo inconcussa fide tenendum est, esse verum Papam. Probo consequentiam, quia hæc est euidens illatio. Vniuersalis Ecclesia recipit tanquam veram hanc scripturam. Ergo est de fide hanc scripturam esse veram. Video te respondere posse, aliter, & aliter Ecclesiam recipere hanc scripturam, vt veram, & hunc vt verum Pontificem; scripturam enim recipit tanquam certam certitudine infallibili fidei diuinæ: at hunc Pontificem recipit tanquam certum certitudine morali, quia probabilissimè censet in hoc Pontifice concurrere omnia necessaria, vt sit verus Papa. Sed hæc solutio infirmari potest ex Bulla Martini V. relata in Concilio Constantiensi: vbi *in col.14.* dicitur prætendendum esse ab hæreticis, qui Ecclesiæ reconciliari cupiunt, quòd credant Papæ, qui pro tempore fuerit ab vniuersali Ecclesia receptus, esse verum successorem Petri, & habere supremam potestatem in Ecclesia. Ergo verè Ecclesia proponit tanquam certum certitudine fidei diuinæ hunc esse verum Papam: aliàs non peteret credi fide diuina ab iis, qui reconciliantur Ecclesiæ.

Secundò, Ecclesia, & maximè coniuncta suo capiti non potest errare; sed vniuersalis Ecclesia cum suo capite tenet Vrbanum VIII. esse verum Papam: ergo fide diuina tenendum est; vel dicendum est Ecclesiam cum suo capite posse errare tenendo pro vero Papa eum, qui verè non est.

Respondent Doctores contrariæ sententiæ duplicem esse errorem, practicum, & speculatiuum: practicum autem errorem vocant, quando secundùm prudentiam erratur, quod nullo modo contingere potest; cùm attentis omnibus circunstantiis prudens iudicium est hunc esse legitimum Papam: speculatiuus verò error vocatur, qui de re iudicat aliter, quàm est in se. Hunc autem errorem dicunt contingere posse in assensu huius Pontificis: sicuti de facto contingit in assensu matrimonij eunuchorum; multo enim tempore iudicauit Ecclesia hos esse habiles ad matrimonium, à quo errore speculatiuo per Sixtum V. purgata fuit definitione præstita super hac re. Hæc tamen responsio facilè repellitur; quia Ecclesia vniuersalis in his, quæ proponit circa inanimatam regulam fidei, quæ est Scriptura, non solùm practicè, sed neque speculatiuè errare potest. Ergo neque etiam errare potest in accipienda fidei regula animata, qualis est Summus Pontifex; cùm enim Ecclesia ab Spiritu sancto regatur, & à Christo Domino dictum fuerit, *cùm venerit ille*, scilicet Paraclitus, *docebit vos omnem veritatem*; impium erit dicere Ecclesiam speculatiuè errare posse circa suum caput, iudicando, & proponendo pro vero capite, quod re vera non est. Neque instantia allata de eunuchis quidquam probat. Quia aliud est Ecclesiam tolerasse, & permisisse matrimonia eunuchorum, & aliud positiuè iudicasse esse vera matrimonia. Primum fecit, secundum minimè; quia nunquam Ecclesia se applicuerat ad examinandam hanc veritatem de inhabilitate eunuchi ad matrimonium: & sic nullum positiuum iudicium circa illam tulerat. Neque mirandum est, quòd hæc veritas tanto tempore latuerit; quia Ecclesia in sacra Scriptura comparatur auroræ, *Cant. 3.* quæ, vt notauit Gregor. *lib.4. moral. cap.15. & 19.* ab ortu suo semper crescit in claritate vsque ad perfectam diem. Vnde in Conciliis videmus plures veritates, quæ antea latebant, in lucem denuo prodiisse, quibus Ecclesiæ cognitio, & scientia in dies augetur, & crescit. Quartò, fide Catholica credimus non solùm Ecclesiam in communi, sed hanc numero Ecclesiam Romanam, quæ modò est sub Vrbano VIII. esse veram, & legitimam Ecclesiam. Ergo eadem fide credere debemus Vrbanum VIII. esse verum Pontificem; quia licèt non indiuiduetur hæc Ecclesia ab hoc determinato capite, cùm eo mortuo eadem numero perseuerat sub singulis successoribus pro tempore existentibus: indiuiduatur tamen omnino, & specificatur, vt est Ecclesia hierarchica etiam Sede vacante ex ordine ad verum caput. Ergo cùm de facto datur illi caput ex consensu vniuersalis Ecclesiæ, necessariò dicendum

dum

dum est illud esse verum caput; quia ad constitutionem Ecclesiæ non minus pertinet caput, quàm membra: imò magis caput; quia est principalior pars, sed Ecclesia non potest constare membris, quæ verè non sint membra; quidquid sit de eo, in quo consistit ratio membri. Ergo neque etiam potest constare capite, quod verè non sit caput. Ex his constat nostram sententiam duplici firmissimo fundamento niti: altero desumpto ex vsu potestatis definiendi, qua gaudent vniuersi Romani Pontifices, tanquam legitimi successores Petri: altero ex communi, & vniuersali acceptione Ecclesiæ; ad hæc enim duo capita reducuntur rationes omnes pro nostra sententia adductæ; quibus dissolutum manet argumentum aduersantium. Dicimus namque de fide esse Romanum Pontificem, eo ipso, quo ab vniuersali Ecclesia receptus sit, esse verum Pontificem, & consequenter de fide esse, esse baptizatum, & habilem, & capacem supradictæ dignitatis, quia Ecclesia iuncta suo capiti non potest in hac vniuersali acceptione errare: neque credendum est de diuino Spiritu hoc permissurum. Ad illud verò quod dicitur de potestate definiendi, posse, inquam, annecti Pontifici vero, vel reputató, iam suprà reiecimus, vtpote sine fundamento dictum, & locis Scripturæ satis contrarium.

11 Pro complemento huius quæstionis aduerto esse magnum discrimen inter hanc propositionem. Non est de fide Vrbanum VIII. esse verum Pontificem, & illam: Vrbanus VIII. non est verus Pontifex. Nam affirmare hanc secundam propositionem, scilicet, Vrbanus VIII. non est verus Pontifex, est propositio in primis temeraria, vtpote sine vllo prorsus fundamento asserta, & communi fidelium consensui repugnans. Est etiam scandalosa: quippe quæ ansam præbet schismaticis ad perseuerandum in separatione ab hoc capite Ecclesiæ Romanæ; & hæreticis etiam ad deridendum fideles, quòd venerentur tanquam verum caput, quod re vera est fictè caput; imò & Catholicis, vt non assentiantur definitis ab hoc Pontifice, siquidem non est verus Pontifex: ac tandem affirmans supradictam propositionem erit suspectus de hæresi, & tanquam hæreticus puniri deberet: vt bene notauit Bannes 2.2. *quæst.* 1. *art.* 10. *dub.* 2. §. *nihilominus.* Quia negans hunc esse Pontificem post vniuersalem Ecclesiæ acceptationem, videtur planè negare in Ecclesia esse potestatem eligendi verum Pontificem, legitimúmque successorem Petri. Quare dicendum esse reor adeò certum esse Vrbanum VIII. v.g. esse verum Papam, vt etiamsi id non esset de fide, multo certius esset, quàm est, in hac hostia consecrata esse corpus Christi; quia moraliter loquendo faciliùs potuit interuenire defectus in consecratione hostiæ, propter Sacerdotis obliuionem, malitiam, seu defectum intentionis, vel potestatis, quàm in eo, quòd Ecclesia vniuersalis acceptet hunc pro vero Pontifice; cùm tamen non sit. Illa tamen propositio, quòd scilicet de fide sit hunc Pontificem esse verum Pontificem, mihi certissima est: non tamen audeo contrariam aliqua graui nota inurere, siquidem tot, tam grauésque Doctores illam defensarunt.

12 Tertium argumentum num. 5. adductum, quo probabatur Pontificem errare posse in propositione fidei, desumptũ erat ex diligentia, & inquisitione, quam facere Pontifex videtur obligatus in rebus fidei definiendis. Cui argumento dupliciter respõdemus. Primò affirmãdo nõ esse necessariam hanc diligentiã, vt Pontifex certò, & infallibiliter definiat; sed solùm esse necessarium, vt prudenter, & absque peccato ad definiendum procedat; sicuti ad dispensationem concedendam debet causam inuestigare; non quia necessaria talis inuestigatio sit ad dispensationis valorem; sed quia est necessaria ad rectum, & conuenientem illius iurisdictionis vsum; sic in præsenti. Quare si de facto ad definitionem procederet Pontifex, omissa debita diligentia, dicendum est definiturum infallibiliter veritatem. sic Valent. 2.2. *disput.* 1. *quæst.* 1. *punct.* 7. *quæst.* 6. §. *huc accedit, pag.* 235. Quod videtur probari ex promissione facta Petro, eiúsque successoribus, ne eius fides deficiat, cùm talis promissio non limitata, nec conditionata fuerit, si diligentiam adhiberet.

At dicit Bannes 2. 2. *quæst.* 1. *art.* 10. §. *ad* 4. *pag.* 115. si tota certitudo, & infallibilitas pendet ex assistentia diuini Spiritus, neque ad hanc assistentiam habendam prærequiritur humana inquisitio, & inuestigatio de veritate; frustrà certè inquisitio hæc expostulatur. Neque enim dici potest temerariè, & imprudenter Pontifex procedere, cùm illam omittit, siquidem non omittit aliqua, ex qua recta, & infallibilis definitio pendeat. Adde omittendo hanc diligentiam humanam, videtur magis fidere in diuina assistentia, & fidelibus denotare non humano ingenio, sed diuino instinctu veritates fidei inuestigandas esse. Ergo vel est necessaria ad definiendum, vel nullo modo requiritur. Sed facilè respondetur præcipi à Deo hanc humanam diligentiam adhiberi, quia vult, vt homines faciant quantum est in se ad veritatem inuestigandam; hoc enim ad rectum Ecclesiæ regimen videtur pertinere: cùm enim Pontifex non noua fidei dogmata Ecclesiæ debeat proponere, sed iam Ecclesiæ proposita, abscondita tamen in lucem producere, debet pro subiecta materia diligentiam adhibere, quódque præstitit D. Petrus, cùm cessationem circumcisionis, & aliarum cæremoniarum definiuit, *Act.* 15. Quando autem aliquis defectus intercedit in tali diligentia adhibenda, illo non obstante protegit Deus suam Ecclesiam, & ab errore liberat: impediendo Pontificem, ne definiat, vel si definiat, vt verum pronuntiet. Secundò responderi potest cum Bannes, & Valent. *suprà*, admittendo necessariam esse hanc humanam diligentiam, & inuestigationem veritatis, vt Pontifex verum definiat: negamus tamen inde inferri posse aliquando falsitatem definire; quia negamus posse, si definiturus est, hanc diligentiam, & inquisitionem omittere: atque adeò eadem certitudine, qua credi debet Pontificem non posse errare in definitione fidei, debet credi non posse omittere debitam diligentiam ad hanc præstandam definitionem: siquidem est medium necessarium ad illam. Quare cùm Christus Dominus promisit Petro, & eius successoribus diuini Spiritus assistentiam ad veritatem pronuntiandam, consequenter promisit assistere mediis ad illud necessariis, sicut si promisisset te plures fructus ex vinea collecturum modo ordinario, consequenter promisit aëris temperiem, & reliqua, vnde ortum habent.

Quòd si inquiras quam diligentiam Pontifex ante definitionem præstare debet?

Respondeo breuiter cum Valentia *disput.* 1. *quæst.* 1. *punct.* 7. *quæst.* 7. §. 42. eam adhibendam esse, quam subiecta materia expostulat. Quare si de Sancto canonizando, aut de religione approbanda agitur, humana informatione, & historia vtatur necesse est. Si verò determinaturus est dogma aliquod, vt diuinitus reuelatum, illa consulat oportet, quibus diuina reuelatio pura, atque integra custoditur. Cuius generis est primò Scriptura sacra, vt quæ tota est reuelatio diuina. Secundò traditio Apostolica, quæ & ipsa diuina quædam reuelatio est, tametsi non consignata litteris. Tertiò definitio priorum Pontificum, & Conciliorum. Quartò concors sententia Patrum, & Doctorum. Modus autem hæc omnia inuestigandi non est vnus, & idem, sed Pontificis arbitrio relinquitur; potest enim Concilium congregare, vel absque illius congregatione ad definitionem procedere. Item potest consulere Cardinales, vel loco illorum alios viros doctos, & Ecclesiæ pastores; quæ omnia ex vsu Ecclesiæ constant.

13 Ad

13 Ad quartum argumentum de Pontifice in hæresim lapso respondeo; si eius hæresis Ecclesiæ manifesta est, facilè liberabitur ab illo, quia tunc non agnoscit illum, vt pastorem, sed vt lupum ouile volentem destruere. At si hæresis non sit in Ecclesia nota, sed fortè sub aliqua controuersia versetur, ipséque ex malitia, vel ignorantia vellet Ecclesiam inficere, nequaquam posset, quia antequam id præstaret, Deus illum à vita eriperet, aut alia via impediret definitionem, aut tandem faceret, vt verum pronuntiaret: quæ omnia necessariò sequuntur via ordinaria ex promissione facta Ecclesiæ, non defuturum in ea spiritum veritatis.

Ad quintum de approbatione Pontificia scriptorum Basilij, Chrysostomi, Nazianz. &c. respondeo, Pontificem non approbasse omnia illorum dicta vera esse, & tanquam vera esse habenda; quia non erant canonici scriptores, sed declarauit eos benè scripsisse: hoc est, bona intentione, & zelo; qua cum intentione stare optimè potest per ignorantiam non attigisse aliquando veritatem.

Ad sextum, nego Pontificem vnquam falsum definisse, neque definire posse, licèt falsum senserit: quod non leuiter colligitur ex extrauaganti, quæ incipit, *Benedictus Deus in donis suis*, quam refert ad verbum Alphonsus de Castro *lib. 4. aduersus hæreses, verbo Beatitudo, hæresi 6. circa finem.* neque inuenitur communiter in corpore iuris: vbi Benedict. XI. denotat eius antecessorem Ioannem XXII. existimasse animas Sanctorum ante diem iudicij diuinam essentiam non videre; non tamen sensum proprium Ecclesiæ credendum proposuisse, etsi ad id faciendum se præparasset: nam antequam id præstaret, vita functus est. Neque obst[illegible]t loca ibi allata. Nam primum ex *cap. quanto, de di[illegible]ys*, ad summum probat Celestinum III. sensisse matrimonium dissolui per hæresim, non tamen proba[illegible]ic Ecclesiæ credendum proposuisse. Eodem modo respondetur ad text. *in cap. licet, de sponsa duorum*; esto enim aliqui antecessores Alexand. III. priuatim iudicauerint matrimonium ratum secundo consummato dissolui, non tamen sic determinasse. Adde nomine *prædecessorum* non Pontifices, sed alij speciales Doctores possunt, & debent intelligi: siquidem *in cap. vlt. eodem tit. de sponsa duorum*, Innocent. III. declarat Sedem Apostolicam perpetuò docuisse matrimonium ratum secundo consummato non dissolui, vel denique dici potest Alexand. III. per exaggerationem fuisse locutum; sicuti locutus est Paulus *ad Galat.* 1. cùm dixit, *licèt nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus, anathema sit*; vbi non intendit Apostolus dicere se, aut Angelum contrarium esse euangelizaturos, sed veritatem euangelizatam ita esse firmiter tenendam, vt nulla via ab ea diuerti debeant; quamuis per impossibile ipse, vel Angelus de cœlo diuertere conaretur: sic dixit Alexand. matrimonium ratum non dissolui secundo consummato: quamuis contrarium prædecessores sui iudicassent.

§. III.

An in legibus ferendis pro tota Ecclesia, vel aliqua illius parte errare Pontifex possit?

1 *In sententia aliqua ferenda circa res gestas potest ex malitia, vel ignorantia Pontifex errare.*

2 *Item errare potest secundum prudentiam in multiplicandis legibus circa res agendas.*

3 *Proponitur difficultas. An possit statuere vniuersali Ecclesiæ obseruandum, quod malum sit, & rationi dissonum?*

4 *Statuitur id fieri non posse, & satisfit rationi dubitandi.*

5 *Extenditur conclusio ad leges pro vna prouincia factas.*

1 Certum est apud omnes, Pontificem vel ex malitia, vel ex ignorantia errare posse in sententia aliqua ferenda circa res gestas; potest enim innocentem condemnare, & reum absoluere: neque tunc dicitur Pontifex, quatenus talis est, errare; sed quatenus est quædam specialis persona iudex earum constitutus. Bannes 2. 2. *quæst.* 1. *art.* 10. *dub.* 6. *conclus.* 4. vbi benè aduertit, si ex huiusmodi sententiis aliquis perniciosus error alicui particulari Ecclesiæ, vel personæ priuatæ sequatur, non esse intentionem Pontificis ad illius obseruantiam obligare: iuxta textum *in cap. si quando, de rescriptis*; vbi dicitur, si quando aliqua tuæ fraternitati dirigimus, quæ animum tuum exasperare videntur, turbari non debes, &c. qualitatem negotij, pro quo tibi scribitur, diligenter considerans, aut mandatum nostrum reuerenter adimplens, aut per litteras tuas, quare adimplere non possis, rationabilem causam prætendas.

2 Secundò est certum posse errare secundùm prudentiam in multiplicandis legibus rerum agendarum, vel statuendis; quæ non ita Ecclesiæ conuenientes sunt. Ex quo sæpè oritur mutare, vel abrogare Pontificem, quæ eius prædecessores statuerunt. Bannes *suprà conclus.* 2. *ad* 3. Nunquam tamen dicendum est in speciali casu errare, quia esset quis temerarius, cùm præsumptio semper debet esse pro legislatore.

3 Controuersia ergo esse potest, an possit Pontifex vel ex malitia, vel ex ignorantia statuere aliquid à fidelibus obseruandum, quod malum sit. Ratio difficultatis est, quia talis error non videtur damnosus Ecclesiæ: siquidem Ecclesia non peccat illum amplectendo. Deinde Petro, & eius successoribus promissa est firmitas fidei, morum autem honestas non videtur promissa. Ergo in hac poterit esse error; secus in rebus fidei.

4 Cæterùm credo de fide esse, non posse Pontificem statuere aliquid ab vniuersali Ecclesia obseruandum, quod legi diuinæ, vel naturali contrarium sit. Probo primò, quia de fide est Pontificem errare non posse in pascendis ouibus: sed oues non solùm doctrina fidei, sed morum institutis pascuntur. Ergo de fide est in his institutis errare non posse. Secundò, de fide est in Ecclesia deficere non posse spiritum veritatis: sed si Pontifex obseruandum præciperet legi diuinæ contrarium, iam spiritus veritatis in Ecclesia deficeret. Ergo. Tertiò, de fide est Pontificem in rebus fidei non posse errorem docere, sed ex eo quòd præciperet aliquid obseruandum contrarium legi diuinæ, errorem doceret, quia docet credere hoc esse obseruandum: quod est error in fide. Ergo. Ex hísque soluitur ratio dubitandi; licèt enim concedamus Ecclesiam obediendo iis legibus, & prauis institutis non peccaturam: at negari non potest pernitioso errore maculari, à quo Christus Dominus voluit Ecclesiam liberare; tum cùm promisit eius fidem non defuturam: tum cùm Petro, & eius successoribus imperauit oues suas pascere salubri doctrina, & rectis morum institutis.

5 Quòd si lex, & constitutio pro vna prouincia, vel diœcesi feratur; etsi aliqui Doctores sentiant errare posse Pontificem, quia tunc munus Pontificis gerere non videtur, eo quòd vniuersalem Ecclesiam non adstringat: at credo de fide esse nec tunc posse. sic docet Bannes 2. 2. *quæst.* 1. *art.* 10. *dub.* 6. *conclus.* 4. Et ratio videtur manifesta, primò, quia Pontifex, quatenus supremus est pastor, legem statuit obligantem aliquam prouinciam; quia secundùm hanc rationem, non solùm regimen totius Ecclesiæ illi commissum est: sed etiam cuiuslibet prouinciæ. Si ergo respectu totius Ecclesiæ errare non potest, quia illius est suprema regula veritatis, cùm etiam respectu cuiuslibet prouinciæ sit eadem regula, efficitur sanè errare nullo

nullo modo posse. Secundò, si admittas errare posse Pontificem in statutis specialibus, præcipiendo, inquam, obseruari ab aliqua prouincia, quæ contraria sunt legi diuinæ, seu naturali; videris admittere errare posse circa totam Ecclesiam. Nam Ecclesia vniuersalis sufficiens habet fundamentum ad credendum sic ordinatum, & præceptum bonum esse, & seruandum ab illa prouincia, sed tale iudicium erroneum est. Ergo cogitur ex errore speciali Pontificis Ecclesia vniuersalis errare, quod non est dicendum.

§. IV.

An sit de fide Pontificem errare non posse in canonizatione Sanctorum.

1 *Qui negare videantur, & qua ratione probent.*
2 *Probabilius est de fide esse Pontificem errare non posse.*
3 *Satisfit argum. num. 1. adductis.*
4 *Canonizatio Sanctorum soli Pontifici competit.*

1 NEgare videtur D. Thom. *quodlibet. 9. art. vlt.* affirmat namque canonizationem Sanctorum medium esse inter iudicium infallibile Papæ de rebus fidei, & iudicium fallibile eiusdem de rebus ciuilibus, & criminalibus. Vnde infert piè tantùm credi non posse tale iudicium fallax esse. Idem asserit D. Anton. *in 3. p. tit. 12. cap.* 8. Caietan. *in opuscul. de indulgent. ad Iulium, cap.* 8. Melchior Cano *lib. 5. de locis, cap. 5.* Bannes 2. 2. *quæst.* 1. *art.* 10. *dub.* 7. *concl.* 2. Omnes enim ij affirmant de fide non esse Pontificem errare non posse in canonizatione Sanctorum: at esse ita certum, vt temerarium sit, scandalosum, & hæresim sapiens, affirmare Pontificem errare posse.

Mouentur primò, quia canonizatio Sanctorum fit ex testimonio habito de sanctitate, & miraculis Sancti canonizati, sed hoc testimonium, cùm humanum sit, fallax esse potest. Ergo secundò vt fide diuina credere cogeremur, hunc canonizatum in cœlo esse, fide diuina credere teneremur, illa miracula, & sanctitatem illius, quibus ad canonizationem motus Pontifex fuit, vera esse: atqui hoc est impossibile, quia impossibile est fide diuina credere veritatem, quæ reuelata non sit, sed miracula, & sanctitas illius canonizati, imò status illius in cœlo nullibi reuelata sunt. Ergo. Confirmo. Ecclesia non proponit nouum articulum fidelibus credendum, qui Apostolis, canonicisque scripturis propositus non sit: sed nullibi est propositum Augustinum, Franciscum, Dominicum, Ignatium in cœlis esse: ergo cum Ecclesia id ipsum proponit, non proponit tanquam fidei articulum, sed tanquam veritatem omnino certam moraliter, & cui fides humana meritò adhiberi debeat. Tertiò solùm hæreticus esse censetur, qui negat in Pontifice authoritatem declarandi Sanctorum statum: non autem qui negat sic declaratum in cœlis assistere; vt tradunt supradicti DD. & specialiter Melchior Cano. Ergo Pontificis declaratio non constituit rem de fide.

2 Nihilominus probabilius existimo, non solùm temerarium, & scandalosum, sed etiam erroneum, & hæreticum esse affirmare errare posse Pontificem in Sanctorum canonizatione. sic docet Valent. 2. 2. *disp.* 1. *q.* 1. *p.* 7. *q.* 6. *§.* 40. *vers. itaque, pag.* 230. *& seqq.* Moueor primò, quia ex antecedenti §. constat de fide esse Pontificem errare non posse in legibus vniuersalem Ecclesiam spectantibus: non enim potest aliquid statuere contrarium legi diuinæ, & naturali: sed si errare posset in canonizatione Sanctorum, statueret legem contrariam legi diuinæ, & naturali. Ergo de fide est in iis non posse errare. Minorem probo; quia canonizans Sanctum obligat omnes fideles assentiri illum in cœlis esse, & tanquam Dei amicum venerari: si autem error adesset, iam obligaret fideles falsitati assentiri, & venerationem facere veneratione indigno; quod est legi diuinæ, & naturali contrarium. Ergo. Secundò de fide est Sanctos inuocandos esse, & eorum reliquias venerandas, Ecclesiámque gaudere authoritate declarandi; quibus hæc inuocatio, & veneratio adhibenda sit: vt constat ex *Clement. & Extrauag. de reliq. & veneratione Sanctorum,* & ex Trident. *sess.* 25. *decreto de eadem re.* Ergo de fide est Sanctum, qui declaratus talis est ab Ecclesia, inuocandum, & venerandum esse: aliàs frustranea esset authoritas. Ergo de fide est esse in cœlis, aliàs inuocari, & venerari non posset.

3 Neque obstant contraria.

Ad primum dico Pontificem non solùm ex testimonio humano moueri ad faciendam canonizationem, sed ex speciali instinctu, & assistentia Spiritus sancti, ratione cuius, eius declaratio firma, & infallibilis existit.

Ad secundum, & eius confirmationem concedo fide diuina credendam nobis esse sanctitatem illius canonizati, non tamen miracula allegata, quia à miraculis canonizatio non pendet necessariò; vera enim esse potest eius sanctitas, & in cœlis assistentia, quin miracula allegata vera fuerint.

Ad probationem dico sanctitatem canonizati, & illius in cœlis assistentiam, non esse singulariter, & explicitè reuelatam; est tamen reuelata virtualiter, & implicitè. Tum quia reuelatum est in cœlis assistere, qui in gratia ex hac vita migrauit. Itémque est reuelatum, Pontificem errare non posse ob assistentiam diuini Spiritus in iis, quæ ad religionem vniuersalis Ecclesiæ pertinent. Ex quibus manifestè deducitur de fide esse hunc canonizatum verè in cœlis esse, cùm sequatur ex vna præmissa de fide, & altera euidenti, vt patet in hoc discursu. De fide est Pontificem errare non posse in his, quæ cultum vniuersalis Ecclesiæ spectant; sed veneratio huius Sancti posita canonizatione est cultus obligans vniuersalem Ecclesiam. Ergo in illo errare non potest. Quòd si vrgeas aliud esse assentiri pœnitentibus cœlum promissum esse, & Pontifici promissam esse assistentiam Spiritus sancti, & aliud assentiri, quòd hic canonizatus piè vixerit: & quòd hic, & nunc Spiritus sanctus in hac canonizatione præstiterit eius assistentiam: sicuti aliud est credere in hostia ritè consecrata esse corpus Christi, & aliud credere hanc numero hostiam esse ritè consecratam. Nam primum illud generale suppositum est de fide. Secundum certum moraliter: sic de aliis propositionibus videtur dicendum. Facile, inquam, respondetur ad summum probare esse de fide non per se primò, sed per se secundò, eo quòd ex duplici reuelata, vel saltem ex vna reuelata, & altera euidenti sequatur; quod tamen nō sequitur in exemplo allato de hostia: nam esse hanc hostiam consecratam, non est certum certitudine euidenti; sed solùm morali: at quòd hic Sanctus in cœlis assistat, posita definitione de fide est; quia de fide est esse certum, quòd Pontifex obseruandum proponit toti Ecclesiæ vniuersali.

Ad tertium concedo affirmantem posse errare Pontificem in canonizatione Sanctorum, non esse tanquam hæreticum absolutè damnandum; quia non affirmat aliquid quod contrarium sit his, quæ Ecclesia recipit tanquam de fide certa absque vlla controuersia Doctorum. Videmus namque Canum, Bannes, & alios in principio relatos sentire de fide non esse, Pontificem errare non posse. Ergo Ecclesia non defendit tanquam de fide certum sine vlla controuersia. Quocirca ea maiori probabilitate, & certitudine, qua existimamus de fide esse Pontificem in canonizatione Sanctorum errare non posse, ea affirmandum est hæreticum esse, qui negaret.

4 Aduerto tamen canonizare Sanctos solùm summo

Pontifici competere: vt constat ex *cap.1. de reliq. & veneratione Sanctorum*, & sine illius licentia nemini Episcoporum licet aliquem pro Sancto venerari, & tradit Mascard. 181. *n.*50. August. Barbosa *de potest. Episcop.* 3. *p. alleg.* 50. *n.*43. Azor 1. *p. instit. moral. lib.* 5. *cap.* 6. *q.* 1. Cenedo *ad decret. collect.* 52. *n.*4. Mar. Anton. Genuensis *in praxi Archiepisc. Neapol. cap.* 51. *fine*.

§. V.

Quid dicendum de beatificatione Sanctorum, an, inquam, in ea Pontifex errare possit, & quousque liceat eorum veneratio.

1 *Quid sit beatificatio.*
2 *Quomodo à canonizatione distinguatur.*
3 *Temerarium, & scandalosum est asserere Pontificem in beatificatione Sanctorum errare posse.*
4 *Eadem certitudine tenendum est non posse Pontificem errare in beatificatione, ac in canonizatione.*
5 *Liceat ne alijs ab his (quibus facultas conceditur) Sanctum beatificatum venerari. Proponitur opinio Torres.*
6 *Pro decisione quid sit aduertendum.*
7 *Resoluitur longè pius, & probabilius esse ex deuotione omnes aquanimiter illum venerari posse.*
8 *Satisfit argum. num. 5. adductis.*

1 AB antiquis scriptoribus nihil de beatificatione actum est; recentiores tamen aliqui pauca subiungunt.

Primò præmittendum est, quid sit beatificatio. Secundò, qua ratione à canonizatione distinguatur. Et primò beatificatio est quædam facultas, & licentia concessa alicui prouinciæ speciali, vel Ecclesiæ, seu religioni, vt aliquem tanquam Sanctum, & in cœlis existentem colat. Sed quia colere potest multiplici cultu, scilicet Missæ sacrificio, orationibus & processionibus, publicis votis, illius inuocatione, & imaginis gestatione, Pontifex beatificando illum, simul etiam determinare potest, quo cultu venerandus sit.

2 Secundò præmittendum est, beatificationem à canonizatione distingui in eo, quòd canonizatio est facultas, & licentia concessa non alicui prouinciæ speciali, sed vniuersali Ecclesiæ, aliquem, vt Sanctum venerandi, & consequenter est concessio, & facultas venerandi Sanctum, eo cultu, & veneratione, qua solent Sancti canonizati venerari. Aliquibus videtur distingui beatificatio à canonizatione; quia canonizatio obligat totam Ecclesiam, vt canonizatum veneretur; beatificatio verò non obligat totam Ecclesiam; imò neque prouinciam, pro qua beatificatio conceditur, vt beatificatum veneretur; sed solùm eius venerationem permittit. At credo hanc distinctionem subsistere non posse, quia de ratione canonizationis non est obligare totam Ecclesiam, vt canonizatum veneretur: nam si ad hoc obligaret, obligaret ad aliquem cultum exhibendum à tota Ecclesia; ac proinde vt tota Ecclesia, vel Missam, vel preces, vel processionem aliquam in eius honorem funderet: quod non fit specialiter de omnibus Sanctis. Ergo solùm ex vi canonizationis conceditur facultas, & licentia canonizatum venerandi: præceptum autem alicuius venerationis non fertur quoad exercitium, sed ad summum, quoad speciem: hoc est, si circa Sanctum illum aliquam actionem exercere debeas, ea cultus, & venerationis sit. Quare tam canonizatio, quàm beatificatio, est facultas & licentia Sanctum publico ritu, & solemni venerandi: non tamen videtur esse præceptum de illius expressa, & quoad exercitium veneratione. His præmissis,

3 Alicui videbitur Pontificem in beatificatione Sanctorum errare posse, etiamsi in canonizatione liber ab errore sit; quia ex hoc errore non sequitur vniuersalem Ecclesiam errare, siquidem non proponitur vniuersali Ecclesiæ Sanctus ille colendus.

Cæterùm dico primò temerarium esse, & scandalosum affirmare in beatificatione Sanctorum Pontificem errare posse; quia absque vllo fundamento, & contra rectam morum institutionem diceretur. Quapropter existimo neminem Catholicorum in hac parte dissentire, præcipuè si beatificatio sit, qualis semper esse solet, in qua conceditur, vt Missæ sacrificium in honorem illius celebretur.

4 Secundò dico eadem certitudine tenendum esse, Pontificem errare non posse in beatificatione Sanctorum, ac in canonizatione. Probo, quia Doctores loquentes de canonizatione, & affirmantes Pontificem errare non posse, nihil de beatificatione scripserunt. Ergo signum erat sub canonizatione voluisse beatificationem comprehendere. Secundò Pontifex beatificans Sanctum aliquo Missæ sacrificio, hoc est, concedens, vt aliquod Missæ sacrificiũ in illius honorem celebretur, toti Ecclesiæ venerandum proponit; quia nomine totius Ecclesiæ sacrificium offertur: ipsáque tota Ecclesia medio illo ministro, & sacrificio ab illo oblato Sãctum illum veneratur: sed in his, quæ pertinent ad cultum vniuersalis Ecclesiæ, errare non potest Pontifex. Ergo. Et ex his patet solutio rationis dubitandi. Negamus enim non sequi vniuersalem Ecclesiam errare, si erret Pontifex in beatificatione. Nam licèt à Pontifice non proponatur venerandus per vniuersalis Ecclesiæ ministros; proponitur tamen venerandus ab vniuersali Ecclesia per speciales aliquos ministros; & hoc sufficit, vt Ecclesia ipsa errare dicatur.

5 Maior autem difficultas est, an liceat aliis, ab his, quibus facultas conceditur, venerari Sanctum beatificatum, ritu in beatificatione præscripto. v.g. conceditur religiosis Societatis IESV venerari sanctissimum Ludouicum Gonzaga, vel beatissimum Franciscum Borja, sacrificio Missæ, & horis canonicis, die quo è vita discessit, poterunt ne clerici sæculares processionem solemnem, & sacrificium in eius honorem offerre, siue in sua Ecclesia, siue in nostris, siue ipso die, quo è vita discessit, siue alio?

Ludouicus Torres 2. 2. *disput.* 17. *dub.* 8. attigit hanc quæstionem, & nimis scrupulosè locutus est: negat namque hæc omnia licere. Probaríque potest primò, quia nemini licet absque authoritate Sedis Apostolicæ aliquem honore publico venerari, *cap.* 1. *de reliq. & venerat. Sanct.* sed Apostolica Sedes solùm religiosis Societatis IESV hos Sanctos venerari concessit. Ergo nemini alteri licebit illos venerari.

Dices, ex concessione facta religiosis Societatis IESV sublata est prohibitio omnibus facta *in supradicto cap.* 1. siquidem ibi solùm prohibetur venerari aliquem absq; authoritate Sedis Apostolicę; at in huius venerationem iã authoritas Apostolica intercedit. Ergo licet omnibus venerari. Sed cõtrà, quia authoritas Apostolica eatenus intercedit, quatenus licentiam, & facultatem concedit Missæ sacrificium celebrandi; sed nõ concedit omnibus Sacerdotibus, sed solùm Societati IESV religiosis. Ergo solùm pro religiosis Societatis IESV, & non pro aliis authoritas Apostolica intercedit. Ergo solùm ipsi, & non alij poterunt illos Sanctos venerari. Secundò si omnibus licitum esset Missæ sacrificium celebrare, vt quid Pontifex concessionem limitat pro aliqua speciali prouincia, & specialibus personis? Tertiò hæc concessio facta religiosis celebrandi Sanctum beatificatum sui ordinis, est quædam permissio, seu priuilegium derogans vniuersali prohibitioni factæ *in cap.* 1. *de reliq. & veneratione Sanctorum*, ne aliquem veneremur absque authoritate Sedis Apostolicæ. Ergo manet integra prohi

prohibitio comparatione illorum, quibus priuilegium non est concessum. Quartò sequeretur nullam esse differentiam inter Sanctum canonizatum, & beatificatum hoc modo: nam si de Sancto beatificato omnes possunt ex deuotione Missam, & officium recitare, nihil aliud de Sancto canonizato possunt. Ergo nulla est differẽtia.

6 Vt autem huic dubitationi respondeam, præmitto aliud esse Missam propriam, & officium proprium alicuius Sancti recitare, aliud Missam votiuam, & officium votiuum. De D. Petro, & Paulo, Augustino, Dominico, & Francisco dicitur Missa propria, & officium proprium non omnibus diebus anni, sed vno dumtaxat, extra quem nemo potest attentis regulis Missalis, & Breuiarij reformati à Pio V. Gregor. XIII. & Clem. VIII. Missam, & officium proprium illorum celebrare. Item de pluribus Sanctis canonizatis nemini concessum est Missam propriam, & officium proprium dicere: & de aliquibus solùm concessum est alicui prouinciç, vel singularibus personis. Verùm hæc limitata concessio non obstat, quominus Missam votiuam, & officium votiuum, quilibet illis exhibere possit. Quia eo ipso, quòd Sedes Apostolica illos in Sanctorum numerum retulit, & dignos iudicauit, vt in ipsorum gloriam sacrificium offerretur nomine totius Ecclesiæ; consequenter iudicauit posse quemlibet fidelem, si velit, similem eis, ex deuotione honorem præstare. Hoc posito,

7 Dicendum est longè pius, & probabilius esse, posse quemlibet Sacerdotem Missam votiuam, & officium votiuum recitare in honorem illius beatificati, pro quo Sedes Apostolica concessit alicui speciali religioni, vel prouinciæ Missam, & officium proprium aliquo die celebrare. Probo, quia vna Missa in vno loco eiusdem valoris est, & æstimationis: ac plures Missæ pluribus in locis factæ. Ergo Sedes Apostolica concedens, vt in honorem alicuius Missa aliqua dicatur, simul declarat dignum esse, in cuius honorem omnes dici possent. Sed hac declaratione facta tollitur prohibitio relata *in cap. 1. de reliq. & venerat. Sanctorum*, in quo cauetur neminem esse venerandum sine authoritate Romanæ Sedis. Nam cùm hunc Sanctum ex tua deuotione veneraris, authoritate Sedis Romanæ facis, quæ iudicauit dignum esse illa veneratione. Neque obstat si dicas verum esse Romanam Ecclesiam concedentem, vt in honorem alicuius Missa celebretur, simul declarare dignum esse, vt ab omnibus Sacerdotibus illo cultu possit venerari: at inde non inferri, posse omnes Sacerdotes illum venerari, non quia beatificatus dignus non sit; sed quia ipsi impediti sunt. Non, inquam, obstat; quia nemini publicum religiosum cultum ex deuotione alicui exhibendum impeditur, nisi quia is, cui est exhibendus, non iudicatur à Sede Apostolica dignus illo: quod constat manifestè ex his, quæ dicit Alexand. III. *in cap. 1. de reliq. & veneratione Sanctorum*, vbi occasione aliquorum, qui hominem quemdam in potatione, & ebrietate occisum venerabantur tanquam Sanctum, subiungit: *Illum ergo non præsumatis de cætero colere, cùm etiam si per eum miracula fierent, non liceret vobis ipsum pro Sancto absque authoritate Romana Ecclesiæ venerari.* Ergo solùm ad venerationem exhibendam requirit Alexand. vt priùs Romana Ecclesia illum pro Sancto veneretur, sed eo ipso, quòd concedit Romana Ecclesia Missam in honorem ipsius celebrare, illum pro Sancto veneratur; siquidem exhibet illi supremum cultum, quem exhibere potest. Ergo hac concessione facta quilibet poterit eodem cultu Sanctum pro deuotione venerari.

Et confirmo exemplo cuiuslibet Sancti canonizati; in cuius honorem omnes conueniunt posse vbilibet, & quolibet die quemlibet Sacerdotem Missam dicere, non quidem propriam; quia fortè nec pro vno die illi est assignata, sed votiuam, iuxta regulas Missæ votiuæ, eo quòd à Sede Apostolica iudicatus est dignus, cui is honor exhibeatur, sed etiam in Sancto beatificato simile iudicium fecit, cùm Missam in ipsius honorem dicere aliquibus personis permisit. Ergo.

Ex his infertur posse quemlibet eius imaginem adorare, & adorandam in altari constituere, & publicis processionibus circumferre; hi enim cultus longè inferiores sunt Missà, & officio. Si ergo Pontifex eum dignum iudicauit cultu, qui per Missam, & officium canonicum exhibetur, à fortiori dignus iudicatus est omnibus aliis.

8 Argumenta in contrarium nullius sunt ponderis.

Ad primum respondetur vt ibi. Ad probationem dico authoritatem Sedis Apostolicæ religiosis concedere Missam, & officium diuinum in honorem illius Sancti, dupliciter intercedere posse. Primò approbando Sanctum, vt dignum, in cuius honorem Missa, & officium ab omnibus celebretur. Secundò concedendo facultatem aliquibus tantùm Missam, & officium proprium dicendi. Hoc secundo modo admitto pro aliquibus tantùm personis authoritatem Apostolicam intercedere, sicut etiam solet reperiri in Sancto canonizato. At primo modo respectu totius Ecclesiæ vniuersalis, authoritas Apostolica intercessit ob rationem in conclusione allatam.

Ad secundum respondeo diuersum esse dicere Missam& officium diuinum proprium, ac dicere ex deuotione; dicere enim proprium, specialis solemnitas, & fauor est factus ab Apostolica Sede: sicuti erat specialis fauor factus religioni Seraphici Francisci, & singularis honor S. Didaci; cùm in ipsius honorem ab omnibus Ecclesiæ Sacerdotibus Missa propria in eius die felicissimi obitus dicebatur: at non ex eo quòd in præsenti nemini alteri à religiosis D. Francisci liceat Missam propriam dicere, prohibiti sunt, qui voluerint dicere votiuam.

Ad tertiam concessionem illam, & esse priuilegium, & esse remotionem conditionis, sub qua lex lata *in c. 1. de reliq. & vener. Sanct.* obligat. Est enim remotio illius conditionis, quatenus est approbatio dignitatis, & meriti Sancti beatificati. Nam cùm illa lex prohibeat venerationem publicam Sancti, qui à Romana Ecclesia probatus non fuerit, approbatione Pontificia remouetur conditio requisita ad prohibitionem. Est item illa concessio priuilegium quatenus est concessio, & facultas Missam propriam, & officium proprium dicendi. Ex quo fit prohibitionem factam *in d. cap. 1.* cessare in veneratione Sancti beatificati, quia cessat negatio approbationis pontificiæ sub qua obligat.

Ad quartum dico esse diuersam rationem inter Sanctum canonizatum, & beatificatum: nam licèt de pluribus Sanctis canonizatis non possit Missa propria, & officiũ proprium dici, eo quòd non sint relati in Missali, & Breuiario. Et in hac parte nulla videtur specialis differentia inter canonizatum, & beatificatum: at de Sancto canonizato dici posset, præcipi saltem quoad speciem illum credere in cœlis existere, & dignum esse in cuius honorem Missa, & officium celebretur; de Sancto tamen beatificato id solum permitti. Quapropter concludo posse Ecclesias Cathedrales, Episcopos cum suis Clericis supradictos Sanctos beatificos honorare Missa Pontificia, & officio votiuo, processionéque solemni, cui opinioni subscripserunt Salmanticæ anno Domini 1625. cùm hic casus consultus fuit, Doctor Balboa in Ecclesia Salmanticensi doctoralis, & in vniuersitate primam cathedram canonum regens D. D. Aluarus de Oca, & Sarmiento vespertinæ cathedræ canonum moderator. D. Martinus de Bonilla decreti cathedram regens. D. D. Petrus de Vega, primarius legũ professor. Ex Augustiniana familia subscripserunt Mag. Basilius de Leon, M. Bernardinus Rodriq. M. Francisc. Dominguez

minguez in vniuersitate professores: & etiam ex familia D.Bernardi subscripsit M.Angel. Manrique, M.Alphons. Perez, M.Ludouic. Bernard. ex familia D.Benedicti subscripsit M.Fr.Didac. de Salazar, M.Benedictus de la Serna. Ex D.Francisco, Fr.Petrus Ladron de Gueuara, Fr.Laurentius de Villareal, Fr.Sebastianus Fajardo. Ex familia virginis de la Merced subscripsit M.Gaspar de los Reyes. Ex nostra Societate subscripserunt PP. Ioannes de Montemayor, Franciscus de Prado, Petrus Pimentel, Ludouic.Roa, Ioan.Martinez, & ego minimus, aderam enim tunc Salmanticæ.

§. VI.

Quid dicendum de religionum approbatione, an, inquam, Pontifex errare possit.

1 *Nequaquam Pontifex approbare potest religionem aliquam consentaneam esse Euangelio, quæ ita non sit.*

2 *Neque secundum leges prudentiæ errare potest Pontifex in religionum approbatione, qui affirment.*

3 *Contrarium qui defendant, & quomodo probent.*

4 *Nunquam est præsumendum Pontificem in hac materia minùs cautè, & prudenter procedere.*

1 CVm Pontifex religionem aliquam approbat, approbat vitæ aliquod institutum sub voto paupertatis, castitatis, & obedientiæ, tanquam aptissimum, & Euangelio nimis conforme ad salutem consequendam: hoc autem institutum & continet finem aliquem ad diuinam gloriam, & salutem æternam pertinentem, & insuper media aliqua, quibus hic finis obtineri potest. Dicendum ergo existimo de fide esse, non posse Pontificem in approbatione huius finis, & mediorum, quæ sibi proponuntur, errare; ita vt approbet tanquam consentaneum euangelicæ perfectioni, quod verè consentaneum non sit. sic docet Valent. 2.2. *disp.* 1. *q.* 1. *p.* 7. §. 41. *col.* 210. & colligitur ex Constātiensi *sess.* 8. vbi damnatur vltimo loco error VViclephi, asserentis impudentissimè omnes religiones indifferenter esse introductas à diabolo: cui errori non leue patrocinium esset, si Pontifex posset aliquam religionem contrariam euangelicæ perfectioni approbare, vt conuenientem; talis enim approbatio à diabolo esset, non à Christo, & eius vicario. Probo autem breuiter supradictam conclusionem esse de fide; quia de fide est Pontificem, quatenus talis est, errare non posse, in iis, quæ ad fidem, & mores pertinent vniuersalis Ecclesiæ; non enim vniuersalem Ecclesiam docere potest aliquod falsum: aliàs non esset in Ecclesia promissus spiritus veritatis; sed si Pontifex approbans aliquod institutum religiosum tanquam euangelicæ perfectioni conueniens approbaret, quod re vera conueniens non est, sed potiùs contrarium, errore pernicioso Ecclesiam obtruderet. Ergo id fieri nullatenus potest.

2 Quare inter Catholicos solùm esse potest difficultas, an secundùm leges prudentiæ errare possit Pontifex approbando aliquam religionem, cuius institutum licèt malum non sit, neque contrarium perfectioni euangelicæ; est tamen minus conueniens Ecclesiæ, vel quia nimis durum, vel laxum sit; vel quia ex illo sequitur confusio aliqua in Ecclesia, & feruoris spiritualis in aliis religionibus diminutio.

In qua re Valent. *disp.* 1. *q.* 1. *p.* 7. §. 41. *col.* 231. *vers. quod verò attinet*, affirmat nequaquam in hac parte Pontificem errare posse. Mouetur efficaci satis ratione: si enim Pontifex admittit religionem, quam spectatis omnibus circumstantiis debebat reiicere, Ecclesiam obligat ad rem aliquam, quæ non in Ecclesiæ ædificationem, sed potiùs destructionem cedit: siquidem obligat Ecclesiam, ne religionem illam reiiciat, sed potiùs accipiat, & religiosos illius secum habitare permittat: quæ religio, vt supponitur, spectatis omnibus circumstantiis minus sibi conueniens est, quàm esset carentia illius; sed Pontifici data non est potestas obligandi Ecclesiam, in his, quæ illi nociua sunt. Ergo non potest Pontifex approbare religionem Ecclesiæ vniuersali nociuam, ex quacumque parte nocumentum proueniat.

3 Contrarium defendit Bannes 2. 2. *quæst.* 1. *art.* 10. *dub.* 8. *conclus.* 5. Mouetur primò, quia Innocentius III. *in cap. vlt. de religiosis*, & Gregorius X. *in cap.* 1. *eodem tit. in* 6. prohibent firmiter nouarum religionum institutionem, ne nimia religionum diuersitas grauem in Ecclesia Dei confusionem inducat. Sentit ergo Pontifex tunc temporis non esse conueniens nouam religionem instituere. Ergo si de facto illam approbaret, rem inconuenientem Ecclesiæ videretur facere. Secundò sæpe approbatas religiones Pontifex reformauit, vel dissoluit. Ergo sensit Ecclesiæ Dei non conuenire, vt existerent. Nam ideo dissoluit, quia non iudicantur conuenientes. Ergo ante dissolutionem inconuenientes erant. Sed non obstante hac inconuenientia approbabantur, & Pontifex obligabat vniuersam Ecclesiam ad illarum receptionem. Ergo optimè Pontifex potest obligare vniuersam Ecclesiam ad rem, quæ illi aliquo modo inconueniens est; quia ex alio capite habet conuenientiam. Tertiò. Negari non potest posse Pontificem leges rerum agendarum, & quæ necessariæ non sunt ad salutem, ita multiplicare, vt earum multiplicatio rectæ Ecclesiæ gubernationi inconueniens sit. Ergo similiter poterit religiones ita multiplicare, vt earum multiplicatio confusionem inducat, & regimini Ecclesiæ præiudicet.

4 Ego verò dicendum existimo nunquam præsumendum esse Pontificem in approbatione cuiusuis religionis minus cautè, & prudenter procedere. esset enim iniuria non leuis facta Pontifici, & contra debitam reuerentiam, & subordinationem, quam debent fideles suo supremo pastori exhibere; de facto tamen, & in re ipsa minus cautè, & prudenter procedere aliquando potest: non quidem approbando religionem, quæ re vera inconueniens sit ex se, sed quæ ex adiunctis circumstantiis minus conueniat. Neque aliud probant argumenta Bannes, quibus ratio Valentiæ non obstat. Concedimus namque Pontifici datam non esse potestatem obligandi Ecclesiam ad ea, quæ illi absolutè nociua sunt, & in illius destructionem. Affirmamus tamen esse datam potestatem obligandi Ecclesiam ad ea, quæ absolutè illi conueniunt, etsi non æquè conuenientia sint, ac opposita. Aliàs pluries legum obligatio cessaret, neque firmi esse possemus in illarum executione.

§. VII.

An Concilia generalia, & prouincialia errare possint in rebus fidei definiendis.

1 *Præmittitur triplex esse Concilium, generale, prouinciale, & Episcopale.*

2 *Concilio non potest Pontifex delegare potestatem definiendi infallibiliter res fidei.*

3 *De fide est, Concilium à Pontifice confirmatum authoritatis esse infallibilis.*

4 *Ante confirmationem nullam habet authoritatem infallibilem.*

5 *Proponuntur aduersùs supradicta aliquot obiectiones, & soluuntur.*

1 PRæmitti debet triplex esse Concilium, Synodum, seu congregationem Sacerdotum, maximè Episco

Episcoporum ad res fidei definiendas. Primò generale, in quo ex necessitate conuocantur Episcopi omnium regnorum, vt veniant quot potuerint: iuxta textum *in cap. placuit*, 18. *distinct.* & *cap. 4. de iureiurand.* Abbates verò generales ordinis, & alij homines docti ex priuilegio conueniunt: vt notauit Turrecremata *lib. 3. de Ecclesia, cap. 5. & 16.* Secundum est Concilium prouinciale, in quo congregantur Episcopi vnius prouinciæ, aut regni. Tertium est Concilium Episcopale, seu locale, vbi clerici totius diœcesis congregantur. Concilium generale authoritate Pontificis est necessariò congregandum; vt constat ex *cap. bene quidem, 96. distinct.* & *ex tota distinct.* 17. & habetur *in cap. significasti, de electione,* & tradit pluribus exornans Turrecremata *lib. 3. de Ecclesia, cap. 6. 7. 34. & 36.* Caietan. *opuscul. de authorit. Papæ, cap. 16.* Bellarmin. *tom. 1. controuers. 4.* Et ratio est manifesta; quia conuentus, & congregatio Episcoporum sine voluntate, & consensu capitis, quale est Pontifex, non Concilium Ecclesiasticum nuncupari debet, sed schisma, & conspiratio, vt dicit Pelagius *cap. multis*, 17. *distinct.* Sicuti si Magnates regni conuenirent absque consensu Regis ad agendum de legibus regni, non comitia, sed conspiratio diceretur; vt bene expendit Bannes 2. 2. *quæst. 1. art. 10. dub. 3. notab. 2.* Valent. *disp. 1. q. 1. punct. 7. §. 45. col. 270.* Concilium prouinciale authoritate Metropolitani, seu primatis euocatur. Concilium diœcesanum authoritate Episcopi, vt ex ipso vsu constat, & tradunt suprà relati Doctores.

Secundò præmitto loqui nos posse de Concilio ante Pontificis confirmationem, vel post illam.

2 Præmitto tertiò non posse Pontificem delegare potestatem definiendi infallibiliter res fidei. Ratio est, quia hæc consistit in assistentia diuini Spiritus ex promissione diuina, quæ cùm solùm facta sit Petro, & eius successoribus, solus ille, & eius successor hanc assistentiam habere possunt. Ergo alius non potest illam ex delegatione, neque alia via habere. Item quia hæc potestas est quædam gratia pertinens ad donum Apostolatus, sicuti & prophetia, & scientia, & sapientia, quæ aliis communicari non possunt: & ita tradit Turrecremata *lib. 3. de Eccles. cap. 6. 8. & 38.* Bannes 2. 2. *quæst. 1. art. 10. dub 4. versic. quapropter secundò supponendum est.* Cano *lib. 5. de locis, cap. 5.* Valent. *disput. 1. quæst. 1. punct. 7. §. 45. col. 273.*

3 Dico primò de fide esse quodlibet Concilium authoritatis esse infallibilis, si à Romano Pontifice fuerit confirmatum; quia Romanus Pontifex est suprema, & infallibilis regula veritatis. Ergo vbicumque eius confirmatio accesserit, error committi non potest: Deinde, quia primum Concilium, quod fuit in Ecclesia celebratum, non fuit generale, sed speciale; non enim fuit ex omnibus Apostolis, sed tantùm ex quatuor, nempe, Petro, Paulo, Iacobo, & Barnaba: & tamen ibi dictum fuit, *visum est Spiritui sancto, & nobis.* Ergo ad definitionem faciendam non indiget Pontifex generali Concilio. Denique plures errores damnati sunt in Synodis prouincialibus à Pontifice cõfirmatis, qualis fuit error Pelagij in Mileuitana Synodo sub Innocent. Et in Arausicana, & Carthaginens. à Leone I. & Bonifacio. Et error Prisciliani in Concilio Toletano I. cõfirmato à Leone I. & nuper ex Sixto IV. confirmatum est Complutense Concilium, in quo fuerunt damnati errores Petri Oxonien. & ex *cap. de libellis, distinct. 20.* constat decreta Concilij prouincialis Carthaginen. Ancyrani, Neocæsarien. Gangren. Sardicen. Africani recepta esse tanquam de fide ab vniuersa Ecclesia. Ergo.

4 Dico secundò. Ante confirmationem Pontificis nullum Concilium quantumuis generale est infallibilis veritatis: sic tradit ex communi sententia Bannes 2. 2. *quæst. 1. art. 10. dub. 3. conclus. 3. & dub. 4. conclus. 2.* Valent. *disput. 1. quæst. 1. punct. 7. §. 45.* Probo primò, quia nemini, nisi Petro, & eius successoribus concessa est Spiritus diuini assistentia, ne in rebus fidei erret, vt ex sæpe dictis constat. Sed Concilium, quantumuis congregatum sit authoritate Pontificis, non est successor Petri, sed solùm Pontifex. Ergo Concilium, vt distinctum à Pontifice, non est infallibilis veritatis. Secundò omnia Concilia, quæ in Ecclesia aliquam authoritatem habent, à Sede Apostolica sunt approbata, vt constat ex *cap. significasti, de elect.* vbi Paschalis Pontifex ait: *Omnia Concilia per Romanæ Ecclesiæ authoritatem facta sunt, & robur acceperunt.* & *in cap. Concilia. distinct.* 17. inquit Symachus, *quòd quia non habent præsentationem*, id est, authoritatem Pontificis, *valetudinem perdiderunt.* Ideóque Concilia hanc confirmationem expostulant, vt videri potest ex his, quæ refert Turrecremata *lib. 3. cap. 34.* & constat ex Trident. *sess. vlt. in decreto de fine Concilij*, ibi enim decernitur petendam esse per Legatos confirmationem à Sede Apostolica. Sentiunt ergo Concilia absque hac confirmatione, & approbatione firmiter, & infallibiliter veritatem non docere. Tertiò à Concilio generali quantumuis legitimè congregato datur appellatio ad Romanam Sedem. Sed à prima regula, & infallibili veritatis dari non potest appellatio, vt de se constat. Ergo Concilium secluso Pontifice non est prima regula, & infallibilis veritatis. Maior propositio, in qua est difficultas, deciditur à Bonifac. VIII. *in Extrauag. vnam sanctam, de maiorit. & obedient. inter communes,* & latè, & eruditè probat Turrecremata *lib. 3. summ. cap. 47.* & D. Thomas *quæst. 10. de potentia, art. 4. ad 13.* Quartò, quia sunt aliqua Concilia generalia authoritate Pontificis congregata, non tamen confirmata, in quibus aliqui errores inueniuntur. Ergo Concilium non confirmatum à Sede Apostolica non est infallibilis veritatis. Antecedẽs probatur tum ex Concilio Ephesino II. quod fuit à Leone I indictum, non tamen confirmatum, quod errores Dioscori, & Eutychetis admisit, vt tradit idem Leo *epist. 12. 13. & 21. & aliis seqq.* Tum ex Concilio Basileens. sub Eugenio IV. cuius defectus expendit Turrecrem. *lib. 3. de Ecclesia, cap. 100.* & Caietan. *in tract. de authorit. Pontif. cap. 8.*

5 Verùm aduersùs hanc, meo iudicio, indubitatam sententiam, sunt aliquot obiectiones, ex quarum solutione magis eius veritas elucidabitur. Prima, Conciliũ generale authoritate Pontificis congregatum repræsentat totam Ecclesiam, & maximè, si ibi adsint Sedis Apostolicæ Legati, vt docuit Martin. V. in fine Concilij Constantiensis: sed Ecclesia vniuersalis errare non potest, etiamsi non erret Pontifex; aliàs aduersùs Ecclesiam portæ inferi præualerent. Ergo Concilium etiam vt distinctum à Pontifice est infallibilis veritatis.

Huic obiectioni respondet Melchior Canus *lib. 5. de locis Theolog. cap. 5.* & Bannes 2. 2. *quæst. 1. art. 10. dub. 4. conclus. 2. & ad primum argumentum, circa finem.* Concilium generale si sumatur pro omnibus Patribus Concilij errare non posse; sicuti neque omnes Ecclesiæ fideles: at si sumatur pro maiori parte congregatorum, errare potest. Sed hæc solutio mihi non probatur, pugnat enim cum doctrina conclusionis: siquidem infallibilem veritatem concedit omnibus Patribus Concilij, vt à Pontifice distinctis. Quapropter secundò respondeo, omnes Patres Concilij, & Legatos Sedis Apostolicæ, etsi rarò, vel nunquam errent, errare tamen posse: neque obinde sequitur Ecclesiam vniuersalem errare: tum quia omnes illi Patres non sunt Ecclesia vniuersalis, etiamsi vniuersalem Ecclesiam repræsentent; tum quia non repræsentant illam, nisi ad inuestigationem rerum fidei, & illarum assensum, non ad errorem. Quare errantes Patres illi possunt à Pontifice emendari, & reliqui fideles in fide sustineri. Vnde non sequitur aduersùs Ecclesiam Dei portas inferi præualere; sic docent Caietanus *in tractat. de authoritate Pontific.*

tific. cap. 9. Valentia *disput.* 1. *quæst.* 1. *punct.* 7. §. 45. *col.* 273.

Secundò. Vbi duo, vel tres congregantur in nomine Christi, ibi Christus promittit adesse, *Matth.* 18. *v.* 20. sed ad definitionem rerum fidei, & morum congregantur in nomine Christi omnes Ecclesiæ pastores. Ergo ibi adest Christus infallibiliter, ne errent.

Huic argumento respondet Bannes *suprà dub.* 3. *conclus.* 1. cùm congregantur Episcopi, & pastores Ecclesiæ authoritate Papæ, congregari nomine Christi, ac proinde nunquam sic errare posse; quia si errarent, non haberent, à quo possent corrigi; quia non possunt corrigi à Pontifice; non quia Pontifex illorum caput non sit, & superior: sed quia ipse non potest illos corrigere, nisi consultatione, & examinatione facta; sed nullam certiorem examinationem adhibere potest, quàm eam, quæ est à Concilio generali. Ergo stante hac examinatione, & consultatione erronea, non datur locus correctioni. Hæc solutio retinenda non est, quia tribuit Concilio infallibilem authoritatem, & destruit conclusionem positam, in qua resoluimus solum Pontificem esse regulam infallibilem; reliquos verò errare posse. Quapropter aliam solutionem subiungit Bannes; inquit enim Concilium sic congregatum errare non posse errore culpabili: cùm enim congregatum sit religiosa, ac pia intentione inuestigandi veritatem, si de facto contingat errare, eius error culpabilis non erit, & citò ab illo ex benignitate Dei liberabitur. Addo supradictum locum de efficacia orationis ad impetrãdum quidquid sic congregatis expediens est ad salutem, debet intelligi, non de infallibilitate definitionis. Deinde dici potest congregari Concilium in nomine Christi ad agendum de rebus fidei; non tamen ad infallibiliter definiendum: hoc sui muneris non est. Quod si velis de infallibilitate definitionis loqui, intelligendus es adesse ibi Christus, vt si verum definiant, Pontifex confirmet: si autem falsum determinent, repellantur, & corrigantur. Cùm verò vrges non posse emendari quod sic determinatum est, quia non potest Pontifex certiorem examinationem adhibere. Respondeo posse emendari, vel quia definitionis infallibilitas ab examinatione facti non pendet: vel quia Spiritus sanctus disponit aliam examinationem loco illius subrogari saniorem, & certiorem, etsi non à tot Episcopis facta sit.

Tertiò. Ante Pontificis cõfirmationem anathemate damnant Concilia eos, qui ab eorum decretis dissentiunt. Ergo sentiunt eorum definitionem habere fidei veritatem?

Respondeo damnare anathemate, quantum est in se, si à Pontifice dogma constitutum approbetur, non tamen absolutè.

Quartò. Patres congregati in Concilio iudices sunt controuersiarum fidei, sed non sunt iudices ex aliqua authoritate humana; cùm fides sit supra naturam. Ergo ex aliqua authoritate diuina. Ergo sunt iudices infallibiles?

Respondeo Patres congregatos in Concilio & esse Consiliarios summi Pontificis, quatenus illorum consilio vtitur ad res fidei definiendas; & esse etiam iudices vniuersales Ecclesiæ, quatenus sententiam in rebus fidei pronuntiant, sed non sunt iudices supremi, sed dependentes à Pontificis approbatione: eorum tamen authoritas non est propriè diuina, id est, in assistentia Spiritus sancti consistens; sed est humana, & diuina. humana, quatenus à Pontifice descendit; diuina, quatenus ex potestate diuina data Pontifici habent potestatem res fidei definiendi, non absolutè, sed accedente Pontificis approbatione.

Quintò. Quia facilius est singularem personam à veritate deuiare, quàm Concilium aliquod vniuersale. Ergo decebat, vt Christus supremam potestatem, & regulam infallibilem veritatis potius Concilio, seu Ecclesiæ vniuersali, quàm Pontifici relinqueret. Adde sic relictam videri, siquidem potest eligere Pontificem, aut electum deponere, si hæreticus sit, vel alio modo Ecclesiæ vniuersali præiudicet.

Respondetur concedendo facilius esse Pontificem deuiare à veritate, si vt est singularis persona spectetur, quàm Concilium: at si consideretur Pontifex, quatenus pastor est vniuersalis Ecclesiæ, difficilius esse illi à veritate declinare, imò impossibile; quia Spiritu sancto protegitur.

Ad confirmationem dico Ecclesiam habere ex Christo authoritatem in illis dumtaxat casibus circa Pontificem, scilicet ad eligendum illum, & ad deponendum electum, quando id conuenire Ecclesiæ iudicatur. Neque inde fit Concilium esse supra Pontificem absolutè, tum quia non confert Pontifici authoritatem, sed offert personam Christo, cui Christus authoritatem confert: tum quia non deponit nisi in casibus specialibus, & quando Christo intelligi potest placere depositionem.

§. VIII.

Quid dicendum de vnanimi consensu Patrum, & Doctorum, an, inquam, errare possit.

1 *Idem dicendum videtur de his, ac dictum est de generali Concilio.*
2 *Proponitur obiectio.*
3 *Fit satis.*

1 Videtur idem esse dicendum, ac diximus de Conciliis. Si enim consensus Doctorum sumatur ante approbationem Pontificis, etsi de facto nunquam erret, at certè errare potest, & à Pontifice emendari. Quia omnes Doctores, secluso Pontifice, non sunt regula infallibilis veritatis. Ergo à veritate deuiare possunt. Accedente autem approbatione Pontificis, nemini Catholicorum dubium esse potest infallibilis veritatis esse.

2 Dices. Ecclesia vniuersalis errare non potest, etiam vt distincta à Pontifice; quia in solo Pontifice non potest Ecclesia, quæ est mater veritatis, residere: sed si vniuersitas Doctorum errare posset, omnes etiam fideles possent errare. hoc autem est impossibile. Ergo impossibile est vniuersitatem Doctorum errare posse. Minorem probo; quia id credere tenentur fideles, quod Doctores vnanimi consensu docent: sed Ecclesia non tenetur credere nisi vnum. Ergo quod vniuersi Doctores docent, infallibiliter verum est. Et confirmo. Ecclesia vniuersa non potest à veritate deflectere; siquidem promissus est illi spiritus veritatis. Ergo nec eius Doctores, siquidem ab eorum doctrina ipsa omnino dependet.

3 Respondeo Ecclesiam vniuersalem, etiam vt distinctam à Pontifice, errare non posse, neque etiam vniuersos Doctores, non quia ipsis Spiritus sanctus immediatè assistat, & sint regula veritatis, sed quia hoc pertinet ad specialem Dei prouidentiam, qui immediatè assistit Pontifici, ex cuius assistentia facit, ne Doctores omnes, quorum consilio, & doctrina vtitur in controuersiis fidei, deficiant; dati sunt enim hi Doctores Ecclesiæ, tanquam oculi humano corpori, vt ipsam illuminent, & ostendant, quid verum sit, & fidei conforme.

PVN

PVNCTVM VI.

In quónam subiecto fides diuina resideat.

1 *Residet potentiæ intellectiuæ, & est habitus practicus, & speculatiuus.*
2 *Alia est fides perfecta, alia imperfecta, alia viua, alia mortua.*
3 *Ad fidei assensum aliquis habitus in voluntate requiritur.*
4 *In Angelis, & in nostris primis parentibus, cùm primùm producti sunt, resedit fides Dei vnius, & trini.*
5 *Proponitur quædam obiectio, & fit illi satis.*
6 *In damnatis nulla est supernaturalis fides.*
7 *In beatis neque quoad habitum, neque quoad actum fides residet.*
8 *Secus in animabus purgatorij.*
9 *In hæreticis non manet fides.*

1 PRæmittendum est fidem esse habitum supernaturalem inhærentem potentiæ intellectiuæ; siquidem ratione illius assentitur intellectus iis, quæ diuinitus reuelata sunt, vt constat ex pluribus locis sacræ Scripturæ, ad Hebr.11. *Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei.* & 2.ad Corinth.10. *Captiuans intellectum in obsequium fidei,* & alibi. Cùm autem reuelata alia sint operabilia, alia cognoscibilia tantùm, habitus fidei & dici potest practicus, & speculatiuus. Speculatiuus namque dicitur, quatenus inclinat ad assensum merè speculatiuum, id est, rerum cognoscibilium tantùm, vt in assensu Deus est trinus, & vnus. Practicus verò nuncupari potest, quia inclinat ad assentiendum circa res aliquas operabiles; vt in hac propositione: Castè viuendum est: temperatè est comedendum: iustum est hominibus benefacere, &c. sic Caietanus 2.2.*quæst.*4.*artic.*2. & Bannes *ibi*, cum D.Thom. Valent. *disp.*1.*quæst.*4.*punct.*2. & communiter.

2 Secundò præmitto, fidem aliam esse perfectam, aliam imperfectam, aliam mortuam, aliam viuam, aliam informem, aliam formatam. Dicitur fides imperfecta, mortua, & informis, quæ seiuncta est à charitate, quæ est vera animæ. Perfecta, viua, & formata, quæ charitate decoratur. Aduerto tamen fidem seiunctam à charitate, non dici imperfectam, quia in se ipsa res aliqua imperfecta sit; est enim habitus supernaturalis perfectissimus, & omnino immutatus; sed quia caret perfectione, ad quam ordinatur: cùm enim fides ordinetur ad beatitudinem, & sine charitate illam consequi non possis, efficitur sanè sine charitate fidem hoc modo imperfectam esse. Qua ratione dixit Paulus 1. *Corinth.*13. omnia dona sine charitate nihil valere, scilicet ad effectum meriti, & beatitudinem consequendam, sic D.Thomas communiter receptus 2.2.*q.*4.*art.*3.

3 Tertiò præmitto, ad fidei assensum perfectum requiri in voluntate aliquem habitum, qui vel sit charitatis, vel obedientiæ, qua moueatur voluntas ad præstandum promptè assensum rebus fidei, secus verò ad assensum absolutum: sic nuper relati Doctores.

4 Dico primò certum esse debere tam in Angelis, quàm in primis nostris parentibus, cùm primùm producti sunt, resedisse fidem. Conclusio est communiter recepta cum D.Thom.2.2.*quæst.*5.*art.*1. Caiet. & Bannes *ibi*. Valent. *disp.*1.*quæst.*5.*punct.*1.*col.*347. Coninch *disp.*17.*dub.*1.*concl.*1. & 2. Ratio est, quia tam Angeli, quàm homines, dum in via fuerunt, & fuerunt capaces merendi beatitudinem, ad Deum accedebant: sed accedentibus ad Deum fides est necessaria, iuxta Paulũ *ad Hebr.*11. Difficultas autem est, quorum mysteriorum habuerint in illo statu fidem? Et quidem habuisse fidem Dei vnius, & trini, indubitatum est, quia cùm Deus vnus, & trinus obiectum sit fidei præcipuum, illius explicitam cognitionem illæ perfectissimæ creaturæ, quibus se Deus tantopere communicauit, habere debebant. De mysterio autem Incarnationis, seu de Deo incarnato, non constat inter Doctores. Probabile satis est hoc mysterium non cognouisse, eo quòd eorum fides, & gratia non videantur datæ ex meritis Christi. Christus enim neque Angelorum gratiam meruit, neque gratiam primò concessam nostris parentibus; siquidem Adamo non peccante Christus non esset venturus. Ergo eius fides non fuit Angelis, neque Adamo pro illo statu necessaria: & ita tenet Torres 2.2.*disp.*27. *dub.*1. Vasquez 3.*p.tom.*1.*disp.*12.*cap.vlt.* Coninch credit satis probabile *suprà concl.*3.

5 Sed obiicies. Angeli, imò homines in primo instanti suæ creationis cognouerunt euidenter se habere reuelationem Dei, vnius, & trini. Et de Angelis videtur res certa, quia cognoscebant euidenter à nulla creatura talem illis cognitionem indici posse. Ergo non potuerunt habere fidem; quia fides est argumentum non apparentium: at tunc illa euidenter apparent esse vera, quia apparent euidenter esse reuelata à Deo, qui fallere, & falli non potest. Ergo.

Respondeo cum euidentia naturali in attestante, hoc est, cum cognitione naturali euidenti de diuina reuelatione optimè posse cohærere fidem; quia fides est earum rerum, quæ non apparent æquè certa cognitione, ac cognitione fidei. Cognitio autem naturalis, quam Angeli, vel primi parentes habuerunt, vel habet Propheta de reuelatione sibi facta, non est æquè certa, ac est cognitio fidei. Ergo non obest fidei cognitioni, vt latè probat Ægidius de Coninch *disp.*11.*dub.*2.*concl.*2. & 3. Valent.*disp.*1.*quæst.*5.*punct.*1.*vers.primò negandum, col.*349.

6 Dico secundò in damnatis non est fides supernaturalis; cessat enim finis ob quem conceditur, scilicet potestas se iustificandi, actúmq; supernaturalem efficiendi ob voluntatem in malo obstinatam: sic docet cum D.Thom.2.2.*quæst.*5.*art.*2. Bannes *dub.*1. Coninch *disput.*17.*dub.*2.*num.*22. Valent. *disput.*1. *quæst.*5. *punct.*2. *col.*351.

Sed obiicies primò. Dæmones credunt, & contremiscunt, vt dicit Iacobus 2.*cap.* Ergo habent fidem.

Respondeo dæmones quidem credere non fide diuina, sed naturali euidentia Deum esse, illósque punire, aliáque huius generis mysteria: cognoscunt namque naturali euidentia plura esse miracula facta in confirmationem fidei. Ergo cognoscunt fidem veram esse. Adde cognoscunt euidenter mysteria fidei, sibi fuisse, cùm fuerunt in via, reuelata. Ergo cognoscunt vera esse: siquidem reuelatio de falsis esse non potest. Hæc tamen cognitio non est fidei, sed scientiæ naturalis. Quapropter non est dæmonibus libera, sed necessaria quoad speciem, & aliquando quoad exercitium, cùm obiecta necessariò obiiciuntur.

Quòd si vrgeas, si credulitas dæmonum non sit fidei diuinæ, sed naturalis scientiæ, malè infert Iacobus comparando fidem dæmonum fidei hominis existentis in peccato: nam hæc fides supernaturalis est, & initium salutis, non tamen dæmonis credulitas.

Respondetur optimè comparare; comparatio enim ad hunc finem facta est, ne glorietur peccator habens fidem, & credendo in Deum, iustificari, & beatitudinem consequi, quia opera bona faciat; & ratione huius finis subiungit. *Dæmones credunt, & contremiscunt.* quasi diceret, si gloriaris te iustificari posse ex sola fide in Deum, etiam gloriari possent dæmones, qui credunt, & contremiscunt; sed cùm ij non obstante eiusmodi credulitate euidenti gloriari non possunt, quia iustificari nequeunt: ita neque tu gloriari poteris, quia iustificari nequis ex sola fide sine operibus.

Secundò obiicio. Plures ex hominibus fidelibus,qui damnantur, nullum actum infidelitatis exercuerunt. Ergo non amiserunt fidem. Ergo illam retinent, hoc enim videtur conueniens, vt sic fideles ab infidelibus meliùs distinguantur.

Respondeo non amisisse fidem in vita, at cùm primùm damnantur, illa spoliari, tum quia indigni sunt tanto bono: tum quia esset inutilis, & extra finem beatitudinis, ad quem comparandum ordinatur. Neque obinde fit non distingui ab infidelibus, quia distinguuntur per characterem baptismalem, qui in eis remanet, vel ex grauiori pœna, quam patiuntur ob maiorem Dei cognitionem, qua abusi sunt.

7 Dico tertiò. In beatis neque fides quoad habitum, neque quoad actum residet. Est communis Theologorum sententia. Valent. *disp.* 1. *quæst.* 5. *p.* 2. *vers. Respondeo, pag.* 354. Coninch *disp.* 11. *dub.* 1. *concl.* 1. *& disp.* 17. *dub.* 4. *conclus.* 1. *&* 2. Et videtur probari manifestè ex Apostolo 1. *Corinth.* 13. vbi loquens de tribus virtutibus theologalibus, fide, spe, & charitate, de sola charitate dicit nunquam excidere; secus de fide, & spe. Inquit enim, *cùm venerit, quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est.* cùm successerit cognitio perfecta visionis, cessabit cognitio, quæ ex parte, & per ænigma habetur. Ratio est, quia superfluit cognitio obscura, & ænigmatica supernaturalis, cùm clara supernaturalis succedit.

8 Dico quartò. In animabus existentibus in Purgatorio datur fides quoad actum, & habitum; quia non est ratio, quare illa spolientur, cùm nondum peruenerint ad patriam, nec visione Dei fruantur. Item dum sunt in Purgatorio, quasi à Domino peregrinantur, pro quo statu conceditur fides. sic Malder. 2. 2. *quæst.* 5. *art.* 2. *dub.* 3. Coninch *disp.* 17. *dub.* 4. *conclus.* 3.

9 Dico quintò. In hæreticis dissentientibus ex voluntate alicui articulo fidei, fides non manet. Conclusio videtur omnino certa ex Trident. *sess.* 6. *cap.* 15. affirmante infidelitate amitti fidem. Sed hæresis pars est infidelitatis. Ergo per hæresim amittitur fides. Item Paul. 1. *ad Timoth.* 1. dicit hæreticum naufragari à fide, id est, naufragium in fide facere, ac proinde illam perdere: vt bene explicat Chrysostom. *homil.* 5. super illum locum. Et ratio videtur manifesta; quia dissentiens alicui articulo, fidem illius articuli habere non potest. Ergo neque illam habere potest respectu aliorum articulorum; quia non est multiplex fides, sed vna, & indiuisibilis. Et confirmo. Dissensus vnius articuli æquè repugnat fidei, ac quodlibet peccatum mortale charitati: sed per quodlibet peccatum mortale amittitur charitas. Ergo per quemlibet dissensum amittitur fides. Neque obstat te videri post illum dissensum eodem modo assentiri reliquis fidei obiectis, ac antea assentiebas; quia id prouenit ex fide acquisita, quam habebas.

Pvnctvm VII.

Quæ requirantur ad actum fidei, & qualis ille sit.

1 *Prærequiritur iudicium intellectus de euidentia credibilitatis rerum fidei.*
2 *Prærequiritur ex parte voluntatis pia affectio.*
3 *Explicatur, ad quam virtutem supradicti actus pertineant.*
4 *Actus fidei non solum est supernaturalis quoad modum, sed etiam in sua substantia.*
5 *Si fiat à peccatore est meritorius de congruo, si ab homine iusto, de condigno.*
6 *Fides initium est nostræ salutis.*

1 Fides dupliciter exerceri potest. Primò actu interiori. Secundò exteriori. Interiori exercetur, cùm intellectus reuelatis ob testimonium Dei assentitur: Exteriori, cùm operibus, & signis exterioribus hunc assensum manifestas.

Et primò examinandum est, quæ requirantur ad actum internum fidei, vt meritorius sit, & initium nostræ salutis.

Dicendum omnino est cum communi omnium sententia prærequiri primò iudicium intellectus, quo iudices res fidei esse euidenter credibiles. Probo, quia fidei assensus est firmus omnem dubitationem excludens: at nequis firmiter, & sine vlla dubitatione velle assentiri obiecto, dum probabiliter iudicas non ita esse. Ergo ad assensum fidei carere debes omni iudicio probabili, quòd res fidei non ita sit: ex alia autem parte, cùm res fidei, & reuelatio illarum tibi non appareat, moueri non poteris ad illarum assensum firmiter exhibendum, quin cognoscas ex aliquibus extrinsecis rationibus, & notis euidenter digna esse creditu. Prærequiritur ergo hoc iudicium ad fidem. Et confirmo: si probabiliter tantùm cognosceres esse credenda, neque deberes, nec posses firmiter, & indubitanter, sed solùm probabiliter eis assentiri: at fidei assensus firmus, & indubitatus esse debet. Ergo.

2 Dico secundò, prærequiri actum voluntatis, qui pia affectio vocatur: est sententia recepta D. Thom. & omnium expositorum 2. 2. *quæst.* 1. *art.* 4. Ratio est manifesta, quia obiectum fidei est obscurum. Ergo ex se non valet intellectum trahere ad illius assensum; indiget ergo motione voluntatis. Secundò, quia fidei actus, qui initium est nostræ iustificationis, debet esse liber, vt constat ex Trident. *sess.* 6. *cap.* 6. ibi, *liberè mouentur in Deum, credentes vera esse, quæ diuinitus reuelata sunt, &c.* sed non potest esse liber, nisi actus voluntatis interueniat, à qua est omnis libertas. Ergo.

3 Sed inquires, cuius virtutis sint actus ij, qui ad actum fidei prærequiruntur?

Respondeo. Si loquamur de actu illo iudicij, quo iudicas euidenter res fidei esse dignas creditu, ad nullam virtutem pertinet; est enim actus speculatiuus scientiæ imperfectæ, quo cum compati potest ex mala voluntate fidei dissensus. At si de illo actu iudicij, quo iudicas hîc, & nunc, conueniens esse, te rebus fidei propositis assentiri, loquamur, ad virtutem prudentiæ pertinere debet, siquidem dirigit voluntatem ad rectam operationem. De actu autem, quo voluntas intellectum mouet ad fidei assensum, credo ad virtutem fidei pertinere. Probo, quia fertur in fidei honestatem; determinat enim intellectum ad fidei assensum ob honestatem, quam in tali assensu reperit; reperit enim esse honestum conformari nostrum intellectum cum diuina veritate, illíque adhærere: & ex tali honestate determinat intellectum ad assensum fidei. Ergo ad fidei virtutem debet pertinere. Deinde hic actus voluntatis, qui est pia affectio, est ex speciali gratia Dei, vt videtur apertè definitum in Concilio Arausican. *cap.* 5. Ergo si pertinet ad aliquam virtutem, non ad aliam nisi fidem. Ergo. Probo minorem; quia neque est actus obedientiæ, nec religionis formaliter. non obedientiæ, quia non determinat intellectum ad assensum fidei vt sibi præceptum, quæ est formalis ratio obedientiæ: neque etiam determinat intellectum ad fidei assensum, vt per illum exhibeat cultum Deo debitum, ipsúmque honoretur. Restat ergo, vt sit actus fidei. Item talis actus est supernaturalis quoad substantiam: vt ex communi sententia supponit Mol. *in concord. disp.* 8. *sub finem.* Suarez *tom.* 1. *in* 3. *p. quæst.* 7. *art.* 3. *in com.* Quare plures Doctores ad illius connaturalem effectum postulant habitum infusum. sic Mol. & Suarez *suprà.* Lorca 2. 2. *disp.* 25. Valent. *ibi disp.* 1. *quæst.* 1. *p.* 4. *dub.* 1. *in respons. ad* 3. *arg.* Coninch *disp.* 13. *dub.* 5. *conclus.* 2. *& dub.* 6. *conclus.* 6. Sed talis actus, & habitus supernaturalis esse non potest nisi fides: tum quia potest

potest esse in peccatore non habente spem, nec charitatem; tum quia pertinet ad fundamentum, & initium iustificationis. Ergo ad fidem. Neque obstat iudicium præcedens talem actum esse naturale, quominus actus voluntatis supernaturalis sit; quia eius supernaturalitas non dependet ex iudicio naturali, vel supernaturali, sed ex concursu supernaturali, quo efficitur; qui concursus intercedere potest, etiamsi cognitio naturalis præcesserit. Adde actum fidei factum ab homine iusto meritorium esse vitæ æternæ; sed non potest esse meritorius, nisi ex actu supernaturali libero voluntatis imperetur. Ergo actus imperans assensum fidei supernaturalis est, & ad virtutem fidei pertinens.

Ex quo fit huiusmodi actum voluntatis vitiari nullo modo posse; quia non potest vitiari quod supernaturale est, & ex gratia Christi: aliàs gratia, & peccatum confunderentur, & peccatum esset à Deo, quod implicat. sic Bannes 2.2. *quæst.* 4. *art.* 5. *dub.* 2. Torres *disput.* 33. *dub.* 1. Coninch *disp.* 14. *dub.* 3. *concl.* 1. & 2. Vasquez 1.2. *disp.* 44. *cap.* 3.

4 Rursus actus fidei non solùm est supernaturalis quoad modum, sed etiam in sua substantia: sic docent ex communi sententia Molin. *in concord. disput.* 36. §. *cùm autem, sub finem.* Torres 2.2. *disput.* 46. *dub.* 3. Coninch *disp.* 4. *dub.* 3. & colligitur satis ex Trident. *sess.* 6. *can.* 3. vbi anathemate damnat dicentem sine adiutorio Dei posse credere, sperare, pœnitere, sicut oportet ad salutem. Ratio ea est, quia seclusa omni difficultate extrinseca viribus naturæ elicere non potes actum fidei, à quo tua salus habeat initium: aliàs à te inciperet iustificatio, sed actus, qui ex se spectatus viribus naturæ elici non potest, est supernaturalis in sua substantia, vt de se constat. Ergo.

5 Deinde certum est actum fidei imperatum à voluntate peccatoris meritorium esse solùm de congruo habitus fidei, vel illius augmenti, & gratiæ iustificantis: at si elicitus sit ab homine iusto, meritorius erit de condigno augmenti fidei, gratiæ, & gloriæ. Priorem partem de merito congruo probo; quia hoc meritum consistit solùm in quadam conuenientia, & decentia ipsius operis meritorij, cum beneficio, quod impetrare intendit, quam conuenientiam, & decentiam habet quicumque peccator operans ex gratia Dei actus supernaturales; est enim conueniens, & decens, vt sic operanti beneficia gratiæ conferantur: sed quia Deus, qui talia beneficia collaturus est, nulla ratione ad sic conferendum est obligatus; efficitur sanè illud opus non esse meritorium de condigno, nec de iustitia, sed solùm de congruo. Adde nullum opus factum à peccatore condignum esse potest tanto beneficio. Ergo. Quòd si actus fidei ab homine iusto eliciatur, tunc certè meritorius erit de condigno augmenti, fidei, gratiæ, & gloriæ, eo quòd ad rationem condigni meriti duo præcipuè requiruntur, & condignitas operis cum præmio, & promissio de præmio dando ob tale opus. Sed hæc duo in præsenti intercedunt, intercedit enim condignitas: siquidem est opus supernaturale factum à filio adoptiuo, & ob præmium assequendum. Est item facta promissio à Deo de retributione ipsius. Ergo nihil deest ad meritum de condigno. Porrò ad meritum de condigno requiri promissionem præmiantis optimè probat Suarez *opuscul. de reuiuiscentia meritorum, disp.* 1. *sect.* 3. *num.* 8. Coninch *disput.* 8. *de merit. dub.* 4. *conclus.* 3. Ea, inquam, ratione, quia absque tali promissione obligari nullo modo potest Deus ad præmium aliquod concedendum; non enim obligari potest neque ex iustitia, neque ex fidelitate, quæ promissionem supponit: neque etiam ex gratitudine; siquidem nullum commodum ex nostris operibus ipsi accrescit. Ergo non potest esse meritum de condigno, seclusa promissione. Adde ideo Christum Dominum non meruisse, vt omnes de facto salui essent; quia defuit promissio patris concedens illi in præmium omnium salutem. Ergo promissio ad meritum de condigno requiritur.

6 Tandem certum est fidem initium esse nostræ salutis, tradit Trident. *sess.* 6. *cap.* 8. Sed quia fides sumi potest secundùm habitum, vel secundùm actum, dicendum est, esse initium iustificationis formalis fidem secundùm habitum, quia habitu fidei formaliter incipimus iustificati; ponimus enim habitibus non iustificati formaliter: actibus autem ad iustificationem disponi. quare actu fidei ad iustificationem incipimus disponi; est enim primus actus, quo viam gratiæ consequendæ paramus. Neque in his inter Catholicos potest esse controuersia.

PVNCTVM VIII.

An sine fide supernaturali iustificari possit.

1 *Explicatur controuersia.*
2 *In habitu, siue in actu omnibus est ad salutem fides necessaria necessitate medij.*
3 *Diuersimodè adultis, & paruulis est fides necessaria.*
4 *Proponitur obiectio de nutrito in syluis. Fit satis.*

1 EX resolutione huius difficultatis constabit, qua ratione sit fides ad nostram iustificationem necessaria.

Dupliciter fides sumi potest, vel pro habitu, vel pro actu. Item de duplici necessitate sermo esse potest. Alia quæ vocatur necessitas medij; alia præcepti. Illud ergo dicitur necessarium necessitate medij ad salutem, sine quo salus nulla ratione secundùm legem ordinariam obtineri potest; siue omittatur culpabiliter, siue inculpabiliter, siue ex ignorantia, siue ex malitia. Illud verò dicitur necessarium necessitate præcepti, quod solùm ex præcepto obligaris exequi. Vnde si ex ignorantia, vel ex aliqua impossibilitate omittatur, non obest saluti. sic explicat hanc necessitatem medij, & præcepti ex communi sententia Valent. *tom.* 3. *disput.* 1. *quæst.* 2. *punct.* 2. Coninch *disp.* 14. *dub.* 8. *num.* 91. Sanchez *lib.* 2. *in Decalog. cap.* 2. *num.* 1.

2 Dicendum ergo est fidem siue in actu, siue in habitu, omnibus ad primam salutem esse necessariam necessitate medij. Conclusio est certa de fide, ex illo Paul. *ad Hebr.* 11. affirmantis sine fide impossibile esse placere Deo. Ergo eius necessitas est omnimoda: aliàs possibile esset in aliquo casu Deo placere sine ipsa, sicuti quia Baptismus, & sacramentum Pœnitentiæ in re, & de facto suscepta, non sunt necessaria necessitate medij ad salutem, sed solùm necessitate præcepti, contingere potest salus absque illis susceptis, quando scilicet non suppetit occasio illa suscipiendi: at sine fide nemini contingit salus. Ergo est necessaria necessitate medij. & ita traditur à Trident. *sess.* 6. *cap.* 7. ibi causa instrumentalis nostræ iustificationis est Baptismus, quod est sacramentum fidei, *sine qua nulli vnquam contigit iustificatio.* & *cap.* 8. dicitur, *Fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis iustificationis.* Neque obstat simili forma, qua vsus est Paul. de fide, vsum esse Ioannem de sacramento Baptismi: inquit enim Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* at illa forma non obstante non inducitur necessitas medij, sed solùm præcepti in Baptismo. Ergo ex illis verbis Pauli, *Sine fide impossibile est placere Deo*, solùm necessitas præcepti, & non medij est inferenda. Non, inquam, obstat, quia licèt modus loquendi, in vtroque loco similis fuerit: at quia Baptismus & in re, & in voto suscipi potest; Ecclesia explicuit sufficere ad salutem votum Baptismi, quando non

non suppetit occasio in re illud suscipiendi. At fides in voto suscipi non potest, quin in re ipsa habeatur. Ergo fides semper est medium necessarium. Adde, votum Baptismi sufficiens ad iustificationem esse non potest sine fide. Ergo ex eo quòd Baptismus in voto saltem necessarius sit, optimè infertur fidem in re omnino esse necessariam.

3 Aduerto tamen diuersimodè paruulis, & adultis fidem esse necessariam ad iustificationem: paruulis namque, seu carentibus vsu rationis, est fides necessaria in habitu, quia actu capaces non sunt: at adultis est fides necessaria etiam secundùm actum; tenetur enim quilibet adultus se ad gratiam suscipiendam actu aliquo supernaturali fidei disponere. sic Cano *relect. de sacrament. in genere p.1.quæst.2.conclus.* vbi erroris damnat oppositam sententiam. consentit Valent. *disp.1.q.2. p.2.* Bannes 2.2.*q.2.art.*8. *dub.*1. Coninch *disp.*4. *dub.*8. *conclus.*1.*num.*91. Sanchez *lib.*2.*in Decal.cap.*2.*num.*3. & 4. Suarez *de fide disp.*12. *sect.* 2. *num.*5. Et probari satis potest ex illo Ioann.3. *Qui autem non crediderit, iam iudicatus est.* & ex illo Marc. vlt. *Qui verò non crediderit, condemnabitur.* Est ergo fides in actu adultis necessaria. Ratio autem, quare hic actus fidei necessarius sit ad iustificationem, est, quia nemini adulto, & ratione vtenti contingit iustificatio, nisi iustificationem speret, & de peccatis doleat, Deúmque super omnia saltem virtualiter diligat, ex Trident. *sess.*6. *cap.*7. & 8. Sed hæc esse non possunt sine actu fidei, quo credat & Deum esse, & posse omnia hæc bona illi conferre. Quapropter dixit Paul. Accedentem ad Deum oportet credere, & quia est, & quòd remunerator sit Ergo fides secundùm actum est omnibus adultis necessaria. Ex quo fit huiusmodi actum debere esse supernaturalem in se, & ex parte principij: siquidem debet necessariò ex auxilio gratiæ procedere, iuxta illud *Ioann.*6. vbi Christus dicit, *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*; debet autem venire per fidem, vt constat ex contextu. Ergo requiritur fides ex auxilio Dei, éstque definitio expressa Trident. *sess.*6. *can.*3. Item debet esse supernaturalis ex parte obiecti; debes enim credere obiectum, quod solis naturæ viribus primò cognosci non potest, quia fides, quam Paul. expostulat necessariam ad salutem, est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. Ergo est de rebus, quæ lumine naturali apparere non possunt. sic Sanchez, Bannes, Valent. Coninch. *suprà*.

4 Solùm video obiici posse aduersùs supradicta, contingere posse aliquem ita in remotissimis partibus esse nutritum, vt nullo modo notitia fidei ad eum accedat, nec per ipsum stet illam habere: at tunc hic consequitur salutem & non ex fide. Ergo fides necessaria non est.

Respondeo cum Valent. 2.2.*disp.*1.*q.*2.*p.*1. *pag.*194. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 4. Suarez *illa disp.*12. *de fide sect.*2. *num.*15. Si gratia diuina præuentus legem naturalem seruauit, credendum est de diuina prouidentia illuminandum fore vel à Deo, Angelo, vel homine aliunde misso; quia hæc illuminatio necessariò infertur ex eo, quòd Deus statuerit neminem sibi esse placiturum nisi ex fide, & ex eo quòd statuerit non denegari adulto ex diuina gratia, facienti quod in se est, media ad salutem necessaria; statuit enim illuminare omnem hominem venientem in hunc mundum.

PVNCTVM IX.

Quorum mysteriorum debet quis actualem fidem habere ex necessitate medij.

1 *Præmittitur dupliciter mysterium fidei cognosci posse implicitè, & explicitè. In cognitione explicita alicuius rei esse gradus.*

2 *Ante promulgationem Euangelij necessaria, & sufficiens erat fides explicita de Deo, & implicita Christi mediatoris.*

3 *In quo implicita Christi cognitio consistat, explicatur.*

4 *Facta promulgatione Euangelij cognitionem explicitam Christi, & Trinitatis affirmant aliqui esse necessariam necessitate medij ad gloriam, non tamen ad primam gratiam.*

5 *Alij affirmant vtrique saluti necessariam esse.*

6 *Infirmantur supradicta rationes.*

7 *Explicita notitia Trinitatis, & Incarnationis non est necessaria necessitate medij, sed præcepti, vt probabilius defenditur.*

8 *Explicatur locus Marc. vlt. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur.*

1 DVpliciter mysteria fidei cognosci possunt, explicitè & implicitè. Explicitè cognoscitur mysterium, quando in seipso cognoscitur, implicitè quando in aliquo alio. Exemplo rem declaro. Dupliciter lucem cognoscere potest, vel in se ipsa, vel cognoscendo solem, qui illam continet; quando cognoscis lucem, cognoscendo solem, diceris cognoscere implicitè, quando vlteriùs lucem in se ipsa cognoscis, diceris cognoscere explicitè. Et in præsenti materia proponitur tibi Deus, vt author gratiæ, & gloriæ, & tali propositioni assentiens, tunc illud mysterium explicitè cognoscis: at si tibi aliqua vniuersalis ratio credenda proponatur, v. g. esse credendum, quidquid à Deo est reuelatum, tunc mysteria fidei in particulari implicitè tantùm cognoscis, quatenus in illa vniuersali ratione virtualiter, & implicitè continetur.

2 Secundò suppono in cognitione explicita alicuius rei esse gradus: alia est enim cognitio confusa, alia distincta, alia magis distincta. His positis,

Conclusio sit. Ante promulgationem Euangelij necessaria, & sufficiens erat fides explicita de Deo authore supernaturali, & implicita Christi mediatoris. Quòd fuerit necessaria illa fides, ex supradicto puncto constat; quòd sufficiat implicita Christi mediatoris, mihi probat manifestè locus ille *Actorum* 10. vbi de Cornelio dicitur fuisse virum iustum, & religiosum, cuius preces, & eleemosynæ ascendebant coram Deo. In quibus verbis insinuatur clarè habere gratiam, & iustitiam: & ita tradunt communiter Patres. August. *lib. de prædestinat. Sanct. cap.*7. & 84. *in Leuit.* Gregor. *homil.*13. *in Ezechiel.* Chrysostom. *sermone de fide, & lege naturæ.* D.Thom. 2. 2. *quæst.*10. *art.* 4. *circa argum. sed contra.* & 3. *p. quæst.*69. *art.*4. *ad* 2. At tunc Cornelius de Christo, & Trinitate non habebat explicitam notitiam; siquidem à Petro fuit postea de illa instructus. Ergo sine notitia Christi, & Trinitatis explicita potuit ante promulgationem Euangelij stare iustitia: & ita tradit Valent. *disp.*1.*quæst.*2.*p.*4. *vers. secunda.* Sanchez *lib.*2.*cap.*2. *num.*7. Suarez plures referens *disp.*12. *sect.*13. *num.*14. Quòd verò semper fuerit necessaria ad salutem, implicita Christi, & Trinitatis cognitio, inde videtur probari; quia non est aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri, præter Christi nomen, *Act.*4. Idem probatur *ad Rom.* 3. vbi æqualiter dicit omnes peccasse, & egere gloria Dei iustificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius. Ergo saltem de fide implicita debet intelligi. *Ad Galat.*3. Gentes iustificantur ex fide illius, qui fuit Abrahæ promissus: Christus autem cognosci non potest, non cognita Trinitate; quia non potest cognosci filius Patris, & conceptus ex Spiritu sancto. Ergo qua ratione fuerit necessaria cognitio Christi, erit necessaria cognitio Trinitatis: sed de Christo ante promulgationem

tionem Euangelij non videtur necessaria explicita cognitio, sed solùm implicita. Ergo neque Trinitatis.

3 In quo autem hæc implicita cognitio consistat, non satis constat inter Doctores. Valent. 2.2.*disp.1.q.2. punct.4.col.317. versic.sed in promptu.* Sanchez *lib.2.cap.2. num.7.* Suarez *disput.12.sect.3.num.17.* existimant hanc implicitam Christi fidem contineri sufficienter in aliquo actu supernaturali, quo explicitè, & supernaturaliter cognoscatur Deum esse, & authorem donorum supernaturalium ad peccatorum remedium; quia in huiusmodi obiecto continetur implicitè Trinitatis, & Incarnationis mysterium. Quapropter Paulus solùm expostulauit te cognoscere Deum esse, & esse supernaturalium bonorum remuneratorem. Ergo non requirit, vt cognoscat futurum esse in mundo aliquem mediatorem. Cæterùm mihi videtur implicitam cognitionem de Christo expostulare necessariò, explicitam alicuius mediatoris, quo à peccatis liberandus sis, & gloriam obtineas: neque sufficere illam vniuersalem, & confusam notitiam de Deo authore supernaturali, potente remittere peccata mediis, quibus ipse voluerit: nam in huiusmodi obiecto non continetur implicitè Christus Deus, & homo: siquidem stare optimè potest Deum esse authorem supernaturalem, & remittere peccata, gloriámque concedere, quin fuerit homo. Ergo in illa cognitione hoc obiectum implicitè non continetur. Quòd si dicas te credere Deum esse authorem supernaturalem, & remittere peccata mediis sibi placitis, & in hac fide contineri implicitè fidem Christi, siquidem præcipuum medium, quo Deus voluit remittere peccata, fuit suus vnigenitus filius, quem constituit propitiationem peccatis nostris; infertur sanè eodem modo dici posse implicitam fidem omnium sacramentorum, & prædicationis Apostolorum, & aliorum, quibus salutem consequuntur homines, esse necessariam, siquidem in illa cognitione implicitè omnia hæc continentur: at Scriptura, & Patres alio modo fidem Christi, quàm sacramentorum, prædicationis, & aliorum mediorum requirunt. Ergo vltra illam ita confusam cognitionem expostulanda est cognitio explicita mediatoris, etiamsi explicitè non cognoscas hunc mediatorem esse Deum, & hominem, passioni, & morti subiectum.

Dices, plures ante Christi aduentum nullam habuerunt notitiam explicitam mediatoris. Et quidem Abrahæ videtur primò reuelata; & tamen fuerunt iustificati. Item ad contritionem solùm videtur requiri cognitio supernaturalis Dei offensi, potentis peccatum remittere. Ergo non requiritur cognitio mediatoris ad iustificationem?

Respondetur nullum iustum caruisse notitia mediatoris: nam primo parenti post peccatum hæc fuit data, vt dixit Leo *serm.2.de natiuit.Christi.* Abrahæ autem fuit data clara, & patens notitia, de suo semine esse futurum, quòd si pluribus sæculis illa homines caruerint, non diuinæ prouidentiæ, sed eorum peccatis attribuendum est. Quapropter si ipsi legem naturalem seruassent diuina gratia adiuti, Deus illis tribueret notitiam mediatoris.

Ad confirmationem dico solùm probare ex natura rei non esse necessarium ad iustificationem cognoscere esse aliquem mediatorem: at supposito, quòd Deus noluerit iustificationem concedere, nisi ex meritis sui vnigeniti, infertur nolle iustificare, nisi suus vnigenitus cognoscatur saltem sub illa confusa cognitione mediatoris; & ita tenet Magist. *in 3.distinct.25.* Lorca plures referens 2.2.*disp.21.num.4.* Coninch *disp.14. dub.9. conclus.2.*

4 Difficultas ergo est, an facta promulgatione Euangelij fuerit cognitio explicita Christi, & Trinitatis necessaria necessitate medij ad salutem; an tantùm sit necessaria necessitate præcepti?

Variant Doctores Catholici: aliqui enim affirmant non esse necessariam necessitate præcepti ad primam salutem, scilicet gratiam; esse tamen ad vltimam, nempe gloriam: sic Canus *relect.de sacrament. in genere, p.2. concl.1.* Bannes 2.2. *quæst.2. art.8. dub.vlt.* Castro *lib.2. de lege pœnali, cap.14.* Probant exemplo Cornelij, qui ante notitiam Christi explicitam fuit iustificatus; postea verò de notitia Christi instructus fuit à Petro: indigebat ergo illa notitia non ad habendam gratiam, siquidem erat iustus, sed ad obtinendam gloriam. Verùm hoc argumentum infirmum est; potuit enim optimè instrui Cornelius de notitia Christi, quia hæc futura erat necessaria Cornelio necessitate præcepti: vel quia facta legis promulgatione futura etiam erat necessaria necessitate medij ad habendam gratiam, vel illam retinendam. Adde videri impossibile notitiam explicitam Christi esse necessariam ad gloriam, si ad gratiam necessaria non est; cùm gratia sit ius ad gloriam; & necessariò gloria concedenda est habenti gratiam, cùm ex hac vita decedit. Ergo non potest ad gloriam esse necessaria, & non ad gratiam: quódque satis constat ex Trident. *sess.6. cap.16.* vbi ad consequendam vitam æternam nihil aliud expostulat, quàm vt in gratia decesseris.

5 Alij dicunt vtrique saluti esse necessariam necessitate medij, & finis hanc explicitam de Christo, & Trinitate notitiam: sic docuit Molin. *in 1.part. quæst.1. disput.2.* Valent. 2.2.*disp.1. quæst.2.punct.4.* Sanchez *lib.2. in Decalog.cap.2.num.8.* Carthusian. *in 3.quæst.1. §.præterea ad fidem.* Lorca 2.2.*disput.21. num.4.* Pesantius 2. 2.*quæst.2.art.7.dub.1.conclus.6.* Adducuntur in fauorem huius sententiæ D.Thom. Magist. Alens. D. Bonauent. Gabr. & alij, sed, vt bene expendit Coninch 2.2.*disp.14. dub.9.à num.135.* de necessitate præcepti, & non de necessitate medij, & finis loquuntur. Præcipuum fundamentum est, quia lex Euangelica tota in Christo Domino fundata est, & ad eius gloriam ordinata: conueniens ergo erat, vt post illius promulgationem nemini pateret salus, nisi ex illius cognitione. Et confirmari potest. Primò, quia nemini patet salus, nisi per Baptismum in re, vel in voto susceptum, sed Baptismus continet expressam notitiam Trinitatis. Ergo hæc necessariò requiritur. Quòd si notitia Trinitatis expressa requiritur, & notitia Incarnationis requirenda est; quia propter hanc notitiam illa videtur expostulata. Secundò, quia nullus saluus esse potest, nisi Christianus fuerit, id est, Christo vnitus, & membrum ipsius: sed non potest esse Christo vnitus, & membrum ipsius, nisi illius habuerit expressam fidem: nam fidem implicitam etiam Iudæi habebant. Ergo. Tertiò, quia fides Dei explicita semper fuit necessaria necessitate medij ad salutem: sed facta promulgatione Euangelij est eodem modo necessaria fides Christi. Ergo. Probo minorem ex illo Ioannis 7. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Ergo eodem modo de cognitione Dei, & Christi dicitur esse veram, & necessariam ad vitam æternam.

6 Cæterùm hæc argumenta non omnino conuincunt, vt ita grauem necessitatem hominibus imponamus. Fateor equidem legem Euangelicam in Christo Domino fundari, & ad eius gloriam reduci: hoc autem solùm probat notitiam Christi explicitam habendam esse ex præcepto; quod tamen præceptum antiquis Patribus latum non erat. Confirmatio ex Baptismo non vrget. Concedo in Baptismo fidem explicitam Trinitatis profiteri; nego tamen inde inferri profitendam esse, quotiescumque iustificatis; quia ibi datur illa professio, quia est ianua Ecclesiæ, & cæterorum sacramentorum. In confirmatione secunda admittitur æquiuo

æquiuocatio: si enim Christianum voces, quia est Christo vnitus,& membrum ipsius: omnes antiqui Patres iusti, qui fide explicita Christi carebant, erant hoc modo Christiani; quia erant Christo vniti, & membra ipsius: sed quia nomen Christiani ampliùs quid dicit; dicit enim esse Christo,qui iam venit,vnitum, ideo antiqui Patres non Christiani, sed Iudæi fideles dicebantur,credebant enim Christum nasciturum;Christianus verò credit iam natum. Tertium argumentum conuinceret notitiam Spiritus sancti non fore necessariam; siquidem solùm de Patre, & filio fit ibi mentio: cùm autem notitia Spiritus sancti æquè ac de Patre, & filio sit necessaria, efficitur sanè aliter esse respondendum. Dicimus namque eodem modo de Deo, ac de Christo esse notitiam habendam: at sicut de Deo, vt est trinus, solùm notitia implicita necessitate medij requiritur,ita de Christo, vt est Deus, & homo, notitia implicita requirenda est.

7 Quapropter probabilius censeo etiam facta promulgatione Euangelij non esse necessariam notitiam explicitam Trinitatis, aut mysterij Incarnationis, necessitate medij,sed solùm præcepti: atque adeò contingere alicui posset salus, quin explicitè cognosceret filium Dei incarnatum fuisse, & pro nobis passum esse; sufficit, si cognoscat esse aliquem mediatorem: hanc conclusionem indicat satis D.Thom. 2. 2. *quæst*. 2. *art*. 7. *ad* 3. eam tenet Ricard. *in* 3. *dist*. 25. *art*. 4. *quæst*. 1. Sotus *in* 4. *dist*. 5. *quæst*. 1. *art*. 2. Vega *lib*. 6. *in Tridens. cap*. 10. Cordub. *lib*. 2. *quæst*. 4. *proposit*. 3. Henriquez *lib*. 4. *de sacram. cap*. 21. §. 2. Michaël Med. *lib*. 4. *de recta in Deum fide, cap*. 10. Suarez *tom*. 4. *in* 3. *p. disp*. 4. *sect*. 2. *num*. 17. *in fine*. & latiùs probat, & defendit *disp*. 12. *de fide sect*. 4. *à num*. 10. Eman. Saa *verbo fides, num*. 1. Coninch *disp*. 14. *dub*. 9. *num*. 163. Torres *disp*. 27. *dub*. 7. & alij ab eisdem relati.

Ratio est, quia ex communi omnium sententia, vt testatur Sanchez *lib*. 2. *in Decal. cap*. 2. *num*. 7. ante aduentum Christi, & ante promulgationem Euangelij non fuit necessaria explicita notitia Christi, & Trinitatis ad salutem: at post Christi aduentum, & legem Euangelij publicatam non constat ampliùs notitiam Christi, & Trinitatis necessariam esse necessitate medij. Ergo non est expostulanda. Consequentia est legitima; quia sine manifesta ratione non debet necessitas ita grauis induci, & qua præcluditur salutis via tot insciis, & ignaris. Minorem probo; quia omnia, quæ de necessitate fidei in Christum tradit Scriptura, & Patres, vel communia sunt iustis legis scriptæ, & gratiæ, vel explicari possunt optimè de necessitate præcepti, vel de fide implicita Dei, & hominis, & explicita mediatoris, vt ex supradictis liquet. Item ante aduentum Christi ex meritis ipsius dabatur hominibus salus, sed hoc non obstante sufficiebat fides Christi implicita. Ergo etiam modò debet sufficere saltem ex necessitate medij. Adde non conuenire inter Doctores, quænam debeat esse hæc fides explicita in Christum. Nam quod aliqui affirmant debere esse omnium mysteriorum, quæ in Ecclesia de Christo celebrantur, valdè rigidum est, & viam salutis multis præcludit. Quod verò ait Sanchez *lib*. 2. *cap*. 2. *num*. 9. cum Bannes 2. 2. *quæst*. 2. *art*. 8. *dub. vlt. conclus*. 3. & Valent. *disp*. 1. *quæst*. 2. *p*. 4. *initio*, debere esse de Christi morte,& resurrectione, ita vt cognoscas filium Dei verum Deum esse,& hominem totius humani generis redemptorem morte sua,non videtur cum sufficienti fundamento dictum; quia non videtur maior ratio, quare explicitè credenda sit necessitate medij mors Christi, & eius à mortuis resurrectio; quàm eius in cœlum ascensio,& aduentus in futurum iudicium: cùm hæc in symbolo æquè credenda proponantur. Efficitur ergo sanè,non esse hæc necessariò necessitate medij credenda explicitè.

8 Neque contra hanc doctrinam video quid obiici possit præter ea, quæ iam soluimus, nisi fortè locus ille *Marc. vlt.* vbi Christus mittens discipulos ad prædicandum Euangelium dicit, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur.* In quibus verbis alio modo de necessitate fidei, ac de Baptismo videtur loquutus; siquidem dicit condemnandum esse qui non crediderit, non tamen qui baptizatus non fuerit; quasi supponens Baptismum alia via suppleri posse,non tamen fidem. Ergo fides Christi est necessaria necessitate medij. Verùm si hic locus aliquid probaret, probaret vtique fidem omnium, quæ in symbolo continentur, esse necessariam necessitate medij: nam hæc præcipiebatur Apostolis prædicanda, cui si aliquis non credidisset, condemnaretur. Quapropter dico solùm ex illo loquendi modo colligi posse,absque Baptismo in re suscepto posse aliquando salutem obtineri, non tamen absque fide explicita,vel implicita.

PVNCTVM X.

Quorum mysteriorum debeat vnusquisque habere fidem ex necessitate præcepti.

1 *Quatenus fideles sunt omnes, æqualem notitiam habere debent, sed quatenus Parochi, Episcopi, &c. specialem, vt suo muneri satisfaciant.*

2 *Proponitur triplex sententia de obligatione cognoscendi explicitè mysteria fidei, quæ in Ecclesia solemniter celebrantur.*

3 *Probabilius est quemlibet Christianum obligatum esse explicitè credere, quæ in symbolo Apostolorum continentur.*

4 *Proponuntur quædam obiectiones.*

5 *Soluuntur,& explicatur,quæ notitia requisita sit illorum, quæ in symbolo Apostolorum continentur.*

6 *Explicita cognitio aliorum, quæ solemniter ab Ecclesia celebrantur, quæque in symbolo Apostolorum non continentur, necessaria non est.*

7 *Quid dicendum de sacramentis?*

8 *Quid de præceptis Decalogi, Ecclesiæ,& operibus misericordiæ, oratione Dominica?*

9 *Non est necessarium hæc scire per ordinem, sufficit, si quoad substantiam hæc scias.*

10 *Satisfit difficultati sciendi mysteria fidei.*

11 *Quæ scientia in Prælatis, & pastoribus debeat esse mysteriorum fidei.*

1 NOn inquirimus, quando actu fidei tenearis mysteriis reuelatis assentiri;hoc enim examinabitur puncto sequenti. sed inquirimus,quam notitiam habere debeas mysteriorum fidei,vt possis præcepto fidei satisfacere. Ex eodem tamen præcepto,quo teneris reuelata credere,teneris scire,quæ reuelata sunt; quia huic præcepto satisfacere nulla ratione potes absque cognitione illorum,quibus assentiri debes:tradit Valent. 2. 2. *disp*. 1. *q*. 1. *p*. 3. *fine*. Azor *tom*. 1. *lib*. 8. *cap*. 7. *q*. 1. Sanchez *lib*. 2. *c*. 3. *num*. 1. Hoc autem præceptum fidei omnibus hominibus æquè commune est, quia illos astringit, quatenus sunt fideles, Christiani, ac proinde scientia mysteriorum fidei,vt huic præcepto fiat satis in omnibus æqualis requiritur: sed quia plures speciali dignitate,& officio in Ecclesia præfulgent, ratione huius dignitatis, & officij speciali scientia debent esse præditi,vt suo muneri satisfaciant. Quocirca Episcopi, Ecclesiarúmque Prælati, pastores, & Doctores, cæteros omnes debent scientia antecellere. Inquirimus ergo quam scientiam mysteriorum fidei habere omnes debeant,vt fidei præcepto possint satisfacere? Secundò quam scientiam habere debeant pastores, & Prælati, vt possint securè suum munus obire?

2 Circa

2 Circa primam difficultatem, omisso errore aliquorum Iuristarum affirmantium, sufficere Christiano credere articulos fidei implicitè, credendo scilicet quidquid tenet Ecclesia, triplex est Catholicorum sententia. Prima affirmat teneri fidelem explicitè scire,& credere omnes fidei articulos in symbolo Apostolorum contentos. Secundò quæ continentur in catechismo puerorum. Tertiò sufficere ait quæ solemni ritu in Ecclesia celebrantur: authores harum sententiarum refert Sanchez *lib.2.cap.3.à num.4.* Omnes tamen hæ sententiæ conueniunt à quolibet Christiano mysteria Trinitatis, & Incarnationis explicitè sciri,& credi debere;quia hæc mysteria in symbolo Apostolorum, & catechismo puerorum, & solemni ritu Ecclesiæ celebrantur. Ratio autem,quare hæc explicitè credenda sunt,ea est, quia hæc prædicari, & publicari explicitè omni creaturæ præceptum est Apostolis *Matth. vlt. & Marc. vlt.* cùm Christus dixit, *prædicate Euangelium omni creaturæ*; in his enim Euangelij summa, & perfectio consistit. Ergo signum est omnem creaturam teneri illa scire, & credere, aliàs non fuisset mandatum explicitè prædicari.

3 Cæterùm, quia plura mysteria in Ecclesia celebrantur, pluráque in symbolo Apostolorum, & catechismo continentur, quæ in mysterio Incarnationis, & Trinitatis non videntur explicitè contineri; censeo probabiliorem sententiam illam esse, quæ affirmat debere Christianum scire explicitè, & credere quæ in Apostolico symbolo continentur. sic Castro *lib.1.de iusta hæreticorum punit.cap.9.col.5.* Valent.*2.2.disp.1.quæst.1. punct.3.conclus.2.& punct.4.circa finem.* Saytus *in claui regia lib.2.cap.9.num.15.* Malder. *ibidem quæst.2.art.7. conclus.vlt.* Conineh *disput.14.dub.10. conclus.2. num.188.* Azor *tom.1.lib.8. institutionum moralium, cap.6.quæst.2.3. & 4.& cap.7.quæst.3.* Vasquez 1.2.*disput.121.cap.2.n.2.* Suarez *de fide, disput.13.sect.4.* & videtur constare ex *cap. ante viginti dies 54.cap.baptizandos 57.cap.non liceat 58. de consecrat. distinct.4.* vbi præcipitur, ne adulti ad Baptismum recipiantur, quin priùs sciuerint mysteria in symbolo contenta. Idem colligitur ex *cap. Deus qui, de pœnitent. & remiss.* & ex catechismo Pij V. Ratio est, quia Apostoli antequam ad prędicandum Euangelium, & tradendam notitiam fidei per orbem dispersi fuissent, hoc symbolum composuerunt ea intentione, vt gentibus daretur notitia eorum, quæ credenda sunt. Ergo illa scire,& credere omnes obligantur. Item omnibus est præceptum scire, & credere explicitè aliqua mysteria, quæ in symbolo continentur, vt tenet catholica sententia: at nullibi constat præceptum speciale circa aliquos articulos,& non circa omnes. Ergo dicendum est esse de omnibus præceptum; aliàs non erit huius præcepti certa materia. Deinde cùm in opinione Doctorum positum esset,quos articulos deberet quilibet fidelis scire, & credere explicitè, oportebat aliqua regula certa hanc controuersiã definiri: at nulla aptior excogitari poterat, quàm symbolum Apostolorum:tum quia ab Apostolis fuit propositum, & ab Ecclesia semper approbatum: tum quia continet summam Euangelij. Ergo. Quod verò aliqui dicunt pro regula illorum, quæ credenda sunt, explicitè habendam esse solemnitatem, & Ecclesiæ celebrationem: ita vt illa mysteria,quæ in Ecclesia solemni ritu celebrantur,debeant sciri, & credi explicitè ex præcepto, mihi non probatur; sicuti nec probatur Sanchez, Valent. Coninch, Suarez *suprà*; aliàs teneretur quis scire circumcisionem, præsentationem in templo, transfigurationem, purificationem B.Virginis, aduentum Spiritus sancti super discipulos, quorum non videtur necessaria expressa notitia.

4 Sed aduersùs hanc conclusionem obiici potest primò plura mysteria in symbolo Apostolorum contineri, de quibus non videris habere præceptum sciendi, & credendi explicitè. Alia item non continentur in symbolo:& tamen de illis habes præceptum sciendi, & credendi. Ergo supradicta regula non est firma. Antecedens probo quoad primam partem. In symbolo continetur Deum esse creatorem cœli, & terræ: at non requiritur huius articuli cognitio expressa. Item continetur natum esse Christum ex Maria Virgine:& tamen non obligaris scire Mariam sanctissimam, Virginem fuisse semper: sicuti non obligaris scire Christum passum fuisse sub Pontio Pilato, sufficit si passum esse cognoscas, nec videris obligari scire descendisse ad inferos,sufficit si mortuum esse,& resurrexisse scias. Sedere item ad dexteram Patris pauci intelligunt,sicuti neque communionem Sanctorum. Ergo plura sunt in symbolo,quorum non videris obligatus habere expressam notitiam. Ex alia parte plura sunt extra symbolum,quorum notitiam habere debeas, nempe circumcisionis, purificationis,præsentationis in templo,aduentus Spiritus sancti; quia indecens videtur esse,hæc in Ecclesia Catholica publicè, & solemniter celebrari, & non arctari fidelem ad illorum notitiam. Item teneris scire præcepta Decalogi, & Ecclesiæ, orationem Dominicam, septem sacramenta. Ergo symbolum Apostolorum non est sufficiens regula eorum, quæ credenda sunt. Secundò obiicio, præceptum latum omni fideli debet esse iuxta cuiusque capacitatem:at plures sunt ita inscij, & barbari, vt ea quæ in symbolo continentur, nec memoria percipere,nec sensum intelligere possunt. Ergo non est credendum omnibus esse datum hoc pręceptum sciendi,& credendi ea explicitè.

5 Hæ obiectiones expostulant explicare,qualis notitia haberi debeat horum mysteriorum. Dicendum ergo est,illam esse sufficientem,qua hæc mysteria cognoscantur secundùm eorum substantiam, & quantum ex verbis symboli sic propositi percipi potest. Clarior autem notitia nemini fideli, quatenus talis est, præcipitur,aliàs Apostoli componentes symbolum, & tradentes per illud notitiam nostræ fidei diminutè processissent. Quocirca si mysteria contenta in symbolo scias, & credas, prout continentur communiter in catechismo puerorum,sufficienter huic præcepto satisfacis: vt bene dicit Vasquez 1.2. *disput.121. cap.2.* Azor *lib. 8. cap.6.quæst.5.* Sanchez *lib.2.cap.3.num.17.* Quapropter de mysterio Trinitatis,sufficit,si scias,& credas esse tres personas inter se distinctas, quarum quælibet sit Deus, neque obinde esse plures Deos,sed vnum tantùm; qua verò ratione distinguantur, & quomodo vna persona ab alia procedat, Theologis relinquitur. Item debes scire hunc Deum esse creatorem cœli, & terræ; id est, hæc omnia produxisse, sed quã ratione illa produxerit, an ex præsupposito subiecto,an ab æterno,non videtur omnibus necessarium scitu,vt bene dicit Suarez *disp.13. de fide, sect.4. num.6.* contra Bannes 2.2. *quæst.2. art.8.* Item debes scire hunc Deum esse saluatorem,id est,tibi posse peccata remittere. Item esse glorificatorem in beatitudine æterna, & supernaturali animarum,& corporum,ac proinde ibi credimus carnis resurrectionem. Quia hæc mysteria ad Deum quatenus talis est, pertinent, & in symbolo Apostolico continentur. Præterea debes explicitè cognoscere mysteria ad Christi humanitatem attinentia,quæque in symbolo, & in articulis fidei contenta sunt, & primò debes scire Christum Filium Dei esse verum Deum, & hominem, de Spiritu sancto, ex Maria Virgine conceptum; sic enim excellentiam Christi, & eius matris agnoscis: cognoscere autem Mariam sanctissimam semper mansisse Virginem, docet Suarez *num.7.* non esse improbabile,necessarium non esse, quia non ita clarè,& distinctè fuit ab Apostolis traditum: fauet Sanchez *num.17.* At credo cum ipso Suarez esse necessariò cognoscendum expli-

citè, tum quia satis explicitè ab Apostolis fuit traditum, cum dixerunt Christum Dominum natum fuisse ex Maria Virgine; nomen enim *Virginis*, absolutè prolatum, quemlibet statum comprehendit. Item in articulis fidei, qui omnibus credendi proponuntur, expressè hoc traditur. Adde hoc esse conuenientissimum tum ad vitandos errores, qui in illa materia oriri possunt, tum ad dignam æstimationem faciendam de sanctissima Dei matre: & ita tenet Coninch *disput.*14. *de fide, dub.*10. *num.*189. Post Christi natiuitatem credenda proponitur eius passio, mors, descensus ad inferos, resurrectio, & sessio ad dexteram Patris, & aduentus in iudicium, quæ omnia scienda, & credenda sunt explicitè: tum quia in symbolo Apostolico continentur: tum quia ita publicè celebrantur ab Ecclesia: & ita tradit Sanchez *lib.*2. *cap.*3. *num.*6. Verùm de descensione ad inferos sentit Suarez *tom.*2. *in* 3.*p.disp.*43.*sect.*2.*in fin.* non esse necessarium fidelibus explicitè hunc articulum scire, & credere; quia nec videtur res admodum fidelibus necessaria, & in symbolo Niceno est omissus. quod certè probabile est non esse necessarium sub graui culpa: sicut non est necessarium circumstantias passionis cognoscere, videlicet, passum esse sub Pontio Pilato: sufficit, si cognoscatur esse passum; de illo verò articulo quo credis sedere ad dexteram Patris, propter eius difficultatem aliqui dubitarunt, an debeas explicitè scire, & credere, & negare videtur Azor *lib.*8.*c.*6.*q.*5. & Sanchez *lib.*2. *cap.*3.*n.*17. At existimo aliqualem illius notitiam te habere debere: debes enim scire Christum ascendentem in cœlum habere in illo supremum locum, vt homo est, & æqualem Patri, vt Deus est; quia hoc pertinet ad dignam Christi æstimationem, & debitum honorem exhibendum. Præter hos articulos de Christi humanitate, & diuinitate adduntur in symbolo Apostolico duo, in quibus est aliqua difficultas, debeántne explicitè sciri, & credi: nempe Catholica Ecclesia, & communio Sanctorum. Et quidem de Catholica Ecclesia nemini potest esse dubium, ab omnibus sciendum esse; quia omnes tenentur scire sub hac professione fidei esse salutem, & extra non esse. sic Vasquez 1.2.*disp.*121. *cap.*2. Azor *tom.*1.*lib.*8.*cap.*6.*quæst.*5. Sanchez *lib.*2. *cap.*3. *num.*8. Coninch *disput.*14.*dub.*10. *num.*189. Suarez *de fide*, *disput.*13.*sect.*4.*num.*10. De communione Sanctorum Vasquez, Sanchez, Suarez, Coninch *suprà*, docent non esse necessarium explicitè scire, & credere; quia vix docti percipiunt sensum huius articuli, quidni vulgus imperitum? At credo probabilius omnes obligatos esse scire, & credere substantiam illius articuli: tum quia in symbolo continetur, & non videtur specialis ratio eximendi hunc articulum à generali obligatione sciendi articulos fidei in symbolo contentos, præcipuè cùm conuenientissimum sit, vt charitas inter fideles augeatur, scientes hanc inter se adesse spiritualium bonorum communicationem. Non tamen existimo obligatos esse fideles ad sciendum, qua ratione hæc communicatio contingat? sufficit, si sciant contingere: quod certè à nullo etiam rustico videtur ignoratum, siquidem omnes petunt ab aliis, vt in suis orationibus memoriam illorum faciant. Sentiunt ergo hanc communicationem adesse. Ex his patet solutio ad priorem partem argumenti.

6 Ad secundam partem argumenti, in qua enumerantur aliqua extra symbolum contenta, Lorca 2.2.*disp.*23.*num.*12. existimat ab omnibus fidelibus scienda esse, quæ solemni ritu Ecclesia celebrat, ac proinde circumcisionem, præsentationem in templo, transfigurationem, &c. Idem docet Coninch *disp.*14. *dub.*10.*n.*190. sed non sub graui obligatione, sed leui. Sanchez *lib.*2. *cap.*3. *num.*6. absolutè negat, & supponit Valent. 2. 2. *disp.*1.*q.*2.*p.*4.*§.quartò, pag.*308. Et placet, quia durum est omnes fideles hac obligatione astringi; aliàs tenerentur parochi de iis pœnitentes instruere, quod non videtur vsu receptum. De aliis verò, quæ ibi enumerantur, etsi ratione fidei, & cognitionis sufficiat, vt dicit Valent.*p.*5.*§.ad primum*, fidei articulos cognoscere: at ratione operationis, & orationis, quæ à fidelibus sunt præstandæ, teneris scire, quæ in supradicto argumento enumerantur.

7 Quod vt clariùs constet discurramus per singula. Et primò de sacramentis, quorum aliqua sunt de necessitate, scilicet Baptismus, Eucharistia, & pœnitentia, quæ ab omnibus cognoscenda sunt. Baptismus enim debet cognosci, vt scias ipso remitti peccatum originale, & membrum Christi adaptari, & ad legem Euangelicam obligari. Pœnitentiæ cognitio est omnino tibi necessaria, vt si à prima gratia decideris, scias, quomodo possis resurgere. Eucharistia, vt scias sub illo Christum contineri, & adorari, & à fidelibus sumi, & ad illius susceptionem suo tempore obligari. sic docet Coninch *disput.*14.*dub.*10.*concl.*3. *num.*191. Sanchez *lib.*2. *cap.*3. *num.*9. Henriquez *lib.*6.*de sacrament. cap.*18. *num.*2. Valent.2.2.*disp.*1.*quæst.*2.*punct.*5. *post* 2.*concl. dub.*1. Suarez *de fide, disp.*13. *sect.*4. *num.*12. Reliqua verò sacramenta confirmationis, extremæ vnctionis, ordinis, & matrimonij tenet Valent. & Suar. non esse obligationem illa sciendi, quia non sunt necessaria. At existimo, si tui compos confirmationem, vel extremam vnctionem suscepturus es, te obligatum esse, scire quid illis sacramentis significatur, sicut obligaris scire, cùm matrimonium, vel ordinem suscipis; quia hæc scientia ad sacramentorum reuerentiam pertinet. sic Bannes 2.2.*quæst.*2. *art.*8.*dub.*2. Petrus de Ledesma 2.*tom.sum.tract.*1.*cap.*2. *à concl.*9. Sanchez *lib.*2. *cap.*3. *num.*9. Dum autem non decernis illa suscipere, etsi probabile sit te non esse obligatum illa scire; at probabilius credo obligari; tum vt possis, si velis, illa recipere; tum vt gratum te Deo exhibeas pro tot remediis ad tuam salutem institutis. Et ita tenet expressè Coninch *disp.*14. *dub.*10. *conclus.*3. *num.* 192. quamuis inclinet non esse obligationem sub graui culpa: consentit Sanchez *lib.*2. *cap.*3. *num.*9. *fine.*

8 Rursus omnes conueniunt te obligatum esse scire præcepta Decalogi, & Ecclesiæ, quia horum cognitio necessaria est, vt scias quid debeas facere, quid vitare: sic Coninch *num.*193. *concl.*4. Sanchez *num.*10. Suarez *disp.*13.*sect.*4.*n.*11. Valent.*disp.*1 *quæst.*2.*punct.*5.*vers.item.* Opera verò misericordiæ solùm quatenus in præceptis continentur, est tibi obligatio sciendi, vt bene dicit Valent. & Sanchez *suprà*. Restat dicendum de oratione Dominica, cuius notitiam credit Suarez *disp.*13. *sect.*4. *de fide, num.*12.*fine*, nullibi esse præceptam, & solùm esse probabile sub veniali obligare. At credo sub graui culpa obligationem esse illa sciendi secundùm substantiam: sic Coninch *conclus.*4. Sanchez *num.*10. vbi plures refert. Valent. *suprà punct.*5. *versic.item*, *pag.*311. quia omnibus est datum præceptum orandi, & deprecandi Deum: nulla autem deprecatio esse potest efficacior ad salutem, quàm ea, quæ in hac oratione Dominica continetur. Item sæpè debet tam iustus, quàm peccator petere aliqua in illa oratione contenta. Ergo tenetur illam scire, imò si bene perpenditur, nihil excogitari potest animæ, & corpori salubre, & ad Dei gloriam pertinens, quod in illa oratione contentum non sit.

9 Aduerto tamen non esse necessarium sub graui culpa symbolum, & præcepta Decalogi, & orationem Dominicam, ordine quo sunt composita, memoria retinere; sufficit, si sensum calleas, & substantiam retineas. Credo tamen sub veniali te esse obligatum: sic ex communi sententia docet Sanchez *n.*19. Coninch *conclus.*5. Valent. *loco cit.* Suarez *disp.*13.*sect.*5.*n.*8. Econtra verò nullo modo satisfacis, si memoria teneas, & sensum non

non intelligas. sic Valentia *punct. 4. fine.* Bannes 2. 2. *quæst. 2. artic. 8. dub. 2. fol. 429.* Sanchez *lib. 2. cap. 3. num. 16.* Coninch *disput. 14. dub. 10. num. 194.* Et ratio, quia tunc est scientia verborum, non mysteriorum: notitia autem mysteriorum fidei est, quæ expostulatur.

10 Secundum argumentum de difficultate sciendi articulos fidei non vrget; quia notitia, quæ expostulatur, cùm sit ita confusa, facile è communi multitudine haberi potest, si mediocrem diligentiam in discendo apposuerint: quòd si aliqui ita rudes sint, & aggrestes, vt facta diligentia percipere non possint, excusabuntur ab hac obligatione: vt pluribus relatis docet Sanchez *lib. 2. cap. 3. num. 18.* Cæterùm aduertendum summopere est non debere esse contentos, si semel, aut iterum hæc mysteria audiant, & illa non percipiant; curare enim debent sæpiùs instrui, vt sic repetitis lectionibus aliquam sufficientem notitiam acquirant; vt rectè aduertit Suarez *disp. 13. de fide, sect. 4. n. 15.* & hæc de prima difficultate.

11 Secunda difficultas erat, quam scientiam habere debent Prælati, & pastores mysteriorum fidei? Et quidem debere reliquos fideles de populo sibi subditos scientia antecellere, in confesso est apud omnes. Qualis autem hæc excellentia debeat esse, non est ita exploratum. Breuiter dicendum est Episcopos, & Ecclesiæ pastores non solùm obligatos esse scire mysteria fidei vtcumque; sed tenentur ea ita scire, vt possint difficultates aduersùs illa mysteria insurgentes dissoluere, & eos, qui contradicunt arguere, & conuincere: constat ex Paulo *ad Titum 1.* & Trident. *sess. 7. cap. 1. & sess. 22. cap. 2. de reformat.* Et ratio est, quia ad aliquos in Ecclesia pertinere debet hæreticorum fallacias dissoluere, & fidem defendere: ij autem esse non possunt alij, nisi Episcopi, vtpote Apostolorum successores. Ergo ipsi tenentur ea scientia pollere, vt possint hæc munia præstare. Quæ ratio probat non satisfacere huic obligationi, si ipsi indocti sunt, etiamsi ministros habeant doctissimos. Requiritur ergo necessariò, vt per se possint fidem defendere, & ab impugnantibus liberare. sic Suarez *disput. 13. fine.* Coninch *disput. 14. dub. 10. conclus. 7.* Aduertit tamen optimè Coninch *num. 201.* non esse opus Episcopum ita esse doctum, vt ex tempore possit omnes difficultates aduersùs fidem insurgentes dissoluere; sufficit si adhibito studio, & consilio peritorum id facere possit. Secundò aduertit aliquando minus doctum, & eruditum præferendum esse doctiori, si prudentia, & potentia Ecclesiæ necessaria præcellat; hac enim de causa nobiles, & potentes in Episcopatum eliguntur, doctioribus exclusis, quia efficaciùs ij Ecclesiam ab impugnatoribus, & inimicis eam opprimere volentibus defendent: semper tamen eam scientiam habere debent, qua possint lucem à tenebris distinguere: & iuxta temporum, & locorum opportunitatem suum munus rectè obire. sic Suarez *disput. 13. fine.* Coninch *suprà num. 204.* Parochi autem, Confessarij, Concionatores, & reliqui omnes, quibus cura incumbit alios docendi, tenentur eam scientiam mysteriorum habere, vt & explicare, & aliqualem rationem de illis reddere, & difficultatibus communiter occurrentibus satisfacere possint; aliàs non videtur, qua ratione possint alios rectè instruere: quod facere tenentur iuxta Trident. *sess. 25. cap. 2. de reformat. & sess. 24. cap. 5. de reformat.* sic Coninch *disput. 14. dub. 10. concl. 6.* Suarez *disp. 13. sect. 6. num. 6.*

***

PUNCTUM XI.

Quando quilibet fidelis supradicta mysteria teneatur addiscere, & parochi, aliique, quibus cura instruendi incumbit sibi subditos teneantur docere.

1 *Cum primum rationis vsum assecutus fueris, teneris hæc discere.*

2 *Ab illo tempore tenentur parochi, parentes, domini sibi subditos docere.*

3 *Potest Episcopus supradictos obligare, vt suo muneri satisfaciant sub excommunicationis pœna.*

4 *Dari ne possit ignorantia inuincibilis illorum, quæ quis scire tenetur, proponitur triplex sententia.*

5 *Respondetur sub distinctione illorum, quæ sunt necessaria necessitate medij, rarò est ignorantia inuincibilis: secus verò illorum, quæ sunt ex præcepto necessaria.*

6 *Satisfit argum. num. 4. adductis.*

7 *Qualiter se debeat gerere Confessarius cum ignorante mysteria fidei.*

1 NOn defuerunt, qui dicant neminem obligari hæc discere, & credere vsque ad pubertatem; quia vsque ad illam ætatem nullus videtur perfecto rationis vsu vti. sic Man. 1. *tom. sum. 2. edit. c. 88. n. 1.* Ludou. Lopez 1. *p. instruct. cap. 41. col. 1. vers. veniale est.* Cæterùm hæc sententia retinenda non est, sed affirmandum, cùm primùm rationis vsum assecutus fueris, te debere ea mysteria addiscere; quia si fidelis non es, teneris fidem suscipere: si autem fidem ante vsum rationis susceperis, teneris ad Deum te conuertere, & omnia tua in vltimum finem ordinare, vt puncto seq. dicemus. Sed hæc fieri non possunt absque scientia mysteriorum fidei. Ergo illam procurare teneris. Item ex iure diuino teneris præcepta Decalogi seruare, & fidei mysteriis assentiri, cùm habes rationis vsum: siquidem Christus Dominus omni creaturæ mandauit Euangelium prędicari, neque prædicationem restrinxit ad adultos, & pubertatem attingentes. Ergo omnis creatura capax vsus rationis doctrinâ Euangelij ex iure diuino tenetur suscipere. sic docent Nauarr. *sum. cap. 11. n. 22.* Azor *tom. 1. lib. 8. cap. 7. q. 2.* Sanchez *lib. 2. cap. 3. n. 12.* Suarez *de fide, disp. 13. sect. 5. n. 6. & disp. 15. n. 10.* Coninch *disp. 14. dub. 10. n. 195.* Huius obligationis omissio ex genere suo grauis est, & peccatum mortale inducit. sic Nauarr. *cap. 11. n. 22.* Tolet. *lib. 4. sum. cap. 2. n. 10.* Suarez *de fide, disp. 15. sect. 1. n. 3.* Sanchez *lib. 2. in Decalog. cap. 3. num. 14.* & alij plures ab eisdem relati. Ratio est manifesta, quia præceptum affirmatiuum fidei, quæ est res grauissima, exerceri non potest absque hac notitia: est igitur hæc ex præcepto graui habenda. Dixi ex genere suo omissionem huius obligationis esse mortale; quia aliquando ex leui negligentia, vel imperfecta deliberatione, vel ex leuitate materiæ esse potest veniale: siquidem veniale est, nescire memoriter, Symbolum, orationem Dominicam, imò ignorare substantiam vnius articuli minoris momenti, qualis videtur esse descensus ad inferos, quia hæc leuis materia reputatur, sicuti si ignorares te signo crucis munire. sic Sanchez cum aliis *lib. 2. cap. 3. num. 14.* Suarez *de fide, disput. 15. sect. 1. num. 3.*

2 Hinc infertur primò parochos, parentes, dominos, teneri parochianos, filios, & subditos de his rebus instruere: tum quia tenentur curare, vt supradicti obligationi ita strictè satisfaciant; tum quia ei satisfacere non possunt, nisi instruantur. Cùm autem dico quemlibet fidelem, cùm ad vsum rationis venerit, teneri hæc mysteria discere, & esse à proprio pastore

inſtruendum, non eſt intelligendum de puncto vſus rationis metaphyſico, ſed morali; quatenus occaſio, & opportunitas ſeſe offert, quæ in aliquibus maior, in aliis minor eſſe debet. ſic Coninch *diſput*. 14. *dub*. 10. *n*. 195. colligitur à ſimili ex Suarez *de fide diſput*. 13. *ſect*. 5. *num*. 6.

3 Secundò infertur poſſe Epiſcopos obligare ſub pœna excommunicationis parentes, parochos, & dominos, vt ſibi ſubditos de doctrina Chriſtiana, cùm ad vſum rationis peruenerint, rectè inſtruant; quia obligat ad id, ad quod iure diuino ſunt obligati; & noua hac pœna, & obligatione incitat, vt diligentes ſint in ſui muneris executione: quod certè iuſtiſſimum eſt. ſic Man. 1. *tom. ſumm. cap*. 88. *num*. 3. Sanchez *lib*. 2. *cap*. 3. *num*. 15.

4 Sed inquires primò, an dari poſſit ignorantia inuincibilis horum myſteriorum, quæ quis ſcire tenetur tam inter fideles, quàm infideles?

Prima ſententia docet neminem habere ignorantiam inuincibilem eorum, quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria. ſic Bonauent. *in* 3. *diſtinct*. 25. *art*. 1. *quæſt*. 2. *ad vlt*. *& quæſt*. 3. *ad penult*. Adrian. *quodlibet*. 2. *quæſt*. 1. *ſiue argument. ad* 2. Mouentur primò, quia lumine naturæ tenetur quis Deum colere, & conſequenter inueſtigare quo cultu tam interiori, quàm exteriori colendus ſit. Ergo ſi iuxta hoc lumen naturæ inditum diligentiam fecit, ſine dubio de fide illuminabitur, quia Deus neminem deſerit facientem quod in ſe eſt. Ergo non poteſt eſſe in aliquo ignorantia inuincibilis.

Secunda ſententia diſtinguit inter fideles, & infideles: & de infidelibus affirmat dari poſſe ignorantiam inuincibilem, eo quòd nunquam fides eis propoſita fuerit, neque ipſi habuerint occaſionem inquirendi de illa: at de fidelibus inter fideles nutritis ſic negat. ſic Gabriel *in* 3. *diſtinct*. 25. *art*. 2. *poſt* 5. *concluſ*. Durand. *ibi q*. 1. *num*. 9. Man. 1. *tom. ſumm. cap*. 88. *num*. 4. Mouentur, quia inter fideles hæc myſteria ita paſſim circumferuntur, & publicantur, tum celebratione feſtorum, tum prædicationibus, & exhortationibus, vt vix intelligi poteſt aliquis, cui dubium non ſuboriatur ea addiſcendi.

Tertia ſententia communior eſt, in vtriſque dari poſſe ignorantiam inuincibilem. Nauarr. *cap*. 11. *n*. 22. Azor *tom*. 1. *lib*. 8. *cap*. 6. *quæſt*. 7. *& cap*. 7. *quæſt*. 3. *& cap*. 8. *quæſt. vlt*. Bannes 2. 2. *quæſt*. 1. *art*. 8. *dub*. 2. Vaſquez 1. 2. *diſp*. 121. *cap*. 2. Sanchez *lib*. 2. *cap*. 3. *num*. 20. Coninch *diſp*. 14. *dub*. 11. *num*. 225. Emanuel Saa *verbo fides, num*. 2. Ratio eſt, quia ignorantia inuincibilis obligationis addiſcendi myſteria fidei tunc adeſt, cùm nullam ſuſpicionem, & dubitationem habet talis obligationis: at contingere ſæpè poteſt tum inter infideles, tum inter fideles, vt quis careat tali ſuſpicione, vel quia fidei myſteria ei non fuerunt propoſita, vel caſu quo propoſita fuerunt, obligationem addiſcendi non percepit. Ergo ea ignorare inuincibiliter poterit.

5 Pro reſolutione huius difficultatis reuocanda eſt in memoriam diſtinctio illa ſuprà facta de his, quæ ſunt neceſſariò cognoſcenda neceſſitate medij, vel de his, quæ ſunt tanquam cognoſcenda neceſſitate præcepti. Affirmo namq; rarò contingere aliquem habere ignorantiam inuincibilem eorum, quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem neceſſitate medij. Nam cùm hæc in cognitione Dei potentis remittere peccata, & gratiam, gloriámque concedere conſiſtat, rarus eſſe poteſt, cuius mentem hæc notitia ſaltem ſub dubio non imbuerit. Dixi rarò contingere poſſe; quia ſentio caſum non eſſe impoſſibilem. Poteſt namque quis ita barbarus, & aggreſtis eſſe, ac inter barbaros nutriri, vt ſolius Dei notitiam habeat, careat tamen notitia illius, quatenus author eſt ſupernaturalium donorum: quam notitiam diximus eſſe neceſſariam neceſſitate medij ad ſalutem, & cuius carentia illi immediatè non imputetur, quia non ſe illi offert ratio dubitandi, ac ſuſpicandi obligatum eſſe inquirere.

Dices, ſi ex cognitione illa naturali Dei omnibus inſita, ruſticus ille aliquali gratia Dei adiutus rectè operaretur, Deus illum illuminaret, & notitiam fidei, & mediorum pertinentium ad ſalutem communicaret. Ergo ignorantia illa culpabilis eſt in illo.

Reſpondeo eſſe culpabilem in cauſa, non in ſe in cauſa, quia non ita viuit, vt mereatur à Deo illuminari; in ſe verò culpabilis non eſt, quia non ſe illi obtulit eius bonam vitam, medium eſſe ad illam ignorantiam depellendam, obligatúmque eſſe illam depellere.

Verùm ſi de notitia illorum, quæ ex præcepto quis ſcire tenetur, loquamur, non ſolùm rarò, ſed frequenter exiſtimo dari etiam inter fideles ignorantiam inuincibilem; tenent Doctores relati pro tertia ſententia, ſpecialiter Azor *cap*. 7. *quæſt*. 3. Vaſquez *illa diſp*. 121. *cap*. 2. Sanchez *lib*. 2. *cap*. 3. *num*. 10. *fine*. Coninch *diſp*. 14. *dub*. 11. *num*. 221. *ſed præcipuè num*. 225. *& ſeqq*. Suarez *de fide, diſput*. 15. *ſect*. 1. *num*. 10. Ratio deſumitur ex experientia, qua cognoſcimus plures ita rudes, & aggreſtes, vt etiamſi ſæpiùs moniti ſint de obligatione hæc diſcendi, vix illam percipiunt, & dato perceperint, mediocri diligentia contenti ſunt, neque in illorum mentem venit maiorem eſſe adhibendam. Adde plurimos neque de hac obligatione monitos vnquam eſſe, neque dubium, aut ſcrupulum habuiſſe. Item ſæpè cognoſcens obligationem addiſcendi caret Doctore, qui doceat: ſi autem habet Doctorem, non percipit propter eius incapacitatem, quæ percipienda ſunt. Ex quibus fit ignorantia inuincibili laborare. Neque enim (vt bene dicit Emanuel Saa *verbo fides, num*. 2.) credendum eſt de diuina bonitate perire infinitam Chriſtianorum alioqui bonorum multitudinem, qui de myſterio etiam Trinitatis, & Incarnationis vix quidquam rectè norunt, imò peruersè ſentiunt, ſi interroges. potiùs crediderim condemnandos iſtorum paſtores ob negligentiam docendi.

6 Ex his patet ſolutio argumentorum, quæ pro contrariis ſententiis ſunt facta. Ad rationem primæ ſententiæ concedo, inquam, lumine naturæ cognoſci Deum eſſe colendum: nego tamen cum hac cognitione ſtare non poſſe ignorantiam inuincibilem Trinitatis, & Incarnationis, aliorúmque myſteriorum fidei: tum quia non colit Deum iuxta lumen à natura inditum; & dato, quòd illum colat, ſolùm infertur illuminandum eſſe à Deo de myſteriorum cognitione ad ſalutem neceſſaria neceſſitate medij, non præcepti. Quia propter carentiam cognitionis debitæ ex præcepto, æternam ſalutem non amittet. Ad rationem ſecundæ ſententiæ dico paſſim in Eccleſia myſteria fidei circumferri, ſed ſunt plures ita rudes, & barbari, vt ad ea non attendant, neque dubium illis veniat talis obligationis; & conceſſo quòd obligationem perceperint, non habent Doctorem, qui doceat, vel capaces non ſunt addiſcendi. Argumenta tertiæ ſententiæ noſtram concluſionem probant.

7 Secundò inquires, quomodo ſe debeat habere Confeſſarius cum ignorante myſteria fidei.

Reſpondeo quoties ſufficienti fundamento præſumit pœnitentem hac ignorantia laborare, debet illum interrogare; aliàs non tenetur. Azor *tom*. 1. *lib*. 8. *cap*. 8. *q. vlt*. Sanchez *lib*. 2. *cap*. 3. *n*. 21. Coninch *diſp*. 14. *dub*. 11. *n*. 231. Interrogatio autem directè fit primò, vt cognoſcat, an ignorantia fuerit culpabilis, & neceſſariò confitenda. Nam ſi ita eſt, vt communiter contingit, debet pœnitentem monere, vt ſe de illa accuſet, & doleat, & clauibus Eccleſiæ ſubiiciat. Secundò fit interrogatio, vt media interrogatione de myſteriis inſtruatur: & quidem debere inſtrui ante confeſſionem myſte

mysteriis necessariò necessitate medij cognoscendis, nemini est dubium: nam sine illorum cognitione prima salus haberi non potest; horum tamen rarus, vel nullus est ignorans. De mysteriis autem necessitate præcepti cognoscendis conuenientissimum est, vt pœnitens ante confessionem instruatur saltem rudi Minerua; quia rarus est, quo cum si breue tempus insumatur, sufficientem illorum notitiam assequi non possit. Tota enim difficultas est in cognitione mysterij Trinitatis,& Incarnationis,& Eucharistiæ: nam iis cognitis reliqua per se patent, vt expendit Sanchez *lib.2. in Decalog. cap.3. num.22.* nullus enim inter fideles nutritus ita barbarus est, qui non cognoscat Ecclesiam Catholicam: id est, se cum aliis fidelibus eamdem fidem profiteri,& cum illa saluari, & non in fide gentium, & Mahometana. Quod videtur sufficiens, etiamsi non cognoscat sub vno capite militari. Item nullus est qui non cognoscat Sanctorum communionem, secundùm quod à rudibus cognosci debet; cognoscunt enim omnes fideles aliorum preces sibi prodesse,& quidem orationibus aliorum se commendatos habent. Remissionem peccatorum quis ignorat? cùm nullus ad confessionem accedat, nisi pro illa impetranda. Carnis resurrectionem,& vitam æternam omnes norunt; quia nihil est ita repetitum, ac esse aliam vitam. Idem est dicendum de præceptis Decalogi, & Ecclesiæ, rarum, inquam, esse, qui horum ignorantia laboret. Quocirca si pœnitens sufficienter mysterio Trinitatis, & Incarnationis, & Eucharistiæ instruatur, videtur instructus de notitia requisita. Horum autem mysteriorum notitia facillimè communicari potest: quis enim est ita barbarus, vt si aliquantulum cum illo labores, docens esse vnum Deum in tribus personis, Patre,& Filio, & Spiritu sancto, & Filium esse hominem factum, passum, mortuum, sepultum, resurrexisse,& ad iudicium venturum, daturúmque iustis præmium,& peccatoribus supplicium, adstaréque realiter in venerabili sacramento, non percipiat? Quapropter conuenientissimum est neminem relinquere ignarum. An autem obligatio sit in Confessario instruendi pœnitentem de his mysteriis, antequam illum à peccato absoluat, non omnes conueniunt. Bannes 2.2.*quæst.*1 *art.*8.*dub.*2. Petrus de Ledesma 2.*tom. summ. tract.*1. *cap.*3. *post* 7.*conclus.* Man.1.*tom. summ.cap.*88. *fine*, & alij docent non esse absoluendum, sed instruendum à Confessario, vel remittendum, vt priùs discat. Cæterùm longè probabilius existimo posse Confessarium absoluere pœnitentem à peccatis, quin de mysteriis supradictis instruat, modò pœnitens habeat firmum propositum ea addiscendi. Ratio est, quia nullibi constat esse præceptum addiscendi ea mysteria ante absolutionem, neque credendum est obligationem esse ita strictam, vt non possit aliquo tempore differri. Quod efficaciùs procedit, cùm pœnitens ignorantia inuincibili vsque tunc laborauit: quando autem ignorantia culpabilis fuit, maiori circumspectione opus est, & examinandum est diligenter propositum addiscendi, an firmum sit, quòd si tale esse constiterit, absolui poterit: sic Azor *lib.8. cap.8. quæst.vlt.* Sanchez *lib.2. cap.3. num.*21. & 23. Coninch *disput.*14. *dub.*11. *circa finem.* Ioann. Sanchez *in select. disput.*9. *num.*18. Secus verò dicendum est ante Baptismi susceptionem; quia sub graui culpa nemini adulto dandus est, quin priùs sufficienter de mysteriis nostræ fidei, tàm de his, quæ debet credere, quàm operari, instruatur; quia cùm ex Baptismo ad illa omnia credenda, & exequenda obligetur, non est conueniens ignoranti hanc obligationem imponi: & ita tradit Valent. 4.*tom.disput.*4.*quæst.*3. *punct.*3.*ad finem.* Sotus 4.*distinct.*6.*quæst.*2.*art.*1. *ad finem corp.* Suarez *tom.*3.*in* 3.*part.quæst.*71.*art.*2. *in princ.comment.* Nauarr.*cap.*24. *num.*15. Sanchez *lib.*2.*in Decalog. cap.* 3. *num.*24. Excipiunt tamen supradicti Doctores periculum mortis, in quo dandus est Baptismus petenti pro qualitate temporis instructo: ne, inquam, tanto bono priuetur, & periculum subeat salutis æternæ.

PVNCTVM XII.

Quo tempore obligatus sis fidei actum exercere.

1 *Duplex est obligatio: alia directa, alia indirecta.*
2 *Obligatio indirecta pluribus euentibus est.*
3 *Obligatio directa aliquando adest, sed quo tempore sit, non satis constat.*
4 *Tempus huius obligationis pro infidelibus est: cum fides illis sufficienter proponitur.*
5 *Pro fidelibus, cum rationis vsum attingunt, illísque sufficienter mysteria proponuntur.*
6 *Præter supradictum tempus raro, vel nunquam est obligatio directa exercendi actum fidei.*
7 *Nullus infidelis tenetur præbere auditum cuilibet prædicanti.*
8 *Neque tenetur ei assensum præbere, quousque probet fidem, quam prædicat esse euidenter credibilem.*
9 *Quilibet infidelis, Maurus, & hæreticus, cui dubium est, an securè procedat, tenetur inuestigare veritatem, alioqui culpæ reus est.*
10 *Non omnibus infidelibus æqualis propositio fidei sufficit ad credendum.*
11 *Mysteria fidei si proponantur infideli, vt magis credibilia, tametsi non euidenter credibilia, tenetur eis assentiri, secundùm Bannes, & Ledesm.*
12 *Superiorem doctrinam amplectitur Sanchez pro articulo mortis, secus extra illum.*
13 *Probabilius censeo nullo tempore te obligatum esse fidem ex illa propositione amplecti.*
14 *Satisfit argum. oppositis.*
15 *Quæ propositio sufficiat fidelibus ad credendum.*
16 *An amittat fidem, si Idolum adoret, vel hæreses proferat.*

1 PRæsupponendum est sermonem esse posse de obligatione directa,& per se exercendi actum fidei, & de obligatione indirecta,& per accidens. Obligationem directam, & per se voco, quæ ex ipsamet fide oritur: obligationem indirectam, & per accidens, quæ aliunde, scilicet ex alia virtute ortum habet. Exemplis declaro. Obligatus es de peccatis conteri, per accidens tunc obligaris fidei actum habere, quia absque illo, non potest esse contritio, prout oportet, vt iustificationis gratia conferatur. Econtra verò interrogatis de fide coram tyranno, directè fides exercenda est.

2 Esse autem obligationem indirectam eliciendi actum fidei, constat apud omnes. Primò in supradicto casu, cùm obligaris conteri de peccatis, quia non potes contritionem habere, quin credas Deum tibi posse peccata remittere: & ideo Trident. *sess.*6. *cap.*6. actum fidei inter dispositiones ad gratiam enumerauit. Secundò quoties obligatus es, spei, & charitatis actus exercere; non enim sine fideli haberi possunt. Vnde quia in articulo mortis secundùm receptam sententiam ij actus à quolibet fide si exercendi sunt, simul etiam exercenda est fides. Tertiò quoties obligatus es aliquod sacramentum recipere, quia tunc consequenter obligaris credere illius virtutem,& efficaciam: quod procedit efficaciùs in susceptione venerabilis Eucharistiæ sacramenti, nequit enim debitè suscipi, quin credas ibi Christum Dominum adesse præsentem. Quartò cùm vrget grauis aliqua tentatio aduersùs castitatem, patientiam, iustitiam, cui necessum sit actu fidei resistere, iuxta illud 1. *Petri* 5. cui resistite fortes in fide. Quintò,

Quintò, si præceptum orandi habeas; quia id non videtur exerceri debitè posse absque fide, qua credas Deum posse postulata concedere. Sextò, addunt aliqui; quoties ab Ecclesia mysterium aliquod celebratur, quia videris tunc obligatus illud credere. Item quoties habes præceptum audiendi Missam, quia tunc credere debes sacrificium, quod in illa offertur. Cæterùm ex præcepto obseruandi festum, & audiendi Missam, non videris obligatus fidei actum exercere; quia absque illo potes vacare ab operibus seruilibus, & Missæ sacrificio adesse, debita attentione, & intentione colendi Deum. Fateor tamen finem illius præcepti esse fidei professionem; sed quia hæc fidei professio interna non est præcepta: ideo ad illam exercendam non obligaris. sic Suarez *de fide, disput.* 13. *sect.* 5. *num.* 2. 3. *&* 5. Aduerte quoties indirectè ad fidem exercendam obligatis, si eius exercitium omittas, non peccaturum aduersùs fidem, sed aduersùs illam virtutem, ad quam exercendam ex præcepto directo tenebaris. Vnde in confessione satisfacis, si eius omissionem manifestes. sic Suarez *num.* 5. Sanchez *lib.* 2. *in Decalog. cap.* 1. *num.* 3. *in medio, & circa finem.*

3 De obligatione directa exercendi fidem maior est dubitatio pro quo tempore sit? Nam adesse aliquando hanc obligationem ex iure diuino in comperto est apud omnes, eo quòd sit fides cæterarum virtutum fundamentum. Vnde si de aliqua virtute exercenda præceptum sit, maximè de fide debet esse. Item fide subditur noster intellectus Deo, éstque prima hominis ad Deum subiectio: vt dixit D. Thomas 2. 2. *quæst.* 16. *art.* 1. debet ergo reliquis præceptis hæc subiectio p æmitti.

4 Tempus ergo huius obligationis communiter Doctores assignant pro infidelibus, cùm illis fides sufficienter proponitur. sic Suarez *disput.* 13. *de fide, sect.* 5. *num.* 6. Azor *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 17. *quæst.* 8. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 3. Valent. *tom.* 3. *disput.* 1. *quæst.* 2. *punct.* 5. Coninch *disput.* 14. *dub.* 10. *à num.* 205. Ratio est manifesta; quia infidelis fidem tenetur admittere, cùm ei sufficienter proponitur. Ergo tenetur fidé exercere. Item si infidelis fidem sibi sufficienter propositam possit absq; peccato respuere, nulla illi esset obligatio se conuertendi, & consequenter neque procurandi suam salutem: quod est absurdum. Aduertit tamen Sanchez *illo num.* 3. *circa princip.* hanc obligationem non esse accipiendam pro metaphysico instanti, in quo fides sufficienter proposita est, sed morali; ita vt in re tanti momenti, ne nimium arbitrio prudentis deferatur. Et confirmari potest à simili ex præcepto Baptismi, quẽ non tenetur quis suscipere statim ac sibi suscipiendus sufficienter proponitur; sed potest absque peccato aliquantulum differre: neque illa dilatio censetur Baptismi contemptus. Ergo. Similiter esse potest in fidei assensu. Cæterùm credo hanc obligationem esse pro instanti metaphysico, quo infideli fides sufficienter proponitur. sic Coninch *disput.* 14. *dub.* 10. *num.* 205. *& seqq.* & videtur esse Bannes 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 1. *dub.* 3. *conclus.* 5. Nam si tunc respuit fidem, vel de illa aliquo modo dubitat, peccatũ infidelitatis committit, vt de se constat. Suspendere autem assensum, ex se negatiuè habere, vix fieri potest, moraliter loquendo: quia nulla excogitari potest ratio assensum suspendendi pro aliquo tempore, cùm nulla de veritate credibilium sit dubitatio, & Deus auxilium supernaturale ad eliciendum actum concedat. Neque est simile de Baptismo, cuius dilatio ex multis causis honestari potest, quæ tamen esse non possunt in actu fidei interno. Adde, cùm nulla adest honesta causa differendi Baptismum, peccare infidelem differendo.

5 Tempus autem fidelibus assignatum, vt fidei actum exerceant, est cùm ad vsum rationis attingunt, & illis mysteria fidei ex obligatione credenda proponuntur. sic Suarez, Sanchez, Azor, Valent. Coninch *suprà.* Ratio esse potest, quia si aliquo tempore hæc credere fidelis obligatur, maximè cùm incipit ratione vti: est enim summè decens, vt initium rationis à subiectione fidei incipiat. Quod optimè confirmari potest ex sententia illa D. Thom. 1. 2. *quæst.* 89. *art.* 6. affirmantis puerum statim cùm ad vsum rationis peruenit, esse obligatum omnia sua in Deum tanquam in authorem naturæ referre. Ergo etiam erit obligatus puer baptizatus omnia sua in Deum, tanquam in finem supernaturalem referre: siquidem per fidem in Baptismo susceptam ad illum finem ordinatur. Notandum tamen est Sanchez *lib.* 2. *in Decalog. cap.* 1. *num.* 3. & Coninch *disput.* 14. *dub.* 10. *num.* 213. huiusmodi pueros, & in infantia baptizatos, & inter fideles nutritos excusari aliquo tempore ab hac obligatione; quia neque illis hæc mysteria credenda, tanquam reuelata proponuntur: neque ipsi obligationem assentiendi illis ex fide diuina percipiunt.

6 Præter supradictum tempus rarò, vel nunquam est obligatio directa exercendi actum fidei, sufficienter enim videris illius obligationi satisfacere, cùm actus aliarum virtutum, spei, charitatis, & religionis exerces, quos debitè absque fide exercere non potes. sic Suarez *disp.* 13. *de fide, sect.* 5. *n.* 6. Solùm de tempore, quo de fide grauiter tentaris, videris obligatus fidei actũ exercere, ne tentationi succumbas, iuxta illud 1 Petr. 5. *cui resistite fortes in fide.* sic Suarez *suprà.* Sanchez *lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 3. Valent. 2. 2. *disp.* 1. *quæst.* 2 *punct.* 5. Azor *tom.* 1. *lib.* 8. *instit. moral. cap.* 7. *quæst.* 6. Verùm non semper hic modus resistendi internis tentationibus necessarius est, quia sæpè tentationem depellere potes, & fortè faciliùs, si cogitationem aliò diuertas. Coninch *disput.* 14. *de fide, dub.* 10. *num.* 214. imò vt tentationes cessent, & imaginatio quiescat, potest aliquando esse conuenientius, nullum actum positiuum fidei in illa tentatione exercere, ne scilicet imaginatio magis turbetur, & vehementiori tentatione vrgearis: quod præcipuè est aduertendum pro scrupulosis, qui nisi actum positiuum fidei eliciant, sibi persuadent de fide dubitare, & tentationi consentire; ij enim aptiùs resisterent, si imaginationes illas falsas contemnerent, & cogitationem, vt dixi, aliò diuertant.

Locutus sum de resistentia tentationibus fidei internis. Nam si grauiter ab aliquo tyranno de fide tenteris, credo te obligatum esse fidei actum exercere; quia hic modus resistendi debet necessariò esse externa fidei professione: at hanc firmiter posse profiteri exteriùs, sine actu interiori, quo credamus fidem illam esse veram, non percipio. Item aliquo medio te debes munire in tam graui conflictu, ne pereas. Quod ergo medium aduersùs fidei impugnationem esse potest, quàm ipsa fides? Est ergo in illa occasione exercenda, & ita tradit Suarez, Sanchez, Valent. Coninch, Azor *locis allegatis.*

7 Sed inquires, quando fides reputanda est, sufficienter tibi proposita, vt tenearis illius actum exercere? Interrogatio esse potest tam de infideli, quàm de fideli in infantia baptizato.

Et primò suppono nullum infidelem esse obligatum præbere auditum cuilibet prædicatori Christiano volenti de fide instruere, & à sua religione diuertere; quia solùm ob eius dictum non tenetur credere esse veræ religionis prædicatorem, aliàs deberet credere Iudæo, & hæretico de sua falsa religione prædicare volenti. sic Bannes 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 1. *dub.* 3. *concl.* 1. Sanchez *lib.* 2. *in Decalog. cap.* 1. *num.* 4. Petrus de Ledesm. 2. *tom. summ. tract.* 1. *cap.* 5. *concl.* 3. Neque obstat Principem Christianum sæpè intulisse bellum barbaris, quia prædicatorem fidei pellebant. Ergo signum est obligatos esse illum audi

audi

audire. Non, inquam, obstat. nam, vt bene respondet Bannes *suprà*, nulli Principi licet barbaris bellum inferre, vt quemlibet Euangelij prædicatorem audiant; quia ad audiendum Euangelium, antequam videant signa, & rationes, quibus in sua secta reddantur dubij, obligati non sunt: potest tamen Princeps Christianus bellum barbaris inferre, ne prædicatorem vexent, & ne alios audire volentes impediant; quia ad hæc facienda nullum ius habent.

8 Secundò suppono: quamuis infideles audiant prædicatorem veræ religionis, non tenentur statim illi assentire, quousque ex rationibus, ex signis, ex honestate vitæ, & aliis testimoniis probet fidem, quam prædicat, esse euidenter credibilem. sic ferè omnes Doctores. Sanchez *lib.2.cap.1.n.4.* Bannes *illo dub.3.concl.2.* Vasquez 1.2.*disp.120.cap.5.init.* Azor *tom.1.lib.8.cap.7.q.6.* Tolet.*lib.4.summ.cap.2.num.2.* Salas 1.2.*tom.2.tract.13.disput.8.sect.4.num.31.* Ioan.Sanchez *in select. disput.19.num.3.* Curiel.1.2.*quæst.75.art.2.dub.3.*Lorca 1.2.*tom.2.disput.30.* Ratio est, quia quousque prædicator probet euidenter rem esse dignam creditu, temerariè procedis, si religionem susceptam deseris; exponis enim te manifesto periculo errandi, & loco prædicatoris veri falso, & hæretico assentieris. Quapropter D.Thomas 2.2.*quæst.1.art.4.ad 1.* requirit ante fidem videre ea, quæ credenda sunt, non quidem in se, sed quoad dignam eorum credibilitatem.

9 Tertiò suppono infidelem Turcam, hæreticum, cui nostra fides vt credenda proponitur, etiamsi de facto non proponatur euidenter credibilis; quia satis eius intellectus nec de veritate nostræ fidei, nec de falsitate suæ sectæ conuincitur, teneri nihilominus veritatem indagare; quod si non fecerit, culpæ imputabitur, quia in re tanti momenti, qualis est æterna salus, eo ipso, quòd dubium occurrat, an securè procedat, debebat vincere. sic notauit Suarez *disp.17.sect.1.num.9.* & Coninch *disp.14.de fide, dub.10.num.213. & dub.11.n.230.* asserit omnes Turcas, Iudæos, ac hæreticos prudentiores laborare iam ignorantia vincibili; quia ferè nullus est, cui sufficiens ratio de sua religione dubitandi non occurrerit.

Sed inquires, quam diligentiam debet hic præstare ad veritatem indagandam, vt illa facta excusetur à culpa?

Respondeo satisfacere, si quærat pium, & doctum virum, quia non videtur esse alia via hominibus relicta veritatem inuestigandi; si autem inuenire non possit, credo obligari Deo preces fundere, vt viam veritatis demonstret, & à peccatis abstinere, ne impedimento sint illuminationi faciendæ. sic Suarez *de fide, disput.17.sect.1.num.10.*

10 Quartò noto non omnibus infidelibus æqualem fidei propositionem sufficere, vt fides euidenter credibilis reddatur: sic ex Caietan.2.2.*quæst.1.art.4.vers.dicendum*, tradit Sanchez *lib.2. in Decalog. cap.1.num.6.* Ratio est clara, quia eædem rationes facilius vnius intellectum, quàm alterius conuincunt. His positis,

11 Difficultas est, an si tibi infideli proponantur mysteria fidei, non vt euidenter credibilia, sed vt magis credibilia, quàm tuæ sectæ mysteria, tenearis relinquere tuam sectam, & fidei mysteriis assentiri? Bannes 2.2.*quæst.10.art.1.dub.3.conclus.3. & 4.* Ledesm.2.*tom.summ.tract.1.cap.5.conclus.5. & 6.* affirmant. Quia in medio necessariò ad salutem securiorem viam debes amplecti, ne te periculo errandi exponas. Item, quia esto cuilibet liceat sequi opinionem probabilem, relicta probabiliori; hoc tamen non est intelligendum de opinione probabili facti, sed iuris, vt contingit, cùm à longè hominem vides, quem probabiliter existimas feram esse: licèt enim æquè probabile sit hominem esse, & feram, non tamen est probabile te posse ad illum sagittam immittere; quia prior probabilitas est facti, non iuris: sic in supradicto casu, etsi probabile sit tuam sectam bonam esse; quia tamen probabilius est fidem tibi propositam esse meliorem, probabile non est te posse tuæ sectæ adhærere, & fidem respuere.

12 Thomas Sanchez *lib.2.in Decalog.cap.1.num.6.* distinguit de articulo mortis, & extra illum, & dicit superiorem sententiam Bannes veram esse in articulo mortis; secus verò extra illum. Mouetur, quia in articulo mortis debes prouidere tuæ saluti meliori, & securiori via, qua possis; quia non superest tempus rem diligentiùs examinandi, neque errorem, si fortè contingat, emendandi. Extra articulum mortis non videris teneri fidei probabiliter propositæ assentiri, quia restat tempus ampliùs rem examinandi.

13 Mihi autem dicendum videtur probabilius esse, nullo vnquam tempore te obligatum esse amplecti fidem propositam intra terminos tantùm probabiles; sed necessarium esse proponi, tanquam vt euidenter credibilem, vt tenearis illam amplecti. Et quidem hoc esse necessariũ extra articulum mortis, docuit Sanchez *supr.* & videntur tenere Vasq. Arag. Victor. Azor ab eo relati. Ratio est, quia fides proposita solùm sub probabilitate, quòd sit credibilis, non infert te obligatũ esse credere, sed solùm te posse credere; quia ad obligationẽ inducendam, necessarium erat, vt cognosceres fidem ita esse dignam creditu, vt nulla ratione contrarius error dignus creditu inueniatur; quia dum contrarius error dignus creditu inuenitur, non teneris illum deserere; ergo nec fidei assentiri. Debes ergo, vt tenearis fidem amplecti, conuinci de falsitate tui erroris, & de veritate fidei amplectendæ. Et confirmo. Si fideli ex ignorantia proponeretur hæresis aliqua, vt magis probabiliter credibilis, quis diceret teneri fidem deserere, & illi assentiri? Ergo neque etiam infidelis tenetur fidei veræ sub eadem probabilitate propositæ assentiri.

Hæ rationes, meo iudicio, æqualiter probant de articulo mortis, ac de reliquo tempore; ideóque nullus ex Doctoribus citatis, præter Sanchez hanc distinctionem fecit, sed generatim affirmarunt non teneri infidelem fidei mysteriis assentiri, quousque de eorum credibilitate conuincatur. Et insuper probari potest; quia obligatio colendi Deum fide vera æqualiter obligat tam in vita, quàm in morte. Ergo si Deus non offenditur in vita per repulsam factam ab infideli de fide sibi tantùm probabiliter proposita; neque in morte offendetur, & ita docuit Ioann. Sanchez *in select. disput.19. à num.4.*

14 Neque obstant argumenta contraria. Non enim teneris securiorem, seu probabiliorem viam sequi in necessariis ad salutem, sufficit, si securam, & probabilem sequaris, quia etiam in illa, quæ tibi videtur probabilior, & securior, potest error contingere. Confirmatio non vrget. Fateor ex probabilitate facti, non sequi sæpè probabilitatem iuris, quando scilicet probabilitas iuris, in probabilitate facti non fundatur: sicuti non fundatur in casu allegato in argumento. At quando probabilitas iuris in probabilitate facti fundatur: tunc, inquam, ex probabilitate facti probabilitas iuris infertur. Exemplo rem illustro. Et mihi probabile, pallium, quod possideo, esse meum: probabilius tamen iudico esse tuum, non teneor tibi relinquere, sed possum securè possidere. Sic in præsenti est probabile infideli veram religionem habere, licèt probabilius sit oppositum: non videtur obligandus errorem deserere. Quòd verò in articulo mortis non suppetat tempus ampliùs rem examinandi, hoc non efficit, quòd securam viam teneatur deserere, & securiorem amplecti, sed solùm quòd pro opportunitate temporis rem diligentiùs examinet.

15 Hucuſque de infidelibus. Quid ergo de fidelibus dicendum? ſi inter Catholicos nutriti ſint, conſtat ex dictis, teneri credere, cùm illis myſteria fidei proponuntur taliter, quòd non habeant iuſtam rationem dubitandi vera illis proponi: ſi autem inter hæreticos ſint nutriti, debent illis myſteria fidei ita proponi, ac ſi infideles eſſent; aliàs non tenebuntur aſſentiri: temerè enim, & imprudenter procederent, ſi cuilibet prædicanti aſſenſum præberent. Quocirca ij neque hæretici ſunt, neque tanquam hæretici ſunt puniendi, quouſque conſtet, & probetur illis fuiſſe myſteria noſtræ fidei ſufficienter propoſita, & nihilominus repuliſſe: ſic docent Caſtro *de iuſta hæretic. punit. cap.* 8. *dub.* 2. Simanc. *de Catholic. inſtit. tit.* 31. *num.* 7. Arag. 2. 2. *quæſt.* 11. *art.* 2. *dub. vlt.* Sanchez illos referens *lib.* 2. *in Decal. cap.* 1. *num.* 8.

16 An verò hic infans nutritus inter infideles, vel hæreticos, ſi poſt vſum rationis adoret idola, & hæreſes contra ius naturæ proferat, peccet contra fidem, & illam amittat? Pars affirmans videtur probanda. Nam ad amittendam fidem non requiritur cognitio illius: ſi enim quis inuincibiliter ignoraret ſe baptizatum eſſe, & voluntariè erroribus fidei contrariis aſſentiretur, fidem amittet; quia ille aſſenſus verè eſt contra fidem, & peccaminoſus. Ergo ſi fidelis baptizatus crederet culpabiliter fornicationem eſſe licitam, & idola eſſe adoranda, errorem habet aduerſùs fidem, & culpabilem. Ergo deſtruit fidem. ſic Bannes 2. 2. *quæſt.* 10. *art.* 5. *verſ. ſed quid dicendum.* Petr. de Ledeſm. 2. *tom. ſumm. tract.* 1. *cap.* 5. *poſt* 10. *concluſ. difficult.* 2. Nihilominus probabilius eſt talem fidelem ſic peccantem non amiſſurum fidem, quia ignorat illam inuincibiliter, imò dato eius ignorantiam, & inaduertentiam culpabilem eſſe: at non quælibet ignorantia, & inaduertentia culpabilis excludit fidem, ſed requiritur pertinacia; & ita tradit Sanchez *ſuprà*. Suarez cum communi ſententia *de fide diſp.* 15. *ſect.* 2. *num.* 3.

PVNCTVM XIII.

An ſit præceptum de externa fidei confeſſione, & quando obliget.

1 *Duplex eſt præceptum de externa fidei confeſſione. Alterum poſitiuum, alterum negatiuum.*
2 *Præceptum negatiuum ſemper obligat.*
3 *Diſtinguitur duplex negatio, directa, & indirecta.*
4 *Sæpè nomen Chriſtiani, clerici, religioſi, non pro fide, ſed pro natione, & profeſſione vſurpatur.*
5 *Præceptum affirmatiuum fidei aliquando obligat.*
6 *Si es infidelis, cum tibi fides ſufficienter proponitur.*
7 *Item obligat, ſi talis confeſſio eſt neceſſaria ad defenſionem fidei.*
8 *Item ſi neceſſaria eſt, vt aliqui in fidei confeſſione perſeuerent.*
9 *Extra ſupradictos caſus, non apparet quando obliget confeſſionis fidei præceptum poſitiuum.*

1 CIrca externam fidei confeſſionem, duplex eſt fidei præceptum, ex omnium Catholicorum ſententia, cum D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 3. *art.* 1. alterum affirmatiuum, alterum negatiuum. negatiuum ſemper obligat ad non negandam fidem; affirmatiuum ad illam confitendam. Et quidem pertinere hos actus ad fidem, conſtat; nam fides non ſolùm poſtulat diuinæ veritati aſſentiri, ſed etiam talem aſſenſum aliquando manifeſtare, iuxta illud Pauli 2. ad Corinth. 4. *Habentes eundem ſpiritum fidei credimus, propter quod & loquimur.*

2 Difficultas eſt, quo tempore hæc præcepta obligent? Et quidem præceptum negatiuum non negandi fidem exteriùs, ſemper obligat, non ſolùm quando cum interiori negatione coniungitur: tunc enim clarum eſt, quia eſt apoſtaſia, & deſertio fidei, ſed etiamſi ſolùm verbis, vel ſignis exteriùs negetur, animo autem fides retineatur. Concluſio eſt certa de fide, ex illo Matth. 10. *Qui negauerit me coram hominibus, negabo & eum coram Patre meo.* Sed qui exteriùs fidem negat, etiamſi animo retineat, verè negat Deum coram hominibus. Ergo dignus eſt, vt negetur à Chriſto coram Patre. Quod adeò verum eſt, vt nemini liceat talis negatio ob vllam cauſam, etiam ob vitandam mortem, & grauiſſima tormenta; quia illa negatio eſt intrinſecè mala, quia eſt quoddam mendacium derogans diuinum honorem, & religioni Chriſtianæ ſummè contumelioſum. Qui enim negat fidem, dicit ſummam, & infallibilem veritatem falli, quod à mendacio derogante diuinum honorem excuſari non poteſt.

3 Dupliciter contingit hæc negatio fidei. Primò directè, vt ſi fidem abſolutè neges, vel ſi neges aliquem eius articulum, vel eius certitudinem, & neceſſitatem. Secundò indirectè, ſi neges te eſſe Chriſtianum, Catholicum, aut Papiſtam; quia virtute negas Chriſtum, eiúſque Catholicam religionem. Apoſtolus enim Petrus ſolùm negauit ſe noſſe Chriſtum, eiúſque diſcipulum eſſe: & quia in tali negatione Chriſtum negabat, grauis peccati reus fuit. Idem eſt ſi diceres te eſſe Turcam, Iudæum, Ethnicum, Lutheranum; non enim cum his actis compati poteſt Chriſtiana religio: ac proinde qui eas ſectas diceret ſe profiteri; conſequenter dicit ſe à Chriſtiana religione alienum eſſe: ſic omnes Doctores, vt poteſt videri in ſtatim referendis.

4 Verùm aliquando nomen Chriſtiani non religioni, ſed nationi accommodatur: vt contingit in bello inter infideles; qui ſi interrogent, an ſis Chriſtianus, negare potes, cùm adeſt aliqua grauis cauſa negandi, reſtrictione tamen in mente retenta: quia tunc non negas fidem Chriſtianam; ſiquidem de illius profeſſione non rogaris, ſed ſolùm negas te eſſe talis nationis, cuius incolæ reputatæ ſunt hoſtes, & inimici: ſic docent Azor *tom.* 1. *inſtit. moral. lib.* 8. *cap.* 27. *quæſt.* 1. *&* 2. Bannes 2. 2. *quæſt.* 3. *art.* 2. *dub.* 1. *concluſ.* 4. Sanchez *lib.* 2. *Decal. cap.* 4. *num.* 8. Coninch *diſp.* 15. *dub.* 2. *num.* 10. Suarez *diſp.* 15. *ſect.* 1. *num.* 10. Idem eſt, ſi interrogeris, an ſis clericus, religioſus, vel aliud officium, aut munus Chriſtianæ religionis feceris, ſcilicet audire Miſſam, intereſſe diuinis; negare poteris cum reſtrictione mentis, quia hoc non eſt negare fidem, ſed negare aliquod munus fidei, quod abſque peccato negari poteſt, ſi cauſa ſubſit legitima vtendi reſtrictione mentali. ſic Suarez *num.* 11. Coninch *num.* 11. Sanchez *num.* 10. Azor *quæſt.* 2. Adde hoc verum eſſe, etiamſi interrogans intenderit interrogatione facta explorare tuam fidem: non enim illi tu eam negas, negando munus illius, ſiquidem abſque illo fidem habere potes. ſic Azor, & Sanchez *ſuprà*.

5 De præcepto autem affirmatiuo confeſſionis fidei conſtat apud omnes aliquando obligare, ex illo ad Rom. 10. *Corde creditur ad iuſtitiam: ore autem confeſſio fit ad ſalutem*, id eſt, ad ſalutem conſeruandam, vel ad ſalutem æternam obtinendam: & tradit D. Thom. communiter receptus 2. 2. *quæſt.* 3. *art.* 2. Valent. *diſp.* 1. *quæſt.* 3. *p.* 2. Suarez *diſp.* 15. *ſect.* 2. *in princ.* Azor *lib.* 8. *cap.* 7. *in princ.* Coninch *diſp.* 15. *dub.* 1. *num.* 6. *concluſ.* 2. Rationem reddunt ſupradicti cum D. Thom. quia tunc exercitium alicuius virtutis eſt in præcepto, quando grauiter neceſſarium eſt ad charitatem Dei, vel proximi ſeruandam. Eſt enim charitas finis legis, omniſque lex in charitate ſolidatur. Ergo quæ neceſſaria fuerint ad charitatem, ex lege, & præcepto neceſſaria erunt: atqui ſæpè confeſſio externa fidei ad hunc finem neceſſaria eſt. Ergo. Minorem probo: diſcurrendo per caſus, in quibus confeſſio ad charitatem Dei, vel proximi conſeruandam videtur neceſſaria: & hinc conſtabit, quo tempore hoc præceptum confeſſionis obliget; & quoties honor diuinus, & bonum proximi grauiter periclitatur,

cltatur, nisi fidem fatearis, clarum est ad charitatem Dei, vel proximi tunc confessionem fidei necessariam esse. Quando autem hoc contingat non est facile explicatu.

6 Primò ergo contingit manifestationem fidei ad honorem Dei esse necessariam, si tibi infideli, & extra Ecclesiam posito mysteria fidei sufficienter proponantur; quia tunc teneris & illis assentiri, & Baptismum suscipere, & Ecclesiæ vniri, quod si renuas, honorem diuinum grauiter lædis. sic Coninch *disput.* 15. *dub.* 4. *num.* 78. Suarez *de fide, disput.* 14. *sect.* 2. *num.* 7. Si autem in infantia baptizatus fuisti, quia per Baptismum, qui est sacramentum fidei, iuxta Trident. *sess.* 6. *cap.* 7. non potes fidem susceptam manifestare, debes aliquibus aliis signis fidem internam ostendere; debes enim ostendere te esse Catholicum, & fidelem. Verùm huius obligationis tempus determinatum signari non potest, & sufficienter huic obligationi fit satis, exercendo actus præceptos aliarum virtutum. v.g. audiendo Missam, recipiendo sacramenta, & alia opera exercendo, quæ signum sunt catholicæ religionis; his enim signis sufficienter fides interna manifestatur. Neque videtur propter eius præcisam manifestationem, esse obligationem suscipiendi aliquod speciale signum. sic Suarez *illo num.* 7.

7 Secundò est necessaria confessio fidei ad honorem Dei, si propter eius defectum religio Christiana falsa ab aliquibus existimari possit, aut eius author falsum dixisse; ita D. Thomas communiter receptus 2. 2. *quæst.* 3. *art.* 2. Suarez *disput.* 14. *sect.* 2. *num.* 7. Coninch *disput.* 15. *dub.* 5. *num.* 84. Valent. *disp.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 2. *circa primum dubium.*

Tertiò si videas fidem irridere, & absque tuo graui incommodo possis irridentes compescere, vel fidem laudare, teneris id præstare; quia tunc laudatione videtur irrisio facta diminui, & quasi compensari. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 5. & Coninch *disput.* 15. *dub.* 4. *num.* 80. Quòd si timeres irrisores ex tua laudatione magis irritandos fore, & in blasphemias processuros, non credo te esse obligatum, siquidem cessat finis, ob quem tua laudatio præcipitur, qui est fidei Christianæ excellentiam promouere. Coninch *disput.* 15. *dub.* 5. *num.* 93. & 110.

Quartò, si crederes ob non confitendam fidem te pusillanimitate opprimendum esse, & periculo negandi fidem exponendum; quia tunc clarum est, te esse obligatum confiteri. sic Suarez *disput.* 14. *sect.* 2. *num.* 7. *in medio.*

8 Quintò confessio fidei est necessaria ad bonum proximi, quando credis ex omissione tuæ confessionis aliquos fidem esse amissuros, & facta tua confessione firmos futuros esse. Item quando tua confessio occasio futura est aliquos ad fidem conuertendi; quia non solùm ex charitate saluti proximorum illo in casu teneris consulere, sed etiam ex fide teneris fidem in aliis promouere; quia fides non solùm obligat subiectum, in quo est, vt fidei mysteriis firmiter assentiatur, sed etiam obligat, vt procuret alios sic firmiter assentiri. Item quælibet virtus obligat subiectum, in quo est, vt impediat, quæ illi fuerint contraria: cùm autem peccata contra fidem à quocumq; commissa sint, fidei sunt contraria, efficitur sanè te obligatum esse ex fide ea impedire. sic docet Coninch *disp.* 15. *dub.* 4. *num.* 79.

9 Extra huiusmodi casus non reperio alium, in quo obliget fides ratione sui fidem profiteri; ratione tamen aliarum virtutum sæpè obligat. Si enim ex charitate, vel iustitia tenearis proximum instruere de fidei mysteriis, iam inde obligaris fidem profiteri; illa enim instructio, professio fidei est. Item si ex religione debes sacramenta suscipere, & venerari, illa susceptio, & veneratio professio fidei est, & sic de reliquis. Suarez *disput.* 14. *sect.* 2. *num.* 3. & 7. Coninch *disput.* 15. *dub.* 4. *conclus.* 2. *num.* 81.

PVNCTVM XIV.

An cùm de tua fide interrogaris, tenearis illam fateri.

1 *Plures Doctores affirmant, si à potestate publica interrogeris.*

2 *Regulariter non es obligatus, si generaliter examineris, tametsi aliquando tenearis.*

3 *Si in particulari interrogeris, non licet tibi negare, neque ita æquiuocè respondere, vt appareas fidei negator.*

4 *Secus verò si responsionem declinare potes, quin negator appareas.*

1 Rogari potes à Rege, & superiore proprio, vel extraneo. Item rogari potes publicè, vel secretò, vel tandem rogari potes ab homine priuato. Hac distinctione supposita,

Plures Doctores affirmant te obligatum esse fidem manifestare, quoties à potestate publica, quæcumque sit, de illa rogaris, etiamsi secretò rogeris. sic Valent. 2. 2. *disput.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 2. *dub.* 3. Bannes *ibi quæst.* 3. *art.* 2. *dub.* 1. *concl.* 3. Azor *tom.* 1. *institutionum moralium, lib.* 8. *cap.* 27. *quæst.* 1. Sanchez alios referens *lib.* 2. *in Decalog. cap.* 4. *num.* 6. & videtur expressa sententia D. Thomæ 2. 2. *quæst.* 3. *art.* 2. Mouentur; quia præceptum confessionis tunc obligat, cùm ex tua confessione, magnus Dei, & fidei honor speratur; at ex confessione facta coram potestate publica hic effectus sperari potest. Ergo. Item nulla videtur efficacior occasio, neque magis opportunum tempus fidem manifestandi, quàm illud, in quo de fide à potestate publica examinaris. Ergo pro illo tempore præceptum confessionis fidei obligat. Adde, si tunc renuas confiteri fidem, occasionem præbes aliis suspicandi te non habere fidem, vel fidem non esse veram, & ad salutem necessariam. Teneris ergo, ne subtrahas hunc honorem Dei debitum, fidem manifestare. Quòd si ab aliquo priuato rogeris, asserunt supradicti Doctores, specialiter Bannes, Azor, Sanchez te obligatum non esse fidem manifestare. Excipit tamen Sanchez, & Valent. nisi persona grauis sis, eáque authoritate potiaris, qua præsumere potes tuam manifestationem allaturam esse Deo magnum in fide honorem.

2 Pro resolutione aduertendum est examinari te posse singulariter, vel generaliter cum aliis; vt si diceret Rex: Qui fuerint Catholici, manifestentur. Si generalis examinatio fiat, regulariter loquendo, non teneris te prodere, & fidem manifestare. sic Suarez *de fide, disp.* 14. *sect.* 3. *n.* 6. *fin.* cum Tabiena *verb. fides.* quia neque ratione præcepti Principis teneris, cùm hoc non obliget cum graui tuo detrimento, neque ex præcepto fidei negatiuo; quia inde non apparet te negasse fidem, sed solùm occultasse, quod per se licitum est: neque etiam ex præcepto positiuo fidei, quod non obligat, cùm qualis qualis Dei honor ex confessione accrescit, & ex illius omissione subtrahitur, sed cùm grauis, & magnus est: at ex tali manifestatione præsumi non potest grauem Dei honorem, & fidei exaltationem esse futuram; imò potiùs præsumi potest occultatione fidem esse amplius promouendam, & fideles occultos confirmandos. Ergo.

Dixi, regulariter loquendo, te non teneri prodere, quia aliquando teneris, videlicet, quando spectatis circumstantiis, meritò suspicarentur alij, te fidem deserere, quia tunc teneris fidem manifestare. Nam licèt non tenearis semper aliis te fidelem ostendere; teneris tamen non te positiuè ostendere infidelem: quando autem

autem hæ circunstantiæ concurrant, prudentis arbitrio iudicandum est, quod iudicium desumi potest ex casibus, quos recenset Coninch *disp.15.dub.5.à num.112.*

3 Verùm si in particulari de fide rogeris, siue à Rege proprio, siue extraneo, siue à quolibet alio particulari, siue publicè, siue secretò,

Dicendum primò est nullo modo tibi licere verbis ambiguis, seu restrictione mentali facta, ita respondere, vt appareas fidem negare: sic Valent. 2.2.*disp.1.quæst.3.p.2.dub.4.* Pesantius 2.2.*quæst.3.art.2.disp.1.conclus.2.* Sanchez *lib.2.c.4.num.14.* Coninch *disp.15.dub.2.n.14.& dub.5.num.108.* Ratio est, quia negare fidem exteriùs, etiamsi eam animo retineas, est intrinsecè malum, sed qui ita verbis illudit, vt audientes intelligant negasse fidem, verè in exteriori foro illam negat. Ergo hoc nulla ratione licet.

Dico secundò, quoties infidelis Christianum rogat de fide, vt eum hac de causa vexet; si Christianus declinare potest confessionem, quin intelligatur fidem negasse, non videtur teneri per se fidem manifestare: sic expresè tradit Coninch 2.2.*disput.15. dub.5. conclus.6. num.109.* cum Lorca *disp.24.num.21.& 22.* Probo; quia non videtur, qua ratione sub graui culpa teneatur hanc confessionem præstare. Non enim tenetur ex præcepto Principis infidelis, vt de se constat, neque etiam ex præcepto fidei; fides enim obligat negatiuo præcepto, ne te positiuè ostendas infidelem: at non prohibet te dissimulare fidelem, seu te fidelem esse occultare. Positiuo autem præcepto solùm obligat manifestare fidem, quando id ad Dei honorem, vel proximorum salutem grauiter conuenit. In præsenti autem non videtur subtrahi grauiter Dei honor, si sic celas fidem. Non enim, vt suppono, ex tua manifestatione infideles sunt conuertendi, aut fideles dubij sunt confirmandi; sed solùm sequitur Principem, & alios adstantes cognoscere te Catholicum esse, quod antea non cognoscebant: sed hæc cognitio præcisè per se spectata non est tanti momenti, vt videaris cum periculo vitæ teneri illam procurare; aliàs etiam non rogatus, neque examinatus tenereris fidem manifestare, ne Princeps, & alij intelligerent te infidelem esse; quod est falsum, & contra communem vsum in Ecclesia receptum plurimorum Martyrum, qui se fideles esse dissimulabant. Dixi non teneri per se fidem manifestare, sic rogatum, quando ex eius declinatione non intelligitur fidem negare. Nam si hoc præsumi potest, nulla ratione licet, vt dictum est in prima conclusione. Ex præcisa autem taciturnitate hoc nullo modo intelligitur, sicut neque etiam intelligitur, si rogatus diceres: Quid tua interest? Quid me interrogas? hæc enim responsio potius est interrogantis contemptus, quàm fidei negatio: imò est quædam virtualis fidei confessio, siquidem responsionem iudici gratam negat. Addendum tamen est rarò posse Christianum sic interrogatum declinare responsionem; quia potestas publica eum ad respondendum vexabit, & quoties magis tacentem videat, acriùs excandescet, & in grauiora tormenta prorumpet, tam aduersùs ipsum, quàm reliquos esse fideles existimarit, eo quòd existimet se esse contemptum.

PVNCTVM XV.

Quando possis, vel tenearis fugere tyrannum in Christianos sæuientem.

1 *Per se licitum est fugere tyrannum, ne te examinet, néve tormentis exponat.*

2 *Aliquando licitum est non fugere; tametsi periculum vitæ immineat.*

3 *Regulariter obligatus es te occultare, & dissimulare, & quando hoc contingat.*

4 *Pastor, & Prælatus fugere potest, si ouibus satis prouisum sit, secus verò si illius præsentia grauiter oues indigeant, quia tunc cum periculo vitæ tenetur illis assistere.*

1 Dico primò. De fide est per se licitum tibi esse fugere tyrannum, ne te de fide examinet, néve tormentis exponat; ex illo Matth.10. *Cùm vos persequentur in ciuitate ista, fugite in aliam*; & ex exemplo Apostolorum Petri, & Pauli, qui iam in carcerem detrusi fugerunt: & præcipuè exemplo Christi Domini, qui etsi poterat absque fuga tyrannorum sæuitiam declinare, fugit, *Matth.4.Ioan.8.10.& 11.* & multis exornat Nicolaus Papa *in cap.sciscitaris,7.quæst.1.* & August. *epist.180. ad Horat. & tract.46. in Ioann.* & alij. Ratio est, quia hæc fuga nullo modo præcepto positiuo prohibetur, vt de se constat, neque naturali; siquidem fidei non aduersatur, imò potiùs fidem promouet, & manifestat; siquidem ob eius causam se fugæ subdit, & exilium patitur. Ergo. Adde talem fugam sæpè conuenientem esse, tum vt tuæ imbecillitati prospicias, tum vt aliorum saluti adiutorium sis. Quod adeò verum est, vt etiam si captus sis, & examinationi subiectus, adhuc licitum tibi est fugere: tum quia D.Petrus sic fecit, & alij sancti Martyres: tum quia fugiendo fidem manifestas, non negas. sic Suarez *de fide disp.14.sect.3.num.11.fine.*

2 Dico secundò. Aliquando licitum tibi est non fugere, sed expectare examinationem, etiamsi vitam periculo exponas; quod contingit, quando credere potes fidem illa confessione promouendam esse, sic aliis relatis docet Suarez *de fide disp.14.sect.3.num.11.* Ratio est, quia expectando examinationem potes imbecilles in fide roborare, & alios ad fidem conuertere; & ex alia parte nullo morali periculo negandi fidem, te exponis. Ergo potest esse licitum. Neque obstat, quòd te periculo amittendi vitam exponas, quia ob finem rationabilem, & honestum licitum id est. Et confirmari potest exemplo sancti Sebastiani, qui se fidelem dissimulauit, quousque fidem Marci, & Marcellini periclitari sensit: tunc enim se prodiit, eiúsque manifestatio multis nominibus ab Ecclesia commendatur.

3 Dico tertiò. Regulariter non solùm licitum tibi est fugere persecutorem saltem te occultando, & dissimulando, sed etiam id facere obligaris. Primò obligaris, si conscius tuæ imbecillitatis times negaturus fidem: colligitur ex *cap.sciscitaris, 7.quæst.1.* tunc enim nulla honesta causa esse potest prodigendi vitam: debet tamen timor esse fundatus, vt inducat morale, & proximum periculum cadendi. sic Suarez *disp.14. sect.3. num.10.* Secundò obligaris, si intelligeres ex tua confessione mortem esse subiturum, ita occultè, vt aliis exemplo constantiæ esse non possis; quia tunc non videtur adesse sufficiens causa prodigendi vitam, & permittendi peccatum tyranni te interficientis. Tertiò & præcipuè obligaris te occultare, si inde credis magis fidem promoturum, quod sæpè contingit, quando tua vita maximè vtilis est ad firmandos alios in fide: tum administratione sacramentorum; tum concionibus, exhortationibus, & consiliis. Quartò obligaris, si times ex tua confessione tyrannum irritandum esse, & grauioribus tormentis Christianos persequuturum, quibus timere potes plures à fide defecturos; in his enim casibus manifestatio non cedit in Dei honorem, & proximorum vtilitatem: nulla ergo ratione licet. quod non solùm intelligendum est de qualibet priuata persona, sed etiam de pastore, & Prælato. sic docet Coninch *disp.15. dub.5. à num.95.*

4 Sed quid dicendum, si pastor sis, & Prælatus, neque possis te occultare manens inter oues, poteris ne illas deserere, & fugere? Ratio dubitandi est locus ille *Ioann.10.* vbi de bono pastore dixit Christus animam suam

suam ponere pro ouibus suis; secus verò mercenarius, qui dimittit oues, & fugit. Dicendum ergo est, si fugiat pastor, vt se in commodius tempus reseruet, & interim ouibus prouisum sit aliis clericis ibi manentibus, licita est eius fuga. Ratio est, quia tunc dici non potest dimittere oues, & fugere, cùm oues non maneant pastore destitutæ: quod optimè ponderauit D. Thomas *supradicto loco Ioan. lect.* 3. Augustinus *epist.* 180. Suarez *de fide, disput.* 14. *sect.* 3. *num.* 12. Coninch *disp.* 15. *dub.* 5. *num.* 103. Item si in solos pastores, & prælatos tyrannus desæuiat, & reliquum populum permittat pacificè viuere, poterit prælatus tunc fugere; quia eius fuga populo videtur conueniens. sic Coninch *suprà.*

Verùm extra hos casus ferè semper obligatus est pastor etiam cum periculo vitæ non demittere oues, & fugere; quia oues in graui necessitate, & periculo amittendi fidem constitutas non debet pastor dimittere; aliàs non bonus pastor, sed mercenarius reputandus est. Quapropter hæc obligatio non solùm est ex charitate, qua tenemur saluti spirituali proximorum, etiam cum detrimento corporalis vitæ prospicere; sed etiam ex iustitia ratione sui muneris: vt rectè declarauit Nicol. Papa *in cap sciscitaris*, 7. *quæst.* 1. Exemplo nautæ, qui non debet nauem in periculo constitutam deserere, si sperat nauigantibus fore vtilem. sic docent Coninch *conclus.* 4. *à num.* 104. Suarez *disput.* 14. *sect.* 3. *num.* 12. Addendum tamen est, si pastores deficiant, & tu potes illis ouibus derelictis consulere; debes permanere, etiam cum periculo vitæ, quia charitas proximi obligat hoc periculum temporale subire, vt eius saluti spirituali prospiciatur.

PVNCTVM XVI.

Licitum ne sit celare fidem verbis, vel signis per se contrariam religionem significantibus, casu quo non instet præceptum positiuum manifestandi fidem.

1 *Probatur licitum id esse.*
2 *Pro resolutione distinguitur duplex genus actionum.*
3 *Nullo modo liceat vti verbis, & factis, quæ spectatis circumstantiis nullam aliam significationem habent, præter cultum falsæ religionis.*
4 *Satisfit argum. num. 1. adductis.*

1 ADrian. *in 4. in tractat. de Baptismo, quæst.* 1. *art.* 1. *ad* 5. *paulò ante* §. *contra primam partem*, existimat id licitum esse. Monetur primò authoritate D. Hieronymi *comment. in cap.* 2. *epist. ad Galatas*, & *epist.* 89. *ad August.* & aliàs sæpè, vbi sentiens cæremonias veteris legis à morte Christi fuisse mortiferas, excusat Petrum, & Paulum illis vtentes, quia ex dissimulatione faciebant. Secundò. Exemplo Naaman 4. *Regum* 5. qui cognita Deorum vanitate postulauit ab Elisæo licentiam, vt permitteret, cùm dominus suus in templo adoraret, ipse etiam genuflecteret ob domini sui reuerentiam: & si quid in hac parte peccaret, Deum pro illo deprecaretur; cui Elisæus respondit, *Vade in pace*, quasi approbans factum, & dissimulationem: si autem factum illud intrinsecè malum esset, & nulla ratione honestari posset, deberet Propheta illum monere, & à tali facto retrahere. Tertiò adducit Hieronym. & laudat simulationem Iehu Regis Israël 4. *Regum* 10. qui volens occidere omnes Baal cultores, dixit se velle Baal præcipuo sacrificio venerari, & nihilominus tamen Deus hanc eius dissimulationem videtur approbasse, cùm dixit ibi, *quia studiosè egisti, quod rectum erat, & placebat oculis meis, & omnia, quæ erant in corde meo, fecisti contra domum Achab*, &c. Ergo simulare factis, & verbis contrariam religionem licitum aliquando est. Quartò adducit Hieron. exemplum Dauidis immutantis faciem suam coram Achis 1. *Regum* 21. & subdit, nec mirum, iustos homines aliqua simulare pro tempore ob suam, & aliorum salutem; cùm & ipse Dominus noster non habens peccatum, nec carnem peccati, simulationem peccatricis carnis assumpserit. Quintò ratione, quia hæc simulatio in tantum esse potest peccatum, in quantum est mendacium, ostendens illis signis vanos deos esse dignos cultu, cùm tamen non sint, sed hoc non ostendit sic simulans; quia non ea intentione illa signa præstat, sed ob alios fines honestos. Ergo illa simulatio mendacium dici non potest. Et confirmo. Licitum tibi est vti vestibus infidelium, quarum ratione adstantes decipiuntur, & iudicant te infidelem esse. Ergo deceptio aliorum mendacium non constituit in simulatione. Sextò in aliis materiis à religione licitus est ex graui causa vsus dissimulandi, tum verbis, tum factis. Ergo etiam esse potest in materia fidei; qua enim ratione in aliis materiis excusatur simulatio à mendacio, etiam in materia fidei excusari potest; ideo enim in aliis materiis excusatur, quia verba, & facta non iuxta audientium mentem, sed iuxta intentionem proferentis accipiantur; cur ergo in materia religionis sic accipienda non erunt?

2 Pro resolutione huius difficultatis aduerto actiones significantes falsam religionem esse in duplici differentia; alia quæ ex se ex vsu, & consuetudine, aut lege nullam aliam habent significationem, alia quæ illam habent. Prioris generis sunt genuflexio coram idolo, thurificatio, tunsio pectoris, gestatio vestium, quibus in sacrificiis impiis vtuntur Gentiles, & similia; hæc enim spectatis iis circumstantiis nullam aliam habent significationem, præter cultum illius, in cuius præsentia offeruntur. Aliæ sunt, quæ licèt significent falsam habere religionem iis vtentes, ac simul etiam ostendunt saltem ex se ob alium finem assumi posse. Hæ sunt esus carnium die prohibito, vsus vestium, quibus cultores falsæ religionis communiter vtuntur, &c. Adrian. autem non solùm de iis secundis actionibus, sed de primis affirmabat aliquando licere.

3 Dicendum igitur est nullo modo licere verbis, & factis vti, quæ spectatis circumstantiis nullam aliam habent significationem præter cultum falsæ religionis, est certa sententia: neque contrariam existimo probabilem. Eam multis Scripturæ, & Patrum testimoniis probat, & exornat Valent. 2. 2. *disput.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 2. *dub.* 4. *pag.* 323. *versic. nihilominus.* Suarez *de fide, disput.* 14. *sect.* 4. *num.* 4. Sanchez *lib.* 2. *in Decalog. cap.* 4. *num.* 14. Coninch *disput.* 15. *dub.* 2. *num.* 14. Pesantius 2. 2. *quæst.* 3. *art.* 2. *disp.* 1. *conclus.* 2. Vasquez 1. 2. *disp.* 182. *cap.* 5. Tolet. *lib.* 4. *summ. cap.* 2. *num.* 7. & alij ab eisdem relati. Ratio est, quia secundùm fidem non solùm obligaris præcepto negatiuo non profiteri falsam religionem ex animo, sed neque quoad apparentiam profiteri, quia obligaris non negare fidem exteriùs. At vtens illis signis nullam aliam significationem moraliter habentibus præter cultum falsæ religionis, falsam religionem protestaris exteriùs. Ergo illud est intrinsecè malum. Neque obstat te non intendere illis signis falsam religionem protestari, sed aliud longè diuersum, quia sufficit quòd in re, & in apparentia, & facto ipso id intendas. Et confirmo. Si rogatus de fide illam verbis negares, etiamsi verba in alia significatione ab ea, quam habent, vsurpares, omnes conueniunt esse intrinsecè malum, & nulla ratione honestari posse; sed facta illa, verbis negantibus fidem, æquiualent, quia sicut verba nullam aliam habent significationem; ita neque illa facta spectatis illis circumstantiis: & sicut non obstat in verbis intentio proferentis, vt ea extrahat à significatione, quam

quam habent, neque etiam debet in factis obstare intentio exequentis, cùm tam à verbis, quàm à factis illis inseparabilis sit externa significatio falsæ religionis. Secundò, quia negari non potest executionem illarum actionum esse quidem superstitiosum cultum; siquidem seiungi non possunt à superstitione, quam habent colendi illum, in cuius præsentia fiunt. Sed superstitiosus cultus semper est illicitus. Ergo. Tertiò ex opposita sententia sequeretur posse fidelem inter infideles habitantem, vt mortem, vel alia damna euitet, thus offerre idolo, & alias impias preces fundere, sicut & alij infideles faciunt, quod certè absurdissimum est. Quartò, non essent condemnandi ab Ecclesia, vt desertores fidei, qui rogati à tyranno diis sacrificabant; debebant enim præsumi ob fidem occultandam vsi fuisse illis actionibus alia intentione ab ea, quam petebat tyrannus. Quintò, semper Ecclesia grauissimum crimen reputauit illorum, qui à magistratibus data pecunia libellum impetrabant, quo ostendebant se idolis sacrificasse, cùm tamen non fecerint; eáque de causa *libellatici* dicebantur, de quibus agit latè Baronius *anno* 253. *à num.* 20. & Cyprian. *epist.* 52. *ad Antonin.* Ergo huiusmodi fictio, & dissimulatio nunquam esse potest licita. Supradicta intelligenda sunt de simulatione seriò facta: nam si ioci causa, & repræsentationis gratia, vt fit in comœdiis, hæc dissimulatio fiat, omnes conueniunt esse licitam; quia illa non est protestatio falsæ fidei, sed potiùs irrisio illius, neque est negatio fidei, sed repræsentatio negationis. sic Valent. *illo dub.* 4. Sanchez *num.* 15. Coninch *disp.* 15. *dub.* 2. *fine.*

4 Argumenta Adriani nullius sunt momenti.

Ad primum ex Hieronymo fateor, illius fuisse sententiæ, vt putaret Apostolos potuisse vti cæremoniis veteris legis, etiamsi essent mortiferæ, quia intelligebat Hieron. non esse mortiferas ita absolutè, vt non liceret illis vti ad tempus, & ex graui occasione, ac proinde illorum vsus tunc nullo modo fuit protestatio falsæ religionis. Adde illo tempore, quo Petrus, & Paulus, aliíque Apostoli cæremonias legis veteris obseruarunt, mortiferas non fuisse, etsi fuissent mortuæ, ac proinde licitum illis fuit ex animo colendi Deum ea exercere, vt rectè probat August. *epist.* 19. *ad Hieron.*

Ad secundum exemplum Naaman dupliciter respondeo. Primò admittendo petiuisse Naaman à Propheta licentiam simulandi cultum, cùm dominus eius in templo Remon ingrederetur, & Prophetam permisisse; quia non existimauit vlla persuasione dimouendum esse ab illa voluntate adorandi in templo Remon adorante suo domino. Secundò respondeo Naaman non petiisse licentiam simulandi adorationem idolo, sed solùm genuflectendi, & seruiendi domino suo, cùm ipse idolum adorauerit, quod certè licitum est. Neque obstat petiuisse à Propheta, vt deprecaretur dominum pro illo de tali re; quia id dicere potuit ob dubium, quod fortè habuit, an tale ministerium sibi illa in occasione liceret; cui dubio videtur Propheta satisfecisse illis verbis, *Vade in pace.* quasi diceret, nihil est, quod te turbet, rectè potes genu flectere domino tuo, quin pacem, & gratiam cum Deo amittas.

Ad tertium exemplum Iehu, August. *lib. contra mendacium, cap.* 2. & ex illo D.Thom. 2. 2. *quæst.* 111. *art.* 1. censent in illa simulatione peccasse, neque ob id laudatum esse à Deo, sed quia omnes sacerdotes Baal occidit, & domum Achab funditus euertit. Quod sanè indicant illa verba, *quia studiosè egisti quod rectum erat*, &c. non dixit, quia studiosè locutus fuisti, sed *quia studiosè egisti*, indicans in solo facto interfectionis rectè processisse, secus in simulata voluntate idololatriæ, quam pro medio assumpsit.

Ad quartum exemplum ex Dauid facilè respondetur, Dauid ibi non simulasse falsam religionem, sed quandam dementiam, & stultitiam: neque Christus Dominus simulauit peccatum peccato, sed assumens naturam humanam permisit se peccatorem reputari: quod eius humilitatem summopere commendat.

Ad quintum & sextum ex ratione petitum, concedo totam malitiam huius simulationis reduci ad mendacium perniciosum; nego tamen excusari posse ex intentione proferentis, sicut in aliis materiis distinctis à religione excusatur. Et ratio est, quia simulatio in aliis materiis ex se indifferens est, vt verum, vel falsum significet. Quapropter ex intentione proferentis coarctari potest, & determinari, vt veritatem, quam ipse mente retinet, significet quod hoc exemplo declaro. Interfecisti Petrum in agro: rogaris an illum interfeceris, negas, subintelligendo, in platea; negatio enim indifferens est, vt supponat pro interfectione facta in agro, & pro interfectione facta in platea: & tu negas solùm interfectionem factam in platea, licèt audiens decipiatur, existimans nullibi interfectionem esse factam, quam deceptionem non teneris semper vitare: at simulatio falsæ religionis semper ex se falsum significat; quia neque falsa religio vera esse potest, nec simulatio extrahi potest à sua significatione, siquidem ad id assumitur. Confirmatio habet specialem difficultatem, qua ratione liceat vti vestibus, & actionibus falsam religionem repræsentantibus, & simul habentibus alium finem, de quibus in seqq.

PVNCTVM XVII.

Possis ne vti vestibus, & signis propriis infidelium, vel hæreticorum, vt fidem occultes, cùm non vrget præceptum fidei confitendæ.

1 *Distinguuntur hæ vestes, & signa.*
2 *Proponitur prima sententia negans licitum esse his signis vti.*
3 *Probabilior est sententia opposita.*
4 *Satisfit oppositis argum. num.* 2. *adductis.*
5 *Aliqua inferuntur ex superiori doctrina.*
6 *Ex graui causa aliquibus videtur licitum fideli vti vestibus, & signis institutis ad falsa religionis professionem.*
7 *Contrarium omnino est tenendum.*
8 *Signo instituto in honorem falsæ religionis, nequaquam est probabile illo fidelem vti posse.*
9 *Cibis vetitis transiens per infideles vti poteris, si absque graui iactura eos non potes respuere, secus econtra.*
10 *Apponuntur aliquot limitationes.*
11 *Licitum tibi est templa hæreticorum ingredi ob cuiusdam obsequij ciuilis exercitium, secus in signum falsi cultus.*
12 *Per se loquendo licitum est concionibus hæreticorum assistere, si causa vrgeat, qualis non est sola curiositas.*
13 *Vbi princeps generaliter imperat omnes assistere in cultum falsæ sectæ, vt in Anglia, nequaquam licitum est.*
14 *Non licet Eucharistiam de manu hæretici sumere, neque matrimonium coram illo ex præscripto regis celebrare.*
15 *Conuiuijs nuptialibus licet assistere, & contrahentes benè precari.*

1 LOquimur de vestibus, & signis, quæ vel ex vsu, & consuetudine, vel ex lege distinguunt homines vnius sectæ ab aliis (nam de vestibus, & signis, quæ non religionem distinguunt, sed nationem, nemini esse potest dubium non esse peccatum contra fidem illis vti.) hæc ergo signa distinguentia homines vnius sectæ ab aliis, sunt in duplici differentia: alia primò, & per se ad hanc distinctionem faciendam instituta sunt, qualiter reputatur Romæ pileus flaui coloris pro Iudæis, fascia, seu tobalia pro Turcis, & Sarracenis, imò,

imò, vt aliis placet, vestis habens depictam lunam, vel Mahometum. Alia sunt, quæ primò & per se ad profitendam falsam religionem assumuntur, qualia sunt, vestes, quas Sacerdotes idolorum assumunt ad sacrificium, vel si Princeps ad profitendam falsam sectam, & cultum exhibendum falsis diis signum aliquod gestare præciperet.

2 Prima sententia negat licere aliquo ex his signis vti ad occultandam fidem. sic Caietanus 2. 2. *quæst.* 3. *artic.* 2. *dub.* 1. *fine.* Nauarr. *cap.* 11. *num.* 27. *vers.* 4. Tolet. *lib.* 4. *sum. cap.* 2. *num.* 7. Syluest. *verb. apostasia, quæst.* 1. *verb. fides, q.* 5. *n.* 8. *& verb. infidelitas fin.* & ibi Angel. Tabien. Armill. & Caietan. *summ. verbo habitus.* Philiatc. *de offic. Sacerdot. tom.* 1. *p.* 2. *lib.* 3. *cap.* 9. D. Antonin. 2. *part. tit.* 12. *cap.* 6. Mouentur, quia gestans vestem institutam ad discernendum infidelem à Catholico, illius gestatione profitetur se infidelem esse; sed professio infidelitatis quæcumque sit, est intrinsecè mala: ergo nulla ratione licet. Secundò illud signum non alia via distinguit infidelem à fideli, nisi quatenus significat illud gestantem infidelem esse; sed qui vellet ostendere se infidelem esse, peccaret peccato infidelitatis. Ergo etiam qui vult se ostendere distinctum à fideli, peccato infidelitatis peccat. Tertiò huiusmodi vestis, & signum, etsi primò institutum non sit ad ostendendam falsam religionem, sed ad distinctionem, & cognitionem personarum illam profitentium, secundariò ad falsam religionem profitendam est institutum ratione supradicta; quia non potest distinguere infidelem à fideli, quin ostendat infidelem esse, sed profiteri falsam religionem etiam secundariò est intrinsecè malum. Ergo. Quartò, si verbis affirmares te esse Turcam, vel hæreticum, absque dubio negare fidem iudicareris, sed idipsum iis vestibus, & signis affirmas. Ergo. Quintò sequeretur, si in vestibus esset depictum idolum Mahometi ad distinguendum Sarracenum à fideli, posse Christianum ibi residentem illis vti, vt fidem occultaret; quia figura illa solùm ad distinctionem profitentis illam sectam assumitur, non ad specialem honorem, & cultum idolo exhibendum: hoc autem videtur absurdum. Ergo. Quòd si dicas eo ipso, quòd figura idoli gestatur, cedit in ipsius honorem, quem teneris, quasi superstitiosum cultum vitare. Contrà, quia solùm cedit in honorem ipsius, quatenus significat illud gestantem esse illius veneratorem, & cultorem: sed idipsum significat quodlibet aliud signum distinguens infidelem à fideli; significat enim illud gestantem esse illius sectæ veneratorem. Ergo. Tandem, quia si à professione falsæ sectæ, & negatione fidei, separari potest vsus talis vestis, pro libito, & absque necessitate, illis vti poteris; quia solùm ex hac significatione habent malitiam.

3 Nihilominus dicendum est primò, etsi supradicta sententia probabilis sit, probabilius tamen esse, ex graui causa tibi licere vti vestibus, & signis destinatis ad discernendum infidelem à fideli: sic docent Bannes 2. 2. *quæst.* 3. *artic.* 2. *dub.* 2. *conclus.* 3. & ibi Aragon *dub.* 1. *conclus.* 2. expressè Gregorius de Valentia *disput.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 2. *dub.* 4. *ad finem.* Suarez *de fide, disput.* 14. *sect.* 5. *num.* 7. Coninch *disput.* 15. *dub.* 3. *conclus.* 8. Emanuel Saa *verbo fides, num.* 4. *in vtraque editione.* Probant suam sententiam Sanchez, Suarez, & alij primò, quia licèt his vestibus, & signis adiuncta sit significatio falsæ religionis, tamen quia per se illam non significant, sed distinctionem infidelium à fidelibus, quæ significatio est reipublicæ maximè vtilis; ideo possunt ad hanc significationem præstandam assumi, omissa alia significatione falsæ religionis; sicut habitus monachalis non solùm ad significandum statum monachalem destinatur, sed etiam ad corporis indumentum, qui illum assumeret, vt se occultaret; non obinde diceretur statum monachalem profiteri. Secundò, quia si harum vestium gestatio esset falsæ fidei professio; peccarent illis vtentes, & iniquè faceret Princeps cogens ad illarum vestium portationem: quod non est dicendum, cùm Pontifex præcipiat Romæ Iudæis pileum flauum portare, vt à Catholicis distinguantur. Verùm, vt rectè notauit Coninch *suprà num.* 67. hæc argumenta vel minimum probant, vel nihil: nam si primum argumentum aliquid probaret, probaret vtique licere verbis ambiguis, & quæ duplex significatum habent, negare fidem; quantumuis audientes conciperent te fidem negasse, quia potes illa proferre in sensu legitimo; siquidem illum retinent: at verbis ambiguis negare fidem omnes Catholici reputant illicitum. Ergo quòd vestes retineant significationem honestam, non probat te illis posse vti, si de facto illius vsus reputatur à videntibus negatio fidei. Secundum argumentum minus probat; potest enim Princeps habens sub se diuersarum religionum professores imperare, vt quilibet dicat, quam religionem profiteatur: an, inquam, sit Christianus, vel Mahometanus, &c. quod mandatum licitum est, & dictum ipsum etiam est licitum; quia Princeps non imperat, vt falsam fidem profiteantur, sed vt testentur, quam fidem habeant; sicuti, si tibi imperaret, vt testareris de fide sociorum, potes, inquam, absque peccato testari socios tuos esse Mahometanos ex suppositione, quòd ita sint: sic similiter testari potest quilibet de se ipso. Quocirca legitima ratio, quare vestibus destinatis ad distinguendos infideles à fidelibus, possis tu, qui fidelis es, ex causa vrgenti vti, ea est; quia attentis circumstantiis, nullo modo earum vsus testatur te infidelem esse; siquidem quilibet, qui te Christianum cognosceret, & sic vestitum videret, non iudicaret te negasse fidem, neque id videri voluisse; sed solùm iudicaret te voluisse occultare ob timorem mortis. Ergo illarum vsus nullius falsitatis signum est. Secus est, si verbis, quantumuis ambiguis, & restrictis, diceres te esse Iudæum, Mahometanum, quia ex illis intelligerent audientes te ob timorem mortis fidem negasse, aut sic apparere voluisse; quia verborum significatio strictior, & limitatior est, quàm vestium, & aliorum signorum. Dixi, si legitima causa intercedente illis vestibus vtaris, non esse signum infidelitatis, quia si absque causa feceris, cùm tunc nulla ratio legitima adsit veritatem occultandi; meritò præsumi potest, te negasse fidem, vel voluisse desertorem illius apparere, quod est intrinsecè malum. sic Coninch *illo dub.* 3. *n.* 65. *&* 71. Suarez *de fide, disp.* 14. *sect.* 5. *num.* 5. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 19.

4 Argumenta pro priori sententia ex probatione nostræ conclusionis manent soluta. Dicemus namque gestationem illius habitus non esse fidei falsæ protestationem, sed testificationẽ se fidem falsam habere, quod in habente fidem falsam, ex suppositione, quòd illam habet, non est illicitum: in viro autem Catholico, si videntibus, & cognoscentibus illum apparere possit, gratia occultandi facere, etiam licitum est; hoc tamen nisi causa legitima te occultandi adsit, nullo modo apparere potest: quapropter absque graui causa nullatenus id fieri potest. De veste verò, in qua figura Mahometi, vel idoli depicta esset, alicui videri posset illa Christianum posse vti, quando solùm ad discernendum infidelem à fideli esset apposita ob rationem in argumento allatam: at credo nullo modo licere, quia gestatio illius figuræ per se est quidam cultus, & veneratio idolo facta, quæ semper est illicita: sic docent Sanchez *lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 21. *&* 23. *in fine.* Suarez *disput.* 14. *de fide, sect.* 5. *n.* 8. Intelligo de gestatione publica, & honoraria. nam si occultè deferres, vel alio modo impedires exterioris cultus apparentiam, liceret sanè, vt in aliis signis diximus. sic Suarez *suprà.*

5 Hinc deducit Sanchez *lib.2. cap.4. num.22. & 23.* excusari Christianos vtentes signis Turcarum in nauibus, ne à Turcis comprehendantur, & speculatores Christianos, vulgò *espias*, vtentes lingua & habitu infidelium vbi resident, & pugnantes aduersùs infideles, vtentes eorum vexillis, vt eos faciliùs possint comprehendere, modò tamen in ipsis vexillis depicta non sit idoli figura. Quia in his omnibus nulla falsæ fidei professio, etiam quoad apparentiam, fit, sed solùm veræ fidei occultatio, quæ ex causa iusta licita est: assumuntur enim signa de se indifferentia, & consentit Bonacina *disp.3.q.2 p.3.n.27.*

6 Sed quid dicendum de signis, & vestibus infidelium institutis non ad discernendum eos à fidelibus, sed ad profitendum, protestandúmve eorum falsam religionem, an liceat fideli illis vti ad se occultandum?

Aliqui existimant ex graui causa licere. sic Sanchez *lib.2.cap.4.num.20.* cum Azor *tom.1.lib.8. institut. moral. cap.27.quæst.4 fine*, reputat probabile Coninch *disp.15. de fide, dub.3.num.72.conclus.9.* Mouetur, quia quantumcumque ad protestandum fidem falsam, cultúmque idolo exhibendum instituantur, non perdunt hæ vestes suam natiuam significationem tegendi, defendendique corpus à temporum inclementiis. Ergo licitum est fideli ob huiusmodi finem illas vestes assumere, relicta alia significatione legali. Addit verè Sanchez *num.21.* hoc non esse admittendum in vestibus destinatis ad authoris falsæ sectæ cultum, quales ipse reputat vestes destinatas pro sacrificiis. Sed non videtur satis consequenter dictum: nam etiam in huiusmodi vestibus reperiri potest natiua significatio, & vsus corpori deseruiens. Ergo propter illum assumi poterant.

7 Quocirca existimo, (etsi propter tot Doctorum authoritatem supradicta sententia probabilis sit) omnino esse tenendum non licere ob vllam causam fideli iis vestibus vti; quia talis gestatio est quidam cultus, & honoratio falsæ sectæ, sicuti diximus, cùm figura idoli in vestibus est depicta. Negari enim non potest falsæ sectæ eo maiorem honorem accrescere, quo plures induti appareant vestibus illam protestantibus, qui honor, & superstitiosus cultus separari non potest à gestatione, quantumuis contrariam voluntatem fidelis habeat. Adde rarò ab scandalo huiusmodi actum excusari posse. Ergo non est admittendus talis vsus: & ita tenet Anton. Tabien. Angel. Nauarr. Philiarcus, Toletus, & alij relati *in princip. huius puncti.* & Aragon *2.2. quæst.3. artic.2. dub.1. conclus. 2.* Ludouicus Lopez *1.part.instruct. cap.41. versic.accipiens habitum.* Suarez *de fide, disput.14. sect.5. num.13.* inclinat Coninch *suprà num.73.*

8 Aduerto tamen, si Princeps infidelis non solùm infidelibus, sed indiscriminatim omnibus habitantibus in suo regno, vel aliquo modo commorantibus præciperet vti veste, vel signo in honorem suæ falsæ sectæ, credo in hoc casu, nullo modo esse probabile, fidelem vti illo signo posse ad se occultandum, esset enim talis vsus falsæ fidei protestatio; quia cùm ille vsus non præcipiatur solis infidelibus, vt à fidelibus appareant distincti, sed præceptus sit fidelibus, & infidelibus in falsæ fidei professionem, & honorem: quicumque illo vtitur, meritò reputandus est falsam fidem profiteri. Quod confirmo hoc exemplo: si enim tibi singulariter Princeps præciperet sub pœna mortis; vt in cultum, & protestationem suæ falsæ sectæ portares aliquod signum, cui dubium esse potest, te obligatũ esse mori prius, quàm portare signum ita execrandum; quia gestatione illius signi, voluntati Principis annueres, & falsam sectam profitereris saltem in exteriori apparentia, quod nunquam licet. Ergo similiter dicendum est, cùm edicto generali imperaris veste protestatiua falsæ fidei indui: & ita tenet Coninch *disp.15. de fide, dub.3.n.72.*

9 Ex dictis deciduntur aliquot difficultates passim occurrentes. Prima, an transiens per loca infidelium, aut hæreticorum, vel ibi residens, possis vti cibis vetitis ob te occultandum? Et quidem si illos cibos respuere potes absque graui periculo, allegando causam aliquam extra religionem, v.g. debilitatem stomachi, certum est, te obligatum esse lege communi, & fauore religionis, id efficere. Quia mendacium vitari potest aliqua restrictione; & causa adest legitima restrictione vtendi. sic Sanchez *lib.2. cap.4. num.24.* cum Azor *lib.8. institutionum moralium, cap.27.quæst.3.* Quocirca dubium solum est, quando cibos vetitos respuere non potes, quin suspicionem generes ob Catholicã religionem respuere: ex qua suspicione meritò timere potes graue damnum tibi obuenturum; an, inquam, tunc licitè illis possis vesci? Credo regulariter tibi licere; quia licèt per huiusmodi signa aliquo modo distinguantur fideles ab infidelibus: at non sunt signa instituta ad falsæ fidei professionem, & protestationem hæresis. Ergo illis cibis vtens præsumi non potes negare fidem, aut falsam protestari, sed solùm te occultare voluisse; cùm non tenearis te manifestare. sic Azor *tom.1.lib.7.instituт.moralium, cap.29.quæst.7.ad finem, & lib.8.cap.27.quæst.3.* Sanchez *lib.2.cap.4.num.25.* Coninch *disp.15.de fide, dub.3.concl.4. num.50.*

10 Limitanda tamen est hæc doctrina iuxta supradicta, primò, si ex tua comestione scandalum graue sequatur in Catholicis, eo quòd videntes te cibis vetitis vti, absque vllo scrupulo, intelligent te à fide defecisse, & hac ratione ipsi ad fidem deserendam incitantur. sic Sanchez, & Coninch *suprà*, quod intelligendum est, quando horum periculum vitare non potes, manifestando causam, ob quam tibi licet cibis vetitis in tali occasione vti. Secundò limitanda est doctrina, nisi authoritate publica, vel priuata prouoceris carnes edere in contemptũ Ecclesiastici præcepti, seu protestationem inobedientiæ Sedis Apostolicæ, & professionem falsæ sectæ. Nam tunc ipsa comestione præceptum Ecclesiasticum contemnebas, vel saltim adstantibus apparebas contemnere, quod intrinsecè malum est, vt rectè colligi potest ex Paulo 1. *Corinth.10.* vbi postquam dixit idolo immolata comedi posse, quando instar aliorum ciborum apponuntur in mensa; negat id fieri posse, cùm aliquis dicit, hoc immolatum est idolo, quia tunc illo dicto ad comedendum idolothytum inuitat in honorem idoli, quod si inuitatus annuit, & comedit, honorem idolo defert, vel saltem reputatur deferre. At deferre honorem idolo saltem in apparentia, nullo modo est licitum; ergo nullo modo licet talibus cibis vesci: sic in præsenti dicendum est, cùm in contemptum præcepti Ecclesiastici ad comedendos cibos prohibitos inuitaris.

11 Secunda difficultas est de concionibus, precibus, & aliis signis falsæ religionis. An, inquam, ob vitandam mortem, & bonorum publicationem liceat Catholico, concionibus, & precibus hæreticorum adesse?

Ponendum est tibi licere templa hæreticorum adire, & precibus illorum assistere; quando non ratione falsi cultus, sed cuiusdam obsequij ciuilis ades, vt si dominum ibi ingredientem comiteris, vel officium aliud politicum ibi debeas præstare; hic enim ingressus non est formaliter religiosus, sed ciuilis, & politicus, ac proinde non vitandus. quod exemplo Naamam ministrantis suo domino in templo Ramon satis confirmari potest, qui, cùm eius dominus idolum adorabat, ipse genuflectebat; non quidem venerans idolum, sed obsequens domino suo: semper enim cauere debes, ne videaris ritibus hæreticorum reuerentiam exhibere, aut te illis miscere. sic Sanchez *lib.2.cap.4.n.26.in medio.* Pesantius *2.2.q.3.art.2.disp.1.q.3.* Malder. *ibi notab.3.* Coninch *disput.15.dub.3.n.62.*

Secundò

Secundò pono ex se illicitum tibi esse ingredi templa hæreticorum, si cum illis preces fundas, genuflectas, & in cæremoniis aliis communices; quia tunc exteriùs protestaris fidem deserere, vel saltem superstitiosum cultum falsæ sectæ exhibere, quod est intrinsecè malum; secus verò si ea sine vllo signo reuerentiæ spectares, & in his conueniunt Doctores, vt videre est apud Sanchez, & Coninch, statim allegandos, & constat ex dictis. Quapropter difficultas solùm est, an ingressus in templa hæreticorum ob præstandam obedientiam Regi sub grauibus pœnis id præcipienti, licitus sit Catholico, vt has pœnas euitet?

12 Cui difficultati respondeo iuxta supradicta, per se loquendo, licitum esse concionibus, & precibus hæreticorum assistere. sic Azor *tom.1. lib.8. cap.17. quæst.5.* Valent. 2.2. *disput.1. quæst.2. punct.2. dub.4. fine.* Coninch *disput.15. dub.3. conclus.5. num.55.* Sanchez *lib.2. in Decalog. cap.4. num.26.* Bonacina *disput.3. quæst.2. punct.3. num.21.* Ratio est, quia assistentia illa non est falsæ fidei protestatio, cùm ex aliis capitibus fieri rectè possit; potest enim ex necessitate fieri ob vitandam grauem iacturam bonorum, vel ex zelo fidei, & voluntate deprehendendi errores, qui ibi seminantur, vel tandem ex curiositate. At aduerto cum Sanch. & Coninch *suprà*, totam curiositatem non esse causam legitimam assistendi concionibus, & precibus hæreticorum: tum quia vti signis hæreticorum propriis absque graui causa est occasio reputandi illis vtentem, vel hæreticum esse, vel talem velle videri. Item semper adest aliquod periculum peruersionis, cui sine causa peccatum est, se committere, requiritur enim causa legitima; hæc enim esset, si timeres grauem iacturam honoris, vel diuitiarum, nisi adires. Conclusio tamen intelligenda est, quando solis hæreticis Princeps præciperet concionibus accedere, & preces fundere: tunc enim dicimus licere Catholico illam assistentiam, vt se occultaret.

13 At si Princeps omnes habitantes in suo regno sine distinctione cogeret templa hæreticorum adire, & illorum concionibus assistere in honorem suæ falsæ religionis, vt de facto in Anglia, aliisque regionibus hæresi infectis contingit, sine dubio peccabit Catholicus talibus assistens. sic Sanchez, & Coninch *suprà.* qui testantur Paulum V. id motu proprio definisse. Bonacina *disput.3. quæst.2. punct.3. num.22.* Ratio est manifesta primò, quia illa assistentia in signum, & protestationem falsæ doctrinæ, & in honorem illius imperatur: quod sufficienter colligitur ex tenore edicti dicentis: *Modestè etiam, atque sobriè dum preces persoluuntur se gerere, & vsque ad finem dictarum precum, & concionum ibi manere teneantur.* Imperatur ergo assistentia modesta, sobria, ac proinde religiosa. Ergo illam exequens falsam doctrinam honorat, & quoad exteriorem apparentiam protestatur. Neque obstat Principem dicere in suo edicto se tantùm velle ciuilem subditorum obedientiam, non à religione apostasiam. nam quantumuis ipse hoc verbis protestetur, facto ipso contrarium innuit, cùm ipsamet assistentia illis circumstantiis præcepta falsæ sectæ sit protestatio. Secundò negari non potest concursu plurium doctrinam falsam honorari, & vires assumere, & in dies esse extendendam; sed hoc cedit in grauissimum religionis Christianæ detrimentum. Ergo ob nullam causam licet. Tertiò adeuntes reputantur hæretici, & à fide defecisse; neque iam est vllus Catholicus, qui eos excuset. Ergo excusari non possunt. Quomodo enim excusari potest actio, vbi est scandalum, superstitiosus cultus, protestatio falsæ sectę, & illius honor?

14 Ex his à fortiori infertur, nullo modo licere tibi Eucharistiam sumere à ministro hæretico, matrimonium celebrare coram illo ex præscripto Regis id præcipientis; etiamsi secretò priùs coram ministro Catholico contraxisses, quia illa cæremonia testaris te agnoscere ministrum illum, tanquam veræ fidei ministrum, eiúsque cæremonias honoras, & in illis communicas, quæ omnia intrinsecè mala sunt. sic Malder. 2.2. *quæst.3. art.2. membr.3.* Coninch *disp.15. dub.3. n.63.* vbi aduertit secus esse, si coram magistratu ciuili contraheret, aut coram illo testaretur se contraxisse, modò ritu Catholico antea, vel postea contrahat, quia ibi solùm interuenit politicum præceptum obligans, vt publicè constet te matrimonio copulatum esse.

15 Secundò infertur te posse conuiuiis nuptialibus assistere, & contrahentes bene precari, etiamsi ritu hæretico contrahant, quia conuiuium nuptiale licitū quidē est, etiamsi contractus, in quo fundatur, illicitus sit. Ergo assistens conuiuio optimè potest intelligi non voluisse contractum, qua talis est, honorare, sed conuiuium, quod subsequitur: sic Malder. & Coninch *supr.*

Punctum XVIII.

An liceat tibi omittere signum ex præscripto Regis impositum ad significandum te fidelem esse.

1 *Explicatur casus, & Caietan. negat.*
2 *Contrarium est probabilius.*
3 *Satisfit rationi adductæ in fauorem Caietan.*

1 Lata est lex à Principe, vt quicumque in suo regno fidelis sit, in testimonium, & protestationem suæ religionis tali veste vtatur, aliàs ab omnibus tanquam desertor fidei reputetur; poterit ne Catholicus, si ex portatione illius vestis, & suæ fidei manifestatione periculum immineat, omittere vestem signatam, præcipuè cùm lex est in viridi obseruantia?

Caietan. 2.2. *quæst.3. art.2.* cui consentit Nauarr. *sum. cap.11. num.27. versic. quintò,* negant omittere posse; quia illa omissio videtur esse virtualis negatio fidei, siquidem videntes existimant tali signo carentes infideles esse, eo quòd à lege sic reputentur. Item assignatio illius vestis, est quædam de fide interrogatio, & examinatio; examinat enim Princeps illius vestis portatione, quinam sint fideles: si igitur verbis examinatus esses, vt si diceret Princeps, manifesta nobis, quam fidem habeas; & sit signum te negare fidem silentium, signum te illam amplecti, sit confessio: cui dubium esse potest te in tali occasione constitutum obligatum esse confiteri; aliàs silentium tuum argumentum esset te negasse fidem, vel saltem voluisse videri negauisse. Cùm ergo per legem idem examen Princeps intendat facere, & omissionem illius vestis constituat in signum infidelitatis, si vestem omittis, infidelis vis esse, vel saltem videri talis. Ergo nullo modo tibi licet.

2 Nihilominus contraria sententia communior, & probabilior est, scilicet te posse ex graui causa omittere signum à lege constitutum pro fidei Christianæ professione, sic docuit Bannes 2.2. *quæst.3. art.2. dub.2. conclus.4.* Aragon *ibi, dub. vlt.* Valent. *disp.1. quæst.3. punct.2. dub. vlt.* Suarez *de fide, disp.14. sect.5. num.10.* Coninch *disput.15. dub.3. fine, num.76.* Sanchez *lib.2. in Decalog. cap.4. fine, num.29.* Ratio est, quia illa omissio non est negatio fidei, etiam quoad apparentiam, sed solùm occultatio, quæ ex causa iusta licita est. Ergo. Antecedens probo: tum à simili ex habitu monachali ab Ecclesia signato pro religiosis, quem si quis ex vrgenti causa exuat, non obinde reputatur negasse monachalem professionem, sed solùm illam voluisse occultare. Tum ratione, quia vt omissio illius vestis reputaretur fidei negatio, debebat nullam aliam spectatis illis circumstantiis significationem habere, vt

vt sic videntes, & cognoscentes illum esse Christianum, & omissionem fuisse illius signi, à fide defecisse: atqui habet hanc legitimam significationem, scilicet occultare personam. Ergo. Item neque obligaris ferre illam vestem ex lege Principis, neque ex præcepto fidei. Ergo ex nullo capite. Ex lege Principis obligari non potes: tum quia lex illa non est iusta, vtpote lata in odium Dei, & de materia ad Principem sæcularem non pertinente; examen enim fidei, & illius professio Ecclesiastico Principi, non politico, attributa est: & dato quòd lex illa iusta esset, cùm sit humana, & politica, non te obligat cum grauissimo tuo detrimento: ergo ex ratione legis obligari non potes. Ex præcepto autem fidei cessat similiter obligatio; quia præceptum positiuum confitendi fidem non obligat, vt clarum est in illa occasione, quia nec subtrahitur omissione illius honor diuinus grauiter, neque scandalum generatur. Neque etiam præceptum negatiuum non negandi fidem; quia hoc præceptum obligat, ne assumas aliquod signum protestatiuum negationis fidei: at tu tale signum non assumis, sed potiùs relinquis signum fidei protestatiuum. Ergo solùm potest ex illo inferri te non protestari fidem, non tamen illam negare.

Dices, non protestari fidem illo signo, esse virtualiter illam negare; præcipuè cùm expressè omissio illius signi, vt signum negationis, à Principe constituta sit. Sed nego assumptum; quia licèt omissio signi sit signum à Principe constitum pro negatione fidei; quia tamen alias significationes legitimas habet, ea de causa à fidelibus absque negatione fidei vsurpari potest. Adde non esse signum fidelibus, & infidelibus commune, sed pro solis infidelibus assignatur, vt sic faciliùs à fidelibus distinguantur. At iam diximus posse Catholicos signum proprium infidelium assumere, quando ex illius assumptione non sequitur specialis honor infidelitatis. Denique si Catholici obligati essent illud signum assumere, occultari nulla ratione possent, & Princeps infidelis absque vlla difficultate posset omnes cognoscere, comprehendere, & punire, quod est grauissimum inconueniens.

3 Neque obstat supradicta ratio Caietan. licèt enim videntes te carere illo signo, intelligant te infidelem esse, quia nesciunt te Catholicum fuisse: at hoc in causa esse non potest, te manifestandi; quia ex tali iudicio nullum scandalum sequitur: si autem scirent te Catholicum esse, & omittere; meritò debent reputare te omittere non gratia deserendi fidem, sed personam occultandi: & sic nulla videtur ibi esse negatio fidei, etiam apparens, sed solùm occultatio.

Ad confirmationem respondeo longè diuersum esse examen fidei singulariter alicui factum, vel generaliter, qui enim in singulari examinaretur, debebat ita procedere, vt nullo modo adstantes intelligerent fidem deserere, & voluntati Principis infidelis voluisse annuere, at ex suppositione, quòd Princeps pro negatione fidei silentium constituit, si illo tunc vtaris, voluntati Principis videris parere, & fidem negare; quod ex eo colligitur manifestè, quia omnes qui te scirent esse Catholicum, & fidem sic interrogatum non profiteri, scandalizarentur, & te imbecillitatis, & inconstantiæ arguerent. Quæ certè in interrogatione generali, & in signo per legem constituto non procedunt, vt ex dictis constat. Adde. Per legem non quilibet interrogatur, sed communitas, cui interrogationi sufficienter satisfactum est, etiamsi plures non respondeant. Quapropter illa dici non potest propria interrogatio, sed incitatio, & prouocatio fidelium, vt se prodant: quod cum tanta iactura iniquum est, & ab eo abstinendum.

***

Pvnctvm XIX.

De professione fidei ex decreto Tridentini facienda.

1 *Referuntur decreta, in quibus hac obligatio fundatur.*
2 *Obligatio faciendi professionem fidei est sub mortali, neque extinguitur transacto bimestri.*
3 *Comprehendit prouisos de beneficijs curam animarum habentes.*
4 *Item Canonicos, & dignitates Ecclesiarum Cathedralium.*
5 *Item prælatos regulares quorumcumque ordinum, tametsi ex consuetudine aliquibus in religionibus excusentur.*
6 *Item docentes artes liberales.*
7 *Si obtento canonicatu, vel beneficio professionem feceris, aliqui te excusant à professione facienda in obtentione similis canonicatus. Probabilius tamen est oppositum.*
8 *Vnica fidei professione pluribus titulis satisfacere potes; tametsi aliqui contrarium sentiant.*
9 *Qui modus seruandus sit in fidei professione facienda.*
10 *Fierine possit per procuratorem? Affirmatur, vt probabilius.*
11 *Limitatur doctrina à Sanchez in Episcopis, sed non videtur approbanda limitatio.*
12 *Asserenti te fidei professionem fecisse, credendum est.*
13 *Ex Bulla Pij IV. & V. varia sunt pœnæ imposita omittentibus fidei professionem, sed non videntur recepta.*
14 *Trident. imponit priuationem fructuum, & possessionem beneficij decernit non suffragari.*
15 *Explicatur quid sit possessionem non suffragari.*
16 *Nulla expectata sententia, tenetur sic omittens fructus restituere secundum probabilem sententiam: probabilius est requiri sententiam declaratoriam criminis.*
17 *Intelligi debet, si culpabiliter omiseris fidei professionem.*
18 *Sub nomine fructuum in hac pœna non veniunt distributiones quotidianæ, neque anniuersaria.*
19 *Quibus est facienda fructuum restitutio.*

1 Vt huius professionis faciendæ obligatio intelligatur, & ad quas personas se extendat, & sub quibus pœnis: præmittenda sunt decreta de hac materia loquentia. Trident. namque *sess. 24. cap. 12. de reformat.* statuit, vt curam animarum habentes, teneantur à die adeptæ possessionis, ad minus intra duos menses in manibus Episcopi, vel eo impedito, coram generali eius vicario, & officiali orthodoxæ nostræ fidei publicam facere professionem, & in Romanæ Ecclesiæ obedientia esse permansuros spondeant, ac iurent. Prouisi autem de canonicatibus, & dignitatibus in Ecclesiis cathedralibus non solùm coram Episcopo, sed etiam in Capitulo idem facere teneantur, alioqui prædicti omnes prouisi fructus non faciunt suos, neque illis possessio suffragatur. & *sess. 25. cap. 2. de reformat.* decernit idem Concilium, hanc fidei professionem facere debet quicumque in Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, & Episcopos promoti fuerint, in prima Synodo prouinciali, in qua ipsi interfuerint. Quòd si quis (quod absit) renuerit, Episcopi comprouinciales statim summum Pontificem Romanum admonere sub pœna diuinæ indignationis teneantur, interimque ab eiusdem communione abstineant. Pius tamen IV. in quodam Motu proprio, qui est 112. eiusdem, & incipit, *Iniunctum nobis*, datum Idib. Nouemb. 1564. supradictum Tridentini decretum extendit ad Prælatos monasteriorum, conuentuum, domorum, & aliorum quorumcumque locorum, siue regularium ordinum sint, siue militarium. Item Pius V. in alio Motu proprio, incipiente, *In sacro*

sacrosancta, cuius tenorem refert Eman. Rodriquez *qq. reg. tom. 2. q. 72. art. 2.* & Nald. *verbo fidei professio*, ad hanc fidei professioné teneri voluit omnes Doctores, Magistros, regentes, & alios quoscumque, ac cuiuscumque artis, & facultatis professores, siue clerici, siue laici sint, vel cuiuscumque ordinis regularis, qui docere, vel promoueri voluerint; & Congregatio explicuit hanc Bullam locum habere in docétibus prima principia Grammaticæ, Arithmeticæ, Musicæ, & aliarum artium, esto non sit in publicis scholis, sed in priuatis domibus; & additur pœna excommunicationis ipso iure, & priuatio beneficiorum omnium, dignitatum, officiorum, feudorum Ecclesiasticorum, & habilitatis ad illa, & ad alia in posterum obtinenda aduersùs promouentes, qui hanc fidei professionem facere neglexerint, & in promotis nullam esse promotionem.

2 Primò tanquam certum tenendum est obligationem faciendi supradictam professionem esse sub mortali, quia est res grauis, & ad grauissimum finem ordinata, qualis est exaltatio, & promotio nostræ fidei, & errorum extirpatio, & sub grauibus pœnis præcepta: sic relato Manuele Rodriquez, & aliis docet Sanchez *lib. 2. in Decal. cap. 5. n. 1. fine.* Bonacina *disp. 3. de fidè, q. 2. p. 3. n. 14. & 15.* Quòd si aliquis obligatus fidei facere professionem intra bimestre illam omiserit, tenetur quàm primùm possit illam facere, quia non extinguitur obligatio, sed aggrauatur; non enim bimestre assignatur, vt terminus finiendæ obligationis; sed vt terminus obligationis exequendæ. & colligitur ex *cap. cùm dilectus, de dolo, & contumacia.* vbi Abbas *n. 12. & l. Celsus, ff. de recept. arbitr.* & ita tenet Nauarr. *cons. 11. num. 1. sub tit. de iureiur. in nouis.* Garcia *3. part. cap 3. num. 29. & 30.* Sanchez *lib 2. cap. 5. num. 5.* Azor *tom. 2. lib. 7. cap. 2 q. 4. & 5.* August. Barbosa *3. part. allegat. 61. num. 22.* & alij apud ipsos.

3 Personæ autem, quas hæc obligatio adstringit, sunt primò prouisi de quibuscumque beneficiis curam animarum habentibus: sub quibus veniunt intelligendi Commendatarij aliquarum Ecclesiarum, quibus datur facultas disponendi de fructibus; quia sunt verè beneficiati, & titulum habent. sic Garcia *de benefic. 3. p. cap. 3. à n. 10.* August. Barbosa *de potest. Episc. 3. p. alleg. 61. n. 12.* secus verò dicendum est de illis, quibus Episcopus Ecclesiæ curam commendat, non tamen de beneficio prouidet. Sanchez *lib. 2. cap. 5. n. 1.* Deinde sub nomine prouisi de beneficiis, comprehendi videbantur Episcopi, quia prouisi sunt de beneficiis curam animarum habentibus: at quia *in sess. 25. cap. 2.* præcipitur illis in prima Synodo prouinciali illam facere, videtur Concilium in supradictis verbis illos comprehendere noluisse. Præterea, quia in manibus Episcopi, prouisi de beneficiis debent professionem facere. Ergo sub nomine prouisi non comprehenduntur Episcopi. Verùm etsi hoc ita sit, attento Trident. decreto, & Bulla Pij IV. & V. At attenta constitutione Gregor. XIV. incipiente, *Onus Apostolicæ seruitutis*, quámque refert Vgolin. *de potest. Episcop. cap. 1. §. 3.* obligati sunt omnes Episcopi hanc fidei professionem, & iuramentum facere: forma autem huius professionis, & iuramenti traditur in Pontificali Romano authoritate Clementis VIII. edito, *fol. 79.* sic Barbosa *3. p. alleg. 61. n. 4.*

4 Secundò astringit supradictum decretum Canonicos, & dignitates Ecclesiarum Cathedralium, sub quibus comprehenduntur Canonici, quantumcumque ab Episcopo sint exempti, quia absolutè Canonici sunt. sic Felin. Nauarr. & Ledesm. relatis tradit Sanchez *lib. 2. cap. 5. num. 2.* Garcia *de benefic. 3. part. cap. 3. num. 21.* referens ita censuisse sacram Congregationem, Barbosa cum aliis *3. part. allegat. 61. num. 5.* Item comprehenduntur Canonici regulares Ecclesiarum cathedralium; quia verè sunt prouisi in canonicatibus Ecclesiarum cathedralium: sic Garcia *n. 16.* Barbosa *n. 6.* Coadiutores tamen Canonicorum, licèt Canonici nominentur, quia tamen verè, & propriè in canonicatibus non sunt prouisi viuente proprietario, fidei professionem facere non obligantur. Non enim coadiutor possidet canonicatum, sed coadiutorium: vt dicit Garcia *p. 4. cap. 5. n. 76.* sic Barbosa *n. 13.* Item neque prouisi de capellaniis, portionibus, aliisque beneficiis simplicibus in Ecclesiis cathedralibus. Sanchez *cap. 5. num. 1.* Garcia *cap. 3. num. 13.* Barbosa *num. 15.* Adde nec prouisi in canonicatibus, & dignitatibus Ecclesiarum collegiatarum; quia solùm de prouisis in Ecclesiis cathedralibus locutum fuit Concilium. sic Sanchez, Barbosa, & Garcia *suprà.*

5 Tertiò ex decreto Pij IV. & V. hanc facere professionem tenentur Prælati regulares quorumcumque ordinum, etiam militarium: sic Nauarr. *lib. 2. consil. & de iureiurand. consil. 10. in nouis.* Man. *qq. regul. tom. 2. q. 72. art. 1.* Saa *verbo fides, in fine.* Barbosa *3. part. allegat. 61. num. 7.* Verùm Sorbus Capuccinus *super priuilegia mendicantium, verbo professio, notab. 1.*, inquit sacram Congregationem, & viros doctissimos declarasse non esse in vsu: cui consentit Sanchez *num. 3.* affirmans in pluribus religionibus non obseruari, vel quia supradicta Bulla recepta non fuit, vel quia consuetudine est derogata.

6 Quartò ex decreto relato Pij V. omnes docentes artes liberales, quomodocumque eas publicè doceant, tenentur hanc fidei professionem facere; & omnes illi, quibus ad hoc munus per aliquam vniuersitatem testimonium conceditur, notauit Barbosa *in declarat. Concil. sess. 24. cap. 12. & 3. p. de potest. Episc. alleg. 61. n. 2.*

7 Circa supradicta dubium est, an tenearis, quoties aliquo titulo, scilicet canonicatus, vel dignitatis fidei professionem feceris, illam facere obtinens canonicatum alium distinctum? Negant aliqui te obligatum esse fidei professionem facere, si dimisso priori canonicatu, alium obtineas in eadem Ecclesia, secus si in diuersis diœcesibus, oppidis, vel locis. Verùm probabilius existimo te semper obligatum esse, quia absolutè prouisus es de beneficio, ac si nunquam prouisus fuisses, neque Concilium apposuit aliquod verbum, ex quo hæc limitatio colligi possit; non igitur est recipienda, ex *l. de pretio, ff. de Publ. in rem act.* cum citatis in libello *de principijs vtriusque iur. lit. L, n. 28.* & tradit Azor *tom. 2. lib. 7. cap. 2. q. 8.* quem videtur sequi Sanchez *lib. 2. in Decalog. cap. 5. n. 6.* Garcia affirmans sic declarasse Congregationem Cardinalium, *cap. 3. n. 17. & 38.* Barbosa alios referens *d. alleg. 61. n. 8.*

8 Sed quid si intra bimestre assignatum ad faciendam fidei professionem, obtineas cum canonicatu dignitatem, vel gradu Doctoris decoreris, satisfaciésne vnica fidei professione obligationi illi ex duplici titulo contractæ? Et idem est si transacto bimestri, & oblitus obligationis faciendæ professionis ratione beneficij adepti, illam omittas ob alium titulum?

Negat Barbosa *allegat. illa 61. num. 9.* eo quòd tituli multiplicentur. Credo tamen probabilius te satisfacere vnica fidei professione; quia illi diuersi tituli ad eandem prorsus rem obligant, scilicet ad fidei professionem pro eodem tempore faciendam. Ergo facta fidei professione duplici titulo videtur factum. Item illa professio alicui titulo satisfacit, sed non est maior ratio, quare vni potius, quàm alteri satisfaciat. Ergo vtrique satisfacit: sicut cùm professio facienda est coram Episcopo, & Capitulo, & Episcopus est in Capitulo, & præsente illo fit professio, non debet iterum extra alia fieri, vt dicemus. Et ita tenet Nauarr. *lib. 2. consil. sub tit. de iureiurando, consil. 12. in fine, in nouis.* Manuel Rodriquez *regul. qq. tom. 2. q. 72. art. 3.* Sanchez *lib. 2. cap. 5. num. 6.*

9 Modus autem, quem debent supradicti obseruare, traditur in Concilio Tridentino, & in Bulla Pij IV. & declarat Quaranta *in summ. Bullarij, verbo fidei professio*, & Franc. Leo *in thesauro fori Ecclesiast. 2. p. cap. 10. num. 23.* Pro cuius intelligentia aduerte primò, cùm Concilium dicat professionem faciendam esse in manibus Episcopi, vel eo impedito coràm eius vicario, non esse intelligendum de necessitate, sed de conuenientia. Quare etsi Episcopus impeditus non sit, potest fieri coram eius vicario: & ita tenet Garcia *3. part. de benefic. cap. 3. num. 23.* Barbosa *3. part. alleg. 61. num. 16.* Secundò aduerte, cùm ratione canonicatus, vel dignitatis teneris fidei facere professionem coram Episcopo, & Capitulo: si Episcopus in Capitulo existat, cùm tu professionem emittis, sufficienter vtrique obligationi vnica professione satisfacis; nec teneris iterum foras, coram Episcopo, vel eius vicario profiteri; quia absolutè coram Capitulo, & Episcopo fecisti professionem; ergo satisfecisti Concilio. sic Garcia *3. p. de benefic. cap. 3. num. 24.* referens decisum esse in vna Seguntina: consentit Barbosa *suprà num. 17.* Tertiò aduerte Sede Episcopali vacante professionem faciendam esse coram vicario Capituli, non coram Capitulo, quia per vicarium, & non per Capitulum administratur iurisdictio; ideóque magis vicarius, quàm Capitulum repræsentat Episcopum. sic Garcia *num. 27. & 28.* Barbosa *num. 18.*

10 Sed est difficultas grauis in hac materia, an possis per procuratorem facere fidei professionem, cùm absens es, vel impeditus? Additio ad Nauarri consilia *lib. 2. consil. tit. de iureiurand. consil. 11. in fin. in nouis*, asserit censuisse sacram Congregationem id fieri non posse, consentit Vgolinus *de off. & potest. Episc. cap. 50. §. 16. n. 1.* fauet Nicol. Garcia *3. part. cap. 3. num. 75.* asserens sic tenuisse Rotam; & expressè negat fieri posse per procuratorem. Stephan. Gratian. *disceptat. forens. cap. 166. n. 22.* Moueri possunt, quia professio fidei, actus videtur esse personalis: tum quia est indicatiuus interioris assensus: tum & præcipuè, quia illamet professione intendit Ecclesia subditos in fide stabilire, & obligare, ne deficiant, ad cuius finis consequutionem summè conuenit fieri fidei professionem per propriam personam.

Nihilominus probabilius est, fieri posse per procuratorem, quia regulariter ea quæ quis facere potest per se ipsum, potest & per procuratorem, nisi à canone, & lege aliqua limitetur. *l. 1. ff. de procuratorib. cap. qui per alium, & cap. potest quis, de reg. iur. in 6.* Item iuramentum potest præstari per procuratorem, *cap. fin. de iuram. calumn. in 6. cap. 1. §. verum, de statu regul.* & ita sentiunt Nauarr. *illo consil. 11. de iureiurand. num. 2.* Azor *2. part. lib. 7. cap. 2. quæst. 6.* Sanchez *cap. 5. num. 7.* Barbosa *num. 20. praxis Episcopalis, 2. part. verbo fidei professio*, & alij. Neque obstant contraria. Nego, inquam, ita esse actum personalem, vt per procuratorem fieri non possit: nam licèt sit interioris consensus indicatiuus, etiam contractus matrimonij id ipsum habet; & tamen per procuratorem fit. Quòd verò per professionem intendat Ecclesia profitentes firmos habere in fide, probat conuenientiam faciendi professionem per propriam personam, non necessitatem.

11 Limitat autem supradictam doctrinam Sanchez *illo n. 7.* in professione fidei facienda ab electis in Episcopatum, vel translatis ad alium Episcopatum, & dicit hos in manibus Episcopi signati à Pontifice per se ipsos facere professionem debere, & non per procuratorem: & ita duos viros doctissimos à se consultos respondisse. Mouetur ex verbis Bullæ Pontificiæ committentis certo Episcopo, vt supradictam fidei professionem, nomine ipsius Pontificis acceptet. Ne propter ad Sedem Apostolicam accedendo personaliter laborare cogatur, volentes parcere laboribus, & expensis fraternitati vestræ committimus. At si hæc fidei professio fieri posset per procuratorem, non esset opus labori, neque expensis parcere, neque alicui Pontificem vices suas committere, vt nomine ipsius acceptet: sed posset Episcopus Romano procuratori potestatem dare, vt nomine ipsius in Pontificis manibus prædictam fidei professionem emitteret. Fateor ex supradictis verbis legitimè deduci, Pontificem præsupponere Episcopum per se ipsum fidei facere professionem debere, saltem ex conuenientia: cui obligationi ex decentia, & conuenientia voluit parcere, committendo vices suas alicui Episcopo. An autem corã illo Episcopo teneatur per se ipsum fidei facere professionem, & per procuratorem facta nulla sit, non satis videtur colligi ex supradictis verbis; quia nullum videtur esse verbum hanc obligationem imponens ipsi Episcopo faciendi per se ipsum in manibus Pontificis, & non per procuratorem.

12 Sed inquires, an credendum sit parti affirmanti fidei professionem fecisse?

Respondet affirmatiuè Aloysius Riccius *in praxi fori Ecclesiast. decis. 681. aliàs in noua edit. 580.* & cum eo Barbosa *3. p. alleg. 61. num. 21.* dummodo collatio beneficij sit decennalis, ex resolutis per Flamin. *de resignat. lib. 3. quæst. 6. num. 74.* Et credo hoc verum esse, cùm non teneatur quis professionem facere coram multis testibus. aliàs asserenti professionem fecisse, non creditur, nisi probet, debet testimonium authenticum semper exigere, aut ita publicè fidei professionem facere, vt semper id constare posset. quod nullibi video esse cautum.

13 Pœnæ impositæ professionem omittentibus variæ sunt, tam in Concilio Tridentino, quàm in supradictis constitutionibus Pij IV. & V. Et quidem constitutio Pij IV. imponit excommunicationem latæ sententiæ, non quidem aduersùs promotos in aliquo gradu, & legentes aliquam artem liberalem sine professione fidei facta, sed aduersùs promouentes, & permittentes eos legere sine huiusmodi professione: & vltra excommunicationem latæ sententiæ non reseruatam, inducit ipso iure priuationem beneficiorum, dignitatum, officiorum, feudorum Ecclesiasticorum, & inhabilitatem ad illa, & ad alia in posterum obtinenda. Aduersùs autem sic promotos, & legentes inducit nullitatem gradus, seu promotionis: sic Sorbus Capuccinus *super priuilegia mendicantium, verbo professio fidei, notab. 4.* Sanchez *lib. 2. cap. 5. n. 4.* Bonacina *disput. 3. de fide, quæst. 2. punct. 3. num. 15.* quamuis Emanuel Rodriquez *tom. 2. qq. regul. q. 72. art. 2.* dicat excommunicationem latæ sententiæ, & alias pœnas tam contra promouentes, quàm contra promotos ferri. Sed quod diximus est textui conformius. Aduerto tamen cum Barbos. *in remiss. Concil. Trident. sess. 24. cap. 12. pag. mihi 542.* Congregationem Cardinalium censuisse in locis iis, in quibus sunt gymnasia publica, Bullam Pij V. has pœnas non imposuisse ordinariis, si patiuntur quemque, quoquo modo docere litteras, priusquam fidei professionem faciat. Adde neque supradictam Bullam quoad pœnas ibi contentas, neque etiam quoad eius obligationem videri vsu receptam. sic Suarez *de fide, disp. 14. sect. 6. num. 2.* indicat Sanchez *suprà num. 4. fine.*

14 Concilium autem Tridentinum imponit recipientibus beneficia, canonicatus, & dignitates, & fidei professionem non facientibus intra bimestre à die adeptæ possessionis, vt non faciant fructus suos, neque illis possessio suffragetur. Circa quod decretum aduerte terminum constitutum duorum mensium incipere à die adeptæ possessionis: quare etsi tua culpa possessionem beneficij obtenti non accipias, non peccas, nec pœnas incurris ob non factam professionem. sic Nicol. Garcia *3. part. de benefic. cap. 3. num. 32.* Barbosa *3. part. de potest. Episc. alleg. 61. num. 25.* Accepta tamen possessione si intra duos menses professionem facere omittis, toto tempore,

tempore, quo ita persistis, non facis fructus tuos, etiam si postea professionem emittas; quia professio habilitat, ne ampliùs perdatur, non tamen recuperare potes deperditum, ex *cap. quàm periculosum*, 7. *quæst.* 1. *& l. qui res*, §. *arcam*, *ff. de solut.* sic Sanchez plures referens *lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 5. Barbosa *alleg.* 61. *num.* 23. vbi bene aduertit cum Nicol. Garcia 3. *part. de benefic. cap.* 3. *num.* 31. non priuari fructibus obtentis illis duobus mensibus concessis ad faciendam fidei professionem; etiamsi postea non emiserit, quia Concilium non priuat fructibus decursis illis mensibus, sed postea decurrendis; & consentit Sanchez *lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 10. *fine.* Excipe, nisi caruerit prima residentia, quia ratione illius omissionis, neque fructus, neque distributiones illorum duorum mensium lucratur: neque haberi potest pro præsente ex qualibet causa. Garcia *suprà num.* 51. *fine.* Barbosa *num.* 24.

15 Cùm autem in Trident. dicitur possessionem beneficij omittenti fidei professionem non suffragari, non est intelligendum, titulum beneficij, & possessionem ipsam reddi nullam in se, sed solùm reddi nullam quoad effectum percipiendi fructus. Est enim decretum pœnale, quod iuxta subiectam materiam intelligi debet, & non extendi, sed potiùs limitari: & ita tenet Azor *tom.* 2. *instit. moral. lib.* 7. *cap.* 2. *quæst.* 3. Sanchez *n.* 8. Barbosa *n.* 26. Garcia *n.* 33. Ex quo fit gaudere posse sic prouisum aliis fructibus, & prouentibus, si qui sint beneficij, & canonicatus; etiamsi fidei professionem non faciat; quare canonicus vocem habere potest in Capitulo, & ius procedendi, quia solùm fructibus priuatur. sic Barbosa *num.* 27. *& in declar. Concil. sess.* 24. *cap.* 12. *n.* 7. testatur Congregationem sic declarasse. Secundò fit possidentem beneficium bona fide triennio, etiam si fidei professionem omittat, firmari eius titulum, & possessionem, ex *reg. de triennali possessione*; quia Concilium solum dixit possessionem non suffragari ad percipiendos fructus: at non negauit suffragari posse ad firmitatem in ea, & in titulo constituendam: sic Sanchez *n.* 9. Fit tertiò nunquam sic omittentem fidei professionem, posse fructus acquirere; etiam si triennio, vel decennio illos bona fide possideat, eo quòd à Concilio impediatur acquisitio; siquidem cauetur, ne possessio beneficij ad hunc effectum suffragetur; sine possessione autem præscribi nunquam poterant. Ergo cùm possessio ob omissam fidei professionem nullius effectûs sit ad fructus acquirendos, efficitur sanè nunquam acquiri: & sic testatur Flamin. *lib.* 8. *de resignat. quæst.* 9. *num.* 122. declarasse sacram Congregationem, & Nicol. Garcia *cap.* 3. *n.* 34. Sanchez *n.* 11. *&* 12. Barbosa *n.* 26.

16 Sed est difficultas, an omittens hanc fidei professionem nulla spectata sententia saltem declaratoria criminis teneatur restituere fructus perceptos? Affirmat Azor *tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 2. *quæst.* 1. *in fine.* Petrus de Ledesma 2. *tom. summ. tract.* 1. *cap.* 4. *post* 10. *conclus. difficult.* 1. Garcia 3. *part. de benefic. cap.* 3. *num.* 35. Vgolin. *de offic. & potest. Episcop. cap.* 50. §. 16. *n.* 4. Mouentur, quia si omittens professionem, fructus non tenetur ante sententiam restituere. Ergo iam illi possessio multum suffragatur ad fructuum perceptionem: quod videtur esse contra Concilium, intendens in hac parte possessionem ei nullatenus suffragari. Deinde Concilium statuit fructus non facere suos hunc omittentem: at si non tenetur restituere ante sententiam, verè fructus facit suos, & ius, & dominium illorum acquirit: quod videtur repugnare Concilij intentioni.

Cæterùm etsi supradicta sententia satis sit probabilis, probabilior mihi videtur sic omittentem non teneri fructus restituere, quousque sententia declaratoria criminis adueniat: sic Nauarr. *consil.* 12. *num.* 1. *de iureiur. in* 2. *edit.* Sanchez *lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 10. Man. Rodriquez *tom.* 2. *regul. qq. q.* 72. *art.* 3. Barbosa 3. *part. alleg.* 61. *n.* 28. Præcipua ratio est, quia decretum hoc est pœnale; ergo benigniùs, quoad fieri possit, interpretandum est: sed potest interpretari, vt non faciat fructus suos, neque possessio suffragetur, data sententia declaratoria, & non ante illam. Ergo hoc modo explicandum est. Et confirmat optimè Sanchez ex his quæ habentur *sess.* 23. *de reformat. cap.* 1. vbi quia Concilium prætendebat non residentes obligare ante vllam iudicis sententiam ad restitutionem fructuum, si quos percepissent, id declarauit. Cùm ergo idipsum non fecerit, in hac parte mitiùs se voluit habere; ac proinde voluit, vt solùm post sententiam intelligatur fructus esse restituendos; ex hisque constat solutio rationis contrariæ. Fateor possessionem multum accipienti beneficium suffragari ad fructus percipiendos, & retinendos in conscientia, dum non condemnatur: at facta condemnatione neque fructus esse suos, neque possessione aliqua se posse tueri.

17 Verùm etsi ante omnem sententiam declaratoriam criminis tenearis fructus restituere: at hoc intelligendum esset, si in culpa fuisti omittens fidei professionem: nam si ignaratus decreti Tridentini, vel illius immemor omiseris, nullo modo in conscientia obligatus es restituere, sed omnes fructus facis tuos, ac si verè professionem emiseris; quia priuatio fructuum est pœna, quæ arctare non potest, vbi culpa non præcedit: sic tenet plures referens Sanchez *n.* 13. Garcia *n.* 66. Vgolin. *n.* 5. Azor *lib.* 7. *cap.* 2. *q.* 2. Barbosa *n.* 29. & alij apud ipsum. Ex quo infert Sanchez, & Azor te non amittere fructus, si procurator, cui mandatum dedisti faciendi fidei professionem, non fecit te inscio absque culpa, quia est eadem ratio.

18 Sub nomine fructuum, quibus omittens professionem fidei priuatur, alicui posset videri comprehendi distributiones quotidianas, etiamsi in illis grossa non consistat, & anniuersaria, quia hæc etiam videntur esse præbendæ fructus, siquidem nisi in præbenda prouisus esses, ea obtinere non posses.


Cæterùm dicendum est non comprehendi has distributiones quotidianas, & anniuersaria; quia esto alius à Canonico eas non lucretur; at non sunt fructus canonicatus, sed ministerij personalis, & canonicatus, est solùm conditio: & ita tradit Azor *tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 2. *q.* 3. Stephan. Gratian. *disceptat. forens. cap.* 166. *num.* 22. Sanchez *lib.* 2. *in Decalog. cap.* 5. *num.* 10 *fine.* Gonçalez *ad regul.* 8. *cancell.* §. 6. *proœm. n.* 170. Barbosa *alleg.* 61. *num.* 30. Garcia *illo cap.* 3. *n.* 60. Aloysius Riccius *in collect. decis. collect.* 1451. & alij.

19 Quibus autem hi fructus applicandi sint, cùm debent restitui, Concilium non determinat. Azor *cap.* 2. *quæst.* 3. & Sanchez *illo num.* 10. dicunt pauperibus, vel fabricæ Ecclesiæ, aut alteri pio loco applicandos esse: quod de beneficiis curam animarum habentibus, & de dignitatibus, personatibus, & officiis habentibus fructus extra mensam capitularem intelligendum est, iuxta decretum Tridentini *sess.* 22. *cap.* 3. *de reformat.* dicentis fructus horum non residentium applicandos esse fabricæ, si indigeat, vel alteri pio loco, arbitrio Episcopi. At si canonicatus, vel dignitas habeat fructus in mensa capitulari, existimat Barbosa *de potestate Episcopi*, 3. *part. allegat.* 61. *in fine*, cum Garcia 3. *part. de benef. cap.* 3. *à n.* 40. restituendos esse Capitulo, sicut fructus non residentium, aut excommunicatorum. Et addit ita esse restituendos Capitulo, vt non possint se componere cum Capitulo soluta aliqua parte, neque ordinarium condonare illam restitutionem posse. Alicui videbitur probabile hos fructus applicari posse pauperibus, fabricæ, vel alteri pio loco, & non esse necessariò reddendos Capitulo, sicut fructus non residentium; quia omittens professionem verè extraxit à Capitulo fructus, & fecit suos, interim dum non condemnatur; quod secus

eſt in excommunicatis, & non reſidentibus. At credo probabilius eſſe, Capitulo eſſe reddendos adueniente ſententia. Nam illi fructus ſunt Capituli, quos non transfert in omittentem fidei profeſſionem, niſi dum ſententia declaratoria criminis non eſt. Ergo ſtante illa ſententia reddendi ſunt fructus Capitulo, ac ſi nunquam à Capitulo eſſent extracti.

DISPVTATIO II.

De infidelitate, quæ eſt vitium contrarium fidei.



IN præcedenti diſputatione explicuimus eſſentiam fidei, & illius obligationem. Reſtat de vitiis contrariis diſputare, & illorum remediis. Duplex eſt vitium contrarium fidei. Primum infidelitas. Secundum hæreſis. Hæc inter ſe diſtinguuntur tanquam continens à contento. Infidelitas enim fidei quoad omnia opponitur: hæreſis quoad aliquam partem; vel, vt aliis placet, infidelitas eſt vitium hominis nolen[illegible] ſuſcipere, hæreſis, iam ſuſceptam relinquentis. In præſenti diſputatione agemus de infidelitate, & illius remediis, in ſequenti de hæreſi.

PVNCTVM I.

Quid infidelitas ſit, & quotuplex.

1 *De qua infidelitate ſit ſermo.*
2 *Triplex eſt infidelitas, & earum definitio apponitur.*
3 *Diſtingui eſſentialiter affirmant aliqui.*
4 *Probabilius eſt oppoſitum.*
5 *Satisfit contrariis rationibus.*
6 *An ſatisfacias confeſſioni, ſi dicas te deſeruiſſe fidem, quin declares, fuerit ne Paganiſmo, Iudaiſmo, vel hæreſi?*
7 *Comprehendatur ne omnis infidelitas ſub iis tribus infidelitatis ſpeciebus. Proponitur ratio dubitandi.*
8 *Reſoluitur comprehendi.*
9 *Satisfit contrariis.*
10 *Quid de Apoſtaſia dicendum eſt?*
11 *Hæreſis eſt omnium grauior infidelitas, tametſi Paganiſmus magis extendatur.*

1 LOquimur in præſenti non de infidelitate veritati contraria, ſed de infidelitate contraria fidei, virtuti theologicæ. Hæc ergo definiri poteſt, vt ſit peccatum ex natura ſua excludens fidem ſupernaturalem; non enim poteſt fidem excludere, niſi fidei contraria ſit. Contingit autem hoc dupliciter. Primò, ſi ex errore, vel malitia nolis auditum præbere proponenti veritatem noſtræ fidei, quando te eſſe ad id obligatum cognoſcis. Secundò, ſi propoſitæ ſufficienter veritati non aſſentiaris. Primum peccatum dicitur omiſſionis: ſecundum commiſſionis. Quodlibet autem ex his peccatis eſt peccatum grauiſſimum, quia excludit medium neceſſarium ad ſalutem: quod debet quilibet Chriſtianus ſuſcipere, eáque de cauſa dixit Chriſtus, Ioan. 3. *Qui non credit, iam iudicatus eſt*, quaſi diceret, iam habet ſuper ſe iudicium, & condemnationem.

2 Hæc autem infidelitas triplex eſt, Paganiſmus, Iudaiſmus, & hæreſis. Diuiſio eſt communiter recepta à Doctoribus cum D.Thom. 2. 2. *quæſt.* 10. *art.* 5. & ibi Bannes, Valent. *diſp.* 1. *quæſt.* 10 *p.* 3. Arag. *quæſt.* 11. *art.* 1. Malder. *art.* 5. Bonacina *diſp.* 3. *quæſt.* 2. *punct.* 6. Suarez *de fide diſp.* 16. *ſect.* 4. *diſp.* 18. *dub.* 6. Paganiſmus eſt, quando nullius myſterij reuelati fidem habes. Iudaiſmus, quando credis veteri Teſtamento, non tamen nouo. Hæreſis, quando alicui veritati ſiue ex nouo, ſiue ex veteri Teſtamento fidem negas: vel aliter dicere potes, Paganum eſſe, qui integrè à fide Chriſtiana recedit; Iudæum, qui recedit a veritate, quam figuræ ab ipſo creditæ denotabant: hæreticum, qui fidem profitetur, at aliquos articulos illius negat. Quod autem communiter dicitur, Paganiſmum eſſe negationem fidei nunquam ſuſceptæ, Iudaiſmum eſſe negationem fidei in figura ſuſceptæ, & hæreſim negationem fidei in ſe ipſa ſuſceptæ, probari mihi non poteſt: ſicut neque probatur Lorcæ 2. 2. *quæſt.* 10. *art.* 5. *num.* 4. Coninch *diſp.* 18. *dub.* 6. *num.* 62. Suarez *de fide diſp.* 16. *ſect.* 4. *num.* 8. Quia eſſe ſuſceptam fidem, vel non eſſe ſuſceptam, non immutat has ſpecies; poteſt enim quis poſt ſuſceptam fidem tranſire ad Paganiſmum, vel Iudaiſmum. Ergo Paganiſmus, vel Iudaiſmus non petit neceſſariò non eſſe fidem in ſe ſuſceptam; ſicut eſſe verè Catholicum non pendet, an fuerit antea Paganus, vel Iudæus. Item ſi propoſita fide tibi, neges aliquem articulum, & omnes alios amplectaris, hæreticus es cenſendus, & tamen nunquam fidem ſuſcepiſti. Ergo ad hæreſim ſuſceptio fidei non expoſtulatur. Deinde filij hæreticorum parentum erroribus infecti verè hæretici nominantur, etſi nunquam fidem ſuſceperint. Ergo ex ſuſceptione fidei diſtingui infidelitas non poteſt. Reſtat ergo, vt ex obiecto diſtinguatur. Quapropter integra negatio fidei eſt Paganiſmus, Iudaiſmus, negatio Chriſti. Hæreſis negatio alicuius veritatis à Chriſto reuelatæ.

3 Sed inquires, an hæc diuiſio ſit generis in ſpecies, & conſequenter an hæ eſſentialiter diſtinguantur? in quo Caietan. Bannes, & Aragon. *d. quæſt.* 10. *art.* 5. affirmatiuè reſpondent. Primò, quia eidem virtuti poſſunt varia vitia ſpecie diuerſa opponi. Secundò, quia deficere à fide ſuſcepta, & in Baptiſmo promiſſa, diſtinctum quid eſt ab eo, quod eſt deficere à fide nullibi promiſſa: ſicuti deficere in caſtitate promiſſa, vel non promiſſa. Tertiò, quia neceſſariò fatendum eſt in confeſſione ad quod ex illis tribus deflexeris, an ad Paganiſmum, Iudaiſmum, vel hæreſim: neque videris ſatisfacere, ſi ſolùm dicas te à fide defeciſſe.

4 Cæterùm probabilius eſt non diſtingui eſſentialiter, ſed ſolùm accidentaliter penes magis, & minus. ſic Suarez *de fide diſp.* 16. *ſect.* 4. *num.* 8. Coninch *diſp.* 18. *dub.* 6. *à num.* 64. Ratio eſt, quia omnes illæ ſectæ priuant eadem fide, & cum illa habent eandem oppoſitionem. Ergo non ſunt ſpecie diuerſæ. Conſequentia eſt legitima; quia ex nullo alio capite diuerſitas ſpecifica in peccatis ſumi poteſt, præterquam ex oppoſitione ad virtutem. Antecedens probo; quia tota oppoſitio cum virtute fidei in Paganiſmo, eſt negatio totius fidei, hoc eſt, omnium myſteriorum, quæ à fide Chriſtiana proponuntur. Iudaiſmus eſt negatio myſteriorum legis Euangelicæ; hæreſis eſt negatio aliquorum myſteriorum veteris, vel noui Teſtamenti. Ergo eſt oppoſitio non formaliter diuerſa, ſed materialiter, ſiquidem tam Paganiſmus, quàm Iudaiſmus, & hæreſis in neganda veritate diuinæ reuelationis conueniunt, & ſolum differunt in negandis pluribus, vel paucioribus veritatibus reuelatis.

5 Neque obſtant contraria.

Ad primum, dico poſſe varia vitia ſpecie diuerſa opponi vni virtuti: nego tamen Paganiſmum, Iudaiſmum, & hæreſim, quatenus fidei contraria ſunt diuerſimodè opponi.

Ad ſecundum, concedo deficere à fide ſuſcepta non conſtituere ſpeciem diuerſam; aliàs Paganiſmus, vel hæreſis hominis baptizati eſſet ſpecie diuerſus ab eo, qui eſt in homine non baptizato. Neque exemplum de caſtitate promiſſa vrget, quia ibi eſt diuerſum peccatum; quia eſt contra votum, & promiſſionem Deo factam, & conſequenter contra ſpecialem virtutem religionis:

gionis: at ex præcisa susceptione fidei non fit talis promissio. Ergo.

Ad tertium. Valent. *disput.1.quæst.10.punct.3.vers.his ita explicatis*, dicit extra controuersiam esse paganismum, & Iudæorum perfidiam, & hæresim adeò multum inter se differre, vt necessariò debeat quis in confessione explicare, ad quámnam infidelitatem ex istis deflexerit: quinimò arbitratur qualitatem erroris etiam particularis, in quem quis incidit, exponendam esse in confessione: multum namque interest, vtrùm negaueris mysterium, v.g. sanctissimæ Trinitatis: an solùm quòd Paulus fuerit Hierosolymis. Item vtrùm ad Mahometismum, an ad superstitionem idololatriam deflexeris, quamuis hæc duo notat Caietan. *suprad. quæst.10. art.5.* pertinere ad eandem speciem infidelitatis, nempe paganismum.

6 Hæc tamen doctrina verissima est in sententia asserente circumstantias aggrauantes esse necessariò confitendas: at posita sententia probabili solùm peccata specie diuersa manifestanda esse in confessione, est difficultas an satisfacias obligationi, dicendo te fidem deseruisse, quin declares, fueritne paganismo, Iudaismo, vel hæresis vitio? Et quidem si præcisè attendantur hæc, quatenus virtuti fidei opponuntur, credo te satisfacere: at quia virtualiter, & implicitè religioni etiam opponuntur, necessariò declarare debes, ad quam sectam deflexeris; quælibet enim ex illis sectis habet suas distinctas cæremonias vanas, & cultus sacrilegos, quos, amplectendo sectam, amplecteris; & ratione horum debes in confessione manifestare, deflexerísne ad paganismum, Iudaismum, vel hæresim. Item quælibet fidei negatio continet quamdam blasphemiam aduersùs Deum, & eius fidem: quia iniuriat Deum, & inhonestat; sed negari non potest esse blasphemiam specie diuersam in plurium articulorum negationibus, negare namque Christi diuinitatem grauius, & iniuriosius est Deo, quàm negare esse in Ecclesia sacramentum Confirmationis. Ergo pro diuersitate harum blasphemiarum, manifestandæ sunt supradictæ infidelitatis species in confessione; etsi propter oppositionem cum fide manifestandæ non sint. Atqui paganismus plures blasphemias dicit aduersùs Deum, quàm Iudaismus, vel hæresis. Item in paganismo negante vnum Deum, læditur diuinus honor, cuius tamen læsio peccatum est specie diuersum ab eo, qui Deum admittens reliqua negat. Ergo necessariò manifestandum est in confessione: & ita expressè docet Coninch *de fide, disput.18. dub.6.num.69.* Suarez *disp.16.de fide, sect.4.n.14.* Sanchez *lib.2.cap.7.num.17.*

7 Secundò inquires, an hæc diuisio comprehendat omnes infidelitatis species? Et videtur non comprehendere, quia non comprehendit Turcismum: siquidem Turcismus aliquid credit ex veteri Testamento, & aliquid ex nouo. Ergo neque est paganismus, neque Iudaismus, neque hæresis. Secundò aliqui fuerunt hæretici admittentes nouum Testamentum, & non vetus; sed hi non erant pagani, neque Iudæi, neque hæretici. Ergo non est diuisio sufficiens. Tertiò in lege naturæ, & in lege veteri esse poterat hæresis, si Iudæus non crederet omnibus à Deo reuelatis. Quartò Atheismus videtur specie distinctus à paganismo, in quo vnus Deus colitur. Quintò Apostasia est speciale peccatum contra fidem, & tamen neque est paganismus, neque Iudaismus, neque hæresis. Ergo.

8 Nihilominus asserendum est diuisionem esse sufficientem, comprehenderéque omnes infidelitatis species. quod sic declaro: nam peccato infidelitatis peccari non potest, nisi aduersùs reuelata in duplici Testamento veteri, & nouo, sub quo comprehendo fidei traditiones: peccare autem aduersùs hæc tripliciter contingere potest, primò, negando vtrumque Testamentum: & hoc est paganismus. Secundò admittendo vetus, negando nouum, & tunc contingit Iudaismus. Tertiò admittendo nouum, vel vetus non integre, & tunc est hæresis. Item per ordinem ad Christum Dominum, qui est author fidei, & salutis, declarari potest sufficientia huius diuisionis: nam si Christi aduentum, eiúsque prophetias, & figuras neges, paganus es: si admittis prophetias, & figuras, negas aduentum, Iudæus existis; si admittis aduentum, eiúsque dictis integrè fidem non habes, hæreticus es. Ergo nullus alius infidelitatis casus excogitari potest.

9 Neque vrgent rationes in contrarium.

Ad primam dico Turcismum sub paganismo comprehendi, quia non admittunt Christum redemptorem, & licèt aliqua credunt, quæ nos, aut Iudæi credunt, quia tamen non credunt illa, vt à Christo reuelata, sed vt à Mahomete dicta, ideo pagani absolutè nominandi sunt.

Ad secundam dico admittentes nouum Testamentum, & non vetus esse veros hæreticos, eo quòd nouum Testamentum ex parte negabant, licèt sibi contrarium visum fuerit, quia vna ex veritatibus noui Testamenti est, vetus Testamentum fuisse à Deo reuelatum.

Ad tertiam dico diuisionem infidelitatis in paganismum, Iudaismum, & hæresim per ordinem ad Christum Dominum, & nouum, & vetus Testamentum esse de infidelitatibus, quæ pro præsenti statu occurrere possunt, non de aliis, quæ in lege naturæ, & scripta poterant contingere: nam in lege naturæ, & scripta esse non poterat Iudaismus, quia Christus nondum aduenerat, & consequenter pro illo statu non erat legitima diuisio. Si autem pro omni statu velis infidelitatem diuidere in solum paganismum, & hæresim, est diuisio facienda, & paganismum affirmare debes esse infidelitatem, qua nullam Dei reuelationem admittis, hæresim, qua aliquam admittis saltem materialiter, aliam negas. Adde Iudæos deficientes à fide, quam protestabantur, verè dici posse hæreticos esse, sicuti dicuntur hæretici, qui à fide Christi deficiunt.

Ad quartam respondeo Atheismum non esse distinctum specie à paganismo, in quo vnus Deus colitur, sed distingui ab illo penes maiorem, vel minorem extensionem; sicut non distinguitur specie hæreticus, qui plures articulos negat à negante pauciores: cùm autem paganismus consistat in negando Christum Dominum, siue in se, siue in figuris, quantumuis paganus credat vnum esse Deum, hoc non efficit esse hæreticum, quia illud non credit tanquam à Deo reuelatum, & à Christo Domino dictum.

Ad quintam dico te non posse recedere à fide, nisi sis Paganus, Iudæus, aut hæreticus; quia si recedis, vel ex toto, vel ex parte recedis: si ex toto, es paganus: si ex parte, admittendo Christi aduentum, hæreticus: si negas eius aduentum, Iudæus.

10 Solùm esse potest difficultas, an recedere à fide suscepta animo ibi permanendi, in quo secundùm omnes Apostasia consistit, sit species infidelitatis distincta ab illis tribus enumeratis, vel aliqua illarum circumstantia necessariò in confessione explicanda? Pro cuius resolutione certum supponendum est totam malitiam essentialem apostasiæ reperiri in hæretico baptizati negante vnum articulum fidei, sicut si omnes negaret, & ad Iudaismum, vel paganismum transiret. Quia tota, & essentialis apostasiæ malitia sita est in iniuria, & contemptu facto fidei, illam relinquendo: cùm autem per hæresim fides Christi relinquatur, & Christus despiciatur; efficitur sanè in hæresi apostasiam propriè esse. Fateor tamen per antonomasiam apostasiam dici de Iudaismo, & paganismo, atq; adeò apostatam propriissimè dici de eo, qui totam fidem Christi, eiúsque

eiúsque nomen abnegat; non de eo, qui retinens Christianum nomen à Christo discedit: sic multis relatis Sanchez *lib.2.in Decal.cap.7.num.15.* Farinac. *tract. de heresi, quæst.*183.§.2. Suarez *de fide disp.*16.*sect.*5.*à num.*3. Hoc supposito,

Dicendum est non esse apostasiam à fide aliquam speciem infidelitatis distinctam à paganismo, vel Iudaismo, ad quem quis accedit. Ratio est, quia vt esset distincta species infidelitatis, debebat aliquid ex fide negare, quod per paganismum, vel Iudaismum negatum non esset: at hoc nullo modo contingit, sed idem prorsus negat paganus baptizatus, ac non baptizatus. Ergo. Et confirmo. Apostasia in hoc formaliter consistit, vt deserat quis fidem iam susceptam; sed deserere fidem iam susceptam præcisè non est species infidelitatis, sed ad summum est genus petens contrahi per paganismum, vel Iudaismum, vel hæresim. Ergo apostasia non est species distincta ab illis tribus. Deinde quia si apostasia à fide esset species aliqua distincta à paganismo, vel Iudaismo, vel esset hæresis, vel alia ab his tribus distincta: hæresis esse non potest; tum quia non est negatio fidei ex parte: tum quia in vno subiecto duplex infidelitatis species simul existeret. Si autem esset species distincta ab illis tribus, diminutè D.Thom. & cum eo reliqui Theologi enumerassent species infidelitatis. Ergo dicendum est apostasiam non esse speciem infidelitatis distinctam: ita tenet Pesantius 2.2.*q.*12.D.Thom. *disp.*1. Suarez plures referens *de fide disp.*16.*sect.*5.*num.*8. Neque obstat apostasiam pœnis hæreticorum puniri, quia optimè puniri potest, si Ecclesiæ per Baptismum subiectus fuit, eo quòd à fide suscepta recedat. Verùm etsi apostasia à fide non sit species aliqua infidelitatis distincta à paganismo, vel Iudaismo; est tamen illius circunstantia: vt dixit D.Thom.2.2.*quæst.*12.*art.*1. Negari enim non potest ad minus esse circunstantiam aggrauantem, siquidem ex desertione fidei in Baptismo susceptæ, & professæ; aggrauatur peccatum paganismi. An verò hæc grauitas sit necessariò in confessione aperienda, non omnes conueniunt: qui enim negant circunstantias aggrauantes esse necessariò manifestandas in confessione, consequenter negare debent esse manifestandam hanc circunstantiam: aliàs obligaretur peccans contra castitatem, manifestare castitatem habere: at qui circunstantias aggrauantes affirmant esse manifestandas, & de hac circunstantia id affirmare debent. Adde non esse improbabile esse circunstantiam non tantùm aggrauantem, sed mutantem speciem aduersùs religionem; videtur enim specialis iniuria, & irreuerentia fidei per Baptismum susceptæ eam deserere.

11 Tertiò. Inquires, quænam ex supradictis speciebus infidelitatis sit grauior? Cui dubitationi optimè respondet D.Thom. 2.2. *quæst.*10. *art.* 6. & ibi eius expositores, Bannes, & Aragon. Valent. *disp.*1. *quæst.*10. *p.* 3. *circa finem.* Suarez *disput.*16. *de fide sect.* 4. *num.*14. Coninch *disput.*18. *dub.* 6. *à num.* 70. hæresim esse infidelitatem omnibus grauiorem absolutè; quoad extensionem verò paganismum esse grauiorem. Prior pars probatur, quia hæretici maiorem Dei, & scripturarum cognitionem habent, & proinde eorum peccatum magis est voluntarium, & inexcusabile. Secundò, quia sub nomine Christi Christum oppugnant, & simulantes cum illo amicitiam, illi sunt inimici, eiúsque sacris verbis, & testimoniis sub simulata religionis specie ad religionem destruendam abutuntur: de quibus dixit Petrus epist. 2. cap. 2. *Melius erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quàm post agnitionem retrorsum reuerti: ab eo quòd illis traditum est sancto mandato.* Secunda pars conclusionis de se constat, siquidem paganismus plures articulos fidei negat, quam Iudaismus, vel hæresis.

PVNCTVM II.

Vtrùm infidelis possit habere ignorantiam inuincibilem omnium illorum, quæ fides proponit credenda.

1 *Potest esse ignorantia inuincibilis mysteriorum supernaturalium, Incarnationis, Trinitatis, &c.*
2 *Circa quodlibet mysterium lumine naturæ notum potes habere ignorantiam inuincibilem.*
3 *Cum hac ignorantia potest culpabiliter aliis erroribus inuolui.*
4 *Proponitur quædam obiectio. An hic peccet contra fidem, & illam perdat.*
5 *Satisfit supradictæ obiectioni.*

1 Posse haberi ignorantiam inuincibilem mysteriorum supernaturalium, Incarnationis, Trinitatis, & similium, constat ex sæpe dictis, quia hæc cognosci non possunt, nisi proponantur: at sæpe propositio deficit. Ergo. Neque valet dicere nemini negari à Deo media ad salutem necessaria; quia hoc verum est, si diuinæ gratiæ recipiendæ impedimentum non præstas: at præstare potes hoc impedimentum multiplicando peccata. Quòd si vrgeas. Ergo iam ignorantia culpæ tuæ tribuenda est, siquidem Deus illam à te expelleret, nisi culpam committeres. Dico tribuendum esse tuæ culpæ; non tamen obinde sequitur ignorantiam in se culpabilem esse, quia ad hoc, vt ignorantia in se culpabilis esset, debebas aliquomodo cognoscere tuis peccatis impedimento esse illam expellendi, & insuper debebas scire obligationem illam expellendi: quæ omnia facillimo negotio ignorari à multis possunt.

2 Dico secundò, te posse habere ignorantiam inuincibilem fidei supernaturalis circa quodlibet mysterium lumine naturæ notum, v.g. circa Deum, eiúsque omnipotentiam, iustitiam, & bonitatem, quatenus sunt à Deo reuelata. Ratio est eadem ac in præcedenti conclusione, quia hæc esse à Deo reuelata, obiectum est supernaturale; sed obiectum hoc supernaturale viribus naturæ cognoscere non vales. Ergo indiges aliquo per diuinam fidem proponente: hoc autem carere potes. Ergo potes inuincibiliter carere cognitione Dei, quatenus per fidem supernaturalem reuelatus est. & ita tenet, & optimè probat Suarez *de fide disp.*17.*sect.*2.*à num.*3. Coninch *disp.*18.*dub.*2.*conclus.*3.*num.*19.

3 Dico tertiò, fidelis in infantia baptizatus, & inter infideles, vel hæreticos nutritus, poterit hanc ignorantiam inuincibilem fidei supernaturalis habere ratione supradicta: & insuper poterit culpabiliter pluribus erroribus aduersùs Deum inuolui; credere enim potes culpabiliter vel plures esse Deos, illísque adolere: potes credere animam rationalem non esse immortalem, mendacium, fornicationem, & alia naturæ rationali contraria licita esse: non tamen obinde fit amittere fidem, si ignoras inuincibiliter hæc omnia fidei diuinæ contrariari, sic Suarez, & Coninch *suprà.* Probo, quia fides supernaturalis amitti non potest, nisi per peccatum infidelitatis, vt definit Trident. *sess.*6.*can.*11. Sed ille fidelis illis erroribus assentiens, non peccat peccato infidelitatis formaliter; siquidem infidelitas est dissensus à prima veritate reuelante, sicut fides est assensus primæ veritati reuelanti: at ille infidelis ignorat inuincibiliter primam veritatem tale mysterium, cui ipse dissentit, reuelasse. Ergo non potest voluntariè à prima veritate reuelante dissentire. Ergo non peccat peccato infidelitatis formaliter. Ergo non amittit fidem ex illo peccato.

4 Dices, hic fidelis talibus erroribus culpabiliter inuolutus peccat contra illam virtutem, quæ obligat veram de Deo habere cognitionem, & omnia falsa, & contraria respuere: sed hæc virtus non videtur esse alia

præter

præter fidem. Ergo peccat contra fidem: ergo amittit fidem. Item cum his erroribus neque actus fidei, neque pia affectio in voluntate compati potest. Ergo neque habitus fidei. Deinde ille verè est idololatra, & paganus, seu hæreticus. Ergo non potest esse fidelis.

5 Respondeo ad primum peccare contra illam supernaturalem virtutem, quæ dictat veram de Deo cognitionem, & falsam respuit, quæ est fides supernaturalis, sed non peccare aduersùs illam formaliter, sed tantùm materialiter, eo quòd non cognoscit obiectum, cui talis error opponitur sub illa virtute contineri. Adde non ex quolibet peccato contra fidem amitti fidem. nam omittere actum fidei debito tempore, est contra fidem, & non perditur ex illo fides. Item error etiam culpabilis, si non adest pertinacia, non excludit fidem. Ergo etiamsi daretur peccare talem fidelem aduersùs fidem, cùm non sit pertinax, non infertur amissurum fidem.

Ad secundum concedo, cum talibus erroribus actum fidei circa illasmet veritates compati non posse, bene tamen habitum; quia habitus est potentia, quæ secluso illo impedimento erroris in actum prodire poterit.

Ad tertium dico illum esse non formaliter, sed materialiter paganum, & hæreticum; cum paganismo autem, & hæresi materiali stare optimè potest habitualis fides.

PVNCTVM III.

Sintne opera omnia infidelis, & hæretici peccatum, vel possint esse aliqua opera bona.

1 *Proponitur hæreticorum error omnia nostra opera esse peccatum.*

2 *Quilibet infidelis multa bona opera moraliter præstare potest.*

3 *Explicantur loca Scripturæ num. 1. adducta, & fit satis fundamento hæreticorum.*

1 NOn desunt hæretici, qui vt gratiam Christi videantur extollere, ita nostra opera extenuant, & mutilant, vt affirment omnia esse peccata, si ab homine infideli, hæretico, imò peccatore fiant. Fundamentum eorum, sunt aliqua loca Scripturæ, & Patrum, perperam intellecta. Primò adducitur locus *Isai. cap. 1. & 66.* vbi malorum Iudæorum sacrificia reputantur à Deo abominationes, & loco cuiusdam sacrificij reprobati habent. Secundò *Matth. 7.* vbi arbor mala dicitur non posse bonos fructus facere. Tertiò ad Roman. 14. *Omne quod non est ex fide, peccatum est*, quod de fide Catholica exponit Augustinus. Quartò *ad Titum* 1. coinquinatis autem, & infidelibus nihil est mundum, sed coinquinata est eorum mens, & conscientia; & quintò *ad Hebr.* 11. dicitur, *sine fide impossibile est placere Deo.* Ex quibus omnibus colligi videtur sine fide nihil placitum, nihil Deo gratum fieri posse, ac proinde omnia esse mala, & peccata. Secundò probant authoritate, præcipuè Augustinus *lib. de prædestinatione Sanctorum, cap. 10. & lib. 4. contra Iulianum, cap. 3. & lib. 1. de nuptijs, cap. 3. & in præfat. ad Psalm. 31. & lib. 5. de ciuitate Dei, cap. 4.* & alibi sæpè, affirmantis omnes infidelium actiones vitia esse, & peccata, neque in illis aliquam virtutem adesse: consentit Chrysostom. *serm. de fide, & lege, & Spiritu sancto.* Prosper *lib. 1. de vocat. gent. cap. 7.* Fulgent. *lib. 1. de Incarnat. cap. 25.* Tertiò ratione suaderi potest, quia bonum opus esse non potest sine relatione ad Deum verum, sed infidelis carens cognitione veri Dei, in verum Deum referre opera sua non potest. Quòd si dicas ad bonitatem moralem operis non esse necessariam relationem operis in Deum factam ab operante; sed sufficere relationem ipsiusmet operis, quam habet, quando ex se bonum, & honestum est: contrà fit, quia nulla creatura diligibilis est ab operante, propter ipsam, sed propter Deum; aliàs in creatura constitueret operator vltimum finem. Si autem opera, quæ infidelis facit, non refert in Deum, vt in finem vltimum, sed sistit in ipsis; ea diligit propter ipsa, atque adeò in illis finem vltimum constituit. Ergo peccat. Confirmari potest, quia operari ob finem vanæ gloriæ ideo peccatum est, quia in creatura sistit operans, tanquam in fine vltimo. Ergo si infidelis actiones virtutum moralium operatur, sistens in illis tanquam in vltimo fine peccabit. Denique rarus est infidelis, qui in venerationem suorum idolorum, se, omniáque sua, aliquando non retulerit. Ergo ex tali relatione omnia opera illius redduntur maculata, sicut redduntur bona, ex relatione, quâ fidelis in Deum habet, iuxta illud Lucæ 11. *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit: si autem nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit.*

2 Nihilominus vera, certáque sententia est, quemlibet infidelem posse, & de facto facere plura opera bona moraliter. sic D. Thom. communiter receptus 2. 2. *q.* 10. *art.* 4. Valent. *disp.* 1. *quæst.* 10. *punct.* 2. Suarez plures referens *de fide, disp.* 17. *sect.* 3. *num.* 2. Bellarmin. *lib.* 5. *de gratia, & libero arbitrio, cap.* 9. Coninch *disput.* 18. *dub.* 5. *à num.* 40. Probari potest ex pluribus Scripturæ locis, in quibus facta infidelium laudantur à Deo, & digna præmio reputantur. *Exod.* 1. laudauit obstetrices, quia abstinuerunt ab infanticidio Hebræorum per Regem imperato, & ob eam causam multiplicauit Deus earum posteritatem. 2. *Reg.* 17. laudantur Barcellai, Galaadites, & alij suppeditantes Dauidi, & eius exercitui necessaria. 3. *Reg.* 21. placatus fuit Deus pœnitentia Achab, & *Ionæ* 3. ob Niniuitarum pœnitentiam minata supplicia suspendit. *Dan.* 4. suadetur Nabuchodonosori peccata eleemosynis redimere. Ergo præsupponit Scriptura infideles posse aliqua bona opera moralia facere ex aliquali gratia Dei, quibus Deus moueatur, & excitetur vberiorem gratiam concedere, & à pœnis emeritis abstinere. Ex Patribus autem plura testimonia adducit Valent. Coninch, Suar. Bellarm. & alij *supr.* Ratione autè probatur, quia plura sunt ex se honesta, & laudabilia, vt honorare parentes, succurrere miseris, largiri eleemosynam, impedire peccatum: quæ si gratia sui fiant, honestam reddunt actionem; sed quicumque infidelis lumine naturæ hanc honestatem cognoscens potest illam appetere, & ex illius affectu operari. Ergo operatio illius bona, & honesta erit. Neque ad hanc honestatem requiritur relatio actualis in Deũ, sufficit tacita, & virtualis, quam habet honestas operis, aliàs nullus esset actus virtutis moralis. Neque inde fit in creatura vltimum finem constitui, quia non diligitur, vt summè bona, neque diligitur creatura, quæ ad Deum saltem virtualiter non referatur, quod dico propter inanem gloriam, quæ se sola non valet honestam actionem terminare, quia virtualiter ad Deum non refertur. Ex quibus solutum manet fundamentum contrariæ sententiæ à ratione petitum. Illud verò, quod addebatur de infideli referente omnia sua opera in honorem falsi numinis, non est contra nostram doctrinam, etiamsi gratis concedamus omnia illius opera ex illa relatione extrinseca maculari; quia nos solùm diximus infidelem ratione infidelitatis non maculare omnia sua opera, sed posse retenta infidelitate plura opera bona moraliter facere, nihil de hac relatione extrinseca definientes. Verùm vt quid in hac re sentiendum sit cognoscatur, existimo non maculari omnia opera infidelis referentis se, & sua in honorem idoli, nisi relatio ipsa actu, vel virtute existat, aliàs non valet opera denominare, neque opera illa dici possunt facta ex tali relatione: virtute autem dicitur existere relatio, quando in aliquo effectu producto, qui

qui causa est operis aliàs boni, relatio actualis perseuerat. Nam licèt aliqui dicant, quoties non retractatur, denominare opera quæcumque fiunt, hoc non est verum, quia illa est solùm quædam perseuerantia habitualis insufficiens opera denominare; siquidem ex illa non prodeunt opera. Adde quoties opus exequaris ex motiuo honesto, videris retractare relationem priorem factam ad idolum; sicut cùm peccatum veniale committis, retractas intentionem, qua omnia tua opera in Deum retuleras.

3 Neque aduersùs hanc doctrinam procedunt loca Scripturæ pro sententia hæreticorum relata, si benè expendantur.

Ad locum Isaiæ dico sacrificia, & solemnitates Iudæorum esse Deo ingrata, quia praua offerentium circumstantia vestiebantur; intendebant enim Iudæi illis sacrificiis Deum ita placare, vt quantumcunque peccata multiplicarent, & in illis sordescerent, non esse puniendi, sed potiùs in orationibus exaudiendi.

Ad locum Matth. dico primò nomine *arboris* malos, malam & prauam voluntatem intelligi, ex qua fructus bonus prodire non potest: at non est necesse infidelem habere semper hanc prauam voluntatem. Secundò admitto intelligi nomine *arboris* hæreticos, & falsos Doctores, & dico ex illis, quatenus falsi sunt, & hæretici, non potest fructus aliquis bonus doctrinæ sperari, sed peruersionis timeri.

Ad locum Rom. si fides ibi sumatur pro fide theologica, vt vult sæpè August. dico, quod non est ex fide, esse peccatum, id est, quod non est consentaneum fidei, sed fidei repugnat; non verò, quod non est ex fide negatiuè tantùm. At si fides ibi sumatur pro fidelitate debita propriæ conscientiæ, vt sumpsit Chrysost. *homil.26. in epist. ad Rom.* planum est, quod non est ex fide, id est, ex fidelitate conscientiæ, peccatum esse.

Ad locum Titi dico Apostolum velle Christianos habentes mundam conscientiam, non coinquinari comedendo cibos veteri lege prohibitos, quia iam cessauerat prohibitio. Econtra verò Iudæos comedentes omnia ex obseruatione suæ legis quolibet cibo coinquinari, quia quemlibet sumebant, prætendentes legem veterem persuadere, & stabilire; vel dic cum Chrysost. *homil.3. in epist. ad Titum.* Infidelibus nihil est mundum, si ipsi velint superstitione vti, qua in vsu aliquorum ciborum vtuntur; eadem enim ratione, qua aliqua immunda reputant, & omnia immunda reputare possent, non tamen ex his verbis infertur non posse aliqua bona opera facere.

Ad locum ex epist. ad Hebr. clara est expositio, sine fide enim impossibile est hominem placere Deo habitualiter, quia carens fide est in peccato, & consequenter Deo inuisus. Non tamen inde infertur aliqua opera huius infidelis non placere Deo; vel dic sine fide impossibile est, placere Deo per opera ad finem supernaturalem conducentia.

Ad loca ex Augustino, Prospero, Fulgentio, Chrysost. respondeo primò cùm illi Patres dicunt omnia infidelium opera esse peccatum, infidelésque nullam virtutem habere, intelligendum est non eo rigore, quo sonat, sed moraliter, & secundùm communem cursum; quia regulariter vitiantur ex mala intentione, quod non tollit, vt absolutè aliquod opus vitiatum non sit. Secundò respondeo Patres supradictos, cùm negant opera infidelium esse bona, nullámque virtutem illis inesse, intelligendos esse de operibus, & virtutibus, quæ reddant hominem iustum Deo placentem, & vitam æternam promerentem; quia loquuntur aduersùs Iulianum, & Pelagianos asserentes sine fide, & gratia posse nos exercere virtutes, quæ ad vitam æternam conducant. sic Valent. Ægid. Coninch, Suarez, & alij *suprà*.

PVNCTVM IV.

Vtrùm liceat cum infidelibus, & hæreticis de fide, præsertim publicè disputare.

1 *Ex quadruplici capite potest esse dubitatio, an sit licita, vel illicita hæc disputatio.*
2 *Qua ratione ex fine, licita, vel illicita sit fidei disputatio.*
3 *Ex parte disputantis licita est, si doctus sit, nullaque lege positiua impediatur.*
4 *Laicus tametsi doctus prohibitus est à lege disputare.*
5 *Intelligitur prohibitio de disputatione formali.*
6 *Neque intelligitur prohibitio in casu necessitatis, vel grauis, & euidentis vtilitatis.*
7 *Item intelligitur prohibitio de disputatione assumpta à laico propria authoritate.*
8 *Neque extenditur ad terras, in quibus hæretici cum Catholicis passim permixti sunt.*
9 *Ex parte audientium licita est disputatio, si cum eorum fructu fiat. Et quando hoc contingat.*
10 *Qui modus seruandus sit, vt licita sit disputatio.*

1 DIuus Thom. 2. 2. *quæst.*10. *art.*7. & ibi Caietan. Bannes, Aragon. Valent. *p.*4. Sanchez *lib.*2. *cap.*6. Suarez *disp.*20. *sect.*1. Coninch *disp.*18. *dub.*9. affirmant ex quadruplici capite decidendum esse, an licita, vel illicita sit disputatio, primò ex fine, secundò ex conditione disputantis, tertiò ex conditione auditorum, quartò ex modo. Singula breuiter perstringemus.

2 Ex fine est licita disputatio, si ad defendendam fidem, erroré sque confutandos assumatur, sic D. Thom. & omnes supradicti *art.*7. Econtra illicita est, primò, si ad euertendam fidem, erroré sque seminandos disputatio assumatur. Qua ratione solent hæretici Scripturas, & decisiones Conciliorum in quæstionem vocare contra legem diuinam, & sacrorum canonum: vt sumi potest ex Concilio Chalcedonensi, *actio.*5. *in* 2. *definitione fidei*, & ex *epist.*48. *aliàs* 50. Leonis Papæ *ad Martianum Imperatorem*, & ex Gelasio Papa *epist.*11. ad Episc. Sardaniæ, quibus fauet Martianus Imperator *in l. nemo. C. de summa Trinit.* vetans neminem vocare in dubium ea, quæ à Concilio generali statuta sunt. Secundò peccat ex parte finis, qui non animo firmo defendendi fidem, sed dubio, an debeat illam amplecti, disputationem suscipit, quia talis animus constituit infidelitatem, ac proinde disputatio illa non est ex fide, & pro fide, sed contra fidem; eáque de causa peccatum est, iuxta Paul. *ad Rom.*14. hoc tamen intelligendum est de his, quibus fides est sufficienter proposita, quíque obligati sunt firmiter fidei adhærere. Nam si alicui fides non esset proposita sufficienter, ipséque vt veritatem inquireret, fidei mysteria in quæstionem vocaret, sine dubio talis disputatio licita est, quia est medium ad fidem amplectendam. sic Bannes 2.2. *quæst.*10. *art.*7. Valent. *disp.*1. *quæst.*10. *p.*4. *concl.*1. Sanchez *lib.*2. *in Decal. cap.*6. *num.*1. Coninch *disp.*18. *dub.*9. *num.*141. at hæc non est disputatio Catholici cum infideli, aut hæretico, sed econtra infidelis cum Catholico. Adde hæreticum, cui fides sufficienter proposita est, posse absque peccato hanc disputationem suscipere; contingere enim potest hæreticum velle errores deserere, sed argumentis aliquibus friuolis, sibi tamen visis efficacibus vrgeri, quæ si viro docto proponat, & ab eo solutionem accipiat, errores deseret, & fidem amplectetur; poterit tunc ea intentione proponere, quia in hac propositione nihil aduersùs fidem facit, sed potiùs in illius fauorem assumit medium, quo possit dubitationem conceptam expellere. sic Coninch *num.*142. *fine.* Tertiò ex parte finis peccat, qui cum hæretico, vel infideli pertinaci de fide disputat, quia est disputatio otiosa, & nullius fructus, propter quæ dixit Paul. 2. ad Timoth. 2. *Noli verbis contendere*, ad

ad nihil enim vtile est, nisi ad subuersionem audientium, & *ad Tit.* 3. monet te Paulus, vt hæreticum post vnam, & secundam correptionem euites, sciens quia subuersus est, qui huiusmodi est, vbi Tertullian. *de præscript. cap.* 16. aduertit non dixisse Apostolum post vnam disputationem, sed post vnam correptionem, quia disputatio cum illis ineunda non est; eo quòd ita subuersi sunt, & obstinati, vt sperari non possit reducendos esse; sed potiùs occasionem sumpturos irridendi fidem, & eius fundamenta firma eludendi, ac alios peruertendi. Non enim, vt bene dixit August. *lib.* 3. *contra Faustum, cap.* 12. disputare amant hæretici, sed quoquomodo superare impudentissima pertinacia. hoc tamen, vt bene notat Chrysostom. *homil.* 6. *super illa verba Pauli ad Tit.* 3. intelligendum est de illis solis, de quibus apertam possumus ferre sententiam, certique sumus, quòd quantalibet faciamus, eos nunquam ad veritatis viam reuocabimus. Aduertit tamen Sanchez *num.* 2. hanc disputationem cum his hæreticis esse solùm per se veniale peccatum, sicut & alij actus otiosi. Idem docet Valent. *illo punct.* 4. *concl.* 1. *in fine*, & Suarez *disp.* 20. *sect.* 1. *n.* 13. Ex circumstantiis autem, & regulariter mortale erit, quia hæreticus disputans illo obstinato animo multa peccata committit aduersùs fidem, quæ ex charitate teneris vitare, nisi ob aliquam causam grauem excuseris; & tunc iam disputatio licita erit etiam cum hæretico pertinaci. Causa autem grauis est, si hæc disputatio aliis prodest, & potest prodesse Catholicis, & hæreticis: Catholicos, illos in fide confirmando; hæreticos, eorum audaciam reprimendo, vel ad fidem conuertendo: quicumque ex his effectibus contingat est sufficiens honestare disputationem.

3 Ex parte disputantis licita est disputatio, si doctus sit, & nulla lege positiua impeditus. Econtra illicita est disputatio, si caret scientia requisita, vel aliqua lege positiua prohibetur. Et quidem, si caret scientia requisita, nemini est dubium illicitam esse disputationem, quia nocere multum potest, tum sibi, tum aliis. Quæ autem scientia necessaria sit, arbitrio prudentis relinquitur pro qualitate materiæ disputandæ, & personarum, quibus cum disputatur. Illud autem debet esse omnino certum requiri illam scientiam, quæ & veritatem confirmare, & argumenta, quæ is, quo cum disputatur, proponere potest, possit facile dissoluere. Videtur colligi ex Paulo *ad Tit.* 1. vbi de Episcopo, cui munus conuincendi hæreticos incumbit, dicitur debere esse ita doctum, vt possit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt, arguere. sic Valent. 2. 2. *disp.* 1. *q.* 10. *p.* 4. *concl.* 2. Suarez *disp.* 20. *sect.* 1. *n.* 8. Coninch *disp.* 18. *dub.* 9. *n.* 140. & 141. notat non satis esse vt defendens fidem sciat argumenta sibi obiecta intelligere, & dissoluere; sed opus esse, vt possit ea ita soluere, vt audientes solutionem percipiant. Quapropter sæpè mediocriter doctus, & in his controuersiis versatus, aptior est disputationi eo, qui mentem suam satis explicare non valet.

4 Rursus ex parte disputantis illicita est disputatio, si lege positiua prohibetur: prohibentur autem lege positiua non omnes personæ, sed solùm laici. *cap. quicumque, §. inhibemus quoque, de hæreticis in* 6. Circa quam prohibitionem aduerte primò sub nomine laicorum non comprehendi clericos primæ tonsuræ, neque religiosos, laicos vulgari nomine vocatos, quia absolutè laici non sunt, sed clerici nomine, & priuilegio gaudent. sic Coninch *disp.* 18. *dub.* 9. *num.* 145. Suarez *disp.* 20. *sect.* 1. *n.* 10. Sanchez *lib.* 2. *in Decal. cap.* 6. *n.* 6. Solùm est difficultas, an si laicus doctus sit, eximatur ab hac prohibitione? Et quidem eximi censuit Caietan. 2. 2. *q.* 10. *art.* 7. *dub.* 1. & ibi Bannes. Petr. de Ledesm. 2. *tom. sum. tract.* 1. *cap.* 5. *concl.* 13. & reputat probabile Sanchez statim allegandus. Mouentur, quia cessat tunc finis legis, qui est defectus doctrinæ communiter in laicis contingens. Cæterùm omnino tenendum est laicum quantumuis doctum, sub tali prohibitione comprehendi. Primò, quia laicus indoctus iure naturæ prohibitus erat disputare, sicut clericus indoctus. Ergo cùm laico prohibetur disputatio, & non clerico, aliquid speciale laico interdicitur, quod aliàs clerico licitum est; sed nihil speciale esset interdictum laico, si solùm cùm est indoctus, prohibetur disputatio. Ergo dicendum est omnem laicum siue doctum, siue indoctum, sub tali prohibitione comprehendi. Secundò si laicus doctus sub hac prohibitione comprehensus non est, quilibet præsumere posset se sufficienti doctrina pollere, vt disputationem aggrediatur, & sic prohibitio nullius esset momenti. Tertiò laicus, quantumuis doctus, prædicandi munus assumere non potest, *cap. cùm ex iniuncto, cap. sicut in vno, de hæreticis, in* 6. Ergo neque etiam disputare. Ob eandem enim rationem vtrumque prohibetur, scilicet ob decentiam sacræ doctrinæ, & ob defectum scientiæ communiter in laicis contingentem. Quartò, quia nunquam in laico cessat finis legis. nam licèt cesset defectus scientiæ in illo, quia tamen in aliis communiter non cessat, finis legis nunquam cessat. Non enim finis illius legis fuit defectus scientiæ cuiuslibet in particulari, sed defectus scientiæ generaliter contingens: qui finis semper perseuerat, etiamsi vnus, vel alter scientiam sufficientem habeat. Ergo ob scientiam non excusatur laicus à prohibitione: sic docent glossa *in supradicto cap. quicumque*. Dominic. & Franc. *ibi num.* 1. Valent. 2. 2. *disp.* 1. *quæst.* 10. *punct.* 4. *conclus.* 2. Azor *tom.* 1. *lib.* 8. *institutionum moralium, cap.* 26. *quæst.* 1. Sanchez plures referens, *lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 5. Suarez *disput.* 20. *sect.* 1. *num.* 11. Coninch *disp.* 18. *dub.* 9. *num.* 145. Si autem laicus hanc legem transgrediatur, peccatum mortale committit: tum quia sub excommunicationis pœna prohibetur, tum quia est res grauis ad bonum fidei, & religionis ordinata, & ad excusandos errores in doctrina, & occasiones rixæ, & turbationis, quæ faciliùs in disputatione laicorum timeri possunt: sic alios referens Sanchez *lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 3. Emanuel Saa *verbo fides*, *num.* 3. Suarez *disp.* 20. *sect.* 1. *num.* 12. Pœna tamen excommunicationis transgressoribus imposita non est ipso iure, sed ferenda; quia textus vtitur verbo futuri temporis, scilicet *innodetur*: & ita tenet Sanchez, Suarez, Saa, Coninch *disput.* 18. *dub.* 9. *num.* 145. & alij cum glossa *in supradicto textu*.

5 Limitanda est prohibitio primò, vt intelligatur de disputatione, quam vocant formalem, quæque assumitur ad persuadendam fidem his, qui firmi non sunt, non de disputatione solùm materiali, qualis est, quæ honoris, & exercitij causa suscipitur, vt fit in scholis. sic Caietan. 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 7. *dub.* 1. & 6. Bannes, Valent. *suprà*. Nauarr. *summ. cap.* 11. *num.* 27. Sanchez *num.* 9. Suarez *disput.* 20. *sect.* 1. *num.* 1. Coninch *disput.* 18. *dub.* 9. *circa finem*. Ex quo videtur inferri solùm disputationem cum hæretico, vel infideli esse laico prohibitam: nam disputatio inter Catholicos veritatem agnoscentes, & credentes, non potest esse disputatio formalis; quia non potest esse ad persuadendam, defendendámque fidem, sed solùm exercitij causa: & ita tradit Castro *lib.* 1. *de iusta hæreticorum punitione, cap.* 19. Coninch *suprà num.* 146. vbi dicit solùm prohiberi disputationem ad conuincendos eos, qui in fide errant. Suarez *illa sect.* 1. *num.* 1. disputationem formalem solùm recognoscit esse eam, quæ contra hæreticos suscipitur.

6 Secundò limita, vt non intelligatur in casu necessitatis, vel grauis, & euidentis vtilitatis, qualis esset, si hæreticus suis dictis ad errores traheret fideles, & nullus adesset clericus, qui eum confunderet, & frænaret; posset tunc laicus doctus partem fidei suscipere, & veritatem defendere; imò teneretur tum ratione charitatis

tatis debitæ proximis, tum ratione fidei, & religionis despectæ, quam debet à contemptu, & iniuria liberare. sic Valent. 2.2.*disp*.1. *quæst*.10. *punct*.4.*post* 2.*concl*. Aragon 2.2. *quæst*.10. *art*.7. *notab*. 2. Sanchez *lib*.2. *cap*.6. *num*.7. Suarez *disput*.20.*sect*.1.*num*.11. Coninch *disp*.18. *dub*.9. *num*.147. & fauet textus *in cap.nolite timere*, 11. *quæst*.3.

7 Tertiò limita, vt hæc disputatio assumatur à laico propria authoritate. nam si iussus, vel rogatus à clericis disputationem suscipiat, non peccabit; quia tunc nomine clericorum disputat, neque verificari potest sibi ius docendi, & disputandi vindicare, quæ est materia prohibitionis; vt colligitur ex Leone Papa *epist*. 62. *cap.vlt*. & tradit Suarez *num*.11.

8 Quartò limita pro terris, in quibus hæretici cum Catholicis permixti sunt, quia in his consuetudine videtur supradicta lex abrogata, eo quòd passim sese offerat occasio hæreticos arguendi, & conuincendi, ne grassentur. Et videntibus Prælatis, & non contradicentibus idoneè laici has disputationes suscipiunt. sic Valent. Suarez, Sanchez, Coninch *locis citatis*.

9 Ex parte audientium licita est disputatio, si cum eorum fructu fiat: illicita autem, si damnum obueniat. Regulariter hoc damnum timeri potest, si coram indoctis, & vulgaribus hominibus suscipiatur disputatio; tum quia ipsi faciliùs argumenta in contrarium, quàm rationes nostræ fidei, & solutiones aduersantium percipient; tum quia hæretici coram ipsis, vtpote indoctis, controuersiam, vocibus, & arrogantia intendunt definire; ex quo sequitur eos in fide vacillare, cùm antea firmi persisterent: & ita regulariter illicita est hæc disputatio. sic D. Thomas 2.2. *quæst*.10. *art*.7. & ibi Caietan. & alij. Valent. *punct*.4.*post* 3.*conclus*. Sanchez *cap*.6.*num*.10. Suarez *disput*.20.*sect*.1.*num*.14. Coninch *disput*.18. *dub* 9. *num*.139. Addit Sanchez hanc culpam esse imprudentiæ, rarissiméque periculum esse, vt culpam venialem excedat. Quod mihi difficile videtur, & potiùs dicerem rarissimè à culpa mortali excusari, quia rarissimè abest periculum peruersionis, præcipuè si coram plebe disputatio hæc assumatur. In triplici casu non videtur damnum timendum. Primò, si disputans ita doctus sit, vt argumenta aduersantium ita soluere possit, & ea claritate solutionem exponere, vt meritò possit intelligere auditores facile esse percepturos; sed hoc rarissimum est, ait Valent. & Sanchez *suprà*. Secundò non est timendum damnum ex disputatione, si iam auditores solicitati sint ab hæreticis, & quasi in fide vacillare inceperint; tunc enim assumenda est disputatio, vt expulsa dubitatione firmitatem acquirant; aliàs silentium, & timor disputationis multum dubitantibus noceret. sic D. Thomas, Suarez, Valent. Sanchez, & alij *suprà*. Tertiò non debet timeri damnum, si auditores docti sunt. Voco *doctos* eos, qui rationes pro vna, & altera parte possunt percipere, iis non videtur disputatio periculosa, sed potiùs proficua. sic D. Thomas, Suarez, Valentia, Sanchez, & alij.

10 Ex parte modi licita est disputatio, si modum, & mediocritatem seruet; illicita, si excedat. Excedet autem primò, si non tam pondere rationum, quàm verbis velis contendere contra Paulum, *noli contendere verbis*. Secundò, si ex modo dicendi, videaris potius velle aduersarium vincere, quàm errorem superare; quia est indicium superbiæ, & contra consilium Hieronym. *lib*.1. *contra Pelag. circa medium*, ibi: *Non de aduersario victoriam, sed contra mendacium quæramus veritatem*. Tertiò excedit, si nimia tarditate, aut nimio feruore disputatio assumatur. Quapropter ex vtroque extremo quod vtile est, sumi debet, vt dixit Nazianzenus *orat*. 26. *de moderat. in disputatione adhibenda*, qui omnino videndus est.

PVNCTVM V.

Vtrùm infidelis compelli possit ad audiendam fidem.

1 *De quibus procedat quæstio.*
2 *Proponitur dubitandi ratio.*
3 *Infideles non subditi nequaquam compelli possunt ad audiendam fidem.*
4 *Subditos infideles compelli posse à Principe Christiano, probabile est.*
5 *Probabilius est oppositum.*
6 *Compelli possunt infideles, ne prædicatorem legis Euangelicæ impediant.*
7 *Quid si non fiat resistentia blasphemijs, & irrisione, sed sola expulsione prædicatoris? Proponitur dubitandi ratio.*
8 *Probabilius est posse compelli.*
9 *Licitum est Ecclesiæ mittere prædicatores militibus associatos, ne illis iniuria fiat; cauendum tamen est, ne sit aggressio, & violentia.*
10 *Dissoluitur dubitandi ratio num.2.adducta.*

1 De infidelibus baptizatis nulla est quæstio, cùm Ecclesiæ subdantur. Infideles autem non baptizati sunt in duplici differentia. Alij sunt temporaliter subditi Ecclesiæ, vel Christiano Principi, alij sunt extra horum subiectionem. De vtrisque ergo videndum est, an possint ad audiendam fidem compelli?

2 Ratio dubitandi est; quia Christus Dominus reliquit Ecclesiæ potestatem prædicandi Euangelium omni creaturæ, *Matth. & Marc. vlt*. Sed hæc potestas exerceri non potest absque potestate cogendi eos, qui renuunt prædicationem audire. Ergo. Et confirmo primò à simili. Ecclesia potest compellere fideles confiteri peccata; & hoc non alia ratione, nisi quia à Christo Domino data est potestas remittendi peccata, quæ absque confessione per sacramentum Pœnitentiæ remitti non possunt: sed etiam Christus Dominus dedit potestatem prædicandi Euangelium omni creaturæ, quæ prædicatio absque auditu esse non potest. Ergo consequenter dedit potestatem compellendi omnem creaturam Euangelium audire. Confirmo primò. Ecclesia habet potestatem coërcendi impedientes prædicationem, sed qui non vult audire, impedit prædicationem, cùm prædicatio esse non possit sine auditu. Ergo habet potestatem cogendi eos, qui nolunt audire, vt audiant.

3 Nihilominus dicendum est primò, infideles non subditos nequaquam posse à Romano Pontifice per se, vel medio aliquo Christiano Principe compelli ad fidem audiendam. est communis sententia, vt testatur Suarez *de fide, disp*.18. *sect*.2. *n*.6. Valent. *disp*.1.*q*.10.*p*.6. *circa fin*. Coninch *disp*.18.*dub*.14.*n*.225.*conclus*.2. Bonacina *disp*.3. *de fide*, *q*.2.*p*.7.*n*.3.*in medio*. Ratio est, quia compulsio esse non potest sine iurisdictione: at ij infideles sunt extra iurisdictionem Ecclesiæ, & Christianorum Principum, vt suppono. Ergo non possunt ab iis vlla ratione compelli.

4 Dico secundò. Probabile est, posse à Christiano compelli subditos infideles ad audiendam fidem. sic Bannes 2.2.*quæst*.10.*art*.10.*dub*.4.*concl*.4. Suarez *disp*.18. *sect*.2. *num*.3. Bonacina *suprà num*.3. Ratio esse potest, quia obligatio huius audientiæ non excedit iurisdictionem politicam, & temporalem: siquidem ex hac obligatione solùm compelluntur infideles audire prædicatorem, non tamen eum sequi; audire autem prædicatorem, vt eo audito eligant religionem, quæ sibi magis visa fuerit rationi conformis, non excedit potestatem politicam, & temporalem gubernatoris. Aliàs nullus temporalis gubernator posset subditorum peccata

peccata aduersùs religionem púnire, nec illos obligare ad media exequenda, ex quibus electio religionis verè fieri posset.

5 Dico tertiò probabilius esse non posse subditos infideles cogi à Christiano Principe ad audiendam fidem. sic Bannes *suprà concl.*3.& licèt *concl.*4. dixerit probabile esse cogi posse, limitauit tamen ad vnam auditionem, non ad plures; absolutè hanc tenet Valent. 2.2. *disput.*1.*quæst.*10 *punct.*6.*circa finem.* Salmer.*tom.*12.*tract.*38.*in Euangel.*Coninch *disput.*18. *dub.*14. *conclus.*5. *iuncta conclus.*4. Probo, quia iis infidelibus solùm ea superior præcipere potest, quæ poterat respublica ex sua primæua institutione, quia nullam aliam habet potestatem, nisi quam à republica accepit. At respublica non poterat sibi subditos ad fidem audiendam cogere. Ergo neque vllus Princeps sæcularis. Probo minorem, quia respublica non habet aliam potestatem iure naturæ, nisi præcipiendi ea, quæ ad finem politicum, & naturalem ordinantur: at auditio legis Euangelicæ ad fidem supernaturalem ordinatur, vt de se constat; quia fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi. Ergo respublica non habet potestatem præcipiendi sibi subditis auditionem legis Euangelicæ. Et confirmo. Lex Euangelica est quid supernaturale à Christo Domino institutum. Ergo iure naturæ cognosci non potest. Ergo neque eius auditio præcipi. Confirmo. Secundò præcipi non potest iis infidelibus auditio legis Euangelicæ, vt eam amplectantur, quia, vt in puncto sequenti dicemus, non est in republica ciuili, neque in Ecclesia potestas ad cogendum aliquem ad fidem. Ergo neque etiam est potestas præcipiendi auditionem, quia auditiò legis per se non est appetibilis, nec materia præcepti, nisi quatenus ad assensum legis ordinatur. Neque obstat si dicas præcipi auditionem legis Euangelicæ, non vt illam amplectaris, sed vt distinguas inter veram, & falsam religionem, & possis veram eligere falsa contempta. Non, inquam, obstat, quia hæc distinctio est quædam cognitio limites naturæ excedens; eiúsque electio est supernaturalis. Ergo iure naturæ non habet Princeps potestatem præcipiendi media, quæ ad finem istum ordinantur. Et ex his patet solutio rationis pro præcedenti conclusione factæ.

Verùm, quia in nostra fide plurima continentur credenda, quæ lumine naturæ cognoscuntur, vt esse vnum Deum, & non plures; iustis daturum præmium, peccatoribus supplicium, præcepta Decalogi esse seruanda, poterit Princeps, siue Christianus, siue Gentilis obligare sibi subditos prædicatorem, qui aliquo testimonio diuino, vel humano se reddit dignum creditu, audire circa has veritates, vt depulsis erroribus, si qui habent, veritatem sequantur. Quia hoc non excedit naturæ limites, & cognitionem naturalem. Secus verò est de aliis veritatibus supernaturali lumine cognoscendis, sine quarum cognitione finis politicus, & naturalis reipublicæ esse potest.

Quòd si obiicias consuetudinem Romanam esse compellendi Iudæos, audire Euangelium sub pœna amissionis bonorum?

Respondeo mulctam illam, quæ Iudæis nolentibus audire Euangelium imponitur, non esse pœnam, sed quoddam tributum, quod Romanus Pontifex ab illis exigere potest, quia in eius terra habitant, & ei temporaliter sunt subiecti, à quo tributo eximere potest auditores Euangelij.

6 Dico quartò, certum est, posse Ecclesiam per se, vel mediis Christianis Principibus compellere quoscumque infideles, ne prædicatorem legis Euangelicæ impediant, néve prædicatorem dehonestent. Quare si infidelis aliquis Princeps blasphemiis, & irrisione in fidem iniqua persuasione, vel persecutione prædicationem impedit, potest Ecclesia cum vi, & armis comprimere, sic communi omnium sententia, quos superfluum est recensere, & constat ex pluribus decretis relatis 23.*q.*8. Ratio est manifesta, quia iure naturæ cuilibet est concessum iura sua defendendi, & ea quæ sibi contraria sunt, propulsandi: sed Christiana respublica habet ius à Christo Domino concessum prædicandi Euangelium omni creaturæ. Ergo habet ius defendendi hanc prædicationem, & propulsandi sibi cótraria. Aliàs concessio prædicandi Euangelium esset diminuta, & inefficax. Et in ordine ad hunc finem fuit concessio Alexand.VI. Regibus Catholicis, Ferdinando, & Elisabethæ, & Regibus Portugaliæ, Ioan.II. Diuisit namque terras infidelium Orientis, & Occidentis, & Orientis terras Regibus Portugaliæ, Occidentis Regibus Castellæ donauit: non quidem absolutè, sed conditionaliter, id est, sub conditione, si necessum fuerit ad tuendos prædicatores Euangelij, & fidem Catholicam, & ibi conuersos defendendos, quod bene notauit Victor. *relect.*1. *super cap.vlt. Matth. de titulis quibus barbari potuerint venire in ditionem Hispan. num.*12. *cum seq.* Gregorius Lopez *l.*2. *gloss.* 3. *col.* 6. *in princ. & col.*13. *à vers. quarta conclusio, tit.*23. *part.*2. Cardin. Bellarmin. *controuers.* 3. *generali, lib.*5.*de Romano Pontifice, cap.*2. *ad finem.* Qua diuisione facta non possunt Principes Portugaliæ etiam sub titulo defendendi fidem, terram hoc titulo concessam Castellæ Principibus occupare. Quia Princeps sæcularis in tantum habet potestatem defendendi fidem, quatenus nomine Ecclesiæ illi censeatur concessa; cùm autem non ipsis, sed aliis concessa sit, ipsi non se possunt intromittere. Adde hanc diuisionem esse fidei Catholicæ dilatationi conuenientissimam; quia quilibet Rex suam terram, vt propriam respiciet, & curam illius aget. Item de medio tollitur occasio turbationis, & belli, quæ inter diuersos Principes oriri solet, quando eamdem terram, & eodem iure prætendunt. Quocirca nemini licet hanc diuisionem, & concessionem infringere: & ita latè probat August.Barbosa 1.*part.de potest. Episc.tit.*3.*cap.*2.*à num.*44.*pag.*240.attigit Suarez *de fide, disp.*18.*sect.*1.*num.*7.

7 Sed quid si Princeps, & regnum resistunt prædicationi, non blasphemiis, & irrisione in fidem, neque iniqua persuasione, aut prædicatione, sed solùm non permittendo prædicatores in suis terris commorari; poterítne tunc Ecclesia vi, & armis compellere hunc Principem, & regnum, vt prædicatores admittat, & ibi securè eos retineat, vt possint prædicare Euangelium audire volentibus? Ratio difficultatis est, quia liberum esse videtur cuilibet Principi in sua ditione habitationem exteris concedere, vel interdicere. Ergo non infert Christianæ reipublicæ iniuriam propulsando prædicatores. Deinde Ecclesia non habet potestatem prædicandi Euangelium nolentibus: non enim, vt iam diximus, potest cogere infideles ad eius auditum, præcipuè si sibi subditi temporaliter non sunt. Ergo neque habet potestatem, vt eius prædicatores in terris nolentibus audire prædicationem commorentur, quia solùm ratione prædicationis hæc commoratio, & habitatio competere illis poterat.

8 Nihilominus dicendum est, moraliter loquendo, posse Ecclesiam vi, & armis compellere infidelem Principem, vt permittat prædicatores Euangelij ibi commorari, & prædicare, si aliqui sint, qui audire velint. sic docet expressè Suar.*de fide, disp.*18.*sect.*2.*circa fin.* Probo, quia licèt Princeps habeat potestatem interdicendi habitationem in suis terris cuilibet alienigenæ; debet esse ex causa iusta: at hæc non est, quia alienigena legem Euangelicam profitetur, illámque prædicare intendit; quia in hoc non peccat, neque aduersùs Deum, neque regnum. Secundò expellere prædicatorem à regno, vel auditum interdicere, eo solùm, quia prædicare intendit, est iniuria fidei, & specialis illius contemptus.

Ergo hanc iniuriam propulsare Ecclesia poterit. Tertiò, moraliter loquendo, in toto regno deesse non potest, qui voluntariè audiat Euangelium, si sit qui prædicet, quo fructu priuatur omnino expulsis prædicatoribus. Ergo in defensionem huius fructus, & in fauorem innocentis, qui sic priuatur, potest Ecclesia Principem impedientem debellare. Neque inde fit aliquem nolentem cogi ad audiendam fidem, quia non cogit Ecclesia Principem nolentem audire, vt audiat, sed solùm cogit, ne viam præcludat audire volentibus. Quod Ecclesiæ videtur concessum, concessa potestate prædicandi: & ita tenet Suarez *disput.* 18. *de fide, sect.* 2. *circa finem.*

9 Secundò inquires, an Ecclesiæ liceat, cùm mittit prædicatores, omnem securitatem illis apponere, ne illis irrogetur iniuria, ita vt si necesse sit, eos mittere exercitu comitatos, possit id facere, etsi necesse sit ædificare turres circa confines prouinciarum, vt securiùs, & faciliùs inde possint prædicatores mitti, possit id præstare? Videtur hoc licitum esse, quia cuilibet licitum est se, & sua defendere. Et quidem si in præcisa defensione sistitur, credo hoc licitum esse; neque enim video, vnde per se illicitum esse possit: imò videtur hoc conueniens, vt impediatur, quoad fieri possit innocentis iniuria, & irreuerentia religionis Christianæ. Verùm ex accidenti, & ratione scandali existimo illicitam esse supradictam securitatem; quia meritò timere possunt infideles videntes prædicatores ita munitos ab illis debellandos esse, nisi prædicationem audiant, illique assentiantur: ac proinde auditionem, & receptionem fidei illis esse coactam, & non voluntariam. Quocirca prædicatores imitatores Christi, & sacrorum Apostolorum, non strepitu armorum, & potentia mundana; sed potiùs humilitate, mansuetudine, & patientia vestiti prædicationem suscipere debent: si autem infideles iis pacis signis abusi fuerint, & prædicationem repulerint, prædicatorésque dehonestauerint; tunc poterit Ecclesia pro suo iure defendendo exercitum mittere, & infideles subiugare, in quantum opus fuerit pro defensione fidei, eiúsque ministris; imò, vt placet doctissimo Francisco Suarez *disput.* 18. *sect.* 1. *circa finem*, quantum opus fuerit ad iustam vindictam sumendam de iniuria Ecclesiæ irrogata, vt sic alij Principes infideles coërceantur, & similes tyrannides exercere vereantur.

10 Ratio dubitandi in principio posita ex dictis manet soluta; sed, vt clariùs constet, respondeo potestatem prædicandi Euangelium, optimè exerceri posse absque potestate cogendi ad eius auditum, quia potest exerceri in volentes, & non repugnantes: sicuti simplici Sacerdoti potest Pontifex committere facultatem sacramenti ministrandi cuilibet petenti administrationem: non tamen inde sequitur posse quemlibet cogere, vt ab ipso sacramenta recipiat. Bene tamen ex hac potestate sequitur posse comprimere quemlibet, qui vsum talis potestatis impedire attentauerit: sic in præsenti dicendum est.

Ad primam confirmationem nego ea solùm ratione posse Ecclesiam cogere quemlibet ad confitenda peccata, quia Christus Dominus dedit potestatem Sacerdotibus illa remittendi. Sed quia simul dedit potestatem illa retinendi, & cùm omnes teneantur illam retentionem impedire, consequenter tenentur absolutionem procurare: atque adeò potest Ecclesia ex hac potestate quemlibet ad confessionem cogere. Adde hanc potestatem remittendi peccata versari circa subditos Ecclesiæ, secus potestas prædicandi Euangelium. Vnde non est mirum, quòd ex potestate remittendi peccata possit Ecclesia quemlibet ad confessionem cogere; quia cogit sibi subditum, & non possit ex potestate prædicandi Euangelium cogere quemlibet infidelem ad illius auditum; quia infidelis non est sibi subditus.

Ad secundam confirmationem dico Ecclesiam habere potestatem comprimendi impedientes Euangelij prædicationem: sed qui præcisè non vult audire, non impedit prædicationem; quia neque illam impedit respectu aliorum; non enim tollit, quin aliis volentibus prædicetur: neque etiam impedit respectu sui, cùm liberum illi sit beneficium prædicationis recipere; aliàs omnes nolentes recipere à Rege beneficia, dicerentur impedire illius potestatem, quod est absurdum. Et ratio omnium est, quia, vt bene notauit Valent. 2.2. *disput.* 1. *quæst.* 10. *punct.* 6. *circa finem*, tunc dicitur alicui rei impedimentum apponi, quando alioqui suppetunt omnia requisita ad illam; at cessante voluntario auditore, cessat requisitum ad prædicationem, ideóque sola voluntate impedimentum esse non potest.

Pvnctvm VI.

Compellíne possit infidelis ad recipiendam fidem.

1 *Hæreticus tametsi per iniuriam baptizatus sit, compelli potest ad fidem.*
2 *Proponitur dubitandi ratio, de quolibet infideli, postquam ei fides sufficienter est proposita.*
3 *Certum est cogi non posse.*
4 *Qua ratione indirectè possit Ecclesia, & Princeps sibi subditos infideles ad fidem cogere.*
5 *Satisfit rationibus num. 2. adductis.*

1 Certum omnino est infidelem hæreticum, qualis est, qui suscepto Baptismo, à fide defecit, posse compelli grauibus pœnis, & suppliciis, vt erroribus expulsis ad fidem redeat: constat ex Ecclesiæ consuetudine satis declarata in legibus ciuilibus, & Ecclesiasticis, *toto tit. de hæreticis*, & fusè etiam ostendit Augustinus *epist.* 40. & 50. Alphons. à Castro *de iusta hæretic. punit.* Simancas *de catholic. institut.* Rojas, Penna, & alij aduersùs hæreticos scribentes. Et ratio est manifesta. nam per Baptismum subiicitur quis Ecclesiæ, & protestatur sub illius fide, & obedientia perpetuò manere. Ergo penes Ecclesiam debet esse potestas continendi sic subiectos in tali fide, & pro missione. Ergo debet esse potestas corrigendi, & puniendi eos, si noluerint contineri: aliàs diminuta, & inefficax esset potestas Ecclesiæ concessa, quod non est dicendum. Et hæc doctrina vera est, etiamsi per iniuriam hæreticus baptizatus fuerit. Nam si verè baptizatus fuit, verè subditus mansit Ecclesiæ, & obligationem contraxit fidem seruandi. Ergo si deficiat, comprimi, & compelli poterit ab Ecclesia, tamquam ab eius superiore. sic docuit Coninch *disp.* 18. *dub.* 14. *num.* 224. ex Concilio Tolet. IV. *can.* 55. & Ecclesiæ praxi.

2 Quocirca solùm est difficultas de infideli non baptizato; an, inquam, cogi possit ad fidem? Pro quo reuocanda est in memoriam distinctio suprà posita de infideli subiecto Ecclesiæ, & non subiecto: & de vtrisque videtur ad fidem recipiendam compelli posse. Nam ante propositionem sufficienter factam, clarum est nullam illis posse obligationem imponi recipiendi fidem; siquidem neque ipsi tenentur illam recipere. Posita autem propositione sufficienti iam adstringuntur fidem recipere. Ergo & cogi poterunt ab Ecclesia ad illius receptionem. Probo hanc consequentiam. Primò, quia hæc coactio cedit in magnam eorum vtilitatem; siquidem ratione illius suscipiunt medium illis ad salutẽ necessarium. Deinde cedit in magnum fidei bonũ, & augmentum: tum quia ipsi saltem in exteriori Foro, vt Catholici

se gerant, eorum etiam filij baptizantur, & decursu temporis successores verè fideles existunt: quæ omnia cessant, si hæc coactio non admittitur; ergo est admittenda. Secundò sanctissimi Principes compulerunt infideles ad fidem,& eorum compulsio laudatur, vt constat ex Concilio Tolet. IV. *cap.* 56. de Rege Sisebuto, qui Religiosissimus appellatur, eo quòd Iudæos ad fidem suscipiendam compulerat. Idem de Regibus Catholicis Ferdinando,& Elisabetha dicitur. Quapropter Gregorius *lib.* 3. *epist.* 26. & refertur *in cap. iam verò*, 23. q. 4. præcepit Episcopo Calaritano tanto pensionis onere grauare sibi subditos infideles, vt pœna compellantur ad fidem. *& in l. qui post sanctam, C. de paganis, §. si verò*, iubentur confiscari bona paganorum nolentium baptizari, *& l. Cœlicolarum, C. de Iudæis, & Cœlicolis*, adstringuntur Cœlicolæ, qui videntur esse pagani, eisdem pœnis, ac hæretici, si fidem non recipiant. Adde *l. nemo, C. de paganis*, vbi Constantinus, & Theodosius religiosissimi Principes prohibuerunt paganis suorum deorum cultum,& antiquæ religionis exercitium. Ergo tacitè compellebant suscipere nostram religionem, quia sine religione esse non poterant. Tertiò Christus Dominus sub nomine Regis inuitãtis aduenam, dixit compellendos esse intrare ad Ecclesiam eos, qui in viis, & plateis sedebant, hoc est, extra eam. Ergo non est aliena à consilio, & mandato Christi hæc compulsio. Quartò terroribus, & minis sæpè Deus mouet ad recipiendam fidem, vt contingit in Paulo, qui tremens, & stupens dixit Domino, *Quid me vis facere.* Ergo licitum erit Principibus Ecclesiæ ad fidem infideles hoc modo trahere. Quintò si aliqua ratione Ecclesia non posset hos infideles ad fidem compellere, est, quia fides debet suscipi voluntariè, vt dixit D. Thomas; sed hæc coactio non tollit voluntatem, aliàs neque in hæreticis esset licita. Ergo. Sextò ad Ecclesiam pertinet reparare iniuriam fidei factam, & iniuriantes comprimere: sed nolens fidem suscipere, quando illi sufficienter est proposita, iniuriam fidei facit, siquidem illam contemnit, & quasi blasphemat. Ergo ad Ecclesiam pertinet eius audaciam comprimere: & specialiter de subditis infidelibus probatur; quia ad superiorem non solùm pertinet procurare in sibi subditis obseruantiam suarum legum, sed etiam legis diuinæ, & naturalis: at lege diuina tenentur ij infideles, fidem suscipere, cùm sufficienter illis proposita sit. Ergo ad eorum superiorem pertinet procurare, vt hoc obseruetur. Septimò penes aliquem debet esse potestas puniendi hoc delictum, quod in desertione fidei rectè propositæ committitur. Sed non apparet penes quem sit, nisi penes Ecclesiasticos Prælatos. Ergo ij possunt sic rebelles punire, & media punitione ad fidem recipiendam cogere. Propter hæc Maior *in* 2. *distinct.* 44. *quæst.* 2. & quidam Genesius Sepulueda Caroli V. Chronista sentit posse infideles etiam non subditos cogi ad suscipiendam fidem. Sotus verò *in* 4. *distinct.* 4. *quæst. vlt.* id de subditis infidelibus affirmat: consentit Gabr. *in eadem distinct. quæst.* 2. *dub.* 5. *fine.* Alphons. à Castro *lib.* 2. *de iusta hæreticorum punitione, cap.* 14. & Lorca 2. 2. *quæst.* 10. *disput.* 36. spectato iure naturæ hoc reputat probabile, esto ex iure positiuo tenendum non sit, & Malder. *illa quæst.* 10. *art.* 8. *post* 4. *conclus.* docet primò cogi posse ad fidem veram, qui sub nomine Christiano viuunt, etiamsi baptizati non sint. Secundò filios eorum, qui baptizati sunt, posse ad suscipiendum baptismum compelli, si sunt sub patria potestate; si extrà, moderata pœna, nempe exilio, aut carcere moderato.

3 Cæterùm existimo nullum infidelem, qui baptizatus non sit, cogi posse à suo Principe, nec minis, nec terroribus, nec bonorum direptione, nec alio modo coactionis, fidem sibi propositam sufficienter suscipere, est communis sententia cum D. Thom. 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 8. Caietanus, Pesantius, Turrianus *ibidem.* Valent. *punct.* 6. Suarez *disput.* 18. *sect.* 3. *num.* 4. Coninch *disp.* 18. *dub.* 14. *conclus.* 4. constat ex *cap. sicut Iudæi, de Iudæis, & Sarracenis, cap. qui sincera, cap. de Iudæis, distinct.* 45. in quibus non tam est noua prohibitio, quàm declaratio prohibitionis diuinæ: siquidem *in cap. maiores, de Baptismo*, dicitur esse contra Christianam religionem hos infideles cogere ad fidem suscipiendam, & in Concil. Tolet. IV. *cap.* 55. dicitur esse contra vsum,& institutionem sacrorum Apostolorum,& certè id satis colligitur ex vsu, & praxi Ecclesiæ perpetuò obseruata, quæ nunquam infideles compulit ad fidem, vi,& armis, sed patientia, humilitate, & mansuetudine: iuxta illud Lucæ 10. *Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos, nolite portare saccum, neque virgam, neque peram*, &c. quæ optimè expendit Ambrosius *lib.* 7. *in Lucam*; non enim, vt dixit Paulus 2. *ad Corinth.* arma nostræ militiæ sunt carnalia, sed spiritualia, hoc est, virtutes, non lignum, & ferrum. Ratione euidẽti probatur. Coactio esse non potest sine iurisdictione: at neque Ecclesia, neque Principes sæculares iurisdictionem vllam habent in non baptizatos, vt eos possint ad fidem compellere. Ergo nullo modo compelli possunt. Conclusio est legitima. Maior huius discursus est per se nota, siquidem omnis coactio iusta, de qua loquimur, in iurisdictione, & potestate fundatur. Minor autem probatur, & primò de Ecclesia; hæc enim solùm habet iurisdictionem ex concessione Christi, Christus autem Dominus solùm concessit iurisdictionem Petro circa illos, qui in Ecclesiam ingressi fuerint; dixit enim, *Pasce oues meas.* Supponuntur ergo priùs esse oues, vt sic possint à Petro pasci. Quapropter dixit Paulus 1. Corinth. 5. *Quid enim mihi de his, qui foris sunt, Dominus iudicabit*; quasi diceret, ad me non pertinent, Domino enim reseruantur: cui consonat Innocentius III. *in cap. maiores, de Baptismo, & in cap. gaudemus, de diuortijs*, & Trident. *sess.* 14. *cap.* 2. vbi inquit: *Ecclesia in neminem iudicium exercet, qui prius per Baptismum non fuerit ingressus*; cùm autem hi infideles supponuntur foris esse, nullo modo Ecclesia in illos habet iurisdictionem. Ergo neque potest illos cogere. Quòd autem neque Principes sæculares, quibus ij infideles subduntur, possint ad fidem compellere, probo: nam tota potestas horum Principum, vtpotè immediatè ab hominibus, est politica, & naturalis, & ordinata ad finem naturalem, qualis est recta reipublicæ administratio,& conseruatio; sed susceptio fidei est quid supernaturale ad finem beatitudinis æternæ ordinata. Ergo non est in potestate horum Principum subditos ad hanc fidem compellere. Item Princeps Christianus, & Gentilis eadem in suos subditos gaudet potestate; at Gentilis Princeps ad fidem non potest subditos compellere; ergo neque Christianus. Deinde, neque Ecclesia, neque Princeps sæcularis potest punire hos infideles, quia fidei sufficienter propositæ non assentiantur. Ergo neque potest illos compellere. Consequentia videtur legitima, tum quia diminuta, & inefficax esset compulsio sine potestate puniendi. Tum quia iure ipso naturali sequitur, cui est concessa potestas præceptiua in supremo ordine, esse simul concessam potestatem punitiuam. Tum denique, quia ideo hæreticos, & à fide deficientes potest Ecclesia compellere, quia ipsos punire potest. Quòd ergo neque Ecclesia, neque Princeps sæcularis, possit hos infideles propter infidelitatis peccatum punire, sic probo; quia illud peccatum non est alicuius Ecclesiæ subiecti. Ergo Ecclesia in illud non habet potestatem. Neque etiam est aduersùs legem Principis sæcularis, neque Princeps sæcularis de illo iudicare potest, quia est de materia aliena ab eius iurisdictione. Ergo.

4 Verùm etsi Ecclesia, aut Princeps sæcularis non possit infideles sibi subditos ad fidem cogere directè; at

at indirectè cogere potest, primò imponendo eis tributa grauiora, sed alias licita, dum non conuertuntur, vt fecit Gregorius *lib.3. epist.26.* relatus *in cap. iam verò*, 23. *quæst.6. & lib.4. epist.6.* Dixi aliàs licita; quia non potest Princeps hac de causa grauiora onera imponere subditis, quæ aliàs imponere non poterat, esset enim tunc directa coactio. Secundò indirectè cogere potest, si eorum conuersatio fidelibus nocet, quia tunc poterunt expelli, ni conuertantur. Tertiò potest compellere non permittendo illis vsum officij publici,& honoris. Quartò non permittendo eis, si aduenæ sunt, aut bello capti, in suo regno habitare, nisi ad fidem conuertantur, quia habet ius non concedendi eis habitationem. Quintò negando eis priuilegia, & gratias, quæ liberè aliis concedit. Sextò prohibendo eis vsum suæ religionis, vtpote naturæ rationali contrarium, & aptum rempublicam turbare; hæc enim omnia iudicantur indirecta coactio ad fidem. Quia à Principe ordinantur ad illius susceptionem, ad quam per se ordinata non sunt. Est tamen licita, quia non assumuntur media, quæ secluso tali fine assumi non possent: & ita tenet Valent. *disput.1. quæst.10. punct.6. circa pag.391. versic. at eadem ratione.* Suarez *disput.18. sect.3. num.8.* Coninch *disput.18. dub.14. num.238.* Becanus *cap.13. quæst.4. num.4.* Bonacina *disput.3. quæst.2. de fide, punct.7. num.3.*

5 Restat argumentis *num.2.* factis satisfacere.

Ad primum dico, etsi omnia illa conuenientia sequantur ex coactione directa ad fidem; non tamen debet admitti, quia non sunt facienda mala, vt indè eueniant bona. Adde plurima etiam inconuenientia sequi ex coactione, scilicet simulatè conuerti, & fidem reddi exosam, & suspectam tyrannidis, & non posse alia via in mundum introduci.

Ad secundum concedo laudari Principes compellentes sibi subditos recipere fidem, non coactione directa, sed indirecta, & aliàs licita, vt explicuimus: & sic credendus est fecisse Sisebutus Rex; & præcipuè Catholicissimi Reges Ferdinandus, & Elisabetha, cùm Iudæos, & Sarracenos ex Castella exterminarunt, cognouerunt namque eorum conuersationem aliis fidelibus nocere, & puritatē nostræ fidei non posse in suo regno, illis ibidem habitantibus, conseruari: & ob huiusmodi rectum finem expulsio facta est, prætetquam quòd bello iusto superati sunt, & tanquam captiui expelli poterant. Quòd si aliquando Christianus Princeps plus iusto compulit infideles ad fidem, vt de Rege Sisebuto aliqui dicunt, parcendum est, vtpote qui zelo religionis ducebatur, & ita explicanda est *lex, qui post sanctum.* Adde fortè confiscationem illam bonorum ob aliqua delicta deberi, & Imperatorem præcipere, vt sic mandetur executioni, nisi infideles ad fidem conuertantur. In quo casu solùm est indirecta coactio, & sic intelligendum est, quod de Cœlicolis dicitur, & aliis paganis, suis enim factis, & sceleribus contra naturam, ita rempublicam turbabāt, vt meritò potuerit Imperator eos pœnis hæreticorum punire; nisi desertis illis vitiis, & erroribus ad fidem conuerterentur. Adde Cœlicolas verè baptizatos esse, vt constat ex Augustin. *epist.163. circa finem.* Ad idem est, quod de Constant. & Theodosio dicitur: licitum namque illis fuit prohibere suis subditis cultum, & venerationem falsorum deorum, vtpote contra naturam: neque obinde illos cogebant directè fidem suscipere, quia sine susceptione illius viuere poterant, colendo priuatim vnum Deum, & interiùs credendo, quod sibi placuisset.

Ad tertium ex illis verbis Lucæ 14. *Compelle intrare*; de solis hæreticis id intelligit Augustin. *epist.48. & 50.* qui coactione directa cogi possunt, vtpote Ecclesiæ subditi. Si autem de infidelibus non baptizatis intelligatur, vt intelligit Chrysostom. ibi, dicendum est illos compellendos esse ad fidem in fine mundi, vt numerum prædestinatorum impleatur, non vi, & potentia, sed signis, & miraculis, & efficacia prædicationis, quomodo fuit vsus Deus in Paulo conuertendo. Adde Paulum, & reliquos esse Deo omnino subiectos, ac proinde posse à Deo, prout sibi placitum fuerit, compelli, præcipuè cùm metum incutiens possit simul inclinare cor hominis, vt fidem liberè suscipiat, quamuis à metu excitatus: & per hæc patet ad quartum.

Ad quintum constat ex dictis, quare coactio directa licita non sit, quia non est ab habente potestatem.

Ad sextum concedo ad Ecclesiam pertinere blasphemantes, & iniuriantes fidem, positiua iniuria, & blasphemia comprimere; secus verò nolentes fidem recipere: ij enim propriè non dicuntur fidem blasphemare.

Ad septimum non omnia delicta ab hominibus punienda sunt, aliqua Deo reseruantur; & vnum ex illis est, infidelitas illorum, qui Baptismum non susceperunt.

Ad vltimum dico pertinere ad quemlibet superiorem procurare, vt subditi obseruent leges naturales, & diuinas respicientes finem naturalem: nego tamen pertinere ad superiorem quemlibet procurare, vt eius subditi obseruent leges supernaturales, & diuinas, nisi talis potestas à Deo authore supernaturali eis data sit. At constat ex dictis neque Ecclesiæ, neque sæcularibus Principibus datam esse potestatem circa infideles non baptizatos in ordine ad suscipiendam fidem. Ergo.

PVNCTVM VII.

An infideles cogi possint, & debeant, vt errores deponant, & falsum cultum relinquant.

1 *Infidelem non subditum sola lege charitatis tenetur Princeps, & Ecclesia ab errore remouere; at subditum specialiter tenetur.*
2 *Si errores infidelium contrarij non sint rationi naturali, sed solum nostræ fidei, non possunt à Principe cogi, vt illos deserant.*
3 *Princeps Christianus possitne cogere infideles non subditos, errores rationi naturali contrarios deserere, & ob hanc causam oppugnare? Proponitur difficultas.*
4 *Statuitur nequaquam id fieri posse.*
5 *Excipiuntur peccata directè nociua nostræ fidei, & religioni.*
6 *Satisfit argum. num.3. adductis.*

1 NOn est sermo de infidelibus baptizatis; hos enim clarum est posse, & debere cogi errores deponere, & falsum cultum, si assumant, relinquere. Solum est dubium de infidelibus non baptizatis, tam de subiectis Ecclesię, & Christiano Principi, quàm de non subiectis. Et quidem si infideles non sint subditi temporaliter Ecclesiæ, vel Christiano Principi, non obligatur specialiter Ecclesia, nec Christianus Princeps procurare, vt errores deponant, quia sibi specialiter commissi non sunt; obligantur tamen lege charitatis, eo modo, quo vnusquisque obligatur ad salutem alterius procurandam. Si autem infideles subditi sunt Christiano Principi, vel temporaliter Ecclesiæ, sicuti Iudæi Romæ commorantes subduntur Pontifici: tunc obligatur Ecclesia, seu Christianus Princeps eos ab erroribus rationi naturali contrariis, & à falso cultu, & superstitione deorum remouere: sic D.Thom. 2.2. *q.10. art.10. & 11.* & ibi eius expositores. Bannes *dub.2.* Coninch *disput.18. dub.12. conclus.2.* Suarez *disp.18. sect.4. num.9.* Valent.

Valent. *disp.* 1. *quæst.* 10. *punct.* 7. *post princ.* Ratio est clara, quia superiori competit gubernare subditos, vt secundùm rationem viuant; viuere autem non possunt secundùm rationem, nisi ea, quæ rationi naturali obstant, relinquant. Ergo superior ex suo munere obligatur procurare, vt subditi ea deserant: atqui colere falsos deos, fornicari, furari, occidere, sunt contra rationem naturalem, vt de se constat. Ergo obligatur Princeps, ea à suis subditis tollere. Adde potestatem gubernandi datam esse à Deo hominibus, vt finem naturalem consequantur, qui est viuere secundùm virtutem, & rectam rationem. Ergo ex illa potestate sequitur posse dirigere subditos, vt sic viuant, & omnia contraria coërcere. Hæ rationes probant de quocumque Principe tam fideli, quàm infideli posse, & debere suis subditis prohibere, quæ rationi naturali contraria sunt, eáque sic admissa punire. Verùm ab hac obligatione aliquando Princeps eximitur, scilicet cùm timet rempublicam perturbandam esse, infideles à conuersione esse retrahendos, & grauiora mala inde oritura esse, iuxta illud *Matth.* 13. vbi volentibus seruis eradicare zizania, paterfamilias non consensit, ne fortè eradicetur simul & triticum, prudentis enim est ex duobus malis, quorum alterum euitari non potest, minus eligere. sic D. Thomas communiter receptus 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 11. & ibi Caietan. Bannes *dub.* 2. *conclus.* 1. Valent. *punct.* 7. *in princ.* Coninch *disput.* 18. *dub.* 12. *num.* 194. Suarez *disput.* 18. *sect.* 4. *num.* 9. & tradit August. relatus *in cap. cùm quisque,* 23. *quæst.* 4.

2 Quòd si ritus horum infidelium rationi naturali contrarij non sint, sed solùm sunt contrarij nostræ fidei, eiúsque præceptis, quales sunt ritus Iudæorum, & multi Sarracenorum vnum Deum colentium, existimo nulla ratione cogi posse à suis Principibus ea deserere. Quia potestas Principis solùm extenditur ad gubernandos subditos, vt secundùm rationem viuant: at ij ritus contrarij non sunt naturali rationi. Ergo non extenditur eius potestas ad eos prohibendos.

Dices ad Principem pertinere, vt omnes eius subditi vniformiter viuant; quia sic pax, & iustitia reipublicæ necessaria conseruabitur, secus turbationi erit exposita. Ergo ad Principem Christianum pertinet omnem diuersitatem cultus, & religionis à suis subditis remouere?

Respondeo, si Princeps probabiliter timet ex tolerantia, & permissione cæremoniarum, & rituum infidelium fideles esse inficiandos, & rempublicam perturbandam, tunc, inquam, poterit, & debebit prohibere infidelibus vsum suorum rituum, non quia ipsi mali sint, sed quia occasionem perturbationis præbent. Hæc tamen non est coactio directa, sed indirecta, quia fit in defensionem religionis veræ, & præcipuæ partis reipublicæ, & tradit Coninch *num.* 194. Quocirca licèt ritus Iudæorum Ecclesia in suis subditis Iudæis permittat, vt ex vsu, & praxi constat, & tradit Gregor. *lib.* 1. *epist.* 34. *& lib.* 11. *epist.* 15. & D. Thom. *illo art.* 11. & Augustinus *lib.* 18. *de ciuit. cap.* 46. hoc intelligendum est, cùm non fiunt cum scandalo fidelium, vt habetur *cap.* 3. *&* 7. *de Iudæis.* Et quia hoc scandalum sæpe Ecclesia timet, si Iudæis liberum vsum suæ religionis concederet; ideo eos à multis prouinciis expulit, & in illis, in quibus tolerantur, prohibet nouas Synagogas extruere; vel illas Ecclesiis Christianorum habere vicinas, signúmque portare, quo à Christianis distinguantur: & in die Parasceue non debent in publicum progredi, neque tenere ostia, vel fenestras apertas, quæ, & alia habentur *in tit. de Iudæis, cap. Iudæi, cap. quia, cap. consuluit, cap. in nonnullis.* & tradit Gregor. *lib.* 7. *epist.* 58. *& lib.* 12. *epist.* 18. & aliis in locis.

3 Difficultas ergo est de infidelibus Ecclesiæ, vel Principi Christiano non subiectis, an possit Ecclesia, vel Princeps Christianus eos cogere, ne idololatriam, & alia contraria rationi naturali exerceant, & inobedientes punire, & regno, si opus fuerit, priuare? Ratio difficultatis est primò ex Scriptura, *Ecclesiast.* 10. vbi habetur propter iniustitias, iniurias, contumelias, & diuersos dolos transfertur regnum de gente in gentem. Ergo eo ipso priuantur iniusti regno, & ad iustos, & fideles transfertur, ac proinde tanquam rem propriam, & à Deo concessam sibi vsurpari possunt. Et confirmari potest exemplo Israëlitici populi, cui Deus concessit barbaras nationes debellare, & terram promissionis possidere: neque videtur adesse alia causa præter idololatriam illarum gentium, vt constat *Deuteronom.* 12. vbi, *Subuertite omnia loca, in quibus coluerunt gentes, quas possessuri estis.* Secundò confirmari potest exemplo Genadi Exarchi laudati à Gregor. *lib.* 1. *Registri, epist.* 73. eo quòd bella gereret aduersùs infideles, & terram prædicationi euangelicæ recipiendæ disponeret. Secundò ij infideles Deum iniuriant, & religionem Christianam blasphemant. Ergo pro defensione fidei, & religionis cogi possunt: si enim pro defensione innocentis bellum suscipi potest, cur non pro defensione Dei, & religionis? Et confirmo. Si infidelis verba contumeliosa contra religionem nostram proferret, posset Ecclesia iniuriam sibi factam repellere, & vindicare, quia quælibet respublica perfecta ius habet se defendendi, & iniurias sibi factas vindicandi. Ergo etiam Ecclesia, quæ est respublica omnino perfecta, debet eam potestatem habere. Sed cùm infidelis idololatriam, & alia vitia contraria naturæ committit, religionem nostram ipso facto blasphemat, vt dixit D. Thomas 2. 2. *quæst.* 94. *artic.* 3. *ad* 1. Subtrahit enim Deo singularitatem dominij, & fidei præcepta negat. Ergo Ecclesia ius debet habere has iniurias propulsandi, & vindicandi. Tertiò si Ecclesia prohibere, & punire infidelibus non potest idololatriam, & peccata contra naturam, plura erunt peccata, quæ sub humanam prohibitionem, & punitionem non cadant: hoc autem videtur esse contra rectam Dei prouidentiam. Ergo. Quartò aliquæ nationes sunt ita barbaræ, vt videantur à natura constitui in seruos, & aliæ ita nobilis ingenij, vt videantur domini, & rectores esse constituti: quod dixit Philosoph. *lib.* 1. *polit. cap.* 1. ibi, *Aiunt Poëtæ Græcos barbaris dominari oportere, quòd idem sit natura barbarus, & seruus.* Ergo nullam iniustitiam committit Princeps fidelis, qui more belluino viuentes in suam potestatem redigit, ea intentione, vt ab eorum cordibus errores depellat. Et confirmatur: nam Augustinus *lib.* 5. *de ciuitate Dei, cap.* 12. *&* 17. & D. Thomas *in opuscul. de regimine Principis, lib.* 3. *cap.* 4. 5. *&* 6. laudant Romanos, quòd barbaras nationes subiugarint, & viuere secundùm rationem docuerint. Propter hæc Maior *in* 2. *distinct.* 44. *quæst.* 3. & quidam Genesius Sepulueda Caroli V. historiographus, cuius meminit Suarez, Valent. Bannes *locis allegatis*, sentiunt penes Ecclesiam esse potestatem Reges idololatras, & contra ius naturæ peccantes punire, etsi opus fuerit eorum regna occupare: consentit Antonin. 3. *part. tit.* 22. *cap.* 5. §. 8. Aluarus Pelagius *in lib. de planctu Ecclesiæ, lib.* 1. *artic.* 37. *circa medium.* Syluest. *verbo Papa, quæst.* 7. & Alphonsus à Castro *lib.* 2. *de iusta hæreticorum punitione, cap.* 14. Abbas *in cap. quod super his, de voto.* Hostiensis *ibidem.*

4 Nihilominus contraria sententia omnino tenenda est, nullo modo Principem Christianum neque authoritate sua, neque Ecclesiæ authoritate posse hos infideles sibi non subditos prohibere idololatriam, & peccata contra naturam, quæ specialiter ipsi religioni Christianæ, aut innocentibus contraria non sunt. sic D. Thomas 2. 2. *quæst.* 12. *art.* 2. asserens sub titulo infidelitatis bellum indici non posse. Bannes *quæst.* 10. *artic.* 10. *dub. vlt. conclus.* 2. Valent. *disp.* 1. *quæst.* 10. *punct.* 7. *circa*

circa medium. Torres *disp.*52. *dub.* 2. Coninch *disput.* 18. *dub.* 12. *num.* 196. Suarez *disp.* 18. *sect.* 4. *num.* 3. Victoria *relect. de Indis*, §.40. Soto *in* 4. *dist.* 5. *quæst.* 1. *art.* 10. Couarr. *reg. peccatum, part.* 2. §. 10. *num.* 2. August. Barbos. 1. *p. de potest. Episc. tit.* 3. *cap.* 2. *num.* 38. Bonacina *disp.* 2. *de restit. quæst. vlt. punct. vlt.* §. 2. *fine.*

Ratio est manifesta, quia Pontifici, qua talis est, non competit potestas gubernatiua hominum, nisi quatenus sunt membra Ecclesiæ militantis, cuius ipse caput, & pastor est, iuxta text. *in cap. vlt. de presbytero non baptizato. & cap. Dominus noster,* 56. *dist.* Sed ij infideles, qui Baptismum non susceperunt, non sunt membra Ecclesiæ militantis. Ergo in illos nullam Pontifex, qua talis est, iurisdictionem habet; ac proinde qua talis, nec prohibere, nec punire delicta horum infidelium potest; sed neque etiam potest prohibere, & punire, quatenus temporalem iurisdictionem habet, quia secundùm hanc hi infideles illi non subduntur. Ergo. Et confirmo. Ideo vnus ciuis non potest peccata alterius punire, & prohibere, quia non habet iurisdictionem temporalem in illum, sed Ecclesia, & Princeps Christianus in hos infideles nullam habet iurisdictionem. Ergo neque etiam poterit horum peccata prohibere, & punire. Aliàs Hispani possent Gallorum peccata punire, & econtra, si à propriis Principibus non puniuntur. Item si propter infidelitatem licet mouere bellum Christiano Principi aduersùs infideles, omnia plena essent bellis, & perturbationibus: nam cùm quilibet existimet suam religionem veram esse, simul etiam existimabit infidelis sibi licere bellum indicere aduersùs Christianos, eo quòd à sua religione, quæ sibi vera videtur, deflectant. Ergo dicendum est nullo modo licere Ecclesiæ, aut Christiano Principi punire, aut prohibere peccata infidelium rationi naturali contraria.

5 Verùm si peccata infidelium iniuriosa sint fidei, & religioni, & innocentibus nociua; poterit tunc Ecclesia, & Christianus Princeps in defensionem fidei, & innocentium ea propulsare; &, si opus fuerit, bella indicere, & regno sic nocentes priuare. ita Doctores statim allegandi. Ratio est clara, quia illud non tam est iurisdictionis exercitium, quàm fidei, & innocentis defensio. Ex quo fit blasphemantem contra religionem, vel aliqua vi impedientem alicuius conuersionem posse cogi ab Ecclesia, vt desistat ab iniuria, & violentia illata: imò existimo posse Ecclesiam sic iniuriantem punire, & de illo vindictam sumere. sic D.Thom. 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 8. Bannes *art.* 10. *dub. vlt.* §. *pro cuius decisione.* Valent. *p.* 7. *in fine.* Suarez *disp.* 18. *sect.* 4. *num.* 4. Coninch *disp.* 18. *dub.* 12. *conclus.* 5. & multis exornat Farinac. *de hæresi, quæst.* 178. §. 6. *num.* 132. Item poterit Ecclesia hos infideles bello oppugnare, si terras debitas Christianis occupant, neque desistunt ab iniuria inferenda, qua ratione licet Turcas oppugnare. Item si innocentibus damnum inferant, vt si carne humana vescuntur, vel homines etiam volentes diis sacrificant; debent tamen priùs moneri, si spes est fructus, vt desistant; sin minus, coërceri vi, & potentia debent. Suarez, Bannes, Coninch, Valent. *suprà.* Aduerto tamen Principem Christianum debere cessare à coactione infidelibus pro iis peccatis inferenda; cùm primùm ipsi cessant à peccato, quia tota ratio honestans hanc coactionem est defensio, non iniuriæ factæ vindicatio.

6 Restat satisfacere argumentis *num.* 4. adductis.

Ad primum admitto transferri de gente in gentem regnum propter iniustitias, non semper, sed quando Deo placet; cuius voluntas cùm nobis ignota sit, non infertur posse quemlibet regnum alterius inuadere, etsi videat Regem iniustum esse.

Ad confirmationem respondeo Israëlitas bella gessisse ex peculiari concessione Dei, qui cùm Dominus omnium sit, potuit ob peccata vnius nationis bonis, & regno priuare, & in fauorem sui populi omnia illa concedere. Adde, filij Israël, vt ex August. *serm.* 105. *de temp. t.* 10. constat, ius habebant possidendi terram Chananæorum, quia descendebant à Sem filio Noë, qui dominus illius fuit, & per vim, & potentiam Chananæi filij Chaam eam vsurpatam habebant: poterant ergo pugnare, vt rem sibi debitam recuperarent. Secunda confirmatio, in qua exemplum Genadij adducitur, non est contra nos, quia Genadius pugnauit aduersùs eos, qui terram Romano imperio subiectam occuparant, & in recuperationem illius bellum gessit; ipse verò vt Catholicus procurabat, vt simul Euangelium infidelibus prædicaretur, quod laudi tribuendum est. Adde illos, contra quos Genadius pugnauit, esse infideles, hæreticos, & Arriana peste infectos, vt constat ex Gregor. *lib.* 1. *registri, epist.* 72. & 73.

Ad secundum ex ratione petitum dico idololatriam, aliáque peccata, esse quidem blasphemiã contra Deum, & religionem, non formaliter, sed materialiter. Ob materialem autem blasphemiam, & quæ in facto consistit, non potest bellum paganis inferri, quia non est iniuria directè, & formaliter Ecclesiæ, & religioni facta: aliàs liceret omnes infideles, & paganos bello oppugnare, imò omnes peccatores, quia omnes suis factis iniuriant Deum, negando esse summum bonum. Adde, etsi verbis negaret infidelis fidem, si tamen non ostenderet se id facere in contemptum, & irrisionem religionis Christianæ, non haberet Ecclesia ius illum oppugnandi, quia illa negatio non censetur iniuria facta formaliter Ecclesiæ, sed Deo: ac proinde Ecclesia non potest illam vindicare. Neque est simile de lædente innocentem, in cuius defensionem potest iniuriantem opprimere, quia illud est, quia se defendere non potest: at Deus iniurias sibi factas defendere, & vindicare potest, quando sibi placuerit. Quare nisi ipse potestatem dederit, nullus poterit nomine illius defensionem suscipere, & iniurias illi factas vindicare.

Ad tertium nullum reputo inconueniens de facto multa manere peccata impunita ab hominibus; nego tamen non constituisse Deum, qui possent illa peccata punire, constituit enim Deus Principes, & superiores in qualibet republica, quibus competit subditos deuiantes à recta ratione continere, & punire. Quòd si de facto id non præstant, quia ipsi deuiant, per accidens est, & Deo tunc punienda relinquuntur.

Ad quartum dico nullam reperiri nationem ita barbaram, quæ aliquo modo gubernari non posset, quod si de facto reperiretur, tunc quidem subiugari posset, non titulo religionis, sed defensionis naturæ humanæ. Deinde cùm barbari dicuntur natura serui, non est intelligendum, quasi illos natura seruos constituerit, hoc enim falsum est; sed quia natura illos ad seruiendum aptos constituit. Econtra verò ingenio valentes aptissimos ad dominandum, & regendum effecit.

Ad confirmationem dico, Romanos potuisse barbaras aliquas nationes subiicere, quia iure earum dominium sibi competebat; alias tamen tyrannicè inuadebant; sed quia bonis moribus eas instrui curabant, de hoc secundo laudantur à D.Thom. & August.

PVNCTVM VIII.

Priuati ne sint infideles, vel priuari possint potestate, & dominio circa fideles.

1 *Infideles baptizati priuari possunt, & de facto priuantur dominio, & iurisdictione infideles.*

2 *Infideles Christiano principi subiecti non possunt in Christianos iurisdictionem habere.*

3 *Infidelis subditus Christiano principi priuatur dominio serui, eo ipso, quod seruus ad fidem conuertatur.*

4 Supra

4 *Supradicti infideles subditi Christiano Principi priuantur famulatu fidelium.*
5 *Filius infidelis si baptizetur, liberatur à patria potestate.*
6 *Infidelis Princeps Christiano Principi non subiectus nequaquam priuatur potestate gubernatiua in fideles.*
7 *Excipe, nisi adsit periculum peruersionis.*
8 *Quid dicendum de potestate dominatiua? Plures censent priuari infideles in seruos fideles.*
9 *Contrarium tenendum est.*
10 *Ratione periculi peruersionis, si proximum, & morale sit, poterit seruus eximi à seruitute.*
11 *Satisfit rationibus num. 8. adductis.*

1 PRæmittenda sunt in quibus Doctores conueniunt, vt inde gradum faciamus ad ea, in quibus est controuersia. Primò certum est infideles baptizatos fidem negantes posse, & de facto ab Ecclesia puniri, vt constat ex *toto titulo de hæreticis.* sunt enim Ecclesiæ subditi. Possunt ergo pro peccatis commissis puniri, & coërceri.

2 Secundò certum est, infideles in Christiano regno, seu Principi Christiano subiecti, non possunt iurisdictionem in Christianos habere. est expressa decisio Innocent. III. *in cap. cùm sit nimis, de Iudæis, & Sarracenis,* vbi præcipit grauiter argui, & puniri per Concilium prouinciale eos, qui Iudæos, & paganos publicis officiis præfecerint; & Christianos omnes abstinere à communione illius infidelis, donec officium dimiserit, & per illud acquisita in pauperes Christianos distribuerit. Idem habetur *in cap. ex speciali, eodem tit.* vbi cauetur, si eis iura regàlia vendantur, ad ea colligenda præficiendum esse Christianum non suspectum: & *in cap. nulla, distinct. 24. & cap. constituit, 17. quæst. 4.* excommunicatio ferenda imponitur committentibus hæc munera, & officia publica Iudæis: consentit *lex vlt. Iustiniani, C. de Iudæis.* Ratio est manifesta, quia Princeps Christianus, cui illi infideles subduntur, liber est in committenda hac iurisdictione, cùm nomine ipsius inferiores iudices gubernent. Ergo potest committere illis personis, quas ad rectam gubernationem aptiores esse iudicauerit, & illas excludere, quæ paci, securitati, & bono religionis ineptas, vel minus idoneas esse censet. Ergo potest ob hanc causam Iudæos, & paganos excludere à gubernatione, & officio publico. Deinde quilibet Princeps Christianus subditus est Romano Pontifici, quoad ea, quæ ad bonum fidei Pontifex expedire iudicauerit: atqui iudicauit expediens, ne in Christiano regno infidelis iurisdictionem habeat in Christianos fideles, & sic præcepit, vt constat ex allegatis text. Ergo Princeps Christianus tenetur obedire. Finis autem huius constitutionis, & præcepti fuit dignitas, & honor nostræ fidei, in cuius ignominiam cedebat, si infideles iudicio Christiani Principis assumerentur ad gubernandum alios fideles; tacitè enim iudicabatur illos aptiores esse reliquis aliis fidelibus ad gubernandum.

3 Tertiò certum est infidelem subditum Christiano Principi priuari dominio serui, siue vernaculus sit, id est, ad seruitutem natus, siue ad seruitutem emptus, eo ipso quòd ad fidem conuertatur; & emptor pretium amittit. habetur *in l. Deo nobis, C. de Episc. & cler. & l. vnic. C. ne Christianum mancipium. & cap. Iudæi, 2. de Iudæis.* Si autem seruus fidelis ab infideli ematur non ad seruitutem, sed ad mercaturam, debet intra tres menses vendi fideli, aliàs seruus liber sine pretio existet: habetur *cap. nulli Iudæo, de Iudæis, & Sarracenis.* Ratio huius constitutionis, est fauor nostræ fidei, in cuius honorem potuit Princeps Christianus suos subditos infideles reddere incapaces dominio, & potestate dominatiua seruorum fidelium: sicuti potest dominio aliarum rerum priuare, cùm ad bonum reipublicæ, & rectam illius gubernationem iudicauerit expedire.

4 Quartò certum est priuari infideles subditos Christiano Principi famulatu fidelium, eo quòd fideles prohibentur famulari iis infidelibus, præcipuè si Iudæi sint, & Sarraceni. habetur *in cap. ad hæc, cap. etsi Iudæos, de Iudæis, & Sarracenis.* vbi etiam prohibetur pluribus Christianis nutrices esse filiorum horum infidelium. consonat *l. vlt. §. vlt. C. de Episcop. & cleric.* Aduerto famulatum prohibitum *in supradicto cap. etsi Iudæos,* non extendi ad famulatum extra domum, qualis est, esse colonum, siue aduentitium, siue originarium in terris hominis infidelis; hoc enim conceditur *in supradicto cap.* quia in hac seruitute, quæ propria non est, non reperitur illa indecentia, & periculum peruersionis, ac in famulatu domestico: & ita notauit Suarez ex communi sententia, *disp. 18. sect. 5. n. 14.*

5 Quintò certum est filium infidelis, si baptizetur, liberandum esse à patria potestate, ex *cap. maiores, de Baptismo,* ne periculo peruersionis exponatur. His positis tanquam omnino certis,

Controuersia est de infidelibus Christiano Principi non subiectis. An, inquam, Ecclesia eos priuet, aut priuare possit potestate tum iurisdictionis, tum dominij in Christianos fideles?

6 Et quidem de potestate iurisdictionis videtur mihi res indubitata, infideles priuatos non esse, imò neque ab Ecclesia directè priuari posse iurisdictione, quam habent in vasallos fideles ad illos gubernandos. est communis sententia Doctorum cum D. Thom. 2. 2. *quæst. 10. art. 10.* & ibi eius expositores Soto *lib. 4. de instit. quæst. 2. art. 2.* Salmer. *Actorum 13. tract. 37. & 38.* Coninch *de fide, disput. 18. dub. 10. conclus. 1. num. 157.* Suarez *disput. 18. sect. 5. num. 3.* Valent. 2. 2. *disput. 1. quæst. 10. punct. 8. versic. si autem quæstio,* & alij apud ipsos. Ratio est clara, quia iure diuino ipsi priuati non sunt iurisdictione in subditos fideles, aliàs non consuleret Petrus illis subiici, 1. *Petri 2.* neque diceret Paul. *Roman. 13.* eis inobedientes Dei ordinationi resistere, & illis parendum esse propter conscientiam. Ex alia parte ab Ecclesia, hac potestate priuari non possunt, quia Ecclesiæ non subduntur. Ergo. Neque obstat locus Pauli 1. *ad Corinth. 6.* vbi reprehendit fideles, qui in iudicio contendunt cum alio fideli apud infidelem Principem, vbi insinuare videtur Paulus Principem infidelem iurisdictione carere: non, inquam, obstat, quia reprehensio Pauli non est, quòd apud infidelem Principem ius petatur, sed quia malitiosè petatur, & ex vindicta: quod cùm sit occasio scandali, præcipuè infidelibus, debet omnino vitari.

Dices: Etsi Ecclesiæ ij infideles non subdantur, subduntur tamen fideles. Ergo potest Ecclesia fideles sibi subditos à iurisdictione infidelis liberare ob dignitatem fidei, quam habent: in qua libertate non videtur iurisdictionem in infideles directè exercere, sed in suos subditos, tuendo eorum dignitatem, & eos à periculo peruersionis liberando.

Sed contrà est, quia si ob honorem fidei, & dignitatem fidelium, qui filij Dei sunt adoptiui, posset Ecclesia suos subditos fideles à iurisdictione magistratuum infidelium liberare, id constare deberet ex Scriptura, ex Patribus, vel Conciliis: at neque ex Scriptura, neque ex Patribus hæc libertas constat. Ergo non est asserenda, imò potiùs ex locis allegatis Scripturæ colligitur his magistratibus obediendum esse diligenter, non tamen timore pœnæ, sed propter conscientiam. Neque in hoc est aliqua indecentia, sicut non est indecentia, quòd seruus fidelis, & virtuti deditus homini prauis moribus imbuto seruiat, sed potiùs illa subiectio consona est humilitati Christianæ.

7 Ob

7 Ob periculum autem peruersionis, si verè periculum proximum, & morale est, non solùm ipsa Ecclesia, sed ipsimet fideles à iurisdictione infidelium se subtrahere possunt, si alia via non suppetit se reddendi securos, quia quilibet potest se defendere, & damnum imminens præcauere, & impedire. Item Ecclesiæ commissa est potestas continendi sibi subditos in fide, & bonis moribus. Ergo ad hunc finem necessarium est eos à iurisdictione infidelis Principis eximere, poterit id efficere. Ergo, cùm adest periculum peruersionis ex subiectione, poterit eos à subiectione eximere; quod fieri non potest, nisi priuando Principem infidelem iurisdictione. Hæc tamen potestas non est directa in infideles, sed indirecta, id est, solùm quatenus ad bonum fidelium necessaria iudicatur. Neque requiritur ad cognoscendum hoc periculum peruersionis, expectare fidelem esse peruersum; sufficit, si minis, vel importuna persuasione conetur infidelis illum peruertere; quia hæc tentatio grauis iniuria reputatur, quam meritò fidelis fugere potest, & Ecclesia illum à tali iniuria custodire. Aduertit tamen optimè Suarez *disp.* 18. *sect.* 5. *num.* 7. *&* 8. dupliciter posse fideles à potestate infidelium liberari. Primò, mutando domicilium, & transeundo ad regna Principum fidelium, & hic modus etiam absque peruersionis periculo fieri ab ipsis fidelibus potest. Quòd si ab infideli Principe hic liberationis modus impediatur, iuuare eos Ecclesia poterit, & bellum aduersùs impedientem mouere, vt ab iniuria facta desistat. Secundò, possunt fideles à potestate infidelium liberari perseuerando in regno infidelium, ex eo quòd Princeps priuetur iurisdictione. At hoc fieri non potest, nisi adsint hæ conditiones. Prima, vt adsit morale periculum, & proximum peruersionis. Secunda, vt non sit alia commodior via vitandi illud periculum. Tertia, ne ex illa priuatione sequantur grauiora mala, quæ communiter timeri debent. Nam cùm priuatio huius iurisdictionis fieri vix possit, nisi per depositionem Principis, & hæc tot malis solet esse exposita, efficitur sanè magna opus esse circumspectione in hoc remedio.

8 De potestate dominij maior est dubitatio, an Princeps infidelis priuari ea possit circa seruos fideles ob bonum, & honorem fidei? Affirmant plures cum D. Thom. 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 10. etiam in casu quo nullum sit periculum peruersionis. Lorca *ibi*, Bannes *dub. vlt. conclus.* 4. reputat probabile Valent. 2. 2. *disp.* 1. *quæst.* 10. *p.* 8. *pag.* 400. & cùm adest periculum peruersionis docet absolutè, & addit hoc periculum communiter adesse ex communicatione, & habitatione fidelis cum infideli: ideóque posse Ecclesiam eximere fidelem seruum à potestate infidelis. consentit Malder. 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 10. *conclus.* 3. *&* 4. Et primò probatur, quòd priuatio dominij fieri possit, etiamsi non adsit periculum peruersionis solùm ob fauorem fidei, quia hæc priuatio dominij non fit ab Ecclesia ex directa potestate, quam habeat in infideles, sed ex iure quod habet defendendi, & tuendi subditorum fidelium dignitatem; quæ negari non potest multum extolli, ex eo quòd susceptione fidei à seruitute liberentur. Secundò, ex conuersione vnius infidelis ad fidem altero in infidelitate permanente; dissoluitur matrimonium fauore fidei, & priuatur coniux infidelis iure acquisito, quod habebat; ergo etiam priuari poterit dominio serui infidelis, ex eo quòd ad fidem seruus conuertatur, quamuis periculum peruersionis absit. Verùm si periculum peruersionis adsit, tunc videtur necessariò concedendum, posse Ecclesiam à dominio seruitutis fidelem liberare, quia in hac libertate solùm exercetur defensio, & indirecta iurisdictio. Tertiò, quia ratione infidelitatis merentur priuari dominio in seruos fideles. Ergo executio huius meriti ab Ecclesia est facienda.

9 Cæterùm dicendum existimo, per se loquendo, & ratione fidei, non potest Ecclesia fideles à dominio infidelium liberare. sic Nauarr. *summ. cap.* 17. *num.* 103. *&* 104. supponit Molin. *de iustit. t.* 1. *disp.* 39. *vers. quartum est.* Couarr. *in reg. peccatum*, 2. *p.* §. 11. *num.* 6. Suarez *disp.* 18. *de fide sect.* 5. *num.* 10. Coninch *disp.* 18. *dub.* 10. *conclus.* 3. *&* 4. Turrian. *disp.* 52. *dub.* 1. Ratio est, quia nullibi constat à Christo concessam esse hanc potestatem; sed potiùs colligitur contrarium ex multis locis Scripturæ, vbi mandantur serui dominis suis obedire, *ad Titum* 2. *ad Ephes.* 6. 1. *Petri* 2. & alibi. Quapropter *in cap. si quis seruum*, 7. *quæst.* 4. grauiter reprehenditur suadens seruo fugam prætextu religionis; si autem liber existeret, suaderi ei poterat fuga, ipséque liberè eam arripere posset.

10 Secundò dico ratione periculi peruersionis, si sit proximum, & morale, poterit tunc seruus eximi à seruitute; sed hoc non est speciale in seruo fideli respectu infidelis, sed in quocunque seruo respectu sui domini: si enim dominus minis, vel persuasione importuna, seruum ad peccatum tentauerit pertrahere, poterit seruus ab illius dominio se eximere, & Ecclesia poterit partes illius suscipere, & sibi subditum ab imminenti damno liberare. sic supradicti Doctores. Ex præcisa tamen habitatione fidelis cum infideli, non censeo periculum peruersionis adesse ita graue, vt possit Ecclesia dominum infidelem dominio serui priuare. Nam ipse seruus non potest ob tale remotum periculum à seruitute fugere; quia non est necessaria fuga, vt se indemnem seruet. Ergo neque Ecclesia poterit fugam præcipere, quia in tantum eam præcipere potest, in quantum ad seruandum indemnem suum fidelem necessaria est. Adde grauius periculum adesse, cùm seruus fidelis virtuti deditus habitat cum domino fideli vitioso; sed si dominus ad peccatum non pertrahit suasione importuna, aut alia via iniusta, non potest seruus dominum deserere; quia illud non censetur graue periculum, cui, Deo adiuuante, succurri moraliter non possit. Ergo neque erit censendum morale periculum habitare fidelem cum infideli, si nulla adest vis, aut importuna suasio ad peccatum.

11 Rationes contrariæ non vrgent.

Ad primam admitto aliquem esse fauorem fidei, si serui fideles ob fidem receptam à seruitute liberarentur; sed dico longè maiorem esse eos non liberari, quia ex tali libertate redderetur odiosa fides infidelibus, & suspecta iniustitiæ. Item ipsi serui, vt libertatem obtinerent, fortè simulatè conuerterentur.

Ad secundam concedo matrimonium infidelium per conuersionem vnius ad fidem altero pertinaci manente dissolui ex dispensatione Christi explicata per Paul. 1. *Corinth.* 7. Nego tamen idem esse dicendum in seruitute, quia nullibi habetur Christum Dominum exemisse seruum fidelem à dominio infidelis ob fidei susceptionem.

Ad tertiam nego ob infidelitatem semper dignos esse infideles priuari dominio; sed aliquando infidelitas est purè negatiua, quæ peccatum non facit; quando autem infidelitas positiua est, & peccaminosa: tunc admitto infideles dignos esse, vt dominio priuentur, sed priuandi sunt ab eo, qui eorum fuerit superior, non ab Ecclesia, quæ nullam in illos habet directam potestatem.

PVNCTVM IX.

Quousque communicatio fidelis, cum infidelibus prohibita sit.

1 *In ritibus, & superstitioso cultu iure naturæ prohibita est talis communicatio.*

2 *Non licet Catholico infidelem admittere ad sacramentorum receptionem.*

3 Si

3 *Si fideli imminet peruersionis periculum, iure naturæ prohibita est communicatio.*
4 *Iure Ecclesiastico prohibitum est fideli admittere non baptizatum ad sacrificium Missæ, bene ad orationem.*
5 *Hæreticus denuntiatus vitandus est à fideli in quacumque communicatione, quæ necessaria non sit.*
6 *Enumerantur casus, in quibus iure Ecclesiastico videatur communicatio fidelis cum infideli prohibita.*
7 *Familiaritas cum Iudæis de se periculosa prohibetur.*
8 *Alij casus solùm prohibentur, cum iure naturæ prohibitio accedit. Excipe vnum, vel alterum.*
9 *Esus azymorum prohibetur, si fiat ritu Iudaico, & non aliter.*
10 *Non licet Iudæum, vel Sarracenum ad medendum vocare, nisi vrgente necessitate.*
11 *Item neque medicinas ab ipso applicitas recipere.*
12 *Ingressus in balneum cum Iudæo, qua ratione prohibeatur.*
13 *Quid de conuiuijs.*
14 *Nutrire filios Iudæorum extra illorum domus non videtur prohibitum.*
15 *Quid de famulatu.*
16 *Non licet Christiano Iudæos hæredes, vel legatarios facere.*
17 *Quando sit peccatum mortale in supradictis casibus communicatio.*
18 *Supradictæ prohibitiones de solis Iudæis intelliguntur, vt probabilius reputo.*
19 *Quis possit in supradictorum casuum prohibitione dispensare.*

1 DVplex esse potest communicatio, alia in rebus diuinis, alia in humanis, & politicis. Item potest esse communicatio fidelis, cum infideli baptizato, & Ecclesiæ subdito, vel cum infideli non baptizato. Ac denique prohibitio esse potest iure diuino, & naturali, vel solùm iure Ecclesiastico.

Primò certum est iure diuino, & naturali prohibitam esse communionem fidelis cum infidelibus in suis ritibus, & superstitioso cultu. v.g. sacrificando, orando, & alia efficiendo, quæ ipsi infideles præstant. Ratio est clara, quia cùm talis cultus intrinsecè malus sit, nequit vlla ratione honestari; aliàs idololatria externa honestari posset. An verò si eius sacrificiis, & orationibus interfis, censearis cum illis communicare, & quando te à peccato excusare potes, diximus suprà, cùm de confessione externa fidei loqueremur. Item an sit cooperatio, & communicatio ad superstitiosum cultum vendere animalia sacrificanda Iudæo, vel Gentili, dicemus in disp. de scandalo.

2 Secundò certum non est licere Catholico admittere infidelem ad sacramentorũ participationem, quia est incapax illorum fructus, quòd si infidelis se per vim ingerat, poterit Ecclesia eum tanquam iniuriosum religioni repellere, & punire. Ex quo fit non licere fideli cum infideli matrimonium contrahere, non solùm ob periculum peruersionis; sed etiam ob reuerentiam sacramenti, quod non potest vnus recipere, alio non recipiente.

3 Tertiò certum est iure diuino, & naturali prohibitam esse fideli communicationem cum infidelibus quibuscumque, si ex tali communicatione imminet peruersionis periculum; quia quilibet tenetur saluti suæ consulere, quod non censetur facere, quando periculosa, & nociua non vitat. sic D. Thomas 2. 2. *quæst.* 10. *artic.* 9. ab omnibus receptus. Hoc autem periculum ex communicatione frequenti, & diuturna semper timeri potest, præcipuè si Catholici simpliciores sint, & communicatio fit cum Iudæis, vel hæreticis, qui nullam occasionem omittunt fideles animas peruertendi, vt bene relato Cypriano, Athanasio, & Irenæo ponderauit Coninch *disput.* 18. *de fide, dub.* 11. *n.* 173.

4 Quartò certum est iure Ecclesiastico prohibitum esse fideli admittere infidelem non baptizatum ad sacrificium Missæ, iuxta textum *in cap. Episcopus, de consecrat. distinct.* 1. bene tamen ad orationes priuatas, ad concionem, & ad alia quæ Missæ Catechumenorum vocantur, vt constat ex supradicto text. Si autem ex admissione ad sacrificium speraretur fructus aliquis specialis, vt eius, vel alterius conuersio; tunc admitti posset infidelis non nominatim excommunicatus. Ægid. Coninch *disp.* 18. *dub.* 11. *n.* 164.

5 Quintò certum est iure Ecclesiastico infidelem hæreticum, si denuntiatus sit, aut clerici manifestus percussor, vitandum esse à fideli in quacumque communicatione, quæ omnino necessaria non sit, vt latè dicimus in materia de excommunicatione, & supponit in præsenti Valent. Coninch, Suarez, & alij statim allegandi. Dixi, si denuntiatus sit. nam ante denuntiationem etiamsi notorius hæreticus sit, non est ex obligatione vitandus. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 5. & 6. Ex quo fit ex vi iuris Ecclesiastici tibi non esse prohibitum orare, sacrificio assistere, celebrare; etiamsi simul adsit hæreticus, quia nulla est obligatio hunc vitandi; neque in humana conuersatione, nec diuina, quousque denuntiatus sit. sic Azor *tom.* 1. *lib.* 8. *institutionum moralium, cap.* 11. *quæst.* 4. Nauarr. *lib.* 5. *consil. tit. de hæreticis, cons.* 16. *num.* 7. *in* 2. *edit.* Sanchez *lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 7. Item ex vi iuris Ecclesiastici non obligaris vitare hæreticum non denuntiatum in administratione sacramentorum, sed potes ab illo sacramenta recipere, si ritu catholico administret, iis in casibus, in quibus à ministro peccatore tibi licitum est. sic Sanchez *num.* 10. cum Suarez *tom.* 3. *de sacrament. disput.* 18. *sect.* 1. *notab.* 3. Item licet tibi filium hæretici de sacro fonte suscipere, illúmque ad Ecclesiam, & scholas admittere eadem ratione. Azor *lib.* 8. *cap.* 11. *quæst.* 8. & 9. Nauarr. *lib.* 1. *consil. tit. de constitutionib. consil.* 1. *quæst.* 27. Sanchez *num.* 11. & 12. Non tamen licet tibi hæreticorum scholas adire ob periculum peruersionis: neque hæreticum patrinum tui filij adhibere; quia non potest obligationi illum docendi rudimenta fidei satisfacere; eo quòd hæretico prohibitum sit docendi munus. Nauarr. *quæst.* 29. Azor, & Sanchez *suprà*.

Solùm de matrimonio est grauis difficultas, an tibi liceat cum hæretico non denuntiato contrahere?

Respondeo breuiter latiùs tractandum in materia de matrimonio, in terris Catholicorum nullo modo licere, quia adest periculum peruersionis, & specialis Ecclesiæ prohibitio. At in terris, vbi passim versantur Catholici mixti cum hæreticis, consuetudo obtinuit licere, quia non adest regulariter tale periculum, si tamen aliquando adsit, quia Catholicus non est permittendus christianè viuere, sed potiùs timetur vexandus, vt fidem deserat, nullo modo licet; & fortiori ratione non licet pacta inire, vt aliqui filij hæresim profiteantur, alij Catholicam fidem. esset enim infidelitati consentire, & approbare, vt bene dicit Sanchez *lib.* 7. *de matrim. disput.* 72. *num.* 5. & 6. & *in Decalog. lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 9. Verùm etsi ratione excommunicationis, quam hæreticus contrahit, eius familiaritatem non tenearis vitare, quousque denuntiatus sit; tamen si inde hæreticus occasionem sumit perseuerandi in hæresi, vel alij præsumunt te illis erroribus consentire, omnino illum vitare debes. Quapropter in foro externo ex nimia cum hæretico familiaritate, conuersatione, visitatione, munerum oblatione, hæresis suspectus redderis, & fautor hæretici iudicaris, ex text. *in cap. inter solicitudines, vers. in pœnam, de purgat. canon.* vbi indicitur purgatio sic cum hæretico conuersanti ob suspicionem, & ab officio suspenditur. Suspicio autem modò leuis,

modò grauis iudicanda est pro qualitate circunstantiarum; quæ omnia tradit optimè Eymericus *2.p.quæst.56.* & ibi Pegna, Farinac. pluribus exornat, vt solet, *q.182. §.10. à num.166.& seqq.*

6 Restat examinare, qui sint casus, in quibus iure Ecclesiastico prohibita sit cum infidelibus communicatio. Et quidem generaliter prohibetur familiaritas cum Iudæis, *cap. Iudæi. cap. ad hæc. cap. fin. de Iudæis.* Specialiter autem vndecim casus enumerantur à Doctoribus. Primò, prohibetur Christianis cum Iudæis habitare. Secundò, eorum azymis vesci. Tertiò, iis medicis vti. Quartò, ab eis medicinas accipere. Quintò, simul cum eis in balneum ingredi. Ij casus habentur *in cap. nullus, 28.quæst.1.* quod desumptum est ex *can.11.Concilij Trullani.* Et transgredientibus imponitur pœna depositionis, si clericus sit; excommunicationis, si laicus, non ipso facto, sed ferenda. Sextò, prohibetur fideli Iudæos inuitare, vel ad eorum conuiuia accedere. *cap. omnes, 28. quæst.1.* qui est ex Concilio Agathensi.*cap.40.* Septimò, esse obstetrices, aut nutrices eorum filiorum, in eorum domibus. Octauò, eis famulari. Nonò, ne Iudæis in testamento aliquid relinquant, vel legatarios faciant, *cap. si quis Episcopus, de hæreticis, cap. sanè, el 2. 24.quæst.2.* Decimò, seruitutis vinculo subiici. Hi tres casus habentur in *cap. ad hæc, de Iudæis.* Vndecimò, ne publica officia illis committantur, *cap. constituit, 17.quæst.4.* vbi permittentes excommunicandi sunt. Hos casus referunt, & latè explicant Syluest. Armilla, Ang. Tab. Rosella *verbo Iudæus,* Azor *tom.1.lib.8.c.22.* Sanchez *lib.2. Decal.cap.31.* Suarez *disp.18.de fide sect.6. à num.6.* Coninch *disp.18. dub.11. à num.166.* Bonacina *disp.3.de fide, quæst.2.punct.5.*

7 Breuiter tamen per singulos discurremus. Et in primis quantum attinet ad generalem prohibitionem de familiaritate cum Iudæis, solùm existimo eam familiaritatem prohiberi, ex qua periculum peruersionis, vel scandalum timeri potest. Quare iis cessantibus, cessat prohibitio. sic D.Thom. *2. 2. quæst.10. art.9.* Coninch *num.167.fine.* Sanchez *num.2.& 3.* Probabile tamen est, etiamsi in particulari casu cesset periculum peruersionis, aut scandali, adhuc familiaritatem prohiberi; quia lex non casus singulares, sed ea quæ communiter contingunt, respicit. sic Suarez *num.6.* vbi solùm existimat familiaritatem cum Iudæis permitti iis solis personis in fide ita firmis, vt infidelium eorum conuersio specialiter commissa sit.

8 De quinque autem primis casibus desumptis ex Concilio Trullano, & relatis *in cap. nullus, 28. quæst.1.* censeo satis probabile nullam esse prohibitionem, præter eam, quæ iure naturæ inest; quia canones illius Concilij non sunt ex VI. Synodo generali, prout Gratiano videtur; sed quorundam Pontificum, qui, vt Iustiniano Imperatori Romanæ Ecclesiæ inimico, placerent, plura statuerunt, quorum statuta ab Ecclesia Romana recepta non sunt, vt benè probat Bannes *2. 2. quæst.1. art.1. dub. 5. pag.138.* & huiusmodi quinque casus non obligare affirmat Coninch *disput.18. dub.11. num.168.* Verùm quia Alexand. III. in Concilio Lateranensi, & alij Pontifices ferè eisdem verbis supradictos casus statuerunt, & communiter à Doctoribus approbantur, placet eos expendere sigillatim. Primò est prohibita habitatio cum Iudæis, *cap. ad hæc, de Iudæis*; & extenditur hæc prohibitio ad Sarracenos, *cap. Iudæi, el 2. eodem tit.* Nomine autem huius habitationis intelligitur solùm diuturna Christiani in famulatu subiectio, quia hæc subiectio, & indigna est Christiani nominis in terris Christianorum, & periculum generat peruersionis. sic Coninch *num.167.& 168.* Bonacina *disp.3. q.2. punct.5. vers.1.casus.* Ex quo fit primò licere Christiano Iudæum habere in seruum, quod & conceditur *in cap. etsi Iudæi, de Iudæis,* & tradit Sanchez *lib.2. cap.31. num.6.* Suarez *disp.18.sect.6.num.7.* Coninch, Bonacina *suprà.* Secundò, fit licere Christiano cùm Iudæa commorari seruiendo, v.g. vterque Catholico domino, si absit periculum peruersionis, quia solùm habitatio famulatus, *in supradicto cap. ad hæc,* prohibetur. sic Coninch *suprà.* Expediet tamen viro Catholico quamcunque familiaritatem, & cohabitationem fugere.

9 Secundus casus de esu azymorum. Existimo solam illam comestionem esse prohibitam iure Ecclesiastico, quæ iure etiam diuino prohibita est: quare cùm iure diuino solùm prohibita est comestio azymorum, quæ ritu Iudaico fit, id est, quæ fit ex obseruatione legis Moysis, & illa, ex qua hoc scandalum potest generari, solùm illa comestio prohibetur, colligitur ex *cap. fatiscet, 32. quæst.4.* & tradit Suarez *sect. 6. num.7.* Coninch expressiùs *num.168.*

10 Tertius casus de aduocatione medici Iudæi, vel Sarraceni, ad curandum, receptus est non tam ex supradicto *cap. nullus*, quàm ex speciali Bulla Gregor. XIII. edita anno 1581. quæ incipit, *Aliàs piæ memoriæ*, & est 28. ipsius in Bullario, in qua hæc prohibitio continetur. Sed cùm omnis lex humana, & Ecclesiastica non obliget in casu grauis necessitatis, ex benigna interpretatione legislatoris; hæc obligatio cessat, quoties fidelis infirmus, grauiter indiguerit ope medici Iudæi, vel Sarraceni. Hæc autem necessitas prudentis arbitrio ponderanda est. Illa autem sufficit, si Iudæus est notabiliter doctus, vel morbus indiget multis medicis, & Christiani non sufficiunt: sic alios referens Sanchez *lib.2.cap.31. num.8.* Bonacina *punct.5. vers. tertius casus.* Suarez loquens generaliter *suprà num.8.* Coninch *num.168.*

11 Circa quartum casum de medicinarum receptione, credo solùm prohiberi Christiano recipere medicinas à Iudæo per manus, & ministerium eius, ita Suarez *num.8.* Bonacina, Sanchez *suprà*; quia hæc applicatio medicinarum est quædam curatio, & reduci potest ad prohibitionem factam à Gregor. XIII. Vnde non poterit Christianus extra casum necessitatis permittere, vt Iudæus illi venam scindat, chirurgi officium exerceat, vel alias medicinas applicet; secus verò, vt barbam radat, aut capillos tondat, quia hæc nullibi prohibentur; cùm non sint medicinarum applicatio. sic Sanchez *num. 9.* Sed *num.10.* extendit supradictam prohibitionem ad Christianum medicinas Iudæo applicantem, & dicit non posse applicare extra necessitatem, quia est eadem causa prohibitionis. At credo contrarium probabilius, quia prohibitio non est extendenda extra casum in verbis legis comprehensum, etiamsi eadem ratio militet: præterquam quòd in præsenti non videtur etiam ratio familiaritatis adesse respectu Christiani, quando ipse officium medici exercet, ac quando ipse curatur. nam quando curatur ratione beneficij recepti, familiarior, & gratior se procurat ostendere; quam familiaritatem non contrahit, quando ipse curat.

12 Quintus casus est, ingressus in idem balneum cum Iudæo: quem casum nullibi reperio expressum, nisi in supradicto *cap. nullus*, quod iam dixi non esse firmæ authoritatis. At posita illa prohibitione non de quocunque ingressu simultaneo intelligenda est. nam si casu Catholicus accedit lauari, cùm Iudæus balneum ingreditur, non tenetur expectare, aut à lotione abstinere; quia solùm prohibetur lotio simultanea ex intentione, & conuentione; hæc enim est, quæ familiaritatem inducit, quam ille textus vitare intendit.

13 Sextus casus. Iudæorum conuiuia admittere, vel illos ad conuiuium inuitare. Rationem huius prohibitionis aliqui existimant esse, vitare familiaritatem cum Iudæis, quia ex illa periculum peruersionis oritur: sic alios referens tradit Sanchez *num. 12.* At credo probabilius rationem huius prohibitionis esse discretionem ciborum à Iudæis factam; Iudæi enim aliquos cibos

cibos vt immundos respuunt, alios sumunt, & quia Christianus eorum conuiuia admittens exponitur periculo eorum consuetudinem approbandi, vel saltem apparendi inferiorem in sanctitate. Quocirca si Iudæi cibos non discernunt, cessare hanc prohibitionem existimat Azor *tom.1. lib.8. institutionum moralium, cap.22. quæst.3.* Coninch alios referens *num.169.* Quòd autem ciborum discretio sit ratio prohibitionis, expressè traditur *in cap.omnes, 28.quæst.1.* vbi ex Concilio Agathens. *cap.40.* dicitur: Omnes deinceps clerici, siue laici Iudæorum conuiuia euitent, neque eos ad conuiuium quisquam accipiat, quia cùm apud Christianos communibus cibis non vtantur, indignum, atque sacrilegum est eorum cibos à Christianis sumi; cùm ea, quæ Apostolo permittente nos sumimus, ab illis iudicentur immunda; ac si inferiores incipiant esse Christiani, quàm Iudæi, si nos quæ ab illis apponuntur, vtamur, illi verò à nobis oblata contemnant.

Aduerto supradictam prohibitionem quomodocumque sumatur, intelligendam esse de conuiuio formali, in quo, vel tu inuitas, vel es inuitatus: nam si casu in eodem diuersorio reperiaris, & in eadem mensa manduces, vel ab illo tanquam hospite cibos sumas edendos in eadem mensa cum illo, non peccas aduersùs hanc prohibitionem; quia neque inuitas, neque es inuitatus. sic Sanchez *d.lib.2.cap.31.n.13.& seq.* Bonacina *disp.13.q.2.p.5.casu 5.*

Aduerto secundò non comprehendi supradicta prohibitione prædicatorem ad Iudæorum conuersionem missum; quia ratione officij, & fructus sperati permittitur illi ea familiaris communicatio, vt sic faciliùs obtineatur conuersio: habetur *cap. quàm sit, de Iudæis.* Sanchez *num.16.* Bonacina *suprà.* Suarez *disp.18.sect.6. num.7.*

Supradictam prohibitionem extendit Sanchez *num.17.* ad alia plura, & affirmat nunquam licere fideli ad nuptias Iudæorum accedere, neque ad eorum festiuitates, neque in eorum templa ingredi, præcipuè cùm superstitiosa ibi celebrantur; neque cum eis ludos, & choreas agitare, quia ex iis non modica familiaritas conciliatur. Cæterùm, quia non inuenio aliquem textum, in quo specialiter hæc prohibitio contineatur, credo non extendi prohibitionem vltra id, quod ratio naturalis dictat. Quare vbi tanta contraheretur familiaritas, quæ vel periculum peruersionis, vel scandali generaret, peccatum esset ea admittere; secus illo periculo cessante. Et idem est de ingrediente in templum Iudæorum, vt eorum superstitionem spectet, & irrideat, vel ornatum aspiciat, non peccabit, si absit periculum peruersionis, & scandali, & docet Sanchez *n.18.* & Bonacina *vers.octauus.*

14 Septimus casus est nutrire filios Iudæorum. Aliqui existimant prohibitum esse Christianis nutrire filios Iudæorum, non solùm in domibus Iudæorum, sed extrà; quia licèt textus *in cap. ad hæc*, specialiter dicat, *in domibus Iudæorum*: at illud videtur non gratia restringendæ obligationis positum, sed quia frequentiùs contingit, positum est in exemplum. At ita sensus prohibitionis est, ne Christianæ infantes Iudæorum nutriant, maximè in eorum domibus. sic Azor *lib.8. cap.22.quæst.9.* Syluest. *verbo Iudæus, quæst.2.dicto 3.* Sanchez alios referens, *dicto cap.31. num.19.* Suarez *disput.18. sect.6. num.8.* Mouentur, quia ratio huius prohibitionis est, vitare familiaritatem, & affectionem cum Iudæis; quæ non vitatur, etiamsi Christianæ in suis domibus filios Iudæorum alendos suscipiant, quia parentes amore prolis sæpe nutrices inuisent. Quòd si aliquando hæc frequens visitatio cessaret, ita vt non censeretur contrahi specialis familiaritas cum Iudæis ob nutritionem filiorum, existimat Sanchez, cum Syluest. Tabien. & Armilla prohibitionem cessare. Cæterùm credo probabilius non comprehendi sub dicta prohibitione nutritionem factam extra domos Iudæorum. sic docet Abbas *in supradicto cap. ad hæc, num.2.* Cardinal. *num.vnico.* glossa *verbo in eorundem.* Bonacina *versic. septimus casus.* Coninch *num.170.* Ratio est, quia finis illius prohibitionis non est vitare quemlibet affectum, & familiaritatem cum Iudæis; sed familiaritatem in famulatu, quia hæc periculosior est, & dignitati fidei videtur indigna; non enim decet, vt filius liberè seruiat filiis ancillæ, vt dicitur *in cap. etsi, de Iudæis.* at quando Christiana mulier in sua domo nutrit infantes Iudæorum, non propriè dicitur illis seruire, & familiaritatem reuerentialem contrahere, quæ animum eius submittat, & inclinet voluntati domini, cui seruit. Aliàs si familiaritas esset ratio prohibitionis, multæ actiones prohibitæ essent, vt emere frequenter à Iudæo, vel illi merces vendere, colloquia miscere, illum habere in seruum, & alia huiusmodi, quæ apud citatos authores vt licita admittuntur.

15 Octauus casus prohibet Christiano famulari Iudæo, *dicto cap. ad hæc.* Intelligo tamen si famuletur in propria domo Iudæi, quia solùm qui ibi habitat, & per propriam personam Iudæo ministrat, famulus censetur: sic Hostiens. *in supradicto cap.1.* & ibi Ioann. Andr. *num.2.* & tradit Coninch *dub.12. num.171.* Bonacina *disput.3 quæst.2.punct.5 num.2 versic.primus casus.* Video tamen Sanchez plures Doctores referentem extendere hanc prohibitionem ad famulatum extra domum, siue sit rarus, siue frequens; quia ratio prohibitionis est, ne filij liberæ seruiant filiis ancillæ. Quæ ratio procedit de quocumque famulatu, siue extra, siue intra domum. Addit item *num.21.* licere Christianis locare suas operas Iudæis ad colendos agros, fabricandam domum; modò tamen Iudæus non sit continuè præsens labori: nam si frequenter assistit, videtur occasio familiaritatem contrahendi, ac proinde militare prohibitionem. Cæterùm credo retinendam esse doctrinam Ioan. Andr. Hostiens. Coninch, & Bonacinæ *suprà*, scilicet solum famulatum in propria domo prohiberi; quia is est, qui propriè famulus nuncupatur; alij verò coloni, & mercenarij nuncupantur. Neque obstat rationem prohibitionis esse, ne filij liberæ seruiant filiis ancillæ, quia non prohibetur quodcumque seruitium. Aliàs non liceret operas conducere, vt ipsemet Sanchez dicit; sed prohibetur seruitium famulatus, qui propriè in sola domo Iudæorum reperiri potest. Quòd autem præsens, vel absens sit Iudæus labori præstito, non potest esse causa, vt impediatur Christianus locare illi suas operas: tum quia ex tali locatione, & seruitio non solet contrahi familiaritas: tum etiam, quia non quælibet familiaritatis occasio est prohibita; sed illa quæ ex famulatu contingit: neque textus *in cap.multorum, de Iudæis*, distinguit, absens, vel præsens sit Iudæus culturæ agrorum, vel domorum ædificationi.

16 Nonus casus est, ne Christianus hæredes, vel legatarios faciat Iudæos. Et quidem non licere Christiano vniuersitati Iudæorum aliquid legare, est omnium sententia, ex *l.5. C. de Iudæis.* Legare autem alicui pagano in particulari prohibitum est Episcopis, *in cap. si quis Episcopus, de hæreticis.* quod præceptum ad clericos extenditur *in cap.inter eos, eodem titulo.* Sed eam consuetudo obtinuit nullum esse legatum, extra extremam, vel grauem necessitatem relictum Iudæo, siue consanguineo, siue non consanguineo. sic Syluest. *verbo Iudæus, quæst.1. dicto 6.* Sanchez *num.22.* Suarez *n.9.* Coninch tamen dicit expectandam esse consuetudinem, *n.171.*

Decimus, & vndecimus casus in præcedenti puncto explicati fuerunt. Addendum omnibus iis, prohibitum esse Christianis, deferre arma, vestes, cibos, & alia suffragia Iudæis, & Paganis reipublicæ Christianæ inimicis, sub pœna excommunicationis reseruatæ in Bulla

Bulla Cœnæ, vt ibi explicamus, & traditur prohibitio *cap. ita quorumdam, de Iudæis, cap. quod olim, eodem titulo.*

Extra hos casus licebit Christiano cum Iudæis, vel paganis communicatio, atque adeò licebit cum illis contractus emptionis, & venditionis. Cauenda tamen est nimia familiaritas, ne periculum peruersionis succedat. sic Sanchez *dicto lib.2.cap.31. num.23.* Bonacina *disput.3. quæst.2. punct. 5. circa finem.* Azor *lib.8. cap.22. quæst.4.*

17 Triplex restat expedienda difficultas circa supradictos casus.

Prima, an sit peccatum mortale quemcumque ex illis violare? Negat Emanuel Saa *summ. verbo Iudæus, num.1.* nisi adsit periculum peruersionis, consentit Aragon *2.2.quæst.10.art.9. circa princip.* At credo esse mortale per se omnia illa, quæ iure communi continentur, quæ sunt sex illi casus postremo loco positi. Quapropter censeo esse mortale diuturnè famulari Iudæo, eius medici opera vti, nutrire eius filios in eius domo, tolerare eos in officiis publicis, &c. sic Azor *cap.22. quæst.2.* Sanchez *cap.31.num.26.* Suarez *disput.18.de fide, sect.6. num. 9.* Ratio est, quia tum ex parte finis, tum ex parte materiæ, est sufficiens causa, vt horum casuum obligatio censeatur grauis esse. Aliquando tamen ex leuitate materiæ hæc excusari possunt, quod commune est omnibus præceptis. sic Suarez, & Sanchez *suprà.*

18 Secunda difficulta est, an hæ prohibitiones de Iudæis solùm, vel generaliter de omnibus paganis intelligendæ sint? Aliqui affirmant de omnibus intelligendas esse, quia in omnibus militat eadem ratio, scilicet periculum subuersionis ex illorum communicatione. sic Tabien. *verbo Iudæus, quæst.1.num.2.* Negat Sanchez *lib.2. cap. 31. num. 25.* quia solùm de Iudæis textus loquuntur, & in Iudæos est specialis ratio ob eorum singulare odium in Christianos. Suarez *disput.18. sect.6. num.10.* sub distinctione procedit, admittit quidem cum Sanchez prohibitionem non extendi ad quoslibet Gentiles, & paganos; quia non omnes sunt ita religioni Christianæ infesti: at extendi ad Sarracenos, & Mahometanos, quia hi æquè religionem Christianam oppugnant, ac Iudæi; & æquè est eorum familiaritas perniciosa. Deinde, quia in iure hæc extensio sæpè reperitur, *l.vlt.§.vlt. C.de Episcopis, & clericis, cap. ad hæc, cap.cum sit nimis, cap.in nonnullis, cap.Iudæi, el 2.c.vlt. de Iudæis.* Verùm cùm prohibitio extra verba legis extendenda non sit, & prohibitiones ferè omnes loquantur de solis Iudæis, existimo alios infideles non comprehendi, sed quia aliqui casus sunt, in quibus extenditur prohibitio tum ad Sarracenos, tum ad paganos. Solùm illi casus, in quibus reperiatur talis extensio, admittendi sunt, non alij. ij sunt famulari Iudæis, & Sarracenis, ex *cap. Iudæi, el 2. de Iudæis.* præponere Iudæum, & quemlibet paganum publicis officiis, *cap. cùm sit, cap. ex speciali, de Iudæis.* neque video alios casus, in quibus alij præter Iudæos comprehendendi sint.

19 Tertia difficultas est, quis possit in supradictis casibus dispensare, dum est obligatio illos seruandi? Facilis est resolutio solum Pontificem posse, quia est lex ab ipso lata, cuius dispensatio nullibi reperitur Episcopis concessa: sic, plures referens, Sanchez *num. 27.* At in casu speciali, vbi necessitas instaret, & esset periculum in mora, posset Episcopus, quia tunc dispensatio censetur concessa Episcopo ex benigna legislatoris interpretatione. sic Suarez *suprà num. 9.*

PVNCTVM X.

Sub qua censura infidelium, hæreticorúmque libros Ecclesia suis fidelibus prohibeat.

NOn leuis est, nec parum damnosa cum hæreticis, & infidelibus communicatio, quæ fit legendo eorum libros, ideóque meritò Ecclesia suos fideles defendens à tali communicatione abstinere prohibuit. Primò in Bulla *Cœna Domini*, clausula prima sub pœna excommunicationis Pontifici reseruatæ, prohibitum est omnibus Christi fidelibus, ne hæreticorum libros hæresim continentes, vel de religione tractantes, sine authoritate Sedis Apostolicæ scienter legant, aut retineant, imprimant, seu quomodolibet defendant, ex quauis causa, publicè, vel occultè, quouis ingenio, vel colore. Hæc prohibitio extensa est in aliquibus decretis Pontificiis. Nam Sixtus V. in quadam Bulla, quæ est vigesima prima in ordine eius in Bullario, sub excommunicatione sibi reseruata prohibuit libros Astrologiæ, seu de diuinatione tractantes, quibus futura contingentia intenduntur cognosci. Clemens VIII. in indice librorum prohibitorum sub excommunicatione, non tamen sibi reseruata, prohibuit hæresiarchorum libros, etiamsi de religione non tractent, nisi priùs expurgentur. Item libros authorum, qui sunt de hæresi suspecti, imò & Catholicorum, quibus aliquæ sunt hæreses admixtæ; quíque expurgatione indigent, prout latiùs in supradictis regulis habetur, quásque adducit Azor *tom.1. institutionum moralium, lib. 8. cap. 16. quæst. 14.* Insuper pro regnis Hispaniæ extat constitutio nouissima Pauli V. quæ incipit, *Cùm sicut accepimus*, in qua prohibentur omnes libri, qui expurgatione indigent, sub censura Pontifici, vel Inquisitori generali reseruata: qui autem sint hi libri per regulas tredecim generaliter explicantur, quæ appositæ sunt initio expurgatorij.

Circa hanc prohibitionem quatuor inquirunt Doctores. Primò, qui libri comprehendantur sub his prohibitionibus, specialiter sub prohibitione Bullæ Cœnæ. Secundò, quæ lectio, retentio, impressio, vel defensio sufficiat, & necessaria sit ad incurrendas pœnas. Tertiò, quibus personis facta sit prohibitio. Quartò, an delinquentes aliis pœnis præter excommunicationem afficiantur.

§. I.

Expenditur prima difficultas, de qualitate librorum prohibitorum.

1 *Libri tantum hæreticorum in Bulla Cœna prohibentur.*
2 *Non comprehenditur liber Catholici, tametsi per ignorantiam erroribus mixtus sit.*
3 *Comprehenditur liber manuscriptus.*
4 *Comprehenditur ne epistola, concio, quæstio, aliáque breuis scriptura? Affirmandum est comprehendi.*
5 *Non videtur oppositum probabilitate carere.*
6 *Iuxta expurgatorium Romanum certum est hæc omnia prohiberi.*
7 *Sub prohibitione Bullæ solùm comprehenduntur libri hæreticorum hæresim continentes, vel de religione tractantes.*

1 CLausula Bullæ Cœnæ prohibet solùm libros hæreticorum; hæreticorum, inquam, qui propriè sunt hæretici, quales sunt, qui à fide per Baptismum

mum suscepta defecerunt. Quòd si sint libri aliquorum, qui baptizati non sunt, sub hac prohibitione non continentur, quia ij non sunt hæretici Ecclesiæ subiecti, in quorum detestationem, & punitionem hæc prohibitio habetur. sic Suarez *disput.20 sect.2.num.11.fine.* Sanchez *lib.2. in Decalog. cap.10. num.22.* Farinacius *de haresi, quæst.180. num.10.* Non tamen necessarium est, vt hi hæretici fuerint declarati, & denuntiati, sufficit si tales esse cognoscantur. sic Sanchez *lib.2. cap. 10. n.24.* Suarez *disput.20. sect.2. num.11.* Ex qua doctrina infertur primò, quid dicendum de libris Græcorum, & Armenorum, de suis ritibus tractantibus. Sanchez *n.27.* & Farinac. *num.10.* & Azor *tom.1. cap.16. quæst.8.* dicunt non esse sub libris hæreticorum comprehensos, quia hi ritus non sunt ab Ecclesia tanquam hæretici habiti. At dicendum existimo, si authores illorum librorum sunt verè hæretici (vt communiter solent esse) Græci, & Armeni, quia à Romanæ Ecclesiæ fide & eius obedientia secernuntur, sine dubio sub prædicta prohibitione Bullæ Cœnæ comprehenduntur, quia sunt libri hæreticorum de religione tractantes. Suarez *disp.20. de fide, sect.2. num.12.*

2 Secundò infero non esse sub hac censura Bullæ Cœnæ comprehensum librum authoris Catholici, etiamsi errores aliquos per ignorantiam authoris, vel per malitiam alicuius hæretici insertos habeat; quia absolutè liber ille catholici est, non hæretici. sic Suarez *num.13. & 14.* Sanchez *cap.10. num.25.* Nauarr. *cap.27. num.56.* Coninch *disp.18. de fide, dub.11. num.177.* Limitat autem Suarez, & Coninch *suprà*, nisi scholia, & errores ita creuerint, vt ex illis maior pars libri constare videatur, quia tunc liber à parte præcipua denominandus est, licèt contra teneat Sanchez *suprà*, & Bonacina *disput.2. de censuris, q.5. p.4. n.6.* & indicat Farinac. *de haresi, q.180. n.50.*

Hæc sunt attenta prohibitione Bullæ Cœnæ: at attenta prohibitione Clement. VIII. & Pauli V. quilibet liber infidelis, aut catholici, cui aliquis error insertus sit, legi, retinerique non potest, quin primùm expurgatus sit, & emendatus ab his, quibus in expurgatorio expurgandi cura commissa est.

3 Tertiò infero, sub nomine libri manuscriptum contineri, quia adest eadem ratio, & verè liber dicetur; aliàs facillimo negotio hæc prohibitio eludi, & eneruari posset; & ita ex communi sententia testatur Suarez *disp.20. sect.2. n.10.* Sanchez *lib.2. cap.10. n.28.* & Doctores statim allegandi.

4 Quartò infero quid dicendum de breui scriptura, oratione, concione, quæstione, epistola. An, inquam, hæc sub prohibitione Bullæ contineantur? Affirmant aliqui, vt probabilius. sic Suarez *disput.20. sect.2. num.10.* Farinac. *de haresi, quæst.180. n.30. & 31.* Barth. Vgolin. *tract. de censuris, 2. part. in glossa, ac eorundem libros, num.2. versic. nonò in excommunicationem.* Mouentur, quia hæc prohibitio librorum non est lex odiosa, sed fauorabilis, quia est in fauorem fidei, & defensionem Catholicorum. Ergo debet extendi, & non limitari ad librum. Secundò, quia in his est eadem ratio, & periculum peruersionis. Tertiò, quia congregatio Concilij declarans decretum de editione librorum latum, *sess.4.* dixit comprehendere sub illo decreto annotationes, lectiones, disputationes, conciones, & alia similia, necnon tractatus pertinentes ad deuotionem, & quietationem conscientiarum, stimulationes fratrum, & cætera huiusmodi, quæ sibi inuicem communicant fratres, modò communicent ad effectum imprimendi. sic Capuccin. *in compendio priuilegiorum mendicantium, verbo imprimere.* Emanuel Rodriquez *qq. regul. tom.2. quæst.104. art.1. fine.* Gallet. *in Margarita casuum conscientiæ, verbo legere.* Augustinus Barbosa *de potestate Episcopi, 3. part. alleg.90 fine.* Quartò, quia hæc omnia pars libri esse possunt saltem aptitudine. Ergo hoc sufficit, vt sub prohibitione libri comprehendantur. Probo consequentiam. Quælibet pars libri hæretici etiamsi minima sit, & diuisa ab aliis partibus, sub prohibitionem cadit, vt sentit idem Sanchez, & omnes. Item procemium libri, & præfatio, seu epistola. Sed hæc non alia ratione, nisi quia prohibito libro omnes partes, quæ fuerunt illius libri, quantumcunque diuidantur, manent prohibitæ. Ergo etiam debent manere prohibitæ partes libri, quæ possunt esse. Quintò, quia non est signata magnitudo, quæ ad constituendum librum requiratur. Ergo concio, disputatio, annotatio, quæ decem folia habeat, liber dici poterit. Sextò, quia nomen libri gratia frequentioris vsus videtur appositum, non quia partes, ex quibus liber componitur, excludantur.

5 Nihilominus etsi supradicta sententia in praxi tenenda sit: at credo probabile esse sub censura Bullæ has breues annotationes, lectiones, disputationes, conciones non comprehendi. sic Sanchez *lib.2. in Decalog. cap.10. num.29.* Duard. *lib.2. in can.1. quæst.44. num.6.* Bonacina *disp.2. de censur. quæst.5. punct.4. num.18.* Mouentur, quia hæc in communi modo loquendi libri non reputantur. Neque obstant fundamenta contraria. Non primum, quia hæc lex reputanda est pœnalis, & odiosa: nam licèt in fauorem fidei, & defensionem fidelium ordinata sit; quia tamen immediata materia non fauorem, sed grauamen continet, scilicet priuare fidelem, etiam in fide firmum lectione librorum hæreticorum, & sub graui pœna, odiosa, & pœnalis est reputanda, non fauorabilis. Aliàs omnis lex pœnalis, qua latrones, & homicidæ puniuntur, fauorabilis esset; cùm ad bonum reipublicæ, & defensionem innocentium ordinetur. Adde etsi concedamus esse legem fauorabilem, non videtur extendenda vltra proprietatem verborum: sub nomine autem libri hæ annotationes, disputationes, & epistolæ non continentur. Ergo. Secundò non obstat: tum quia non militat eadem ratio, siquidem libri diutius permanent, & magis euulgantur: tum quia esto militaret, non comprehenditur sub verbis legis. Tertiò admitto libenter sub illo decreto Concilij Trident. annotationes, & scholia, disputationes, & alia similia comprehendi, ex eo quòd illud decretum sit explicatio, & renouatio decreti Concilij Lateranens. sub Leone X. vbi expresse dicit, *nullus librum aliquem, seu aliquam quamcumque scripturam, tam in vrbe nostra, quàm in alijs quibusuis ciuitatibus, seu diœcesibus imprimere, seu imprimi facere præsumat, nisi prius in vrbe per vicarium nostrum, &c.* Ecce qua ratione comprehenduntur annotationes, quia Concilium Lateranense dixit quamcumque scripturam. Ex quo non leue desumitur argumentum sub prohibitione Bullæ has scripturas paruas non comprehendi. Et confirmo, si sub nomine libri hæ paruæ scripturæ comprehenderentur, non liceret eas publicare, sine nomine authoris subscripti, quia Concilium expostulauit: at communis vsus obtinuit, vt hæ sine nomine authoris communicentur, vt testatur Azor *tom.1. lib.8. cap.17. quæst.4. fin.* Ergo. Quòd autem hæ sine approbatione imprimi, & communicari non possint, non est, quia sub nomine libri contineantur, sed quia continentur sub nomine cuiuscumque scripturæ, quæ imprimi, & publicari non potest absque approbatione, ex supradicto Lateranens. Concilio, & tradit Azor *suprà quæst.2. Neque obstat.* Quartò, concedo omnia illa partem esse posse libri, sed quia nec sunt, nec vnquam fuerunt, ideo nunquam sunt prohibita illa clausula Bullæ Cœnæ; secus de præfatione, quæ de facto cum aliis librum prohibitum composuit, quia prohibito libro, & partes prohibitæ manent. Ad quintum fateor disputationem, & lectionem decem folia continentes librum esse, & sub prohibitione Bullæ Cœnæ cadere. Ad vltimum nego gratia frequentioris vsus nomen libri fuisse apposi

Bulla Cœnæ, vt ibi explicamus, & traditur prohibitio *cap. ita quorumdam, de Iudæis, cap. quod olim, eodem titulo.*

Extra hos casus licebit Christiano cum Iudæis, vel paganis communicatio, atque adeò licebit cum illis contractus emptionis, & venditionis. Cauenda tamen est nimia familiaritas, ne periculum peruersionis succedat. sic Sanchez *dicto lib. 2. cap. 31. num. 23.* Bonacina *disput. 3. quæst. 2. punct. 5. circa finem.* Azor *lib. 8. cap. 22. quæst. 4.*

17 Triplex restat expedienda difficultas circa supradictos casus.

Prima, an sit peccatum mortale quemcumque ex illis violare? Negat Emanuel Saa *summ. verbo Iudæus, num. 1.* nisi adsit periculum peruersionis, consentit Aragon *2. 2. quæst. 10. art. 9. circa princip.* At credo esse mortale per se omnia illa, quæ iure communi continentur, quæ sunt sex illi casus postremo loco positi. Quapropter censeo esse mortale diuturnè famulari Iudæo, eius medici opera vti, nutrire eius filios in eius domo, tolerare eos in officiis publicis, &c. sic Azor *cap. 22. quæst. 2.* Sanchez *cap. 31. num. 26.* Suarez *disput. 18. de fide, sect. 6. num. 9.* Ratio est, quia tum ex parte finis, tum ex parte materiæ, est sufficiens causa, vt horum casuum obligatio censeatur grauis esse. Aliquando tamen ex leuitate materiæ hæc excusari possunt, quod commune est omnibus præceptis. sic Suarez, & Sanchez *suprà.*

18 Secunda difficulta est, an hæ prohibitiones de Iudæis solùm, vel generaliter de omnibus paganis intelligendæ sint? Aliqui affirmant de omnibus intelligendas esse, quia in omnibus militat eadem ratio, scilicet periculum subuersionis ex illorum communicatione. sic Tabien. *verbo Iudæus, quæst. 1. num. 2.* Negat Sanchez *lib. 2. cap. 31. num. 25.* quia solùm de Iudæis textus loquuntur, & in Iudæos est specialis ratio ob eorum singulare odium in Christianos. Suarez *disput. 18. sect. 6. num. 10.* sub distinctione procedit, admittit quidem cum Sanchez prohibitionem non extendi ad quoslibet Gentiles, & paganos; quia non omnes sunt ita religioni Christianæ infesti: at extendi ad Sarracenos, & Mahometanos, quia hi æquè religionem Christianam oppugnant, ac Iudæi; & æquè est eorum familiaritas perniciosa. Deinde, quia in iure hæc extensio sæpè reperitur, *l. vlt. §. vlt. C. de Episcopis, & clericis, cap. ad hæc, cap. cum sit nimis, cap. in nonnullis, cap. Iudæi, el 2. c. vlt. de Iudæis.* Verùm cùm prohibitio extra verba legis extendenda non sit, & prohibitiones ferè omnes loquantur de solis Iudæis, existimo alios infideles non comprehendi, sed quia aliqui casus sunt, in quibus extenditur prohibitio tum ad Sarracenos, tum ad paganos. Solùm illi casus, in quibus reperiatur talis extensio, admittendi sunt, non alij. ij sunt famulari Iudæis, & Sarracenis, ex *cap. Iudæi, el 2. de Iudæis.* præponere Iudæum, & quemlibet paganum publicis officiis, *cap. cum sit, cap. ex speciali, de Iudæis.* neque video alios casus, in quibus alij præter Iudæos comprehendendi sint.

19 Tertia difficultas est, quis possit in supradictis casibus dispensare, dum est obligatio illos seruandi? Facilis est resolutio solum Pontificem posse, quia est lex ab ipso lata, cuius dispensatio nullibi reperitur Episcopis concessa: sic, plures referens, Sanchez *num. 27.* At in casu speciali, vbi necessitas instaret, & esset periculum in mora, posset Episcopus, quia tunc dispensatio censetur concessa Episcopo ex benigna legislatoris interpretatione. sic Suarez *suprà num. 9.*

PVNCTVM X.

Sub qua censura infidelium, hæreticorúmque libros Ecclesia suis fidelibus prohibeat.

NOn leuis est, nec parum damnosa cum hæreticis, & infidelibus communicatio, quæ fit legendo eorum libros, ideóque meritò Ecclesia suos fideles defendens à tali communicatione abstinere prohibuit. Primò in Bulla *Cœna Domini*, clausula prima sub pœna excommunicationis Pontifici reseruatæ, prohibitùm est omnibus Christi fidelibus, ne hæreticorum libros hæresim continentes, vel de religione tractantes, sine authoritate Sedis Apostolicæ scienter legant, aut retineant, imprimant, seu quomodolibet defendant, ex quauis causa, publicè, vel occultè, quouis ingenio, vel colore. Hæc prohibitio extensa est in aliquibus decretis Pontificiis. Nam Sixtus V. in quadam Bulla, quæ est vigesima prima in ordine eius in Bullario, sub excommunicatione sibi reseruata prohibuit libros Astrologiæ, seu de diuinatione tractantes, quibus futura contingentia intenduntur cognosci. Clemens VIII. in indice librorum prohibitorum sub excommunicatione, non tamen sibi reseruata, prohibuit hæresiarchorum libros, etiamsi de religione non tractent, nisi priùs expurgentur. Item libros authorum, qui sunt de hæresi suspecti, imò & Catholicorum, quibus aliquæ sunt hæreses admixtæ; quíque expurgatione indigent, prout latiùs in supradictis regulis habetur, quásque adducit Azor *tom. 1. institutionum moralium, lib. 8. cap. 16. quæst. 14.* Insuper pro regnis Hispaniæ extat constitutio nouissima Pauli V. quæ incipit, *Cum sicut accepimus*, in qua prohibentur omnes libri, qui expurgatione indigent, sub censura Pontifici, vel Inquisitori generali reseruata: qui autem sint hi libri per regulas tredecim generaliter explicantur, quæ appositæ sunt initio expurgatorij.

Circa hanc prohibitionem quatuor inquirunt Doctores. Primò, qui libri comprehendantur sub his prohibitionibus, specialiter sub prohibitione Bullæ Cœnæ. Secundò, quæ lectio, retentio, impressio, vel defensio sufficiat, & necessaria sit ad incurrendas pœnas. Tertiò, quibus personis facta sit prohibitio. Quartò, an delinquentes aliis pœnis præter excommunicationem afficiantur.

§. I.

Expenditur prima difficultas, de qualitate librorum prohibitorum.

1 *Libri tantum hæreticorum in Bulla Cœnæ prohibentur.*
2 *Non comprehenditur liber Catholici, tametsi per ignorantiam erroribus mixtus sit.*
3 *Comprehenditur liber manuscriptus.*
4 *Comprehenditur ne epistola, concio, quæstio, aliáque breuis scriptura? Affirmandum est comprehendi.*
5 *Non videtur oppositum probabilitate carere.*
6 *Iuxta expurgatorium Romanum certum est hæc omnia prohiberi.*
7 *Sub prohibitione Bullæ solùm comprehenduntur libri hæreticorum hæresim continentes, vel de religione tractantes.*

1 CLausula Bullæ Cœnæ prohibet solùm libros hæreticorum; hæreticorum, inquam, qui propriè sunt hæretici, quales sunt, qui à fide per Baptismum

mum suscepta defecerunt. Quòd si sint libri aliquorum, qui baptizati non sunt, sub hac prohibitione non continentur, quia ij non sunt hæretici Ecclesiæ subiecti, in quorum detestationem,& punitionem hæc prohibitio habetur. sic Suarez *disput.10 sect.2.num.11.fine.* Sanchez *lib.2. in Decalog. cap.10. num.22.* Farinacius *de heresi, quæst.180. num.10.* Non tamen necessarium est, vt hi hæretici fuerint declarati, & denuntiati, sufficit si tales esse cognoscantur. sic Sanchez *lib.2. cap. 10. n.24.* Suarez *disput.20.sect.2. num.11.* Ex qua doctrina infertur primò, quid dicendum de libris Græcorum, & Armenorum, de suis ritibus tractantibus. Sanchez *n.27.* & Farinac. *num.10.* & Azor *tom.1. cap.16. quæst.8.* dicunt non esse sub libris hæreticorum comprehensos, quia hi ritus non sunt ab Ecclesia tanquam hæretici habiti. At dicendum existimo, si authores illorum librorum sunt verè hæretici (vt communiter solent esse) Græci, & Armeni, quia à Romanæ Ecclesiæ fide & eius obedientia secernuntur, sine dubio sub prædicta prohibitione Bullæ Cœnæ comprehenduntur, quia sunt libri hæreticorum de religione tractantes. Suarez *disp.20. de fide, sect. 2. num.12.*

2 Secundò infero non esse sub hac censura Bullæ Cœnæ comprehensum librum authoris Catholici, etiamsi errores aliquos per ignorantiam authoris, vel per malitiam alicuius hæretici insertos habeat; quia absolutè liber ille catholici est, non hæretici. sic Suarez *num.13. & 14.* Sanchez *cap.10. num.25.* Nauarr. *cap.27. num.56.* Coninch *disp.18. de fide, dub.11. num.177.* Limitat autem Suarez, & Coninch *suprà*, nisi scholia, & errores ita creuerint, vt ex illis maior pars libri constare videatur, quia tunc liber à parte præcipua denominandus est, licèt contra teneat Sanchez *suprà*, & Bonacina *disput. 2. de censuris, q.5. p.4. n.6.* & indicat Farinac. *de heresi, q.180. n.50.*

Hæc sunt attenta prohibitione Bullæ Cœnæ: at attenta prohibitione Clement. VIII. & Pauli V. quilibet liber infidelis, aut catholici, cui aliquis error insertus sit, legi, retinerique non potest, quin primùm expurgatus sit, & emendatus ab his, quibus in expurgatorio expurgandi cura commissa est.

3 Tertiò infero, sub nomine libri manuscriptum contineri, quia adest eadem ratio, & verè liber dicetur; aliàs facillimo negotio hæc prohibitio eludi, & eneruari posset; & ita ex communi sententia testatur Suarez *disp. 20. sect. 2. n.10.* Sanchez *lib.2. cap.10. n.28.* & Doctores statim allegandi.

4 Quartò infero quid dicendum de breui scriptura, oratione, concione, quæstione, epistola. An, inquam, hæc sub prohibitione Bullæ contineantur? Affirmant aliqui, vt probabilius. sic Suarez *disput.20. sect.2. num.10.* Farinac. *de heresi, quæst.180. n.50. & 51.* Barth. Vgolin. *tract. de censuris, 2. part. in glossa, ac eorundem libros, num.2. versic. nonò in excommunicationem.* Mouentur, quia hæc prohibitio librorum non est lex odiosa, sed fauorabilis, quia est in fauorem fidei, & defensionem Catholicorum. Ergo debet extendi, & non limitari ad librum. Secundò, quia in his est eadem ratio, & periculum peruersionis. Tertiò, quia congregatio Concilij declarans decretum de editione librorum latum, *sess.4.* dixit comprehendere sub illo decreto annotationes, lectiones, disputationes, conciones, & alia similia, necnon tractatus pertinentes ad deuotionem, & quietationem conscientiarum, stimulationes fratrum, & cætera huiusmodi, quæ sibi inuicem communicant fratres, modò communicent ad effectum imprimendi. sic Capuccin. *in compendio priuilegiorum mendicantium, verbo imprimere.* Emanuel Rodriquez *qq. regul. tom.2. quæst.104 art.1. fine.* Gallet. *in Margarita casuum conscientiæ, verbo legere.* Augustinus Barbosa *de potestate Episcopi, 3. part. alleg. 90 fine.* Quartò, quia hæc omnia pars libri esse possunt saltem aptitudine. Ergo hoc sufficit, vt sub prohibitione libri comprehendantur. Probo consequentiam. Quælibet pars libri hæretici etiamsi minima sit, & diuisa ab aliis partibus, sub prohibitionem cadit, vt sentit idem Sanchez, & omnes. Item procemium libri, & præfatio, seu epistola. Sed hæc non alia ratione, nisi quia prohibito libro omnes partes, quæ fuerunt illius libri, quantumcunque diuidantur, manent prohibitæ. Ergo etiam debent manere prohibitæ partes libri, quæ possunt esse. Quintò, quia non est signata magnitudo, quæ ad constituendum librum requiratur. Ergo concio, disputatio, annotatio, quæ decem folia habeat, liber dici poterit. Sextò, quia nomen libri gratia frequentioris vsus videtur appositum, non quia partes, ex quibus liber componitur, excludantur.

5 Nihilominus etsi supradicta sententia in praxi tenenda sit: at credo probabile esse sub censura Bullæ has breues annotationes, lectiones, disputationes, conciones non comprehendi. sic Sanchez *lib.2. in Decalog. cap.10. num.29.* Duard. *lib.2. in can.1. quæst.44. num.6.* Bonacina *disp.2. de censur. quæst.5. punct.4. num.18.* Mouentur, quia hæc in communi modo loquendi libri non reputantur. Neque obstant fundamenta contraria. Non primum, quia hæc lex reputanda est pœnalis, & odiosa: nam licèt in fauorem fidei, & defensionem fidelium ordinata sit; quia tamen immediata materia non fauorem, sed grauamen continet, scilicet priuare fidelem, etiam in fide firmum lectione librorum hæreticorum, & sub graui pœna, odiosa, & pœnalis est reputanda, non fauorabilis. Aliàs omnis lex pœnalis, qua latrones, & homicidæ puniuntur, fauorabilis esset; cùm ad bonum reipublicæ, & defensionem innocentium ordinetur. Adde etsi concedamus esse legem fauorabilem, non videtur extendenda vltra proprietatem verborum: sub nomine autem libri hæ annotationes, disputationes, & epistolæ non continentur. Ergo. Secundò non obstat: tum quia non militat eadem ratio, siquidem libri diutius permanent, & magis euulgantur: tum quia esto militaret, non comprehenditur sub verbis legis. Tertiò admitto libenter sub illo decreto Concilij Trident. annotationes, & scholia, disputationes, & alia similia comprehendi, ex eo quòd illud decretum sit explicatio, & renouatio decreti Concilij Lateranens. sub Leone X. vbi expressè dicit, *nullus librum aliquem, seu aliquam quamcumque scripturam, tam in vrbe nostra, quam in alijs quibusuis ciuitatibus, seu diœcesibus imprimere, seu imprimi facere præsumat, nisi prius in vrbe per vicarium nostrum,* &c. Ecce qua ratione comprehenduntur annotationes, quia Concilium Lateranense dixit quamcumque scripturam. Ex quo non leue desumitur argumentum sub prohibitione Bullæ has scripturas paruas non comprehendi. Et confirmo, si sub nomine libri hæ paruæ scripturæ comprehenderentur, non liceret eas publicare, sine nomine authoris subscripti, quia Concilium expostulauit: at communis vsus obtinuit, vt hæ sine nomine authoris communicentur, vt testatur Azor *tom.1. lib.8. cap.17. quæst.4. fin.* Ergo. Quòd autem hæ sine approbatione imprimi, & communicari non possint, non est, quia sub nomine libri contineantur, sed quia continentur sub nomine cuiuscumque scripturæ, quæ imprimi, & publicari non potest absque approbatione, ex supradicto Lateranens. Concilio, & tradit Azor *suprà quæst.2. Neque obstat.* Quartò, concedo omnia illa partem esse posse libri, sed quia nec sunt, nec vnquam fuerunt, ideo nunquam sunt prohibita illa clausula Bullæ Cœnæ; secus de præfatione, quæ de facto cum aliis librum prohibitum composuit, quia prohibito libro, & partes prohibitæ manent. Ad quintum fateor disputationem, & lectionem decem folia continentes librum esse, & sub prohibitione Bullæ Cœnæ cadere. Ad vltimum nego gratia frequentioris vsus nomen libri fuisse appositum

appositum, sed quia in libro maius periculum inuenitur, & faciliùs hæreses texuntur, difficiliúsque cognoscuntur.

6 Cæterùm si prohibitionem expurgatorij Romani, ex decreto Trident. editi, & expurgatorij Hispani attendamus; hæc omnia si ab hæreticis sint composita, quamuis errorem non contineant, sunt prohibita sub pœna excommunicationis ipso facto, quousque examinata, approbatáque sint.

7 Quintò infero sub prohibitione Bullę Cœnæ comprehendi solùm eos libros hæreticorum, qui vel hæresim continent, vel de religione tractant; quælibet enim ex his conditionibus sufficit, vt sub prohibitione comprehendantur, vt de se constat. Circa quæ verba est aduertendum, si liber solùm vnam hæresim contineat, etiamsi totus liber de re profana sit, illa sufficit, vt totus liber prohibitus maneat, quia verè liber est continens hæresim. Neque requiritur, vt ex professo liber tractet de hæresi, ita vt argumentum libri sit de hæresi, sufficit, si hæresim contineat, quia hoc tantùm Bulla requirit. sic Bonacina *disp.2. q.5. p.4. num.19.* Coninch *disp.18. de fide, dub.11. n.177.* Sanchez *lib.2. cap.10. n.35.* Suarez *tom.5. de censur. disp.21. sect.2. n.10. & de fide, disp.20. sect.2. n.16.* Farinac *q.180. de haresi, n.22. fine.* quamuis Graffis *lib.4. decis. cap.18. n.40. & 80.* requirat, vt de hæresi liber ex professo tractet, sed immeritò hoc requirit, & contra communem.

Neque valet si tu ab illo libro hæresim expungas, quia particularis expulsio non tollit communem libri prohibitionem. sic Sanchez *lib.2. cap.10. n.35.* Bonacina *n.19.* Dicitur autem de religione tractare liber, si tractet de Scriptura sacra, aut aliqua illius parte, de Theologia scholastica, vel morali, hoc est, de mysteriis fidei, de cultu Dei, & Sanctorum, de recta morum institutione, & de his contrariis. Requiritur tamen, vt ex professo, & ex instituto de his tractet, non obiter; aliàs non cadet sub prohibitionem: sic Sanchez *num.21.* Suarez *suprà.* Farinac. *n.32.* Coninch *suprà.* Verùm si prohibitionem spectes expurgatorij Romani editi iussu Clement. VIII. & Bullam Pauli V. pro regnis Hispaniæ, & Inquisitoris generalis mandatum, prohibitus est quicumque liber hæreticorum, etiamsi de religione non tractet, neque hæresim contineat, nisi priùs approbetur, & examinetur per ibidem signatos; quia Ecclesia intendit, ne filij sui ex tam turbido fonte veritatem eliciant, néve authoritatem aliquam tribuant iis, qui à suo gremio recesserunt: sic, aliis relatis, Farinac. *n.22.* Sanchez *num.26.* Coninch *disp.18. dub.11. n.79.* Azor *tom.1. lib.8. cap.16. quæst.14.*

§. II.

Expenduntur actiones prohibitæ in Bulla Cœnæ, aliisque decretis circa supradictos libros.

1 *Enumerantur actiones, & qua ignorantia excuset ab incurrenda censura.*
2 *Quid sub nomine lectionis intelligatur.*
3 *An si alium audias legentem, vites censuram? Proponuntur variæ sententiæ.*
4 *Probabilius videtur oppositum.*
5 *Soluuntur rationes contrariæ.*
6 *Examinatur, an excuseris à censura, & peccato mortali ob paruitatem materiæ, & quæ hæc sit.*
7 *Prohibetur retentio horum librorum.*
8 *Quid si ad confutandos errores, absque periculo peruersionis retineas.*
9 *Tenendum est te censuram incurrere.*
10 *Quid si breue tempus retineas. Apponitur sententia Suarez.*
11 *Quid sentiendum sit.*
12 *Excusas Bulla censuram, si statim comburis, sed non vitas excommunicationem latam à Iulio III. & à Paulo V.*
13 *Prohibetur impressio horum librorum: & qui sub hac actione comprehendantur.*
14 *Tandem prohibetur defensio librorum.*
15 *Quid de transcriptione, venditione, asportatione librorum hæreticorum.*

1 Actiones prohibitæ sunt, lectio, retentio, impressio, defensio, venditio, emptio, & asportatio. De singulis breuiter est dicendum, & pro omnibus aduertendum est ob has actiones non incurri censuram, nisi scienter fiant; quia ita cauetur in supradictis decretis. Quapropter si detur ignorantia vel prohibitionis, vel censuræ, à pœna incurrenda excusat, vt constat ex dictis *de legibus, & censuris*, & in præsenti tradit Suarez *disput.20. sect.2. num.17.* Sanchez *lib.2. Decalog. cap.10. num.38 & 39.* Farinacius *de heresi, quæst.180. num.44. & 45.* & alij ab eisdem relati. Adde non solùm ignorantiam vtcumque excusare, sed ignorantiam crassam, & affectatam, modò non sit ingens temeritas; quia laborans illa ignorantia scire dici non potest. Si autem adsit ingens temeritas, iam adest scientia, quia hæc non contingit sine graui suspicione malitiæ. sic Sanchez *lib. 2. in Decalog. cap.10. num.32.* Duard. *lib.2. in canon. 1. quæst.36. num.3.* Bonacina *disp.2. de censur. q.5. punct.4. num.8.*

2 Prima actio prohibita est lectio, non exterior, & materialis, quæ solùm verba perficit, sed formalis, quæ sensum verborum intelligit, quia hæc sola est lectio propria. quamuis Bonacina contrarium sentiat *disput.1. de censur. q.5. p.4. n.14.* sed non est audiendus, quia in contrarium stat communis sententia, vt ex Doctoribus statim referendis, & ex relatis constat. Non tamen est necessarium, vt verbis proferas rem lectam, sufficit si visu, & mente scripta percurras. sic Sanchez, relato Vgolino, Graffis, & aliis *lib.2. cap.10. n.41. & 51.* Suarez *disp.20. sect.2. n.18.* Bonacina *disp.2. de censur. q.5. p.4. n.11.* & omnes communiter.

3 Difficultas est, an vites censuras, si alium legentem hos libros audias? Negat absolutè Suarez *disp.20. sect.2. num.19.* etiamsi legentem ad lectionem non induxeris. Mouetur primò, quia idem est periculum in hoc modo legendi libros, ac est in lectione facta per propriam personam. Secundò, quia ratio prohibendi lectionem medio visu, est, ne percipiatur doctrina praua, & hæretica, sed per auditum efficaciùs percipitur. Ergo æquè lectio per auditum est prohibita. Tertiò, lectio duplicem actionem includit, prolationem verborum, & illorum intelligentiam, & hæc secunda est præcipua. Ergo ratione illius potest dici verè legere.

Alij distinctione vtuntur, dicunt enim, si causa non es lectionis tuo consilio, aut mandato non esse comprehensum; secus verò, si aliquo modo ad legendum induxisti. Priorem partem probant, quia tunc nequaquam propriè dici potes legere, etiam per alium; siquidem alius non nomine tuo legit, neque lectio illius tibi tribui potest: at quando consulis, mandas, vel inducis, verè dici potes legere medio alio, quod videtur sufficiens, vt sub nomine legentis comprehendaris præcipuè in prohibitione respiciente bonum commune, & defensionem fidei: sic docent Azor *tom.1. lib.8. cap.16. quæst.4.* Sayrus *thesauri casuum tom.1 lib.3. cap.5. num.14.* Graffis *1. p. decis. lib.4. cap.18. num.45.*

4 Cæterùm mihi probabilius apparet in neutro casu audientem ligari hac prohibitione, sic relato Vgolino docet Sanchez *lib.2. cap.10. num.48.* Ægidius Coninch *disput.18. dub.11. num.178.* vbi ait non esse omnino improbabile inducentem ad legendum excusari à censura contra legentes lata; putat tamen certum, quando audiens

diens non est causa lectionis. Farinacius *de haeresi, quaest. 180. in summario, num. penult.* Reginald. Duard. Filliucius, & alij, quos refert, & sequitur Bonacina *disput. 2. de censuris, quaest. 5. punct. 4. num. 11.* Ratio est, quia leges poenales extendendae non sunt vltra propriam significationem; sed sub verbo legentis non comprehenditur audiens legere, etiamsi ad legendum induxerit, quia inductio ad legendum non est lectio, neque etiam auditus est lectio, quia legere propriè est visu, & mente scripta percurrere. Ergo ob auditum lectionis, cuius audiens causa fuit, nequit sub prohibitione aduersùs legentes comprehendi.

5 Ex qua ratione soluuntur fundamenta contraria.

Ad primum pro sententia Suarez nego esse idem periculum in auditu, ac in lectione; quia auditus non potest esse sine alio, secus verò lectio; & non ita facilè committitur peccatum, cùm indiges tertio, quàm cùm solus potes efficere. Adde concesso gratis esse idem periculum, si auditus non comprehenditur sub lectione, nequit prohibitio ad auditum extendi.

Ad secundum dico rationem prohibitionis esse, ne percipiatur doctrina haeretica medio ita facili, & secreto, quale est lectio, cuius facilitas, & secretum in auditu esse non potest.

Ad tertium admitto perceptionem sensuum, & verborum esse praecipuam partem lectionis; at nego sine perceptione per visum proprium dari posse lectionem. Argumenta illius sententiae mediae soluta manent dicendo impropriè, & metaphoricè dici auditum lectionis esse lectionem per alium, & cùm audis legere per alium, & in legibus poenalibus non debet fieri extensio ad sensus proprios. Famulus autem de mandato domini legens, si sensum verborum percipit, non est dubium, quin incurrat in excommunicationem contra legentem, nisi fortè grauis damni periculo excusetur: sic omnes Doctores suprà relati.

6 Secundò dubitatur, an excuseris à censura, & peccato mortali ob paruitatem materiae, & quae haec sit? Negant plures te excusari. sic Vgolin. *tractat. de censuris, 2. part. in glossa, ac eorundem libros, num. 1. vers. 8.* Tolet. *de instruct. Sacerdot. lib. 1. cap. 19. num. 9.* praecipuè in casu, quo intendisti plura folia libri haeretici legere, & poenitentia ductus post paucas lineas reliquisti? Et ratio esse potest, quia iam illa actio exterior est peccatum mortale. Ergo sufficiens ad incurrendam censuram. Nihilominus probabilius censeo, qui paucas lineas legeret, etiamsi priùs animum habuisset plura legendi, non contrahere censuram; quia licèt lectio illa sit peccatum mortale, non est mortale ex ratione lectionis exterioris, sed ex voluntate, qua orta fuit, sicut si animo plura furandi assumeres assem, & statim desisteres, peccatum mortale committeres, non ex exteriori furto, sed ex praua intentione plura furandi. Excommunicatio autem non intentionem punit, sed executionem illius; in executione autem non est materia grauis peccati mortalis, quia regulariter non videtur esse graue periculum peruersionis in lectione quatuor, vel decem linearum: sic Suarez *disput. 20. sect. 2. num. 20.* Sanchez *lib. 2. cap. 10. num. 31.* Coninch *disp. 18. dub. 11. num. 179 fine.* Bonacina *disput. 2. de censur. quaest. 5. punct. 4. num. 13.* Azor *tom. 1. lib. 8. cap. 16. quaest. 3.* & alij ab eisdem relati.

Hanc autem materiae paruitatem extendunt aliqui ad vnam paginam libri in folio impressi, eo quòd non videatur in tam breui lectione adesse regulariter graue periculum, sic relato Eman. Viualdo, & Saa, docet Sanchez *num. 31. fine.* Coninch *suprà num. 179.* Farinac. *de haeresi, quaest. 180. num. 13.* videtur consentire, siquidem refert hoc dictum Sanchez, nec reprobat. At Suarez, & Bonacinae nimia haec extensio videtur, quia est materia periculosa, in qua non sunt habenae laxandae.

7 Secunda actio prohibita est retentio: finis huius prohibitionis est, ne tales libri conseruentur, néve sint in rerum natura: quare siue libri sint tui, siue alieni, si tamen illos retines, hanc legem violas, quia iam illos conseruas. Et idem est, si apud alios depositos haberes, quia verè retines. sic Graffis *1. part. decis. lib. 4. cap. 18.* Duard. *lib. 2. in can. 1. quaest. 51. num. 17.* Bonacina *num. 15.* Sanchez *lib. 2. cap. 10. num. 52.* Suarez *disp. 20. sect. 2. n. 21.* & omnes communiter.

8 Sed dubitatur primò, an excuseris ab hoc peccato, si ad confutandos errores sine periculo peruersionis illos retineas? Affirmare videntur aliqui, quatenus dicunt ex hac retentione non reddi haeresis suspectum retinentem supradictos libros: sic Felin. *in cap. si quis Episcopus, in fine, versic. pro quo infertur, de haereticis.* Albert. *tractat. de agnoscend. assert. Catholic. quaest. 28. num. 4. & 5.* Addent. ad Rom. *singul. 326. incipiente, eo ipso quòd libri haeresis, versic. limita,* nisi reperiantur penes aliquem confutandi eos gratia. Decian. *in tractat. crimin. lib. 5. cap. 35. num. 21. versic. limita primò, nisi confutandi gratia, & cap. 46. num. 26. & 27.* Mascard. *de probat. lib. 2. concl. 862. num. 14.* Ratio esse potest, quia haec retentio non fauet haeresi, sed potiùs destruit. Ergo non debet sub prohibitione retentionis fauentis haeresi comprehendi.

9 Caeterùm haec sententia retinenda non est, sed affirmandum potiùs, quocumque fine libros haeretici retineas, absque licentia illius, qui illam dare potest, te incurrere censuram, & suspicionem haeresis, vt postea dicemus. sic Pegna *in addit. ad Eymer. direct. inquisit. 2. part. comment. 3. ad cap. fraternitatis, de haereticis, versic. tametsi verò.* Vgolin. *de censur. in glossa, aut pertinentes, versic. quartò excommunicatio.* Tolet. *lib. 1. summ. cap. 19. num. 9.* Sanchez *lib. 2. cap. 10. num. 53.* Farinac. *de haeresi, quaest. 180. num. 39. & 42.* Suarez *disput. 20. sect. 2. num. 21.* Ratio est manifesta, quia lex prohibet retentionem absolutè, neque enim curat qua intentione fiat. Adde in illa retentione, & refutatione ex propria voluntate accepta, esse potest periculum peruersionis: qui enim firmus esse praesumitur, saepè cadit, & laqueis, quos existimabat facile dissoluere, comprehenditur. Deinde etsi in tali retinente nullum esset periculum, sufficit generaliter adesse, & venenum conseruari, quod perire Ecclesia sua prohibitione intendit.

10 Tertiò dubitatur, an ab hoc peccato, & censura excuseris, si breue tempus retineas per vnam, vel aliam diem, ex suppositione, quòd illos Inquisitori tradere possis. Nam si nulla suppetit tibi facultas, clarum est retentionem non esse malam, vt bene dicit Sanchez statim allegandus. In qua dubitatione Suarez *disput. 20. sect. 1. num. 22.* distinguit, si animo retinendi librum, absolutè retineas, etiamsi post horam poeniteas, & Inquisitori tradas, censuram non effugies; secus verò si animo tradendi librum ex negligentia per breue tempus non tradas. Priorem partem probat, quia peccatum quod ex obiecto, & circumstantiis mortale est, in momento committi potest, quia in voluntate consistit, non in mora: voluntas autem absoluta retinendi librum, peccaminosa est mortaliter secundùm omnes, & ex illa procedit retentio exterior, etiam breuissimo tempore. Ergo sufficit ad incurrendam censuram.

11 Nihilominus credo probabilius te non incurrere censuram ob talem retentionem: sic docet Sayrus *tom. 1. thesauri casuum, lib. 3. cap. 5. num. 16.* Duard. *lib. 2. in can. 1. quaest. 51. num. 33.* Reginald. *lib. 9. num. 256.* Bonacina *disput. 2. de censur. quaest. 5. punct. 4. num. 15.* Sanchez *lib. 2. cap. 10. num. 55.* videtur consentire Farinacius *de haeres. quaest. 180. num. 41.* Ratio est, quia grauitas retentionis non desumitur solùm ex libro, qui retinendus est, sed etiam ex tempore, quo retinendus est, quod inde

inde constat. nam si haberes voluntatem retinendi vna hora librum, & statim illum tradendi, non video qua ratione quis dicere possit te grauem culpam commisisse? Requiritur ergo ad retentionem grauem mora temporis: ergo si tempus, quo de facto retines librum, breue est, etiamsi voluntatem haberes longo tempore retinendi, retentio illa exterior leuis censeri debet ad effectum incurrendi censuram; quia non incurritur censura ex voluntate retinendi, sed ex voluntate executioni mandata, quæ cùm non sit integra, & in materia graui exercita, sed in materia leui, non sufficit ad incurrendam censuram, sicut dixi de legente paucas lineas. Et ex hoc fundamentum contrarium manet solutum. Addendum est hanc excommunicationem extendi ad eos, qui partem libri retinent, sicut extenditur ad eos, qui partem libri hæretici legunt. sic Bonacina *num.15.fine.* Sanchez verò *cap.12.num.52.* excusat retinentem vnum tantùm folium, quia non videtur tam grauis materia in retentione, quàm in lectione: non enim ita grauiter lædit retentio, quàm lectio.

12 Tertiò dubitatur, an excuseris à censura Bullæ, si cùm primùm agnoscis librum esse hæretici, comburis?

Respondeo te excusari à censura Bullæ; quia combustio impedit retentionem in Bulla damnatam: sic Sanchez *lib.2.in Decalog.cap.10.num.56.* Suarez *de fide, disput.20. sect.2. num.23.* Farinacius *de hæres. quæst.180. num.40. fine.* At contrahis excommunicationem latam in Bulla Iulij III. quæ incipit, *Cùm meditatio,* quam adducit Pegna *in vlt. part. directorij, fol.mihi* 115. vbi post alia sic habet. Omnes, & singulos libros, Lutheranos, aut alios hæreticos, seu Lutheranam, aut falsam sectam in se continentes, vel à nobis, & dicta Sede quomodolibet reprobatos, penes se eos ex quauis causa, etiam mercaturæ, & ex nostra, ac eiusdem Sedis permissione, ac licentia etiam speciali, vt præfertur, penes eos existentes, Inquisitoribus hæreticæ prauitatis, in ciuitatibus, in quibus libri huiusmodi existunt, consignare debeant realiter, & cum effectu. & contra inobedientes apponit excommunicationem, & alias pœnas aduersùs hæreticos latas: & ne aliquis intelligeret supradictam Bullam loqui tantùm de personis illo tempore existentibus, & habentibus libros prohibitos, Pius IV. in alia Bulla edita anno 1564. quæ incipit, *Locum pro munere,* supradictam prohibitionem, & censuram extendit ad eos, qui postea habuerint. Idémque cauetur in regul.2.Indicis librorum prohibitorum, authoritate Trident.editi, & à Pio IV.confirmati, & iussu Clement.VIII.renouati, & in Bulla Pauli V. pro Hispaniæ regnis, quæ habetur in principio expurgatorij. Finis autem huius mandati est, vt author libri cognoscatur, & errores, qui in eo sunt, meliùs emendentur. Quapropter Inquisitores, cùm ad eos liber defertur, interrogare debent deferentem, vnde habuerit, à quo acceperit: & ita tradunt Pegna *in addit. ad Eymer. 2.p. comment.3.in cap.fraternitatis, de hæreticis, versic. propterea.* Bonacina *disput.2.de censur.quæst.5 punct.4.fine.* Sanchez *lib.2.cap.10.num.56.* Azor *tom.1. institutionum moralium, lib.8.cap.16.quæst.11.* Martin.Delrio *disquisit.magic.lib.5. sect.17.versic.sunt autem tales.* Farinacius *de hæresi, q.180. num. 40.* Augustinus Barbosa *3. part. de potestate Episcopi, allegat. 90. num.5.* Suarez *de fide, disput. 20. sect. 2. num.23.*

13 Tertia actio prohibita est impressio, sub qua comprehenduntur omnes illi, qui propriè illius causæ sunt, quíque verè imprimere dicuntur: quos optimè enumerat Vgolin. *de censur. Papæ reseruat. 2.part. cap.1. verbo imprimentes.* Sanchez *lib.2.cap.10. num.57.* Suarez *de fide, disput.20.sect.2. num.24.* ij enim affirmant comprehendi primò, componentes litteras, præparantes papyrum, & attamentum, prementes torcular, & similia: & in iis nullus dubitat, cùm hæ sint immediatè causæ impressionis. Secundò patronum officinæ, etiamsi propriis manibus non laboret, quia verè imprimere dicitur, & impressor nominatur. Tertiò authorem libri, seu eum, in cuius nomine liber imprimitur, quia in communi modo loquendi hic est, qui imprimit. Negant tamen comprehendi eum, qui expensas pro impressione faceret; quia hic valde remotè ad impressionem concurrit, nec imprimere dicitur, neque impressor nominatur. Et idem est de eo, qui litteras æneas, atramentum, papyrum, & reliqua ad impressionem necessaria donat, vel vendit; sunt enim hæ actiones nimis remotæ. Et idem iudicant supradicti Doctores de correctore, quia hic non tam imprimit, quàm impressum inspicit; dubito tamen de hoc, quia licèt corrigat, & inspiciat impressum, & ex relatione ad impressum, quod inspicit, si ibi sisteretur, non videatur sub imprimente comprehendi: at quatenus eius inspectio, & correctio iuuat ad illud impressum iterum emendatè imprimendum, comprehendi videtur. Adde comprehendi saltem sub actione legendi, quia verè librum legit. Denique est aduertendum eos, qui remotè ad impressionem concurrunt, posse fautores hæreticorum esse, si eas actiones præstent, vt hæresi faueant: sic Sanchez *suprà.*

14 Quarta actio prohibita in Bulla Cœnæ Domini, est defensio, siue publica sit, siue occulta librorum hæreticorum quouis ingenio, vel colore facta. Hæc autem defensio, & verbis, & factis contingere potest: factis contingit, si librum occultas, aut alio modo impedis, ne comburatur, néve iudicibus fidei tradatur. sic Sanchez alios referens, *lib. 2. cap.10. num.58.* Suarez *disput.20. sect.2. num.25.* Verbis contingit, si rationes quæras, vt persuadeas librum hæretici non esse comburendum. Item si argumenta dissoluas, quibus impugnatur, vel in sui fauorem rationes inuestiges: etiamsi hæc omnia occultè, & solus facias, & occasione inquirendæ veritatis: sic Sanchez, & Suarez *suprà.* Sed quid si diceretur: Hic liber optimus est, seclusa hæresi, vel non prohibitione, aut combustione dignus? Affirmat Suarez *num. illo 25.* esse defensionem, quia iam verbis defendis; credo intelligendum esse, quando coram aliis affirmat, secus si nullus audit: tunc enim nulla videtur esse illius libri defensio. Neque obstat si scriptis in suo cubiculo librum laudes, vocari defensorem, quia scriptura est quid permanens, & per illam continuò defendis, at verba transeunt: sic tradit Vgolinus *de censur. Papæ reseruat.2.part.cap.1. verbo ac eorum quomodolibet defendentes, num.2.versic.3.* Sanchez *num.58.* Si autem liber de religione tractat, neque vllam hæresim contineat, non censendus es defensor illius ex eo solùm, quòd eius doctrinam laudes; quia laudas, quod bonum est: & idem est, si laudes stylum, ingenium, & modum procedendi: at cautè debes procedere, ne videaris authori fauere, néve intendere minus bene ab Ecclesia esse prohibitum. sic Doctores suprà relati, & Farinacius *de hæresi, quæst.180.num.12.* Insuper dubitant Doctores, an dicaris defensor, si solùm dicas te velle defendere hunc libum? Negant Farinac. Sanchez, & Vgolin. *suprà*; quia id solùm est significare animum defendendi, non defendere; secus verò si iam in procinctu esses, & prouocares ad certamen. quia ipsamet prouocatio, & ad certamen præparatio, est defensio quædam. Ego verò in vtroque casu crederem esse defensorem, regulariter loquendo; quia illa voluntas sic significata retrahit impugnatores, & quasi illos difficiliores reddit librum subuertere, cùm videant habere patronum. quare licèt hæc significatio non sit defensio per certamen, sed illius significatio: illa tamen significatio est quædam defensio.

15 Quinto loco possumus de aliis actionibus dubitare,

tare, an sub prohibitione Bullæ comprehendantur; scilicet de transcriptione libri hæretici, déque illius venditione, asportatione, & emptione?

Respondeo has actiones, etsi expressè in Bulla Cœnæ non contineantur, sub lectione, retentione, vel defensione contineri. Transcriptio enim libri, cum lectione libri, illiúsque retentione coniuncta est. Et idem est de asportatione, emptione, & venditione, quæ absque retentione fieri nullatenus possunt. Adde decretis supradictis Iulij III. Pij IV. Clementis VIII. & Pauli V. excommunicationem, & pœnas alias contra vendentes, ementes, & asportantes hos libros latas esse, vt constat ex his quæ adducit Pegna 2. *part. director. comment.* 3. *ad cap. fraternitatis, & comment.* 17. *ad cap. nouerit, de sentent. excommun.* & Farinacius *quæst.* 180. *num.* 15. *& seqq.*

§. III.

Circa quas personas cadat hæc prohibitio legendi, & retinendi hæreticorum libros.

1 *Omnes comprehenduntur.*
2 *Ex speciali priuilegio Inquisitores eximuntur.*
3 *Extenditur facultas ad commissarios.*
4 *Limitatur doctrina in regno Hispaniæ.*
5 *Nullus præter Pontificem dare potest facultatem legendi libros hæreticorum.*

1 CONstat ex Bulla Cœnæ quascumque personas quacumque dignitate, siue Ecclesiastica, siue sæculari fulgentes, comprehendi. Vnde comprehenduntur Episcopi, Archiepiscopi, Primates, Patriarchæ, Cardinales: & ex sæcularibus etiam Rex, & Imperator; quia in iis, quæ ad religionem, & bonum fidei pertinent, directioni Ecclesiæ subduntur.

2 Solùm est difficultas, quibus ex speciali priuilegio hoc licitum sit?

Cui difficultati respondeo nemini alteri præter Inquisitores hæreticæ prauitatis esse generaliter concessum: constat ex Bulla Iulij III. suprà relata, & ex Bulla Pauli IV. & Pij IV. quas omnes adducit Pegna *in fine directorij, inter litteras Apostolicas, fol. mihi* 115. *&* 129. reuocante omnes facultates Episcopis, & aliis quibuscumque personis concessas, Inquisitoribus, & commissariis exceptis. Ex qua exceptione inferunt plures Doctores Inquisitores, & commissarios facultatem habere legendi, & retinendi hæreticorum libros. Nam licèt in supradictis Bullis positiuè illis hæc facultas concessa non sit, sed solùm excipiantur à reuocatione generali, illa exceptio videtur esse tacita concessio: sic tenet Pegna *director.* 2. *part. comment.* 3. *ad cap. fraternitatis, de heretic. versic. iam hæc prohibitio.* Vgolin. *tractat. de censuris,* 2. *part. in glossa aut pertinentes,* §. 1. *versic. tertiò in excommunicationem.* Azor *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 16. *quæst.* 13. Graffis *lib.* 4. *decis. cap.* 18. *num.* 45. *fine.* Martin. Delrio *disquisit. magic. lib.* 5. *sect.* 17. *vers. solis Pontificibus.* Farinacius *de hæresi, quæst.* 180. *num.* 43. esto contrà videatur sentire Thomas Sanchez *lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 46. Barbosa *de potest. Episcopi, allegat.* 90. *num.* 8. Suarez *disput.* 20. *de fide, sect.* 2. *num.* 28. affirmant namque illam exceptionem non esse concessionem tacitam.

3 Supradictam facultatem legendi libros extendunt Graffis, Pegna, & Farinac. ad commissarios inquisitionis non solùm à Sede Apostolica constitutos, sed etiam constitutos ab ipsis Inquisitoribus, quia absolutè dici possunt à Sede Apostolica constituti.

4 Limitanda hæc omnia sunt in regno Hispaniæ, vbi solùm Inquisitor generalis habet potestatem legendi libros hæreticorum, & cui ipse commiserit, non alius, constat ex Bulla Pauli V. apposita in principio Expurgatorij.

5 Ex his constat neminem à Pontifice, aut cui ipse expressè concesserit, posse dare facultatem legendi libros hæreticorum hæresim continentes, vel de religione tractantes, quia in dicta Bulla Cœnæ sibi Pontifex reseruat: & ita neque Inquisitores, neque Episcopi hanc facultatem dare possunt. sic Pegna *dicto comment.* 3. *vers. nunquid autem.* Sanchez *num.* 43. Farinacius *n.* 37. Azor *lib.* 8. *quæst.* 7. *&* 12. Barbosa *num.* 7. Concilium autem Cardinalium Sede vacante hanc facultatem concedere nemini poterit, nisi tam graue, támque euidens periculum immineret, vt omnibus, & singulis Cardinalibus videretur celeriter esse occurrendum; quia in his quæ ad potestatem, & iurisdictionem Pontificis pertinent, non possunt se alia via intromittere, vt constat ex *Clement. ne Romani, de elect.* & tradit Sanchez *num.* 44. Suarez *disp.* 20. *de fide, sect.* 2. *n.* 28.

Dixi non posse Episcopos, neque Inquisitores facultatem concedere legendi libros hæreticorum hæresim continentes, vel de religione tractantes. Nam si libri de religione non tractent, neque hæresim contineant, aut ab hæreticis conscripti fuerunt, dum erant Catholici, aut postquam Ecclesiæ fuerunt reconciliati, optimè possunt Inquisitores dare cui visum fuerit facultatem legendi. sic Azor *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 16. *quæst.* 12. Pegna 2. *p. comment.* 3. *ad cap. fraternitatis, versic. quorundam.* Farinacius *de hæresi, quæst.* 180. *num.* 37. & habetur 2. *reg. expurgatorij Romani.*

§. IV.

De pœnis impositis harum legum transgressoribus.

1 *Afficiuntur excommunicatione reseruata. Sunt de hæresi suspecti, & tanquam hæreticorum fautores puniendi sunt.*
2 *Componens scienter librum hæreticum, vt hæreticus puniendus est.*
3 *Transcribens suspicionem hæresis contrahit.*
4 *Imprimentes vltra excommunicationem, tanquam fautores puniendi sunt pœna arbitraria.*
5 *Retinens, vendens, defendens, asportans libros hæreticorum, suspectus est de hæresi.*
6 *Arbitrio iudicis relinquitur, an suspicio sit leuis, vehemens, vel violenta.*
7 *His pœnis solùm fideles baptizati afficiuntur.*

1 COnstat scienter legentes, retinentes, imprimentes, aut defendentes hæreticorum libros de religione tractantes, vel hæresim continentes, esse excommunicatos, excommunicatione reseruata in Bulla Cœnæ clausula prima. Secundò constat de hæresi esse suspectos sic legentes, retinentes, &c. Tertiò reputari hæreticorum fautores. Vt autem hæc pleniùs cognoscantur, pro foro externo breuiter singula perstringemus.

2 Et primò dicendum est de componente librum, in quo hæreses continentur; is enim si ex proposito hæreses scripserit, & defensauerit, vt hæreticus puniendus est, quia est verè hæreticus, cùm scienter contra Ecclesiæ sensum doceat, & maiori cum deliberatione, quàm si verbis hæresim protulisset. Quòd intelligendum est, etiamsi in principio libri protestationem fecerit, quia contrario facto eam abrogauit; secus verò dicendum est, si non ex proposito, sed quasi per transennam scripsit hæresim; præsumitur enim non ex malitia, sed ex ignorantia scripsisse; præsertim si res obscura erat, & difficilis, & protestationem fecit, vel aliàs Catholicus, & probus communi hominum opinione

habetur: sic tradunt Pegna *direct. 2. p. com. 3. ad cap. fraternitatis, versic. horum tamen sententia.* Azor *tom. 1. lib. 8. cap. 16. quæst. 10. in medio.* Farinac. *de hæresi, q. 180. num. 16. & 17.* Mascard. *de probation. conclus. 862. num. 3. & 5.* & alij. Idem iudicium est de falsantibus, seu corrumpentibus Catholicorum libros, praua dogmata illis miscendo: sic docent Pegna *2. p. direct. com. 17. ad cap. nouit. de sentent. excommun. verf. denique.* Farinac. *num. 14.* Menoch. *de arbitr. cent. 6. casu 549. num. 5.* Modi autem, quibus hæc falsitas contingit, optimè à supradictis Doctoribus expenduntur.

3 Secundò dicendum de transcribente hos hæreticorum libros, qui si scienter fecerit, suspicionem hæresis contrahit, & tanquam fautor hæretici damnandus est: tradit Azor *cap. 17. quæst. 5.* Pegna *direct. 2. p. com. 17. verf. sed hac sententia, & seqq.* Farinac. *num. 18.* Sæpè tamen ab hac suspicione excusari potest, primò si statim post scripturam libros combusserit, aut lacerauerit. Secundò, si iussu domini, & metu incusso non ausus fuit denuntiare. Tertiò, si tanquam discipulus putauit malitiam, & venenum ibi non adesse. Quapropter prudentis arbitrio hæc omnia expendenda sunt, vt qualitas culpæ cognoscatur, & iuxta illam grauis, vel leuis, aut nulla suspicio habeatur: sic Azor, Pegna, & Farinac. & alij *suprà.*

4 Tertiò dicendum de imprimentibus illos, qui vltra excommunicationem tanquam fautores hæreticorum puniendi sunt pœna arbitraria, vt statuit Pius V. ad indicem librorum prohibitorum *reg. 10.* sic Farinac. *n. 19.* Menoch. *cent. 6. casu 549.* Vgolin. *de censur. 2. p. in glossa imprimentes.* Pegna *2. p. com. 17. col. 1. in fine.* Aduertendum insuper est constitutione Leonis X. in Concilio Lateranensi, quæ incipit, *Inter solicitudines*, edita anno 1515. prohibitum est omnibus typographis, ne libros, & alias scripturas, quæcunque sint, etiamsi hæresim non contineant, nec de religione tractent, in vrbe imprimant absque examine, & approbatione in scriptis obtenta sui Vicarij, & Magistri sacri Palatij, & in aliis diœcesibus absque approbatione Episcopi, & Inquisitoris hæreticæ prauitatis. Qui autem secus præsumpserit, vltra librorum impressorum amissionem, & illorum publicam combustionem, & ducatos centum fabricæ sancti Petri, per annum ab exercitio imprimendi suspenditur, & excommunicationem ipso facto incurrit, reseruatam solùm Episcopo ex vi huius decreti; & crescente eorum contumacia pœnæ augendæ sunt à Vicario in vrbe, & ab Episcopis alibi. Concilium autem Trident. *sess. 4. decreto de editione librorum*, sub eisdem pœnis cauet, vt nemini liceat imprimere, vel imprimi facere quoslibet libros de rebus sacris sine nomine authoris, neque illos in futurum vendere, aut etiam apud se retinere, nisi priùs examinati, probatique fuerint ab ordinario, quæ quidem licentia in scriptis habenda est. Quòd si volentes imprimere regulares fuerint, indigeant licentia, & approbatione suorum superiorum. Hæc Concilium. In regno tamen Castellæ lege regia vsu recepta sufficit licentia supremi Concilij, de cuius mandato examinatur priùs liber ab aliquo viro docto. In vrbe Vicarius remittit librum videndum Magistro sacri Palatij, cuius licentia habita typographus imprimit, præfixa in principio libri sola clausula, *De licentia superioris*, aut æquipollentis. In regno Portugaliæ seruatur decretum Concilij Lateranensis. non enim ibi imprimitur liber, nisi obtenta licentia ab Ordinario, & Inquisitoribus. Subdit deinde Concilium. Qui autem scripto eos (id est, supradictos libros) communicant, vel euulgant, nisi antè examinati, probatique fuerint, eisdem pœnis subiiciant, quibus impressores. Sub quibus verbis, vt suprà dixi, congregatio Cardinalium declarauit intelligi conciones, annotationes, quæstiones, & alia similia, quæ communicantur ad effectum, vt typis mandentur; secus hoc fine cessante. tradit Man. Rod. *tom. 2. qq. regul. q. 104. art. 1 fine*, Barbosa alios referens, *3. p. de potest. Episc. alleg. 90. in fine.*

Sed inquires, an si imprimas librum falso nomine authoris supposito, pecces aduersùs hanc legem Concilij?

Credo te peccare, quia verè ille liber est absque nomine authoris, omniáque inconuenientia, quæ Concilium intendit vitare in libris sine nomine authoris, procedunt, cùm sub nomine ficto imprimitur. Non enim author tunc conueniri potest, vt rationem reddat de doctrina asserta. Quapropter inter modos perniciosos falsificandi libros hic enumeratur à Pegna *direct. inquisit. 2. p. com. 17. ad cap. nouerit, verf. denique qualis sit, & seqq.* Farinac. *de hæresi, q. 180. num. 14.*

5 Quartò dicendum est de retinentibus, defendentibus, asportantibus, vendentibus, & ementibus; si enim hi libros hæreticorum, in quibus hæreses disseminatæ sunt, scienter retineant, defendant, asportent, &c. sine dubio hæresis suspecti sunt, quod multis relatis docent Pegna *2. p. director. com. 3. ad cap. fraternitatis, versic. sed alter casus.* Martin. Delrio *lib. 5. magicæ sect. 17. verf. sunt etiam.* Menoch. *de præsumpt. lib. 5. præsumpt. 6. num. 18.* Farinac. *de hæresi, quæst. 180. num. 8.* Azor *lib. 8. c. 16. q. 10.* Quod verum est, etiamsi nunquam sic retinentes libros legerint, sic Decian. *tract. crim. lib. 5. cap. 37. num. 55.* Farinac. *num. 20.*


6 Sed an hæc suspicio leuis, vehemens, violentáve sit? variant Doctores, vt videre est in Farinac. *num. 9.* Pegna *dicto com. 3. versic. an autem hac suspicio.* Probabilius mihi videtur arbitrio iudicis remittendum esse, qui pro qualitate circunstantiarum aliquando de leui, aliquando de vehementi, aliquando de violenta suspicione reum condemnauit, sic Simanc. *de Catholic. instit. tit. 38. num. 24.* Zanch. *tract. de hæreticis, cap. 7. num. 7.* Albertin. *tract. de agnoscend. assert. Cathol. quæst. 28. num. 16. & 30.* Menoch. *lib. 5 præsumpt. 6. num. 18.* Mascard. *tom. 2. conclus. 862. num. 7. & seq.* Paramus *de orig. inquisit. lib. 3. quæst. 9. num. 147.* Pegna, & Farinac. *suprà.* Aduerto tamen aliquando ex retentione, vel asportatione librorum, nullam hæresis suspicionem oriri in retinente, aut asportante, quia probatur per indicia ferè manifesta omnino ignorasse qualitatem illorum librorum: sic Lœlius Zech. *in summ. 1. p. tit. de fide. rubr. de hæresi, cap. 11. num. 5. versic. tertia præsumptio.* Pegna *com. illo 3. versic. an hac suspicio, & com. 17. versic. cæterùm in scriptore, & latore.* Farinac. *quæst. 180. num. 9.* Quocirca vt sic retinens, vel asportans libros hæreticorum suspectus de hæresi sit, & vt talis possit torqueri, & ad purgationem condemnari, debet esse malæ famæ, malæ vitæ, & conditionis, aut aliàs de hæresi diffamatus; secus verò si bonæ vitæ, & famæ sit, neque vnquam de hæresi suspectus. sic Albert. *suprà num. 15. & 26.* Pegna *com. illo 3. verf. an autem hac suspicio.* Farinac. *num. 48.* Mascard. *num. 10.* Decian. *tract. crimin. lib. 5. cap. 46. num. 26. in fine*, & alij.

7 Tandem placet aduertere supradictas omnes pœnas intelligendas esse pro fidelibus baptizatis, quia ij solùm sunt Ecclesiæ subiecti. At Iudæis non baptizatis si temporali Christianorum dominio subdantur, prohibiti sunt libri hæretici, & nostram religionem impugnantes, vel eorum falsam perfidiam defendentes. iuxta constitutionem Iulij III. edita anno 1554. incipiente, *Cum sicut*, & iuxta constitutionem Gregor. XIII. edita anno 1581. incipiente, *Antiqua Iudæorum.* Pœnæ autem pro qualitate criminis arbitrio Inquisitoris imponendæ sunt, sic Pegna *2. p. direct. com. 3. ad cap. fraternitatis, versic. postremo, fol. mihi 94.* Bursatus *lib. 1. consil. 90. num. 1. & 2.* Simanc. *de Catholic. instit. tit. 35. rubr. de Iudæis, num. 11.* Farinac. *de hæresi, quæst. 180. num. 10.*

DISPV

DISPVTATIO III.

De hæresi, & Apostasia à fide.



SVPERIORI disputatione egimus de his, quæ communia sunt infidelibus baptizatis, & non baptizatis. In præsenti disputatione agendum est de his, quæ specialiter in fidelibus baptizatis conueniunt. Ij enim tantùm (vt iam diximus) Apostatæ dicuntur, qui deserunt fidem solemni ritu Ecclesiæ receptam, siue illam deserant, paganismo, Iudaismo, aut hæresi.

PVNCTVM I.

Quid sit obiectum hæresis, & apostasiæ à fide.

1 *Propositio contraria fidei est hæresis.*
2 *Distinguitur varia contradictio, quæ potest esse.*
3 *Propositio hæretici omnimodam contrarietatem habet cum obiecto fidei.*
4 *Propositio erronea contradicit obiecto fidei; non immediatè, sed mediatè.*
5 *Hæresim sapit propositio, quæ per consequentias moraliter certas obiecto fidei contradicit.*
6 *Malè sonat propositio duplicem sensum habens, Catholicum, & hæreticum, & frequentiùs in malum accipitur sensum.*
7 *Temeraria, quæ sine regula rationis procedit.*
8 *Scandalosa, si occasio sit alteri errandi, vel mali de fide sentiendi.*
9 *In qualificandis propositionibus etiam committi possunt supradicti defectus.*

1 VT definitionem hæresis, & apostasiæ à fide colligamus, præmittenda est cognitio obiecti, seu materiæ, circa quam versatur. Materia ergo, & obiectum hæresis est, quod obiecto fidei immediatè repugnat: cùm enim D. Thom. communiter receptus 2. 2. *quæst.* 11. *art.* 2. dixerit hæresim esse, quæ fidem corrumpit, infertur sanè obiectum hæresis, obiectum fidei corrumpere, illique est contrarium. Ex quo fit quamlibet propositionem ex diametro oppositam propositioni fide diuina credendam hæresim esse, quia est propositio destruens obiectum fidei, & fidem corrumpit.

Aliquibus placet non sufficere hanc directam contradictionem fidei, vt propositio hæretica sit, nisi accedat pertinacia in proferente; eo quòd contradicere quis potest fidei obiecto ignoranter, quia ignorantia posita hæreticus non est: sic docuit Caietan. 2. 2. *q.* 11. *art.* 1. & ibi Bannes *art.* 2. Sed laborant ij in æquiuoco; aliud enim est loqui de propositione hæretica formali, aliud de obiectiua, & materiali. Fateor ergo ad propositionem hæreticam formalem, quæ idem est ac hæresis, requiri pertinaciam; at ad propositionem hæreticam obiectiuam, seu ad obiectum hæresis, pertinacia non requiritur, quia hoc obiectum in sola contradictione cum obiecto fidei consistit.

2 Sed quia hæc contradictio cum obiecto fidei, alia est directa, alia indirecta, alia mediata, alia immediata, alia certa, alia solùm probabilis, & secundùm apparentiam, propositio fidei contraria distinguitur in hæreticam, erroneam, hæresim sapientem, malè sonantem, pias aures offendentem, temerariam, scandalosam, blasphemam, & similia, de quarum distinctione latè agit Castro *lib.* 1. *de iusta hæreticorum punitione, cap.* 3. *& seqq.* Cano *lib.* 12. *de locis, à cap.* 8. Turrecremata *lib.* 4. *sum. de Ecclesia*, 2. *part. cap.* 8. Simancas *de catholic. institut. tit.* 54. Albertin. *tit. de agnoscenda assert. fidei, quæst.* 6. *& seq.* Pegna *in director.* 2. *part. comment.* 26. *&* 27. Caietan. 2. 2. *quæst.* 11. *art.* 1. Bannes *art.* 2. Lorca *disput.* 40. Torres *disput.* 55. *dub.* 3. Suarez *de fide, disput.* 19. *sect.* 2. Coninch *disput.* 18. *dub.* 8. & constat satis hæc distinctio ex Concilio Constantiens. *sess.* 8. in decreto damnante articulos VVicleph, & *sess.* 15. in decreto aduersùs errores Ioan. Hus, & ex Bulla Pij V. & Gregor. XIII. contra Michaëlem Baium.

3 Propositio ergo hæretica est illa, quæ habet omnimodam contrarietatem cum obiecto fidei, aliàs fidem destruere non poterit: illa autem dici debet, habere omnimodam contrarietatem, quæ negat quod in se, & expressè est à Deo reuelatum. Cùm ergo propositio fidei necessariò debeat niti diuinæ reuelationi, propositio illi contraria negare hoc fundamentum debet. sic omnes Doctores suprà relati. Ex qua ratione conuincitur omnem propositionem hæreticam habere æqualem gradum falsitatis, quia quælibet propositio fidei habet æqualem gradum certitudinis; tota enim eius certitudo à diuina reuelatione prouenit, cuius infallibilitas eadem est in omnibus reuelationibus, quia omnes authoritati diuinæ adhærent.

4 Propositio erronea, quatenus ab hæretica distinguitur, est quæ contradicit obiecto fidei non immediatè, sed mediatè, quia non negat obiectum, quod in se est reuelatum; negat tamen obiectum, quod est reuelatum in sua causa. Exemplo rem declaro. Si negares Christum esse visibilem, talis negatio esset erronea propositio, quia negas obiectum, quod in sua causa reuelatum est, licèt in se reuelatum non sit: reuelatum namque est Christum esse verum hominem, licèt non sit reuelatum esse visibilem. Sed quia ex vno aliud infertur euidenter, inde qui negaret esse Christum visibilem, erraret in fide. Neque obstat negantem hanc propositionem, quæ vocatur Theologica conclusio, puniri tanquam hæreticum, quia hoc est, quia non præsumitur negare principium illud euidens, ex quo conclusio talis infertur, scilicet omnem hominem visibilem esse: si autem hoc principium stultè negaret, vel fingeret Deum separasse illam proprietatem in Christo, non hæreticus, sed erroneus esset iudicandus: sic expressè Suarez *num.* 15. Coninch *n.* 130. Torres *disp.* 55. *dub.* 3. *§. item & alij.*

5 Propositio hæresim sapiens quatenus ab hæretica, & erronea distinguitur, & illis minor est, dicitur ea, quæ non per euidentem consequentiam, sed per consequentias probabilissimas, & moraliter certas obiecto fidei contradicit. sic Lorca *disput.* 40. *num.* 10. Coninch *num.* 131. Suarez *num.* 17. Et ratio est, quia proferens propositionem, sic obiecto fidei contradicentem, suspectus redditur hæresis, efficitur sanè hæresim sapere. Apponit Coninch, & Lorca exemplum, vt si quis diceret: stultum, & inutile est venerabile sacramentum solemni pompa in supplicationibus circumferre, quia per consequentias probabilissimas, & moraliter certas videtur inferri, dissentire Christum ibi esse præsentem. At ego dicerem talem propositionem erroneam, vel hæreticam esse; quia contradicit saltem per euidentem consequentiam obiectis reuelatis; reuelatum enim est Christum Dominum in sanctissimo Eucharistiæ sacramento adesse: sed lumine naturæ est notum reuerentiam esse exhibendam sacris rebus. Ergo per euidentem consequentiam infertur non esse stultum, & inutile venerabile Eucharistiæ sacramentum solemniter reuereri, siquidem est res omnium sanctissima.

6 Propositio malè sonans, vt distinguitur à supradictis, & illis est in malitia inferior, dicetur ea, quæ duplicem sensum proprium habet; alium catholicum, alium hæreticum: sed quia frequentius secundùm sensum

sum hæreticum accipitur, absolutè prolata malè sonat. sic Lorca *illa disp.40.num.15.* Coninch *num.133.* Suarez *num.18.* vbi bene aduertit aliquando propositionem esse male sonantem non ex se, sed ex conditione personæ proferentis, eo quòd proferens suspectus sit.

7 Temeraria propositio est, quæ in rebus ad fidem, vel bonos mores pertinentibus sine regula rationis procedit: quomodocunque autem quis procedat aduersùs receptam Doctorum sententiam, regulariter præsumere potest, sine ratione procedere, quia debet præsumere tot tantósque viros ei contrarios fundamento non caruisse, ac proinde cùm se illis opponit, vel non intelligere eorum fundamentum, vel in sua ratione eludi, sic Coninch *num.133.* Suarez *num.20.*

8 Scandalosa propositio dici potest quælibet ex supradictis; si occasio sit alteri errandi, vel malè de fide sentiendi. Nam cùm scandalum sit, quod ruinam proximi parat, propositio, quæ alteri occasionem errandi tribueret, meritò scandalosa propositio in materia fidei diceretur.

9 Aduerto tamen cum Suarez *num.21.* non solùm errare posse circa propositionem, sed etiam circa illius censuram. Quare si propositionem de fide, vel theologicam, vel à Doctoribus receptam dicas esse erroneam, vel falsam, vel scandalosam, vel temerariam: errorem committis, vel hæresim sapis, vel temerarius existis, ac si de facto propositionem negares. Quia virtualiter illam negas, & insuper contra rationem nota infami illam inuris. Quocirca si aliquam sententiam in scholis probabilem, tu improbabilem iudicares sine fundamento euidenti, temerarius existeres; quia communi sensui Doctorum aduersaris iudicantium, sententiam illam probabilem esse. Vnde in qualificandis aliorum opinionibus prudentia maximè opus est. Ex quo fit, si Ecclesia definit aliquam propositionem hæreticam, aut temerariam, aut scandalosam esse, credo de fide esse tali censura esse dignam: quia aliàs obligaremur fateri Ecclesiam errare posse in his quæ ad fidem pertinent, contra Paulum *ad Timoth.3.* dicentem Ecclesiam esse columnam, & firmamentum veritatis.

PVNCTVM II.

Quid sit hæresis.

1 *Definitur hæresis, & explicatur.*
2 *Stet ne hæresis cum ignorantia vincibili, & crassa. Proponuntur variæ sententiæ.*
3 *Probabilius est quamlibet ignorantiam excusare ab hæresi iure Ecclesiastico punita.*
4 *Proponitur quædam obiectio, & soluitur.*
5 *In foro externo allegans ignorantiam non creditur.*
6 *Quid si moneatur ab Episcopo, Inquisitore, vel alio viro docto de suo errore? Reputandus est in foro externo, & interno hæreticus.*
7 *Qua ratione protestatio fidei excuset ab hæresi.*
8 *Dubitantem in fide voluntariè aliqui excusant ab hæresi.*
9 *Tenendum tamen est hæreticum esse.*
10 *Satisfit rationibus, num.8. adductis.*
11 *Circa obiectum fidei sufficienter propositum opinatiuus assensus haberi potest secundum sententiam Suarez.*
12 *Tenendum est contrarium.*
13 *Sitne hæreticus dissentiens speciali reuelationi sufficienter propositæ? Proponitur dubitandi ratio.*
14 *Statuitur hæreticum esse sic dissentientem.*
15 *Incidat ne in pœnas hæretico positas examinatur?*
16 *Dissentiens à fide verbo, vel facto, mente illam retinens non incidit in pœnas hæreticorum, neque est propriè hæreticus.*
17 *In foro externo alleganti ex animo prauo non fecisse non creditur.*
18 *Negantem propositionem theologicam, qui existiment hæreticum esse.*
19 *Verius est præsumi.*
20 *Ad committendam hæresim non requiritur baptismus, benè tamen ad hæresim ab Ecclesia punibilem.*

1 Omissis variis huius nominis acceptionibus, de quibus agunt Doctores statim referendi, Hæresis, secundùm scriptores Ecclesiasticos ab electione dicitur, non bona, sed mala, quia malè elegit, qui relicta vera, probatáque doctrina, singularem, & à proprio iudicio inuentam elegit. Communiter in hunc modum definitur, vt sit error voluntarius, & pertinax contra doctrinam, & veritatem fidei Christianæ. sic Cano *lib.12.de locis, c.8.* Coninch *disp.18.dub.7.* Suarez *disp.19. de fide, sect.1. num.5. & sect.3. num.8.* Bonacina *disp.1.de censur.q.5.num.1.* Farinac. *de hæresi, quæst.178.§.1.in princ.* Expendo singula: est error voluntarius, quia sine voluntate non est peccatum; est pertinax, quia propriæ adhæret opinioni, videns aduersari Ecclesiæ doctrinæ, nec paratus est corrigi, & emendari. Et quidem pertinaciam ad hæresim requiri ferè omnes Doctores affirmant cum August. relato *in cap. qui in Ecclesia, 24 quæst.3.* & Concilio Vienensi relato *in Clem.1. de summa Trinit. §.2.* variant tamen in eius explicatione. Mihi probabilius apparet pertinacem errorem illum esse, qui est ex cognitione oppositionis cum fide; quia vsque quis cognoscit assensum suum doctrinæ ab Ecclesia Romana receptæ contrariari, pertinax censeri non debet; posita verò illa cognitione, si propriæ opinioni aduersæ doctrinæ Ecclesiæ adhæreat, iam pertinax censendus est; siquidem resistit Ecclesiæ, & per illam non corrigitur: Sanchez *lib.2.cap.7.à num.2.* Valent. *2.2.disp.1.q.11.p.1. difficult.4. ad 2.* Coninch *dub.7. num. 78. & à num. 93. & seq.* Bonacina *num.1.* Vasquez *1.2. disp.126. num.6.* & alij.

Pro clariori huius definitionis cognitione sunt aliquæ difficultates enodandæ. Prima, an cum ignorantia vincibili, & crassa, vel affectata stet peccatum hæresis?

2 Plures Doctores sentiunt sufficere primò, quia hæc ignorantia in furto, homicidio, & aliis delictis non excusat. Ergo neque excusat in peccato hæresis. Secundò, qui vincibiliter, & culpabiliter ignorat, peccat contra fidem. Ergo vel paganismo, Iudaismo, aut hæresi, quia non sunt aliæ infidelitatis species. Tertiò, quia eiusdem speciei est peccatum ex ignorantia, ac ex malitia, cùm species peccati ex obiecto sumatur, non ex modo; sed error contra fidem ex malitia est peccatum hæresis; ergo etiam ex ignorantia culpabili: sic docet Sotus *in 4. dist.22.q.2.art.3.post 5.conclus. casu 1.* Lopez *2.p. instruct. cap.20.tit.de excommunicat. reseruata in Bulla Cœnæ, casu 1.* Lorca *2.2.q.11.disp.41. num.15.* Alij limitant hanc sententiam ad ignorantiam ita crassam, vt facillimo negotio superari possit: sic Sayrus *in thesauro casuum, tom.1. lib.3.cap.4.num.15.* reputat probabile Valent. *2.2.disp.1. quæst.11. p.1. difficult. 4. post solutionem ad 4.* Etsi contrarium sequatur. Mouentur, quia hæc ignorantia constituit culpam latam, & videtur scientiæ æquiualere. Alij vlteriùs limitant ad solam ignorantiam affectatam cum hac dicunt hæresim existere: secus cum alia ignorantia. sic Cano *lib.12.de locis, cap.9.& seq.* Nauarr. *lib.2. de restit. cap 4. dub.9. num.89. in noua edit. & in 1. dub.8. num. 108.* Valent. *suprà in solut. ad 1.* Corduba *lib.1.qq. quæst.17.§.7.* Torres *de Trinit. quæst.32.art.4. in 2.p. comment. assert.1.* consentit Sanchez ex parte *lib. 2. cap.7. num. 23.* & Bonacina *de censuris disp. 2. quæst. 5. num.7.* Quorum fundamentum est, quia sic affectans ignorare, affectat errare; sed qui affectat errare, affectat contradicere Ecclesiæ. Ergo pertinaciter se illi opponit. Ergo est hæreticus. Quapropter solet dici ignorantiam affectatam

ctatam non minuere peccatum, sed aggrauare, & scientiæ in omni materia æquiualere.

3 Nihilominus probabilius censeo, quamlibet ignorantiam etiam affectatam, quæ causa sit erroris, excusare à peccato hæresis, cui excommunicatio, aliæque pœnæ Ecclesiasticæ imponuntur: docet hanc sententiam Azor *tom. 1. lib. 1. instit. moral. cap. 14. quæst. 9. & lib. 8. cap. 8. quæst. 4. & cap. 9. quæst. 8.* Aragon 2. 2. *quæst. 11. art. 1. verf. propter hæc argumenta.* Bannes *art. 2. versic. sed quæret quis.* Coninch *disp. 18. dub. 7. concl. 4. & 5.* Suarez *disp. 19. sect. 3. à num. 9. & præcipuè num. 18.* Farinacius *de hæresi, quæst. 179. num. 29. & 30.* Moueor, quia impossibile est te voluntariè contradicere Ecclesiæ authoritati, in quo pertinacia consistit, nisi cognoscas Ecclesiam contrariam tibi esse, vt multis allegatis docet Farinacius *de hæresi, q. 179. §. 1. n. 1.* sed cum ignorantia affectata, quę causa sit erroris, non stat hæc cognitio. Ergo non stat pertinacia. Et confirmo, si voluntatem habeas mutandi sententiam propriam, quoties videris Ecclesiæ definitioni contradicere, nullo modo potest dici pertinax in tuo errore; siquidem paratus es corrigi: sed cum ignorantia affectata potest esse talis voluntas. Ergo. Probo minorem; quia affectare potes nescire, quòd doceat Ecclesia, ne cogaris aliud sentire. Ecce affectas ignorantiam, quę tamen non obstat, sed potiùs includit voluntatem obediendi Ecclesię, cùm tibi clarè fuerit propositum.

4 Dices, si affectas ignorantiam, ex eo quòd paruipendeas Ecclesiæ authoritatem, es verus hæreticus; quia non es paratus corrigi ab Ecclesia. Item si erras ex affectu liberiùs errandi, error est summè voluntarius. Ergo ignorantia affectata constituit hæresim.

Respondeo, in supradictis casibus te committere hęresim, non in errore procedente ex affectata ignorantia, sed in errore voluntario, qui procedit ex scientia, quo despicis Ecclesię authoritatem, hic enim despectus hæresis est, quia est negatio infallibilis authoritatis. Similiter dico, cùm erras ex affectu liberiùs errandi; aut enim scis te errare, aut ignoras: si scis te errare, scire debes tuum assensum Ecclesiæ esse contrarium, & sic cessat ignorantia, & succedit scientia: si autem ignoras te errare, & ita es affectus errori, vt quamuis scias Ecclesiam in contrarium procedere, non derelinquas, committes hæresim: si autem habeas voluntatem relinquendi errorem; si cognoscas esse Ecclesiæ contrarium, non debet censeri pertinax; & ex his soluuntur fundamenta contraria.

Ad tria priora fundamenta, admitto in materia iustitię, & charitatis, & honestatis, &c. non excusare ignorantiam à peccato proprio contra illas virtutes, quia ignorantia non mutat peccati obiectum, sed modum operandi magis, vel minus voluntarium: at in materia fidei mutatur obiectum ex ignorantia, vel scientia; cùm enim obiectum fidei sit diuina reuelatio ab Ecclesia proposita, & hæc in errore commisso ex ignorantia etiam affectata occultatur, non potest error tunc commissus contradicere tali reuelationi ignoratę, ac proinde non potest cum fide habere oppositionem; siquidem non habet cum illius obiecto. Quapropter si bene perpendatur error sic commissus, non est peccatum directè contra fidem, sed contra obligationem sciendi res fidei; quia tota eius malitia non tam ex errore positiuo, quàm in defectu huius obligationis, ex quo talis error nascitur, consistit.

Ad fundamentum illud de ignorantia affectata, nego affectantem ignorare, affectare directè errare, sed indirectè tantùm, quatenus sequitur error ex omissione obligationis sciendi quæ sint ab Ecclesia reuelata. Ex huiusmodi affectu erroris indirectè non sequitur, quòd affectet contradicere Ecclesiæ formaliter, sed solùm materialiter: in qua contradictione formali stat hæresis, non in contradictione materiali. Ad illud quod addebatur, concedo ignorantiam affectatam non minuere grauitatem peccati in sua specie; nego tamen transferre peccatum ad aliam speciem hæresis, sed relinqui peccatum in specie erroris contrarij obligationi sciendi quid sit reuelatum.

5 Aduerto tamen pro foro externo, errans in fide, si alleget ex ignorantia errasse, non creditur, si error commissus sit in his, quæ quis ex officio scire tenetur, vel quæ passim, & communiter omnes illius qualitatis sciunt. Vnde Sacerdotes, Episcopi, & alij viri docti errantes in articulis fidei, & pręceptis Decalogi, ex malitia præsumuntur errare, & non ex ignorantia. sic Menoch. *consil. 82. num. 175.* Farinacius *de hæresi, quæst. 179. n. 27. & 28.* Simancas *de catholic. institut. tit. 27. rubr. de fide catholica, num. 13.* Decian. *in tractat. crimin. lib. 5. cap. 37. num. 15.* Pegna *direct. 1. part. quæst. 7. comment. 22. versic. sit secunda regula.*

6 Sed inquires primò, an supradictus errans ex ignorantia si moneatur ab Episcopo, vel Inquisitore, vel aliis viris doctis de suo errore, & adhuc perseueret in illo credens non esse contra Ecclesię definitionem, verè sit hæreticus, & fidem amittat? Alij affirmant, vt videre est apud Sanchez *lib. 2. cap. 7. num. 26.* Alij negant, quibus adhæret ipse Sanchez motus ea ratione, quia sola Ecclesia est regula veritatis; Episcopi verò, & Inquisitores, aliique viri docti falli, & fallere possunt. Ergo discredens illis, & credens Ecclesiæ, non est hæreticus, quia non pugnat cum Ecclesia. Breuiter tamen respondeo tam in foro externo, quàm interno tanquam hæreticum pertinacem reputandum esse, quia satis pertinax ostenditur, qui suo cerebro ductus contemnit Ecclesiæ authoritatem per magistros ipsius declaratam. Illa enim declaratio solemnis, & publica, qua testantur homines ita grauissimi mysterium illud receptum esse ab Ecclesia, facit euidentiam moralem mysterium illud ab Ecclesia receptum esse. Ergo si euidentiam habeas quòd sit euidenter credibile quidquid ab Ecclesia Romana proponitur, & discredis mysterio sic proposito; verè, & in rigore Ecclesiæ authoritati contradicis. Aliàs nullus esset censendus hæreticus, quia nullus est qui Ecclesiæ veræ, & à Christo institutæ non intendat credere; sed quia huic intentioni censetur contradicere, cùm negat quæ illi proponuntur esse recepta ab Ecclesia Romana; ideo hæreticus iudicatur. Adde rarum esse, cui Ecclesia Romana immediatè mysteria credenda proponit, sed proponit mediis Episcopis, pastoribus, & Doctoribus. Ergo si mysteriis ab iis propositis non teneris credere fide diuina, nunquam teneris credere. Denique in foro externo iudicandus esses hæreticus, & pertinax, si mysteriis ab Episcopis, & Inquisitoribus propositis dissentires, vt tradit Bart. *l. tutor. §. tutores, num. 1. ff. de suspectis tutoribus.* & ex illo Rebuff. *praxi beneficiaria in Bulla Cœnæ, excommunicat. 1. art. 1. verbo hæresis, vers. quæret quis.* Vgolin. *de censuris Pontifici reseruatis, 2. part. cap. 1. §. 1. num. 1.* Pegna *direct. 1. part. comment. 26. ad quæst. 12.* & alij ab eisdem relati. Ergo etiam in foro interiori censendus es hæreticus, quia illud iudicium non nititur aliqua falsa præsumptione, sed veritate, qua iudicatur dissentientem mysteriis sic propositis Ecclesiæ authoritatem voluisse contemnere. Neque obstat ratio in contrarium; concedo namque neminem præter Romanum Pontificem esse regulam veritatis, sed non obinde infertur te non esse obligatum credere, quę tibi viri docti proponunt, quia non obligaris credere tanquam ab ipsis proposita; sed tanquam proposita ab Ecclesia mediis illis viris doctis, quos Ecclesia vt procuratores suos assumit; quare illi non solùm tibi proponunt mysteria credenda, sed proponunt tibi esse ab Ecclesia Romana proposita: & cùm in hoc secundo nulla possit esse moralis dubitatio, sit sanè te sic dissentientem, dissentire Eccle-

Ecclesiæ propositioni sufficienter manifestatæ, ac proinde hæreticum esse, & ita docet Suarez *disp.19. sect.3. num.21.*

Aduertit tamen benè Sanchez *lib.2.in Decal.c.7.n.26.* cum Tolet.*lib.4.sum.cap.3.n.*8.& tradit Farinac.*de hæresi, q.179.§.2.n.14.* faciliùs hominem doct[illegible] pertinacem hæreticum esse iudicandum, si dissentiat [illegible]steriis fidei propositis,quàm hominem rusticum,qui ignorare facilè potest regulas fidei, & obligationem credendi.

7 Sed inquires secundò, an protestatio pertinaciam excludat? Pono protestationem fidei esse fidei professionem: sic ex communi sententia docet Simancas *de Catholic. institut.tit.55.rubr.de protestatione,num.3.* Albertin. *in tract.de agnoscend. assert.Catholic. & hæret. q.12. num.2.* Pegna *director.1.p.q.12.com.26.vers.protestatio.* Hæc autem fidei protestatio excusat protestantem, si postea hæresim committat, ne præsumatur commisisse scienter,& cum pertinacia, ex text. *in cap.dixit Apostolus, 24. q.3.& ibi glossa,verbo pertinaci.* & tradit Albertin. *num.*6. Simanc. *num.*4. Farinac. *de hæresi.q.178.num.*150. & alij ab eisdem relati. Sed hoc intelligendum est, cùm verba sunt dubia; aut materia circa quam erratur,obscura,& cuius non præsumebatur notitia: secus verò si notitia præsumebatur;tunc enim protestatio ab hæresi non excusat,quia facto ipso protestationem dissoluit:aliàs omnes hæretici excusari possent, cùm facillimo negotio possent hanc protestationem facere, & sæpè faciunt, vt sic suauiùs animos simplicium peruertant. sic Pegna, Simancas,& alij,quos refert,& sequitur Farinac.*toto illo §.7. à num.*148.

8 Secund[illegible] difficultas est circa illam primam particulam definitionis, in qua dicitur hæresim esse errorem voluntarium. An, inquam, dubium voluntariè habens de fidei mysteriis censearis hæreticus?Dixi,dubium voluntarium: nam sæpè contra voluntatem dubitationes de fide insurgunt, quæ non destruunt fidem, sed potiùs sunt occasiones illam augendi?Signum autem moraliter euidens te his motibus non consentire,est,si tædio afficiaris, cùm insurgunt, vel recedunt. Quocirca aptior modus resistendi his motibus est illis non respondere; sed potiùs temnere,& pro nihilo habere:sic omnes Doctores statim referendi. Quare difficultas solùm est de dubio voluntario circa mysterium fidei tibi sufficienter propositum?

Quidam negant sic dubitantem hæreticum esse: ita Canus *lib.12. de locis, cap.9. versic. controuersantur autem.* Malder.*2.2.q.11.art.2.memb.2.§.respondeo.* Mouetur,quia hæreticus est, qui eligit, siue sequitur opinionem fidei contrariam:at qui dubius est quam partem eligat,cuive assentiatur,dici non potest eligere opinionem fidei contrariam. Ergo non est hæreticus. Et confirmo. Qui dubius est,an fidei mysteriis assentiatur,indifferens est illis assentiri,vel dissentire. Ergo non magis dici potest contrariari fidei, quàm fidem amplecti. Secundò fides importat positiuum assensum intellectus. Ergo hæresis, quæ illi est contraria, positiuum dissensum importare debet;sed dubium assensum,vel dissensum excludit. Ergo dubium non est hæresis. Huic sententiæ ob has rationes consentit Thom.Sanch.*lib.2.in Decal.cap.7.n.12.* fauet Eman. Saa *verbo hæresis, n.1. in 1. editione,* vbi dicit dum quis dubitat,non est censendus hæreticus,in dubio enim non est propriè pertinacia. Limitat autem suam sententiam Thom.Sanch. & Malder.*suprà,memb.4.vers. nota tamen,* vt intelligatur quoties intellectus perpensis rationibus pro vtraque parte suspendit iudicium, quia tunc formaliter dubius manet; secus verò si supra suum dubitandi actum reflecteret, & iudicaret rem esse dubium, aut sub opinione: nam in tali iudicio hæresim committeret, & paulo inferiùs subdit hoc iudicium moraliter loquendo semper cum dubitatione circa res fidei coniungi.

9 Cæterùm tenenda est communis sententia dubitantem deliberare de rebus fidei sibi sufficienter propositis esse hæreticum: sic docent plures relati à Sanchez *num.11.* & tenet Suarez *de fide disp.19. sect. 4. n.10.* Coninch *disp.18. dub.7. conclus.6. num.102.* Bonacina *disp.2.de censur.quæst.5. punct.1. num.3.* Prosper Farinac. *de hæresi, q.178. §.4. n.90.* vbi innumeros refert August. Barbosa *de potest. Episc. allegat.40. num.16.* & est decisio textus *in cap.1. de hæreticis,* vbi ad litteram dicitur, *dubius in fide infidelis est.* Neque intelligi potest de infidelitate negatiua, quia hæc solùm est in eo,qui fidem non recipit: qui autem baptizatus est, infidelitatem negatiuam habere non potest,sed positiuam; quia non potest amitti fides,nisi per actum fidei contrarium. Item probari potest ex Concilio Viennensi relato *in Clement.1. de summa Trinitate, & fide Catholica. §.porrò,* vbi vertens in dubium, an anima rationalis sit forma humani corporis, & in eo pertinaciter hærens, hæreticus censetur, eiúsque doctrina inimica Catholicæ religionis. Idémque traditur in Concilio Lateranensi à Leone X. *sess.*8. Neque valet dicere hæc decreta loqui de præsumptione fori externi, quia non solùm de dubitante, sed etiam de ipsa doctrina loquuntur supradicta decreta, & dicunt esse contrariam Catholicæ fidei: at in doctrina non potest admitti præsumptio, sed veritas. Ratione manifestè probatur,quia tunc deliberatè,& peccaminosè dubitas de rebus fidei, cùm iudicas res fidei non esse dignas certò,& infallibiliter credi;sed iudicare deliberatè res fidei tibi sufficienter propositas non esse dignas certò,& infallibiliter credi,est hæresis manifesta. Ergo si deliberatè dubitas de rebus fidei,hæresim committis. Discursus est legitimus, & sola maior propositio indiget probatione, quam sic probo. Ponamus tibi repræsentari obiectum fidei, & rationes, quæ ad eius assensum sufficienter mouent, tempore quo non obligaris fidei actum elicere, absque vlla culpa potes suspendere actum. Ergo suspendere actum fidei non est dubitare de fide. Ergo ad dubitationem peccaminosam,& voluntariam aliquid ampliùs requiritur. Sed hoc esse non potest, nisi iudicium, quo iudicas obiectum illud sic tibi repræsentatum non esse dignum certò credi; sed esse dubium,& incertum:neque enim apparet, in quo aliud possit consistere. Ergo.Et confirmo:circa obiectum tibi certissimum, potes inuestigare rationes pro vna, & altera parte absque vllo assensu,vel dissensu:neque ex tali inuestigatione argui potes dubitare circa illud;aliàs sæpissimè Sancti dubitarent de mysteriis reuelatis. Ergo ad dubitationem assensus, vel dissensus suspensio non sufficit, sed requiritur insuper iudicium, quo iudicetur obiectum illud dubium esse, & incertum, & indignum certa credulitate. Deinde dubitans de fide fidem destruis; hoc enim necessariò in homine fideli firmitatem in credendo supponit, iuxta illud Athanasij symbolum. *Hæc est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter, firmitérque crediderit, saluus esse non potest;* sed fides non destruitur nisi per infidelitatem positiuam, hæresim scilicet, paganismum, vel Iudaismum. Ergo talis dubitatio hæresim,paganismum, vel Iudaismum continet.

10 Ex his fit satis argumentis contrariis.Fateor namque dubium non includere assensum, neque dissensum circa veritatem obiecti, de quo dubitatur; quia neque assentiris ita esse, neque dissentiris illi, sed prorsus suspendis actum: at cum hac suspensione stat optimè te habere iudicium, quo iudices illud obiectum non esse omnino certum,sed dubium, quod iudicium necessariò debes habere, vt verè dicaris de illo obiecto peccaminosè dubitare;ac proinde nunquam dari potest dubium sine positiuo actu,& errore.

11 Tertia difficultas est, an circa obiectum fidei tibi sufficienter propositum possis opinionem habere? Suarez *disp.19.sect.4.num.16.*sub distinctione respondet: si

si ita opinatiuè obiecto fidei assentiaris, vt per actum reflexum iudices obiectum fidei non esse dignum firmiori assensu, tale iudicium hæreticum est: si autem abstrahas à tali iudicio, potes de obiecto fidei opinionem habere, considerans solum motiuum humanum, vel rationem probabilem. Mouetur primò, quia credere fidei obiecto ob motiuum humanum non est peccatum; sed potiùs frequenter vsitatum à fidelibus, quia talis credulitas cum fide non pugnat: ea enim de causa diximus cum fide posse esse opinionem. Item talis assensus opinatiuus, non est error, sed potiùs veritati conformis. Ergo. Malder. 2.2.*quæst.*11.*artic.*2.*membr.*2.§ *obijcitur tertiò*, dicit te peccare si pertinax adhæres assensui opinatiuo, non tamen esse hæreticum.

12 Cæterùm tenenda est communis sententia asserens te non posse de obiecto fidei sufficienter proposito opinatiuum assensum habere; quin sis formaliter hæreticus. sic docet Azor *tom.*1.*lib.*8. *cap.*9. *quæst.*6. Castro *lib.*1.*aduersus hæreticos,cap.*10.*init.* Aragon 2.2.*q.*11. *art.*2.*dub.*1. Lorca *ibid. disp.*41. *num.*7. Coninch *disp.*18. *dub.*7. *num.* 105. & videtur clara sententia D.Thom. 1.*part. quæst.*32. *art.*4. & D.Augustin. *lib.*8.*de Trinitate, cap.*5. vbi loquens de beatissima Virgine inquit: Itaque salua fide licet dicere, fortè talem habebat faciem, fortè non talem; fortè autem de virgine natus est Christus, nemo salua fide Christiana dixerit. Ratione autem probatur. Nam assensus opinatiuus de aliquo obiecto necessariò indicat obiectum ita esse verum, vt possit esse falsum, vel econtrà, quia iudicat obiectum non esse omnino certum. At talis assensus includit errorem in fide. Ergo non potest esse cum obiecto fidei sufficienter proposito.

Neque obstant contraria. Concedo te posse assentiri mysteriis fidei sub aliqua ratione probabili; qualis est dictum alicuius hominis: nego tamen te habere tunc opinatiuum assensum de illo mysterio absolutè, non enim iudicas absolutè illud mysterium probabile esse, seu non esse omnino certum, sed iudicas in actu exercito non esse omnino certum ex vi illius rationis, quæ actus contrarius fidei non est, quia eius probabilitas potius circa rationem motiuam versatur, quàm circa mysterium, quod rationi motiuæ subest. Quapropter semper dixi te non posse habere opinionem de obiecto fidei absolutè sumpto, & tibi sufficienter proposito fide diuina credendo.

13 Quarta difficultas est, an dissentiens speciali reuelationi tibi sufficienter ad credendum propositæ hæreticus sis, & punibilis ab Ecclesia? Ratio dubitandi est, quia sic dissentiens non est Ecclesiæ Catholicæ contumax, siquidem ipsa Ecclesia talem reuelationem credendam non apponit. Ergo non est hæreticus; ergo neque punibilis: & ita tenet Lorca 2.2.*q.*11.*disput.*39. *num.*2.& 4.

14 Nihilominus dicendum est, te fore hæreticum, si reuelationi diuinæ tibi sufficienter propositæ dissentias. sic docent Azor *tom.*1. *lib.*8. *cap.*9.*quæst.*4. Sanchez alios referens, *lib.*2.*cap.*7.*num.*32. Coninch *disput.*18. *dub.*7.*num.*118. Suarez *disp.*19.*sect.*5.*num.*11. Ratio est, quia tota malitia hæresis sita est in contemptu primæ veritatis sufficienter propositæ: qui enim sic discredit, quod prima veritas dicit, mendacem Deum facit; at qui discredit reuelationi speciali, eodem modo primam veritatem contemnit, & mendacem Deum facit, quia Deus idem est, siue publicè, siue particulariter reuelans. Ergo est hæreticus. Neque hæresis necessariò petit contumaciam aduersùs Ecclesiam formaliter, sed aduersùs Deum reuelantem.

15 An verò hic hæreticus incidat in excommunicationem, & alias hæreticorum pœnas? Sanchez *num.*32. & Coninch *n.*20. existimant incidere, si in actum externum prodeat: quia licèt Ecclesia non proponat illam veritatem credendam; at proponit credendam summam, & primam veritatem reuelantem, cui propositioni obsistis negans illam reuelationem: & confirmat Sanchez exemplo illius, qui negàret aliquid, existimans esse ab Ecclesia propositum, cùm tamen non sit, qui verè hæreticus esset, & pœnas incurreret.

Cæterùm credo ob solum dissensum specialis reuelationis non posse aliquem pœnis Ecclesiasticis puniri. sic Azor *tom.*1. *lib.*8. *cap.*9. *q.*4. Cordub. *lib.*1.*q.*17.§.1. *dub.*2.*vers. respondet magister.* Suarez *disp.*19. *sect.*5. *n.*12. Moueor, quia mihi videtur impossibile talem dissensum manifestari posse esse contrarium fidei: cùm enim supponamus reuelationem illam esse specialem, neque alteri cognitam præter illum, qui illam habet, quomodo constare potest aliis, cùm tu dissentis reuelationi, verè dissentire, erat enim ad huiusmodi manifestationem omnino necessarium reuelationem clarè cognosci. Dixi, ob solum dissensum specialis reuelationis: nam si dissensus est non reuelationi speciali, sed generali, & à tota Ecclesia propositæ; clarum est sic proferentem incidere in pœnas iuris, modò dissensus manifestus sit. Vnde qui diceret primæ veritati per priuatam reuelationem manifestatæ non esse credendum, hæreticus punibilis ab Ecclesia esset, quia negat propositionem à tota Ecclesia receptam. Idem dicendum est in casu quo quis negaret aliquam propositionem, putans esse ab Ecclesia definitam, quæ tamen non est, licèt hęresim committat, vt bene dicit Sanchez *suprà n.*30.& Farinac. *de hæresi, quæst.*179. §.1. *n.*2. at si manifestet se nolle credere, quod existimat ab Ecclesia esse definitum, pœnas non incurrit, & tradit expresè Suarez *disput.*21.*sect.*2. *num.*10. vbi apponens signa, quibus hæreticus exterior constituitur, dicit: Si quis veram propositionem credat cum animo deliberato non credendi contrarium; etsi Ecclesia illud definiat, quamuis rem creditam exteriùs proferat, si animum suum non declaret, non incurrit excommunicationem, quia nondum est hæreticus exterior.

16 Quinta difficultas est, an negans fidem verbo, vel facto tantùm, interiùs retinens assensum, committat hæresim punibilem ab Ecclesia? Concedunt aliqui, quia Ecclesia non iudicat de occulta intentione, sed de exteriori actu. sic Caietan. 2.2.*q.*11.*art.*2.*fine.* Cæterùm tenenda est communis sententia negans hunc esse hæreticum, pœnásque incurrere. Quòd autem hæresim non committat est manifestum, quia hæresis est peccatum fidei oppositum: fides autem consistit in voluntario assensu intellectus diuinæ reuelationi. Ergo hæresis debet necessariò consistere in voluntario dissensu illius. Ergo cessante dissensu intellectus, cessat peccatum hæresis formaliter. Ex quo fit cessare etiam debere pœnas hæreticis impositas; quia pœnæ non sunt extendendæ ad alia delicta, præter ea, quibus impositę sunt, & ita tenet pluribus relatis Sanchez *lib.*2.*c.*7.*n.*8. Lessius *lib.*2. *cap.*43.*dub.*2.*num.*11. Suarez 5.*tom.in* 3.*part.disp.*4.*sect.*2. *num.*22. & *disput.*21. *sect.*2.*n.*3. & *de fide, disp.*14.*sect.vlt. num.*3.

17 Aduerto tamen pro foro externo hunc sic negantem verbo, vel facto fidem, ei non credi alleganti se fecisse absque intentione; quia stat aduersùs illum præsumptio, cùm nemo seriò præsumatur dicere, vel facere, nisi quod sentit. Aliàs si excusatio hęc hæreticis prodesset, omnes impuniti euaderent, siquidem facillimo negotio hanc possent excusationem assumere, Simancas *de cathol.instit.tit.*13.*n.*15. Repert.inquisit.*verbo probatio, vers.nota.* Rojas *tract.de hæret.*1.*part.n.*304.& *seqq.* Farinacius *de hæresi,q.*179.*num.*55.& *seqq.* vbi concludit Doctoribus hinc inde adductis reum si delictum confiteatur, & intentionem neget, torquendum esse super intentione, & non relaxandum; secus verò si non solùm

confiteatur delictum, sed de illo sit conuictus: tortus autem super intentione, si negans perstiterit, non est indicenda purgatio, & abiuratio, si sufficienter tortus fuit; secus verò si non fuit sufficienter tortus, quia per torturam indicia purgauit. sic tradit Farinac. *suprà n.61.* iunctis iis quæ dicit *q.185.n.126. & seq.* Simanc. *de cathol.instit.tit.56.rubr.de purgat.canon.n.17.* Franc. Pegna *direct.3.par.rub.de tertio modo terminandi processum,n.157. comment.39.* *I. & part.2.comment.14.ad cap.inter sollicitudines,de purg. an.vers. atqui ex hac interpretatione.*

18 Sextò difficultas est, an negans propositionem theologicam committat hæresim, vel quod peccatum sit?

Aliqui affirmant hæresim committere, quia saltem mediatè diuinæ reuelationi opponitur. sic Valent. 2. 2. *disp.1.q.11.p.1.diffic.3.* Cano *lib.12.de locis theolog.cap.9. col.15.vers.enim verò.* Bonacina *disp.2.de censur.q.5.n.5.* vbi licèt in princ. numeri dixerit hunc præsumi, in fine dicit excommunicationem contrahere.

19 Tenendum tamen est hæreticum non esse, bene tamen præsumi. sic Aragon 2.2.*quæst.11.art.2.versic.his tamen non obstantib.* Sanchez *lib.2.in Decalog.cap.7.n.33. & cap.8. num.12.* Suarez *disput.19.de fide,sect.vlt.num.3. & seqq.* Ratio prioris partis est, quia stare optimè potest, vt quis credat quidquid à Deo reuelatum est, cum negatione alicuius propositionis theologicæ, eo quòd sibi non videatur rectè deduci, ex principio reuelato, & euidenti, vel ex eo quòd principio euidenti non assentiatur. Ergo negare propositionem theologicam non est hæresis. Adde, hæresis esse non potest, nisi dissensus obiecti reuelati. Conclusio theologica non est reuelata. Ergo eius negatio non est hæresis. Si autem inquiras, in qua peccati specie debeat constitui? Mihi probabilius apparet per se, & formaliter ad vitium curiositatis studiositati oppositum in materia omnium grauissima pertinere; quia temerè, & imprudenter conatur scire contra id, quod ab omnibus receptum est; per accidens tamen ad hæresim pertinet, quia in proximo periculo labendi contra fidem negans inducitur. Secunda autem pars conclusionis, quòd scilicet negans propositionem theologicam præsumatur hæreticus, videtur manifesta; quia nemo præsumitur negare propositionem theologicam, ex eo quòd principio euidenti, & illationi euidenti non assentiatur; sed ex eo quòd non assentiatur principio supernaturali fidei. Quapropter si in illa negatione perstiterit, tanquam hæreticus negans principium reuelatum est puniendus, vt bene Sanchez *lib.2.in Decalog.cap.8.num.12.*

20 Septimò difficultas est, an ad hæresim punibilem ab Ecclesia requiratur baptismus? Dixi, ad hæresim punibilem: nam ad hæresim credo tanquam certum baptismum non requiri; cùm enim tota malitia hæresis sita sit in dissensu alicuius veritatis reuelatæ, & hunc dissensum æquè habere potes, siue baptizatus sis, siue non; manifestè sequitur ad hæresim baptismum non requiri. Adde ex recepta sententia, vt in superiori disputatione diximus, tres tantùm species inueniuntur infidelitatis, hæresis, paganismus, & Iudaismus: sed qui confitetur, & negat eius sacramenta, quamuis baptizatus non sit, non est Iudæus, neque paganus. Ergo est hæreticus. Ergo ad hæresim baptismus non est necessarius.

At licèt ad peccatum hæresis baptismus necessarius non sit, est tamen necessarius, vt hæresis, Iudaismus, & paganismus punibiles sint ab Ecclesia. sic docent Azor *tom.1. lib.8. institut. moral. cap.9.quæst.3.* Simancas *de catholic.instit.tit.31.num.6.* Suarez *5.tom.de censuris,disp.21. sect.2. num.4. & de fide, disput.19. sect.5.num.8.* Sanchez *lib.2.cap.7.num.34.* Farinac. innumeros referens, *de hæresi,quæst.178.à num.128.131.& 135.* Ratio est manifesta, quia baptismus est ianua, per quam in Ecclesiam quis ingreditur, & eius iurisdictioni subditur. Quapropter Concilium *sess.14.cap.2.* dixit Ecclesiam in neminem exercere iurisdictionem, qui non priùs in ipsam per baptismi ianuam fuerit ingressus. Ergo cùm Ecclesia iurisdictionem non habeat in non baptizatos, non potest illos punire. Ex quo fit, si catechumenus à fide, quam intendebat suscipere, recedat, non posse eius peccatum ab Ecclesia puniri, quia verè non fuit in Ecclesiam ingressus, & tenet Azor, Suarez, Sanchez, Simancas, Farinacius *suprà.* Quòd si baptismum suscepit, sed inualidum ex defectu formæ, materiæ, vel intentionis, aliqui existimant sic recedentem à fide puniri per Ecclesiam posse; quia iam ex voluntate videtur subiectus, & quasi obligatus mandatis Ecclesiæ parere. sic Simancas *de catholic. institut. tit.31. num.5.* Gabr. *4.distinct.13. quæst.2. art.1. vers. nota tertiò.* Alphons. de Castro *lib.1. de iusta hæreticorum punitione, cap.8.* Azor *tom.1.lib.8.cap.9.quæst.3.versic.si quæras.* Farinacius *de hæresi,quæst.178.§.6.num.135.* Contrarium tamen est omnino tenendum, quia si baptismus inualidus fuit, neque imprimit characterem, neque constituit recipientem membrum Ecclesiæ visibilis; aliàs non esset repetendus. Ergo neque potest Ecclesiæ iurisdictioni subiicere recipientem. Et confirmo, fictè baptizatus verè est extra Ecclesiam, quia est extra verum baptismum; fictio autem baptismi non potest esse ingressus in Ecclesiam, sed verus baptismus. Quapropter ad hæresim, paganismum, vel Iudaismum ab Ecclesia punibilem, necessariò requiritur, vt hæreticus, paganus, vel Iudæus priùs receperit fidem in sacramento baptismi: & ita tenet Sanchez alios referens, *illo cap.7. num.34.* Suarez *locis citatis.* Quocumque autem modo verè recipiatur baptismus, etiamsi fuerit per metum, & iniuriam, iurisdictioni Ecclesiæ manet sic recipiens subiectus, quia verè est intra Ecclesiam, & membrum visibile illius: est textus expressus *in cap. maiores, §. nunc autem, versic. si opponitur, de baptismo, cap. contra Christianos, de hæreticis, in 6.* & tradit Pegna *director. 2.part. quæst.44. comment. 69. versic. iam quæ.* Repert. inquisit. *verbo baptismus, versic. vtrùm qui fuit baptizatus, & in verbo cogendi, versic. nunc autem,* & multis allegatis docet Farinacius *de hæresi, quæst. 178. §. 6. num.141. & 142.*

Quomodo autem hæresis à paganismo, Iudaismo, & apostasia distinguatur, & qua ratione inter se differant, superiori disp. resoluimus.

Pvnctvm III.

An omnis hæresis, aut apostasia pœnis Ecclesiæ subiecta sit, & quotuplex sit hæreticus.

1 *Hæresis interius tantum consummata pœnis Ecclesiæ non subyicitur, vt probabilior sententia fert.*
2 *Debet manifestari exterius verbis, vel factis sufficienter hæresim exprimentibus.*
3 *Quibus in casibus non debes censeri hæreticus exterior.*
4 *In quibus reputandus es hæreticus.*
5 *De diuisione hæretici in affirmatiuum, & negatiuum.*

1 Circa primum punctum controuersia grauis est inter Doctores, an sufficiat hæresis, & apostasia purè mentalis, quę in corde consummatur ad incurrendas pœnas iure Ecclesiastico introductas. Diuisi sunt Doctores, alij affirmant, alij negant, quos accuratè refert Sanchez *lib.2.in Decalog.cap.8.num.1.& seqq.* Suarez *de fide,disput.21.sect.2.num.2.* Farinacius *de hæresi,q.192. §.1.à num.4.* August. Barbosa *2.part. de potestate Episcopi, alleg.40.à num.6.* Verior mihi semper visa est sententia negans hæresim interiori actu consummatam subiici Ecclesiæ iurisdictioni; quia cùm talis actus visibilis non

non sit, Ecclesiæ visibili subiici non potest. Item Ecclesia non potest de illo iudicare. Ergo neque potest illum punire. Quòd si hæresis interior in exteriorem actum prodeat, quamuis occultissimum, & nemini alteri à committente notum, Ecclesiæ iurisdictioni subiicitur, & pœnas à iure statutas contrahit, quia tunc ille actus per se cognoscibilis est ab Ecclesia, & solùm per accidens ex defectu testium, qui absuerunt, non cognoscitur. sic Simancas *de catholic. institut. tit. 42. rubr. de occultis, n. 1. & seqq.* Bannes 2. 2. q. 11. art. 4. *vers. secunda conclusio.* Gregor. de Valent. *ibi art. 3. versic. sed animaduertendum.* Farinacius *de hæresi, quæst. 192. §. 1. num. 6.* Sanchez *lib. 2. in Decal. cap. 8. n. 2. & seqq.* Augustinus Barbosa 2. *part. de potestate Episcopi, allegat. 40. num. 9. & 10.* Suarez *n. 6.*

2 Quæ autem sint verba, vel facta hæresim interiorem manifestantia, bene explicat Azor *tom. 1. lib. 8. c. 10. q. 4. 5. 6. & 7. & seqq.* Thomas Sanchez *lib. 2. cap. 8. à n. 6.* Bannes 2. 2. *q. 11. art. 4. q. 2. concl. 3.* Suarez *disp. 21. sect. 2. à num. 8.* Breuiter dici potest necessarium esse, vt verba, vel facta sint satis expressiua interioris hæresis, siue hanc expressionem habeant à se, siue ex circumstantiis adiunctis, & ex qualitate personæ; quia hæresis externa cognoscibilis, & punibilis constitui non potest, nisi signis illam sufficienter, & integrè declarantibus. Secundò est necessarium vt signa, quibus hæresim profiteris, sint in materia hæresis peccatum graue, quia hoc solum est, quod excommunicatione, aliisque pœnis punitur; sic pluribus relatis docet Sanchez *lib. 2. cap. 8. à num. 7.* Suarez *disput. 21. sect. 2. à num. 9.* Eman. Saa *verbo excommunicatio Bulla, n. 2.*

3 Has conditiones pluribus exemplis, & casibus specialibus supradicti Doctores explicant, quos omnes longum esset, & ferè impossibile recensere; si enim supradictæ conditiones bene perpendantur, facile est de omnibus iudicium ferre. Claritatis gratia difficiliores percurrā. Et in primis certum est, si verba, vel facta indifferentia sint, & ex quibus præcisè sumptis non potest colligi hæresis interna, te hæreticum exteriorem non esse, vt contingit, si credens non esse sacramenta, proferas tantùm, *verè non sunt*; quia hæc verba præcisè non denotant hæresim illam mentalem, in hoc enim omnes conueniunt. Et idem est de factis, si credens iurare falsum ob amicum, aut simplicem fornicationem non esse peccatum, & de facto iures, vel fornriceris, iuramentum, vel fornicatio non declarant sufficienter tuam hæresim mentalem, cùm sæpè ex malitia, & voluntate hominibus placendi, satisfaciendique voluptati fiant: sic omnes relati Doctores. Subdunt tamen si verbis ambiguis, & æquiuocis hęresim interiorem pronuntiares, vt sic peruersitatem tuam meliùs occultares, te fore hęreticum externum, quia illa verba sufficienter manifestant hæresim, & ambiguitas solùm deseruit dissimulationi, quæ non videtur diminuere culpam, sed aggrauare. sic Suarez *n. 10. fine.* Sanchez *n. 26.* Bonacina *disp. 2. de censuris, quæst. 5. punct. 2. num. 6.* At hoc crederem intelligendum esse, cùm verba non sint perfectè ambigua, sed in malam partem communiter accipiantur, aut ita accipienda esse, obligant aliquæ circumstantię. Nam si verba, quæ bonum, ac malum sensum habent, & ex qualitate proferentis, aut aliis circumstantiis ad malum sensum determinari non possunt; non video qua ratione eorum prolatio hæresim externam, & cognoscibilem constituat, præsertim cùm recepta sit Doctorum sententia, verba, vel facta, quæ duplicem sensum habere possunt, Catholicum, & hęreticum, interpretanda esse in Catholico sensu, vt aliis relatis docent Rojas *in tract. de hæret. 1. p. n. 200.* Farinac. *q. 187. n. 11. & seqq.* Rursus non es hæreticus exterior, si credens non esse Christum in sacramento Eucharistiæ, hunc interiorem actum Confessori, vel amico gratia petendi consilium manifestes, quia illa manifestatio non est peccaminosa, sed bona, & laudabilis, neque est formaliter professio hæresis, sed narratio hæresis interioris; sicut si alterius hæresim narrares: sic docuit Suarez *n. 10.* Sanchez *n. 19. 20. & 25.* August. Barbosa *alleg. 40. n. 18.* Bonacina *suprà n. 7.* Verùm si ex complacentia in hæresim, hęresim manifestes, tenet August. Barbosa *n. 19.* te fore hæreticum externum, sed credo distinguendum esse, vt distinguit Sanchez *n. 21.* si enim complacentia manifestetur, & ex illa denotes te in præsenti supradicto mysterio fidei dissentire; clarum est te fore hæreticum externum: at si solùm manifestes te aliquando consensisse, & illius consensus habere complacentiam, non es hæreticus externus, quia illa manifestatio non est hæresis professio, sed narratio hæresis habitæ, qua cum compati fides potest. Vnde Eman. Saa *verbo excommunicatio Bulla Cœnæ, n. 2. in edit. Rom.* dicit, hæreticus non est, qui petit consilium, aut refert hæresim, aut transcribit, etiamsi illam interim mente teneat. Item non es hæreticus externus, si in somno, vel ebrietate hæresim interiorem proferas, quia illa prolatio non est voluntaria hæresis professio. sic Suarez *num. 12.* Sanchez *num. 24.* Pegna *director. 3. part. comment. 17. pag. mihi 420.*

4 Econtra tunc debes censeri verus hæreticus exterior, quando verbum profers, vel opus facis, aut omittis, ex quo hæresis suspicionem gignis: sic alios referens docet Sanchez *n. 15. & 16.* quia tunc sufficienter hæresis manifestatur, aliàs raro hæretici dicerentur manifesti, si hæc verba, vel facta non sufficerent. Ex quo fit, si ritus, & cæremonias, aliáque opera facias, vel omittas, quæ communiter soli hæretici, vel apostatantes à fide faciunt, vel omittunt, hæreticus exterior præsumendus es. Quocirca si cùm ex genere Iudæorum sis, festiuitates, Iudæorúmque ieiunia obseruas, cum Iudęis conuersaris, Christianos veteres fugis, nomine Iudęo vtaris, ad Iudaismum præsumeris transisse. De his signis latè agit Repert. inquis. *verb. cognoscuntur, & verb. commissio.* Pegna *direct. 2. p. q. 44. com. 69.* Decian. *in tract. crim. lib. 5. cap. 15. n. 5. & 6.* Farinac. *de hæresi. q. 178. §. 6. n. 138.* Menoch. *lib. 2. de arbitr. casu 547.* Item est sufficiens hæresis præsumptio, si matrimonio copulatus scienter alteri nubas; eáque de causa, de hoc crimine Inquisitores cognoscunt, & de leui suspicione abiurare reum faciunt, sic pluribus relatis docet Farin. *q. 178. num. 68.* Pegna *2. p. direct. q. 56. com. 81.* Menoch. *de præsumpt. lib. 5. præs. 6. n. 37.* Quocirca si culpabiliter credens licitum tibi esse duas vxores ducere, ducas; hæresim sufficienter manifestas. Item si diebus prohibitis carnes comedas, nulla habita occasione, suspectus videris reddi de præceptis Ecclesiæ non bene sentire; ac proinde, si non bene sentiens carnes comedas, in hæresim exteriorem incidis. sic Sanchez *num. 15.* Pegna *in add. ad Eymer. direct. 2. p. ad cap. 1. de hæret. fol. 87. vers. at si peccatores.* Farinac. *q. 178 n. 80.* Repert. inquisit. *verbo cognoscere, vers. sed an iudex.* Dixi, nulla habita occasione: nam si aliqua prætendi potest, cessat præsumptio, & manifestatio hæresis. Paris. *cons. 169. n. 67.* Farin. *n. 80.* vide omnino Pegna *direct. 3. p.* vbi de signis, quibus professores variarum sectarum cognoscuntur, eruditè agit, *à comment. 23. n. 109. & seqq.*

5 Circa secundum punctum, quotuplex sit hęreticus, aut apostasia à fide? communiter Iurisperiti duplicem esse dicunt, affirmatiuus vnus, alius negatiuus. Hæreticus affirmatiuus est, qui hæresim interiùs conceptam verbo, vel opere manifestat. Negatiuus, qui de hæresi legitimè conuictus hæresim negat. sic Repert. inquisit. *in verb. hæreticus, num. 35. & versic. hæreticus negatiuus.* Farinacius plures referens *de hæresi, quæst. 178. §. 1. n. 19. & 20.* Circa quam diuisionem aduerto requiri, vt quis tanquam hæreticus negatiuus condemnetur, & curiæ sæculari puniendus tradatur. Primò quòd verbis, vel factis claris, & patentibus hæresim manifestauerit. Secundò quòd talis manifestatio per testes contestes, &

omni exceptione maiores conuincatur. Nam his duobus stantibus, si quis neget hæresim, conuincitur nolle relinquere illam,sed impœnitens existere; siquidem illam negat, ne abiurare cogatur. sic Albertin. *in tract. de agnoscenda assert. cathol. quæst.34. num.51.* Rojas *de heretic.1.p.n.84.& seq.* Farinac. *de heresi.quæst.178.§.1. num.22.* Dixi,per testes contestes: nam si pluribus singularibus testibus conuincatur, non debet tanquam negatiuus condemnari, & curiæ sæculari tradi, sed expectandum est aliquod tempus, & inquirendum,an testes contestes inueniantur, & interim torquendus, vt veritas ex ore ipsius habeatur. Quòd si in negatiua perseuerat, quia in hoc casu per torturam non videtur indicia integrè purgasse; ad abiurationem, aliásque pœnitentias arbitrio iudicis imponendas deueniendum est; non autem ad relaxationem curiæ sæcularis. sic Pegna *3.part.direct.comment.121.* vbi de testibus, *pag. mihi 620.* ibique optimè declarat, qui dicantur testes singulares. Subiungunt ij Doctores aliam duplicem conditionem. Prima, vt sic accusatus asseruerit prædicta verba,vel facta se credere,& aliis credenda proposuerit. Sed hæc conditio non est diuersa ab ea,qua quis facta hæreticalia facit; tunc enim in actu exercito dicit se illa credere, aliísque credenda proponit, quia nemo præsumitur contra mentem operari. Reflexa autem manifestatio,& in actu signato, (vt dicunt) ad hæresim necessaria non est. Alia conditio est,vt verba,seu facta hæreticalia sint prolata,& gesta de recenti,& non tempore antiquo, de quo præsumi potest obliuio. Sed vt bene dicit Farinac. *num.2.* cum Pegna *in direct. inquisit. 2.part.quæst.34.commen.59. & 3.part.tit.de duodecimo modo terminandi processum, comment. 48. num.208.* attendenda est qualitas hæresis, quæ imputatur. Nam in aliquibus hæresibus hæc obliuio præsumi potest per decennium, aut per quinquennium, vel triennium, arbitrio iudicis: at in factis hæreticalibus grauibus, & solemnibus,qualia sunt imagines conculcare, sectam falsam prædicare, templum destruere,in nullo tempore obliuio præsumitur. Vide Pegna *suprad. comm. 59.*

PVNCTVM IV.

An possis, & tenearis omnes apostatantes à fide iudicibus denuntiare.

1 *Proponitur sententia negans te obligatum esse denuntiare, cum solus delictum nosti.*
2 *Contrarium omnino tenendum est.*
3 *Quomodo facienda est hæc denuntiatio.*
4 *An excuseris ab hac obligatione, si speras correctione fraterna hæreticum emendandum? Affirmant aliqui.*
5 *Opposita sententia,vt communior, reipublicæ,religioníque vtilior amplectenda est.*
6 *Hæreticum emendatum Suarez affirmat esse denuntiandum.*
7 *Credo denuntiandum non esse, si occultus omnino sit, & tibi constat emendatum esse.*
8 *In casu dubio semper intelligitur iudex non ad vindictã, sed ad correctionem procedere.*
9 *Quid si sub decreto acceperis.*
10 *Ratione damni excusari aliquando potest, sed prudentia opus est.*
11 *Socios criminis regulariter obligatus non es manifestare.*
12 *Propinquos,& sanguine iunctos hæreticos tenetur quis denuntiare.*
13 *Quid dicendum de filio respectu patris, aut econtra? Negant aliqui.*
14 *Probabilius est obligatum esse, casu quo alia via hæresim impedire non possit.*
15 *Filius in hoc casu à pœnis latis aduersus filios hæretici liberatur.*
16 *Quid dicendum de vxore respectu mariti, aut econtrà.*
17 *Non teneri Inquisitoribus denuntiare, qui eis non subduntur.*
18 *Episcopus à iurisdictione Inquisitorum eximitur, & qui nomine Episcopi comprehendantur in hac expeditione.*
19 *Eximitur nuntius,seu officialis Pontificis.*
20 *Tenearísne hos exemptos Inquisitoribus fidei denuntiare, quando non datur ad Pontificem recursus? Probabilius credo te teneri.*
21 *Expenduntur pœnæ latæ aduersùs omittentes denuntiationem,cùm obligati sunt.*

1 QVando delictum probare potes,nemini est dubium te posse,& debere denuntiare,ex *cap. quapropter,2.quæst.7.& cap. 2.de heret.* Solùm est controuersia, quando delictum ita occultum est, vt nullus alius præter te conscius illius sit. In quo puncto plures videntur affirmare te deobligatum esse denuntiationem iudicialem facere. sic Ioan. Andr. *cap. nouit, de Iudeis*, quem sequitur Villadiego *tractat. de hereticis, q.10.* Repertorum Inquisitorum *verbo denuntiatio, vers. generale tamen est,& verbo occulta, versic.2.* Gundisal. *tract. de heret.q.10. n.7.& 8.* indicat Ioan. à Rojas *singul.3.num.3.* Decianus *tract.crimin.lib.5.cap.30.num.4.* Ludouic. Paramus *de origine sancta Inquis.lib.3.q.9.n.45.* Mouentur,quia ad opus inutile,& nociuum nemo obligari potest, sed talis denuntiatio est inutilis,& nociua. Ergo ad illam obligari non potes. Minorem probo esse inutilem,quia iudex ex denuntiatione sic facta non procedere potest ad punitionem delicti,neque ad illius correctionem, quia quilibet horum effectuum supponit probationem integram delicti,quæ haberi non potest. Est etiam talis demonstratio nociua delinquenti, siquidem infamatur nullo fructu ex infamatione obtento.

2 Tenenda tamen est tamquam certissima communis sententia,hunc hæreticum, & apostatam te obligatum esse denuntiare: sic pluribus relatis docent Azor. *tom.1. lib.8.cap.19. q.9.* Sanchez *lib.2.in Decalog.cap.32. fine.* Simancas *tit.19.* Rojas *singul. 13. num. 19.& 20.* Suarez *disput.20.sect.4.* Bonacina *disp. 2. quæst. 6.punct.1.num.9.* Sigismundus Scaccia *de iudic.cap.56.* Farinacius *de heres. q.197.§.2.num.36.* Augustinus Barbosa *3.part.allegat.96. num.51.in medio.* Ratio sumitur à contrario fundamento, quia talis denuntiatio est necessaria reipublicæ,& ipsi delinquenti: ergo est facienda. Antecedens quoad primam partem probo; quia per denuntiationem impeditur,ne hæresis serpat,néve alios inficiat. Tum,quia facta denuntiatione iudex procedere potest ad inquirendum de tali delinquente, vt dixit Farinac. *de heres. quæst.185. num. 64.* potéstque ipsum denuntiatorem in testem criminis commissi recipere, quia eius testimonium suspectum esse non potest, siquidem illud delictum non est commissum in iniuriam denuntiantis, sed in contumeliam creatoris; neque in suum commodum potius,quàm aliorum cedit punitio. Farinac. alios referens *suprà num.32.* Simanc. *tit.19.num. 17.* Suarez *disp. 20.sect.4.num.9.* tum etiam,quia hæreticus videns se esse denuntiatum, vel denuntiandum esse, quantumuis occultissimè hæresim manifestet, continebitur timens correctionem, & supplicium. Ex qua ratione probatur ipsi etiam delinquenti denuntiationem vtilem esse, tum quia continetur à peccato committendo, tum quia à peccato commisso hac via reuocari potest. Neque obstat denunciatorem, qui delictum improbabile defert, reputari calumniatorem, & de iure denunciatorem denuntiationem probare debere, & ei assistere, quia loco accusatoris habetur. *l. ab accusatore, § nuntiatores. ff. ad Turpillianum.* & tradit Repert. *verbo denuntiatio, vers. an eo ipso.* Vmbert. *locat.in iudic.inquisit.eodem verb.denuntiatio, num.1.* Non,inquam,obstat,quia licèt de iure denuntiator teneatur probare denuntiationem: ex consuetudine

tamen

tamen contrarium seruatur. & facit *cap. super his, de accusationib.* quia denuntians potest dicere solo zelo boni communis motus delictum declarare, quod præcipuè locum habet in delicto hæresis ob eius grauitatem, & periculum infectionis, & bonum commune: & ita tradit Eymer. *director. 3. part. de secundo modo procedendi in causa fidei, num. 68. in princip.* & ibi Pegna *comment. 15.* Scaccia *in tractat. de iudic. causa, cap. 72. num. 4.* Ludouic. à Paramo *de origine sanctæ inquisitionis, lib. 3. quæst. 8. n. 21. & 22.* Suarez *disput. 20. sect. 4. num. 3.* Aduerto obligationem huius denuntiationis esse de hæretico proprio, qualis est pertinax, non de illo, qui per ignorantiam, vel metum in hæresim incidit, & de quo præsumi certò potes monitum corrigendum statim esse. sic Tolet. *lib. 4. summ. cap. 5. num. 1.* Farinacius *de hæresi, quæst. 197. §. 2. num. 39.* Bonacina *disput. 1. de censuris, quæst. 6. punct. 1. num. 20.* Ex qua doctrina infert non esse denuntiandum concionatorem aliàs religiosum, qui ex incuria, aut inconsideratione aliqua inter concionandum minus consona protulit, quia non præsumitur iudicio Ecclesiæ voluisse se opponere; excipe, nisi tibi contrarium constaret. sic Bonacina *suprà n. 21.*

3 Quomodo autem hæc denuntiatio facienda est, breuiter, & optimè explicuit Pegna *suprà dicto comm. 15.* potest enim fieri verbo, vel scripto, prout denuntianti magis placuerit. sic Iulius Clarus *in practic. crimin. §. fin. quæst. 7. versic. vlterius quæro, in fine.* Farinacius *num. 67.* Suarez *disp. 20. sect. 4. num. 3.* & ita vsus obtinuit. Neque necessarium est, vt coram testibus depositio, & denuntiatio fiat; sufficit si Inquisitor medio Secretario illam recipiat. Aduertendum summopere est, si denuntiatio aliqua per epistolam fiat, in qua denuntians nomen suum non subscripsit, non debere, nec posse Inquisitorem ad inquirendum, aut examinandum testes procedere; etiamsi in schedula testes aliqui fuerint nominati, quia illa denuntiatio est nullius effectus, & reputanda, ac si facta non esset, aliàs ansa improbis daretur infamandi religiosos viros; sola enim examinatio testium, & inquisitio circa specialem personam est quædam illius infamatio. sic Farinacius *quæst. 185. num. 68.* cum Simanca *in enchirid. violatæ religionis, tit. 22. rubr. de inquisit. ordin. num. 8.* Lœlio Zechio *in sum. 1. part. tit. de fide, rubr. de hæresi, cap. 11. num. 12. versic. declaratur.* Ludouic. Param. *de origin. inquisit. lib. 3. q. 6. n. 91. & seqq.*

4 Restat examinare, an aliquando ab hac denuntiatione facienda excuseris? Circa quod quadruplex venit agitanda quæstio. Prima, an excuseris, si per correctionem fraternam, vel denuntiationem Euangelicam credas hæreticum emendandum, vel fortè iam emendatus sit. Secundò, si sub secreto delictum accepisti. Tertiò, si tibi ex denuntiatione damnum imminet. Quartò, si aliquod sit tibi priuilegium à iure concessum. Circa primam quæstionem videnda sunt, quæ generaliter dicimus *in tit. de charit. disp. de correct. fraterna, p. 13. 14. & 15.* Quapropter quæ huic loco propria sunt, breui adnotabo. Plures Doctores negant te posse denuntiationem iudicialem facere, si delictum occultum est; (de hoc enim loquimur,) & speras correctione secreta emendandum: sic tenent Gundisaluus *tit. de hæret. q. 10. n. 6.* Repert. inquisit. *verbo denuntiatur, versic. an quando proceditur.* Decian. *in tractat. crimin. lib. 5. cap. 30. num. 3.* Martinus Delrio *lib. 5. de disquisit. magic. sect. 4.* Mouentur, quia denuntiatio in tali delicto fieri non potest ad punitionem delinquentis, sed ad illius correctionem, & ad præseruationem damni reipublicæ imminentis: sed hic finis obtineri speratur per correctionem. Ergo non est tunc adhibenda iudicialis denuntiatio. Probo consequentiam: tum quia Christus Dominus tunc dixit Ecclesiæ delictum proximi manifestandum esse, quando proximus correctionem secretam non audit; tum quia charitas obligat medicinam delinquenti adhiberi, cum minori, qua fieri possit, iactura.

5 Nihilominus communior sententia, & reipublicæ melior est, ac proinde seruanda; quæ affirmat te debere omissa correctione hæresim occultam Inquisitoribus fidei manifestare: tenet hanc sententiam expressè Simancas *de catholic. institut. tit. 19. rubr. de denuntiat. n. 10. & seqq. & in enchirid. tit. 23. rubr. de denuntiat. num. 5. & seqq.* Sigismundus Scaccia *de iudiciis, cap. 16. num. 3.* Rojas *tractat. de hæretic. 2. part. assert. 3. & in singularibus fidei, singul. 3. num. 11. & singul. 5. num. 21.* Pegna *director. inquisit. 2. part. comment. 2. ad cap. qui alios, de hæretic. versic. quod si quæratur, & comment. 18. ad cap. qualiter, & quando, de accusationib. circa finem.* Tolet. *de instruct. sacerd. lib. 4. cap. 5. n. 1.* vbi solùm excipit peccantem ex ignorantia, aut ex metu, non ex malitia. Ioan. Azor *institut. moral. tom. 1. lib. 8. cap. 19. q. 9.* Bannes 2. 2. *q. 11. art. 4. vers. sed circa solutionem.* Suarez *disp. 20. sect. 4. n. 11.* Farinac. *de hæresi q. 197. n. 39.* Bonacina *disp. 2. q. 6. p. 1. n. 20.* Ratio est; nam licèt in aliquo casu speretur delinquentis emendatio secreta correctione, vel denuntiatione Euangelica: at regulariter præsumi non potest, sed potiùs credendum se correctum dissimulaturum, vt sic faciliùs delinquat, & errores diffundat; sed ob hoc periculum boni communis potest Ecclesia præcipere, vt sibi delicta immediatè denuntientur. Ergo posito tali præcepto tenetur quis peccata delinquentis omissa correctione denuntiare, quantumuis expectetur correctio in aliquo speciali casu, quia tunc finis legis non cessat absolutè. Hoc autem præceptum ab Inquisitoribus fidei ponitur, vt testantur Pegna, Simancas, & alij Doctores, & videtur constare ex tenore edicti communiter publicati. Ergo. Neque obstat ratio contraria. Fateor denuntiationem illam fieri, præcipuè ad correctionem delinquentis; sed quia raró, vel nunquam hæc correctio obtineri potest per fraternam correctionem; meritò Ecclesiæ iudices in defensionem fidei præcipiunt ea non obstante delictum manifestare. Neque aduersùs hoc præceptum pugnat præceptum à Christo Domino latum de correctione fraterna præmittenda: tum quia Christi præceptum est de peccatis, quæ non vergunt in damnum commune, & tertij, quod satis constat ex illis verbis, *si peccauerit in te:* tum quia loquitur spectatis rebus secundùm se; secus verò si ob commune bonum lex aliqua lata esset, quæ casus communiter contingentes respiceret: tunc enim bonum commune particulari est præferendum; & potiùs spectandum est vitare periculum boni communis communiter contingens, quàm in vno, vel alio casu vitare damnum alicuius delinquentis.

6 Sed quid si iam emendatus delinquens sit, debes ne tunc denuntiare? Affirmat Suarez *suprà*, & mouetur, quia præceptum denuntiationis non est ob specialem correctionem delinquentis tantùm; sed præcipuè ob correctionem publicam, & securitatem fidelium, qui finis non videtur obtentus delinquente emendato, nisi etiam ab Inquisitoribus sit correctus, & punitus.

7 At si delictum occultum fuit, & tibi constat delinquentem esse emendatum, damnúmque reparatū; credo te non posse denuntiationem iudicialem facere, quia in tali delicto non potest punitio à iudicibus intendi, ex *cap. inquisitionis, §. tertiò de accusat.* Ratio est, quia punitio intenditur in satisfactionem iniuriæ factæ reipublicæ delinquentis crimine; vbi autem crimen est occultum, cessat iniuria reipublicæ, & consequenter eius satisfactio. Restat ergo, vt solùm emendatio delinquentis, & reparatio damni facti intendatur. Ergo si totum hoc præsupponitur factum, vel non est locus, vt fiat, quia iam delinquens è vita discessit, cessabit obligatio denuntiationis, siquidem cessat finis illius. Neque obstat ratio contraria, quia nego finem denuntiationis in

in delictis ſecretis eſſe correctionem publicam, quia cùm non ſit publicè damnum factum, non eſt cur publicè corrigatur. Securitas autem fidelium, ſi delinquens ſufficienter emendatus ſit, obtinetur. Et ita tradit Emanuel Saa *verbo denuntiatio*, in vtraque editione, ſpecialiter in Romana, cum Toleto, Soto, & Nauarro.

8 Adde in caſu dubio, an iudex ad ſatisfactionem reipublicæ, & delicti commiſſi vindictam, præcipuè ad delinquentis correctionem procedat? Probabilius eſſe procedere ad correctionem delinquentis: tum quia hic finis benignior eſt, & Eccleſiæ conuenientior: tum quia procedit per cenſuras, quæ ad delinquentis correctionem præcipuè ordinantur. ſic Auila *de cenſuris, 2.p. diſp.5.dub.4.* Suarez *de cenſur. diſput.20.ſect.2.num.8.* Filliucius *tract.14.cap.2.q.1.n.28.& 30.* Bonacina *diſput.2. de cenſuris, quæſt.6.punct.1.num.18.fine.* Barboſa *3.p.allegat.96.num.69.*

9 Circa ſecundã quæſtionẽ quando ſub ſecreto hæreſim accepiſti, an tunc poſſis, & tenearis manifeſtare, ac ſi caſu cognouiſſes? In qua re tenendũ eſt, excepto ſigillo ſacramenti Pœnitentiæ, te obligatum eſſe hæreticum pertinacem manifeſtare, quantumuis ſub ſecreto iurato hæreſim cognoueris. argum. textus *in cap. intimauit, de teſtibus, & in cap. non eſt obligatorium, de regulis iur. in 6.* Ratio eſt, quia te obligare non potes ſeruare ſecretum in detrimentum fidei, boníque communis. eſt enim illicita talis obligatio, & contra ius naturale; & iuramentum de tali obligatione ſeruanda, nullum eſt, vtpote de re illicita. ſic pluribus relatis Lazarius *de monitorijs, ſect.2.quæſt.16.num.6.* Bonacina *diſput.2.quæſt.6.punct.1. num.7.fine, & num.23.* Franc. Pegna *in direct. 2.p.comm. 18.ad cap. qualiter, & quando, de accuſationib. verſ. & obligatio denuntiandi.* Ioan. à Rojas *ſingul.3.num.23. & ſeqq.* Farinac. *de hæreſi, quæſt.197.§.2.num.50.* Suarez *diſp.20. ſect.4.num.16.& 17.* Auguſtinus Barboſa *3.p.allegat.96. num.63.*

10 Circa tertiam quæſtionem, ſeu excuſationem, an ratione damni emergentis excuſeris à denuntiatione facienda? Aliqui Doctores non infimæ notę affirmant, ſi graue damnum timeas te excuſatum fore; quia præcepta diuina, & Eccleſiaſtica cum tanto rigore non obligant; quare ſi ex denuntiatione timeas iacturam grauem in re familiari, honore, vel vita, excuſaris à denuntiatione. Et confirmari poteſt, ſi cum aliis crimen hæreſis commiſiſti, etiamſi tu ab ea deſiſtas, non teneris ſocios criminis denuntiare, quia obligareris denuntiare te ipſum. Ergo quoties damnum tibi imminet ex denuntiatione, ceſſare potes à denuntiatione facienda.

Cæterùm in hac parte prudentia opus eſt; neque debes tuo conſilio duci, ſed alieno; attendere enim debes nocumentum, quod reipublicæ obuenire poteſt ex omiſſa denuntiatione: nam ſi hoc grauius eſt, neque alia via impediri poteſt, niſi denuntiatione facta, ſine dubio teneris bonum commune tuo priuato præferre. & tradit Rojas *ſingul.3.num.30. verſic. ſeptimò ampliatur.* At ſi aliqua alia via damnum commune impediri poteſt, vel non eſt ita graue, vt longè præponderet tuo ſpeciali damno, non videris teneri denuntiationem facere. ſic Franc. Pegna *2.part. direct. q.53. comment.78. verſ. at non videtur.* Sigiſmund. Scaccia *de iudic. cap.56.num.4.* Farinac. *de hæreſi, quæſt.197.§.2.num.53.* Auguſt. Barboſa *3.part. allegat.96. num.70.* vbi relato Antonio Genuenſ. Vgolino, Poſſeui. dicit. Nemo tenetur denuntiare, nec teſtificare, quando probabiliter timet ſibi aliquod graue damnum ſpirituale, vel temporale, ſiue inimicitiam capitalem euenturum ex reuelatione: conſentit Bonacina *de cenſuris, diſp.2. quæſt.6. punct.1. num.5.* Ratio eſt ſuprà tacta, quia lex Domini ſuauis eſt, eiúſque præcepta leuia.

11 Ex qua doctrina infero te non eſſe obligatum regulariter ſocios tui criminis manifeſtare, quia non es obligatus manifeſtare te ipſum, & ſine dubio te ipſum manifeſtares, manifeſtato ſocio tui criminis, quia ille manifeſtatus, & à te denuntiatus, debebit interrogatus fortiori ratione te manifeſtare, quam tu ipſum. ſic Suarez *diſp.20. de fide, ſect.4.num.19.* Dixi te non eſſe obligatum manifeſtare ſocios criminis, intelligo per denuntiationem, & depoſitionem teſtis legitimi: ſecus ſi vt reus interrogeris, quia tunc deberes ſocios manifeſtare, quia deberes integrè tuum delictum confiteri. ſic Suarez *ſuprà*, cum Nauarr. *ſuprà cap.18.n.58.* Sayro *in claui regia, lib.12.cap.19.n.29.*

12 Secundò infero, quid dicendum, an tenearis propinquos hæreticos, & ſanguine iunctos denuntiare?

Reſponſio communis eſt, te obligatum eſſe, quia bonum reipublicæ præponderare debet ſpeciali. Et videtur ſatis colligi ex *Deuteron.13.* vbi tanquam lex à natura indicta, dicitur: *Si tibi perſuadere voluerit frater tuus, filius matris tuæ, aut filius tuus, vel filia, ſiue vxor, quæ eſt in ſinu tuo, aut amicus, quem diligis vt animam tuam, clam dicens, Eamus, & ſeruiamus dijs alienis, &c. non miſerearis, vt occultes eum.* Fateor huiuſmodi verba ſolùm probare te obligatum eſſe denuntiare, ſi propinquus voluit te peruertere; ſecus ſi ſibi ipſi damnoſus eſt. At quia hoc crimen rarò contineri poteſt, ne alios inficiat, ideo ex illis verbis ſufficienter colligitur obligatio propinquos denuntiandi. Adde obligationem non tam oriri ex propria iniuria, quàm ex iniuria religioni facta, & quæ facienda timetur.

13 Solùm eſt inter Doctores aliqua controuerſia, an filius poſſit, & teneatur patrem hæreticum denuntiare? Negant Simancas *de cathol. inſtitut. tit.29.num.47. & ſeq. & tract. de patre hæretico, num.14.& ſeqq.* Mouetur, quia in ſupradicta lege Deuteronomij, nulla eſt facta mentio de filio reſpectu patris: tum quia reuerentia debita patri videtur præponderare cuilibet aliæ obligationi, tum denique, quia cedit talis denuntiatio in graue filij detrimentum, redditur infamis, priuatur bonis, &c. Supradictam ſententiam limitat Simancas *illo tit.29. num.43. & ſeqq. & in ſupradicto tract. num.41.* tripliciter. Primò, vt intelligatur non teneri filium denuntiare patrem hæreticum, bene tamen poſſe. Secundò niſi interrogetur à iudice, & præcipuè medio iuramento, quia tunc debet hæreſim propalare. Tertiò niſi hæreſis paterna pernicioſa reipublicæ inueniatur. Ioan. verò à Rojas *ſingul.12.n.3.* admittit filium eſſe obligatum patrem denuntiare; ſi pater ad hæreſim filium induxit, ſecus ſi non inducebat.

14 Cæterùm probabilius credo filium obligatum eſſe denuntiare patrem hæreticum, ſi alia via impedire eius peccatum non poteſt. ſic Caſtro *de iuſta hæreticorum punitione, lib.2. cap. fin.* Maſcard. *de probationibus, lib.2. concluſ.857.num.18.& ſeqq.* Paramus *de origine ſanctæ Inquiſitionis, lib.3.quæſt.8.num.83.* Lœlius Zechius *in ſumm. 1.part. tit. de fide, rubr. de hæreſi, cap.11.num.12. verſic. ſecundò ampliatur.* Farinacius *de hæreſi, quæſt.197.num.40. & 42. fine. & quæſt.54.num.174.* Pegna *lib.2. direct. comment. 15. ad cap. litteras.* Suarez *de fide, diſput.20.ſect.4.num.21.* Tolet. *lib.5.cap.1.num.10.* Bonacina *diſput.2. de cenſuris, quæſt.6.punct.1.num.5.* Auguſtinus Barboſa *de poteſtate Epiſcopi, 3.part. allegat.96.num.56.* & alij ab eiſdem relati. Ratio eſt, quia damnum commune ſpeciali eſt præferendum, neque contra reuerentiam debitam parenti eſt, eius vtilitatem ſpiritualem quærere, & peccata impedire, & (vt dicit Pegna) potius Deo, quàm parentibus obediendum eſt, *cap. relatum, de ſent. excom. & cap. quiſquis metu 11.q.3.* Nam ſi licet patrem impugnantem patriam impunè interficere. *l. minimè, ff. de relig. & ſumptib. funer.* multo magis eundem Catholicæ fidei reum licebit denuntiare.

15 Addit

15 Addit autem optimè Pegna supradicto loco filium deferentem patrem hæreticum, à pœnis in hæreticorum filios iure statutis ob præmium delationis liberari, argument. *l.quisquis, §.vltim. C. ad legem Iuliam maiest.* Ne huiusmodi scelus ex defectu delationis maneat impunitum, quod definiuit Federicus Imperator *in l.commissi nobis cælitus*, quam legem Innocentius IV. postea probauit, in Bulla edita anno 1252. incipiente, *Cùm aduersus*, prout refert Pegna *in vltima parte directorij, fol.mihi 9.* consentit his Castro *lib.2.cap.26.* Suarez *disput.20. sect.4. num.22.* Deinde est notandum patrem sic à filio delatum mitiùs esse puniendum; ne scilicet ipse filius in patre puniatur. Rojas *singul.12.n.6.* Farinac. *q.197.n.45.*

16 Sed quid dicendum de vxore respectu mariti, & econtra, an teneatur maritum hæreticum denuntiare? Videtur non teneri, quia reputantur vna caro, vnáque persona, & sicut nullus seipsum prodere obligatur, neque obligandus videtur prodere sic coniunctum. ita Pegna *in direct.2.part.q.53. comment.78. versic. at non videtur.* Farinacius *de hæresi, quæst.198.num.49.fine, & 53.* Bonacina *disp.2.de censuris, quæst.6.punct.1. num.4.* Cantera *in quæst. crimin. rubr.de hæresi, cap.1.num.22. versic. ex qua quidem glossa.* Barbosa *3.part. allegat. 96. num. 59.* Cæterùm hoc credo intelligendum esse, quando vxor timeret ex tali reuelatione sibi à marito mortem parari, aut aliud graue damnum euenturum; secus si hæc præcaueri possent.

17 Circa quartam quæstionem, an ob priuilegium iuris excuseris à denuntiatione facienda? Breuiter respondere possum te nunquam esse excusatum, denuntiationem facere de hæresi, quæ alia via commodè impediri non potest. Hæc autem denuntiatio vel facienda est tribunali Inquisitorum, si persona denuntiata illi subditur, sin minus coram illius superiore; qualis est saltem Summus Pontifex, quia hæc denuntiatio iudicialis, de qua loquimur, semper coram superiore facienda est. Verùm quia contingit esse aliquas personas à iurisdictione ordinariorum iudicum exemptas; videndum est, an ratione huius exemptionis eximaris à denuntiatione facienda illis iudicibus, à quibus eximuntur. Et primò præsupponendum est, quæ personæ eximantur, & qua ratione vt sic possimus inquirere, an denuntiare illas tenearis?

18 Primò eximuntur à iurisdictione Inquisitorum Episcopi, Archiepiscopi, Cardinales, Patriarchæ, &c. de quibus nec iudicare, nec inquirere possunt Inquisitores fidei. habetur expressè *cap.inquisitores, de hæreticis, in 6.* & tradit Repert.inquisit. *verbo Episcopus, ad 2.* Villadiego *de hæresi, quæst. 7.* Simancas *de catholic. institut. cap.15.* & omnes. Sub nomine *Episcopi*, comprehenduntur quicumque sic fuerint consecrati, etiam titulares, quia veri sunt Episcopi, & dignitate Pontificia fulgent, & tradunt supradicti Doctores, Suarez *disput.20. sect.4.de fide, num.25.* Adde, etsi non sint consecrati, si tamen eorum electio à Sede Apostolica confirmata sit, hoc priuilegio gaudent, quia iam habent Episcopalem iurisdictionem; secus verò si solùm electi sint. sic Molin. *tom.5.de iustit.tract.5.disp.27.n.19.* Simancas *tit.25. num.11.& 12.*

19 Secundò ab Inquisitorum officio eximuntur nuntij, seu officiales Pontificis, dum officio funguntur, quos non possunt Inquisitores ordinarij iudicare, neque aduersùs illos procedere, nisi de licentia expressa Summi Pontificis; bene tamen possunt aduersùs eos inquirere, vt certiorem Summum Pontificem faciant: habetur *in Extrauaganti Ioan. XXII.* quæ incipit, *Cùm Matthæus, de hæreticis.* Nomine *Nuntiorum*, seu officialium Sedis Apostolicæ solùm comprehenduntur, qui in fauorem Sedis Apostolicæ, & pro causis ad illam Sedem pertinentibus deputati sunt, cùm enim hæc exemptio in honorem, & reuerentiam Sedis Apostolicæ concessa sit, æquum erat, vt soli illi gauderent, qui in negotiis illius Sedis occuparentur. Quocirca, si aliquis à Sede Apostolica delegatus sit pro decidenda aliqua inter partes controuersia, cuius decisio ad Sedem Apostolicam non pertinet, sed priuatorum vtilitatem respicit; ij, inquam, nomine officialium gaudentium hoc priuilegio non computantur; & ita tradit relato Lapo, Decio, Pegna *3.part. director.quæst.26.comment.75.* Molin. *tractat.5.de iustit.disput.28.num.20.* Sub hoc priuilegio manifestè comprehenduntur Inquisitores, quia delegati sunt à Pontifice pro causa Sedem Apostolicam maximè respiciente, quæ est fides. sic Suarez *disput.20. de fide, sect.4. num.26.* Molin. *num.21.* Pegna *comment.79.* optimè hæc omnia enucleante. In Hispania autem cùm omnes Inquisitores speciales sint ad nutum amobiles, facilè poterit, si suspectus fuerit, ab officio deponi; & tunc circa illum poterit ordinarius, & alius Inquisitor procedere. Interim tamen dum suo officio fungitur, placet Simancæ *titul. 25.* aduersùs illum posse procedi, quia non est officialis Sedis Apostolicæ, sed subdelegatus à delegato, scilicet ab Inquisitore generali. Sed quod diximus magis receptum est.

Tertiò ab Inquisitorum officio olim aliqui religiosi erant exempti, sed iam vsus obtinuit neminem eximi, neque à suo Prælato iudicari posse, sed remittendum esse censoribus fidei, qui accuratiùs causam examinabunt. sic Suarez *sect.4.num.22.* Pegna *3.part.direct.q.28. comment.77.*

20 His ergo suppositis, inquirimus, an tenearis hos exemptos tribunali inquisitionis denuntiare, præcipuè cùm apud Pontificem non possis eos deferre? Et videtur te obligatum non esse, quia denuntiatio ordinatur ad inquisitionem, & iudicium; si igitur incapaces sunt Inquisitores, & ordinarij inquirendi, & iudicandi hos exemptos, videtur denuntiationis obligatio cessare. Cæterùm credo te obligatum esse in tali casu hos exemptos denuntiare, ac si à censoribus fidei exempti non essent. indicat Suarez *disput. illa 20. de fide, sect.4. num.23.* Moueor, quia illa denuntiatio est efficax remedium impediendi damnum, quod ex hæresi prouenire potest, quia remissa denuntiatione ad Sedem Apostolicam, Sedes Apostolica, si firma denuntiatio, & depositio videatur, vices alicui committit inquirendi, & procedendi aduersùs illum exemptum. Deinde censores fidei iurisdictionem, & potestatem habent ad recipiendam depositionem testium, si qui sint qui velint deponere, quod non leuiter colligitur ex *cap.inquisitores, de hæreticis, in 6.* ibi, *si sciuerint, vel nouerint, testium, inquam, depositione*, aliàs non est scientia, quæ fidem in iudicio faciat. Ergo denuntians, etsi vices denuntiatoris non agat, vicem testis subire potest, & delictum exempti manifestare. Quæ omnia à fortiori procedunt, quando vel fuga timeretur exempti, vel aliquod perniciosissimum damnum in Ecclesia, eo quòd errores disseminaret, & hæreticos defenderet, neque coërceri posset: tunc enim ex benigna interpretatione legis censetur Pontifex concedere Inquisitoribus fidei potestatem capiendi talem exemptum, vt bene dicit Pegna, Molin. Simancas, & alij *locis suprà allegatis.* In tali ergo casu clarum est te obligatum esse denuntiare, quia denuntias superiori, qui ex denuntiatione inchoare causam potest, etiamsi non possit illam terminare.

21 Sed inquires, quæ sint pœnæ omittentium denunciationem, cùm ad illam teneantur?

Respondeo primam pœnam esse excommunicationem: at hæc non est secundùm ius commune ipso facto lata, sed ferenda. Nam Extrauagans Gregor. IX. quam adducit Pegna *2.p. comm.1. ad cap.qui alios, vers. diximus, pag.89.*

pag. 89. solùm dicit, *si quis hæreticos scierit*, &c. studeat indicare confessori suo, vel alij, per quem credat ad notitiam sui Prælati peruenire, alioquin excommunicationis sententia percellatur. quæ verba indicant sententiam ferendam, non latam. At ex edictis sancti Officij nemini est dubium in excommunicationem ipso facto reseruatam incidere sic omittentem; neque ab ea absolui potest, quousque denunciet.

Secunda pœna est reddi de hæresi suspectum, ex traditis *in repert. inquisit. verbo fautores, vers. item in indicatione.* quod intelligendum est, quando nulla se potest probabili causa excusare; vel in iudicio interrogatus veritatem celauit: sed tunc est dubium quam suspicionem contrahat? Nam Alphonsus Castro *de iusta hæreticor. punit. lib. 2. cap. 25. in princ.* dixit violentam contrahere suspicionem. quod certè nimis rigorosum est, vt testatur Ioann. Rojas *singul. 5. num.* 17 *&* 18. Pegna *2. p. direct. q. 56. comm.* 81. *vers. illis ex Ioanne.* Farinac. *de hæresi, q.* 197. *num.* 38. Decian. *tract. crim. lib. 5. cap. 30. n.* 7. At credo de hæresi esse vehementer suspectum, qui veritatem nulla causa excusante occultauit; vel in iudicio rogatus scienter negauit. sic Rojas, Pegna, Farinac. *suprà.*

Tertia pœna est, esse tanquam fautores hæreticorum damnandos, sic Pegna pluribus relatis *2. p. direct. q. 53. comment.* 78. *vers. postremo*, intelligit, vt ex sequentibus constat, dummodò nulla probabili causa excusetur. Cæterùm credo sic omittentes denunciationem dici non posse fautores hæreticorum, nisi saltem ex officio, vel ex iuramento præstito obligati sint denunciare. sic Decian. *in tract. crim. lib. 5. cap.* 51. *num.* 35. Tolet. *sum. lib. 1. cap. 16. num.* 6. Vgolin. *de censur. Pontifici reseruatis, 2. p. in glossa, fautores, in princ. num.* 9. Farinac. *de hæresi, quæst.* 197. *num.* 47. *&* 48. & facit quod tradit Pegna cum Eymer. *suprad. comment.* 78. *vers. priuati.* vbi concludit in hæc verba. Ergo priuati homines fautores hæreticorum erant, si cùm eis incumberet ex officio eos indicare, vel comprehendere, hæc omiserint; tales sunt cruce signati, quos in Hispania *familiares* vocamus. Idem colligitur ex Sanchez *lib. 2. in Decal. cap. 10. num.* 15.

PVNCTVM V.

Qui reputentur credentes, fautores, receptatores, defensores hæreticorum, aduersùs quos in Bulla Cœnæ clausula prima lata est Excommunicatio.

1 *Qui reputetur credens hæretico.*
2 *An bis audiens concionem hæretici condemnandus sit, tanquam illi credens. Distinctione resoluitur vera doctrina.*
3 *Nomine fautorum, qui intelligantur.*
4 *Quid nomine receptatorum.*
5 *Quid defensorum.*
6 *Quid fautorum.*
7 *Omittens denunciare, vel capere hæreticum, cum ex officio non tenetur, non dicitur fautor; secus si ex officio, vel mandato Inquisitorum tenearis.*
8 *Non desunt qui existiment te fautorem hæretici non esse, tametsi faueas, dummodo non faueas animo fauendi hæresi.*
9 *Contrarium est probabilius, modo auxilium cedat in hæresis fauorem.*
10 *Quid si auxilium hæretico præstitisti, vt à iustitia liberaretur, & non obtinuisti? adhuc censendus es fautor hæretici ad pœnas in probabili sententia.*
11 *Probabilius censeo oppositum.*
12 *An sufficiat fauere hæretico præsumpto, vt hæreticorum fautor dicaris.*
13 *Excuset ne à fautoria esse consanguineum, vel affinem hæreticum, cui faues.*

1 Nomine credentium hæreticis comprehenduntur, qui eorum erroribus siue in particulari, siue in communi, siue expressè, siue confusè assentiuntur signis externis tali assensu manifestato. sic Nauarr. *cap. 27. summ. num.* 55. Vgolin. *de censur. reseru. Papæ, 2. p. cap. 1. verbo credentes, num. 1. &* 2. Suarez *de censur. disp. 21. sect. 2. num. 6. & disp. 24. de fide, sect. 1. num. 1. &* 3. Sanchez *lib. 2. in Decalog. cap. 10. num.* 2. Bonacina *disp. 2. de censur. quæst. 5. punct. 3. num.* 2. Pegna *2. p. direct. quæst. 50. comm.* 75. Farinac. *de hæresi, quæst.* 181. *num.* 104. Neque obstat hos credentes verè esse hæreticos externos, & comprehensos sub priori clausula Bullæ aduersùs hæreticos lata, quia gratia solius maioris declarationis expressi sunt. sic Nauarr. Suarez *loco allegato de censuris.* Vgolin. & Sanchez *suprà.* Dixi sufficere si in communi, & confusè erroribus hæretici assentiaris, vt credens illi dicaris, quia tunc verè illi, vt hæreticus est, credis; quod contingit, si credis hæreticum sciens talem esse, rectam fidem habere; licèt in particulari nescias eius errores. Item si dicas te credere quidquid ipse credit. Farinac. *suprà, num.* 104. *fine, & præcipuè num.* 124. *&* 125. Item si animo assentiendi eius erroribus prædicationem, & lectionem illius audis; imò etiamsi non habeas animum assentiendi absolutum; si tamen illum habeas sub conditione, si tibi rationes, & motiua hæretici placuerint, illi credens es, saltem sub conditione. Quod videtur sufficere, vt sub credente comprehendaris; siquidem ratione illius animi dubij fidem amittis. sic Suarez *de fide disp.* 24. *sect. 1. num.* 3. Insuper dixi esse necessarium, vt sensu aliquo externo, quo animus ab aliis cognosci possit, assensum manifestes, aliàs non eris ab Ecclesia puniendus. sic Suarez *locis allegatis.* Sanchez *num.* 1. Azor *tom. 1. lib. 8. cap. 9. quæst.* 10.

Quòd si inquiras, quibus verbis, aut factis hic animus sufficienter manifestetur?

Respondeo breuiter illa esse, ex quibus grauis suspicio hæresis nascitur. Quæ autem hæc sint, optimè expendit Eymer. *2. p. direct. q.* 50. & ibi Pegna, & Farinac. *de hæresi, quæst.* 181. *num.* 110.

2 Dubitant tamen, an si semel, vel bis ad audiendas conciones hæretici adeas, vt credens illi reputandus sis?

Et licèt communis sententia videatur esse ex gemino actu hanc suspicionem grauem oriri, & te tanquam credentem hæretico condemnandum esse. At Doctoribus non infimæ notæ videtur ex gemino actu non sic esse condemnandum. sic pluribus relatis docent Pegna *2. p. direct. quæst. 50. comm.* 75. Decian. *lib. 5. in tract. crim. cap. 18. vers.* 16. Graffis *lib. 4. suarum decis. cap.* 18. *num.* 29. *&* 30. Farinac. *num.* 115. *&* 116. Suarez *disp.* 24. *de fide sect. 1. num. 3. fine.* Limitat tamen hanc doctrinam Pegna *suprà, vers. sed plurimum*, cùm quis Catholicus in terris hæreticorum existens semel, aut bis ad conciones hæreticorum vadit; secus verò, si in terris Catholicorum occulta ab hæreticis conuenticula celebrari intelligat, & illuc vadat, etiamsi semel; & non denunciat Episcopo, vel Inquisitori, suspicione hæresis non carebit. Cùm in hoc casu approbare censeatur, quod potuit auertere, si iudicibus Ecclesiasticis, vt debuit, indicasset, nisi considerata personæ qualitate per ignorantiam excusaretur, & placet mihi hæc limitatio, quam etiam affirmat Azor *tom. 1. lib. 8. cap. 15. quæst.* 1. Farinac. *quæst.* 181. *num.* 120.

3 Nomine fautorum intelliguntur, qui scienter hæretico fauent in causa hæresis. Potest autem fauor præstari multipliciter, scilicet recipiendo hospitio hæreticum: & sic iidem sunt fautores, ac receptatores. Secundò defendendo illum in iudicio, vel extrà, ne puniatur, & tunc sunt defensores. Quomodocunque ergo fauor contingat, qui illum præstat hæretico in causa hæresis, fautor illius dicitur. Verùm quia Doctores

hæc

hæc distinguunt, explicemus sigillatim singula, vt sic meliùs agnoscatur, in quibus casibus censearis hæretico fauere.

4 Receptator ergo diceris, si hæreticum ob causam hæresis fugientem, & se abscondentem hospitio receperis, vel in domo tua, vel in agro, vel in ciuitate, vel alio quouis loco. sic Pegna *2. part. director. quæst. 51. comment. 76. vers. hinc consequitur.* Sanchez *lib. 2. cap. 10. n. 10.* Vgolin. *hoc verbo receptatores, in princ. num. 1. & §. 1. num. 3.* Suarez *disput. 24. de fide, sect. 1. num. 4.* Neque ad hunc effectum requiritur multiplicata receptio, sed sufficit, si vnica vice receperis. nam licèt verbum *receptare*, secundùm Grammaticos iterationem, & repetitionem recipiendi sonat; at secundùm Ecclesiæ morem, non ita in præsenti accipitur, sed in simpliciori significatione, pro vno, inquam, actu; & tradunt Pegna, Sanchez, Vgolin. Suarez *suprà*, & innumeros referens Farinacius *de hæresi, quæst. 181. n. 152.* Neque etiam est necessarium, hanc receptationem occultam esse, quia si publica est, & ad fauorem hæresis cedit, grauiùs delinquis, vt bene dixit Ioan. Calderin. *tract. de hæresi, rubr. de hæreticis volentibus, num. 14. fin.* Farinacius *quæst. 182. §. 7. num. 99.* Pegna *2. p. q. 51. comment. 76.* Quapropter cùm Doctores communiter dicunt receptatorem esse illum, qui hæreticum recipiens occultat, & celat, ne in manus iudicis deueniat, non sunt intelligendi, vt sola receptatio occulta damnetur, siquidem publica damnabilior est; sed ideo de illa mentionem fecerunt, quia frequentior est. Neque etiam requiritur, vt hæreticus sit denuntiatus, sufficit si tibi constet hæreticum esse, quia iam faues hæretico, vt tali. sic Bonacina *disp. 2. de censuris, q. 5. p. 3. fine.* Sanchez *lib. 2. cap. 10. num. 6.* Suarez *de censuris, disput. 21. sect. 2. num. 9.* Debes tamen scire sic receptum hæreticum esse, aliàs receptator hæretici dici non potes; & tenent omnes. In foro autem externo non præsumeris hanc scientiam, sed potiùs ignorantiam habere, & tuo iuramento creditur, nisi casu quo hæreticus, vbi tu resides, publicè denuntiatus, & notorius sit; vt bene dicit Carrerius *de hæreticis, num. 170.* Pegna *2. part. direct. quæst. 51. comment. 76. vers. an autem.* Farinacius *de hæresi, quæst. 181. num. 164.* Imò etiamsi denuntiatus sit, si tamen cùm denuntiatio facta est, absuisti à loco, vel eras in lecto infirmus, vel negotiis propriis occupatus; neque etiam tunc scientia est præsumenda. sic Vgolinus *tract. de censuris Papæ reseruatis, 2. part. in glossa receptatores, §. 2. num. 4.* Farinacius *num. 164.* Azor *lib. 8. cap. 15. quæst. 8.*

5 Defensor hæretici dupliciter dici potest, vt constat ex Eymer. *2. part. direct. quæst. 52.* Primò, si errores hæretici defendas. Secundò, si defendas personam ob causam hæresis. Defendis errorem si argumenta in eius fauorem facias, & obiectiones contrarias dissoluas, si verbis laudes, scriptis extollas. Modus hic defendendi hæreticum perniciosissimus est, siue interiùs errori defenso assentiaris, siue non. In foro enim externo violenter præsumeris errori assentiri; & tanquam hæreticus omni hæretico deterior esses damnandus, vt bene tradit cum Eymer. *suprà*, Pegna *comment. 77. in princip.* Farinacius innumeros referens *quæst. 182. num. 62.* & est textus expressus *in cap. qui aliorum, 24. quæst. 3.* Defendis autem personam propter causam hæresis, si impedis ne capiatur à iudice, vel captum ab eo liberas, si impedis ne corrigatur, quod facere potes muneribus, vi, dolo, & potentia. sic Farinacius *toto §. 7.* Adde si quis vellet aliquem actum hæreticalem facere, & ab aliis impediatur, tu verò remoueas impedientes, vt liberè ille prauam illam voluntatem exequatur, tanquam defensor erroris es iudicandus, & condemnandus. sic Decian. *tractat. crimin. lib. 5. cap. 51. num. 9. versic. ego verò.* Farinacius *quæst. 181. de hæresi, num. 65.* Dixi, si defendas personam ob causam hæresis, quia si ex alia causa defendas, videlicet ne à latrone, vel alia priuata persona iniustè offendatur, non es defensor hæretici, quia illa defensio mala non est. sic Tolet. *lib. 1. summ. cap. 19. num. 6.* Farinacius *num. 68.* Suarez *disp. 24. sect. 1. n. 5.*

6 Fautor hæretici diceris, quoties ob causam hæresis hæretico fauorem præstas. Dupliciter hunc fauorem præstare potes omissione, & commissione. Omissione faues hæreticis, si eos cùm teneris capere, aut iudicibus indicare, non indicas, neque capis, si captos, & tuæ curæ commissos non custodias diligenter, si tibi commissos puniendos non punias. Commissione faues, verbis, & factis. Verbis, si laudes hæreticum, vt talis est, affirmans esse virum probum, iniustè damnari; si consilium præbeas, vt possit errores celare, & condemnationem effugere. Factis faues hæreticis, si eos celas, & occultas in domo; si auxilium præbes, vt effugiant, si subministras alimenta, si processum falsificas, abscondis, & alia huiusmodi facis, ex quibus inquisitionis officium impeditur: sic omnes Doctores relati, & referendi, & videri possunt in Farinac. *de hæresi, q. 182. §. 1.* Aduertendum tamen est hæc omnia officia te facere posse circa hæreticum mortuum, & emendatum, quæ si in fauorem hæresis cedant, absque dubio fautor hæreticorum dicendus est. Vnde si hæreticum mortuum in loco sacro sepelias; si interrogatus à iudicibus ad illius delicti punitionem, veritatem occultes, cùm debes manifestare, vel illius inquisitionem faciendam impedias; censeris in his casibus hæretici fautor. sic tradit Vgolin. *illo verbo fautores, initio, num. 18. & §. 1. num. 1.* & Sanchez *lib. 2. cap. 10. num. 17.* Suarez *de fide, disput. 24. sect. 1. num. 6.*

7 Pro maiori tamen horum declaratione, sunt aliquę difficultates enodandæ.

Prima, an priuatæ personæ ex omissione dicantur fauere hæretico? v. g. si omittis capere hæreticum, vel iudicibus indicare, cùm facilè possis, si iam captum, & tibi commissum non custodis.

In qua re communis omnium sententia est te non esse fautorem hæretici, nisi aduersùs iustitiam, & obligationem officij pecces. sic Simancas *tit. 15. num. 13.* Pegna *director. quæst. 53. comment. 78. versic. ego.* Sanchez *lib. 2. cap. 10. num. 15.* Suarez *disput. 24. sect. 1. num. 6.* Farinacius innumeros referens, *de hæresi, quæst. 182. num. 27.* Ratio est, quia cessante obligatione iustitiæ tibi imputari non potest hæreticum non corrigi, cùm tua non intersit illum corrigere. At si ex iustitia obligatus sis hæreticum capere, vel denuntiare; quæ obligatio oriri potest, vel ex officio, vel ex speciali Inquisitoris mandato; tunc fautor hæretici dicendus es, si fauorem debitum præstare omittis. sic Doctores relati. Ex quo fit, si Inquisitores, & Episcopi in fauorem hæresis omittant delinquentem capere, torquere, punire, & in carcere custodire fideliter, fautores esse hæreticorum. Idem est de cruce signatis, si omittant capere hæreticos, quia omnes ij ex officio obligantur. sic Sanchez, Suarez, & Farinacius *suprà.* Ex speciali autem mandato tenentur omnes præstare auxilium contra hæreticum, quoties requisiti fuerint. Si autem omittant, peccant contra iustitiam; quia peccant contra ius debitum superiori præcipienti, quod videtur sufficiens, vt fautores hæreticorum dicantur. Ex quo fit, si interrogatus à iudicibus fidei celes veritatem, vel requisitus capere hæreticum, id omittas, vel imperatus manifestare hæreticum, omittas denuntiare; quia omittis facere ea, quæ ex speciali præcepto tui superioris facere debebas. sic Sanchez, & Pegna *suprà.* Quamuis non desunt Doctores, qui te à fautoria hæresis liberent, quando solùm ex speciali præcepto, & non ratione officij teneris fauorem præstare, eo quòd non videaris aduersùs iustitiam, sed solùm aduersùs fidem peccare in omittendo tali fauore: aliàs quoties subditi superiori præcipienti non obedi

obedirent, duplex peccatum committerent, alterum scilicet aduersùs illam virtutem, cuius est materia præcepta, v.g. temperantiæ, vel religionis, si Missa, vel ieiunium imperetur, alterum aduersùs ius superioris, quod ex omissione sui præcepti læditur. Et ita non esse fautores hæreticorum singulares personas, quibus ex officio non incumbit fidei fauere, & hæresim extirpare, docet Eymer. *2. p. quæst.* 53. *num.* 3. Farinac. *quæst.* 182. §. 2. *num.* 36.

8 Secunda difficultas est, an fauor, defensio, & receptatio hæretici debeat præstari animo fauendi eius hæresi, vel sufficiat, si in hæresis fauorem cedat? Plures Doctores negant sufficere, sed necessariò requiri te habere animum fauendi hæresi. sic docet Sanchez *lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 5. Bonacina *disp.* 2. *de censur. quæst.* 5. *punct.* 3. *num.* 2. Mouentur, quia ferè omnes Doctores sentiunt ad fautoriam necessariò requiri fauere hæretico, vt hæreticus est; at si hæretico faues, quia est tibi amicus, vel consanguineus, non faues illi, quia hæreticus est. Ergo non es fautor hæretici.

9 Nihilominus probabilius censeo te esse hæretici fautorem, si in fauorem hæresis auxilium præstes; etiamsi non procedat auxilium ex animo fauendi hæresi, sed satisfaciendi alteri humanæ obligationi. Probo primò ratione à priori, quia si auxilium impendis hæretico, cedens necessariò in hæresis fauorem, absolutè vis in executione hæresi illius fauere, quia fauor hæresis omnino consistit in illo auxilio præstito, neque impeditur ex alia vniuersaliori intentione, si fortè habeas. Ergo verè dicendus es fauere hæretico, vt hæreticus est, quoties faues illius hæresi. Secundò ex variis textibus *in tit. de hæreticis, in 6.* in quibus solus fauor hæretico factus cedens in fauorem hæreticæ prauitatis attenditur, vt fautoriam hæresis constituat, neque alia intentio formalis requiritur, constat hoc ex *cap. accusatus, §. sacerdotes, de hæretic. in 6.* vbi sacerdotes, & alij clerici impedientes inquisitionis officium, compesci possunt tanquam fautores hæretici, cùm non sit dubium (inquit textus) eos ipsa facere in fauorem hæreticæ prauitatis. Item ex *cap. commissi,* vbi conferens beneficium hæretico cognito, etiam si consanguineus sit, priuatur beneficiis, & alias pœnas incurrit. Et idem est de recipiente ab hæretico, ex *cap. quicunque*, quia in iis fauor hæresi præstatur, etiamsi non animo vltimatè, & formaliter illi fauendi fiant. & ita tenet doctissimus Franc. Suarez *de fide, disp.* 24. *sect.* 1. *num.* 9. Neque Doctores, quos allegat Sanchez, suam intentionem probant, solùm enim dicunt necessarium esse ad fautoriam, vt hæretico faueas, vt hæreticus; quod abundè præstas, quoties vis auxilium cedens in fauorem hæresis illi præstare; vis enim tunc illi fauere, vt hæreticus est, etiamsi non faueas illi, quia est hæreticus, sed quia est consanguineus.

10 Tertia difficultas est, an censearis fautor hæretici ad pœnas incurrendas ob auxilium, & fauorem hæretico præstitum, si de facto effectum non obtinuisti? v. g. Recepisti domi hæreticum, vt illum à iudice liberares; at non potuisti obtinere, quia iudex conscius quæsiuit delinquentem, & inuenit. Item dedisti delinquenti pecuniam, vt fugeret, ne caperetur, captus est. Negasti veritatem in iudicio interrogatus; alij testes manifestarunt, & ex testimonio illorum reus fuit punitus. Dubium ergo est, an in his casibus censearis fautor hæretici? Negat Sanchez *lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 9. Bonacina *disp.* 2. *quæst.* 5. *punct.* 3. *num.* 2. Farinac. *quæst.* 182. *num.* 102. Mouentur, quia fauor prohibetur hæreticis, ne in hæresi foueantur, sed qui non obtinuit effectum fauoris, non fouet hæretico in sua hæresi, etiamsi intenderit fouere. Ergo non est puniendus, vt talis. Et confirmo. Si mandatum, consilium, vel auxilium ad homicidium, vel percussionem clerici dederis, & homicidium, vel percussio clerici non sequatur, nullam pœnam contrahis; quia hæc non ratione sui, sed ratione homicidij, & percussionis clerici prohibentur, & puniuntur: & cessante principali, cessare debet accessorij prohibitio; sed in præsenti principale prohibitum est hæresis, accessoriè est fauor, defensio, & receptio. Ergo cessante hæresis perseuerantia, cessare debent omnia alia prohibita.

11 Contrarium vt probabilius defendit Suar. *disp.* 24. *de fide, sect.* 1. *num.* 14. Sayrus *t.* 1. *in thesauro, lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 4. Graff. *lib.* 4. *suarum decis. cap.* 18. *num.* 34. Et mihi probatur. Moueor, quia fauor hæretici prohibetur, non vt hæresis committatur, sed ne hæresis commissa firmitatem habeat; sed hic effectus semper obtinetur, quoties auxilium in fauorem hæresis præstas saltem pro illo tempore, quo præstas auxilium, etiamsi postea auxilium impediatur. Ex qua ratione soluitur fundamentum contrarium.

12 Quarta difficultas est, an debeas fauere hæretico, qui verè hæreticus sit, vt fautor hæreticorum dicaris, vel sufficiat fauor hæretico iure præsumpto? v. g. excommunicato per annum, & in excommunicatione insordescenti?

Respondet Suarez *disp.* 24. *sect.* 1. *num.* 13. in foro externo te reputandum esse hæreticorum fautorem, secus in foro conscientiæ, quod veritatem respicit. Et quidem de foro conscientiæ verissimum est hoc dictum: at pro foro externo limitandam iudico sententiam Suarez ad excommunicatum ex causa fidei per annum insordescentem in excommunicatione: hic enim est, qui hæreticus reputatur, & tanquam hæreticus damnari debet, ex text. *in cap. excommunicamus, el* 1. *§. credentes, de hæreticis,* & ex text. *in cap. vt inquisitionis, § prohibemus, de hæreticis, in 6.* Secus verò si non sit excommunicatus ex causa hæresis, quia tunc solùm redditur de fide suspectus. iuxta Trident. *sess.* 25. *cap.* 3. *de reformat.* §. *in causis quoque.* vbi statuit inquiri posse in quemcunque persistentem per annum in excommunicatione, tanquam de hæresi suspectum; & constat ex *cap. grauem, de pœnis, cap. cum bona, de ætate, & qualitate.* & tradit optimè Eymer. *direct.* 2. *p. quæst.* 47. Verumtamen ex consuetudine Romanæ Ecclesiæ, & generalis inquisitionis, non solent Inquisitores aduersùs sic in excommunicatione persistentes procedere, quando excommunicatio non est ob causam hæresis. sic tradit Pegna 2. *p. direct. comm.* 72. *vers. quidam.* Ergo huic excommunicato fauens non potest dici, nec condemnari vt fauens hæresi, sed solùm vt fauens hæresis suspicioni.

13 Quinta difficultas est, an esse consanguineum, vel affinem, vel amicum hæreticum, cui fauorem præstas, te excuset à fautoria hæresis? Si sententiam Sanchez, & Bonacin. sequamur, affirmantium ad hoc crimen committendum necessariò requiri expressam voluntatem fauendi hæresi, nemini esse potest dubium te excusari non posse in foro conscientiæ, quia talis fauor est intrinsecè malus; esto in foro externo excusatus præsumaris. sic Sanch. *lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 8. Verùm iuxta nostram sententiam negantem requiri ad hoc delictum hanc expressam voluntatem, insupérque affirmantem hos omnes obligatos esse regulariter denuntiare hæreticos, dicendum est hoc crimen incurrere, si absque graui iactura, & damno proprio, possent fauorem omittere: est communis sententia, vt constabit ex Doctoribus statim allegandis. At si graui metu fauorem præstant, etiam si à peccato non excusentur, excusantur tamen à pœna fautoriæ, quia Ecclesia non videtur cum tanto rigore obligare. sic Pegna 2. *p. com.* 17. *vers. verumtamen,* Simancas *de catholic. institut. tit.* 15. *rubr. de credentibus, num.* 17. Vgolin. 2. *p. de censur. reseruat. verbo receptatores;* §. 2. *num.* 3. Farinac. *quæst.* 82. *num.* 162. & alij. Loquendo tamen pro foro externo iura sanguinis, & amicitiæ strictissima sunt, & ratione illorum quis coactus censetur recipere, defendere, & fauere sic sibi iunctis:

ea de causa non desunt graues Doctores, qui à fautoria excusent consanguineos in primo gradu, parentes respectu filiorum, & econtra, fratres respectu aliorum fratrum, & vxoris respectu mariti: ij enim censentur non fauore hæresis, sed ex obligatione sanguinis operari. sic Simancas *de catholic. institut. tit. 15. rubr. de creden. num. 25.* Pegna *direct. 3. part. quæst. 111. comment. 160. versic. nunc autem.* Decian. *in tractat. crimin. lib. 5. cap. 51. num. 79.* fauet Thomas Sanchez *lib. 2. in Decalog. cap. 17. num. 24.*

Cæterùm communis sententia est titulum consanguinitatis, affinitatis, vel amicitiæ quantumcumque strictæ non excusare in hoc crimine à censura excommunicationis, neque etiam ab aliis pœnis, quæ latitudinem recipiunt, debent tamen temperari pro maiori, vel minori sanguinis coniunctione. sic Menochius *de arbitr. lib. 2. centur. 6. casu 548. num. 8.* Graffis *lib. 4. decis. cap. 18. num. 35.* Pegna *2. part. quæst. 56. comment. 81. versic. rursus.* Simancas *de catholic. institut. tit. 15. rubr. de credentib. num. 21.* Decian. *tractat. crimin. lib. 5. cap. 51. num. 68.* Farinacius alios referens, *de hæresi, quæst. 182. §. 9. n. 144. & 149.* & est decisio expressa *l. 2. ff. de receptatoribus*, vbi receptans consanguineum latronem mitiori pœna punitur.

Aduerto tamen in casu dubio, an fauens hæretico consanguineo fauorem præstiterit ob sanguinis coniunctionem, vel ob crimen hæresis, præsumptio facienda est excusans à culpa. sic Graffis, & Simanc. *suprà*, Farinac. alios referens, *n. 143. & 151.*

PVNCTVM VI.

Quæ sint pœnæ fautoribus hæreticorum impositæ.

1 *Enumerantur pœnæ.*
2 *An illas incurrant, antequam notati sint, & in excommunicatione per annum insorduerint.*
3 *Fautor hæreticorum contrahit suspicionem hæresis pro qualitate fautoriæ.*
4 *Arbitrio iudicis est puniendus.*
5 *Episcopus negligens in puniendis hæreticis deponendus est.*
6 *Ciuitates Episcopali dignitate sunt priuandæ.*
7 *Domini temporales requisiti, si negligentes per annum fuerint, priuantur dominio, & alijs committitur.*

1 RESTAT enumerare pœnas, quibus suprà dicti fautores, receptatores, defensores hæreticorum afficiantur. de quibus latè Canonistæ *in cap. excommunicamus, §. credentes, de hæreticis*, ex illo tit. & tradit Eymer. *director. 2. p. q. 50. 51. 52. & 53.* & ibi Pegna, Farinacius *tota q. 182. præcipuè à num. 37.* quas ferè omnes enumerat Pontifex *in cap. excommunicamus, §. credentes, de hæreticis*, in hæc verba: Credentes præterea, receptatores, defensores, & fautores hæreticorum excommunicationi decernimus subiacere: firmiter statuentes, vt postquam quis talium fuerit excommunicatione notatus, si satisfacere contempserit infra annum; ex tunc ipso iure sit factus infamis, neque ad publica officia, seu consilia, neque ad eligendos aliquos ad huiusmodi, neque ad testimonium admittatur; sit etiam intestabilis, vt nec testandi liberam habeat facultatem, neque ad hæreditatis successionem accedat. Nullus præterea ipsi super quocumque negotio, sed ipse aliis respondere cogatur. Quòd si fortè iudex extiterit, eius sententia nullam obtineat firmitatem, neque causæ aliquæ ad eius audientiam perferantur. Si fuerit Aduocatus, eius patrocinium nullatenus admittatur: si tabellio, instrumenta confecta per ipsum nullius sint momenti, sed cum authore damnato, damnetur: & in similibus idem præcipimus obseruari. Si verò clericus fuerit, ab omni officio, & beneficio deponatur, vt in quo maior est culpa, grauior exerceatur vindicta. Si qui autem tales, postquam ab Ecclesia fuerint denotati euitare contempserint, excommunicationis sententia vsque ad satisfactionem idoneam percellantur. Sanè clerici non exhibeant huiusmodi pestilentibus Ecclesiastica sacramenta, nec eos Christianę pręsumant tradere sepulturę; nec eleemosynas, aut oblationes eorum percipiant, alioqui suo priuentur officio, ad quod nunquam restituantur absque indulto Sedis Apostolicæ speciali. Similiter quilibet regulares, quibus etiam hoc infligatur, vt eorum priuilegia in illa diœcesi non seruentur, in qua tales excessus præsumpserint perpetrare.

2 Circa has pœnas illud occurrit notandum, an illas incurrant fautores hęreticorum, antequam ab Ecclesia denotati sint, & in excommunicatione publica per annum insorduerint? Qua in re Eymer. *3. p. q. 123. num. 2.* negare videtur, ex illis verbis textus, *postquam quis fuerit excommunicatione notatus, & per annum insorduerit*, & illis, *cum authore damnato damnetur*, & illis, *ab Ecclesia fuerint denotati.* quæ omnia indicant publicationem excommunicationis. Suarez *disput. 24. sect. 1. in fine*, distinguit de pœna infamiæ, & incapacitatis ad testandum, & ad officia publica, & in his requirit per annum in excommunicatione insordescere, in reliquis verò pœnis spiritualibus, quales sunt priuatio beneficiorum, Ecclesiasticę sepulturę, orationum & oblationum; hanc perseuerantiam, & publicationem excommunicationis non requirit.

Dicendum tamen est ex vi illius textus, & ratione excommunicationis, nullam ex supradictis pœnis fautores hęreticorum incurrere, nisi per annum in excommunicatione notati insorduerint, quod indicauit Eymer. cùm dixit loco allegato: Non videntur alias pœnas incurrere, ex eo quòd stant in excommunicatione per annum, nisi sic excommunicati notentur, & publicentur. quasi diceret ex alio capite illas incurrere posse; & de pœna infamiæ, priuationis officiorum, incapacitatis ad testandum, & ad succedendum tradit Farinacius *quæst. 183. num. 39.* & clariùs *num. 59. 60. & 106.* De beneficiorum priuatione tradit *num. 40. & 107.* pręterquam quòd priuatio beneficiorum, quæ habentur, non fit ipso iure, sed per sententiam saltem declaratoriam, vt aliis allegatis docet Pegna *3. part. director. comment. 162. vers. de hæreticorum.* Farinacius *quæst. 189. n. 73. & seqq.* Ad alia verò obtinenda ipso iure inhabiles efficiuntur, vt constat ex *cap. quicumque, de hæreticis, in 6. versic. hæretici.*

Limitanda tamen est hæc doctrina in sepultura Ecclesiastica, & orationibus faciendis pro fautore hæreticorum, quia eo ipso, quòd constat aliquem fauendo hęreticis decessisse, non debet inter Christianos accipere sepulturam, neque pro illo orationes fundi, quia in peccato mortali, & excommunicatione decessit, ex text. *in cap. sicut, de hæret. & cap. 2. eod. tit. in 6.* & constitutio Innocent. IV. incipiens, *Nouerit*, quam refert Pegna *in vlt. p. direct. fol. mihi 17.* Verumtamen hoc rarò constare potest, nisi condemnatus sit.

3 Præter supradictas pœnas contrahit fautor, receptor, & defensor hæreticorum, eo ipso, quòd crimen committat, suspicionem hæresis leuem, aut vehementem pro qualitate circumstantiarum, & indiciorum; ob quam sic suspecto debet indici purgatio. est communis sententia *in cap. quicumque, de hæreticis, in 6.* sic Vmbert. Locat. *in iudic. inquisit. verbo credentes, sub num. 2.* Repert. inquisit. *in verbo fautores, versic. nota.* Eymer. *director. 2. part. quæst. 50. num. 4. & 5.* Pegna *ibi comment. 75. & quæst. 51. comment. 77.* & aliis relatis Farinac. *q. 182. num. 55.*

4 Deinde arbitrio iudicis possunt puniri fautores, recepta

receptatores, & defensores hæreticorum, pœnis pecuniariis vsque ad confiscationem bonorum, exilio, fustigatione, aliisque corporalibus pœnis pro qualitate delicti: colligitur ex his, quæ adducit Menoch. *de arbitr. lib. 2. cent. 6. casu* 548. *num.* 1. 2. *&* 4. Decian. *in tract. crimin. lib. 5. cap.* 52. *num.* 47. Farinac. *de hæresi, quæst.* 182. *num.* 54. & probat textus *in cap. accusatus.* §. *sacerdotes, de hæretic. in* 6.

Hæ pœnæ communes sunt omnibus fautoribus, defensoribus, & receptatoribus hæreticorum. Aliquæ autem sunt speciales pro Episcopis, Principibus, & Magistratibus, qui fauorem vel omittendo, vel committendo hæreticis præstant.

5 Primò, Episcopus negligens in puniendis, extirpandisque hæreticis deponendus est ab Episcopali dignitate, ex text. *in cap. excommunicamus, el* 1. §. *volumus, de hæreticis.* vbi dicitur: Si quis Episcopus super expurgando de sua diœcesi, hæreticæ prauitatis fermento negligens fuerit, vel remissus, cùm id certis indiciis apparuerit, ab Episcopali officio deponatur, & in locum ipsius alter substituatur idoneus, qui velit, & possit hæreticam confundere prauitatem. Hæc autem depositio à nullo alio facienda est, nisi à Pontifice. sic pluribus relatis docet Farinac. *quæst.* 182. *num.* 24. Pegna 2. *p. direct. comm.* 2. *vers. Episcopi ergo.*


6 Secundò ciuitates negligentes in puniendis hæreticis Episcopali dignitate sunt priuandæ, ex text. *in cap. ad abolendam,* §. *ciuitas, de hæretic.* vbi dicitur: Ciuitas, quæ his institutis duxerit resistendum, vel contra commonitionem Episcopi punire neglexerit resistentes, aliarum careat commercio ciuitatum, & Episcopali se nouerit dignitate priuandam.

7 Tertiò contra dominos temporales, rectores, moderatores prouinciarum, vel ciuitatum, requisitos ab Ecclesia pro hæresi extirpanda, negligentes fuerint, & in sua negligentia per annum insorduerint, est text. expressus *in cap. excommunicamus,* §. *moneantur, de hæretic. & in authent. si verò, C. eodem.* & multis relatis exornat Simancas *de catholic. instit. tit.* 23. *sub rubr. de dominis temporal. num.* 1. *& seqq. & in enchirid. violatæ relig. tit.* 21. *rubr. de principibus, num.* 4. *&* 5. Pegna *direct.* 2. *p. quæst.* 53. *comm.* 78. *vers.* 1. Farinac. *de hæresi, quæst.* 182. *num.* 15.

Ne autem supradicti domini temporales, rectores, consulésque ciuitatum in supradictam negligentiam incidant, prouidit textus *in cap. ad abolendam, de hæretic.* §. *statuimus*, vt iuramento se obstringant, quòd fideliter, & efficaciter cùm ab Episcopo fuerint requisiti, Ecclesiam contra hæreticos, & eorum complices adiuuabunt, bona fide, iuxta officium, & posse suum. Ad idem est *cap. vt officium*, §. *statuimus, de hæretic. in* 6. Variant tamen Doctores, an hoc iuramentum debeant præstare omnes domini temporales? Alij affirmant, solùm debere præstare illos, quorum terræ hæresibus infectæ sunt, secus alij; alij de omnibus generaliter affirmant. Certum tamen est quemlibet consulem, gubernatorem, magistratum, & dominum, si ab Episcopo, vel Inquisitore requisitus fuerit, de hoc iuramento præstando debere curare, quia ita cauetur tum in supradictis text. præcipuè *in cap. vt officium*, tum quia expressè Innocent. IV. hoc declarauit in sua constitutione edita anno 1553. incipiente, *Ad aures nostras,* quam refert Pegna inter litteras Apostolicas, *pag. mihi* 12. & alia eiusdem incipiente, *Ad extirpanda*, & ita tradit Simancas *in enchirid. tit.* 21. *num.* 7. *&* 8. Decian. *in tract. crim. lib.* 5. *cap.* 51. *num.* 11. Farinac. *de hæresi, quæst.* 182. *num.* 22. Eymer. 3. *p. quæst.* 32. & alibi sæpè.

DISPVTATIO IV.

De pœnis spiritualibus hæreticorum, excommunicatione scilicet, infamia, priuatione beneficiorum, & officiorum.


CVM hæresis delictum grauissimum sit, meritò Ecclesia illud audentes committere coërcere voluit pœnis tum spiritualibus, tum temporalibus, tum corporalibus. De omnibus sigillatim dicemus.

PVNCTVM I.

Qua ratione excommunicatio, quæ est prima hæreticorum pœna, hæreticos afficiat.

1 *Iure diuino nulla est lata excommunicatio aduersus hæreticos; benè tamen iure Ecclesiastico.*
2 *Hæc excommunicatio non constituit hæreticum vitandum, quousque denunciatus sit.*
3 *Quid si declarares aliquem esse hæreticum, aliúdve delictum, cui est annexa excommunicatio, commisisse, quia declarares habere censuram, aliqui existimant non esse vitandum.*
4 *Oppositum sentit Suarez.*
5 *Distinctione controuersia enodatur.*

1 CONstat apud omnes hæreticum esse ipso iure excommunicatum, ex *cap. cùm Christus, in princ. cap. ad abolendam, cap. excommunicamus,* 1. *&* 2. *de hæreticis. cap. nouerit, de sentent. excommunicat.* Excommunicatio autem lata in illis capitibus non erat Pontifici reseruata, quæ tamen in præsenti est ex constitutione Bullæ Cœna clausula prima. Debet autem hæresis esse signo aliquo externo manifestata. nam purè mentalis Ecclesiæ iurisdictioni non subditur, quia Ecclesia visibilis est: subditur autem quælibet hæresis externa, quantumuis occulta. Neque obstat, quòd ab Ecclesia non cognoscatur, quia est per accidens, & de se cognoscibilis est, quod sufficit, vt per legem delictum puniat, quia punit illud sub conditione, si patratum fuerit, seu tali delicto patrato pœnam ipso iure annectit, quæ omnia latiùs examinata sunt superiori *disp. p.* 1. Dubitant tamen aliqui, an iure diuino hæc excommunicatio hæreticis fuerit imposita? cui negatiuè respondeo, quia excommunicatio hæc consistit in priuatione actiua & passiua sacramentorum, communione fidelium, & suffragiis Ecclesiæ, quibus omnibus iure diuino hæreticus priuatus non est magis, quàm alij omnes peccatores. Aliàs si iure diuino iis omnibus priuaretur, non potuisset Ecclesia in horum priuatione se intromittere, admittendo excommunicatum non nominatum, nec manifestum clerici percussorem ad fidelium communicationem, quibus antea priuatus erat. Adde tempore antiquo non erat aduersùs hæreticos lata ipso iure excommunicatio, sed ferenda, postquam moniti fuerint, vt videtur probari ex *cap. si quis Episcopus*, 1. *quæst.* 7. & ita tradit Ioann. Azor *tom.* 1. *institu. moral. lib.* 8. *cap.* 10. *q.* 2. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 2. Valent. 2. 2. *quæst.* 11. *art.* 3. *vers. ex his testimoniis*, Suarez *de fide, disp.* 21. *sect.* 1. *num.* 4. & alij apud ipsos.

2 Secundò dubitant Doctores, an hæc excommunicatio constituat hæreticum vitandum? Hanc dubitationem suprà dissolui, negatiuè respondendo. Motus *Extrauaganti ad euitanda scandala,* in qua omnibus fidelibus

libus fauor conceditur communicandi cum excommunicatis, qui specialiter, & expressè denuntiati non fuerint, neque fuerint manifesti clerici percussores. Ergo ex vi huius fauoris, & priuilegij hæreticus quantumuis notorius, & generaliter nominatus in Bulla Cœnæ, vt Lutheranus vitandus non est: & sic tenent Azor *lib.* 8. *cap.* 13. *quæst.* 7. Bonacina *disput.* 2. *de censuris, q.* 5. *punct.* 1. *num.* 9. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 3. Suarez *disput.* 21. *de fide, sect.* 3. *num.* 3. Ex quo infero licere tibi ab illo sacramenta recipere illis in casibus, in quibus licet à peccatore manifesto; quia excommunicatio non declarata non inducit specialem prohibitionem. At quia peccatum hæresis est ita execrabile, potest contingere, vt recipiendo sacramentum ab hæretico notorio, etiamsi denuntiatus nominatim non sit, videaris illius hæresi assentiri, & tunc illum vitare debes ob præceptum naturale profitendi fidem. sic supradicti Doctores.

3 Tertiò dubium est, an sufficiat declarare aliquem esse hæreticum; quin declares esse excommunicatum, vt sit vitandus? Communis est dubitatio omni declarationi de peccato, cui est censura annexa, an, inquam, sufficiat illius declaratio, quin censura expressè declaretur, vt delinquens censeatur declaratus? Dubitatio autem, vt bene aduertit Suarez statim allegandus, magis est speculatiua, quàm practica. Nunquam enim iudices ita diminutè in declaratione procedunt, vt declarent delinquentis peccatum, & non censuram excommunicationis illi annexam, sed casu, quo aliquando id contingeret; negat Sanchez *lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 4. *in medio*, cum Nauarr. *miscell.* 47. *de oratione, num.* 1. Graffis 1. *part. decis. lib.* 4. *cap.* 11. *num.* 5. *fine*, esse sic declaratum vitandum. Mouentur, quia extrauagans, *ad euitanda*, petit, vt censura sit declarata formaliter, & expressè; at declarato delicto non est declarata censura formaliter, & expressè, sed solùm virtualiter, & in radice. Ergo. Secundò hoc decretum est latum in animarum fauorem. Ergo potiùs est extendendum, vt requiratur formalis, & expressa declaratio, quàm limitandum, vt sufficiat implicita, & virtualis. Tertiò finis, ob quem Concilium fidelibus concessit, ne tenerentur vitare excommunicatos, qui nominati non fuerint, fuit, vt ex ignorantia cum excommunicatis agerent, sed declarato solùm delicto esse potest in pluribus saltem rusticis, & indoctis eadem ignorantia. Ergo vt fiat satis intentioni Concilij, ipsamet censura debet esse expressa, & formaliter declarata. Addit insuper Sanchez non sufficere hanc censuræ declarationem fieri in genere, sed requiri, vt fiat in specie, & in particulari: nam cùm plures sint censuræ, non arguitur ex declaratione communi, quæ censura crimini sit annexa.

4 Contrarium huius doctrinæ defendit Suarez *de censuris*, *disput.* 9. *sect.* 2. *num.* 10. *& de fide*, *disput.* 21. *sect.* 3. *num.* 8. Gutierrez, Henriquez, Manuel, Medina, Sotus, quos allegat Sanchez *dicto cap.* 9. *num.* 4. Fundamentum præcipuum est, quia verba extrauagantis solùm indicant declarationem fieri personæ delinquentis, quin de censura expressè mentio fiat. Inquit enim, non esse fidelibus obligationem vitandi excommunicatos, nisi sententia, vel censura, aut prohibitio contra personam certam à iudice publicata, & denuntiata fuerit formaliter, & expressè. Ergo siue sententia, siue prohibitio, siue censura publicata sit, erit decreto Concilij satisfactum. Secundò, quia hic modus dicendi est fauorabilis fidei, in cuius fauorem leges pœnales extendi solent. Deinde est fidelibus vtilior, vt sic à peste hæresis liberentur. Ergo.

5 Ego verò censeo media via procedendum esse, si enim iudex declarat Petrum hæreticum esse, vel alteri crimini obnoxium, incurrisséque censuram illi crimini annexam: si censura excommunicationis est, esse sufficienter declaratam, vt iuxta decretum Concilij Constantiensis declaratus, & publicatus sit; secus verò, si solum delictum declaratur. Priorem partem vltra fundamenta secundæ sententiæ probo. Quia Concilium solùm petit declarationem formalem, & expressam censuræ, sed illa est expressa, & formalis declaratio censuræ crimini annexæ, quamuis non sit declaratio expressior, & formalior, quæ esse potest. Ergo. Item ex vi illius declarationis nullus potest allegare se nescire sic declaratum censuram incurrisse. Debet ergo inquirere, quænam sit? præsumere enim debet esse excommunicationem, quia est frequentior, maximè si delictum laicis, & clericis commune sit. Secundam partem, scilicet non sufficere declarare alicuius delictum, nisi cẽsuram declares, sic probo, destruendo fundamentum allatum pro sententia Suarez, ipse enim ex verbis extrauagantis Concilij Constantiensis inferebat sufficere declarationem cuiuscumque rei, vel delicti, vel censuræ, sic enim dicit Concilium Basiliens. *sess.* 20. *ad finem*, referens hanc extrauagantem Concilij Constantiensis, *ad euitanda scandala, & multa pericula, subueniendúmque conscientijs timoratis, statuit etiam, quòd nemo deinceps à communione alicuius in sacramentorum administratione, vel receptione, aut alijs quibuscumque diuinis, vel extrà, prætextu cuiuscumque sententiæ, aut censuræ Ecclesiasticæ, seu suspensionis, aut prohibitionis ab homine, vel à iure generaliter promulgatæ teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Ecclesiasticum obseruare, nisi sententia, prohibitio, suspensio, vel censura huiusmodi fuerit contra personam, Collegium, Vniuersitatem, Ecclesiam, aut locum certum à iudice publicata, vel denuntiata specialiter, & expressè.* Verùm ex supradictis verbis nullo modo videtur inferri declarationem delicti tantùm sufficere; vt excommunicatus ratione illius publicatus, denuntiatúsque sit specialiter, & expressè. Nam sensus supradictorum verborum est te non esse obligatum abstinere à communione illius, qui per aliquam sententiam, vel mandatum, vel ratione alicuius suspensionis, aut alterius censuræ prohibitus est tecum communicare, nisi talis sententia, mandatum, suspensio, censura denuntiata, publicatáque sit. Posita autem hac publicatione, & denuntiatione, videris obligatus ab illius communicatione abstinere. Ex his tamen non infertur te debere abstinere ab illo, tanquam à nominatim excommunicato, cùm verba Concilij non tam de excommunicatione, quàm de alia quauis sententia, & mandato, suspensione, & censura loquantur. Secundum argumentum non est firmum, aliàs etiam hæreticos notorios, non tamen denuntiatos, deberemus vitare, quia est fauor fidei, & fidelibus non parum vtile. Sed hoc non est admittendum, eo quòd Concilium generalem exceptionem fecerit omnium, qui publicati, denuntiatique non sunt. Ergo dum non adest formalis, & expressa excommunicatorum denuntiatio, sub exceptione fauorabili Concilij continentur. Adde etsi in aliquo casu esset obligatio vitandi hunc hæreticum, sic confusè denuntiatum esset in fidei fauorem, & vtilitatem fidelium: at generaliter esse non potest, quia adest semper finis, quo motum est Concilium ad illud priuilegium concedendum.

***

PVNCTVM II.

An hæc excommunicatio ob hæresim comprehendat perseuerantem in excommunicatione per annum.

1 *Dupliciter excommunicatus esse potes, vel ob causam fidei, vel extrà.*
2 *Excommunicatus extra causam fidei, si in excommunicatione per annum perseueret, habetur pro confesso, & potest condemnari.*
3 *Debet annus computari, non à die incursæ excommunicationis, sed à die declarationis. Item debet esse continuus, & toto illo tempore, cum potestate comparendi.*
4 *Potes nihilominus probare innocentiam.*
5 *Hic autem excommunicatus extra causam fidei sic perseuerans in excommunicatione, est de hæresi suspectus.*
6 *Suspicio hæc, esto leuis sit, sufficit ad indicendam purgationem.*
7 *Qui dicantur excommunicati ob causam fidei.*
8 *Supradictus si per annum in excommunicatione insorduerit, tanquam hæreticus est damnandus.*
9 *Iudicis arbitrio relinquitur, quanto tempore expectare debeat post annum, vt sic hæreticum condemnet.*
10 *Quid si elapso anno contumaciæ comparet? Explicatur, in quo debeat condemnari.*
11 *Quid si ante anni lapsum.*

1 COmmuniter Doctores distinguunt duplicem excommunicationem, aliam ob fidem, aliam extra fidem; cuius distinctionis meminit Abbas *in cap. grauem, de pœnis, num.* 7. Locat. *in opere iudiciali, verbo excommunicati, num.* 2. Eymer. 2. *part. directlor. quæst.* 47. *n.* 6. & ibi Pegna *comment.* 72. Ignat. Lopez de Salzedo *practicar. crimin. cap.* 116. Farinacius *de hæresi, quæst.* 181. §. 2. Menochius *de arbitr. lib.* 2. *casu* 416. *per totum.*

2 Excommunicatus ex causa criminali, v.g. periurij, irreligionis, violationis monasterij, si per annum in excommunicatione insorduerit, habetur pro conuicto, & confesso, & sic potest iudex ad sententiam statim procedere. Ratio est, quia illa contumacia loco propriæ confessionis succedit, & sicut ex propria confessione lis contestatur, ita ex huiusmodi contumacia: probat expressè textus *in cap. rursus, cap. quicumque,* 11. *quæst.* 3. *& cap. cum contumacia, de hæreticis, in* 6. & tradit pluribus relatis Salzedo *suprà num.* 4. Menochius *num.* 11. *&* 15. Farinacius *num.* 14. Quam conclusionem extendendam censeo ad causam ciuilem: nam si perseuerantia in excommunicatione in causa criminali hunc effectum operatur, efficaciùs operari eum debet in causa ciuili, in qua non requiruntur ita claræ probationes, ac in causa criminali, iuxta *l. fin. C. de probationibus.* & tradit Couarruuias *cap. alma,* 1. *part.* §. 7. Salzed. *num.* 9. Menochius *suprà, & num.* 32. esto contrà teneat Ripa *cap.* 1. *de iudicijs, num.* 77. Gonzalez *regul.* 8. *cancellariæ, glossa* 5. *num.* 103. *cum seq.* Gratian. *disceptat. forens. cap.* 119. *num.* 2.

3 Vt autem hoc verum sit, aliquas conditiones censeo obseruandas. Prima, annum computandum esse non à die excommunicationis incursæ, sed à die, quo nominatim fuisti excommunicatus, vel taliter declaratus, quia ex illo die reputaris contemnere grauissimè claues Ecclesiæ, & contumax fieri: sic relato Arnoldo Albert. *in rubr. de hæretic. num.* 6. *quæst.* 13. *num.* 35. docet Farinacius *num.* 28. Excipiunt tamen, nisi notoriè excommunicatus sit, quia tunc notorietas excommunicationis pro declaratione succedit, & placet mihi, si id fieri posset: at nescio qua ratione. Nam esto delictum, & excommunicatio notoria sint, potest excommunicatus intra annum absolutionem impetrare; quomodo ergo constare potest contumaciam integro anno durare, nisi sit contumacia aduersùs sententiam ab homine latam? Secunda conditio est, vt annus continuus sit, ex *cap. cum contumacia, de hæreticis, in* 6. ibi, *per annum*, dictio enim *per*, continuationem demonstrat; & colligitur ex *l. vrbana familia,* §. *pernoctare, ff. de verborum significat.* notat Francus *in supradicto cap. cum contumacia, notab.* 2. Menochius *de arbitrar. casu* 416. *num.* 55. Rojas alios referens, *singul.* 60. *num.* 3. Farinac. *num.* 29. Seraphin. *decis.* 1285. Simancas *de catholic. institut. tit.* 14. *rubr. de contumacia, num.* 13. Salzedo *num.* 12. Tertia vt integro illo anno potuerit excommunicatus comparere, & respondere iudici; non tamen comparuit, nec respondit. Nam si impeditus sit, contumax non censetur, sic tradit Sigismund. Scaccia *de iudic. cap.* 98. *num.* 17. Salzedo *cap.* 116. *sub num.* 12. *versic. imò.* Simancas *de catholic. institut. tit.* 14. *de contumacia, num.* 10. vbi dicit, quòd qualiscumque impedimenti causa excusat à contumacia. Farinacius *de hæresi, quæst.* 192. §. 2. *num.* 22. Si tamen quæsiuit iudicem, vel satisfactionem obtulit, & absolutionem postulauit, contumax non est censendus. Locat. *in iudicial. inquisit. verbo, catholica, cap.* 25. *n.* 2. *fine.* Farinac. alios referens, *num.* 21.

4 Verùm etsi in excommunicatione declaratus, & per annum integrum sic perseuerans nullo ostenso impedimento, aut satisfactionis signo pro conuicto, & confesso habeatur; non tamen impeditur, quin allegare, & probare possit innocentiam; probat textus *l.* 2. *C. de requirendis reis*, vbi banniti habentur tanquam confessi, & conuicti, & nihilominus admittuntur ad probandum innocentiam suam. Et ratio est, quia contumacia non est vera, & clara confessio, sed à iure præsumpta; sed aduersùs fictam, & præsumptam confessionem probatio admittitur, vt multis docet Ioann. à Neuizan. *consil.* 60. *num.* 2. 3. *&* 4. Item innocentiæ probatio nunquam censetur exclusa, etiamsi lata fuerit sententia; vt latè scribit Decius *cap. ex parte, el* 2. *num.* 7. *versic. decimotertiò fallit, de officio delegati, & cap. quoniam contrà, num.* 4. *de probationibus.* Quocirca hæc contumacia ad illum effectum efficax est, vt releuetur accusator, fiscus, vel actor ab onere probandi accusationem, vel actionem à se propositam. Quia loco probationis, quam ipsi exhibere tenebantur, subrogauit lex fictam hanc excommunicati confessionem: sic docuit Menochius *de arbitrar. lib.* 2. *casu* 416. *num.* 36. Farinac. *num.* 23. *in medio.* Salzedo *cap.* 116. *num.* 10. cum Anton. Ripa, glossa, Innocent. & aliis. Neque obstat textus *in cap. rursus,* 11. *quæst.* 3. vbi dicitur per annum insordescentem non esse audiendum, quia intelligi debet, quando pluries requisitus neglexit per annum probare suam innocentiam, tunc enim iustissimè lex eum à probatione repellit. sic Salzedo *n.* 11. Menoch. *n.* 41.

5 Hic autem excommunicatus ex causa alia, quæ ad fidem non pertinet, & in excommunicatione per annum insordescens redditur de hæresi suspectus, iuxta Concilium Tridentinum *sess.* 25. *cap.* 3. *de reformat.* quæ non solùm habet verum in excommunicatione lata ob causam criminalem, sed etiam ciuilem, quia contumacia vniformis est; imò maior videtur in causa ciuili, vtpote leuiori; & quæ regulariter minus retardare posset excommunicatum à comparendo, quàm causa criminalis. Item Concilium in supradicto decreto statuit, non solùm ob causam criminalem, sed etiam ciuilem ferri posse excommunicationem; & statim subiungit, *excommunicatus quicumque si post legitimas monitiones, &c. indurato animo censuris annexus in illis insorduerit, procedi posse contra eum, tanquam de hæresi suspectum.* Ergo comprehendit Concilium tam excommunicatum ex causa criminali, quàm ciuili. sic Salzedo

Salzedo *practicar. crimin. cap.* 116. *num.* 12. Farinacius *de haresi, quast.* 192. §. 2. *num.* 23. Menochius *num.* 52. *& seqq.* & alij.

6 Suspicio hæc leuis est; sufficiens tamen ad indicendam purgationem, & cogendum excommunicatum, vt respondeat; non tamen sufficit ad torturam. sic Farinacius *num.* 24. Lœlius Zechius *in summ.* 1. *part. tit. de fide, rubr. de haresi, cap.* 11. *num.* 13. *versic. ex alys causis.* Montemar. *in practic. Archiepiscop. cap.* 84. *num.* 8. *versic. quando reperitur.* Eymer. 2. *part. direclor. quast.* 47. *num.* 7. & ibi Pegna *comment.* 72. Aduertunt tamen Pegna, Farinacius; & Lœlius Zechius *suprà*, & Sigismundus Scaccia *tractat. de iudic. cap.* 98. *num.* 36. ex recepta consuetudine non solere Inquisitores procedere aduersùs excommunicatos per annum, & ampliùs in excommunicatione insordescentes, nisi excommunicati fuerint ex causa fidei, quia ij excommunicati ordinariis iudicibus puniendi, & coërcendi remittuntur.

7 Ob causam fidei dicuntur excommunicati illi, qui fuerunt citati responsuri de fide sub excommunicatione ipso facto, & noluerunt respondere, seu comparere: hæc tamen citatio necessariò supponit citatum de hæresi suspectum, & diffamatum, & non suspicione vtcumque, sed suspicione probabili, vt bene dixit Geminian. *in cap. cum contumacia, de hareticis, in* 6. *num.* 8. *versic. quaero, an propter quamlibet suspicionem.* Gundisaluus *tractat. de hareticis, quast.* 12. *num.* 4. Farinacius *de haresi, quast.* 192. *num.* 126. Quare si absque aliqua suspicione probabili responsurus de fide sub excommunicatione citatus, & in tali excommunicatione per annum persistat, non redditur de hæresi violenter suspectus, neque vt hæreticus condemnari potest. sic Farinacius *num.* 26. cum Geminiano, Ioan. Andr. & Archidiac. *in supradicto cap. cum contumacia.* Citari autem debet sic suspectus de fide cum assignatione termini ad respondendum. Non enim sufficit citatio sola, neque sola assignatio termini, sed vtrumque requiritur, vt ex Hostiens. *in cap. excommunicamus, el* 1. *de hareticis, num.* 9. *&* 10. tradit Farinac. *d. q.* 192. *n.* 27.

8 Quòd si citatus ad respondendum de fide nullo allegato impedimento, neglexerit integro anno respondere, habetur pro confesso, & tanquam hæreticus est condemnandus, ex text. expresso *in cap. cum contumacia, de haret. in* 6. vbi dicitur cum contumacia, in causa præsertim fidei, suspicioni præsumptionem adiiciat vehementem, si suspectus de hæresi vocatus à vobis, vt de fide respondeat, excommunicationis vinculo, pro eo, quòd parere subterfugit, aut contumaciter se absentat, per vos fuerit innodatus, quam si per annum animo sustineat pertinaci, *extunc velut hareticus condemnetur.* Rationem huius reddit optimè Eymer. 2. *part. direct. q.* 47. Nam qui suspectus est leuiter de fide, & ob eam causam citatus est, vt respondeat, si intra terminum assignatum neglexit respondere, illa suspicio leuis transit in vehementem: si autem in illa negligentia per annum perseuerat vehemens suspicio, transit in violentam, ex *dicto cap. cum contumacia*, ac proinde vt hæreticus condemnari potest: sic tradit pluribus exornans Farinac. *q.* 192. *num.* 14. Salzedo *cap.* 116. *conclus.* 5. Eymer. *suprà, & q.* 56. *n.* 5. Sigismund. Scaccia *de iudic. cap.* 98. *n.* 4. Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *casu* 374. *n.* 10.

9 Sed inquires, quanto tempore post annum huius contumaciæ debet iudex expectare, vt reum condemnet, seu declaret esse hæreticum præsumptione iuris, & de iure? Aliquibus videtur expectandum esse triennium, aliis biennium. Mouentur, quia *in cap. cùm bona memoria, de atate, & qualit.* ob perseuerantiam triennalem priuatus fuit clericus beneficiis, & *cap. grauem, vlt. de pœnis*, biennium videtur in laico expostulatum, sic videntur sentire Abbas *cap.* 1. *num.* 23. *vers. fateor, de iudic.* Alciat. *ibi n.* 37. Cæterùm tenendum est iudicis arbitrio relinqui, quia nullo text. cauetur hæc expectandi obligatio; imò ex *suprad. cap. cum contumacia*, colligitur manifestè, statim post lapsum annum contumaciæ condemnari posse, sic enim denotat illud verbum *extunc.* Neque obstant text. in contrarium allegati, quia referunt quid factum sit, non autem inducunt dispositionem, vt multis allegatis probat Eymer. 2. *part. direct. quast.* 47. *num.* 6. *fine.* Menochius *lib.* 2. *de arbitr. casu* 416. *circa fin. num.* 65. Salzedo *cap.* 116. *pract. fine.* Aduertit tamen Menoch. & Salzedo, cum aliis, & Farinac. *quast.* 192. *num.* 22. optimè facere iudicem, elapso aliquo tempore post annum, si iterum citet rebellem ad allegandum, quare tanto tempore insorduerit in excommunicatione. Quòd si huic vltimæ citationi etiam rebellis fuerit, tunc vt hæreticus est condemnandus, neque ampliùs expectandum est.

10 Sed quid si elapso anno contumaciæ comparet, antequam sententia pronuntiata sit, vel executioni mandata, debet tunc, vt hæreticus condemnari?

Respondeo, si non solùm suspicionem criminis obiecti purgat, sed etiam contumaciam; quia ostendit se legitimè impeditum fuisse, omnem effugiet pœnam: sic Salzedo *conclus.* 5. *versic. imò.* Et ratio est clara, quia pœna imponenda erat vel ob contumaciam, vel ob crimen obiectum: si ergo ab vtroque se purgat, liberabitur à pœna. Si autem innocẽtiam respectu criminis obiecti ostendit, & in contumacia culpam; non videtur vt hæreticus condemnandus, neque in pœna corporali, neque bonorum confiscatione; bene tamen pœna arbitraria, quæ contumaciæ culpæ correspondeat. Ratio est, quia tunc iam cessat præsumptio hæresis, facta probatione in contrarium. Addo, si innocentiam integrè non docuerit, sed suspectus adhuc manet de hæresi, abiurare debet, & pœnis arbitrariis condemnari, quia pœna hæreticis statuta non ficto hæretico, seu de hæresi suspecto, sed vt tali conuicto imponenda est. & habetur *cap. accusatus, §. porrò, de haretic.* & tradit Zanch. *tractat. de hareticis, cap.* 25. *de confiscat. bonorum.* Menoch. *consil.* 159. *vol.* 2. *num.* 16. Salzedo *cap.* 116. *num.* 12. *versic. sexto.*

11 Quid autem, si antequam labatur annus contumaciæ, sic suspectus, & citatus decessit?

Respondeo nullo modo esse eius bona confiscanda, neque vt hæreticum damnandum, quia tunc decedit leuiter, vel vehementer suspectus, non de hæresi conuictus; non igitur potest condemnari. sic Simancas *de catholic. institut. tit.* 14. *rubr. de contumacib. num.* 4. *& in enchirid. tit.* 46. *num.* 2. Decian. *tract. crimin. lib.* 5. *cap.* 32. *n.* 10. Farinacius pluribus citatis, *quast.* 192. *num.* 36. *&* 37. aduertit, si in processu apparerent plenæ, & concludentes probationes, optimè tunc posse condemnari; quia tunc non condemnatur ob contumaciam, sed ob delictum plenè probatum, neque contumacia ad condemnationem opus erat.

Pvnctvm III.

Qui possint ab excommunicatione propter hæresim incursa absoluere.

Ponendum est absolutionem hæresis reseruatam esse summo Pontifici ratione excommunicationis illi annexæ, ita vt reseruatio non solùm in excommunicationem, sed etiam in crimen excommunicatione affectum cadat, constat ex prima clausula Bullæ Cœnæ. Ex quo fit absolutionem datam de hæresi habente excommunicationem annexam inualidam esse, si bona fide impendatur ab eo, qui non habet potestatem absoluendi à censura: sic ex communi sententia docet Suarez *de fide, disput.* 21. *sect.* 4. *num.* 2. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 5. *& cap.* 11. *num.* 1. Verùm si ex aliquo capite

excommunicatio huic crimini annexa non sit; vel si fuit annexa iam per absolutionem sublata fuit, hæresis crimen non manet tunc reseruatum, quia non reseruatur, nisi vt coniunctum excommunicatione. quod notandum est pro his, qui ex ignorantia censuræ hæresim committunt. sic Sanchez *supradicto cap.8. n.5. fine, & cap.11. num.1.* Hoc posito videndum est, quibúsnam à Pontifice facultas absoluendi ab hoc crimine concessa sit? Nam pluribus est hæc facultas concessa. Primò, Episcopis. Secundò Inquisitoribus. Tertiò cuilibet Confessori per speciale Iubilæum. Quartò in articulo mortis. Quintò quando Pontifex adiri non potest. De quibus sigillatim est dicendum.

§. I.

Expenditur facultas concessa Episcopis.

1 *Statuitur facultas à Trident. concessa.*
2 *Nomine Episcopi veniunt electi, & confirmati, neque necesse est esse consecratos.*
3 *An comprehendatur Capitulum Sede vacante? Probabilius censeo non comprehendi.*
4 *Abbates, aliósque Prælatos inferiores probabile est non comprehendi. Probabilius oppositum.*
5 *Prælati regulares non comprehenduntur sub nomine Episcopi, quoad hanc facultatem ex probabiliori sententia; ex decreto, & Bulla Pij V. comprehenduntur.*
6 *Limitat Sanchez in crimine hæresis, sed non admittitur limitatio.*
7 *Archiepiscopus suffraganeos absoluere potest, cum sibi subduntur.*
8 *Hanc facultatem exercere potest Episcopus in sibi subditos, & non in alios.*
9 *Episcopus absolui potest à Confessore electo, si fortè in hæresim incidat, & ibi quid possit circa religiosos exemptos.*
10 *In foro conscientiæ non obligat, vt in sacramento Pœnitentiæ tantum concedatur absolutio.*
11 *Verba, in diœcesi sua, non restringunt facultatem, secundùm sententiam Sanchez.*
12 *Probabilius censeo oppositum.*
13 *Censeo limitanda esse, vt non possit extra diœcesim absoluere.*
14 *Quod delictum dicatur in Trident. publicum, vt possit Episcopus ab illo absoluere.*
15 *Quando dicatur deductum ad forum contentiosum.*
16 *Quid si in iudicio non fuit probatum, vel fuit reus iam absolutus.*
17 *Quid si fuit condemnatus? Affirmat Sanchez posse absolui, contrarium censeo probabilius.*
18 *Potestatem dispensandi potest Episcopus committere generali Vicario, & speciali personæ.*
19 *Absolutionem hæresis probabile est posse committi.*
20 *Probabilius est oppositum.*
21 *Potestas absoluendi ab hæresi, sit ne per clausulam Bullæ Cœnæ reuocata? Negant plures.*
22 *Probabilius videtur reuocatam esse.*
23 *Relinquitur eis potestas pro foro externo absoluendi. Excipe in regnis Hispaniæ, in quibus non nisi cum Inquisitoribus, & in tribunali.*

1 TRident. *sess.24. cap.6. de reformat.* sic inquit. Licet Episcopis in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis, delinquentes quoscumque sibi subditos in diœcesi sua per se ipsos, aut vicarium ad id specialiter deputandum in foro conscientiæ gratis absoluere, imposita pœnitentia salutari. Idem in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ; eis tamen, non eorum vicariis sit permissum.

2 Nomine *Episcopi*, quibus hæc facultas concessa est, sunt omnes illi intelligendi, qui subditos habent, quia respectu subditorum datur facultas. Quapropter debent esse Episcopi electi, & confirmati. Nam ante confirmationem iurisdictione non gaudent, non tamen est necessarium esse consecratos; imò neque esse Sacerdotes, vt possint ab excommunicatione reseruata absoluere; quia non debet absolutio sacramentalis impendi. sic alios referens, docent Cenedo *ad sextum, collectanea 4. num.3.* Sanchez *lib.8. disp.2. num.11. & lib.2. in Decal. cap.11. num.3.* Gutierr. *de matrim. cap.49. à num.16.* Barbosa *2. part. de potest. Episc. allegat.39. num.2.* Requiritur autem necessariò, vt sint Episcopi illarum regionum, in quibus receptum est Concilium, aliàs vti non poterunt hac facultate: nam media receptione, & acceptatione illis conceditur; neque fas est acceptare gratias, & repellere onera. sic Barbosa *num.3.* Sanchez *num.2.* Garcia *de benefic. 7. part. cap.11. n.23.* Suarez *de censur. disp.41. sect.2. num.6.*

3 De Capitulo Sede vacante est difficultas, an nomine Episcopi veniat intelligendum? Et quidem in facultate absoluendi, & dispensandi circa omnes alios casus, præter hæresim, communis est sententia comprehendi; quia hæc facultas licèt competat Episcopo speciali iure, & priuilegio: at competit illi iure communi, & iurisdictione ordinaria: quæ autem sic competunt, transeunt in Capitulum; vt multis allegatis docet Barbosa *suprà num. 16. & in remission. Concilij.* At de hæresi est specialis difficultas, eo quòd Concilium Episcopis tantùm, non eorum vicariis absoluendi potestatem concedat; cùm autem Capitulum iurisdictionem exerceat per vicarium deputatum, non apparet, qua ratione possit gaudere potestate absoluendi ab hæresi. sic docet Suarez *tom.4. de pœnitent. disput.30. sect.2. num.4.* Ledesma *2. tom. summ. tractat.1. cap.6. post 20. conclus. difficult.5.* Bonacina *disput.7. quæst.5. punct.1.* Contrarium defendit Sanchez *illo cap.11. num.4.* Mouetur contrario fundamento, quia Capitulum succedit Episcopo, & sicut Episcopus potest delegare potestatem absoluendi ab hæresi, sic potest & Capitulum. Secundò, quia Capitulum potest suffragiis maioris partis determinare hæreticum absoluendum, & potest illum absoluere. Cæterùm mihi probabilius est nullo modo posse Capitulum ab hæresi absoluere. Moueor, quia non potest absoluere per vicarium, vt ex his, quæ de vicario Episcopi dicenda sunt, constare potest. Neque etiam absoluere potest per se ipsum. Nam vt per se ipsum absoluat, debet delictum integrè cognoscere; cognito autem delicto à Capitulo, iam non est occultum, sed publicum. Ergo cessat facultas Trident. quæ solùm est pro delictis occultis.

4 Quid de Abbatibus, & aliis Prælatis inferioribus iurisdictionem ordinariam, & quasi episcopalem habentibus in diœcesi sua? Negant plures habere hanc potestatem absoluendi, & dispensandi, quæ in Trident. Episcopis conceditur. sic Tolet. *in sum. lib.1. cap.83. n.5. ad finem.* Suarez *de pœnitent. disp.30. sect.2. n.6. & de censuris, disp.41. sect.2. n.7.* Garcia *de benefic. 7. p. cap.11. n.13. & 17.* Bonacina *disp.7. de censuris, quæst.5. punct.1. num.6.* Barbosa pluribus relatis, *2. part. de potestate Episcopi, allegat.39. n.17. & in remissionib. Concilij, vers. Episcopis.* Cenedo *in collect. ad sextum, collect.4. num.5.* & alij. Mouentur, quia hoc est Episcopis concessum iure speciali ob eorum dignitatem. Non ergo extendendum est ad alios tali dignitate carentes. Secundò, quia videtur industria personæ eligi præcipuè in absolutione ab hæresi, cùm prohibeat aliis hanc facultatem committere. Tertiò, quia hæc facultas derogat iuri communi. Ergo ex hac parte limitanda est, vt nomine Episcopi solùm veniant intelligendi, qui propriè Episcopi sunt.

Verùm

Verùm etsi hoc satis sit probabile; at probabilius existimo supradictos Prælatos venire intelligendos nomine Episcopi, etiam in absolutione hæresis. Sayrus *in claui regia, lib.6. cap.11. num.83. in fine.* Auila *de censuris, 7.p.disp.10.dub.6.* Henriquez *lib.6.cap.6.§.1.* Flores de Mena *variar.lib.3. quæst.24. num.*18. ij enim generaliter loquuntur; at de casu hæresis tenet Sanchez *lib. 2. cap.11.num.5.* Man.*2.tom.summ.cap.10. num.6. conclus.6.* Moueor contrario fundamento, quia potestas hæc absoluendi, & dispensandi in hoc decreto Episcopis concessa ad iurisdictionem pertinet; sed huiusmodi Abbates iurisdictione episcopali gaudent, solúmque differunt ab Episcopis in consecratione. Ergo. Secundò hæc facultas est latè interpretanda; quia est inserta in corpore iuris, & ius commune constituit: tum quia in materia absolutionis reducit res ad pristinum statum, in quo nulla etiam pro crimine hæresis erat reseruatio. Item est concessa non personæ, sed dignitati, in quibus casibus diximus latissimam esse interpretationem faciendam. Ergo.

Ex his soluuntur contraria. Ad primum dico competere hanc facultatem Episcopis iure speciali communi, & ordinario; non gratioso, & priuilegiato. In his autem, quæ sic competunt, lata est interpretatio facienda, vt ex Abbate, & Felino docet Man.Rodriquez *qq.regul. tom.1.quæst.61.art.9.* Ad secundum nego eligi industriam alicuius personæ particularis, sed cuiusque habentis episcopalem iurisdictionem, cùm omnibus Episcopis committatur. Ad tertium iam constat non derogare hanc facultatem iuri communi; imò potiùs ius commune constituere.

5 Maior difficultas est de Prælatis regularibus, etiam conuentualibus religionum exemptarum; an intelligantur nomine Episcopi in hac facultate absoluendi, & dispensandi? Affirmat Eman.*reg.qq.tom.1.quæst.61.art.9.* quia ij iurisdictionem quasi episcopalem habent, vt bene probat Sanchez *lib.8.de matrim.disput.3.num.9.* Cæterùm credo huiusmodi Prælatis hanc facultatem non competere ex decreto Trident. sic Sanchez *lib.2.in Decalog.cap.11. num.7.* Garcia *de benefic.7.p.cap.11.num.13.* vbi testatur à Cardinalium cógregatione decisum esse. Barbosa *2.p.alleg.39.num.18.* Ratio est, quia illis videtur solùm concessa hæc facultas; qui diœcesim habeant, vt constat ex illis verbis, *pro diœcesi sua*; sed si Prælati non habent diœcesim. Ergo non videntur comprehendi in hac potestate. At esto in facultate à Trident. concessa non comprehendantur, comprehenduntur tamen ex particulari extensione, quam Pius V. fecit. Nam in quodam Motu proprio, relato ab Eman. Rodriquez *tom.1.qq.reg.q.61.art.9. in fin.* sic habetur, quia sacrum œcumenicum Concilium generale Trident. concessit Episcopis, vt absoluere possent in foro animæ, seu conscientiæ ab omnibus peccatis, & dispensare in irregularitatibus, prout *sess.24.cap.6.* habetur, ne prior, prouincialis, & superiores Prælati dicti ordinis tam in dicta prouincia, quàm extra eam, vbilibet in hac parte deterioris conditionis, quàm clerici, aut sæculares existant, *eisdem priori conuentuali, & superioribus Prælatis, vt ipsi per se ipsos idem omnino possint in fratres, & moniales dicti ordinis sibi subditos, quoad absoluendi, & dispensandi huiusmodi, quàm alias quascumque facultates eisdem authoritate tenore etiam perpetuò concedimus, & indulgemus, atque etiam declaramus præsentes litteras perpetuò durare, & valere.* & ita tenet Barbosa, & Sanchez *suprà, & lib.8. de matrim.disput.2.num.13.* Henriquez *summ.lib.6. cap.16. §. 8. & lib. 7. cap. 25. §. 2. & lib. 14. cap. vltim. §. 5. ad finem.*

6 Limitat autem Sanchez *lib.2. cap.11. num.7.* hanc facultatem in crimine hæresis, cuius absolutio ob eius grauitatem non censetur concessa, nisi exprimatur: at in huiusmodi priuilegio non exprimitur, sed solùm exprimuntur generaliter, quæ Episcopis in illo decreto conceduntur. Ergo licèt in illo decreto hæresis expressè concedatur Episcopis, non censetur concessa Prælatis regularibus. At credo concedi; quia licèt hæresis absolutio verbis expressis non concedatur, conceditur æquiualentibus; dicitur enim, vt possint tales Prælati in sibi subditos idem omnino, ac possunt Episcopi, quod verum non esset, si facultas absoluendi ab hæresi illis data non esset. Secundò deterioris essent conditionis subditi horum Prælatorum, quàm clerici, & sæculares Episcopis subiecti, quod vitare intendit Pius V. vt constat ex supradictis verbis. Sed quidquid sit de hac concessione, certissimum, & indubitatum est præcipuè in Hispania nullo modo posse Prælatos etiam in foro conscientiæ religiosos sibi subditos absoluere, sed Inquisitoribus remittere debere, ex constitutione Pauli V. quam refert Emanuel de Valledemoura, *de incantationibus, & ensalmis, sect.3.cap.1.n.10.* & cuius meminit Barbosa *de potestate Episcopi, 2.part. allegat.40. num.39.*

7 De Archiepiscopo respectu subditorum suffraganei dicendum est tunc habere potestatem absoluendi illos, cùm sibi subduntur. Subduntur autem, cùm diœcesim suffraganei iure sibi concedenti visitat. Visitare autem solùm potest, cùm causa adest legitima, & probata in Concilio prouinciali, & postquam suam diœcesim plenè visitauit, ex Trident. *sess. 24. cap. 3.* sic tradit Sanchez *lib. 2. cap.11. num.6.* cum Henriquez *lib.6. de pœnitent.cap.14.num.9. in text. & in comment. litt.Z.* Ratio est, quia tunc habet iurisdictionem ordinariam ratione officij. sic Henriquez *lib.14.cap.18.num.3.* Suarez *de pœnitent. disput.30. sect. 2. num. 8.* Auila *de censuris, 2.part. cap.7. disput.1. dub.10. conclus.3.* Barbosa *2.part. de potestate Episcopi, allegat.39.num.19.* Bonacina *de censuris, disput.1. quæst.3. punct.2. num.7.* Sanchez *num.6.* Secundò subduntur subditi suffraganei per appellationem metropolitano. Tertiò si malitiosè suffraganeus differat absolutionem; in iis enim casibus potest Archiepiscopus suffraganei subditos à censuris, & excommunicationibus reseruatis absoluere. sic Bonacina, & Barbosa *suprà.*

8 Secundum verbum positum in supradicto decreto est, *quoscumque sibi subditos*; non enim Episcopis hæc potestas absoluendi, & dispensandi conceditur ad omnes, sed ad eos, qui sibi subditi fuerint, sub quorum nomine comprehenduntur omnes illi, qui aliquo modo Episcopis subduntur, siue habeant domicilium, siue ibi resideant maiori anni parte, siue solùm transeuntes existant; & licèt in materia dispensationis hæc subiectio ita ampla non probetur multis: at in materia absolutionis à censuris, & casibus receptissimum est, sufficere ex consuetudine generali Ecclesiæ, & benigna summi Pontificis interpretatione. sic Garcia *11. part.de benefic. cap.10. num.139. in 3. declarat.* Bonacina *disput.7.de censuris, quæst.5.punct.1.num.4.* Suarez *de pœnitent. disput.30. sect.2. num.3.* Sanchez *de matrim. lib.3. disput.23. num.12. & in Decalog. lib.2.cap.11. num.8. 9. & 17.* Barbosa *2.part. de potestate Episcopi, allegat. 39. num.4. & 5.*

9 De religiosis autem exemptis, qua ratione circa illos potest Episcopus exercere potestatem absoluendi, & dispensandi, dixi latè *tract.de legib.disput.de dispensat.* & ibi etiam qua ratione Episcopus secum dispensare potest. Solùm de absolutione ab hæresi est aliqua difficultas, quomodo Episcopus ex vi Trident. decreti illam impetrare posset, si in hæresim labatur. Et ratio difficultatis est, quia Episcopus seipsum absoluere non potest, sed id debet Confessarius facere ab eo electus; at ipse circa crimen hæresis non potest vices suas alteri committere, vt postea dicemus. Ergo neque poterit committere Confessario, vt illum absoluat.

Cæterùm tenendum est posse, vt defendit Sanchez *lib.2. cap.11. num.11.* Barbosa *in remissionib.Concilij super hoc decretum,verbo in diœcesi sua.* Ratio est,quia Confessor Episcopi habet respectu Episcopi eam facultatem dispensandi, & absoluendi, quam habet Episcopus respectu suorum subditorum, ne Episcopus deterioris conditionis existeret omnibus suis subditis. Adde ex vi huius concessionis iam casus occulti Pontifici reseruati non sunt, siquidem Episcopus habet potestatem illos absoluendi, sed cùm casus respectu Episcopi reseruati non sunt, potest Confessor Episcopi ex facultate sibi à iure concessa Episcopum ab illis absoluere. Ergo.

10 Tertia particula est, *in diœcesi sua, & in foro conscientia*, quæ appositæ non fuerunt in facultate concessa ad dispensandum, sed solùm ad absoluendum à casibus occultis. Rationem autem quare sint appositæ in facultate absoluendi, & non in facultate dispensandi, dicit Barbosa *allegat.39 num.7.* esse, quia dispensandi facultas exerceri potest in absentem; & absolutio hæc,quia debet esse in sacramento Pœnitentiæ præsentiam subditi requirit. Quòd autem hæc absolutio in sacramento debeat fieri, tenet Garcia *de benefic.11. part. cap.10. num.139.* asserens sic sæpiùs declarasse congregationem Concilij. Aloysius Riccius *in praxi fori Ecclesiastici, resolut.445.num.8.* Barbosa *suprà.* At credo illa verba, *in foro conscientia*, non arctari ad Pœnitentiæ sacramentum,sed extra illud exerceri hanc facultatem posse, tum quia forum conscientiæ non est forum sacramentale; sed solùm est forum secretum conscientiam respiciens,tum quia hoc decretum est latè interpretandum, vt suprà dixi. Non ergo est limitandum ad forum sacramentale; & ita tenet Sanchez *lib.8. de matrim. disput.34. num.29. & lib.2.cap.11.num.13.* Suarez *de censuris, disp.41.sect.2. num.11.& de fide, disput.21. sect.4. num.5.* Nauarr.*lib.5. consil. tit. de priuileg. consil.11. quæst. 2. in 2.edit.* & Garcia *suprà num.138.* testatur esse communem sententiam.

11 Verba autem illa, *in diœcesi sua*, existimat Sanchez *lib.2. in Decalog. cap.11. num.17.* & videtur consentire Barbosa *in remission.Concilij,super hunc locum*, non esse restrictiua facultatis Episcopo concessæ, sed potiùs quasi illius extensiua, siquidem comprehendunt subditos, qui verè subditi sunt ratione domicilij, siue existant in diœcesi,siue extrà,& etiam subditos,qui solùm ratione transitus in diœcesi commorantur. Quapropter dicit posse Episcopum virtute huius facultatis absoluere ab hæresi, reliquisque censuris subditum existentem in aliena diœcesi, etiamsi ipse Episcopus extra diœcesim existat. Assumptum probat. Nam primò requiri non potest, vt vterque, Episcopus scilicet, & subditus in diœcesi existant; esset enim coarctare nimis priuilegium Concilij. Deinde requiri non potest, vt Episcopus in diœcesi propria existat, vt subditum à censuris absoluat; quia hæc absolutio est voluntariæ iurisdictionis exercitium, quod vbilibet fieri potest circa subditos. Vt ergo intelligeremus Concilium hanc iurisdictionem voluntariam limitasse, verbis clarioribus vti debebat, sicuti fecit *sess.6. cap.5. de reformat.* cùm dixit, *nulli Episcopo liceat Pontificalia in alterius diœcesi exercere.* Tandem requiri non potest,vt subditus in diœcesi propria existat,quia verba illa, *in diœcesi sua*, non possunt ad subditos referri,aliàs non diceret,in diœcesi sua, sed in eorum diœcesi. Item Concilium apposuit virgulam diuidentem subditos à diœcesi sua; dixit enim, *liceat Episcopis quoscumque sibi subditos, in diœcesi sua absoluere*, quasi nolens diœcesim ad subditos referri.

12 Cæterùm mihi probabilius est illa verba, *in diœcesi sua*, limitatoria esse facultatis absoluendi,quod mihi persuadeo,quia illa verba ibidem apposita in foro conscientiæ limitatoria sunt, quia ex vi illorum non prodest absolutio pro foro externo. Ergo etiam sunt limitatoria in diœcesi sua. Adde nulla clausula in decretis superfluere debet, imò neque vna syllaba, vt rectè expendit Thomas Sanchez *lib.3. de matrim. disp.46. num.6.* Sed superfluerent illa verba,si potestas absoluendi non limitaretur, vel ad subditos existentes in propria diœcesi Episcopi,vel ad Episcopum existentem in sua diœcesi. Ergo ad vnum è duobus limitanda est. Minorem probo. Nam concessa Episcopo facultate absoluendi à censuris,potest absoluere quemcumque subditum,quomodocumque sit subditus,vel ratione domicilij,vel ratione habitationis, ita vt si sit subditus ratione domicilij, potest absoluere illum vbilibet existentem, quia non amittit subiectionem, si sit subditus ratione habitationis, dum actu habitat; quia tunc est subditus. Ergo illa verba, *in diœcesi sua*, nihil operantur. Ergo superfluunt. Hoc autem non est dicendum. Ergo dicendum est limitatio esse facultatis absoluendi ad vnum è duobus, vel ad subditos existentes in sua diœcesi, vel ad se ipsum in sua diœcesi existentem.

13 Propter hæc Suarez *de censuris, disp.41.sect.2. n.10. & 11.* dicit limitanda esse ad subditos,quia paci, & recto regimini conuenientius est, si potestas absoluendi non solùm ad personas, sed etiam ad territoria limitetur. Mihi verò placet referenda illa verba, *in diœcesi sua*, ad Episcopos absoluentes, & ex illis limitanda esse,ita vt Episcopus extra propriam diœcesim existens non possit vti hac facultate sibi concessa, sed necessariò debere existere in sua diœcesi,vt illa vti possit. sic docent Henriquez *lib.14. de irregularit. cap.20. num.5.* Manuel *2.tom.summ.cap.69.num.1.fine.* Barbosa *allegat.39.n.7.fin.* Moueor,quia,vt dixi,illa verba, *in diœcesi sua*, non possunt ad subditos commodè referri. Et ratio congruentiæ efficacius in Prælatis, quàm in subditis procedit; magis enim pax, & concordia inter Prælatos offendi potest, ex eo quòd vtatur extra propriam diœcesim existens potestate absoluendi sibi concessa, quàm ex eo quòd existens in propria diœcesi subditum alibi existentem absoluat. Neque hoc est derogare iuri communi,& exercitio voluntariæ iurisdictionis,quod vbilibet potest exerceri; sicut non est derogatio iuris communis,& facultatis absoluendi, quòd absolutio solùm pro foro conscientiæ prosit. Quia cùm Episcopus in his reseruatis nullam haberet potestatem,potuit Pontifex in concessione illius conditiones apponere absque iuris communis derogatione; quibus seruatis facultatem concedit, & illis omissis negat: vna autem ex conditionibus est, vt absolutio detur ab Episcopo existente in sua diœcesi; sicut est, vt solùm pro foro interno,& conscientiæ prosit. Quòd si vrgeas, quare in facultate dispensandi hæ conditiones expostulatæ non sunt, bene tamen in facultate absoluendi, cùm vtraque facultas extraiudicialiter exerceri possit, secundùm nostram sententiam? Respondeo præcipuam rationem esse voluntatem sic concedentis, finis verò huius voluntatis potuit esse, vt remedium, quod erat sufficiens, delinquentibus occultis daretur, ipsique timerent delicta patrare, & publicare; videntes non posse eorum absolutionem ab Episcopis impetrare, nisi delicta occulta sint, & in foro interno, & existentibus Episcopis in diœcesi.

14 Quarta particula est, *vt delictum occultum sit, neque ad forum contentiosum deductum.* Non desunt in præsenti, qui affirment *occultum* dici, quod verè probari non potest: ac proinde condistingui contra probabile. sic docet Garcia *de benefic. 7. part. cap.11. num. 46.* Graffis *tom.2.consil. sub tit. de homicid. consil.2. num.20.* Gutierrez *lib.1. can.qq. cap.13. num.27.* Man. *addit. ad Bullam, §.9. num.69. fine*, & alij. At tenenda est communis sententia Doctorum ibi occultum distingui à notorio publico, vel famoso. Quapropter etiamsi delictum ab aliquibus sciatur,

sciatur, modò non sciatur à maiori parte viciniæ, vel collegij, in qua sint ad minus decem personæ, neque in iudicio sit deductum, occultum debet dici. Et ratio est manifesta: nam si nomine *occulti*, delictum, quod in iudicio probari posset, intelligeretur, inutiliter expostulauit ad forum contentiosum esse deductum, cùm sufficiens erat posse deduci. sic pluribus relatis docet Sanchez *lib. 2. de matrim. disput. 38. num. 11. & lib. 8. disput. 34. num. 55. & lib. 2. in Decalog. cap. 11. n. 19. cum seqq.* Azor *institutionum moralium, 1. part. lib. 8. cap. 10. quæst. 9.* Bonacina *de censuris, disput. 1. quæst. 3. punct. 2. num. 1.* Molin. *de iustit. trattat. 3. disput. 79. num. 6.* Barbosa innumeros referens *de potestate Episcopi, 2. part. allegat. 39. n. 24.* Debet tamen delictum in ratione delicti esse occultum, quod aduerto, quia contingere potest aliquem excommunicatum ministrare publicè sacramenta; at non esse publicum ministrasse excommunicatione ligatum; & tunc delictum est omnino occultum. sic Sanchez *lib. 8. disput. 34. num. 56.* Sayrus *de censuris, lib. 7. cap. 3. n. 13.* Saa *verbo Episcopus, num. 35.* Barbosa *num. 26.* Riccius *in praxi fori Ecclesiastici, resolut. 450.* & alij apud ipsos. Quòd si vno loco publicum est delictum, & alibi expostulatur absolutio, vbi non timetur publicandum. Suarez *de pœnitent. disput. 30. sect. 2. num. 2.* existimat iam non esse occultum, & facultatem Concilij ad illud non extendi. Sanchez *lib. 2. cap. 11. num. 20.* cum Auila *de censuris, 2. p. cap. 7. disp. 1. dub. 11. concl. 3.* oppositum affirmat, sicque asseruisse viros doctissimos Salmanticę consultos. Mihi sententia Suarez maximè probatur, quia negari non potest delictum illud publicum esse; nam ad hanc denominationem sufficit vno loco publicari, sed Concilium exclusit delicta publica à facultate absoluendi, & dispensandi. Item vt delictum sit ad forum contentiosum deductum, sufficit vno loco deductum esse. Ergo etiam sufficit, vt publicum sit, vno loco publicari.

15 Deductum ad forum contentiosum, tunc contingit secundùm plures Doctores, cùm denuntiatio, vel accusatio coram legitimo iudice facta est, & reus ratione illius citatur, quia citatio est primus actus iudicij. *§. fin. Instit. de pœna temerè litigantium.* glossa *in rubr. C. de in ius voc.* Aloysius Riccius *praxi fori Ecclesiast. decis. 522. aliàs in 2. edit. resolut. 449.* Sanchez, relatis Auila & Henriquez, *lib. 2. cap. 11. num. 21.* Verùm mihi probabile est non dici delictum ad forum contentiosum esse plenè & perfectè deductum, quousque lis contestata sit: sic defendit Barbosa *2. part. de potestate Episcopi, alleg. 39. n. 29.* sequentibus rationibus. Prima, quia forus contentiosus dici non potest, nisi inter partes super delicto commisso contendatur, negando, vel confitendo; quo actu litis contestatio etiam in criminalibus inducitur. Secundò forus contentiosus est idem ac iudicium, sed iudicium non est perfectum vsque ad litis contestationem, ex resolutis per Afin. *in praxi Florent. §. 1. cap. 1. num. 14. & seqq.* Lancelot. *de attentat. in præfat. num. 7.* Peregrin. *var. lib. 2. sub rubr. de iudic. num. 54.* Tertiò forus contentiosus non differt à lite mota, quia idem est in foro contendere, ac in eo litem mouere: at lis mota dicitur, postquam litis contestatio facta fuerit, vt probat textus *in cap. ex parte, 30. de verborum significat.* & resoluunt Maranta *de ordin. iudic. part. 5. tit. & omnia fiant durante instantia, num. 64.* Surdus *de aliment. tit. 5. q. 8. num. 4.* Cabel. lusitan. *decis. 15. num. 10. p. 2.* Ergo delictum deductum esse ad forum contentiosum post litis contestationem dici debet, & non antè.

16 A delicto sic deducto ad contentiosum forum non potest Episcopus absoluere, neque dispensare, etiam alibi, vbi omnino ignoratur, quia vbicumque fuerit deductum, simpliciter est deductum. Sanchez *lib. 2. cap. 11. num. 21.* Barbosa *num. 31.* & Doctores statim allegandi. Hoc autem intelligendum est interim dum est deductum, & durat iudicium: nam si reus absolutus est, poterit tunc Episcopus absoluere, & dispensare, quia tunc manet delictum occultum; neque potest dici ad forum contentiosum deductum esse cum effectu; siquidem ibidem non est probatum. Sanchez, & Barbosa *suprà.* Suarez *de censuris, disput. 41. sect. 2. num. 6.* Sayrus *de censuris, lib. 7. cap. 7. num. 12.* Graffis *decis. 1. part. lib. 1. cap. 13. num. 45.* Molin. *de iustit. tract. 3. disput. 79. num. 8. vers. 2. & 3.* & alij apud ipsos. Quod etiam habet verum, etiamsi iniquis probationibus, & falsis testibus se defenderit. Suarez, Sayro, Barbosa, Sanchez *suprà.* Quia semper eadem ratio procedit, scilicet manere occultum, neque ad forum contentiosum cum effectu deductum esse. Adde idem esse dicendum, si iudicium non fuerit sententia finitum, eo quòd accusator per annum tacuerit, quia taciturnitas accusatoris arguit defectum probationis, & æquiualet absolutioni: sic Barbosa *num. 34.* & allegat Sayrum *suprà cap. 7. num. 11.* Maiol. *de origin. lib. 3. cap. 17. sub n. 9.* Campan. *in diuers. iuris canon. rubr. 11. cap. 23. num. 144.* Insuper si duo sint consortes eiusdem criminis, & vnus tantùm in iudicium deferatur, alter absolui potest, quia eius delictum, quatenus ab ipso processit, ad iudicium delatum non est. sic Sanchez *num. 21.* cum Nauarr. *lib. 2. consil. tit. de sentent. & re iudicat. consil. 2. in 2. edit.*

17 Sed quid si delictum ad forum contentiosum deductum sit, & ibi punitum, poteritne tunc Episcopus absoluere, vel in impedimento inde proueniente dispensare? Affirmat Sanchez *illo num. 21.* Henriquez *lib. 14. de irregular. cap. 7. num. 5.* Auila *de censuris, 2. part. disput. 2. dub. 7. & part. 7. disput. 10. dub. 7.* Reginald. *lib. 30. tract. 2. num. 29. vers. sextò.* Mouentur, quia finis Concilij in hac reseruatione cessat, reseruauit enim delicta publica, & deducta ad contentiosum forum; ne absolutione Episcopi impediretur satisfactio publica pro delictis publicis exhibenda; & processus iudicialis semel inchoatus, sed iudicio finito, & satisfactione publica exhibita, cessat hic finis. Ergo. Mihi tamen contrarium probabilius est, quia euidens est, illud delictum notorium esse, & publicum; siquidem est in iudicio probatum: ea autem, quæ sic probata sunt, notoria sunt, vt multis relatis tradit Mascard. *de probationibus, conclus. 1101. num. 13. & conclus. 1296. num. 15.* Tiraquel. *de retract. lignag. §. 36. gloss. 2. num. 44.* Menoch. *de arbitrar. casu 166. num. 6.* Item illud delictum est cum effectu ad forum contentiosum deductum; siquidem ibi est probatum, & punitum. Ergo non comprehenditur sub hoc priuilegio. Probo consequentiam, quia priuilegium est de delicto occulto, neque ad forum contentiosum deducto, cuius contra est tale delictum. Item absolutio, quæ in supradicto cap. conceditur, est solùm pro foro conscientiæ: at delictum sic manifestum, & publicum non solùm indiget absolutione pro foro conscientiæ, sed etiam pro exteriori. Ergo sub hac concessione tale delictum non fuit comprehensum: & ita tenet Suarez *de censuris, disput. 41. sect. 2. num. 5. ad finem.* & Gutierrez *canon. qq. lib. 1. cap. 3. ad finem.* Bonacina *de censuris, disput. 1. quæst. 3. punct. 2. num. 2. & disput. 7. quæst. 5. punct. 1. num. 5.* Barbosa *2. part. allegat. 39. num. 35.* Neque obstat ratio contraria: nam esto admittamus in illo delicto esse satisfactum intentioni Concilij negantis absolutionem delicti publici, & ad forum contentiosum deducti, non inde infertur posse Episcopum in eius absolutione se intromittere, nisi à Pontifice fuerit concessum: cùm autem sub verbis concessionis illa delicta non comprehendantur, ad illa se extendere non potest: illa enim ratio probat optimè conuenire, vt Pontifex hanc Episcopis facultatem concedat, non tamen probat esse concessam.

18 Quintum requisitum est, vt Episcopus absolutionem à casibus reseruatis *per se, vel per suum vicarium ad id specialiter deputatum concedat; in crimine autem hæresis per se,*

se, & non per vicarium. Circa quæ verba aduerte in facultate dispensandi non esse appositum, vt per vicarium dispensationem concedat Episcopus. Ex quo silentio non leuis controuersia inter Doctores orta est, an liceat Episcopis vicario committere dispensationes irregularitatis, & aliorum impedimentorum, sicuti potest & absolutionem à casibus reseruatis? Alij affirmant, quia est potestas commissa non personæ, sed dignitati; alij negant, quia virtualiter restricta fuit potestas dispensandi ad solum Episcopum, ex eo quòd potestas absoluendi ipsi, & non vicario concedatur. Constitutio enim ambigua in vna parte, ex alia declarari debet. Ergo cùm in secunda parte illius constitutionis apposuerit extensionem ad vicarium, & in prima omiserit, tacitè limitauit, ne vicario talis potestas concederetur. Neque deest ratio differentiæ; quare vicario permittat potestatem absoluendi, non autem dispensandi, quia absoluendi potestas magis necessaria est ad salutem animarum. Propter hæc Barbosa *alleg. 39. num. 14. fine*, non audet iudicium ferre in hac causa. At ego nixus authoritate Sanchez, Nauarr. & Suarez statim allegandi, iudico potestatem dispensandi committi posse cuilibet vicario generali delegato, & cuilibet etiam speciali personæ, quia cùm sit potestas iure communi dignitati Episcopali competens, non est cur delegabilis non sit. Neque ex eo quod in secunda parte illius decreti commissa sit potestas absoluendi Episcopis, aut eorum vicariis specialiter deputatis; arguitur benè potestatem dispensandi solis Episcopis competere, neque aliis delegari posse; quia ad restrictionem aliquam concedendam aduersantem iuri communi clariora fundamenta debent esse. Sensus igitur est. Potestas dispensandi in irregularitatibus, & suspensionibus concessa Episcopis, est ita illis concessa, vt possint non solùm suo vicario specialiter delegare, sed etiam alteri. At potestas absoluendi à casibus reseruatis, cùm animarum salutem immediatiùs respiciant, non alteri, quàm vicario ad id specialiter deputato delegari potest; potestas verò absoluendi ab hæresi, quia grauior est, neque etiam huic vicario delegabilis est. sic Sanchez *de matrim. lib. 2. disp. 40. num. 17. & lib. 2. in Decal. cap. 11. num. 25.* Suarez *de censur. disp. 41. sect. 2. num. 8.* Nauarr. *consil. 11. tit. de priuileg. num. 4.*

19 Difficultas ergo est, an absolutio hæresis committi ab Episcopo possit alicui? Affirmat Sanchez *lib. 2. cap. 11. num. 23.* cum Nauarr. *lib. 1. consil. tit. de constitut. consil. 1 quæst. vlt. n. 89. & lib. 5. cons. tit. de priuileg. consil. 11. quæst. 2. & 3.* Eman. Saa *verbo Episcopus, num. 37.* Azor *tom. 1. lib. 8. instit. mor. cap. 10. quæst. 11.* Cordub. *summ. q. 8.* Henriquez *lib. 6. de pœnit. cap. 14. num. 7.* Eman. Rodr. *qq. regul. quæst. 30. art. 11. & in explicat. bullæ, §. 9. num. 79. fine, & in addition. §. 9. num. 69.* Probatur, quia potestas hæc absoluendi ab hæresi commissa est Episcopis præsentibus, & futuris in perpetuum; sed quando aliquid sic conceditur, non eligitur industria personæ, sed officij, & dignitatis, vt optimè tradit Ias. *in l. more maiorum, num. 65. ff. de iurisdict. omn. iud.* Menoch. *de arbitr. lib. 1. quæst. 64. num. 17.* Gregor. Lop. *leg. 47. fine tit. 18. part. 3.* Ergo de se delegabilis est. Sed ex supradictis verbis Concilij hæc delegandi potestas non ita restringitur, & limitatur, vt nullo modo delegari possit. Ergo. Minorem probo. Nam Concilium solùm exclusit vicarium ad id specialiter deputatum, sed hoc intelligi potest de vicario specialiter deputato ad casus hæresis contingentes, non de vicario specialiter deputato ad vnicum casum tunc oblatum. Ergo ille quasi generalis vicarius erit exclusus, non autem hic specialissimus.

20 Nihilominus etsi supradicta sententia probabilis sit, at longè probabilior est omnem vicarium esse exclusum; ac proinde non posse Episcopum per alium, quàm per se ipsum ab hæresi absoluere. sic tradit noster Molina *tract. 5. de iust. disp. 18. num. 2.* Gutierr. *lib. 1. canon. qq. cap. 13. num. 29.* Garcia *11. p. de benefic. cap. 10. num. 113.* Lorca *2. 2. disput. 45. num. 11.* Suarez *de pœnit. disput. 30. sect. 2. num. 9. & 15. & de fide disput. 21. sect. 4. num. 8.* Moueor, quia in hac absolutione ille vicarius est exclusus, qui admissus fuit in absolutione à reliquis casibus reseruatis, vt videtur ex contextu constare, sed pro reliquorum casuum absolutione, quilibet vicarius, siue generalis, siue specialis, deputari potest, vt etiam ipse Sanchez admittit. Ergo pro absolutione hæresis quilibet erit exclusus. Adde, dictio *negans* apposita ante vicarium, omnem vicarium excludit, & dictio *tantùm* apposita Episcopis ad eorum personas potestatem restringit, aliàs si aliis liceret, non Episcopis tantùm, sed etiam eorum vicariis specialissimis licitum esset, contra verba Concilij, quæ absoluta sunt. Neque in hac restrictione committitur vlla derogatio iuris communis. Siquidem Episcopi non habent à iure communi potestatem absoluendi à reseruatis Pontifici. Cùm ergo eis tribuitur talis facultas, limitari, coarctarique poterit à Pontifice, vt solùm ipsis prosit, non aliis, quod non est Episcoporum iuri derogare, sed beneficium limitatè concedere. Adde si Episcopis non conceditur, vt possint delegare alicui facultatem generalem absoluendi ab hæresi, sicuti non audent contrariæ sententiæ Doctores concedere, quia iam iste esset Vicarius generalis, qui à Concilio est exclusus. Non videtur, qua ratione sit necessarium delegare potestatem absoluendi ab aliquo casu hæresis contingente. quia si prudenter Episcopus procedat, non potest hanc potestatem delegare, nisi instructus sit esse causam sufficientem ad delegandum; cùm autem de causa requisita ad delegationem illam specialem instruatur, instrui potest de causa requisita, & conueniente ad tollendam censuram. Ergo poterit ipse etiam reo absente censuram tollere, qua sublata manet peccatum hæresis non reseruatum, & à quolibet confessore approbato absoluendum.

21 Restat vltimò inquirendum, an hæc facultas Episcopis concessa per Trident. absoluendi à casibus Pontificiis, & specialiter ab hæresi sit reuocata per Bullam Cœnæ in illa vltima clausula, in qua sic habetur. Cæterùm à Prædictis sententiis nullus per alium, quàm per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, neque etiam tunc, nisi de stando Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo cautione præstitâ absolui potest, etiam prætextu quarumuis facultatum, & indultorum, quibuscumque personis ecclesiasticis, sæcularium, & quorumuis ordinum etiam mendicantium, ac militarium, regularibus etiam *Episcopali, vel alia maiori dignitate præditis*, ipsisque ordinibus, & eorum monasteriis, conuentibus, & domibus, ac Capitulis, collegiis, confraternitatibus, congregationibus, hospitalibus, & locis piis, nec à laicis etiam imperiali, regali, & alia mundana excellentia fulgentibus, per nos, & dictam sedem, ac *cuiusuis Concilij decreta*, verbo, literis, aut alia quacumque scriptura in genere, & in specie concessorum, & innouatorum, ac concedendorum, & innouandorum. Et additur excommunicatio aduersùs eos, qui sic absoluere præsumpserint. sic Gregor. XV. & Vrban. VIII. suis Bullis.

Non desunt plures authores, qui affirment ex vi huius clausulæ non reuocari Episcopis facultatem absoluendi concessam in Trident. sic docet Bannes *2. 2. q. 11. art. 4. dub. 2. post 2. conclus. arg. 3.* & ibi Arag. *art. 3.* Nauarr. *sum. lat. cap. 27. n. 260. & lib. 5. consil. tit. de priuileg. consil. 11. quæst. 1.* Gutierr. *qq. canon. in poster. lib. 1. cap. 13. ad finem.* Henriquez *lib. 6. de pœnit. cap. 14. n. 7.* Lorca *2. 2. disp. 45. n. 10.* reputat probabilem Suarez *tom. de censur. disp. 21. sect. 3. num. 5.* & alij plures, quos referunt Sanchez, & Barbosa in secunda sententia allegandi. Præcipuum funda

fundamentum est, quia correctio iuris vitanda est, quo ad fieri possit, sed absque correctione iuris Trident. stare potest clausula Bullæ reuocans facultates, quibus absolutio impendi poterat. Ergo affirmandum est clausulam Bullæ supradictam Trident. facultatem non reuocare. Minorem probo. Primò, quia Bulla solùm dicit, *vt nullus possit absolui prætextu quorumcumque priuilegiorum, quæ Episcopis, conuentibus, & alijs concessa sint per Sedem Apostolicam.* at qui ab Episcopis absolui intendit, non intendit absolui prætextu alicuius priuilegij à Sede Apostolica concessi, vt dicit Bannes, sed prætextu authoritatis à Christo Domino datæ. Ergo. Secundò, quia Bulla optimè potest intelligi de peccatis publicis, & de absolutione, quæ non solùm pro foro conscientiæ, sed etiam externo proficit; siquidem nihil in Bulla habetur, quæ cogat nos de peccatis occultis, & de foro conscientiæ reuocationem intelligere. Sensus ergo Bullæ est, vt nullus possit absolui, absolutione proficiente in foro externo, vel à peccatis publicis prætextu priuilegiorum, &c. Quòd si hoc modo intelligatur, manet integrum Trident. decretum. Nam Trident. concedit solùm absolutionem casus occulti, & pro foro conscientiæ. Ergo si Bulla reuocat casus publicos, & absolutionem proficientem in foro externo; non immutat, nec corrigit decretum Trident. Ergo hæc explicatio sustinenda est, vt iuris correctio vitetur. Tertiò, lex generalis præcipuè correctoria, etiamsi posterior sit, limitanda est ex speciali antecedenti, vt latè probaui *tractat. de legib.* Ergo hæc lex correctoria Bullæ, quæ generalis est, limitari, & coarctari debet per specialem Trident. Quartò non obstante clausula reuocatoria Bullæ Cœnæ manet integrum priuilegium in Cruciata concessum pœnitentibus, vt semel in vita possint absolui à quolibet Confessore approbato à quibusuis peccatis, & censuris, &c. Ergo etiam poterit integrum manere priuilegium Episcopis concessum in Trident. non obstante clausula reuocatoria. Quintum fundamentum est, quia non est euidens Bullam Cœnæ supradictam facultatem reuocare, vt ex supradictis constat; sed absque euidentia reuocationis nemo tenetur se iure proprio spoliare. Ergo non debent Episcopi se reputare spoliatos hac facultate absoluendi absque clariori notitia. Quòd si dicas constare euidenter esse reuocatam hanc facultatem Episcopis, non ex verbis Bullæ præcisè, sed ex illis iuncta Pontificum declaratione. Respondere possumus de declaratione nobis authenticè non constare. Nam esto plures Doctores eam firment, ex fama, & opinione loquuntur. Item indigebat talis declaratio speciali promulgatione, vt vim legis reuocantis haberet, aliàs nos arctare non potest.

22 Cæterùm tenenda est, vt longè probabilior contraria sententia, scilicet per clausulam Bullæ Episcopis reuocatam esse facultatem absoluendi ab hæresi, reliquisque ibi contentis. sic Suarez *de pœnitent. disput.* 30. *sect.* 2. *num.* 11. *& de censuris, disput.* 21. *sect.* 3. *num.* 5. Pegna *directór.* 3. *part. comment.* 141. *post quæst.* 92. *versic. penultim.* vbi testatur iuxta hanc opinionem in supremo generalis inquisitionis prætorio sæpè pronuntiatum esse. Tuscus *de visitat. lib.* 2. *cap.* 31. *num.* 5. *& cap.* 23. *num.* 4. Marc. Anton. Genuens. *in praxi Archiepiscop. Neapolit. cap.* 67. *num.* 10. *in prima editione*, vbi testatur, Gregorium XIII. & Clementem VIII. sic declarasse. Azor *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 19. *quæst.* 3. *& cap.* 10. *quæst.* 10. & affirmat se audiuisse à religioso, docto, & fide digno sic declarasse Clement. VIII. Pro hac parte extant duæ authenticæ declarationes Cardinalium, testatur Nicol. Garcia 11. *part. de benefic. cap.* 10 *num.* 122. & Suarez *suprà*, & hanc esse sequendam innumeros referens firmat Barbosa 2. *part. de potestate Episcopi. allegat.* 40. *num.* 25. *& in remissionibus Concilij, verbo & in hæresis crimine.* Sanchez *lib.* 2. *Decalog. cap.* 11. *fine.* Farinacius *de hæresi, quæst.* 192. *num.* 61. Bonacina *disp.* 1. *de censuris, quæst.* 3. *punct.* 2. *num.* 1. *vers.* 1. quos ne fastidio sim omitto. Præcipuum fundamentum, quo moueor, est tantorum virorum authoritas, quæ in re morali magni habenda est, nec deserenda ob excogitatas, & parùm firmas distractiones. Quòd si huic authoritati efficax ratio accedit, omnino sequenda est. Ratio autem ea est. Negari non potest priuilegium à Concilio concessum Episcopis derogari posse à Pontifice, sed ex supradictis Bullæ verbis colligitur satis fuisse derogatum. Ergo. Minorem probo. Nam Pontifex prohibet, ne detur absolutio hæresis, & reliquorum casuum in Bulla contentorum prætextu priuilegiorum, quæ Episcopis, religiosis, conuentibus, &c. concessa sint à Sede Apostolica etiam decreto alicuius Concilij. Sed nullum Concilium, nisi Trident. hanc facultatem absoluendi ab hæresi, reliquisque casibus reseruatis concessit. Ergo hanc facultatem, quæ in hoc Concilio conceditur, intendit Pontifex reuocare; aliàs superfluerent verba illa, *alicuius Concilij decreta.* Neque dici potest reuocare facultatem absoluendi à casibus publicis, & pro foro externo, quia hæc non est data à Concilio, præcipuè cùm reseruatio non tam pro foro externo, quàm pro foro conscientiæ facta est, siquidem solùm permittitur in articulo mortis absolutionem præstari. Alij verò probant hanc conclusionum ex eo, quòd non videatur necessarium ad derogandum priuilegiis, & constitutionibus Trident. illius fieri expressam mentionem; siquidem ipsum Trident. *sess.* 25. *c.* 21. in fine Concilij excipit authoritatem Pontificis in suis decretis, dicitque se velle, vt robur habeant, dum Pontifici placuerit, & non vltrà, inquit enim sancta Synodus omnia, & singula sub quibuscumque clausulis, & verbis, quæ de morum reformatione, atque Ecclesiastica disciplina, tam sub felicis recordationis Paulo III. ac Iulio IV. quàm sub beatissimo Pio IV. Pontificibus maximis, in hoc sacro Concilio statuta sunt, declarat ea decreta fuisse, *vt in his salua semper authoritas Sedis Apostolicæ sit, & esse intelligatur.* Ergo cùm Pontifex suam authoritatem interponit, ne vllus ab hæresi, reliquisque in Bulla contentis absoluatur, non debet dici reuocare priuilegium in Trident. concessum, sed ipsum Trident. priuilegium cessare, quia cessauit conditio, sub qua fuit concessum. Verùm hæc ratio, quam aliqui magni faciunt, meo iudicio non concludit. Admitto non reuocari decreta Trident. quoties Pontifex suam authoritatem in contrarium interponit, sed cessare ex conditione in ipsis decretis apposita. At hoc opus, hic labor est, quando censeatur Pontifex suam authoritatem in contrarium interponere, & credo nunquam censeri, nisi id verbis expressis, & mentionem facientibus dicti Concilij, saltem in genere exprimat, vt latiùs diximus, cùm de reuocatione legis, & priuilegiorum egimus.

23 Verùm etsi Episcopi nõ possint in foro conscientiæ hæreticos pœnitentes absoluere, iuxta magis receptam, veriorémque sententiam; at possunt in foro externo eos absoluere, & Ecclesiæ reconciliare, illisque pœnitentiam iniungere, quæ absolutio illis proderit in foro interiori, probat expressè textus *in cap. vt officium, in princ. versic. si verò, de hæreticis, in* 6. illis verbis, *absolutionis beneficium impendatis*, & iniungatis eisdem, quod iniungi talibus consueuit, & ita tradit Archidiacon. *ibi num.* 1. *verbo impendatis.* Ioan. Andr. *num.* 1. Gemin. *n.* 2. *fine.* glossa *in cap. excommunicamus*, el 1. §. *credentes, ad fin. de hæreticis.* ibi Hostiens. *num.* 24. Felin. *sub num.* 3. Anania *num.* 4. Zabarella *num.* 6. *fine.* Repert. Inquisitorum *verbo absolutio, versic. sed nunc prosequendo, & versic. ex prædictis concluditur.* Squallicens. *tract. de fide catholic. cap.* 27. *num.* 3. Eymer. 3. *part. quæst.* 92. quos omnes refert, & sequitur Farinacius *de hæresi, quæst.* 191. §. 4. *num.* 52. vbi aduertit, quòd esto Lœlius Zechius *in summ.* 1. *p. tit. de fide, rubr. de hæresi, cap.* 11. *n.* 18. *versic.* 4. dicat in supremo inquisi

inquiſitionis ſenatu pronunciatum eſſe, vt ſolis Inquiſitoribus liceat pœnitentes hæreticos in foro externo abſoluere,& non Epiſcopis,non eſſe à propoſita doctrina recedendum; quia eſt à Doctoribus communiter recepta,& iuri conſona, conſentit etiam iis Bonac. *diſp.*1. *de cenſur. quæſt.* 3. *punct.* 2. *num.*11. Aduerto tamen in Hiſpania prædictam facultatem illis reuocatam eſſe. Non enim Epiſcopi ſine Inquiſitore, neque Inquiſitor ſine Epiſcopo ſaltem requiſito abſoluere poſſunt hæreticum,& Eccleſiæ reconciliare,vt conſtat ex praxi.

§. II.

Expenditur facultas abſoluendi ab hæreſi conceſſa Inquiſitoribus.

1 *Pro foro externo clarum eſt illis eſſe facultatem conceſſam.*
2 *In foro conſcientiæ eſt aliqualis difficultas, proponitur difficultatis ratio, & Doctores aſſerentes quemlibet Inquiſitorem hac poteſtate gaudere.*
3 *Probabilius eſt oppoſitum.*
4 *Satisfit fundamento, num.*2. *adducto.*
5 *Abſolutio data ab inquiſitoribus hæretico ficté conuerſo valida non eſt.*
6 *Quid ſi non integrè delictum manifeſtaſti? Sub diſtinctione reſpondetur.*

1 CONſtat iis commiſſam eſſe facultatem abſoluendi hæreticos pœnitentes pro foro externo, ex text. *in cap. vt officium, de hæretic. in* 6. & ex pluribus Bullis relatis à Pegna *in fine direct.* quorúmque meminit Farinac. *de hæreſi, quæſt.* 192. *num.* 54.

2 Difficultas ergo eſt, an illis liceat in foro conſcientiæ? Rationem difficultatis conſtituerunt verba Bullæ Clementis VII. edita anno 1530. quæ incipit, *Cum ſicut*, & refertur à Pegna *in direct. inquiſit.* inter Bullas illius Pontificis, vbi dicitur, *Vobis etiam, ac vicarijs præfatis extraiudicialiter Lutheranos occultos, & non inquiſitos per ordinarium, ſiue alios iudices, aut alios quoſcumque hæreticos, fautores, defenſores, & receptatores, necnon à ſancta fide Apoſtatas, eóſque qui contra inhibitionem Sedis Apoſtolicæ tenuerunt, vel legerunt libros Martini Lutheri, vel aliorum, aut eidem, ſiue eiſdem quomodolibet adhæſerunt (ſi ad cor reuerſi pœnitentes id humiliter petierint) poſtquam hæreſim, qua polluti, & infecti erant, abiurauerint, medio iuramento promiſerint de cætero ab huiuſmodi hæreſi penitus abſtinere, abſoluendi, illiſque pro præmiſſis pœnitentiam iniungendi ſalutarem, eóſque ad gremium ſanctæ matris Eccleſiæ reſtituendi, & reducendi, authoritate Apoſtolica, tenore præſentium litterarum licentiam, & facultatem concedimus.* Ex his ergo verbis ſic formatur ratio dubitandi. In hac conſtitutione datur facultas Inquiſitoribus, & eorum commiſſariis abſoluendi hæreticos occultos, neque ab vllo iudice priùs Inquiſitos extraiudicialiter. Ergo eſt data facultas illos abſoluendi in foro conſcientiæ. Probo conſequentiam, quia abſoluere iudicialiter, ſeu pro foro iudiciali non ſolùm occultos hæreticos pœnitentes, & voluntariè miſericordiam expoſtulantes licet Inquiſitoribus, ex *ſuprad. cap. vt officium*, & ex aliis text. ſed etiam publicos hæreticos, & ad iudicium venire compulſos. Ergo aliquid ſpeciale hæc conſtitutio concedere Inquiſitoribus intendebat. Quod non videtur eſſe aliud, niſi abſolutionem pro foro conſcientiæ. Neque obſtat ſupradictam Bullam dirigi ſpecialiter ad Inquiſitores ordinis Prædicatorum exiſtentes in Lombardia; imò videri eſſe ſpecialem commiſſionem factam perſonis, & non dignitati. Quia eſto ex tenore Bullæ ſic appareat, conſuetudine receptum eſt ad omnes Inquiſitores extendi. & fauent ea, quæ tradit Pegna 3. *p. direct. quæſt.* 109. *comm.* 158. *à verſ. nec obſtat*, vbi probat priuilegia Inquiſitoribus ſpecialibus conceſſa ad omnes Inquiſitores dirigi, ex *cap. vlt.* §. *vlt. de hæretic. in* 6. *Clement.* 1. §. *vlt. de hæretic. & l. Arriani*, §. *cunctis quoque legibus, C. de legib.* Neque etiam obſtat per Bullam Cœnæ reuocari omnem facultatem abſoluendi ab hæreſi, & caſibus ibi contentis in foro conſcientiæ, quominus poſſimus affirmare hanc facultatem perſeuerare, quia, vt dicit Bannes ſtatim allegandus, Bulla ſolùm reuocat facultates abſoluendi, quæ pœnitentibus conceſſæ ſunt, vel ſaltem; quæ conceſſæ ſunt directè in illorum fauorem: at hæc facultas abſoluendi ab hæreſi in foro conſcientiæ non pœnitentibus hæreticis, imò neque directè in ipſorum fauorem eſt conceſſa Inquiſitoribus; ſed eſt illis conceſſa in fauorem officij, quod exercent, defendendi fidem, & ad maiorem illorum authoritatem; indirectè tamen in animarum fauorem. Non ergo cenſetur reuocata hæc facultas. Addi etiam poteſt congruentia magni momenti. Ad Eccleſiam pertinet prouidere fidelibus delinquentibus remedium facile, & ſuaue, vt à peccato liberentur. Si autem penes Inquiſitores non reſidet facultas abſoluendi ab hæreſi occulta in foro conſcientiæ hæretici occulti, carent remedio facili, & ſuaui, vt à peccato liberentur. Non enim eſt remedium facile, & ſuaue, ſed nimis rigoroſum cogere hæreticum occultum, vt præſentibus teſtibus, vel coram Notario hæreſim ſuam occultam, & ſoli Deo notam Inquiſitori manifeſtet. Hoc autem eſt illi omnino neceſſarium, ſi Inquiſitor, & Epiſcopi non habent in foro conſcientiæ facultatem abſoluendi ab hæreſi. Ergo dicendum eſt ſaltem Inquiſitores illam habere; & ita ſupponit Nauarr. *lib.* 5. *conſil. tit. de priuileg. conſil.* 11. Campegius *ad cap.* 34. Zanch. *de hæret. verſ. cum itaque*, Bannes 2.2. *q.* 11. *art.* 4. *dub.* 2. *poſt* 3. *argum. contra* 2. *concluſ.* Gutierr. *can. qq. lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 7. Viuald. *Candelab.* 1. *p. tit.* 11. *de abſolut. num.* 15. teſtatur praxim ita eſſe Man. *in Bulla Cruciatæ*, §. 9. *num.* 70. *fine.* Eymer. 3. *p. direct. num.* 61. alios plures refert Sanchez *lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 1. ipſéque eam *num.* 3. probabilem reputat. Ex qua ſententia inferunt Inquiſitorem non ſacerdotem poſſe hac facultate vti, quia non eſt coarctanda poteſtas ad forum ſacramentale, ſed ad forum ſecretum. Item & poſſe Inquiſitorem alteri vices ſuas delegare, quia poteſtas eſt competens ex officio; ac proinde delegabilis, dum in contrarium non fuerit expreſſa prohibitio. Sanchez *num.* 4. & 5.

3 Nihilominus probabilius exiſtimo nulli Inquiſitori, neque tribunali datam eſſe facultatem abſoluendi ab hæreſi, & excommunicationibus reſeruatis in foro conſcientiæ, ſed neceſſariò debere fieri in foro externo, & iudiciali. ſic Sanchez *num.* 3. Farinac. *de hæreſi, quæſt.* 192. *num.* 54. Suarez *de fide diſp.* 21. *ſect.* 4. *num.* 15. Garcia *de benefic.* 11. *p. cap.* 10. *num.* 121. Barboſa 2. *p. de poteſt. Epiſc. allegat.* 40. *num.* 28. Ratio eſt, quia Inquiſitores neque ex vi muneris, neque ex aliquo priuilegio, neque ex conſuetudine habent poteſtatem pro ſolo conſcientiæ foro abſoluendi. Ergo gratis aſſeritur talis facultas. Antecedens probo. Munus Inquiſitoris eſt delicta inquirere, & iudicialiter punire delinquentes: eſt enim iudex pro foro externo conſtitutus. Ergo ex vi muneris hanc facultatem abſoluendi ab hæreſi pro ſolo conſcientiæ foro non habet. Ex priuilegio autem non videtur illam habere, nullum enim aliud refertur, niſi contentum in ſuprad. Bulla Clement. VII. Sed illud nec loquitur de omnibus Inquiſitoribus, ſed ſolùm Inquiſitoribus ordinis Prædicatorum reſidentibus in Lombardia, & illo tempore præſentibus, & conceſſo ad omnes extendi, non loquitur de abſolutione fori conſcientiæ, ſed externi: tum quia non committit facultatem abſoluendi, niſi præſtito iuramento, & abiurata hæreſi: quæ conditiones pro foro interiori non videbantur neceſſariæ. Neque verbum *extraiudicialiter* vrget. nam, vt teſtatur Barboſa *num.* 27. ſæpè declaratum eſt in ſupremo inquiſitionis

sitionis Romanæ tribunali verbum illud, *extraiudicialiter*, non tollere formam iudicij, scilicet depositionem coram Notario, & testibus, vel saltem coram Notario tantùm; sed tollere solemnitatem iudicij, quæ consistit in eo, quòd plures adsint iudicio, pluribúsque iudicium innotescat; facultas ergo Inquisitoribus data, vt extraiudicialiter pœnitentes hæreticos, & à nullo iudice inquisitos absoluere possint, in eo consistit, vt possint ad secretam abiurationem, & secretam pœnitentiam eos admittere. Non tamen quòd pro solo conscientiæ foro absoluere possint. Quòd si supradictum priuilegium de absolutione pro solo conscientiæ foro loquatur, non video qua ratione Episcopis reuocata sit per Bullam facultas absoluendi ab hæresi, & casibus in Bulla contentis, & non reuocetur Inquisitoribus, cùm etiam Episcopis in sui fauorem, & ob eorum dignitatem sit tale priuilegium concessum, & Bulla omnia priuilegia, quorum potestate quilibet impetrare absolutionem posset, reuocat, siquidem absoluentes huiusmodi reos excommunicatione innodantur. Denique ex consuetudine contrarium omnino constat, nunquam enim Inquisitores, nisi coram Secretario, pœnitentem hæreticum audire volunt, vt ipsemet Bannes fatetur, & consulit Eymeric. 3. *part. director. num.* 59. Adde declarationem Cardinalium relatam à Barbosa *sess.* 24. *cap.* 6. *Concilij*, *num.* 7. in hæc verba: *Episcopus, aut Inquisitor absoluere iam non possunt hominem hæreticum in foro conscientiæ, licèt hæc facultas à Concilio sit ipsis tradita.*

4 Ex his constat solutio contrarij fundamenti: & ad congruentiam de rigore dicimus non esse nimium in delicto ita graui, & Christianæ reipublicæ nociuo obligare delinquentes, vt Inquisitori coram Notario se manifestent, præcipuè cùm totus ille rigor temperetur abundè, ex eo quòd sic absolutus secretò, etiamsi postea delictum publicetur, non possit de illo iterum iudicari, & puniri, vt bene notauit ex Campegio Suarez *de fide disput.* 21. *sect.* 4. *num.* 18. Item est conuenientissimus ille rigor, (si aliquis est,) vt arceantur homines à simili delicto committendo, videntes difficultatem in illius absolutione, quæ est ratio, quare Ecclesia aliquorum casuum absolutionem reseruat. Hæc autem facultas sic secretò absoluendi, etiamsi præcipuè in toto tribunali resideat, in quolibet etiam Inquisitore residet, vel quia sibi inuicem vices committunt, vt placet Suarez *n.* 18. vel, quod probabilius existimo, quia Bulla Clemét. VII. non cum tribunali, sed cum Inquisitoribus singulis, & seorsim loquitur; siquidem eorum vicariis, & commissariis facultatem eandem tradit, qui tamen non constituunt tribunal: sic Sanchez *lib.* 2. *Decalog. cap.* 12. *num.* 4.

5 Sed inquires, an absolutio data hæretico fictè conuerso, cuius fictionem ignorat absoluens, valida sit, ita si postea verè pœniteat, & ex corde conuertatur, nulla indigeat absolutione?

Respondeo minimè valere ex defectu intentionis in absoluente; non enim intendit absoluere, nisi fidelem: at qui in sua hæresi pertinax est, infidelis est, & indignus absolutione. Sayrus *Thesauri casuum, tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 21. *num.* 26. *&* 27. Henriquez *lib.* 13. *de excommunicat. cap.* 30. *num.* 3. *&* 4. Suarez *de censuris, disput.* 7. *sect.* 7. *num.* 12. *& disp.* 21. *de fide, sect.* 4. *num.* 19. Verùm, quia hæc absolutio quoad forum externum valida, & firma reputatur, non indigebit hæreticus verè iam conuersus absolutione aliqua iudiciali, sed ipsemet Inquisitor solus sine Notario, & testibus illum absoluere poterit. Exemplo matrimonij contracti in facie Ecclesiæ inualidè ob aliquod occultum impedimentum, quod secundùm multorum sententiam reualidatur sine vlla exteriori solemnitate per iteratum consensum contrahentium. Sic expresse Suarez *illo num.* 19.

6 Sed quid si fassus sis hæresim, v. g. Iudaismum, non tamen declarasti, quoties iudaizasti, sed aliquos actus externos Iudaismi manifestasti, alios occultasti; manes ne absolutus? Equidem si ignoranter fecisti, non est dubium te absolutum manere; at si ex malitia processisti, distinguendum est; si actus, quos omisisti manifestare, variarent detecti grauiter iudicium; ita vt obligarent iudicem ad grauiorem pœnitentiam tibi imponendam, censeo te non manere absolutum; secus verò, si iudicium eodem modo persisteret. Et ita explico illa verba, quæ communiter in absolutione hæretici apponuntur, nempe *si ita est, vt ex corde conuertitur, non tacens de se, nec de aliquo alio rem aliquam contra nostram sanctam fidem Catholicam eum absoluimus, & non aliter.* Hæc enim verba requirunt, vt ex corde hæreticus conuertatur, nihilque aduersùs nostram fidem taceat, quòd graue sit, meritóque iudicem ad variationem iudicij mouere possit.

Quòd si inquiras, quando præsumi potest ex manifestatione rei tacitæ variandum esse iudicium?

Respondeo arbitrio prudentis relinquendum esse. Putarem sanè, si plures diuersas hæreses haberes, & aliquam omitteres manifestare, in hoc omnes conueniunt. Secundò, si eiusdem hæresis actus tres, vel quatuor diceres, cùm tamen essent decem, vel viginti. Tertiò, si alicuius personæ, quam obligatus es manifestare, denuntiationem omisisti. Nam esto illa manifestata non varietur iudicium respectu tui quoad pœnitentiam tibi imponendam; variatur tamen absolutè iudicium respectu personæ denuntiatæ, cuius variationis tu debebas esse causa.

§. III.

Quid dicendum de religiosorum priuilegiis.

1 *Statuitur priuilegium Societatis, aliísque religionibus concessum.*
2 *Qua ratione hæc facultas concedatur à Præposito generali.*
3 *Superioribus Societatis datur facultas absoluendi ab excommunicatione incursa ob lectionem librorum prohibitorum.*

1 Respondeo nostrum Reuerendissimum P. Præpositum generalem facultatem habere per se, vel per alios absoluendi quoscumque ab hæresi in foro conscientiæ. Quam facultatem concessit illi Iulius III. viuæ vocis oraculo primùm, vt *in viuæ vocis oraculis pag.* 9. Deinde per breue in litteris Apostolicis *pag.* 66. Confirmauit verò, & denuò concessit Gregorius XIII. die 18. Martij 1584. pro reliquis orbis partibus (Hispania excepta) *in viuæ vocis oraculis pag.* 123. Hæc autem facultas Prouincialis communicatur, sed extra Hispaniam, vt habet priuilegium cum potestate, vt re maturè considerata, quando sibi videbitur in Domino expedire, in casibus particularibus possint id aliis communicare. Hæc omnia habentur in compendio priuilegiorum Societatis IESV, *verbo absolutio*, §. 3. Respectu autem illorum, qui sub obedientia Societatis viuunt, habet Præpositus generalis, & quibus ipse commiserit, facultatem eos absoluendi in foro conscientiæ ab hæresi, & à relapsu in hæresim, si quis (quod Deus auertat) in eam incideret. Quam facultatem etiam pro Hispania concessit Gregorius XIII. die 18. Martij 1584. vt *in viuæ vocis oraculis pag.* 133. sic *in compendio priuilegiorum Societatis, verbo absolutio*, §. 7. *& in* §. 8. dicitur. Facultate concessa Minoribus de Obseruantia Vltramontanis possunt Præpositus generalis, aut Prouincialis Societatis IESV Vltramontani absoluere nostros Vltramontanos sibi subditos, & dispensare cum eis, quoties opus fuerit à rela

à relapſu in hæreſim, aut apoſtaſiam, & eorum pœnas à iure conſtitutas commutare augendo, vel minuendo, penſatis qualitate, & quantitate, aliiſque debitis circunſtantiis: dummodo talium relapſorum crimina publica, & notoria apud ſæculares non ſint, vt ex hoc ſcandalum oriri poſſit. Alexand. V I. *in monum. Minorum fol.* 70. *conceſſ.* 164. & refertur, quamquam non ſatis plenè, *in compendio eorumdem, verbo abſolutio ordinis quoad fratres*, §. 18.

2 Hæc abſoluendi facultas reſeruatur in Societate Præpoſito generali, communicatur tamen prouincialibus ſub onere monendi pœnitentem, manere ſub pœna peccati mortalis obligatum, vel ſe Præpoſito generali præſentandi, vel rem eidem manifeſtandi eo modo, qui ſeruata ſigilli integritate Prouinciali videbitur. Iam monui in Hiſpania ob particularia inquiſitionis indulta non dari vſum huius facultatis.

3 Item omnibus ſuperioribus Societatis, & iis, quibus ipſi communicauerint, conceſſa eſt facultas abſoluendi ab excommunicatione incurſa ob lectionem librorum prohibitorum, in his locis, vbi poſſunt noſtri ab hæreſi abſoluere: ſic conceſſit Gregor. XIII. die 6. Nouembr. 1583. provt *in viuæ vocis oraculis pag.* 132. & habetur *ſupradicto compendio priuilegiorum, verbo abſolutio*, §. 4. vbi aduertitur, ſi libri prohibiti editi ſunt ad ſtabilienda dogmata hæretica, non poterunt communicare hanc facultatem ſuperiores, niſi in caſibus particularibus perſpectis circunſtantiis. In iis verò prouinciis, in quibus ex peculiari conceſſione amplior eſſet facultas, liber permittitur illius vſus.

§. IV.

Expenditur facultas abſoluendi ab hæreſi per Bullam, aut Iubilæum conceſſa.

1 *Sub facultate generali abſoluendi à reſeruatis, comprehendi reſeruata in Bulla Cœnæ, & ſub facultate abſoluendi à reſeruatis in Bulla Cœnæ comprehendi hæreſim affirmant plures.*

2 *Probabilius eſt oppoſitum.*

3 *Hæreticus abſolutus in foro conſcientiæ non excuſatur ſubire iudicium fori externi.*

1 Aliquando Pontifex Iubilæum concedit cum facultate abſoluendi ab omnibus ſibi reſeruatis, neque exprimit reſeruata in Bulla Cœnæ, aliquando ea exprimit hæreſi non expreſſa, aliquando verò & hæreſim exprimit. Dubium ergo eſt, an ſub facultate illa generali abſoluendi ab omnibus reſeruatis, comprehendantur reſeruata in Bulla Cœnæ, etiamſi non exprimantur, & ſub facultate generali abſoluendi ab omnibus reſeruatis in Bulla Cœnæ, etiam crimen hæreſis ibi contentum veniat intelligendum? Ratio dubitandi eſt, quia beneficium Principis latè eſt interpretandum, præcipuè cùm eius lata interpretatio non excedit proprietatem verborum: at ſub reſeruatis à Pontifice comprehendere contenta in Bulla Cœnæ, & ſub contentis in Bulla Cœnæ comprehendere hæreſim, non eſt excedere proprietatem verborum; ſed potiùs verborum proprietati conformari. Ergo. Item in reſeruatione alicuius caſus Pontificij non datur magis, vel minus, ſiquidem integrè conſiſtit in eo, quòd nemini alteri à Pontifice ſit facultas ab eo abſoluendi. Si igitur datur facultas abſoluendi ab omnibus reſeruatis Pontifici, non eſt vlla ratio, quare aliqui caſus reſeruati ab illa conceſſione generali excipiantur. Quòd ſi aliquis dicat hoc ſuſtineri poſſe, niſi Gregor. XIII. in quodam motu proprio relato ab Emanuel. Rodriq. *additionib. ad Bullam*, §. 9. *num* 66. qui incipit, *Officium noſtræ partis*, datum Romæ 22. Septembr. 1576. declaraſſet hæreſim non comprehendi ſub facultate generali abſoluendi à contentis in Bulla Cœnæ. Reſponderi facilè poſſet ibi ſolùm declaraſſe hæreſim non comprehendi in facultate abſoluendi conceſſa per Bullam Cruciatæ, quod quidem veriſſimum eſt, imò expreſsè in tali Bulla Cruciatæ crimen hoc excipitur. Ergo dum non eſt talis declaratio, vel exceptio, generalis doctrina admittenda eſt, nempè ſub reſeruatis in Bulla Cœnæ hæreſim comprehendi. ſic tradit Soto 4. *diſtinct.* 22. *quæſt.* 2. *art.* 3. *concluſ.* 5. Corduba *in ſumm. quæſt.* 8. Lorca 2. 2. *diſp.* 45. *num.* 13. Farinac. *quæſt.* 192. *num.* 63. Pegna 3. *p. direct. comm.* 25. *verſ. quòd ſi quis dicat, & verſ. quòd ſi quis quærat.* Reginald. *in praxi lib.* 8. *num.* 53. *fine.* Frechilla *de excommunicat. art.* 1. *part.* 4. *num.* 7. *dub.* 1. *praxi Epiſcopalis*, 1. *p. verbo abſolutio.* §. 5. *& part.* 2. *eodem verbo*, §. 4. & alij relati à Garcia 11. *p. de benefic. cap.* 10. *num.* 110. & probabilem reputat Suarez *tom. de cenſuris, diſput.* 7. *ſect.* 5. *num.* 12.

2 At credo probabilius eſſe, ſub facultate generali abſoluendi à reſeruatis non comprehendi reſeruata in Bulla Cœnæ, nec ſub facultate abſoluendi à reſeruatis in Bulla Cœnæ comprehendi hæreſim: ſic tradit tanquam certiſſimum, Sanchez *lib.* 2. *in Decalog. cap.* 12. *num.* 10. Garcia *dicto cap.* 10. *num.* 109. Barboſa 2. *p. de poteſt. Epiſc. allegat.* 40. *num.* 31. Azor *tom.* 1. *lib.* 8. *inſtit. moral. cap.* 10. *quæſt.* 12. Suarez *de fide, diſput.* 21. *ſect.* 4. *num.* 21. Couarr. *cap. alma mater*, 1. *p.* §. 11. *num.* 15. Rojas *de hæreticis*, 2. *p. aſſert.* 39. *num.* 321. *& de priuileg. inquiſit. num.* 416. vbi ait motu quodam Pij V. edito anno 1571. ſic eſſe declaratum. Vgolin. *de cenſur. tab.* 1. *cap.* 10. §. 4. *num.* 8. Aragon. 2. 2. *quæſt.* 11. *art.* 3. §. *ſed dubium eſt.* Emanuel Rodriq. *in addition. ad Bullam*, §. 9. *num.* 66. & alij apud ipſos. Ratio præcipua deſumenda eſt ex ſtylo, & vſu curiæ Romanæ, qui in hac parte vim legis habet. At Azor *ſupradicto loco, & cap.* 19. *quæſt.* 2. Suarez, & Barboſa *ſuprà*, teſtantur ex ſtylo Romanæ curiæ ſub illa generali facultate abſoluendi à reſeruatis non comprehendi contenta in Bulla Cœnæ, neque ſub contentis in Bulla Cœnæ comprehendi hæreſim. Ergo non eſt licitum ad ea conceſſionem extendere, quia conceſſio extendi non poteſt vltra voluntatem, & intentionem manifeſtam concedentis. Quòd autem hic ſit ſtylus Romanæ curiæ, præterquam quòd ita teſtantur graues Doctores, probari poteſt ex eo, quòd ſæpe in Iubilæis poſt abſolutam conceſſionem abſoluendi à reſeruatis in Bulla, exprimi ſolet & à crimine hæreſis; cuius expreſſio ſuperflueret, ſi ſub priori clauſula ſufficienter contineretur. Adde eſſe creditu difficile reſeruationem tot legibus ſtabilitam Cruciata Bulla, & Iubilæis, aliiſque priuilegiis ordinariis concedentibus abſolutionem à reſeruatis, derogari.

3 Obſeruandum tamen eſt hæreticum abſolutum in foro conſcientiæ, vel ab Epiſcopo, vel ab Inquiſitore ſecundùm probabilem ſententiam, vel ab alio confeſſario, cui ſpeciale priuilegium eſſet conceſſum, non eſſe excuſatum ſubire iudicium, & ſententiam fori iudicialis. Quia diuerſi fines in vtroque iudicio reſpiciuntur. In foro enim conſcientiæ attenditur ſatisfactio Deo exhibenda, & ſalutis propriæ medicina. At in iudiciali foro ſpectatur ſatisfactio reipublicæ, & reparatio offenſionis ex malo exemplo ſuſceptæ. ſic gloſſa *in cap. gaudemus, de diuortijs, verbo poterit.* Anton. Gomez *tom.* 3. *variar. cap.* 1. *num.* 40. Pegna *direct.* 2. *p. comm.* 25. *verſic. rurſus altera quæſtio.* Zanch. *de hæretic. cap.* 34. Suarez *de fide, diſput.* 21. *ſect.* 4. *num.* 6. Sanchez *lib.* 2. *in Decalog. cap.* 12. *num.* 7. Barboſa 2. *p. de poteſt. Epiſc. allegat.* 40. *num.* 29. quod verum habet etiam ſi pœnitentia in foro conſcientiæ poſita fuerit publica, ita ex Anton. Gomez, Pegna, & aliis docet Sanchez *illo num.* 7. *fine.*

§. V.

De facultate absoluendi ab hæresi, aliísque reseruatis pro articulo mortis.

1 *Pro hoc articulo certissimum est posse absoluere quemlibet Sacerdotem.*
2 *Qualis censeatur articulus mortis.*
3 *Fœmina partui proxima absolui potest. Idem est de nauigatione longa, itinere, & morbo periculoso.*
4 *Plures Doctores censent impedimentum perpetuum reputari articulum mortis pro alijs criminibus ab hæresi.*
5 *Pro hæresi etiam videtur idem esse asserendum.*
6 *Si potes superiorem vocare, vel ab illo medio Confessario facultatem obtinere, plures affirmant te esse obligatum hanc præstare diligentiam, neque te posse absolutionem ab alio obtinere.*
7 *Probabilius est oppositum.*
8 *Simplex Sacerdos, tametsi parochus, seu superior adsit, potest in hoc articulo absolutionem impendere, secundùm plurium sententiam.*
9 *Probabilius est oppositum.*
10 *Satisfit contrarijs num. 8. adductis.*
11 *Tenearis ne ad Episcopum accedere.*
12 *Si incepta fuit confessio cum simplici Sacerdote, non teneris proprio confiteri, tametsi postea veniat.*
13 *Teneris ex duobus Sacerdotibus, vno priuilegium habente absoluendi à reseruatis, al.o non, eligere priuilegiatum.*
14 *Qui Sacerdotes non sunt, potestatem non habent absoluendi ab hæresis excommunicatione.*
15 *Vt hæc absolutio in Iubilæo concedatur, debet triplex conditio seruari; specialiter debet fieri parti offensæ satisfactio.*
16 *Secundò debet absoluendus præstare iuramentum de obediendo mandatis Ecclesiæ.*
17 *Tertiò debet comparere coram reseruante, quando commodè possit.*
18 *Explicatur obligatio huius iuramenti.*
19 *Si ex malitia, vel ignorantia Confessoris hoc iuramentum non expostuletur, manet absolutus reus, sed cum obligatione comparendi.*
20 *Non comparenti, cum ad id obligatur, imponitur similis censura ei, à qua primò fuit absolutus.*
21 *Potest fieri satis huic obligationi comparendi, si per procuratorem compareas.*
22 *Satisfacis huic obligationi comparendi, si absolutionem obtineas ab habente priuilegium absoluendi.*

1 COmmunis est hæc quæstio tam hæresi, quàm reliquis peccatis reseruatis, ideo breuiter expedienda est. Si quæ desiderantur, peti debent ex his quæ *in tract. de pœnit. & censur.* dicimus.

Conclusio in hac re certissima est, quemlibet Sacerdotem in articulo mortis absoluere posse hæreticum pœnitentem, & quemlibet alium peccatorem à censuris, & peccatis, quibus adstrictus est: habetur *cap. de his, & seqq. 26. quæst. 6.* & in Trident. *sess. 14. cap. 7. de sacram. Pœnit.* affirmans sic semper in Ecclesia esse obseruatum. Vt ergo doctrina huius conclusionis, & priuilegium concessum pro articulo mortis perfectè intelligatur, tria declaranda sunt. Primò, quis sit articulus mortis in hoc decreto. Secundò, qui possint absolutionem pro tali articulo præstare. Tertiò, quibus conditionibus præstanda sit.

2 Circa articulum mortis asserendum est non intelligi cum eo rigore, vt solus verus articulus mortis intelligatur, sed benigniùs explicari debere, vt comprehendat quodlibet morale periculum moriendi sine sacramento. sic Molin. *tom. 4. de iustit. disput. 63. num. 6.* Zambrano *de casibus art. mort. prælud. 1. num. 7.* Sanchez *lib. 2. in Decal. cap. 13. num. 1.* Suarez *de pœnitent. disp. 26. sect. 4. & de censuris, disp. 21. sect. 1.* & specialiter loquens de hæresi, *disput. 21. de fide, sect. 4. num. 23.* Farinacius *de hæresi, quæst. 192. num. 62.* Ratio est manifesta, quia hoc priuilegium fidelibus est concessum, ne sine absolutione decedant. Ergo est illis concessum, cùm habent periculum morale decedendi; aliàs si expectandum esset verum periculum, sæpè sine absolutione decederent, quia nec satis cognosci posset, nec præueniri. Aduerto debere esse morale periculum. nam si pro certo tibi constat antequam illud periculum patiaris ad futurum superiorem casus reseruantem, vel alium, qui vices illius teneat, qui absolutionem præstet, cessat tibi priuilegium, quia cessat necessitas illo vtendi; cùm non sis in mortis articulo, neque in periculo decedendi sine absolutione legitima. sic Zambrano *num. 8.* Sanchez *num. 3.* Suarez *de fide, num. 23.* Secundò aduerto periculum tibi debere esse moraliter ineuitabile. nam si absque graui iactura honoris, vitæ, vel fortunæ vitare periculum potes, non diceris constitutus in mortis periculo, sed tu periculum constituere, & assumere. Sanchez *num. 3.*

3 Hinc infertur fœminam partui proximam, si ob eius complexionem delicatam, vel aliunde timet periclitari, (vt ferè semper hoc periculum contingit,) posse hac facultate vti. Idem est de eo, qui morbo periculoso laborat, vel actum aliquem aggressurus est, qui secum hoc periculum habeat, qualis reputatur longa nauigatio, pugna cum inimicis, aggressio itineris periculosi, & moraliter ineuitabilis. Suarez, Zambrano, Sanchez *locis citatis.*

4 Difficultas autem est, an sub articulo, vel periculo mortis comprehendi debeat quodlibet aliud impedimentum perpetuum ægritudinis, paupertatis, seruitutis, &c. adeundi summum Pontificem, vel alium, qui nomine ipsius absolutionem concedat? Ratio dubitandi est. Nam sic impeditus moraliter est certus non posse ante mortem absolui à legitimo superiore. Ergo est iam constitutus in necessitate impetrandi ab alio absolutionem, ne sine illa decedat. Quòd autem illa necessitas non sit ita vrgens, vt statim obliget, sed latitudinem habeat, non tollit quominus vera necessitas sit, verúmque sit, sic impeditum necessitatem habere impetrandi ab alio, quàm à legitimo superiore absolutionem. Et confirmo. Si moraliter constat huic impedito nunquam habiturum esse occasionem obtinendi à superiore legitimo absolutionem ab eo tempore, quo hoc illi constat, poterit hoc priuilegio vti, ne sine absolutione decedat, quia ab illo tempore est illi necessarium tale priuilegium: & inutiliter expectabit verum articulum mortis, cùm necessitas eadem sit. Propter hanc rationem communiter Doctores sentiunt illud impedimentum, perpetuum reputari verum articulum, seu periculum mortis in ordine ad impetrandam ab alio, quàm à superiore legitimo absolutionem. sic Nauarr. *cap. 27. n. 89.* Couarr. *cap. alma, 1. part. §. 11. num. 15.* Henriquez *lib. 1. de excommun. cap. 27. num. 3. & lib. 6. de pœnitent. cap. 16. n. 1. & cap. 9. n. 7. & cap. 10. n. 1. & 2.* Vgolin. *de censur. tab. 1. cap. 4. §. 5. n. 13. & de reseruatis Papæ, 3. p. cap. 2. §. 4. num. 1.* Suarez *disp. 21. de fide, sect. 4. n. 26.* Sanchez *lib. 2. cap. 13. num. 36.* & alij plures ab eisdem relati, colligitúrque ex *cap. eos qui, de sentent. excommun. in 6.* vbi absolutis ob periculum mortis, vel ob aliud impedimentum à censura Pontifici reseruatâ, iniungitur onus comparendi coram legitimo superiore. Ecce quomodo non solùm periculum mortis, sed impedimentum adeundi superiorem absolutionis beneficium concedit. Item textus *in cap. ea noscitur, & cap. quod de his, de sentent. excommun.* decidunt sic impeditos absolui posse, ac si in periculo mortis essent

eſſent conſtituti. Et licèt ſpecialiter de percuſſione clerici loquantur, eadem eſt ratio in omnibus excommunicationibus reſeruatis: & tradunt communiter Doctores. Felin. *cap. quamuis, de ſentent. excommunicat. fin.* Abbas *cap. de cætero, num. 1. eod. tit.* Solùm in crimine hæreſis non audent plures Doctores, quos refert, & ſequitur Sanchez *num. 37.* Suarez *illa ſect. 4. in fine*, hanc extenſionem concedere ob eius ſingularem grauitatem, & rigoroſam reſeruationem. Addúntque ſic impedito nullam ſuppetere viam ſe ab excommunicatione hæreticali liberandi, niſi acceſſus ad Inquiſitores, vel Pontificem per litteras, vel procuratorem tacito nomine, ſiquidem Epiſcopo per Bullam reuocata eſt facultas in Trident. conceſſa.

5 Fateor ſola authoritate horum Doctorum hanc ſententiam probabilem reputari. Nam ſi licet proferre, quod ſentio, exiſtimarem ſanè æquè de hæreſi, ac de aliis criminibus poſſe, ſic impeditum abſolui à quolibet Confeſſario; quia poteſtas vtendi hoc priuilegio fundatur in neceſſitate pœnitentis: at quo delictum grauius, grauiorem neceſſitatem pœnitens habet. Ergo non ob grauitatem hæreſis limitandum eſt. Adde, quia, vt ipſemet Sanchez *n. 14.* affirmat, & ſtatim dicemus, nullus tenetur in periculo mortis conſtitutus medio procuratore, aut litteris miſſis abſolutionis beneficium impetrare, quia nemo tenetur medium aſſumere, quo eius delictum manifeſtari poſſit. Ergo neque etiam tenetur adſtrictus illo perpetuo impedimento, quod mortis periculo æquiualet, aſſumere procuratorem, vel litteris facultatem procurare. Aliàs ſi propter grauitatem hæreſis, & illius ſpecialem reſeruationem deberet pœnitens impeditus confugere ad Inquiſitores, vel ad Pontificem per procuratorem, etiam in articulo mortis conſtitutus deberet eam diligentiam adhibere. Neque videtur eſſe ſpecialior ratio in vno caſu, quàm in alio.

Sed quid ſi dubites, an poſſis viuere, quouſque ſuperiori te præſentare poſſis, poteris ne in articulo mortis dubio abſolutionem ab alio obtinere?

Reſpondeo te poſſe, quia ſuperior non eſt cenſendus velle te periculo damnationis exponere reſeruando caſus: at huic periculo te exponeret, ſi in illo articulo mortis dubio abſolutionem negaret. Ergo. Adde, priuilegium abſoluendi à reſeruatis pro articulo mortis latè debet interpretari, vtpote iure inſertum, & in fauorem animarum conceſſum. Ergo ad articulum dubium debet extendi. Sanchez *lib. 2. cap. 13. n. 8.* Molin. *de iuſt. tom. 4. tract. 3. diſp. 63.* Reginald. *lib. 9. n. 10.* Bonacina *diſp. 1. de cenſur. q. 3. p. 3. n. 6.*

6 Hinc ergo ſoluitur communis dubitatio, quam in præſenti Doctores mouent, an ſi conſtitutus in mortis periculo poſſis vocare ſuperiorem, vel medio procuratore, aut Confeſſario, aut litteris miſſis impetrare ab eo abſolutionem excommunicationis, vel facultatem abſoluendi; tenearis id facere? Affirmat Zambrano *de caſib. art. mortis, cap. 4. dub. 4. n. 15. & dub. 6. n. 4.* Bonacina *diſp. 1. de cenſur. q. 3. p. 3. n. 5.* Ratio eſſe poteſt, quia illa non reputatur neceſſitas, quæ facili negotio vitari poteſt, at vitare facilè potes abſentiam Confeſſoris proprij, ſi voces ſuperiorem, vel medio alio Confeſſario facultatem ab eo petas. Ergo teneris. Adde dici non poſſe, te carere copia Confeſſoris, ſiquidem in tua voluntate abſq; multo grauamine ſitum eſt illum habere.

7 Verùm tenendum eſt contrarium, eſſe articulum neceſſitatis, quoties non potes ſuperiorem adire, etiam ſi illum vocare poſſis: colligitur ſatis ex *cap. quamuis, de ſentent. excommunicat.* vbi ad obtinendam abſolutionem ſolùm expoſtulatur, vt quolibet impedimento canonico retrahatur, quominus Romanum Pontificem poſſit adire: & tradit Corduba *ſumm. quæſt. 18. p. 2.* Valent. *4. tom. diſp. 8. q. 10. p. 2.* Azor *tom. 1. lib. 8. inſtitut. moral. cap. 19. q. 5.* Henriquez *lib. 6. de pœnitent. cap. 9. num. vlt. in comment. litt. O. & cap. 11. n. 4.* Sanchez *lib. 2. in Decalog. cap. 13. num. 14.* Ratio eſt, quia ſi ſuperiorem adire non potes pro abſolutione obtinenda, reputatur tibi abſolutio illius impoſſibilis, quia omnia media, quibus illam obtinere potes, reputantur, ac ſi eſſent impoſſibilia. Ergo adeſt tunc articulus neceſſitatis. Antecedens probo diſcurrendo per illa media. Primò de procuratore eſt medium, quod ſemper à iure reputatum fuit difficillimum, vtpote quod includit manifeſtare alicui à Confeſſore tuam conſcientiam, eáque de cauſa iura nunquam obligarunt delinquentem ſe ſuperiori præſentare per procuratorem, ſed per ſe ipſum. Ergo tale remedium reputatur, ac ſi non eſſet poſſibile, quia illo vti non obligaris. ſic Vgolin. *de cenſuris Pontifici reſeruatis, 3. part. cap. 2. §. 4. num. 1. & de cenſuris, tab. 1. cap. 4. §. 5. num. 13. fine.* Nauarr. *cap. 27. num. 90.* Sanchez alios referens, *num. 14.* Suarez *de fide, diſp. 21. ſect. 4. n. 15.* Secundum medium eſt ſcriptura, ſi media illa te ſuperiori præſentes, ſed neque hoc medium teneris apponere, quia eſt medium de ſe manifeſtatiuum delicti aliis, ob quam cauſam excuſaris peccata ſcribere, etiam ſi alia via in articulo mortis non valeas confiteri, vt communis tenet ſententia. ſic Sanchez *n. 14.* Tertium eſſe poteſt, ſi Confeſſarius nomine tuo obtineat à ſuperiore facultatem. Sed neque hoc medium obligaris aſſumere; quia eſt medium alienum à reſeruatione, & ipſam reſeruationem tollens. Ergo ex vi reſeruationis non potes obligari illud apponere. Adde te non poſſe obligari ad quærendum priuilegium proprium. Qua ratione dicit Sanchez *illo n. 14.* te non eſſe obligatum in illo articulo accipere Bullam, ſed poſſe ordinario iuris beneficio vti. Ergo à fortiori obligari non potes quærere priuilegium alteri, vt te poſſit abſoluere. Tandem eſſe poteſt medium vocare ſuperiorem, cui venienti, & præſenti poſſis delictum manifeſtare, & abſolutionem ab eo obtinere. Sed neque hoc medium eſt tibi in præcepto; aliàs eſſet tibi impoſitum præceptum de grauando ſuperiore. Deinde rarò tale medium exequi poteris ſine nota, caſu quo ſuperior annuat petitioni tuæ, nam ſæpè non annuet. Ergo non potes obligari ad id, quod regulariter impoſſibile eſt: & ita tradit Sanchez *illo cap. 13. n. 14.* cum Henriquez *lib. 6. de pœnit. cap. 9. n. vlt. & cap. 11. n. 4.*

8 Circa ſecundum punctum de perſonis, quæ poſſint pro tali articulo, & periculo mortis abſolutionem præſtare, eſt dubium an ſimplex Sacerdos poſſit præſente proprio Sacerdote, vel ſuperiore, cui caſus ſunt reſeruati? Affirmant plures tam de abſolutione peccatorum, quàm cenſurarum. Primò, quia iure diuino eſt omnibus Sacerdotibus pro illo articulo commiſſa facultas. Secundò, quia in fauorem illius articuli, & leuamen morituri reſeruatio omnino ceſſat pro illo articulo; tum quia in reſeruatione ſemper talis articulus excipitur. Tum quia ita tradit Trident. *ſeſſ. 14. cap. 7. de pœnitent. fine.* ibi, *in Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, vt nulla ſit reſeruatio in articulo mortis.* Sed ceſſante reſeruatione nulla adeſt cauſa adeundi ſuperiorem. Ergo poteris à quolibet alio Sacerdote, æquè ac à ſuperiore abſolutionem impetrare. Tertiò, quia Trident. dicto loco aſſerit omnes Sacerdotes quoſlibet pœnitentes à quibuſuis peccatis, & cenſuris abſoluere poſſunt: neque conceſſionem limitauit ad caſum, in quo abeſſet proprius Sacerdos. Ergo non debemus nos illud limitare, cùm ſit priuilegium in animarum fauorem: ita tenet Nauarr. *lib. 5. conſil. tit. de pœnitent. & remiſſionibus, conſil. 23. num. 2. & 3. in 2. editione.* Emanuel Saa verbo *abſolutio, num. 6.* Henriquez *lib. 6. de pœnitent. cap. 1[illegible] num. 4. & 6.* Man. *1. tom. ſum. cap. 59. concluſ. 3. num. 5. & in addit. ad Bullam, §. 9. num. 44.* Auguſtinus Barboſa *2. p[illegible] de poteſtate Epiſcopi, allegat. 25. num. 51. & in remiſſioni[illegible]*

Cri[illegible]

Concilij, sess. 14. *cap.* 7. *circa finem.* Sayro *decis.* 21. *de pœnit.* Reginald. *lib.* 1. *num.* 60. & alij. Addúntque hi Doctores omnem Sacerdotem hanc potestatem habere, etsi excommunicatus, suspensus, interdictus, imò degradatus sit; quia verè sunt Sacerdotes, & necessitas pœnitentis eos à peccato administrationis excusat. sic Nauarr. *cap.* 27. *num.* 271. *versic. septimò.* Salzedo *practic. cap.* 33. *versic. excusabitur.* Cenedo plures referens, *ad Decretal. collect.* 25. *num.* 9. Barbosa *in remissionibus Concilij, verbo nulla sit reseruatio, & 2. part. de potestate Episcopi, allegat.* 25. *num.* 50.

9 Verùm etsi hæc sententia probabilis sit, probabilior, & securior mihi videtur ea, quæ affirmat præsente superiore, cui casus sunt reseruati, & volente absoluere pœnitentem, non posse pœnitentem ab inferiore absolutionem impetrare: sic pluribus relatis Zambrano *de casibus artic. mortis, cap.* 4. *dub.* 4. *num.* 3. *& seqq.* Sanchez *lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 7. Suarez *de pœnitent. disp.* 26. *sect.* 4. *num.* 4. *& de censuris, disput.* 22. *sect.* 1. *num.* 62. *& de fide, disput.* 21. *sect.* 4. *num.* 4. Bonacina *de sacram. disput.* 5. *quæst.* 7. *punct.* 1. *num.* 10. *in fin. & de censuris, disp.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 3. *num.* 3. Coninch *de sacram. disp.* 8. *dub.* 11. *n.* 90. & alij, quos refert Barbosa *supradict. allegat.* 25. *num.* 51. Molin. *tom.* 4. *de iustit. disput.* 63. *num.* 2. affirmans sic declarasse Gregorium XIII. & in declarationibus Concilij relatis à Barbosa *suprà*, extat declaratio in hæc verba. Congregatio censuit Sacerdotem alioqui idoneum, si tamen ad audiendas confessiones approbatus non sit, iuxta *cap.* 15. *sess.* 23. non posse validè a peccatis mortalibus absoluere pœnitentem in articulo mortis constitutum, vbi parochus præsens iam perhibeatur, paratúsque sit infirmi audire confessionem, illúmque absoluere, neque vlla subsit causa parochum ipsum recusandi. Ratio est, quia præsente proprio Sacerdote parato sacramentum ministrare, cessat necessitas impetrandi ab alio absolutionem. Ergo cessat priuilegium, quod solùm ob necessitatem absolutionis datum est; ne scilicet pœnitens occasione reseruationis sine absolutione periret. Adde in reseruatis Pontifici, nullus absolui potest, nisi sub onere se præsentandi Pontifici, cùm primùm possit. Ergo supponit Pontifex non posse pœnitentem se antea præsentare: eáque de causa solet in iure hæc conditio apponi, cùm conceditur aliis facultas absoluendi à reseruatis, si ad superiorem recursus non sit. sic Extrauagans 1. §. *decernimus, de sentent. excommun. & ex extrauag. inter cunctas, §. incendiarios, de priuileg.* & habetur *cap. presbyter* 26. *quæst.* 6. Ergo si datur superior præsens, cessat aliorum facultas.

10 Neque obstant contraria.

Ad primum nego iure diuino datam esse omnibus Sacerdotibus hanc facultatem, sed à iure Ecclesiastico promanasse, etiamsi illius initium non sit notum: vt bene Toler. *sum. lib.* 1. *cap.* 15. *num.* 1. Farin. *de hæresi, q.* 192. *n.* 62. Suarez multis relatis *de pœnit. disp.* 26. *sect.* 4. Vasq. *q.* 93. *art.* 1. *dub.* 3.

Ad secundum nego reseruationem cessare pro quocumque articulo mortis, sed pro articulo mortis necessario.

Ad tertium similiter respondeo omnes Sacerdotes habere hanc facultatem absoluendi, si absit Sacerdos proprius. Quare præferendus est semper Sacerdos proprius omnibus aliis, deinde approbatus etiam in aliena diœcesi simplici, & simplex excommunicato suspenso, vel interdicto, & hi hæretico, vel degradato. sic Sanchez *lib.* 2. *cap.* 13. *n.* 10.

11 Quòd verò aliqui affirmant te debere ad Episcopum confugere, si recursus non sit ad Pontificem, verùm non habet in omni casu, quia non omnes casus illi conceduntur, sed casus occulti, hæresi excepta, ex Trident. *sess.* 24. *cap.* 6. Item percussio clerici, ex *cap. ea noscitur, & cap. de cætero, de sentent. excommun.* Ergo non licet ad alios facultatem extendere. Suarez *de pœnitent. disp.* 30. *sect.* 3. *num.* 4. *& de fide, disp.* 21. *sect.* 4. *n.* 24. Molin. *tom.* 4. *de iustit. disp.* 63. *n.* 3. Henriquez *lib.* 6. *de pœnitent. cap.* 11. *n.* 5. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 13. *n.* 9.

12 Sed quid dicendum, si incepta confessione cum simplici Sacerdote veniat proprius Sacerdos?

Respondeo te non teneri cum proprio Sacerdote confiteri, sed simplicem posse tibi absolutionem impendere, quia ille simplex Sacerdos vsus fuit iurisdictione delegata sibi pro illo articulo concessa: sed iurisdictio delegata non spirat, quando res non est integra morte concedentis, sed extendi potest, vsquedum perficiatur, ex *cap. gratum, cap. relatum, de offic. delegat.* Ergo etiam extendi debet in hoc casu, vbi confessio incepta est. Adde iurisdictionem concessam simplici Sacerdoti pro illo articulo non esse conditionatam, & ad tempus, quousque, inquam, veniat proprius Sacerdos, sed, est concessio absoluta. Non ergo limitanda est; & ita tenet Henriquez *lib.* 6. *de pœnitent. cap.* 11. *num.* 8. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 15. Bonacina *disp.* 1. *de censur. q.* 3. *punct.* 3. *n.* 3. Aduerto tamen, si peccatum habet censuram reseruatam, debes priùs facultatem à superiore, cui est reseruata censura, expostulare, vel ab eo absolui de censura, quia ratione censuræ reseruatæ, non potes absolutionem ab alio, quàm à reseruante obtinere, nisi sub onere te superiori præsentandi, cùm primùm possis. Ergo cùm tunc te illi possis præsentare, sine dubio teneris. Quòd si ipse nollet absolutionem censuræ, neque facultatem ab illa absoluendi concedere, nisi cum illo confitearis, nullo modo id facere teneris. quia ipse non habet potestatem limitandi iurisdictionem ab Ecclesia pro articulo mortis concessam. sic Sanchez *lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 15. Bonacina *disp.* 1. *de censuris, quæst.* 3. *punct.* 3. *n.* 3. *fine.*

13 Quòd si duo Sacerdotes simul adsint approbati ad audiendas confessiones, & alius ex priuilegio habeat facultatem absoluendi à reseruatis, alter verò illo careat; existimant Suarez *de pœnit. disput.* 30. *sect.* 3. *num.* 5. Henriquez *lib.* 6. *cap.* 10. *n.* 1. *in comm. litt. D.* quemlibet ex illis eligi posse, quia non teneris vti priuilegio alterius, & in illo articulo omnis reseruatio cessat. Cæterùm probabilius censeo necessariò eligendum esse, qui habet priuilegium, quia medio priuilegio cessat reseruatio, & necessitas recurrendi ad superiorem, vel habentem vices ipsius. sic Nauarr. *cap.* 27. *n.* 90. Sanchez *c.* 13. *n.* 11. *& lib.* 2. *de matrim. disp.* 40. *n.* 8. Vasquez *de pœnitent. q.* 93. *art.* 1. *dub.* 4. *n.* 18. Bonacina *disp.* 1. *de censur. q.* 3. *p.* 3. *n.* 7. Reginald. *lib.* 1. *n.* 61.

14 Tandem dubitare potes, an alij, qui Sacerdotes non sint, potestatem habeant in articulo mortis absoluendi à censuris?

Respondeo ex probabiliori sententia non habere, quia finis, ob quem facultas absoluendi à censuris conceditur in articulo mortis, est, vt pœnitẽs absolutionem à peccatis, reliquáque sacramenta recipiat. Quapropter solùm illarum censurarum, quæ receptionem sacramentorum impediunt, absolutio conceditur, vt bene dicit Zambrano *de casibus art. mort. cap.* 4. *dub.* 4. *num.* 17. Sanchez *num.* 12. Bonacina *num.* 8. sed absolutionem à peccatis concedere, Eucharistiam, & Extremam vnctionem ministrare non potest alius à Sacerdote. Ergo neque etiam potest alius à Sacerdote absolutionem censurarum concedere. Adde in Trident. *sess.* 14. *cap.* 7. *de pœnitent.* solùm de Sacerdotibus fieri mentionem: & ita tenet Suarez *de censur. disp.* 7. *sect.* 7. *n.* 3. *&* 6. Sanchez *lib.* 2. *c.* 13. *n.* 13. Filliucius *tr.* 11. *cap.* 10. *quæst.* 5. Bonacina *disp.* 1. *de censur. q.* 3. *p.* 3. *n.* 1. *&* 2. Mol *tom.* 4. *de iust. disp.* 63. *n.* 3. & alij apud ipsos. Verùm etsi hoc ita sit, credo clericũ, qui Sacerdos non sit, deficiente Sacerdote, & laicũ deficiente clerico non solùm posse, sed etiam debere in illo articulo absoluere ligatum excommunicatione: sic

sic docet Henriquez cum aliis *de clerico prima tonsura, lib.6.de pœnit. cap.9. n.3.* & ad laicum extendit Sanchez *lib.2.cap.13.n.13.* Ratio est, quia negari non potest esse probabile absolutionem sic expensam valere: sic enim defendunt graues Doctores, quos refert Suarez *de censuris, disp.7. sect.7.n.4.* & Sanchez *n.13.* sed vti illo vsu probabili nihil nocere, sed potiùs prodesse potest; tum ad sepeliendum defunctum in loco sacro; tum vt illi sacrificia publica applicentur. Ergo adest obligatio illius. sic Sanchez *suprà,* vbi aduertit, si absolutio excommunicationis à non Sacerdote obtenta sit, expedire maximè, vt post mortem absoluatur ab eo, cui excommunicatio erat reseruata. Ne fortè contingat absolutionem à laico exhibitam inualidam esse, & suffragia publica excommunicato applicata non prodesse.

15 Circa tertium punctum de conditionibus seruandis in absolutione ab hæresi, aliòve crimine reseruato, triplex conditio expostulari potest. Prima satisfactio, si qua est exhibenda parti læsæ. Secunda iuramentum de obediendo mandatis Ecclesiæ. Tertia obligatio comparendi coram reseruante. De prima conditione, quæ est satisfactio, omnes conueniunt esse exhibendam si potest, antequam præstetur absolutio; at si fieri id non potest, debet pœnitens, si debitum est pecuniarium, præstare cautionem pignoratitiam, quia pignus est loco solutionis; si pignus dare non potest, præstet fideiussionem: si autem fideiussio sit illi difficilis, vel quia non inuenit, vel quia eius delictum timet publicari, præstet cautionem iuratoriam. Hanc autem ad minus tenetur in delictis Bullæ Cœnæ, & similibus præstare. In aliis verò sufficiet, si satisfacere promittat. Quòd si debitum non sit pecuniarium, sed honoris, vel doctrinæ, tunc non tenetur pœnitens cautionem pignoratitiam, vel fideiussoriam exhibere, sed sufficiet iurare se restituturum, cùm primùm possit honorem læsum, vel deceptum ad sanam doctrinam reducere. sic Suarez *de censuris, disp.21 sect.3.n.1.& seqq.* Sanchez *lib.2. in Decalog. cap.13.n.23.* Bonacina *disp.1.de censuris, q.3. p.3.n.11.* An verò absolutio data, quin parti satisfeceris saltem æquiualenter, sit valida? Constat ex his, quæ in materia de excommunicat. dicemus; ibi enim resoluimus, si detur ab eo, qui potestatem ordinariam habet, validam esse; secus si ab eo, qui potestatem habet delegatam.

16 Secunda conditio est iuramentum de obediendo mandatis Ecclesiæ; id est, de obediendo mandatis illius, qui absoluit, cùm enim nomine Ecclesiæ absolutionem præstet, iurare eius mandatis obedire, est iurare obedire mandatis Ecclesiæ, vt notat gloss. *cap.ex tenore, de sentent. excommun. verbo debeat, & cap.si qui, verbo consensu, 7.q.1.* & tradit aliis relatis Sanchez *num.20.& 21.* Absoluens autem vi huius iuramenti nihil aliud imperare tibi potest, nisi abstinentiam à simili crimine, ob quod in excommunicationem incidisti. Quocirca iuramentum est de non committendo iterum tale crimen, si ab absoluente sic tibi fuerit imperatum: sic habetur *cap.de cætero, de sentent. excommun.* & tradit gloss. *ibi, verbo debeat.* Suarez *de censuris, disput.19.sect.2.num.10.* Sanchez *lib.2. cap.13.num.22.* Hoc autem iuramentum non in omnibus excommunicationibus exigendum est, sed in grauioribus criminibus, qualia sunt, quæ in Bulla Cœnæ Domini continentur, incendiarium, manifesta clerici percussio, & similia; constat ex *cap.de cætero. cap.ex tenore, de sentent. excommun.* vbi hoc iuramentum expostulatur: & tradit Suarez *suprà.* Sanchez *n.17.* cum Caietan. Anton. Syluest. & aliis, quamuis Medin. *lib.2.sum.cap.12.* in sola percussione manifesta Cardinalium, Episcoporum, & similium docet hoc iuramentum exigendum esse, sed est dictum absque fundamento.

17 Tertia conditio est obligatio comparendi coram reseruante. Quotiescumque enim Sacerdos ratione vrgentis necessitatis absoluit pœnitentem à censura reseruata, debet monere absoluendum de obligatione comparendi coram superiore, cùm primùm possit, iuxta *cap.eos qui, de sentent. excommun. in 6.* Et licèt in suprad. cap. non denotetur teneri absoluentem exigere ab absoluendo sub iuramento promissionem comparendi, & Auila *de censuris, 2.p.cap.7.disp.3.dub.4.* solùm in percussione graui clerici exigendum affirmet. At communis sententia docet in omnibus censuris reseruatis exigendum esse. argum. *cap.quamuis, cap.ea noscitur, de sent. excommun.* sic Sayrus *lib.3.cap.25.* Suarez *de censur. disp.7. sect.8. n.25.* Vasquez *de excommun. dub.18.n.6.* Nauarr. *cap.27.n.89.* Man. *Bulla Cruciata, §.9.n.55.* Sanchez *lib.2. cap.13.n.26.* Bonacina *disp.1.de censuris, q.3 p.3.num.11.* Dixi, si absoluit à censura reseruata. nam si solùm à peccatis reseruatis absoluit, hoc onus iniungere non debet, quia nullibi cauetur imponendum. sic Suarez *de pœnit. disp.30 sect.3 num.6.* Zambrano *de casib. artic.mort. cap.4.dub.4.n.21.* Cordub. *sum.q.18.p.2.dicto 2.* Sanchez *num.24.* Exigendum autem est iuramentum ab absoluendo, si capax sit, quia contingere potest, vt absoluendus nequeat illud præstare, quia sensibus destitutus est. Item defectu ætatis iudicari potest incapax illius obligationis. Qua ratione ab impuberibus delinquentibus hoc iuramentum non exigitur, quia non videntur eo rationis vsu pollere, vt iuramentum pro dignitate præstent. sic Bonacina *disp.1. de censuris, q.3.p.3.n.11.* Sanchez *n.26.* & colligitur ex his quæ dicit *n.19.* cum Sayro *thesaur. casuum, tom.1.lib.2.cap.18.n.3.*

18 Materia huius iuramenti, & illius obligatio est comparere coram superiore, cùm primùm commodè possis, quod non physicè, sed moraliter pensandum est, attenta qualitate personæ, temporis, & loci; vt bene ex aliis tradit Sanchez *n.25.* Ad hanc autem obligationem necessariò supponendum est, vt impedimentum, quod habes tunc ad comparendum, perpetuum non sit: nam impedito perpetuò obligatio hæc imponi non potest, esset enim obligare ad impossibile. sic Bonacina *suprad. n.11.* Suarez *de censur. disp.22. sect.1.n.85.* Sanchez *n.30.* & constat ex *cap.quamuis, de sentent. excomm.* Ex qua doctrina inferunt bene Sanchez, & Bonacina *suprà,* si tibi laboranti impedimento perpetuò ex ignorantia, aut malitia, Confessarius exigeret iuramentum de comparendo, non obligaris postea comparere, si miraculosè, & præter omnem spem, & ordinarium cursum impedimentum sublatum est, quia non censeris iuramento illo te obligare, nisi inquantum ius te obligare intendit: cùm autem ius in supradicto casu non intendat te obligare, sequitur ex vi iuramenti te obligatum non esse. Finis huius iuramenti de comparendo non est, vt iterum absoluaris à superiore, siquidem plenè es absolutus, vt constat ex *cap.non dubium, de sentent. excommunic.* Neque etiam est, vt satisfacias parti læsæ, quia fortè nulla pars est, cui sit satisfactio exhibenda, vt contingit in hæresi occulta, & à te solo cognita; sed finis est, vt superior, cui censura illa erat reseruata, videat an sufficientem medicinam Confessarius delegatus applicuit, & maiorem imponat, si id expediens iudicauerit. sic Suarez *de pœnitent. disp.30. sect.3.n.6. & de censur. disp.22. sect.1.n.62.* Sanchez *n.77.* Bonacina *n.13.* & colligitur ex *cap.quamuis, de sentent. excommun. & cap.de cætero, eodem tit.* vbi gloss. *verbo suscepturus,* & Abbas *n.vlt.* Ex qua doctrina infertur minus bene Nauarr. *cap.26.n.26.* & Henriquez *lib.13. de excomm. cap.29. n.3.* affirmasse te liberum esse ab hoc iuramento præstando, si parti satisfecisti, vel à comparendo coram superiore, si post præstitum iuramentum satisfactionem exhibuisti: quia finis huius iuramenti, & obligationis, vt dictum est, non est satisfactio partis præcisè; aliàs non esset exigendum iuramentum in censuris reseruatis, vbi nulla satisfactio partis interuenit, sed finis est, vt te subiectum ostendas supe-

superiori reseruanti pro maiori satisfactione, & pœna, si tibi imponendam iudicauerit. sic Couarruuias *cap. alma*, 1. *part.* §. 11. *num.* 13. Sanchez *num.* 18. *&* 29. Suarez *de pœnitent. disp.* 30. *sect.* 2. Bonacina *n.* 12. & alij apud ipsos.

19 Sed quid si ex ignorantia, vel malitia Confessarius non petiuit iuramentum comparendi, manes ne à censura absolutus, & cum obligatione comparendi?

Respondeo manere absolutum, sed cum obligatione comparendi. Priorem partem defendit optimè Henriquez *lib.* 6. *de pœnitent. cap.* 10. *num.* 11. Sanchez *illo cap.* 13. *num.* 35. Vasquez *de excommunicat. dub.* 18. *num.* 4. Bonacina *disput.* 1. *de censuris*, *quæst.* 3. *punct.* 3. *num.* 14. Ratio est, quia nullibi in iure inuenitur irrita absolutio ob omissam hanc conditionem, neque id erat conueniens in casu tantæ necessitatis. Secundam partem defendit Sanchez *num.* 30. *fine*, quia illa obligatio comparendi non ex voluntate Confessoris, sed ex iure ipso nascitur. Ergo ex obliuione, vel malitia Confessarij cessare non debet. Non caret tamen scrupulo hæc ratio; quia ius non videtur hanc obligationem imponere, nisi inquantum Confessarius medio iuramento exacto imponit; aliàs superuacaneum esset iuramentum expostulare, si illo secluso haberes obligationem. Credo ergo non in vi iuramenti, sed in vi præcepti, & mandati te obligatum esse, quod satis colligitur ex *cap. eos qui*, *de sentent. excommunicat. in* 6. vbi nulla est facta mentio de postulatione huius iuramenti, sed absolutè dicitur eos, qui à sententia canonis, vel hominis ab alio, quàm ab eo, qui de iure erant absoluendi, propter imminentis mortis articulum, aut aliud impedimentum legitimum absoluuntur, si cessante postea periculo, vel impedimento huiusmodi, se illi, à quo his cessantibus absolui debebant, quàm citò commodè poterunt, contempserint præsentare mandatum ipsius, super illis, pro quibus excommunicati fuerunt, humiliter recepturi, & satisfacturi, prout iustitia suadebat, *decernimus* (ne sic censuræ eludant Ecclesiasticæ) *in eandem sententiam incidere ipso iure.*

20 Pœna imposita non comparenti, cùm ad id obligatur, est eadem censura, quam antea habebat, vt constat ex *supradicto cap. eos qui.* Eadem, inquam, non numero, quia eadem numero redire non poterat; effectus enim semel corruptus naturaliter reuiuiscere non potest. Adde illam censuram ex noua causa oriri, scilicet ex noua inobedientia, se superiori præsentandi, cùm commodè potuit. Ergo non potest eadem numero censura esse: est tamen ex iuris dispositione eadem in specie, quia est æquè ac prior reseruata. sic Suarez *disp.* 22. *de censur. sect.* 1. *num.* 62. Sanchez *num.* 28. Nauarr. *cap.* 27. *n.* 277. Bonacina *n.* 16.

Dices absolutionem censuræ ad reincidentiam differre ab absoluta censuræ absolutione, quòd absoluta absolutio tollit omnino vinculum; absolutio verò ad reincidentiam non tollit vinculum absolutè; sed sub conditione aliqua præstanda. Ergo si conditionem non præstes, manebis eodem vinculo ligatus; aliàs si vinculum primum sublatum est, non erit absolutio illius ad reincidentiam, sed absoluta.

Respondeo tripliciter te à censura absolui posse. Primò absolutè nullo tibi imposito onere satisfaciendi, aut superiori præsentandi, vel si hoc onus impositum sit, non sit impositum sub aliqua censura simili præteritæ; si hoc modo absoluaris, non absolueris ad reincidentiam, quia ex omissa satisfactione, aut præsentatione in excommunicationem non reincidis. Secundò absolui potes à censura imposito onere te præsentandi superiori, quod onus imponitur sub aliqua censura simili præteritæ, & hæc absolutio vocatur ad reincidentiam, quia reincidere debes in excommunicationem similem, si te præsentare omittis, cùm possis. Talis est absolutio data à Summo Pontifice, vel eius Legato, sub onere te præsentandi ordinario, vel alteri à quo pœnitentiam suscipias, vel iniuriatis satisfactionem exhibeas competentem, si cùm primùm commodè poteris, non curaueris adimplere: constat ex *d. cap. eos qui, de sentent. excommun. in* 6. & tradit Suarez *de censuris, disp.* 7. *sect.* 8. *num.* 22. Nauarr. *cap.* 27. *n.* 113. Auila 2. *part. cap.* 7. *disp.* 3. *dub.* 4. *concl.* 1. Bonacina *disp.* 1. *de censur. q.* 3. *punct.* 3. *n.* 17. Nunquam autem in hanc similem censuram incidis absque graui peccato, & contumacia, quia noua censura esse non potest, sine noua causa. sic Henriquez *lib.* 13. *cap.* 28. *num.* 2. Coninch *disp.* 1. *de censur. dub.* 16. *num.* 216. Nauarr. *cap.* 27. *n.* 277. Bonacina *suprà num.* 16. Tertiò absolui potes à censura non perfectè, sed imperfectè, si absoluaris, inquam, ad aliquem effectum, v. g. ad obtinendum beneficium aliquod, cuius incapax eras per censuram, qui modus absolutionis in Bullis Apostolicis frequentissimus est, ne ob censuram effectu priuentur litteræ. Hæc tamen absolutio, mea quidem sententia, non est propriè absolutio censuræ, sed suspensio alicuius effectus illius: nam si censura per talem absolutionem tolleretur, redire nequaquam posset noua sine nouo peccato, & contumacia. Perseuerat ergo eadem censura, & suspenditur eius efficacia quoad illum effectum. Quæ suspensio ab alio, quàm à Romano Pontifice fieri non potest. Nullus enim alius potest manente censura, censuræ effectus limitare, atque adeò nullus potest absolutionem à censura hoc modo concedere.

Restat circa hanc tertiam conditionem duplex examinanda difficultas. Prima, an satisfacias obligationi comparendi, si per procuratorem compareas? Secunda, an excuseris ab hac obligatione, si ab habente priuilegium aliàs absoluendi, absolutionem recipias?

21 Circa primam difficultatem, alij affirmant, alij negant. Probabilius existimo te satisfacere; quia verè tu diceris comparere, quando per procuratorem compares; ea enim quæ tuus procurator facit, tu facere censeris, ex text. *in cap. Episcopus, dist.* 18. sic Syluest. *verb. excommunicatio*, 8. §. 8. *quæst.* 7. & ibi Armilla *excommunicatio* 59. addens sufficere per litteras Henriquez *lib.* 13. *de excommunicat. cap.* 29. *num.* 3. *& lib.* 6. *de pœnitent. cap.* 9. Bonacina *disp.* 1. *de censuris, quæst.* 3. *punct.* 3. *num.* 5. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 33. Ab hac autem generali doctrina excipienda est excommunicatio ob percussionem clerici, propter quam nisi iusta causa excuset, teneris personaliter Romam ire, & te Pontifici præsentare, quando absolutus es à non habente aliàs facultatem: sic habetur *in cap. quod de his, de sent. excommunicat.* ibi, *Cæterùm ab his in forma Sacramenti exigi consueuit, vt resumptis viribus, & opportunitate concessa Romanam Ecclesiam in propria persona debeant visitare.* Hoc tamen grauamen aliis excommunicationibus imponendum non est, quia nullibi cauetur, & rigores non sunt extendendi, sed limitandi, & temperandi. Sanchez, & Bonacina *suprà.*

22 Secundæ difficultatis solutio facilis est.

Respondeo, si ab habente priuilegiũ aliàs absoluendi à reseruatis, vt per Bullam conceditur Sacerdoti approbato ad omnia crimina, excepta hæresi, absoluaris, non teneris comparere coram reseruante; siue tunc primò absoluaris, siue antea fueris absolutus ob vrgentem necessitatem. Quia in tantum teneris comparere, inquantum absolueris à non habente aliàs facultatem. Ergo si absolutus sis ab habente aliàs facultatem; cessat omnis obligatio te superiori præsentandi, quia Sacerdos priuilegiatus nomine superioris integrè succedit. Aliàs priuilegium ferè nullius esset vtilitatis: & ita tenet Sanchez *lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 31. *&* 32. Henriquez *lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 5. *in comment. litt.* G. Suarez *de pœnit. disp.* 30. *sect.* 1. *n.* 6. Bonacina *disp.* 1. *de censuris, q.* 3. *p.* 3. *n.* 13. *&* 15. & alij.

§. VI.

Poſsitne aliquando abſolui hæreticus à priuato Sacerdote, de peccatis non reſeruatis, tacita hæreſi.

1 *Explicatur quæſtio, & ſtatuitur doctrina certa.*
2 *Proponitur difficultas, & reſoluitur probabile eſſe vrgente cauſa recipiendi ſacramentum, poſſe hæreticum abſolui à non reſeruatis, quin ſe iudicialiter Inquiſitoribus præſentet.*
3 *Satisfit cuidam obiectioni.*
4 *Quæ reputetur neceſſitas vrgens ſic dimidiandi confeſſionem.*

1 SI vera eſt ſententia affirmans Inquiſitores habere poteſtatem abſoluendi ab hæreſi in foro conſcientiæ, & creditur abſoluturos, vel petita facultate per Sacerdotem conceſſuros, nemini dubium eſſe poteſt teneri hæreticum ipſos adire, ſemel & iterum. Neque poſſe priuato Sacerdoti confiteri, ab eóque abſolutionem impetrare, quia ſub graui culpa non poteſt recipere, nec miniſtrare ſacramentum excommunicatione innodatus, niſi ob aliquod graue detrimentum excuſetur. Quocirca tenetur petere facultatem per ſe, vel per Confeſſorem idoneum, ſcilicet aliquem cenſorem, vel commiſſarium, aut alium virum doctum, quibus credendum ſit Inquiſitores conceſſuros facultatem. Quòd ſi Inquiſitores particulares denegent facultatem, adeat ſupremum, ſi ſperat conceſſurum, quia non poteſt dimidiare confeſſionem, cùm illi ſuppetit via integrè confitendi: facta autem hac diligentia, & negata facultate abſoluendi ab hæreſi, quin priùs iudicialiter illam fateatur hæreticus.

2 Dubium eſt, an, inquam, in hoc caſu poſſit hæreticus confiteri Sacerdoti priuato omnia peccata non reſeruata, & ab illis abſolutionem directè recipere, & ab hæreſi indirectè, ſperans ſucceſſu temporis habiturum copiam Confeſſoris, à quo poſſit directè abſolui à reſeruata hæreſi. Et idem dubium eſt retenta ſententia probabiliori negante Inquiſitoribus facultatem abſoluendi ab hæreſi pro conſcientiæ foro; quia tunc huiuſmodi hæreticus non habet viam ſe abſoluendi ab hæreſi directè, niſi ſe coram Inquiſitore, & Secretario manifeſtet. Videtur ergo dicendum poſſe hæreticum in hoc caſu dimidiare confeſſionem, ſi grauis vrgeat neceſſitas hoc ſacramentum recipiendi. Ratio eſt, quia ſufficiens cauſa dimidiandi materialiter confeſſionem, eſt, ſi aliquod graue damnum ex eius integritate tibi proueniat, vt eſt ferè omnium ſententia, cum D. Thoma *in 4. diſt. 17. quæſt. 3. art. 3. quæſt. 4. ad 5.* quàm aliis relatis probat Valent. *tom. 4. diſp. 7. quæſt. 11. punct. 1. verſ. hoc autem.* Suarez *de pœnitent. diſp. 23. ſect. 2. n. 1.* Vaſquez *q. 91. art. 3. dub. 1.* Sed graue damnum eſt te obligare ad manifeſtandum peccatum coram Inquiſitoribus, & Secretario, & ſcriptum relinquere: vt colligitur ex ſupradictis Doctoribus, & ex ratione manifeſta; ſemper enim reputatum fuit in Eccleſia graue damnum, & occaſio ſufficiens dimidiandi confeſſionem, ſi peccatum alteri, quàm Sacerdoti eſt, vel timetur reuelandum: hac enim de cauſa excuſaris dicere peccatum, quod manifeſtare non potes, niſi medio interprete, vel quod times probabiliter Sacerdotem reuelaturum. Item excuſaris ſcribere peccata, quæ alia via manifeſtare non potes. Ergo non potes obligari pro abſolutione ſacramentali recipienda ad manifeſtandum tuum peccatum iudicialiter, ſiquidem aliis à Confeſſario obligatus eſſes peccatum manifeſtare. Ergo abſque hac manifeſtatione poteris recipere ſacramentum dimidiando confeſſionem, ſi neceſſitas vrget illud recipiendi, ſicut potes recipere ſacramentum dimidiando confeſſionem, ſi faciendo integram paſſurus es graue damnum.

3 Neque obſtat Inquiſitores iuſtiſſimè, & prudentiſſimè facere nolentes tibi concedere facultatem, vt ab hæreſi ſacramentaliter abſoluaris, quin priùs illam iudicialiter manifeſtes, quia cùm ipſi ſint iudices pro foro externo, & pro communi bono reipublicæ, vtuntur medio ad hunc finem aptiori. At nemo dubitare poteſt eſſe aptius medium ad te hæreticum curandum, præcauendúmque ne hæreſis ſerpat, alióſve inficias, iudicialis manifeſtatio, quàm ſacramentalis; cùm ex ſacramentali confeſſione non poſſis publicè puniri, & tua punitione alios in fide continere, neque inde poſſint complices inquiri, quæ omnia fieri poſſunt iudiciali confeſſione. Quocirca Inquiſitores non te obligant directè pro ſacramentali abſolutione, vt crimen iudicialiter priùs manifeſtes; ſed nolunt tibi concedere facultatem, vt abſoluaris directè ab hæreſi, niſi priùs facias hanc manifeſtationem, quod graue reputare non debes, cùm tibi ſuppetat medium cum Deo reconciliandi per ſacramentum, dimidiando confeſſionem.

4 Reſtat ergo difficultas, quæ neceſſitas reputetur vrgens, vt hanc dimidiatam confeſſionem facere poſſis? Alicui videbitur ſolum periculum remotum moriendi in peccato, quale quiſque habet in omnibus ſuæ vitæ momentis eſſe cauſam ſufficientem. Neque obſtat per contritionem hoc aſſecurari poſſe: quia contritio non ita facilè habetur. Sed hoc nimis latum videtur; aliàs non teneberis ſemel, & iterum inſiſtere, vt tibi facultas concedatur ad integrè confitendum, quando ſperares illam obtenturum, ſed commiſſo peccato ſtatim coram quolibet Sacerdote dimidiare confeſſionem poſſes; ne te exponas illi remotiſſimo periculo moriendi, quod nequaquam eſt dicendum. Quocirca illam ſolùm reputarem cauſam vrgentem, vt dimidiare confeſſionem poſſes, cùm aliàs vrgearis præcepto confeſſionis, quia ſatisfactio illius præcepti videtur ſufficientem occaſionem præbere ſic dimidiandi. Item cùm obligatus es miniſtrare, vel recipere ſacramentum, & dubius exiſtis de contritione; præſtat enim tunc ſecuriorem viam eligere, vt digniùs ad ſacramentum accedas. Quæ omnia cenſoribus fidei ſubmitto latiùs tradenda *in tractat. de pœnitent.* vbi de caſibus reſeruatis, & *in tractat. de excommunicat.* quando nam poſſit recipi ſacramentum ab eo, qui excommunicatione innodatus exiſtit.

PVNCTVM IV.

Explicatur pœna irregularitatis, & infamiæ hæreticis impoſita.

1 *Priuatur hæreticus ſicut excommunicatus officiis, & muneribus ſacris, item Eccleſiaſtica ſepultura, ſi notorius ſit.*
2 *Non ſolum publicus hæreticus, ſed occultus eſt irregularis.*
3 *Ab hac irregularitate ex delicto occulto proueniente probabilius eſt Epiſcopum abſoluere poſſe.*
4 *Infamia afficit hæreticum, ſed debet eius notorium eſſe delictum, notorietate facti, vel iuris.*

1 NOn eſt dubium hæreticum, vtpote excommunicatum, priuatum eſſe omni officio, & munere, quo excommunicatus priuatus eſt. Quapropter neque poteſt ſacramenta recipere, neque miniſtrare, neque actum ordinis exercere, neque alia munia obire, quæ interdicuntur excommunicato. Quòd ſi moriatur, caret Eccleſiaſtica ſepultura, *cap. ſicut, de hæret. in fin. & cap. excommunicamus, el 1. §. credentes, de hæreticis.* Extenditur ad hæreticorum fautores, & defenſores; debet autem

autem hæreticus ita notoriè decedere, vt nulla tergiuersatione eius malitia celari possit, aliàs priuari non debet sepultura. Quòd si non obstante hac notorietate sepelire illum præsumpseris, excommunicatione innodaris, ex *cap. quicumque, de hæreticis, in 6. & ibi gloss.* & suspectus de hæresi redderis, vt bene omnia probat, pluribúsque exornat Farinacius *de hæresi, quæst. 192. toto §. 3. à num. 38.* Irregularitas autem, infamia, & priuatio beneficiorum non excommunicato annectuntur, annectuntur tamen hæretico, vt videbimus: & licèt de his pœnis, specialiter de irregularitate, & infamia *in fine tract. de irregularitate*, egi, breuiter doctrinam ibi positam compilabo.

2 Asserui non solùm notorium hæreticum, sed etiam occultum irregularem esse, cum Syluest. Azor, Suarez, Thoma Sanchez, quibus adde Farinac. *de hæresi, q. 192. num. 67. & 68.* Pegnam *3. part. director. comment. 162. circa finem, vers. ac primam.* Dixi tamen probabile esse occultum hæreticum non esse irregularem, eo quòd textus, qui referuntur, in quibus hæc irregularitas fundatur, videlicet *cap. nos si. §. item Daniel, 2. quæst. 7. cap. presbyter, de pœnitent. distinct. 5.* loquuntur de delicto notorio, & irregularitas non incurritur, nisi in casibus à iure expressis.

3 An verò ab hac irregularitate si contrahatur per delictum occultum possit Episcopus virtute Trident. dispensare? Probabilius defendi ibi cum Farinac. *n. 79.* posse, motus, quia Concilium non limitauit in irregularitatibus potestatem, sed absolutè dixit in omnibus licere Episcopis dispensare, vnicam solùm excepit, quæ ex homicidio voluntario nascitur, quæ exceptio firmat concessionem aliarum. Neque ex negatione facultatis absoluendi ab hæresi arguitur negata facultas dispensandi in irregularitate, quia sunt res omnino diuersæ, & à separatis non fit illatio, ex *l. Papinian. exul. ff. de minorib.* præcipuè cùm minus quid sit dispensare in irregularitate, quæ non est certa omnino, sed dubia, quàm absoluere ab hæresi certa, & indubitata.

4 Pœna infamiæ hæreticos ipso iure comitatur, ex text. *in authent. Gazaros, in princ. C. de hæreticis,* & ex *l. cunctos populos, C. de summa Trinitate,* & ex *cap. excommunicamus, 1. §. credentes, de hæreticis, & cap. statutum, 2. de hæreticis, in 6.* & ex *cap. infames, 6. quæst. 1.* & aliis pluribus, quæ congerit Farinacius *de hæresi, quæst. 189. num. 40.* Pegna *direct. 1. part. comment. 4. in verbo reliquos, vers. his ita positis.* Petrus Gregor. *syntagm. iuris, lib. 33. cap. 8. num. 3. in fine,* & alij.

Credo tamen hanc infamiam perfectè non contrahere hæreticum, quousque eius delictum notorium fit, vel notorietate facti, si factum sit publicum, vel notorietate iuris, si per sententiam omnibus innotescit. sic Bursat. *consil. 14. num. 18. & seqq. & num. 23. lib. 1.* Ioan. Azor *tom. 1. institutionum moralium, lib. 8. cap. 13. quæst. 7.* Sanchez *lib. 2. in Decalog. cap. 26. num. 1.* Farinacius *de hæresi, quæst. 189. num. 56.* Et ratio est, quia infamia est praua alicuius opinio circa plures, quæ esse non potest absque delicti cognitione. Neque obstat hanc infamiam à iure contrahi ob delictum hæresis, contrahitur enim à iure, sed indiget sententia declaratoria criminis, sicut ipso iure sunt bona hæretici confiscata: at executio confiscationis requirit sententiam saltem declaratoriam criminis. Quod verò aliqui dicunt ex hæresi occulta contrahi infamiam, quoad effectus, scilicet quoad inhabilitatem ad officia publica, & beneficia: credo hunc effectum non tam ex infamia, quàm ex ex irregularitate, & excommunicatione tali crimini annexa oriri. Vide quæ *in tract. de irregul. punct. vlt.* de hac pœna dicam.

Pvnctvm V.

De pœna priuationis beneficiorum, & officiorum.

1 *Hæreticus inhabilis est ad beneficia, & officia publica durante hæresi.*

2 *Ab illa absolutus, & Ecclesiæ reconciliatus, si publicum fuit delictum, nequit beneficium Ecclesiasticum obtinere, nisi in irregularitate dispensetur. Si occultum fuit delictum, probabile est non esse impeditum.*

3 *Beneficijs ritè obtentis plures Doctores affirmant non esse priuatum ipso iure, sed venire priuandum.*

5 *Probabilius est oppositum.*

5 *Requiritur tamen sententia declaratoria criminis.*

6 *Huius priuationis expenditur multiplex effectus.*

7 *Sed quid si ex toto corde hæreticus conuertatur? Proponuntur variæ sententiæ non esse beneficijs priuandum.*

8 *Quid sentiendum sit.*

9 *Priuatur hæreticus alijs officijs, & publicis muneribus.*

1 Alia pœna præcipua hæreticorum est priuatio beneficiorum, & officiorum ritè acquisitorum, & inhabilitas ad futura. Constat hæc pœna ex *cap. vt commissi, §. priuandi, de hæret. in 6. cap. statutum, el 1. eod. tit. & lib.* & tradunt omnes.

Et in primis hæreticum inhabilem esse ad beneficia, & officia publica durante hæresi nemini est dubium, cùm sit excommunicatus, & irregularis: & est expressa decisio textus *in cap. statutum, el 1. de hæret. in 6.* ibi, *ne hæretici ad aliquod beneficium Ecclesiasticum admittantur.* Quare collatio beneficij sic facta nulla est, & fructus inde percepti debent restitui ante omnem sententiam. sic Lambertin. *de iure patronatus, part. 1. art. 6. quæst. 9.* Pegna *director. 3. part. quæst. 113. comment. 162. in medio.* Azor *tom. 1. lib. 9. cap. 13. quæst. 8.* Sanchez *lib. 2. cap. 26. n. 4.* Suarez *de fide, disput. 21. in fine.* Garcia *11. part. de benefic. cap. 10. num. 72. & 80.* Farinacius *de hæresi, quæst. 189. n. 71.* & alij.

2 Si autem hæresim reliquit, & ab illa fuit absolutus, & Ecclesiæ reconciliatus, grauis est inter Doctores controuersia, an tunc maneat inhabilis ad beneficia, & officia, ita vt nulla reddatur eorum collatio, si illi conferantur ab alio, quàm ab eo, qui dispensare potest in contracta inhabilitate? Diuisi sunt Doctores. Alij affirmant, alij negant, vt videri potest in Farinac. *de hæresi, quæst. 189. num. 81. & seqq. & quæst. 193. à num. 66.* Distinguendum censeo de hæresi occulta, vel publica: si hæresis publica fuit, certum est hæreticum irregularem esse; ac proinde incapacem beneficiorum Ecclesiasticorum, si dispensatus non sit: si autem hæresis occulta fuit, cùm probabile sit ex illa non oriri irregularitatem, etiam censeo probabile, neque inhabilitatem ad beneficia obtinenda oriri: & nullibi cauetur hanc inhabilitatem ex occulta hæresi iam exclusa manere, ex text. *in cap. statutum, vbi imponitur, de hæretico, vt hæretico debet intelligi; non de hæretico pœnitente.*

3 Difficultas autem est de beneficiis ritè possessis, an illis hæreticus priuetur ipso iure, an veniat priuandus per sententiam?

Non esse priuatum ipso iure, sed venire priuandum, affirmat Alphonsus de Castro *lib. 2. de iusta hæreticorum punitione, cap. 4.* Simancas *de catholic. institut. tit. 46. n. 72.* Ludouic. Gomez *regul. de annali possessore, quæst. 52.* Henriquez *lib. 13. de excommunicat. cap. 56. num. 2.* Aragon *2. 2. quæst. 11. art. 3.* Vasquez *1. 2. disp. 172. cap. 2. num. 11.* Salzedo *in pract. crim. cap. 114. in princ.* testatur esse hanc senten

ſententiam benigniorem, & fortè veriorem, eſto ipſe contrariam ſequatur. Auguſt. Barboſa loco ſtatim allegando reputat in rigore iuris veriorem; contrariam tamen dicit eſſe ſequendam. Sanchez affirmat eſſe probabilem. Probo in caſu dubio, an ſit priuatio per ſententiam, vel ipſo iure, pro priuatione per ſententiam eſt interpretatio facienda, quia eſt benignior interpretatio, vt tradit Gonçalez *ad reg.*8.*cancellar. gloſſa* 15. *num.* 153. Puteus *deciſ.*129. *lib.*3. Achil. *deciſ.*1. *de pœnis*. Farinac. 1.*p. praxis quaeſt.*19.*num.*46. Barboſa 3.*p. allegat.*57.*n.*252. Sed non eſt certum ex vllo textu colligi hanc priuationem ipſo iure. Et confirmo, vt aliqua pœna ipſo iure incurratur, debet eſſe in iure expreſſa, vt bene probat Nicol. Garcia 11.*p. de benefic. cap.*10. *num.* 3. & docent omnes; ſed in iure nullus eſt textus, qui talem priuationem exprimat ipſo iure, vt expendendo text. videbimus. Quatuor enim textus allegantur. Primus eſt *cap. quo iure, diſt.*8. qui eſt ex Auguſt. vbi dicitur: Qui præter Eccleſiæ Catholicæ communionem vſurpant ſibi nomen Chriſtianum, nec volunt in pace colere pacis authorem, *nihil nomine Eccleſiæ audeant poſſidere.* & idem traditur *in cap. ſi vos,* 23.*quaeſt.*5.*& cap. ſi de rebus, cap. quod autem,* 23.*quaeſt.*7. Sed ij textus ſi aliquid probarent, probarent vtique neque beneficia, neque fructus illorum poſſe ab hæreticis poſſideri, ſed neceſſariò relinquenda fore. quod etiam authores contrariæ ſententiæ negant. Quapropter cùm D. Auguſt. dicit nihil nomine Eccleſiæ debere hæreticum poſſidere; intelligit, quando eius poſſeſſione ſuam malitiam in Chriſtianam Eccleſiam diſſimulat. Adde explicationem gloſſæ, quæ non de poſſeſſione habita, ſed habenda loquitur, quæ contingit, cùm hæreticus petit poſſeſſionem & reſtitutionem alicuius rei, cui obſtare poteſt exceptio hæreſis, quia non eſt iuſtum, vt audeat nomine Eccleſiæ conſequi poſſeſſionem, cùm ipſam Eccleſiam offendat. Secundus textus eſt *cap. ad abolendam,* §.1, *de hæretic.* vbi ſic habetur. Si clericus eſt, totius Eccleſiaſtici ordinis prærogatiua nudetur, & ſic *omni officio, & beneficio ſpoliatus Eccleſiaſtico ſæcularis relinquatur.* Ex quibus verbis potiùs infertur ſententiam iudicis expectandam eſſe. Nam verbum illud *nudetur, & ſpoliatus relinquatur,* ad iudicem diriguntur, qui debet nudare, & ſpoliatum relinquere. Ergo important ſententiam. Tertius textus eſt *in cap. vt commiſſi, de hæreticis, in* 6. vbi de illis dicitur, *priuandi, vel priuatos nuntiandi dignitatibus, ac alijs beneficijs Eccleſiaſticis,* de diœceſanorum, vel eis abſentibus vicariorum ſuorum conſilio, & officiis publicis, ac honoribus quibuſcumque, eoſdem hæreticos, credentes, receptatores, & defenſores ipſorum, eorúmque filios, & nepotes *plenam concedimus facultatem.* At ex verbis huius textus non ſatis colligitur hæreticos priuatos eſſe ipſo iure beneficiis. Nam quod aliqui dicunt, illa particula *vel* non ſumi ibi diſiunctiuè, ſed declaratiuè, ita vt faciat hunc ſenſum. Inquiſitoribus concedimus facultatem priuandi hæreticos beneficiis, id eſt, declarandi priuatos eſſe beneficiis. Videtur eſſe violenta expoſitio, cùm ex illa ſequatur abſque fundamento Pontificem vſum fuiſſe obſcuris verbis in hac conſtitutione, cùm poſſet clariſſimis vti, verbaque ſuperflua aſſumpſiſſe. Nam ſi per illa verba priuandi hæreticos non intenderet Pontifex facultatem Inquiſitoribus concedere illos beneficiis, & officiis priuandi, ſed ſupponeret iam priuatos, & ſolùm concederet facultatem nuntiandi priuatos, clariùs procederet, omittendo illa verba priuandi hæreticos. quia illa nihil aliud operantur, niſi reddere ſenſum difficilem. Quapropter Couarru. *lib.* 2. *var. cap.*8. *num.* 4. agnoſcens fortè hanc differentiam dicit particulam *priuandi* referri ad receptatores, defenſoréſque hæreticorum: particulam verò *priuatos nuntiandi* ad ipſos hæreticos. Sed quo fundamento id dictum ſit non apparet. Neque enim ex text. colligi poteſt, magis vnum, quàm aliud ad hæreticos referri. Dicendum ergo eſt ad vtrumque referri, noluiſſéque Pontificem definire modum, quo hæretici, eorúmque fautores beneficiis priuentur: ſed ſiue hæc priuatio ipſo iure contingat, ſiue contingat per ſententiam, tribuit facultatem Inquiſitoribus priuandi, ſi priuati non ſunt, & priuatos nuntiandi, ſi ab ipſo iure priuati ſunt. Quæ explicatio confirmari poteſt ex ſtylo frequenti, & communi inquiſitionis: cùm enim aliquis hæreticus condemnatur, dicit ſententia, eum priuamus, ſeu priuatum declaramus. Adde illam particulam *vel* diſiunctiuè, ſeu copulatiuè ſumi poſſe; vt ſæpè fit in iure, & tunc facit hunc ſenſum. Facultatem concedimus Inquiſitoribus priuandi hæreticos, eorúmque defenſores beneficiis, officiiſque publicis, & ſic iam priuatos nuntiandi. Non ergo ex huiuſmodi text. priuatio ipſo iure infertur. Præſtat ſolùm conſtitutio Pij V. quæ incipit, *Cùm ex apoſtolatus officio*, relata à Pegna *in fine director. pag. mihi* 134. vbi beneficia vacantia propter hæreſim Apoſtolicæ ſedi reſeruantur, à neminéque impetrari poſſe, niſi vacationis modum exprimat. Cæterùm etſi Salzedo, Pegnæ, Farinac. & aliis ſtatim allegandis videatur ſufficienter ex hac conſtitutione priuationem ipſo iure contingere, eo quòd ſupponere videatur Pontifex propter hæreſim beneficia vacare. At Sanch. *lib.* 2. *in Decal. cap.* 26. *num.*6. id non approbat, quia ibi non dicitur, quando propter hæreſim vacent beneficia, an ante ſententiam, vel poſt illam, ſed reſeruata eſſe, quandocumque vacent. Ergo affirmandum eſt non vacare ipſo iure. Ex hoc modo dicendi infertur, interim dum ſententia ſuccedit, poſſe beneficia renuntiari, permutari, neque adueniente ſententia renunciationem, aut permutationem antea factam infirmari. Adde neque impetrari ab aliquo poſſe; hoc enim generale eſt, quoties beneficium non vacat ipſo iure: vt bene probat Sanch. *lib.*7.*de matrim. diſput.*42. *num.*2. & tradit *lib.*2.*in Decal. cap.*26.*in fin. num.*16.

4 Cæterùm etſi ſupradicta ſententia ſit probabilis, probabilior tamen, & omnino ſequenda eſt contraria ſententia affirmãs hæreticum externum quantumcunque occultum ipſo iure priuatum eſſe beneficiis ritè poſſeſſis. tenet innumeros allegans Gonzalez *reg.*8.*cancellar. gloſſ.*15.*n.*65. Flamin. *lib.*3.*quaeſt.*1.*n.*31. Barboſa *de poteſt. epiſc.*3.*p. alleg.*57.*n.*37.*&* 38. Garcia 11.*p. de benefic. cap.*10.*num.*60. Sanch. *lib.*2.*c.*26.*n.*6. Suar. *de fide, diſp.*21. *ſect.*5.*n.*17. Couarr. *lib.*2.*var. cap.*8.*num.*4. Farinac. *q.*189. *art.*69.*præcipuè* 77.*& in fragment. verbo clericus, num.*340. Menoch. *de arbitrar. lib.*2.*caſu* 416.*n.*61. Pegna 3.*p. direct. quaeſt.*113. Salzedo *cap.*114. Præcipuum fundamentum ſumo ex ſtylo curiæ, & conſuetudine Romanæ Eccleſiæ, in qua à die commiſſi criminis reputatur beneficium vacare ipſo iure; neque poſſe renuntiari, ſed à quolibet alio impetrari: quem ſtylum, & conſuetudinem eſſe teſtantur Farinac. Sanch. Pegna, Suar. & alij, quos ipſi inferunt. Secundum fundamentum deſumo ex *cap. cùm ſecundùm leges, de hæreticis, in* 6. vbi omnia bona hæreticorum à die commiſſi criminis ſunt confiſcata. Si ergo omnium bonorum temporalium amittit titulum, & dominium, à fortiori amittet beneficiorum Eccleſiaſticorum.

5 Requiritur tamen declaratoria ſententia, cùm ante illam non tenetur hæreticus ſe beneficiis ſpoliare, ſicut neque aliis bonis, vt colligitur ſatis ex *cap. cùm ſecundùm, de hæretic.* & tradit Sanch. *num.*7. Farinac. *num.* 80. Suar. *in fine illius ſect.* Azor *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 8. *quaeſt.*3. Adde non ſolùm requiri ſententiam declaratoriam criminis, ſed etiam executionem factam per iudicem. ſic Farinac. *num.*79.*fine,* Sanch. *num.*8. Azor *tom.*1.*lib.*5.*c.*8. *quaeſt.*4. Couarru. 4. *Decretal.*2.*p. cap.*6.§.8. *num.*8. & alij. Scio tamen plures Doctores contrarium ſentire, affirmant namque hæreticum obligatum eſſe non ſolùm

poſt

post sententiam declaratoriam criminis dimittere beneficium, sed etiam ante illam à die commissi delicti, quia caret titulo illius, & sine titulo non potest quis beneficium retinere, neque fructus lucrari: & ita tradit relatis Flamin. *de resignat. lib. 3. quæst. 1. num. 81.* Garcia 11. *p. de benefic. cap. 10. num. 18.* Gonzalez *glossa 15. num. 150.* Barbosa *allegat. 57. num. 254.* Sed negandum est carere absolutè ipso facto ante sententiam, sed sub conditione, si sententia succedat, vt dicemus.

6 Effectus huius priuationis ipso iure est multiplex. Primus potest à quolibet impetrari, præsentari à patrono, conferri ab Episcopo tanquam vacans ipso iure: colligitur ex *cap. licèt Episcopus, de prebendis, in 6.* & ibi gloss. *verbo, te non vocato.* & tradit Lambertin. *de iure patronatus, 1. part. lib. 2. quæst. 6. toto art. 9. & 10.* Sanchez *lib. 2. cap. 26. num. 12.* Farinacius *quæst. 189. num. 79.* Barbosa *3. part. de potestate Episcopi, allegat. 57. num. 255.* Gonzalez *glossa 15. à num. 148.* Garcia 11. *part. cap. 10. n. 23.* Hæc autem præsentatio, & electio fieri potest hæretico non citato, vtpote qui caret titulo beneficij: sic Doctores suprà relati: mouentur ex *dict. cap. licèt Episcopus.* Nam esto loquatur de beneficio vacante ob assecutionem alterius incompatibilis, extendunt doctrinam ad casus, in quibus inducitur priuatio ipso iure. At credo de rigore iuris hoc verum non esse. Nàm quoties in pœnam alicuius delicti priuatur quis beneficio, non priuatur titulo illius perfectè ante sententiam, sed imperfectè, & sub conditione, si sententia accedat, aliàs deberet ante sententiam illud dimittere, sicut debet dimittere, cùm obtinet beneficium incompatibile; quia tunc absolutè, & perfectè titulum perdit. Ergo vt valida sit præsentatio, & electio, debet citari hæreticus, & taliter declarari. Adde promissionem illius beneficij alteri conferri non posse hæretico non citato, vt tradit Sanchez *suprà*, quia per delictum non amisit beneficij possessionem, sed neque etiam amisit titulum perfectè. Secundus impetrans beneficium hæretici non tenetur in impetratione exprimere requisita in regul. cancellariæ 32. quæ disponit, quòd impetrans beneficium pacificè possessum, debet exprimere valorem, & alia, quæ ibi cauentur: sic tradit Bernard. Diaz *cap. 114. num. 2.* cum Cassadoro *in decis. Rotæ 14.* Farinac. *num. 79.* Tertius non potest beneficium in fauorem alicuius resignare, quia non est perfectè suum, sed Sedi Apostolicæ reseruatum. Neque resignatarius ex vi talis resignationis ius in beneficium sibi resignatum irreuocabiliter acquirit. sic Pegna *3. part. quæst. 113. comment. 162. versic. hunc quoque.* Salzedo *cap. 114. paulo post princ.* Aduertit tamen Sanchez *suprà num. 9.* & Azor *tom. 1. lib. 8. cap. 13. quæst. 8.* si de facto resignationem beneficij hæreticus faciat, aut cum alio permutet, resignationem, & permutationem tenere, quousque sententia declaratoria delicti succedat. Ratio est, quia hæreticus non amittit beneficij possessionem, etiamsi titulum, & proprietatem perdat. Quod videtur sufficere, vt beneficium de facto transferat, neque is, in quem tale beneficium translatum est, teneatur dimittere, quousque sententia declaratoria criminis succedat. At si verum esset hæreticum carere titulo, nulla ratione hoc sustineri posset, quia beneficij possessio non potest in alium transferri non translato titulo. Si igitur titulus hæresis crimine amissus sit, quomodo possessio beneficij transferri potest? Vnum autem est omnino certum, supposito, quòd hæreticus priuatus sit ipso iure beneficiis, videlicet facta declaratione delicti, rescindi permutationem, & resignationem beneficij, & auferri beneficium ab eo, cui via permutationis, aut simplicis resignationis collatum fuit; quia sententia illa declaratoria habet effectum suspendendi, & inualidandi omnes actus, qui subsequuti fuerunt à die commissi criminis. Rescissa autem tali renuntiatione, aut permutatione auferturà resignatario beneficium collatum, ipséque resignatarius, si loco beneficij ab hæretico accepti aliud illi contulit, potest ad suum pristinum beneficium redire, vel propria authoritate, vel saltem noua adueniente collatione, quia permutatio non habuit effectum. sic Sanchez cum Flamin. *suprà num. 9.* Quartus effectus est priuatio fructuum ex beneficio perceptorum: si enim beneficio priuatur, à fortiori priuari debet fructibus ab eo prouenientibus. Quare adueniente sententia declaratoria criminis, cùm omnia bona hæretici confiscentur, & illi fructus confiscati manent: neque allegari potest sibi deberi ob ministerium exhibitum, quia vndecumque ea habeat, omnibus priuatur. Solùm est difficultas, an ante sententiam teneatur ea restituere? Affirmat teneri Azor *tom. 1. lib. 5. cap. 8. quæst. 3.* Gonzalez plures referens, *glossa 15. num. 150.* Barbosa *3. part. allegat. 52. num. 254.* Mouentur, quia fructus acquiri non possunt sine titulo beneficij, sed ij hæretici illo carent ratione criminis. Ergo. Neque allegari potest in præsenti bona fides, cùm hæretico constet se titulo priuatum esse. Nihilominus probabilius videtur dicendum hæreticum beneficiatum lucrari fructus beneficij taliter, quòd non tenetur illos restituere ante sententiam. sic Sanchez *illo cap. 26. num. 10.* Mouetur, quia ad horum acquisitionem sufficit titulus possessionis, & administrationis legitimæ beneficij, etiamsi titulo, & proprietate careat, vt contingit in qualibet alia re temporali fructifera, qua priuatus est ipso iure hæreticus: sicut enim cum hac priuatione compatitur excusatio restituendi rem, & fructus illius ante sententiam, ita in beneficio, & eius fructibus dicendum est. In quo est maxima differentia ab habente scienter à principio titulum nullum, quia hic, neque possessionem, neque administrationem beneficij legitimam habet; quia hæc fundantur in titulo. At cùm titulus in pœnam delicti deperditur, non perditur possessio, neque administratio, & consequenter neque titulus legitimus ad lucrandos fructus. Verùm etsi doctrinæ acquiescam, rationi adhærere non possum. Existimo enim priuationem beneficij factam hæretico ante sententiam non esse ita absolutam, & perfectam, vt titulum, & dominium beneficij, aliarúmque rerum deperdat, non enim percipere possum, quomodo beneficium retinere possit, illóque vti, si titulo beneficij scienter careret, neque quomodo possit validè in alium transferre non translato titulo? Sed existimo esse quandam imperfectam, & conditionalem priuationem, vt adueniente sententia declaratoria criminis censeatur à die commissi delicti priuatum beneficio, omnibúsque aliis rebus: sic docet Suarez *disput. 21. de fide, sect. 5. num. 19. & 20.* Quæ omnia clariora reddentur ex his, quæ de confiscatione bonorum dicemus.

7 Sed quid si clericus hæreticus ex toto corde conuertatur, priuandus ne est beneficiis, & officiis?

Duæ sunt sententiæ communes. Prima negat. sic Eymer. *director. 3. part. quæst. 113. versic. considerandum. & quæst. 115. versic. hoc sanè.* Decian. *tractat. crimin. lib. 5. cap. 54. num. 8.* Rebuffus *practic. benefic. num. 5.* Carrer. *in practic. crimin. 4. tractat. de hæreticis, §. modò qualiter, n. 1.* Archidiacon. Geminian. Philippus Francus, & alij apud Farinacium *in fragm. verbo clericus, num. 362. & de hæresi, quæst. 189. num. 82.* Fundamentum desumitur ex *cap. ad abolendam, de hæreticis, versic. præsenti.* vbi dicitur, si clericus est, totius Ecclesiastici ordinis prærogatiua nudetur, & sic omni beneficio, & officio spoliatus Ecclesiastico, sæcularis relinquatur, arbitrio potestatis, animaduersione debita puniendus, *nisi continuò post deprehensionem erroris ad fidem Catholicam vnitum sponte recurrere, & errorem suum ad arbitrium Episcopi,* &c. Ecce qua ratione si continuò ad fidem reuertitur, non priuatur beneficiis. Spontè dicitur ad fidem reuerti, quando infra tempus gratiæ

gratiæ venit non monitus re integra, & ante receptas probationes, vt dicit Archidiacon. *in cap. vt commissi, de hæretic. in 6. col. 2. ad medium, sub num. 3.* Adde Pegnam *2. p. direct. in comm. 8. explicantem suprad. cap. ad abolendam,* & latiùs *3. p. quæst. 109. comm. 158.* dicitque hæreticum tunc continuò redire, & conuerti, si ante sententiam diffinitiuam conuertatur, & tunc non esse bona illius confiscanda: consentit Zanch. *de hæretic. cap. 16. num. 7.* ibi Campegius Bernard. *in lucerna, verbo redire, §. 6.* Simancas *de catholic. instit. tit. 47. num. 40.*

Secunda sententia affirmat priuandos omnino esse, & solùm ex dispensatione Pontificis ea retinere posse. sic pluribus confirmat Simanc. *de catholic. instit. cap. 47. num. 76. & in enchirid. tit. 58. num. 4.* Lœlius Zechius *in sum. 1. p. tit. de fide, cap. 11. num. 16. in 12. pœna.* Repert. inquisit. *verbo conqueruntur, vers. cùm conqueruntur*, & alij apud Farinac. *suprà.* Mouentur ex Concilio Elibertino, *cap. 51.* vbi dicitur ex omni hæresi, qui ad nos fidelis euenerit, minimè est ad clerum promouendus, vel si qui sunt in præteritum ordinati, sine dubio deponuntur. vbi verbum *deponuntur*, significat depositionem perpetuam, vt ex glossà, & Conrado, Bruno, & Simanc. notauit Farinac. *locis allegatis.*

In hac contrarietate distinctione vtitur Farinac. *supr.* sequens Pegnam *direct. inquisit. 3. p. quæst. 113. comm. 162. vers. nos verò.* affirmat namque primam sententiam intelligendam esse de hæretico ad fidem redeunte ante sententiam, & antequam receptæ sint probationes, & testibus conuincatur. Secundam de hæretico non spontè, sed potiùs testibus conuicto, aut post sententiam ad fidem redeunte, variis Doctoribus hanc distinctionem comprobat.

8 Cæterùm iuxta nostram sententiam, quæ affirmat hæreticum ipso iure à die commissi criminis priuatum esse beneficiis, & officiis Ecclesiasticis, dicendum est primò ea retinere non posse, nisi ex dispensatione Pontificis, si crimen eius declaratum est, quantumcunque ante declarationem pœnituerit: & in hoc conuenio cum secunda sententia; & eam tradit Sanchez *lib. 2. in Decal. cap. 26. num. 13.* Et ratio est manifesta; quia facta declaratione delicti contrahit hæreticus pœnas à iure delicto statutas. Sed vna est priuatio ipso facto beneficiorum. Ergo. Item ex Bulla Pij V. relata, reseruantur Sedi Apostolicæ quæcunque beneficia ob hæresim vacantia, sed omnino vacant beneficia saltem hæresi declarata. Ergo. Secundò dicendum est, si hæreticus sponte fuerit conuersus, seu antequam sæpiùs monitus fuerit, & testibus conuictus, conuenientissimum esse, vt à Sede Apostolica beneficia reddantur, quia hæc gratia aliorum conuersionem maturabit. Et in hoc sensu explicandus est text. *in cap. ad abolendam, de hæretic.* cùm dicit non esse Ecclesiasticis officiis, & beneficiis clericum priuandum, si *continuò, & spontè* ad fidem reuertitur. Adde huiusmodi textum non de priuatione simplici beneficiorum loqui, sed de priuatione, quæ per degradationem contingit; siquidem sæcularis relinquitur arbitrio potestatis puniendus; quam degradationem noluit textus admittere in eo, qui citò, & sponte ad fidem reuertitur.

9 Ad hanc pœnam priuationis beneficiorum reduci potest, quæ traditur *in cap. quicumque, §. ad hæc, de hæreticis, in 6.* vbi dicitur quoscumque viros Ecclesiasticos, qui ad preces huiusmodi personarum, (nimirum hæreticorum, vel credentiũ, receptatorum, defensorum, vel fautorum eorum) dignitates, personatus, & quæcumque alia Ecclesiastica beneficia sunt adepti, ex nunc priuamus taliter acquisitis, volentes quòd tales & habitis careant perpetuò, etsi receperunt illa scienter, ad alia, vel similia nequaquam in posterum admittantur. Circa quam pœnam aduerte primò preces debere esse efficaces, ita vt ex vi illarum obtineatur beneficium. Secundò recipientem beneficium debere scire ad preces hæreticorum sibi beneficium datum esse. His ergo conditionibus existentibus perpetuò priuatur recipiens beneficiis sic acquisitis, & inhabilis redditur ad alia, vel similia in posterum obtinenda. Alicui tamen videri posset non esse inhabilem ipso iure ad alia, & similia beneficia obtinenda, sed illa recipere posse, si conferantur, siquidem textus solùm dicit, ne ad beneficia admittantur, non tamen irritat, neque annullat admissionem.

DISPVTATIO V.

De pœnis temporalibus hæreticorum, præcipuè de confiscatione bonorum.



VARIÆ sunt hæ pœnæ, sed omnium præcipua, ex qua reliquæ oriuntur, est bonorum amissio. De hac ergo aliquantulum latiùs agemus, quia communis est aliis criminibus. Circa quam examinandum est, quæ bona sub confiscationem cadant. Qui modus confiscationis sit, & qui sint eius effectus. Deinde quas personas comprehẽdat, & qui eam facere possint. Tandem loquemur de aliis pœnis temporalibus quibus hæretici afficiuntur.

PVNCTVM I.

Sitne pœna confiscationis bonorum hæreticis imposita.

1 *Iure ciuili, & Ecclesiastico hæc pœna statuta est.*

2 *In executione huius pœnæ leges canonicæ præferendæ sunt ciuilibus.*

1 HAnc pœnam confiscationis solent hæretici, vtpote ab æterna vita, & spiritualibus bonis alieni, & temporalibus immersi, magis timere. Quapropter tam Imperatores Christiani, quàm Pontifices variis suis decretis eam stabilire procurarunt; vt videre est *in l. Manichæos, C. de hæreticis.* ibi, *quos bonorum etiam omnium publicatione persequimur. & in Auth. Gazaros, C. de hæreticis*, ibi, & omnes hæreticos vtriusque sexus quocunque nomine censeantur, perpetua damnamus infamia, diffidamus, atque bannimus, censentes vt *bona talia confiscentur*, neque ad eos vlteriùs reuertantur, ita vt filij eorum ad successionem peruenire non possint, cùm longè sit grauius æternam, quàm temporalem offendere maiestatem. quæ lex ab Innocent. III. *in cap. vergentes, de hæreticis*, ex toto canonizata est, *& in cap. excommunicamus el 1. §. damnati, eod. tit.* hac tamen differentia constituta, videlicet, si damnati laici sint, confiscentur eorum bona; si clerici applicentur Ecclesiis, à quibus stipendia receperunt. Item Innocent. IV. & Alexand. IV. & Clemens IV. qui sibi inuicem successerunt in constitutionibus suis, quorum initium est, *Ad extirpanda*, statuerunt bona hæreticorum in tres partes esse diuidenda. & primam affirmarunt deuenire debere in commune ciuitatis, vel loci. Secundam in fauorem, & expeditionem officij inquisitionis dandam esse officialibus, qui tunc negotia ipsa peregerint. Tertiam ponendam in aliquo tuto loco, & distribuendam pro arbitrio diœcesani, & Inquisitoris in fauorem fidei, & hæreticorum extirpationem. Postea Bonifac. VIII. *in cap. cùm secundùm leges, de hæreticis, in 6.* non solùm statuit bona hæreticorum confiscanda esse, vt reliqui antecessores, sed ipso iure esse confiscata. ibi, *confiscationis tamen*

tamen executionem non debere à Principibus, & aliis dominis temporalibus fieri, antequam per Episcopum loci, vel aliam personam Ecclesiasticam, quæ super hoc habeat potestatem, sententia super eodem crimine fuerit promulgata. Verùm ne ordinarij intelligerent habere potestatem exigendi rationem ab Inquisitoribus de bonis huiusmodi distributis, Benedictus XI. *in extrauag. ex eo, de hæreticis*, inter communes, directa Inquisitoribus Lombardiæ, statuit solùm Cameræ Apostolicæ, vel alteri, qui vices Romanæ Sedis habuerit, obligatos esse rationem reddere. At ne Inquisitores potestatem extenderent, & Ecclesias hac confiscationis pœna damnificarent, vetuit Clemens V. *in Clement. 2. de hæreticis*, ne bona Ecclesiarum ob delictum clericorum, etiam fisco Ecclesiæ applicentur. Ex quibus omnibus constat tam iure ciuili, quam canonico hanc pœnam statutam esse.

2 Solùm aduerto in executione illius leges Ecclesiasticas spectandas esse, non ciuiles; quia crimen hæresis merè Ecclesiasticum est, *cap. inquisitionis, §. prohibemus, de hæreticis, in 6.* Quando autem crimen est Ecclesiasticum, tam laici, quàm clerici Ecclesiæ legibus, & iurisdictioni subduntur. *cap. licet, de foro competent.* & ibi gloss. *verbo, vacante imperio.* Quod adeò verum est, vt non possint Principes, & temporales domini contra voluntatem Ecclesiæ hanc confiscationis pœnam exequi, quia hæc pœna accessoria est delicto, vt scribit Gemin. *in cap. cùm secundùm leges, de hæreticis, in 6.* ac proinde illius executio ad idem tribunal, ad quod pertinet delictum, debet pertinere, ex vulgato principio, quòd accessorium sequitur naturam principalis, *cap. accessorium, de regulis iuris, in 6.* & ita tradit Pegna 3. *part. director. quæst. 109. comment. 158. col. 7. vers. nunc quid, & col. 15. versic. neque his, & seqq.*

PVNCTVM II.

An omnia bona hæretici cadant sub confiscationem.

1 *Affirmatiuè respondetur.*
2 *Bona in potestate hæretici existentia, si illius non sunt, non confiscantur.*
3 *Debent tamen actu esse, nec sufficit fuisse, nisi in fraudem fisci alienata sint.*
4 *Ex quibus casibus fraus præsumitur.*

1 Regula est ab omnibus Doctoribus recepta, omnia bona tam mobilia, quàm immobilia iura & actiones, quæ hæretici propria sunt, cùm delictum committit, ipso iure confiscari. Ratio est manifesta, quia *in l. Manichæos*, omnia bona veniunt confiscanda, & sub signo illo vniuersali nulla excipiuntur: & licèt *in cap. cùm secundùm leges, de hæreticis, in 6.* vbi hæc pœna confiscationis ipso iure imponitur, non sit signum illud *omne* distributiuum, non obstat, quia sufficit sine limitatione bonorum confiscationem fieri, vt omnia bona intelligantur comprehensa; aliàs effectum confiscatio non haberet, cùm nulla esset ratio, quare magis his, quàm illis bonis applicaretur confiscatio. colligitur ex *l. bonorum, ff. de verbor. significat. l. si ademptio, 5. C. de sententiam passis.* & tradit Simancas *de catholic. institut. tit. 9. num. 7.* Vasquez 1. 2. *disp. 69. num. 3.* Sanchez *lib. 2. cap. 14. num. 2.* Suarez *disput. 22. sect. 5. num. 1.* Bonacina *disput. 3. de contract. punct. vltim. vbi de feudo, num. 2. & 3.* & alij.

2 Dixi confiscari bona, quæ sunt hæretici, quia bona, quæ sunt alterius, etiamsi in potestate hæretici reperiantur, in pœnam confiscationis non deueniunt. Tum quia hoc æquum non erat, aliàs innocentes punirentur, contra *l. sancimus, C. de pœnis.* tum quia *in cap. cùm secundùm leges*, & aliis relatis semper dicitur, bona hæreticorum. Ergo si bona non sint hæreticorum, sed Catholicorum, non debent confiscanda venire.

3 Dixi cùm delictum committit, vt excluderem bona, quæ hæretici fuerunt, sed non sunt tempore delicti, eo quòd illa à se alienauerit donatione simplici, aut contractu. Excipe nisi in fraudem fisci facta fuerit, quia tunc nulla est donatio, nec venditio, sed omnino reuocatur à fisco: vt ex omnium sententia testatur Farinacius *in sua practica, quæst. 164. num. 48. & 50. iuncto num. 26. & 27.*

4 Quando autem hæc fraus præsumatur, bene declarat Farinacius *supradict. quæst. à num. 71. & à num. 96. & seqq.* Primò enim præsumitur fraus, si facta alienatione statim delictum committatur, nisi necessitas appareat alienandi. Menochius *lib. 3. præsumpt. 127. num. 17.* Gomez *tom. 3. variarum, cap. 14. num. 4.* Farinacius *de falsitate, & simulat. quæst. 164. num. 154.* dubius tamen, quia Ioann. Faber *in §. item si quis in fraudem, num. 7. 8. & 9. Instit. de actionib.* contrarium defendit variis rationibus. Secundò si sit donatio omnium bonorum, vel maioris illorum partis, Farinac. *num. 122.* & Mascard. *de probat. conclus. 558. num. 1. & 2.* Menoch. *de præsumpt. lib. 3. præsumpt. 124. num. 7. & 8.* Adde idem esse in donatione meliorum bonorum, siue magis pretiosorum. Menoch. *num. 9.* Farinac. *num. 126.* Anton. Gomez *tom. 3. variar. cap. 14. num. 4.* Quod adeò verum est, vt etiamsi donatio bonorum omnium facta sit interpellatis vicibus, & diuersis personis, adhuc præsumatur facta in fraudem fisci. Menochius *num. 10.* Gomez *num. 21.* Farinacius *num. 127.* Idem iuris est de venditione omnium bonorum, non tamen in venditione maioris illorum partis, de hac enim venditione fraus non præsumitur, cùm facilè honestari possit. sic Gomez *num. 4.* Farinacius *num. 124. & 130.* Menochius *num. 8.* Neque etiam in venditione omnium bonorum præsumenda est, si facta sit iusto pretio, vel parum minori palàm, & absque vlla occultatione. Gomez *num. 18.* Farinacius referens plures, *n. 133.* Tertiò præsumitur fraus, si facta est donatio, vel venditio coniunctæ personæ iure sanguinis, vel amicitiæ, à qua facilè possis sic donatum, vel venditum recuperare. Farinacius *à num. 136.* Menochius *n. 23. & seqq.* & alij.

PVNCTVM III.

An bona donata sub conditione, & acquisita post delictum confiscationi subiaceant.

1 *Bona donata sub conditione, cuius conditio purgatur posito delicto, sub confiscationem cadunt.*
2 *Sed quid dicendum de donatione absolutè facta causa mortis? Sub distinctione respondetur, si à viro vxori firma manet, secus si aliis facta sit.*
3 *Bona acquisita post delictum, & latam sententiam, non publicantur.*
4 *Acquisita intermedio tempore inter delictum, & sententiam, plures censent publicari.*
5 *Probabilius censeo oppositum.*
6 *Apponitur à Sanchez quadam limitatio.*
7 *Non approbatur.*
8 *Satisfit rationibus num. 4. adductis.*

1 Prima difficultas est, an sub bonis confiscatis comprehendantur bona, quæ quis sub conditione donauit, quando conditio purgatur adueniente delicto? Communis sententia est comprehendi, quia bona, quæ sub conditione donantur, donantis sunt, dum conditio non purgatur; tempore autem conditionis, iam sunt fisci ob hæresim. Farinacius *de hæresi. quæst.*

quæst. 190. *num.* 12. Simancas *de catholic. institut. cap.* 9. *n.* 9. *&* 10. Suarez *de fide, disp.* 22. *sect.* 5. *n.* 3. quæ doctrina extendi debet non solùm ad donationem inter viuos, sed etiam causa mortis; si enim donator postea hæreticus existat, eius sic donata bona confiscantur, ac si nullam donationem fecisset, quia cùm debebat donatio effectum habere, iam donatum non est donantis, sed fisci.

2 Sed quid dicendum de donatione absolutè facta causa mortis, quæ reuocari potest? Distinguendum censeo, si facta sit à viro vxori, firma manet commisso delicto, & bonis publicatis, ac si mors naturalis euenisset, neque in fiscum transit, vt est expressa decisio *l. sed si mors, ff. de donationib. inter vir. & vxor. & l. res vxoris, C. eod. tit. l. quisquis, §. vxores, C. ad leg. Iul. maiest.* & notat Bald. *in l. executorem, col.* 9. *vers. quæro quidam. C. de execut. rei iudic.* Farinac. plures referens, *quæst.* 25. *num.* 130. Anton. Gom. *leg.* 40. *Tauri, num.* 91. *col.* 3. Molina Iesuita *disput.* 659. *fine.* Sanchez *lib.* 6. *de matrim. disput.* 17. *num.* 5. *& lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 15. vbi pluribus comprobat. Dixi manere firmam donationem respectu fisci, non tamen respectu mariti; hic enim dum superstes est, potest eam reuocare, ex *l. sed si mors, ff. de donation. inter vir. & vxor.* & tradunt Farinac. Sanch. & alij *suprà.* Vt autem hæc donatio viri facta vxori, respectu fisci firma maneat, ita vt sub fiscum res donata cadere non possit, requirit traditionem Acosta *cap. si pater, de testament. in* 6. 1. *p. verbo legauit, num.* 6. Farinac. *quæst.* 25. *num.* 137. vbi testatur esse communem. Clarus *in §. donatio. quæst.* 9. *versic. scias autem.* Contrarium tamen defendit Molina Iesuita *tom.* 2. *disp.* 288. *§. dubium est.* Sanchez *lib.* 6. *disp.* 11. *num.* 5. quia supradicta lex *sed si mors*, hanc traditionem non requirit. Vtrumque est probabile. Verùm si donatio non à viro vxori, sed ab vxore viro, vel à viro aliis facta sit, morte ciuili donantis non confirmatur, sed omnino dissoluitur, & res donata transit in fiscum. Ratio est, quia morte ciuili firmari donationem causa mortis respectu fisci est speciale priuilegium vxoris, vt constat ex dicta *l. res vxoris, C. de donationib. inter vir. & vxor.* ibi, *donatio maritalis ante tempus criminis, ac reatus collata in vxorem, quia pudicitiæ præmio cessit, obseruanda sit, tanquam si maritus eius naturæ, non pœnæ subduxerit.* sic Mol. Theolog. *tom.* 2. *disp.* 289. *§. disputat. præcedenti.* Sanchez *lib.* 6. *de matrim. disp.* 10. *num.* 5. *fine, & disp.* 17. *num.* 6. Farinac. plures referens, *quæst.* 25. *num.* 131. *& quæst.* 164. *n.* 17. Quod ex eo sufficienter constat, quia ad hanc confiscationem faciendam nihil aliud requiritur, quàm sententia declaratoria criminis.

3 Secunda difficultas est, an acquisita post delictum commissum publicentur? In qua re certum est non publicari, quæ post commissum delictum, & latam sententiam acquiris; quia tunc cessat fundamentum publicationis, quod est delictum: sic multis relatis docet Farinac. *de hæresi, quæst.* 190. *n.* 25. *& præcipuè quæst.* 25. *n.* 138. Thom. Sanchez *lib.* 2. *in Decalog. cap.* 14. *num.* 8. Suarez *disp.* 22. *sect.* 5. *num.* 13. & est expressa decisio textus *in cap. felicis, de pœnis, in* 6. *vers. cùm talis.* ibi, *de postmodum acquisitis repetitio non negetur. & l. si mandauero,* 22. *§. is cuius, ff. mandati.* ibi, *publicatis bonis quidquid postea acquiritur, non sequitur fiscum. & l. eius qui. §.* 1. *ff. de testament.* ibi, *bona, quæ tunc habuit, cùm condemnaretur, publicabuntur. & l. certa forma. C. de iure fisci.* ibi, *parentibus hæredes existere eos non oportere nulla legis sanctione statutum est.* Neque obstat *l.* 2. *C. de bonis damnatorum.* vbi Alexand. Imperator dicit, Deportati neque earum quidem rerum, quas post pœnam irrogatam habuerint, hæredem habere possunt, sed hæ publicabuntur. Nam, vt rectè explicat Cuiac. *obseruat. lib.* 6. *cap.* 33. & Fachin. *lib.* 9. *controuers. cap.* 51. non de quolibet delinquente, cuius bona confiscantur, intelligi debent, sed de delinquente deportato, qui quia capite minutus est, hæredem habere non potest.

4 Variant tamen Doctores, an acquisita illo intermedio tempore, quo delictum commisisti, & de illo condemnatus fuisti, debeant confiscari? Affirmant publicari debere Azor *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 7. *q.* 8. Vasquez 1. 2. *disp.* 169. *cap.* 1. *num.* 8. Suarez *disp.* 22. *sect.* 1. *num.* 15. Iulius Clarus *lib.* 5. *receptar. §. fin. quæst.* 78. *num.* 24. Ratio præcipua est, quia ita consuetudo obtinuit, vt omnia bona, quæ habet delinquens, dum eius delictum declaratur, publicentur: & in hæresis crimine hoc efficaciùs procedit, quia dum ad Ecclesiam non redit, in hæresi censetur perseuerare: facitque *l. eius qui. §.* 1. *ff. de testament.* ibi, *bona quoque, quæ tunc habuit, cùm damnaretur, publicabuntur.* attenditur ergo ad condemnationem, & non solùm ad delictum. Et idem colligitur ex *l.* 10. *tit.* 9. *lib.* 5. *recopilat.* ibi, *mandamos que sean avidos por bienes de ganancia todo lo multiplicado durante el matrimonio hasta que por &c. tal delicto los bienes de qualquier de ellos sean declarados por sententia.* Ergo tempus sententiæ spectatur.

5 Nihilominus probabilius existimo non publicari bona, quæ intermedio tempore inter delictum, & sententiam sunt acquisita, sed solùm ea, quæ tempore delicti commissi habebas. sic Matien. *lib.* 5. *recop. tit.* 4. *leg.* 3. *glossa* 7. *n.* 6. Sanchez plures referens *lib.* 2. *cap.* 14. Baiar. *addition. ad Clarum, lib.* 5. *§. hæresis, n.* 19. *& q.* 78. *num.* 211. Bursat. *consil.* 14. *n.* 28. Moueor, quia confiscatio hæc delicto est annexa, neque tibi sententia aliam confiscationem imponit, nisi quæ per delictum imposita est; sed per delictum imponi non potest confiscatio nisi bonorum, quæ tempore delicti habentur. Ergo neque sententia aliam confiscationem imponit. Et cõfirmo. Hoc præstat confiscatio ipso iure, vt ius loco sententiæ succedat, & delinquens puniatur ex delicto; ac si sententia esset pronuntiata. Ergo non punitur in bonis post delictum acquisitis: fauétque *l.* 1. *ff. de pœnis,* vbi eam pœnam delinquens sustinere cogitur per sententiam, quam sustinuisset, si eo tempore, quo deliquit, esset lata sententia; at si eo tempore esset lata sententia, non extenderetur ad bona postea acquisita. Ergo neque etiam postea extenditur. Item pœnæ non sunt extendendæ, sed limitandæ: nullibi autem habetur extendendam esse confiscationem ad bona acquisita post commissum delictum. Ergo.

6 Hanc autem sententiam limitat Sanch. *num. illo* 1. cum aliis, vt intelligatur, casu quo hæresim renuntiaueris, & ex toto corde ad fidem fueris conuersus; secus si in illa perseueres. quia si in hæresi perseueras, iam hæreticus es. Sed bona hæretici confiscantur. Ergo. Secus verò dicendum est in Sodomia, quæ est peccatum transiens, & finito actu finitur.

7 At hæc limitatio mihi non probatur: sed idem existimo dicendum de peccato Sodomiæ, ac de hæresi. Non enim ob hæresim mentalem, vel ob hæresim habitualiter permanentem fit confiscatio, sed ob hæresim externam, & manifestam: at hæc hæresis externa, & manifesta cessauit (vt suppono) etiamsi de illa non fuerit absolutus. Ergo cessat effectus confiscationis ex tali hæresi proueniens. Neque obstat te esse obligatum ad Ecclesiam redire, cùm ab illa te separasti, vt dicamus bona illa esse confiscata ob non impletam hanc obligationem; quia confiscatio non est annexa peccato huius omissionis, sed hæresi externæ. Deinde, & fortè efficaciùs, vel perseuerans habitualiter in hæresi est factus incapax per hæresim habitualiter permanentem acquirendi aliquam hæreditatem, vel non? si factus est incapax, non acquiritur fisco, sed hæredibus venientibus ab intestato; vt rectè aliis relatis docet Peregrin. *tract. de iure fisci, lib.* 3. *tit.* 1. *num.* 2. *& tit.* 2. *num.* 13. Farinac. alios referens *lib.* 1. *praxis, quæst.* 25. *num.* 139. & probat *l. si quis mihi, §. si quis planè, ff. de adquirend. hæredit. l.* 1. *C. de hæredib. instituend. l. si metallum, ff. de his, quæ pro non script. habentur, l. metallum. ff. de iure fisci.*

fisci. Si verò capax sit hæreditatis, tunc ipsi, & eius hæredibus acquiritur, dum sententia non præcedit, vt rectè aliis relatis probat Anton. Gomez *tom.* 3. *variarum, cap.* 14. *num.* 1. *& in l.* 4. *Tauri, num.* 7. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 32. & meliùs Farinac. *lib.* 1. *prax. quæst.* 25. *num.* 140. *& quæst.* 102. *num.* 110. Nequè obstat ratio contraria. Dicimus namque bona hæretici confiscari, non hæretici habitualis, sed actualis; sicut bona Sodomitæ, qui scilicet actu talis est, non qui fuit, & est solùm in habitu.

8 Argumenta autem prioris sententiæ facilè dissoluuntur.

Ad primum concedo consuetudinem esse bona delinquentis, quæ tempore sententiæ habet cõfiscari: tum quia raro inter delictum, & sententiam bona acquiruntur: tum quia ignoratur, an bona illo intermedio tempore incrementum, vel decrementum habuerint, imò semper præsumitur deteriora illa fecisse, & diminuisse, ne ad fiscum deueniant.

Ad *l. eius qui*, respondeo. Primò tunc damnari reum, cùm delictum committit. Secundò dico loqui legem de delictis, in quibus publicatio facienda est per iudicem, & non habetur ipso facto: & in his delictis optimè potest iudex omnia bona, quæ tunc delinquens habet, cùm damnatur, publicare. Lex autem regia solùm declarat, quo tempore computanda sunt lucra acquisita constante matrimonio, sed non decidit quæ bona publicanda sint.

Pvnctvm IV.

An bona sub conditione futura debita confiscentur.

1 *Communis sententia defendit non publicari.*

2 *Proponitur obiectio, & fit illi satis. Et declaratur debita hæretico ex testamento non transire in fiscum.*

3 *Debita tamen ex contractu transeunt in fiscum, tametsi conditio post commissum delictum, & condemnationem impleatur.*

1 Specialis est difficultas de bonis sub conditione futura debitis hæretico tempore hæresis; an hæc sub bonis publicatis comprehendantur? Communis sententia tenet non comprehendi, quia illa bona non sunt hæretici, quousque conditio impleatur; sed non est impleta conditio, cum delictum committitur. Ergo neque in fiscum transire potest, quia fiscus solùm vsurpare potest bona, quæ hæretici sunt: sic glossa singularis, & vnica, iuncto textu *in l. non ad ea, in verbo præsens, ff. de condit. & demonstr.* ibi, *vel si publica sunt, nam postea quæsita non caderent in eas causas.* quam glossam, vtpote singularem, commendat Bart. Bald. Imola, & alij, quos referunt, & sequuntur Anton. Gomez *tom.* 3. *var. cap.* 14. *n.* 2. *& in l.* 4. *Tauri, n.* 4. *in medio.* Farinac. *lib.* 1. *prax. q.* 25. *num.* 142.

2 Dices, licèt illa bona non sint hæretici, ius tamen ad illa bona pertinet ad hæreticum. Ergo illud ius transmittere potest per delictum in fiscum, & consequenter fiscus personam hæretici repræsentans in illis bonis adueniente conditione succedit?

Respondeo dupliciter. Aliquid deberi potest hæretico vel ex testamento, vel ex contractu: quod enim debetur ex testamento, qualia sunt hæreditas, fideicommissum, & legatum, nequaquam ad fiscum transire poterunt, quia ea solùm transire possunt ad fiscum, quæ ad hæredes extraneos remitti possunt, cùm fiscus loco hæredis extranei succedat, ex *l.* 2. *C. ad legem Iuliam, de vi, l. eorum, ff. ad legem Iuliam maiest.* & aliis multis exornat Farinac. *lib.* 1. *prax. quæst.* 25. *num.* 51. *&* 143. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 5. Peregrin. *de iure fisci, lib.* 1. *tit.* 1. *num.* 68. Suarez *de fide, disput.* 22. *sect.* 5. *num.* 4. Sed ius succedendi in hæreditate, fideicommissis, & legatis transmissibile non est ad hæredes, ex *l. vnica*, §. *sin autem sub conditione, C. de caducis tollendis.* Ergo neque ad fiscum transmitti potest. sic Sanchez *num.* 15. Farinacius *num.* 143. Anton. Gomez *l.* 4. *Tauri, num.* 4. *& tom.* 3. *variarum, cap.* 14. *num.* 2. & alij apud ipsos. Et quidem quoad substitutionem conditionalem, quòd non transeat in fiscum, si purificetur conditio post sententiam, colligitur ex *l. substitutio, ff. de adquirendo rerum domin.* ibi, *substitutio, quæ nondum competit, extra bona nostra est.* & ex *l. ex facto*, §. *fin. ff. de vulgari, & pupillari.* & ibi Baldus, quem refert, & sequitur Gigas *de crimine læsæ maiestatis, lib.* 2. *quæst.* 7. *num.* 2. Nilus *de bannitis, in* 1. *part. secundi temporis, quæst.* 31. Farinacius *quæst.* 25. *num.* 144. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 18. Quoad fideicommissum etiam est res clara non transire in fiscum, quia venientia ex vltima voluntate non transmittuntur ad hæredes, si fideicommissarius decedat ante conditionis euentum. *l. legata sub conditione*, 41. *ff. de conditionibus, & demonstrationibus, l. hæres meus, in princip. ff. eodem. l. in causa*, §. *Pomponius, & ibi glossa, ff. de minoribus.* Ergo neque etiam in tali casu transire debet in fiscum. Et in legatis conditionalibus non transire in fiscum, si conditio, sub qua sunt legata, post delictum impleatur, probat manifestè *l. vnica*, § *sin autem, C. de caducis tollendis. l. si ita expressum, de conditionibus, & demonstrationibus*, & pluribus exornat Farinacius *num.* 145. *& sequent.* Couarruuias *practicarum quæst. cap.* 39. *fine.* Anton. Gomez 2. *tom. variarum, cap.* 11. *num.* 36. Sanchez *num.* 17. vbi bene explicat hoc procedere, siue conditio sit potestatiua, hoc est, pendens à voluntate legatarij, siue casualis, id est, pendens ex fortunæ euentu, siue mixta, id est, partim pendens ex voluntate legatarij, partim ex alterius voluntate: quocumque enim modo conditio purificata non sit, cùm delictum committitur, non transit in fiscum tale legatum. Item quòd legatum alimentorum etiam durante vita banniti non transeat in fiscum, optimè probat Bossius *tit. de bonis publicandis, num.* 24. Iulius Clarus *in practic. quæst.* 78. *versic. item in fiscum, in fine.* Nilus *in tractat. de bannitis, in* 1. *part. secundi temporis, quæst.* 36. *num.* 36. Farinacius *q.* 25. *num.* 145. Hanc autem conclusionem ita extendit Farinacius aliis pluribus relatis *num.* 141. vt affirmet, si viuente patre filius committat homicidium, eóque mortuo formetur inquisitio contra filium, & condemnetur de delicto, cum confiscatione bonorum, talis paterna hæreditas non adita per filium, licèt bene ante condemnationem delata, nullo pacto transit in fiscum, quia ius adeundi transmissibile non est ad hæredes extraneos, & consequenter neque in fiscum.

3 Verùm si debita sint hæretico, ex aliquo contractu, puta venditione, aut stipulatione ad fiscum transeunt; etiamsi conditio post condemnationem impleatur. Et ratio est manifesta, quia illud ius est transmissibile ad hæredes, vt constat ex §. *ex conditionali, Institut. de verborum obligationib.* ibi, *ex conditionali stipulatione tantùm spes est debitum iri, eámque ipsam spem in hæredem transmittimus, si priusquam conditio extet, mors nobis contigerit*, & ibi glossa, & communiter Doctores. Ergo etiam transire potest in fiscum, ex *l. inter socerum*, §. *final. de pactis.* & probat alios referens, Anton. Gomez *tom.* 3. *variarum, cap.* 14. *num.* 2. Farinacius *lib.* 1. *prax. quæst.* 25. *num.* 146. *& de hæresi, quæst.* 190. *num.* 13. Sanchez *cap.* 14. *num.* 2. Ratio autem quare ad hæredes debita ex contractu transeant, & non debita ex vltimis voluntatibus, ea est, quia in contractu interuenit factum, & persona creditoris, qui in dubio præsumitur non solùm sibi, sed etiam suis hæredibus prospicere, & perpetuam vtilitatem ex contractu acquirere. argument. textus *in l. si pactum, ff. de probationib.* At in dispositionibus conditionalibus nõ interuenit vllum factum eius,

eius, in cuius fauorem eſt facta diſpoſitio, ex quo colligatur ſibi, & ſuis hæredibus voluiſſe proſpicere, ſed ſolùm interuenit factum diſponentis, & legantis, qui ſolùm merita, & perſonam legatarij attendere viſus eſt.

Limitanda tamen eſt hæc doctrina ad debita ſub conditione caſuali, & mixta, ſecus ſub conditione poteſtatiua: hæc enim non videntur tranſire ad hæredes, & conſequenter neque ad fiſcum, ſi tempore, quo viuebas, implere conditionem omiſeris: textus eſt ſingularis *in l. ſi decem cùm petiero, ff. de verborum obligationib. & in l. potior, & in l. qui balneum, ff. qui potiores in pignore*, cuius ratio eſt, quia tunc creditor in culpa eſſe cenſetur non implens conditionem, illáque culpa tacitè videtur iuri ſibi debito renuntiaſſe. Farinacius *dicta quaſt. 25. num. 147.* Gomez *tom. 3. cap. 14. num. 2.* Sanchez *lib. 2. cap. 14. num. 24.* Vaſquez *diſput. 169. cap. 1. num. 5. & 6.* Neque obſtat *l. 2. C. de pactis inter emptorem, & venditorem*, vbi ſi quis vendidit rem cum pacto de retrouendendo, ipſe, & hæres eius poteſt rem redimere oblato pretio, & tamen illa conditio eſt poteſtatiua. Ergo debita ſub conditione poteſtatiua tranſeunt ad hæredes, & conſequenter ad fiſcum. Non, inquam, obſtat, nam, vt bene dicit Anton. Gomez *tom. 2. variarum, cap. 11. num. 36. circa medium*, debita ex contractu lucratiuo ſub conditione poteſtatiua ad hæredes non tranſeunt; ſecus verò debita ex contractu oneroſo vltro citróque obligatorio: hic enim ad hæredes tranſit, ne alter contrahens eſſet in damno.

Quòd ſi inſtes contractum oneroſum non poſſe committi in liberam voluntatem alicuius contrahentis, ex *l. in vendentis, C. de contrahenda emptione.* Ergo neque in conditionem poteſtatiuam, quod idem eſt.

Reſpondeo concedendo contractum oneroſum, & eius ſubſtantiam non poſſe poni in liberam alicuius contrahentis voluntatem; ſecus tamen reſolutionem contractus, quæ inducitur per pactum de retrouendendo. Hæc enim bene poteſt poni, & committi in voluntatem vnius, ex text. *in l. quod ſi nolit, §. ſi quid ita, ff. de ædilitio edicto*, & tradit ex Panormitano, & aliis Anton. Gomez *tom. 2. variarum, cap. 11. num. 36. in medio.*

PVNCTVM V.

An publicatis bonis hæretici ius patronatus Eccleſiaſtici, & penſionis publicetur.

1 *Iuris patronatus non datur propria confiſcatio, ſed illius extinctio.*

2 *Intelligendum eſt, dummodo non ſint alij compatroni, vel alij ab inſtitutore vocati.*

3 *Si ius patronatus ad extraneos hæredes tranſire non poteſt, neque poteſt confiſcationi ſubijci.*

4 *Apponitur quædam limitatio de confiſcatione perpetua, ſecus ad vitam. Sed reijcitur.*

5 *Ius patronatus ad hæredes extraneos tranſmiſſibile publicatis omnibus bonis, per iudicem Eccleſiaſticum, publicatur.*

6 *Si iudex laicus ſit, & reus laicus, & publicentur omnia bona, ius patronatus non manet directè, bene tamen indirectè publicatum.*

7 *Quando cenſeatur ius patronatus directè, quando indirectè, & acceſſoriè publicari.*

8 *Iudice laico publicante delinquentium bona, vel illa vendente, ius patronatus publicare plures negant, alij affirmant.*

9 *Sub diſtinctione reſpondeo, ſi annexum eſt alicui villæ, publicari; ſecus ſi perſonam comitetur.*

10 *Limitant aliqui de confiſcatione perpetua, ſecus de temporali. Sed non admittitur limitatio.*

11 *Confiſcatis à iudice laico bonis, poſſit ne iudex Eccleſiaſticus ius patronatus confiſcare? Alij affirmant, alij negant, media via tenenda eſt.*

12 *Penſiones non comprehenduntur ſub confiſcatione à iudice laico, bene tamen Eccleſiaſtico: & qua ratione.*

1 IN hac re aliqua ſunt certa, alia ſub controuerſia. Primò certum eſt, non dari huius iuris propriam confiſcationem, quia non transfertur in fiſcum, cùm de facto dicitur confiſcari; ſed datur extinctio illius iuris in fauorem Eccleſiæ, & Eccleſia à die publicationis iuris patronatus manet libera ab illo iure ſibi oneroſo. Hoc priuilegium non eſt expreſſum in iure, eſt tamen conſuetudine receptum; vt teſtantur ferè omnes Doctores. Lambertinus *de iure patronatus, lib. 3. quaſt. 8. per varios articulos.* Simancas *de catholic. inſtitut. tit. 9. num. 95. & 96.* Suarez *diſput. 22. de fide, ſect. 5. num. 6.* Azor *lib. 8. cap. 12. quaſt. 9.* Sanchez *lib. 2. cap. 19. num. 16.* Vaſquez *1. 2. diſput. 169. num. 19.* Farinacius *de hæreſi, quaſt. 190. num. 24.* & alij apud ipſos.

2 Hoc autem intelligendum eſt duplici limitatione à Sanchez adhibita *num. 17.* quámque probat Farinacius *num. illo 24.* Primò, ne ſint alij compatroni, quia ſtantibus aliis compatronis non manet libera Eccleſia, ſed ius præſentandi in illis reſidet; quia non erat iuſtum abſque eorum culpa iure acquiſito priuari. Secundò, ne alij ab inſtitutore vocati ſint, ſed iure hæreditario ad ſucceſſores erat cum aliis bonis tranſiturum: tunc enim Eccleſia manet libera in perpetuum, quia in hoc nulla ſucceſſoribus fit iniuria, cùm ſolùm haberent ius ſuccedendi, caſu quo delinquens ad illos poſſit bona tranſmittere. At ſi alij ab inſtitutore vocati ſunt, attendenda eſt diſpoſitio inſtituentis, quæ ſi dicat poſt vitam delinquentis vocare agnatos, & eius ſucceſſores, durante vita delinquentis manebit Eccleſia libera. At ſi diſpoſitio ſit, vt non ſolùm poſt vitam delinquentis ſuccedat eius proximus agnatus, ſed cùm primùm delictum committit; variant Doctores, an præiudicare poſſit talis diſpoſitio fiſco, qui negant præiudicare poſſe, conſequenter affirmare debent ad fiſcum pertinere, ac proinde manere liberam Eccleſiam. Qui verò affirmant, ſtatim ipſo facto ad ſucceſſores tranſire ius patronatus affirmare debebunt. Quid autem tenendum ſit, in confiſcatione maioratus videbimus.

3 Secundò eſt certum, ſi ius patronatus tranſire non poteſt ad extraneos hæredes, eo quòd in ipſius fundatione cautum ſit debere agnatos ſuccedere, aut homines talis conditionis, ad fiſcum non tranſit, quia hic loco extranei hæredis habetur, ex *l. 2. C. ad legem Iuliam de vi.* Et ratio eſt manifeſta, quia fiſcus vſurpare non poteſt delinquentis bona, niſi quatenus illius ſunt; ſed illius non eſt ius patronatus ſub conditione tranſitoria. Ergo illud fiſcus vſurpare non poteſt. Adde, agnati delinquentis non habent ius ſuccedendi in iure patronatus ex voluntate delinquentis, ſed ex voluntate inſtituentis, & fundantis Eccleſiam; quo iure priuari non poſſunt ex vnius delicto; aliàs innocentes ſine cauſa directè puniti eſſent. Sic tradunt expreſsè Peregrinus *de iure fiſci, lib. 5. titul. 1. num. 72. & 121.* Iulius Clarus *in ſua practica, lib. 5. quaſt. 78. num. 8.* Farinacius *quaſt. 25. num. 151. & de hæreſi, quaſt. 190. num. 24.* Sanchez *lib. 2. in Decalog. cap. 19. num. 2. & 15.* Bernard. Diaz *pract. cap. 132. num. 5. circa fin.* & alij.

4 H[illegible]

4 Hoc autem temperant aliqui, vt intelligatur de confiscatione perpetua, secus de confiscatione ad vitam delinquentis, quia durante vita delinquentis, nemini ex vocatis fit iniuria, si fiscus habeat ius præsentandi, cùm ipsi vocati non sint durante vita delinquentis. sic Socinus iunior *consil.51. volum.2.* Cantera *in suis quæstionibus crimin. tit. de quæstionibus tangentibus punit. delict. cap.1. num.50.* Vmbert. Locat. *post iudic. inquisit. quæst.* 7. fauet Farinacius *de hæresi, quæst.* 190. *num.* 24. At reiicienda est hæc limitatio, sicut illam reiicit Sanchez *suprà num.15.* quia est contra dispositionem instituentis ius patronatus; prohibuit namque illius alienationem, & successionem in alios, qui tales qualitates non haberent. Cùm autem illa temporalis successio sit vera successio, & alienatio, nequit à fisco fieri, aliàs posset patronus ad vitam vendere ius patronatus contra voluntatem instituentis.

5 Tertiò certum est, si confiscatio sit facta à iudice Ecclesiastico, vt contingit in crimine hæresis, siue patronus laicus sit, siue clericus, & publicentur omnia illius bona, publicatum manet ius patronatus, quod ad hæredes extraneos transire potest, ex *Clement. pastoralis, §. rursus, de sentent. & re iudicat. à contrario sensu.* Ratio est, quia delictum dignum est illa pœna, & condemnans iurisdictionem habet, neque tunc curandum est, an veniat ius patronatus principaliter, vel accessoriè ad publicationem, vel an exprimatur, vel non exprimatur, quia iudex habet iurisdictionem cognoscendi de iure patronatus etiam principaliter. sic Bernard. Diaz *in sua practic. cap.* 132. *num.* 5. *in princip.* Lambertin. *de iure patronatus, lib.3. quæst.8. artic.8. num.*10. Sanchez alios referens, *lib.2. cap.19. num.*3.

6 Quartò est certum, si iudex laicus bona delinquentis publicet, vt contingit in crimine sodomiæ, & læsæ maiestatis humanæ, & reus est laicus, tunc directè, & per se non potest ius patronatus publicare, quia ius patronatus est spirituale, sed circa spiritualia non habet laicus iurisdictionem directam, imò neque indirectam, ex *cap. tuam, de ordine cognit.* Ergo. Et ita tradit Lambertin. *num.* 11. Sanchez *num.*4. Farinacius *quæst.25. num.*152.

7 Sed inquires, quando censeatur iudex Ecclesiasticus publicare ius patronatus directè? Plures Doctores, quos refert Sanchez *num.*14. dicunt contingere, cùm in publicatione exprimitur, quocumque modo exprimatur; tunc accessoriè, cùm nulla illius est expressio, sed solùm bona, quibus annectitur, publicantur. In hoc secundo nulla est inter Doctores controuersia, cùm tunc nulla exerceatur iurisdictio in ius patronatus, sed in bona, puta in castrum, & villam, quibus est annexum. sic Farinacius *quæst.25. num.156. & 157.* Gigas *de crimine læsæ maiestatis, quæst.4. num.5. & 6.* Lambertin. *quæst.8. art.8. num.20. casu* 8. & habetur *cap. cum secundum, de iure patronatus, & cap. pia mentis, 16. quæst.7.* De priori verò plures, quos refert, & sequitur Sanchez *num.*13. oppositum sentiunt, affirmant namque exprimi posse ius patronatus in publicatione, & nihilominus illius publicationem accessoriam esse: dicunt namque dupliciter exprimi posse, vel per dictionem *&*, vel per dictionem *cum*, si exprimatur per dictionem *&*, vt si diceret iudex, publico omnia bona huius delinquentis, & ius patronatus esse publicationem tunc directam, quia tunc videtur ius patronatus æquè ac alia bona publicari, quæ publicatio si facta est à iudice laico, nulla est; at si publicatio fiat per dictionem *cum*, vt si diceret, publico omnia bona delinquentis cum iure patronatus, tunc ius patronatus accessoriè intrat ad reliqua bona, quia sic nominans solùm intendit publicare ius patronatus ad publicationem reliquorum bonorum, quibus inest, & eo modo quo inest, quæ publicatio cùm accessoria sit, non est iudici laico prohibita; sicut neque ipsi delinquenti est prohibita illius iuris patronatus accessoria alienatio, & placet mihi hic modus dicendi.

8 Difficultas ergo est, an ex eo quòd iudex laicus publicet delinquentium bona, vel illa vendat, censeatur etiam tunc publicare ius patronatus, quod ad hæredes transire potest.

Plures Doctores negant, glossa *in cap. satis peruersum, 50. distinct. & in Clement. pastoralis, verbo subiecta, de re iudicat.* Lambertin. *de iure patronatus, quæst.8. art.8. num.*13. *& 14. casu 4. & num.21. casu* 9. Nilus *de bannitis, 1. part. secundi temporis, num.*32. Farinacius *quæst.25. num.*151. *& quæst.*190. *de hæresi, num.*24. Didac. Cantera *in quæst. crimin. tit. de quæstionibus tangentibus punit. delict. cap.1. num.* 49. Gigas *lib.2. de crimine læsæ maiestatis, quæst.4. num.*4. & alij apud ipsos. Mouentur, quia aliena est à iudice laico dispositio de re spirituali, qualis est ius patronatus, non solùm dispositio expressa, sed etiam tacita, ex *cap. tuam, de ordin. cognit. cap. at si clerici, de iudic.* & ibi gloss. Sed si ius patronatus publicatur, tacitè disponit de re spirituali iudex laicus. Ergo.

Alij Doctores econtra affirmant. Si iudex laicus omnia bona hæretici publicet, eo ipso publicare ius patronatus, quia in hac publicatione solùm indirectè, & accessoriè publicatur ius patronatus; at indirecta, & accessoria illius publicatio, & venditio non est prohibita fieri à iudice laico. Ergo. Et ita tenent, & multis probant Molin. *de primogen. cap.24. num.*26. Iulius Clarus *lib.5. practic. quæst.78. num.*8. Sanchez *lib.2. cap.19. num.*10.

9 Ego verò distinguendum censeo, aut ius patronatus annexum est alicui villæ, castro, aut alteri rei, quæ directè confiscari potest à iudice laico, aut solùm est annexum personæ, quæ in alios transmittere potest. Si ius patronatus annectatur villæ, castro, aut alteri rei directè confiscabili, ferè omnes Doctores docent, confiscatis bonis, & ipsum tunc manere confiscatum, vt constat ex his, quæ nuper diximus, & facit textus *in cap. ex litteris, de iure patron.* & ibi glossa. Si autem ius patronatus nulli rei directè confiscabili annexum sit; tunc existimo confiscatis bonis non manere confiscatum, quia non potest confiscari accessoriè ad bona directè confiscabilia, cùm illis non accedat, neque etiam confiscari potest directè à iudice laico. Ergo.

10 Temperant autem aliqui supradictam doctrinam negantem sub confiscatione bonorum intelligi ius patronatus, vt intelligatur de perpetua confiscatione; secus de temporali, & quæ ad vitam condemnati durat.

De hac autem confiscatione dicunt, etsi dubitanter, fieri, & comprehendi sub confiscatione omnium bonorum delinquentis facta à iudice laico, quia hoc esset confiscare exercitium iuris patronatus, non autem ipsum ius. Gigas *tractat. de crimine læsæ maiestatis, lib.2. quæst.4. num.4. versic. concordando tamen.* Rochus de Curte *in tract. de iure patronatus, quæst.29. col.3. versic. vel dicamus.* Sed hæc limitatio admittenda non est, sed æquè de temporali, ac perpetua est idem dicendum, quia ratio æquanimiter procedit de vtraque; cùm tam ius patronatus, quàm illius exercitium quid spirituale sit, & consequenter extra laici iurisdictionem. Adde exercitium iuris patronatus haberi non potest, nisi habito priùs ipso iure patronatus. Hoc autem siue ad tempus, siue in perpetuum, confiscari non potest ob eius spiritualitatem. Ergo neque exercitium: & ita tradit, & optimè probat Farinac. *lib.1. praxis, q.25. n.*154.

11 Sed an confiscatis bonis à iudice laico, quibus annexum est ius patronatus, possit iudex Ecclesiasticus ius patronatus confiscare declarando delictum? Negat Nilus *in 1. part. secundi temp. quæst.*32. & Farinac. *dict. q.25.*

num. 153. Mouentur : tum quia Episcopus non habet cognitionem criminis in laicum : tum quia cùm semel de delicto cognitum fuit ab vno iudice, ampliùs ab alio cognosci non potest. *l. licet, §. penult. ff. nautæ, caupones, & stabular.* Affirmat Lambert. alios referens, *de iure patronatus, quæst. 8. art. 8. num. 15. casu 5.* & consentire videtur Sanchez *lib. 2. cap. 19. num. 7.* Mouetur, quia illa declaratio delicti non est aliena à iudice Ecclesiastico : tum quia est ad tollendum ius patronatus, quod condemnatus iustè habere non potest: tum etiam, quia est ad complendam sententiam iudicis laici, quæ ad ius patronatus non se potuit extendere.

Inter has extremas sententias media via procedi potest. Censeo ergo cum Nilo, Farinacio, & aliis non posse Episcopum delinquentis delictum à iudice laico punitum iterum in iudicium vocare, & pœnam impositam augere, quia absolutè esset bis idem crimen iudicare : facitque ad hæc *cap. at si clerici, de iudic.* ibi, *At si clerici coram seculari iudice conuicti fuerint, vel confessi de crimine, non sunt propter hoc à suo Episcopo aliquatenus condemnandi*; sicut enim sententia à non suo iudice lata non tenet, ita nec facta confessio coram ipso. Concedo tamen, etsi condemnetur à iudice sæculari, posse ab Episcopo formari processum de condemnatione facta, & infamia; quam ex illa acquisiuit, ob quæ videtur indignus retinendi ius patronatus, & tanquam ab indigno poterit ab illo auferre, quod non est delictum bis iudicare, aut declarare, sed illius declaratione supposita ad defensionem Ecclesiæ, & bonorum illius procedere.

12 Tandem dubitari potest de pensionibus Ecclesiasticis, an sub confiscatione bonorum comprehendantur? Et dicendum est non posse sub confiscatione à iudice laico comprehendi, quia est quid spirituale; imò neque talis pensionarius videtur posse à iudice laico iudicari, quia est de Ecclesiæ iurisdictione ratione pensionis. Quare si à iudice Ecclesiastico confiscatio fiat, distinguendum est cum Suarez *disput. 22. de fide, sect. 5. num. 6.* de fructibus decursis ante sententiam, vel post sententiam : si de fructibus ante sententiam sermo sit, confiscantur; quia sunt bona delinquentis. Si autem de fructibus post sententiam decurrendis loquamur, non confiscantur, quia confiscatio non extenditur ad futura, neque etiam ius ad eos colligendos propriè confiscatur; sed si crimen est dignum priuatione pensionis, in fauorem Ecclesiæ extinguitur, vt beneficium ex quo pensio soluebatur liberum manet ab illo onere, ita vt delinquens nullam iam pensionem habeat. sic Suarez *suprà*.

PVNCTVM VI.

An maioratus, & fideicommissum sub confiscationem cadat.

1 *Bona fideicommisso subiecta, vel alienari prohibita non cadunt sub confiscationem.*
2 *Intelligitur casu quo testator prohibuerit alienationem in fauorem alterius à delinquente.*
3 *Item vt alienationis prohibitio perpetua sit, & non pro vita tantum delinquentis.*
4 *Subintelligitur nisi testator alienationem etiam pro vita prohibuerit.*
5 *Delinquens potest fideicommissum retinere, quousque per sententiam declaretur.*
6 *Proponuntur aduersùs dicta aliquot obiectiones.*
7 *Fit illi satis.*
8 *Ob crimen heresis, lesæ maiestatis, & sodomia, aliqui existimant confiscari maioratum, sed repellitur eorum dictum, quando institutus est maioratus ex propriys bonis.*
9 *Idem est, si ex bonis à Rege donatis, & non sub titulo maioratus, institutus sit.*
10 *Sì sub titulo maioratus à Rege donata sunt, sub confiscationem cadunt bona illa, ex quibus maioratus constitutus est, vt affirmant plures Doctores.*
11 *Probabilius censeo oppositum.*
12 *Si in facultate regia, qua fuit maioratus institutus, cauetur, vt transeat ad fiscum, si possessor crimen lesæ maiestatis committat, confiscatur maioratus.*
13 *Secus si hac clausula apposita non sit in concessione.*
14 *In casu dubio, an maioratus ex regia facultate institutus sit, an ex iure communi, presumi debet non ex regia facultate, sed ex iure communi constitutus.*
15 *Maioratus ex regia facultate institutus, qui ex dispositione iuris communis institui poterat, non cadit sub confiscationem.*
16 *Maioratus ex regia facultate institutus ex omnibus bonis, qui tamen in tertium, & quintum institui poterat, an confiscationi subijciatur quoad tertium, & quintum? Negat Sanchez.*
17 *Contrarium defendit Anton. Gomez, & mihi probatur saltem in duplici casu.*
18 *Quid si protestetur se instituere maioratum ex regia facultate, tum ex legali, prout sibi, suisque heredibus vtilius sit, tunc confiscationi subyciatur illa in parte, in qua ex regia facultate, secus in alia.*
18 *Quod dictum est de maioratu, dicendum est de regno.*
20 *Quando maioratus in perpetuum publicatur, finitur maioratus, & fiunt bona libera.*

1 HÆc bona alienari non possunt. Difficultas ergo est, qua ratione sub confiscatione comprehendantur. Et omissis variis argumentis, quæ pro parte affirmane, & negante adduci possent, resolutoriè dico bona fideicommisso subiecta, vel alienari prohibita sub publicatione bonorum non comprehendi : textus est expressus *in l. Imperator, ff. de fideicommiss. libertat.* & ibi Bart. *num.* 1. Gigas *de crimine lesæ maiestatis, lib. 2. tit. de pœnis, quæst. 3. num. 1.* Clarus *practic. quæst. 78. versic. saltem quæro.* Farinacius innumeros referens, *lib. 1. practic. quæst. 25. num. 22.* Molin. Iesuita *tom. 3. disput. 556. num. 2.* Ratio est, quia quilibet habet in suis bonis liberam disponendi facultatem. *l. sed etsi lege, §. consuluit, ff. de petitione hæreditatis.* Sed qui tibi ea bona reliquit, non absolutè reliquit, sed sub conditione, ne ea alienare posses. Ergo sub confiscatione non comprehenduntur. Probo consequentiam primò. Nam si alienare non potes contrahendo in præiudicium alterius; neque etiam alienare potes delinquendo in ipsius præiudicium. *l. si filius, C. de bonis proscriptorum.* & tradit Bart. *in l. si finita, §. si de vectigalibus, num. 12. ff. de damno infecto.* Secundò delictum est quasi contractus cum fisco factus, ratione cuius bona sunt fisco obligata. *l. Imperatores.* ibi, *tu te ipsum pœnæ subdidisti, ff. de iure fisci;* sed hæc bona non possunt alteri obligari in præiudicium innocentis. Tertiò, quia nullus potest amittere, nisi ea, quæ sibi propria sunt, & quorum habet liberam dispositionem, ex text. *in l. si dotem, C. de iure dotium, l. emancipatum, §. fin. ff. de Senatoribus.* Extendenda tamen est hæc conclusio, non solùm ad bona, quæ tibi sunt prohibita alienare, sed etiam ad bona, quæ tibi sunt prohibita diuidi, quia ea diuidere non potes, quin alienes, & diuisio est quædam alienatio. *l. si pupillorum, ff. de rebus eorum.* sic Ruinus *consil. 23. num. 15. lib. 5.* Roland. *consil. 84. num. 30. & sequent. volum. 1.* Farinacius alios referens, *lib. 5. practicar. quæst. 25. num. 31.* Sanchez *lib. 2. cap. 18. num. 17.*

2 At

2 At limitanda est conclusio primò, vt procedat, casu quo testator prohibuerit alienationem fieri in fauorem alterius à delinquente, quod semper contingit in fideicommisso, & quoties aliqui sunt vocati. nam si tantùm in fauorem delinquentis est alienatio prohibita: quod colligitur satis, cùm nullus est datus substitutus, neque aliqui sunt à testatore vocati, tunc in fiscum transeunt illa bona, quia propter delictum fauor ille perditur. sic Molin. *de primogen. lib.4. cap.vlt.num.5.* Farinacius *quæst.25. num.46. & 47.* Sanchez *lib.2. cap.18. num.5.* & alij innumeri apud ipsos. Quod verum habet, etiãsi testator expressè prohiberet bona illa transire in fiscum, quia illa prohibitio, vtpote fauens delinquenti, & in fraudem fisci facta impedire non potest translationem in fiscum: sic Sanchez *num.7.* Farinacius *num.47.* Molin. *de primogen. lib.4. cap.vlt. num.14.* & fauet textus *in l. filiusfamilias, §. Diui, ff. de legat.1.* ibi *sed neque creditoribus, neque fisco fraudi esse.* Ex quo infert bene Farinacius *num. 49.* delinquentibus omnibus, quorum occasione facta est prohibitio alienandi, tunc fideicommissum est alienari prohibitum transire in fiscum, quia cessat ratio damnificandi innocenti ex tali transitu.

3 Secundò limita, vt intelligatur de alienatione perpetua. nam de temporali, & ad vitam damnati optimè potest transire in fiscum, ita vt fiscus percipiat commoditatem, & vsumfructum, quem damnatus percipere deberet, quia in hoc nulla fit innocenti iniuria, & est expressa decisio textus *in l. Statius Florus, §. Cornelio Felici, ff. de iure fisc. in l. cùm pater, §. hereditatem, ff. de legat.2. & in l. ex facto, §. ex facto, ff. ad Trebellian.* & ibi Alexand. Bart. & alij, & multis relatis docet Farinacius *quæst.25. num.34.* Sanchez *lib.2. cap.18. num.8.* dicens esse omnium. Neque obstat sic delinquentem bannitum cum publicatione bonorum reputari pro mortuo, ex *dict. l. ex facto, §. ex facto, ff. ad Trebellian.* vt dicamus substitutum debere succedere, & non fiscum, quia hoc habet verum in his, quæ commodum delinquentis spectant, non in his, quæ aliorum vtilitatem concernunt. sic ex Beroio *quæst.41.* & ex Riminaldo *consil.50. n.109. lib.1.* & aliis tradit Farinac. *n.34.*

4 Hoc autem intelligendum est, quando fideicommisso non adderetur expressa alienationis prohibitio extra familiam. nam si hæc prohibitio addita sit fideicommisso, censeo tanquam probabilius neque vsumfructum ad fiscum pertinere, quia non potest ad fiscum pertinere vsusfructus, quin bona sint in fiscum alienata; at eo ipso quòd alienata sunt, transeunt in substitutum ex expressa testatoris dispositione. Adde stante alienatione per delictum in fiscum, purificatur conditio requisita, vt substitutus succedat, & fiscus excluditur. Ergo. quod optimè confirmari potest ex *l. Imperator 12. & ex l. rogo 21 ff. de fideicommiss. libertatib.* vbi legatis tribus seruis Mutiano hac conditione, ne aliis seruirent, cùm Mutiani bona fuerint publicata, serui liberi remanserunt, quia purificata fuit conditio legati, sed cùm tibi fideicommissum tradatur, ea conditione, ne extra familiam deueniat, si per delictum alienasti, iam purificatur conditio, & ad substitutum transit. sic Clarus *in practic. quæst.78. versic. quæro.* & ibi Baiar. *num.36.* Bernard. Diaz *pract. cap.132. num.4. fine.* Bonacina *disp.3. de contract. punct. vlt. de feudo, §.1. num.20.* Hieronymus Gabr. *consil.123. & consil.184. num.1. lib.1.* Farinac. *q.25. num. 35.* Sanchez *lib.2. cap.18. num.15.* & alij plures apud ipsos.

5 Aduerto tamen transire ad substitutum post delicti declarationem, & delinquentis condemnationem: nam vsque ad illud tempus potest delinquens fideicommissum retinere, quia testator solùm voluit ne extra familiam veniret, quod non venit, dum delinquens retinet; at data sententia declaratoria retrotrahitur dominium à die commissi criminis, & transfertur cum bonorum fructibus in sequentem vocatum, bonáque illa sunt successori addicta, & obligata à puncto commissi delicti, sicut alia bona, quæ ipso facto confiscantur, sunt obligata fisco. Vasquez *1.2. disp.169. c.4.* Sanchez *lib.2. cap.18. num.30.*

6 Sed obiicies primò. Testator non potest impedire, quin leges in sua dispositione locum habeant. *l. nemo potest, ff. de legat.1.* Sed si commisso delicto impedit ne bona delinquentis transeant in fiscum, impedit legis dispositionem, quæ bona delinquentis fisco applicat. Ergo. Secundò hæc dispositio videtur esse in fisci præiudicium, ac proinde nulla. argument. textus *in l. filiusfamilias 117. §. Diui, el 2. ff. de legat.1.* vbi Ripa *num.52.* Tertiò, quia finis testatoris est, ne bona illa transeant in alienum, sed hoc saluari potest, etiamsi commoditates, vsúsque fructus transeant in fiscum, vt contingit, cùm fideicommisso non additur expressa alienationis prohibitio. Quartò taciti, & expressi idem iuris est. *l. de quibus, in fine, ff. de legib. & l. cùm quid, ff. si certum petatur.* & latè Euerard. *loco ab expresso ad tacitum, num.1.* Sed tacita alienationis prohibitio, quæ in quocumque fideicommisso reperitur, non obest, quòd fiscus vsumfructum percipiat fideicommissi. Ergo neque etiam expressa illius prohibitio impedire potest. sic tenent plures Doctores, quos refert, & sequitur Gigas *tractat. de crimin. læsæ maiestatis. lib.2. tit. de pæn. committ. id crimen, quæst.3. n.4.* Anton. Gomez *l.40. Tauri, n.91.* Peregrin. *de iure fisci, lib.5. tit.1. n.101.* Molin. *de primogen. lib.1. cap.20. num.9. & lib.4. cap.vlt. n.11.* & alij relati à Sanchez *lib.2. cap.18. num.14.*

7 Sed retinenda est nostra sententia; &

Ad primum dicimus testatorem impedire non posse, quin leges in sua dispositione locum habeant: nego tamen impedire legis dispositionem, ex eo quòd ante commissum delictum disponat, vt si de facto delictum committatur, bona illa delinquentis alteri applicentur. Lex enim solùm disponit, vt bona delinquentis, quæ delinquentis sunt, cùm delictum committit, fisco applicentur. At illa bona iam desinunt esse delinquentis ex dispositione testatoris, cùm ipse delictum perpetrat, & successori applicantur. Ergo. sic tradit Anton. Gomez *l.40. Tauri, num.91.* Molin. Iesuita *tom.3. disput.656. num.vlt.* Farinacius *quæst.25. num.23. & seqq.* Bossius *in sua pract. tit. de bonorum public. n.30.* Sanchez *lib.2. cap.18. à num.25.*

Ad secundum nego illam dispositionem in fisci præiudicium esse, quia præiudicium esse non potest, vbi non tollitur ius quæsitum. Quòd autem tollatur ius, quod acquisiturus erat fiscus ex delicto, si talis dispositio cessaret; in causa esse non potest, vt dicamus dispositionem esse factam in fisci præiudicium; aliàs in omni fideicommisso hoc præiudicium inueniretur, quod non est dicendum, cùm cuilibet liberum sit de suis bonis disponere, neque in hac dispositione iniuriam alicui facit, vtpote iure suo vtens. Quòd si vrgeas. Ergo valebit hæc dispositio: Volo vt mea bona, si delinquam, ad agnatum proximum perueniant, & non ad fiscum. contra doctrinam Bart. *in l. post contractum, 15. num.9. ff. de donationib.* ibi non valet, si contigerit bona mea publicari. Neganda est consequentia. Et ratio diuersitatis est clara, quia talis dispositio in fisci præiudicium, & in delinquentis fauorem est facta; eáque de causa non debet sustineri. At cùm pater delinquentis, vel alius qui nec delinquit, nec delinquere cogitauit, disponit, vt si delictum à fideicommissario committatur, fideicommissum transeat ad agnatum, non fauet delinquenti, sed familiæ, quam fisco præferre intendit; ac proinde sustinenda est dispositio. sic optimè aliis relatis docet Farinacius *quæst.25. num.26.* Sanchez *num.27.* & Molin. *de primogen. lib.2. cap.12. num.56.* & adducit Bald. *in l. parentes, num.1. C. de testam.* ibique assignat rationem, quia pœnæ

pœnæ non irrogatæ indignatio solam duritiem continet. *l. seruus ea lege, ff. de seruis exportand.* pluribúsque aliis exornat.

Ad tertium nego adæquatum finem huius dispositionis esse, ne bona illa transeant in alienum, sed etiam ne in delinquente iam declarato retineantur. Ex quo fine necessariò sequitur non posse fiscum vsusfructus, & commoditates percipere; quia illis bonis translatis in substitutum innocentem debent cum fructibus transferri; aliàs sine culpa fructibus sibi debitis priuaretur.

Ad quartum concedo taciti, & expressi idem iuris esse, quando tacitum loco expressi, & expressum loco taciti succedit; secus verò quando expressum tacito superadditur, vt in præsenti fit, quia duplex prohibitio, legis scilicet, & hominis, plus operatur, quàm simplex. *cap. cùm ad verum, & ibi glossa, de conditionibus appositis.* & multis relatis docet Farinacius *quæst. 25. n. 36. & 37.* Ex quo infert pluribus relatis differentiam valde notandam inter ea, quæ à lege sunt tacitè alienari prohibita, qualia sunt bona restitutioni obnoxia, & fideicommissaria; & inter ea, quæ vltra hanc tacitam legis prohibitionem, habent expressam testatoris prohibitionem alienandi, vt videlicet tacitè alienari prohibita, si alienentur, non possunt nec per fideicommissarium, nec per eius substitutum durante vita grauati vindicari. At fideicommissa expresse alienari prohibita, si alienentur, possunt non quidem à fideicommissario, sed à substituto etiam durante vita grauati vindicari: & tradit Sanchez *lib. 2. in Decal. cap. 18. num. 2.* Molin. *lib. 1. de primogen. cap. 16. n. 33. & lib. 4. cap. 1. n. 3.* Peregrin. *de iure fisci, lib. 5. tit. 1. n. 101.*

8 Tertiò limitant aliqui primam conclusionem in confiscatione facta ob crimen læsæ maiestatis diuinæ, & humanæ, & sodomiæ; in hac enim confiscatione, præcipuè in crimine hæresis, affirmant sub publicatione bonorum maioratum, qui est quoddam fideicommissum, comprehendi. sic Simancas *de catholic. institut. tit. 9. à n. 253. vsque ad 273.* & Azor *tom. 1. lib. 8. cap. 12. q. 7. & 13.* Mouentur, quia sub hac tacita conditione videntur institui, & à Principe institutionem approbari, secus repelli.

Cæterùm hæc limitatio ita vniuersaliter posita admittenda non est, sed distinguendum de maioratibus institutis ex regia facultate, vel sine illa, ex propriis bonis instituendis, vel ex bonis Regis, & de possessore maioratus, vel de primo instituente. Et primò dicendum est: si alius à primo instituente possideat maioratum constitutum ex dispositione tantùm iuris communis concedentis cuilibet non habenti hæredes necessarios disponere de propriis bonis, prout sibi placuerit, vel ex dispositione legum nostri regni concedentium facultatem instituendi maioratum, & in aliquo filio perpetuandi de tertio, & quinto suorum bonorum; & in supradicta crimina incidat, nullo modo maioratum sub confiscatione comprehendi. sic pluribus relatis docent Anton. Gomez *l. 40. Tauri, num. 91.* Molin. *de primogen. cap. 2. num. 10. & lib. 4. cap. vlt. à num. 31. & seqq.* alter Molin. *tom. 3. disp. 657. à num. 3. & disp. 582. n. 1.* Sanchez *lib. 2. in Decal. cap. 18. num. 36.* Vasquez 1. 2. *disp. 169. cap. 4. à num. 30.* Mieres *de maioratib. p. 4. q. 23. à n. 1. vsque ad 22.* Ratio est, quia fiscus solùm vsurpat bona delinquentis, quatenus delinquentis sunt; sed hic maioratus non est delinquentis absolutè, & in perpetuum; sed solùm pro tempore suæ vitæ, illa enim transacta addictus est aliis cognatis ex dispositione primi instituentis. Ergo solùm pro tempore vitæ delinquentis confiscari potest, atque adeò quoad fructus, & commoditates. Secundò communi iure statutum est omnia fideicommissa, & alienari prohibita, non cadere sub confiscatione perpetua, sed nullus est textus, qui ob hæc crimina publicet maioratum, imò potiùs sunt plures textus, qui maioratum à confiscatione etiam in his criminibus excipiant. Ergo. Maiorem probo ex *l. iura libertorum, ff. de iure patronatus,* vbi ex causa perduellionis, sicut ex aliis, non datur confiscatio; & idem probat textus *in l. eorum, ff. ad legem Iuliam maiest.* vbi ob crimen læsæ maiestatis iura libertorum non confiscantur. Et ex iure canonico est textus satis efficax *in cap. felicis, §. si qua verò feuda, de pœnis, in 6.* vbi feuda, quæ ad hæredes extraneos transire non possunt, non veniunt in confiscationem. facit etiam *l. 3. tit. 2. p. 7.* à contrario; ibi enim dicitur auferenda esse ab hærede omnia bona, quæ à traditore acceperat: at maioratus non possidetur à traditore, sed à primo institutore illius. Ergo. Neque his aduersatur *l. 1. C. de bonis libert.* vbi probatur bona libertorum fisco adiicienda esse in crimine læsæ maiestatis, quamuis Bald. *ibi num. 8.* limitet ex hoc textu regulam illam generalem dicentem iura libertorum, & ea, quæ ad hæredes extraneos transire non possunt, non posse transire in fiscum, vt non intelligatur in crimine læsæ maiestatis. Non, inquam, aduersatur, quia illa lex loquitur de his iuribus libertorum, quæ ad extraneos hæredes transire valent, iuxta *l. si non fortem, §. libertus, ff. de condict. indebit.* vt dixit Bald. *ibi num. 2.* & Paul. *num. 4.* vel loquitur de confiscando iure patronatus, quod delinquenti competebat; non de illo, quod competebat eius hæredibus, & successoribus. Maioratus autem si in perpetuum confiscandus esset, non solùm delinquenti, sed & successoribus auferretur: quod negamus.

9 Verùm si ex bonis Regis maioratus sit institutus, grauissima est difficultas, an sub confiscatione perpetua cadat ob crimen læsæ maiestatis, humanæ, diuinæ, & contra naturam? Et vt certa ab incertis separemus, affirmandum est, si bona aliqua à Rege tibi donata sunt absolutè, & non sub titulo maioratus, tu verò ex illis maioratum instituisti; ea bona, delinquente aliquo ex possessoribus, non publicantur in perpetuum, sed ad sequentem vocatum transeunt, quia ille possessor delinquens non habet à Rege, sed à te maioratum, neque bona illa regalia dici possunt, cùm à Rege fuerint absolutè donata, & translata non possessori maioratus, sed primo instituenti, & ita ex Suarez *in quæst. maioratum, num. 23.* tradit Molin. *de primogen. lib. 4. cap. vlt. num. 48.* Sanchez *lib. 2. cap. 18 num. 37.* Item si bona sint à Rege donata sub titulo maioratus in perpetuum, & confiscatio non à Rege, sed à Pontifice facienda est, vt de facto fit in crimine hæresis, applicans ea fisco Ecclesiæ, nullo modo potest Pontifex ea in perpetuum publicare, sed solùm pro vita delinquentis poterit commoditates maioratus, & fructus Ecclesiæ adiicere. Et ratio est manifesta, quia Pontifex non potest innocentes iure sibi debito succedendi in maioratum priuare, cùm ab ipso Pontifice nec datus, nec institutus fuerit sub ea conditione. sic Sanchez *n. 40.* cum Vasquez 1. 2. *disp. 169. c. 4. num. 28. & 29.*

10 At si iure maioratus tibi bona donata sunt à Rege, & aliquis ex possessoribus crimen læsæ maiestatis humanæ committit, censent grauissimi Doctores ad Regis coronam deuoluenda esse, & in perpetuum publicanda: sic docent Molin. *lib. 4. de primogen. cap. vltim. num. 40. & 46. & seqq.* noster Molin. Iesuita *tract. 2. tom. 3. disput. 660. num. 1.* Vasquez 1. 2. *disp. 168. cap. 4. num. 28.* Sanchez *lib. 2. cap. 18. num. 37.* Mouentur primò, quia donatis à Rege videtur ea tacita conditio inesse, vt quicumque illorum possessor Regem offenderit, statim ad coronam deuoluantur. Et probari potest primò à simili ex feudo, quod sub ea conditione datum esse censetur, vt si feudatarius dominum offenderit, excludantur agnati, & reuertatur ad dominum. *cap. 1. §. denique, quæ fuit prima causa beneficij amitt. & cap. 1. §. si vasallus, si de feudo fuerit controu. inter domin. & agnat.* Secundò ex

ratio

ratione generali, qua solent donationes reuocari, quæ est ingratitudo donatarij aduersùs donantem. *cap. si propter, de donationib. l. fin. C. de reuocand. donat. & ibi gloss.* quæ in præsenti procedit: nam quilibet possessor maioratus à Rege instituti est immediatus Regis donatarius, & ab ipsa Regia corona, quæ nunquam moritur, censetur maioratum accipere. Ergo ipsa regia corona ob ingratitudinem donatarij potest maioratum reuocare. Tertiò ex duplici lege, altera pro Lusitaniæ regno, altera pro regno Castellæ. In Lusitania *lib. 5. ordinam. tit. 3. §. 5.* dicitur: *Pero si algun trouxesse feudo morgado o o foro do Reoy, que in perpetuum, querem personas, e cometes se tal crime de lesa magestade, por que seus biens debiessen ser confiscados en tal caso esse morgado feudo, ou foro sera tornado a o Rey para façer de le loque for sua merçe.* Et pro Castellæ Regno adducitur pragmatica Henriqui II. ab vtroque Molin. *locis allegatis*, quæ tamen vsque adhuc typis mandata non est. Quæ sic se habet: *Aloque me pedisteis por merçed, que si, lo que Dios no quiera, alguno de qualquier estado, o condiçion de los mis Reynos fuere contra miseñorio, y honrra, y prouecho de mis Reynos, aliandose con villa, o castillo, o haçiendo della guerra, o no viniere amillamamiento siendo requerido por my, y fuere contra el mi consejo menos preçiando mis cartas, y no viniere al termino por mi en las mis cartas assignado por si, o por su procurador por las villas, o castillos, que tu biere en el mi Reyno, o cayere en caso que deba perder los bienes, que sea la mi merçed, que de los sus bienes que debiesse perder, que si fuessen sin donadio, e merçed de los Reyes, on de y o vengo, que por los demi consejo ordenemos dellos, loque la mi merçed fuesse. Pero si vbiere villa, o castillo, o otra heredad por donaçion de los Reyes mis anteçessores, que los tales bienes que a si debiere perder, tornen a la corona real don fueron partidos, y vos lo prometiesse assi. A esto vos respondemos de consejo, acuerdo, autheridad de los demi consejo, que me demandais cosa, que cumple al mi seruiçio, y al prouecho de mis Reynos, como buenos, y leales vasallos, y vos lo tengo en seruiçio, y me place y vos prometo de lo assi haçer, y cumplir de la guisa que vos demandais, y que las maneras, que se an de tener a çerca dello, que lo ordenara mi consejo a guisa que bien, y cumplidamente se haga lo que demandais en esta raçon.* Circa quam pragmaticam primò aduertit Molin. Iurisconsultus intelligendam esse de bonis primogenio subiectis à Rege donatis, etsi specificè de illis non disponat; aliàs nihil nouum pragmatica statuisset, neque opus esset assignare differentiam inter bona donata à Rege, vel aliunde quæsita, cùm omnia, quæ libera sunt, fisco Regis applicentur. Secundò esse intelligendam non de omnibus bonis donatis, sed de castris, oppidis, & villis; quia de ipsis solis pragmatica Henriqui loquitur, & hæc sunt, quæ seruitij, & fidelitatis iura exigunt; non aliæ donationes minores. consentit iis noster Molin. *dicta disput. 660.* Sanchez *lib. 2. cap. 18. num. 38. in medio.* Tertiò affirmat Iurisconsultus Molin. *num. 69.* non impedire confiscationem, etiamsi à Rege cautum esset, ne fisco applicarentur illa bona, si aliquis eorum possessor delinqueret, quia talis remissio, & conuentio, vtpote fauens delicto, nulla esse videtur, cui dicto iure optimo repugnant Vasquez, Sanchez, & noster Molin. *locis allegatis*; eo quòd talis remissio consona sit iuris communis dispositioni, quæ habet bona non fisco, sed successoribus applicari. Neque talis remissio, aut conuentio delicto fauet, cùm delinquens nullum ex ea commodum reportet; faueret autem delicto, & delinquenti, si Rex statueret non confiscare commoditates, & vsumfructum, à delinquente, etiamsi delictum committeret. Quartò affirmat Molin. Iurisconsultus *n. 49.* confiscationem impediri, si bona à Rege donata iure maioratus, donata sint in remunerationem seruitij facti, illiúsque qualitatem, & quantitatem non excedant, quia hæc ob ingratitudinem reuocari non possunt, cùm non sint donationes gratuitæ, sed debitæ respectu illius quantitatis, & qualitatis, iuxta *cap. relatum, de testament. & l. si donatione, C. de collationib.* vbi Ias. *num. 3.* Decius *num. 16.* Quintò affirmat idem Molin. *illo num. 49.* supradicta bona ob crimen hæresis, & sodomiæ non publicari, sed solùm ob crimen læsæ maiestatis humanæ, quia in solo hoc crimine inuenitur ingratitudo, quæ est causa reuocandæ donationis, & consentit Sanchez *num. 39.* & noster Molin. dubius manet, & aliorum iudicio remittit.

11 Mihi, si licet dicere, quod sentiam, probabilius videtur ob nullum ex his criminibus nec iure communi, nec regio Castellæ bona maioratus à Rege donata publicanda esse in perpetuum: tradit expresè Gregor. Lopez *l. 2. verbo mandas, quæst. 2. tit. 2. part. 7.* fauet Anton. Gomez *l. 41. Tauri, circa finem, versic. neque obstant fundamenta contraria.* Probabilem, & pro vtraque parte controuersam reputat Molin. Iurisconsultus *num. 43.* Sanchez *num. 37. fine.* Moueor primò, quia neque in iure communi, neque in nostro regno est textus expressus hanc confiscationem perpetuam indicens: & in primis de iure communi probatur infirmando argumenta suprà facta. Argumentum de feudo non est simile, quia in feudo tunc solùm admittitur confiscatio, cùm committitur felonia aduersùs dominum feudi, id est, rebellio in dominum, & offensio; & ratione huius offensionis dominus feudi vindicat sibi feudum in sequentium vocatorum præiudicium, quia hæc est via à iure concessa, qua vindicare iniuriam potest; iuxta textum *in cap. 1. §. denique, qua fuit prima causa benefic. amitt. & cap. 1. §. si vasallus feudo perin. & cap. 1. §. si vasallus, si de feudo fuerit controuers. inter domin. & agnat.* At in maioratu hoc non procedit, quia possessor maioratus habet dominium directum, & vtile, quin aliquod ius in instituente remaneat. Deinde argumentum ex ingratitudine donatarij non videtur efficax. Nam esto admittamus, ob ingratitudinem reuocari donationem gratuitam posse, cùm secundùm omnes certum sit hanc reuocationem solùm fieri posse ab eo, qui verè donator fuit respectu sui donatarij, neque transire ad hæredes donantis, neque competere aduersùs hæredes donatarij, sed in persona primi donantis, & primi donatarij hoc ius reuocandi sistere, & finiri, ex *d. l. fin. C. de reuocandis donationib.* ibi, *hoc tamen vsque ad primas personas tantummodo stare censemus.* Et cùm successor in regno, & in maioratu, non sint propriè donator, & donatarius, sed per quandam quasi analogiam, & repræsentationem; efficitur sanè donationem reuocari non posse ob ingratitudinis titulum. Adde esto donatio ob ingratitudinem reuocetur, debet reuocari respectu donatarij ingrati, non respectu aliorum, qui ingrati non sunt; sed in maioratu tot sunt donatarij, quot sunt successores vocati. Ergo iniustum est ob ingratitudinem vnius donationem aliis factam reuocare. Item si ob ingratitudinem reuocanda esset donatio maioratus, deberet reuocari donatio cuiuslibet fuerit conditionis, neque attendanda esset reuocatio ad donationem oppidorum, castrorum, sub titulo marchionatus, ducatus, &c. vt præcitati DD. docent, cùm æquè in qualibet donatione ingratitudo reperiatur. Quòd autem ex iure nostri regni non probetur maioratum à Rege donatum confiscandum esse in perpetuum ob crimen læsæ maiestatis, sic probo primò, quia illa pragmatica Henriqui II. apud Matritum edita, quam suprà adduximus, non constat esse publicatam, ac proinde neque valorem habere; aliàs in compilatione regalium legum contineretur. Deinde non est lata in forma legis: solùm enim est quædam responsio facta ab Henriquo II. vasallis sic petentibus, quorum petitionem ipse gratam habuit, & promisit executioni mandare: quomodo autem executioni mandanda esset, & quid in ea statuerit, non decernitur.

tur. Tertiò ibi non ex quocumque læſæ maieſtatis humanæ crimine villa, & oppidum videntur eſſe confiſcanda, ſed ex eo ſolùm quòd villam, aut oppidum regale vſurpaueris, aut inde bellum aduersùs Regem moueris, & vocatus à Rege non parueris. Ergo de aliis criminibus non videtur loqui pragmatica. Quartò, econtra videtur loqui non ſolùm de crimine læſæ maieſtatis humanæ, ſed de quocunque crimine digno confiſcatione, & de quibuſcunque bonis: dicitur enim, *o cayere en caſo, porque deba perder los bienes, los quales ſi fueſſen ſin donadio, que los del conſejo ordenen dellos*, prout ſibi placuerit. Vnde videtur pragmatica non ſolùm ad bona ex donatione Regis, ſed aliunde quæſita extendi, & in omni crimine digno confiſcatione, quod eſt contra præcitatos Doctores. Dicendum ergo eſt nec iure communi, neque regio Caſtellæ bona maioratus à Rege donata confiſcari in perpetuum, ſed ſolùm quoad vſusfructus, & commoditates, quas delinquens percepturus erat durante eius vita. Dixi, nec iure communi, neque regno Caſtellæ. Nam in regno Luſitaniæ videtur clara deciſio legis allegatæ, quæ loquitur de quocumque maioratu, feudo, vel foro à Rege accepto, non aliunde quæſito: quod ſatis indicant illa verba, *debe ſer tornado al Rey*; & in ſolo crimine læſæ maieſtatis humanæ, non diuinæ, neque ſodomiæ: ibi, *y cometieſſe tal crimen de leſa majeſtad*, &c.

12 Hucuſque diximus de maioratibus ex donatione Regis, vel aliunde inſtitutis abſque expreſſa Regis facultate. Si autem ex facultate Regis inſtitutus ſit maioratus, & Rex facultatem conceſſerit, ea conditione, vt ſi aliquis ex poſſeſſoribus maioratus crimen commiſerit læſæ maieſtatis humanæ, vel diuinæ, vel contra naturam, eo ipſo bona in ſequentes ſucceſſores non tranſeant, ſed fiſco applicentur, tunc manent bona confiſcata à puncto commiſſi delicti; quia inſtituens maioratum fiſco applicat bona maioratus in caſu talium delictorum, ipſeque fiſcus eſt vocatus à maioratus inſtitutore, ſicuti quilibet alius ex deſcendentibus. Neque talis diſpoſitio reiicienda eſt, ſed potiùs ſuſtinenda, cùm bonis moribus faueat, & poſſeſſores maioratus à delicto committendo contineat: ſic ex communi ſententia docent Gregor. Lop. *leg.6. verbo que la non pudieſſe, q.2. tit.11. part.6.* Anton.Gom.*leg.40.Tauri,n.92.col.4.& vlt.* Mol.*de primogen.lib.2.cap.2.num.10 & cap.12.num.57. & lib.4.cap.vlt.num.63.* noſter Mol. *diſp.657.n.2.* Sanchez *lib.2.cap.18.num.41.* & alij. Quapropter vtens facultate regia habente ſupradictam clauſulam, non poteſt inſtituere maioratum ea conditione, vt ſi aliquis ex ſucceſſoribus tractauerit de delicto contra maieſtatem diuinam, vel humanam, aut naturam, hora antecedenti tranſeant ad ſucceſſorem, quia hoc eſſet eludere fiſcum, & facultatem regiam, vt optimè comprobat Mol. *lib.2. de primogen. cap.12. num.57.* noſter Mol. *tom.3. diſp.657. num.2.* Sanchez *num.45.*

13 Quòd ſi in facultate regia omittatur maioratum fiſco applicandum eſſe ob crimina ſupradicta; dicendum eſt fiſco applicandum non eſſe, ſed ad ſucceſſores deuenturum: ſic docet Anton.Gom.*l.40.Tauri,num.91.* noſter Mol.Theologus *diſput.657.num.2. verſic. quando.* Sanchez *lib.2.cap.18.num.43.* Mol. *de primogen.lib.4.cap. vlt.n.65.* quamuis *num.* 67. dicat cogitandum eſſe cùm caſus contigerit. Ratio ea eſt, quia ex facultates aliquando cum illa clauſula, aliquando abſque illa conceduntur, & frequentiùs cum illa clauſula conceduntur; & quoties vno, vel altero modo fit conceſſio, non debet ſuppleri id quod frequentiùs accidit, ſed potiùs vt omiſſum reputandum eſt, & ad ius commune redactum, ex *l.commodiſſimè, ff. de liberis, & poſthumis.* Ergo cùm facultas data fuerit inſtituendi maioratum, & in ea non fuerit appoſita clauſula, vt ex iis criminibus fiſco applicetur; relinquitur diſpoſitioni iuris communis, in quo nulla eſt applicatio. Et confirmo. Cùm Princeps in facultate inſtituendi maioratum frequentiùs ſoleat ob ſupradicta crimina maioratum fiſco applicare; ſi aliquando hanc applicationem omittat, cenſendus eſt talem facultatem noluiſſe grauare; ſi enim voluiſſet, expreſſiſſet. Neque obſtat *l.fin. C. de fideiuſſorib. & cap. cùm M. de conſtitutionib.* Ex quibus Doctores inferunt ea, quæ apponi ſolent in alicuius rei conceſſione, ſemper cenſeri appoſita, etſi omittantur. Ergo cùm ſoleat apponi in regia facultate, applicatio fiſco facienda, ſemper cenſenda eſt appoſita. Non, inquam, obſtat, quia hoc intelligendum eſt de his, quæ ſemper ſolent apponi; ſecus de his quæ frequentiùs, vt ex Baldo, Bart. Alexand. & aliis docet optimè Molin. Iuriſconſultus *num.* 66. Vel dicendum eſt cum eodem Mol. intelligi de non ſubſtantialibus, ſecus de ſubſtantialibus. hæc namque nunquam apponi cenſentur, niſi exprimantur. *l.teſtamentum, C. de teſtament.* Hæc autem applicatio facienda fiſco ſubſtantialis eſt, & præter diſpoſitionem iuris communis. Ergo. Neque etiam obſtat maioratum inſtitutum ex facultate regia reputandum eſſe ac inſtitutum ex regia donatione, eò quòd Princeps donare cenſeatur illud, ſuper quo ſuam authoritatem interponit. *l.in edib. §.1.* vbi Bald. & cæteri. *ff.de donationib. l.etſi liqueat.C.de inofficioſis donation.* Non, inquam, obſtat, tum quia iam ſuprà reſoluimus maioratum ex regia donatione inſtitutum non confiſcari in perpetuum. Tum quia eſto id eſſet conceſſum, non deberet extendi ad maioratum ex bonis patrimonialibus ex facultate regia inſtitutum, quia illud non eſt propriè ex donatione Regis quoad bona, ex quibus maioratus conſtat, ſed quoad priuilegia, & exemptiones: ſi autem bona eſſent ipſius Regis, & ſuper eorum diſpoſitione ſuam authoritatem interponeret, cenſeretur illa donaſſe.

Aduerto tamen in facultatibus recentioribus debere conſtare de libera voluntate Principis concedentis; cùm omittit hanc clauſulam apponere, quia, vt benè aduertit Molin.*de primogen.lib.4. cap.vlt. num.68.* ex Felino, *cap.2. num.16. de reſcript.* ea quæ à communi ſtylo deuiant, ſuſpecta eſſe debent iudicari: deuiaret autem ab ſtylo his temporibus communi facultas, quæ hanc clauſulam non haberet; cùm ferè nulla ſit, quæ illam non habeat.

14 Quando autem non conſtat, an maioratus ex regia facultate, an ſine illa inſtitutus ſit, placet Simanc. *de catholic. inſtitut. cap.*.... *num.* 275. ex regia facultate eſſe inſtitutum, & facultatem conceſſam eſſe ſub illo frequentiori, & communi onere, vt ad fiſcum deueniat. At meliùs Mol. *lib.4. de primogen. cap.vlt.num.70.* & latiùs *lib.2.cap.2.à num.18.* & noſter Mol.Theologus *tom.3.diſp.657.num.2. in fin.* Vaſquez *1.2.diſp.169.n.42.* Sanchez *lib. 2. cap.18. num. 53.* exiſtimant abſque facultate Regis fuiſſe inſtitutum, ac proinde non eſſe publicandum, quia inſtitutio ex communi iure cenſenda eſt fieri, cùm de priuilegio non conſtat; tum quia priuilegium in facto conſiſtit, quod non præſumitur, niſi probetur. *l. in bello. §.facta, ff. de captiuis.* tum quia eſſe inſtitutum ex communi iure vtilius eſt poſſidenti, quia ſecurior eſt ab alienatione.

15 Ex quo fit, ſi aliquis inſtituat maioratum ex facultate regia, quem poterat ex diſpoſitione iuris communis, & legibus regiis inſtituere abſque illa facultate: vt quia in bonis liberis inſtituit, ſi habuit deſcendentes in tertia, & quinta parte ſuorum bonorum, iuxta *l. 17. Tauri*, & ſi habuit aſcendentes in tertia, cenſendum eſſe inſtituiſſe ex diſpoſitione iuris communis, & non ex regia facultate; ac proinde non eſſe confiſcationi ſubiectum: ſic docent Anton.Gomez *l.40.Tauri,num.91. circa finem.* Molin.*de primogen.lib.2.cap.2.n.10.* noſter Molin. *tom.3.diſput.582.num.2.& diſp.657.num.6.* Sanchez *lib.2. cap.18.*

cap.18.num.47. Vasquez 1.2. *disput.169. num.39. fine.* Ratio est, quia quando actus ex iure communi, atque speciali fieri potest, semper præsumendus est ex iure communi fieri, & non ex iure speciali. *l quamquam, C. de testament. milit.* & pluribus exornat Molin. *lib.2. de primogen. cap.2. num.15. vers. ex vtilitate.* Secundò, quia in dubio semper quis præsumitur de suis bonis disponere, eo modo quo sibi dispositio vtilior fit: at vtilior esse videtur dispositio ex iure communi, & legibus regni, quàm ex speciali priuilegio: tum quia sic facta perire non potest ob confiscationem, sicuti potest, si ex priuilegio regio facta sit. Tum quia difficilius Princeps facultatem concedet alienandi, vel hypothecandi bona, quæ non ex suo priuilegio, sed aliunde inalienabilia, & inhypothecabilia sunt.

16 Quæstio ergo grauis est, an habens descendentes, & ex facultate regia instituens maioratum ex omnibus suis bonis, cùm non possit cessante facultate maioratum instituere, nisi in tertia, & quinta parte suorum bonorum, censeatur talis maioratus institutus ex facultate regia, ac proinde confiscationi subiectus non solùm quoad excessum, sed etiam quoad illam partem, in qua poterat secluso priuilegio instituere? Negat Sanchez *lib.2. cap.18. num.50.* cum Molin. Iesuita *tom.3. disp.582. num.3. vers. illud est.* & Gregor. Lopez *l.6. verbo, que la non pudiesse, quæst.6. tit.11. part.6.* Mouentur, quia censeri non potest quis vti priuilegio, nisi quatenus sibi necessarium est, vel conueniens. At ad firmitatem maioratus in illa parte, in qua poterat secluso priuilegio maioratum instituere, priuilegium necessarium non est, neque conueniens, ob rationes nuper factas; imò conuenientius est ex iuris dispositione esse institutum, quàm ex priuilegio. Ergo sic est censendum esse institutum, quamuis dicat institutor ex facultate sibi concessa maioratum instituere, quia intelligi debet quoad eam partem, in qua non poterat secluso priuilegio facere institutionem.

17 Contrarium huius sententiæ defendit Anton. Gomez *l.40. Tauri, num.91. ad finem,* vbi affirmat totum maioratum censendum esse institutum ex facultate regia, quia sola facultas regia est, quæ totam illam dispositionem comprehendere potest, & cùm videatur esse quædam dispositio indiuisibilis, non videtur dari locus, vt pars aliqua facultati regali correspondeat, & pars alia legali facultati. Quæ ratio me maximè mouet, vt hanc sententiam probabiliorem iudicem, & in duplici casu illam reputem certam. Primò, si institutor habens descendentes maioratum instituat ex regia facultate in tertia, & quinta parte bonorum, & in reliquis bonis, seruatis reliquis filiis alimentis; & in hac maioratus institutione non seruet ordinem præscriptũ *in l.27. Tauri,* quæ hodie est *l.11. tit.5. lib.5. recopilat.* vt priùs vocet descendentes legitimos & naturales, deinde agnatos, & cognatos, seu collaterales, postremò extraneos: in hoc enim casu censeo certissimum ex regia facultate censendum esse maioratum institutum. Quia finis instituentis est, vt maioratus integrè ad vocatos perueniat: at peruenire non potest, nisi ex regia facultate fuerit institutus, quia solùm ex illa omitti potest ordo præscriptus. Ergo. Item priuilegio quis vti censetur, cùm sibi necessarium est, aut conuenientius; sed ad præsentem dispositionem est omnino necessarium vti tali priuilegio: aliàs dispositio in principaliori parte corruet. Ergo. Secundus casus, in quo censendus est institutor vti priuilegio solo in dispositione maioratus, est cùm vnicum filium habet, & disponit non solùm de quinta bonorum parte, sed etiam de tertia, vel de omnibus bonis; cùm enim solùm liberũ illi sit de quinta bonorum parte disponere, aliæ enim sunt legitimæ illius filij, quę grauari nullatenus possunt: si ergo de tertia, & reliquis disponit, censendus est disponere ex priuilegio Regis non solùm de iis, sed etiam de quinta parte. Tum quia est facultas Regis concessa æquanimiter pro omnibus; neque Rex concederet facultatem grauandi filium in sua legitima, si parens quintam bonorum partem eodem modo grauare nollet. Tum quia dispositio aliarum partium trahit ad se quintæ partis dispositionem, vtpote minus præcipuam. Quæ rationes generales sunt, vt intelligatur ex regia facultate integrum maioratum esse institutum.

18 Si autem instituens maioratum ex regia facultate, quem saltem ex parte poterat absque illa instituere, protestetur se instituere maioratum tum ex regia facultate, tum ex legali, prout sibi, & successoribus suis vtilius sit ad maioratum in totum, vel in parte conseruandum, in tali casu posset admitti maioratum institutum, tum ex facultate regia, tum legali, & pro illa parte, qua ex facultate regia instituitur, subiicitur confiscationi, & non pro alia. quia hæc institutio duplici institutioni videtur æquiualere. sic docent Gregor. Lopez, vterque Molin. *locis allegatis*, & Sanchez *num.52.* Non tamen caret dictum hoc difficultate superiùs posita de indiuisibilitate institutionis, & de facultate Regis aliàs non concedenda, nisi ex ea tota dispositio debeat promanare.

19 Pro complemento huius difficultatis aduertit optimè Gregorius Lopez *l.6. verbo, que la non pudiesse, tit.11. part.6.* & ex illo Sanchez *lib.2. cap.18. num.58.* quoties maioratus bona publicari in perpetuum possunt, transire in fiscum tanquam bona libera, quia iam maioratus ille finitus est, cùm finita sit successio illorum, quos institutor vocauit. Quocirca si Rex de illis disponat, & successoribus delinquentis relinquat titulo maioratus, nouus maioratus censendus est institutus, non primus continuatus.

PVNCTVM VII.

An veniat in confiscationem maioratus, quando illius institutor deliquit.

1 *Dupliciter institui potest maioratus testamento, & contractu, tum reuocabili, tum irreuocabili.*

2 *Item institui potest ante commissum delictum, vel post illud.*

3 *Delictum aliud est, cui est ipso iure confiscatio annexa, aliud cui est confiscatio imponenda.*

4 *Si de bonis habitis tempore delicti, cui est confiscatio ipso iure annexa, instituas maioratum, nulla est institutio, & confiscationi non obest.*

5 *Si bona non publicantur ipso iure, sub distinctione respondetur, si ex testamento fiat: si autem contractu irreuocabili, non confiscatur.*

6 *Quid dicendum, si contractu reuocabili? Probabilius est confiscationi non subiici.*

7 *Si ante delictum contractu irreuocabili instituatur, non subiicitur confiscationi.*

8 *Quid si delinquens reuocet maioratum? distinguit Sanchez, non transire in fiscum, si post sententiam reuocet, secus si antè.*

9 *Probabilius censeo ad fiscum pertinere.*

Restat examinare, qua ratione in confiscationem veniat maioratus, si illius institutor crimen committat dignum confiscatione?

1 Pro cuius decisione præmitto primò, dupliciter maioratum institui posse, vel testamento, vel contractu. Si testamento instituatur, nullum ius successoribus nominatis acquiritur, quousque testator vita functus sit, quia ea est natura testamenti. Quod procedit, etiamsi in maioratus institutione facta in testamento aliqua verba reperiantur, quæ donationem significent; non enim

enim cenſenda erit donatio, ſed legatum. Nam, vt benè dicit Molin. *de Hiſpan. primogen. lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 2. ea verba teſtamenti naturam non mutant, cùm verba ſecundùm ſubiectam materiam intelligenda ſint. *l. ſi vno, cum ſimilib. ff. locat.* & tradit Faber §. *legatum, Inſtit. de legatis.* Si contractu inſtituatur maioratus, inſpecto iure communi conſtitui poteſt contractu reuocabili, & irreuocabili. Irreuocabili inſtituitur, ſi in perſona filij emancipati, vel alterius agnati, cognati, aut extranei donatione inter viuos acceptata fuerit inſtitutus. *l. perfecta donatio. C. de donationib. quæ ſub modo. & l. ſiue emancipatus, C. de donationib.* Reuocabili inſtituetur, ſi filio ſub poteſtate fiat, vel ſi fiat cauſa mortis, quia hæc vſque ad mortem reuocari poſſunt, & pluribus relatis docet Molin. *ſupra, à num.* 10. At inſpecto iure regio Caſtellæ qui inſtituit maioratum, ſiue in filio emancipato, ſiue in extraneo, reuocare illum poteſt, niſi in caſibus expreſſis *in l.* 44. *Tauri.*

2 Secundò præmitto inſtitutionem fieri poſſe ante commiſſum delictum, vel illo iam commiſſo, longè aliter de vno caſu, & alio iudicandum eſt.

3 Tertiò præmitto duplex eſſe delictum, aliud, cui eſt confiſcatio bonorum annexa, ipſo facto, vt eſt delictum contra maieſtatem humanam, diuinam, & naturam; aliud, cui ſolùm per ſententiam imponi poteſt confiſcatio, vt eſt homicidium, ſimonia, &c. His poſitis,

4 Dicendum eſt, ſi maioratus ſit inſtitutus poſt delictum, cui eſt confiſcatio ipſo iure annexa, & ſit inſtitutio de bonis habitis tempore delicti, firma non eſt inſtitutio quocunque modo fiat, ſiue teſtamento, ſiue contractu; neque talis inſtitutio impedit confiſcationem, quia eſt facta de bonis fiſco obligatis, ac proinde facta declaratione delicti perit inſtitutio, & confiſcatur in perpetuum maioratus. ſic Vaſq. 1. 2. *diſp.* 169. *num.* 39. Sanch. *lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 60. Matien. *leg.* 3. *tit.* 4. *lib.* 5. *recop. gloſſ.* 7. *num.* 2. & 3.

5 Si autem ob delictum bona ipſo iure non publicantur, ſed publicanda veniunt per ſententiam: tunc diſtinguendum eſt, ſi inſtitutio maioratus ſit facta in codicillo, vel teſtamento, ex bonis tempore delicti habitis, nemini poteſt eſſe dubium ſubiici confiſcationi. Si autem ex bonis poſt delictum acquiſitis ſpectato iure communi, nulla eſt inſtitutio, vt manifeſte probat textus *in l. eius qui.* §. *ſi cui. ff. de teſtament.* vbi committens delictum, cui pœna mortis, deportationis, aquæ, & ignis interdictionis, bonorum amiſſionis imponitur, priuatur facultate teſtandi, ibi, *neque illud teſtamentum valet, quod antea fecit, neque id quod poſtea fecit.* conſentit lex 15. *tit.* 1. *part.* 6. At ſpectato iure noſtro regio valet inſtitutio, neque confiſcationi ſubiicitur, vt conſtat ex *leg.* 4. *Tauri*, quæ eſt *l.* 3. *tit.* 4. *lib.* 5. *compilat.* & tradit optimè ex Tello, & aliis Mol. *de primog. lib.* 4. *cap. vltim. num.* 20. & 21. Quòd ſi contractu irreuocabili inſtituatur, antequam de delicto condemnetur inſtitutor, tenet inſtitutio; neque confiſcationi ſubiicitur, quia illa bona, cùm non ſint fiſco obligata, tanquam de omnino liberis diſponere poteſt, & fauet lex, *poſt contractum, ff. de donationib.* Sanch. *lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 61. noſter Molin. *tit.* 3. *diſput.* 659. *num.* 1. Excipe, niſi in fraudem fiſci talis contractus fiat, tunc enim reuocari poterit, quia receptiſſimum eſt omnem contractum, omnémve alienationem, ne dum donationem, minimè valere in fiſci fraudem, ſiue ante delictum, ſiue poſt delictum facta ſit ad hoc ſaltem vt reuocari non poſſet: & probat textus *in l. in fraudem, ff. de iure fiſci.* Clarus *pract. quæſt.* 78. *verſ. ſolet etiam.* Anton. Gom. *var. reſolut. tom.* 3. *tit. de confiſcat. cap.* 14. *num.* 4. Farinac. *quæſt.* 25. *num* 134. Adde in foro externo, quoties alienatio ſit poſt delictum, hæc fraus præſumitur, vt dicit latè Farinac. *q.* 164. *de falſitate, & ſimulatione, num.* 18. & 46. 49. & *aliis.*

6 Verùm ſi contractu reuocabili inter viuos inſtitutio facta eſt poſt delictum commiſſum (etiam ſecluſa præſumptione fraudandi fiſcum, quæ ſemper adeſt) affirmat Simanch. *de catholic. inſtitut. tit.* 9. *num.* 256. confiſcationi ſubiici. Ratio eſſe poteſt, quia hic contractus non tollit dominium bonorum à delinquente. Ergo tamquam bona ipſius delinquentis confiſcari poterunt. Farinac. verò, *quæſt.* 25. *num.* 130. cum aliis diſtinguit, inter donationem factam à marito vxori, vel factam aliis: ſi aliis fiat contractu reuocabili, non confirmatur, cùm publicantur bona donantis, ſed tranſit in fiſcum, ex text. *in l. ſi aliquis, ff. de donationib. cauſa mort.* Si autem facta ſit à marito vxori, confirmatur marito bannito, neque tranſit in fiſcum. *l. ſed ſi mors. ff. de donationib. inter vir. & vxor. & l. res vxoris. C. eod. tit.* Ex quo deciſio infertur ad maioratus inſtitutionem; ſi fiat inſtitutio in alia perſona, quàm vxoris, vt neceſſariò facienda eſt, ſiquidem inſtituuntur omnes vocati, ad fiſcum talis maioratus tranſit delicto commiſſo, ſi ſecum trahit bonorum confiſcationem ipſo iure. Cæterùm mihi probabilius apparet non eſſe locum perpetuæ confiſcationi, cùm inſtitutor contractu reuocabili de bonis nullo modo fiſco obligatis diſponit. ſic Mol. *de primogen. lib.* 4. *cap. vlt. num.* 23. noſter Mol. *tom.* 3. *diſp.* 659. Sanch. *lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 66. Ratio eſt, quia eſto illa bona ſint delinquentis; ſunt tamen obligata tranſmitti ſucceſſoribus vocatis, quibus ex tali contractu eſt ius acquiſitum, quod ius etſi ab inſtituente reuocabile ſit, dum viuit, non eſt tamen reuocabile à fiſco, quia eſt perſonale. Ergo dum non reuocat, fiſcus non poteſt poſſidere illa bona, niſi cum obligatione transferendi illa ad ſucceſſores vocatos.

7 Si tamen inſtitutio maioratus ante delictum facta ſit contractu irreuocabili; indubitatum eſt non poſſe ſubiici confiſcationi. quia ea, quæ contractu alienare non potes, neque potes alienare delicto. Molin. *lib.* 4. *de primogen. cap. vlt. num.* 18. Molin. Ieſuita *diſput.* 659. *n.* 1. Sanch. cum aliis, *lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 64. Excipe, niſi in fraudem fiſci, aut ex facultate regia ſub ea conditione conceſſa, vt ſubdatur confiſcationi, fuerit maioratus inſtitutus, Sanch. ibi, & *num.* 65. Si autem contractu reuocabili inſtitutus ſit, credo probabilius non ſubiici confiſcationi perpetuæ: ſic vterque Molin. & Sanch. *num. præcedenti* relati, ob rationem ibi aſſignatam. Talis enim contractus licet vltimæ voluntati ſimilis ſit quo ad poteſtatem reuocandi, at quo ad ius donatariis acquiſitum non vltimæ voluntati, ſed donationi inter viuos comparandus eſt, vt rectè docet Molin. *lib.* 4. *de primogen. cap. vlt. num.* 23. Sanch. *num.* 66. Anton. Gom. *leg.* 40. *Tauri. num.* 91.

8 Sed quid ſi delinquens ante mortem reuocet maioratum? Sanch. *num.* 67. diſtinguit: ſi reuocet ante ſententiam declaratoriam, ad fiſcum pertinere; ſecus verò ſi poſt ſententiam declaratoriam, eo quòd in confiſcatione ſolùm clauduntur bona, quæ tunc erant delinquentis nemini alteri obligata. Et confirmat exemplo donationis factæ vxori à viro, qui ſi poſt condemnationem criminis reuocet donationem vxori factam, non fiſco, ſed delinquenti donatio accreſcit, iuxta *l. ſed ſi mors. ff. de donationib.* & tradit Bald. *in l. executorem col.* 9. *verſ. quæro. C. de execut. rei iudic.* Iaſon *in l. ſi ſtipulatum fuerim.* §. 1 *ff. de verbor. oblig.*

9 At mihi probabilius apparet ad fiſcum pertinere. ſic Molin. Ieſuita *diſput.* 659. *num. vlt.* Moueor, quia illa bona ſunt delinquentis, etſi ſucceſſoribus obligata. Ergo tranſeunt in fiſcum cum illa obligatione: at hæc obligatio ceſſat reuocata voluntate inſtitutoris. Ergo remanent illa bona ſub fiſci poteſtate in perpetuum. Neque eſt ſimile de donatione facta vxori: hæc enim non ſolùm morte naturali viri, ſed etiam eius ciuili morte confirmatur, eſto non ſit viro adempta poteſtas dictam donationem reuocandi, ac proinde nõ poteſt in fiſcum

tranſire

transire, iuxta *l. sed si mors, ff. de donat. inter vir. & uxor. & l. res vxoris, C. eod. tit.* & relato Baldo, Iasone, Paulo, Bossio, & aliis docet Farinac. *q. 25. à n. 130. & q. 164. num. 15. & seqq.* At reliquæ aliæ donationes, vt idemmet Farinac. ibidem probat, morte ciuili donantis non confirmantur: imò neque donatio viro facta ab vxore morte ciuili confirmatur, vt docet Sanchez *lib. 6. de matrim. disput. 17. num. 6.* & nos diximus suprà, ac proinde mirum non est, vt ad fiscum transeant in perpetuum facta reuocatione.

PVNCTVM VIII.

Emphyteusis, & census, qua ratione sub confiscationem cadere possint.

1 *Quid sit emphyteusis, & in quo à censu differat.*
2 *Quotuplex sit emphyteusis.*
3 *Prædia, ex quibus censum soluis, sub confiscationem veniunt.*
4 *Emphyteusis ad extraneos hæredes intransmissibilis, non cadit sub confiscationem.*
5 *Durante vita emphyteutæ non transeunt ad fiscum commoditates, & fructus, sed ad dominum, secundum Vasquez.*
6 *Probabilius censeo transire ad fiscum.*
7 *Neque emphyteusis ad extraneos hæredes transitoria, transit ad fiscum, affirmant aliqui.*
8 *Probabilius censeo ad fiscum transire.*
9 *Competat ne Ecclesiæ ius reuocandi emphyteusim in fiscum translatum? Negant aliqui, quod mihi probatur.*
10 *Plures contra tenent, sed eorum rationibus fit satis.*
11 *Admissa sententia probabili, posse intra biennium Ecclesiam recuperare emphyteusim, poterit lapso biennio aduersus illum lapsum restitui in opinione Sanchez.*
12 *Contrarium censeo dicendum.*
13 *De melioramentis factis in prædio emphyteutico, ad quem pertineant, an ad fiscum, an ad Ecclesiam reuocantem.*
14 *Quid dicendum in supradicta controuersia.*
15 *Emphyteuta perdens emphyteusim ob non solutam pensionem, ad dominum pertinent melioramenta.*
16 *Si dominus emphyteusis crimen committat, ob quod bona illius publicantur, publicatur emphyteusis, quoad dominium directum.*

1 Emphyteusis est contractus, in quo dominus rei immobilis, puta, domus, agri, villæ, eam alicui tradit, reseruato sibi dominio directo; & vtili in emphyteutam translato sub annua pensione in recognitionem directi dominij sibi reseruati, vel in compensationem fructuum. habetur *l. 1. C. de iure emphyt.* Differt à censu, quia in censu nō solùm dominium vtile, sed directum in censuarium transfertur, cum obligatione tamen soluendi pensionem. *cap. constitutus, de relig. domibus,* & ibi glossa. Innocent. Panormit. & alij. Item census, seu pensio alteri soluenda aliquando in propria re constituitur ob pretium receptum, aut ob liberam donationem. sic ex pluribus Doctoribus comprobat Matien. *lib. 5. tit. 5. l. 1. gloss. 1. n. 1. & 2.*

2 Præmitto secundò, emphyteusim aliam esse acceptam ab Ecclesia, aliam à persona priuata. Item aliam esse, quæ transmitti potest ad hæredes extraneos; aliam quæ transmitti non potest. Si à persona priuata concessa sit emphyteusis, nulla restrictione apposita, ad hæredes extraneos est transmissibilis. docet Iulius Clarus *in sua pract. §. emphyteusis, quæst. 29. num. vnic.* Si autem sit concessa ab Ecclesia, non poterit ad hæredes extraneos transmitti, nisi fuerit ab Ecclesia expressè in perpetuum concessa: & in qua concessione fuerint seruatæ conditiones relatæ, *in extrauag. ambitiosæ, de rebus Ecclesiæ non alien.* de quibus bene agit Barbosa *3. part. de potest. ue Episcopi, allegat. 95. à n. 21. vbi n. 29. & 32.* optime aduertit has conditiones seruandas esse in prima alienatione. Nam semel ipsa res perpetuò alienata, & in emphyteusim concessa, efficitur perpetuò alienabilis absque solemnitate. Excipe, nisi redeat ad Ecclesiam, & ex noua causa emphyteusim velit concedere. Barbos. *n. 33. & 34.* His positis,

3 Dicendum primò est, sub confiscatione facienda hæretico, sodomitico, & proditori, veniunt bona, & prædia, ex quibus censum soluis Ecclesiæ, vel alteri particulari, saluo tamen iure dicti census præstandi. sic Farinacius *q. 190. de hæret. n. 18.* Simancas *de cathol. institut. cap. 9. n. 20.* Sanchez *lib. 2. cap. 19. n. 18.* Didac. Cantera *quæst. crim. rubr. de hæret. cap. 1. n. 47.* & alij. Ratio est manifesta, quia fiscus succedit in iuribus delinquentis, ac proinde in dominio vtili, & directo illorum prædiorum, cum obligatione tamen soluendi censum ei, cui debitus sit.

4 Secundò dico. Sub confiscatione supradicta non venit emphyteusis, quæ ad extraneos hæredes transmitti non potest, ex regula sæpiùs repetita, & ferè ab omnibus recepta, quòd ea quæ ad hæredes extraneos non transeunt, non possunt ad fiscum transire, qui loco extranei hæredis in bonis confiscatis succedit, ex *l. 2. C. ad leg. Iul. de vi, l. iura libertorum, ff. de iure patron. l. eorum, ff. ad leg. Iul. maiest.* & tradit tanquam omnino certum Farinac. pluribus relatis, *q. 25. n. 51. & seqq.* Sanchez *lib. 2. cap. 19. n. 20.* At esto in confiscationem non deueniat, priuatur tamen illa delinquens, & ad successorem vocatum transit, si aliquis vocatus est, sin minus, ad dominum directum redit. nam emphyteuta facta declaratione criminis læsæ maiestatis diuinæ, vel humanæ, & contra naturam, omni emphyteusi priuatur, & inhabilis efficitur ad alias obtinendas, ex constitutione Leonis X. edita anno 1520. quæ incipit, *Exurge Domine*, & refertur à Pegna *in fine director. inquisit. fol. mihi 112.* & notauit Farinacius *de hæresi, q. 190. n. 63 fine.*

5 Difficultas est, an durante vita huius emphyteutæ fructus, & commoditates, quas ex emphyteusi debebat percipere, transeant ad fiscum, vel ad illum, ad quem emphyteusis transit? Qua in re illud est præmittendum, si vltra prohibitionem legis, quam secum trahit emphyteusis, addita fuerit alia expressa alienationis prohibitio à domino emphyteusim concedente, nullo modo ad fiscum fructus pertinebunt, sed simul cum emphyteusi transmittentur, vt diximus in superiori puncto, loquentes de fideicommissis, & maioratibus, quibus est expressa alienationis prohibitio, & loquens de emphyteusi tradit Sanchez *lib. 2. cap. 19. num. 23.* Quare controuersia solùm est, quando non est hæc expressa ab institutore alienationis prohibitio, sed relinquitur emphyteusis suæ naturæ. An, inquam, tunc commoditates illius ad fiscum, vel ad successorem vocatum, vel ad dominum directum pertineant durante emphyteutæ vita? Vasquez *1. 2. disput. 169. cap. 3. n. 26.* affirmat ad dominum pertinere, quia dominium vtile cum directo consolidatur. Sanchez *n. 21. & 22.* distinguit inter emphyteusim datam ab Ecclesia, & ab alio particulari: & de emphyteusi data à particulari affirmat ad fiscum pertinere illius commoditates. sicut suprà diximus pertinere omnes commoditates fideicommissi durante vita fideicommissarij, quia nulla videtur in his differentia. At si emphyteusis ab Ecclesia sit accepta, negat pertinere ad fiscum, sed ad ipsam Ecclesiam, à quo accepta fuit. Mouetur ex *cap. felicis, vers. si qua verò feuda, de pœnis, in 6.* vbi text. loquens de reo læsæ maiestatis in Pontificem, ait: *Si qua verò feuda, locationes ab Ecclesiis obtinet, sit eis ipso iure priuatus, quæ liberè ad Ecclesiam reuertantur.*

Sub nomine autem locationis, tanquam ſpecies ſub genere emphyteuſis comprehenditur. Ergo emphyteuſis liberè ad Eccleſiam debet reuerti: at non reuerteretur liberè, ſi fructus, & commoditates, durante vita emphyteutæ ad fiſcum pertinerent: conſentit iis Hieronym. Gabr. *conſil.* 73. *à num.* 3. Farinac. *in noua edit. q.* 25. *n.* 58. *verſ. verùm*, ergo.

6 Cæterùm credo idem dicendum eſſe de fructibus emphyteuſis ſæcularis, & Eccleſiaſticæ, quæ ad hæredes extraneos traſmitti non poteſt. Pertinere namque ad fiſcum tales fructus durante vita emphyteutæ: ſic docent Gigas *de crim. læſæ maieſt. lib.* 2. *tit. de pœnis committ. id crimen quæſt.* 6. *num. vlt.* noſter Molin. *tom.* 2. *diſp.* 481. *verſ. primum, & tom.* 3. *diſput.* 656. *num.* 3. Moueor, quia emphyteuſis, ſiue ſæcularis, ſiue Eccleſiaſtica, eſt quoddam fideicommiſſum, cuius fructus emphyteuta percipere debebat tempore vitæ ſuæ. Cùm ergo fiſcus in omnibus delinquentis iuribus ſuccedat, ſuccedit in hoc iure, & poteſtate percipiendi hos fructus. Ergo illos debet percipere, niſi aliqua lege prohibeatur. Quòd autem hæc nulla ſit probo, quia textus adductus ex *cap. Felicis, de pœnis in* 6. id non probat, quia intelligi poteſt, non de locatione emphyteutica, ſed de rigoroſa locatione, & cóductione alicuius agri ad tempus, qui ad Eccleſiam liberè reuertitur, vt poſſit pro voluntate iterum locari, & conduci: vel ſi de emphyteuſi loquatur, loqui de illa, quæ ſtatim ad Eccleſiam tamquam ad dominum directum reuertitur: quod videtur manifeſtè probari ex verbis textus, ſi benè expendantur, dicit enim, *ſi qua verò feuda, locationes, officium, vel beneficium ſpirituale, vel temporale ab aliquibus Eccleſiis obtinet, ſit eis ipſo iure priuatus: quæ ſic liberè ad Eccleſiam reuertantur, quòd Eccleſiarum rectores de ipſis pro ſua voluntate diſponant.* At conſtat de emphyteuſi, quæ ſignatos habet hæredes, non poſſe à rectoribus Eccleſiarum pro ſua voluntate diſponi; neque ad hunc effectum poſſe liberè ad Eccleſiam reuerti. Ergo ſignum eſt non loqui Pontificem de hac emphyteuſi, ſed de illa, quæ nullum ſucceſſorem habet vocatum: hanc ergo dicere videtur reuerti ad Eccleſiam, vt Eccleſia tamquam de quodam officio, vel beneficio poſſit liberè diſponere. Adde neque ex vi ſupradicti textus videtur colligi fructus emphyteuſis, quæ ad Eccleſiam debet redire, non pertinere ad fiſcum durante vita emphyteutæ. Nam gratis conceſſo (quod mihi dubium videtur) loqui textum de locatione emphyteutica, debet loqui non de quacumque, quæ ad Eccleſiam debet redire, eo quòd non habeat ſucceſſorem ſignatum, ſed de illa, quæ ſtatim amittitur ab emphyteuta, & quæ ad Eccleſiam reuertitur: at hoc ſolum eſt, vt ipſemet Sanch. *num.* 23. ſe explicat, cùm vltra tacitam legis prohibitionem, habet aliam ſpecialem ab inſtitutore prohibitionem alienationis. Ergo emphyteuſis, quæ hanc duplicem prohibitionem non habet, licèt ad Eccleſiam tranſacta vita delinquentis debeat reuerti, quia non habet vocatum ſucceſſorem, vt tunc Eccleſia pro ſua voluntate diſponat, poterit ad fiſcum durante tali vita pertinere. Denique cùm textus dicit ad Eccleſiam, locationes, officia, & beneficia debere liberè reuerti, ad hunc effectum eſt, vt explicat ibi gloſſa, *verbo diſponant*, vt illis non vocatis, etiamſi poſſiderent, poſſit Eccleſia de illis diſponere. Quocirca fructus emphyteuſis, quæ ad extraneos hæredes tranſmitti non poteſt, habet tamen ſucceſſores vocatos, ad fiſcum durante vita delinquentis pertinent niſi vltra tacitam legis prohibitionem, aliam haberet expreſſam; ſi tamen nullum ſucceſſorem haberet, ſed ad dominum directum reuerti deberet, tunc ſi vltra tacitam prohibitionem alienandi, quam ſecum trahit emphyteuſis, aliam expreſſam habet, ad dominum directum ſtatim pertinet cum fructibus, & commoditatibus: ſi autem caret illa expreſſa prohibitione, ad fiſcum pertinent durante vita delinquentis eius fructus, & commoditates, neque iis contradicit Sanch. ſuprà allegatus, ſi benè inſpiciatur.

7 Verùm ſi de emphyteuſi ad extraneos hæredes tranſitoria loquamur, non deſunt Doctores, qui negent ad fiſcum tranſire, ſiue Eccleſiaſtica ſit, ſiue ſæcularis, ſed ad dominum directum reuerti, & dominium vtile cum proprietate conſolidari. ſic Didac. Cantera *in quæſt. crimin. rub. de hæreticis, cap.* 1. *num.* 46. Alij ſpecialiter de emphyteuſi Eccleſiaſtica negant ad fiſcum tranſire, admittunt in ſæculari. ſic Iulius Clar. *pract. lib.* 4. *§. emphyteuſis, quæſt.* 29. *num. vnico.* Bernard. Diaz *cap.* 132. *num.* 4. Mol. Ieſuita *tom.* 2. *diſput.* 481. *concl.* 1. *&* 2. Mouentur, quia generale eſt, quoties bona delinquentis ad hæredes extraneos tranſire poſſunt, & ad fiſcum tranſeant. Ab hac autem regula generali emphyteuſis Eccleſiaſtica excipitur, & non ſæcularis, tum ex *Nouella Iuſtin. de alienat. & emphyteuſi*, §. 1. vbi emphyteuſis tranſlata in fiſcũ poteſt intra biennium vindicari. Tum quia ſi in fiſcum tranſiret emphyteuſis, efficeretur conditio Eccleſiæ deterior propter fiſci potentiam, ob quam facilè conueniri non poteſt, & eius priuilegia; & præcipuè, quia nulla eſſet ſpes caducitatis, cùm fiſcus nunquam puniatur. ob quæ credendum non eſt fuiſſe voluntatem Eccleſiæ, vt ad fiſcum tranſiret.

8 Dico tamen tertiò, probabilius eſſe quamlibet emphyteuſim ad hæredes extraneos tranſmiſſibilem, publicatis bonis delinquentis publicari: ſic docuit Boſſius *tit. de bonorum publicat. num.* 62. Farinac. plures referens, *quæſt.* 25. *num.* 54. *& ſeq.* Sanch. *lib.* 2. *cap.* 19. *num.* 25. *&* 29. *& quæſt.* 190. *num.* 63. *& ſeqq.* Fachin. *lib.* 9. *controu. cap.* 53. Simanc. *de catholic. inſtitut. tit.* 9. *num.* 97. *&* 103. Azor *tit.* 1. *lib.* 8. *cap.* 12. *q.* 11. Ratio eſt, quia Authentica illa Iuſtiniani ſolùm concedit facultatem dominis directis, vt tranſlata emphyteuſi in fiſcum Regis, vel in ciuitatem aliquam, aut in curiam, aut in aliquam venerabilem aliam domum, poſſint manifeſtare ſuam voluntatem intra biennium, vt rem emphyteuticam recuperent, vel poſſidentibus derelinquant, cum obligatione ſoluendi annuam penſionem. Ex qua facultate non videtur ſequi tranſlationem eſſe nullam, ſed potiùs eſſe validam, eſto reuocabilem. Adde hanc facultatem reuocandi emphyteuſim intra biennium, vt ſtatim dicemus, non de qualibet emphyteuſi, ſed de emphyteuſi Conſtantinopolitana, & non in perpetuum cóceſſa, neque ad extraneos hæredes tranſmiſſibili eſt intelligenda, vt dicit Boſſius, & Fachin. *ſuprà.* Neque verum eſt, ex eo quòd ad fiſcum tranſeat emphyteuſis reddi Eccleſiam deterioris conditionis: nam fiſcus ſemper eſt ſoluendo. Neque fiſcus habet plura priuilegia, quàm Eccleſia, neque his priuilegiis nocere Eccleſiæ poteſt, ſiquidem ſoluere tenetur canonem, & alia præſtare, quæ cæteri priuati tenentur. Nam fiſcus non eſt priuilegiatus, niſi in caſibus à iure expreſſis, vt probat textus *in l.* 1. *C. de petit. hæredit. l. quod placuit ff. de iure fiſci*, & aliis pluribus, quæ adducit Menoch. *conſil.* 242. *num.* 9. *lib.* 3. Farinac. *in fragment. verbo fiſcus, à num.* 149. Spes caducitatis non videtur conſiderabilis; minima enim hæc eſt, quoties emphyteuſis ad extraneos hæredes tranſire in perpetuum poteſt; ſemper enim quis relinquit hæredem. Intelligenda tamen eſt hæc concluſio de confiſcatione facta à iudice Eccleſiaſtico: nam ſæcularis iudex Eccleſiaſticam emphyteuſim, vtpote alienam à ſua iuriſdictione, publicare non poteſt. ſic Farinac. *illa q.* 25. *num.* 57. Sanch. *num.* 29. *fine*, & alij apud ipſos.

9 Dubitant tamen Doctores, an Eccleſiæ competat ius reuocandi emphyteuſim in fiſcum tranſlatam: Negant Boſſius *in ſua pract. tit. de bonorum publicat. num.* 60. Farinac. 1. *p. quæſt.* 25. *n.* 56. *verſ ſed quod imò. iuncto n.* 54 Fachin. *lib.* 9. *controuerſ. cap.* 53. & alij apud ipſos. Mouentur; quia hæc facultas aut competit Eccleſiæ ex iure

iure ipso naturali, aut ex iure positiuo. Ex iure naturali competere non potest; aliàs non solùm Ecclesiæ, sed etiam cuilibet particulari competeret. Ex iure positiuo competere non potest, nisi id in iure expressum sit. Non esse autem expressum in iure sic probo. Nam Authentica illa Iustiniani, quæ ad id probandum inducitur, solùm loquitur de emphyteusi data ab Ecclesia Constantinopolitana, & non in perpetuum, neque ad hæredes extraneos transmissibili. Dixerat enim priùs Imperator: *Si verò contigerit quamlibet rem ex aliquo prædictorum locorum venerabilium emphyteutico iure datam, aut imperialem domum, aut in sacrum nostrum ærarium, aut in ciuitatem aliquam, aut in curiam, aut in quamlibet venerabilem aliam domum peruenire: licentiam præbemus ordinatoribus venerabilium locorum, à quibus à principio emphyteusis facta est, mox vt peruenerit in vnam prædictarum personarum ipsa emphyteusis, manifestare suam voluntatem intra biennium, & aut ab his derelinqui eamdem rem, ad quos peruenit, & annuam pensionem, quæ pacto continetur inferri, aut hoc recipere emphyteusi soluta, eo quòd hoc sibi prodesse existimant.* Et statim post hæc verba subiungit Imperator: *Et hoc quidem super his, quæ maioris Ecclesiæ sint, & prædictarum venerabilium domorum, quæ sunt in hac regia ciuitate, vel eius circuitu adhærentium disposuimus. In alijs verò sanctissimis Ecclesiis, & monasteriys, &c. seu reliquis venerabilibus domibus, quæ in omnibus prouincijs nostræ reipublicæ positæ sunt*, &c. *consequenter definire prouidimus. Licentiam igitur damus prædictis venerabilibus domibus non solùm ad tempus emphyteusim facere immobilium rerum sibi competentium, sed & perpetuò hæc eis emphyteutico iure volentibus dari.* Ex quibus verbis manifestè constat. Primò potestatem reuocandi solùm emphyteusi Constantinopolitanæ fuisse factam, non aliis. Secundò aliis Ecclesiis concessam esse potestatem alienandi rem in emphyteusim perpetuam, non tamen Ecclesiæ Constantinopolitanæ: quod præclarè explicuit Cuiac. ad Nouellam 120. relatus à Fachin. lib. 9. cap. 53. dicens: *Id est singulare in Ecclesia maiore Constantinopolitana, & alijs religiosis ædibus, quæ sunt intra eam vrbem, vel intra territorium eius, vt prædiorum suorum perpetuam emphyteusim, vel etiam permutationem prædiorum in vicem facere non possint.* & post pauca: *Id etiam est singulare in eis, vt post contractam emphyteusim, cum fisco, vel Imperatore, vel republica, vel curia, vel cum alio venerabili loco possint pœnitere intra biennium.*

Propter hæc censeo probabilius, & iuri conformius, emphyteusim aliam ab Ecclesia Constantinopolitana transeuntem ad hæredes extraneos, si ad fiscum transeat, reuocari non posse, sed perpetuò apud fiscum mansuram, qui integrum ius domino directo seruare tenetur.

10 Contra hanc conclusionem tenet Vasquez 1. 2. *disput. 169. cap. 3. num. 23.* Molin. *de iustit. tom. 2. disp. 481. conclus. 2.* Simancas *de catholic. institut. tit. 9. num. 104. & 105.* Azor *tom. 1. lib. 8. cap. 12. quæst. 11.* Iulius Clarus *in sua practic. lib. 4. §. emphyteusis, quæst. 29. num. vnic.* Sanchez alios allegans *lib. 2. cap. 19. num. 31.* affirmant namque posse Ecclesiam quamlibet reuocare intra biennium emphyteusim translatam in fiscum. Mouentur primò, quia etsi supradicta potestas reuocandi alienationem solùm emphyteusi Ecclesiæ Constantinopolitanæ vrbis facta sit, ad alias Ecclesias debet extendi, ex doctrina Baldi *in auth. nisi rogati, n. 13. vers. sed quæro quomodo potest esse, C. ad Trebellian.* dicentis quidquid in alicuius Ecclesiæ fauorem statuitur, intelligitur esse ius generale, nisi contrarium inueniatur expressum. *authent. de non alienandis, §. hac ergo.* & ita tradit Alexand. *l. si finita, 15. §. si de vectigalibus, num. 36. ff. de damno infecto.* Iulius Clarus *practic. lib. 4. §. emphyteusis, quæst. 29. num. vnic.* Bursatus *consil. 199. lib. 2. num. 6.* Sed responderi potest in præsenti esse ius in contrarium expressum; siquidem ex supradicta constitutione Iustiniani constat voluisse Imperatorem fauorem illum limitare ad Ecclesiam Constantinopolitanam: id enim denotant illa verba, *& hoc quidem*; & distinctio facta inter emphyteusim Constantinopolitanæ Ecclesiæ, & aliarum Ecclesiarum.

Secundò mouentur, si Ecclesiæ Constantinopolitanæ emphyteusis transire non posset ad hæredes extraneos, vt quid necessaria erat facultas reuocandi emphyteusim, si translata esset in fiscum? iure ipso vindicari poterat quolibet tempore, tanquam indebitè à fisco occupata. Ergo dicendum est hanc facultatem reuocandi cuilibet emphyteusi ad hæredes extraneos transitoriæ conuenire.

Respondeo emphyteusim Constantinopolitanam posse transire ad hæredes extraneos, non in perpetuum, sed pro determinato tempore; eaque de causa posse pro illo tempore transire ad fiscum, & necessariam esse facultatem reuocandi: quæ tamen facultas aliis Ecclesiis non apparet concessa, etsi fuerit concessum posse dare emphyteusim perpetuam adhibitis iuris solemnitatibus.

11 Sed admissa illa sententia probabili posse Ecclesiam recuperare intra biennium emphyteusim translatam in fiscum, mouet duplicem difficultatem Sanchez *illo lib. 2. cap. 19. num. 32. & 33.* Prima, an si biennium labatur, possit Ecclesia aduersùs illius lapsum restitui, & sic petere reuocationem. Placet Sanchez posse, & consentit Simancas *de catholic. institut. titul. 9. num. 106.* & Vasquez *illo cap. 3. num. 23.* ducitur ex doctrina Baldi *l. pupillorum, 5. fine, C. de repudian. hæredit.* & ibi Alexand. *in fine.* Roman. *l. si insulam, num. 45. ff. de verborum obligat. & singul. 94.* Omnes ij affirmant monasterium institutum sub conditione, vt intra annum ædificet Xenodochium, substituto alio monasterio ob conditionem non impletam posse non implens conditionem restitui aduersùs termini lapsum contra monasterium substitutum. Et rationem reddit Sanchez, quia minori competit restitutio aduersùs conditionis omissionem à testatore iniunctæ, ex *l. 3. §. si hæres, ff. de minoribus.* cùm autem Ecclesia priuilegio minoris vtatur, *cap. 1. de restitutione in integrum*, poterit similiter restitui.

12 Verùm Quemada *in suis quæstionib. fiscal. quæst. 13.* in partem negantem inclinat. ducitur, quia quando agitur de lucro captando priuilegiatus non gaudet priuilegio aduersùs pariter priuilegiatum. *l. verum, 12. § fin. ff. de minoribus, & l. 2. C. de priuileg. fisci.* sed Ecclesia, & fiscus minoris priuilegio gaudent. Ergo non licebit Ecclesiæ aduersùs fiscum priuilegio minoris vti. Sed huic rationi optimè respondet Sanchez *ibi*, admittendo priuilegiatum non gaudere priuilegio aduersùs pariter priuilegiatum; quando vterque priuilegiatus agunt de lucro captando, vel de damno vitando; secus verò quando vnus priuilegiatus agit omnino de lucro captando, alius verò de damno vitando. Ecclesia ergo in præsenti agit de vitando damno, quale est amittere emphyteusim sibi competentem, & habere illam in fiscum potentiorem translatam. Fiscus autem solùm agit de lucro captando, cùm emphyteusis illi non competat, nisi ob omissam ab Ecclesia reuocationem. Cæterùm adhuc mihi non probatur sententia Sanchez, potiùs enim arridet Quemadæ sententia non ob rationem ab ipso allatam, quam bene Sanchez dissoluit; sed ob hanc, quam subiungo, quæ sic se habet: Ecclesia si expressè intra biennium vellet fiscum habere emphyteutam, non posset voluntatem reuocare; aliàs nulla esset translatio firma, sed quoties aduertenter videt labi biennium, & emphyteusim non reuocat, censetur consentire fiscum habere emphyteuticam, siquidem à lege illa Iustiniani conceditur biennium, vt

vt deliberet, quid sibi magis placuerit, habere ne fiscum emphyteutam, vel ab illo emphyteusim reuocare. Cùm ergo non reuocat, deliberasse censetur, sibi magis placuisse fiscum habere emphyteutam. Aduersùs quam rationem fundamentum Sanchez non procedit. Admitto namque monasterium institutum sub conditione restitui posse aduersùs substitutum ob omissam illam conditionem, quia hic substitutus institutus est ab ipso primo instituente ob omissam conditionem primi instituti: sed quia hic substitutus ius acquisitum non habet ab ipso instituto, sed à primo instituente; ea de causa restitutio ei conceditur: at in præsenti fiscus non habet esse perpetuus emphyteuta, nisi ex remissione, & voluntate Ecclesiæ, cui est concessa optio, vel reuocandi emphyteusim, vel relinquendi apud ipsum.

13 Secunda difficultas est de melioramentis factis in prædio emphyteutico ad quem pertineant, an ad fiscum, an ad Ecclesiam reuocantem emphyteusim? Qua in re distinguendum est de melioramentis factis à delinquente ante delictum, vel post delictum. Et quidem si hæc melioramenta facta sint à delinquente post delictum commissum, ob quod bona publicantur ipso iure, existimat Sanchez *lib. 2. cap. 19. num. 34.* pro certo ad fiscum pertinere, quia omnia bona delinquentis à puncto delicti commissi fisco sunt obligata: inter quæ labor, industria, & expensæ in his melioramentis appositæ debent computari: consentit Simancas *de catholic. instit. tit. 9. num. 107. & seqq.* Vasquez 1. 2. *disp. 169. cap. 3. num. 23.* Azor *tom. 1. lib. 8. cap. 12. quæst. 11.* Verùm si ante delictum melioramenta facta sint, probabilius existimat Sanchez, cum Bernard. Diaz *in practic. cap. 132. num. 4.* Ioan. Garcia *de expensis, cap. 10. num. 51.* Molin. Theolog. *tom. 2. de iustit. disput. 481. conclus. 2.* ad fiscum eorum pretium, & æstimationem pertinere, esto proprietas pertineat ad dominum emphyteusis, quia melioramenta, quæ emphyteuta facit in prædio emphyteutico sibi, & successoribus acquirit quoad vtilitatem, licèt quoad dominium directum ad dominum prædij pertineant, nisi aliud in emphyteusis institutione conuentum sit, aut nisi melioramenta sint modica, vt rectè Molin. Theologus aliis relatis *tom. 2. de iustit. disput. 463. conclus. 2.* defendit. Sed fiscus publicat omnia bona, quæ sunt delinquentis tempore commissi delicti. Ergo hæc melioramenta quoad vtilitatem publicabit: ac proinde si postea Ecclesia velit emphyteusim à fisco reuocare simul cum melioramentis, horum melioramentorum æstimationem debet fisco soluere.

14 Hæc omnia probabilissima sunt. At credo oppositum in vtroque casu esse dicendum: si enim melioramenta sunt post delictum facta, cùm confiscatio non extendatur ad bona futura, vt iam suprà diximus, nequit extendi ad melioramenta post delictum, quia extenderetur ad bona futura. Adde confiscationem ipso iure impositam, cùm sit pœna certa, inspicere tempus commissi criminis, & statum, qui erat in delinquente tempore patrati sceleris, vt bene comprobat Matienzo *lib. 5. compil. tit. 4. l. 3. glossa 7. num. 6.* Ergo commoditates, & melioramenta, quæ tunc habeat emphyteuta propria (si aliqua habet) ea debent publicari, non ea quæ delictum subsequuntur. Si autem melioramenta ante delictum sint facta, ad dominum directum pertinent, sicuti pertinent res emphyteusis, quia cum re emphyteutica consolidantur. Ergo sicut ex re emphyteutica non potest emphyteuta deducere pretium, & æstimationem, sed solùm vsumfructum, ita etiam ex melioramentis factis. Item proprietatem melioramentorum docent omnes ad dominum prædij pertinere. Ergo valor, & æstimatio melioramentorum ad ipsum pertinet, secundùm proprietatem. Ergo nequit valor, & æstimatio melioramentorum publicari. Adde. Omnis emphyteusis, nisi aliud caueatur expresè, videtur data sub hac conditione, vt melioramenta facta in re emphyteutica ad dominum pertineant, quia ea de causa res maximè fructifera pro minima pensione donatur, & licèt in aliquibus emphyteusis institutionibus hoc expressè apponatur; non apponitur, quia necessarium sit, sed vt omnis dubitatio tollatur, & impediatur vsus oppositæ sententiæ probabilis: & ita tenet Simancas, Azor, Vasquez num. præced. relati.

15 Duo tamen sunt omnino certa. Primò, quoties emphyteuta perdit emphyteusim, quia non soluit pensionem, vel aliam conditionem in emphyteusi appositam non exequitur, ad dominum emphyteusis pertinere melioramenta. sic Vasquez 1. 2. *disput. 169. cap. 3. num. 25.* Sarmiento *lib. 3. select. cap. 4. num. 4.* Molin. Iesuita *disput. 481. conclus. 2. fine.* Sanchez *lib. 2. cap. 19. num. 36.* Ex qua doctrina non leue argumentum sumitur ad probandum, quoties ob culpam emphyteutæ, emphyteusis deperditur, melioramenta ibi facta ad dominum pertinere.

16 Secundò est certum, si dominus emphyteusis crimen committat, ob quod bona illius publicentur, publicari tunc emphyteusim quoad dominium directum, quia bonum illius est, & emphyteutam obligatum esse fisco pensionem soluere. sic Sanchez *num. 38.* cum Cantera *in suis quæst. crimin. tit. de quæst. tangent. punit. delict. cap. 1. num. 46.*

PVNCTVM IX.

Qua ratione feudum sub publicatione bonorum comprehendatur.

1 *Quæ dicta sunt de emphyteusi, eadem ferè continent feudo.*
2 *Feudum ad hæredes extraneos intransmissibile nunquam ad fiscum transit.*
3 *Si publicatio feudi fiat ob delictum commissum aduersus dominum, domino pertinet, & ad ipsum deuoluitur.*
4 *Idem est, si feudum hæreditarium tibi concessum est, secus si concessum tibi, tuisque agnatis, secundum plures Doctores.*
5 *Quid sentiendum sit.*
6 *Feudum ad extraneos hæredes transitorium, ad fiscum transit.*

1 EA quæ de emphyteusi dicta sunt, ad feudum accommodari facilè possunt, quia naturam emphyteusis imitatur, & omnino illi est simillimum, ac proinde eodem modo loquitur de feudo, ac de emphyteusi Cardinal. *in Clement. nolentes, de hæreticis, versic. inquisitoribus, col. penult.* Bernard. Diaz *practic. cap. 131. n. 4.* Alexand. *in l. si finita, §. si de vectigalibus, ff. de damno infecto, col. 11. & 12.* & alij. Sed ne laboremus in æquiuoco, distinguendum est duplex feudum, aliud in quo feudatarius astringitur soluere domino directo certam aliquam pensionem pecuniæ, vel frumenti: & hoc non est propriè feudum, sed emphyteusis, ac proinde de illo idem, ac de emphyteusi dicendum est. Aliud est feudum, pro quo feudatarius astringitur seruitium personale præstare: si autem simul cum hoc seruitio personali aliqua pensio pecuniæ soluenda est, feudum, & emphyteusis dicetur: sic ex Cyno, Alexand. & aliis probat bene Matienzo *lib. 5. compilat. titul. 10. l. 6. glossa 2. num. 13. & sequent. & num. 22. 23. & 24.* explicat proprietates, & naturam feudorũ. Primò enim. Feudum (inquit) debet constitui super re immobili, vel æquipollenti, cum obligatione recognoscendi dominum, & fidelitatem illi præstandi. Quapropter solent feudatarij

datarij iuramentum de seruanda hac fidelitate facere; iuxta *cap. 1. de noua forma fidelit. & cap. 1. qualiter vasall. iura. deb.* Secundò feudum ad hæredes masculos transit in infinitum, iuxta *cap. 1. §. hoc autem notandum*, & ibi Doctores, *qui feudum dare possunt*. Fœminæ autem non succedunt, quia fœminæ ad bella, & seruitia militaria habiles non sunt, neque ad secreta retinenda, & quia earum consilia fragilia sunt. Tertiò sine domini, & agnatorum consensu alienari non potest. Quòd si aliquando feudum ex conuentione, & pacto absque prædictarum aliqua conditionum stabiliatur, non feudum rectum, sed improprium dicetur.

2 Ex his infertur quæstionis decisio. Affirmo namque, si feudum directum sit, neque ad hæredes extraneos transitorium, nequaquam in fiscum transire, ob rationem sæpè firmatam, quòd fiscus est loco hæredis extranei, & cùm non possit contractu alienare, neque delicto: & in propriis terminis defendit Simancas *de catholic. institut. tit. 9. num. 120.* Azor *1. part. lib. 8. cap. 12. quæst. 10.* Pegna *director. 3. part. quæst. 112. comment. 161. versic. quòd si clericus.* Farinacius *quæst. 25. n. 71.* Clarus *in §. feudum, quæst. 84. versic. ego vero.* Difficultas autem est, cui sit hoc feudum applicandum, an domino, an cognatis, cùm vniuersa bona feudatarij publicentur?

3 Respondeo, si publicatio bonorum facta sit ob delictum commissum aduersùs dominum feudi, ad dominum feudum deuoluitur, quocumque modo feudum concessum sit: videtur enim sub hac conditione à principio concessum, vt in casu ingratitudinis contra dominum, ad dominum reuertatur. sic Roland. *consil. 15. num. 1. & seqq. volum. 4. & consil. 78. num. 8. eodem vol. 4.* Bossius *in tit. de bonorum publicat. num. 53. in princip. & num. 54. in fine.* Farinacius aliis relatis, *quæst. 25. num. 78.* Excipe, nisi ex tenore inuestituræ constaret concedentem noluisse, vt vnius delictum alteri noceat; vt si in inuestitura dicatur: Concedo de vno in alium; vel concedo omnibus principaliter, siue insolidum; vel concedo attentis meritis singulorum; vel concedo generi tuo: tunc enim, quia omnes per se, & æquè principaliter considerantur, & tanquam successores instituentis, non tanquam successores primi inuestiti, idcirco vnius delictum alteri non nocet. sic Roland. *consil. 15. num. 3. volum. 4.* Clarus *§. feudum, quæst. 66.* Farinacius plures referens *num. 93.* Si autem publicatio bonorum non ob delictum contra dominum, sed ob alia delicta facienda sit.

4 Tunc distinguendum censeo, si tibi sit concessum castrum in feudum hæreditarium, vt ex te tanquam ex radice ad hæredes deueniat, domino deuoluitur; secus verò, si tibi, & tuis cognatis æquè concessum sit, quia tunc non domino, sed cognatis deuenit, eo quòd omnes cognati non ex iure à te accepto, sed ex iure accepto à primo instituente, & concedente feudum, succedunt: sic pluribus relatis docet Farinacius *quæst. 25. num. 87. 88. & 93*

Secunda difficultas est, an saltem vsusfructus, & commoditates huiusmodi pertineant ad fiscum, durante vita delinquentis? Affirmant plures, quos refert, & sequitur Gigas *de crimine læsæ maiestatis, lib. 2. tit. de pœnis committent. crim. læsæ maiest. quæst. 5. num. 3. & seqq.* Menochius *de recuper. possess. rem. 9. num. 260. & seqq.* Albert. *in tractat. statutorum, 3. part. quæst. 16.* Matth. de Afflictis *in tit. quæ sint regalia, §. & bona committ. col. 1. num. 5.* Mouentur, quia vasallus potest durante vita commoditates, & vsusfructus feudi alienare, vt tradunt omnes *in l. si domus, §. fin. ff. de legat. 1.* testatur de communi Ruin. *consil. 176. num. 13. lib. 1.* Roland. *consil. 80. num. 13. lib. 1.* Clarus *§. feudum, quæst. 31. versic. successiuè.* Sed ea, quæ possunt contractu alienari, possunt & delicto. Ergo. In contrarium sunt plures alij Doctores negantes ad fiscum pertinere, sed ad eum, ad quem feudum spectat. sic Bossius *in tit. de bonorum publicat. num. 53.* Alexand. *in l. si finita, §. si de vectigalibus ff. de damno infecto.* Farinacius *quæst. 25. num. 68.* vbi testatur esse communem, & in practica seruatam. Pegna *director. 3. part. quæst. 112. comment. 161. versic. mihi quandoque, in fine.* Ratio est, quia fructus feudi feudum comitantur: si igitur feudum ad alium pertinet, publicatis bonis delinquentis, ad ipsum & fructus debent pertinere.

5 Ego verò inter has extremas sententias censeo distinguendum esse, iuxta ea quæ de emphyteusi dixi. Si enim feudum vltra tacitam alienandi prohibitionem à lege inductam habet aliam expressam ab institutore, qualis esset, si diceret institutor se velle, vt ea bona nullatenus exirent ex sua familia, vel in illa semper permanerent: tunc pro certo censeo non ad fiscum, sed ad successorem feudi fructus deuenire. Si autem solùm tacitam alienandi prohibitionem habent, probabile est ad fiscum pertinere durante vita delinquentis, quia tacita alienandi prohibitio non videtur impedire translationem feudi durante feudatarij vita, sed solùm impedit translationem post vitam, aut in perpetuum. Dixi solùm esse probabile; quia hæc translatio specialem difficultatem habet in feudo, quam non habet in emphyteusi, eo quòd feudatarius ex natura feudi iurare debet fidelitatem domino præstare: & ad seruitium personale, potius quàm reale obligatur. quæ onera non videntur in fiscum transferri posse, ac proinde nec feudum.

6 Si autem feudum ad extraneos hæredes transire potest, eo quòd datum sit tibi, & tuis hæredibus, vel tibi, & quibus tu dare velis, ad fiscum transit, facta bonorum publicatione, ex regula sæpiùs firmata. Quæ transeunt ad hæredes extraneos, ad fiscum transire: & in propriis terminis docet Gigas *de crimine læsæ maiestatis, lib. 2. tit. de pœnis committent. hoc crimen. quæst. 5. num. 6.* Roland. *consil. 29. num. 17. volum. 3.* Menoch. *de recuperan. possess. rem. 9. num. 251.* Bossius *in tit. de publicat. bonorum, num. 20. & 53.* Farinacius *1. part. pract. quæst. 25. num. 71. versic. vnde.* Hoc tamen intelligendum est, quando vasallus potest de feudo liberè disponere; secus verò esset, si de illo disponere non posset absque domini licentia; quia ratione huius prohibitionis nequit delinquendo, sicut neque contrahendo feudum alienare, sed facta publicatione feudum ad dominum reuertitur, & dominium vtile cum directo solidatur: sic Clarus *§. feudum, quæst. 84. vers. secundùm autem.* Bossius *tit. de publ. bon. n. 54.* Farinacius *num. 72.*

PVNCTVM X.

Qua ratione peculium profectitium, aduentitium, castrense, & legitima sub confiscatione facta filiofamilias ob eius crimen comprehendatur.

1 *Quæ hæc sint, explicantur.*
2 *Quod dominium habeat filius in hæc bona.*
3 *Procedit quæstio de filiofamilias sub patria potestate.*
4 *Quibus modis exeat filius à patria potestate.*
5 *Legitima filij non confiscatur ob eius delictum.*
6 *Neque bona profectitia ipsius.*
7 *Peculium aduentitium plures censent publicari.*
8 *Probabilius est oppositum.*
9 *Satisfit rationibus contrarijs.*
10 *Apponitur limitatio casu quo pater habeat vsumfructum.*
11 *Non approbatur limitatio.*
12 *Secundò limitatur in peculio aduentitio, cuius pater habet administrationem.*

13 *Neque hæc limitatio mihi probatur.*
14 *Tertiò limitatur, ne procedat in hoc Caſtellæ regno, in quo filius diſponere poteſt de tertia parte aduentitiorum.*
15 *Non admittitur limitatio.*
16 *Quartò limitatur in crimine læſæ maieſtatis humanæ, & diuinæ. Et approbatur limitatio, tametſi aliqui contrarium ſentiant.*
17 *Aliqui extendunt publicationem ad vſumfructum patri debitum.*
18 *Sed non probo hanc extenſionem.*
19 *Bona caſtrenſia, aut quaſi, ob delictum filij publicari cenſent plures.*
20 *Probabilius eſt non publicari, ſed patri deferri.*
21 *Satisfit argum. num. 19. adductis.*
22 *Ampliatur doctrina, tametſi filius condemnatus filios habeat, adhuc non publicatur caſtrenſe.*
23 *Quid dicendum in crimine læſæ maieſtatis? Negat Sanchez, ſed contrarium eſt verius.*

1 PRæmittendum eſt, quæ hæc ſint, & quod iuris pater, & filius in eis habeant. Peculium profectitium eſt, quod filiofamilias prouenit à parente viuo, vel cauſa parentis principaliter donatur. colligitur ex §. *igitur, verſic. ſancitum eſt. Inſtitut per quas perſonas nobis acquirat. l. cùm oportet, in princip. iuncta gloſſa, verbo ex illius ſubſtantia, C. de bonis quæ liberis.* Aduentitium eſt, quod filio donatur; non quidem à parente, ſed ab aliis; neque in gratiam parentis, ſed in gratiam ipſius filij donatur. Item quod filius labore ſuo, & induſtria, extra militiam acquirit, eſt aduentitium. Item hæreditas matris patre ſuperſtite, inter bona aduentitia connumerari debet reſpectu patris, ſecus de hæreditate patris matre ſuperſtite; quia hoc ius ſolùm patriæ poteſtati defertur: colligitur ex *ſupradicta l. cùm oportet. & ex ſupradicto §. igitur.* Caſtrenſe peculium eſt, quod filio acquiritur occaſione militiæ, vel obſequij Principis in palatio. *l. caſtrenſe. ff. de caſtrenſi peculio, l. vnica, C. de caſtrenſi palatin. peculio, lib. 12.* Item quidquid his acquiſitis lucratur, caſtrenſe debet dici. *l. 1. C. de caſtrenſ. pecul. lib. 12.* Ad idem eſt quod ex beneficio Eccleſiaſtico acquiritur, quod vocatur quaſi caſtrenſe, & quod acquiritur poſt clericatum, etiamſi aliàs eſſet aduentitium, *authent. presbyteros, C. de Epiſcop. & clericis.* quia clerici ſunt milites ſpirituales. Item quod acquiritur officio publico alicuius artis liberalis, iudicis, Aduocati, Cathedratici, tabellionis, procuratoris, &c. *l. aduocati, C. de aduocat. diuerſor. iudic.* Item libri donati occaſione ſtudendi has facultates, à quocumque donati ſint. Adde quæ ſolùm liberalitate Principis fuerint donata; & generaliter quoties aliquid filio donatum eſt, ea conditione, ne pater habeat vſumfructum, quaſi caſtrenſe dicitur, quia caſtrenſium bonorum priuilegia habet. Et idem eſt, ſi donatum ſit patre contradicente, quia non videtur æquum, vt ex illo pater commodum reportet. *l. vltim. §. ſin verò pater, C. de bonis quæ liberis.* Item ſi ipſemet pater remittat vſumfructum, quia tunc filio accreſcet, & quaſi caſtrenſe cenſeri debet. *l. cùm oportet, §. non autem, C. de bonis quæ liberis.* Eadem menſura iudicandum eſt de vſufructu alicuius rei filio relicto, quia tunc ad patrem non pertinebit, eo quòd vſusfructus non detur alius vſusfructus, ſicut nec ſeruitus ſeruitutis. *l. 1. ff. de vſufructu legato.* Denique ſi pater in hæreſim incidat, filius efficitur ſui iuris. *cap. 2. §. fin. de hæreticis, in 6.* & acquirit vſumfructum in bonis aduentitiis, quia vſusfructus tunc conſolidatur cum dominio directo, vt dicemus. Legitima autem eſt pars hæreditatis debita filio mortuo parente: in his omnes Doctores conueniunt. Vide Syluest. *verbo peculium.* Nauarr. *cap. 17. num. 142.* Molin. Ieſuitam *diſput. 9. & 230. & ſequentibus*, vbi hæc optimè explicat. Leſſium *lib. 2. cap. 4. dub. 3.*

2 Filius ergo nullum dominium directum, neque vtile habet in peculio profectitio, ſed totum penes patrem reſidet; quare neque illud alienare poteſt, neque in proprios vſus conuertere, niſi iuxta patris præſcriptum. In peculio autem aduentitio habet filius proprietatem, ſed non vſumfructum, neque adminiſtrationem; adminiſtratio enim, & vſusfructus patri deferuntur. Quapropter patre non conſentiente, nequit filius hæc alienare, aut de his diſponere; benè tamen poteſt donare cauſa mortis patre conſentiente, ex *l. tam is, 25. ff. de mortis cauſa donation.* Teſtari tamen non poteſt, niſi ad pias cauſas, *cap. licet pater, de ſepulturis, in 6.* In peculio autem caſtrenſi, aut quaſi caſtrenſi habet filius proprietatem, vſumfructum, & adminiſtrationem, ſicut paterfamilias; ac proinde alienare ea poteſt donatione, & contractu, imò & teſtamento, ſi pubes ſit, quia ante pubertatem teſtari nullus poteſt, ex *l. qua ætate 5. ff. qui teſtamenta facere poſſunt.* Vide Leſſium, Molin. Nauarr. & Syluest. *ſuprà.*

3 Secundò præmitto hanc quæſtionem ſolùm de filiofamilias, hoc eſt, de filio ſub poteſtate parentis conſtituto procedere. Nam emancipatus, & extra patriam poteſtatem exiſtens ſui iuris eſt, & omnia eius bona publicantur, ac ſi patrem ſuperſtitem non haberet.

4 A patria autem poteſtate exit filius primò, ſi pater naturaliter moriatur, neque ſuperſit alius aſcendens per lineam maſculinam, in cuius poteſtatem filius recidat. *Inſtitut. quibus modis ius patriæ poteſt. ſoluit. §. hi verò qui in poteſtate.* Iure tamen Caſtellæ, & Luſitaniæ in ſolius patris poteſtate filius exiſtit, ac proinde decedente patre filius manet ſui iuris. Secundò filius egreditur patriam poteſtatem, ſi pater, vel ipſe morte ciuili condemnetur, hoc eſt, in inſulam deportetur cum amiſſione omnium ſuorum bonorum. *Inſtitut. quibus modis ius patria poteſt. ſoluit. §. cùm autem, & ſequent.* & habetur *l. 2. & 3. tit. 18. part. 4.* Tertiò egreditur patriam poteſtatem, ſi pater hæreſim committat. *cap. 2. §. vltim. de hæreticis, lib. 6.* Et idem eſt, ſi filius ipſe hoc crimen committat. argument. textus *in §. cùm autem is, verſic. pari ratione. Inſtitut. quibus modis ius patria poteſt. ſoluit.* Quartò, ſi ſcienter pater contrahat inceſtas nuptias, quia tunc filij prioris matrimonij patriam egrediuntur poteſtatem. *authent. inceſtas, C. de inceſtis nuptijs, §. 1. & l. 6. titul. 18. part. 4.* Debent tamen hæ inceſtæ nuptiæ copula carnali conſummari, vt pœna hæc locum habeat. Couarruuias *in epitom. decret. 1. part. cap. 6. §. 8. num. 20.* Quintò, ſi filius in Epiſcopum eligitur, eo ipſo patriam egreditur poteſtatem. *authent. ſed Epiſcopalis dignitas, C. de Epiſcop. & cleric. cap. per venerabilem, qui filij ſint legitimi.* Neque requiritur, vt conſecratus ſit, ſufficit, ſi ſit à Pontifice electus: vt ex ſupradictis iuribus conſtat. Idem eſt, ſi in Cardinalem eligatur, vt tradit Couarruuias *cap. quia nos, num. 5. de teſtament.* Sextò, ſi pater, vel filius religionem profiteatur, à patria poteſtate filius egreditur, iuxta gloſſam communiter receptam *in l. ſi ex cauſa, §. Papinian. ff. de minoribus.* & tradit Couarr. alios referens, *cap. 2. de teſtament. num. 8. 2. edit.* Septimò, ſi in patritium, hoc eſt, ſi in Regis conſiliarium eligatur, filius egreditur per electionem à patria poteſtate. *authent. conſtituit. quæ de dignitate, in princip. authent. ſed Epiſcopalis dignitas, C. de Epiſcop. & cleric.* per alias autem dignitates, prætoris ſcilicet, præfecti, & ſimilium, quæ connumerantur *l. vltim. C. de decurionibus, lib. 10. & l. 7. & ſeq. tit. 18. part. 4.* à patria poteſtate filius non egreditur, quouſque illarum adminiſtrationem ſubeat. Octauò, ſi filius emancipetur à patre, hoc eſt, ſi coram iudice

iudice ordinario de communi consensu patris, & filij, filius à potestate patris eximatur. *Instit. quibus modis ius patria potest. soluit. §. præterea, l. vlt. C. de emancip. liberorum.* Tandem in hoc Castellæ, & Lusitaniæ regno, filius eo ipso quo matrimonium contrahat, etiamsi inuitis, inscijsque parentibus ab eorum potestate egreditur. *l. 47. & 48. Tauri, quæ est lex 8. & 9. tit. 1. lib. 5. recopilat. & Lusitan. ordinat. lib. 1. tit. 67. §. 4. & lib. 4. tit. 78. §. 2.* Ratione tamen ætatis, etiamsi senex sit, à patria potestate non eximitur filius, cùm nullo iure id cautum sit, vt docet glossa communiter recepta *l. fin. §. pupillus, verbo pupillus, ff. de verborum obligat.* Anton. Gomez *l. 47. Tauri, num. 1.* Matienzo *lib. 5. recopilat. tit. 1. l. 8 gloss. 1. n. 2.* Perez *lib. 3. ordinam. tit. 8. l. 1. fol. 128.* Item nec ratione clericatus etiam sacerdotalis à patria eximitur potestate, vt est textus, & ibi Abbas *in cap. constitutus, de in integrum restit. & in cap. si annum, de iudic. in 6. & in authent. presbyteros, C. de Episcop. & cleric.* & tradit Bernard. Diaz *practic. cap. 132. num. 6. circa finem.* Sanchez *lib. 2. cap. 15. num. 1.* Molin. Iesuita *tractat. 2. disput. 229. versic. sextus.* His positis vt à clarioribus exordiamur, Primò dicendum est de legitima. Secundò de bonis profectitiis. Tertiò de aduentitiis. Quartò de castrensibus, & quasi castrensibus.

5 De legitima ergo receptissima sententia est non confiscari ob delictum filiifamilias, quodcumque sit; quia confiscatio non extenditur ad aliena bona, sed ad propria delinquentis: at legitima non est delinquentis, quousque pater è vita decedat. *l. suis, de liberis & posthumis.*

Quòd si dicas, esto filiusfamilias viuo patre non habeat legitimam, quæ actu subiici possit publicationi, habere ius, vt illi detur legitima mortuo parente. Ergo hoc ius publicari poterit, & ratione illius mortuo parente fiscus publicabit legitimam.

Respondetur hoc ius personale esse, neque ad hæredes extraneos transmissibile. *l. 1. §. in nouissimo, C. de caducis tollendis.* Bartol. *in l. & postquam, in vltim. opposit. ff. de acquirenda hereditate.* Item confiscatio non trahitur ad iura futura, & conditionalia. *l. si mandauero tibi, §. is cuius bona, ff. mandati.* & ita docent Gigas *tractat. de crimine læsæ maiestatis, lib. 2. tit. de pœnis committent. id crimen. quæst. 9. & 18. num. 1.* Farinacius *practic. quæst. 24. num. 19.* Sanchez pluribus relatis, *lib. 2. cap. 15. num. 19. & 21.* Vasquez *1. 2. disput. 169. cap. 2. num. 16.* Bonacina *disput. 3. de contractibus, quæst. 8. punct. vlt. §. 1. num. 13.* Ad idem est de alimentis debitis filio: non enim hæc publicari possunt, quia sunt bona futura filij, non præsentia, iúsque alimentorum est personale. Sanchez *num. 22.* Bonacina *num. 18. fine.* Sed quid si pater legitimam filio assignasset, & tradidisset, veniret ne in confiscationem? Sanchez, & Bonacina suprà affirmant, quia illa assignatione, & traditione factus est dominus illius. Negat Baiard. *in additionibus ad Clarum, lib. 5. quæst. 78. num. 48.* nullam tamen rationem assignat. Ego verò distinguendum censeo, si filius simul cum traditione legitimæ à patria potestate eximatur, verissima est sententia Sanchez. At si filius sub patria potestate remaneat, cùm reputari debeat illa legitima, quasi castrense peculium, vel aduentitium, quod sub graui controuersia est, vt videbimus, veniat ne in confiscationem. Idem est dicendum de legitima.

6 De bonis profectitiis similiter est dicendum non venire in confiscationem ob filiifamilias delictum, ex *l. cùm oportet, C. de bonis quæ liberis, l. filius, 3. C. de bonis proscript. l. certum, C. familiæ erciscundæ*; & est communis omnium, vt videre est in Bossio *tit. de bonorum publicat. num. 71.* Ruin. *consil. 24. num. 5.* Clarus *practic. quæst. 78. versic. præterea quæro.* Couarr. *variarum resolutionum, lib. 2. cap. 8. num. 7.* Anton. Gomez *tom. 2. variarum resolut. tit. de seruitut. cap. 15. num. 16.* Farinacius *quæst. 24. n. 3.* Sanchez *lib. 2. cap. 15. n. 17.* Bernard. Diaz *practic. cap. 132. num. 6. in medio.* Ratio est manifesta, quia hæc bona non sunt filij, sed patris, tam quoad proprietatem, quàm quoad vsumfructum. *l. si plures, §. in arrogato ff. de vulgar. & pupill.* Ergo ob delictum filij non possunt publicari. Quod verum est, etiamsi à patre filius haberet illorum administrationem, quia non per hoc censetur data potestas alienandi, vt bene dicit Farinacius *suprà*, argument. textus *in l. creditor, §. Lucius, ff. mandati, & in l. si conuenire, ff. de pactis dotalibus.* Adde, esto filius haberet expresse à patre potestatem donandi, & dissipandi, adhuc non intelligeretur data facultas, vt per delictum alienare posset, quia non præsumitur fuisse de delicto cogitatum, sic relatis Alexand. Imola, Angelo, Bart. tradit Bernard. Diaz *suprà num. 6.* Sanchez *num. 18.* Anton. Gomez *n. 16.* & alij.

7 De peculio aduentitio est maior difficultas, an veniat in confiscationem bonorum factam filiofamilias reseruato patri vsufructu? Affirmat Paulus Parif. *consil. 157. lib. 4.* Caldas *l. si curatorem, verbo læsis, num. 112. versic. sed in oppositum. & num. 152. versic. sed in proposita specie, C. de in integrum restitut.* Bonacina *disput. 3. de contractibus, quæst. 8. punct. vlt. §. 1. num. 18.* & alij relati à Menoch. *de recuperand. possess. rem. 9. num. 75.* Farinacius *quæst. 24. num. 5.* Mouentur primò, quia proprietas horum bonorum filij est, non parentis. Ergo confiscatis bonis filij hæc proprietas confiscatur, ex text. *in l. si postulauerit, §. iubet lex, ff. ad legem Iuliam, de adulterijs.* ibi, *Iubet lex eos homines, de quibus quæstio ita habita est, publicos esse, proinde in communi partem publicamus; in proprio, cuius vsusfructus alienus est, nudam proprietatem.* Et confirmatur, quia facta hac confiscatione proprietatis nullum ius amittit parens, cùm illi vsusfructus reseruetur. Ergo ob vsumfructum illi debitum non potest impediri publicatio. argument. textus *in l. quinque legibus, cum l. sequent. ff. de bonis damnat.* vbi publicatis vxoris bonis, maritus omnes omnino actiones saluas habet contra fiscum; sic pater saluum habere potest vsumfructum. Secundò bona minoris confiscationi subiiciuntur, esto non possint absque authoritate tutoris alienari. *l. clarum, C. de authoritate præstanda*; quia sola alienatio voluntaria per contractum, & vltimam voluntatem prohibetur, non autem alienatio necessaria, & à lege inducta. Ergo esto filio prohibita sit alienatio proprietatis aduentitiorum absque patris consensu, vt verè prohibita est, ex *l. fin. §. filijs autem, C. de bonis quæ liberis*, alienatio per delictum prohibita non erit. Tertiò pater tenetur iudicari actione de peculio, si filius condemnatus sit. *l. 3. §. idem scribit, ff. de peculio.* Ergo condemnato filio, & publicatis eius bonis, non poterit peculium aduentitium retinere, sed fisco debet tradere, reseruando sibi vsumfructum.

8 Nihilominus communior sententia est ob delictum filij aduentitiorum proprietatem non publicari. sic post alios Ruin. *consil. 24. lib. 5.* Roland. *consil. 56. n. 10.* Anton. Gomez *tom. 2. var. cap. 15. n. 14.* Menoch. *de recuper. possess. rem. 9. n. 65. & 66.* Farinac. *q. 24. n. 5.* Sanchez *lib. 2. c. 15. n. 9.* Peregrin. *de iure fisci, lib. 5. tit. 1. n. 128.* Fachin. *lib. 4. controuers. iuris, cap. 47.* Iulius Clarus *lib. 5. recept. quæst. 78, n. 12.* Bernard. Diaz *cap. 132. n. 6.* & alij apud ipsos. Duplex fundamentum firmum huius communis opinionis est. Primum, quia esto filius sit dominus proprietatis aduentitiorum; non tamen illa potest alienare absque consensu parentis, ob reuerentiam illi debitam; ne, inquam, ipse parens ob talem alienationem factam ab extraneo proprietario inquieretur, patiatúrque aliquod detrimentum in vsufructu sibi debito. Sed quoties alicui alienatio prohibita est ob alterius fauorem, nequit prohibitus per delictum alienare, ex text. *in l. Imperator, ff. de fideicommiss. libert.* Ergo. Secundum fundamentum sumi

ſumitur ex *l. ſi filius* 3. *C. de bonis proſcript.* vbi cauetur bona caſtrenſia publicationi non ſubiici ob filiifamilias deportationem. Ergo neque aduentitia, in quibus ipſe filius minus habet. Vtrumque probo, quia filius iure antiquo omnia quæ acquirebat, patris erant. *l. placet* 78. *ff. de acquir. hered.* illáque pater tanquam propria ipſius occupabat, ſi fortè filius inteſtatus decedebat. *l. 1. & 2. ff. de caſtrenſ. pecul.* Ex conſtitutione autem noua hoc ius illis eſt conceſſum, vt proprietatem habeant in bonis aduentitiis, & patri reſeruetur vſusfructus. *l. 1. C. de bonis quæ liberis.* At per delictum confiſcatione dignum hoc priuilegium illis aufertur, & bona relinquuntur patri, vt bona tanquam propria occupet. Ergo patri, & non fiſco deferenda ſunt. Minorem probo, ex *ſupradict. l. ſi filius*, ibi enim dicitur: Si filius tuus cùm eſſet in poteſtate in inſulam deportari meruit, peculium eius, nec quod in caſtris acquiſiuit, vel quod ei militaturo donaſti, *auferri tibi debet.* vbi expendendum eſt verbum *auferri*, quod denotat iam per delictum bona filij facta eſſe patris, & ab illo auferenda non eſſe: & ita tradit Fachin. *cap. 47. ex Cuiacio in Cod. recitat. ad titul. de bonis damnatorum.*

9 Neque obſtant rationes contrariæ.

Ad primam concedo proprietatem aduentitiorum fore confiſcandam, ſi illius alienatio in fauorem patris prohibita filio non eſſet, vel niſi pater publicatis bonis filij, eam ſtatim, vt propriam occuparet. Ad confirmationem nego patrem ex hac publicatione nullum eſſe damnum paſſurum, cùm facilè inquietari poſſit à fiſco ſuper rei confiſcatæ adminiſtratione, an rectè adminiſtret, ita vt fiſcus nullum in proprietate damnum patiatur.

Ad ſecundam dico bona minoris confiſcationi ſubiici, quia prohibitio alienandi ei facta eſt in ipſius fauorem, qui ob delictum amittitur; ſicut enim puniri poteſt in perſona, ita & in bonis: at filiofamilias prohibita eſt alienatio aduentitiorum ob fauorem patris vſufructuarij.

Ad tertiam concedo patrem teneri de peculio, cùm filius condemnatus eſt ſoluere aliquam quantitatem pecuniariam; ſecus verò cùm condemnatio fit in publicatione bonorum; quia tunc ſola bona, quæ filius habet (ſi aliqua habet) ſententia vendicat.

10 Supradictæ doctrinæ aliquas apponunt Doctores limitationes. Prima, & præcipua, vt procedat caſu, quo parens habeat vſumfructum in bonis aduentitiis filij, & ſpem illum habendi. Nam ſi vſufructu, & ſpe illius careat, exiſtimant confiſcationi ſubiici. ſic Gigas *de crimine læſæ maieſtatis, lib. 2. tit. de pœnis committent. id crimen, quæſt. 11. verſ. in caſibus autem.* Pariſius *conſ. 157. à n. 11. vſque in finem, vol. 4.* Sanchez *lib. 2. cap. 15. n. 14.* inclinat Menoch. *de recuper. poſſeſſ. rem. 9. à num.* 84. Fundamentum eſt, quia vbi pater nullum habet vſumfructum in bonis filij, neque ſpem illius, permiſſa eſt filio illorum bonorum alienatio. *l. vlt. §. filijs, C. de bonis quæ liberis.* Sed ea, quæ filius alienare poteſt contractu, poteſt alienare & delicto. Ergo. Item ratio, ob quam negamus bona aduentitia ſubiici confiſcationi, eſt, quia filius ea alienare non poterat ob fauorem patris, ne ſcilicet pater damnum aliquod ex tali alienatione in vſufructu percipiendo pateretur: at hæc ratio ceſſat omnino, cùm pater nullum in illis bonis ſperat vſumfructum. Ergo.

Notanter appoſui in limitatione, ſi pater careat vſufructu, & ſpe illius. Nam ſi ſolam ſpem illius habeat, vt poteſt contingere, cùm bona relicta ſunt filio, reſeruando alteri vſumfructum, quia tunc pater habet ſpem illius vſusfructus: ſiquidem præmortuo vſufructuario ante filium, ipſe pater in vſufructu ſuccedet. Ratione ergo huius ſpei hæc bona confiſcationi non ſubiiciuntur, quia ratione huius ſpei nequit filius ea bona abſolutè alienare, per textum *in l. fin. §. filius autem, C. de bonis quæ liberis*, vbi prohibetur filio alienatio bonorum, in quibus pater habet vſumfructum, vel quid aliud, quę poſteriora verba dicit Sanchez *ſuprà num.* 13. Farinac. *q. 24. n. 7.* Menoch. *n.* 87. verificari in ſpe futuri vſusfructus. Et confirmat Farinac. cum Ruino *conſ. 24. num. 13. vol. 5.* exemplo dotis, quæ ob delictum filiæ non publicatur, vt *in authent. econtra ſi filij, C. de repud.* non alia ratione, niſi quia patri adeſt in ea conſolidationis ſpes. *l. 2. §. quod ſi in patris, ff. ſolut. matrim.* & in pluribus aliis caſibus ſpem multa operari latè confirmat Tiraquel. *de legibus connubialibus, poſt leges à num.* 34. Ruinus *conſil. 19. num. 4. & conſ. 98. n. 15. lib. 1.* Socin. iunior *conſ. 95. n. 30. lib. 3.* Alciat. *reſponſ. 171. in fin.* quos refert, & ſequitur Farinac. *ſuprà n. 7.*

11 Cæterùm probabilius exiſtimo confiſcationi non ſubiici bona aduentitia filij, etiamſi pater in illis non habeat vſumfructum, neque ſpem illius. ſic Ruin. *conſil. 24. n. 11. & 12. lib. 5.* Socin. iunior *conſ. 77. n. 10. lib. 1.* Clarus *q. 78. verſ. ſed quid in aduentitijs.* Farinac. *q. 24. n. 6.* Peregrin. *de iure fiſc. lib. 5. tit. 1. n. 128.* Fachin. *lib. 9. c. 48.* Menoch. *ſuprà*, etſi in contrariam partem inclinet, tandem concludit eſſe cogitandum, & ſubdit authoritatem Ruini magnam eſſe. Mouentur aliqui ex eo quòd filiusfamilias de hoc peculio non poteſt teſtari; eſto pater nullum in eo habeat vſumfructum, vt habetur *l. pen. C. qui teſtam. facere poſſ.* Ergo non poteſt venire in confiſcationem, cùm non poſſit venire ad hæredes extraneos. Sed hoc fundamentum, vt notauit Menoch. & ex illo Farinac. & Fachin. infirmum eſt; quia prohibitio teſtandi facta filiofamilias, prouenit ob patriam poteſtatem, quæ tamen in cauſa non eſt, quominus filius propria bona amittere poſſit, ſicut & aliis cõtractibus alienare. Quapropter ratio efficax deſumenda eſt ex *ſupradicta l. 3. C. de bonis damnat.* Ex qua conſtat peculium caſtrenſe exemptum eſſe à confiſcatione, & patri deferri, vt illius proprium: ſed in peculio caſtrenſi non habet pater vſumfructum. Ergo etiamſi in bonis aduentitiis non habeat pater vſumfructum, poterunt à confiſcatione exempta eſſe. Adde patrem iure ſuo occupare peculium filij, quoties priuilegium ſibi conceſſum amittit ob capitis diminutionem. Neque rationes contrariæ vrgent.

Ad primam dico permiſſam eſſe illius peculij aduentitij alienationem contractu, nõ tamen delicto; eo quòd illa bona facta capitis diminutione filij ſint patri delata, & illius propria.

Ad confirmationem concedo prohibitionem alienandi factam in fauorem patris eſſe vnam ex rationibus, ob quam negamus bona aduentitia fiſco ſubiici per delictum filiifamiliàs: at dicimus hanc rationem ſolùm eſſe efficacem in bonis aduentitiis, quorum pater habet vſumfructum, aut ſpem illius: at in bonis aduentitiis, in quibus pater non habet vſumfructum, neque ſpem illius, non ex illa ratione, ſed ex ſecunda deducta ex *l. 3. C. de bonis proſcript.* ſtabilienda eſt.

12 Secundò limitatur ab aliquibus, vt procedat in peculio aduentitio, cuius pater habet adminiſtrationem: ſecus in illo, cuius liberam adminiſtrationem filio pater conceſſit. nam de hoc dicunt confiſcari quoad proprietatem, reſeruato patri vſufructu. ſic Bart. *in l. ſi finita, §. ſi de vectigalibus, num. 13. ff. de damno infecto*, & ibi Alexand. *n. 44. aliàs* 51. Pariſ. *conſ. 157. n. 15. & ſeq. lib. 4.* Menoch. *de recuper. poſſeſſ. rem. 9. n. 77. & 90.* Mouentur ex *l. cùm & filij, C. qui bonis cedere poſſunt.* vbi filiusfamilias cedere poteſt bonis aduentitiis, quæ poſſidet volente patre, de illíſque liberè diſponere. Ergo poteſt delinquendo ea alienare: tum quia hæc eſt quædam minus perfecta alienatio, quàm ea, quę fit per contractum; tum quia nullum ius patri aufertur, cùm ex eius voluntate talis alienatio procedat.

13 Cæterùm hæc limitatio mihi non probatur, duplicitatione. Prima, quia ex libera facultate alienandi non censetur concessa facultas alienandi per delictum, quia de delicto nunquam intelligitur cogitatum. *l. creditor.* §. *Lucius ff. mandati, l. conuenire, ff. de pactis dotalibus,* & tradit Bernard. Diaz *cap. 132. num. 6. circa finem.* Anton. Gomez *tom. 2. var. resolut. lib. 2. cap. 15. num. 15. versic. tertia ratio.* Secunda ratio est desumpta ex *dict. l. 3. C. de bonis damnat.* quia eo ipso quòd filius crimen dignum confiscatione committit, amittit in bonis priuilegia sibi concessa, & pater ea tanquam sua occupat. Ergo ob potestatem, & facultatem alienandi non infertur confiscatio per delictum filij in bonis aduentitiis: & ita tenet Abbas *conf. 66. num. 5. volum. 2.* Baiard. ad Clarum *quæst. 78. n. 55. lib. 5.* Boërius *decis. 7. n. 16.* Bernard. Diaz, & Anton. Gomez *suprà.* Sanchez *lib. 2. cap. 25. num. 11. & 18.*

14 Tertiò limitatur, vt non procedat in hoc Castellæ regno, in quo filius disponere potest de tertia parte aduentitiorum absque consensu parentis, ex *l. 6. Tauri, quæ est 1. tit. 8. lib. 5. recopilat.* & cùm libera sit ei concessa dispositio tam per testamentum, quàm per contractum, poterit delinquendo alienare. sic Valdes *additionibus ad Suarez. l. post rem iudicatam, notab. 13. num. 2. vers. neque obstat, in fine, ff. de re iudic.* Caldas *l. si curatorem, verbo læsis, num. 152. vers. sed in proposita specie, C. de in integrum restitut.* Cantera *in suis qq. crimin. tit. de quæst. tangent. punit. delict. cap. 1. num. 39.*

15 Verùm neque hanc limitationem probo, quia supradictam legem non est certum loqui de filiofamilias, sed de filio emancipato, vt explicat Sanchez *lib. 6. de matrim. disp. 39. num. 9.* & concesso loqui tam de filiofamilias, quàm emancipato, vt fortè probabilius est, eo quòd comparentur filij in tertia bonorum parte cum parentibus, ac parentes comparantur cum filiis in quinta parte bonorum, de qua quinta parte possunt patres, quia non est legitima, nec debita filiis, non solùm per testamentum, sed etiam per contractum disponere: ita similiter dicendum est de filiis; posse, inquam, non solùm ex testamento, sed etiam per contractum de tertia illa parte bonorum disponere. & fauet Matienzo *glossa 8. verbo, por su alma.* Anton. Gomez *l. 6. Tauri, num. 14. circa finem,* & expressè Caldas *suprà.* adhuc existimo non venire in confiscationem, quia semper militat ratio desumpta ex illa *l. 3. C. de bonis damnat.* per quam pater fisco præfertur in bonis à filio existente sub eius potestate possessis: & ita tenet Sanchez *lib. 2. cap. 15. num. 10.* non ob hanc rationem, sed quia existimat supradictam legem Tauri non concedere filiisfamilias dispositionem liberam tertiæ partis suorum bonorum, nisi tantùm via testamenti, non contractus; iuxta *legem 5. Tauri.*

16 Quartò & præcipuè limitatur conclusio, vt non procedat in crimine læsæ maiestatis humanæ, & diuinę. Et idem est dicendum in regno Castellæ de crimine contra naturam; in iis enim criminibus ob filiifamilias delictum publicari bona aduentitia reseruato patri vsufructu, docuerunt expressè Ludouic. Gomez *§. actiones autem, num. 13. Institut. de actionibus.* Azor *tom. 1. lib. 5. cap. 7. quæst. 8.* Vasquez *1. 2. disp. 169. cap. 1. n. 9.* Simancas loquens de hæresi, *de catholic. institut. tit. 9. num. 16. & 18.* Octauian. *decis. Pedemontana, 94. à num. 9. vsque in finem.* Farinacius *1. part. praxis, q. 24. num. 9.* & pluribus relatis *de hæresi, quæst. 190. §. 1. num. 14. & 17.* Fachin. *lib. 9. controuers. iuris, cap. 48. vers. contraria sententia, & cap. 49. fine.* Triplici fundamento hæc limitatio nititur. Primò, quia iis criminibus soluitur patria potestas. §. *cùm autem is, Institut. quibus modis ius patriæ potest. soluit.* ibi pari ratione, etsi quis in potestate parentis sit, in insulam deportatus fuerit, desinet esse in potestate parentis; *ac proinde quasi sui iuris effecti filij delinquendo bona propria alienant.* Secundò sumitur ex *l. quisquis, C. ad legem Iuliam maiest.* vbi cuicumque committenti hoc crimen imponitur pœna publicationis suorum bonorum, sed sub illa dictione *quisquis*, quæ generalis est, comprehenduntur tam ij, qui sui iuris, quàm alieni sunt. argument. *l. si plures, vers. sicuti hæc verba quisquis, ff. de legat. 3.* & sub dictione *suorum*, comprehenduntur bona, quæ quis habet, eo modo quo habeat. Ergo. Tertiò filius innocens ob crimen læsæ maiestatis à patre commissum, priuatur quacumque hæreditate, & successione; ergo à fortiori priuandus est dominio suorum bonorum; quia valet in delictis argumentum de minori ad maius affirmatiuè sumptum, vt ex Bald. *in l. si quis non dicam, notab. 2. C. de Episcop. & cleric.* tradit Farinacius *quæst. 24. n. 110.* Contrarium huius limitationis defendit Gigas *de crimin. læsæ maiestatis, lib. 2. tit. de pœnis committ. crim. læsæ maiestatis, quæst. 11.* Sanchez loquens de peculio castrensi, *lib. 2. cap. 15. num. 4. fine.* Mouentur, quia omnes rationes, quæ à publicatione bonorum excludunt bona aduentitia, procedunt in confiscatione facta ob hæc crimina: scilicet non posse alienari habente patre vsumfructum, succedere patrem in illis bonis filio capite diminuto. His tamen non obstantibus retinenda est supradicta limitatio, vt communior, & bono publico fauorabilior, ob secundam rationem, quia *l. 3. C. de bonis damnat.* applicans patri bona filiorum, exceptionem patitur, ex *l. quisquis, §. filij.*

17 Supradictam limitationem aliqui extendunt ad vsumfructum, ita vt non solùm proprietas bonorum aduentitiorum publicetur, sed etiam publicetur vsusfructus patri debitus: sic tradunt loquentes de hæresi, Simancas *de catholic. institut. tit. 9. num. 18.* Vasquez *disput. 169. cap. 1. num. 9.* Azor *lib. 5. cap. 7. quæst. 8. & lib. 8. cap. 12. quæst. 15.* Mouentur, quia filius ob crimen hæresis (& idem videtur esse de aliis criminibus, quæ maximam, vel dimidiam capitis diminutionem habent) egreditur à patria potestate. *Institut. quibus modis ius patria potest. soluit. §. cùm autem is, & §. pœna seruus.* Sed vsusfructus in bonis aduentitiis filij patri pertinet solùm ob patriam potestatem. Ergo illa exclusa ad illum non pertinet, ex *l. si ex causa, §. Papinian. ff. de minoribus.* Ergo consolidabitur cum proprietate, ac proinde confiscata proprietate confiscabitur vsusfructus.

18 Cæterùm hæc extensio mihi non probatur. Fateor namque filium non solùm facta declaratione criminis, sed à puncto delicti commissi egredi à patris potestate. argum. textus *in §. cùm autem is, vers. pari ratione, Institut. quibus modis ius patriæ potest. soluit.* sicut enim à puncto, quo pater hæc crimina committit, filius à patria potestate egreditur, ita debet egredi à puncto, quo ipse ea committit, vt bene dicit Molin. Iesuita *de iustit. disput. 9. vers. ab hac regula*; sed hoc non præstat, vt pater vsumfructum sibi debitum in bonis acquisitis à filio ante delictum, & toto eo tempore, quo sub eius potestate erat, amittat. Factum enim filij præiudicare non potest iuri patris acquisito. Neque ius percipiendi vsumfructum annexum est patriæ potestati, quoad conseruari; esto quoad primam acquisitionem à patria potestate dependeat, vt rectè pluribus relatis docet Molin. *suprà, & disput. 140. vers. hoc tamen fundamento.* consentit iis Azeuedo *lib. 8. recopil. tit. 3. l. 1. n. 212.* Octauian. *decis. Pedemont. 94. à num. 9.* Sanchez *lib. 2. cap. 15. num. 11.* Subdit tamen Molin. in regno Lusitaniæ, & Castellæ, si filius iam per hæresim exemptus à patria potestate Ecclesiæ reconcilietur, & matrimonium contrahat Ecclesiæ benedictionibus subsecutis, in quo casu vsusfructus debitus patri filio accrescit, iuxta *l. 48. Tauri, quæ est 9. tit. 1. lib. 5. recopil.* fisco tunc deuenire, quia succedit in omnibus bonis ipsius delinquentis. At credo nequaquam tunc fisco esse applicandum, sed delinquenti,

quenti, quia confiſcatio non extenditur ad bona futura, ſed ad præſentia, & exiſtentia tempore delicti. Addit inſuper Molin. *vtroque loco*, & Sayrus *in claui regia lib. 9. cap. 7. num. 7. verſ. econtra*, vſumfructum bonorum, quæ filius poſt hæreſim acquirit, fiſco eſſe applicanda, quia & proprietas fiſco debetur. Hoc tamen dicit Sanch. *num. 11. in fine*, intelligendum eſſe de bonis acquiſitis durante hæreſi, non de acquiſitis, poſtquam de illa reus pœnituit. At credo nulla ex iis bonis ad fiſcum pertinere, ſed ad ipſum criminoſum, ſi capax eſt acquiſitionis, quod in vltimo puncto huius diſputationis examinabimus, vel ad illius conſanguineos, & hæredes, ſi incapax ratione criminis factus ſit.

19 Vltima difficultas eſt de bonis caſtrenſibus, aut quaſi caſtrenſibus. An, inquam, ob delictum filij publicentur, vel patri deferantur?

Publicari, inquam, tradiderunt Nilus *in tract. de bannitis, 1. p. 2. temp. quæſt. 25.* Anton. Gom. *var. reſolut. tit. de ſeruitutib. cap. 15. num. 15. verſ. ſed his non obſtantib.* Azor. *tom. 1. lib. 5. cap. 7. quæſt. 8.* Vaſq. 1. 2. *diſput. 169. cap. 1. n. 9.* Gigas *tract. de crimin. læſæ maieſt. lib. 2. tit. de pœnis committen. hoc crimen, quæſt. 12.* Simanc. *de catholic. inſtitut. tit. 9. n. 13.* Bonac. *diſput. 3. de contract. quæſt. 8. p. vlt. num. 18.* & alij plures, quos referunt Peregrin. Farinac. & Sanch. *locis allegandis*. Fundamentum huius ſententiæ eſt, quia filius in his bonis habet plenum, & perfectum dominium, tam quoad proprietatem, quàm quo ad vſumfructum, liberámque illorum adminiſtrationem, & diſpoſitionem, ſicuti ſi eſſet paterfamiliàs, vt conſtat ex *l. 2. C. ad Macedon. l. cùm oportet, verſ. exceptis. C. de bonis quæ liberis. l. miles. 1. ff. de caſtrenſi peculio.* Ergo delinquendo poterit illud amittere, qui enim delictum committit confiſcatione dignum, tacitè alienare cenſetur. *l. Imperatores, ff. de iure fiſci.* Neque obſtat *l. 3. C. de bonis proſcript.* cui contrariæ ſententiæ Doctores innituntur: nam eſto in illa lege mandetur bona caſtrenſia non debere à patre auferri, ideo erat, quia tempore illius legis bona patris erant; ſolúmque filio permittebatur fauore militiæ de illis diſponere, quòd ſi non diſponebat, patri deferebantur tanquam propria, ex *l. 2. & ibi gloſſa, ff. de caſtrenſi peculio.* At hodierno iure bona caſtrenſia non ſunt patris, ſed filij; neque pater iure proprio, ſed iure hæreditario in illis ſuccedit. *Authent. de hæredib. ab inteſt. venientib. collat. 9. §. ſi igitur defunctus. & Authent. defuncto. C. ad Tertullian. & l. 3. C. de bonis quæ liberis, & l. fin. C. communia de ſucceſſionib.* & aliis. Ergo ceſſare debet diſpoſitio illius legis, cùm finis illius ceſſet.

20 Dicendum tamen eſt, etſi ſupradicta ſententia ſit ſatis probabilis, probabilius eſſe hæc bona fiſco non deferri, ſed patri. ſic Clarus *lib. 5. quæſt. 78. verſ. quæro etiam*, Menoch. *de recuper. poſſeſſ. rem. 9. num. 69. & 70.* Couarr. *lib. 2. var. reſolut. cap. 8. num. 7.* Peregrin. *de iure fiſci, lib. 5. tit. 1. num. 130.* Farinac. *1. p. prax. quæſt. 14. n. 11.* Sanch. *lib. 2. cap. 15. num. 4.* Fachin. *lib. 9. controuerſ. cap. 49.* & alij innumeri apud ipſos.

Fundamentum eſt *dicta l. 3. C. de bonis proſcript.* vbi Imperator patri, cuius filius eſt deportatus, concedit omnia bona caſtrenſia, aut quaſi caſtrenſia; inquit enim, *Si filius tuus, cùm eſſet in tua poteſtate, in inſulam deportari meruit: peculium eius nec quod in caſtris acquiſiuit, vel quod ei militaturo donaſti, auferri tibi debet.* Sed hæc lex nulla alia lege eſt abrogata. Ergo dicendum eſt facta capitis diminutione in filio, deferendum eſſe patri eius peculium. Minorem probo, quia ſolùm abrogata eſt lex negans filiofamilias adminiſtrationem, & diſpoſitionem bonorum caſtrenſium, & quòd in illis non habet hæredem, ſi ab inteſtato decedat: at ex horum abrogatione non infertur abrogatio *ſupradictæ legis 3.* quia ſtare optimè poteſt filium habere hæredem, & ſucceſſorem, adminiſtraréque poſſe bona caſtrenſia, & nihilominus ſi delinquat, ea patri deferri in prærogatiuam patriæ poteſtatis, & illius ſolatium. Ergo. Et confirmo. Filio interdicta erat iure antiquo adminiſtratio, & diſpoſitio cuiuſcumque peculij acquiſiti, quia patri acquirebat. *l. placet 78. ff. de acquirend. hæredit.* Nouo iure conceſſa eſt libera caſtrenſis diſpoſitio. *l. 3. C. de caſtrenſi peculio. lib. 12. & l. 2. C. ad Macedonian.* At in hac conceſſione non intelligitur conceſſa doloſa adminiſtratio, & alienatio per delictum. *l. creditor. § Lucius, ff. mandati.* Confirmo ſecundò. Filiofamilias non eſt conceſſa facultas caſtrenſia bona alienandi ex iure communi, ſed ex iure ſpeciali, & priuilegiato: at cui eſt conceſſa facultas ex iure ſpeciali, & priuilegiato alienandi, alienare non poteſt per delictum, vt tradunt communiter Doctores, *in ſuprad. l. ſi filius, C. de bonis proſcript.* Ergo.

21 Ex his ſoluuntur rationes contrariæ.

Ad primam dico, eſto habeat filius dominium, & adminiſtrationem peculij caſtrenſis, non habet iure communi, ſed ſpeciali, & priuilegiato, ideóque alienare non poteſt per delictum. Secundò, reſpondeo alienare quidem bona caſtrenſia non fiſco, ſed patri, qui ex *ſuprad. l. ſi filius 3.* in hac alienatione fiſco præfertur.

Ad ſecundam concedo latam eſſe hanc legem, tempore quo filius omnia patri acquirebat, quod licèt ſit mutatum, quoad acquiſitionem, & ſucceſſionem diſpoſitionémve; non tamen eſt mutatum illa in parte, in qua ſtatuitur patrem fiſco præferendum eſſe, à patréque illa bona non eſſe auferenda. Nam, vt rectè Cuiac. notat *lib. 6. obſeruat. cap. 11.* & Fachin. *lib. 1. controu. cap. 8. circa finem, & lib. 9. cap. 49.* ſæpè antiquas leges in aliqua parte correctas eſſe poſterioribus conſtitutionibus, & in aliis partibus ſuum vigorem obtinere; præcipuè cùm ſatis ſit tritum prouerbium, à iure antiquo recedendum non eſſe abſque textu expreſſo, quia iuris correctio eſt odioſa, & omnino vitanda. *l. præcipimus. C. de appellat.* At nullus eſt textus nouus expreſſus, negans hæc bona patri eſſe deferenda, cùm filius patitur capitis diminutionem. Ergo.

22 Ampliatur hæc doctrina, vt procedat in caſu quo filius condemnatus filios habeat, quia hoc non obſtat, quominus patri peculium ſibi debitum deferatur, ſic relato Saliceto, Alexand. & Peregrino tradit Sanch. *lib. 2. cap. 15. num. 5.* At hoc intelligendum eſt in caſu quo filius condemnatus ſub patria eſſet poteſtate; ſiquidem in illius prærogatiuam, & ſolatium bona filij condemnati patri deferuntur, vt tradit Couar. *lib. 2. var. cap. 8. num. 7.* Iulius Clarus *lib. 5. quæſt. 78. verſ. quæro etiam, ad finem.* Farinac. *quæſt. 24. num. 13. circa fidem.* Quod tamen in regno Caſtellæ, & Luſitaniæ fieri non poteſt, cùm eo ipſo, quo filius vxorem ducat, patriam poteſtatem egrediatur, vt habetur *lib. 1. Luſitanarum ordinat. tit. 67. §. 4. & lib. 4. tit. 78. §. 2. & leg. 47. & 48. Taurs*, quæ ſunt *8. & 9. tit. 1. lib. 5. recopil.* & tanquam à patria poteſtate egreſſus, & ſui iuris omnia bona fiſco, & non filiis, neque parentibus debentur.

23 Sed dubium eſt, an in crimine læſæ maieſtatis humanæ, & diuinæ, & Sodomitico publicentur? Negat Sanchez *lib. 2. cap. 15. num. 4. fine.* Mouetur, quia nihil ſpeciale videtur eſſe de his criminibus ſtatutum.

Contrarium tamen affirmandum eſt cum Gigas *de crim. læſæ maieſt. lib. 2. tit. de pœnis committ. hoc crimen. q. 12. in fine.* Quemada *in ſuis quæſtionib. fiſcal. q. 19. ad finem.* Repert. inquiſit. *verbo confiſcatio verſ. item propter hæreſim.* Vmbert Locat. *poſt iudiciale inquiſit. quæſt. 18. verſ. ſed vt nihil remaneat.* Fachin. *lib. 9. controuerſ. cap. 49. fine.* Octauian. *deciſ. Pedemontana 94.* Farinac. *lib. 1. praxis, quæſt. 24. num. 14. & de hæreſi. quæſt. 190. §. 1. num. 17.* Ratio eſt, quia *in l. quiſquis. §. filij verò. C. ad leg. Iul. maieſt.* filiofamilias imponitur hæc pœna amiſſionis ſuorum bonorum: at ſi ob hæc crimina bona caſtrenſia non amittit filius, nulla ſunt bona, quæ amittere poteſt, quia nulla alia habet magis propria, & lex reſpectu filijfamilias

vana

vana esset, & inutilis. Et confirmo, lex condemnat filium in amissione suorum bonorum; neque distinguit, an sint sua ex iure communi, an ex iure speciali. Ergo omnia comprehendit.

Punctum XI.

Quæ peculia filij ob crimen parentis confiscatione dignum publicentur.

1 *Vsusfructus finitur, quoties vsufructuarius patitur maximam, aut mediam capitis diminutionem, & quæ hæc sint.*

2 *Sint ne hæc correcta per authenticam, sed hodie examinatur.*

3 *Concluditur non esse correcta.*

4 *Bene tamen in regno Castellæ.*

5 *Si delictum vsufructuarij habet annexam, maximam, aut mediam capitis diminutionem, non publicatur vsusfructus, sed finitur, spectato iure communi.*

6 *In regno Castellæ negant aliqui publicari.*

7 *Probabilius est publicari.*

8 *Bona castrensia, aut quasi, non publicantur ob crimen parentis.*

9 *Bona aduentitia quoad proprietatem non publicantur, quoad vsumfructum probabilius est publicari.*

10 *An committente patre delictum, ratione cuius exit filius à patria potestate, extinguatur in patre vsusfructus bonorum, quæ filius ante delictum acquisiuit? Sanchez, & Molin. in solo crimine hæresis affirmant, extingui.*

11 *Farinacij distinctio approbatur.*

12 *Quid dicendum attento iure regio Castellæ, & Lusitaniæ.*

13 *Peculium profectitium, an publicetur publicatis bonis parentis? Proponitur dubitandi ratio.*

14 *Temperatur, vt non procedat in delicto, per quod soluitur patria potestas.*

15 *Probabilius censeo supradictum peculium publicari, publicatis bonis parentis.*

16 *Fit satis rationi dubitandi num. 13. adductæ.*

17 *Legitima, & alimenta debita filio non publicantur.*

18 *Excipe in bonis maternis ob matris delictum.*

19 *Item non procedit in filijs conceptis post condemnationem.*

20 *Neque item procedit in crimine hæresis.*

21 *Neque in crimine læsæ maiestatis humanæ commisso contra Principem.*

22 *Filijs fœminis reseruatur legitima de bonis maternis ob parentum delictum.*

23 *Quid debeatur ex bonis parentis.*

24 *Non caret probabilitate reseruanda esse alimenta filijs parentum committentium crimen læsæ maiestatis.*

25 *Possunt ij filij, quibus non reseruantur alimenta, abscondere sibi ad victum grauiter necessaria.*

Diximus in puncto præcedenti, parentem in bonis aduentitiis filij habere vsumfructum, & in bonis profectitiis non solùm vsumfructum, sed etiam proprietatem. Videndum ergo est, an publicatis bonis ob delictum patris, hæc bona, quæ filiorum sunt, publicentur, saltem secundùm eam partem, quæ ad patrem pertinet.

1 Pro resolutione præmittendum est, qua ratione per delictum finiatur vsusfructus. Iure ergo communi vsusfructus finitur, quoties vsufructuarius patitur maximam, aut mediam capitis diminutionem, quia tunc efficitur seruus pœnæ, & pro mortuo reputatur: & sicut mortuo vsufructuario perit vsusfructus, & consolidatur cum proprietate, ita cùm à iure pro mortuo censetur: habetur *l. corruptionem, C. de vsufruct. & §. finitur, Institut. de vsufructu.* & ibi communiter Doctores. Dicitur autem quis pati maximam capitis diminutionem. Primò cùm ad metallum damnatur, vel bestiis subiicitur. *§. pœna seruus. Institut. quibus modis ius patriæ potest. soluit.* Secundò si vltimo supplicio damnetur. *l. qui vltimo supplicio, ff. de pœnis.* Tertiò, si libertus ob ingratitudinem in patronum seruituti redigatur. Quartò, si maior 25. annis patiatur se vendi, vt pretio fruatur. *§. maxima, Instit. de capitis diminut.* Mediam tamen capitis diminutionem patitur quis, si ei interdicatur aqua, & ignis, vel in insulâ deportetur, etiamsi libertatem retineat. *§. minor, Instit. de capit. diminut.* Debet tamen hæc deportatio, & relegatio fieri cum amissione omnium bonorum, aliàs non dicetur mediam capitis diminutionem pati. *§. cùm autem, versic. relegati. Institut. quibus modis ius patriæ potest. soluit.* Hæ tamen pœnæ interdictionis aquæ, & ignis, damnationis in metallum, & deportationis, non videntur esse in vsu: at loco illarum succedit exilium perpetuum, præcipuè in insulam minus salubrem; damnatio ad perpetuum carcerem, vel triremes. sic Peregrin. *de iure fisci, lib. 5. tit. 1. n. 116.* Gregor. Lopez *l. 4. tit. 31. part. 7.* Sanchez *lib. 2. cap. 16. num. 7.* Molin. *tom. 1. disp. 9. §. quod vt melius.*

2 Sed non est parua difficultas, an hæc omnia correcta sint per *authent. sed hodie, C. de donat. inter vir. & vxor.* quæ ex *authent. de nupt. §. quod autem*, desumpta est: vbi habetur neminem à principio bene natum, id est, ingenuum effici seruum pœnæ, etiamsi ad supradictas pœnas condemnetur. Nam si desinat esse seruus pœnæ, non debent ab illo bona auferri, neque illorum ei dispositio interdici; ac proinde neque vsusfructus, si vsufructuarius est, finiri.

Qua in re Anton. Gomez *tom. 2. var. cap. 15. num. 20. vers. secundo modo, & l. 4. Tauri, n. 2.* Couarr. *in rubr. de testament. p. 3. n. 27.* censent non reputari seruum pœnæ, neque tanquam mortuum vsufructuarium, neque eius vsumfructum finiri, si condemnetur ad mortem ciuilem damnationis in metallum, carcerem, vel triremes perpetuos, aut quid simile; quia per suprad. authent. liberatur à seruitute pœnæ, & consequenter priuari non debet iure disponendi de suis bonis; secus verò (inquiunt) dicendum est, si condemnetur ad mortem naturalem, quia tunc etiam de iure authenticorum efficitur seruus pœnæ, sicut antea; ac proinde intestabilis, & vsusfructus eius finitur: adducunt pro se glossam ordinariam *in dict. authent. sed hodie*, & ibi Odofred. Petr. Cynum, Bart. Salicetum, & communem, & Bart. *in l. qui vltimo ff. de pœnis.*

Non tamẽ caret difficultate hæc doctrina. Primò, quia *auth. sed hodie*, nullam distinctionẽ facit inter condemnatum ad mortẽ naturalẽ, vel ad ciuilem. Ergo vtrumq; condemnatum comprehendit. Ergo vtrumque eximit à seruitute pœnæ. Et quidem vterque erat antea seruus pœnæ, & intestabilis factus sine vlla distinctione. *l. eius qui, §. 1. ff. de testam. l. quidã sunt serui, ff. de pœn.* & aliis. Secundò, esto à condemnatis ad mortem ciuilem, vel naturalem tollatur seruitus pœnæ, neque libertatem per condemnationẽ amittant, nõ inde efficitur esse habiles ad testandum, dispositionémq; suorum bonorum habere. Nam iure antiquo, quibus erat interdictum aquæ, & ignis, vel in insulam deportabantur, non efficiebantur pœnæ serui, quia esto ciuitatem amitterent, non amittebant libertatem. *§. minor. Institut. de capitis dimin.* & tamen ij deportati, & proscripti intestabiles erant. *l. eius qui, §. sed cui, ff. de testament.* quia simul cum deportatione omnibus suis bonis spoliabantur; & fisco, vel hæredibus ab intestato applicabantur. Quòd si aliquando deportatio contingebat absque horum bonorum amissione, sic deportatus, & relegatus mediam capitis diminutionem non dicebatur passus. *Institut. quibus modis ius patriæ potest. soluit. §. cum autem, vers. relegati.* Ergo quamuis *authent. sed hodie*, tollat à condemnatis

matis ingenuis ſeruitutem pœnæ, non inde infertur feciſſe illos habiles ad teſtandum.

3 Quapropter dicendum videtur ex vi illius *Authent. de nuptijs, §. quod autem, & ex Authent. ſed hodiè, C. de donation. inter vir. & vxor.* condemnatum ad mortem ciuilem, vel naturalem non eſſe ſeruum pœnæ, in ordine ad matrimonium contrahendum, vel ad perſeuerandum in contractu; ſed habendum eſſe in hac parte, ac ſi omnino liber, & indamnatus exiſteret: at in ordine ad teſtamentum, vel diſpoſitionem ſuorum bonorum, nihil eſſe de ſeruitute immutatum, ſed tam condemnatum ad mortem naturalem, quàm ad ciuilem, ſcilicet ad deportationem cum amiſſione omnium bonorum, tam, inquam, patientem maximam capitis diminutionem, quam patientem mediam, inteſtabiles eſſe, & inter mortuos reputatos; ac proinde vſumfructum in illis, ſi quis erat, finiri, & ad proprietarium deuolui: ita doctè defendit Molin. Ieſuita *tom. 1. diſput. 9. col. 2. & 3.* Panorm. *in rub. de teſtam.* Bart. & alij.

4 At in regno Caſtellæ poſt *legem 4. Tauri, quæ eſt 4. tit. 4. lib. 5. recopilat.* hoc ius mutatum eſt: conceditur enim his condemnatis poteſtas teſtandi, & diſponendi de bonis confiſcationi non ſubiectis, ac ſi condemnati non eſſent. Ex qua deciſione infertur non perire vſumfructum in vſufructuario per maximam, aut mediam capitis diminutionem, ſed neceſſariò requiri mortem naturalem cum effectu. Ratio eſt manifeſta, quia iure communi ea de cauſa finiebatur vſusfructus, vſufructuario condemnato, quia reſpectu bonorum temporalium tanquam mortuus reputabatur. At ex iure regio Caſtellæ ceſſat hæc reputatio, cùm damnatus ad mortem poſſit teſtari, liberéque de bonis diſponere. Ergo ceſſante hac reputatione ex iure regio Caſtellæ, ceſſare debet diſpoſitio, & finis vſusfructus: & ita tradit Mol. *dict. diſput. 9. verſ. his ita conſtitutis, & verſ. ex dictis facilius.* Ferdinand. Rebell. *1. p. lib. 1. q. 7. sect... n. 22.* Sanch. *lib. 2. in Decal. cap. 16. n. 8.* Eandem doctrinam extendunt ſupradicti Doctores ad Luſitaniæ regnum; cùm enim in illo condemnatis ad mortem naturalem concedatur poteſtas teſtandi ad aliqua pia opera, de tertia parte ſuorum bonorum, vt conſtat ex *5. lib. ordinam. tit. 94.* & tacitè condemnatis ad mortem ciuilem poteſtas teſtandi ſit conceſſa; efficitur ſanè vſumfructum illorum, ſi quem habent, non finiri per condemnationem, quouſque cum effectu mors naturalis ſequatur. Non enim reputari ij poſſunt tanquam mortui, quibus aliqua bonorum ſuorum diſpoſitio conceditur.

5 Ex iis infertur quid dicendum ſit, an vſufructuario damnato, & publicatis eius bonis publicetur vſusfructus, vel ad proprietatem redeat: Et quidem ſi delictum tale eſt, ob quod vſufructuarius patitur maximam, aut mediam capitis diminutionem, in quo caſu diximus finiri iure communi vſumfructum, clarum eſt non publicari; ſed ad proprietatem redire. *l. corruptionem. 16. C. de vſufructu.* Peregrin. *de iure fiſci, lib. 5. tit. 1. num. 73. & 116.* Molin. *tom. 1. diſput. 9. verſ. ex dictis facilius*, Sanch. *lib. 2. cap. 16. num. 7.*

Difficultas autem eſt, an publicetur in regno Caſtellæ, & Luſitaniæ, in quibus ob maximam, aut mediam capitis diminutionem diximus vſumfructum non finiri. Et idem eſt ſecundùm ius commune de delictis, in quibus condemnatus non patitur maximam, aut mediam capitis diminutionem, ſi omnia ſua bona publicentur; an, inquam, ſub hac publicatione vſusfructus comprehendatur, vel potiùs ad proprietarium redeat, vel in ipſo fructuario perſeueret?

6 Negat publicari, ſed ad proprietarium redire, Bald. *l. 1. C. de bonis libert. num. 4.* Alexand. *conſ. 23. num. 14. vol. 1.* Conrad. *in pract. tit. de publicat. bonor. num. 3. verſ. 3. limita.* Bernard. Diaz *pract. cap. 132. num. 4.* Probant duplici ratione. Prima. Qui non poteſt alienare per contractum, aut vltimam voluntatem, nequit per delictum alienare, ex *l. Imperatores, 34. ff. de fideicommiſſ. libert.* ſed vſufructuarius alienare non poteſt contractu, vel vltima voluntate vſumfructum; imò ſi de facto tentet alienare, nulla eſt alienatio, & vſusfructus ad proprietarium redit. *§. finitur. Inſtit. de vſufructu. l. ſi vſusfructus. verſ. vel extraneo ff. de iure dotium*, & in vtroque loco gloſſa, & Doctores communiter. Ergo neque etiam poterit alienare per delictum. Secunda. Quæ non poſſunt ad extraneos hæredes tranſire, vt ſæpe dictum eſt, non poſſunt ad fiſcum deuenire, qui loco extranei hæredis ſuccedit; at vſusfructus ad extraneum tranſire non poteſt, ex *ſupradicto §. finitur. Inſtit. de vſufructu.* Ergo. Neque valet dicere te alienare non poſſe, neque ad hæredem extraneum tranſmittere ius percipiendi vſumfructum; benè tamen ipſius vſusfructus commoditates, & vtilitates durante ſua vita, iuxta textum expreſſum *in Lahoribus, verſ. vſufructuarius, ff. de vſufructu*, & habetur *l. 25. tit. 31. part. 3.* ſicuti ius decimandi alienari non poteſt in laicum. *cap. prohibemus, de decimis.* at benè poteſt eis vendi, locari, aut alio quouis titulo concedi commoditas, & perceptio fructuum, *cap. veſtra, de locato.* Ergo licèt non poſſit publicari ius percipiendi vſumfructum; poterit tamen ipſe vſusfructus, ſeu illius commoditas publicari. Non, inquam, hoc valet, quia publicatio non extenditur ad bona futura, & venientia poſt delictum; ſed ad bona tempore delicti exiſtentia: at commoditas, & vtilitas vſusfructus ſuccedit poſt delictum, & condemnationem, & ſolùm ius percipiendi vſumfructum tempore delicti exiſtit. Ergo ſi ius publicari non poteſt, quia non poteſt alienari; neque commoditas, & vtilitas vſusfructus publicari poterit, quia ad ipſa non extenditur delictum, & publicatio.

7 Nihilominus tamen dicendum eſt durante vita vſufructuarij, & publicatis eius bonis ob delictum, ratione cuius vſusfructus non finitur, publicari & ipſum vſumfructum quoad cõmoditatem, & vtilitatem ipſius: ſic tenent Vaſquez 1. 2. *diſp. 169. cap. 3. num. 10.* Molin. *diſp. 9. verſ. ex dictis facilius.* Nilus *de bannit. 1. p. ſecund. tempor. num. 21.* Simanc. *de catholic. inſtitut. tit. 9. num. 19.* Anton. Gomez *tom. 2. var. cap. 15. num. 18.* Sanchez *lib. 2. cap. 16. num. 4.* Farinac. *1. p. praxis, quæſt. 25. n. 150.* Fachin. *lib. 9. controu. cap. 50.* Peregrin. *de iure fiſci, tit. 1. lib. 5. n. 73. & 116.* Bonacina *diſp. 3. de contract. lib. quæſt. 8. punct. vlt. §. 1. num. 11.* & alij plures apud ipſos: & conſtat ex *l. ſi poſtulauerit, §. iubet, ff. ad leg. Iul. de adulter.* ibi, *In quæ tantùm vſumfructum habet reus, magis eſt, vt perceptio vſusfructus ad publicum incipiat pertinere.* Ratio autem eſt, quia licèt ius percipiendi fructum proprio nomine alienare non poſſis; quia eſt perſonale: at alienare, cedereque alteri potes facultatem percipiendi fructum durante tua vita, non quidem vt ipſe nomine proprio percipiat, quia hoc ſolum tibi vſufructuario competere poteſt, ſed vt nomine tuo percipiat, & fruatur. Qua alienatione, & ceſſione facta tu remanes vſufructuarius, impeditus tamen vti vſufructu, propter ceſſionem, & alienationem alteri factam; alius tamen percipere illam vtilitatem poteſt; ſed ea quæ alienari, & transferri in alium poſſunt, poſſunt fiſco ſubiici. Ergo poteſt fiſco ſubiici hæc facultas percipiendi alieno nomine commoditatem, & vtilitatem vſusfructus. Hæc enim facultas tranſmiſſibilis non eſt bonum futurum, ſed præſens, quando delictum committitur; eſto ipſæ commoditates, & vtilitates poſtea ſuccedant. Ex qua ratione fundamenta contraria diſſoluuntur.

Extenditur tamen ſupradicta doctrina, etiamſi grauatus ſis reſtituere vſumfructum poſt mortem, aut certum aliquod tempus: ſemper enim publicabitur vſusfructus, pro tempore, quo illum percipere debebas, niſi in vſusfructus conſtitutione eſſet expreſſa alienationis prohibitio facta in fauorem alicuius ſubſtituti non tui;

quia

quia hac ratione illius expressæ prohibitionis, transibit commisso delicto vsusfructus ad substitutum. sic refert notauit Sanchez *lib. 2. cap. 16. num. 5.*

8 Secundò infertur quid dicendum sit, an publicatis bonis parentis criminosi publicetur peculium castrense, aduentitium, profectitium, & legitima filiorum? Quare

Dico primò. Bona castrensia, aut quasi, nullo modo publicantur, quia hæc tam quoad proprietatem, quàm quoad vsumfructum, & administrationem sunt filij. Nequeunt ergo ob parentis delictum publicari: & ita tradunt tanquam certum Nilus *tractat. de bannitis, 1. p. secundi temporis, num. 26.* Gigas *de crimine læsæ maiestatis, lib. 2. tit. de pœnis committent. id crimin. quæst. 13. num. 1.* Sanchez alios referens, *lib. 2. cap. 16. num. 1.* Bonacina *disput. 3. de contractibus, quæst. 8. punct. vlt. §. 1. num. 14.* Farinacius *de hæresi. q. 190. n. 17.*

9 Dico secundò. Bona aduentitia nullo modo publicantur quoad proprietatem ob delictum parentis. est certum, tradunt Nilus, Bonacina *suprà.* Sanchez *num. 9.* Et ratio est clara, quia quoad proprietatem non pertinent ad patrem, sed ad filium. Quoad vsumfructum sunt variæ sententiæ, prout refert Sanchez *suprà, à n. 11.* Probabilius est publicari pro toto eo tempore, quo vsufructuarius debebat percipere vsumfructum: sic tradunt Fachin. *lib. 9. cap. 50.* Anton. Gomez *tom. 2. variarum resolut. cap. 15. num. 18.* Farinacius *quæst. 24. num. 33.* Sanchez *lib. 2. cap. 16. num. 15.* Ratio est suprà tacta, quia fiscus succedit non solùm in bonis, sed etiam in iuribus, quæ alienari possunt. *l. si postulauerit, §. iubet, ff. de adulter.* Sed quamuis ius percipiendi fructus nomine proprio alienari non possit ab vsufructuario: at ius percipiendi fructus nomine ipsius vsufructuarij ab ipso potest. Ergo hoc potest transire in fiscum. Hoc tamen limitandum est, dummodo delictum tale non sit, per quod extinguatur vsusfructus, iuxta dicta. Si enim tale esset delictum, cum proprietate consolidatur vsusfructus, neque ad fiscum pertinebit. sic Farinacius pluribus relatis *n. 33.* Menoch. *de recuper. possess. rem. 9. n. 244.*

10 Grauis tamen controuersia est, an committente patre delictum, ratione cuius filius à patria potestate eximatur, extinguatur in patre vsusfructus bonorum, quæ filius ante delictum acquisiuit (nam de acquisitis postea nulla est dubitatio ad patrem pertinere non posse; siquidem non habet in filium patriam potestatem.) Molin. *tom. 1. de iustit. disput. 9. vers. ab hac regula. & disp. 229. paulo post princip.* Sanchez *lib. 2. cap. 16. num. 18. & 19.* existimant in solo crimine hæresis extingui vsumfructum, & cum proprietate consolidari. In reliquis autem criminibus manere parentem vsufructuarium, & fiscum publicantem eius bona, publicare vsumfructum, toto eo tempore, quo pater potiturus illo erat. Mouentur, quia non ex eo quòd filius à patria potestate egrediatur, amittit pater vsumfructum in bonis ante egressum acquisitis, quia hic vsusfructus non debetur patri ob patriam potestatem actu existentem, cùm percipitur vsusfructus, sed ob patriam potestatem, quam in filium exercuit, tempore quo filio bona aduenerunt; aliàs ingresso filio in religionem, amitteret pater vsumfructum, & ingresso patre rediret vsusfructus ad filium: quod non videtur ita receptum. In crimine autem hæresis ob eius atrocitatem ita videtur filius à patria potestate exire, vt quoad omnia illius bona maneat exemptus.

11 Cæterùm credo distinguendum esse cum Farinac. *lib. 1. praxis, quæst. 24. num. 33.* aut delictum quo filius eximitur à patria potestate, est tale, per quod pater patitur maximam, aut mediam capitis diminutionem; & tunc cum proprietate consolidatur, attento iure communi, quia extinguitur vsusfructus, vt dictum est *num. 1.* at si delictum non sit tale, ad fiscum pertinebit, quia esto soluatur patria potestas, cùm vsusfructus non sit extractus, ad fiscum pertinere debet. At hoc iure communi nunquam contingit, nullum enim est delictum patris, quo soluatur patria potestas in filium, quin sit delictum, ratione cuius pater non patiatur maximam, aut mediam capitis diminutionem. Ex qua doctrina constat ratione hæresis, læsæ maiestatis, & sodomiæ commissæ à patre non publicari eius vsumfructum in bonis aduentitiis filij, sed ad filium tanquam extinctum pertinere à puncto, quo illa delicta declarantur: & ita loquens de crimine hæresis, docet Gabriel Quemada *in quæst. fiscal. quæst. 19. num. 4.* Simancas *de catholic. institut. tit. 9. num. 81.* Cantera *in quæst. crimin. cap. 1. num. 34.* & aliis pluribus relatis Farinac. *quæst. 190. de hæresi, §. 1. num. 27.*

12 Verùm attento iure regio Castellæ, & Lusitaniæ, vbi ob nullum crimen redditur quis intestabilis, credo vsumfructum patris hæretici, rebellis, Sodomitæ ad fiscum pertinere toto illo tempore, quo illum percipere debebat, si non delinqueret. Moueor, quia esto filius à patria potestate egrediatur, non ob id extinguitur vsusfructus, siquidem non reputari potest tanquam mortuus, cùm aliquam in bonis dispositionem habere possit ex supradicto iure. Neque mihi placet specialis exceptio hæresis. Nam *cap. 2. §. fin. de hæret. in 6.* vbi ob crimen patris etiam occultum eximitur filius à patria potestate, nullum verbum est, vnde colligatur vsumfructum filio pertinere, nisi ex eo quòd à patria potestate filius eximitur: inquit enim textus, *illorum autem filiorum emancipationem, quorum parentes post emancipationem etiam huiusmodi apparuerint ante ipsam à via veritatis ad hæretica superstitionis inuium declinasse, nullius volumus esse momenti, velut factam de hominibus sui iuris: cùm dignum sit, vt propter tanti atrocitatem delicti, filij esse in parentum hæreticorum desierint potestate.* Cùm ergo ob solam exemptionem à patria potestate non extinguatur vsusfructus, attento iure regio Castellæ, & Lusitaniæ, sed solùm attento iure communi; efficitur sanè vsumfructum attento iure regio Castellæ patris delinquentis pertinere ad fiscum, & attento iure communi ad filium pertinere, & cum eius proprietate consolidari.

13 De peculio autem profectitio maior dubitatio est, an fisco applicetur, publicatis bonis parentis? Ratio dubitandi desumitur ex *l. 3. §. sed verùm, ad finem ff. de minoribus,* vbi hoc peculium in confiscatione bonorum patris, decidi videtur ad filium spectare: inquit enim text. *licèt aliquo casu peculium ad filium spectet, vtputa si patris eius bona à fisco propter debitum pecuniarium occupata sunt: nam peculium eius ex constitutione D. Claudi separatur.* vbi glossa *verbo separatur,* ait, *vt saluum habeat filium.* Neque valet dicere ibi non agere Imperatorem de occupatione bonorum ob delictum, sed de occupatione bonorum ob debitum pecuniarium: tum quia in Codicibus Florentinis non habetur verbum pecuniarium, sed solùm debitum, quod debitum ex delicto comprehendit. *l. si cui ex empto 12. ff. de verb. signific.* Tum quia Balduin. *in Iustinian. fol. 131.* probat non esse legendum *debitum,* sed *delictum.* Tum denique quia maior difficultas reperitur in remissione debiti pecuniarij, quàm in remissione pœnæ ob delictum: quia in remissione debiti pecuniarij agitur de damno vitando, scilicet amissione propriorum bonorum, in remissione pœnæ ob delictum solùm agitur de lucro captando. Ergo. Si Imperator remittebat peculium ob debitum pecuniarium patris, à fortiori illud remittere poterat ob delictũ eius. Neque etiam valet dicere peculium illud separari, non tanquam à fisco non occupatum, sed tanquam id, de quo dubium est, an fisco, an creditoribus patris sit applicandum; quia clarè in supradicto text. dicitur peculium illud ad filium spectare, quod cum effectu est intelligendum, aliàs in casu confiscationis non ad filium, sed ad

ad fiscum dicetur spectare. Ergo ex eiusmodi lege videtur omnino dicendum peculium filij profectitium non publicari, sed filio remitti. Ratio autem pro hac parte efficax est, quia fiscus occupare non potest bona delinquentis, qua parte sunt aliena à delinquente, sed bona illa profectitia non sunt patris criminosi, quoad administrationem, & spem in illis succedendi, sed filij. Ergo secundùm hanc partem occupari à fisco non possunt. Adde, priuatio illius administrationis pœna est. *l. testamento centurio, ff. de manum. testam.* sed nulla pœna infligi potest absque culpa illius, qui illam patitur. Ergo absque culpa filij priuari non potest administratione illorum bonorum. Ergo neque confiscari possunt: & ita post alios Doctores, quos allegant, defendit Couarr. *lib. 2. var. cap. 8. num. 7. vers. hinc apparet.* Anton. Gomez *lib. 2. var. cap. 15. num. 16.* Bossius *in sua pract. tit. de bonor. publicat. num. 71.* Menoch. *de recuper. possess. rem. 9 num. 73.* Iulius Clarus *lib. 5. recept. quæst. 78. num. 14.* Peregrin. *de iure fisci, lib. 5. tit. 1. num. 126.* Farinac. *lib. 1. quæst. 24. n. 26.* Sanchez *lib. 2. cap. 16. num. 21.*

14 Temperant tamen aliqui ex supradictis Doctoribus suam sententiam, vt non procedat in casu quo delictum patris tale sit, vt per illud soluatur patria potestas, quia tunc dicunt peculium nō pertinere ad filium, eo quòd definat esse peculium. *l. fin. C. de inoffic. testam.* secus verò cùm delictum tale non est, quia tunc durat patria potestas, sic Cynus, Bald. Alexand. Roman. Imola relati à Farinac. Anton. Gom. & Sanch. *supra*, & ob hanc rationem in crimine hæresis publicari peculium profectitium docuerunt Gabr. Quemada *quæst. fiscal. q. 19.* Cantera *quæst. crimin. tit. de quæst. tangent. punit. delict. cap. 1. num. 37.* Gigas *tract. de crimin. læsæ maiest. lib. 2. tit. de pœnis committen. id crimen, quæst. 13. num. 4.* Farinac. inclinat *de hæresi. quæst. 190. §. 1. num. 15.* Lælius Zechius *in sum. p. 1. tit. de fide. rub. de hære. cap. 11. num. 16. vers. quarto ampliatur.* Cæterùm hanc limitationem reprobat Anton. Gom. Menoch. Sanch. & alij, quia ad publicationem nihil refert desinere esse peculium cessante patria potestate, sufficit si profectitium peculium fuerit, tempore quo delictum commissum est, & confiscatio facienda erat.

15 Verùm etsi hanc sententiam satis probabilem iudicem: at probabiliorem censeo, quæ affirmat hoc peculium profectitium publicari publicatis bonis parentis criminosi. Moueor, quia illud peculium est patris quoad proprietatem, & vsumfructum. *l. certum, C. familiæ erciscundæ.* sed filius vsurpat bona, quæ sunt delinquentis tempore commissi delicti. Ergo vsurpat proprietatem, & vsumfructum horum bonorum. Neque hoc impediri potest administratione, & spe succedendi, quam filius in hoc peculio habet, quia hæc administratio, & spes est quid accessorium possessioni parentis: qua quidem per delictum sublata tollitur administratio, & spes. Et confirmo in bonis aduentitiis filij, quoties pater committit delictum dignum confiscatione, diximus vsumfructum publicari, esto non illorum proprietatem; quia vsusfructus ad patrem pertinebat: sed in bonis profectitiis non solùm vsusfructus, sed etiam proprietas pertinet ad patrem. Ergo publicatis eius bonis publicabitur proprietas, & vsusfructus. Aliàs exemptiora erunt à publicatione ob crimen parentis bona profectitia, quàm aduentitia: quod non videtur rationi consonum, cùm in bonis profectitiis, plus iuris pater habeat. Confirmo secundò, publicatis bonis parentis, si creditoribus ex illis bonis fiscus non potest satisfacere integrè, affirmat Thom. Sanch. *lib. 2. cap. 16. num. 24.* ex illo peculio satisfaciendos esse: quod etiam docuit Farinac. *de hæresi. quæst. 190. num. 15. in fine.* quia peculij illius dominium est patris, & quia æs alienum minuit filiorum legitimam, nedum peculium hoc: & quia naturali æquitati dissonat filium tractantem de lucro captando præferri creditoribus tractantibus de damno vitando. Sed hæ omnes rationes probant (meo iudicio) manifestè peculium illud publicari: tum quia illud peculium reputatur tanquam legitima, quæ deductis alimentis secundùm veram sententiam publicatur: tum quia filius dicitur in hoc peculio tractare de lucro captando, ac proinde creditores illi esse præferendos. Ergo signum est tale lucrum à patre filio prouenire; sed nullum illi pater concedere potest, cùm omnia illius iura publicentur. Ergo. Item fiscus non tenetur creditoribus delinquentis, cuius bona publicat, satisfacere, nisi pro viribus hæreditatis confiscatæ, vt est omnium sententia. Ergo si publicatis bonis parentis criminosi, creditoribus ex peculio debet fieri satisfactio, cùm reliqua bona non sufficiunt; signum est illud peculium sub publicatione comprehendi: & ita tenet Bald. *l. filium, num. 2. vers. sed quid econtra, ff. de his qui sunt sui, vel alieni iuris.* Simanc. *de catholic. institut. tit. 9. num. 17.* Vasquez 1. 2. *disp. 169. cap. 1. num. 10.* Caldas *l. si curatorem, verbo læsis, num. 119. fine, C. de in integrum restitut.* Bonacina *disp. 3. de contract. quæst. 8. punct. vlt. §. 1. n. 14.* Azor *tom. 1. lib. 5. cap. 7. quæst. 8.* & in crimine hæresis, & alterius, quo soluatur patria potestas, docuerunt Gabr. Quemada, Gigas, Farinac. & alij, prout retuli *num. præcedenti*, & fauet quàm maximè *l. 1. §. quandiu seruus, aliàs §. sed etsi alio, vers. sed etsi morte, ff. quando actio de peculio est annalis,* cuius verba sunt: *Sed etsi morte patris, vel deportatione, sui iuris fuerit effectus filius de peculio intra annum hæres patris, vel fiscus tenebitur.* Ergo si fiscus de illo peculio tenetur creditoribus satisfacere, illud peculium publicatum est: ob quem textum supradictam sententiam firmat Bald. post Cynum ibi *in l. diximus, §. si pater, ff. de excusat. tutorum.* Ludouic. Roman. *in l. si finita, §. si de vectigalibus, col. 8. quæst. 1. num. 16.* & ibi Alexand. *num. 45. & 46.* Neque satisfacit solutio Sanchez *num. 21.* dicentis ibi non decidi peculium illud publicari, sed casu quo publicetur, teneri fiscum ad debita; quia frustrà diceretur fiscus teneri ex illo peculio, si illud peculium nunquam filius publicare potest. Quapropter affirmans textus fiscum teneri, supponit peculium illud publicari. Item eodem modo dicetur fiscus ex illo peculio teneri deportatione patris ad debita, ac tenetur hæres morte parentis: sed morte parentis tenetur hæres ex illo peculio in omnium sententia satisfacere creditoribus, quia in illo succedit cum illo onere, & grauamine. Ergo etiam fiscus in illo succedit eodem modo.

16 Restat satisfacere rationi dubitandi desumptæ ex *l. 3.* in qua si retinenda est communis lectio, vt fiscus propter debita pecuniaria patris occupet bona, facilis est solutio ex Baldo *l. filium, num. 2. vers. sed quid econtra, ff. de his qui sunt sui, vel alieni iuris*, ad filium, inquam, tale peculium spectare interim dum non cognoscitur, an reliqua bona sufficiant debito contracto satisfacere: quem intellectum satis indicat verbum illud *separare*, separatur, inquam, tale peculium, vt saluum habeat filius casu, quo reliqua bona patris sufficiant creditorum satisfactioni. Quòd si velis legere loco *debiti pecuniarij, delicti*, vti legendum placet Sanchez ex Balduino, dicere debes ex constitutione Claudi peculium profectitium separari; & aliquo casu ad filium pertinere, scilicet cùm aliunde non habet vnde sustentetur, qui modus explicandi fuit Baldi *l. executorem, n. 30. vers. respondeo bona, C. de execut. rei iudicatæ.* Argumento à ratione petito dic, fiscum non occupare bona qua parte aliena sunt, ac proinde directè nō occupare administrationem peculij profectitij: at occupando eius proprietatem & vsumfructum, & extrahendo illa à potestate, & dominio patris; administrationem illius occupat indirectè, quod non est inconueniens, cessare administrationem filij, ob occupatam proprietatem ab alio, quàm à parente, sicuti si à creditoribus occuparetur ob debita patris.

17 Vltì

17 Vltimò de legitima, & alimentis debitis filio in bonis paternis, est graue dubium, an publicatis bonis parentis hæc legitima, & alimenta publicentur? Regula generalis est non publicari: habetur *l. cùm ratio, ff. de bonis damnatorum*, vbi publicatis bonis parentis dicitur non esse faciendum præiudicium in legitima: tenent pluribus relatis Tiraquel. *in repetit. l. si vnquam, verbo donatione largitus, num.*332. *& sequent. C. de reuocand. donation.* Menochius *in* 9. *rem. de recuperand. possess. num.* 178. Roland. *consil.* 97. *num.* 29. *volum.* 2. Clarus *quæst.* 78. *versic. videndum est.* pluribus firmat Farinacius *lib.* 1. *praxis, quæst.* 24. *num.* 34. Peregrinus *de iure fisci, lib.* 5. *tit.* 1. *à num.* 34. *& sequentib.* Sanchez *lib.* 2. *cap.* 16. *num.* 25. Ratio est, quia legitima debetur de iure naturali non positiuo, vt ex *supradicta l.* constat, eaque de causa non transit in fiscum, nisi expresse à fisco hoc cautum sit. Debetur autem filio legitima à die, quo bona parentis publicata sunt, quia ab illo die parens tanquam mortuus reputatur. sic tradit Bossius *in tit. de bonorum publicat. num.* 6. latè Roland. *consil.* 97. *num.* 34. *& sequentib. volum.* 2. Farinacius aliis relatis *quæst.* 24. *num.* 35. *&* 36. fundantúrque *in l.* 1. *ff. de bonis damnatorum,* dum in ea dicitur, quòd quando bona patris publicantur ob crimen, ratione cuius pater vita, vel ciuitate, & libertate priuatur: filij portionem ex bonis patrum damnatorum accipiunt, ponderat enim verbum *accipiunt*, quod est præsentis temporis, & non futuri.

Si autem inquiras, quæ sit hæc legitima debita filio?

Respondeo attento iure communi, licèt tertia pars sit hæreditatis paternæ, quando filij sunt quatuor, aut infrà; & dimidia, quando sunt quinque, vel plures: vt habetur *in authent. nouissima, C. de inofficioso testamento.* at in casu in quo bona parentis publicantur, si pater habet vnum, vel duos filios, erit dimidia pars totius hæreditatis, si tamen habeat tres, vel plures filios, tota hæreditas in filios diuidetur, nihilque fisco erit applicandum; habetur *l. fin. C. de bonis damnatorum.* vbi glossa, Cynus, & alij quos refert, & sequitur Rolandus *consil.* 97. *num.* 30. *& sequentib. lib.* 2. Farinacius *quæst.* 24. *praxis, à num.* 37. vbi concludit à prædicta doctrina nullo pacto recedendum esse in iudicando, siquidem iuris expressa authoritate firmata est, & Doctorum communi calculo recepta. Dixi, *attento iure communi.* nam spectato Castellæ regno, tota hæreditas patris, excepta quinta parte, de qua ipse liberè potest disponere, reputatur filiorum legitima. *l.* 1. *tit.* 6. *lib.* 5. *recopilat.*

18 Hæc tamen regula aliquas patitur limitationes. Prima in bonis maternis, quæ si ob delictum matris publicentur, non reseruatur inde filiis legitima, ex *l. de bonis matris, C. de bonis proscript.* & tradit Clarus alios referens, *lib.* 5. *quæst.* 78. *versic. videndum, in fine.* Farinacius *quæst.* 24. *num* 41. dicens indistinctè à Doctoribus approbari: at filiis fœminis reseruatur legitima, ac si pater non deliquisset; vt pluribus comprobat Farinacius *praxi, lib.* 3. *quæst.* 115. §. 3. *num.* 99. *&* 100.

19 Secundò limitatur, vt non procedat in filiis conceptis post condemnationem, quia ipsis non debetur legitima, cùm iam tempore conceptionis nihil pater habeat, quod possit illis relinquere. sic Bald. *in dict. l. fin. C. de bonis damnat. col.* 1. Roland. *dicto consil.* 97. *num.* 38. *versic. hoc velle videtur.* Bald. *num.* 2. Farinacius *num.* 42. vbi aduertit cum Bossio hoc procedere in casu deportationis, secus in banno; per bannum enim non amittuntur iura communia, sicut amittuntur deportatione, ac proinde si post bannum patris conceptus sit filius, debetur ei legitima, secus si fuerit deportatus.

20 Tertiò limitatur principaliter in crimine hæresis, in quo ob paternam hæresim, & in punitionem patris priuantur filij etiam catholici legitima ipsis debita in totum, & per totum: est decisio expressa textus *in cap. vergentis, de hæreticis*, vbi filij redduntur incapaces omnis successionis paternæ, vt sic patres timore pœnæ ita grauis arceantur à tali peccato committendo. Idem habetur ex iure ciuili *in authent. Gazaros, C. de hæreticis.* glossa *in cap. cùm secundùm, de hæreticis, in* 6. Farinacius *num.* 44. Pegna *direct.* 2. *part. comment.* 9. Simancas *de cathol. institut. tit.* 29. *num.* 12. Sanchez alios referens, *lib.* 2. *cap.* 16. *num.* 26.

21 Quartò limitatur in crimine læsæ maiestatis humanæ, commisso tamen contra Principem, vel rempublicam; hoc enim solum crimen est, ratione cuius filij successione paterna priuantur, ex *l. quisquis, C. ad legem Iuliam maiest.* & tradit glossa *l. eorum, ff. ad legem Iuliam maiest.* vbi latè probat non extendi ad alia crimina læsæ maiestatis contenta *in l.* 1. 2. *&* 3. *ff. ad legem Iuliam maiest.* & hanc glossam sequitur Clarus *in practic.* §. *læsæ maiestatis, num.* 15. *versicul. vnum tamen.* Menochius *de arbitrar. lib.* 2. *casu* 316. *num.* 29. Farinacius *lib.* 2. *praxis, quæst.* 115. §. 3. *num.* 123. & alij apud ipsos.

22 Duplex restat examinanda difficultas.

Prima de filiabus, an propter crimen læsæ maiestatis commissum à parentibus, ratione cuius bona parentum publicantur, reseruanda illis sit legitima.

Respondeo esse reseruandam de bonis maternis, secus de paternis bonis: ab iis enim omnino excluduntur: textus est expressus *in l. quisquis, §. ad filias, C. ad legem Iuliam maiest.* & redditur ibi ratio huius fauoris, quia propter sexus infirmitatem minus ausuræ creduntur fœminæ, difficiliúsque paternos deprauatos mores imitaturæ: sic glossa *ibi, verbo filiabus, & verbo minus ausuras.* Gigas *de crimine læsæ maiestatis, lib.* 3. *rubr. de pœnis, quas filij incurrunt, quæst.* 14. *num.* 1. *& seq.* Anton. Gomez *de delict. cap.* 2. *rubr. de crimine læsæ maiestatis, num.* 13. *vers. filiæ verò.* Farinacius pluribus relatis, *quæst.* 115. §. 3. *num.* 94.

23 Verùm etsi his filiabus non debeatur legitima ex bona parentis committentis crimen læsæ maiestatis: at debetur illi dos, casu quo aliunde non habeant, quia iure naturæ obligatur pater filiam dotare. *l. fin. C. de dotis promiss.* Si autem pater huic obligationi non satisfecit, ad hæredes ipsius transit, vt rectè Bartol. *in l. si maritus, §. si voluntate, & in l. insulam, & in l. post dotem, ff. soluto matrimonio.* Alexand. *in l. quæsitum, §. si sponsam, de priuilegijs creditor.* Ergo cùm fiscus loco hæredis succedat parentis bonis publicatis; consequenter obligatur filias dotare: sic Dynus *in l. insulam, in princip. ff. soluto matrimonio.* Bartol. *in l. fin. C. de dotis promissione,* & pluribus firmat Farinacius *quæst.* 24. *num.* 46. *&* 47. Gigas *de crimine læsæ maiestatis, lib.* 3. *titul. de pœnis, quas filij incurrunt, quæst.* 14. *&* 15. Roland. *consil.* 73. *num.* 23. *volum.* 23. Clarus *in practic. crimin. læsæ maiestatis, versic. hæc autem pœna.* At in crimine hæresis videtur propter eius atrocitatem quacumque legitima, dote, & successione materna, & paterna, si ab vtroque parente commissum sit, debere filias priuari; si ab vno, omnia, quæ ab illo debebant illis prouenire: esto supradicti Doctores eodem modo videantur loqui de hoc crimine, ac de crimine læsæ maiestatis humanæ, & textus *in cap. vergentes, de hæreticis*, illa comparat.

24 Secunda difficultas est, an saltem alimenta reseruanda sint filiis committentium crimen læsæ maiestatis diuinæ, & humanæ?

Negant communiter Doctores reseruanda esse, sed sola vita ex misericordia, quia, vt dicitur *in l. quisquis, C. ad legem Iuliam maiest. & cap. vergentis, de hæreticis,* tales

tales debent eſſe in hoc mundo, vt eis vita ſit ſupplicium, & mors ſolatium. ſic docet Petrus Surdus *de aliment. titul. 1. quæſt. 31.* & pluribus relatis Sanchez *lib. 2. cap. 16. num. 26.* multi tamen ex illis loquuntur de legitima, non de alimentis iure naturæ debitis.

Nihilominus probabilitate non videtur carere ſaltem in crimine læſæ maieſtatis humanæ, filios etſi priuentur hæreditate, ac legitima patris criminoſi; non priuari tamen alimentis, ſed de illius bonis alendos eſſe: ſic Ioan. Baptiſt. Plot. *conſil. crimin. diuerſ. 130. ſub num. 84. & 85. lib. 1.* Socin. *conſ. 30. num. 3. lib. 1.* Ripa *in l. ex facto, §. ex facto, num. 9. ff. ad Trebellianum.* Lupus *in repetit. cap. per veſtras, in 3. notab. num. 15. de donation. inter virum, & vxorem.* Franc. Bec. *conſil. 8. num. 7.* Æmilian. *conſil. 139. num. 2. & conſil. 164. num. 4.* quos omnes refert, & ſequitur Farinacius *lib. 3. prax. quæſt. 115. §. 2. num. 128.*

25 Sed inquires, an filij horum reorum in foro conſcientiæ abſcondere poſſint ad ſui ſuſtentationem aliquid de parentum bonis, quæ publicata ſunt ob crimen hæreſis, vel læſæ maieſtatis, ſi illis non reſeruentur alimenta? Abſolutè affirmat Guillelmus Benedict. *cap. Raynutius, de teſtament. verbo & vxorem, deciſ. 5. num. 286.* id fieri poſſe: credit tamen Sanchez *lib. 2. cap. 16. num. 27.* id eſſe intelligendum in ſola extrema neceſſitate, in quo caſu omnia ſunt communia. At ego exiſtimo non ſolùm in hoc caſu, ſed quoties grauem inde paſſuri ſunt neceſſitatem, poſſe ea abſcondere, & retinere, quæ hoc detrimentum excuſent. Moueor, quia in illo conflictu probabiliſſimum eſt obligationem eſſe fiſco eleemoſynam elargiendi. Item in illo caſu non tenetur debitor debitum creditori reddere, & ita tradit Bonacina *diſput. 3. de contractibus, quæſt. 8. punct. vltim. §. 1. num. 15. fine*; iunctis iis quæ dixit *diſp. 1. de reſtitut. quæſt. vltim. punct. 1. num. 37.* vbi relato Rebello, Nauarro, Claui Regia probat obligatum cedere bonis ſuis poſſe abſcondere, & retinere, quantum neceſſe eſt ad tenuem ſui, & eorum quos alere tenetur, ſuſtentationem, iuxta ſuum ſtatum, eo quòd ad reſtitutionem nullus teneatur cum tanto ſuo incommodo.

PVNCTVM XII.

Quæ bona vxoris cenſeantur publicata, publicatis bonis mariti.

1 *Nulla bona vxoris publicantur.*
2 *Non publicatur eius dos.*
3 *Item nec bona paraphernalia, vel alio titulo vxori quæſita.*
4 *Poteſt vxor innocens omnia ſua bona publicatis bonis mariti propria authoritate capere.*
5 *Qua ratione debeat mulier probare bona habere, ne fiſcus vſurpet.*
6 *Quid teneatur fiſcus facere, dum non ſoluit.*
7 *Dos, reliquáque bona vxoris non ſolùm quoad proprietatem, ſed etiam quoad vſumfructum non publicantur, publicatis bonis mariti.*
8 *Publicatis bonis mariti, non publicatur quarta pars illorum bonorum debita vxori inopi.*
9 *Limitatur, vt non procedat, quando hæc mulier bis nupſiſſet.*
10 *Mulier nubens ſcienter hæretico, dotem perdit.*
11 *Negat Sanchez alia bona extra dotem amittere.*
12 *Probabilius cenſeo oppoſitum.*
13 *Quid ſi à principio ignoranter proceſſit? non debent eius bona publicari.*
14 *Satisfit fundamentis num. 11 adductis.*
15 *Quid ſi maritus ducat vxorem hæreticam, priuandus ne ſit bonis, ſicut de vxore hæretico nubente? Negat Sanchez.*
16 *Contrarium videtur probabilius.*

1 Regula generalis eſt, nulla bona vxoris publicari ob crimen mariti, etiamſi læſæ maieſtatis ſit, quia pœna ſuos tenet authores, nec vlterius contra eos progreditur, qui procul ſunt à delicto. *l. ſancimus, C. de pœnis. & l. ob maritorum, C. ne vxor pro marito.*

2 Hinc fit primò dotem vxoris non publicari, *l. quiſquis, §. vxores ſanè, C. ad legem Iuliam maieſt. & in l. ſi quis poſthac, C. de bonis proſcript.* & in crimine hæreſis eſt textus expreſſus *in cap. decreuit, de hæreticis, in 6.* vbi Innocentius IV. inquit: propter hæreſim maritorum, *vxorum catholicarum dotes non debent confiſcari.* Excipit tamen Pontifex, niſi fortè mulieres ipſæ cum viris matrimonium contraxiſſent, quos hæreticos tunc ſciebant, quia tunc in pœnam delicti commiſſi, & periculi peruerſionis, cui ſe mulieres exponunt, publicantur.

3 Secundò fit non publicari bona paraphernalia, vel alio titulo vxori quæſita, quia vxoris ſunt. Tertiò neque arrhas, ſecundùm Hiſpanum vſum, hoc eſt, donationes factas vxori propter nuptias ab ſponſo, niſi tunc ſponſus fuerit hæreticus, quia in tali caſu omnes donationes à puncto commiſſi delicti infirmantur, quia omnia eius bona ſunt obligata fiſco. Quartò neque donationes vxori factas à conſanguineis mariti, niſi donans expreſſiſſet voluntatem, vt marito acquirerentur, quod rarò fit: nam eſto contemplatione mariti vxori donentur, poteſt donans velle, vt vxori acquirantur: & ita velle regulariter præſumendum eſt. Nam eſto grauiſſima ſit quæſtio, an donata à conſanguineis vtrius coniugis, alteri ab eo cui donantur, acquirantur, & plures Doctores firment in caſu dubio non donatario, ſed alteri acquiri: vt videri poteſt in Sanchez *diſput. 26. lib. 6. de matrim.* at ſuæ ſententiæ tot limitationes apponit, vt vix caſus detur, in quo donatio donatario non acquiratur. Quapropter cenſeo regulariter donatario acquiri. & pluribus relatis docuerunt Pegna *3. part. quæſt. 111. comment. 160. verſic. neque.* Farinacius *de hæreſi, quæſt. 190. num. 46.* Quintò fit in regno Caſtellæ, vbi lucra diuiduntur per æquales partes inter coniuges. *l. 5. titul. 9. lib. 5. compilat.* mediam partem lucri vxori innocenti acquiſitam non publicari, publicatis bonis mariti: & generaliter quòd acquiſita ab vxore conſtante matrimonio non publicentur, publicatis bonis mariti, docuit Pegna *ſuprà.* Farinacius *num. 47.* Graffis *lib. 2. deciſ. cap. 11. num. 33.* Sextò donationes factas vxori à marito conſtante matrimonio, licèt probabile ſit publicari, vt defendit Vaſquez *1. 2. diſput. 169. cap. 1. num. 4.* Azor *tom. 1. inſtitutionum moralium, lib. 5. cap. 7. quæſt. 8.* Simancas *de catholic. inſtitut. tit. 9. num. 10.* Bonacina *diſput. 3. de contractibus, quæſt. 8. punct. vltim. num. 16.* At probabilius exiſtimaui non publicari, eo quòd morte ciuili mariti videantur hæ donationes confirmatæ quoad effectum, ne transferantur in fiſcum. Et ex his conſtat quid dicendum ſit de veſtibus datis vxori à marito: credo enim, ſiue viles ſint, ſiue pretioſæ, non publicari; quia ſemper præſumi debent eſſe illius, cui ſunt donatæ, & morte ciuili donantis confirmari reſpectu donatarij. Hæc omnia ita breuiter, & ſummatim dixi; quia ſupponunt difficultates alterius loci, & quia in his communiter Doctores conueniunt, vt videre eſt in Farinac. *1. part. prax. quæſt. 25. à num. 111. vſque ad 137. & de hæreſi, quæſt. 190. §. 3. à num. 43.* Eymer. *3. part. director. quæſt. 111.* & ibi Pegna *comment. 160.* Vaſquez *1. 2. diſput. 169. cap. 1. & 2.* Azor *tom. 1. lib. 5. cap. 7. quæſt. 8.* Sanchez *lib. 2. toto cap. 17.* Bonacina *diſput. 3. de contractibus, quæſt. 8. punct. vlt. n. 16.*

Matienz.

Matienz. *lib. 5. recopilat. l. 10. glossa 1. & sequentib.* & aliis.

4 Aduerto omnia supradicta, dotem, arrhas, paraphernalia, medietatem lucri, & quidquid coniugis innocentis proprium est, posse publicatis bonis mariti, propria authoritate capere, ex *l. si quis postbac, C. de bonis proscriptorum.* nam licèt de iure cautum sit, neminem in re propria habere manuum iniectionem. *l. si quis in tantam, C. vnde vi, & l. extat, ff. quod metus causa.* Hoc tamen vxori, quasi in prærogatiuam matrimonij conceditur, vt res proprias detentas à viro, cuius bona publicantur, propria authoritate occupet: sic tradit Sanchez *lib. 2. cap. 17. num. 3. fine*, cum Ioan. Lupo, *rubric. de donation. inter virum, & vxorem, §. 66. num. 18. versic. prædicta sunt intelligenda.* Conrad. *in practic. titul. de bonorum publicat. num. 9. versic. subiungit tamen.* Farinacius 1. *part. prax. quæst. 25. num. 119.* Verùm si dos, & alia quæ naturam dotis imitantur, non sint in propria specie, sed vxor bona mariti habeat obligata, & hypothecata doti, licèt regulariter hypotheca non tribuit creditori priuilegium retentionis: at fauore dotis contrarium statutum est, si simul cum hypotheca detur illorum bonorum retentio, & possessio; ratione enim possessionis, & hypothecæ poterit vxor impedire confiscationem, quousque sibi de dote plenè fuerit satisfactum: sic ex Bald. Roland. Bossio, & aliis docet Farinacius *num. 118.* vbi ex quadam decisione Rotæ probat non esse necessarium, quòd vxor declaret bona mariti possidere iure hypothecæ, quia sufficit causam possidendi superuenisse. Dixi, si simul cum hypotheca, & obligatione concurrat possessio, & retentio illorum bonorum ab vxore; sola enim hypotheca, si non habet clausulam constituti, non impedit dotis confiscationem; esto possit à fisco repetere: sic aliis relatis docent Bossius *de bonorum publicat. num. 63.* Clarus *quæst. 78. versic. quæro.* Gigas *de crimine læsæ maiestatis, lib. 3. tit. 1. quæst. 18. fine.* Roland. *consil. 31. num. 39. vol. 1.* Farinacius *quæst. 25. num. 116.* at si clausulam constituti habuerit vxor in instrumento dotali, poterit confiscationem impedire, quousque de dote sibi fuerit satisfactum, quia ratione illius clausulæ, dominium, & possessio bonorum transfertur, vt notant DD. *l. quod meo, ff. de acquirend. possess.* sic Roland. & Farinacius *suprà.*

5 Secundò aduerto non sufficere dotem, & alia relata esse à viro confessa in quolibet instrumento, vt publicatio impediatur, nisi simul per testes, vel fidem tabellionis, aut aliter constet de illius reali traditione, & numeratione; aliàs fisco non præiudicabit. *l. si quis postbac, C. de bonis proscript. versic. dos etiam. & l. 1. C. de dote cauta non numerata*, & tradunt omnes. Quapropter poterit fiscus, sicut & quilibet alius hæres aduersùs vxorem vti exceptione non numeratæ dotis: etiamsi in instrumento renuntiatum fuerit exceptioni non numeratæ dotis. Farinacius *de hæresi, quæst. 190. num. 48.* & tradit Vmbert. Locat. *post indic. inquisit. quæst. 13.* Debet tamen opponere exceptionem intra annum à die mortis mariti, vel illius condemnationis. sic Vasquez *1. 2. disp. 169. cap. 2. num. 11.* Simancas *de catholic. institut. tit. 9. num. 69.* Sanchez *lib. 2. cap. 17. num. 6.* Et ratio est, quia in hac parte fiscus non vtitur priuilegio, sed succedit loco hæredis, & sicut hæres transacto anno non potest opponere exceptionem non numeratæ dotis, neque fiscus poterit. At salua pace tantorum virorum, nescio quo fundamento tempus ad opponendam hanc exceptionem limitetur ad annum; cùm videatur expressè decennium esse concessum *in authent. quod locum, C. de dote cauta non numerata.* & tradit Farinacius *quæst. 25. num. 122. fine.*

6 Ex hac doctrina infert primò optimè Sanchez *illo cap. 17. num. 8.* fiscum teneri alimenta præstare vxori, dum dotem non soluit, quia succedit loco hæredis, qui ad id tenetur, eo quòd alimenta sunt doti annexa. Secundò infert *num. 9.* si vir hæreticus, consensu vxoris iuratò vendat fundum dotalem, quem ob hæresim viri vendicet fiscus, posse vxorem illum repetere; quia non debet fiscus detrimento vxoris locupletari. Nec valet dicere vxorem non posse repetere fundum sic alienatum ab emptore ob consensum datum, quia nouum non est, vt quis ex alterius persona consequatur, quod ex se consequi non valet. Consequitur autem ex eo quòd fiscus ius habet reuocandi alienationes factas à delinquente à tempore commissi delicti: qua reuocatione facta succedit vxor in fundo dotali. consentit Simancas *titul. 9. num. 75.* Farinacius *de hæresi, quæst. 190. num. 84.*

7 Quadruplex restat examinanda difficultas.

Prima, an publicatis bonis mariti, publicetur vsusfructus dotis vxoris eo tempore, quo ipse maritus illo potiturus erat? Ratio dubitandi est, quia vsusfructus dotis est mariti tempore vitæ suæ. Ergo cùm fiscus succedat in omnibus iuribus delinquentis, & in hoc vsufructu delinquenti debito debet succedere. Nihilominus contrarium tenendum est, & affirmandum dotem, & reliqua vxoris bona etiam quoad vsumfructum pertinere ad vxorem, & non ad fiscum. Ratio est, quia ob confiscationem factam maritus redditus est inops, & impotens vxorem alere: sed dos data est marito ad alendam vxorem. Ergo vxori est reddenda, vt sibi possit prouidere. Aliàs non esset licitum vxori (vt diximus) bona dotalia vsurpare; neque illi reddenda essent, sed apud fiscum essent mansura: sic expressè docuit Anton. Gomez *l. 78. Tauri, num. 4.* cum Bald. Nouell. *in tractat. dotis, 7. part. principali 17. speciali.* argument. textus *in l. vbi adhuc, C. de iure dotium.* Neque obstat vsumfructum dotis pertinere ad virum constante matrimonio, quia pertinet ad virum ad effectum alendi vxorem: vnde reddita vxori dote, redditur & illi vsusfructus, quia cum proprietate consolidatur.

8 Secunda difficultas circa dotem debitam vxori inopi, iuxta *authent. præterea, C. vnde vir, & vxor.* vbi statuitur. Si vxor pauper sine dote, vel cum modica dote viro diuiti nubat, quartam partem bonorum viri illi esse adiudicandam: consentit *lex regia 7. titul. 13. parte 6.* Dubium ergo est, an publicatis viri bonis publicetur hæc quarta pars? Rationem dubitandi fecit, quia illa quarta pars, quæ loco dotis est assignata vxori, non est illi debita viuente marito; sed est sicut legitima, quæ non debetur filiis patre viuente, sed post illius mortem: at publicatis bonis patris, publicatur filiorum legitima, præcipuè in crimine læsæ maiestatis. Ergo publicatis bonis mariti, publicabitur & hæc quarta pars. Nihilominus communis sententia negat publicari publicatis bonis mariti, etiamsi ob crimen læsæ maiestatis publicentur: sic Socinus *consil. 121. num. 7. 16. & 17. volum. 4.* Plotus *consil. diuers. 130. num. 41. & sequentibus.* Farinacius *quæst. 25. num. 123.* Sanchez *lib. 2. cap. 17. num. 11.* Ratio ea esse videtur, quia ratione matrimonij contracti ex dispositione supradictæ legis obligatur maritus quartam partem suorum bonorum vxori pauperi concedere, sed debitis ex contractu tenetur fiscus, sicut & quilibet extraneus hæres satisfacere. Ergo & huic obligationi tenetur satisfacere. Neque obstat ratio dubitandi facta, quia magis debetur hæc quarta pars vxori, quàm filiis legitima; siquidem hæc quarta pars debetur titulo oneroso, & ratione contractus matrimonij: legitima autem solùm debetur titulo successionis, ac proinde mirum non est publicari legitimam, non tamen publicari hanc quartam partem.

tales debent eſſe in hoc mundo, vt eis vita ſit ſupplicium, & mors ſolatium. ſic docet Petrus Surdus *de aliment. titul.* 1. *quaſt.* 31. & pluribus relatis Sanchez *lib.* 2. *cap.* 16. *num.* 26. multi tamen ex illis loquuntur de legitima, non de alimentis iure naturæ debitis.

Nihilominus probabilitate non videtur carere ſaltem in crimine læſæ maieſtatis humanæ, filios etſi priuentur hæreditate, ac legitima patris criminoſi; non priuari tamen alimentis, ſed de illius bonis alendos eſſe: ſic Ioan. Baptiſt. Plot. *conſil. crimin. diuerſ.* 130. *ſub num.* 84. & 85. *lib.* 1. Socin. *conſ.* 30. *num.* 3. *lib.* 1. Ripa *in l. ex facto*, §. *ex facto*, *num.* 9. *ff. ad Trebellianum*. Lupus *in repetit. cap. per veſtras*, *in* 3. *notab. num.* 15. *de donation. inter virum, & vxorem*. Franc. Bec. *conſil.* 8. *num.* 7. Æmilian. *conſil.* 139. *num.* 2. & *conſil.* 164. *num.* 4. quos omnes refert, & ſequitur Farinacius *lib.* 3. *prax. quaſt.* 115. §. 2. *num.* 128.

25 Sed inquires, an filij horum reorum in foro conſcientiæ abſcondere poſſint ad ſui ſuſtentationem aliquid de parentum bonis, quæ publicata ſunt ob crimen hæreſis, vel læſæ maieſtatis, ſi illis non reſeruentur alimenta? Abſolutè affirmat Guillelmus Benedict. *cap. Raynutius*, *de teſtament. verbo & vxorem*, *deciſ.* 5. *num.* 286. id fieri poſſe: credit tamen Sanchez *lib.* 2. *cap.* 16. *num.* 17. id eſſe intelligendum in ſola extrema neceſſitate, in quo caſu omnia ſunt communia. At ego exiſtimo non ſolùm in hoc caſu, ſed quoties grauem inde paſſuri ſunt neceſſitatem, poſſe ea abſcondere, & retinere, quæ hoc detrimentum excuſent. Moueor, quia in illo conflictu probabiliſſimum eſt obligationem eſſe fiſco eleemoſynam elargiendi. Item in illo caſu non tenetur debitor debitum creditori reddere, & ita tradit Bonacina *diſput.* 3. *de contractibus*, *quaſt.* 8. *punct. vltim.* §. 1. *num.* 15. *fine*; iunctis iis quæ dixit *diſp.* 1. *de reſtitut. quaſt. vltim. punct.* 1. *num.* 37. vbi relato Rebello, Nauarro, Claui Regia probat obligatum cedere bonis ſuis poſſe abſcondere, & retinere, quantum neceſſe eſt ad tenuem ſui, & eorum quos alere tenetur, ſuſtentationem, iuxta ſuum ſtatum, eo quòd ad reſtitutionem nullus teneatur cum tanto ſuo incommodo.

Pvnctvm XII.

Quæ bona vxoris cenſeantur publicata, publicatis bonis mariti.

1 *Nulla bona vxoris publicantur.*
2 *Non publicatur eius dos.*
3 *Item nec bona paraphernalia, vel alio titulo vxori quæſita.*
4 *Poteſt vxor innocens omnia ſua bona publicatis bonis mariti propria authoritate capere.*
5 *Qua ratione debeat mulier probare bona habere, ne fiſcus vſurpet.*
6 *Quid teneatur fiſcus facere, dum non ſoluit.*
7 *Dos, reliquaque bona vxoris non ſolùm quoad proprietatem, ſed etiam quoad vſumfructum non publicantur, publicatis bonis mariti.*
8 *Publicatis bonis mariti, non publicatur quarta pars illorum bonorum debita vxori inopi.*
9 *Limitatur, vt non procedat, quando hac mulier bis nupſiſſet.*
10 *Mulier nubens ſcienter hæretico, dotem perdit.*
11 *Negat Sanchez alia bona extra dotem amittere.*
12 *Probabilius cenſeo oppoſitum.*
13 *Quid ſi à principio ignoranter preceſſit? non debent eius bona publicari.*
14 *Satisfit fundamentis num.* 11. *adductis.*
15 *Quid ſi maritus ducat vxorem hæreticam, priuandus ne ſit bonis, ſicut de vxore hæretico nubente? Negat Sanchez.*
16 *Contrarium videtur probabilius.*

1 Regula generalis eſt, nulla bona vxoris publicari ob crimen mariti, etiamſi læſæ maieſtatis ſit, quia pœna ſuos tenet authores, nec vlterius contra eos progreditur, qui procul ſunt à delicto. *l. ſancimus*, *C. de pœnis.* & *l. ob maritorum*, *C. ne vxor pro marito.*

2 Hinc fit primò dotem vxoris non publicari, *l. quiſquis*, §. *vxores ſanè*, *C. ad legem Iuliam maieſt.* & *in l. ſi quis poſthac*, *C. de bonis proſcript.* & in crimine hæreſis eſt textus expreſſus *in cap. decreuit, de hæreticis*, *in* 6. vbi Innocentius IV. inquit: propter hæreſim maritorum, *vxorum catholicarum dotes non debent confiſcari.* Excipit tamen Pontifex, niſi fortè mulieres ipſæ cum viris matrimonium contraxiſſent, quos hæreticos tunc ſciebant, quia tunc in pœnam delicti commiſſi, & periculi peruerſionis, cui ſe mulieres exponunt, publicantur.

3 Secundò fit non publicari bona paraphernalia, vel alio titulo vxori quæſita, quia vxoris ſunt. Tertiò neque arrhas, ſecundùm Hiſpanum vſum, hoc eſt, donationes factas vxori propter nuptias ab ſponſo, niſi tunc ſponſus fuerit hæreticus, quia in tali caſu omnes donationes à puncto commiſſi delicti infirmantur, quia omnia eius bona ſunt obligata fiſco. Quartò neque donationes vxori factas à conſanguineis mariti, niſi donans expreſſiſſet voluntatem, vt marito acquirerentur, quod rarò fit: nam eſto contemplatione mariti vxori donentur, poteſt donans velle, vt vxori acquirantur: & ita velle regulariter præſumendum eſt. Nam eſto grauiſſima ſit quæſtio, an donata à conſanguineis vtrius coniugis, alteri ab eo cui donantur, acquirantur, & plures Doctores firment in caſu dubio non donatario, ſed alteri acquiri: vt videri poteſt in Sanchez *diſput.* 26. *lib.* 6. *de matrim.* at ſuæ ſententiæ tot limitationes apponit, vt vix caſus detur, in quo donatio donatario non acquiratur. Quapropter cenſeo regulariter donatario acquiri. & pluribus relatis docuerunt Pegna 3. *part. quaſt.* 111. *comment.* 160. *verſic. neque.* Farinacius *de hæreſi*, *quaſt.* 190. *num.* 46. Quintò fit in regno Caſtellæ, vbi lucra diuiduntur per æquales partes inter coniuges. *l.* 5. *titul.* 9. *lib.* 5. *compilat.* mediam partem lucri vxori innocenti acquiſitam non publicari, publicatis bonis mariti: & generaliter quòd acquiſita ab vxore conſtante matrimonio non publicentur, publicatis bonis mariti, docuit Pegna *ſuprà.* Farinacius *num.* 47. Graſſis *lib.* 2. *deciſ. cap.* 11. *num.* 33. Sextò donationes factas vxori à marito conſtante matrimonio, licèt probabile ſit publicari, vt defendit Vaſquez 1. 2. *diſput.* 169. *cap.* 1. *num.* 4. Azor *tom.* 1. *inſtitutionum moralium*, *lib.* 5. *cap.* 7. *quaſt.* 8. Simancas *de catholic. inſtitut. tit.* 9. *num.* 10. Bonacina *diſput.* 3. *de contractibus*, *quaſt.* 8. *punct. vltim. num.* 16. At probabilius exiſtimaui non publicari, eo quòd morte ciuili mariti videantur hæ donationes confirmatæ quoad effectum, ne transferantur in fiſcum. Et ex his conſtat quid dicendum ſit de veſtibus datis vxori à marito: credo enim, ſiue viles ſint, ſiue pretioſæ, non publicari; quia ſemper præſumi debent eſſe illius, cui ſunt donatæ, & morte ciuili donantis confirmari reſpectu donatarij. Hæc omnia ita breuiter, & ſummatim dixi; quia ſupponunt difficultates alterius loci, & quia in his communiter Doctores conueniunt, vt videre eſt in Farinac. 1. *part. prax. quaſt.* 25. *à num.* 111. *vſque ad* 137. & *de hæreſi*, *quaſt.* 190. §. 3. *à num.* 43. Eymer. 3. *part. director. quaſt.* 111. & ibi Pegna *comment.* 160. Vaſquez 1. 2. *diſput.* 169. *cap.* 1. & 2. Azor *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 7. *quaſt.* 8. Sanchez *lib.* 2. *toto cap.* 17. Bonacina *diſput.* 3. *de contractibus*, *quaſt.* 8. *punct. vlt. n.* 16.

Matienz.

Matienz. lib. 5. recopilat. l. 10. glossa 1. & sequentib. & aliis.

4 Aduerto omnia supradicta, dotem, arrhas, paraphernalia, medietatem lucri, & quidquid coniugis innocentis proprium est, posse publicatis bonis mariti, propria authoritate capere, ex l. si quis posthac, C. de bonis proscriptorum. nam licèt de iure cautum sit, neminem in re propria habere manuum iniectionem. l. si quis in tantam, C. vnde vi, & l. extat, ff. quod metus causa. Hoc tamen vxori, quasi in prærogatiuam matrimonij conceditur, vt res proprias detentas à viro, cuius bona publicantur, propria authoritate occupet: sic tradit Sanchez lib. 2. cap. 17. num. 3. fine, cum Ioan. Lupo, rubric. de donation. inter virum, & vxorem, §. 66. num. 18. versic. prædicta sunt intelligenda. Conrad. in practic. titul. de bonorum publicat. num. 9. versic. subiungit tamen. Farinacius 1. part. prax. quæst. 25. num. 119. Verùm si dos, & alia quæ naturam dotis imitantur, non sint in propria specie, sed vxor bona mariti habeat obligata, & hypothecata doti, licèt regulariter hypotheca non tribuit creditori priuilegium retentionis: at fauore dotis contrarium statutum est, si simul cum hypotheca detur illorum bonorum retentio, & possessio; ratione enim possessionis, & hypothecæ poterit vxor impedire confiscationem, quousque sibi de dote plenè fuerit satisfactum: sic ex Bald. Rosa, nd. Bossio, & aliis docet Farinacius num. 118. vbi ex quadam decisione Rotæ probat non esse necessarium, quòd vxor declaret bona mariti possidere iure hypothecæ, quia sufficit causam possidendi superuenisse. Dixi, si simul cum hypotheca, & obligatione concurrat possessio, & retentio illorum bonorum ab vxore; sola enim hypotheca, si non habet clausulam constituti, non impedit dotis confiscationem; esto possit à fisco repetere: sic aliis relatis docent Bossius de bonorum publicat. num. 63. Clarus quæst. 78. versic. quæro. Gigas de crimine læsæ maiestatis, lib. 3. tit. 1. quæst. 18. fine. Roland. consil. 31. num. 39. vol. 1. Farinacius quæst. 25. num. 116. at si clausulam constituti habuerit vxor in instrumento dotali, poterit confiscationem impedire, quousque de dote sibi fuerit satisfactum, quia ratione illius clausulæ, dominium, & possessio bonorum transfertur, vt notant DD. l. quod meo, ff. de acquirend. possess. sic Roland. & Farinacius suprà.

5 Secundò aduerto non sufficere dotem, & alia relata esse à viro confessa in quolibet instrumento, vt publicatio impediatur, nisi simul per testes, vel fidem tabellionis, aut aliter constet de illius reali traditione, & numeratione; aliàs fisco non præiudicabit. l. si quis posthac, C. de bonis proscript. versic. dos etiam, & l. 1. C. de dote cauta non numerata, & tradunt omnes. Quapropter poterit fiscus, sicut & quilibet alius hæres aduersùs vxorem vti exceptione non numeratæ dotis: etiamsi in instrumento renuntiatum fuerit exceptioni non numeratæ dotis. Farinacius de hæresi, quæst. 190. num. 48. & tradit Vmbert. Locat. post iudic. inquisit. quæst. 13. Debet tamen opponere exceptionem intra annum à die mortis mariti, vel illius condemnationis. sic Vasquez 1. 2. disp. 169. cap. 2. num. 11. Simancas de catholic. institut. tit. 9. num. 69. Sanchez lib. 2. cap. 17. num. 6. Et ratio est, quia in hac parte fiscus non vtitur priuilegio, sed succedit loco hæredis, & sicut hæres transacto anno non potest opponere exceptionem non numeratæ dotis, neque fiscus poterit. At salua pace tantorum virorum, nescio quo fundamento tempus ad opponendam hanc exceptionem limitetur ad annum; cùm videatur expresse decennium esse concessum in authent. quod locum, C. de dote cauta non numerata. & tradit Farinacius quæst. 25. num 122. fine.

6 Ex hac doctrina infert primò optimè Sanchez illo cap. 17. num. 8. fiscum teneri alimenta præstare vxori, dum dotem non soluit, quia succedit loco hæredis, qui ad id tenetur, eo quòd alimenta sunt doti annexa. Secundò infert num. 9. si vir hæreticus, consensu vxoris iuratò vendat fundum dotalem, quem ob hæresim viri vendicet fiscus, posse vxorem illum repetere; quia non debet fiscus detrimento vxoris locupletari. Nec valet dicere vxorem non posse repetere fundum sic alienatum ab emptore ob consensum datum, quia nouum non est, vt quis ex alterius persona consequatur, quod ex se consequi non valet. Consequitur autem ex eo quòd fiscus ius habet reuocandi alienationes factas à delinquente à tempore commissi delicti: qua reuocatione facta succedit vxor in fundo dotali. consentit Simancas titul. 9. num. 75. Farinacius de hæresi, quæst. 190. num. 84.

7 Quadruplex restat examinanda difficultas.

Prima, an publicatis bonis mariti, publicetur vsusfructus dotis vxoris eo tempore, quo ipse maritus illo potiturus erat? Ratio dubitandi est, quia vsusfructus dotis est mariti tempore vitæ suæ. Ergo cùm fiscus succedat in omnibus iuribus delinquentis, & in hoc vsufructu delinquenti debito debet succedere. Nihilominus contrarium tenendum est, & affirmandum dotem, & reliqua vxoris bona etiam quoad vsumfructum pertinere ad vxorem, & non ad fiscum. Ratio est, quia ob confiscationem factam maritus redditus est inops, & impotens vxorem alere: sed dos data est marito ad alendam vxorem. Ergo vxori est reddenda, vt sibi possit prouidere. Aliàs non esset licitum vxori (vt diximus) bona dotalia vsurpare; neque illi reddenda essent, sed apud fiscum essent mansura: sic expressè docuit Anton. Gomez l. 78. Tauri, num. 4. cum Bald. Nouell. in tractat. dotis, 7. part. principali 17. specimli. argument. textus in l. vbi adhuc, C. de iure dotium. Neque obstat vsumfructum dotis pertinere ad virum constante matrimonio, quia pertinet ad virum ad effectum alendi vxorem: vnde reddita vxori dote, redditur & illi vsusfructus, quia cum proprietate consolidatur.

8 Secunda difficultas circa dotem debitam vxori inopi, iuxta authent. præterea, C. vnde vir, & vxor. vbi statuitur. Si vxor pauper sine dote, vel cum modica dote viro diuiti nubat, quartam partem bonorum viri illi esse adiudicandam: consentit lex regia 7. titul. 13. parte 6. Dubium ergo est, an publicatis viri bonis publicetur hæc quarta pars? Rationem dubitandi fecit, quia illa quarta pars, quæ loco dotis est assignata vxori, non est illi debita viuente marito; sed est sicut legitima, quæ non debetur filiis patre viuente, sed post illius mortem: at publicatis bonis patris, publicatur filiorum legitima, præcipuè in crimine læsæ maiestatis. Ergo publicatis bonis mariti, publicabitur & hæc quarta pars. Nihilominus communis sententia negat publicari publicatis bonis mariti, etiamsi ob crimen læsæ maiestatis publicentur: sic Socinus consil. 121. num. 7. 16. & 17. volum. 4. Plotus cons. diuers. 130. num. 41. & sequentibus. Farinacius quæst. 25. num. 123. Sanchez lib. 2. cap. 17. num. 11. Ratio ea esse videtur, quia ratione matrimonij contracti ex dispositione supradictæ legis obligatur maritus quartam partem suorum bonorum vxori pauperi concedere, sed debitis ex contractu tenetur fiscus, sicut & quilibet extraneus hæres satisfacere. Ergo & huic obligationi tenetur satisfacere. Neque obstat ratio dubitandi facta, quia magis debetur hæc quarta pars vxori, quàm filiis legitima; siquidem hæc quarta pars debetur titulo oneroso, & ratione contractus matrimonij: legitima autem solùm debetur titulo successionis, ac proinde mirum non est publicari legitimam, non tamen publicari hanc quartam partem.

Adde huiusmodi quartam partem minuere filiorum legitimam, & ex toto hæreditatis cumulo extrahi debere, sicut quodlibet aliud debitum ex contractu factum: vt multis relatis docet Sanchez *loco citato*. Ergo non ex confiscatione legitimæ infertur hanc partem esse confiscandam. Quod procedit, etiamsi confiscatio fieret vigore alicuius particularis statuti, & constitutionis, adhuc illa quarta pars non publicabitur, nisi in tali statuto, & constitutione expresse cautum fuerit publicari; quia omne statutum confiscans bona intelligi debet, & interpretari secundùm ius commune. Item ea, quæ debentur secundùm ius commune, & titulo pietatis, & ex contractu reuocata non censentur quauis generali constitutione, nisi expresse de illis mentio facta fuerit. *cap. si propter, in verbo intentionis nostræ, de rescriptis, in 6. l. libertis, §. posthumis ff. de aliment. & cibar. legat.* & ita tradit alios referens Farinacius *quæst. 25. num. 114.* Idem quod dico de constitutione, dicendum est de consuetudine: quæ non est præsumenda aduersùs ius commune, nisi probetur.

9 Limitatur tamen hæc doctrina, vt non procedat, quando hæc mulier bis nupsisset, & à priori marito nollet quartam exigere: tunc enim non posset extrahere ex bonis secundi mariti publicatis, quia non debetur, eo quòd pauper non sit: sic expresse Sanchez *illo cap. 17. num. 11. fine.* cum Bartholom. Socin. *dict. consil. 121. à num. 30.* Ploto inter consilia criminalia Zileti *tom. 1. consil. 130. num. 46.* At hoc intelligendum est, casu quo cùm nupserit secundo, haberet ius exigendi quartam à primo, possetque exigere. Nam contingere poterat periisse ius exigendi quod habebat præscriptione. Item non habere priorem maritum bona, ex quibus illi quarta pars sustentationi competens adiudicari possit, in quibus casibus verè pauper est, & quarta debetur à secundo marito.

10 Tertia difficultas est circa publicationem in crimine hæreseos. Diximus namque dotem vxoris nubentis marito hæretico publicari, publicatis bonis mariti, si ipsa cognouisset eo tempore, quo matrimonium contraxit, virum esse hæreticum; quia sic expresse notatur *in dicto cap. decreuit, de hæreticis, in 6.* ibi, *nisi mulieres ipsæ cum viris matrimonia contraxissent, quos hæreticos tunc esse sciebant*, & tradit glossa *ibi*. Pegna *dicto comment. 160. versic. in hac tractat.* Bonacina *disput. 3. de contractibus, quæst. 8. punct. vlt. §. 1. num. 16.* Sanchez *cap. 17. num. 17.* Farinac. multos referens, *de hæresi, quæst. 190. §. 3. num. 52.* & aduertunt Sanchez, glossa, Farinac. & alij, in casu dubio præsumi ignorantiam, fiscóque competere onus probandi adfuisse in vxore scientiam hæresis, vt repelli possit à dotis vindicatione. Aduerto tamen hanc publicationem dotis mulieris nubentis scienter hæretico non esse ipso facto, sed per sententiam, quia *in suprad. cap. decreuit*, nullum est verbum hanc pœnam irrogans ipso iure. sic Sanchez *lib. 2. cap. 17. num. 18.* A qua pœna omnino exempta erit dos, quæ marito tradita fuerit cum onere, vt alteri soluto matrimonio restituatur: tunc enim sicut quodlibet aliud fideicommissum non poterit publicari in perpetuum, bene tamen pro tempore, quo mulier illo potitura erat. & ita tradit Bonacina *disp. 3. de contractibus, quæst. 8. punct. vlt. §. 1. n. 16.* Sanchez *n. 19.*

11 Difficultas ergo est, an si scienter nupserit hæretico, debeat non solùm in priuatione dotis condemnari, sed etiam in priuatione aliorum bonorum, quæ vxoris sunt propria, quæque diximus ob mariti hæresim, & publicationem suorum bonorum non publicari. Negat Sanchez *lib. 2. cap. 17. num. 22.* & Bonacina *suprà, versic. aliqui videntur asserere.* Mouentur primò, quia textus *in cap. decreuit*, solùm de dote loquitur; non ergo in pœnalibus est admittenda extensio. Secundò, quia durum videtur eadem generali pœna confiscationis afficere mulierem scienter hæretico nubentem, ac afficitur ipse hæreticus, quia in lucro acquirendo nulla videtur esse turpitudo, ob quam dignum sit confiscatione.

12 Nihilominus probabilius censeo posse in omnibus bonis, quæ tunc habuerit tempore contracti matrimonij, condemnari. Moueor; quia supradict. textus *in cap. decreuit*, nihil statuit expresse de confiscatione dotis, sed per quandam consequentiam sic confiscanda infertur, in casu quo mulier scienter nupserit hæretico: inquit enim Pontifex, publicatis mariti hæretici bonis, non publicari vxoris dotem, nisi fortè cùm matrimonium contraxerit, sciuerit esse hæreticum. Ergo textus nihil aliud voluit, quàm dotem à confiscatione bonorum viri exemptam esse, excepto casu, quo mulier sciuerit esse hæreticum maritum. Sed ex eo quòd dos sic fuit exempta, probamus etiam & reliqua bona vxoris exempta fuisse. Ergo si in casu scientiæ non fuit exempta, in casu scientiæ reliqua etiam bona erunt comprehensa. Adde dotem ibi fuisse nominatam gratia exempli, & quia est id quod præcipuum, & magis proprium est vxoris, non vt dispositio ad solam dotem coarctata sit; aliàs sola dos, & non bona paraphernalia, & sponsalitia largitas in casu ignorantiæ erunt exclusæ, quod est omnino falsum. Ergo in casu scientiæ dos, & reliqua bona vxoris comprehendentur: & ita tenet Vasquez *1. 2. disp. 169. cap. 1. n. 13.* Simancas *de catholic. instit. tit. 9. n. 74.* Didacus Cantera *quæst. crim. titul. de quæst. tangentib. punit. delict. cap. 1. num. 23. fine, & num. 24.* Farinacius *de hæresi, quæst. 190. §. 3. num. 94. in medio.*

Hi autem Doctores non solùm extendunt ad bona possessa ab vxore tempore matrimonij contracti, sed etiam ad medietatem lucri constante matrimonio acquisiti: quod quidem vt verum habeat, est intelligendum, posse, inquam, in priuatione omnium illorum bonorum condemnari, non quidem præcise ob delictum præteritum, quod commisit nubens scienter hæretico, sed quia sic nubens, & in tali matrimonio perseuerans suspecta redditur de hæresi, & fautrix hæreticorum, & tanquam suspecta, & fautrix hæreticorum damnari potest, secundùm glossam *in dicto cap. decreuit, in figuratione casus, versic. imò ipsa est de hæresi suspecta, & versic. ideo contra ipsam*, ibi Ioann. Andr. *verbo sciebant.* Geminian. *num. 2. versic. nota.* Francum *num. 1.* Didacum Cantera *cap. 1. n. 2.* Farinacium *de hæresi, quæst. 190. num. 50.*

13 At si à principio ignoranter mulier processerit, postea verò sciuerit maritum hæreticum esse, illúmque comitetur, neque denuntiet; non ex hoc censenda est digna confiscatione bonorum, quia non debet censeri peccato illius consentire: fauet Bossius loquens in crimine læsæ maiestatis humanæ, *tit. de bon. publ. n. 73. & 75.* Farinac. illum referens *q. 25. n. 111.* Sanchez *lib. 2. c. 17. n. 24.* Peregrin. *de iure fisc. lib. 5. tit. 1. n. 83.* Clarus *lib. 5. recept. q. 78. n. 15.*

14 Ex his facilè dissoluuntur fundamenta Sanchez. Ad primum ex textu *in cap. decreuit*, iam probatum est ibi dotem, exempli gratia, appositam fuisse, non vt dispositio ad dotem coarctaretur. Ad secundum non eodem modo puniri mulierem nubentem scienter hæretico, ac ipse hæreticus punitur: hæreticus enim punitur in confiscatione bonorum ipso facto, mulier per sententiam. Item hæreticus punitur aliis pœnis, quæ mulierem ob hoc delictum nubendi non comprehendunt. Ad tertium iam diximus, qua ratione condemnari possit mulier in bonis constante matrimonio acquisitis.

15 Quarta difficultas est, an si maritus ducat mulierem, quam certò nouit hæreticam esse, priuandus sit bonis

bonis ob hoc delictum, sicut de muliere diximus? Negat absolutè Sanchez *lib.2. cap.17. num.23.* consentit Bonacina *disput.3. de contractibus, quæst.8. punct.vlt. §.1. num.16.* Mouentur, quia textus *in dict.cap.decreuit*, loquitur de dote: maritus autem non habet dotem. Item mulier ob eius facilitatem, & marito subiectionem grauiori periculo peruersionis se exponit sic nubens, quàm vir. Ergo cùm non sit adæquatè eadem ratio dispositionis in viro, ac in muliere, par non est, vt eadem pœna mulctentur.

16 Fateor his rationibus me non conuinci. Tum quia iam diximus sub nomine dotis bona vxoris ibi fuisse comprehensa. Tum quia esto ob facilitatem, & marito subiectionem adsit in fœmina grauius periculum peruersionis, quàm in viro: at in viro ob passionem amoris solet grauius adesse. Qua ratione tempore antiquo ita grauiter prohibitum erat Iudæis alienigenas ducere, inquit enim textus, *certissimè auertent corda vestra.* Præterea *in supradicto cap.decreuit*, si bene ponderetur, non imponitur pœna amissionis dotis mulieri scienter hæretico nubenti, sed relinquitur dispositioni iuris communis. Nam ibi solùm dicitur mulierem nubentem hæretico dotem non perdere, nisi fortè scienter hæretico nupserit: in quo casu non subiungit Pontifex debere perdere, sed id tacitè innuit, vel potiùs dispositioni communi relinquit. Quapropter cùm hæc pœna non sit ipso iure lata ob huiusmodi crimen, sed per sententiam imponenda; & præcipua causa huius dispositionis sit præsumptio hæresis in muliere sic nubente, si eadem præsumptio in viro adsit, eodem modo ad amissionem bonorum condemnari poterit.

Pvnctvm XIII.

Quæ vxoris bona ob eius delictum publicentur.

1 *Mortuo viro, si bona vxoris viduæ publicentur, publicatur dos, paraphernalia, & alia, quæ constante matrimonio acquisiuit.*
2 *Constante matrimonio si vxor delinquat, non publicatur eius dos spectato iure communi, exceptis quinque casibus.*
3 *Attento iure regio Castellæ dos publicari potest.*
4 *Nunquam confiscatio extenditur vltra id, quod vxoris est proprium.*
5 *Quando publicatur dos, an eius vsusfructus publicetur, negant aliqui.*
6 *Probabilius est publicari.*
7 *Satisfit rationibus num.5. adductis.*
8 *Quid si pactum esset inter virum, & vxorem, vt committente aliquo illorum delictum confiscatione dignum transeant bona illius ad alium? Affirmant plures non impediri confiscationem.*
9 *Probabilius videtur oppositum.*

1 Aliqua sunt in hac re pro certo tenenda. Primò certum est mortuo viro, & publicatis bonis vxoris viduæ ob eius delictum, publicari dotem, paraphernalia, & omnia alia, quæ constante matrimonio acquisiuit, quia fiscus omnia bona, quæ sunt delinquentis, sibi vsurpat, cùm publicationem facit. sic Clarus *quæst.78. versic. quæro si bona.* Sanchez *lib.2. cap.17. n.25. in princ.* Bonacina *disput.3. de contract. q.8. p.vlt. §.1. n.17.* pluribus relatis Farinacius *quæst.25. n.112.* & facit text. *in l. si constante, §. fin. ff. soluto matrim.* & ibi notat Bart. Bald. Paul. Imola, prout refert Anton. Gomez *l.78. Tauri, num.5.*

2 Secundò est certum attento iure communi, si vxor deliquerit constante matrimonio, non posse eius dotem, bene tamen reliqua bona publicari, nisi in quinque casibus, videlicet in crimine læsæ maiestatis, vis publicæ, parricidij, veneficij, & sicarij: quia sic habetur expresè *in l. quinque legibus, ff. de bonis damnat.* cùm enim eo tempore vir dominus dotis dicatur. *l. doce ancillam, C. de iure dotium*; noluit Imperator ob quodlibet crimen, nisi ob hæc ita grauia, dotem vxoris publicare: sic tradunt Doctores nuper relati. & quamuis *in supradict. l. quinque legibus*, non fuerit facta expressa mentio hæresis, non est dubium ad illam esse extendendam, sub crimine enim læsæ maiestatis comprehenditur; & ita ob hæresim vxoris confiscari eius dotem, sicut & reliqua bona, tradunt Sanchez pluribus relatis *n.26.* Farinacius *de hæresi, quæst.190. num.54.* Ioan. Rojas *tractat. de hæret. part.2. assert.40. num.323. & 325.* Anton. Gomez *l.78. Tauri, num.1.*

3 Tertiò est certum attento iure nostro regio, delinquente vxore etiam extra illa quinque crimina partem dotis, vel totam dotem confiscari posse: habetur *l.78. Tauri, quæ est lex 11. tit.9. lib.5. recopil.* ibi, *la mujer durante el matrimonio por el delicto puede perder en parte, o en todo sus bienes dotales, o de ganançia, o de otra qualquier calidad que se an.* Neque requiritur, vt crimen confiscatione dignum sit, vt possit vxor partem dotis, vel totam dotem amittere. Tum quia textus confiscationis mentionem non fecit, tum quia dixit posse dotem in parte amitti; quod alienum est à confiscatione, in qua totum publicatur. Tum quia de delicto generaliter locutus est. Quapropter ex quocumque delicto mulier condemnetur, poterit executio condemnationis fieri in bonis ipsius dotalibus: & ita tradunt Matienzo *suprad. l.11. glossa 1. num.1.* Azeuedo *num.5.* Sanchez *lib.2. cap.17. num.29.*

4 Quartò est certum in omnibus casibus, in quibus dos, vel pars dotis confiscari potest, confiscationem non extendi vltra id, quod proprium est vxoris: quare si dotem habet obligatam marito, vel alteri reddi soluto matrimonio; fiscus non poterit vsurpare dotem in perpetuum, sed ad summũ pro tempore, quo vxor frui dote debebat, & illò transacto debet redire ad substitutum: habetur expresè *l. si dotem, C. de iure dotium.* quem textum reputat vnicum, & singularem Bald. *ibi 2. lectura*, & plures Doctores, quos refert, & sequitur Anton. Gomez *l.78. Tauri, in fine.* Matienzo *glossa 1. num.1.* Azeuedo *num.6.* Sanchez *num.33.* Iis vt certis suppositis,

5 Duplex est difficultas, an quoties publicatur dos ob delictum vxoris, publicetur non solùm quoad proprietatem, sed etiam quoad vsumfructum: & dubium procedit, cùm delictum tale est, ob quod pœna mortis non imponitur vxori; sed vita relinquitur, quia tunc dos quoad vsumfructum videtur ad virum pertinere, traditur enim illi pro oneribus matrimonij. *l. dotis fructus, ff. de iure dotium, & l. pro oneribus, C. eod. tit.* sed fiscus non occupat bona, quæ aliena sunt à delinquente. Ergo neque occupare potest vsumfructum dotis. Adde ob delictum alienum non debere virũ innocentem puniri; puniretur autem, si vsufructu priuaretur, & ex alia parte obligatus esset vxorem alere. Ergo non est dicendum confiscationem extendi ad vsumfructum dotis constante matrimonio, sic etsi dubius, & relinquens cogitandum, tenet Palaz. *rubr. in repetit. rubr. de donat. inter virum, & vxorem, fol.46. §.66. col.4.* Ioann. Lupus *eadem rubr. §.66. n.23. fine.* Bonacina reputat probabile *disp.3. de contract. q.8. p.vlt. §.1. n.17.*

6 Nihilominus verius est, & probabilius, dotem confiscari non solùm quoad proprietatem, sed etiam quoad vsumfructum: sic Matienzo *l.11. tit.9. lib.5. recop. gloss.1. num.4.* Azeuedo *ibi num.5.* Anton. Gomez *l.78. Tauri, num.6.* Castillo *num.2.* Sanchez *lib.2. cap.17. n.31.* & in crimine hæresis docuit Ioann. Rojas *singul.117.* Zanch. *tract. de hæret. cap.25. n.4. fine.* Lœlius Zechius *in summ.*

1.part.tit.de fide,rubr.de hæreſi,c.16. verſ.quimò ampliatur. Farinacius *quæſt.190.num.54.* Rationes huius ſententiæ adducit Anton. Gomez. Prima, quia in dubio lex,vel diſpoſitio referens ſe ad aliqua bona,intelligi debet ſecundum proprietatem, & vſumfructum:ex text.*in l.reſtituere,ff.de verborum ſignificat.* textus *in l.videamus, §.in Fabiana, ff.de vſuris.* textus *in l.in condemnatione,ff.de reg. iur.* cùm autem lex noſtri regni ob quodlibet delictum vxoris dicat dotem,vel eius partem confiſcari poſſe: & ſecundùm ius commune ob quinque illa delicta confiſcanda venit, efficitur venire ſecundùm proprietatem, & vſumfructum. Secunda, quia hæc eſt alienatio non ex contractu,ſed ex delicto, quæ vocatur alienatio neceſſaria, & inducta per legem. Poterit ergo in illa maritus præiudicari.argument.textus *in l. alienationes,ff.familiæ erciſcundæ.* Tertia dos propriè dicitur,cùm matrimonium conſtat. Ergo ſi dos confiſcatur ob delictum vxoris, conſtante matrimonio confiſcanda venit.

7 Neque ratio in contrarium vrget. Fateor enim dotem dari ad onera matrimonij ſubeunda: at ſi mulier delicto ſuo dotem amiſit, onus, quod ſubierat maritus illam alendi,ceſſat; ſicuti cùm dos promiſſa eſt, & non ſoluitur, non obligatur maritus vxorem alere, ita non obligatur,cùm culpa mulieris dos aufertur:ſic Sanchez *lib.9. de matrim. diſput.5. num.10.* conſentit Farinacius alios referens,*de hæreſi, quæſt.190.num.54.* Tota tamen obligatio refunditur in parentes,vt bene probat Molin. *lib.2. de primogen. cap.16. num.24.* Quòd ſi hi alere eam non poſſint, tunc ratione ſolius vinculi coniugalis, & mutui amoris tenebitur vir alere. Adde etſi concedamus maritum teneri alere vxorem ſic alienantem dotem, vt concedit Anton. Gomez *ſupradict. l.78. Tauri, num.6.* Caſtillo *ibi in fine.* Simancas *de catholic. inſtitut. tit.16. num.19.* Surdus *de aliment.tit.7.quæſt.21.n.6.& 7.* adhuc non infertur inde confiſcari dotem non poſſe; quia dos non eſt mariti quoad dominium, & proprietatem, ſed ſolùm quoad adminiſtrationem in ſuſtentationem familiæ, quæ adminiſtratjo ceſſat ſublato fundamento,ſicut ſi caſu periret:& ſicut ſi dos caſu periens non excuſat maritum ab alenda vxore, vt colligitur ex *l.ſi cùm dotem, 23.§ ſi maritus, ff.ſoluto matrim.* ita neque hæc confiſcatio excuſare debet, quia hæc obligatio alendi vxorem ex vinculo coniugali tunc naſcitur, quo non diſſoluto,non diſſoluitur hæc obligatio.

8 Secunda difficultas eſt,an poſſit dos confiſcari quo ad proprietatem,& vſumfructum, ſi pactum eſſet inter virum,& vxorem, vt committente vxore aliquod delictum,ex illis ob quæ imponitur confiſcatio, eo ipſo ad virum proprietas, & vſusfructus dotis deueniret? Affirmant aliqui confiſcari poſſe,neque impediri ab illo pacto: ſic Barboſa *l.ſi conſtante, 25.ff.ſoluto matrim.§.fi.n.1.* Sanchez *lib. 2.cap.17. num.32.* quod non videtur ſatis conſequenter dictum iis, quæ in ſequenti cap. dicit *num. 15.* Mouentur, quia illud pactum derogat legi communi ſtatuenti confiſcationem bonorum delinquentis. Ergo nullum eſt, iuxta *l. ius publicum, ff. de pactis.*

9 Cæterùm credo ad maritum reuerti dotem, neque poſſe tunc confiſcari. Moueor, quia tunc dos prohibetur alienari expreſsè, & non in fauorem delinquentis, cùm vxori delinquenti non applicetur, neque in fraudem fiſci, cùm non ſit poſt delictum commiſſum, ſed caſu quo committatur. Ergo tale pactum firmum eſt,& ratione illius maritus ius habet quæſitum ad dotem,& præferendus eſt fiſco. Faciunt ea quæ diximus ſuprà loquentes de maioratibus. & ita firmauit expreſsè Baiard. *addit.ad Clarum,lib.6.quæſt.78.num.63.* Peregrin. *de iure fiſci, lib.5. tit.1. num.83. & 118.* Farinac. alios referens, *quæſt.25.num.115.*

PVNCTVM XIV.

Quæ bona publicentur publicatis bonis alicuius clerici.

1 *Bona Eccleſiæ non publicantur.*
2 *Bona patrimonalia publicantur.*
3 *Bona clericorum acquiſita titulo beneficij, probabilius eſt ſpectato iure communi non publicari,ſed Eccleſiæ applicanda eſſe.*
4 *In Hiſpania,vbi de ijs bonis teſtari poteſt clericus, & fiſcus ea vſurpare poteſt.*

1 CONſtat ex *Clement.2.de hæreticis*, bona Eccleſiæ non publicari, & ſic attentantes excommunicatione innodari: quæ excommunicatio quando, & quas perſonas comprehendat, & ob quas actiones impoſita ſit,bene explicat Sanchez *lib.2. in Decal.cap.20.à num.3.*& nos dicimus *in tract.de excommunicationibus ſpecialibus non reſeruatis.*

2 Secundò conſtat bona patrimonialia clericorum publicari, quia ſecundùm omnes de his liberè diſponere poſſunt clerici tam contractu, quàm teſtamento. *cap. quia nos, de teſtament.* Ad hæc reducuntur ea, quæ clericus acquirit non ex beneficio, ſed ratione alicuius miniſterij Eccleſiaſtici, vtputa pro ſacris faciendis, pro concionibus, pro ſacramentorum miniſterio, pro defunctorum ſepultura, pro vicariæ miniſterio ad tempus conceſſæ, & ſimilibus; quia de his omnibus poſſunt clerici,& Epiſcopi liberè teſtari, & in extraneos hæredes tranſmittere; ac proinde delinquendo in fiſcum alienare: ſic tradit Sanchez *lib. 2. in Decalog. cap.20. num. 22. & 23.* Farinacius *de hæreſi, quæſt.190. §.11. num.154.*

3 Difficultas ergo eſt de bonis clericorum acquiſitis titulo beneficij Eccleſiaſtici, ſiue bona immobilia ſint, ſiue mobilia; an,inquam,hæc fiſco applicentur,vel Eccleſiæ,ex qua deſumpta ſunt, debeant relinqui? Varia ſunt Doctorum placita, vt videri poteſt in Farinac.*ſuprà*, illis omiſſis vera reſolutio eſt attento iure communi bona clericorum ex fructibus beneficij percepta, non poſſe à fiſco occupari; ſed neceſſariò applicanda eſſe Eccleſiis pro rata, à quibus ſtipendia receperunt; quia ita habetur *in cap.excommunicamus 1.§. damnati, de hæreticis*, iuncta gloſſa. Ratio huius diſpoſitionis eſt, quia hæc bona non poſſunt clerici in hæredes extraneos tranſmittere, quia Eccleſiæ poſt illorum obitum cedunt. *cap.relatum, el 2.cap.quia nos, & cap.requiſiſti,de teſtament.* ſed ea, quæ in hæredes extraneos nequeunt tranſmitti, neque poſſunt in fiſcum loco hæredis extranei ſuccedentem, vt ſæpè repetitum eſt. Ergo: & ita docent Azor *1.part. lib. 8. cap.12. quæſt. 14.* Sanchez *cap.20.num.24.* Farinacius *num.160.* Neque in hoc eſt vlla differentia inter acquiſita ex beneficio ſimplici,aut curato, cùm textus *in cap. excommunicamus*, nullam diſtinctionem fecerit: ex quocumque beneficio acquiſita ſunt, ſunt formaliter clerici bona, & Eccleſiarum ſtipendia, ac proinde Eccleſiis, à quibus ſtipendia receperunt, applicanda: ſic Couarruuias *lib.2.variarum, cap.9.num.11.fine.* Sanchez, Farinacius *ſuprà.*

4 Verùm cùm aliquibus locis,vt in Hiſpania,conſuetudine inductum ſit clericos teſtari poſſe de acquiſitis titulo cuiuſcumque beneficij Eccleſiaſtici, vt innumeris relatis probat Matienz. *l.13.tit.8.lib.5. recopil.* per illam legem efficitur ſanè,ſi fiſcus occupet bona alicuius clerici, & hæc occupare: ſic Vaſquez *1. 2. diſput.169. cap.2.num.19.* Pegna *3.part.directior. comment.161.* Azor *quæſt.14.* Sanchez *n.25.* Bonacina *diſp.3.de contract.q.* *p.vlt.§.1.n.19.*

P v

Pvnctvm XV.

An bona delinquentis existentia in alieno territorio à iudice confiscante comprehendantur in confiscatione ab illo facta.

1 *Si confiscatio facienda est vigore iuris communis comprehenduntur, secus si vigore statuti non vigentis illo in loco, in quo bona sita sunt.*

2 *At si sit confiscatio iure speciali vigente in territorio vbi bona sita sunt, sub distinctione respondetur.*

3 *Executio confiscationis nunquam fit, nisi per officiales illius loci, in quo bona sita sunt.*

1 Certa res est publicari, si confiscatio sit vigore legis communis, hoc est, legis latæ à superiore vtriusque territorij, & iudicis, & loci, vbi bona sita sunt, vt in crimine hæresis contingit: ita multis relatis docent Farinacius *praxi quæst.25.num.*100. Peregrinus *lib.5.tit.1. num.*138. Clarus *quæst.*78.*num.*27. Sanchez *lib.2. Decalog. cap.*20. *num.*31. Bonacina *disput.3. quæst.8. punct.vltim.* §.1. *num.*21. Si autem confiscatio facienda est iure speciali, seu municipali, quod in territorio, vbi bona sita sunt, non viget, non trahitur confiscatio ad illa, quia non potest extendi confiscatio fundata in lege, magis quàm ipsa lex *l.libertus,§.penult.ff.ad municip.* & tradit Clarus *suprà*. Farinacius multos referens, *num.96*.

2 At si confiscatio facienda est iure speciali vigente etiam in territorio, vbi bona sita sunt, distinguendum est, si fiscus, cui illa bona sunt applicanda, sit vnus, & idem, confiscatio trahitur ad illa bona, quia nulla est ratio, ex qua eximi possunt: at si fiscus diuersus sit, ad ea non extenditur, quia non potest extendi confiscatio ad illa bona, quin simul bona fisco applicentur, & cùm bona existentia in alieno territorio, non possit suo fisco applicare, efficitur in publicata manere. sic Bossius *de publicatione bonorum, num. 62*. Farinacius *num.98*.

3 Executio confiscationis etiam factæ iure communi fieri non potest, nisi per officiales illius loci, vbi bona sita sunt. argument. textus *in l.cùm vnus, §.fin. ff. de bonis author.iud.possid.* Excipe, nisi iudex illius territorij per iudicem, qui sententiam tulit, requiratur. Bossius *n.6*. Farinacius *n.95*. Sanchez *n.33*.

Pvnctvm XVI.

Ad quas personas confiscatio bonorum ob hæresim, & alia crimina extendatur.

Extenditur ad omnes Christianos Romano Pontifici subiectos.

Hvcusque de bonis, quæ confiscanda sunt, fuimus locuti; restat dicendum de personis confiscationi subiectis. Cùm enim confiscatio pœna sit, & à legislatore delinquentibus imponenda, necessariò supponendi sunt delinquentes subditi legislatori, vt hac pœna affici possint. Ex quo fit, cùm omnes Christiani Romano Pontifici subditi sint, quilibet illorum quacumque dignitate fulgeat, ob transgressionem legum Ecclesiasticarum, si grauis, & perniciosa sit transgressio (qualis est facta ob crimen hæresis) poterit hac pœna puniri: vt latè ostendit Suarez *in suo graui lib. de defensione fidei, lib.3. cap.22.* imò de facto ob crimen hæresis hac confiscationis pœna omnes afficiuntur. Nam *caput cùm secundùm leges, de hæreticis*, generaliter loquitur, & Bulla Cœnæ aduersùs omnes procedit. Adde ij quo potentiores sunt, eo grauiùs nocent, si delinquant; ac proinde grauiùs puniendi: & ita tradit Suarez *de fide, spe, & charitate, disp.22.sect.6.n.3*.

Pvnctvm XVII.

An confiscatio imposita ipso iure ob crimen læsæ maiestatis, præcipuè diuinæ, priuet delinquentem ipso facto dominio suorum bonorum.

1 *Dupliciter lex confiscationem imponere potest aliam annexam delicto, aliam à iudice imponendam: & quæ sit harum differentia.*

2 *Proponitur prima sententia affirmans delinquentem dominio suorum bonorum priuari per tale delictum.*

3 *Secunda sententia negat priuari.*

4 *Conciliantur supradictæ sententiæ.*

1 Pergimus inuestigare quem effectum habeat confiscatio per legem imposita. Dupliciter lex confiscationem imponere potest. Primò annectendo confiscationem delicto, & hæc vocatur confiscatio ipso facto. Secundò dirigendo iudicem, vt illam imponat, sicuti in pœna excommunicationis est manifestum, quæ aliquando delinquentes eo ipso, quo delictum committant, afficit, aliquando verò afficit illos post sententiam. Effectus harum confiscationum sunt omnino diuersi: nam quando lex confiscationem ipso iure imponit, vt in crimine læsæ maiestatis humanæ, & diuinæ contingit, & in nostro regno in crimine sodomiæ, ex allegatis text. in princip. huius disputationis, bona delinquentis ita sunt obligata fisco à die commissi criminis, vt omnes alienationes ab illo die factæ in præiudicium fisci, vel sint nullæ, vel per sententiam rescindantur; quia sententia postea prolata retrotrahitur, & deuoluitur, ac si pronuntiata esset, cùm delictum committitur, quod nullo modo habet locum in confiscatione imponenda per iudicem: & tradunt Doctores statim referendi. Item hæres delinquentis conueniri potest, & bonis à delinquente acceptis priuari, si memoria delinquentis condemnetur [illegible] *cap. accusatus, §. in eo, de hæreticis, in 6.* quæ [illegible] condemnari non potest in aliis criminibus, in quibus [illegible] delinquentis lis contestata non est, [illegible] læsæ maiestatis diuinæ, & humanæ, vt const. [illegible] *C. de delictis defunct. & ex l. ex iudiciorum, 20 ff. de* [illegible] *cusationib.* ibi, *non aliàs transeunt aduersùs hæredes pœnæ bonorum ademptionis, quàm si lis contestata, & condemnatio fuerit secuta, excepto repetundarum, & maiestatis iudicio.* Et ratio est, quia quando sunt bona ob delictum ipso iure, & facto confiscata, sunt obligata realiter fisco, & sic obligata transeunt ad hæredes, & ratione huius obligationis potest hæres conueniri: at quando bona non sunt ipso facto confiscata, hæres delinquentis conueniri non potest, quia non potest conueniri ratione delicti, quia hoc non excedit personam delinquentis: neque etiam conueniri potest ratione bonorum, quæ à delinquente possidebantur, cùm non transierint in illum aliqua obligatione affecta: sic alios referens Farinacius *praxi 1.part.quæst.25. à num.190.* Simancas *de catholic. institut. tit.9.num.186.* Vasquez 1.2.*disput.170.cap.4.n.22.* Sanchez *lib.2. cap.22. num.26. 27. & 28.* Suarez *de fide, disput.22.*

Difficultas ergo est, an delinquens ipso facto priuetur dominio suorum bonorum, quando delictum confiscationem habet annexam?

2 Prima sententia satis communis, & probabilis affirmat, quam defendunt post alios antiquiores Anton.

Gom. *de delictis, cap. 2. num. 1. ante finem.* Burſat. *conſ.* 14. *num.* 3. Decian. *lib.* 5. *cap.* 20. *num.* 3. Farinac. loquens de hæreſi, *q.* 190. §. 5. *num.* 6 8. & loquens de crimine læſæ maieſtatis humanę, *q.* 116. *n.* 66. Gregor. Lop. *l.* 4. *tit.* 2. *p.* 7. Azor *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 7. *q.* 2. & alij plures relati à Sanch. *lib.* 2. *cap.* 21. *num.* 2. Probatur primò, quia committens delictum, ob quod bona ſunt fiſco addicta ipſo iure, priuatus eſt poteſtate libera alienandi, & adminiſtrandi ea bona, ſicut antea habebat, quod in crimine læſæ maieſtatis humanæ eſt manifeſtum. ex *l. ex iudiciorum* 20. *ff. de accuſationib.* ibi, *Adeò, vt Diuus Seuerus, & Antonin. reſcripſerint, ex quo quis aliquid ex his cauſis crimen contraxit, nihil ex bonis ſuis alienare, aut manumittere eum poſſe. & l. vlt. C. ad leg. Iul. maieſt.* ibi, ex quo quis tale crimen contraxit, *nec alienare, neque manumittere eum poſſe, neque ei ſoluere iure debitorem, magnus etiam Antonin. reſcripſit.* & in crimine hæreſis in comperto eſt apud omnes, ex *cap. cùm ſecundùm leges, de hæreticis, in* 6. Sed dominium nihil aliud eſt, quàm ius vtendi re propria, tanquam propria. Ergo cùm delinquens ob delictum hoc ius amiſerit, amittit & dominium. Secundò *in l. quiſquis. C. ad leg. Iul. maieſt.* declaratur ob prædicta crimina bona delinquentis eſſe fiſco addicta. Ergo ſunt ſublata à poſſidente, ſaltem quoad dominium. Tertiò ex *l. vlt. ff. ad leg. Iul. maieſt.* vbi vindicantur bona delinquentis tranſlata ad hæredes, ſi ipſi ſatis non purgauerint delictum: ſed vindicatio ſoli domino competit. *l. in rem. ff. de rei vindicat.* Ergo fiſcus dominus eſt. Quartò ſi fiſcus dominium nõ comparat bonorum ſuorum delinquentis, quæ ipſo iure publicantur, tranſlata illa bona in tertium poſſeſſorem, fructificabunt ipſi, & non fiſco: at contra contingit, quia fiſcus vendicat rem delinquẽtis cum fructibus perceptis. Ergo ſignum eſt acquiſiſſe dominium, vt dicitur *l.* 4. *tit.* 2. *part.* 7. Quintò, ſi in crimine hæreſis non amitteretur dominium à die commiſſi criminis, fruſtra Pontifex *in cap. cùm ſecundùm leges, de hæret. in* 6. prohiberet Principibus ſæcularibus occupare delinquentiũ bona, quouſque Epiſcopus, vel alius Eccleſiaſticus habens poteſtatem proferat ſententiam ſuper tale crimen; ſi quidem certum eſt retento dominio alicuius rei, non poſſe à domino rem auferri, quouſque per ſententiam priuatus ſit.

3 Secunda ſententia non minus probabilis, & communis negat hanc pœnam confiſcationis bonorum alicui delicto ita annexam eſſe, vt priuet ipſo facto delinquentem dominio ſuorum bonorum: ſic poſt alios antiquiores Vaſq. 1. 2. *diſput.* 170. *toto cap.* 3. Sanch. *lib.* 2. *in Decal. cap.* 22. *num.* 3. Mol. *tom.* 1. *de iuſtit. diſp.* 95. *verſ. dubium verò eſt.* Henriq. *lib.* 13. *de excommunicat. cap.* 56. *n.* 2. Peregrin. *de iure fiſci. lib.* 5. *tit.* 1. *num.* 171. Ant. Fab. *coniectur. iuris lib.* 7. *cap.* 20. Andr. Fachin. *lib.* 9. *controuerſ. cap.* 35. Probatur primò ex *l. quæſitum*, 15. *ff. qui, & à quibus manumiſſi.* ibi: Quæſitum eſt, an is qui maieſtatis crimine reus factus ſit, manumittere poſſit, *quoniam ante damnationem dominus eſt?* & Imperator Antoninus Calphurnio Critoni reſcripſit ex eo tempore, quo quis propter facinorum ſuorum cogitationem iam de pœna ſua certus eſſe poterat, multo plus cogitatione, & ſcientia delictorum, quàm damnatione ius dandæ libertatis eum amiſiſſe. Videtur ergo ſolùm amiſiſſe delinquens ius dandæ libertatis à die commiſſi delicti, hoc eſt, liberam bonorum adminiſtrationem, non tamen amiſiſſe dominium. Sed huic argumento acutè ſanè reſpondet Decian. rationem dubitandi in ſupradicta lege, an delinquens ante damnationem manumittere poſſit, ortam fuiſſe, ex eo quòd ante damnationem videretur dominus. Cui rationi dubitandi reſpondit Imperator, efficaciùs amittere delinquentem, poſtquam certus eſt de ſuo delicto ius dandæ libertatis, quàm poſt condemnationem; ſiquidem poſt condemnationem ideo amittit, quia certus eſt de ſuo delicto, quia ſententia facit notorium, ſed magis certus eſt de ſua propria conſcientia, quæ falli non poteſt, & ſic coniungendo rationem dubitandi cum ratione decidendi, & deciſione ipſa, fateri neceſſe eſt, quòd ſicut per damnationem amittit dominium, ita & amittit antè, poſtquam deliquit: alias non fuiſſet ſoluta ratio dubitandi, quæ erat, *quòd ante condemnationem dominus eſt.* Nam ſi voluiſſet dicere rationem deciſionis eſſe, quòd aliud eſt amittere dominium, aliud amittere adminiſtrationem, ſimpliciter dixiſſet, manumittere non poteſt, licèt dominus remaneat quoad ſententiam. Sed reſponſum Deciani refelli poteſt ex eo, quòd alia fuit ratio dubitandi, alia ratio decidendi in ſupradicta lege. Ratio dubitandi an manumittere poſſit delinquens, fuit, quia dominus eſt ante damnationem. Ratio verò decidendi, & deciſio ipſa negans poſſe manumittere ante condemnationem non fuit, quia caret dominio; aliàs inanis eſſet ratio dubitandi, an manumittere poſſit, cùm certum ſit carenti dominio id nullo modo permitti, ſed fuit fraus facta fiſco, quæ omnino à delinquente prçuideri debuit; cùm enim poſt crimen læſæ maieſtatis contractum perfectæ donationes eſſe non poſſint, cùm hæredes quoque teneat tale crimen. *l. donationes.* 31. *§. vlt. ff. de donationib.* & cõmittens hoc crimen proſpicere debet, quod ſic damnari poteſt, *l.* 8. *ff. de manumiſſionib.* infertur in fraudem fiſci factam fuiſſe alienationem; ac proinde ius plenum, & perfectum dandæ libertatis amiſiſſe à die commiſſi criminis, non dominium.

Secundò probatur hæc ſententia, quia delinquens commiſſo delicto, & ante ſententiam non tenetur ſe bonis priuare, & fiſco offerre, vt eſt communis ſententia, quam probabimus puncto ſequenti. Ergo ſignum eſt retinere dominium. Si enim dominium eſſet fiſco tranſlatum abſque eius voluntate, retineri à delinquente bona non poſſent: nullibi autem conſtat de tali voluntate fiſci. Ergo dicendum eſt retentionem prouenire ex eo quòd dominio delinquens priuatus non fuerit. Neque valet dicere priuatum fuiſſe delinquentem dominio, & non poſſeſſione, cùm verba generalia ſint.

Tertiò, quia ex vi criminis læſæ maieſtatis ſolùm habetur bona confiſcata eſſe à die commiſſi delicti, ſed inde non infertur delinquentem amittere dominium, ſolùm infertur ab illo die illa bona fiſco eſſe obligata, & quaſi hypothecata, quod ſtare optimè poteſt cum dominio, ſicut hypotheca poſſeſſa à debitore eſt penes illius dominium; eſto obligata ſit creditori. Ergo dicendum eſt confiſcationem dominio non priuare delinquentem, quia pœnæ reſtringendæ ſunt, non extendendæ.

4 Verùm, vt rectè Suar. *diſput.* 22. *ſect.* 3. *num.* 6. notauit, diſſenſio inter has ſententias potius de nomine, quàm de re eſſe videtur, ſi effectibus huius confiſcationis conſentiamus. Certum enim eſt à die commiſſi criminis ita bona delinquentis eſſe obligata fiſco, vt poſſit fiſcus ſecuta ſententia illa bona recuperare, à quocunque poſſeſſore inuenerit. Ergo ſignum eſt delinquentem amiſiſſe ius quod habeat transferendi plenè ſua bona in quemcunque poſſeſſorem, & aliquod ius fiſco eſſe tranſlatum. Econtra verò delinquẽs ante ſententiam retinere illa bona poteſt, illiſque frui, & vti, vt dicemus. Ergo non amiſit omne dominium, ſeu ius vtendi, quod antea habebat. Quocirca dici poteſt cum eodem Suar. dominium directum tranſlatum eſſe in fiſcum à die commiſſi delicti, remanere autem apud delinquentem dominium vtile. Qua diſtinctione conciliantur ſupradictæ ſententiæ, neque aduersùs eam procedunt rationes allegatæ. Nam priorem partem probant argumenta primæ ſententiæ. Prima enim ſolùm probat in crimine læſæ maieſtatis priuatum eſſe delinquentem alienare perfectè, & irreuocabiliter.

Secunda

Secunda probat bona illa esse fisco addicta, id est, obligata, quod compati potest cum dominio vtili possidentis. Tertia vindicationem competere fisco non ante sententiam, sed lata sententia, in quo casu iam est perfectè dominus. Quarta conuincit rem esse obligatam fisco, & in ea habere dominium directum, vt possit lata sententia à die commissi criminis rem cum fructibus vindicare. Quinta probat Pontificem prohibuisse principibus sæcularibus occupare ante sententiam bona delinquentis, quia ante latam sententiam iudicis Ecclesiastici executio, & occupatio bonorum fieri non debet. Aliàs confiscationis iudices essent Principes sæculares, non autem probat delinquentem habere, vel non habere dominium, quia ab hac quæstione voluit Pontifex abstinere. Argumenta autem secundæ probant secundam partem nostræ conclusionis, probant enim delinquentem non habere liberam, & absolutam bonorum suorum administrationem, cùm non possit irreuocabiliter rem alienare; habet tamen aliquam administrationem, etsi obligatam fisco.

PVNCTVM XVIII.

An confiscatio obliget delinquentem, cui bona sunt ipso iure confiscata, ea fisco tradere ante sententiam.

1 *Affirmant aliqui.*
2 *Probabilius est oppositum.*
3 *Limitant aliqui, cum delictum occultum est, sed non approbatur limitatio.*
4 *Sed ad minus requiritur sententia declaratoria criminis.*
5 *Illa posita non potest delinquens bona occultare.*
6 *Non tamen tenetur ea fisco offerre secundùm communem sententiam, quæ tamen difficultatem habet.*
7 *Quid si reus malitiosè impediat sententiam declaratoriam, videtur obligatus.*
8 *Probabilius est oppositum.*
9 *Quid dicendum de procuratore, iudice, aliisque ministris iustitiæ, an sint obligati satisfacere fisco, cum malitiosè confiscationem omittunt.*

1 PLures ex Doctoribus, qui concedunt delinquentem absolutè priuatum esse dominio suorum bonorum à die commissi delicti, affirmant obligatum esse delinquentem ea fisco tradere, eo ipso quò delictum committit, quia aliàs possiderent, & retinerent bona contra voluntatem fisci, qui est dominus, quod est illicitum: sic post alios antiquiores, quos allegat, tradit Alphons. Castro *lib. 2. de lege pœnali, cap. 10. & 11. & lib. 2. de iusta heretic. punit. cap. 5. & 6.* Anton. Gom. *tom. 3. var. cap. 2. num. 5. fine.* Tiraquell. pluribus relatis *l. si vnquam, verbo reuertatur, num. 368.*

2 Verùm dicendum est cum probabiliori, communiorique sententia, hanc obligationem non esse delinquenti imponendam. Primò, quia licèt Princeps in vno, vel alio casu possit obligare delinquentem, vt in seipsum pœnam grauem, & acerbam exequatur: at obligare per legem ad eius executionem extra potestatem legislatoris est; quia bono communi non expedit talis obligatio, cùm sit humanæ infirmitati cõtraria, & multis transgressionibus exposita. At si delinquens commisso delicto obligaretur bona fisco tradere, obligaretur grauem in se pœnam exequi. Ergo non est dicendum hanc posse per legem obligationem imponi. Secundò leges imponentes hanc confiscationis pœnam, non priuant delinquentem expresè possessione suorum bonorum. Ergo non tenetur delinquens se possessione priuare, quia possessione nunquam quis censetur priuatus, nisi expresè dicatur, etiamsi dominio priuatus sit: vt bene tradit Anton. Gomez *tom. 3. variarum, cap. 2. de delictis, num. 3.* Didac. Cantera *in quæst. crim. rubr. de heretic. cap. 1. num. 16.* Farinacius alios referens, *q. 25. num. 15. & de heresi, quæst. 190. num. 85.* ad textum *in l. cum heredes. ff. de acquirend. possess.* Ex qua ratione fit satis fundamento contrario, & ita hanc sententiam defendunt plures referentes Nauarr. *summ. cap. 23. num. 66.* Couarr. *4. decret. 2. part. cap. 6. §. 8. num. 10.* Simancas *de catholic. institut. tit. 9. à num. 161. vsque ad 252.* Anton. Gomez sibi contrarius *lib. 3. variarum, cap. vlt. num. 3.* Pegna *director. inquisit. 3. part. comment. 158.* Vasquez *1. 2. disput. 170. toto cap. 3.* Azor *tom. 1. lib. 5. cap. 7. quæst. 1. & 3. & lib. 8. cap. 12. quæst. 3.* Sanchez *lib. 2. cap. 22. num. 7.* Suarez *de fide, disput. 22. sect. 3. num. 3.* Farinacius *de heresi, quæst. 190. num. 23.*

3 Limitant autem aliqui conclusionem, vt intelligatur, cùm delictum occultum est, tunc enim affirmant non teneri delinquentem se bonis spoliare, ne, inquam, esset occasio se prodendi; secus si notorium sit, quia tunc cessat ratio ob quam sententia requiritur, quæ est, vt de delicto constet; & nulla detur occasio vexandi innocentem. sic Castro *lib. 2. de lege pœnali, cap. 10. in suo principali argumento pro sua opinione.* Ludouicus Gomez *cap. 1. num. 7. de rescriptis.* Gregorius Lopez *l. 4. verbo el señorio, tit. 2. part. 7.* Farinacius *de crimine læsæ maiestatis, quæst. 116. num. 18. & 19.* & alij relati à Sanchez *n. 14.* At cum eodem Sanchez *num. 15.* nullatenus hæc limitatio est admittenda, sicut neque illam admittit Vasquez *suprà num. 14.* Simancas *num. 165.* Suarez *num. 7.* Farinacius *num. 23.* & alij apud ipsos. Quia lex confiscans bona æquè de delictis publicis, ac occultis loquitur, neque vllam distinctionem facit. Ergo si efficaciam non habet aduersùs delinquentem secretò, vt illum obliget se bonis spoliare; neque etiam habebit efficaciam aduersùs delinquentem publicè. Adde sententiam non requiri, vt populo de delicto constet, quia populus non obligatur hæretici bona fisco deferre, neque etiam requiritur, vt ipsi delinquenti constet de suo delicto; cùm satis sua conscientia, quæ falli non potest, ei reddat clarissimum. Requiritur ergo sententia, vt pœna imposita per legem applicetur, & quasi executioni mandetur, audito delinquente, & eius defensionibus examinatis. Quare etiamsi crimen in iudicio confessus fuerit delinquẽs, adhuc nõ est obligatus se bonis spoliare, neque fiscus potest ab illo ea eripere, quia illa confessio solùm facit esse notorium delictum, non reum damnatum, & pœnam applicatam: quod non leuiter indicat *l. vlt. C. ad legem Iuliam maiest.* ibi, *vt conuicto reo memoria eius damnetur, & eius bona successoribus eripiantur.* Requiritur ergo esse reum conuictum, & damnatum, vt eripi bona possint, & *in cap. cum secundum leges, de hereticis, in 6.* cauetur non posse ante sententiam super crimine occupari bona delinquentis: & ita tradit Sanchez *illo cap. 22. num. 16.* Fachin. *lib. 4. controuers. cap. 35. fine.* Hæc autem sententia in delictis, quæ confiscationem, & pœnam trahunt ipso iure, sufficit, si sit declaratoria delicti, quia eo ipso est simul condemnatoria pœnæ delicto annexæ, vt rectè expendit Sanchez *lib. 2. cap. 22. num. 27.* Vasquez *1. 2. disput. 170. cap. 4. num. 14.* Simancas *de catholic. institut. tit. 9. num. 164.* Quòd si in aliqua lege dicatur non opus esse sententia declaratoria, vt quis bona sua amittat, sed eo ipso, quo delinquit, absque alia declaratione censeatur amisisse, vt dicitur in crimine sodomitico in hoc Castellæ regno, *l. 1. tit. 21. lib. 8. recop.* adhuc censeo probabilius sententiã declaratoriam criminis requiri ob rationes in principio factas, quia aliàs esset obligatio nimis acerba, & rigorosa, & regulariter vltra humanas vires, & bono communi non expediens. Quare intelligenda est lex talis de sententia declaratoria pœnæ; ita vt absque hac sentẽtia censeatur pœna incursa, non tamen absque aliqua sententia criminis

minis declaratoria. ſic Vaſq. *diſp.* 170. *à num.* 21. 24. *&* 25. Anton. Gom. 3. *var. cap. vlt. num.* 3. Matien. *lib.* 5. *recop. tit.* 11. *leg.* 5. *gloſſ.* 1. *num.* 4. ibi Azeued. *num.* 1. Sanch. pluribus exornans, *lib.* 2. *cap.* 22. *num.* 20. Neque obſtat, ſi dicas, eo ipſo, quo aliqua pœna imponitur ipſo iure delicto, ſufficit vt incurratur ſententia declaratoria criminis, neque neceſſaria eſt ſententia expreſsè ad pœnam condemnans. Ergo ſi lex excludit declarationem, videtur hanc declarationem criminis excluſiſſe, non pœnæ declarationem, quæ per ſe, vtpote non neceſſaria, excluſa eſt. Non, inquam, obſtat, quia non eſt omnino certum non eſſe neceſſariam ſententiam declaratoriam pœnæ, ſimul cum ſententia declarãte delictum, iuxta *l. Præſes. C. de ſentent. & interlocut.* vbi definitiua ſententia, quæ abſolutionem, vel condemnationem non continet, pro iuſta non habetur. Deinde conceſſo non eſſe neceſſariam ſententiam expreſsè declarantem pœnam, vt incurratur, adhuc lex poteſt illam excludere ad maiorem claritatem, & firmitatem, quod non eſt alienum à ſtylo legum, vt tradit Couarr. *lib.* 2. *var. cap.* 5. *num.* 9.

4 Hinc fit ante hanc ſententiam declaratoriam criminis neque teneri delinquentem etiam publicè bona offerre fiſco, neque fiſcum poſſe ea bona occupare, quia non poteſt occupare bona, dum delinquẽs ea iure poſſidet. *cap. in litteris, de reſtit. ſpoliat.* at, dum non accedit hæc ſententia, iure poſſidet delinquens. Ergo: ſic docet Simanc. *de catholic. inſtitut. tit.* 9. *à num.* 175. Mol. *tom.* 1. *diſput.* 95. *in ſolut. ad* 3. Vaſq. *de leg. diſput.* 170. *cap.* 4. *n.* 15. Sanch. *cap.* 22. *num.* 18. Suar. *diſput.* 21. *de fide. ſect.* 2. *n.* 6. *circa finem*; cum hoc tamen ſtat, vt fiſcus ante ſententiam bona tradat alicui cuſtodienda, ne auferantur; hoc enim & fiſco, & delinquenti vtile eſt, & notat Suar. ibi.

Difficultas ergo eſt, an accedente hac ſententia declaratoria criminis teneatur delinquens bona fiſco offerre?

5 Qua in re ferè omnes conueniunt non poſſe tunc delinquentem executioni ſententiæ reſiſtere, quia eſſet reſiſtere executioni iuſtæ, & debitæ poſt ſententiam. Vnde non poterit bona ex propoſito occultare, & alij obſeruanda tradere, ne fiſcus illa occupare poſſit, quia hæc eſt poſitiua reſiſtentia. ſic Bannes 2. 2. *quæſt.* 62. *art.* 3. *dub.* 2. Aragon. ibi, *col.* 2. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 22. *num.* 11. Bonacina *diſput.* 3. *de contract. quæſt.* 8. *punct. vlt.* §. 3. *num.* 5. Secundò, ſi edictis, vel alio modo à iudice rogetur de bonis, quæ habet, & fiſco iam applicata ſunt, debet manifeſtare. Quòd ſi ab hac manifeſtatione abſtineat, executioni ſententiæ poſitiuè reſiſtit, & contra iuſtitiam aduersùs fiſcum peccat, & reſtituere obligatur. Quia fiſcus ratione dominij acquiſiti in delinquentis bona ius habet obligandi delinquentem, vt veritatem interrogatus manifeſtet: ſic Bannes, Aragon, Bonacina, Sanchez *ſupr.* & Azor *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 8. *quæſt.* 4. *& tom.* 3. *lib.* 4. *cap.* 16. *quæſt.* 9. Quòd dico de delinquente, idem dicendum eſt de illius hærede, & poſſeſſore, apud quos talia bona delinquentis condemnati exiſtunt. ſic Azor illo *cap.* 8. *quæſt.* 4. Sanch. *n.* 12. *&* 13. quia ſemper bona tranſeunt cum illo onere, & obligatione ad fiſcum.

6 Verùm ſi delinquens condemnatus (& à fortiori eius ſucceſſor) bona occupanda à fiſco non occultet interrogatus, neque reſiſtat, ſi auferantur, ſed potiùs paratus ſit ea petita offerre, communis ſententia tenet ſatisfacere obligationi; neque debere ea fiſco offerre. quia ſententia non obligat delinquentem, vt ea bona fiſco tradat, ſed ius tribuit fiſco ea capiendi, quia eſſet duriſſima obligatio delinquẽtem executorem ſuæ pœnæ conſtituere. ſic Couarr. 4. *decret.* 2. *p. cap.* 6. §. 8. *num.* 10. *corol.* 2. Simanc. *tit.* 9 *num.* 184. Azor *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 8. *quæſt.* 4. Mol. *tom.* 1. *diſput.* 66. *verſ. addit, & diſput.* 95. *verſ. ad* 2. Sanch. *illo cap.* 22. *num.* 8. Bonac. *diſput.* 3. *quæſt.* 8. *p. vlt.* §. 3. *num.* 5. Suar. *de fide, diſput.* 22. *ſect.* 2 *fine.* Farinac. *quæſt.* 190. *num.* 23. & alij apud ipſos. Limitant autem Couarr. Simanc. Mol. Sanch. & alij, niſi iudex expreſſè ad ſolutionem cõdemnaret, quod in confiſcatione omnium bonorum, vel partis illorum nunquam fit. Cæterùm hæc communis reſolutio mihi difficultatem ingerit. Nam facta condemnatione iam delinquens nullum ius habet in illis bonis confiſcatis, ſed totum ius tranſlatum eſt ad fiſcum. Quapropter fiſcus ea ſibi vt propria occupat. Ergo quamuis fiſcus non petat, non poterit delinquens ea retinere, & multo minus alienare, aut in proprios vſus conſumere, quia hæc eſt propria actio dominij, & poſſeſſionis, à qua iam per ſententiam ſpoliatus eſt: ſic docuit Cordub. *in ſuis quæſt. lib.* 1. *q.* 36. *notab.* 2. & fauet Vaſq. *de legib. diſput.* 172. *cap.* 2. *num.* 11. Neque obinde fit obligari delinquentem ad rem nimis arduam, & difficilem; tum quia declarato delicto, & lata ſententia non eſt nimis acerbum deferre delinquentem ſua bona fiſco. Tum quia non eſt neceſſarium, vt deferat, ſufficit, ſi manifeſtet bona, quæ habet, vt poſſit fiſcus ea occupare. Quòd ſi facta manifeſtatione fiſcus negligens fuerit in illorum bonorum occupatione; iam tunc cenſebitur ex voluntate fiſci delinquens poſſidere: quæ voluntas ante manifeſtationem præſumi non poteſt.

7 Sed quid dicendum, ſi reus interrogatus de delicto, quod reuera commiſit, negat contra iuris ordinem veritatem, aut falſis teſtibus innocentiam probat, aut futili appellatione iudicium ſubterfugit; & obinde neque damnatur, neque fiſcus eius bona occupat, an teneatur fiſco reſtituere emolumentum, quod poſita ſententia perceptutus erat? Ratio dubitandi eſt, quia licet fiſcus non habeat ius occupandi delinquentis bona niſi poſita ſententia declaratoria criminis: at videtur habere ius, ne hæc occupatio mendaciis impediatur, ſicuti nullus habet ius, vt tu ei legatum aliquod gratioſum in teſtamẽto relinquas, ſive donationẽ facias, beneficium conferas: at habet ius, ne ab aliquo vi, fraude, aut fallacia impediaris id facere, quòd ſi aliquis te impedit, ipſe tenetur emolumentum, quod inde ſperabas, reſtituere. Et confirmo, ſi quærentem beneficium, quod conſequi poterat ſolicitudine ſua, diuertas ab illius conſecutione mendacio, nemini eſt dubium te eſſe obligatum reſtituere emolumentum obuenturum. At falſis teſtibus, & mendacio diuertis fiſcum quærentem conſequi tua bona, ne conſequatur. Ergo teneris reparare: & ita docet Caſtro *de lege pœnali lib.* 2. *cap.* 12. §. *ex his*, Molin. *tom.* 1. *de iuſtit. diſp.* 95. *verſ. duo ſunt.* Sotus *lib.* 1. *de iuſtit. q.* 6. *art.* 6. *ante* 5. *concluſ.* & eſt ſatis probabilis ſententia.

8 Nihilominus probabilior ſententia, & communior eſt, quæ eximit reum ab hac obligatione, ſic multis relatis docet Sanch. *lib.* 10. *de matrim. diſput.* 8. *num.* 14. *& lib.* 2. *in Decal. cap.* 22. *num.* 22. Vaſq. 1. 2. *diſput.* 175. *cap.* 2. *num.* 13. *&* 14. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 31. *dub.* 8. *num.* 50. *&* 56. Reginald. *lib.* 24. *num.* 145. Bonac. *diſput.* 10. *in* 8. *Decalogi precepto, q.* 3. *p.* 2. *num.* 23. *& diſput.* 3. *de contract. quæſt.* 8. *p. vlt.* §. 3. *ad fin. num.* 6. & alij apud ipſos. Moueor, quia fiſcus non habet ius ad obligandum reum, vt veritatem fateatur; ea enim obligatio ſolùm ex iudicio, iuſtitiáque legali prouenit. Ergo cùm veritatem occultat reus, & fallaciis vtitur, non aduersùs fiſcum delinquit, ſed aduersùs iudicium, iuſtitiámque legalem. Ergo ad nullam reſtitutionem, compẽſationémque fiſco tenetur. Et confirmo: ſi fiſcus ad pœnam corporalem infligendam reo procederet, ipſéque reus veritatem negaret, non obinde aduersùs fiſcum, ſed aduersùs iudicium publicum delinqueret. Ergo ſimiliter, cùm ad pœnam pecuniariam proceditur. Et ratio omnium eſt, quia iudicium publicum per ſe inſtitutum eſt ad punienda delicta, & mala præcauenda in republica, non ad ditandos accuſatores. Ergo negatio veritatis, & fallentia facti in iudicio,

dicio, non aduersùs accusatores directè procedit, sed aduersùs ipsum iudicium, ac proinde nulla est obligatio compensandi.

9 Secus verò dicendum esset de procuratore fisci, si omitteret delinquentem accusare, cùm se teneri sentit, sciens facta accusatione, & condemnatione sequuta bona illius delinquentis esse fiscum occupaturum, quia huiusmodi procurator fiscalis ea conditione à republica constitutus est, vt vtilitatem fisci procuret, delictáque in iudicium deferat, vt punita fisco emolumentum afferant: quare si negligens fuerit, videtur ad restitutionem esse obligatus. Iudices autem, & alij ministri iustitiæ, etiamsi negligentes sint in deferendis in iudicium, puniendísque peccatis, non videntur ad restitutionem fisco obligati esse, quia non ad ditandum fiscum, eiúsve vtilitatem quærendam instituti sunt à republica, sed ad purgandum illam à vitiis, & in pace conseruandum. At si iam delicta in iudicium essent delata, & à fiscali, vel à quolibet alio, cui pœna esset applicanda, peteretur sententia, ipséque iudex negligens sit in illa ferenda, & pœna applicanda, absque dubio credo obligatum esse emolumentum obuenturum compensare. Quia ex iustitia commutatiua obligatus est iudex in iudicio reddere petenti ius suum: at ius habet petens pœnam, vt sibi per sententiam applicetur. Ergo si negat, iniustitiam aduersùs petentem committit, & non solùm aduersùs iudicium publicum: & hæc omnia docet Vasquez 1.2.*disp.*175.*cap.*1.*à num.*9. *vsque in finem.*

PVNCTVM XIX.

An confiscatio ipso iure à delicto imposita impediat, ne delinquens alienare sua bona possit, & faciat, vt fiscus ea sic alienata possit recuperare.

1 *Probatur delinquentem impeditum esse alienare.*
2 *Contrarium est probabilius.*
3 *Satisfit fundam. num.* 1 *adducto.*
4 *Non sunt alienationes ita validæ, quin fiscus eas reuocare possit.*
5 *Excipe nisi possessores præscripserint.*
6 *Tempus ad præscriptionem in crimine hæresis quadragenarium est.*
7 *Limitatur ab aliquibus, nisi fisco regis sint applicata, quia tunc quinquennium sufficere dicunt. Non admittitur limitatio.*
8 *Secundò limitant, vt præscriptio procedat post mortem delinquentis, secus in eius vita. Non videtur approbanda limitatio in rigore.*
9 *Notanda sunt aliquot conditiones, quas præscribentes habere debent, vt illis faueat præscriptio.*
10 *In alijs criminibus ab hæresi non præscribitur minori tempore, quàm vicesimo.*
11 *Fiscus non potest petere bona à tertio possessore in ipsius fraudem alienata, nisi infra annum vtilem.*
12 *Fisco non datur restitutio aduersùs præscribentem bona, quæ illi competebant.*
13 *Alienationes necessariæ factæ ab hæretico, reuocari non possunt à fisco.*
14 *Explicatur, quæ sint alienationes necessariæ.*
15 *Item non reuocantur alienationes factæ à marito bonorum vxoris, quæ constante matrimonio acquisita sunt.*
16 *Alienationes gratuitæ horum bonorum reuocari possunt, vtpote quæ præsumuntur in fraudem.*
17 *Quid si maritus conscius fuit vxoris criminis, verius est, reuocari tunc posse alienationem.*
18 *Quid si incidit in hæresim, & reconcilietur.*
19 *Sola alienatio de bonis post delictum facta, est reuocabilis.*
20 *Non reuocantur alienationes factæ à reo per potestatem publicam absoluto.*
21 *Licita ne sit hæc alienatio? Proponitur ratio dubitandi.*
22 *Resoluitur licitam esse.*
23 *Teneris tamen vitium manifestare, quando adest periculum reuocationis, & inferuntur notabilia.*

DVpliciter confiscatio impedire alienationem potest. Primò vt licitè fiat. Secundò vt validè.

1 Et quoad valorem alienationum videntur aliquæ leges omnino impedire, & alienationes irritas reddere. Nam *lex Manichaos*, *§. præterea*, *C. de hæreticis*, *& l. vltim. C. ad legem Iuliam maiest.* tollitur à delinquente facultas, & additur tales alienationes valere non debere. Idem traditur in nostro regno *l.* 4. *tit.* 2. *part.* 7. quibus legibus fauet sententia illa asserens delinquentem ob delictum commissum priuatum esse dominio suorum bonorum; non igitur validè alienare potest: & ita tradunt Simancas *de catholic. institut. tit.* 9. *num.* 25. Peregrinus *de iure fisci*, *lib.* 5. *tit.* 1. *num.* 166. Bossius *in sua pract. tit. de bon. public. n.* 76. & alij relati à Sanchez, Farinacio, & aliis statim referendis.

2 Cæterùm probabilius existimo alienationes à delinquente factas, quouis titulo fiant validas esse, venire tamen annullandas per sententiam. sic docent Vasquez 1.2. *disput.* 171. *cap.* 2. *num.* 9. Azor *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 7. *quæst.* 7. *fine.* Sanchez *lib.* 2. *cap.* 22. *num.* 50. Suarez *de fide, disput.* 22. *sect.* 4. *num.* 3. Farinacius *de hæresi, quæst.* 190. *num.* 71. & alij apud ipsos. Ratio est, quia delinquenti ante condemnationem interdicta non est bonorum suorum administratio, sed legitimam administrationem sequitur potestas alienandi. Ergo delinquens potens est alienare, & consequenter validè alienat. Et confirmo, si delinquens non posset liberè alienare bona ob delictum confiscata, cùm ex testamento filio hæreditatem relinqueret, obligatus esset vel fisco manifestare delictum, vt sciret illa bona accepta inalienabilia esse; vel debebat priùs satisfacere fisco, ne pateretur damnum ex filij alienatione. Hæc autem sunt inaudita. Ergo non est dicendum inualidam esse delinquentis alienationem. Confirmo secundò. Contractus facti à Catholicis cum hæreticis Angliæ, & Germaniæ ab omnibus reputantur legitimi, qui certè non essent, si delictum hæresis priuaret delinquentem potestate validè contrahendi, cùm ipsi verè hæretici sint, & omnes pœnas hæreticis impositas incurrant.

3 Neque leges pro contraria sententia adductæ vrgent: sæpè enim donationes, & alienationes, quæ firmæ, & ratæ non sunt, inualidæ vocantur, vt colligitur ex *l.* 1. *& l. post contractum*, *ff. de donationibus*, ac proinde nihil mirum, si donationes, & venditiones factæ post contractum dicantur inualidæ, hoc est, infirmæ, & retractabiles.

Aduertit optimè Vasquez *in cap.* 2. *num.* 9. & ex illo Sanchez *cap.* 22. *num.* 51. plurimum differre vno, aut alio modo philosophari, nempe asserere alienationes esse ipso iure nullas, vel venire annullandas per sententiam. Nam qui dicunt has alienationes inualidas esse ipso iure, consequenter affirmare debent fructus ex rebus alienatis perceptos restituendos esse, siquidem nullum ius in illis bonis per alienationem est comparatum. Secus verò est dicendum, si alienationes valeant, quia tunc recipiens fructus facit suos, neque ad restitutionem obligatur, quousque delinquens condemnetur.

4 Nihilominus etsi ipso iure alienationes validæ sint: at certissimum est apud omnes Doctores, vt videre est in Sanch. *lib.* 2. *cap.* 22. *n.* 33. *&* 36. Suar. *de fide disput.* 22. *sect.* 4. *num.* 5. Farinac. *de hæresi. quæst.* 190. *num.* 70. alienationem factam à delinquéte post delictum commissum,

ſum,cuius bona ipſo iure publicantur, non ita validam eſſe,quin fiſcus eam reuocare poſſit. Quia à die cōmiſſi delicti ea bona ſunt fiſco addicta, & quaſi in hypothecam tradita,ac proinde in quemlibet poſſeſſorem cum illo onere tranſeunt:hoc enim ad minus probant leges prohibentes his delinquentibus alienationes,vt eſt lex, *ex iudiciorum. verſ.adeo. ff. de accuſationib.* ibi, *ex quo quis aliquod ex his cauſis crimen contraxit, nihil ex bonis ſuis alienare,aut manumittere eum poſſe. & l. Manichæos §. præterea.C.de hæreticis.* ibi, *non relinquimus contrahendi facultatem. l.vlt. C.ad leg.Iul. maieſt.* ibi, *neque alienare poſſe. l. donationes in concubinam. §. fin. ff. de donationib.* & aliæ. Probant enim, vt non poſſit ſic delinquens alienare firmiter, & irreuocabiliter. Quapropter lata ſententia confiſcatio retrotrahitur à die commiſſi delicti, ac ſi illo die ſententia lata fuiſſet, & bona alienata ab illo die deuoluuntur ad fiſcum, etiam ſi ad plures poſſeſſores perueniſſent, ſecluſa præſcriptione, de qua infrà. Quod verum eſt, etiamſi bona fide quis à delinquente receperit ignorans prorſus delictum; quia hæc ignorantia, & bona fides non tollit rem acceptam obligatam eſſe fiſco;ac proinde non infirmat ius fiſco acquiſitum.

5 Hæc tamen doctrina aliquas patitur limitationes. Prima niſi poſſeſſores illorum bonorum,quæ fiſco erāt addicta,præſcriptione legitima ſe defenderint,ex *cap.fi. de præſcriptionib.in 6.l.2.C.de apoſtatis.l.in omnib.ff.de iure fiſci,* & in confeſſo eſt apud omnes.

6 At controuerſia eſt inter Doctores, quòd tempus ad hanc præſcriptionem ſufficiat; nam aliqui ſpatium 40. annorum conſtituunt, aliqui 30.alij 20. alij 10. alij 5. vide Bart. *l.2.C.de vectigal.*Farinac. *1.p.pract. quæſt.*10. *num.*82.*& quæſt.*25.*num.*158.*& de hæreſi.quæſt.*190. *num.* 119.Anton. Gom. *tit.de confiſcat. num.*5. Boſſium, *tit. de publicat.bonor.num.*78. Peregrin. *de iure fiſci, lib.6. tit.8.n.* 36. Sanch.*lib.2.cap.22.num.*37.

Dicendum ergo eſt in crimine hæreſis neceſſarium eſſe ſpatium 40.annorum, vt poſſeſſor præſcribat bona delinquentis aduersùs fiſcum: habetur expreſsè *cap.2. de præſcriptionibus,in 6.* ibi, *niſi ſpatio 40. annorum fuerint bona fide poſſeſſa;* & ita tenet pluribus relatis Sanchez *lib.2. cap.22. num.*40. Farinac. *locis relatis.* Fachin. *lib.9. controuerſ. cap.*54. Molin. *de iuſtit. tom.1. diſp.*73. *verſic. hinc infert.*

7 Limitant autem Couarr.*4.decret.2.p.cap.6.§.8.n.*16. Anton.Gomez *tom.3.var.cap.vlt. num.5. ad finem.* Greg. López *l.7.verbo dendeenadelante,tit.25.part.7.* Quemada *in ſuis quæſt.fiſcalib. quæſt. 16. concluſ. 2. & 3.* ſequentes Abbatem *in cap. cùm à nobis, num.* 8. Felin. *num.*11. *de præſcription.*vt procedat,cùm bona hæretici fiſco Eccleſiæ ſunt applicanda, ſecus ſi fiſco ſæculari: tunc enim affirmant quinquennio præſcribi. Mouentur ex *l.2.C.de apoſtatis.* vbi quinquennio præſcribitur, ne contra apoſtatam defunctum procedatur. Cæterùm hæc limitatio admittenda non eſt, ſed indiſtinctè affirmandum ſpatium quadragenarium requiri ad hanc præſcriptionem,ſiue fiſco Eccleſiæ,ſiue ſæculari bona applicentur: ſic docent Farinac. *de inquiſit. quæſt.*10. *num.*82.*& q.*25. *num.*163. Sanchez *num.*40. Simanc. *de catholic. inſtitut. tit.18.n.14.& tit 9 n.*133. Molin.*ſuprà.* Pegna *comm.*92. *in 3.p.direct.*& alij apud ipſos. Ratio eſt,quia in delictis Eccleſiaſticis puniendis ſtandum eſt potius diſpoſitioni iuris canonici, quàm ciuilis. At eſt certum hoc crimen hęreſis Eccleſiaſticum eſſe,*cap.vt inquiſitionis.§.prohibemus,de hæreticis,in 6.* Ergo cùm ſecundùm ius canonicum ſpatio 40. annorum, & non minori concedatur præſcriptio, illi ſtandum eſt. Item Pontifex nullam diſtinctionem fecit de confiſcatione applicanda fiſco Eccleſiaſtico,vel ſæculari. Ergo de vtroque indiſtinctè cenſendus eſt loqui.*l.1.§.generaliter.ff.de legat.præſtandis:* quia vbi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus.*l.3.ff. de officio præſidis. l. de pretio ff. de public. in rem actione.* Neque *l.2.C.de apoſtat.*vrget, quia,vt benè dicit Fachin. *lib. 9. controu. cap.* 54. non de confiſcatione loquitur, ſed de actione intra quinquennium exercenda contra teſtamentum apoſtatæ: ibi, *eáque gratia teſtari minimè potuiſſe,confirmat intra iuge quinquennium.*

8 Secundò & à contrario limitant alij, vt ſupradicta doctrina de pręſcriptione quadragenaria procedat poſt mortem hæretici:nam illo viuente affirmant nunquam poſſe præſcribi; etiamſi mille annos poſſiderent, ſic relato Ioan.And.Anchar.Dominico tradit Sanch.*n.*37. Mol.*diſput.*73.*concl.3. & 6.* Farinac. *de hæreſi. quæſt.*190. *num.* 122. Mouentur, quia viuente hæretico ſemper contra illum procedi poteſt, etiamſi quadragenarium tempus præceſſerit,ſed quoties contra hæreticum procedi poteſt, & condemnari; non videtur poſſeſſores ſuorum bonorum præſcribere. Ergo. Item quia textus *in cap. fin.* concedit poſt mortem hæretici eam in ſuis bonis præſcriptionem. Ergo cùm de vita nihil loquatur, cenſuit in illa dari non poſſe. Cæterùm etſi hæc limitatio in conſulendo, & iudicando retinenda ſit, propter authoritatem Doctorum: at in puncto iuris cenſerem repellendam eſſe. Tum quia eſto nullo tempore præſcribatur actio procedendi contra hæreticum, inde non infertur, nullo vnquam tempore aduersùs fiſcum in eius bonis præſcribi. Nam Couarr.*ſuprà n.*16. Sanch. *num.*42 Simanc. *tit.*18. *num.*42. affirmant nullo vnquam tempore præſcribi actionem procedendi contra hæreticum defunctum ad eius memoriam damnandam, & tamen affirmant pro certo præſcribi ſpatio quadragenario aduersùs eius bona. Neque etiam ex eo quòd textus *in cap.fin. de præſcriptionib.* nihil de præſcriptione viuente hæretico loquatur,infertur ſenſiſſe non poſſe præſcribi illo tempore: tum quia iſte fuit caſus omiſſus, & relictus diſpoſitioni iuris communis: tum quia expreſsè concedit textus aduersùs Romanam Eccleſiam in bonis ab illa acceptis, quadragenario præſcribi, cùm tamen iure communi centenariō præſcribatur, ex *cap.ad audientiam,cap. cùm nobis,cap.ſi diligenti, de præſcriptionib. cap.2.eod.tit. in 6. Authent. quas actiones. C.de ſacroſanct.Eccleſ.* Ergo quoties poſſeſſor non poſſidet bona Romanę Eccleſiæ per delictum applicata,poterit certè quadragenario tempore præſcribere. Adde ſi benè ſupradictus textus expendatur, clarè in prima parte inſinuat viuente hæretico quadragenario tempore præſcribi poſſe in bonis ad alias Eccleſias pertinentibus,& centenario in pertinentibus ad Eccleſiam Romanam. Inquit enim text. *Statuimus in apprehendendis, vel occupandis bonis eiſdem,quæ à Romana,vel ab alijs delinquentes tenent, nullus ipſis Eccleſiis temporis lapſus obſiſtat, niſi contra ipſam Romanam Eccleſiam centenaria, vel contra Eccleſias alias quadragenaria præſcriptio legitimè ſit completa,* vbi nulla diſtinctio fit de viuente hæretico, vel illo mortuo. Quocirca exiſtimarem dicendū contra fiſcum Romanæ Eccleſiæ in bonis ab illa in feudum, vel alio titulo acceptis non præſcribi, niſi centenario. Excipe, niſi poſt mortem hæreticorum bona ipſa fuerint à filiis catholicis, &c. quadragenario bona fide poſſeſſa. In bonis autem, quæ non ab Eccleſia Romana accepta ſunt in feudum,neque illius ſunt alio titulo,ſed ad Eccleſias alias pertinent, aut Eccleſiæ Romanæ ſolùm pertinent ob fiſcum, ratione delicti commiſſi, quadragenario abſque vlla diſtinctione præſcribitur,quod meo iudicio, pluribus firmat Farinac. *quæſt. 25. num.* 163. *&* 168.

9 Porrò cùm *in ſuprad. cap. fin. de præſcriptionib. in 6.* ſingularis fauor fiat ſucceſſoribus hæreticorum, vt videlicet poſt mortem delinquentium, ne moleſtentur in bonis,quæ poſſidēt,ſi quadragenario poſſideant,etiamſi talia bona ad Romanam Eccleſiam pertineant, & ab illa ſint accepta,meritò aliquæ conditiones ſpeciales ad hanc

hanc præscriptionem exiguntur, quæ in præscriptione bonorum ob alia delicta non expostulantur. Prima, vt possidentes Catholici sint: nam si hæretici essent, nunquam possent præscribere, sicut neque ipse hæreticus aduersùs fiscum præscribit. Secunda, vt hæreticus, quorum bona possident, præsumatur Catholicus decessisse; cui præsumptioni obstat, si diffamatus, vel suspectus de hæresi discessit. Tertia, vt in iis conditionibus toto quadragenario tempore perseueret: nam si intra illud nuntiatur defunctum hæreticum fuisse, vel ipse possessor in hæresim incidit, tota hæc præscriptio interrumpitur; quia cessat bona fides, quæ à supradicto textu expostulatur: sic glossa *ibi*. Dominic. *num*.4. Pegna *director*. 3. *part. comment*. 92. *versic. filij verò*. Sanchez *lib*. 2. *cap*. 22. *num*. 41.

10 Verùm si de præscriptione bonorum confiscatorum ob alia crimina præter hæresim sermo sit, crederem probabilius non præscribi minori tempore, quàm 20. annis; quia ita videtur expresse definiri *in l. in omnibus, ff. de diuers. & temp. præscript.* ibi, *in omnibus fisci quæstionibus, exceptis causis, in quibus minora tempora seruari specialiter constitutum est, 20. annorum præscriptio custoditur*. Ergo vbi minora tempora constituta non fuerint, 20. annorum spatium necessarium est. Idem habetur *l. querela, C. ad legem Corneliam de falsis*, vbi Diocletianus inquit: *Querela falsi temporalibus præscriptionibus non excluditur*, nisi 20. annorum exceptione, sicut cætera quoque ferè crimina. Ergo si in cognitione delictorum, quoad condemnationem personæ non præscribitur minori spatio, quàm 20. annorum, vt tradit *supradict. l.* ergo neque etiam minori tempore præscribetur in bonorum condemnatione, quæ accessoria est. sic glossa & Bart. *in suprad. l. in omnibus*. Bossius *de publ. bon. num*. 78. Fachin. *cap*. 54. *lib*. 9.

Neque obstat *l*. 2. *C. de vectigalib. & commiss.* vbi quinquennio aduersùs fiscum præscribitur, quia loquitur specialiter de bonis confiscatis ob vectigal non solutum, secus quando bonorum confiscatio facta fuerit ob aliud delictum. sic Fachin. *suprà*. Farinacius *quæst*. 25. *num*. 163.

Neque etiam obstat *l. in cognitione, ff. ad Sillan.* quia etiam est casus specialis, loquitur de cognitione aperti aduersùs senatusconsultum testamenti eius, qui à familia sua occisus dicatur, quæ cognitio quinquennio præscribitur. Neque item obstat *l. sicut, & l. omnes, C. de præscript. 30. vel 40. ann.* vbi hoc spatium requiritur ad præscribendum bona fisco acquisita: loquitur enim de præscriptione bonorum, quæ iam sunt fisco incorporata; hæc enim, vt habetur *Institut. de vsucapionibus, §. res fisci*, vsucapi non possunt, nisi illa longissimi temporis præscriptione, vt bene dicit Molin. *de iust. tom*. 1. *disp*. 73. *concl*. 1. secus verò de bonis, quæ licèt publicata sint, non sunt tamen fisco incorporata; hæc enim etiam sine titulo, modò adsit bona fides in possidente, præscribuntur ad minus 20. annis; & tradit Farinacius *q*. 25. *num*. 163. *fine*. Bona fides in his omnibus existit, etiamsi scias delinquentem culpam commisisse, ob quam bona ipso iure publicantur; cùm enim non tenearis bona illa fisco offerre, sicut neque ipse delinquens tenetur, huiusmodi cognitio non impedit bonam fidem: & tradit expresse Molin. *tom*. 1. *de iust. disp*. 66. *concl*. 1. cum Couarr. 4. *decret*. 2. *p. cap*. 6. §. 8. *n*. 16. *& reg. possessor*. 2. *p*. §. 11. *n*. 5. Panormit. Felin. & aliis *in cap. vlt. de præscriptionibus*. Lessio *lib*. 2. *cap*. 6. *dub*. 6. *num*. 20. *versic. respondeo iuris periti*, &c.

11 Aduerto primò fiscum petere non posse à tertio possessore bona in ipsius fraudem alienata, nisi infra annum vtilem, cuius loco datur hodie quadriennium, quia illo tempore tolluntur, & præscribuntur actiones reuocatoriæ. *l*. 1. §. 1. *ff. quæ in fraudem credit*. §. *item si quis in fraudem, Institut. de actionib.* & tradit Anton. Gomez *tom*. 3. *cap*. 14. *de bon. public. n*. 5. *fine*. Farinacius *q*. 25. *n*. 164.

12 Secundò aduerto fisco non dari restitutionem aduersùs præscribentem bona, quæ illi competebant: sic Farinac. *supr. n*. 165. *& seq.* cum Tob. Nonio *cons*. 105. *n*. 3. Tum quia in odiosis, & correctoriis (qualis est actio confiscandi bona) cessat, & deneganda est in integrum restitutio, vt tradit Aymon. *cons*. 271. *n*. 7. *lib*. 2. & Andr. Tiraquel. *de vtroque retractu, p*. 1. §. 35. *gloss*. 2. *n*. 10. *& seq.* Tum etiam, quia in executionibus, & exactionibus pœnarum, nec fiscus, neque alius de iure restituitur, vt per multos Doctores ibi comprobat Farinac. specialiter declarat Oddus Perus. *in tract. de restit. in integ. p*. 1. *q*. 3. *n*. 85. *& seq.*

13 Secundò limitatur conclusio, vt intelligatur in alienationibus non necessariis: alienationes enim necessariæ factæ ab hæretico, seu ab illo, cui sunt bona publicata, & cui est interdicta bonorum suorum administratio, reuocari non possunt à fisco; eo quòd hæ alienationes quasi nomine fisci, & ex præsumpta ipsius voluntate censeantur esse factæ: sic Couarr. 4. *decret*. 2. *p. cap*. 6. §. 8. *n*. 9. Anton. Gomez *tom*. 3. *var. cap. vlt. num*. 4. Bossius *pract. tit. de bon. public. num*. 77. Peregrin. *de iure fisci, lib*. 1. *tit*. 1. *n*. 166. *&* 176. Sanchez *lib*. 2. *cap*. 22. *n*. 55. Bonacina *disp*. 3. *de contract. q*. 8. *p. vlt*. § 3. *n*. 4. Farinacius *de hæresi, q*. 190. *n*. 87. *& q*. 164. *n*. 96. & alij apud ipsos: & licèt Gabr. Quemada *q*. 7. *n*. 6. *& seqq.* videatur ab hac opinione dissentire: at illam iudicat æquiorem; & fauet *l. alienatione*, 13. *C. famil. ercisc.* ibi, *alienationes post iudicium acceptum, interdictæ sunt dumtaxat voluntariæ*. Ergo ex causa necessaria censentur concessæ.

Quæ autem alienationes reputentur necessariæ, hæ sunt, Prima, quando hæreticus expendit bona sua, vt creditoribus satisfaciat, quia tunc facit, quod fiscus facere debebat. *l. sed neque illud. ff. de solut.* & tradit Bart. *in l. post contractum. n*. 17. *ff. de donat.* & ibi Imola *n*. 9. Paul. de Montepico *n*. 76. Farinac. *de hæresi, q*. 190. *n*. 87. *& de falsit. q*. 164. *num*. 97. Sanchez *lib*. 2. *cap*. 22. *n*. 56. Secunda est, si facta fuit alienatio ad effectum se & familiam suam alendi, quia vsque sententia criminis declaratoria existit, ipsemet fiscus alere debet delinquentem ex bonis suis: sic Bart. *ibi num*. 12. Montepico *num*. 44. 71. *& seq. &* 74. *&* 89. Farinacius *de falsit. num*. 111. *& de hæresi, num*. 87. Sanchez *num*. 56. Tertiò si fiat alienatio pro valetudine sui, suorúmque: hæc tanquam alimenta reputantur. Et idem est pro funere, sunt enim hæc ac alimenta necessaria. Farinacius, Sanchez, Paul. de Montepico *locis allegatis*. Quartò, si fiat pro redemptione sui, suorúmque à captiuitate, & carceribus liberatione; quia est grauis necessitas, cui potest delinquens ex bonis actu possessis succurrere. sic Montepico *n*. 79. Bossius *tract. de public. bon. num*. 47. *fine*. Farinacius *de falsit. n*. 113. Quintò, si fiat pro defendenda causa, soluendis Aduocatis extrahendis scripturis; quia defensio propria iure naturæ est concessa. sic Sanchez *n*. 56. Farinac. *de hæresi, q*. 190. *n*. 87. *& de falsit. q*. 164. *num*. 11. & alij apud ipsos. Limitat Sanchez, vt intelligatur de alienatione facta pro expensis litis circa illud crimen, ob quod bona publicantur. At reliqui Doctores eam restrictionem non apponunt, neque est necessaria; si enim ex alio delicto persona delinquentis, aut eius bona periclitantur, iure naturæ defensio illi est concedenda; ac proinde est alienatio necessaria, & non voluntaria. Sextò, neque alienatio reuocatur, si fiat pro defendendis, reparandis, & conseruandis bonis, quia in hac defensione, reparatione, & conseruatione negotium fisci facit. sic Farinacius, Sanchez, & Doctores suprà allegati; in supradictis enim ferè omnes conueniunt. In duplici casu est nonnulla difficultas.

14 Primò, si fiat alienatio pro dotandis filiabus, an hęc reputanda sit inter alienationes necessarias; ac proinde nec reuocanda. Negat Sanchez *illo num*. 56. Montepicus

dict. l. post contractum, num. 74. Boſſius *num.* 77. Bonacina *d. disput.* 3. *de contractibus, quaſt.* 8. *punct. vltim.* §. 3. *num.* 4. *propoſit.* 2. quia fiſcus non tenetur dotare filias. Ergo neque delinquens poterit, qui fiſci vices gerit, bona ad eiuſmodi effectum alienare. At credo probabilius alienationem neceſſariam eſſe, & irreuocabilem; quia dos competens, & moderata loco alimentorum ſuccedit, & dos, & alimenta æquiparantur, vt ex pluribus probant Abbas *in cap. cùm haberet, de eo qui duxit in matrim. num.* 5. Tiraquel. *de primogen. quaſt.* 62. *num.* 4. Molin. *de primogen. lib.* 2. *cap.* 15. *num.* 8. Neque obſtat fiſcum publicatis bonis per ſententiam obligatum non eſſe filias dotare, quia etiam non videtur obligatus alimenta præbere: & tamen ante ſententiam alienatio facta pro alimentis filiorum neceſſaria reputatur; ſic de alienatione doris dici poteſt: & ita tenet Farinacius *q.* 190. *de hæreſi, num.* 87. iunctis iis quæ docet *quaſt.* 24. *num.* 46. *&* 47. ad quæ, *in quaſt. de falſit.* 164. *& quaſt.* 116. *de crimine laſa maieſtatis*, ſe remittit. Idem docet Peregrinus *de iure fiſci, lib.* 5. *tit.* 1. *num.* 177. Secundus caſus, in quo eſt aliqua difficultas, eſt in alienatione facta ob benemerita donatarij: videtur hæc donatio neceſſaria non eſſe, cùm gratuita ſit, ac proinde reuocanda, & ita implicitè ſentit Sanchez *illo cap.* 22. *num.* 56. *fine*, quatenus dicit extra cauſas ibi enumeratas nullam aliam neceſſariam eſſe, in quibus cauſis hanc non memorat. Cæterùm ſatis probabile credo alienationem remuneratoriam neceſſariam eſſe; ac proinde non reuocandam, tradit expreſsè Farinacius *de falſitate, quaſt.* 164. *num.* 118. Probo, quia remunerari merita licèt non ſit obligatio iuſtitiæ, eſt tamen gratitudinis obligatio, quæ omnino decet virum probum, & honeſtum; ſed cuilibet neceſſarium eſt debito honeſtatis ſatisfacere, ex quo non ſatisfacto læditur eius honor, & bona apud homines æſtimatio. Ergo. Debent tamen merita aliunde quàm ex confeſſione donantis conſtare; aliàs præſumetur fraus, vt bene Farinacius *ibi.* & tradit Bertaz. *conſ.* 447. *n.* 13. *&* 14. Mantica *de tacita, & ambigua conuent. lib.* 13. *tit.* 39. *n.* 17.

15 Tertiò limitatur, vt non reuocetur alienatio facta à marito bonorum vxoris hæreticæ conſtante matrimonio acquiſitorum, quando ignarus fuit tale crimen eſſe commiſſum; quia durante hac ignorantia non amittit maritus horum bonorum adminiſtrationem. Ergo validè alienat, ſicut ſi vxor hæretica non fuiſſet: decidíque videtur in noſtro regno, *l.* 5. *tit.* 9. *lib.* 5. *compilat.* ibi, *Y otro ſi que los bienes que fueren ganados, y mejorados, o multiplicados durante el matrimonio entre el marito y la mujer que no fueren caſtrenſes, ni caſi caſtrenſes, que los pueda enajenar el marido durante el matrimonio, ſi quiſiere ſin licençia, ni otorgamiento de ſa mujer, y que el contracto de enajenamiento vala, ſaluo ſi fuere probado, que ſe fiço cautelоſamente por defraudar, o damnificar a la mujer.* Ex quibus verbis ſatis conſtat manifeſtè alienationem horum bonorum validam eſſe, quoties probatum non fuerit in fraudem vxoris fuiſſe factam. At ſi à fiſco probetur in fraudem vxoris fuiſſe factam, reuocabit vtique donationem, quia ſuccedit iuri vxoris, quæ ob hanc cauſam poterat alienationem factam reuocare. ſic Simancas *tit.* 9. *num.* 83. Vaſquez 1. 2. *diſp.* 169. *num.* 15. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 21. *n.* 43. Matienz. *in ſupradict. l. gloſſa* 6. *num.* 2. vbi in regno Burgundiæ, & Franciæ eandem eſſe conſuetudinem teſtatur ex Caſſaneo in conſuetud. Burg. *rubr.* 4 §. 3. *in princ.*

16 Solùm eſt dubium, an ſub hac poteſtate alienandi, ſolus contractus oneroſus, non gratuitus intelligatur. Validiſſimis argumentis pro vtraque parte hanc quæſtionem tractat Matienz. *in ſupradict. l.* 5. *gloſſa* 6. Placet mihi eius reſolutio. Abſolutè alienationes gratuitas ſub nomine alienationis non comprehendi, ſed eſſe cenſendas in fraudem vxoris factas, ac proinde reuocandas. Si enim maritus venderet (vt inquit Matienz.) aliquam rem pretioſam vxoris vili pretio, in fraudem vxoris cenſeretur facta venditio, à fortiori donatio in fraudem vxoris cenſenda eſt facta, ex *l. ſi quis donationis cauſa, ff. de contrahend. empt.* Ridiculúmque eſſet diſponere, quòd mulier dimidiam habeat partem bonorum acquiſitorum, ſi poſſet maritus nullos habens filios ea omnia bona ſuis conſanguineis donare: limitat autem, & bene, Matienz. *num.* 14. ſuam ſententiam. Primò præterquam ſi maritus ad filias communes dotandas, vel alimentandas, vel ad alias neceſſarias cauſas donationem feciſſet. argument. textus *l. filiusfamilias, ff. de donat.* ibi, *quid ergo, ſi iuſta ratione motus donet, nunquid poſſit dici locum eſſe donationi? quod magis probabitur.* dicit ibi gloſſa, *in verbo iuſta ratione*, vt matri, vel ſimilibus coniunctis perſonis donare poſſit. Secundò limitat in donationibus moderatis, quas perſonæ ſuæ qualitatis, & officij præſtare ſolent, quia hæ in vtilitatem vxoris cedere etiam videntur, vel ad alienationem neceſſariam omnino reduci. Neque diſſentit Thomas Sanchez *lib.* 2. *cap.* 22. *num.* 44.

17 Verùm ſi maritus conſcius fuerit criminis vxoris, Simancas, & Vaſquez *locis citatis*, reputant fiſcum reuocare alienationem poſſe eo modo, quo poſſet reuocare, ſi ipſa poſt mortem mariti, & poſt commiſſum crimen alienaſſet; nullam pro ſe adducunt rationem. At ea eſſe poteſt, quia ratione ſcientiæ videtur marito administratio illorum bonorum interdicta. At longè verius eſt probata ſcientia in marito criminis vxoris reuocari alienationem: non quia interdicta ſit marito ſcienti crimen vxoris bonorum vxoris adminiſtratio; hoc enim nullibi conſtat; imò potius tacitè permittitur conceſſa communicatione bonorum vſque ad ſententiam declaratoriam criminis, *l.* 10. *tit.* 9. *lib.* 5. *recopilat.* ſed quia tali ſcientia probata præſumitur maritum in fraudem fiſci bona vxoris alienaſſe, tanquam rem in fraudem fiſci alienatam, fiſcus eam reuocare poteſt. Quocirca ſi hæc præſumptio alia præſumptione validiori vincatur, qua probetur alienationem factam non fuiſſe in fraudem fiſci, ſed ex alia cauſa neceſſaria, & conuenienti gubernationi domus, nullo modo erit reuocanda. ſic Sanchez *lib.* 2. *cap.* 22. *num.* 45.

18 Quòd ſi maritus in hæreſim incidit, ob quam eius bona fuerunt publicata, & fiſco incorporata, ſi poſtea reconcilietur, cenſet Thomas Sanchez *num.* 46. alienare poſſe dimidiam partem bonorum, quæ conſtante matrimonio vxori contigerat in diuiſione facta; quia nullibi conſtat ob paupertatem amiſiſſe ſocietatem bonorum, & illorum adminiſtrationem. Item bona à viro reconciliato parta cum vxore ſunt diuidenda. Ergo ſocietas bonorum poſt condemnationem manet integra. Cæterùm probabilius credo oppoſitum. Moueor, quia facta condemnatione viri, & bonis eius publicatis, illa dimidia pars bonorum acquiſitorum ita vxori adiudicatur, vt illius propria ſit, neque viro communis, neque cum illo iterum diuidenda; aliàs ex condemnatione viri vxor in propriis bonis pateretur detrimentum. Quapropter ſocietas in illis bonis iam diſſoluta eſt, etſi firma maneat in acquirendo. Neque obinde ſit illius partis non habere adminiſtrationem: habet enim vtique; ſicut habet adminiſtrationem dotis, & bonorum paraphernalium, quæ propria vxoris ſunt, & in quibus vir non communicat; non tamen habet adminiſtrationem, vt de illis tanquam de bonis communibus diſponere poſſit. ſic docent Azeuedo *lib.* 5. *recopilat. tit.* 9. *l.* 5. *num.* 17. Vaſquez *de legib. diſp.* 169. *cap.* 2. *num.* 16. Simancas *de cathol. inſtit. tit.* 9. *num.* 87.

19 Quartò limita in alienatione facta poſt delictum, hæc enim ſunt, quæ reuocari poſſunt. Nam ante delictum

ctum factæ, nisi fiant in fraudem fisci, (de quo infrà) reuocari nullatenus possunt; quia non est, vnde infirmentur, cùm tota ratio reuocationis ex delicto proueniat. sic omnes Doctores, & notauit Anton. Gomez 3. *variarum, cap.* 14. *num.* 4. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 22. *num.* 31. Bonacina *de contractibus, disput.* 3. *quæst.* 8. *punct. vlt.* §. 3. *num.* 2. Quod intelligendum est de alienationibus de se validis. Nam si ante delictum inualide rem alienasti, commisso delicto poterit fiscus ea sic alienata repetere, quia succedit in omnibus tuis iuribus. Ex quo fit, si vxor aliquid alienauit sine licentia viri, & pupillus & minor sine licentia tutoris. In quibus casibus alienationes sunt nullæ ipso iure, si post alienationes in hæresim incidunt, fiscus sic alienata recuperabit, quantumuis fuerint iuramento firmatæ. sic probat Simancas *de catholic. institut. tit.* 9. *n.* 57. Farinac. *de hæresi, q.* 190. *num.* 83.

20 Quintò limitat Sanchez *lib.* 2. *cap.* 22. *num.* 47. cum Bossio *practic. tit. de bonorum publicat. num.* 76. Scaccia *de iudic. lib.* 1. *cap.* 98. *num.* 17. vt non procedat in casu quo tertius possessor possideret bona, ex pacto publico Principis, vel officialis, qui absolutionem reo concessisset: tunc enim (inquiunt) alienationes factæ ab ipso reo sic absoluto, & ante noui processus renouationem firmæ manerent; neque reuocari possent, etiamsi postea vitium publicationi subiectum detegeretur: quia videntur factæ ex consensu, & voluntate fisci, qui eas reuocare debebat. At hoc intelligendum existimo, dummodo vitium, quod detegitur, sit illud, à quo per potestatem publicam fuit absolutus. Nam si aliud vitium detegitur, ob quod bona publicantur, absolutio supradicta per accidens est, neque potest prodesse, vt alienatio facta firma permaneat. Non enim iudex absoluens ratione absolutionis ab vno crimine intendit delinquentem habilem reddere ex omni capite ad contrahendum, sed solùm ex illo capite, quo est absolutus. Secus verò dicendum esset, si ipsemet Princeps contractum approbaret, quia ratione authoritatis suæ interpositæ videretur velle, vt firmus semper maneret.

21 Hucusque de valida alienatione. Restat dicendum de licito eius vsu. An, inquam, licitum sit ea bona alienare etiam ante sententiam? Videtur enim illicitum esse, tum quia adsunt leges prohibentes has alienationes delinquentibus, quibus bona ipso iure confiscata sunt: tum quia damnum fit possessoribus, à quibus bona vindicari possunt: tum quia fisco præiudicatur, & contra eius voluntatem in tertium transeunt possessorem. sic Angles *floribus* 2. *p. quæst. de restrict. legis pœnalis, in princ. concl.* 2. solùm limitat conclusionem, casu quo fisco nullum detrimentum adesset. Idem docet Ioan. Medin. *de restitut. quæst.* 1. §. *post rerum dominium, versic. ad propositum igitur.* Sayrus *in claui regia, lib.* 3. *cap.* 9. *num.* 30.

22 Cæterùm probabilius est nullam culpam adesse in hac alienatione, siue gratuita sit, siue onerosa, si possessori nullum inde damnum prouenire possit, aut si ipse prouenturo cesserit: sic pluribus relatis docent Vasquez *de legib. disput.* 171. *cap.* 1. *num.* 1. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 22. *num.* 59. Suarez *de fide, disput.* 22. *sect.* 4. *num.* 4. Bonacina *disput.* 3. *de contractibus, quæst.* 8. *punct. vltim.* §. 3. *num.* 4. Farinacius *de hæresi, quæst.* 190. §. 5. *num.* 82. Salas *de legibus, disput.* 15. *sect.* 5. Ratio est, quia, vt bene expendunt supradicti Doctores, leges publicantes bona, tollunt à delinquente facultatem liberam ea alienandi firmiter, & irreuocabiliter: at alienationem reuocabilem non prohibent, siquidem delinquentibus possessionem bonorum suorum relinquunt, & in communiori, probabiliorique sententia illorum vtile dominium. Ergo ex parte legum illicita esse non potest alienatio. Restat ergo, vt solùm illicita esse possit, si aliqua fiat iniuria, & nocumentum personæ, cui bona tribuuntur, vel fisco, cui sunt obligata. Et quidem si alienatio sit gratuita, nullum inde pati potest donatarius nocumentum, regulariter loquendo. Nam si vindicetur, nihil ex propriis amittit; si autem alienatio sit onerosa, & delictum sit ita occultum, vt nullum adsit periculum deueniendi ad forum externum; nulla est iniustitia: quia tunc censetur alienare rem, ac si nullo vitio esset affecta, quia sic moraliter reputatur. At si adsit periculum, & taceat alienans, clarum est iniustitiam committi, quia alienat rem vitiosam tacito vitio; alienat quippe rem expositam vindicationi, tacendo sic expositam esse: sicut si rem alteri hypothecatam, tacita hypotheca alienaret contractu oneroso, peccaret sanè. Excipe tamen, nisi apud se retineret alia bona non confiscanda, quibus possessori integrè satisfacere posset, casu quo alienata vindicarentur, vel vitium, & periculum alienans manifestaret, vt sic cognoscens cedere censeatur, quia his casibus cessat, vt de se constat, tota ratio iniuriæ, & iniustitiæ. Ex parte fisci nulla oriri potest culpa in tali alienatione, nisi in fraudem ipsius fuerit facta, quia fisco non minuitur ius acquisitum ob alienationem: semper enim alienata transeunt fisco obligata; & fiscus ea repetere potest in quocumque possessore existant. Quòd si aliquando contingat ex alienatione rem perire, & fiscum ea priuari, id est per accidens, neque enim delinquens tenetur curare, vt res illa conseruetur, quia non est fisci procurator constitutus; solùm enim obligatus est, ne in fisci fraudem alienationem faciat, quod tunc contingit, quando nulla intercedente honesta causa alienandi alienat, ne ad fiscum possit alienatum peruenire.

23 Ex his fit, si causa dotis, vel titulo nuptiarum rem obligatam fisco alienes, & adsit periculum, vt à fisco repetatur, nec conscium facias periculi recipientem, peccas grauiter. sic Bonacina *suprà*. Secundò fit, si vendas rem supradicto periculo expositam, tacito vitio te grauiter peccare, neque à peccato excusari; etiam si vendas ad alimenta, résque necessarias, & etiamsi pretium retineas: quia hæc non excusant emptorem à graui molestia, & sumptibus faciendis in probando pretium à se datum apud te retineri, vel in res necessarias consumptum esse: sic aliis relatis docuit Sanchez *num.* 64. & 65.

PVNCTVM XX.

Quem modum seruare fiscus debeat in his alienationibus rescindendis, & bonis sic alienatis recuperandis.

1 *Si pretium formaliter, vel æquiualenter in potestate delinquentis existit, reddi debet à fisco, cum alienatio rescinditur.*

2 *Dicatur ne pretium stare, si delinquens consumpsit in vitæ necessariis? Alij affirmant, alij negant. Conciliantur sententiæ.*

3 *Onus probandi pretium in vtilitatem delinquentis versum esse, non fisco, sed prætendenti sibi restitui incumbit.*

4 *Non tenetur fiscus in hoc casu contractum rescindere.*

5 *Quid si pretium non probatur in vtilitatem delinquentis versum esse, poterit ne fiscus rescindere alienationem nullo pretio restituto? Negant aliqui.*

6 *Probabilius est non esse obligatum pretium restituere: tametsi possessor bona fide contractum celebrauerit.*

7 *Satis*

7 *Satisfit oppositis rationibus.*
8 *Fiscus vindicat rem cum augmento illi coniuncto solutis expensis, secus cum augmento separato.*
9 *Quid dicendum de fructibus perceptis.*
10 *Quando censeatur possessor fructus mala fide consumere, vt sic possent à fisco vindicari.*
11 *Nullo modo fiscus vindicare potest fructus, qui ex re percipi potuissent.*
12 *Excipe, nisi possessor iniusto titulo rem à delinquente accepisset.*

1 QVa in re tres difficultates occurrunt. Prima, an debeat aliquid dari, vel relinqui possessori, à quo res alienata vindicatur? Et in hoc omnes conueniunt, si per donationem gratuitam accipit, nullis sumptibus factis nihil esse dandum, vel relinquendum; quia ipse nihil ex propriis amittit, & reuocatio hunc effectum habet, vt res ad priorem statum reducat, efficiátque, ac si nunquam res alienata esset. Si autem contractu oneroso, scilicet venditione accepit, & pretium datum formaliter, vel æquiualenter apud delinquentem existit, illi est reddendum, cùm re vendita priuatur, quia fiscus solùm habet ius dissoluendi contractum, & recuperandi bona, quæ sibi obligata sunt. Ergo non potest habere ius simul occupandi pretium àb innocente datum; quia non est delinquentis, nisi dum contractus factus firmus existit, & res vendita non vendicatur. Quare dissoluto contractu, & re vendita vendicata, debet pretium ad innocentem redire. In his omnes Doctores conueniunt. Solùm excipitur casu, quo emens rem à delinquente conscius fuerit eius delicti. sic Scaccia *de iudic. lib. 1. cap.* 98. *num.* 16. *&* 23. At meritò hanc exceptionem reprobant Vasquez *de legib. disput.* 172. *cap.* 2. *num.* 8. Sanchez alios referens, *lib.* 2. *cap.* 22. *n.* 69. quia nullo iure cauetur: cùm enim emens conscius criminis delinquentis nullum delictum committat in tali emptione, non potest inde tradere occasionem fisco, vt pretio priuetur; nisi fortè probatum fuerit voluisse rem delinquentis ita occultare, vt ad fiscum nequaquam perueniret. quod raro probari potest. Notanter dixi, *si pretium formaliter, vel æquiualenter existit*, quia, moraliter loquendo, perinde est esse apud delinquentem pretium, vel esse illius æstimationem. Erit autem illius æstimatio, si illo soluit creditoribus; aut si vitæ necessaria sibi, suisque suppeditauit; aut aliam rem æquè pretiosam, ac venditam emit; aut res proprias meliorauit, quia tunc ex illo pretio ditior delinquens factus est, ac proinde danti restituendum. sic Simancas *de cathol. instit. tit.* 9. *à n.* 31. Gabr. Quemada *quæst.* 7. *n.* 4. *& seq.* Vasquez *de leg. disp.* 172. *cap.* 2. Sanchez *lib.* 2. *c.* 22. *num.* 70. Suarez *de fide, disp.* 22. *sect.* 4. *n.* 9. dicens esse omnium. Farinacius *de hæresi, q.* 190. *n.* 78.

2 Dubium tamen est, an censeatur stare pretium apud delinquentem, si ex illo res necessariæ ad victum, & vestitum, & ad alia supradicta emptæ sunt, quæ tamen casu perierunt? Affirmat Simancas *illo tit.* 9. *num.* 38. Azor *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 7. *q. vlt. ad fin.* Sanchez *lib.* 2. *cap.* 22. *n.* 71. Bonacina *disp.* 3. *de contractibus, q.* 8. *p. vlt.* §. 4. *n.* 2. *versic. rursus.* Farinacius *de hæresi, q.* 190. *num.* 28. *circa finem*, videtur consentire. Mouentur, quia æquiualenter pretium extat apud delinquentem, quoties propriis bonis ratione illius parcit delinquens: atqui ob pretium receptum pepercit delinquens propriis bonis, quæ necessariò erat consumpturus, si pretium non recepisset. Contrarium defendit Vasquez *de leg. disp.* 172. *cap.* 2. *n.* 9. *&* 10. probat, quia tempore, quo contractus ille rescinditur, non verificatur pretium illud apud delinquentem extare etiam æquiualenter; cùm neque in eius vtilitatem, neque in vtilitatem fisci versum fuerit. Vtraq; sententia veritatem dicit, & facilè conciliari possunt. Si enim ex pretio accepto emisti rem, quam sine dubio emeres, etiamsi pretium non accepisses, credo pretium publicandum non esse, sed reddendum danti, quia ex illius redditione non infertur fiscum minori patrimonio frui, quàm frueretur, si contractus ille qui rescinditur, factus non esset: taléque pretium moraliter censetur existere tempore quo contractus rescinditur, quatenus in tui vtilitatem versum est; siquidem ratione illius propriis bonis, quæ debebas consumere, pepercisti. At si ex pretio accepto emisti rem, quam non emeres, si contractum priorem non celebrasses, neque pretium accepisses; credo tunc non esse restituendum pretium danti, quia absolutè non est verum in tui, vel fisci vtilitatem esse consumptum.

3 Onus autem probandi pretium in vtilitatem delinquentis versum esse, non fisco, sed prætendenti sibi restitui incumbit, quia fiscus ius certum possidet aduersùs omnia bona, quæ in possessione delinquentis reperiuntur. Tu ergo si prætendis hoc ius certum diminuere ob contractum celebratum; probare debes ex tuo pretio delinquentem ditiorem euasisse; aliàs succumbes. ita Azor *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 7. *quæst. vlt.* Vasquez *cap.* 9. *de testam.* §. 4. *dub.* 6. Molin. *tom.* 1. *disput.* 95. *versic. licèt autem.* Sanchez alios referens, *cap.* 22. *n.* 60. *&* 69. Bonacina *disp.* 3. *de contract. q.* 8. *p. vlt.* §. *vlt. n.* 2. Modus autem probandi pretium conuersum esse in vtilitatem delinquentis est, non testimonio ipsius delinquentis tantùm, sed aliunde, scilicet ex aliquibus coniecturis, quibus verosimiliter colligatur prudentis arbitrio pretium versum esse in vtilitatem delinquentis. sic Simancas *de catholic. instit. tit.* 9. *à n.* 39. & ex illo Sanchez *lib.* 2. *cap.* 22. *num.* 72. Farinacius *de hæresi, quæst.* 190. *num.* 28. *circa finem.*

4 Aduerto tamen in hoc euentu liberum esse fisco contractum non rescindere, quia, vt suprà dixi, validus est contractus, & potestas rescindendi illum, fisco est concessa, vt priuilegium, quo possit vti, non vt obligatio, qua vti teneatur. sic expressè Suarez *disp.* 22. *de fide, sect.* 4. *num.* 9.

5 Controuersia ergo in eo consistit, an rem tibi à delinquente venditam possit fiscus à te vendicare, nullo restituto pretio, quando non probas pretium in delinquentis vtilitatem cessisse. Negant Alciat. *in l. post contractum, num.* 21. *& sequentib. ff. de donationibus.* Roman. *num.* 3. Imola *num.* 1. Cynus *in l. fin. C. ad legem Iuliam maiest.* & alij relati per Sigismund. Scaccia *tractat. de iudic. cap.* 98. *num.* 13. *in princip.* Et probari potest, quia secundùm probabiliorem sententiam contractus ille emptionis, & venditionis validus fuit, licèt veniat rescindendus. Ergo communicauit emptori dominium rei venditæ à delinquente. Ergo emptor priuari illa non potest, nisi pretio restituto. Probo hanc vltimam consequentiam; quia res illa, licèt sit obligata fisco, non tamen est fisci, sed possidentis. Ergo ius possidentis vtpote in re præualere debet iuri fisci, quamuis sit antiquius. Et confirmo ex eo quòd res alienata à delinquente obligata sit fisco, solùm infertur posse fiscum rescindere contractum factum, & efficere, ac si factus non esset. Sed ex tali rescissione sequitur pretium in omni euentu reddendum esse emptori, aliàs non rescinditur contractus venditionis, & emptionis, si vtrique parti non redditur alienatum ab ipsa, sed est rescissio contractus donati, in qua rescissione occupatur donatum, nulla re donatario tributa.

6 Cæterùm tenendum est tanquam probabilius non esse obligatum fisco in supradicto casu reddere pretium possidenti, sed posse rem sibi integrè vindicare. sic docent post alios antiquiores Simancas *de cathol. institut. tit.* 9. *num.* 27. Anton. Gomez *tom.* 3. *var. cap.* 2. *n.* 2. Gabr. Quemada *q.* 7. *n.* 1. Sigismund. Scaccia *de iud. c.* 98. *num.* 13. *vers. contrariam sententiam.* Ioan. Azor *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 7. *q.* 8. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 22. *num.* 68. Suarez *de fide, disp.*

disp. 22. sect. 4. num. 9. Farinacius *de haresi, quast.* 190. *n.* 76. & *de falsit. quast.* 164. *num.* 90. *iuncto num.* 93. Ratio est, quia bona hæretici, & cuiusuis delinquentis, quæ ipso iure ob delictum publicantur, à die commissi delicti sunt fisco obligata, & hypothecata. Ergo cum hac obligatione alienata sunt. Ergo valet fiscus ea repetere, & vindicare vbicumque inuenerit, etiam non soluto pretio pro tali vendicatione: si pretium inter bona delinquentis non existit. Probo hanc consequentiam, quia tunc fiscus deberet dare pretium ex propriis bonis: at si fiscus teneretur possidenti rem dare ex propriis pretium pro rei vindicatione, non vindicaret rem tanquam sibi obligatam; sed illam absolutè emeret. Ergo dicendum est posse absolutè vindicare rem sibi debitam nullo pretio soluto. Et confirmo. Possessor illius rei fisco obligatæ illam possidet eo modo, ac possidebat delinquens, quia ius, quod delinquens habebat, idipsum, & non aliud in possessorem transtulit, sed delinquens ita possidebat rem, vt nullo pretio accepto pro ipsa poterat à fisco occupari. Ergo similiter dicendum est fieri posse in possessore, cùm pretium datum à possessore neque formaliter, neque æquiualenter existit. Quod verum habet, etiamsi possessor bona fide possederit, & contractum celebrauerit, ignarus prorsus criminis delinquentis; quia bona fides non tollit rem alienatam obligatam esse fisco. Neque tollit pretium consumptum esse sine vtilitate fisci: quæ est causa, quare illi non redditur, cùm res empta vendicatur. sic Scaccia *de iudic. cap.* 98. *num.* 15. Azor *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 7. *quast.* 8. *ante finem, vers. deinde quares.* Farinacius *de haresi, quast.* 190. *num.* 76 *fine*, Suarez *de fide, disp.* 22. *sect.* 4. *n.* 9. *fine.*

7 Neque argumenta contraria vrgent. Admitto in possidentem translatum esse dominium vtile rei, sicut delinquens habebat. At si delinquens habebat ius reuocabile, & vindicabile à fisco, ita possessor; cui iuri, vtpote antiquiori, prædicari non potuit alienatione onerosa: præiudicatur autem maximè, si fiscus obligaretur ex propriis pretium soluere pro re, quam à delinquente liberè poterat vindicare. Ad confirmationem dico fiscum rescindere contractum ex vtraque parte, etiamsi pretium non soluat, quia non soluit, eo quòd casu perierit: per se autem obligatus erat soluere, si in bonis delinquentis exitteret.

8 Secunda difficultas est, an vindicet fiscus à tertio possessore bona delinquentis, cum quolibet augmento in eis facto?

Respondeo si augmentum sit à re separatum, vel illi tantùm affixum, vt ianua, fenestra, lapis pretiosus, & similia, nullo modo ex publicatione, & vendicatione rei fisco obligatæ hoc augmentum vindicatur, sed possidenti cedit; quare si res sine tali augmento vindicari non potest, reddendus est possidenti valor illius, quia ille possidentis est, & non domino rei cedit, vt tradunt Doctores statim allegandi. At si augmentum sit intrinsecum rei fisco obligatæ, neque ab illa separabile, vindicari poterit solutis expensis, si quæ sunt factæ. Ratio est, quia res illa est obligata fisco, & consequenter meliorationes illius ad fiscum pertinent, sed quia hæ meliorationes expensis, & industria possessoris acquisitæ sunt, debet fiscus eas soluere; quia non est æquum innocentis labore fiscum locupletari: sic docent Vasquez 1. 2. *disput.* 172. *cap.* 1. *num.* 1. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 23. *num.* 204. Suarez *disput.* 22. *de fide, sect.* 4. *num.* 10.

9 Tertia difficultas est de fructibus, qui ex rebus confiscatis proueniunt à die commissi criminis, vsque ad sententiam. An, inquam, ij vindicentur à fisco? Constat vindicari, si reperiantur existere apud tertium possessorem formaliter, quia tales fructus cedunt domino rei, & cùm res pertineat ad fiscum quo ad dominium directum, ipsámque fiscus ratione illius vindicare possit, potest & fructus. Et confirmo. Tertius possessor non habet aliud ius in illis fructibus, quàm haberet delinquens, cùm loco delinquentis succedat. Sed delinquens non posset impedire occupationem illorum fructuum. Ergo neque tertius ille possessor: & ita tenet Vasquez *suprà num.* 3. & 4. Sanchez *num.* 194. & 197. Suarez *num.* 11. At si solùm æquiualenter reperiantur existere, eo quòd ditior ex illis possessor factus est, si fructus fuerunt naturales, publicationi subiicientur secundùm omnes, quia procedunt ex re confiscata; ac proinde sub ea ratione fisco debita, & consequenter debiti fructus moraliter ex illa prouenientes, & existentes. Si industriales fructus fuerunt, probabile satis est publicationi non subiici, si possessor illos consumpsit bona fide. Nam si fructus rei alienæ industriales consumptos non tenetur possessor bonæ fidei restituere; esto illarùm consumptione ditior factus sit secundùm probabilem sententiam, vt videre est in Sanchez multis allegatis, *lib.* 2. *cap.* 23. *num.* 76. à fortiori non tenebitur restituere fructus industriales consumptos ex re fisco obligata, quia absolutè non sunt fructus rei alienæ, sed propriæ possidentis. Et potiori ratione censeo de fructibus ex melioratione rei per possessorem facta, quia illi fructus non videntur ex re aliena, sed propria possidentis, cuius est melioratio, nasci. Quòd si fructus siue naturales, siue industriales ita à possidente consumpti sint, vt nec æquiualenter remaneant, communiter Doctores distinguunt, si mala fide consumpti sunt, poterunt à fisco vendicari; si bona fide, nullo modo. Priorem partem probant, quia tunc est iniustitia commissa aduersùs fiscum dissipando rem illi obligatam. Posteriorem probant, quia nulla est ibi iniusta acceptio, cùm sine peccato consumpti sint, neque res accepta existit. Ergo ex nullo capite potest à fisco vindicari.

10 Quòd si roges, quando censeatur possessor mala fide fructus consumere, vt sic possint à fisco vindicari?

Respondet Simancas *de catholic. institut. tit.* 9. *num.* 58. & 59. Vasquez *disput.* 172. *cap.* 1. *num.* 5. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 23. *num.* 199. contingere quoties possessor agnouit alienantis delictum. Nam eo ipso agnouit rem sibi traditam fisco obligatam esse, cui obligationi satisfaciendi se subiecit, cùm rem illam accepit. Cæterùm credo in præsenti casu non oriri malam fidem in possidente ex hac scientia. Nam hæc scientia non tollit possessori iustam possessionem illorum fructuum, sicut neque ipsimet delinquenti scientia sui criminis tollit, quominus illa bona iustè possideat. Ergo si deliquens ipse iustè possidet fructus, & bona fisco obligata, dum per sententiam non priuatur, à fortiori possidebit tertius possessor innocens. Ergo fructus ex tali scientia consumpti, non debent reputari consumpti à possessore malę fidei, sed bonæ; ac proinde non debent publicationi esse subiecti. sic Suarez *disp.* 22. *de fide, sect.* 4. *n.* 13. Tunc autem dicetur delinquens, & tertius possessor mala fide fructus consumere, cùm nulla occasione honesta intercedente consumuntur, ne fiscus eos obtinere possit; quia tunc tanquam in fraudem fisci consumpti repeti poterunt à fisco, & sic repetitos, & non antea tenetur delinquens, & possessor reddere. sic Suarez *suprà.*

11 Hinc infertur nullo modo posse fiscum vindicare à tertio possessore, imò neque à delinquente fructus, qui percipi potuerunt ex re sibi obligata. Nam si fructus perceptos, & consumptos non potest exigere, quia bona fide consumpti sunt, & quia ex ipsius fisci permissione, & facultate videntur consumpti, neque poterit exigere fructus, qui nunquam extiterunt. Adde delinquentem non esse obligatum quærere

emolumentum fiſco, ſed ad ſummum iam quæſitum conſeruare. ſic Bernard. Diaz *in practic.cap.131.num.6.* Sanchez *lib.2.cap.23.n.200.& ſeqq.* Dices, delinquens, ſi rem fiſco obligatam ex propoſito diminuat, & deteriorem faciat, poterit à fiſco condemnari, vt æſtimationem illius ſoluat. Et idem eſt de tertio poſſeſſore, qui ſciens rem ſic eſſe fiſco obligatam, deterioraret. Ergo etiam condemnari poterit in fructibus percipiendis, ſi videat ex negligentia non eſſe perceptos, quia hæc omnia videntur in fraudem fiſci facta eſſe. Admitto antecedens, ſicuti illud admiſit Suarez *diſp.22.de fide,ſect.4.num.10.* & nego conſequentiam. Ratio diuerſitatis eſt, quia res ipſa cùm ſit penes delinquentem, cùm delictum committit, eſt fiſco obligata, ac hypothecata; at fructus poſſibiles hanc obligationem, & hypothecam non habent.

12 Verum eſt tamen, ſi hic tertius poſſeſſor, non titulo iuſto, ſed iniuſto, furto, inquam, vel rapina rem obligatam fiſco à delinquente acciperet; poſſet tunc fiſcus fructus percipiendos ex illa re à delinquente, exigere à poſſeſſore, quia ipſe delinquens hos fructus poterat à poſſeſſore exigere; & cùm fiſcus ſuccedat iuribus delinquentis, ſuccedit in poteſtate exigendi hos fructus. ſic Sanchez *lib.2.cap.23.n.205.*

Pvnctvm XXI.

Valeat ne alienatio facta à delinquente, cuius bona non publicantur ipſo iure, ſed per ſententiam, ita vt à fiſco reuocari non poſſit.

1 *Delictum, de quo loquimur, eſt illud, ratione cuius vel omnia bona, vel præcipua illorum pars publicari poteſt.*

2 *Valida eſt talis alienatio, quouſque non reuocatur à fiſco, tametſi in illius fraudem fuerit facta.*

3 *Huiuſmodi alienationes ante delictum, ſi in fraudem fiſci factæ non ſint, validæ ſunt irreuocabiliter.*

4 *Poſt delictum ante ſententiam valent eodem modo.*

5 *Limitant aliqui DD. niſi poſtea ſententia condemnatoria ſequatur. Sed non admittitur.*

6 *Secundò limitant caſu quo lis conteſtata non ſit, aut accuſatio non ſit firmata. Sed repellitur limitatio.*

7 *Tertiò limitant, niſi lis pendeat in contumacia. Sed neque hæc placet.*

8 *Alienationes factæ poſt ſententiam condemnatoriam, à qua appellatum non eſt, reuocari poſſunt.*

9 *Alienatio in fraudem fiſci reuocari poteſt.*

10 *Quomodo probetur fraus, examinatur.*

11 *Vt fraus ante delictum præſumatur, probandum eſt tempore alienationis adeſſe cauſam impellentem ad delictum.*

12 *Alienatio omnium bonorum ante delictum non eſt ſufficiẽs ad probandam fraudem.*

13 *Neque item eſt ſufficiens indicium ad probandam fraudem alienatio fundi, in cuius poſſeſſione alienans exiſtit, & fructus percepit.*

14 *Item neque eſt ſufficiens indicium alienationem clandeſtinè factam eſſe.*

15 *Item neque eſt ſufficiens delictum poſt alienationem ſequi in continenti.*

16 *Quibus indicijs manifeſtè fraus præſumatur.*

17 *Poſt delictum commiſſum qualibet ex ſupradictis coniecturis, eſt ſufficiens indicium ad fraudem præſumendam.*

18 *Vt donatio tanquam in fraudem facta reuocari poſſit, non eſt neceſſe donatarium participem eſſe fraudis. Secus verò in alienatione ex contractu oneroſo.*

19 *Reijcitur Anton. Gomez, exiſtimans quoties præſumitur fraus ex parte alienantis, præſumi etiam ex parte alienatarij.*

20 *Fiſcus reuocat alienationem in ſui fraudem factam, non ſolùm quoad rei ſubſtantiam, ſed etiam quoad fructus in illa pendentes.*

21 *Non poteſt fiſcus reuocare alienationes factas in ſui fraudem via executiua, ſed ordinaria, quando res tranſiatæ ſunt in tertium poſſeſſorem.*

1 PRæmitto primò, loqui nos poſſe de alienatione facta à delinquente ante delictum commiſſum, vel poſt delictum commiſſum, & ante ſententiam, vel poſt ſententiam datam.

Secundò præmitto. Delictum, ratione cuius dubitatur, an alienatio facta reuocari poſſit, & ſolùm illud ratione cuius bona omnia, vel pars principalis illorum publicanda veniunt; quia ſola hæc publicatio poteſt alienationem infirmare, vt ſibi cõtrariam: ſic poſt alios antiquiores, *in l.poſt contractum, 15.ff.de donationib.* tradit Montepicus *num.6.* Alciat. *initio.* Peregrinus *de iure fiſci, lib.5.tit.1.n.153.* Gregor. Lopez *l.2.tit.4.p.5. verbo debe morir.* Sanchez *lib.2.cap.21 num.2.* Farinacius *de falſitate, q.164.n.61.*

2 Tertiò præmitto alienationem factam à delinquente ante, vel poſt commiſſum delictum, cuius bona non publicantur ipſo iure, etiamſi facta fuerit in fraudem fiſci, validam eſſe, interim dum non reuocatur, quia ratione horum delictorum, & fraudis, non ſunt bona delinquentis ſpecialiter fiſco obligata: vt probat textus *in l.res vxoris, C.de donat.inter vir, & vxor. l.1.C.de pœnu fiſcalib. l.in fraudem, ff.de iure fiſci.* & tradit Montepicus *in dict.l.poſt contractum, num.77.* Farinacius *num.63.& 66.* plures referens Sanchez *num.26.* Anton. Gomez *tom.3. cap.14.poſt medium.* Excipitur tamen, niſi alienatio fuerit rei irreuocabilis, v.g. libertatis ſeruo conceſſæ, quia hæc facta in fraudem fiſci ipſo iure annullatur, eo quòd ſemel data reuocari nullatenus poſſit. *Inſtit. qui manumittere poſſunt, §.ſemel.* Aliàs fiſcus non ſatis ſibi proſpiceret. ſic Sanchez alios referens *num.35.* Facta autem condemnatione, & publicatione bonorum, ratione cuius delinquenti interdicitur libera bonorum adminiſtratio: adhuc exiſtimo probabilius alienationem ipſo iure validam eſſe, ſicut diximus valere poſt delictum, cuius bona ipſo iure publicantur; quia dum delinquens in poſſeſſione ſuorum bonorum relinquitur, poteſt eam poſſeſſionem in alium transferre, & ius ſibi competens abdicare. at non eſt valida firmiter, ſed infirmiter, & irreuocabiliter; quia eſt de bonis fiſco iam addictis, & publicatis, ſicut de alienatione illius, cuius bona ſunt ipſo iure publicata, dictum eſt. Nam idem eſt quo ad valorem alienationis, & illius reuocationem, eſſe delinquenti interdictam ſuorum bonorum adminiſtrationem, vel eſſe ipſius bona ipſo iure publicata, vt notauit Anton. Gomez *tom. 3. variarum, cap.14. num. 4.* Boſſius *pract.tit.de bon.public. n.76.* Sanchez *lib.2.cap.22. num.32.* Peregrin. *de iure fiſci, lib.5.tit.1.num.175.* & alij apud ipſos.

3 Quocirca difficultas eſt, an alienationes factæ à delinquente ſupradicto, cuius bona non publicantur ipſo iure, neque ſpecialiter bonorum adminiſtratio interdicitur, ſint validæ firmiter, & irreuocabiliter?

Sic validas eſſe, ſi ante delictum fiant, & non in fiſci fraudem, pro regula firmandum eſt, cum Farinac. innumeros referente, *quæſt.164.de falſit. num.1.* & deciditur *in l.ſi quis poſthac, 9.§.ſi quid etiam, C.de bonis damnat.* ibi, *ſi quid etiam in emancipatos liberos, ante tempus criminis, ac reatus patrem contuliſſe claruerit, integrum eiſdem citra inquietudinem reſeruetur.* conſentit *l.regia, 2.tit.4.part.5.fine.* Ratio eſt manifeſta, quia ante delictum ſecluſa fraude non competit fiſco ius, neque aduersùs delinquentem, neque aduersùs eius bona. Ergo non eſt, vnde poſſit

aliena

alienatio tunc facta infirmari, & à fisco reuocari. Et confirmatur, quia futuris creditoribus non competit ius infirmandi alienationes factas à debitore ante debitum contractum, nisi in eorum fraudem probentur factæ. Minus ergo fisco competere potest, qui de lucro captando agit.

4 Post delictum commissum, & ante sententiam valet alienatio, nec reuocari potest, siue titulo oneroso, siue gratuito facta sit; nisi in fraudem fisci probetur facta. sic tenent post alios antiquiores, quos referunt Anton. Gomez *tom. 3. variarum, cap. 14. num. 4. in medio.* Peregrin. *de iure fisci, lib. 5. tit. 1. num. 178.* Scaccia *lib. 1. de iudic. cap. 98. num. 21.* Sanchez *lib. 2. cap. 21. num. 32.* Farinacius *de falsitate, quæst. 164. num. 2.* Bonacina *disput. 3. de contractibus, quæst. 8. punct. vlt. §. 2. num. 1.* Ratio est, quam adducit Anton. Gomez in supradicto loco. quia propter tale delictum non est sublata delinquenti bonorum administratio, vt habetur *l. aufertur, ff. de iure fisci.* Neque eius bona sunt fisco obligata, & hypothecata. *l. res vxoris, C. de donat. inter vir. & vxor. l. 1. C. de pœnis fiscalibus.* Ergo non est, vnde alienatio infirmari possit, cùm solum aduersùs delinquentem detur ex delicto actio, & accusatio, non aduersùs bona, ante delictum alienata. *l. fin. §. fin. ff. de contrah. empt.*

5 Limitant tamen aliqui primò hanc doctrinam, vt procedat casu, quo sententia condemnationis non sequatur: illa enim secuta affirmant alienationem factam post delictum inualidam esse, & reuocari posse. sic tradit Odofred. *in l. post contractum, ff. de donationib. num. 2. & seqq.* fauet Gadin. *tit. de bonis malefact. num. 5. versic. & ideo dominus.* Ancharan. *consil. 251. ex his quæ superius sunt narrata, num. 2. versic. præsupposito.* Mouentur, quia supradicta *lex, post contractum,* inquit, *post contractum capitale crimen donationes factæ valent constitutione diuorum Seueri, & Antonini, nisi condemnatio sequuta sit.* Ergo secuta condemnatione non valent factæ post delictum, quocumque tempore factæ sint: quem modum explicandi textum (inquit Farinacius *quæst. illa 64. num. 8.*) esse multum litteræ illius textus conuenientem.

Cæterùm hæc limitatio communi Doctorum sententia repellitur, vt testatur ipsemet Odofredus *in l. post contractum, ff. de donat. num. 2. & seqq. versic. vnde existo;* & eam absolutè repellit Bart. *dict. l. post contractum, in princip.* Cuman. *num. 1. col. 2. versic. in glossa sequuta.* Paul. de Montepico *num. 78.* Clarus *in practic. §. fin. quæst. 78. num. 15.* Sanchez *num. 33.* Anton. Gomez, & Bonacina *suprà.* Probant quia supradicta lex *post contractum*, absolutè decidit donationes factas post capitale crimen valere firmiter, & irreuocabiliter, cùm verò subiungit, nisi condemnatio secuta sit, non intendit ex condemnatione postea secuta donationes ante condemnationem factas infirmari, sed intendit dicere donationes factas post commissum delictum, taliter quod iam condemnatio secuta sit, minimè valere. Quòd autem hic intellectus sustinendus sit, præterquam quòd communis est, negari non potest esse satis probabilis, & textui conformis. Ergo præferendus est, quia valorem actus defendit. Deinde hac ratione conuincitur donatio post commissum delictum, & ante sententiam, vel est valida irreuocabiliter, vel non? Si valida est irreuocabiliter, ex superueniente sententia reuocari nullatenus potest. Si autem non est irreuocabiliter valida, reuocari poterit, etiamsi condemnatio non sequatur, quod est contra supradictam legem, & omnes. Ergo affirmandum est eius valorem non pendere ex condemnatione postea contingente.

6 Secundò limitant alij valere alienationem post delictum, vt intelligatur, si lis contestata non sit, aut accusatio non sit firmata. Nam si lis contestata est, vel accusatio firmata, docent alienationem reuocari posse: sic glossa *in l. ex iudiciorum, 20. verbo alienare ff. de accusationibus.* Cynus *in l. si quis posthac, num. 2. versic. quando, C. de bonis proscript.* Bald. *ibi num. 2. ad finem.* Salicet. *post num. 4.* Angel. *num. 3.* & alij plures relati à Farinacio *quæst. 164. num. 14. & 19.* Fundamentum esse potest *l. fin. C. de litig.* vbi deciditur rem litigiosam alienari non posse: atqui facta accusatione delinquentis, & præcipuè lite iam contestata, bona eius litigio subduntur, an, inquam, confiscanda sint, vel non. Ergo alienari nullatenus possunt. Verùm neque hæc limitatio admittenda est, sed absolutè affirmandum quocumque tempore alienatio facta sit ante sententiam valere irreuocabiliter, nisi in fraudem fisci probetur esse factam. quia *in supradict. l. post contractum*, solùm excipitur tempus condemnationis: sic alios referentes tradunt Anton. Gomez *tom. 3. variarum, cap. 14. num. 4. versic. si verò, & versic. quod extende.* Clarus *in practic. §. fin. quæst. 78. num. 17. & 18.* Sanchez *lib. 2. cap. 21. num. 32.* Bonacina *disput. 3. de contract. lib. quæst. 8. punct. vlt. §. 2. num. 1.* Farinacius *de falsit. quæst. 164. num. 11. & seqq.* Neque obstat *l. fin.* quia [illegible] principaliter agitur de vindicta delicti, & sic criminaliter non de bonis per contestationem litis, bona non redduntur litigiosa, quia non de ipsis est litigium, sed de delicto puniendo; ac proinde non comprehenduntur in decisione *supradict. l. fin.* vt bene tradit Bart. *in dict. l. post contractum, num. 14.* Imola *num. 1. versic. quarta fuit opinio.* Cuman. *num. 2. versic. sed occurrit dubium.* Montepico *num. 84. in fine.* Farinac. *quæst. 164. n. 13.* Sanchez *n. 32.*

7 Tertiò limitant Montepicus *in dict. l. post contractum, num. 83.* Iacobus de Arena *num. 2. versic. neque obstat.* Paul. de Castro *num. 2. versic. tertius casus.* Sanchez *suprà num. 34.* Bonacina *num. 1.* & alij relati à Farinac. *q. 164. num. 25.* vt intelligatur nisi lis pendeat in contumacia. Nam delinquenti contumaci prohibita est alienatio, ne hoc prætextu possit eius fuga instrui. *l. fin. ff. de requirendis reis.* Sed neque hæc limitatio placet: non enim delinquenti fugitiuo prohibita est alienatio; sed delinquenti contumaci sic per sententiam declarato: vt bene comprobat Menochius *de præsumpt. lib. 5. præsumpt. 124. num. 58. & seqq.* Adde non carere probabilitate posse condemnatum in contumaciam, propter solam contumaciam alienare, secus si legitimis præcedentibus iudiciis fuerit pro delicto condemnatus, licèt contumax: sic relato Peregrino *de iure fisci, lib. 5. tit. 1. n. 182.* docet Farinacius *suprà n. 27.*

8 Quòd si loquamur de alienatione facta post sententiam condemnatoriam, à qua appellatum non sit, omnes conueniunt reuocari posse, ex *supradict. l. post contractum.* ibi; *nisi condemnatio secuta sit.* At si à sententia appellatum fuerit, & ob appellationem illius executio suspensa est, valida est alienatio; ac si sententia lata non fuisset: quia non potest dici lata sententia, quæ non habet effectum. sic docent Sanchez *lib. 2. cap. 21. n. 86.* Farinacius *quæst. 164. num. 24.* Anton. Gomez *tom. 3. variarum, cap. 14. num. 4. post medium.* Bonacina *disput. 3. de contractibus, quæst. 8. punct. vlt. §. 2. num. 3. fine.* Neque obstat pendente appellatione nihil esse innouandum, quia intelligitur nihil esse innouandum in illo, circa quod appellatio pendet. Cùm autem appellatio propriè non sit à prohibita administratione bonorum, sed à delicto administratione bonorum non interdicente, efficitur sanè pendente appellatione administrari bona posse, sicuti poterant ante sententiam, ex *l. postquam, 5. ff. vt legat. seruand. causa caueat.* Quocirca nulla adest causa reuocandi hanc alienationem pendente appellatione; nisi quia in fraudem fisci factam esse præsumitur, quæ fuit causa reuocandi venditionem factam cuiusdam fundi, quem relegatus pendente appellatione pupillo authoritate tutoris vendidit: de quo *in l. chirographis, 38. §. fin. ff. de administr. tut.* Quare cessante hac præsumptione, vt verè cessat, si alienationem probetur

fuiſſe factam ex cauſa neceſſaria, non eſt locus reuocationi. At dum hoc non probatur timore pœnæ imponendæ per ſententiam confirmatoriam præſumitur facta.

9 Dixi ſæpè alienationem factam à delinquente ante, vel poſt delictum validam eſſe irreuocabiliter, niſi in fraudem fiſci facta eſſe probetur; quia ſi ſic probetur eſſe factam, communis eſt ſententia (paucis contradicentibus) validam eſſe, ſed reuocabilem, *l. in fraudem, ff. de iure fiſci.* ibi, *in fraudem fiſci non ſolùm per donationem, ſed quocunque modo res alienatæ reuocantur.* Vbi pondero verbum *reuocare*, quod ſententiam, & officium iudicis importat; ſolum enim fraus iuſtam præbet reuocationis cauſam: ſic tradit Bart. *in l. poſt contractum, ante n. 1. verſ. ſi aduertamus.* Paul. de Montepico *num.* 11. *&* 12. Peregrin. *de iure fiſci, lib.* 5. *tit.* 1. *num.* 153. *&* 185. Menoch. *de præſumpt. lib.* 3. *præſumpt.* 124. *n.* 1. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 21. *num.* 25. *&* 26. Farinac. *quæſt.* 164. *num.* 46. *&* 66. & alij apud ipſos. Neque obſtat *l. ſi aliquis, 7. ff. de donation. cauſa mort.* vbi denotatur per argumentum à contrario donationes factas ex ſuſpicione pœnæ non valere; inquit enim textus: *cæteras donationes ſine ſuſpicione pœnæ factas valere.* Ergo quæ factæ ſunt cum ſuſpicione pœnæ, non valent. quia reſpondetur intelligendum eſſe de valore irreuocabili.

10 Difficultas ergo eſt, quomodo probetur alienationem in fraudem fiſci factam eſſe, vt ſic fiſcus condemnato delinquente poſſit eam vt ſibi nociuam reuocare. Nam aliqui dicunt non coniecturis, ſed dilucidis probationibus deducendum eſſe: ſic Alciat. *conſil.* 125. *num.* 8. *verſ. niſi fortè probaretur.* Menoch. *de præſumpt. lib.* 3. *præſumpt.* 124. *num.* 3. Ancharan. *conſil.* 251. *num.* 4. *& conſil.* 385. *poſt num.* 5. Natta *conſil.* 212. *num.* 2. Decian. *tract. crimin. p.* 1. *lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 7. Mouentur ex *l. ſed etſi maritus, §. & ſi conſtanter, in illis verbis: dilucidis hoc probationibus, ff. qui & à quibus.* Verùm communis eſt ſententia, coniecturis fraudem probari poſſe: eſt enim fraus quid latens in animo, & difficilis probationis. Ergo coniecturis probari debet: vt manifeſte probat textus *in cap. ſi te præbendam, de renunciat. in* 6. ibi, *dummodo de præmiſſa fraude appareat ſaltem per aliquas probabiles coniecturas.* & tradit Montepicus *in repetit. l. poſt contractum, num.* 19. *& ſeqq. ff. de donation.* Decius *conſil.* 235. *num.* 1. *in fine, verſ. & huiuſmodi fraus.* Ioann. Faber *in §. item ſi quis in fraudem, num.* 7. *verſ. dicunt ipſi, Inſtitut. de actionib.* Clar. *pract. §. fin. quæſt.* 78. *num.* 16. *verſ. fraus autem.* Peregrin. *de iure fiſci, lib.* 5. *tit.* 1. *num.* 154. *verſ. ad ſecundum reſpondetur.* Coniecturæ autem, & indicia debent eſſe perſpicua: vt habetur *in l. dolum, C. de dolo.* ibi, *dolum ex indicijs perſpicuis probari conuenit*, & tradit alios referens, & contrarias opiniones concilians Farinac. *de pœnis temperand. q.* 89. *num.* 19. *& ſeqq.* vbi explicat, quæ dicantur indicia perſpicua, & pro manifeſtis probationibus reputata: illa, inquam, eſſe exiſtimo, quæ in hominum exiſtimatione fraudem inferunt, vt nulla ratione in bonam partem trahi poſſint: vt exemplo gloſſæ *in d. l. dolum, verbo conuenit*, eſt perſpicuum: & tradit Maſcard. *de probationib. lib.* 1. *concluſ.* 530. *poſt num.* 6. *in* 2. *limitat.* Surdus *deciſ. Mantua.* 216. *num.* 45. *in fine*, & alij relati à Farinac. *num.* 29.

11 Et quidem ſi loquamur de alienatione facta ante delictum, vt in fraudem fiſci probetur facta, probari etiam debet illo tempore alienationis adeſſe aliquam cauſam impellentem delictum committere, v. g. capitales inimicitias, &c. aliàs fraus præſumi non poterit, cùm non poſſit præſumi delictum eſſe committendum: ſic Anton. Gomez *tom.* 3 *var. cap.* 14. *num.* 4. *verſ. & adde quòd ſemper.* Clarus *pract. §. fin. quæſt.* 78. *ſub num.* 16. *verſ. fraus autem.* Menoch. *de præſumpt. lib.* 3. *præſumpt.* 124 *n.* 5. *&* 6. Boſſius *tit. de bonor. publicat. num.* 45. Farinac. *de falſitat. quæſt.* 164. *num.* 71. *&* 134. *&* 138. Quapropter coniecturis dilucidis probandum eſt alienantem in ſpecie, & de præſenti cogitaſſe delinquere; vt ſic alienatio in fraudem fiſci cenſeatur facta, & reuocanda; nec ſufficit ſi tantùm in genere de delicto cogitauerit, vtputa, quia cùm ſit perſona rixoſa dubitans committere delictum, ne bona ſua ad manus curiæ deueniant, voluit ſic illa donare; hæc enim cogitatio ſic in genere non facit donationem dici factam in fraudem fiſci, nec reuocandam: ſic relato Menoch. *ſuprà, num.* 6. docet Farinac. *num.* 65. & affirmat eſſe pulchram declarationem.

12 Hinc fit primò donationem omnium bonorum factam à delinquente ante commiſſum delictum, non eſſe ſufficiens, & perſpicuum iudicium ad fraudem præſumendam, niſi ſimul à fiſco probetur adeſſe tunc aliquam cauſam impellentem delictum committere: ſic tradit Boſſius *tit. de bonor. publicat. num.* 45. Anton. Gom. *tom.* 3. *verſ. cap. vlt. num.* 4. *poſt* 6. *caſum.* Sanch. *lib.* 2. *cap.* 21. *num.* 7. Farinac. innumeros referens, *quæſt.* 164. *num.* 134. *&* 138. Menoch. *lib.* 3. *præſumpt.* 124. *num.* 5. *&* 6. Idem eſt de donatione facta coniunctæ perſonæ, vel amico, quæ nō eſt ſufficiens indicium ad fraudem præſumendam, ſi alia cauſa impellens delictum non coniungatur; ſæpè enim affinitas, & amicitia ad donandum impellit: non igitur fraus perſpicua probatur ex ſola illa donatione. ſic Anton. Gom. *ſuprà*, Boſſius *num.* 46. Menoch. *num.* 24. *&* 25. Sanch. *num.* 11. Farinac. *num.* 138. & alij apud ipſos.

13 Secundò infero neque eſſe ſufficiens indicium ad hanc fraudem comprobandam alienationem factam alicuius fundi, in cuius poſſeſſione alienans exiſtit, & fructus percipit poſt alienationem; quia excogitari poteſt alia cauſa ſic ſimulatè alienandi præter fiſci fraudem: ſic Anton. Gom. *ſuprà*, Sanch. *num.* 16. Farinac. *quæſt.* 162. *num.* 239. Cardin. Tuſch. *pract. concluſ. in verbo ſimulatio, & concl.* 260. *num.* 13. *& concl.* 261. *num.* 5. *&* 19. Maſcard. *de probation. lib.* 1. *concl.* 439. *num.* 5. *& concl.* 558. *num.* 5. *& lib.* 2. *concl.* 815. *num.* 51. & alij apud ipſos. Aduerto tamen probata ſimulatione, ſi delinquens condemnetur in confiſcatione bonorum, non reuocatur donatum, ſed potiùs occupatur tanquam inalienatum, & ſub domino delinquentis exiſtens. Secus verò dicendum eſt de alienatione non ſimulata, ſed in fraudem; hæc enim poſt condemnationem delinquentis reuocanda eſt à fiſco, antequam poſſit bona alienata occupare, quia talis alienatio valida fuit, & per eam in poſſeſſorem fuit tranſlatum dominium; ac proinde non via executiua, ſed ordinaria aduersùs poſſidentem procedi debet. ſic Sanch. *lib.* 2. *cap.* 21 *num.* 28. cum Montepico *in dict. l. poſt contractum, num.* 50. Secundò aduerto ſic ſimulatè alienantem, & inualidè poſſe allegare ſimulationem ſuam, vt alienatum ſibi reddatur, ſi ad ſimulandum honeſta cauſa ductus fuit; ſecus verò ſi in fraudem alienaſſet: ſic multis relatis Farinac. *q.* 162. *num.* 49. *& quæſt.* 164. *num.* 69. Tiraquel. *de retract. lignag. §* 1. *gloſſ.* 2. *num.* 16. *ante finem. & gloſſ.* 18. *num.* 20. *verſ. nam neque auditur.* Tuſch. *pract. verbo ſimulatio, concl.* 257. *à num.* 12. *& concl.* 266. *num.* 20. *& ſeqq.*

14 Tertiò infero neque eſſe ſufficiens indicium ad comprobationem fraudis, ſi probetur alienationem clandeſtinam fuiſſe, quia poteſt aliqua adeſſe cauſa ſic actum honeſtandi. Vnde vt fraudem probet, debet ſimul cum illa præſumptione probari adeſſe cauſam fraudis: ſic poſt Bart. *in l. poſt contractum, num.* 7. *verſ. & ſemper intellige, ff. de donationib.* tradit Montepicus *ibi, num.* 55. Anton. Gom. *tom.* 3. *var. cap. vlt. num.* 4. *verſ. & adde quod ſemper*, Sanch. *lib.* 2. *cap.* 21. *num.* 17. Menoch. *lib.* 3. *præſumpt.* 124. *num.* 41. Farinac. *quæſt.* 162. *num.* 211. & alij apud ipſos.

15 Quartò infero nō ſufficere ad probationem fraudulentæ alienationis ante delictum factæ delictum incontinenti poſt alienationem ſequi; poteſt enim ſequi

ca

ex inopinata rixa: quare cum hac coniectura coniungi debet probatio causæ, quæ ad patrandum delictum impellat, scilicet rixam, vel inimicitiam præcessisse. sic Anton. Gomez *post 6. casum*. Montepicus *n.56*. Sanchez *num.18*. Menochius *n.21*. Farinacius pluribus exornans *q.164.n.157*.

16 Quocirca ante commissum delictum duplicem inuenio probationem claram fraudulentæ alienationis. Prima, si alienes sub conditione publicationis bonorum: tunc enim clarum est te velle fiscum defraudare, & tuo delicto fauere. sic Menochius *num.46*. Sanchez *num.21*. vbi testatur esse omnium. Farinacius plures referens *quæst.64. num.162*. Secus si donares sub conditione, vt donatarius delictum confiscatione dignum non committeret. Nam illud committente vis ad alios hæredes transire donatum, quia tunc nec delicto faues, neque fiscum fraudas, sed tuo iure vteris. sic Farinacius *suprà num.163*. cum Cephalo *consil.215. num.58*. Menochius *lib.3. præsumpt.124.num.50*. Secunda probatio clara fraudis est, si ante donationem dixeris aliqua verba, quibus denotatur sufficienter de delicto patrando cogitasse, vt si dixeris minando alicui: Prouidebo rebus meis, & deinde mihi satisfaciam; tunc enim secuto delicto sic priùs alienata in fraudem reputantur alienata. sic Montepicus *in l. post contractum, n.54. in fin.* Farinacius alios referens, *num.164*. Anton. Gomez *illo cap. vlt. n.4. circa princ. in 1. casu*.

17 Post delictum verò commissum quælibet ex supradictis coniecturis sufficienter probata, est indicium perspicuum, & sufficiens ad præsumendam fraudem; quia tunc adest causa impellens fisci defraudationem, quæ est timor pœnæ ob delictum imponendæ. Quocirca ad eludendam hanc præsumptionem tibi incumbit onus probandi ex causa necessaria alienationem esse factam; aliàs in fraudem fisci censeberis alienasse: sic supponunt Doctores relati, neque aliam limitationem adducunt, nisi cùm delictum ita occultè patratur, vt nullus adsit timor diuulgationis, quia tunc cessat causa committendi fraudem. sic Montepicus *dict. l. post contractum, n.61*. Alciat. *n.56*. Sanchez *n.19*.

18 Tria denique sunt aduertenda. Primum, vt donatio possit reuocari tanquam in fraudem fisci factam, necesse non esse donatarium participem esse fraudis; secus verò vt reuocetur venditio, permutatio, & quilibet alius onerosus contractus. habetur *l. ait prætor, §. si quis particeps, ff. quæ in fraud. cred.* Ratio huius diuersæ dispositionis est manifesta, quia in alienatione gratuita donatarius solùm passiuè se habet acceptans beneficium sibi inpensum, ac proinde fraus in illo non spectatur: at in alienatione onerosa, contractu scilicet permutationis, & venditionis, æqualis est vterque contrahens. Debet ergo fraus in vtroque adesse. Aliis terminis hæc ratio proponi solet: nempe donatarius, quia solùm agit de lucro captando, in eo fraus non attenditur: at in emente, vel vendente agitur de damno vitando. Debet ergo vt rescindatur eius contractus particeps fraudis esse. sic post Bart. *in dict. l. post contractum, n.3.* tradit Montepicus *num. 38*. Ioan. Hannibal *num. 39*. Clarus *practic. §. fin. quæst.78. n.17. vers. cæterum*. Sanchez *lib.2. cap.21. num.29*. Farinacius alios plures referens, *quæst.164. num.58. & 75*. Bonacina *disp.3. de contractibus, q.8. p. vlt. §. 2. n.2*.

19 Neque assentiendum est Anton. Gomez *tom.3. variarum, cap. vlt. num.4 post medium*, affirmanti in omnibus casibus, in quibus fraus ex parte alienantis præsumitur, præsumi ex parte recipientis alienationem. est enim efficax præsumptio fraudis in alienante, si statim post alienationem sequatur delictum, vel si post commissum delictum alienet, & tamen cum illo contrahens hoc ignorare poterat. Ergo ex hoc capite non probatur emptorem participem esse fraudis: tradit Bart. *in dict. l. post contractum, num.8.* ibi Ioan. Hannibal *num.156*. Montepicus *num.62*. Sanchez *num.30*. Farinacius *n.83*. Item ex venditione omnium bonorum, ad quam sequitur delictum: esto arguatur fraus in vendente, vt est ferè omnium sententia, non tamen arguitur in emente. sic Montepicus *num.38*. Sanchez *n.30*. Farinacius *n.75*. Item ex venditione facta coniunctæ personæ, vel amicissimo, sumitur sufficiens præsumptio fraudis in vendente: at in emente, si iusto pretio emat, non item. tenet Ioan. Hannibal *in d. l. post contractum, num.115. 116. & 117*. Alciat. *ibi num.41. versic. rursus in alienatione*. Vital. *de clausula, rubr. de fraude, num.13*. Papiensis *in forma libelli in actione reali, glossa verus, ac legitimus, num.38. versic. illud tamen scias*. esto contrà teneat Bart. *in dict. l. post contractum, num.3*. Montepicus *num.46*. Sanchez *num.30*. Farinacius *num. 75*. Quocirca in duplici casu reputarem sufficienter præsumi emptorem participem esse fraudis commissæ à vendente. Primò, si modico pretio rem emat magni valoris, quia nemo rem suam sine causa dissipat. sic Peregrin. *de iure fisci, lib.1. tit.1. n.157. versic. intellige tamen*. Sanchez *cap.21. num.30*. Farinacius *quæst.164. num.75*. Secundò, si clam data opera contractus celebretur, quia illa occultatio malitiam arguit. sic Montepicus *dict. l. post contractum, n.25*. Anton. Gomez *vbi suprà n.4. versic. item etiam intellige*. Farinacius *n.82*. Sanchez *n. 30*. vbi optimè aduertit nunquam fraudem esse ex parte emptoris præsumendam, quin priùs ex parte vendentis, & committentis delictum præsumatur.

20 Secundò aduerto fiscum reuocare rem alienatam in sui fraudem, non solùm quoad rem ipsam, sed etiam quoad fructus in illa pendentes; quia ij fructus pars illius rei confiscatæ reputantur. At non reuocantur fructus percepti medio illo tempore ante sententiam, siue consumpti sint, siue non, quia cùm dominium illius rei fructus parturientis translatum sit in possessorem, absque vlla fisco obligatione possessori acquiruntur: sic multis relatis docet Sanchez *lib. 2. cap.21. num.41*. Peregrinus *lib.5. de iure fisci, tit.1. n.174*. Montepicus *in dict. l. post contractum, num.162. & 104*. Farinacius *quæst.164. num.55. & 56*. Bonacina *disput.3. de contractibus, quæst.8. punct. vlt. §.2. fine*. Limitant aliqui, vt intelligatur de fructibus perceptis ante litem contestatam, secus postea. sic Montepicus *suprà*. Peregrin. *num.185*. Farinacius *num.157*. At non credo, quia esse litem contestatam non tollit dominium esse translatum; & ita alij Doctores hanc limitationem non apponunt.

21 Tertiò aduerto, etsi fiscus habeat actionem contra alienantem in sui fraudem, non tamen potest res alienatas translatas in tertium possessorem ab illo reuocare via executiua, sed ordinaria. Tum quia est valida alienatio facta. Tum quia iure communi non proceditur via executiua, etiamsi actor habeat reum sibi obligatum per scripturam, *l. minor 25. annis, ff. de minorib.* & tradit Vmbert. Locat. *post indic. inquisit. q.16*. Farinac. *de hæresi, q.190. n.88*.

PVNCTVM XXII.

An confiscatio bonorum delinquentis condemnati in contumaciam ob causam fidei sit facienda à tempore latæ sententiæ, vel à tempore, quo probationes signant delictum commissum.

1 *Prima sententia affirmat à tempore latæ sententiæ faciendam esse confiscationem.*

2 *Probabilius est à tempore, quo testes deponerent hunc contumacem in hæresim incidisse.*

3 *Satisfit oppositis argum.*

Grauissi

GRauiſſima eſt hæc controuerſia, quia ex illa pendet, an contumax alienare poſſit bona ſua, antequam in contumaciam condemnetur, validáque ſit eorum alienatio, neque reuocanda, niſi in fraudem fiſci eſſe factam probetur. Si enim confiſcatio non eſt trahenda ad diem, in quo probationes dicunt delictum eſſe commiſſum; ſed ad diem, in quo ſententia ſuper delicto in contumaciam lata eſt, poterit cõtumax, dum condemnatus non eſt, bona alienare, & ſic confiſcationem bonorum vitare, & iudices fidei eludere. quod certè non eſt paruum inconueniens.

1 Eſt igitur prima ſententia defendens bona talis delinquentis non publicari à die, quo teſtes deponunt illum in hæreſim incidiſſe, ſed à die, qua damnatur tanquam contumax, vel à purgatione indicta defecit. ſic Gabr. Quemada latè probans *in ſuis quæſtion. fiſcalib. tota quæſt. 8.* quem ſequuntur abſque vlla examinatione Simanc. *de catholic. inſtitut. tit. 9. num. 26.* Menoch. *lib. 2. conſ. 159. ſub num. 19.* Couarr. *in cap. alma mater. 1 p. §. 7. ſub num. 11. verſ. ſed & in cauſa hæreſis,* Thom. Sanch. *lib. 2. cap. 22. num. 35.*

Pluribus rationibus Gabr. Quemada ſuam ſententiam firmat: hæ ſunt præcipuæ. Prima, quia contumax non habetur pro confeſſo, & conuicto, neque vt talis condemnatur, niſi à die quo perfecta eſt contumacia: vt habetur *in cap. cum contumacia, de hæretic. in 6. cap. excommunicamus. §. qui autem, eod. tit. & lib.* Ergo ſolùm ab illo die bona illius cenſeri debent publicata. Secundò, quia *in ſuprad. cap. cum contumacia,* ſolùm dicitur hũc contumacem velut hæreticum eſſe damnandum, non autem dicitur eſſe iudicandum hæreticum; ſed ſimilem illi. Ergo ſignum eſt damnati ob contumaciam, quæ ſimilis eſt hæreſi in pœnis impoſitis, non autem damnari ob hæreſim. Tertiò ex doctrina Bart. *in l. eius qui delatorem, ff. de iure fiſci.* vbi decidit fictam probationem non præiudicare hæredi, ſed contumax fictione iuris cenſetur confiteri delictum, de quo accuſatur. Ergo eius ficta confeſſio non debet hæredi præiudicare, ac proinde bona alienata repeti non poterunt. Quartò probat ex text. *in cap. inter ſolicitudines. de purgat. canon.* vbi habetur quòd deficiens in purgatione canonica detrudendus ſit in monaſterium; cùm ergo non dicatur tradendum eſſe curiæ ſæculari, efficitur non eſſe vt hæreticum iudicandum: cui modo dicendi fauet *gloſſ. fin.* ibi. *non traditur* (inquit) *curiæ ſæculari, quia illa probatio eſt præſumptiua, & non vera, & directa, ac proinde mitius puniri debet.* Quintò demùs teſtes deponere te fauiſſe hæreticis, ob quam fautoriam citatis ſub excommunicatione comparere, ſi in excõmunicatione per annum perſiſtis, non es vt hæreticus reputandus, & condemnandus; ſed ad ſummum vt illorum fautor: quia contumacia eſt ficta confeſſio, illique æquiualet. Ergo ſi ex tua confeſſione ſolum delictum fautoriæ argueretur, ex contumacia id ipſum tantùm debet cenſeri probatum. Sextò, ſi poſt contumaciam probatam, & ſententiam datam compareres, poſſes contumaciam purgare, & condemnationem vitare: vt tradit Couarr. *cap. Alma mater, 1. p. §. 7. num. 11.* Bernard. Diaz *pract. cap. 117. ſub num. 12. verſ. imò & quod exiſtimo.* Ergo contumacia in cauſa fidei non conſtituit iuris fictione hæreticum; aliàs ſemel ita conſtitutus pœnas hæreſi impoſitas vitare nequaquam poſſes.

2 Nihilominus etſi ſupradicta ſententia probabilis ſit, probabiliorem reputo aſſerentem publicationem bonorum faciendam eſſe à die, quo teſtes deponunt hunc contumacem in hæreſim incidiſſe: ſic validiſſimis argumentis probat, & defendit doctiſſimus, & eruditiſſimus Proſper Farinac. *de hæreſi, quæſt. 190. §. 12. num. 21.* Illud autem eſt potiſſimum, ſi vt hæreticus, v. g. condemnaris in contumaciam, non condemnaris propter contumaciam, & inobedientiam, quam Prælatis Eccleſiæ habuiſti, eorum mandata tranſgrediens non comparendo; ſed condemnaris ob delictum hæreſis, quod præſumeris incurriſſe, & pro quo citatus fuiſti, vt reſponderes, ſed delictum hæreſis non iudicatis incurriſſe in die quo profertur ſententia condemnatoria, ſed in die, quo teſtes deponunt te exercuiſſe actum, ex quo talis ſuſpicio inſurgit. Ergo ab illo die eſt publicatio bonorum facienda. Diſcurſus eſt legitimus, quia publicatio bonorum delicto hæreſis eſt annexa. Maiorem probo ex *dicto cap. cùm contumacia*, vbi inſordeſcens in excommunicatione per annum in cauſa fidei, vt hæreticus condemnatur: neque enim damnari poterat vt hæreticus, ſi iuris fictione hæreticus non eſſet: & tradit gloſſa ibi, Couarr. *§. 7. n. 11. in princ.* Menoch. *de arbitr. lib. 2. caſu 416. num. 6.* Bernard. Diaz *dict. cap. 117. fini.* Ioan. Rojas *ſingul. 2. num. 4.* Albert. *de agnoſcenda aſſert. catholic. quæſt. 30. num. 73.* Nauarr. *conſil. 21. ſub tit. de hæretic. num. 2.* Pegna *3. p. com. 49.* Et ratio eſt manifeſta, quia contumacia non eſt æquale delictum ac hæreſis. Ergo non poteſt æqualem pœnam mereri. Ergo contra iuſtitiam procederet Pontifex, ſi hæc delicta æqualiter puniret: at ſuſpectum de hæreſi, & in contumacia perſiſtentem eiſdem pœnis afficit, ac hæreticum præſentem; vt ex text. & Doctoribus relatis conſtat. Ergo non contumaciam, ſed hæreſim punit: probatam, inquam per illam contumaciam; contumacia enim, & inobedientia eſt quædam delicti ſuſpecti, & accuſati manifeſta probatio; æquiualet enim illius delicti confeſſioni; & ſicuti ſi delictum confitereris, illud probares; ſic per contumaciam confeſſioni æquiualentem manifeſtè probatur. Minor verò ſupradicti diſcurſus per ſe videtur manifeſta: nam licèt contumax à die contumaciæ probatæ cõdemneris vt hæreticus, ratio condemnationis eſt delictum hæreſis, de quo ſuſpectus fuiſti, & pro quo fuiſti citatus reſpondere. Hoc autem delictum non commiſiſti, cùm noluiſti reſpondere; ſed quando teſtes deponunt. Item etſi à die contumaciæ declararis hæreticus; non tamen declararis, quòd antea non fueris hæreticus: ſtat enim optimè quòd antea hæreticus fueris; ſed quia probatum non erat, non poteras iudicari, neque declarari: facta autem probatione ex tunc declararis; licèt declaratio non ad delictum tempore declarationis commiſſum, ſed commiſſum multo tempore antea extendatur.

3 Et per hæc ſatisfactum eſt primo argumen. contrario. Ad ſecundum dico, cùm in ſupradict. text. *cùm contumacia,* dicitur contumacem in cauſa fidei, velut hæreticum eſſe damnandum, illa particula *velut* non denotat ſimilitudinem, ſed proprietatem, & veritatem: ſicuti Ioan. primo dicitur de Chriſto: *Et vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre,* illud *quaſi* expreſſiuum eſt veritatis, & in caſu præſenti tradit gloſſa, Archidiacon. Philip. Franc. Ioan. Andr. *in ſuprad. cap. cum contumacia.* Bellamera *deciſ. 688. num. 27.* & alij. Ad tertium nego in primis probationem delicti ortam ex cõtumacia eſſe fictam probationem: nam licèt ſit ficta confeſſio delicti, non tamen eſt ficta, ſed vera probatio illius; ac proinde non eſt mirum, ſi tertio præiudicet. Secundò concedo fictam probationem regulariter non præiudicare tertio, qui ſi plenum habeat ius, ab illo deturbandus non eſt præſumptionibus, ſed plenis probationibus, vt voluit Ripa *in cap. ſæpè, de reſtitut. ſpoliat. & in l. fin. C. de rei vendicat.* Peregrin. *de fideicommiſſ. art. 44. num. 12.* At fallit in aliquibus delictis atrocibus, & ſpecialiter in crimine hæreſis ob eius grauitatem, & tradit idem Bart. *l. 2. ff. de bonis eorum qui mortem ſibi conſciuerunt,* ex text. *ibi in princ.* Bellamera *deciſ. 677. ſub n. 1. & ſub n. 8. verſ. neque obſtat.* Alex. ad eundẽ Bart. *in d. l. eius qui latorem. ſub num. 1. in litt. B. verſ. & limit. 4.* Rojas *ſingul. 69.* Maſcard. *de probation. concl. 348. num. 34.* Cantar. *de execut. ſentent. cap. 1. num. 341.* quos refert, & ſequitur Farinac.

Farinac. *dict. quæst.* 190. §. 12 *num.* 42. Alioqui si illa ficta probatio hæredi in crimine hæresis non præiudicaret, neque etiam post sententiam afferre posset præiudicium, quia hæc lata contra contumacem, & qui se plenè non defendit, tertio non præiudicat, vt ex Alexand. *consil.* 126. *in fine, lib.* 2. Signorol. *consil.* 257. *num.* 4. Roman. *consil.* 154. *num.* 5. tradit Farinacius *suprà*. Ad quartum dico non tradi deficientem in purgatione canonica curiæ sæculari, quia fassus est errorem, & misericordiam postulauit: vt tradit ibi Abbas, & glossa *in solut.* 2. in quo casu nullus hæreticus tradendus est curiæ sæculari. Aliam autem solutionem, quòd scilicet probatio per contumaciam sit solùm præsumptiua, & non vera, ideóque contumacem minus puniri debere, communiter Doctores reprobant, vt videre est in Abbate *ibi num.* 5. Bellam. *decis.* 676. *sub num.* 4. Aliàs, vt bene dicit Farinacius *num.* 44. oporteret dicere neque confiscationem habere locum à die perfectæ contumaciæ, & lapsus anni; neque à die sententiæ, & condemnationis, quod nullus dicit. Ad quintum dico cum citatis respondere de fautoria hæresis, si factum sit plenè probatum, vt sæpè debet esse, citaris, vt purges suspicionem hæresis, quam incurristi; quam purgationem si omittis facere, non solùm probas per contumaciam ipsam fautoriam, sed potiùs ipsam suspicionem; ita vt ipsa suspicio, quæ principio erat leuis, facta citatione transit in vehementem; & perfecta contumacia redditur violenta, & digna, vt ob illam contumax tanquam de delicto verè probato damnetur. Neque obstat fautoriam esse hæresis in genere, & non in particulari, vt non possit hic fautor vt hæreticus condemnari, quia ad hanc condemnationem sufficit errare contra fidem, vel Deum in genere, vt ex Bellamera *decis.* 688. *num.* 33. & ex Pegna ad Eymer. 2. *part. quæst.* 54. *versic. sic talis*, tradit Farinacius *num.* 51. Adde rarò fautoriam esse hæresis in genere, quia rarò fauet hæretico, vt sic; sed tali hæretico, tali errore affecto: ac proinde illius erroris, cui fauorem præstitit, fautoria dicitur, & suspicio illius hæresis ex illa fautoria generatur. Ad sextum respondeo, si comparendo probas non habuisse culpam in contumacia, eo quòd fuisti infirmus, vel aliter impeditus comparere, purgas contumaciam, & infirmas sententiam, si fortè lata fuit, quia ex falsa præsumptione fuit lata. At si comparendo contumaciam recognoscis, delictum verò, de quo fuisti vt suspectus citatus, negas; non es audiendus, neque ad pœnitentiam recipiendus, quousque delictum fateatis, & errorem abiures, sicut si veris testibus de crimine conuictus esses: sic docet Eymer. 3. *part. quæst.* 47. *num.* 4. Bellam. *decis.* 688. *sub n.* 30. *vers. imò fortè.*

PVNCTVM XXIII.

Cui debent bona confiscata applicari.

1 *Sub varia distinctione quæstio resoluitur.*
2 *Confiscati ob hæresim penes Pontificem residet applicatio.*
3 *Sæpè Pontifex constitutiones suas dirigit ad aliquas prouincias, quæ tamen leges sunt vniuersales.*
4 *Quid Pontifices in hac re statuerint.*
5 *In Hispania fisco regio integrè applicantur bona, & quid in alijs regionibus.*
6 *Debent tamen Principes mandatis Inquisitorum obedire, alias de bonis confiscatis participare non poterunt.*

1 SI de confiscatione lata à Principe loquamur, qualis est ob crimen læsæ maiestatis, & in Castellæ regno ob crimen contra naturam, fisco regio pertinent bona confiscata, vt de se constat. At si confiscatio non à Principe, sed ab inferiori iudice facta sit, etiamsi fiat de iure communi, in quo casu diximus extendi ad bona sita extra territorium confiscantis; talia bona sic extra territorium confiscantis existentia non spectant ad iudicem, seu dominum confiscantem, sed ad dominum loci illius, vbi sunt sita. argument. textus *in l. quicumque, §. vniuersi, versic. quòd si fecerint.* ibi, *in cuius territorio est, C. de hæreticis, l. fin. C. de bonis vacantib. lib.* 10. *l. tutores, §. hæres.* & ibi Bart. *ff. de administr. tutorum.* sic multis relatis testatur de communi Farinacius *lib.* 1. *praxis, quæst.* 25. *num.* 101. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 34. Clarus *in practic. quæst.* 78. *versic. sed hîc quæro.* Hoc tamen intelligunt Farinacius, Sanchez, & Clarus, dummodo dominus alterius territorij habeat ius confiscandi, aliàs secus. Nam si caret iure confiscandi, confiscanti applicabuntur; quia cessat iurisdictionum confusio, quæ est ratio, quare bona sita extra territorium confiscantis, & per ipsum confiscata confiscanti non applicentur. Secundò affirmant Farinacius *num.* 108. multos referens, & Sanchez *suprà*, intelligendum esse de bonis immobilibus: nam bona mobilia personam delinquentis comitantur, neque territorio circumscribuntur, ac proinde confiscanti pertinent, ex text. *in cap.* 1. *§. si index, de vsibus feudorum*, in illis verbis: *Dominus eius omnia bona mobilia sub sacramento iudici repræsentet*, quidquid in contrarium Mediolani seruetur, vt testatur Clarus *dict. quæst.* 78. *versic. sed hîc quæro, in fine.* Tertiò intelligenda est conclusio etiam in crimine hæresis: nam etiam in illo crimine non debent applicari bona confiscata existentia extra territorium confiscantis ipsi, sed fisco iudicis loci illius. sic Simancas *de catholic. institut. titul.* 9. *num.* 129. Gundisaluus *tract. de hæreticis, quæst.* 15. *num.* 6. *& sequent.* Decian. *tract. de crimin. lib.* 5. *cap.* 44. *num.* 8. Farinacius *illa quæst.* 25. *num.* 104. *& quæst.* 190. *de hæresi*, §. 12. *n.* 166. Quartò intellige, etiamsi bona existentia extra territorium confiscantis spectarent ad ipsum iure directi dominij, adhuc ad feudatarium, & non ad dominum directum confiscantem deberent pertinere, vt ex pluribus comprobat Farinacius *suprà num.* 101. *& seqq.* specialiter ex Roland. *consil.* 78. *à num.* 2. *vsque ad* 22. *volum.* 2. quia vasallus infeudatus à domino de mero, & mixto imperio non solùm habere debet mulctas suorum subditorum, quæ meri imperij sunt: vt tradit Bart. & alij *in l. imperium, ff. de iurisdict. omn. iudic.* sed etiam habere debet confiscationes, & publicationes bonorum, quia ipse censetur quasi procurator fisci in rem suam. Excipe nisi crimen, ob quod fit bonorum publicatio, sit læsæ maiestatis aduersùs dominum directum, quia tunc domino directo pertinent ea bona, etiamsi extra territorium ipsius sint, in satisfactionem iniuriæ sibi factæ, nisi fortè bona illa sint in feudum, vel emphyteusim accepta à feudatario, quia tunc ipsi feudatario applicantur, & vtile dominium cum directo consolidatur, ne ex delicto vasalli infeudati detrimentum feudatarius patiatur, & probat expressè textus *in cap.* 1. *§. illud, de prohibita feudi alienat.* sic Roland. *consil.* 78. *per totum, vol.* 2. *& consil.* 73. *vol.* 4. Farinacius alios referens, *quæst.* 25. *n.* 105. *& seqq.*

Aduerto tamen, si sententia confiscationis ad bona extra territorium confiscantis expressè non extenderetur, posset tunc superior illius territorij, si delinquens illi subditur, ratione originis, vel domicilij nouum processum instituere, & denuo condemnare, & illius vigore bona ibidem sita confiscare: sic ex Bossio *titul. de bonorum publicat. num.* 75. Nilo *de bannitis*, 1. *part. secundi temporis, quæst.* 17. *propè finem.* tradit Farinac. *q.* 25. *num.* 201 *fine.*

Cæterùm loquendo absolutè de bonis hæreticorum, in varias sententias Doctores sunt diuisi, cui debeant applicari attento iure communi? Referam quid mihi verius videtur.

2 Et

2 Et primò præmittendum est applicationem horum bonorum penes Pontificem esse; cum enim crimen hæresis Ecclesiasticum sit, cap. vt inquisitionis, §. prohibemus, de hæreticis, in 6. Pontifici competit committentes illud punire, siue Ecclesiasticos, siue laicos, cap. licet, de foro compet. & ibi glossa: at vna ex pœnis, quæ aduersùs hæreticos fertur, est confiscatio bonorum. Ergo in illa imponenda constitutiones Pontificiæ seruandæ sunt, & præferendæ aliis regiis constitutionibus, si fortè contradicant. Confirmo. Cognitio huius criminis Pontifici, eiusque ministris conuenit, & nullo modo potestatibus sæcularibus, vt habetur in suprad. cap vt inquisitionis. Ergo etiam applicatio bonorum hæreticorum solùm Pontifici, & quibus ipse facultatem dederit, pertinebit; quia hæc accessoria est primæ cognitioni, vel potiùs condemnationi. Accessorium autem iuxta naturam principalis iudicandum est, cap. accessorium, de regul. iur. in 6.

3 Secundò præmitto sæpè Pontificem constitutiones suas dirigere ad aliquas speciales prouincias, vel personas: quo non obstante leges sunt vniuersales pro tota Ecclesia; vt constat ex pluribus legibus insertis in corpore iuris, quæ specialibus personis erant directæ. Fateor ergo plurimas esse constitutiones à Pontifice latas in fauorem sanctæ inquisitionis, quæ Inquisitoribus tantùm ordinis Prædicatorum, vel Inquisitoribus Italiæ, vel Lombardiæ directæ sunt, vt videri potest in iis, quas refert Pegna in fine direct. at inde non debet inferri obseruandas non esse ab Inquisitoribus totius orbis; aliàs plurima illis priuilegia concessa corruerent. Ratio autem, quare debeant obseruari, & vim legis habere, ea est, quia in cap. vlt. §. vlt. de hæretic. in 6. & clem. 1. §. vlt. de hæretic. cauetur omnes constitutiones, & extrauagantes cõtra hereticã prauitatem editas, etiamsi in corpore iuris non contineantur, obseruandas esse, & ita notauit optimè Pegna direct. 3. p. com. 158. circa medium, vers præterea, Farinac. de hæresi. q. 190. n. 173.

4 His positis Innocent. III. in cap. vergentis, de hæret. statuit bona hæreticorum confiscari, & in terris Ecclesiæ, fisco Ecclesiæ applicari. In terris verò Ecclesiæ temporaliter non subiectis fisco iudicis sæcularis, etiamsi condemnati filios haberent catholicos. Postea verò in cap. excommunicamus, el 1. §. damnati, eodem tit. de hæretic. supradictam constitutionem limitat in bonis clericorum, ea non Ecclesiæ fisco, sed Ecclesiis, à quibus stipendia receperunt, applicentur. Cæterùm Innocent. IV. quem sequutus est Alexand. IV. & Clemens IV. in sua constitutione edita anno 1252. cuius initium est, Ad extirpanda, cuiusque meminit Pegna in suprad. loco, & in fine directorij. & Farinac. num. 176. trimembrem fecit bonorum confiscatorum diuisionem: & primam statuit applicandam esse in commune ciuitatis, seu loci, in quo delinquens damnatur, vel bona illius sita sunt. Secundò in fauorem, & expeditionem officij inquisitionis dandam esse officialibus, qui tunc negotia ipsa peregerint. Tertiò ponendam in aliquo tuto loco, secundùm quod dictis diœcesano, & Inquisitoribus, vel Inquisitori videbitur reseruanda, & expendenda per consilium eorundem in fauorem fidei, & ad hæreticos extirpandos. Neque audiendus est Bursatus, qui cons. 8. lib. 3. scriptum reliquit has constitutiones solùm in Italia obligare, non extrà. Item non esse satis authenticas, vel vsu receptas. nam & authenticas esse, & vsu receptas, comprobat manifestè Pegna dict. comm. 158. versic. ego verò, & Farinac. quæst. 190. à num. 178. Illis tamen nullo modo est derogatum constitutione Alexand. IV. edita anno 1260. incipiens, Discretioni vestræ; de qua meminerunt Pegna, & Farinac. suprà, vbi asserit Pontifex bona publicata, seu confiscata, & in posterum confiscanda, seu publicanda eorum pretium ad opus Romanæ Ecclesiæ conuertatur. Nam præterquam quòd de casu speciali loquitur, & de parte illa, quæ fisco Ecclesiæ applicanda est, siquidem est de bonis hæreticorum in prouincia Romana existentium, constitutione Clementis IV. qui proximus Alexand. fuit, trimembris illa diuisio Innocent. IV. firmata est; quod id ipsum fecit Eugen. IV. in sua constitutione edita Bononiæ anno 1438. 17. Kalend. Februar. quæ incipit, Sedis Apostolicæ prouidentia, quam ad verbum refert Farinac. dict. quæst. 190. num. 178. Quapropter hæc trimembris diuisio omnino retinenda est, dum aliud à Pontifice non fuerit statutum: & ita tenet Pegna dicto comm. 158. post medium, vers. quare vt ad institutum. Decian. tract. crimin. lib. 5. cap. 44. num. 2. vers. hodie tamen, Lœlius Zechius in sum. 1. p. rub. de hæresi, cap. 11. num. 16. vers. vndecima pœna. Aduerto tamen, vt hæc trimembris diuisio locum habeat, debent domini temporales Inquisitoribus, eorúmq; ministris necessaria pro expeditione officij sanctæ Inquisitionis suppeditare: iuxta constitutiones Innocent. IV. Alex. IV. & Eugenij, aliàs sanctæ Inquisitionis officio, & Inquisitoribus omnia erunt applicanda; quia cessat ratio, quare illa tertia pars dominis temporalibus applicetur: & ita tenet Pegna dict. com. 158. vers. cùm autem in multis locis, Farinac. alios referens, dict. q. 190. num. 185.

5 Dixi hanc trimembrem diuisionem seruandam esse, dùm aliud à Pontifice non fuerit statutum: quod dixi, tum propter bona clericorum ab Ecclesia in stipẽdium accepta, quæ non fisco, neque inquisitionis officio, sed Ecclesiis, à quibus receperunt, applicanda sunt: iuxta textum in cap. excommunicamus. de hæreticis. Tum quia in pluribus locis aliud videtur cautum, quod ex consuetudine satis recepta non leuiter colligitur. In primis enim in Hispania omnia bona hæreticorum fisco regio applicantur: & meritò; quia Catholicissimus Rex Inquisitoribus, & eorum ministris, abundè suppeditat, & quidquid necessarium est ad promotionem sancti officij, ex suo (si opus est) patrimonio erogat: & ita testatur Couarr. var. resolut. lib. 2. cap. 9. num. 12. Simanc. de catholic. institut. tit. 9. num. 132. Clarus in pract. crimin. §. hæresis, num. 11. vers. sed hoc. Nauarr. consil. 2. num. 1. ad fin. tit. de hæreticis, Cardin. Tuschus pract. conclus. verbo hæreticus conclus. 102 num. 15. Salzedo ad Bernard. Diaz, cap. 114. vers. hæretici, & vers. quæ quidem opinio, Peregrin. de iure fisci, lib. 4. tit. 5. num. 31. vers. clericorum. Pegna dict. com. 158. vers. hinc consequitur. Iacob. de Graffis lib. 2. decis. cap. 11. num. 13. vers. verùm quando, Farinac. dict. quæst. 190. num. 188. & hanc applicationem fisco regio faciendam in Hispania affirmat Couarr. suprà, & Mandoz. in additionib. ad repert. inquisit. verbo diuisio, litt. A. habere locum in bonis clericorum habentium beneficia, quæ non Ecclesiis à quibus stipendia receperunt, sed fisco applicantur. In aliis verò regnis alia est consuetudo, vt testatur Farinac. suprà. Nam Placentiæ testatur ex Vmbert. Locato in iudic. inquisit. verbo fiscus, num. 1. vers. consuetudo, consuetudinem esse diuidendi bona hæreticorum in duas partes, quarum vna applicetur fisco Principis, qui benignissimè brachium suum sancto Inquisitionis officio confert, & altera applicetur sancto Inquisitionis officio pro eius conseruatione. Eandem affirmat cum Bursato consil. 43. num. 45. lib. 1. esse Mantuæ iuxta decreta Pontificia. Mediolani tamen dicit bona hæreticorum diuidi æquis portionibus inter fiscum ducalem, Episcopum, & Inquisitorem: teste Claro pract. crimin. §. hæresis. n. 11. vers. in hoc autem ducatu, quem refert Tusch. pract. conclus. verbo hæreticus, concl. 102. num. 16. Franciæ inductum esse consuetudine bona immobilia etiam clerici ad degradationem, vel perpetuos carceres condemnati spectare ad Regem, vel ad dominum temporalem imperium ibi habentem. Mobilia verò Episcopo applicari secundùm Oldradum, Rebuf. Petr. Gregor. & alios relatos à Salzedo pract. crim. cap. 114. verbo hæretici. circa finem.

Item consentit Couarr. *lib.2.variarum, cap.9. num.12.* Peregrin. *de iure fisci, lib.4.tit.5.num.31.vers.clericorum bona.* Subaudiæ affirmat ex speciali constitutione Gregor. XIII. edita die 28. Septembris anno 1584. hæreticorum bona diuidi hac ratione, si eorum valor mille scuta non superauerit, Cameræ, & fisco ducali medietas applicetur, & altera officio sanctæ Inquisitionis. Quòd si dicta bona valorem mille scutorum excesserint, omnia applicantur eidem Cameræ, seu fisco ducali. Debent tamen ducis ministri pro qualibet confiscatione realiter, & cum effectu, & sine vlla mora sanctæ Inquisitionis officio scuta quingenta omnino persoluere.

6 Tandem aduertit & optimè Farinacius *supradicto loco, in fine.* ne Principes, & domini temporales, quibus vel ex consuetudine à Romano Pontifice approbata, vel ex illius speciali concessione, pars aliqua in bonis confiscatis conuenit, negligentes sint in exequendis mandatis Inquisitorum, alioquin non solùm portione bonorum confiscatorum illis debita priuati remanebunt, & indigni reputabuntur, sed tamquam hæreticorum defensores, & fautores inquiri iure poterunt.

PVNCTVM XXIV.

An excuset hæreticus supradictam pœnam confiscationis bonorum, eo quòd resipuerit, vel misericordiam postulauerit.

1 *Spectato iuris rigore nunquam hæreticus hanc pœnam vitare potest.*

2 *Ex misericordia remitti potest, si antequam accusatus, vel denuntiatus sit, pœniteat.*

3 *Secus verò dicendum censeo, si post publicata dicta testium misericordiam expostulet.*

1 LOngissimum esset recensere omnium placita, dicam quid mihi probabilius apparet.

Dicendum est ergo spectato iure hæreticum nullo modo supradictam pœnam efficaciter euitare posse; quia hæc pœna confiscationis delicto annexa est. *cap. cùm secundùm leges, de hæreticis, in 6.* Ergo semel commisso delicto pœna hæc excusari non potest. Dices non excusari ab illa pœna contrahenda, at ab illius executione excusari ob pœnitentiam. Sed contrà; quia hæc excusatio, quæ remissio est pœnæ per legem impositæ, ex aliqua lege, vel decreto Pontificio constare debebat. At nullibi constat pœnitentibus hæreticis bona confiscata remitti debere. Ergo non sunt illis remittenda ex iuris rigore. At ex benignitate, & misericordia præstat aliquando remittere (quidquid contrà teneat Conrad Brunus *tractat. de hæreticis, lib.5.cap.6.n.9. & 10.*) Nam textus *in cap. vergentis, de hæreticis*, sufficiens præstat fundamentum ad hanc gratiam præstandam. Inquit enim Pontifex: Neque ad eos (scilicet hæreticos) bona eorum vlteriùs reuertantur, nisi eis ad cor reuertentibus, & abnegantibus hæreticorum consortium misereri aliquis voluerit. & ita tradit glossa *ibi.* Abbas *num.2.in 3.notab.* Felin. *num.4.* Vmbert. Locat. *indicial. inquisit. verbo pœna, num.10.* Simancas *in Enthirid. titul. 58. rubr. de pœnitent. num. 4.* Farinacius *quæst. 25. num. 16. & quæst. 190. §.9. num.144.* Pegna *director. inquisit. 3. part. comment. 158. versic. sed cum ex benignitate.*

2 Quòd si roges, quando ex benignitate remitti debeant hæreticis pœnitentibus bona?

Respondeo primò, quoties pœnitet hæreticus, & misericordiam postulat, antequam accusatus, vel denuntiatus sit. sic Simancas *de catholic. institut. tit.47. num.16. & 17.* Zanch. *tractat. de hæretic. cap.25 num.3.* Ioan. Calderinus *tractat. de hæreticis, num.2. & seqq.* Franc. Pegna *3. part. director. comment. 158. versic. tertia similiter.* iunctis iis quæ dixerat *quæst. 93. comment. 142.* Secundò, si postquam est accusatus, vel denuntiatus, imò captus, statim errorem suum plenè confitetur, antequam dicta testium ei publicata fuerint, videtur ex benignitate bona illi esse remittenda: tradit Squallicens. *tractat. de fide catholica, cap. 30. num. 2.* Farinacius *quæst. 25. num. 6. & quæst. 190. num. 149. iuncto num. 135.* Pegna *director. loco allegato, 2. part. comment. 9. ad cap. vergentis, versic. primo, & secundo.* Vmbert. Locat. *in iudicial. inquisit. verbo gratia, num.3. versic. at vbi inquisitus.* Zanch. *tractat. de hæreticis, cap.25. num.3. versic. imò hodie.* Parisius *consil. 2. num. 184. vers. ad vndecimam dubitationem, lib.4.* Roland. *consf. 91. n.24. lib.3.* & alij plures relati à Farinac. *q. 190. num. 133. & 135.*

3 Tertiò extendunt aliqui ex supradictis Doctoribus ad hæreticum pœnitentem ante sententiam, cui affirmant ex benignitate bona restitui debere, etiamsi post publicata dicta testium pœniteat. sic Farinacius, Vmbert. Locat. Parisius, Roland. nuper allegati. At hoc non credo, quia tunc non ex voluntate videtur fateri delictum, sed quia illo conuictus est. Quapropter hic perpetuo carceri mancipatur, iuxta textum *in cap. excommunicamus 2. §. si qui, de hæreticis.* ibi, *si qui postquam fuerint deprehensi reddere voluerint ad agendam pœnitentiam, in perpetuo carcere detrudantur.* Intelligo autem postquam fuerint deprehensi plenè; hoc est, non solùm captura, sed præcipuè testium depositione. In Hispania autem nemini hæreticorum fit bonorum remissio, nisi tantùm illi, qui spontè errores suos fatetur, hoc est, qui nullo metu probationis, & testificationis ductus ad iudices fidei accedit misericordiam postulaturus. sic Simancas *tit.44. de catholic. institut. num.3.* & tradit Franc. Pegna *3. part. comment. 12. versic. magnam veniam.* Dicitur autem nullo metu probationis duci ad fatendum errorem, quando non vocatus ob denuntiationem, vel accusationem iudicem adit crimina confessurus, vt optimè docuit Abbas *in cap. de hoc, de simonia,* & notauit Pegna *suprà, versic. & metu probationis.*

PVNCTVM XXV.

Qualiter fiscus satisfacere debeat creditoribus delinquentis, cuius bona publicantur, ipséque delinquens liber maneat ab obligatione eis satisfaciendi.

1 *Fiscus tenetur satisfacere omnia debita criminosi ante delictum contracta, si publicet omnia eius bona.*

2 *Si publicet partem, pro parte tenetur.*

3 *Tenetur satisfacere debitis ante delictum, secus post delictum, nisi in vtilitatem delinquentis cesserint.*

4 *Fisco incumbit onus probandi debita contracta esse post delictum.*

5 *Satisfacere debet creditoribus, quos constat tales esse summaria informatione facta.*

6 *Debet satisfacere pro viribus bonorum confiscatorum, & non vltra, tametsi non confecerit inuentarium.*

7 *Item debet satisfacere ex bonis confiscatis, & incorporatis, non ex debitis postea confiscandis.*

8 *Item ex bonis sitis in illo territorio, vbi adsunt creditores.*

9 *Debet item satisfacere prius fiscus, quàm fideiussor delinquentis.*

10 *Fiscus conueniri potest via executiua, si delinquens eadem conueniri poterat.*

11 *Fiscus prius creditoribus, quàm sibi pro expensis factis satisfacere debet.*

12 *Facta confiscatione liberatur debitor à satisfactione exhibenda creditoribus, tametsi ad pinguiorem fortunam deueniat.*
13 *At si confiscatio non fuit omnium bonorum, sed partis, pro parte tenetur delinquens.*
14 *Proponitur quædam obiectio, & fit illi satis.*
15 *Si ex gratia Principis reddita sunt bona delinquenti, tenetur satisfacere creditoribus.*
16 *Fideiussor delinquentis tenetur satisfacere creditoribus, casu quo fiscus non satisfecerit.*

1 CONstat apud omnes teneri fiscum publicantem bona alicuius criminosi satisfacere omnia debita ante delictum contracta, quia fiscus licèt non sit propriè hæres, eo quòd condemnato viuenti succedat; habetur tamen loco hæredis, ac proinde sicut hæres tenetur ad debita soluenda defuncti, ita fiscus ad debita soluenda condemnati. Item fiscus occupare non potest nisi bona delinquentis: at bona delinquentis solùm reputantur ea, quæ deducto ære alieno supersunt: vt expressè habetur *in l. non possunt, 11. ff. de iure fisci.* Dixi teneri ad omnia debita, ad quæ delinquens tenebatur, siue ex mutuo, deposito, commodato, legato, fideicommisso sint contracta; siue ad ea ciuiliter, siue naturaliter tantùm obligetur; quia est vniuersalis successor succedens in omni actione tam actiua, quàm passiua delinquentis. & colligitur ex *l. ex facto. ff. ad Trebellian. & l. Papinian. §. meminisse, ff. de inofficioso testamento.* & aliis quæ congerit Farinacius 1. *part. praxis, quæst. 25. à num. 169. & 186. & de hæresi, quæst. 190. num. 18.*

2 Notanter dixi teneri omnia debita criminosi soluere, si publicet eius bona: nam si solùm publicet partem, pro parte tantùm tenetur; quia tunc solùm pro parte loco debitoris subrogatur: & deciditur *l. fin. C. de debitorib. ciuit. lib. 11.* ibi, *pro rata rerum quas possident, conuenientur.* sic Simancas *de catholic. institut. tit. 9. num. 122.* Sanchez *lib. 2. cap. 22. num. 74. & 90.* Bonacina *disp. 3. de contractibus, quæst. 8. p. vlt. §. 4. num. 1.* Farinacius *quæst. 25. num. 178.*

3 Item dixi esse fiscum obligatum satisfacere debita ante delictum contracta. Nam ad ea, quę post delictum, cui est annexa pœna confiscationis, contracta sunt, non obligatur, nisi inquantum probatum fuerit in vtilitatem delinquentis, & consequenter fisci impensa esse; quia ex bonis priùs fisco obligatis solui posteriora debita non debent. sic Sanchez *num. 76.* Bonacina *d. §. 4. num. 1.*

4 Cùm autem dubium est, an sint debita contracta post delictum, quis debeat hoc probare? Didac. Canteta *quæst. crimin. rubr. de hæret. cap. 1. num. 21.* affirmat debere opponentem probare. Sed verius est fisco semper incumbere; quia constat de debito, & obligatione. Ergo vt fiscus ab illa se eximat, debet probare post delictum prouenire. Item nullus præsumitur delinquere, nisi probetur. Ergo neque contrahere in præiudicium fisci. sic Sanchez, Bonacina *suprà.* & Farinacius *q. 190. n. 28.* Quòd si delicto annexa non sit pœna confiscationis ipso iure, sed veniat imponenda, tenetur eodem modo debita soluere, ac si ante delictum contracta essent, quia tunc delinquens obligare sua bona creditoribus potest, cùm non sint fisco propriè obligata, & quasi hypothecata; aliàs posset omnia bona in tertios alienata auocare hypothecaria actione, quod est falsum, vt bene dixit Bossius *titul. de bonorum publicatione, num. 181.* Farinacius 1. *part. praxis, quæst. 25. num. 190.*

5 Modus autem, quem seruare debet fiscus in satisfaciendis creditoribus, is est. Primò, vt satisfaciat creditoribus, quos tales esse constiterit solo summario examine, & veritate inspecta, neque definitiuam sententiam spectet, colligitur ex *l. si quis posthac, in princ. C. de bonis proscript.* & ibi Salicet. *in fine.* Farinacius *quæst. 25. num. 176.* Clarus *pract. q. 78. versic. sed quæro.* Sanchez *lib. 2. cap. 22. num. 81.* & alij apud ipsos. Et ratio est manifesta, quia delinquens solo hoc summario examine, & veritate inspecta obligatur debita soluere. Ergo similiter obligari debet fiscus, qui loco illius subrogatur.

6 Secundò debet satisfacere pro viribus bonorum confiscatorum, & non vltrà; etiamsi inuentarium non confecerit, quia fiscus solùm ratione bonorum obligationem satisfaciendi creditoribus subiit. Ergo non potest ipsa bona accepta excedere obligatio. Neque obstat hæredem non conficientem inuentarium teneri debita soluere vltra vires hæreditarias. §. *si verò non fecerit, authent. de hæredibus, & falcidia, & auth. sed cùm testator, in fine, C. ad legem falcid.* quia hoc in fisco non procedit, qui propriè hæres non est, ac proinde obligatus non est conficere inuentarium: vt tradit Bart. *in l. 1. §. an bona,* & ibidem Alexand. *in additionibus ff. de iure fisci.* sic Clarus *pract. q. 78. n. 30.* Bossius *pract. tit. de bon. public. num. 23.* Peregrin. *de iure fisci, lib. 5. tit. 1. num. 64.* Sanchez *lib. 2. cap. 22. num. 83.* Farinacius *quæst. 25. num. 183. & seqq.*

7 Tertiò debet satisfacere ex bonis confiscatis, & incorporatis, non ex debitis postea confiscandis: sicut enim ipse debitor delinquens non poterat creditoribus inuitis dare in solutum nomina sui debitoris: vt colligitur ex *l. cùm à quo,* & ibi Bald. & Salicet. *C. de solutionib.* sic neque fiscus loco debitoris subrogatus id facere poterit: sic aliis relatis docet Farinacius *dict. quæst. 25. num. 174. & 175.*

8 Quartò, satisfactio præstanda est creditoribus vnius territorij ex bonis ibidem confiscatis, non ex bonis alibi confiscatis; quia creditori satisfaciendum est eo in loco, vbi contractus celebratus est, non alibi ipso creditore inuito. *l. is qui certò.* & ibi Bart. *ff. de eo quod certo loco.* & sicut quilibet fiscus bona sita in suo territorio occupare potest, & non alia; ita debita ibidem contracta satisfacere debet, & non alia. Quòd si creditores vnius territorij vellent sibi fieri satisfactionem ex bonis alibi confiscatis, & ad diuersum fiscum pertinentibus; non tenetur eis fiscus soluere, cùm bona confiscata in illo territorio sufficiunt, quia esto creditor habens bona debitoris sibi hypothecata, possit ex quibuscumque illius bonis, etiam in alio territorio sitis, petere satisfactionem fieri, ex textu *in l. creditoribus, ff. de distract. pignor.* at facta confiscatione id fieri non potest, ne fiscus vnius territorij omnibus bonis confiscatis sibi pertinentibus priuetur, altero fisco illæso remanente, sic relato Cyno, Petr. Bald. & Angelo *in l. ex facto. ff. de hæredibus instituend.* tradit Farinacius *quæst. 25. num. 173.* Clarus *pract. quæst. 78. versic. sed quæro, an hoc casu.* Sanchez *lib. 2. cap. 22. num. 78.* At si bona vnius territorij ad debita ibidem contracta soluenda non sufficerent, ex bonis in alio territorio sitis, illis esset satisfaciendum, quia absolutè sunt bona delinquentis, qui est obligatus, cuius obligationis satisfactio præferenda est iuri per fiscum acquisito. sic Clarus, Sanchez, Farinac. *suprà.*

9 Quintò, debet fiscus satisfacere creditoribus, priusquam fideiussor ipsius delinquentis, quia loco delinquentis subrogatur; quare si creditores à fideiussore debitum exigant, poterit fideiussor excipere excussionem faciendam à fisco in bonis confiscatis, sicuti poterant excipere excussionem faciendam à debitore, si debitor non fuisset delinquens, ex *authent. præsente, C. de fideiussoribus, authent. quòd si debitor, C. de pignoribus.* sic multis relatis aduersùs alios contrarium sentientes firmat Farinacius *quæst. 25. num. 171.* Sanchez *cap. 22. num. 79.*

10 Sextò

10 Sextò eadem ratione, si via executiua conueniri poterat, delinquens, & fiscus etiam conueniri poterit, & obligari soluere; fiscus enim non censetur priuilegiatus, nisi in casibus a iure expressis. *l.1.* & ibi Cynus, *C. de petitione hæreditatis*, *l. quod placuit*, *ff. de iure fisci*. sic Sanchez alios referens, *num.*80. Non tamen poterit fiscus conueniri coram iudice delinquentis, etiamsi instantia cœpta fuerit contra delinquentem, sed necessariò conueniendus est coram proprio iudice: quod latissimè probat Barbosa *in l. si constante*, *§. fin. à num.* 19. *ff. soluto matrimonio*. cuius ratio mihi firma non videtur, illam tamen firmam putarem, quæ ex priuilegio fisci desumitur. Cùm enim fisco concessum sit, vt nunquam conueniri possit, nisi coram proprio iudice, ex *l.* 1. *& 2. C. vbi causæ fiscales*, *l.* 2. *C. si aduersus fiscum*, *l. cùm eorum*, *C. de sentent. & interlocut. omnium iudicum*, *l.* 1. *C. de fide instrument. lib.* 10. *l. si constante*, *§. fin. ff. soluto matrimonio*. Neque alicubi habeatur exceptio, cùm causa cœpta est coram alio iudice, censeo in hoc casu coram proprio iudice esse conueniendum: consentit Farinacius 2. *part. fragment. verbo fiscus*, *num.* 185. Secus verò dicendum videtur, si iure hæreditario succederet, aut post latam sententiam in causa appellationis, ex traditis a Peregrino *de iure fisci*, *lib.* 7. *titul.* 1. *num.* 11. *&* 12.

11 Septimò, si bona delinquentis condemnati insufficientia sunt ad satisfaciendum creditoribus, & fisco pro expensis factis in illius condemnatione, & bonorum publicatione; prius fiscus satisfacere debet creditoribus, quàm sibi. Tum quia creditoribus iam erat ius quæsitum, quod diminui non debet ob debitum postea contractum. Tum & præcipuè, quia Princeps suis expensis debet delinquentes persequi, iuxta *l.* 1. *C. de muliere, quæ se publicè commiscuit*. sic Baiard. ad Clarum, *quæst.* 78. *num.* 169. *lib.* 5. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 22. *num.* 93. Bonacina *disput.* 3. *de contractibus*, *quæst.* 8. *punct. vltim. §.* 4. *fine*. Esto contrà teneat Peregrinus *de iure fisci*, *lib.* 5. *titul.* 1. *num.* 193. Matth. de Afflictis *cap.* 1. *§. & bona committentium*, *num.* 129. *tit. quæ sint regalia in vsibus feudorum*. nixi quòd fiscus in hoc agat vtiliter negotium creditorum. Quod fundamentum infirmum est; cùm potiùs negotium creditorum infirmetur, tum ob expensas factas, tum quia transfertur debitum in potentiorem, qui est fiscus. Adde punitionem delinquentium non creditoribus, sed reipublicæ pertinere. Idem quod dictum est de creditoribus fisco præferendis, dicendum est de pœna imposita à fisco pro reparatione alicuius damni illati à delinquente: hæc enim pœna præferenda est cuilibet aliæ pœnæ fisco applicandæ, quia damnum passus est creditor, cui delinquens iure naturæ satisfacere erat obligatus. Ergo fiscus succedens in iuribus tam actiuis, quàm passiuis delinquentis, hanc tenetur satisfactionem præstare, prius quàm sibi bona delinquentis applicet. sic Farinacius *quæst.* 25. *num.* 189. vbi testatur sæpiùs se vidisse seruatum: consentit Sanchez *lib.* 2. *cap.* 22. *in fine*. Bonacina *dict. disput.* 3. *quæst.* 8. *punct. vltim. §.* 4 *fine*. Secus verò dicendum est de pœna pecuniaria imposita delinquenti, non in reparationem alicuius damni, sed pro delicto commisso; applicanda tamen alicui priuato: hæc enim pœna præferenda non est pœnæ fisco applicandæ, si bona delinquentis vtrique soluendæ non sufficiunt; quia fiscus in hac parte dignior est, & priùs illi satisfieri debet. *l.* 1. *C. pœnis fiscalibus creditores præfer. lib.* 10. *l. quod placuit*. *ff. de iure fisci*. & tradit Farinacius *suprà num.* 188. cum Couarr. *var. resolut. lib.* 1. *cap.* 16. *num.* 8. Claud. Battan. *reg. crimin.* 140. *n.* 1. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 22. *num.* 94. Clarus *pract. lib.* 5. *quæst.* 78. *num.* 31. *versic. vidi quandoque*.

12 Facta confiscatione liberatur delinquens ab omni obligatione satisfaciendi creditoribus; etiamsi postea ad pinguiorem fortunam deueniat, quia tota obligatio satisfaciendi transmissa est in fiscum, & extincta in delinquente, iuxta textum *in l. si debitori*, *in princip. ff. de fideiussoribus*. ibi, *si debitori deportatio irrogata est, non posse pro eo fideiussorem accipi*, *scribit Iulian. quasi tota obligatio contra eum extincta sit*. Idem colligitur ex *l.* 1. *C. de fideiussoribus*. sic Peregrinus *de iure fisci*, *lib.* 5. *titul.* 1. *num.* 55. Simancas *de catholic. institut. titul.* 9. *num.* 122. Vasquez 1. 2. *disput.* 169. *cap.* 2. *num.* 20. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 22. *num.* 86. *&* 87. Farinacius 1. *part. praxis*, *quæst.* 27. *num.* 177. *& de hæresi*, *quæst.* 190. *num.* 29. Bonacina *disput.* 3. *de contractibus*, *quæst.* 8. *punct. vltim. §.* 4. *num.* 3. Hoc autem intelligendum est primò, dummodo bona confiscata sufficientia sint debitis soluendis. nam solùm pro illorum potentia suscepit fiscus obligationem. sic Vasquez *num.* 21. Bonacina *suprà*. Sanchez *num.* 89. Farinacius *quæst.* 190. *num.* 29. Quocirca si aliqua debita remanserunt insoluta, eo quòd bona confiscata solutioni omnium non adæquarunt, & condemnatus redit ad pinguiorem fortunam, debet ex bonis denuo acquisitis satisfacere; quia obligatio satisfaciendi illis debitis non fuit extincta, sed suspensa, dum carebat satisfaciendi potentia: sic relati Doctores. Secundò intelligit Sanchez *num.* 91. non manere delinquentem obligatum satisfacere creditoribus, si bona confiscata sufficientia solutioni fuerunt, dummodo potuerint creditores à fisco bona recuperare, & negligentia sua non recuperarint; secus verò si non potuerunt vel ex defectu probationis, vel quia magnis expensis opus erat; quia non videtur iustum absque culpa sua debito priuari. At hoc mihi difficile videtur, & oppositum credo probabilius, quia delinquens non est in causa, vt creditores ij careant probatione; neque quòd in recuperatione debiti magnas expensas insumant; hoc enim alienum est à suo delicto, & primæua obligatione. Ergo non est cogendus illis satisfacere, cùm iam quantum est ex parte sua plenè satisfecerit, transferendo obligationem in fiscum; aliàs bis idem delictum cogetur soluere; primò cùm bona sufficientia solutioni transfert in fiscum. Secundò cùm debitum effectiuè soluit.

13 Verùm si confiscatio non fuit omnium bonorum, sed partis, vel si facta fuit omnium bonorum, pars tamen illi restituta est, tunc fiscus solùm pro rata illius partis tenetur ad debita; & similiter condemnatus pro parte residua tenetur: deciditur *l.* 1. *C. de fideiussoribus*. ibi, *si Lysias adempta parte bonorum exulare iussus est, non nisi pro parte, quam retinuit, creditoribus obligatus est*. Ratio est manifesta, quia hæc obligatio satisfaciendi annexa est bonis confiscatis, quare si cum effectu non transferuntur omnia bona in fiscum, sed solùm pars, & pars relinquitur condemnato, pro parte tantùm fiscus, & condemnatus tenebuntur, & inter vtrumque obligatio diuidetur.

14 Dices, ex facto debitoris nō potest ius creditorum fieri deterius: si autem posito delicto, & confiscatione facta creditores non possunt à debitore integrum debitum petere, sed partem tantùm, & aliam partem fisco, eorum ius deterius redderetur, quia in plures partes distinguitur. Ergò in hoc casu non est admittenda debitorum diuisio, sed dicendum vtrumque teneri debita soluere, prout creditoribus placuerit.

Respondeo verum esse ex persona hęredum non immutari conditionem obligationis, sed posse creditores à quocumque hærede habente bona obligata sui debitoris integrum debitum exigere. *l.* 2. *§.* 1. *ff. de verb. oblig.* At in casu præsenti aliter est dispositum, vt constat ex *l.* 2. vbi Bald. & Salicet. *C. ad legem Iuliam de vi publ. & l. si marito*, *vbi glossa*, *ff. soluto matrim. & dict. l.* 1. *C. de fideiussoribus*. quia contra voluntatem ipsius debitoris bona

bona fiſcus aufert, ex quibus debebat creditoribus ſatisfacere. Iuſtum ergo eſt, vt ſubeat pro rata obligationem: aliàs ſi totam obligationem ſatisfaciendi debitori relinqueret, ſæpè confiſcatio partialis confiſcationi abſolutæ æquiualeret, neque vllam gratiam cenſeretur facere, relinquens aliqua bona, ſi ex illis creditoribus debet fieri integra ſatisfactio: ſic alios referens Sanchez *lib.2.cap.22.num.*88 *&* 90. Farinacius *quæſt.*25. *num.*78.*&* 79. Simancas *de catholic.inſtit.tit.*9.*num.*122. Bonacina *diſput.*3. *de contractibus,q.*8.*p.vlt.§.*4.*propoſit.*2. *num.*3.

15 Sed quid ſi facta confiſcatione omnium bonorum ex gratia Principis reſtituantur condemnato bona confiſcata?

Reſpondeo in tali caſu obligatum eſſe creditoribus ſatisfacere; quia hæc obligatio ſatisfaciendi, quæ translata erat in fiſcum ratione bonorum, iterum redit ad debitorem: ſi autem non omnia bona, ſed pars reſtituitur, pro parte conueniri poterit, probat textus *in l.*3.vbi Angel.Bald.& Salicet.*C.de ſentent. paſſis*,& tradit plures referens Farinacius *quæſt.*25.*num.*178.*&* 179. Simancas *de catholic. inſtitut. tit.*9. *num.*122. Bonacina *diſput.*3. *de contractibus*, *quæſt.*8. *punct.vltim.§.*4. *propoſit.*2. *num.* 3. Neque ab hac obligatione creditoribus ſatisfaciendi excuſatur ex eo, quòd per negligentiam noluerit bona à fiſco recuperare, quia ſufficit habere ius recuperandi, vt conueniri poſſit, & debeat creditoribus ſoluere. ſic Farinacius *ſuprà num.*180.*ex text.in l.penult ff.de ſententiam paſſis gloſſa in l.*4.*eodem tit.* & Angel. *in l.ſi debitor,in fine,C.eodem tit.* Hoc autem limitat Farinacius *num.*181. cum Sfortia Oddo Peruſ.*tractat.de reſtitut.in integrum*, 2.*part.quæſt.*97.*art.*3.*per totum,num.*15. *& ſeqq.*& P.Anton.Auguſt.*conſ.*10.*num.*17. *& ſeqq.lib.*3. non procedere quando confiſcatis bonis debitoris fiſcus emiſiſſet proclama, vt intra certum tempus omnes creditores comparerent, & docerent de ſuo credito: quo lapſo, & de credito non docto ampliùs ad aliquid petendum non admitterentur, dictante ſic aliqua conſtitutione ſpeciali, conſuetudine, vel ſtatuto: tunc enim ſi creditores in petendo debito negligentes fuerint, cadent à debito, neque poterunt fiſcum, & conſequenter neque debitorem, cui bona ſunt iterum reſtituta, moleſtare. Quia fiſcus iam aduerſus creditores præſcripſit, & præſcriptione illa ius eorum extinxit, quo extincto ampliùs reuiuiſcere non poteſt.

16 Tandem aduerto fideiuſſorem condemnati non obligatum non eſſe ſatisfaciendi creditoribus; ſi forte fiſcus non ſatisfecerit, quia fideiuſſor in defectum principalis ſuccedit: & deciditur *l.*1.*C.de fideiuſſ.* [illegible], *verùm qui pro eo litem ſuam adſtrinxerunt, conueniri [illegible] &* l. *ſententia,C.eod.* & tradit Farin.alios referens,*q.*25.*n.*178. Sanchez *lib.*2. *cap.*22.*n.*92.

Pvnctvm XXVI.

Quæ ſint aliæ pœnæ temporales præter confiſcationem bonorum hæretico impoſitæ.

1 *Prima pœna eſt incapacitas teſtandi: cenſeo tamen probabilius non eſſe ipſo iure nullum teſtamentum, ſed annullandum.*

2 *Secunda eſt priuatio ſucceſſionis ex teſtamento, vel ab inteſtato.*

3 *An ſit incapax, vel indignus examinatur.*

4 *Communis ſententia defendit durante hæreſi incapacem eſſe.*

5 *Hæreticus durante hæreſi hæreditatem ſibi delatam reſtituere debet hæredibus ab inteſtato, attento iure regio Caſtellæ, ſecus ſpectato iure communi, docet Sanchez.*

6 *Infirmatur ſupradicta ſententia, & ſolum ob authoritatem affirmandum eſt hæreticum occultum incapacem eſſe ſucceſſionis.*

7 *Hæreticus reconciliatus capax eſt hæreditatis, & legati.*

8 *Bene poteſt hæreticus hæreditatem repudiare.*

9 *Legato alimentorum capax eſt hæreticus, quia non publicatur.*

10 *Communis ſententia tenet eandem incapacitatem habere hæreticum reſpectu donationis, ac habet reſpectu legati.*

11 *Spectato iuris rigore contrarium eſt probabilius.*

12 *Tertia pœna eſt exemptio filiorum à patria poteſtate.*

13 *Non poteſt filio impuberi pupillariter ſubſtituere.*

14 *Neque obligatus eſt filius parenti hæretico alimenta præbere extra extremam neceſſitatem.*

15 *Fautores hæreticorum hac pœna non puniuntur.*

16 *Quarta pœna hæreticorum eſt priuatio dominij in ſeruos, ſed non habet locum hæc pœna ante ſententiam declaratoriam criminis.*

17 *Serui tranſeunt in fiſci ſeruitutem ex multorum ſententia.*

18 *Diſtinguitur inter ſeruos Chriſtianos, & paganos, & ſerui Chriſtiani obtinent libertatem, pagani in ſeruitutem fiſci tranſeunt.*

19 *Quinta pœna eſt amiſſio cuiuſlibet iuris, & obligationis, neque deſunt Doctores, qui dicant habere locum hanc pœnam ante ſententiam.*

20 *Sed probabilius eſt ſententiam declaratoriam requiri.*

21 *Debitores non eximuntur à debiti ſolutione, ſed tranſit obligatio in fiſcum.*

22 *Sexta pœna eſt, quòd ſeruanda non ſit fides eis data, & ſecuritas promiſſa. Subintelligitur à priuata perſona, non à publica.*

23 *Septima pœna eſt deſtructio domus, in qua conuenticula fecit, vel ſe occultauit.*

1 PRimam pœnam enumerare poſſumus incapacitatem teſtandi: cùm enim à die commiſſi criminis omnia eius bona fiſco addicta ſint, inteſtabilis redditur: vt dicitur *in cap.excommunicamus* 1. §. *credentes, de hæreticis.* ibi, *ſit etiam inteſtabilis, vt nec teſtandi liberam habeant facultatem*, qui textus etſi de fautore hæreticorum loquatur, à fortiori de ipſo hæretico eſt intelligendus: & tradunt omnes. Solùm eſt controuerſia, an ita hæreticus ante condemnationem incapax ſit teſtandi, vt eius teſtamentum nullum ſit ipſo iure, an ſolùm ſit annullandum? Credo probabilius non eſſe ipſo iure nullum, ſed annullandum per ſententiam: quod, meo iudicio, ſatis indicatur. in ſupradicto textu cùm dicitur: *nec teſtandi liberam habeat facultatem*; quaſi diceret, habet quidem facultatem teſtandi, ſed non liberam; aliàs diceret, nec teſtandi vllam habeat facultatem: ſic docet Molin. Societatis IESV *tom.* 1. *diſput.* 95. *poſt medium, verſic.ſecundum eſt.* Vaſquez 1.2.*diſput.*171.*cap.*1. *num.*11. Sanchez aliis relatis, *lib.*2. *cap.*24. *num.*3. indicat Farinacius illum referens, *quæſt.*190. §.6.*num.*89. *in fine.* Vaſquez *de teſtament. cap.*9. §.1. *dub.*4. *num.*11. *&* §.4.*dub.*5. *num.*164. Ratio eſt, quia ſecundùm probabiliorem ſententiam, quam ſuprà docuimus, hæreticus non priuatur dominio vtili ſuorum bonorum, & poteſtate in alios transferendi, quouſque ſententia condemnatoria, ſeu declaratoria criminis accedit. Ergo ex vi huius dominij, & poteſtatis, ſicut poteſt ſua bona quolibet contractu validè eſto reuocabiliter alienare; poterit & teſtamento. Subdit verò Farinacius *quæſt.*190. *num.*93. cum Repert.inquiſit. *verbo pœna*, *verſic.item ex hæreticus reconciliatus.* Ioan. Calder.*tract.de hæret.rubr.de pœnis*

patris hæretic. *filiorum, & nepot. num. 3. fine.* hæreticum pœnitentem, & Ecclesiæ reconciliatum non posse testari de bonis acquisitis post abiurationem; quia ex *supradicto cap. excommunicamus*, redditur intestabilis. At hoc non credo, quia solùm redditur intestabilis ex bonis confiscationi subiectis, vtpote quæ non sunt delinquentis, sed fisci: at confiscatio non extenditur ad bona futura, & post sententiam acquisita, vt suprà diximus. Ergo neque impotentia testandi ad illa debet extendi, fauétque *l. regia 4. Tauri hodie, l. 3. tit. 4. lib. 5. recopilat.* vbi de bonis confiscationi non subiectis datur facultas testandi quibuscumque reis: & ita tradit alios referens Sanchez *lib. 2. cap. 24. num. 4.* & expresse Vasquez *opuscul. de testament. cap. 9. §. 1. n. 26.*

2 Secunda pœna enumeratur priuatio successionis ex testamento, vel ab intestato, quæ videtur probari ex *dicto cap. excommunicamus, el 1. §. credentes, de hæreticis.* ibi, *nec ad hæreditatis successionem accedat*; & *in l. Manichæos, §. 1. in fine, C. de hæreticis*, dicitur, *ipsos quoque volumus amoueri ab omni liberalitate, & successione quolibet titulo venientes. & in l. Arriani, §. cunctis, in illis verbis, siue ex vltima voluntate, rebus qualitercumque relictis, C. eodem titul.* & multis comprobat Ioan. Calderinus *tractat. de hæreticis, rubr. de pœnis hæreticor. num. 2.* Simancas *de catholic. institut. titul. 46. num. 55. & in Enchirid. violatæ religion. titul. 67. eadem rubr. de pœnis, num. 3.* Farinacius *de hæresi, quæst. 190. num. 93.* Quod verum habet, etiamsi in testamento militum legatum relictum sit, adhuc hæreticus illo priuatur, vt est expressa decisio *l. vltim. C. de hæreticis.* ibi, *iussimus neminem errore constrictum, hæreticorum hæreditatem, vel legatum, vel fideicommissum accipere; etiam in vltimis militum voluntatibus.* & tradit Alberic. & Salicet. *ibi.* Decian. *tractat. crimin. lib. 5. cap. 44. num. 17.* Petrus Gregorius *syntagm. iuris, lib. 33. cap. 8. num. 11.* Carer. *tractat. de hæretic. num. 151.* quos refert, & sequitur Farinacius *de hæresi, quæst. 190. num. 95.* Item non solùm priuatur hæreditate ex testamento, vel ab intestato relicta, sed etiam contractu inter viuos, donatione scilicet, ex text. *in l. Arriani, §. cunctis*, ibi, *siue de donationibus hæreticorum conuenticula, C. de hæret.* sic pluribus relatis firmat Farinacius *n. 96.*

3 Difficultas autem est, an ita hæreticus priuetur successione ex testamento tempore hæresis, vt illius incapax sit, vel solùm sit indignus. Nam si incapax est successionis, omnia quæ illi deferuntur, aut relinquuntur, non fisco, sed venientibus ab intestato proueniunt. *l. si quis mihi bona, §. si quis planè, ff. de acquirend. hæredit. l. 1.* & ibi communiter omnes, *C. de hæredibus instituendis.* At si capax est, sed indignus, fisco, & non venientibus ab intestato applicatur. *l. Papinian. §. meminisse, & l. cum talibus, §. fin. ff. de his, quibus, vt indignis, l. 1. ff. de iure fisci.* & tradit alios referens Farinacius *quæst. 25. num. 139.* Sanchez *lib. 2. cap. 14. num. 32.*

4 Negari non potest communem esse sententiam hæreticum durante hæresi incapacem esse qualibet successione, & legato: constat ex Doctoribus, quos exactè referunt Farinacius *de hæresi, quæst. 190. num. 93. & seqq.* Sanchez *lib. 2. cap. 14. num. 32. & 33.* Præcipuum fundamentum desumitur ex *dicto cap. excommunicamus, §. credentes*, vbi apertè dicitur, neque ad hæreditatis successionem accedat. Et licèt de credentibus, fautoribus, & receptatoribus hæreticorum loquatur, quando excommunicatione notati sunt, & contemnunt intra annum satisfacere, non obstat, quominus de hæreticis efficaciùs intelligatur; quia hæreticus est fictione iuris, qui ob fautoriam hæresis excommunicatione notatur, & intra annum satisfacere contemnit. Si ergo de hoc hæretico intelligitur, à fortiori intelligendus est de illo, qui verè, & propriè hæreticus est; & ita hunc textum intelligunt Doctores communiter, vt videre est in Farinacio *in prædicto loco.* Neque aliquod fundamentum video pro hac sententia firmum: vt bene expendit Sanchez contrarium sentiens *lib. 2. cap. 14. num. 31.* Nam illud quod desumitur ex crimine læsæ maiestatis, quod aliqui magni faciunt, quod reddit committentium filios incapaces qualibet successione siue ex testamento, siue ab intestato. *l. quisquis, §. filij, C. ad legem Iuliam maiest.* ibi, *ab hæreditate, & successione habeantur alieni.* & rursus, *testamentis extraneorum nihil capiant.* Quod à fortiori dicendum est de ipsis delinquentibus; vt multis comprobat Farinacius *de crimine læsæ maiestatis, quæst. 102. num. 73.* Menochius *de præsumpt. lib. 5. præsumpt. 45. num. 21.* Cùm ergo crimen læsæ maiestatis diuinæ grauius sit, in illo hæc pœna locum habere debet. Hoc autem fundamentum, vt bene comprobat Sanchez *lib. 2. cap. 28. num. 5. circa finem*, infirmum est: non enim pœnæ extendendæ sunt de vno casu ad alium grauiorem, si in grauiori non sunt expressæ: id enim solùm probat posse conuenienter extendi, non tamen extensas de facto esse.

5 Ex hac resolutione communi sequitur debere hæreticum durante hæresi restituere hæreditatem sibi delatam hæredibus ab intestato venientibus; quia cùm ipse incapax sit illius, aliis acquiritur. Non ergo habet titulum ad retinendum, & in hac illatione omnes consentiunt. quam illationem etiam Sanchez suprà relatus *num. 34.* admittit attento iure regio Castellæ, quia *in l. finali, tit. 7. part. 6.* dicitur, *Eso mesmo seria, si algun Christiano estableçiesse por su heredero a algun hereje, Moro, o Iudio, calatal heredad, en que fuesse estableçido alguno destos, auerlaian los mas propinquos parientes del testador, enuel Rey.* Et licèt de sola hæreditate ibi sit sermo, idem est de quolibet alio legato, iuxta *regul. §. legari, Institut. de legatis.* ibi, *legari autem illis solùm potest, cum quibus testamenti factio est*, id est, iis, qui possunt in testamento hæredes institui: vt explicat ibi glossa; & loquens de apostata videtur hæc capacitas constituta *in l. regia 5. titul. 25. part. 7.* ibi, *Apostata no puede ser estableçido por heredero de otros, en ninguna manera, e manda, e donaçion, que le vbiesse fecho, o que el ficiesse a otro, no valga des de aquel dia, que el apostato.*

At attento iure communi Sanchez inquit sibi probabilius videri hæreticum incapacem non esse successionis, nec donationis; sed solùm esse indignum, ac proinde ante sententiam non teneri hæredibus, nec fisco restituere. posita tamen sententia ea omnia ab illo aufert fiscus tanquam ab indigno: adducit pro se Imolam *cap. 2. num. 44. de testament.* Lessium *lib. 2. de iustit. cap. 19. dub. 5. num. 52.* Molin. *tom. 1. de iustit. disput. 154. vers. cap. felicis, & tom. 3. disput. 658. num. 19. statim in princip.* Azor *tom. 1. institutionum moralium, lib. 5. cap. 8. quæst. 1.* Rojas *singul. fidei, singul. 79. num. 2.* Decian. *practicar. crimin. lib. 5. cap. 44. num. 17.* Carer. *tractat. de hæretic. num. 151. versic. imo tunc fiscus vindicat.* Mouetur, quia nullo textu iuris communis hæc incapacitas statuta est.

6 At hoc facilè repellitur ex *supradicto cap. excommunicamus*, ponderatione à nobis facta. Neque in iure regio video decisionem aliquam specialem, quæ obliget ad affirmandum hæreticum incapacem esse successionis, quæ tamen non obliget stante iure communi. Nam *l. regia fin. tit. 7. part. 6.* vbi deciditur hæreditatem, in qua hæreticus, Maurus, aut Iudæus constitutus est, deuenire ad propinquos parentes, explicari poterat de hæretico, Mauro, & Iudæo per sententiam declarato. Et eandem explicationem adhibere possemus *l. regia 5. tit. 25. part. 7.* vbi dicitur, apostatam non posse hæredem institui, id est, apostatam declaratum, &

& cùm subditur, legatum, & donatio illi facta, vel quam ille alteri facit, non valeat à die commissi criminis, intelligi potest, non valeat irreuocabiliter: fauétque huic explicationi ipsa *lex regia 4. tit. 26. part. 7.* vbi specialiter dicitur non debere valere donationem, &c. à die, quo per sententiam iudicatus est hæreticus. Ergo in iure regio non est aliquis textus manifestè probans hæreticum occultum, & per sententiam non declaratum incapacem esse successionis, sed ad summum probat esse quidem capacem irreuocabilis successionis; at reuocabilis capacem esse. Quæ explicatio etiam adhiberi poterat textibus adductis iuris communis, specialiter textui, *excommunicamus, §. credentes, de hæreticis*, vbi dicitur, neque ad hæreditatis successionem accedat, vt non accedat irreuocabiliter, dum per sententiam non est hæreticus declaratus.

Quapropter censeo neque iure regio, neque iure communi expresè probari incapacitatem succedendi hæreticum occultum, & per sententiam non declaratum. At nihilominus in consulendo, & iudicando à communi sententia recedendum non est, sed absolutè affirmandum hæreticum durante hæresi incapacem esse cuiuslibet successionis, & legati. Neque fiscum in tali hæreditate locum habere, sed applicandam esse hæredibus ab intestato: neque alia ratione ducor efficaci, nisi quia est communis sententia. quæ omnia nouiter probat Vasquez *opusc. de testament. cap. 9. §. 4. dub. 2. n. 122.* Reputarem tamen hoc limitandum esse, vt non procedat in hæreditate, & legato relicto ei, quem scis esse hæreticum; quia tunc in pœnam peccati, quòd incapacem, vel saltem indignum institueris, poterit fiscus hæreditatem, & legatum occupare: & probat textus *in l. quæ de Samaritis, C. de hæreticis.* ibi, *delatam ipsius successionem vendicat fiscus.* interim tamen, quòd non pronuntiat fiscus sententiam condemnatoriam, hæredibus ab intestato applicatur. sic Simancas *de cathol. institut. tit. 46. n. 56.* Azor *tom. 1. instit. mor. lib. 5. cap. 8. q. 1. & lib. 8. cap. 12. q. 8.* Farinacius *de hæresi, q. 190. num. 104.* Sanchez *lib. 2. cap. 14. n. 38. & 39.*

7 Dixi hæreticum durante hæresi incapacem esse hæreditatis, & legati. nam postquam ab illa absolutus fuit, & Ecclesiæ fuit reconciliatus, capax omnino est; quia cessat ea incapacitas: sic ferè omnes Doctores. An verò capax sit, si ab illa pœnituit, interim dum non absoluitur, negat Vasquez 1. 2. *disput. 169. cap. 3. in princ. & dict. opusc. de testament. cap. 9. §. 4. dub. 2. num. 123.* consentit Simancas, etsi dubius, *de catholic. instit. tit. 9. n. 125.* Mouentur, quia interim dum non absoluitur, in hæresi censetur perseuerare. At credo probabilius capacem esse, non solùm in foro conscientiæ, vt docet Sanchez *lib. 2. cap. 14. num. 40.* sed etiam in foro exteriori, si de vera pœnitentia constet; quia esto excommunicatio tollatur per absolutionem, & non per pœnitentiam: at hæresis sola pœnitentia aufertur, sed incapacitas succedendi non prouenit ab ipsa excommunicatione, sed ab ipso peccato hæresis. Ergo sublato peccato per pœnitentiam incapacitas omnino tollitur.

8 Ex his infertur hæreditatem, & legatum relictum hæretico, non solùm posse ipsum hæreticum, sed debere repudiare, quia secundùm nostram sententiam incapax est illius. At retenta contraria sententia, esse quidem capacem, dum per sententiam non condemnatur; plures Doctores censent repudiare non posse, quia talis repudiatio cedit in fisci fraudem: sicuti non potest licitè debitor in fraudem creditorum hæreditatem sibi delatam repudiare, esto possit validè.

At dicendum est repudiationem hæreditatis factam ab hæretico & validam esse, & licitam. Tello *l. 4. Tauri, num. 62. & seqq.* Vasquez 1. 2. *disput. 172. cap. 3. num. 13. & seq.* sed præcipuè *opusc. de testament. cap. 9. dub. 6. n. 24.* Ratio est, quia nulli prohibita est talis repudiatio; quia solùm hæretico prohibitum est alienare quod suum est, & fisco obligatum: non autem prohibitum est omittere acquirere, quod alienum est, & fisco deuenire potest. At repudiatio hæreditatis est quædam alieni iuris acquisitionis omissio; cùm ergo prohibita hæc hæretico non sit, poterit licitè fieri. Neque obstat *l. in fraudem, 45. ff. de iure fisc.* vbi videtur æquiparari alienationem rerum, quæ possidentur à damnato, cum omissione acquisitionis. Inquit enim Imperator: In fraudem fisci non solùm per donationem, sed quocumque modo res alienatæ reuocantur. *Idémque iuris est, etsi non quæratur, æquè enim in omnibus fraus punitur.* Non, inquam, obstat, quia, vt rectè respondet Vasquez *disput. 172. cap. 3. circa finem.* Tello *dict. l. 4. Tauri, n. 64.* & Sanchez *lib. 2. cap. 14. num. 53.* in supradicto textu non est sermo de renuntiatione hæreditatis delatæ, sed de alienatione iuris quæsiti facta in fraudem fisci, siue per alienationem transferatur dominium, siue non: hoc enim vltimum significat dictio illa, *etsi non quæratur*, quia ad fraudem fisci faciendam impertinens est, quòd per alienationem ius alteri quæratur, aut non quæratur.

9 Sed inquires primò, quid dicendum de legato alimentorum, an illius capax sit hæreticus, dum in hæresi perseuerat? Et quidem hoc legatum habet tractum successiuum, ita vt tot censeantur facta legata, quot sunt anni, quibus legatum cedere debet. *l. si cum præfinitione, ff. quando dies leg. ced.* Quapropter omnium illorum alimentorum, quæ post absolutionem, vel pœnitentiam hæresis succedunt, capax erit, ita vt fiscus nullo modo ea occupare possit. Illorum tamen, quæ tempore hæresis cedunt, existimat Sanchez *lib. 2. cap. 14. num. 43.* capacem esse hæreticum, sed fiscum ea vsurpare posse, si cùm pronuntiauit sententiam condemnatoriam, ea inuenit inter delinquentis bona, quia illa sunt bona præsentia. Cæterùm crederem hæc alimenta nullo modo publicari. nam si illorum incapax est hæreticus tempore hæresis, non fisco, sed hæredibus ab intestato debent applicari. Si autem capax est, aliter quàm capax est cuiuslibet alterius donati, fit sanè capacem esse irreuocabiliter: nam aliorum legatorum, in sententia Sanchez, capax reuocabiliter censetur. Ergo aliquid speciale concedi debet huic alimentorum legato: sicuti concedit expresè *l. 3. ff. de his, quæ pro non scriptis habent. iuncta glossa, & l. is cui, 11. ff. de aliment. & cibar. legat.* vbi de damnato in metallum, & postea restituto dicit Imperator tempore damnationis rectè cepisse alimenta, & post restitutionem ei deberi. Ergo dicendum est hoc legatum etiam durante hæresi non publicari: sic absolutè de confiscatione loquens, tenet Farinacius plures referens, *quæst. 25. num. 145.* indicat Vasquez *disput. 169. cap. 2. fine.*

10 Inquires secundò, quid dicendum sit de donatione facta hæretico? An illius incapax sit, sicut est incapax hæreditatis, & legati? Communis est sententia idem iuris esse de donatione, ac de legato, & hæreditate; ac proinde incapacem esse hæreticum durante hæresi cuiuslibet donationis inter viuos, & donanti reddendum esse, neque per fiscum publicandum, nisi in casu quo donans sciret hæretico donare. sic videtur probare *l. Arriani, §. cunctis, C. de hæreticis,* ibi, *siue de donationibus hæreticorum conuenticula, siue ex vltima voluntate &c.* fauet *cap. in eos, de hæreticis*, vbi prohibetur Episcopis, & clericis aliquid hæretico conferre: ibi, *nihil conferant*, quod tam de vltima voluntate, quàm donatione inter viuos intelligit glossa. Sed ratio prohibitionis alia esse non potest, nisi incapacitas hæretici. Ergo hæreticus incapax est cuiuslibet donationis, sicut & successionis. Et iure nostro regio hoc videtur comprobari, ex *d. l. 5. tit. 25. part. 7.* ibi, *Apostata no puede ser establecido de otros por heredero, en inguna manera, e manda, o donaçion que le vbiessen fecho, o que el fiçiesse a otro, non valga desde aquel dia.*

aque el apostato. Item *l.4. tit.26. part. 4.* dicitur: *Eaun decimos que non debe valer su testamento, ni donacion, ni vendida que le fuesse echa, ni la que el ficiesse a otro de los vyo, del dia que fuesse iuzgado por hereje en adelante.* Vbi videtur eodem modo loqui de successione ex testamento, ac de donatione, & vtriusque hæreticum incapacem esse: & ita tenet Buttriguat. *in l. si quis, C. de hæreticis.* gloss. & Hostiens. *in cap. in eos, de hæreticis, verbo, nihil conferant.* Marian. Socin. *num.3. & 4.* Bonifac. de Vitalinis *rubr. de crimine heresis, num.6. vers. item non possunt.* Quemada *quæst. fiscal. quæst.18.* Azor *tom.1. institut. moral. lib.5. cap.8. quæst.1. & lib.8. cap.12. quæst.8.* Farinacius *de heresi, q.190. n.96.*

11 Verùm attento rigore iuris, crederem probabilius validam esse donationem factam hæretico, neque ipsum ante sententiam obligatum esse restituere, illa verò secuta fisco pertinere. Sic Thomas Sanchez *lib.2. Decal. cap.14. num.36.* Ratio est, quia nullus est textus, qui hanc donationem annullet. Nam textus *in l. Arrianis,* non probat donationem inualidam esse, sed non debere fieri: non quia hæreticus incapax sit, sed quia est indignus; & idem est de textu *in cap. in eos.* Leges autem nostri regni clariùs indicant non valere: at cùm non addant ipso iure, vel ante sententiam, non est cur sic actum annullemus; quia in casu dubio pro valore actus standum est. Neque eodem modo leges regiæ procedunt in successione ex testamento, ac in donatione. Nam in successione ex testamento vtuntur verbo, *non potest.* ibi, *no pueda ser establecido por heredero, no le pueda ser deja damanda en testamento.* quod verbum indicat annullationem actus ob defectum potentiæ: vt bene probat Sanchez *lib.6. de matrim. disput.38. num.20.* at in donatione tale verbum non inuenitur, sed solùm dicitur, *no vala.* Item & præcipuè *in l. regia fin. tit. 7. part. 6.* hæreditas delata hæretico, Mauro, vel Iudæo, declaratur hæredibus ab intestato pertinere, & non fisco regio, quod de donatione non cauetur. Ergo inde clarè constat aliter incapacem esse hæreticum successionis ex testamento, quàm donationis. Adde, leges supradictæ eodem modo reddunt inhabilem hæreticum ad acceptandam donationem sibi factam, sicuti reddunt inhabilem ad donandum, & contrahendum: at ad donandum, & contrahendum non reddunt ipso iure inhabilem, & incapacem, sed post latam sententiam; vt ex dictis constat. Ergo neque etiam reddunt inhabilem ad acceptandam donationem.

12 Tertia pœna est exemptio filiorum à patria potestate, propter paternam hæresim: deciditur *in cap. quicumque, §. illorum, de hæreticis, lib.6.* ibi, *illorum autem filiorum emancipationem, quorum parentes post emancipationem huiusmodi, etiam apparuerit ante ipsam à via veritatis ad hæreticæ superstitionis inuium declinasse, nullius volumus esse momenti, velut factam de hominibus sui iuris, cùm dignum sit, vt propter tanti atrocitatem delicti, filij esse in parentum hæreticorum desierint potestate.* Ex quo textu videtur à die commissi criminis filios eximi à patria potestate; quia hæc exemptio adducitur pro causa, quare non valet emancipatio ante declarationem facta: & ita tenet glossa *ibi.* Repert. inquisit. *verbo pœna, versic. item in filijs,* & ibi Mandos. *litt.T.* Pegna *director. quæst.116. comment.165.* Thomas Sanchez *lib.2. cap.24. n.6.* Farinacius *de heresi, q.197. §.3. n.29.*

13 Hinc fit patrem sic effectum hæreticum non posse filio suo impuberi pupillariter substituere, hoc est, pro eo facere testamentum. Nam ad testamentum condendum requiritur necessariò patria potestas, quia nemo condere potest testamentum, pro eo, quod extra eius potestatem existit. *l.2. ff. de vulgar. & pupill. §.1. Institut. de pupillar. substitut.* & tradit Pegna, & Sanchez *suprà.*

14 Secundò fit non esse obligatum filium parenti hæretico alimenta præbere extra extremam necessitatem. Tum quia pater non tenetur hæc alimenta filio præbere extra necessitatem extremam. Ergo neque filius parenti, quia efficacius pater obligatur alere filium, quàm econtrà: quòd autem pater non teneatur filio hæretico alimenta præbere, probatur, quia potest illum exhæredare, *authent. vt cùm de appellat. cognoscit. §. causas, vers. si quis de prædictis.* at quoties filius exhæredari potest, possunt & alimenta ei denegari: vt pluribus comprobat Molin. *de primogen. lib.2. cap.16. num.1. & seqq.* quia hæreditas loco alimentorum succedit. Tum etiam quia filius exemptus à patria potestate reputatur extraneus. Extraneus autem non tenetur hæretico alimenta præbere extra casum extremæ necessitatis. Ergo neque filius: & ita tradit relato Surdo *de aliment. tit.7. quæst.2. à num.6.* Sanchez *lib.2. cap.24. n.7.* Nauarr. *in 2. part. decret. tit. de censuris Ecclesiast. cap. 27. vers. quarta quod fautores.* Decian. *tractat. crimin. lib. 5. cap.51. num.39 & 68. & cap.44. n.28.* Bartholom. Vgolin. *tractat. de censur. 2. part. in glossa receptatores, §.2. num.8.* Farinacius *quæst.182. §.1. num.13.* vbi pluribus comprobat in casu necessitatis prius subueniendum esse parenti, fratri, vel cognato hæretico, quàm extraneo, ob sanguinis coniunctionem.

15 Aduerto tamen fautores, defensores, receptatores hæreticorum non puniri hac pœna, vt eorum filij ab eius potestate liberentur: quia nullo iure cauetur, & supradictus textus solùm de hæreticis loquitur, neque pœnæ extendendæ sunt: sic docuit Pegna *comment. 165.* Sanchez *illo cap.24. num.5.* Farinacius *quæst.197. num.29. fine.*

16 Quarta pœna est priuatio dominij in seruos, ex *cap. absolutos, de hæreticis,* vbi dicitur, *absolutos se nouerint à debito fidelitatis domini, & totius obsequij, quicumque lapsis manifestè in hæresim aliquo pactò quacumque firmitate vallato tenebantur adstricti.* & docent omnes.

Sed est dubium, an hæc pœna locum habeat ante iudicis sententiam, sicut diximus de priuatione patriæ potestatis in filios? Et credo locum non habere ante sententiam iudicis: quod satis probat supradictus textus *absolutos,* qui à debito totius obsequij liberat eos, qui tenebantur adstricti iis, qui *manifestè* in hæresim lapsi sunt. Requiritur ergo esse hæresim manifestam, manifestatione, inquam, principali, & præcipua, qualis est per sententiam.

17 Secundò dubitatur, an tunc serui exempti ab obsequio domini hæretici obtineant libertatem, an verò in fisci dominium transeant cum reliquis bonis confiscatis? Negant obtinere libertatem, sed transire in fiscum, Ioan. Andr. Geminian. Francus, & alij *in cap. quicumque, §. vltim. de hæreticis, in 6.* & Ioan. Annanias, & Marian. Socin. *in cap. vlt. de hæreticis.* Mouentur, quia nullus est textus hanc illis libertatem concedens: nam dictum *cap. absolutos,* solùm eximit illos à debito obsequio dominis, sicut vasallos eximit à debito fidelitatis. quod stare optimè potest, etiamsi fiscus in dominio succedat; sicut stat exemptio vasalli à debito fidelitatis debitæ domino hęretico, etiamsi alteri Principi subdatur. Item *in l. Manichæos, C. de hæreticis,* vbi dicitur, *seruos extra noxam esse volumus, si dominum sacrilegum euitantes ad Ecclesiam catholicam seruitio fideliori transierint.* loquitur de his, qui fidem suscipiunt per Baptismum: qui quidem ratione fidei susceptæ à debita tunc seruitute liberantur: non autem loquitur de mancipiis Christianorum, qui in hæresim lapsi sunt. Ergo nullus seruus obtinet libertatem: & sic reputat probabile Sanchez *n.9.*

18 Verùm tenendum est cum eodem Sanchez *n. 10.* Pegna *3. part. comment. 168. versic. sed de seruis quæsitum est.* Molin. *1. tom. tota disput. 40.* Azor. *1. part. lib.8. cap.12. q.7.* Decian. *tract. crim. lib.5. cap.44. n.28.* Farinacio *de heresi,*

*quæſt.*197.§.3.*num.*30. & aliis apud ipſos. Seruos Chriſtianos eximi à ſeruitute, ſeruos verò paganos, vel hæreticos in ſeruitute fiſci permanere. Moueor ea præcipuè ratione, quia eſto hæc libertas ſeruis Chriſtianis non ſit in iure expreſſa: at eſt ſatis inſinuata *in ſuprad. l. Manicheos.* ſi enim ſeruus alicuius hæretici ſuſcipiens fidem eximitur integrè à ſeruitute in præmium fidei ſuſceptæ, quia iudicat Eccleſia fideliori ſeruitio ſe mancipare. Eadem ratione integrè debet eximi, qui iam fidem ſuſcepit, & in ea vult perſeuerare, cùm eius dominus Eccleſiam deſerit, quia ſua perſeuerantia teſtatur fideliori ſe ſeruitio mancipare. At ſeruo pagano, vel hæretico nullibi conceditur hæc libertas; & cum inter bona dominorum reputentur, *l. rem in bonis, ff. de acquir. rer. domin. l. vlt. §. vlt. C. de verbor. ſignificat.* & probat latè Andr. Tiraquell. *in l ſi vnquam, C. de reuocand. donation.* in illis verbis, *donatione largitus, quæſt.*17. *num.*323. *&* 324. efficitur ſanè cum alius bonis confiſcatis ad fiſcum tranſire. Si ſeruus nondum eſt baptizatus, cùm dominus in hæreſim incidit: at intendit baptizari, & eſt catechumenus. cenſet optimè Pegna *ſuprad. comm.*168. *verſic. an autem ſimiliter ſerui catechumeni*, conſonum eſſe vt libertate donentur, & ſui iuris efficiantur, quia hoc pertinet ad catholicæ religionis augmentum; & quia catechumenus in deuotione, & fide Eccleſiæ perſeuerans membrum Chriſti efficitur, *cap. veniens, de presbytero non baptizato.* Debet ergo gaudere priuilegiis Chriſtianorum. At iure ipſo libertas non eſt eis conceſſa, quia nondum eſt Chriſtianus, & conſentit Sanchez *cap. illo* 24. *num.*11. Quòd ſi ſeruus infidelis dominum apoſtatantem à fide bono zelo Inquiſitoribus denuntiauerit; etſi nullibi inueniatur conceſſa illi libertas: at certè danda illi eſt, præcipuè ſi ſpes ſubſit faciliùs ad fidem conuertendum: ſic Pegna, & Sanchez *ſuprà.* Tandem aduerto acquiſita ſemel à ſeruis libertate nunquam ad ſeruitutem priſtinam redire; etiamſi eorum domini ad fidem reuertantur, & omnia bona illis reſtituantur; iuxta *cap. vergentes, de hæretic.* quia libertas quocunque modo data non reuocatur, *l.*1. *&* 2. *C. ſi aduerſus libertatem.* Pegna *ſuprà.* Sanchez *num.*12. Simanc. *de catholic. inſtit. tit.*61. *n.*9.

19 Quinta pœna hæreticorum eſt amiſſio cuiuſlibet iuris, & obligationis etiam iuramento vallata, ex *ſuprad. textu abſolutos, de hæreticis.* Nam communiter Canoniſtæ extendunt locum illum ad omnia delicta, & ad quaſcunque obligationes, vt videre eſt *in gloſſa ibi.* Abbate *num.*1. & aliis pluribus relatis à Farinac. *q.*189. *num.*57. Dubium ſolùm eſt, an requiratur ſententia ſaltem declaratoria criminis, vt debitores excuſentur à ſolutione debiti præſtanda hæreticis? Plures cenſent ſufficere, ſi hæreſis manifeſta ſit ex facto, vel ex teſtium depoſitione; etiamſi per ſententiam nota non ſit; quia textus *in ſuprad. cap. abſolutos,* ſolùm expoſtulat eſſe hæreſim manifeſtam; & verbum *abſolutos* indicat ſententiam latam. Item à die commiſſi criminis amittunt hæretici dominium ſuorum bonorum; & conſequenter iuriſdictionis, & obligationis; & fiſco eſt applicandum. Ergo fiſco eſt debitum ſoluendum, vtpote domino ſuccedenti in actione, & iure quod delinquens habebat: ſic Syluest. *verbo hæreticus,* §.1. *num.*14. & Azor 1. *p. lib.* 8. *cap.*13. *quæſt.*1. Pegna 3. *p. director. com.*168. *verſ. poſtremo, & in ſeq. qui incipit, & quidem hoc veriſſimum eſt.* Videtur manifeſtam hæreſim vocare eam, quæ in actum exteriorem prodiit: qua cognita affirmare videtur debitores, & vaſallos, ab omni obligatione dominis hæreticis facta eſſe exemptos. Farinac. iis videtur conſentire *ſuprà num.*68.

20 Nihilominus credo probabilius poſſe, & debere debitores hæretico ſoluere debita, & obſequia alia debita præſtare, dum per ſententiam eius crimen declaratum non eſt: ſic pluribus comprobat Burſat. *lib.*1. *conſ.* 14. *num.*18. *& ſeq.* & Azor *ſuprà, quæſt.*2. Dixi debitorem hæretici non poſſe debitum hæretico ſoluere poſt condemnationem, ſecus ante condemnationem. Sanch. *lib.* 2. *cap.* 24. *num.*8. Ratio eſt, quia fiſcus ante ſententiam ſaltem declaratoriam criminis bona hæreticorum occupare non poteſt, vt dictum eſt, & deciditur *cap. cum ſecundùm leges, de hæreticis in* 6. ibi, *ſententia fuerit promulgata.* Si autem debitores hæreticis non deberent ſoluere, ſed fiſco, iam fiſcus ante ſententiam bona hæreticorum occuparet. Item hæreticus poſt crimen commiſſum interim dum ſententia declaratoria non ſuccedit, non priuatur poſſeſſione, & adminiſtratione ſuorum bonorum. Ergo ratione huius poſſeſſionis, & adminiſtrationis debita illi debent ſolui, & obſequia præſtari. Neque obſtat *cap. abſolutos.* nam explicandum eſt non de quacunque manifeſtatione, ſed de manifeſtatione præcipua, quæ eſt iudicialis. Secundò reſpondeo à die commiſſi criminis exeuntis in actum externum probabile eſſe, debitores abſolutos à debito ſoluendo hæreticis, indigere tamen ſententia declaratoria criminis, vt effectum plenum illa abſolutio ſortiatur, ſicut à die commiſſi criminis ſunt omnia bona hæreticorum fiſco addicta: at indiget fiſcus ſententia declaratoria criminis, vt ea occupare poſſit. Ad confirmationem reſpondeo fiſcum à die commiſſi criminis habere dominium directum in bona hæretici, non tamen vtile, niſi ſententia accedat; ea de cauſa hæretico denegari non poſſunt debita, & obſequia præſtanda, dum non eſt ſententia.

21 Vnum tamen eſt omnino certum, debitores, etſi à die commiſſi criminis eximantur ab obligatione ſoluendi debita hæreticis, & vaſallos à debito fidelitatis ſuis dominis, non tamen ita eſſe exemptos, vt eorum debita, & ſubiectio extinguatur omnino; ſuccedit enim fiſcus in credito, & in dominio, ſi alij vocati non ſunt: ſic tradunt vterque Abbas *in cap. fin. de hæretic.* Marian. Socin. *ibi, num.*1. Ioann. de Anania *num.*2. *&* 3. Felin. *in princ.* quos refert, & ſequitur Farinac. *quæſt.*189. *n.*68.

22 Sexta pœna hæreticorum eſt, quòd fides eis data, & ſecuritas promiſſa ſeruanda non ſit: ſi enim, vt inquit Farinac. *quæſt.*197. *num.*24. tyrannis, piratis, cæteriſque publicis prædonibus, quia corpus occidunt, fides ſeruanda non eſt; longè minus hæreticis, qui animas occidunt, ſeruari debet. Item bannito pro capitali delicto, quia eſt hoſtis publicus, pax ſeruanda non eſt. Ergo neque hæretico. ſic pluribus relatis comprobant Petrus à Plach. *in epiſc. delict. lib.*1. *cap.*39. *in fine, num.*11. Simanc. *de cathol. inſtit. tit.*46. *num.*52. *& ſeqq.* Rojas *ſingul.*63. Clarus *in pract.* §. *hæreſis, num.*16. Lœlius Zecchus *ſum.*1. *p. tit. de fide, cap.*11. *de hæreticis, num.*16. Farinacius *quæſt.*197. *num.*24. Hoc autem limitandum eſt, vt procedat in fide, & ſecuritate data hæretico à priuata perſona, ſecus à publica perſona, ſeu Principe habente poteſtatem illam concedendi; hæc enim ſeruanda eſt, ſecus alia: ſic Simanch. Petrus à Plach. Lœlius Zech. & Farinac. *ſuprà.* & Menoch. *conſil.*106. *num.*226. *&* 227. Decian. *tract. crimin. lib.*5. *cap.*20. *num.*55. Ratio eſſe poteſt, quia ſeruare tunc Principem hanc fidem in bonum commune cedit maximè; ſecus procedit in priuata perſona; quæ hanc ſecuritatem promittere non poterat. Ex quo fit, ſi Inquiſitor promittat hæretico gratiam facturus, ſi veritatem fateatur, & ipſe hæreticus ſub ſpe gratiæ conſequendæ hæreſim confitetur, tenetur Inquiſitor fidem datam ſeruare; quia illam dare poterat: conceſſa enim eſt Inquiſitoribus ampla poteſtas pœnas temperandi, ex *cap. vt commiſſi. de hæreticis. in* 6. ſic Pegna *direct.* 3. *p. com.*23. *verſ. iam in hac promiſſione.* Farinac. *quæſt.*81. *num.*196. At ſi omnimodam impunitatem promiſiſſet; quia hanc promittere non poterat, illam ſeruare non debet: ſic Pegna, & Farinac. *ſuprà.* non tamen ad pœnã ordinariam, ſed ad extraordinariã condemnandus eſt, quia doloſè fuit talis confeſſio extorta

23 Septi

21 Septima pœna hæreticorum est, vt eorum domus, si in ea conuenticula fecerint, & hæresim docuerint, funditus euertatur, nullo vnquam tempore reparanda: & idem est de domo, in qua se occultauit, ne caperetur 26 Inquisitoribus, etiamsi aliena sit; quia reputatur eius dominus fauorem illi præstare: sic multis constitutionibus comprobant Zanch. *tractat. de hæreticis, cap. 39. & 40.* Pegna *direct. 3. part. comment. 92. circa finem.* Farinacius *quæst. 190. §. 2. à num. 30.* Quocirca vt dominus domus hac pœna excusetur, debet comprobare ignoranter processisse, & absque eius consensu hæretica lia ibi fuisse commissa: vt satis indicat constitutio Alexand. IV. edita anno 1257. incipiens, *felicis recordationis*; quam adducit Franciscus Pegna *inter litteras Apostolicas, fol. 27.* ibi, *nisi legitimè constiterit prædictarum domorum dominos penitus innocentes, & prorsus inculpabiles extitisse.* quæ constitutio confirmata est à Clement. IV. anno 1265. in alia constitutione, incipiente, *Ad extirpanda*, cuius meminit Pegna *suprà, pag. 63.* At si non ex consensu domini domus, sed ex consensu conductoris ibi hæretici conueniunt, non destruitur domus, sed conductor aliis pœnis punitur, vt hæreticorum fautor, scilicet pœnę pecuniarię, verberum, & exilij, iuxta conditionem personæ, ex text. *in l. Arriani, §. cunctis, versf. siue de priuatis ædificijs, C. de hæret.* & tradit Decian. *lib. 5. c. 51. num. 50.* Farinacius *quæst. 190. §. 2. num. 39.* Adde aliquando domus aliena destruitur, etiamsi dominus illius ignorauerit crimen in illa commissum, si talis destructio ad publicam vtilitatem, & terrorem conuenire iudicatum fuerit; restituto tamen pretio domino domus, quod rarò contingit, nisi in crimine nimis publico, & scandaloso. Simancas *de catholic. institut. tit. 46. num. 91. & in enchirid. tit. 67. num. 14.* Zanch. *tractat. de hæreticis, cap. 39.* Farinacius *num. 37.* & faciunt ea, quæ congerit de crimine læsæ maiestatis, *quæst. 116. à num. 28.* ibi enim probat, si domus committentis crimen læsæ maiestatis hypothecata sit vxori, vel alteri, neque delinquens habet alia bona, quæ loco domus subrogetur, non posse domum destrui, nisi fiscus ex propriis bonis illis satisfaciat; quia aliàs sequeretur absurdum, quod vxor, vel creditor innoxius hypothecam amitteret: consentit Clarus *quæst. 82. verbo statutum 8. num. 4. versic. fin.* Baiard. *ibi, num. 98.*

DISPVTATIO VI.

De pœnis corporalibus hæreticorum.

HÆ pœnæ comprehendi possunt sub pœna carceris, exilij, triremis, verberum, & mortis. de iis breuiter est dicendum, quibus imponantur, & quando.

PVNCTVM I.

De pœna carceris.

1 *Pœna carceris imponi potest, & sæpè imponitur.*
2 *Hanc pœnam perpetui carceris hæreticis debitam, potest Episcopus cum Inquisitoribus mitigare, & ad tempus tantum imponere.*
3 *Qualis debet esse carcer, ad quem hæreticus condemnatur.*
4 *Post condemnationem rei mitigatio pœnæ penes solum Inquisitorem generalem in Hispania residet.*

1 HAnc pœnam hæreticis pœnitentibus imponi posse, & sæpè imponi, nemini est dubium, cùm expressè cauta sit *in cap. excommunicamus, el 2. de hæreticis.* ibi, *si qui autem de prædictis, postquam fuerint deprehensi redire voluerint ad agendam pœnitentiam, in perpetuo carcere damnentur.* glossa *ibi*, Hostiens. Abbas, Butrio, & alij communiter. Verùm ad perpetuum carcerem non omnes hæretici pœnitentes damnantur, etsi de rigore iuris damnari possint; sed illi tantùm, qui post publicationem testium errorem suum fatentur plenè, & pœnitentiæ signa ostendunt: sic Simancas *de catholic. institut. tit. 47. num. 29. & seqq. & in enchirid. violatæ relig. tit. 58. de pœnitent. num. 7.* Afflictis *in constitut. regni, de hæreticis.* & Pacterenis *rubr. 1. sub num. 36.* Farinacius *quæst. 193. num. 103.* Ioan. Rojas *tractat. de hæreticis, p. 2. num. 197. & seqq.* Pegna *direct. 3. part. quæst. 93. comment. 142.* vbi refert in huius confirmationem quandam instructionem Hispalensem. Ex quo fit ad perpetuum carcerem non esse damnandum eum, qui errorem suum fatetur, antequam dicta testium ei publicata sint, quia tunc non videtur in errore suo satis deprehensus, iuxta *dict. cap. excommunicamus*; secus verò si post publicationem testium, quia tunc vndequaque deprehensus est non solùm corpore, sed mente, quia conuictus est. Secundò fit ad perpetuum carcerem nullo modo damnari posse, qui solùm de hæresi suspectus est, quia hæc pœna solis deficientibus à fide imponitur, sic Vmbert. Locat. *in indic. inquisit. verbo suspicio, num. 31.* Repert. Inquisit. *in verbo carcer, sub versf. primò, & in versf. viso de carcere.* Farinacius *q. 193. §. 5. n. 103.*

2 Hunc autem perpetuum carcerem debitum hæreticis pœnitentibus post publicationem testium possunt Inquisitores cum Episcopis, si aliqua iusta, grauisque causa intercedat, mitigare, & solùm ad tempus imponere; vel iam impositam tollere, aut in alias extraordinarias pœnitentias conuertere, secundùm potestatem ipsis datam, *in cap. vt commissi, versic. & illorum, de hæreticis in 6.* ibi, *& illorum, qui vestris mandatis obedientes humiliter stant propter hæresim in carcere, vel muro reclusi, pœnam vnà cum Prælatis, quorum iurisdictioni subsunt, mitigandi, vel mutandi, cùm videritis expedire.* vbi glossa, Abbas, Franciscus, Marian. Socin. Buttius, Felin. & alij. Ioan. Calderin. *tract. de hæreticis, rubr. de hæreticis redeuntibus, & conuersis, num. 3. & 4.* Vmbert. Locat. *in indic. inquisit. in verbo hæreticus, num. 34. 35. & 36. & verb. Inquisitor. num. 33.* Simancas *de catholic. instit. tit. 16. rubr. de custodia reorum, num. 5. & 6. & in enchirid. tit. 57. tit. de carcere perpetuo, n. 3.* Farinacius alios referens, *de hæresi, q. 193. n. 104.* & faciunt plurima, quæ adducit *num. 84. & 96* Clarus *practic. §. hæresis, num. 7.* Eymer. *3. part. director. quæst. 93. & 96.* & ibi Pegna.

3 Aduerto primò hunc carcerem, ad quem reus damnatur, non debere esse ita arctum, vt abbreuiet vitam incarcerati; aliàs iudices fidei irregularitatem non videntur euadere. sic Vmbert. Locat. *in opere indic. verbo carcer, num. 6.* Pegna *direct. 3. part. quæst. 59. comment. 107. fine.* vbi adducit decretum Concilij Biterrensis *cap. 23.* ibi, *& eos enormis rigor carcerum non extinguat.* Decian. *lib. 5. cap. 42. num. 14.* Campegius addit. ad Zanch. *tract. de hæreticis, cap. 20. litt. G. verbo pœna, versic. tu tamen.* Farinacius *quæst. 193. num. 106.* Neque obstat textus *in Clement. 1. §. propter, de hæreticis*, ibi, *duro tamen tradere carceri, siue arcto, qui magis ad pœnam, quàm ad custodiam videatur.* Si igitur Inquisitor de consensu Episcopi, & Episcopus de consensu Inquisitoris possunt reum ad hunc carcerem condemnare, possunt & medio illo vitam illius abbreuiare: vt dixit Martin. Delrio *de disquisit. magic. lib. 5. sect. 7. in princ. versf. potest autem capi.* Non, inquam, obstat, quia ex arcto, & duro carcere solùm sequitur vitam incarcerati abbreuiandam esse aliqualiter: si autem notabiliter abbreuiaretur, ita vt intra paucos dies moriturus esset reus ibidem existẽs, nullo modo credo posse à iudicibus fidei exequi, quidquid dicat Martin. Delrio, quia

*quæſt.*197.§.3.*num.*30. & aliis apud ipſos. Seruos Chriſtianos eximi à ſeruitute, ſeruos verò paganos, vel hæreticos in ſeruitute fiſci permanere. Moueor ea præcipuè ratione, quia eſto hæc libertas ſeruis Chriſtianis non ſit in iure expreſſa: at eſt ſatis inſinuata *in ſuprad. l. Manichæos.* ſi enim ſeruus alicuius hæretici ſuſcipiens fidem eximitur integrè à ſeruitute in præmium fidei ſuſceptæ, quia iudicat Eccleſia fideliori ſeruitio ſe mancipare. Eadem ratione integrè debet eximi, qui iam fidem ſuſcepit, & in ea vult perſeuerare, cùm eius dominus Eccleſiam deſerit, quia ſua perſeuerantia teſtatur fideliori ſe ſeruitio mancipare. At ſeruo pagano, vel hæretico nullibi conceditur hæc libertas; & cùm inter bona dominorum reputentur, *l. rem in bonis, ff. de acquir. rer. domin. l. vlt. §. vlt. C. de verbor. ſignificat.* & probat latè Andr. Tiraquell. *in l. ſi vnquam, C. de reuocand. donation.* in illis verbis, *donatione largitus, quæſt.* 17. *num.* 323. *&* 324. efficitur ſanè cum aliis bonis confiſcatis ad fiſcum tranſire. Si ſeruus nondum eſt baptizatus, cùm dominus in hæreſim incidit: at intendit baptizari, & eſt catechumenus. cenſet optimè Pegna *ſuprad. comm.* 168. *verſic. an autem ſimiliter ſerui catechumeni,* conſonum eſſe vt libertate donentur, & ſui iuris efficiantur, quia hoc pertinet ad catholicæ religionis augmentum; & quia catechumenus in deuotione, & fide Eccleſiæ perſeuerans membrum Chriſti efficitur, *cap. veniens, de presbytero non baptizato.* Debet ergo gaudere priuilegiis Chriſtianorum. At iure ipſo libertas non eſt eis conceſſa, quia nondum eſt Chriſtianus, & conſentit Sanchez *cap. illo* 24. *num.* 11. Quòd ſi ſeruus infidelis dominum apoſtatantem à fide bono zelo Inquiſitoribus denuntiauerit; etſi nullibi inueniatur conceſſa illi libertas: at certè danda illi eſt, præcipuè ſi ſpes ſubſit faciliùs ad fidem conuertendum: ſic Pegna, & Sanchez *ſuprà.* Tandem aduerto acquiſita ſemel à ſeruis libertate nunquam ad ſeruitutem priſtinam redire; etiamſi eorum domini ad fidem reuertantur, & omnia bona illis reſtituantur; iuxta *cap. vergentes, de hæretic.* quia libertas quocunque modo data non reuocatur, *l.* 1. *&* 2. *C. ſi aduerſus libertatem.* Pegna *ſuprà.* Sanchez *num.* 12. Simanc. *de catholic. inſtit. tit.* 61. *n.* 9.

19 Quinta pœna hæreticorum eſt amiſſio cuiuſlibet iuris, & obligationis etiam iuramento vallata, ex *ſuprad. textu abſolutos, de hæreticis.* Nam communiter Canoniſtæ extendunt locum illum ad omnia delicta, & ad quaſcunque obligationes, vt videre eſt *in gloſſa ibi.* Abbate *num.* 1. & aliis pluribus relatis à Farinac. *q.* 189. *num.* 57. Dubium ſolùm eſt, an requiratur ſententia ſaltem declaratoria criminis, vt debitores excuſentur à ſolutione debiti præſtanda hæreticis? Plures cenſent ſufficere, ſi hæreſis manifeſta ſit ex facto, vel ex teſtium depoſitione; etiamſi per ſententiam nota non ſit; quia textus *in ſuprad. cap. abſolutos,* ſolùm expoſtulat eſſe hæreſim manifeſtam; & verbum *abſolutos* indicat ſententiam latam. Item à die commiſſi criminis amittunt hæretici dominium ſuorum bonorum; & conſequenter iuriſdictionis, & obligationis; & fiſco eſt applicandum. Ergo fiſco eſt debitum ſoluendum, vtpote domino ſuccedenti in actione, & iure quod delinquens habebat: ſic Syluest. *verbo hæreticus.* §. 1. *num.* 14. & Azor 1. *p. lib.* 8. *cap.* 13. *quæſt.* 1. Pegna 3. *p. directlor. com.* 168. *verſ. poſtremo, & in ſeq. qui incipit, & quidem hoc veriſſimum eſt.* Videtur manifeſtam hæreſim vocare eam, quæ in actum exteriorem prodiit: qua cognita affirmare videtur debitores, & vaſallos, ab omni obligatione dominis hæreticis facta eſſe exemptos. Farinac. iis videtur conſentire *ſuprà num.* 68.

20 Nihilominus credo probabilius poſſe, & debere debitores hæretico ſoluere debita, & obſequia alia debita præſtare, dum per ſententiam eius crimen declaratum non eſt: ſic pluribus comprobat Burſat. *lib.* 1. *conſ.* 14. *num.* 18. *& ſeq.* & Azor *ſuprà, quæſt.* 2. Dixi debitorem hæretici non poſſe debitum hæretico ſoluere poſt condemnationem, ſecus ante condemnationem. Sanch. *lib.* 2. *cap.* 24. *num.* 8. Ratio eſt, quia fiſcus ante ſententiam ſaltem declaratoriam criminis bona hæreticorum occupare non poteſt, vt dictum eſt, & deciditur *cap. cùm ſecundùm leges, de hæreticis. in* 6. ibi, *ſententia fuerit promuntiata.* Si autem debitores hæreticis non deberent ſoluere, ſed fiſco, iam fiſcus ante ſententiam bona hæreticorum occuparet. Item hæreticus poſt crimen commiſſum interim dum ſententia declaratoria non ſuccedit, non priuatur poſſeſſione, & adminiſtratione ſuorum bonorum. Ergo ratione huius poſſeſſionis, & adminiſtrationis debita illi debent ſolui, & obſequia præſtari. Neque obſtat *cap. abſolutos.* nam explicandum eſt non de quacunque manifeſtatione, ſed de manifeſtatione præcipua, quæ eſt iudicialis. Secundò reſpondeo à die commiſſi criminis exeuntis in actum externum probabile eſſe, debitores abſolutos à debito ſoluendo hæreticis, indigere tamen ſententia declaratoria criminis, vt effectum plenum illa abſolutio ſortiatur, ſicut à die commiſſi criminis ſunt omnia bona hæreticorum fiſco addicta: at indiget fiſcus ſententia declaratoria criminis, vt ea occupare poſſit. Ad confirmationem reſpondeo fiſcum à die commiſſi criminis habere dominium directum in bona hæretici, non tamen vtile, niſi ſententia accedat; ea de cauſa hæretico denegari non poſſunt debita, & obſequia præſtanda, dum non eſt ſententia.

21 Vnum tamen eſt omnino certum, debitores, etſi à die commiſſi criminis eximantur ab obligatione ſoluendi debita hæreticis, & vaſallos à debito fidelitatis ſuis dominis, non tamen ita eſſe exemptos, vt eorum debita, & ſubiectio extinguatur omnino; ſuccedit enim fiſcus in credito, & in dominio, ſi alij vocati non ſunt: ſic tradunt vterque Abbas *in cap. fin. de hæretic.* Marian. Socin. *ibi, num.* 1. Ioann. de Anania *num.* 2. *&* 3. Felin. *in princ.* quos refert, & ſequitur Farinac. *quæſt.* 189. *n.* 68.

22 Sexta pœna hæreticorum eſt, quòd fides eis data, & ſecuritas promiſſa ſeruanda non ſit: ſi enim, vt inquit Farinac. *quæſt.* 197. *num.* 24. tyrannis, piratis, cæteriſque publicis prædonibus, quia corpus occidunt, fides ſeruanda non eſt; longè minus hæreticis, qui animas occidunt, ſeruari debet. Item bannito pro capitali delicto, quia eſt hoſtis publicus, pax ſeruanda non eſt. Ergo neque hæretico. ſic pluribus relatis comprobant Petrus à Plach. *in epiſc. delict. lib.* 1. *cap.* 39. *in fine, num.* 11. Simanc. *de cathol. inſtit. tit.* 46. *num.* 52. *& ſeqq.* Rojas *ſingul.* 63. Clarus *in pract.* §. *hæreſis. num.* 16. Lœlius Zechius *ſum.* 1. *p. tit. de fide, cap.* 11. *de hæreticis, num.* 16. Farinacius *quæſt.* 197. *num.* 24. Hoc autem limitandum eſt, vt procedat in fide, & ſecuritate data hæretico à priuata perſona, ſecus à publica perſona, ſeu Principe habente poteſtatem illam concedendi; hæc enim ſeruanda eſt, ſecus alia: ſic Simanch. Petrus à Plach. Lœlius Zech. & Farinac. *ſuprà.* & Menoch. *conſil.* 106. *num.* 226. *&* 227. Decian. *tract. crimin. lib.* 5. *cap.* 20. *num.* 55. Ratio eſſe poteſt, quia ſeruare tunc Principem hanc fidem in bonum commune cedit maximè; ſecus procedit in priuata perſona; quæ hanc ſecuritatem promittere non poterat. Ex quo fit, ſi Inquiſitor promittat hæretico gratiam facturus, ſi veritatem fateatur, & ipſe hæreticus ſub ſpe gratiæ conſequendæ hæreſim confitetur, tenetur Inquiſitor fidem datam ſeruare; quia illam dare poterat: conceſſa enim eſt Inquiſitoribus ampla poteſtas pœnas temperandi, ex *cap. vt commiſſi. de hæreticis. in* 6. ſic Pegna *directl.* 3. *p. com.* 23. *verſ. iam in hac promiſſione.* Farinac. *quæſt.* 81. *num.* 296. At ſi omnimodam impunitatem promiſiſſet; quia hanc promittere non poterat, illam ſeruare non debet: ſic Pegna, & Farinac. *ſuprà.* non tamen ad pœnã ordinariam, ſed ad extraordinariã condemnandus eſt, quia doloſè fuit talis confeſſio extorta

23 Septi

23 Septima pœna hæreticorum est, vt eorum domus, si in ea conuenticula fecerint, & hæresim docuerint, funditus euertatur, nullo vnquam tempore reparanda: & idem est de domo, in qua se occultauit, ne caperetur ab Inquisitoribus, etiamsi aliena sit; quia reputatur eius dominus fauorem illi præstare: sic multis constitutionibus comprobant Zanch. *tractat. de hæreticis, cap. 39. & 40.* Pegna *director. 3. part. comment. 92. circa finem.* Farinacius *quæst. 190. §. 2. à num. 30.* Quocirca vt dominus domus hac pœna excusetur, debet comprobare ignoranter processisse, & absque eius consensu hæreticalia ibi fuisse commissa: vt satis indicat constitutio Alexand. IV. edita anno 1257. incipiens, *felicis recordationis*; quam adducit Franciscus Pegna *inter litteras Apostolicas, fol. 27.* ibi, *nisi legitimè constiterit prædictarum domorum dominos penitus innocentes, & prorsus inculpabiles extitisse.* quæ constitutio confirmata est à Clement. IV. anno 1265. in alia constitutione, incipiente, *Ad extirpanda*, cuius meminit Pegna *suprà, pag. 63.* At si non ex consensu domini domus, sed ex consensu conductoris ibi hæretici conueniunt, non destruitur domus, sed conductor aliis pœnis punitur, vt hæreticorum fautor, scilicet pœnę pecuniarię, verberum, & exilij, iuxta conditionem personæ, ex text. *in l. Arriani, §. cunctis, verf. siue de priuatis ædificijs, C. de hæret.* & tradit Decian. *lib. 5. c. 51. num. 50.* Farinacius *quæst. 190. §. 2. num. 39.* Adde aliquando domus aliena destruitur, etiamsi dominus illius ignorauerit crimen in illa commissum, si talis destructio ad publicam vtilitatem, & terrorem conuenire iudicatum fuerit; restituto tamen pretio domino domus, quod rarò contingit, nisi in crimine nimis publico, & scandaloso. Simancas *de catholic. institut. tit. 46. num. 91. & in enchirid. tit. 67. num. 14.* Zanch. *tractat. de hæreticis, cap. 39.* Farinacius *num. 37.* & faciunt ea, quæ congerit de crimine læsæ maiestatis, *quæst. 116. à num. 28.* ibi enim probat, si domus committentis crimen læsæ maiestatis hypothecata sit vxori, vel alteri, neque delinquens habet alia bona, quæ loco domus subrogetur, non posse domum destrui, nisi fiscus ex propriis bonis illis satisfaciat; quia aliàs sequeretur absurdum, quod vxor, vel creditor innoxius hypothecam amitteret: consentit Clarus *quæst. 82. verbo statutum 8. num. 4. versic. fin.* Baiard. *ibi, num. 98.*

DISPVTATIO VI.

De pœnis corporalibus hæreticorum.

HÆ pœnæ comprehendi possunt sub pœna carceris, exilij, triremis, verberum, & mortis. de iis breuiter est dicendum, quibus imponantur, & quando.

PVNCTVM I.

De pœna carceris.

1 *Pœna carceris imponi potest, & sæpè imponitur.*
2 *Hanc pœnam perpetui carceris hæreticis debitam, potest Episcopus cum Inquisitoribus mitigare, & ad tempus tantum imponere.*
3 *Qualis debet esse carcer, ad quem hæreticus condemnatur.*
4 *Post condemnationem rei mitigatio pœnæ penes solum Inquisitorem generalem in Hispania residet.*

1 HAnc pœnam hæreticis pœnitentibus imponi posse, & sæpè imponi, nemini est dubium, cùm expressè cauta sit *in cap. excommunicamus, el 2. de hæreticis* ibi, *si qui autem de prædictis, postquam fuerint deprehensi redire voluerint ad agendam pœnitentiam, in perpetuo carcere damnentur.* glossa *ibi*, Hostiens. Abbas, Butrio, & alij communiter. Verùm ad perpetuum carcerem non omnes hæretici pœnitentes damnantur, etsi de rigore iuris damnari possint; sed illi tantùm, qui post publicationem testium errorem suum fatentur plenè, & pœnitentiæ signa ostendunt: sic Simancas *de catholic. institut. tit. 47. num. 29. & seqq. & in enchirid. violatæ relig. tit. 58. de pœnitent. num. 7.* Afflictis *in constitut. regni, de hæreticis.* & Pacterenis *rubr. 1. sub num. 36.* Farinacius *quæst. 193. num. 103.* Ioan. Rojas *tractat. de hæreticis, p. 2. num. 197. & seqq.* Pegna *direct. 3. part. quæst. 93. comment. 142.* vbi refert in huius confirmationem quandam instructionem Hispalensem. Ex quo fit ad perpetuum carcerem non esse damnandum eum, qui errorem suum fatetur, antequam dicta testium ei publicata sint, quia tunc non videtur in errore suo satis deprehensus, iuxta *dict. cap. excommunicamus*; secus verò si post publicationem testium, quia tunc vndequaque deprehensus est non solùm corpore, sed mente, quia conuictus est. Secundò fit ad perpetuum carcerem nullo modo damnari posse, qui solùm de hæresi suspectus est, quia hæc pœna solis deficientibus à fide imponitur. sic Vmbert. Locat. *in iudic. inquisit. verbo suspicio, num. 31.* Repert. Inquisit. *in verbo carcer, sub verf. primò, & in verf. viso de carcere.* Farinacius *q. 193. §. 5. n. 103.*

2 Hunc autem perpetuum carcerem debitum hæreticis pœnitentibus post publicationem testium possunt Inquisitores cum Episcopis, si aliqua iusta, grauisque causa intercedat, mitigare, & solùm ad tempus imponere; vel iam impositam tollere, aut in alias extraordinarias pœnitentias conuertere, secundùm potestatem ipsis datam, *in cap. vt commissi, versic. & illorum, de hæreticis, in 6.* ibi, *& illorum, qui vestris mandatis obedientes humiliter stant propter hæresim in carcere, vel muro reclusi, pœnam vnà cum Prælatis, quorum iurisdictioni subsunt, mitigandi, vel mutandi, cùm videritis expedire.* vbi glossa, Abbas, Francus, Marian. Socin. Butrius, Felin. & alij. Ioan. Calderin. *tract. de hæreticis, rubr. de hæreticis redeuntibus, & conuersis, num. 3. & 4.* Vmbert. Locat. *in iudic. inquisit. in verbo hæreticus, num. 34. 35. & 36. & verb. Inquisitor. num. 33.* Simancas *de catholic. instit. tit. 16. rubr. de custodia reorum, num. 5. & 6. & in enchirid. tit. 57. tit. de carcere perpetuo, n. 3.* Farinacius alios referens, *de hæresi, q. 193. n. 104.* & faciunt plurima, quæ adducit *num. 84. & 96.* Clarus *practic. §. hæresis, num. 7.* Eymer. *3. part. director. quæst. 93. & 96.* & ibi Pegna.

3 Aduerto primò hunc carcerem, ad quem reus damnatur, non debere esse ita arctum, vt abbreuiet vitam incarcerati; aliàs iudices fidei irregularitatem non videntur euadere. sic Vmbert. Locat. *in opere iudic. verbo carcer, num. 6.* Pegna *direct. 3. part. quæst. 59. comment. 107. fine.* vbi adducit decretum Concilij Biterrensis *cap. 23.* ibi, *& eos enormis rigor carcerum non extinguat.* Decian. *lib. 5. cap. 42. num. 14.* Campegius addit. ad Zanch. *tract. de hæreticis, cap. 20. litt. G. verbo pœna, versic. tu tamen.* Farinacius *quæst. 193. num. 106.* Neque obstat textus *in Clement. 1. §. propter, de hæreticis*, ibi, *duro tamen tradere carceri, siue arcto, qui magis ad pœnam, quàm ad custodiam videatur.* Si igitur Inquisitor de consensu Episcopi, & Episcopus de consensu Inquisitoris possunt reum ad hunc carcerem condemnare, possunt & medio illo vitam illius abbreuiare: vt dixit Martin. Delrio *de disquisit. magic. lib. 5. sect. 7. in princ. verf. potest autem capi.* Non, inquam, obstat, quia ex arcto, & duro carcere solùm sequitur vitam incarcerati abbreuiandam esse aliqualiter: si autem notabiliter abbreuiaretur, ita vt intra paucos dies moriturus esset reus ibidem existẽs, nullo modo credo posse à iudicibus fidei exequi, quidquid dicat Martin. Delrio, quia

quia hæc videtur esse clara condemnatio ad mortem, quæ per iudices laicos, & curiam sæcularem facienda est.

4 Aduerto secundò in Hispania ex speciali priuilegio Sedis Apostolicæ dispensationem, commutationem, vel relaxationem perpetui carceris, vel ad tempus, postquam reus est condemnatus, penes solum Inquisitorem generalem esse; sicut & depositio vestis crucibus signatæ: sic testatur Simancas *tit.16. num.20.* & Franc. Pegna *3.p. direct.quæst.59.comm.*108. *&* *q.96.comm.*145. Farinac. *quæst.*193. *num.98.* Ioann. Rojas *de hæretic.post part.2.n.200.& num.*382.*&* 383.*& singul.*155.*num.*5.

Quòd si inquiras post quantum tempus carcer perpetuus remitti soleat: Respondeo nihil esse in hac parte iure statutum, sed arbitrio Inquisitorum relictum, qui spectata pœnitentium humilitate poterunt tempus, prout sibi visum fuerit, abbreuiare, vel in aliam leuiorem pœnitentiam commutare. Regulariter autem triennio elapso dispensatur cum condemnato ad carcerem perpetuum. At cum condemnato ad carcerem perpetuum irremissibilem non nisi post octo annos solet dispensatio concedi. sic ex Simanc. *de catholic. institut. tit.16.num.20.& 21.& in Enchirid.violata relig.tit.57.n.3.* tradit Pegna *3.p. direct. quæst. 59. comm.*108. *circa finem, vers. quæsitum scio.* Farinac. *quæst.*193. *num.* 104. *fine.* & propter hanc solitam dispensationem non solet degradari clericus immurandus, de quo vide Pegna *direct.3.p. comm.46.num.102.vers.quòd si quis quærat.*

PVNCTVM II.

De pœna fustigationis, exilij, triremis, & mortis hæreticis imponenda.

1 *Quibus hæreticis hæ pœnæ imponantur.*
2 *Pœna mortis omnibus hæreticis imponi potest.*
3 *De facto imponitur hæreticis impœnitentibus, & pertinacibus.*
4 *Item hæreticis negatiuis, hoc est, fictione iuris impœnitentibus.*
5 *Item diminutè confitenti.*
6 *Item si in iudicio manifestat errores, & postea negat.*
7 *Pœna mortis afficiuntur hæretici relapsi.*
8 *Dicitur relapsus, qui de primo lapsu non fuit plenè conuictus, sed abiurauit de vehementi.*
9 *Econtra si primò lapsus fuit in hæresim, & postea in suspicionem incidit, tametsi aliqui negent esse relapsum, probabilius est oppositum.*
10 *Satisfit contrariis.*
11 *Apponitur quædam limitatio, sed non approbatur.*
12 *Labi debet in eandem hæresim prius abiuratam, vt quis relapsus dici possit secundum aliquos.*
13 *Probabilius est in quamcunque hæresim labatur, relapsum dici.*
14 *Relapsis pœnitentibus danda sunt sacramenta.*
15 *Quis dicatur Hæresiarcha, & dogmatista.*
16 *Hos esse tradendos brachio sæculari qui probent.*
17 *Probabilius est spectato iuris rigore oppositum.*
18 *Hæretici conuersi ante sententiam ad reconciliationem debent admitti.*
19 *Si post sententiam conuertantur, admittendi non sunt.*
20 *Quid de illo, qui iam in tabulato sperans audire sententiam conuertitur.*

1 POEnam fustigationis, exilij, triremis pœnitentibus hæreticis imponi testatur Decian. *tract.crimin.lib.5. cap.42. num.5.6. &* 11. Ioan. à Rojas *singul.* 1. *num.22.& 25.* Farinac. *quæst.*193. *à num.*85. Credo tamen in Hispania pœnam fustigationis, vel triremis non imponi nisi hæreticis, qui tardissimi, durique fuerunt ad conuersionem. Romæ verò, & alibi affirmat Rojas *de hæretic.2.p.num.* 263. Bossius *tit. de hæret. n.*18. Farinac.*num.*88. pœnitentem hæreticum loco carceris perpetui ad triremes triennio condemnari. Item delictum committenti, ob quod est vehementer de hæresi suspectus, solet hæc pœna fustigationis, exilij, vel triremis indici.

2 Pœnam mortis, quæ grauissima est, nemini est dubium hæreticis imponi posse ab Ecclesia, & esse iustissimam, quia delictum grauissimum est, & Ecclesiæ perniciosissimum. Habere autem Ecclesiam hanc potestatem à Christo Domino, probant optimè Bellarm. *lib.3. de laicis, cap.21.& 22.* Valent. *tom.3. disput.1. quæst.11.p.3.* Simanc.*tit.46.à num.44.* Couarr. *lib.2.var. cap.10. n.10.* Suar. *de fide. disput.20.sect.3. à num.* 18. *& disput.23.tota sect.1.* Fundamentum præcipuum est, quia sine hac potestate non satis Christus Dominus Ecclesiæ suæ prouidisset: neque enim posset rebelles, & inobedientes coercere, & eorum delicta vindicare, prout oportet, neque membra putrida, & nociua toti corpori resecare. Quapropter censet Suar. *loco allegato, disp.20. sect.3.n.21.* erroneum esse hanc Ecclesiæ potestatem negare. Et ita definitum est à Bonifac. VIII. *in extrauag. vnam sanctam. de maiorit.& obedient.* & ab Innocent. IV. *in cap. ad Apostolicæ. de sentent.& re iudic. in 6.& cap 1. de homicid. in 6.* & aliis textibus, quos supradicti Doctores congerũt: quibus consentiunt leges imperatoriæ hanc pœnam mortis hæreticis imponentes. *l.quicunque C.de hæretic.* ibi, *vltimo supplicio coërceantur qui illicita docere tentauerint.* Et idem est qui tentauerint addiscere illicita, quia docere, & discere illicita æquiparantur in iure. *l. culpa. C.de maleficiis.* & tradit glossa *in cap.excommunicamus. 2. verbo puniendi de hæreticis.* Idem habetur *l. Arriani. C.de hæretic.* Verum est Ecclesiam non solere exequi hanc potestatem per iudices, & ministros ecclesiasticos, sed per laicos, & media illorum temporali potestate; iuxta *cap. ad abolendam. §. præterea, de hæretic.* Quia id videtur decentius, & pietati Ecclesiæ conformius: & quia sic indicatur potestatem temporalem inferiorem, & subditam esse spirituali potestati: at vbi à iudicibus fidei delinquens sæculari brachio remittitur puniendus, debet iudex laicus pœnam statim exequi, neque in illius potestate est remissionem facere, iuxta *cap. vt officium, de hæretic. in 6.* aliàs vt fautor hæreticorum puniri poterit. Cæterùm, quia varij sunt hæreticorum gradus, neque omnibus (etiamsi digni sint) hæc pœna mortis imponitur, declarandum est quibus imponatur; & vt à facilioribus incipiamus,

3 Primò dicendum est hæreticis impœnitentibus, & pertinacibus hanc esse pœnam impositam: constat ex *cap. ad abolendam, de hæreticis.* & tradit Simanc. *de catholic. institut. tit.48.num.6.* Eymer. *2.p.direct.quæst.40.num.1.* & ibi Pegna *com.65.* Decian. *tract.crimin.lib.5.cap.55.in fine.* Farinac. *quæst.196.§.1.num.4.* Iulius Clar. *lib.5.§.hæresis.* Suar. *de fide disput.23.sect.2.num.3.* & omnes. Et ratio est manifesta, quia si pœna mortis alicui hæretico imponenda est, impœnitenti, & in suo errore obstinato debet imponi, vtpote qui omnium delinquit grauissimè. Prius autem quàm hac pœna afficiatur hæreticus, tentanda sunt omnia media, quæ iudicibus fidei conuenientia visa fuerint, vt errorem agnoscat: & præcipuum est, vt mediis viris doctis, & versatis conuincatur de suo errore. Si autem huic medio sæpiùs repetito non acquieuerit, sed in suo errore tenaciter perseuerare voluerit, brachio sæculari tradendus est, comburendus viuus, tanquam palmes arefactus, cuius nulla spes est fructum laturus; eius tamen lingua alliganda est, ne impiis blasphemiis adstantes offendat.

4 Dico secundò. Eadem pœna mortis imponitur hæreticis fictione iuris impœnitentibus: ij sunt, qui legitimis testibus conuicti negant hæresim cõmisisse, quia præsumuntur in illa perseuerare, dum illam non confitentur.

fitentur. Neque obstat exteriùs fidem Catholicam profiteri; quia reputatur dolosa, & ficta professio: & colligitur ex cap.ad abolendam, quatenus ibi mandatur sæculari iudici puniendum relinqui hæreticum, qui in hæresi deprehensus satisfactionem congruam exhibere recusat: qui autem legitimè conuictus de sua hæresi illam fateri recusat, satisfactionem congruam non exhibet. Meritò ergo vt hæreticus pertinax, & incorrigibilis est puniendus: sic communis omnium sententia, vt videre est in Calderino *tractat.de heret. rubr.de heret. impœnitentib.num.*1. Rojas *eodem tract.*1.*part.num.*69. Simancas *tit.*48.*num.*15. Eymer. 2.*part.quæst.*34.*n.*2.& 3. & ibi Pegna *comment.*59. Didac. Cantera *quæst. crimin. rubr.de heresi,cap.*1.*n.*57.60.& 61. Suarez *de fide,disp.*23. *sect.*2.*num.*5. Farinacius *quæst.*178.*num.*20. & alij apud ipsos. Ibi autem nunquam viri concremantur, sed priùs suffocantur, eo quòd solùm præsumptione iuris hæretici impœnitentes reputentur. Vt autem hæc pœna locum habeat, tria, vel quatuor requiruntur. Primò, vt verba, vel facta de quibus hæreticus accusatus, & conuictus est, sint apertè contra fidem, neque alium sensum habere possint. Secundò, vt per testes contestes omni exceptione maiores conuincatur talia facta fecisse, vel verba protulisse in nostræ fidei offensionem. Tertiò, vt non possit obliuio præsumi, cùm in negatiua perseuerat. sic Arnold. Albert *tract.de agnoscend.assert.cathol.quæst.*34.*num.*52. Rojas *tract.de hæreticis,p.*1.*num.*84. Pegna 2.*part.direct.quæst.*34.*comment.*59.*in medio*, & 3.*p. tit. de* 12 *modo terminandi processum,comment.*48.*num.*108. Difficultas autem est non leuis, quando obliuio præsumatur? Cui optimè respondet Pegna 2 *part.direct.q.*34. *comment* 59.*versic.in his ergo.* In factis arduis, atrocibus, & horrendis etiam post longum tempus obliuionem non præsumi, vtpote in direptione, & conculcatione imaginum, prædicatione hæresum. Et idem est de factis, aut dictis solitis, & consuetis, licet ardua non sint, & in iis quæ semper delinquentes comitantur. In cæteris verò causis, quæ insignes, & arduæ non sunt, nec solitæ, & consuetæ, neque delinquentem comitatur, decennio regulariter reputatur obliuio, nisi aliud iudici visum fuerit, pensata delicti, & personarum, circumstantiarúmque qualitate.

5 Ex his infertur velut diminutum confitentem, & negatiuum curiæ sæculari esse tradendum, qui non fateretur omnes errores hæreticales, de quibus per testes, contestes omni exceptione maiores esset conuictus, si illi adeò recentes, ac graues essent, quorum verisimiliter credi non posset obliuio; quia non est vera confessio, cùm de omnibus peccatis non agitur. *cap. quem pœnitet, de pœnitent. distinct.*1. & perseuerantia, & contumacia in vno solo errore verum hæreticum constituit, etiamsi alios abiuret, & detestetur: sic Simancas *in Enchirid.tit.*61.*num.*4. Ioan. Rojas *tract.de hæreticis*, 2.*part. assert.*21. Pegna 2.*part.direct. comment.*59.*in fine.* Suarez *disput.*23.*sect.*2. *num.*6. De illo autem qui omnes suos errores fateretur, recusat tamen manifestare aliorum errores, quorum conuincitur habere notitiam; aliqui existimant non esse vt impœnitentem hæreticum damnandum; quia ex hac occultatione solùm conuincitur fautorem hæreticorum esse, non autem verum hæreticum. Ergo non debet vt verus hæreticus, & impœnitens condemnari: & ita audiui in inquisitionibus Castellæ practicari, sed propter hanc causam torqueri. Cæterùm credo de rigore iuris vt verum hæreticum impœnitentem damnari posse, & curiæ sæculari tradi sic occultantem aliorum errores, cùm suos manifestat; eo quòd nón præsumitur manifestare verè, & ex animo, sed fictè, cum tempore pœnitentiæ ita hæreticis faueat: sic Suarez *suprà num.*6. Decian. *tract.crimin.lib.*5.*cap.*55. *num.*10. & 16. Bursat. *consil.*7.*num.*13. Ludouic. à Paramo *de orig. sanct. inquisit. lib.*3. *quæst.*9. *num.*193. & *seqq.* Pegna *direct.*2.*part.quæst.*34.*comment.*59.*versic.ex his possumus.* Farinacius *de heresi*, *quæst.*196. §.1.*num.*17. Simancas *de catholic.instit.tit.*48.*num.*27.& 28.

6 Sed quid si in iudicio hæreticus suos manifestaret errores, postea verò confessionem factam reuocaret? Affirmandum existimo, vt impœnitentem esse damnandum, si in reuocatione persistit, & causam reuocandi, & infirmandi prædictam primam confessionem verosimilem non ostendit. Et ratio est, quia ex propria confessione iam est plenè delictum probatum; cùm verò postea reuocat, præsumitur reuocare dolosè ad effugiendam pœnam ordinariam: aliàs si facta hac reuocatione non posset vt hæreticus negatiuus condemnari, cùm etiam condemnari non possit vt hæreticus pœnitens, quia pœnitentiæ signa de suo errore non ostendit, euidenter sequitur omnibus hæreticis dari ansam suas reuocandi confessiones, vt sic pœnam ordinariam euitent, quod non est permittendum: & ita docet Farinacius *de heresi,quæst.*187. *num.*75. & *quæst.*196.*num.*20. & 21. vbi alios refert, esto contrà teneat Didac. Cantera *in quæst.crimin.rubr.de heret.cap.*1.*num.*70. motus ea ratione, quia per hanc reuocationem aliquid minuitur de fide, & firmitate confessionis factæ. Sed est friuola ratio, quando non probatur causa reuocationis. Adde, esto minueretur aliqualiter firmitas confessionis, coniecturis tamen præcedentibus iuuatur, vt integram probationem retineat.

7 Dico tertiò. Eadem pœna mortis afficiuntur hæretici relapsi, id est, illi, qui post abiurationem erroris, vel pœnitentiam canonicam deprehensi fuerint in abiuratam hæresim reincidisse: habetur expressè *cap. ad absoluendam*, §.*illos quoque, de hæreticis.* ibi, *illos quoque qui post abiurationem erroris, vel postquam se proprij antistitis examinatione purgauerint, deprehensi fuerint in abiuratam hæresim reincidisse, sæculari iudicio sine vlla penitus audientia decernimus relinquendos.* & tradunt ibi glossa, Hostiens. Felin. Abbas, & omnes. Notandum tamen est verbum, *deprehensi*, quo vtitur textus: indicat enim ab aliis deprehensos esse hæreticos in hæresim reincidisse. Quapropter si quis sponte à nullo alio præuentus manifestaret se in hæresim abiuratam reincidisse, credo pœnam mortis euasurum; quia ratio, quare pœna mortis hæreticis relapsis imponitur, est, quia præsumitur fictè conuerti, & esse incorrigibiles: at qui à nullo præuentus se ipsum defert, & pœnitentiam expostulat, clarum signum tribuit veræ conuersionis. Ergo. Et ita docet Albert. *in lib.de agnoscend.assert.quæst.*25. *num.*25. Pegna alios referens, 3.*part.direct. comment.*12. *versic.sed quid si relapsus.* Menochius *consil.*81.*num.*168. vbi ampliat conclusionem, etiamsi captus sit hæreticus, dummodo fateatur hæresim, de qua in processu non constabat. Decian. *tract.crimin.lib.*5 *cap.*56 *num.*12. Farinacius *q.*193. *num.*36. Paramus *de origine sanctæ inquisit. lib.*3. *quæst.*4. *rubr.de forma, & ordine iudiciario, num.*12. Alphons. de Castro *tract.de iusta heret. punit. lib.*2. *cap.*2. Aduertendum tamen multum est, an hic relapsus sponte veniat; si enim probetur metu probationum sibi instantium venire, eo quòd intelligebat alios se præparare ad illum accusandum; non videtur pœnam mortis euasurum: sic docent Castro, Farinac. Decian. *locis allegatis.* Quapropter Pegna, Paramus, & Farinacius, expostularunt delictum occultum: nam in publico ferè semper hæc præsumptio oritur, quòd metu probationum misericordiam expostulauerit, & non ex animo. Quòd si prima vice reus de hæresi conuictus fuit sola sua confessione, & postea per testes conuincitur relapsum esse, etsi de rigore iuris pœna relapsorum condemnari possit, si tamen priores errores abiurauit commissos tempore quo impubes erat, ad misericordiam, & reconciliationem admitti potest, iuxta quandam instructionem Vallisoletanam 12.

8 Circa supradictam conclusionem est prima difficultas, an dicatur relapsus, & curiæ sæculari tradendus, qui de primo lapsu non fuit plenè conuictus, sed abiurauit de vehementi: in secundo autem lapsu plenè conuincitur? In qua difficultate pro parte affirmatiua est expressa decisio textus *in cap. accusatus, in princ. de hæretic. in 6.* ibi, *Accusatus de hæresi, vel suspectus, contra quem de hoc crimine magna, & vehemens suspicio orta erat, si hæresim in iudicio abiurauit, & postea committit in ipsa, censeri debet quadam iuris fictione relapsus, licet ante abiurationem suam hæresis crimen plenè probatum non fuerit contra ipsum*; & ibi omnes Doctores, quos frustraneum est recensere. Notanda tamen sunt verba textus, quia non dicit, quòd verè sit relapsus, sed quadam iuris fictione; ad hoc enim requirebatur, vt in idem delictum eodem modo esset bis lapsus. Secundò requiritur, vt priùs de suspicione hæresis vehementi abiurauerit, secus si solùm de leui suspicione, vt in suprad. textu cauetur expresse, ibi, *si autem leuis, & modica suspicio illa fuerit, quanquam ex hoc sit grauius puniendus, non tamen debet in hæresim relapsorum pœna puniri.*

9 Solùm autem controuerti potest casus contrarius, quando scilicet primò abiurauit hæresim, postea verò incidit in illius vehementem suspicionem, an tunc fictione iuris dicatur relapsus, & curiæ sæculari tradendus? Negat Rojas *tract. de hæretic. 2. p. num. 333.* Mouetur præcipuè ex textu *in cap. litteras, de præsumpt.* vbi post factam confessionem, & abiuratam hæresim, quam de se, & fratre suo confessus fuerat, postea hæresim fratris negauit, ob cuius negationem tanquam suspectus de hæresi condemnatur, & non tanquam hæreticus relapsus. Secundò probari potest, quia *in cap. accusatus,* fictione iuris, & non propriè reputatur hæreticus, qui abiurata hæresi, de qua fuit plenè conuictus, iterum in ipsius suspicionem vehementem incidit. Cùm ergo nihil statuatur de illo, qui priùs vehementer suspectus fuit, & postea in manifestam hæresim incidit, non debemus illi pœnam relapsorum applicare; quia non sunt extendendi, & ita seruari in praxi ab Inquisitoribus Italiæ, testatur Farinac. *quæst. 195. num. 18.*

Cæterùm hæreticis fauendum non est; sed omnino exterminandi. Quapropter credo probabilius pœnam relapsi supradicto imponi posse; quia vt quis fictione iuris reputetur relapsus, sufficit si de vno lapsu plenè, & indubitabiliter constet, & de alio præsumptione vehementi. Quòd autem lapsus præsumptus antecedat, vel subsequatur lapsum certum, accidentarium esse videtur, & leuis considerationis. & ita tenet latè probans Menoch. *consil. 82. num. 148. lib. 1.* Alphons. à Castro *de iusta hæretic. punit. lib. 2. cap. 2.* Zanch. *tract. de hæretic. cap. 16. num. 3. vers. secundo modo.* Bursat. *consil. 7. num. 15. lib. 1.* Farinac. *de hæresi. q. 195. num. 17.*

10 Neque obstant cõtraria. Non textus *in cap. litteras,* quia ibi solùm dicitur confessum esse hæresim sui, & fratris, quam confessionem postea reuocauit, ob cuius reuocationem, & priorem confessionem factam suspectus vehementer de hæresi fuit: non tamen ibi dicitur priùs hæresim abiurasse; & postea in vehementem illius suspicionem incidisse. Ad secundum concedo gratis, *in cap. accusatus* solùm haberi esse fictione iuris relapsum, qui post vehementem hæresis abiuratæ suspicionem, in illam incidit manifestè: at inde nos, probabilissimè colligi idem esse dicendum, siue suspicio antecedat, siue subsequatur lapsum manifestum. Deinde nego solùm haberi in suprad. cap. vt relapsum, qui post vehementem hæresis suspicionem in illam incidit manifestè, imò potiùs habetur contrarium; si quidem ei, qui primò hæresim abiurauit, si postea comperiatur hæreticis fauere, tanquam relapsus punitur. Inquit enim textus: *Ille quoque de cuius lapsu in hæresim ante abiurationem constiterat, vel nunc constat, si post illam hæreticos receptet, deducat, visitet, siue associet, aut dona, vel munera, seu fauorem eis impendat, meritò debet iudicari relapsus,* & tradunt omnes. Quapropter Farinac. qui *num. 18.* dixit Inquisitores Italiæ non solere, vt relapsum condemnare eum, qui primò confessus, vel conuictus fuit de hæresi, & postea in illius vehementem incidit suspicionem. Aduertit *num. 32.* non esse extendendam hanc doctrinam ad hunc casum expressum de fauore hæreticorum.

11 Limitant autem Alphons. de Castro *de iusta hæret. punit. lib. 2. cap. 2.* Menoch. *consil. 82. n. 149. iuncto num. 156. lib. 1.* Simanc. *de catholic. institut. tit. 57. rubr. de relaps. num. 6. & 7.* Azor. *1. p. lib. 8. cap. 14. quæst. 4.* hoc esse intelligendum, si fauet hæreticis profitentibus eandem hæresim, quam ipse priùs abiurauerat; secus verò si diuersam: quia tunc non censetur in priori hæresi abiurata consentire. Cæterùm hæc limitatio admittenda non est, sicuti neque illam admittit Petr. Gregor. *syntagm. iuris, lib. 33. cap. 8. num. 6. vers. relapsus.* Decian. *tract. crimin. lib. 5. cap. 56. num. 13.* Didac. Cantera *quæst. crimin. rubr. de hæretic. cap. 1. num. 58. in fine.* Quia abiurans hæresim tacitè omnes hæreses abiurat; ac proinde si in vehementem illius suspicionem incidit, relabi fictione iuris censetur, vt mox dicemus.

12 Secunda difficultas est, an requiratur labi in eandem hæresim priùs abiuratam, vt quis pœna relapsorum afficiatur. Et quidem si cùm priorem hæresim, in quam incidit, abiurauit; simul etiam generaliter omnes abiurauit, vt mos est; nemini esse potest dubium, vt relapsum condemnandum esse, quia ita habetur *in cap. accusatus, §. cum verò, de hæretic. in 6.* ibi, *cum verò quis in vna hæresis specie, vel secta commisit, aut in vno fidei articulo, seu Ecclesiæ sacramento errauit, & postmodum hæresim simpliciter vel generaliter abiurauit; si ex tũc in aliam hæresis speciem, vel sectam, aut alio articulo, seu sacramento committat, volumus vt relapsum in hæresim iudicari*; & notarunt ibi glossa, Archidiac. Geminian. & reliqui Doctores. Verùm si solam hæresim, in quam incidit, abiurauit, & postea in aliam diuersam relabitur, glossa *in suprad. cap. accusatus,* & ibi Ioan. Andr. *n. 8. & 9.* Repert. inquisit. *verbo relapsus, sub vers. 3.* Eymer. *2. p. direct. q. 40. n. 5. vers. secus si tantum* & ibi Pegna *com. 65.* Menoch. *cons. 82. num. 156. & seq. lib. 1.* Suar. *disp. 23. de fide, sect. 2. n. 8. fine,* negant relapsum dici, quia neque ratione criminis, cùm diuersum sit, neque ratione abiurationis potest dici relabi: & fauet suprad. textus *accusatus,* vbi expressè postulat abiurationem generalem totius hæresis, vt quis relapsus censeatur.

13 Nihilominus affirmatiuam partem tuentur Ioan. Monach. Archidiacon. Geminian. Francus *in suprad. cap. accusatus.* Mandos. *in additionib. ad Rupert. verbo relapsus, sub vers. 3. litt. B.* Vmbert. Locat. *in iudicial. inquisit. verbo relapsi. num. 6.* Pegna *suprà,* dicit hanc opinionem præualere. Decian. *tract. crimin. lib. 5. cap. 56. n. 2.* Et ratio esse potest, quia abiurans quamlibet hæresim, tacitè omnes hæreses abiurat, quia abiurat recessum à diuina reuelatione per Ecclesiam proposita, quæ in omni hæresi includitur, promittitque tacitè ab Ecclesia non discessurus. Ergo ex hac præcisa abiuratione, si in hæresim labatur, relabi censendus est. Propter quam rationem hæc mihi opinio probabilior apparet. Limitanda tamen est doctrina, in casu, quo priùs de hæresi vehementer suspectus abiurasti, & postea in diuersam hæresis speciem lapsus fuisti, quia in hoc casu, etiamsi abiuratio prior generalis fuerit, non debet censeri relapsus, per textum *in c. accusatus.* ibi, *si postea deliquit in ipsa,* quasi diceret, si in ipsa hæresi deliquit, quam priùs de vehementi abiurauit; secus si in alia diuersa, & notauit Farinac. *quæst. 195. num. 46.* Secundò limitanda est, vt intelligatur, si post abiurationem hæresis incidit in aliam diuersam; secus si post hæresis purgationem, quia abiurans vnam hæresim, omnes abiurat: at purgans se ab vnius hæresis infamatione, nõ ab omnibus se purgauit,

qua

quapropter vt relapsus condemnari potest, qui solùm vnum hæresim abiurauit, si in aliam diuersam labatur; nouam nen si se ab vna purgauit, & in aliam incidit, vt opinione notauit Pegna *director. 3. part. rubr. de secundo modo* finiendi *processum, comment. 38. num. 150. circa fin.* Farinacius *quæst. 195. n. 30.* Ludouic. à Paramo *de orig. sanct. Inquisit. lib. 3. q. 4. rubr. de expeditione processus in causa fidei, num. 5.*

14 Aduerto tamen omnibus relapsis pœnitentibus, & curiæ sæculari tradendis danda esse sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, iuxta *cap. super eo, de hæret. in 6.* & tradit Simancas *tit. 63. num. 7.* Suarez *de fide, disp. 23. sect. 2. num. 12.* esto contrà teneat de Eucharistiæ sacramento Cantera *quæst. de hæreticis, num. 13. pag. 373.* Couarr. *lib. 2. var. cap. 1. num. 11.* Vnum tamen est certum publicè ad reconciliationem non admitti, etiamsi confitentes existant. Cantera *ibi.* Sanchez *lib. 2. Decal. c. 27. num. 23.*

15 Restat dicendum de hæresiarchis, & dogmatistis; ij enim sunt non solùm qui errores inuenerunt, & confinxerũt, sed etiam qui iam inuentos, & confictos quasi ex officio, & consuetudine aliis publicè, vel occultè prædicarunt; quia ratione huius consuetæ prædicationis, verè sunt magistri, & Principes erroris, & hæreticorum sequentium illos: vt colligitur satis ex *cap. qui aliorum, 24. quæst. 3.* ibi, *qui aliorum defendit errorem, multò amplius damnabilior est illis, qui errant, quia non solùm errat, sed etiam alijs offendicula erroris præparat, & confirmat. Vnde quia magister erroris est, non tantùm hæreticus, sed etiam hæresiarcha dicendus est,* sic notauit Albertin. *tractat. de agnoscenda assert. quæst. 30. num. 60.* Eymeric. *2. part. quæst. 39.* & ibi Pegna *comment. 64.* Farinacius alios referens *quæst. 178. num. 15.* Suarez *de fide, disp. 23. sect. 2. num. 11.* Notanter dixi dogmatistas, & hæresiarchas vocari, qui alios peruertere conantur, quasi ex officio, & consuetudine; vt excluderem eos, qui consanguineos suos peruertunt, aut vnum, vel alterùm priuatum; ij enim non propriè hæresiarchæ, aut dogmatistæ dicuntur, vt bene notauit Suarez *suprà, num. 11. fine.* His positis,

16 Prima sententia docet hos hæresiarchas, & dogmatistas sine vlla misericordia brachio sæculari esse tradendos, quantumuis signa exhibeant conuersionis, & pœnitentiæ: sic acriter defendit Simancas *de catholic. institut. tit. 47. num. 50. & seqq. & in enchirid. tit. 59. n. 1.* Repert. Inquisit. *verbo docere.* Ioan. Rojas *tractat. de hæreticis, 2. part. num. 339. assert. 43.* Suarez *de fide, disput. 23. sect. 2. num. 9.* & Pegna statim allegandus dicit, spectata horum temporum conditione miserrima, hanc sententiam sine vllo errore obseruari posse, etsi ipse iudex esset, nullum permitteret euadere absque vltimo supplicio. Rationes huius sententiæ non leues sunt. Prima, quia variis legibus hac pœna ij hæretici afficiuntur: *l. eum qui seruum, C. de apostatis, l. quicumque, C. de hæreticis, l. fin. C. de Iudæis, l. 2. C. ne sacrum baptisma.* quibus legibus standum est, cùm in iure canonico contrarium dispositum non sit; non enim alienum, & inusitatum est in pœnis imponendis ius canonicum suppleri per ius ciuile. Secunda, quia esto in iure canonico cautum sit hæreticos pœnitentes ad reconciliationem admitti; hoc debet intelligi de hæreticis communiter contingentibus, non de hæreticis qualificatis, & à communi modo peccandi exorbitantibus; ij enim non regula communi metiendi sunt, quia plura concernunt delicta, & circumstantias in suis peccatis: ob quæ lex simpliciter loquens in illis locum habere non debet. argument. *l. nunquam plura, ff. de priuat. delict.*

17 Nihilominus etsi hæc sententia satis probabilis sit, probabiliorem existimo, hæresiarchas, & dogmatistas, si verè pœnitentiæ signa ostendant, admittendos esse ad reconciliationem, neque brachio sæculari tradendos; sic tradit ex Concilio Biterrens. & Tarraconens. Franciscus Pegna *direct. 2. part. comment. 64. versic. an autem.* Eymer. *3. part. de octauo modo terminandi processum, num. 188. vers. circa istum.* Decian. *lib. 5. tractat. criminn. cap. 54. num. 47.* Didac. Cantera *quæst. crimin. rubr. de hæreticis, cap. 1. num. 70. vers. est nunc videndum.* Ratio præcipua sumitur, quia nullus est textus in iure canonico hanc pœnam illis indicens; imò potius *in cap. ad abolendam,* contrarium non leuiter insinuatur; æquat enim Pontifex eos, qui docent iis qui credunt hæreses: ibi, *aliter sentire, aut docere non metuunt.* Et de omnibus subiungit ad misericordiam recipi posse, si publicè consenserint abiurare, & satisfactionem congruam exhibere. Item Berengar. quem constat fuisse hæresiarcham, conuerti volens receptus fuit ad gremium Ecclesiæ. *cap. ego Berengarius, de consecrat. distinct. 2.* & de Cazalla, qui fuit hæresiarcha insignis, testatur Cantera *suprà,* relaxatum fuisse brachio sæculari, ex speciali breui Sedis Apostolicæ, aliàs non relaxandus. Neque deest ratio congrua in huius opinionis fauorem. Nam hæresiarcha conuersus & alios faciliùs conuertet, & conuersos in fide confirmabit. Neque obstat legibus imperatoriis caueri vltimo supplicio afficiendum esse aliorum peruersorem: habetur enim *l. vltim. C. de Iudæis.* ibi, *pœna sanguinis destinandus, qui fidem alterius expugnauit peruersa doctrina.* & *in l. penultim. C. de apostatis,* dicitur, *pœna capitis esse puniendum, qui alium peruertit.* Idem colligitur ex *l. quicumque, C. de hæreticis, l. 2. C. ne sacrum Baptisma iteretur.* Non, inquam, obstant hæ leges, tum quia si aliquid probarent, ex illis inferendum esset quemlibet peruersorem alterius, etsi vnius esset tantùm, vltimo supplicio esse afficiendum. Tum & præcipuè, quia hæ leges locum non habent in hoc crimine, quod merè Ecclesiasticum est; nisi quando hæretici ex foro Ecclesiæ pelluntur, & iudicio sæculari traduntur iudicandi. Debent tamen Inquisitorès in iis admittendis prudentissimi, & vigilantissimi esse, ne sub pelle ouina lupus tegatur, & simulata pœnitentia simplices decipiant: vt dicitur *in cap. vt officium, de hæreticis, in 6.* ibi, *prouiso solerter, ne simulata conuersione redeant fraudulenter, & vos, imò se ipsos fallentes sub agni specie lupum gerant.* Quapropter multis experimentis tentandum est, an fictè, an ex animo conuertantur, & grauissimæ sunt illis pœnitentiæ imponendæ, præcipuè carceris irremissibilis; à quo non nisi post longissimum tempus, & manifestissima signa veræ conuersionis liberandi sunt. sic Franciscus Pegna *director. 2. part. quæst. 39. comment. 64. versic. tametsi.* Farinacius *quæst. 193. num. 12.* Simancas *de catholic. instit. tit. 47. num. 72.*

Placent tamen mihi limitationes, quas adducit Pegna *loco allegato,* vt scilicet ad reconciliationem non admittantur dogmatistæ, & hæresiarchæ, qui post longum tempus, frequentésque admonitiones, & iam iam tradendi curiæ sæculari pœnitentiæ signa ostendunt; quia non videntur studio veritatis, & ex animo conuerti, sed timore mortis ad vitandam pœnam. Item neque etiam admittantur illi, qui præceptis, comminationibus, pœnis, præmiis, promissionibus iuratis, aut aliis exquisitis modis conati sunt falsam doctrinam persuadere: & denique si Regem, Principem, aliásve personas regales peruertere conati sunt; quia in iis omnibus ratione immanitatis criminis, & defectus pœnitentiæ, qui semper timetur, datur occasio sufficiens, vt Ecclesia possit discedere à communi regula statuente hæreticos pœnitentes ad reconciliationem admitti, per quæ patet solutio ad secundam rationem contrariæ sententiæ. consentit iis Lælius Zechius *in summ. 1. part. tit. de fide, rubr. de hæresi, cap. 11. num. 17. versic. fallunt tamen prædicta.* Farinacius *quæst. 193. §. 1. à num. 7. & seqq.*

His omnibus relapsis, qui pœnitentiæ signa ostendunt, etiamsi brachio sæculari tradantur, neque ad publicam reconciliationem admittantur, concedi debent Ecclesiastica sacramenta, sicut de relapsis pœnitentibus diximus: ita Simancas *in enchirid. tit.63. num.7.* Suarez *de fide, disput.23. sect.2. num.12.* & cauetur *in cap. super eo, de hæreticis, in 6.* qui textus etsi de relapsis expresse loquatur, ad omnes pœnitentes extenditur ex identitate rationis. Neque obstat contrarium sentire quoad sacramentum Eucharistiæ. Couarruuias *lib.2. variarum, cap.1. num.11.* & Cantera *rubr. de hæreticis, num.13. fol.373.* moti consuetudine, quæ, meo iudicio, sustinenda non est, cùm videatur esse contra ius diuinum.

18 Denique de hæreticis pœnitentibus tardè conuersis solet dubitari, an debeant ad reconciliationem admitti, vel potiùs brachio sæculari tradi? Et quidem si ante sententiam, etiam post receptas probationes, & testium publicationem conuertantur, communior sententia docet ad reconciliationem admittendos esse: colligitur satis ex *cap. excommunicamus, el 2.§ si qui, de hæreticis.* & tradit Arnold. Albert. *in repetit. cap.1. de hæreticis, in 6. quæst.12. num.5. & seqq.* Zanch. *tractat. de hæreticis, cap.16. num.5.* Pegna *director. 2. part. comment.8. ad cap. ad abolendam, versic. vsus autem.* Farinacius alios referens *quæst.193. num.55.* Suarez *de fide, disput.23. sect.2. num.15.* Simancas *de catholic. institut. tit.47. num.36. & num.47. & seqq.* Decian. *tractat. crimin. lib.5. cap.54. num.3.* & fauet consuetudo, & practica omnium Inquisitorum. Neque obstat *cap. ad abolendam, de hæreticis*, vbi solùm iis, qui continuò, & confestim, postquam fuerint deprehensi, ad fidem redierint, iubentur admitti ad misericordiam: sed ij, qui post receptas probationes, & testium publicationes, & repetitas monitiones redeunt, dici non possunt continuò, & confestim redire. Ergo non sunt ad reconciliationem admittendi. Non, inquam, obstat, quia si intra tempus, quo condemnari possunt, redierint, continuò, & confestim redire censentur: & faciunt ea, quæ tradit Menochius *de arbitr. casu 8.9.10. & 11.* glossa *§. vlt. Instit. de inutilib. stipulat.* Eymeric. *3. part. quæst.98.*

19 Verùm si post latam sententiam conuertatur, satis controuersum est inter Doctores, an tunc debeat ad reconciliationem admitti?

Probabilius credo regulariter admittendum non esse: quod satis indicatur *in cap. excommunicamus, 1. & 2. de hæreticis*, vbi damnati relinquuntur brachio sæculari debita animaduersione puniendi. Ergo post damnationem iam functus est iudex Ecclesiasticus officio suo. Item, quia traditus curiæ sæculari ad misericordiam non admittitur, vt statim dicemus: sed nullus damnatur vt impœnitens, qui sæculari curiæ non tradatur per ipsam condemnationem. Ergo facta condemnatione iam non est locus remissioni: ita multis relatis docet Farinacius *quæst.193. num.58. & 59. iuncto num.57.* Pegna *2. part. direct. comment.36. versic. postquam.* Suarez *de fide, disp.23. sect.2. num.16.* Simancas *de cathol. institut. tit.46. num.36.* Dixi, *regulariter*. nam in aliquo casu raro, in quo magna veræ conuersionis indicia reus ostenderet, & de quo sperari posset fructus, possent ab Inquisitoribus ex æquitate ad misericordiam admitti.

20 Ex his infertur quid dicendum sit de illo, qui eductus è carcere, vel potiùs in tabulatu existens auditurus sententiam conuertitur, an, inquam, ille recipiendus sit? Ratio dubitandi est, quia respectu huius iam est sententia prolata, illique manifesta, etsi non sit promulgata. Ergo eius conuersio post condemnationem fit. Ergo non vera debet censeri, sed ad vitandam pœnam; ac proinde nec recipienda, & ita cauetur in quadam Madriliana instructione. Refert Francisc. Pegna *2. part. direct. commem.36 vers. postquam*, cui ipse consentit. Nihilominus si in aliquo casu Inquisitores viderint specialissima conuersionis signa, poterunt & hunc ad reconciliationem admittere; quia id videtur pietati, & misericordiæ Ecclesiæ conuenire; & docuit ipse Pegna *suprà, & 3. part. comment.42. num.175. circa finem.* Decian. *tractat. crimin. lib.5. cap.39. num.3.* Farinacius *de hæresi, quæst.193. num.60.*

PVNCTVM III.

De pœna portandi saccum benedictum, & omittente pœnitentias sibi impositas.

1 *Portatio sacci propter infamiam pœna reputari debet.*
2 *Inquisitores aduersùs non exequentes pœnitentias procedere possunt.*
3 *Omittentes implere pœnitentias aliqui vt relapsos condemnant.*
4 *Probabilius tanquam impœnitentem puniendum esse.*
5 *Procedit, tametsi ipse sub iuramento se obligasset ad pœnam relapsi sustinendam.*

1 AD corporales pœnas reduci potest, propter infamiam, quam gignit sacci benedicti portatio. Solent enim Inquisitores consuetudine iam recepta per totum orbem hæreticos pœnitentes in signum conuersionis, & detestationis erroris imperare, vt patenter supra vestes portent saccum quendam crucibus rubei, vel crocei coloris signatum; de quo latè Pegna ad Eymer. *3. part. comment.42. num.175.* Farinacius *q.193. n.91.* Simancas *de catholic. institut. tit.47. n.9. & seqq.* Ioan. à Rojas *singul.1. num.23. & tractat. de hæreticis, 2. part. num.309.* Calderin. *tract. de hæreticis redeuntibus & conuers. num.8.* Repertor. *verbo carcer, verbo crux, verbo infamia*, & alij apud ipsos.

2 Difficultas autem est, an si ij hæretici pœnitentes supradictum habitum occultauerint, aut abiecerint, possint ab Inquisitoribus puniri, & qua pœna puniendi sint, & generaliter quoties reliquas pœnitentias impositas non exequuntur? Et quod ad primum attinet certum est posse Inquisitores aduersùs hos pœnitentes pœnitentias iniunctas non implentes procedere, tanquam de hæresi suspectos; non enim leuem suspicionem ingerunt conuersionem antecedentem fictam esse, & errores præteritos non ex animo detestari: siquidem eorum satisfactionem paruipendunt, & omittunt: sic docent Eymer. *3. part. quæst.97.* & ibi Pegna *comment. 146. circa princ.* Simancas *de catholic. institut. tit.48. n.29. & 30. & in enchirid. violatæ relig. tit.61. rubr. de pœnitent. num.7.* Campegius *in addit. ad Zanch. tractat. de hæretic. cap.20. in verbo pœnas.* Farinacius *quæst.193. de hæresi. num.123.*

3 Quoad secundum verò, qua pœna puniendi sint hi hæretici pœnitentias implere recusantes, non est constans omnium sententia. Aliqui enim dicunt, vt impœnitentes, & relapsos condemnandos esse, & curiæ sæculari tradendos. quod præcipuè locum habet in pœnitentia carceris, quæ grauior est, si ab illa aufugere tentarunt: sic post alios antiquiores tradit Calderinus *tractat. de hæreticis, rubr. de hæret. contum. num.1. & 2.* Vmbert. Locat. *in iudicial. inquisit. verbo carcer, n.16. ad finem, versic. carceres autem fugiens.* Zanch. *tractat. de hæreticis, cap.10. num.4. versic. de eo verò, & num.5.* & ibi Campegius *in addition. litt. C. in verbo decursus.* Decian. *tractat. crimin. lib.5. cap.56. num.4.* & videtur esse sententia Eymerici *director. 3. part. quæst.97. fine.* Mouentur, quia omittens sine causa pœnitentiam sibi iniunctam exequi, præsumitur fictè conuersum esse,

&

& in errore pristino perseuerare. Ergo vt relapsus damnari poterit, quia in errorem iam reprobatum præsumitur relabi. Neque obstat hanc pœnitentiæ violationem non esse formaliter hæresim; sed solùm ex illa præsumptiuè argui, quominus vt relapsus damnetur; quia (vt suprà diximus) vt relapsus damnatur, qui abiurata hęresi in violentam illius incidit suspicionem. *cap. accusatus, de hæreticis, in 6.*

4 Nihilominus verius, & probabilius reputo hunc violantem pœnitentias iniunctas, non relapsum, sed impœnitentem esse, & contra illum tanquam contra impœnitentem procedi posse, dum in illo statu perseuerat, & sicut impœnitens, si à contumacia recedit, & misericordiam expostulat, admittitur, & nullo modo brachio sæculari traditur; sic cum hoc impœnitente faciendum est: debet tamen pro crimine violatæ pœnitentiæ absque causa, arbitrio Inquisitorum puniri, vel pecuniaria pœna, vel fustibus, vel ieiuniis, pensata qualitate personæ, grauitate criminis, & malitia: sic docet doctissimus Franciscus Pegna *3. part. quæst. 97. comment. 146. versic. itaque.* Ioan. à Rojas *tractat. de hæreticis, 2. part. assert 41. num. 335. versic. tertiò fuit.* Simancas *de catholic. institut. tit. 16. rubr. de custodia reorum, num. 24. & 25.* vocans contrariam opinionem crudelem, & falsam. & *in enchirid. violatæ relig. tit. 57. rubr. de carcere perpetuo, num. 4. & 5.* Hippolyt. Riminald. *consil. 150. per totum.* Farinacius *quæst. 193. num. 136. & seqq. præcipuè 146.* Lœlius Zechius *summ. 1. part. tit. de fide, rubr. de hæresi, cap. 11. num. 18. versic. secundo loco.* & alij apud ipsos. Ratio efficax est, quia violare pœnitentias iniunctas, quales sunt fugere è carcere, habitum pœnitentialem non deferre, non ieiunare, non peregrinari, &c. non est signum à iure statutum approbationis erroris. Ergo non debet violans ob talem violationem, vt relapsus condemnari. Probo hanc consequentiam, quia non permittitur iudicibus condemnare vt relapsum, quem iura relapsum non iudicant. Adde solùm fictione, & præsumptione iuris poterit dici violans has pœnitentias iniunctas approbare errorem detestatum; cùm ergo verè non approbet, pœna ordinaria puniendus non est. Et ex his soluitur contrarium fundamentum: procedit enim cùm quis omittit exequi pœnitentias directè contrarias errori detestato, veluti si omitteret se purgare, errorem abiurare, hæreticis non fauere: hæc enim à iure statuta sunt signa vehementia approbationis, erroris, ac proinde vt relapsus posset is condemnari; secus de aliis pœnitentiis: vt bene Hippolyt. Riminald. Franc. Pegna, Simanc. Farinac. docent *locis allegatis.*

5 Extendenda tamen est hæc nostra sententia, vt procedat, etiamsi hæreticus pœnitens sub iuramento, & pœna relapsi se obligasset ad pœnitentiarum executionem; adhuc non debet vt relapsus condemnari ob violationem pœnitentiarum, quæ hæresi directè contrariæ non sunt. Quia obligatio cuiuscumque metienda est iuxta iuris regulas, quibus censendus est quilibet se velle conformare. *l. si duo, ff. de acquirenda, vel omittenda hæredit. l. nemo potest ff. de legatis 1.* Cùm ergo regula iuris non permittat hunc violatorem vt relapsum puniri, ex eius obligatione hanc pœnam portare non debet. sic Hippolyt. Riminald. *consil. 150. num. 6. & 7. iuncto num. 35. lib. 2.* Franciscus Pegna *direct. 3. p. quæst. 97. comment. 146. in fine.* Farinacius *quæst. 193. de hæresi, n. 142.* Menoch. *cons. 82. num. 113. & seqq. lib. 1.*

DISPVTATIO VII.

De pœnis suspecti hæretici, filiorúmque hæretici.

PVNCTVM I.

Hæresis suspecti quam pœnam incurrant.

1 *Quotuplex sit hæresis suspicio.*
2 *Magna, & vehemens suspicio hæresis quæ sit, varijs exemplis explicatur.*
3 *Quæ sit maxima, & violenta hæresis suspicio.*
4 *Leuis suspicio non sufficit ad condemnationem.*
5 *Sufficit ad interrogandum reum, secundùm plures Doctores.*
6 *Alij reijciunt.*
7 *Distinctione resoluitur difficultas, & statuitur interrogari reum posse, si oriatur suspicio ex delicto, cui iuri communi annexa est talis suspicio, secus si solùm ex opinione Doctorum.*
8 *Leuiter suspectus suspicione probabili, & iuridica, condemnandus est, vt abiuret de leui.*
9 *Pro crimine inducente suspicionem leuem condemnari potest reus ad aliquam pœnam pecuniariam, vel carceris pro aliquo tempore.*
10 *Ad quæ condemnari potest qui vehementer suspectus est.*
11 *Quid si suspicio ex fautoria hæresis oriatur.*
12 *Violenter suspectus, vt hæreticus damnari potest.*

1 HÆRETICIS affines sunt crimen committentes, ob quod redduntur de hæresi suspecti. Hæc autem suspicio triplex est, modica, siue leuis, magna, siue vehemens, maxima, siue violenta. Modica suspicio, & leuis est, quæ ex leuibus indiciis, & coniecturis oritur. Vocantur leuia indicia, modicæque coniecturæ, ex quibus leuiter infertur crimen suspicatum, quod aliis terminis declarari solet. Leuia indicia, modicæque coniecturæ sunt, ex quibus non frequenter, sed rarò concluditur crimen suspicatum. Quapropter si frequenter peieras, & vitam geris deprauatam, leuiter de fide redderis suspectus. Item si sacramenta ministras ex malo statu, vel sine iurisdictione, & potestate; aut bis repetis sacramentum non repetendum; secundas nuptias contrahis viuente priori coniuge, si pér annum exístas in excommunicatione extra causam fidei; si in sacramento confessionis ad Venerem, aliáve flagitia pœnitentem prouoces, & iis similia, &c. Aduerto tamen adesse in his grauem differentiam. Nam quædam reddunt de hæresi leuiter suspectum, secundùm Doctorum communem opinionem; alia verò reddunt de hæresi leuiter suspectum, ex iure, & lege sic statuente.

2 Magna siue vehemens suspicio hæresis est illa, quæ ex verbis, vel factis efficaciter, frequentérque hæresim concludentibus desumitur: quæ autem sint hæc verba, vel facta, longum esset recensere. Videri possunt Vmbert. Locat. *in iudiciali inquisit. verbo suspicio, num. 10. & 19.* Eymer. *2. part. directlor. quæst. 56.* & ibi Pegna *comment. 81.* Lœlius Zechius *in sum. 1. part. tit. de fide, rubr. de hæresi, cap. 11. n. 5.* Præcipua exempla sunt, quæ adducit Eymer. vbi recenset omnes casus à iure expressos vehementis suspicionis. Et claritatis gratia, hæc placet inserere. Primus est, si voceris respondere de fide, & intra terminũ assignatum absque causa non compares, suspectus de hęresi redderis vehementer, ex *cap. cum contumacia, de heret. in 6.* Secundus, si impedias scienter directè,

vel indirectè inquisitionis officium. *cap. vt inquisitionis negotium, de hæreticis, in 6. §. vltim.* quia reputaris hæreticorum fautor, & defensor. Tertius, si impedientibus inquisitionis officium præstes scienter consilium, auxilium, vel fauorem, ob eandem rationem, quia faues hæresi, & habetur *in supradicto cap. vt inquisitionis.* Quartus, si hæreticos ab Inquisitoribus citatos, & eorum credentes instruas, quomodo veritatem celent, vel falsum deponant, quia faues eorum malitiæ grauissimè: habetur *cap. accusatus, de hæreticis in 6. §. fin.* Quintus, si faueas, defendas, recipias hæreticum, qua hæreticus est, non quia tibi est consanguineus, vel amicissimus: habetur *cap. excommunicamus 1. §. credentes, de hæreticis.* Ad idem est, si cum hæreticis specialissimam contrahas familiaritatem; iuxta *cap. inter solicitudines, de purgat. canonica.* Sextus, si in causa fidei conuincaris dixisse in iudicio falsum, eo quòd reuoces, quod priùs antea fueris fassus, tanquam de hæresi suspectus vehementer habendus es; colligitur ex *cap. litteras, de præsumptionib.* Septimus colligitur ex *extrauag. Ioannis XXII.* incipiente, *Ad nostram, de regularibus, inter communes.* Vbi suspecti vehementer de hæresi redduntur religiosi, qui in partibus vltramarinis absque superiorum licentia commorantes, detrahunt S. Romanæ Ecclesiæ constitutionibus, & alia multa à fide deuia in suis sermonibus, & secretis colloquiis euomere non verentur.

3 Maxima autem, seu violenta suspicio hæresis est, quæ ex verbis, aut factis oritur arctantibus iudicem ad credendum sic facientem, vel dicentem hæreticum esse: vt si hæreticos adorauerit, vel more suo reuerentiam exhibuerit, consolationem, vel communionem ab eis receperit. *cap. accusatus, de hæreticis, in 6. & cap. quicumque, eodem tit. & lib.* Deinde si in causa fidei excommunicatus per annum insordueris, *cap. cum contumacia, de hæreticis, in 6.* Adde, si deficias in purgatione canonica, quam in causa fidei tibi indictam præstare non potuisti, *cap. inter solicitudines, de purgatione canonica.* Denique, si post abiuratam hæresim, de qua conuictus fueras, vel postea conuinceris, cum hæreticis communicas, eos visitas, receptas, deducis, associas, dona, vel munera eis donas, vel mittis. *cap. accusatus, § ille quoque, de hæreticis, in 6.* In hac enim explicatione leuis, vehementis, & violentæ suspicionis, exemplis declaratis conueniunt Doctores: vt videre est in Vmbert. Locat. *in iudicial. inquisit. verbo suspicio, num. 1. 2. 3. & 4.* Simancas *de catholic. institut. titul. 50. num. 22. 23. 25. & 26. & in enchirid. tit. 41. num. 2. & seqq.* Eymeric. *2. part. quæst. 55.* & ibi Pegna *comment. 80. & 3. part. comment. 24. n. 100.* Farinacius *de hæresi, quæst. 187. §. 2. 3. & 4.* Iis positis,

4 Si de leui suspicione loquamur, regula omnino tenenda est non sufficere ad condemnandum reum, quia leuia indicia, modicæque coniecturæ mouere non debent animum viri prudentis ad iudicium ferendum de tam graui crimine; sed potiùs in sanum sensum debent interpretari. sic Vmbert. Locat. *suprà, num. 6.* Simancas *de catholic. institut. tit. 50. num. 28. & in Enchirid. titul. 41. num. 6.* Eymeric. *2. part. quæst. 55. num. 2.* Rojas *tractat. de hæreticis, 2. part. assert. 6. num. 148.* Farinacius *quæst. 187. num. 26.* Neque obstat *l. 2. C. de hæreticis.* vbi ex leui argumento aduersùs catholicam religionem condemnatur reus, vt hæreticus. Inquit enim textus, *Hæreticorum autem vocabulo continentur, & latis aduersus eos sanctionibus succumbere debent, qui vel leui argumento à iudicio catholicæ religionis, & tramite detecti fuerint deuiare.* Non, inquam, obstat. nam licet plures Doctores sentiant illa verba, *leui argumento*, vsurpari pro leui indicio, & probatione, verius, & probabilius est pro leui hæresi esse intelligenda: ita vt sit sensus eos hæreticorum vocabulo contineri, qui leui argumento, id est, paululum, vel minimum, vel in vno tantùm articulo à fide catholica deuiant: sic explicant, & optimè probant Pegna *2. part. direct. ad cap. 1. de hæreticis, comment. 1. versic. & hanc sententiam. fol. 86.* Farinac. pluribus relatis *de hæresi, q. 178. num. 61.*

5 Difficultas autem est, an hæc suspicio sufficiat ad inquirendum specialiter contra aliquem, ipsúmque interrogandum? Ratio dubitandi est, quia inquisitio, & interrogatio assumuntur à iudice ad inuestigandam veritatem, quæ inuestigatio neque otiosa est censenda, neque iniuriosa, cùm fundamentum, & occasionem præstiteris illius. Et confirmo: si indicia vehementis suspicionis dares, non solùm inquiri, & examinari, sed & torqueri posses super delicto infamato. Ergo leuia indicia saltem examinationi te reddunt subiectum: & ita tenet Sigismund. Scaccia *tractat. de indic. cap. 59. à num. 2.* Ioan. Calderinus *tract. de hæret. filior. & nepot. num. 10.* Rojas *tract. de hæreticis, 2. part. num. 20.* Pegna ad Eymer. *2. part. comment. 12. ad cap. excommunicamus, el 1. de hæreticis, paulo post princip.* Decian. *tractat. crimin. lib. 5. cap. 20. num. 21. & cap. 35. num. 20. versic. quæ tamen vera sunt.* Mascard. *de probationibus, lib. 2. conclus. 861. num. 3.* Squallicens. *tractat. de fide cathol. cap. 26. num. 1.* Roland. *consil. 8. num. 6. lib. 3.* Parisius *consil. 2. num. 100. lib. 4.* & alij. Limitant tamen plures hanc suam sententiam, vt procedat in hoc vili, improbo, & abiecto; secus verò in homine honesto, nobili, religioso. sic Pegna *suprà, versic. cæterùm. & comment. 80. versic. atque ita createm.* Rojas *num. 21.* Menochius *de præsumpt. lib. 1. q. 100. num. 2. & seqq.* Et ratio huius limitationis esse potest; quia ratione vilitatis, & improbitatis augetur suspicio; econtra verò ratione probitatis, & nobilitatis minuitur. Adde improbo, & vili non grauem iniuriam irrogari, si de fide examinetur, cùm occasionem dederit malæ suspicionis. Econtra probum, & honestum virum sola inquisitio grauissimè lædit, & maculat. Quapropter secundùm omnes, neque vili homini ob solam leuem suspicionem captura permittitur; quia captura grauiter læditur.

6 Verùm supradictam sententiam etiam cum limitatione positam plures Doctores reiiciunt; quibus fauet hæc efficax ratio, quia inquisitio, & examinatio de credulitate alicuius esse non potest; nisi quia de eius recta fide dubitatur: at ob leuia indicia, leuésque coniecturas dubitare de aliquo ita graue crimen ac est infidelitas, licere nequaquam potest; vt ex communi sententia supponit Lessius *lib. 2. de iustit. cap. 29. dub. 3. num. 15.* Et confirmo: cùm iudex dubitat, an aliquis infidelis sit, iudicat eius fidem ambiguam esse, & incertam; at ex leuibus indiciis id iudicare iniuriosum est. Ergo non est licita inquisitio, quæ hanc dubitationem supponit. sic Simancas *de cathol. institut. tit. 50. num. 28. & in enchirid. tit. 41. rubr. de suspectis, num. 7.* Clarus *practic. crimin. § fin. q. 6. n. 6. vers. item scias.* Menochius *de præsumpt. q. 100. n. 2. & seqq.* Nauarr. *consil. 2. num. 8. versic. septimò, lib. 5. tit. de hæreticis.*

7 In hac contrarietate placet mihi distinctione vti: si hæresis suspicio leuis oriatur ex delicto, cui à iure, vel consuetudine talis suspicio annexa est: censeo inquiri, & interrogari posse delinquentem de eius fide, & credulitate; secus verò, si suspicio oriatur ex aliis delictis, quibus solùm in opinione Doctorum positum est ingerere suspicionem. Secundam partem huius conclusionis probant satis nuper dicta pro secunda sententia. Priorem verò probat vsus, & consuetudo: quoties enim reperitur aliquis habens libros prohibitos, illósque legens, & sine potestate sacramenta ministrans, binas nuptias contrahens, in sacramento confessionis ad peccatum prouocans, in excommunicatione per annum insordescens, examinatur eius fides. Ergo dicendum est ob leuem suspicionem iuridicam subiici

delin

delinquentem examinationi. Et ratio est, quia non directè examinationi subiicitur, sed indirectè; directè enim examinatur, & interrogatur, & torquetur, si opus est, super delicto causante suspicionem; de suspicione autem solùm in consequentiam: ac proinde in tali examinatione, & interrogatione nulla illi irrogatur iniuria, quia non imponitur illi alia suspicio, vel dubitatio, præter eam, quæ à iure est imposita. Item condemnatis super hoc delicto, & sic de fide leuiter suspectis, indicetur abiuratio de leui, vt statim dicemus; quæ necessariò supponit reum esse prius examinatum. Et cum hac distinctione procedit, meo iudicio, Suarez *de fide, disput.24.sect.2.num.4.* vbi relatis summariè contrariis opinionibus concludit negotium esse prudentiale. nam si suspicio leuis procedat ex delicto graui, ratione delicti sufficere poterit ad capturam, &c. Et ita in his videmus fieri abiurationem de leui, vt si legit librum hæreticum, vel secundò nupsit, &c. Quando verò nullum processit tale delictum, vera videtur illa prior sententia, regulariter loquendo, id est, nisi causa grauis, & prudens aliud postulet. hæc Suarez. Idémque videntur sentire omnes illi, qui ad inquirendum, & examinandum reum expostulant suspicionem non qualemcumque, sed probabilem; hoc est (vt ego credo) à iure probatam. sic docent Simancas *de catholic. institut. titul. 50. rubr. de præsumpt. num.27.* Rojas *tractat. de hæreticis, 2.quæst.num.21.* Vmbert. Locat. *in iudicial. inquisit. verbo citatio, num.15. versic. citari non debet.* Farinacius *de hæresi, quæst. 185. num. 58.* Repert. Inquisit. *verbo suspecto, versic. nota quòd suspicio.* Conrad. *practicar. titul. de hæreticis, num.9.*

8 Ex his infertur primò leuiter suspectum suspicione probabili, & iuridica condemnari debere, vt abiuret de leui, vt tali, inquam, abiuratione purget suspicionem contractam. sic Eymeric. *director. 2.part. quæst.55. num.9. & 10.* & ibi Pegna *comment.80. versic. & vbi quis, & 3.part. q.87. comment.136. versic. nec refert.* Simancas latè probans *de catholic. institut. tit.1. rubr. de abiurat. n.18. 21. & seqq.* Farinacius *q.187. n.31.* Decian. *tract. crimin. lib.5. cap.47. num.2.* Sigismund. Scaccia *de iudic. cap.59. num.10. & 11.*

9 Secundò infertur pro crimine inducente leuem suspicionem, condemnari reum posse ad aliquam pœnitentiam, vel pecuniariam, vel reclusionis pro aliquo tempore, vel fustigationis, vel triremis, arbitrio Inquisitorum, pensata qualitate personę, & grauitate delicti, & malitia. sic Decian. *suprà cap.38. num.7.* Repert. *verbo testis, versic. nota quòd sufficit.* Farinacius *suprà, num.33.*

Vt autem abiuratio, & condemnatio leuiter suspectis inferatur, necessariò delictum, seu indicium, ex quo talis suspicio oritur, plenè debet esse probatum; aliàs non vera esset suspicio, nec digna pœna. sic Farinacius *q.187. n.34.* Menoch. *consil.82. num.155.* Mascard. *de probationibus lib.2. concl.861. n.7.* Rojas *de hæret. 2.par. assert.6. n.148. vers. sed illa signa, & singul.164. post num.6.* & alij apud ipsos.

10 Quòd si de vehementi suspicione sermo sit, qui illam contrahit, cōdemnari potest, primò ad abiurationem; quia alia via non videtur suspicionem ita grauem purgari posse. sic Decian. *tractat. crimin. lib.5. cap.47. n.2.* Locat. *iudicial. inquisit. verbo suspicio, n.7.* Farinacius *q.187. num.40.* Cantera *rubr. de hæreticis, cap.1. num.56.* Suarez *de fide. disput.23. sect.2. num.4. & 5.* Eymeric. *2.part. director. quæst.55. num.12. & 3.part. rubr. de quinto modo termin. processum, num.166. versic. circa istum.* & ibi Pegna *comment.41.* Secundò damnari potest in aliqua extraordinaria pœna, vel pecuniæ, vel triremis, vel fustigationis, pensata qualitate personæ, & delicti, ex quo oritur suspicio; hoc enim est, quod punitur. sic Vmbert. Locat. *verbo suspicio, num.16. vers. plura tamen.* Farinacius *n.42.* Rojas *de hæreticis, 2.part. num.304. & seqq.* Ioan. Lupus *in addition. hæretical. §.11.* Simancas *de catholic. institut. tit.50. rubr. de præsumptionib. num.21. & tit.51. num.12.* Suarez *suprà num.5.* Pegna *director. 2.part. comment.80. vers. sed hanc sententiam.* Quæ omnia obseruata vidi in publicis actibus fidei, in quibus vehementer suspecti ob aliquos ritus Iudaicos publicè errores abiurarunt, & pœna pecuniaria sancti officij sumptibus applicanda condemnati sunt, alij verò ad exilium. Neque illis fuit impositus saccus pœnitentialis crucibus integrè signatis, sed solùm dimidiatis, qui tamen saccus facta abiuratione illis sublatus fuit.

11 Verùm si suspicio vehemens oriatur ex fautoria hæresis. Primò, sic suspectus excommunicatus est excommunicatione in Bulla Cœnæ reseruata. Secundò, ex probabiliori sententia est irregularis, iuxta *cap. 2. §. hæretici, de hæreticis, in 6.* vbi fauentes hæreticis inhabiles redduntur ad beneficium, & officium publicum, sicut & hæretici; nomine autem *officij*, Ecclesiasticum debet intelligi. sic docent alios referens, Sanchez *lib.1. in Decalog. cap.25. num.7.* Tolet. *summ. lib.1. cap.69. num.1.* Farinacius *quæst.192. num.74.* Secus verò dicendum est de suspicione orta ex alio crimine: nam nisi sit publicum, & infamiam generet, irregularitatem non inducit: vt bene aduertit Sanchez cum aliis *num.10.* & tradit Suarez *de fide, disput. 23. sect. 2. num.6.* & nos latiùs in materia irregularitatis examinabimus. Tertiò hæreticorum fautor, defensor, vel receptator est infamis; quia ita habetur in constitutione Innocentij IV. edita anno 1252. incipiente, *Ad extirpanda.* & in constitutione Alexand. IV. edita anno 1258. incipiente, *Quod super,* & Pauli IV. incipiente, *Licèt ex Apostolatus officio,* edita anno 1558. quæ referuntur à Pegna *in fine directorij.* Vt autem hæc pœna contrahatur, requiritur sententia declaratoria criminis, sicut & in hæretico requiri diximus: & tradit Azor *tom.1. institutionum, lib.8. cap.13. rubr. de quarta hæreticorum pœna, quæst.7.* Bursatus *consil.14. num.18. & 23. lib.1.* Farinacius *quæst.189. num.56.* Thomas Sanchez *lib.2. in Decalog. cap.26. num.1.* Insuper videtur requiri, vt intra annum excommunicatione notatus satisfacere contempserit: sic Eymeric. *3.part. director. quæst.123. num.2. & 3.* Sanchez *lib.2. cap.26. num.3.* Quartò, clericus hæreticorum fautor, defensor, & receptator, & quicumque de hæresi vehementer suspectus, non priuatur ipso iure beneficiis obtentis, sed illa potest in fauorem tertij renuntiare. Nec renuntiatio rescinditur; venit tamen priuandus per sententiam: iuxta textum *in cap. excommunicamus, el 1. §. credentes, de hæreticis.* sic Pegna *director. 3.part. quæst. 113. comment. 162. versic. beneficia verò.* Farinacius *quæst.189. num.74. 81. & 86.* Sanchez *lib.2. in Decalog. cap.26. num.14. & 16.* Quintò, inhabiles ipso iure ad quodlibet officium publicum, beneficiúmque Ecclesiasticum: ita vt collatio illis facta irrita est, & inanis. habetur expressè *cap.2. §. hæretici, de hæreticis, in 6.* & ita docet Azor *1.part. institutionum moralium, c.13. quæst.8.* Pegna *direct. 3.part. q.113. comment. 162.* Salzedo *pract. cap.113.* Sanchez *lib. 2. cap.26. num.4.* Sextò ad publica officia, seu consilia, neque ad eligendos aliquos admitti potest. Incapax item est testandi, succedendíque ex testamento. Nullus præterea ipsi super quocumque negotio, sed ipse aliis respondere cogitur. Quòd si fortè iudex extiterit, eius sententia nullam obtinet firmitatem, nec causæ aliquæ ad eius audientiam præferri debent. Si verò Aduocatus fuerit, eius patrocinium nullatenus admittitur. Si tabellio, instrumenta per ipsum confecta, nullius sint momenti, sed cum authore damnato damnentur; & in similibus idem seruari præcipitur. Si verò clericus fuerit, ab omni

officio, & beneficio deponi debet. Insuper mandatur clericis, ne exhibeant huiusmodi pestilentibus Ecclesiastica sacramenta, nec eos christianæ præsumant tradere sepulturæ, nec eleemosynas, aut oblationes eorum percipiant, alioquin suo priuentur officio, ad quod nunquam restituantur absque indulto Sedis Apostolicæ speciali. Denique excommunicationis sententia iubentur percelli, qui hos sic ab Ecclesia denotatos vitare contempserint. Hispanis non quilibet defensor, receptator, aut fautor hæreticorum subiacet, sed illi tantùm, qui publicantur ob fautoriam excommunicati; & postquam sic publicati sunt, contemnunt intra annum satisfacere. Nam de iis tantùm loquitur textus *in cap. excommunicamus, §. credentes, de hæreticis*, & notauit Eymer. 3.*part. director. quæst.*123.*num.*2.*&* 3. & ibi Pegna.

12 Tandem dicendum de violenta suspicione, quæ si aliquem afficiat, eo ipso vt hæreticus damnari potest; quia est præsumptio iuris, & de iure in contrarium probationem directam non admittens; & constat ex *cap. contra Christianos, cap. quicumque, cap. cum contumacia, cap. filij, de hæreticis, in 6. cap. excommunicamus, §. qui autem, de hæreticis.* & tradunt ferè omnes Doctores: vt videre est in Eymer. 2.*part. quæst.*55.*num.*10. & ibi Pegna *comment.*80.*versic. violenta suspicio.* Farinacius *quæst.* 187.*num.*46. Dixi probationem directam non admittere, quia indirectam bene admittit, qualis est, si sic suspectus velit probare testes examinatos falsum dixisse, vel indicia, ex quibus violenta suspicio sumitur, vera non esse. sic Pegna *suprà, versic. quamuis, in fine comment.* Farinacius *num.* 50. Simancas *catholic. institut. tit.*51.*rubr. de probationibus, num.*13. Verùm etsi hæc de violenta suspicione verissima sint, modus autem procedendi in iudicio aduersùs sic suspectum, idem est, ac aduersùs suspectum de vehementi, vt aliis relatis docuit Farinac.*n.*51.

Sed quid dicendum de eo, qui metu illato à fide catholica exteriùs recedit?

Respondeo, si metu graui cadente in virum constantem recedat, nec est condemnandus vt hæreticus, neque vt de hæresi vehementer suspectus, esto grauissimè peccet. Nam cùm hæresis in voluntario recessu à catholica veritate consistat, non præsumitur ex voluntate recedere, qui sic coactus recedit: sic Simancas *de catholic. institut. titul.*17.*num.*29.*&* 36. Pegna *director.* 1.*part. comment.*24. *versic. rursus, & versic. sed hæc quidem omnia.* Dixi, si metu graui recedat. Nam ad tollendam hanc hæresis suspicionem, non quilibet metus sufficit, sed metus mortis, & tormentorum. nam metus infamiæ, exilij, aut non multum grauis fustigationis, non videtur sufficiens in tam graui crimine ad excludendam eius suspicionem, præcipuè si Episcopus, clericus, monachus, Theologus, nobilis, & similis sit is, qui recedit. Nam si fœmina, puer, aut plebeius sit, qui cogitur, supradictorum malorum timor sufficit. Item requiritur ad excludendam hanc suspicionem, vt cessante metu, statim signa doloris ostendat, & sceleris patrati pœnitentiam expostulet, & ad veram fidem reuertatur; aliàs præsumetur & priùs ex animo consensisse, & ratum habere turpem, & execrandum recessum; ac proinde tunc grauiùs puniendus est, & ad abiurationem compellendus, tamquam de hæresi vehementer suspectus: sic docent Simancas *de catholic. instit. n.*37. Pegna *suprà, versic. sed hæc quidem.* Farinacius *quæst.*183.*à num.*26. Azor 1.*part. institutionum moral. lib.*8. *cap.*9.*q.*9.*in fin. & cap.*21. *quæst.*5.*&* 6.

* * *

Pvnctvm II.

Filij, & nepotes hæreticorum quas pœnas incurrant.

1 *Nulla pœna corporali afficiuntur.*
2 *Non priuantur bonis proprijs, nec potestate succedendi in maioratu.*
3 *Neque priuantur successione auorum, aliorúmque consanguineorum.*
4 *Bonis parentis hæretici omnino priuantur.*
5 *Excipe iure naturæ debita alimenta.*
6 *Qua ratione, hi filij, & nepotes contrahant irregularitatem.*
7 *Contrahunt inhabilitatem ad beneficia, Ecclesiasticásque personas recipiendas.*
8 *Item ad officia publica.*
9 *Extendunt aliqui hanc pœnam ad beneficia acquisita, antequam pater declaratus fuerit hæreticus, sed non admittitur extensio.*
10 *Huiusmodi filij, & nepotes infamiæ pœnam non contrahunt, tametsi aliqui contrarium sentiant.*
11 *Filios hæreticorum, qui in contumaciam damnati sunt, & ob solam illam, aliquibus placet supradictas pœnas contrahere.*
12 *Probabilius est oppositum.*
13 *Satisfit rationibus num.*11.*adductis.*
14 *Filij siue ante, siue post commissum delictum nati, contrahunt pœnas illis proprias, secundùm satis communem sententiam.*
15 *Proponitur contraria sententia, negans filios natos ante delictum comprehendi ijs pœnis.*
16 *Reprobatur sententia num.*14. *adducta in crimine læsæ maiestatis humanæ, at in crimine hæresis approbatur sententia.*
17 *Satisfit argum. num.*14.*adductis.*

1 Si de pœnis corporalibus loquamur, certum est filios hæreticorum nullis pœnis affici. esset enim inhumanum, & fortè potestate reipublicæ alienum ob parentum delictum morte, verberatione, fustigatione filios condemnare: sic Suarez *disput.*24. *de fide, sect.* 3. *num.* 2. cum Simanc. *de catholic. institut. toto titulo* 29.

2 Si autem de pœnis temporalibus sermo sit, certum etiam est hos filios ob parentum delictum non priuari bonis propriis habitis eo tempore, quo à parentibus delictum commissum est; quia nullibi inuenitur cautum, & pœnæ præcipuè non sunt extendendæ sine manifesto iure, vel ratione. Item non priuantur potestate succedendi in maioratu, quem habet pater hæreticus; quia non à patre, sed à primo instituente accipiunt, qui omnes descendentes in successione vocauit, neque maioratus connumeratur inter bona parentis, sed potiùs inter bona familiæ, & generis. sic Molin. *lib.*4.*de primogen. cap. vlt. à num.*51.*vsque ad* 55. Menochius *consil.*805. *num.*31. *&* 38. *& consil.*808. *à num.*9. *vsque in finem.* Anton. Gomez *l.*40.*Tauri, num.*91. *versic. tertiò non obstat.* Molin. Iesuita *tom.*3.*de iustit. disput.*658.*num.*25. Farinacius *de hæresi, quæst.*191. *num.*42. Vasquez *de legibus, disput.*169.*num.*36. & pluribus aliis probat, & exornat, & contrariis satisfacit Thomas Sanchez scriptorum moralium princeps, *lib.*2.*in Decalog. cap.*30.*num.*4. Neque huic doctrinæ obstat, quòd maioratus habeat iurisdictionem in vasallos, qua iurisdictione, & dignitate filij hæreticorum priuati sunt, ex *cap.*2.*de hæreticis, in* 6. ibi, *ad nullum officium publicum admittantur*; & consentit regia lex 3.*tit.*3.*lib.*8.*compil.* ibi, *no pueden ser, ni seande nuestro consejo, ni tener officio publico, ni real.* quia hoc intelligendum est de iurisdictione, & dignitate per se concessa, secus

secus de iurisdictione, & dignitate accessoria, cuius sunt capaces filij hæreticorum, eo ipso quo capaces sunt bonorum maioratus, quibus talis iurisdictio annexa est; principale enim trahit accessorium. *reg. accessorium. 42. de regul. iur. in 6.* Quòd autem talis iurisdictio, & dignitas, quæ sæpe maioratum comitatur, accessoria illis sit, probatur tum ex vsu, tum quia per successionem ex sola obtentione, possessionéque bonorum habetur. Item habetur tam à fœminis, quàm à masculis: sic expressè vterque Molin. & Menoch. *suprà*, & Sanchez *num.7.*

3 Deinde non sunt priuati successione auorum, aliorúmque consanguineorum, & extraneorum, sed solùm parentis; quia nullo iure cautum est. Neque valet argumentum à simli ex filiis reorum læsæ maiestatis, qui qualibet successione priuati sunt, ex *l. quisquis, §. filij, C. ad leg. Iul. maiest.* quia pœnæ ex vno casu ad alium extendendæ non sunt, præcipuè cùm non sit eadem ratio. Nam in crimine læsæ maiestatis humanæ priuantur filij qualibet successione ob securitatem Principis, qui meritò timet, ne delicta parentum sequantur filij, si diuitiis abundent. quod in crimine hæresis non procedit, & ita plures referentes docent Anton. Gomez *tom. 3. cap. 2. num. 13.* Simancas *catholic. institut. tit. 29. num. 19.* Cantera *in suis quæst. crimin. tit. de quæst. tangent. punit. delict. cap. 2. num. 11.* Sanchez *lib. 2. cap. 29. num. 13.* Farinacius *quæst. 116. num. 75. in medio.* Decian. *tract. crimin. lib. 5. cap. 45. num. 5. versic. limita octauo.* Surdus *consil. 386. per totum, lib. 3.* Menochius *cons. 805. num. 23. & 24. vol. 9. & cons. 1128. per totum, vol. 12.* Suarez *de fide, disp. 24. sect. 3. num. 7. fine.*

4 Bonis autem parentis hæreticis omnino priuantur; quia iuxta *cap. cum secundùm leges, de hæreticis, in 6.* fisco sunt applicata: & expressè deciditur *cap. filij, & cap. quicumque, §. hæretici, de hæreticis, in 6.* vbi filij excluduntur à successione bonorum parentis condemnati. Quapropter nec legitima illis danda est, vt rectè notauit Paul. Girlanch *tract. de hæreticis, quæst. 4. num. 1. & 2.* Thomas Sanchez *lib. 2. cap. 29. num. 9.* Decian. *tract. crimin. cap. 45. num. 3. vers. & amplia.* Graffis *lib. 2. decis. cap. 11. num. 9.* Farinacius *quæst. 191. num. 1. & 2.* Pegna *director. 2. part. comment. 9. ad cap. vergentis, de hæreticis, versic. cæterùm hodie.* Gabr. Quemada *quæst. 24. num. 2.* Hi enim omnes aduertunt, quòd licèt iure ciuili antiquo, iuxta textum *in l. Manichæos, l. cognominus, C. de hæreticis*, filij Catholici non priuantur parentum hæreticorum legitima: at hoc ius correctum esse ab Ecclesia, ex dictis *cap. cùm secundùm leges, cap. filij, cap. quicumque*, & ab Imperatoribus *in authent. Gazaros, C. de hæreticis.* Ex quo fit patre existente hæretico filias fœminas dotem obtinere non posse; quia omnia eius bona fisco addicta sunt: & ita tradit Simancas *cathol. instit. tit. 9. rubr. de bonis hæreticor.* Azor *1. part. institutionum moralium, lib. 8. cap. 12. quæst. 6. versic. imò dotes.* Gabr. Quemada *quæst. 24.* Farinacius *quæst. 191. num. 8.* Cantera *quæst. crimin. rubr. de hæret. c. 1. sub num. 20.*

5 An verò illis danda sint alimenta, non est constans inter Doctores. Affirmat Simancas *catholic. instit. tit. 29. rubr. de filiys, & minoribus, num. 12.* Pegna *director. 2. part. comment. 9. ad cap. vergentes, versic. inquisitores tamen*, vbi ex sola misericordia dicit esse hæc alimenta concedenda, tacitè insinuans ex rigore non deberi. Idem dicit Rojas *singul. 87.* Surdus *consil. 386. num. 13.* quibus ego libenter assentio. Cùm enim parens obligatus sit iure naturæ filios suos alere ex propriis bonis, dum ipsi non valent alimenta acquirere, fiscus succedens in illis bonis, videtur in hac obligatione succedere, sicut in obligatione soluendi creditoribus.

6 Prima pœna est irregularitas his filiis, & nepotibus imposita, de qua diximus satis *tract. de irregularitate, circa finem*; ibi enim ex communi sententia conclusimus filios, & nepotes hæreticorum, & fautorum esse irregulares, si per vnam masculinam descendant: si autem via fœminea, solùm filios, non nepotes, ex *cap. 2. §. hæreticis, de hæret. in 6. c. statutum, 2. eod. tit. & lib.* Debet tamen hæreticus, vel fautor probari per sententiã, vel euidentiam facti, talis esse, vel talis decessisse; vt habetur *in supradicto cap. quicumque*, ibi, *qui tales esse, vel tales decessisse probantur*; & tradit Farinacius *quæst. 191. num. 69.* Azor *1. part. instit. lib. 13. cap. 13. quæst. 8.* vbi subdit solùm facti euidentiam sufficere; etiamsi sententia secuta non fuerit. tenet Sanchez *lib. 2. cap. 27. num. 28.* Extenditur secundùm probabiliorem sententiam ad filios illorum, qui brachio sæculari traduntur comburendi, vt est relapsus negatiuus, hæresiarcha; quamuis pœnitentiæ signa ostendant, quia impœnitentes à iure reputantur: & tradit vltra Doctores supradicto loco relatos Suarez *de fide, disput. 23. sect. 3. num. 3.* Neque ab hac pœna, aliísque statim referendis excusantur filij illegitimi, & incestuosi, aliàs delictum parentum illis faueret, & luxuriæ prærogatiua daretur, quæ castitati coniugali non conueniret, quod est absurdum; vt bene dixit Pegna *3. part. director. quæst. 114. comment. 163. circa princip.* Sanchez *lib. 2. cap. 27. num. 1.* Menochius *de præsumpt. lib. 5. præsumpt. 33. num. 1.* & Farinacius *quæst. 191. n. 9.* & alij apud ipsos. Debet tamen parens hæreticus certò parens esse, vt ex eius delicto pœnæ ad filios descendant: aliàs in dubio excusabuntur; vt tradit Couarr. *lib. 2. variarum, cap. 8. num. 3.* Sanchez, & Farinacius *suprà.* Probatur autem isto casu filiatio per nominationem patris, & reputationem ortam ex tractatu, vt talis. sic Repert. Inquisit. *verbo filij, versic. etsi quæratur*, & ibi Quintilian. Mandos. *in addition. litt. H.* Farinacius *quæst. 191. num. 10.*

7 Secunda est inhabilitas ad beneficia Ecclesiastica recipienda, ex textu *in cap. quicumque, §. hæretici, de hæreticis, in 6.* ibi, hæreticorum, eorúmque credentium, receptatorum, defensorum, & fautorum *filij vsque ad secundam generationem, ad nullum Ecclesiasticum beneficium admittantur.* & ibi notauit glossa, Archidiac. Ioan. Andr. Per lineam autem maternam solùm filij inhabiles redduntur, ex textu *in cap. statutum, el 1. de hæreticis, in 6.* Nomine beneficij etiam pensio subintelligitur in fauorem fidei, & detestationem hæresis: sic Sanchez pluribus probans *lib. 2. cap. 28. num. 36. & seqq.* Suarez *de fide, disp. 23. sect. 3. num. 4. fine.* Farinacius *quæst. 191. num. 60.* ea præcipuè ratione, quia textus *in cap. 2. de hæreticis, in 6.* priuans hos filios beneficiorum obtentione vtitur generali illa negatiua, *nullum beneficium.* quo casu beneficium comprehenditur, vt bene dixit Gigas *de pensionib. quæst. 28. num. 11.* & tradit Sanchez *suprà.* Hæc autem inhabilitas ipso iure incurritur, ita vt collatio beneficij illis facta irrita sit, & inanis; habetur expressè *cap. 2. de hæreticis, in 6.* ibi, *quòd si secus actum fuerit, decernimus irritum, & inane.* Item ij sunt irregulares: irregularitas autem est impedimentum irritans beneficij collationem. sic Suarez *de fide, disp. 24. sect. 3. n. 4.* Sanchez *lib. 2. cap. 28. num. 32.*

8 Tertia pœna est inhabilitas ad officia publica, qualia sunt magistratus, prætoriatus, iudicium, notariatus. habetur *supradicto cap. quicumque, iuncto cap. statutum, de hæreticis, in 6.* & tradit Suarez *disput. 24. de fide, sect. vltim. num. 6.* referens Bullam Innocentij IV. Alexand. IV. & Clement. IV. id statuentium: vbi optimè aduertit ex vi huius inhabilitatis non esse priuatos iure eligendi, & repræsentandi, quia non est officium publicum.

9 Quartam pœnam aliqui assignant priuationem beneficiorum, quæ filius, vel nepos obtinuit, antequam eius parens, vel auus fuerit hæreticus declaratus: sic post alios antiquiores docent Flamin. *de resignat. benefic. lib. 3. quæst. 1. num. 34.* Gutierr. *canon. qq. lib. 2. cap. vlt. n. 38.*

Graffis *lib. 2. decis. cap. 11. num. 11.* & alij plures relati à Sanch. *lib. 2. cap. 28. num. 27.* & à Farinac. *quæst. 191. n. 57.* & Pegna 3. *p. direct. q. 114. com.* 163. *vers. in hac quæstione.* Mouentur præcipuè ex *cap. felicis. §. quòd si quis, de pœnis, lib. 6.* vbi filij percutientes sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem priuantur beneficiis, quæ tempore delicti parentis obtinebant: sed grauiùs delinquit qui maiestatem diuinam offendit. Ergo grauiùs puniri debet. Verùm hanc pœnam admittendam non esse docet communior sententia: vt videre est in Farinac. Sanch. & Pegna *suprà*, qui relatis plurimis Doctoribus hanc sententiam vt benigniorem, & vsu receptam, & validissimis argumentis munitam firmant. consentit Suar. *disp. 24. de fide. sect. 3.* Ratio præcipua est, quia nullibi inuenitur cauta talis priuatio. Ergo asserenda non est. quia pœnæ, & præcipuè respectu innocentium extendendæ non sunt. Neque obstat text. *in cap. felicis*, in contrarium adductus. Tum quia solùm probat posse Ecclesiá filios hæreticorum beneficiis priuare, non tamen probat de facto priuari, docuit enim in illo crimine læsionis Cardinalis hac pœna affici filios, etsi leuius sit, quàm hæreses ob euitandam delinquendi audaciam. Neque in pœnis valet argumentum à maioritate rationis, vt satis diximus loquentes de lege pœnali.

10 Quinta pœna, qua aliqui reputant filios hæreticorum affici, est infamia, eo quòd hæc afficiat filios reorum læsæ maiestatis humanæ. *l. quisquis. §. filij. C. ad leg. Iul. maiest.* & tradit alios referens Couarr. *lib. 2. var. cap. 8. num. 1.* Anton. Gom. *leg. 40. Tauri. num. 91. vers. tertio.* Simanc. *tit. 29. num. 13. & 14.* Farinac. plurimos referens, *quæst. 191. num. 23. & seqq.* negari nõ potest communem esse sententiam. At nullum firmum fundamentum habet. nam nullus extat textus in iure canonico, cui in hoc delicto standum est, vtpote Ecclesiastico, hãc illis pœnam irrogans. Constitutiones autem Innocent. IV. Alexand. IV. Clement. IV. incipientes, *ad extirpanda, &c.* quæ à Pegna inter litteras Apostolicas referuntur, & quarum meminit Farinac. suprà, solùm hos filios excludunt à publicis officiis. Ex qua exclusione non infertur infamia. Neque argumentum à simili in lege pœnali validum est, cùm pœnæ non ob similitudinem rationis, sed ob iuris dispositionem imponantur. Item si essent infames, essent priuati omnibus priuilegiis, omníque actu legitimo, omníque testimonio ferendo. quod nullo fundamento probatur; & ita tenet Sanch. *lib. 2. c. 28. n. 5.* Menoch. *consil. 808. num. 44. vol. 9.* Suar. 5. *tom. de censur. disput. 48. sect. 3. num. 2. & disput. 24. de fide. sect. vlt. num. 7.*

11 Restat duplex examinanda difficultas. Prima, an hæ pœnæ afficiant filios, vel nepotes hæretici damnati in contumaciam ob solam illam? Partem affirmantem defendit Pegna 3. *p. direct. quæst. 115. com. 164. vers. patre damnato.* Decian. *lib. 7. cap. 41. num. 33.* Sanch. *lib. 2. in Decal. cap. 27. num. 19.* Et mouentur, quia contumax pro hæretico habetur, & velut hæreticus condemnatur. *cap. cum contumacia, de hæreticis. in 6.* & ibi glossa, *cap. excommunicamus, el 1. §. qui autem, de hæreticis.* Item qui per annum in excommunicatione perseuerat, pertinax præsumitur præsumptione iuris & de iure, vt tradit *in dicto cap. cum contumacia*, Ioan. Andr. & Geminian. & vt talis damnatur. Ergo pœnæ, quæ ex hæretico in filios deriuantur, in huius damnatione locum habent. Adde bona huius hæretici confiscantur in præiudicium filiorum. Ergo & reliquæ pœnæ eos afficiunt.

12 Verùm probabilius censeo filios hæretici in contumaciam damnati nullam pœnam illis propriam contrahere; ac proinde non esse inhabiles ad beneficia, neque irregulares, neque infames, neque incapaces successionis, etiam in sententia illorum, qui eos infames, & cuiuslibet successionis incapaces asseuerant. Moueor, quia ficta confessio ex contumacia resultans, non est vera delicti probatio, sed præsumpta. Præsumpta autem delicti probatio solùm delinquenti nocere potest, non eius hæredibus, quia nocumentum hæredibus ex delicto antecessoris vero prouenire debet, non ex delicto ficto; vt constat expresè ex *l. eius qui delatorem, ff. de iure fisci.* ibi, *Eius qui delatorem corrupit, ea conditio est, vt pro conuicto habeatur; sed enim hac pœna magis est vt aduersùs ipsum locum habeat, qui delatorem redimit. Cæterùm aduersùs hæredem ipsum transire non debet.* & tradit Felin. *in cap. cum Bertold. num. 8. & 25. ff. de re iudic.* Bart. *in l. cùm filius familias. num. 4. & fin. de verbor. obligat.* Alex. *in l. sæpe. num. 64. ff. de re iudic.* Bossius *de delict. num. 6. & tit. bannitis quid amittant. num. 19.* Brunus *de statutis, verbo confessio, vers. an ficta confessio inducta*, & alij plures. Et confirmo ex vulgato axiomate, quòd probatio delicti orta ex contumacia non efficit probationem requisitam ad delictum præiudicans tertio. *l. fin. C. de probationib. iuncta l. sancimus, C. de pœnis.* & tradit Bart. *suprà*, & alij, *in dicta l. cùm filiusfamilias. in princ.* Decius *consil. 410. in causa, colum. 2. num. 6. vers. quia ad hoc respondetur. & col. 3. vers. quartò principaliter.* Natta *consil. 540. num 29. vol. 3.* Plotus *consil. crimin. diuers. 130. num. 12. lib. 1.* Secunda sententia lata aduersùs aliquem hæredibus præiudicat, nisi in contumaciam fuerit lata; quia tunc soli contumaci obest, non aliis. ex *l. præses. C. de pignorib.* & tradit Nilus *de bannitis. in 1. p. 2. tempor. quæst. 14.* Gigas *de crim. læsæ maiest. tit. quomodo & per quos. quæst. 1. num. 35.* Bossius *tit. de bonor. publicat. num. 56.* & pluribus relatis firmat Farinac. *de delictis & pœnis. lib. 1. tit. 3. quæst. 24. num. 176.* Neque obstat solutio Thom. Sanch. *lib. 2. cap. 27. num. 19.* cui fauet Bart. *l. 2. §. his, num. vnico. ff. de bonis eorum qui ante sententiam.* Mascard. *de probation. concl. 348. num. 35.* Rojas *in singul. fidei, singul. 69. num. vnico.* Cattar. *de executione sentent. contumac. cap. 1. num. 345.* asserentis supradictam doctrinam communem non procedere in crimine læsæ maiestatis humanæ; vel diuinæ. quia talis exceptio nullo iure, vel ratione fundatur. & Bartol. Rojas, Mascard. de pœna amissionis bonorum loquuntur, quæ hæredibus præiudicat non directè, sed indirectè; quia hæc non est pœna hæredum, sed contumacis, à quo sublata bona cessant ad hæredem transire. Tertiò, quia sententia in contumaciam lata nunquam transit in iudicatum quoad pœnam corporalem, sed quandocunque hæreticus compareat, etiam si eius statua combusta sit, est audiendus. ex glossa communiter recepta, *in cap. excommunicamus, el primo, de hæreticis, verbo condemnetur.* tradit Sanch. *num. 18.* Pegna *direct. 3. p. com. 49. vers. adueniente autem.* Simanc. *de catholic. instit. tit. 2. num. 20. & 21.* & alij. Sed non est iustum, vt innocentes puniantur ex sententia, quæ est in pendenti, & quæ reuocari potest. Ergo. & ita tradit in propriis terminis hæresis Farinac. *quæst. 191. num. 68.* Gigas *de crimin. læsæ maiest. lib. 3. tit. 1. de pœnis, quas incurrunt filij. quæst. 13. n. 3.* & in crimine læsæ maiestatis Roland. *consil. 29. num. 21. & 22. lib. 3.* Farinac. *quæst. 116. num. 180.*

13 Argumenta pro contraria sententia non vrgent. Fateor delinquentem hæreticum condemnatum ob solam contumaciam haberi pro confesso, & conuicto, & tanquam pertinacem hæreticum damnari. Nego tamen eius damnationem aliis ab ipso præiudicare, quia reuocari potest, & non est vera delicti probatio, sed ficta. Confiscationem bonorum admitto fieri ob sententiam latam in contumaciam, quia illa non est pœna directè filios afficiens, sed indirectè. Est enim pœna propria ipsius contumacis, à quo bona tolluntur, quibus sublatis nihil est quod ad hæredes transeat.

14 Secunda difficultas, & grauissima est, an infamia, priuatio beneficiorum, & officiorum, & reliquæ pœnæ filiorũ propriæ afficiant filios natos, vel conceptos ante delictũ parentum? Notanter dixi, & reliquæ pœnæ filiorum propriæ, vt excluderem ab hac dubitatione bono-

rum

publicationem, quæ, vt iam dixi, non est pœna filiorum, sed parentum; ac proinde in filios ante delictum nascituros damnum resultare potest, & notauit Sanchez lib.2.cap.27.n.16.

In hac difficultate prima sententia satis communis affirmat comprehendere filios, siue ante, siue post commissum delictum nati fuerint. sic Simancas *de catholic. instit. tit.29. num.22.* Rojas *de hæreticis, 2. part. num.336. & in singularibus fidei, singul.68. num.3.* Pegna *director.3. part. comment.163. vers. omissis tamen.* Perez *lib.4. ordin. tit.9.l.3. vers. des puesque fiço la trayçion*, qui testantur sic esse in practica receptum. Menochius *de præsumpt. lib.5. præsumpt.33. à num.17.* Couarr. *lib.2. variarum, cap.8.n.5.* Cantera *in qq. crimin. tit. de qq. tangent. punit. delict. cap.1. num.11.* Suarez *de fide, disp.43. sect.3. num.2.* Azor *tom.1. institutionum moralium, lib.8. cap.13. post q.8. & tom.2. lib.6. cap.4. q.3.* Toletus *de instruct. sacerd. lib.1. cap.69. num.4. vers. octauò filij.* Farinacius *de hæresi, q.191. num.2.* quamuis *num.39.* videatur contrarium affirmare: & alij plures, quos refert Thomas Sanchez *lib.2. cap.27. num.9.* qui hanc quæstionem præ omnibus latissimè, & exactissimè tractat.

Plura in eius fauorem adducuntur fundamenta. Adducam præcipua. Primum desumitur ex generali modo loquendi iuris de pœnis impositis filiis hæreticorum, & reorum læsæ maiestatis; absolutè enim, & indistinctè pronuntiat filios puniri, *cap. quicumque, §. hæretici, cap. statutum, de hæreticis, in 6. & cap. vergentis, de hæreticis, l. quisquis, §. filij, C. ad legem Iuliam maiestatis.* At sub nomine *filiorum*, absolutè prolatorum, tam nati ante delictum, quàm post delictum intelliguntur. Tum quia sermo indistinctè prolatus indistinctè est intelligendus, ex *l.1. §. generaliter, ff. de legat. præstandis, l.3. ff. de offic. præsid. l. de pretio, ff. de publiciana in rem actione.* vbi glossa, & Doctores. Tum etiam, quia *in l. Senatoris filium, ff. de senatoribus*, habetur æquè filium senatoris dici, siue eum pater in senatoria dignitate susceperit, siue ante dignitatem senatoriam; & *in cap. inter cæteras, de rescriptis*, dicitur filius sacerdotis, etiamsi ante sacerdotium fuerit genitus. Ergo similiter dici poterit filius hæretici, etiamsi ante hæresim conceptus sit; ac proinde comprehensus sub statuto puniente filios hæreticorum. Secundò probatur tum ex *cap. filij, de hæreticis, in 6.* vbi filij decedentium è vita, & consolationem, seu potiùs desolationem ab hæreticis postulantium, non admittuntur ad probandum parentes in amentia fuisse, si antea de hæresi diffamati erant. At ij filij pœnas hæreticorum incurrunt. Ergo iam filij nati ante delictum patris puniuntur. Tum etiam probatur ex *cap. statutum, eodem tit. in 6.* vbi redduntur infames filij hæreticorum, quorum parentes tales esse, vel decessisse fuerit probatum. Si autem non comprehenderentur filij ante delictum paternum geniti, deberet textus expostulare ad filiorum infamiam, non solùm parentes notoriè hæreticos decessisse, sed hæresim commisisse ante illorum generationem, & in illa vsque ad mortem perseuerare, quod tamen non postulat; solùm enim textus contentus est ad filiorum pœnas probatione hæresis paternæ in articulo mortis. Tum denique, quia filij reuelantes Inquisitoribus hæresim parentum, eique minimè consentientes excusantur à pœnis; iuxta constitutionem Frederici Imperatoris, quæ incipit, *Commissi, versic. nec quidem*, relatam à Pegna inter litteras Apostolicas direct. inquisit. quæ à variis Pontificibus confirmata est, præcipuè ab Innocent. IV. in sua octaua constitutione in ordine nona, & multis relatis docent Simancas *de catholic. institut. tit.29. num.46.* Pegna *director. 2. part. comment.15. ad cap. litteras, de præsumptionibus, vers. hoc addiderim, & 3. part. comment.164. versic. in filijs verò.* Rojas *singul.12. num.5.* Sanchez *lib.2. cap.27. num.30.* Farinacius *q.191. num.37.* At ad hanc reuelationem faciendam necessariò supponuntur filij nati. Ergo etiam supponuntur nati ante delictum, vt sic delictum paternum possint dissimulare. Probo hanc consequentiam, quia filij non reuelantes, sed paternam hæresim dissimulantes hanc pœnam contrahunt; neque ibi excipiuntur, an nati fuerint ante delictum, vel post delictum. Tertiò principaliter probatur, quia pœna infamiæ, priuationisque officiorum, & beneficiorum filiis imponitur in supplicium parentum, qui filiorum mala sentire acerbius solent, quàm propria; vt sic puniti à peccato auertantur, & aliis timor incutiatur; sic fatetur glossa *in extrau. vnica Ioan. XXII. de pœnis, §. filij eius, verbo quomodolibet*, & tradit Castro *lib.1. cap.7. de potestate legis pœnalis, coroll.1. & lib.2. cap. vlt. de iusta hæreticorum punitione.* Menochius *de præsumpt. lib.5. præsumpt.33. num.8. & 12. & consil.99. num.210. vol.1.* & alij relati à Sanchez *lib.2. cap.27. num.8.* Sed hæc ratio æquè procedit in filiis natis ante delictum, ac post delictum, cùm vtrosque æquè parentes diligant, & illorum mala sentiant. Ergo. Quòd si respondeas hanc esse vnam ex rationibus, quibus moti sunt legislatores ad sic filios puniendos: at non esse præcipuam, quia præcipua esse videtur timor, ne filij parentum mores imitentur, iuxta textum *in l. quisquis, §. filij, ff. ad legem Iuliam maiestatis.* ibi, *in quibus paterni, hoc est, hæreditarij criminis exempla metuuntur.* qui timor in filiis ante delictum conceptis, vtpote conceptis ex sanguine puro, & non infecto per delictum, non videtur procedere. Facilè hæc responsio refellitur, primò negando punitionem parentum non esse rationem præcipuam, cùm in pœnis imponendis, quod præcipuè attendi solet, est delinquentium punitio. Sed concedamus præcipuam rationem esse timorem, ne filij parentum mores imitentur, & ne ad hanc imitationem procedant, pœnis affici; quia adhuc in filios natos ante delictum hoc procedit, ferè æquè ac si nati essent post delictum; quia timor hic non procedit ex eo quòd in generatione aliquam prauam qualitatem in filios genitos parentes infundunt: neque enim qualitates, & humores corporis alij sunt delicto commisso ab iis, qui erant ante delictum; sed procedit ex naturali amore, quem filius habet erga parentes, quo amore ad eius imitationem trahitur: sed hic naturalis amor cùm in recepto esse fundetur, parum interest filio esse conceptum ante delictum, vel post delictum. Quòd si dicas media generatione transfundere parentes in filios prauas inclinationes, & propensiones, & has non potuisse transfundere, quando geniti sunt ante delictum; quia tunc illas non videntur habere. Ex qua transfusione oritur timor paterni delicti imitationis. Respondeo inclinationes, & naturales propensiones in sanguine fundatas ante delictum esse posse ita feruentes, ac fortè feruentiores, ac post commissum delictum, vt experientia compertum est in amantibus perditis. Ergo prauam inclinationem, & propensionem ad hæresim possent parentes in filios transfundere ante commissum delictum, sicuti eum habent. Denique negari non potest punitionem paterni delicti esse vnam ex præcipuis rationem puniendi filios, etiamsi præcipua non sit. At quando lex pluribus rationibus in sui dispositione mouetur, non cessat eius dispositio obligare; esto in aliquo casu cesset aliqua ratio ex illis, vt *tractat. de legibus*, diximus. Ergo neque in præsenti cessat dispositio pœnarum in filios, eo quòd ante paternum delictum nati sint, etiamsi timor paterni delicti imitationis cesset: præcipuè cùm hæc ratio dici non possit cessare, sed ad summum non ita efficaciter procedere in filiis ante delictum, sicuti procedit in filiis tempore delicti genitis.

15 Secunda sententia contraria supradictæ benignior est, quámque latè probat Simancas *de catholicis instit. tit.29. num.22. & seqq. & in enchirid. tit.63. num.10. & 11.* Ioan.

Ioann. Calderin. *consil.* 3 *tit. de haeretic.* Anton. Gom. *tom.* 3. *var. cap.* 2. *num.* 16. *fine*, dicens ex iure regio tenendam esse hanc sententiam, licèt in puncto iuris verior sit contraria. Molin. *lib.* 4. *de primogen. cap.* 11. *num.* 55. noster Molin. *tom.* 3. *de iustit.* 1. *p. disp.* 658. *n.* 22. Nauarr. *consil.* 23. *de haeretic. lib.* 5. *in vlt. edit.* Ceuallos *in suis commun. opin. quaest.* 653. *num.* 14. *& seqq.* vbi testatur ex Manuele 1. *tom. summ. cap.* 130. *num.* 5. saepè in tribunalibus Hispaniae sic esse iudicatum, & alij plures, quos exactè refert, & sequitur Sanchez *lib.* 2. *in Decal. cap.* 27. *num.* 14.

Probatur primò, quia filij nati ante delictum parentis non dicuntur propriè, & formaliter filij delinquentis. sicuti nõ dicuntur filij deportati, quos pater genuit ante deportationem: vt expressè colligitur ex *l. ex facto.* 17. *§. ex facto, ff. ad Trebell.* Neque dicitur filius Senatoris, cuius pater à Senatu motus est, antequam ille nasceretur, vt habetur *l. emancipatum. ff. de senatorib.* quia, vt ibidem dicitur, ad hanc denominationem tempus conceptionis spectandum est: & multis probat Tiraq. *de primogen. quaest.* 31. *num.* 8. glossa *in l. imperialis. §. illud. C. de nuptijs.* Ergo similiter dici non poterit propriè filius haeretici, cuius pater post illius generationem in haeresim incidit: cùm autem poenae filiis impositae ita rigidae sint, & acerbae, & innocentes afficiant, meritò limitandae sunt ad filios, qui propriè, & formaliter filij delinquentium sunt, non extendendae ad illos, qui solùm sunt materialiter tales.

Secundò probatur ex *l.* 2. *C. de libertis, & eorum liberis*, vbi filij concepti ante seruitutem parentis ob ingratitudinem contractam non amittunt ius libertatis quaesitum: & redditur ibi ratio, *quoniam illis delicta parentum non nocent, quos tunc ortos esse constiterit, dum libertate potirentur.* Idem habetur *l. filiam, ff. de senatorib. & §. sed et si. Instit. de ingenuis.* Sed filiis ante delictum paternum natis, vel conceptis ius est quaesitum habilitatis ad beneficia, & officia. Ergo non debet ob delictum paternum illis auferri.

Tertiò ex Concilio Tolet. XIII. *cap.* 1. vbi cùm omnibus, qui in infidelitatem inciderant, vellet remissionem concedere, ad eorum filios priuilegium extendit in haec verba. *Quod & de filijs eorum decernimus obseruandum, qui post admissum scelus nati esse produntur.* Cùm ergo nullam fecerit mentionem filiorum, qui ante crimen nati sunt: supponit Concilium illos remissione non indigere, eo quòd nullas poenas incurrerint. Quod Concilium etsi generale non sit, est tamen nationale ex omnibus ferè Episcopis Hispaniae. hoc argumentum vrgens esse fatetur Couarr. *lib.* 2. *var. cap.* 8. *num.* 6. *vers.* 4. *solet, fine.*

Quartò probatur ex doctrina D. August. relata per Gratianum, *in cap. non imputantur, cap. iam itaque.* 1. *q.* 4. vbi August. probat delicta parentis non posse nocere filiis ante delictum genitis, quia filij iam in se ipso sunt, & non in parente, quae ratio solùm filios natos, non nascituros comprehendit.

Quintò, quia priuilegium nobilitatis concessum parentibus non extenditur ad filios natos ante priuilegij concessionem, sed nascituros, vt manifestè probat *lex vlt. C. de decurionib. lib.* 10. ibi, *suaq; posteritati, quam postquam meruerit dignitatem, vel actum gesserit, ediderit, anterioribus filijs in conditione pristina remansuris. & l. si decurio* 3. *eod. tit. & lib. & l. filiq. vers. senatores, el* 1. *ff. ad municipal.* ibi enim cauetur filios, & nepotes Senatorum gaudere priuilegio, & dignitate parentum, quando sunt nati, vel concepti post adeptam dignitatem, non verò antè; & notat ibi glossa, & expressè Bart. *in l.* 2. *§. in filijs, ff. de decurionib.* & aliis relatis Tiraquel. *tract. de nobilit. cap.* 15. *num.* 9. *& in tract. de primogen. quaest.* 31. *num.* 28. Couarr. *lib.* 2. *var. cap.* 8. *num.* 5. *vers. tertio, in medio*, affirmans in praetorio Granatensi sic fuisse iudicatum, & confirmat *lex* 1. *tit.* 1. *lib.* 6. *noua recopil.* ibi, *los hijos que vbieren auido antes de la caualleria no goçen de la exempcion, y priuilegio de sus padres.* Si ergo non communicatur filiis natis priuilegium, fauor, & beneficium Principis parentibus concessum; minus debet communicari poena, qua ipsi parentes plectuntur, cùm in poenis restrictio facienda sit, & in fauoribus ampliatio.

Sextò probatur ex ratione decidendi text. *in l. quisquis. C. ad leg. Iul. maiest.* vbi redditur ratio puniendi filios; quia quodammodo participes sunt criminis paterni, & audaciae genitoris successores. Hoc autem verificari non potest, nisi quatenus à patre infecto originem ducunt. Ergo solùm concepti post delictum, & non antè, comprehendi possunt.

Tandem ex legibus nostris videtur haec pars omnino decisa. nam *in l.* 6. *ad fin. tit.* 27. *part.* 2. vbi de poenis, quas filij reorum laesae maiestatis incurrunt, dicitur. *Pero esto no se entiende de los hijos, que vbiessen echo, antes que erressen. La ley de rechos, que fallaron los antiguos de Hespaña en todas las cosas alli do pusieron pena a los hijos por raçon de sus padres, siempre guardaron esto, que no vbiessen pena los que antes auian, que el fecho malo ficiessen; fueras ende si fuessen aparçeros en los yerros, y a los otros que metieron esta pena fue, porque los vbieron des pues de enpençoñados en el mal que vbiessen echo.* Et aduertenda sunt illa verba, *en todas las cosas.* quibus refellitur manifestè solutio Gregor. Lop. dicentis loqui textum de poena exilij, non de poena infamiae, & incapacitatis successionis, cùm de omnibus poenis loquatur, vt benè ponderauit Molin. *lib.* 4. *de primog. cap.* 11. *num.* 56 *fine.* Idem probatur *leg. fin. tit.* 31. *part.* 7. ibi, *la si el hijo que es nacido no debe reçibir pena por el yerro de su padre. & leg.* 3. *tit.* 9. *lib.* 4. *ordin. quae hodie est lex* 3. *tit.* 8. *lib.* 8. *noua compil. Pero deçimos que ningun traidor, ni aleuoso, ni su hijo, que vbo des pues, que hiço la traycion,* &c. Ex quibus omnibus manifestè constat filios natos post delictum parentum in poenis ob crimen laesae maiestatis humanae comprehendi. Et licèt nihil de filiis reorum laesae maiestatis diuinae disponant, vtpote extra suam iurisdictionem: at sentiunt sic à Pontificibus dispositum esse; aliàs non diceret lex, *La ley de rechos, que fallaron los antiguos en todas las cosas alli do pusieron pena a los hijos por raçon de sus padres, siempre guardaron esto, que no vbieran pena los que antes sauian que el fecho malo ficiessen*, cùm obstare huic dicto poterat à Pontificibus contrarium esse statutum.

Neque iis obstat *lex* 2. *tit.* 2. *part.* 6. vbi Gregor. Lop. ex signo vniuersali, quo vtitur, dicens, *todos sus hijos*, infert comprehendi natos, & nascituros. Nam illa verba intelligenda sunt iuxta *leg.* 6. *tit.* 27. *part.* 2. vt videlicet comprehendat omnes filios, siue legitimos, siue illegitimos, siue existentes sub potestate parentis, siue emancipatos: dummodo tamen geniti sint post delictum.

16 Vt ergo in hac controuersia meam sententiam proferam, in primis affirmo vtramque sententiam probabilissimam esse. quod ex Doctoribus, & rationibus pro vtraque sententia adductis constat. Verùm attento iure regio Castellae 2. sententia in crimine laesae maiestatis humanae mihi probanda videtur. At in haeresi, in qua canonum dispositio attenditur, primam sententiam censeo probabiliorem. sic Gutierr. *canon. quaest. lib.* 2. *cap. vlt. num.* 46. Couarr. *lib.* 2. *var. cap.* 8. *n.* 5. *vers. quarto.* Gratian. & Azeued. *leg.* 6. *tit.* 27. *part.* 2. Anton. Gom. *tom.* 3. *var. cap.* 2. *circa fin. vers. sed his non obstantibus, & vers. & adde.* Moueor, quia leges adductae in crimine laesae maiestatis humanae mihi videntur clarissimae: at in delicto haeresis, in cuius poenis canones sunt spectandi, textus, & rationes pro prima sententia adducti mihi efficaciores apparent. Neque enim commodam explicationem inuenire potui textui *in cap. filij, cap. statutum, & alijs.* Concedo namque illis textibus solùm disponi, & declarari filios infames, & incapaces esse, quorum parentes contumaces obierint, quia non satis erat declara-

tum

tum à *cap. vergentis, de hæreticis, cap. quicumque, eodem tit. in 6.* At ex hac declaratione satis colligitur *in suprad. cap. vergentis, & cap. quicumque,* filios natos esse comprehensos, siquidem solùm expostulatur *in cap. statutum,* obitus prauus, & contumax parentis, vt eius filij pœnis afficiantur. Dicere autem subintelligendum esse, si fuerint nati ante delictum, gratis videtur excogitatum, & contra textus litteram, alias diminutè processisset Pontifex declarans requiri impœnitentiam finalem in parente ad filiorum pœnas, & non declarans filios post parentum delictum nasci debere. Cùm sæpissimè reperiantur filij ante delictum parentum geniti. Adde me sæpe vidisse pro hac sententia iudicatum: imò neque admitti filios ad probandum ante paternam hæresim genitos esse. Ergo saltem ex consuetudine prior sententia præualere debet. Neque argumenta pro secunda sententia adducta conuincunt.

17 Ad primum concedo non dici propriè filium deportati, qui genitus est ane deportationem quoad effectum incurrendi pœnas impositas filiis deportatorum; quia in crimine etiam læsæ maiestatis humanæ iam dixi parentum delicta non nocere filiis antè genitis. Secus verò dicendum est in crimine hæresis. Item concedo non dici Senatoris filium, qui genitus est à patre amoto à senatoria dignitate; quia non potest perseuerare relatio, dum non est pater referens; sicuti neque etiam dicebatur filius hæretici, dum pater in hæresim non incidit, neque quando pater ab illa purgatus est. At si pater in hæresim incidat, dum in illa perseuerat, sicut denominatur pater filij ante hæresim geniti, ita filius denominatur filius illius patris hæretici, & verè, & propriè dicitur filius hæretici, sicut & pater propriè, & formaliter hæreticus est. Adde ad incurrendas pœnas filiis hæreticorum impositas, tantum requiri, vt filij sint parentis in hæresi decedentis. Nam esto tempore conceptionis fuerit eorum pater hæreticus, non sufficit, nisi in hæresi perseueret. At si in hæresi decedat, etiamsi toto vitæ tempore catholicus existat, eius filij pœnas non euitabunt, *ex dict. cap. statutum, de hæret. in 6.*

Ad secundum respondeo cum Couarr. *suprà num. 5. in princ.* in libertate, & seruitute spectari tempus conceptionis, iuxta *l. regiam 9. tit. 22. part. 4.* Secus verò in aliis, ex *l. 2. §. in filijs, & ibi gloss. ff. de decur. & l. Dino Marco, C. de quæstionib. & in l. fallacuer, C. de absolutionib.* Adde, iura quæsita filiis non tolluntur ex delicto parentis: sicut enim filij hæretici secundùm probabiliorem sententiam non priuantur beneficiis, & officiis acquisitis ante paternum delictum; sicut nec bonis castrensibus, aut quasi castrensibus, sed solùm illis, qui ex successione parentis habere debent, ita à fortiori non priuantur libertate acquisita, ex eo quòd postea parens seruituti subiiciatur.

Ad tertium fateor argumentationem illam esse efficacem coniecturam; at non esse concludentem. Dicere namque possumus non fecisse Concilium mentionem filiorum, qui ante crimen paternum nati sunt; non quia supponeret remissione non indigere, sed quia supposuit in remissione concessa filiis post crimen paternum natis tacitè includi filios ante crimen genitos, ita vt sensus sit: remissionem concedimus hæreticis, quam remissionem volumus extendi ad eorum filios, etiam ad illos, qui post crimen paternum nati sunt: cùm enim ij secundùm omnium sententiam pœnis subiaceant, facta illis remissione, censetur facta iis, qui solùm sub dubio pœnas contrahunt.

Ad quartum respondeo D. Augustin. loqui de peccato originali, & pœnis illi debitis, & probat optimè nequaquam posse à filiis contrahi, si in se ipsis essent, antequam Adam peccaret. Secundò loquitur de pœna spirituali excommunicationis ob delictum paternum, vt ex ipso contextu constat, & decernit nequaquam posse à filiis antea genitis contrahi. Quòd si dicas hoc etiam procedere in filiis postea genitis, ac proinde nihil speciale dicere August. Respondeo verum quidem esse, sed quia de genitis antea clariùs erat, ideo illorum meminit August. de natis postea mentionem non fecit, quia sibi necessaria non erat.

Ad quintum dico priuilegium nobilitatis dupliciter posse parenti concedi. Primò, si concedatur ipsi, eiúsque liberis, & posteris quasi per successionem. Secundò, si non solùm parenti, sed etiam eius filiis, quasi æquè primò concedatur: quando hoc secundo modo conceditur, non solùm comprehendit filios nascituros post concessionem, sed etiam antea natos: sic Tiraquel. *de nobilit. cap. 35. num. 5.* Sanchez *lib. 2. cap. 29. num. 4.* Si autem primo modo concedatur, solùm nascituros comprehendit, quia tunc nobilitas in parente, quasi in radice residet, & ex illo ad posteros deriuatur, quod bene aduertit Couarr. *lib. 2. variarum, cap. 8. num. 5. vers. tertiò opinioni Calderini, post medium.* Tiraquel. *suprà, num. 4.* & pluribus relatis Sanchez *num. 6.* At pœnæ infamiæ, inhabilitatis ad beneficia, & officia filiis hæreticorum impositæ, ipsis quasi æquè primò imponuntur, & non ex successione suorum parentum. Ergo comprehenduntur in illis filij geniti, & nascituri.

Ad sextum constat solutio ex vltima ratione primæ sententiæ.

Ad vltimum concedimus in crimine læsæ maiestatis humanæ, præcipuè ex iure regio Castellæ solùm filios nascituros comprehendi. De crimine autem hæresis textus non loquuntur. Notanter apposita sunt illa verba, *la los de rechos, que fallaron los antiguos de España,* quasi tacitè insinuans lex se nihil velle tractare de iuribus Pontificiis.

PVNCTVM III.

Quæ pœnæ impositæ sint filiis committentium crimen læsæ maiestatis humanæ.

1 *Priuantur hi filij parentum successione, & aliorum extraneorum.*
2 *Filia successione parentis priuantur, obtinent tamen legitimam in bonis maternis.*
3 *Non priuantur ij filij donatione inter viuos.*
4 *Bene tamen donatione causa mortis.*
5 *Contrahunt pœnam infamia filij, sed non filia.*
6 *Sub ijs pœnis comprehenduntur filij emancipati. Spurij post delictum parentum geniti, non antè.*
7 *Non comprehenduntur clerici, neque nepotes.*
8 *Filia fatis dubium est, an comprehendantur.*
9 *Plures Doctores censent supradictas pœnas consuetudine abrogatas esse.*
10 *Casu tamen, quo contrahantur, debet crimen esse contra Imperatorem, Regem, aut eius lateri assistentem.*

VT supradicta doctrina de pœnis filiorum committentium hæresim clariùs eluceat, placet subiungere pœnas impositas filiis reorum læsæ maiestatis humanæ. Vt inde cognoscatur in quo differant, & qua ratione benignius Ecclesia procedat in punitione delictorum, quàm respublica sæcularis.

1 Primò non solùm ij filij priuantur parentum successione, sed etiam aliorum proximorum, & extraneorum, ex text. *in l. quisquis, §. filij, C. ad legem Iuliam maiest.* cuius verba sunt: *Filij eius, quibus vitam imperatoria specialiter lenitate concedimus (paterno enim deberent perire supplicio, in quibus paterni, hoc est, hæreditarij criminis exempla metuuntur) à materna, vel auita omnium etiam proximorum hæreditate, ac successione habeantur alieni, & testamentis extraneorum nihil capiant, sint perpetuò egentes, & pauperes.*

Ex

Ex quibus verbis cõſtat amplius puniri hos filios, quàm filios hæretici, quod & notauit Anton. Gom. *de delictis. cap.* 2. *num.* 13. Menoch. *conſil.* 175. *num.* 2. *& ſeqq. lib.* 3. Decian. *tract. crim. lib.* 7. *cap.* 31. *num.* 2. Farinac. *de crimine læſæ maieſt. quæſt.* 116. *num.* 75. Sanch. *lib.* 2. *cap.* 29. *num.* 13. cùm filij hæreticorum ſecundùm probabiliorem ſententiam ſuprà poſitam non priuentur ſuccedere ex teſtamento, & ab inteſtato aſcendentibus, conſanguineis, & extraneis catholicis. Aduerto tamen, ſi tempore, quo pater crimen commiſit, hæreditas matris, vel auitæ ſit filio delata, etiam ſi illius poſſeſſionem nondum apprehenderit, non videtur illa priuandus ex crimine paterno; quia iam habet ius quæſitum ad illam: iure autem quæſito non priuatur filius ob crimen patris. ſic Grammatic. *deciſ.* 6. *num.* 13. *in fine.* per textum *in l.* 2. *ff. de interdict. & relegat.* Farinac. *de crimin. læſæ maieſt. q.* 116. *num.* 110.

2 Sed quid de filiabus, an hæ ob delictum parentis priuentur ſucceſſione? Et quidem indubitatum eſt legitimam in bonis paternis obtinere, ac ſi pater non deliquiſſet: habetur expreſsè *dicta l. quiſquis.* § *ad filias. C. ad leg. Iul. maieſt.* & redditur ibi ratio huius ſpecialis fauoris, *quia filiæ propter ſexus infirmitatem minus auſuræ creduntur, quàm maſculi.* ſic pluribus relatis notauit Farinac. *quæſt.* 116. *num.* 94. Anton. Gom. *tom.* 3. *var. cap.* 2. *num.* 13. *verſ. filia verò.* Peregrin. *de iure fiſci. lib.* 3. *tit.* 9. *num.* 8. Decian. *tract. crimin. lib.* 7. *cap.* 41. *num.* 13. Dixi legitimam in bonis maternis obtinere. Nam licèt *in dicta l. quiſquis*, ſolùm quarta bonorum maternorum pars filiabus concedatur, id eſt, quia ſola illa quarta pars erat legitima ex iure communi. At cùm iure noſtro regio deducta quinta parte bonorũ, omnes aliæ quatuor partes ſint filiorum legitimæ, efficitur ſanè omnes has à matre accipere poſſe filiam, ac ſi eius parens reus non fuiſſet maieſtatis: ſic notauit Greg. Lop. *leg.* 2. *tit.* 2. *part.* 7. *gloſſa penult.* noſter Molin. *tom.* 3. *de iuſtit. diſp.* 658. *num.* 13. *in priori parte.* Sanch. *lib.* 2. *in Decal. cap.* 29. *num.* 10. imò ex bonis parentis condemnati filias fœminas dotandas eſſe, firmat pluribus Farinac. 1. *p. tit. de delictis, & pœnis, quæſt.* 24. *num.* 47. Adde ſucceſſione ſolùm parentis condemnati priuari, eo quòd bona illius ſint fiſco addicta. Aliorum autem conſanguineorum, vel extraneorum ſucceſſione minimè priuatas eſſe; quia textus *in dicta l. quiſquis*, diſtinguit inter filios, & filias: & filios affirmat hac ſuccedendi poteſtate priuari. Cùm ergo nihil de filiabus decernat, comprehendi non debent in lege ita rigida, & acerba; ſic Gregor. Lop. & Molin. & Sanchez *ſuprà.* Clarus *pract.* § *læſæ maieſt. num.* 10. *verſic. hæ autem pœnæ.* Gigas *de crimine læſæ maieſt. quæſt.* 41. Decius *tract. crimin. lib.* 7. *cap.* 41. *ſub num.* 12. Farinac. *quæſt.* 116. *num.* 96.

3 An autem hi filij ſicut priuantur ſucceſſione, priuentur etiam qualibet donatione inter viuos. Priuari inclinat Gigas *de crim. læſæ maieſt. lib.* 3. *rub. de pœnis, quas filij incurrunt, quæſt.* 2. *in fine.* motus, quia ratio expreſſa text. *in dict. l. quiſquis*, æquè militat in donatione, ac in ſucceſſione. Excluduntur enim filij à ſucceſſione matris, & aliorum, vt ſint perpetuò egentes, & pauperes, perpetuáque egeſtate ſordentes, ita quòd mors ſit eis ſolatium, & vita ſupplicium. Quæ ratio omnino fruſtratur, ſi capaces ſint recipiendi aliquid ex donatione. Verùm à communi, benigna, & fauorabili Doctorum ſententia recedendum non eſt, ſed omnino affirmandum hos filios, ſicut & filios hæreticorum, capaces eſſe cuiuſlibet donationis inter viuos. quia ſupradicta lex nihil de donatione loquitur, ſed ſolùm de ſucceſſione. At ſucceſſio teſtati, & inteſtati nihil commune habet cum donatione. *l. verba contraxerunt ff. de verbor. ſignific.* Quapropter ex incapacitate ſuccedendi ex teſtamento, vel ab inteſtato inferri non poteſt incapacitas acquirendi ex donatione, *l. inter ſtipulantem.* § *ſacram. ff. de verbor. obligat.* Neque obſtat militare in præſenti eandem rationem in donatione, ac in ſucceſſione; vt diſpoſitionem ſupradictæ legis ad donationem extendamus, quia cùm ſit lex ſummè pœnalis, & odioſa, non debet ex identitate rationis extenſa concedi. Quòd ſi dicas in præſenti non tam ex extenſione rationis, quàm ex diſpoſitione ipſius legis donationem comprehendi; illis, inquam, verbis, *ſint perpetuo egentes, &c.* quibus Imperator videtur velle filios ſic delinquentis in paupertate perpetua exiſtere. Reſpondemus, cùm hoc clare non conſtet, ſed ſub dubio; in dubio in materia pœnali non eſſe extenſionem faciendam, ſed iuxta ſuperiorem diſpoſitionem verba illa limitanda eſſe: ita vt ſit ſenſus. Hi filij ſint perpetuò egentes reſpectu ſucceſſionis. quod etſi ex priuatione ſucceſſionis ſatis colligebatur, ad ampliorem declarationem affirmandum eſt, verba illa addita eſſe: & ita docent Gregor. Lop. Mol. *ſuprà*, & Sanch. *num.* 11. Farinac. *quæſt.* 116. *num.* 112. Decian. *num.* 21. Peregrin. *de iure fiſci. lib.* 3. *tit.* 9. *num.* 11. & alij apud ipſos.

4 Notanter dixi hos filios priuatos non eſſe donatione inter viuos, vt tacitè inſinuarem priuatos eſſe donatione cauſa mortis; quia hæc ſapit vltimam voluntatem, & æquiualet ſucceſſioni ex teſtamento. § 1. *Inſtit. de donationib. l. fin. C. de donat. cauſa mortis.* Bald. & alij *in l. tam is.* § *filius, ff. de donat. cauſa mortis*, & tradit Farinac. *d. q.* 116. *num.* 114. cum Gigante *de crim. læſæ maieſt. lib.* 3. *rub. de pœnis, quas incurrunt filij, q.* 3. Decian. *d. lib.* 7. *cap.* 41. *num.* 22.

5 Secunda pœna, quam ij filij incurrunt, in qua hæreticorum filios excedunt, eſt infamia: habetur expreſsè *in dicta l. quiſquis.* § *filij verò. C. ad leg. Iul. maieſt.* ibi, *infamia eos paterna ſemper comitetur*, ad nullos prorſus honores, ad nulla ſacramenta perueniant: & notant ibi gloſſa, & omnes. Debet tamen delictum ita eſſe notorium, vt nulla tergiuerſatione celari poſſit, imò probabile eſt debere eſſe notorium per ſententiam, quia vſque ſententia accedat, non videtur delictum ſatis probatum, ad hanc pœnam aliis à delinquente imponendam. Ex hac pœna infertur non poſſe ad ſacros ordines, & dignitates eccleſiaſticas promoueri. Nam licèt lex ciuilis non poſſit pœnam irregularitatis imponere: at quia hæc impoſita eſt à lege Eccleſiaſtica omnibus infamibus; ea de cauſa ij eam contrahunt: ſic Gigas *de crimine læſæ maieſt. lib.* 3. *rub. de pœnis quas filij incurrunt. quæſt.* 1. *n.* 6. *& q.* 12. *num.* 1. Anton. Gom. *tom.* 3. *var. cap.* 2. *num.* 13. *verſ. & inſuper.* Decian. *tract. crimin. lib.* 7. *cap.* 41. *n.* 30. Farinac. *quæſt.* 116. *num.* 83. Peregrin. *de iure fiſci. lib.* 3. *tit.* 9. *num.* 1.

Fœminæ filiæ ab hac pœna infamiæ omnino ſunt liberæ, quia *in ſupradicta l. quiſquis*, non exprimuntur filiæ in hac pœna, ſed ſolùm filij: & ita tenet Gig. *ſuprà quæſt.* 14. Decian. *num.* 12. Farinac. *num.* 97. & alij apud ipſos. Sub hac pœna infamiæ plures aliæ comprehenduntur, cùm infamibus plura ſint interdicta.

6 Sed dubium eſt, qui nomine filiorum comprehendantur in iis pœnis ſtatutis *in l. quiſquis.* Et dicendum eſt primò comprehendi emancipatos poſt delictũ, quia præſumuntur in fraudem emancipati, ſecus ſi multo tẽpore ante delicti conſpirationem: colligitur ex *l. quiſquis.* § *emancipationes*, & ibi gloſſa *in verbo non valeant. C. ad leg. Iul. maieſt.* ſic alios referens docet Farinac. *q.* 116. *n.* 84. *&* 85. Baiard. ad Clarum § *læſæ maieſt. n.* 20. Gigas *de crim. læſæ maieſt. rub. de pœnis, quas filij incurrũt. q.* 6. Diaz *reg.* 165. *in* 2. *limit. verſ. ſublimita primò.* Secundò comprehenduntur filij naturales, & ſpurij, ſi certò conſtat parentem delinquentem fuiſſe, ne plus honoris detur luxuriæ, quàm caſtitati: & tradit Gigas *ſuprà quæſt.* 7. Clarus *pract.* § *læſæ maieſt. num.* 11. Decian. *tract. crim. lib.* 7. *cap.* 41. *num.* 5. Farinac. *num.* 86. Tertiò comprehenduntur filij poſt delictum parentum geniti, non antea.

eti

contrarium sit satis probabile. Moueor legibus regiis, quibus id decidi videtur, specialiter *l.6.tit.27.p.2.* & tradit incertus author *de crimin.læsæ maiest.q.7.per tot.* Clarus *pract.§.læsæ maiest.num.12.vers.fuit etiam.* Cæuallos multos referens, & latè probans *pract.quæst.cap.653.* Farinacius *q.116.num.92.* Diaz *reg.165.in 2.limit.vers.2. sublimita.*

7 Quartò non comprehenduntur clerici, quia ratione dignitatis videntur exempti: sic Gigas *de crimine læsæ maiest. lib.3. rubr.de pœnis, quas filij incurrunt, quæst.9.* Boërius *tract.de sedition.q.6.post n.3. & n.23.in fine.* Farinacius *q.116.n.117.* Bellam. *in cap.si quis, n.3.fine, 6.q.1.* ac proinde ij clerici nec sunt inhabiles ad beneficia, nec priuantur acquisitis. Adde probabile satis esse clericum non posse in Principem sæcularem crimen læsæ maiestatis committere; quia illi non subditur, vt multis relatis firmat Farinacius *q.112.num.231.* Ergo multo minus committi poterit in præiudicium filij clerici non delinquentis.

Quintò non comprehenduntur nepotes, quia *in dict. l.quisquis*, solùm mentio filiorum facta est. At sub nomine filij in materia odiosa non veniunt nepotes, vt latè probat incertus author *de crimine læsæ maiest. q.6.per tot.* Decian. *tract.crimin.lib.7. cap.41. num.7.* Adde vt in crimine hæresis ad nepotes via masculina descenderent pœnæ, fuit necessarium exprimi. Ergo cùm in præsenti non exprimantur, nisi filij, solos filios comprehendit. Video tamen communiter Doctores filios committentis crimen læsæ maiestatis humanæ æquiparare cum filiis hæreticorum, ac proinde sicut pœnæ hæreticorum extenduntur ad filios, & nepotes via masculina descendentes, & ad solos filios via fœminea; sic de iis filiis censent dicendum: ita Farinacius *qq.116.n.89.* Anton. Gomez *de delict.tom.3.cap.2.num.15.* Clarus *pract.§.læsæ maiest.n.13.vers.præterea quæro.* Peregrin. *de iure fisc. lib.3. tit.9.n.5.* Sed non video fundamentum firmum huius æquiparationis.

8 Sextò non leue dubium est, an comprehendantur filiæ in his pœnis, etiamsi mater crimen læsæ maiestatis commiserit, quia nihil in supradicta *l.quisquis*, statuitur pro filiis, cùm mater hoc crimen commiserit: fortè reputatum fuit leuioris considerationis; & rarò contingentis, neque propter illud timendum filios, & filias ausuros esse maternam audaciam imitari: sic Albertin. *in dict.l.quisquis, num.4.versic.quærit glossa.* Odofred. *ibi, num.4.ante finem, vers.sed quæro.* Salicet. *num.9.vers. adhuc quæro.* Decian. *tractat.crimin.lib.7.cap.41.num.14.* Gigas *de crimine læsæ maiestatis, lib.3. rubr.de pœnis, quas filij incurrunt, quæst.17.num.3.& seqq.* quamuis alij plures, quos refert, & sequitur Farinacius *quæst.116.n.98.* defendant contrarium.

9 Denique duo sunt maximè aduertenda. Primò plures Doctores non infimæ notæ affirmare pœnas contentas *in dict. l. quisquis*, aduersùs filios committentis crimen læsæ maiestatis consuetudine abrogatas esse: sic docent relato Angelo *in l.fallaciter, num. 4. C. de abolit.* Boërius *tractat.de sedit.quæst.6.post num.11.& 23.* Socin. *consil.275.num.3.in fine, & num.4.lib.2.* Gigas *de crimine læsæ maiestatis, lib.3.rubr.de pœnis quas filij incurrunt, q.23. num.3.* Alciat. *consil.467. num.6.* vbi inter alia affirmat non reperiri, qui viderit supradictas pœnas seruari. Idem censet Clarus *pract.§.læsæ maiestatis, num.15.versic. vnum tamen.* Roland. *consil.74. num.2. & seq.lib.3.* Hieron. Cæuallos *pract.quæst.cap.653. num.38. versic. & pœnam,* quos omnes refert, & sequitur Farinacius *q.116. n.144.& seq.* vbi affirmat in iudicando minimè esse ab his Doctoribus de hac consuetudine attestantibus recedendum.

10 Secundò est aduertendum, casu quo supradictæ pœnæ ad filios committentis crimen læsæ maiestatis extendantur, debere crimen esse contra Imperatorem, seu Regem, aut eius lateri assistentem, vt multis relatis docet Farinacius *suprà n.125.* quod manifestè probatur ex *l.eorum, ff.ad legem Iuliam maiest.* iuncta glossa, vbi expressè deciditur bona damnatorum ex hoc crimine fisco applicari; si damnati non habeant filios, secus si habeant: quæ decisio contraria est dispositioni *l. quisquis, & l.1. C.de bonis, quæ liberis, & l.4 ff.de interdict.* ac proinde dicendum est has leges loqui de crimine læsæ maiestatis commisso contra Principem, & *l.eorum*, loqui in aliis casibus læsæ maiestatis expressis *in l.1. 2. & 3.ff.ad legem Iuliam maiest.* vt bene aduertit Clarus *practic.§.læsæ maiestatis, num.15.versic.vnum tamen.* Adde legem *quisquis*, solùm loqui de crimine læsæ maiestatis commisso aduersùs Imperatorem, & consiliarios, & senatores eius, eósque qui ipsi militant: at nostrum non est leges, & præcipuè pœnales ad alias personas extendere, præter ibidem comprehensas. Ergo non potest extendi ad crimen læsæ maiestatis commissum aduersùs rempublicam, vel Principem inferiorem Imperatore, etiamsi superiorem non recognoscat: quod optimè, & acutè notauit Fachin. *lib. 9. controuersiarum, cap.32.*

DISPVTATIO VIII.

De modo iudicialiter procedendi in causis fidei.

HVic disputationi deseruire possunt plura, quæ in superioribus dicta sunt. Quæ autem desiderari possunt, subiicicmus.

PVNCTVM I.

Qua ratione in crimine hæresis summariè, & sine figura iudicij procedatur.

1 *Posse Inquisitores procedere simpliciter, & de plano, & absque iudiciali strepitu, est decisum varijs textibus.*
2 *Non arctantur ad sic procedendum.*
3 *Explicatur quid importet supradicta clausula, simpliciter, & de plano, & absque iudiciali strepitu.*
4 *Integra remanere debent, quæ sunt iuris naturalis.*
5 *Omitti potest libellus, & litis contestatio.*
6 *Agitari, & sententiari potest hæc causa diebus feriatis.*
7 *Amputatur dilationum materia.*
8 *Citatio requiritur, sed vnica sufficit.*
9 *Iuramentum calumniæ præstari debet, quamuis si omittatur, non obinde processus vitiabitur.*
10 *Conceduntur reo defensiones legitimæ, citantur partes ad audiendam sententiam, & sententia pronuntiatur in scriptis.*

1 IN crimine hæresis procedi posse simpliciter, & de plano, & absque Aduocatorum, ac iudiciorum strepitu, & figura, deciditur expressè *in cap. statuta, in princ.de hæreticis, in 6.* & notant omnes, & extat constitutio Alexand.IV. anno 1251. incipiens, *Cupientes inquisitionis negotium*, & alia Vrbani IV. anno 1261. cuius initium est, *Licèt ex omnibus, versic. insuper ducto negotio.* quæ referuntur à Pegna inter litteras Apostolicas, & quarum ipse mentionem facit *3.part.direct. quæst.54. comment.193.* Neque audiendus est Decian. *tract. crim. lib.5.cap.34.n.9.* affirmans hoc priuilegium Inquisitoribus concessum intelligendum esse quoad leuia, & non multum præiudicialia: non autem in præiudicialibus; motus ea ratione, quia crimen hæresis grauissimum

est, & multum infamat; ac proinde non debet arbitrio Inquisitoris remitti, vt sic in illo in toto negotio procedat, præcipuè cùm *in cap. vt officium*, §. 1. *de hæreticis, in* 6. dicatur in hoc crimine procedendum esse iuxta canonicas sanctiones, & *in* §. *si verò*, dicitur, iuxta formam Ecclesiæ. Non, inquam, audiendus est; quia expressè contradicit textui affirmanti sine vlla limitatione, quod in inquisitionis, hæreticæ prauitatis negotio procedi posset simpliciter, & de plano, &c. & ita sine vlla limitatione tradunt Scaccia *de iudic. cap.* 52. *num.* 2. Repert. Inquisit. *verbo ordo, versic. sed quoad telam iudiciariam.* Rojas *singul.* 145. *num.* 3. Pegna *d. comment.* 103. Farinacius *quæst.* 185. *num.* 13. Neque obstat textus *in cap. vt officium*, quia iuxta canonicas sanctiones proceditur, cùm proceditur ex priuilegio, & constitutione Sedis Apostolicæ simpliciter, de plano, & sine figura iudicij.

2 Verùm etsi Inquisitores possint hoc priuilegio in causis fidei decidendis vti, non tamen obligantur ad sic procedendum; quia *in dicto cap. statuum*, dicitur, *concedimus*, quòd in inquisitionis hæreticæ prauitatis negotio procedi possit simpliciter, & de plano. Quæ verba non indicant obligationem, sed licentiam; & ita tradit Albertin. *tractat. de agnoscend. assert. cathol. & hæretica, quæst.* 34. *num.* 30. Vmbert. Locat. *iudic. inquisit. verbo inquisitor, num.* 18. *fine.* Zanch. *tractat. de hæreticis, cap.* 9. *in princ.* Farinacius *quæst* 185. *num.* 19. Sigismund. Scaccia *de iud. cap.* 52. *n.* 2. *versic. quinimmò poterit.*

3 Sed inquires, quid importet supradicta clausula, vt procedi possit simpliciter, & de plano, & absque Aduocatorum, & iudiciorum strepitu, & figura?

Respondet optimè Clemens V. *in Clement. sæpe contingit, de verborum significat.* vt videlicet iudex, cui taliter causa committitur, necessariò libellum non exigat, litis contestationem non postulet, tempore etiam feriarum ob necessitates hominum indultarum à iure procedere valeat, amputet dilationum materiam, litem, quantum poterit, faciat breuiorem, appellationes dilatorias, & frustratorias repellendo, partium, Aduocatorum, & procuratorum contentiones, & iurgia, testiúmque superfluam multitudinem refrænando. Non tamen sic iudex litem abbreuiet, quin probationes necessariæ, & defensiones legitimæ admittantur. Citationem verò, ac præstationem iuramenti de calumnia, vel malitia, siue de veritate dicenda, ne veritas occultetur, per commissionem huiusmodi intelligimus non excludi. Verùm quia iuxta petitionis formam pronuntiatio sequi debet, pro parte agentis, & etiam rei, si quid petere voluerit, est in ipso litis exordio petitio facienda, siue scriptis, siue verbo, actis tamen continuò, (vt super quibus positiones, & articuli formari debeant, possit haberi plenior certitudo, & vt fiat definitio clarior) inserenda. Et quia positiones ad faciliorem expeditionem litium propter partium confessiones, & articulos ad clariorem probationem vsus longæuus in causis admisit. Nos vsum huiusmodi obseruare volentes statuimus, vt iudex sic deputatus à nobis (nisi aliud de partium voluntate procedat) ad dandum simul vtrosque terminum dare possit; & ad exhibendum omnia acta, & munimenta, quibus partes vti volunt in causa, post dationem articulorum, diem certam, quandocumque sibi videbitur, valeat assignare, eo saluo, quòd vbi remissionem fieri contingeret pro testibus producendis, possint etiam instrumenta produci, assignatione huiusmodi non obstante. Interrogabit etiam partes siue ad earum instantiam, siue ex officio vbicumque hoc æquitas suadebit. Sententiam verò diffinitiuam, citatis ad id licèt non peremptoriè partibus in scriptis, & prout magis sibi placuerit, stans, vel sedens proferat, etiam (si ei videbitur) conclusione non facta, prout ex petitione, & probatione, & aliis actitatis in causa fuerit facienda. Quæ omnia etiam in illis casibus, in quibus per aliam constitutionem nostram, vel aliàs procedi potest, simpliciter, & de plano, ac sine strepitu, & figura iudicij volumus obseruari. Si tamen in præmissis casibus solemnis ordo iudiciarius in toto, vel in parte non contradicentibus partibus obseruetur, non erit processus propter hoc irritus, neque etiam irritandus. Hæc Clemens V.

4 Ex qua constitutione primò constat integra remanere quæ sunt iuris naturalis: siquidem probationes necessariæ ad veritatem indagandam omitti non debent, citatióque partium, & illarum defensio legitimè conceduntur; solùm enim sublatæ censentur solemnitates, quæ ex iure positiuo expostulantur. sic Eymeric. 3. *parte directorij, quæst.* 55. & ibi Pegna *comment.* 104. *in fine.* Paramus *de origine sanctæ Inquisitionis, lib.* 3. *quæst.* 4. *rubr. de forma, & ordine iudiciario, num.* 45. Vmbert. Locat. *in iudic. inquisit. verbo de plano.* Farinacius *q.* 185. *n.* 14. *&* 16. Albertin. *tract. de agnosc. assert. cathol. q.* 34. *n.* 31.

5 Quæ autem solemnitates sint admissæ, & quæ omissæ, non est facilè explicatu. Primò omitti potest libellus etiam parte petente. At omitti non potest petitio in actis scribenda; quia iuxta petitionis formam pronuntiatio sequi debet: & notauit glossa *in supradicta Clement. verbo necessariò, in fine. & in verbo pronuntiatio*, vbi optimas rationes adducit, quare petitio in actis scribi debeat. Menochius *de arbitrar. lib.* 1. *quæst.* 18. *per totum.* Secundò omitti potest litis contestatio: sic tradit Pegna *director.* 2. *part. comment.* 19. Sigismund. Scaccia *tractat. de iudicijs, cap.* 103. *num.* 10. Menochius *suprà.* Farinacius *de hæresi, quæst.* 185. *n.* 17. Decian. *tractat. crimin. lib.* 5. *cap.* 28. *num.* 11. *& cap.* 34. *num.* 5. Neque obstat textus *in cap. cum contumacia, de hæreticis, in* 6. vbi inquisitus citari debet, vt de fide respondeat; per quem textum affirmat Carrerius *tractat. de hæreticis, num.* 111. requiri litis contestationem, si delinquens præsens sit. Non, inquam, obstat; quia ex supradicto textu solùm infertur citandum esse reum, inserendo causam in citatione. Dubitat autem glossa, an ex eo, quòd in iis causis litis contestatio possit omitti, possint etiam negari deliberatoria à reo petitæ, siquidem in aliis causis, in quibus figura iudicij seruatur, concedendæ sunt, si petantur, vt notatur *cap. cùm accusatus* 3. *quæst.* 3. arguit pro, & contra glossa, nec resoluit. At credo deliberatorias aliquas arbitrio iudicis dandas esse, quæ in defensionem ipsius visæ fuerint necessariæ: cùm enim ipse reus possit iudicem recusare, si suspectus sit, possítque actorem reconuenire; necessariò ad hos, & alios effectus deliberatoria concedenda est.

6 Tertiò agitari, & sententiari potest hæc causa feriis ob necessitatem hominum inductis, quales sunt vindemiarum, & messium, etiamsi partes renuant, quod in aliis causis fieri non potest: sic expressè *Clement. suprà, & glossa ibi, verbo ob necessitates.* An autem feriis inductis in honorem Dei, & Sanctorum, & ob coronationem Principis repentinè inductis possit hic iudex procedere? Negat glossa. At contrarium credo practicari fauore fidei: & probat *cap. fin. de ferijs*, vbi sententia in feriis prolata inualida est, nisi necessitas vrgeat, & pietas suadeat: sed pietati, & religioni conuenit causam fidei abbreuiare. Ergo ex hac parte omnibus feriis tractari poterit.

7 Quartò amputat dilationum materiam, abbreuiat litem, exceptiones, appellationésque frustratorias repellit, resecat iurgia, testium multitudinem refrænat. Quæ omnia licet in omni causa, in qua figura iudicij seruatur, obseruanda sint; strictiùs tamen in hac causa,

causa in qua de plano, simpliciter, & summariè procedit: vt bene dixit glossa *verbo exceptiones.*

8 Quintò requiritur citatio, sed sufficit vnica, cùm aliàs in principio causæ requiratur trina, vel peremptoria, vt in *cap. quoniam, §. porrò, vt lite non contest.* & habetur *cap. de illicita, 24. q. 3.*

9 Sextò expostulatur iuramentum calumniæ, veritatis, & malitiæ, quamuis si tacitè omittantur, non videatur obinde processus vitiatus, *cap. 1. de iuramento calumniæ, in 6.* & tradit glossa *supradict. Clement. verbo non excludi.*

10 Septimò conceduntur reo defensiones legitimæ, & tempus necessarium ad illam faciendam; admitti debet appellatio ab interlocutoria, aliàs contra ius procederetur: & tradit Pegna *3. part. comment. 103.*

Octauò citantur partes ad audiendam sententiam, sicut in aliis causis: at in hac non citantur peremptoriè, quia non concluditur causa, sed locus datur nouis probationibus, & defensionibus, & notauit glossa *ibi, verbo conclusione.*

Nonò sententia ferenda semper est in scriptis, aliàs nullius valoris; sicut in aliis causis ordinem iudiciarium seruantibus: & fuit maximè conueniens, ne veritas occultaretur. Vide præter Doctores suprà relatos, specialiter glossam.

PVNCTVM II.

De modo procedendi in crimine hæresis via accusationis.

1 *Hic modus procedendi non est in vsu.*

2 *Si tamen quis illum subire velit, admittendus est, neque ad pœnam talionis cogetur se subscribere; tametsi grauiter arbitrio Inquisitoris debeat puniri, si in probatione defecit.*

3 *Si se ad pœnam talionis subscripsit, & in probatione defecit, tametsi aliqui sentiant ad illam esse condemnandum; probabilius est oppositum.*

4 *Expenditur modus instituendi hanc accusationem.*

5 *Accusare omnes possunt.*

6 *Infames laici contra clericum, pupilli, & minores cum authoritate tutoris, excommunicati, si alij non sint.*

7 *Inimicus capitalis admitti etiam potest ad accusandum, cautè tamen.*

1 Communiter Doctores aduertunt hunc modum procedendi in crimine hæresis consuetudine esse abrogatum; quia in hoc tribunali publicus est minister constitutus, quem vulgò *fiscalem* dicimus, qui personam accusatoris subit, & reos accusat; nec se ad pœnam talionis subscribit, aut ad alias, quas falsi accusatores pati solent, vt optimè notauit Pegna *direct. 3. p. comment. 14. n. 67. versic. sed cùm hodie.* Decian. *tract. crim. lib. 15. cap. 28. n. 8. in fine.* Farinacius *quæst. 165. num. 40.* Paramus *de origine sanctæ Inquisit. lib. 3. q. 9. n. 15. & seqq.* Scaccia *de iud. cap. 52. n. 6. & seq.* Ratio autem, quare pœnis accusatoris non probantis hic minister fiscalis non subiiciatur, est; quia necessitate officij ob bonum publicum accusat, & quia nunquam accusat, nisi testes habeat. Quapropter iurat se accusare non ex malitia, sed ex necessitate officij compulsus.

2 Verùm si aliquis officium accusatoris instet, & requirat, se velle subire, acquiescat Inquisitor, & accusatio proponatur in scriptis, iuxta textum *in cap. 1. 2. q. 8. ibi, Accusatorum personæ nunquam recipiantur sine scripto.* Sed hoc scriptum sufficit, si fiat à Notario proposita querela ab accusatore coram iudice; quia in hoc crimine procedi potest summariè, de plano, & absque strepitu iudicij. *cap. fin. de hæreticis, in 6.* & tradit Pegna *dicto comment. 14. versic. vbi autem.* Paramus *de orig. sanctæ Inquisit. lib. 3. quæst. 9. num. 10.* Farinacius *num. 42.* Insuper hic accusator non est obligatus se subscribere ad pœnam talionis: tum quia hæc pœna in cæteris criminibus sublata est; ne crimina crescant, si è republica tollantur accusatores, vt verè tolluntur ex parte, si timent in probatione deficientes huic pœnæ subiectos esse, vt latiùs probat Couarr. *lib. 1. variarum, cap. 9. n. 1.* Simancas *de catholic. institut. tit. 64. num. 93.* Rojas *singul. fidei, singul. 6.* Pegna *suprà vers. his positis.* Tum etiam, quia in hoc crimine non est necesse subscriptionem facere, cùm in eo procedatur summariè, & absque figura iudicij, ex cuius concessione hæc subscriptio tollitur, vt bene notauit Pegna *3. part. quæst. 55. comment. 104. versic. itaque.* Param. *de ord. inquisit. lib. 3. q. 4. rubr. de forma, & ordine iudiciario sancti officij, num. 16. & 17. & q. 9. num. 12.* Farinacius *quæst. 185. num. 33.* At esto ad pœnam talionis accusator non se subscribat, ac proinde illam subire non debeat; nihilominus si defecerit in probatione, grauiter puniendus est arbitrio Inquisitorum, quia habetur vt calumniator, & tanquam calumniator puniendus est. sic docuit Rojas *suprà singul. 8.* Pegna *3. part. comment. 14. versic. ex his.* Farinacius *num. 37.* Non tamen caret probabilitate pœna talionis puniendum esse, si ex malitia probatum fuerit innocentem falsò accusasse, iuxta constitutionem Pij V. quæ est eius 5. in Bullario: vbi statuit Pontifex denuntiantem per calumniam ad pœnam talionis esse subiectum. quod à fortiori dicendum videtur de accusatore, & notauit Farinacius *num. 39.*

3 Sed quid dicendum, si ad pœnam talionis se subscripsit, & in probatione defecit; eritne puniendus ea pœna, cùm ipse sibi eam voluerit imponi?

Respondeo cum Pegna *in suprad. comment. 14. vers. sed quid,* & Farinacio *num. 37.* adhuc eam subire non debere, sed mitiùs puniendum esse. Non quia dignus non sit, sed quia Ecclesia vult misericordiam cum illo exercere, & non rigorosam iustitiam, iuxta textum *in cap. super his, de accusationib.* ibi, *Ad extraordinariam pœnam, secundùm arbitrium iudicis discreti citra vinculum inscriptionis est excipiens adstringendus, si defecerit in probando.* Item testis falsus nunquam punitur talionis pœna, sed minori, quàm testificatus subiret, si verum esset crimen obiectum. Ergo idem de accusatore dicendum est, cùm minus noceat accusato, quàm testis. Quod certissimum est, casu quo accusator vnum testem produxisset, aut saltem probasset se à fide dignis audiuisse; quia tunc dici non potest integrè in probatione deficere, cùm saltem ex parte delictum probet. sic ex Bart. Baldo, & aliis notat Pegna *dict. comment. 14.* dicens esse legitimè obseruandum.

4 Modus autem instituendi hanc accusationem tradit Eymer. *3. part. direct. n. 67.* & ibi Pegna *num. 71. rubr. de modo continuandi processum.* Ludouic. à Paramo *de origine sanct. Inquisit. lib. 3. q. 9. n. 17. & seq.* vbi *n. 93.* aduertit non esse necessarium in accusatione exprimi locum loci, vt loquuntur Canonistæ, id est, specialem locum, v.g. domum, Ecclesiam talis ciuitatis, & tempus præcisum commissi criminis; sed tantùm mensem, & annum, oppidum, & ciuitatem, &c. tum ne accusatus in notitiam testium, antequam producantur, deueniat: tum quia solemnitates *l. libellorum, ff. de accusationib.* non sunt in hoc crimine obseruandæ necessariò. *cap. fin. de hæreticis, in 6.* At esto in accusationis libello non exprimatur locus, & dies præcisus commissi criminis: at in capitulis productis ad probationem criminis apponi debent, vt bene ex Decian. *tract. crim. lib. 5. cap. 28. n. 10.* tradit Farinacius *q. 185. n. 30.*

5 Quòd si roges, quibus competat accusatio?

Respondeo competere omnibus indifferenter, quia, vt optimè traditur *in l. Manichæos, §. 1. C. de hæreticis.* hoc

hoc crimen publicum est, & in omnium fertur iniuriam, eo quòd in religionem diuinam cõmittatur. Publici autem criminis, & in omnium iniuriam cadentis omnibus competit accusatio. sic Repert. Inquisit. *verbo accusatio. vers. nota quòd in isto crimine.* Carrer. *tract. de haeret. à num.* 107.

6 Hinc fit admitti infames laicos contra clericum, pupillos, & minores, non tamen sine authoritate tutoris, & curatoris, bene tamen filiosfamilias absque patris consensu: sic alios referens docet Farinacius *de haeresi, quaest.* 185. *num.* 23. Excommunicati autem excommunicatione maiori, si denuntiati sint, vel publici percussores clerici, repellendi videntur, dum in excommunicatione existunt, quia in iudicio esse non possunt, ipsísque ius petentibus denegatur. *cap. intelleximus, de iudic. cap. 1. eodem tit. lib. 6. cap. significauit, & cap. cùm inter, de exceptionibus, cap. decernimus, de sentent. excommunicat.* & aliis, & tradit pluribus relatis Petrus à Placha *lib. delictorum, cap.* 44 *num.* 10. Clarus *practicarum quaest.* 14. *versic. quaero nunquid excommunicatio.* Caeterùm credo admitti posse in defectum, argumento ducto ex *cap. in fidei fauorem, de haereticis, in* 6. vbi in fauorem fidei ne crimen haeresis maneat impunitum, excommunicati admittuntur in testes. Ergo possunt in accusatores admitti, praecipuè cùm non petant ius proprium laesum resarcire, quod illis esset negandum; sed petant reparationem iuris publici, & religionis.

7 De inimico autem capitali est grauis difficultas, an ad accusandum in hoc crimine excepto admitti possit? Negat Carrer. *tractat. de haereticis, num.* 107. *versic. item à praedictis.* Campegius *in addition. ad Zanch. tract. de haereticis, litt. D. in verbo omnis.* Eymeric. *direct.* 3. *part. q.* 67. *versic. respondemus, in fine.* & ibi Pegna *comment.* 116. *in fine.* Ratio esse potest. Primò, quia inimicus non praesumitur procedere zelo iustitiae, sed amore vindictae, ac proinde praesumitur calumniator. Secundò, quia in quolibet delicto, quantumuis graui, inimicus capitalis repellitur à testimonio dicendo, ex textu *in l.* 3. & ibi Doctores. *ff. de testibus, l. 1. § praeterea. ff. de quaestionibus, authent. si testis productus, C. de testibus.* sed repulsus à testimonio repellitur ab accusatione, *cap. testes,* 2. *quaest.* 7. *cap. sanè,* 15. *quaest.* 3. *cap. super prudentia,* 12. *quaest.* 2. & tradit latè Decian. *tractat. crimin. lib.* 3. *cap.* 25. *per totum, & cap.* 26. *num.* 1. *& seqq.* Verùm credo probabilius inimicum admitti posse; cautè tamen, & vt suspectus. sic Clarus *practic. quaest.* 14. *versic. vlterius dixi.* Gigas *de crimine laesae maiestatis, lib. 2. rubr. qui accusare possunt, quaest.* 6. *num.* 13. Decian. *tract. crimin. lib.* 3, *cap.* 25. *num.* 7. Parisius *consil.* 2. *num.* 54. *&* 75. *lib.* 4. Farinacius *quaest.* 185. *num.* 29. *& quaest.* 12. *num.* 39. *lib.* 1. *praxis.* Probo, quia hoc crimen in omnium iniuriam cedit, vt habetur *l. Manichaeos, C. de haereticis.* Ergo prosequens illius vindictam, iniuriam omnium censeri debet prosequi, vtpote principaliorem propriè. Ergo non propriam. Tum quia si ad hoc crimen accusandum non admittitur inimicus, difficile inuenietur, qui accuset. Tum denique, quia accusator non probat, sed exhibet probationem. Ergo si accusator fidem non faciat, quia non assumitur, vt testis, nulla est efficax ratio illum excludendi, praecipuè cùm ex illius admissione possit damno publico praecaueri.

PVNCTVM III.

De modo procedendi in haeresis crimine per denuntiationem.

1 *Denuntiator non tenetur probare: at si probetur calumniosè denuntiasse, grauiter punitur.*

2 *Forma denuntiationis, & stylus in ea seruandus.*

3 *Facta denuntiatione Inquisitor procedit non ad instantiam partis, sed ex officio.*

4 *Admittuntur in hoc crimine ad denuntiandum omnes, tametsi absentes, debent tamen litteras subscribere.*

1 HIc est vsitatus modus in hoc crimine procedendi, cùm denuntianti non sit ita periculosus, vtpote qui ex consuetudine recepta non subeat probandi onus, sed iudici hanc obligationem remittat, vt bene dicit Eymer. 3. *part. direct. rubr. de secundo modo procedendi in causa fidei per denuntiationem, num.* 68. & ibi Pegna *comment.* 15. *versic. his peractis.* Ludouicus Paramo *de origine sanctae Inquisitionis, lib.* 3. *quaest.* 8. *num.* 21. *&* 22. Farinacius *de haeresi, quaest.* 185. *num.* 71. Scaccia *de iudic. cap.* 72. *n.* 4. Verùm etsi probare non teneatur, si tamen conuincatur falsò denuntiasse, tanquam calumniator arbitrio Inquisitoris puniendus est, quia hic denuntiator, quia non suam, nec suorum iniuriam prosequitur, sed communem religionis, assumitur in testem ex generali consuetudine inquisitionis, vt notauit Simancas *catholic. institut. tit.* 19. *rubr. de denuntiat. num.* 17. *& tit.* 64. *rubr. de testibus, num.* 55. Repert. Inquisit. *verbo accusatio, & verbo testis.* Ergo tanquam testis falsus puniendus est. Adde ex sola ipsa denuntiatione, si falsum deponat, grauissimè laedit delatum, cùm aperiat viam iudici inquisitionem specialem aduersùs illum faciendi; meritò ergo puniri debet vt calumniator. Pegna ad Eymeric. 3. *part. direct. rubr. de duodecimo modo terminandi processum, comment.* 40. *versic. ad haec,* imò ex constitutione Pij V. quae est eius 5. in Bullario, *versic. monemus praeterea,* si fortè in viridi esset obseruantia, poena talionis punitur, qui per calumniam probatus sit denuntiasse.

2 Forma denuntiationis, & stylus, quem Inquisitores seruare debent in recipiendis denuntiationibus, optimè ponitur ab Eymer. 3. *part. direct. num.* 68. & ibi Pegna *comment.* 15. In primis enim denuntiatio facienda est in scriptis, vel saltem verbis, quae à Notario in scriptis statim redigantur, vt tradunt supradicti Doctores, & confirmat vsus. Secundò debet iurare denuntiationem factam. Tertiò est conueniens, vt talis denuntiatio recipiatur praesentibus honestis personis, iuxta *cap. vt officium, de haeret. in* 6. etsi consuetudine obseruatum non sit.

3 Facta autem denuntiatione Inquisitor procedit non ad instantiam partis, sed ex officio, examinando testes, quos denuntiator allegauit, vel alios, ex quibus veritas cognosci possit. Quòd si denuntiator testes alios non nominet, sed solùm ipse de visu deponat; non debet Inquisitor statim ad inquisitionem specialem procedere, si denuntiatus sit nobilis, religiosus, aut aliàs non suspectus, ob grauem infamiam inde oborturam, sed matura deliberatione dictum denuntiantis debet expendere.

4 Admittuntur in hoc crimine ad denuntiandum omnes, etiamsi fuerint absentes, modò proprio nomine, & iuramento denuntiationem firment. Simancas *catholic. institut. tract.* 43. *rubr. de ordine procedendi, num.* 10. Farinacius *quaest.* 185. *num.* 66. Quòd si proprio nomine litteras non subscripserint, repellenda omnino est denuntiatio, neque alicuius momenti aestimanda, quia praesumitur falsa. Aliàs daretur occasio improbis probos infamandi, vt bene dixit Simancas *in enchirid. violatae relig. tit.* 22. *rubr. de inquisit. ord. num* 8 Farinacius *n.* 68. Limitat tamen Paramus *de origine sanctae Inquisitionis, lib.* 3. *quaest.* 6. *num.* 93. vt intelligatur, quando in illis litteris nulli essent nominati testes. Nam si testes nominentur, existimat posse Inquisitores ad illorum examinationem procedere. Sed non placet limitatio, quia nominatio illa testium non est authentica, sed potiùs suspecta, vtpote à persona incognita. Ergo

non

non potest sufficere iudici, vt inquisitionem specialem faciat, quæ de se infamationem prærequirit: & ita docet Farinac. *q.* 185. *n.* 68.

PVNCTVM IV.

Qua ratione per inquisitionem procedatur.

1 *Duplex est inquisitio generalis, & specialis, & quid ad generalem requiratur.*
2 *Quid ad specialem inquisitionem.*
3 *Ex leuibus indicijs non est capiendus reus.*

1 HÆc est tertia via, & satis vsitata, qua Inquisitores in causa fidei procedunt. Duplicem Doctores inquisitionem distinguunt, generalem vnam, alteram specialem. Generalis inquisitio est, in qua aduersùs nullum delinquentem expresè proceditur, sed solùm in genere proponitur, si fortè aliqui sint occulti, vt manifestentur. Ad hanc ergo inquisitionem non est necesse aliquam informationem procedere, cùm nemini iniuriosa sit, & potiùs ad præcauenda mala reipublicæ, & delinquentes coërcendos instituta sit. Quapropter ipse Inquisitor sæpe in anno hanc inquisitionem generalem facere debet, prout faciunt suis edictis, iuxta textum *in cap. excommunicamus, el 1. §. adycimus, & §. vlt. de hæreticis.*

2 Specialis autem inquisitio est, quando aduersùs aliquem specialem, & nominatum Inquisitor procedit; tum ipsum interrogando, tum examinando testes. Hæc autem institui non potest, nisi infamia præcedat, iuxta textum *in cap. qualiter, & quando, de accusationib.* & tradit Simancas *de catholic. institut. tit.* 44. *num.* 8. Quæ autem infamia sufficiat, non est constans apud omnes. Reputarem oriri debere ex grauibus indiciis. Ex leuibus enim, quæ delicto graui annexa non sunt, moueri non debet iudex ad suspicandum, & dubitandum tam graue crimen de homine Christiano, vt latiùs diximus, cùm de pœnis, quas incurrunt suspecti, locuti fuimus.

3 Vnum tamen est omnino certum, etiamsi leuia indicia, quæ annexa non sunt graui delicto, aperiant viam iudici ad inquisitionem faciendam; non tamen ex illis moueri iudex potest ad capturam rei. Hæc enim captura cùm sit ita delinquenti molesta, damnosa, & infamatoria, necessariò expostulat, aut delictum esse plenè probatum, aut saltem de illo sint indicia, suspicionésque vehementes probatæ: imò si est persona nobilis, religiosa, & honestæ vitæ, non debent Inquisitores absque consilio supremi Senatus ad capturam procedere, nisi fortè fuga timeatur. sic doctè tradit Eymeric. 3. *part. director. rubr. de forma examinationis testium, num.* 37. & ibi Pegna *comment.* 17. *versic. ergo in hoc articulo, &* 3. *part. quæst.* 59. *comment.* 59. *com.* 108. *versic. primum ergo.* Rojas *tractat. de hæreticis,* 2. *part. assert.* 1. *num.* 1. *& seqq.* Farinacius *de hæresi, quæst.* 185. *num.* 7. Simancas *catholic. instit. tit.* 16. *rubr. de custodia reorum, num.* 1. *& seq. & præcipuè tit.* 43. *rubr. de ordine procedendi, num.* 12. *& in enchirid. violata relig. tit.* 25. *rubr. de comprehendendis, num.* 1. *& seqq.* Ludouicus à Paramo *de origine sanctæ Inquisitionis, lib.* 3. *quæst.* 4. *rubr. de forma, & ordine iudiciario sancti officij, num.* 30. Sigismund. Scaccia *tract. de iud. cap.* 44. *per totum.* & alij communiter.

PVNCTVM V.

De citatione facienda reo.

1 *Semper reus citandus est.*
2 *Citari autem debet primò absque causæ expressione, si non timetur fuga.*
3 *Si citatus verbaliter non comparet, capiendus est, sin minus, citandus causa expressione, & vnica citatio sufficit; ex consuetudine tamen trina habetur.*
4 *Citatio non solùm ad contestandam litem, sed magis ad sententiam requiritur.*

1 QVocumque modo Inquisitores procedant, accusatione, denuntiatione, aut inquisitione, semper reus citandus verbaliter est, quia eius res familiaris, honor, & vita periclitatur. Quapropter potestatem habere debet se defendendi. habetur *cap. quisquis Episcopus,* 4. *q.* 5. *cap. venerabilis, de dolo, & contum.* & tradit Decian. *tract. crimin. lib.* 5. *cap.* 32. *num.* 1. Paramus *de origine sanctæ Inquisit. lib.* 3. *quæst.* 4. *n.* 62. Farinacius *q.* 185. *num.* 154. Pegna ad Eymeric. 3. *part. direct. comment.* 17. *versf. rursus.*

2 In hac autem inquisitione verbali, (de qua loquimur) si inquisitus comparet, nec de illo timetur fuga, citandus est absque causæ expressione; solùm in genere proponendo, velle Inquisitores ab eo aliqua scire; ne detur occasio captandi fugam: sic Brunus *tractat. de hæreticis, lib.* 4. *cap.* 6. Pegna ad Eymeric. *direct.* 3. *part. comment.* 33. *num.* 131. Paramus *de origine sanctæ Inquisitionis, lib.* 3. *quæst.* 4. *rubr. de forma, & ordine iudiciario, num.* 34. Simancas *catholic. institut. tit.* 43. *rubr. de modo procedendi, num.* 12 *fine.* Quòd si ex hac sola citatione generali fuga prudenter timeatur, capiendus est reus omissa verbali citatione, ex textu *in l. nullus, C. de exhibendis reis. & l. fin. C. de custodia reorum.* & notauit Pegna *tertia parte director. comment.* 17. *num.* 73. *versic. rursus.*

3 Facta hac verbali, & generali citatione, si inquisitus non comparet, capiendus est, (si capi potest,) sin minus citandus cum causæ expressione, videlicet vt de fide respondeat: iuxta textum *in cap. cùm contumacia, de hæreticis, in* 6. sic Scaccia *de iudic. cap.* 43. *num.* 9. Farinacius *quæst.* 185. *num.* 114. Pegna *dicto comment.* 33. *num.* 131. *versic. sit tamen.* Hæc citatio, si rigorem spectemus, vnica sufficit, quæ tribus æquiualet, signato termino competenti, & peremptorio ad comparendum; quia nullibi habetur expresè in hoc casu trinam expostulari; præcipuè cùm in hoc crimine non arctetur iudex solemnitatibus à iure aliàs requisitis. At ex consuetudine aduersùs absentem contumacem trina citatio expediri solet, signato in qualibet illarum termino competenti, vt sic processus, & sententia magis iustificetur. sic Rojas *singul.* 29. Paramus *de origine inquisit. lib.* 3. *quæst.* 4. *n.* 65. Farinacius *quæst.* 185. *num.* 117. *&* 157. Simancas *de catholic. institut. tit.* 14. *rubr. de contumacibus, num.* 6. *& in enchirid. viol. relig. tit.* 45. *rubr. de absentibus, num.* 3. *&* 4.

Forma seruanda in hac citatione optimè ponitur ab Eymeric. *director.* 3. *part. à num.* 130. & à Pegna *ibi, comment.* 33.

4 Non solùm ad contestandam litem, & firmandum processum, citatio est omnino necessaria, sed multo magis ad sententiam pronuntiandam. Nec enim validè sententia proferri potest, quin priùs reus citetur expresè ad illam audiendam: vt satis colligitur ex *Clement. sæpe, de verborum significat. circa finem.* ibi, *sententiam definitiuam (citatis ad id licèt non peremptoriè partibus) proferat.* sic Pegna aliis relatis 3. *part. direct. comment.* 40. *num.* 165. *versic. rursus, & seqq.* Paramus *de origine inquisit. lib.* 3. *quæst.* 4. *rubr. de expeditione processus, num.* 19. Decian. *tractat. crimin. lib.* 5. *cap.* 38. *n.* 27. Farinacius *quæst.* 185. *n.* 155. Carrer. *tract. de hæret. num.* 128.

Pvnctvm VI.

De defensionibus concedendis reo, antequam condemnetur, vel absoluatur.

1 *Defensiones, exceptionésque legitimæ, & tempus aptum ad illarum probationem reo sunt concedendæ.*
2 *Sint ne dandæ hæ defensiones reo confesso, vel conuicto? Proponitur dubitandi ratio.*
3 *Probabilius est dandas esse.*
4 *Reo concedenda est indiciorum, & probationum aduersantium copia.*
5 *Dandus est reo Aduocatus.*
6 *Reo inquisito minori 25. annis, dandus est curator.*
7 *Quid si minor habeat patrem, debeat ne pater curatoris officium subire? Probabilius credo non posse.*

1 NEmini potest esse dubium defensiones, exceptionésque legitimas, & tempus aptum ad illas probandas esse reo concedendum; quia hoc iuri naturali debetur, colligitur ex *Clement. pastoralis, §. cæterum, de sentent. & re iudic. & Clem. sæpe, de verborum signific. i. vt vim,* & ibi communiter Doctores, *ff de iustit. & iur.* sic multis relatis docent Pegna 3. *part. direct. comment.* 28. *versic. ac defensiones iuris.* Simancas *cathol. institut. tit.* 17. *num.* 53. Calder. *tract. de hæreticis, rubr. de materia processuum, num.* 3. Bossius *tit. de hæreticis, num.* 9. *vers. nec etiam defensio.* Farinacius *quæst.* 185. *num.* 210. Quod adeò verum est, vt reo non petenti debeant supradictæ defensiones ex officio iudicis concedi; iuxta textum *in l. et si non defendantur, ff. de pœnis. & in auth. qui semel, C. quomodo, & quando index.* Ratio est, nam iudex ex officio tenetur rei defensiones quærere, eo quòd teneatur veritatem inuestigare; sed nulla alia via aptior ad veritatem enucleandam esse potest, quàm concessio defensionum iure debitarum. Ergo. & ita tradit alios referens Farinacius *lib.* 1. *prax. tit.* 5. *q.* 39. *à n.* 97. *& in crimine hæresis q.* 185. *n.* 211.

2 Dubium tamen est, an reo confesso, vel conuicto dandæ sint hæ defensiones, tum ante sententiam, tum post sententiam? Ratio dubitandi est primò, quia defensio conceditur, cùm delictum defendi potest. At si reus conuictus de delicto est propria confessione, vel testibus, delictum defendi non potest; non ergo debet illi defensio concedi. Secundò in notoriis, & omnino manifestis non dantur defensiones; sed nihil est magis notorium, aut manifestum, quàm id quod testibus, aut propria confessione rei in iudicio est probatũ. Item in crimine hæresis ex sola confessione propria potest iudex ad condemnationem procedere; quia est crimen in animo existens, ac proinde sola confessione sufficienter probatum, vt ex Baldo, Felino, & aliis tradit Pegna *direct.* 3. *part. comment.* 28. *num.* 117. *versic. & quamquam.* Quod secus est in aliis criminibus, in quibus non sufficit sola delinquentis confessio, nisi de corpore delicti constet, ex *l.* 1 *§. item illud, ff. ad senatusconsult. Syllanian.* ergo reo confitenti delictum superflua est omnis defensio; cùm nulla sit, quæ validam hanc probationem informare possit. & ita tradit Carrer. *tractat. de hæreticis, num.* 131. Vmbert. Locat. *in iudicial. inquisit. verbo defensiones, num.* 1. *versic. primò.* Campeg. *in addition. ad Zanch. tract. de hæreti. cap.* 9. *vers. indiciorum verò copiam.* Eymer. *direct.* 3. *p. n.* 117. *in princ.* & fauet Pegna *com.* 28. *vers. ex his ergo.*

3 Nihilominus probabilius censeo dandas esse reo defensiones, siue delictum confessus sit, siue testibus probatum: sic docet Pegna *supradicto loco,* motus ea congruentia, ne delinquens vllo tempore conqueratur se iniustè damnatum esse. Item quia multa opponi possunt aduersùs propriam confessionem, & à fortiori aduersùs testium probationem. Quis enim non videat opponi posse timore esse factam. Ergo non obstante propria confessione, & testium probatione dandæ sunt reo defensiones: consentit Farinacius *q.* 185. *num.* 213. Extendenda tamen est hæc doctrina non solùm ante sententiam, sed etiam post illam, quia sententia hæc non transit in iudicatum, sed reuocabilis est. Ergo ex hac parte procedere debemus, ac si data non fuisset.

4 Ex his fit primò reo concedendam esse indiciorum, & probationum aduersantium copiam, tacitis nominibus deponentium; aliàs non valebit se defendere, cùm præcipua defensio consistat in purgandis contrariis indiciis, & depositionibus contrariorum infirmandis: sic Simancas *in enchirid. tit.* 35. *rubr. de testib. num.* 12. Zanch. *tractat. de hæreticis, cap.* 9. *num.* 6. Pegna 3. *part. comment.* 110. *fine, versic. hoc exploratum est.* Farinacius *quæst.* 39. *num.* 154. *& quæst.* 185. *num.* 212. & alij apud ipsos.

5 Secundò fit, reo dandum esse Aduocatum, seu Aduocatos, virum vtriusque iuris peritum, & fidei zelatorem, & nullo modo de legalitate suspectum. non enim debet esse hæreticus, nec de hæresi diffamatus, ex text. *in cap. excommunicamus,* 1. *de hæreticis, §. credentes,* imò potiùs oportet, vt ab originariis Christianis stirpem ducat, ne ob infectum sanguinem infideliter officium suum exequatur. Hanc autem Aduocatum dandum esse inquisitis de hæresi, non tamen confessis, & conuictis, & vsus probat, & ipsa ratio naturalis suadet; cum reus sæpe vel ob imperitiam, vel ob afflictionem carceris ignoret modum se defendendi. Officium huius Aduocati, qui in præsentia Inquisitoris patrocinari reo debet, est persuadere reo, vt hæresim fateatur (si fortè commisit) & pœnitentiam expostulet, & quidquid reus responderit, fiscali manifestabit: sic optime tradit Pegna 3. *part. direct. num.* 117. *comment.* 28. *versic. & sic conceditur.* Simancas *de catholic. institut. tit.* 5. *rubr. de Aduocatis, num.* 3. *&* 4. *& in enchirid. tit* 42. *rubr. de Aduocatis, n.* 1. Vmbert. Locat. *verbo Aduocatus, num.* 1. *& verbo defensiones.* Farinacius *quæst.* 197. *num.* 77. Neque aduersus hæc obstat textus *in cap. fin. de hæreticis, in* 6. vbi conceditur Inquisitoribus, vt in causis fidei absque Aduocatorum, & iudiciorum strepitu, & figura procedere possint. Quia procedere possunt absque Aduocatis, dum illorum officium non reputatur defensioni rei necessarium eáque de causa non datur inquisitis de hæresi Aduocatus, quousque ter moniti ab Inquisitoribus de veritate dicenda negant crimen obiectum: tum, inquam, propter suspicionem, & dubium ex negatione prouenien, quòd crimen obiectum verum non sit, datur illis Aduocatus. Vnde si manifestè constet inquisitum hæreticum esse, nullus Aduocatus eius patrocinium subire posset, quia esset hæreticorum fautor, & defensor, & perpetuæ infamiæ subiaceret, ex text. *in cap. si aduersus, de hæreticis.* sic Doctores suprà relati. Vide Farinacium *suprà num.* 72. Quod dictum est de Aduocato, dicendum esset de procuratore, si ad rei defensionem necessarium existimetur. At rarò, vel nunquam necessarius est, tum quia Aduocatus eius vices supplet: tum quia ipsimet Inquisitores procurant reum defendere, si capax est defensionis, & ibi Pegna *in supradict. comment.* 128. *versic. & procurator,* notat ex Madriliana instructione *cap.* 35. procuratorem his reis assignari non esse in vsu, nisi in aliquo casu vrgentis necessitatis arbitrio Inquisitorum.

6 Fit tertiò, reo inquisito minori 25. annis dandum esse curatorem, vt eius authoritate accusationi respondeat, ex textu expresso *in l clarum, C. de authoritate præstanda,* & ibi notat glossa, Salicet. Angel. & omnes. Alias responsio minoris facta absque hac solemnitate etiam in

crimine hæresis, nullius erit momenti; ac proinde ex illa neque absolui, nec condemnari poterit: sic relatis Matth. de Afflictis *decis.* 208. & Anton. Gomez *tom.* 3. *var. cap.* 1. *de delictis, cap.* 64. *& 65. in fine.* Alexand. *consil.* 115. & Corneo *consil.* 198. *lib.* 4. tradit Pegna *direct.* 3. *p. comment.* 28. *num.* 117. *vers. hoc tamen non omittam.* Officium curatoris est sua authoritate, & præsentia personam inquisiti legitimare ad respondendum. Quapropter interponit suam authoritatem super hoc articulo, an scilicet interrogandus sit? Item an præstare debeat iuramentum de veritate dicenda? non tamen necessarium est, imò nec conueniens præsentem esse, quando inquisitus super facto proprio respondet, quia secundùm propriam notitiam, & non aliunde subministratam respondere debet, & ita aliis relatis probat Anton. Gomez *n.* 65. *in medio.*

7 Quòd si minor inquisitus patrem habeat, ad ipsum specialiter non pertinet tale officium; quia pater in litibus, & causis criminalibus filij non est administrator, vt ex Bart. *in l fin.* §. *pupillus, ff. de verb. obligat.* Baldo *in l. cùm oportet*, §. *cùm tacitus, in fine, C. de bonis quæ liberis*, tradit Gomez *tom.* 3. *var. cap.* 1. *n.* 64. Sed an possit pater ab Inquisitoribus spectato rigore iuris in curatorem filij nominari, affirmat Anton. Gomez *ibi*, generaliter loquens. At credo nullo modo nominandum esse, quia regulariter est suspectus, vt potius filio, quàm fidei, & religioni faueat, & ita vidi practicari.

Pvnctvm VII.

De appellatione, an, & quando in crimine hæresis interponi, & admitti possit.

1 *Appellatio hæreticis denegatur.*
2 *Concedenda tamen est hæredibus, quando ex præsumptione iuris hæreticus condemnatur.*
3 *Hæretico condemnato via querelæ, & supplicationis licet Principem adire, tametsi alijs contrarium placeat.*
4 *Appellatio conceditur à sententijs interlocutorijs, tametsi à sententia declaratoria hæresis non concedatur.*
5 *A sententia, seu decreto torturæ datur appellatio.*
6 *Explicatur ad quem est appellandum in his sententijs interlocutorijs.*
7 *Inquisitor interposita appellatione procedere potest aduersùs appellantem, si ex alia noua causa denuntiatus sit.*

1 Regula generalis est beneficium appellationis hæreticis, & eorum fautoribus denegari, ex text. expresso, *in cap. vt inquisitionis, de hæreticis, in 6.* ibi, *cùm tam secundùm ordinationem prædecessorum nostrorum, quàm secundùm legem imperialem, appellationis, & proclamationis beneficium expressè sit hæreticis, & credentibus, ac eorum receptatoribus, fautoribus, & defensoribus interdictum.* Ratio huius est, quia appellatio introducta est, ne innocentes grauentur, *cap. ad nostram, de hæreticis.* At hæretici in causa hæresis innocentes non sunt; sed potiùs nocentes toti Ecclesiæ. Non ergo debet eis appellatio concedi. Ex qua ratione fit, vt appellatio hæreticis denegetur, debere ipsos, vt tales ab Ecclesia reputari. Quod fieri non potest, quousque sententia declaratoria criminis succedat; illa tamen facta iam sunt manifesti hæretici, quibus ne leuis detur suspicio, quòd Ecclesia fauere velit, omnino denegat eis, postquam sic sunt declarati, beneficium appellationis: ita Doctores omnes, quos in re clara libens omitto. Hinc fit pronuntiata sententia diffinitiua aduersùs hæreticum posse statim executioni mandari, nec opus esse expectare terminum decem dierum à iure concessum ad appellandum, cùm appellatio esse non possit. Vmbert. Locat. *in indic. inquisit. verbo appellare, & in verbo sententia, n.* 31. Rojas *singul.* 179. *n.* 2. Decian. *tractat. crimin. lib.* 5. *cap.* 20. *n.* 26. *& cap.* 58. *num.* 1. Paramus *de origine sanctæ Inquisit. lib.* 3. *quæst.* 4. *rubr. de expeditione processus in causis fidei, num.* 58.

2 Sed quid si hæreticus declaretur talis, non ob propriam confessionem, aut testium manifestam probationem, sed ex præsumptione iuris, quia in contumaciam damnatus est, vel quia se ipsum occidit ante causam finitam, vel alia via ex qua ius præsumit delictum?

Respondeo ex rationabili causa interponi posse ab hæredibus appellationem, debereque superiorem illi deferre; quia aliqua dubitatio est, an hæreticus sit, & locus esse potest defensioni. sic Simancas *de catholic. institut. tit.* 6. *n.* 7. *& 8 & in enchirid. tit.* 65. *rubr. de appellat. n.* 6. Decian. *tract. crim. lib.* 5. *cap.* 58. *n.* 4. Farinacius *q.* 185. *num.* 230.

3 Dubium tamen est, an hæretico sic condemnato liceat Principem superiorem adire via querelæ, & supplicationis, vt sententia data, quam iniustam esse prætendit, reuocetur, & annulletur? Negat Simancas *cathol. instit. tit.* 6. *rubr. de appell. n.* 1. Carrer. *tract. de hæretic. n.* 130. Ratio esse potest primò, quia indignus est beneficio Ecclesiastico, qui iam ab Ecclesia est inimicus declaratus. Secundò, quia in sententia de crimine lata non admittitur supplicatio ad demonstrandum errorem; sed solùm ad gratiam, & remissionem impetrandam à Principe: imò neque hæc supplicatio in crimine læsæ maiestatis admittitur, vt videtur sancitum *in l. quisquis*, §. *denique.* ibi *sine venia, C. ad leg. Iuliam maiest.* & probat Rebuff. *comment. ad constit. regias Galliæ, tom.* 1. *tract.* 4. *supplic. in præfat. num.* 71. Menoch. *de arbitr. q.* 70. *n.* 44. At credo contrarium esse probabilius, primò, quia interdicta appellatione non censetur recursus ad Principem interdictus in causis grauis præiudicij, vt latè probat Roland. *conf* 94. *n.* 1. *& seqq lib.* 1. Menoch. *de arbitr. q.* 70. *n.* 18. Secundò superior iudex non prohibetur de prætensa iniusta sententia cognoscere, & eam reuocare; quia hoc rectæ gubernationi conuenit. Ergo non sunt prohibiti rei ad eum supplices, & queruli pro tali cognitione, & reuocatione accedere. Tertiò ipsemet iudex superior supplicari potest à sententia à se lata, vt iterum illam recognoscat; & si inuenerit iniustitiam, reuocet, & annullet. Ergo id à fortiori fieri poterit in sententia lata inferioris: & ita tradit in crimine hæresis Felin. *in cap. ad abolendam, num.* 3. *in fine, de hæreticis, vers sic. sed aduerte.* Rojas *singul.* 19 *num.* 5. *& seq.* Decian. *tract. crim. lib.* 5. *cap.* 58. *num.* 5. Farinacius *q.* 185. *de hæresi, num.* 233.

4 Verùm etsi hæreticis appellatio non concedatur à sententia declaratoria hæresis: at à sententiis, & actibus interlocutoriis omnino conceditur. tradunt omnes Doctores, vt testatur Rojas *sing.* 19. Simancas *cathol. inst. tit.* 6 *rubr. de appell. n.* 3. *& in enchirid. tit.* 65. *eadem rubr. de appell. n.* 2. Eymer. 3. *p. direct. rub. de appell. n.* 121. & ibi Pegna *com.* 31. *vers. ab interlocutorijs.* Farinacius *q.* 185. *n.* 232. Param. *de orig. sanctæ Inquisit. lib.* 3. *q.* 4. *n.* 60. & alij plures. Ratio esse potest, quia huiusmodi actus, & interlocutoriæ sententiæ ad inuestigandam veritatem, an reus commiserit hæresim, procedunt. Dum ergo id certum non est, sed aliqua tergiuersatione celari possit, beneficium appellationis non debet denegari. Debet tamen in appellatione inseri, & allegari causa appellationis, aliàs appellatio non subsistet, *cap. vt debitus. cap. cùm remissam, cap. cùm sit Romana, de appellationib.* & tradit Bonifacius de Vitalis *Clement. appellanti, de appellationibus, à num.* 24. Pegna *direct.* 3. *part. comment.* 31. *versic. num autem.* Farinacius multis exornans *quæst* 101. *titul. de varijs, ac diuersis quæstionib. num.* 158. *& de hæresi, quæst.* 185. *num.* 232.

 5 Hinc

5 Hinc infertur in sententia, seu decreto torturæ dari posse appellationem; quia est actus interlocutorius ad eruendam veritatem: & probat manifestè textus *in l.2. C.de appellation.recipiendis.* ibi, *ante sententiam appellari potest, si quæstionem in ciuili negotio habendam iudex interlocutus sit, vel in criminali, si contra leges iudex hoc faciat.* sic tradit Pegna *loco allegato,* Simanc. *in enchirid. violatæ relig. tit.52.rub.de tormentis,num.11.& tit.65.rubr.de appellationib.num.2.* Farinac. *quæst.185.num.139.* Clarus *pract. §.fin. quæst.64. vers. sed quid agendum.* Verùm etsi regulariter per appellationem à sentẽtia interlocutoria non ligentur manus iudicis, sed possit in causa procedere, quousque à superiore inhibeatur: hoc tamen fallit in decreto torturæ, eo quòd continet damnum irreparabile; vt cum Lancelloto *tract.de attentatis,cap.12.limit.1. num.1.* probat Farinac. *quæst.38.num.12.* Solùm excipiendus est casus, quo euidenter constat friuolam allegari causam appellationis: tunc enim omnino reiicienda est appellatio; & ad torturam procedendum, vt generaliter scripsit Foller. *pract. crimin. verbo si confitebuntur, in 3.p.tertia partis, post num.50.* & probat textus *in cap. cum appellationibus. de appellationib. in 6.* vbi appellationibus friuolis nec iura deferunt, & ex textu *in l.2. ff.de appellation.recipien.* argumento à contrario sensu à verbis legis, quod in iure est efficax; cùm enim lex dicat recipiendam esse appellationem, si contra legem iudex faciat, efficitur sanè reiiciendam esse, si iustè, & debitè procedat: & in propriis terminis hæresis docuit Pegna *3.p. comm.31.vers.quadam autem sunt.* vbi ad propositum refert instructionem Madrilianam editam anno 1561. *cap. 50.* quam vbique seruandam esse docet, consentit Farinac. *de hæresi,quæst.185.num.235.* Deinde esto iudex ad quem debeat cognoscere, an legitimè appellatum sit? quando dubium est, an subsistat appellatio. At in causa manifesta friuolæ appellationis iudex à quo cognoscit. Aliàs nunquam esset verum reiicere posse iudicem à quo appellationem, & in executione sententiæ interlocutoriæ procedere. sic aliis relatis Farinac. *lib.1. praxis, tit.5. quæst.38. num.29.* Dixi, in causa manifesta friuolæ appellationis; quia in casu dubio, siue dubium sit iuris, siue facti, iudex à quo supersedere debet, & expectare, quid iudex ad quem pronunciet, ne periculo exponatur grauandi iniustè innocentem in iis quæ irreparabilia sunt. sic Farinac. *quæst.38.num.30.* Pegna *3.p. direct.comm.31.vers.quadam autem.*

6 Sed inquires ad quem sit appellandum ab iis interlocutoriis sententiis, & quoties in causis fidei permittitur appellatio? Cui dubitationi breuiter respondeo in Hispania ad Inquisitorem generalem, qui visis actis, & processu in senatu inquisitionis, appellationem vt illegitimam repellit, vel illam iudicat admittendam, in Italia ad senatum Sacrosanctæ Romanæ inquisitionis. At in aliis partibus credo ad Pontificem appellandum esse, quod omnino certum est, si sententia à solo Inquisitore lata sit, quia à delegato ad delegantem appellatio facienda est: ex *cap. super quæstionum.§.porrò,de officio delegati.l.Imperatores,ff.de appellat.l.præcipimus.§.huic.C.de appellat.* & Inquisitor Sedis Apostolicæ est delegatus. Si verò sententia lata sit ab Episcopo, & Inquisitore simul, cùm tunc vt delegati Sedis Apostolicæ procedant, ad Sedem Apostolicam prouocandum est. Et idem est, cùm Episcopus procedit aduersùs exemptos. Quapropter solùm est difficultas, quando Episcopus ratione officij, & ex iure ordinario aduersùs hæreticos non exemptos procederet. In quo casu Pegna *dicto comm.31. circa medium.* Farinac. *quæst.185. num. 240.* probabilius existimant ad Sedem Apostolicam esse prouocandum, cuius est causas graues terminare. At grauissima est causa, quæ fidem spectat. Nihilominus non caret probabilitate ad Metropolitanum posse appellari, vel ad Pontificem, omisso Metropolitano, sicut in aliis causis, iuxta *cap. si duobus, de appellationib. cap.quoties. cap.ad Romanam, 2. quæst.6.* Neque obstat textus *in cap.maiores, de baptismo.* vbi deciditur causas graues non nisi Pontificis authoritate terminandas esse; quia iudicare de legitimitate appellationis, & de causa, ob quam appellatur, non est ita grauis, quæ Pontificis authoritatem expostulet; aliàs neque in prima instantia ab Episcopo iudicari, & terminari possit. Si enim controuersia esset, an hoc, vel illud de fide sit, huius quæstionis terminatio Pontificem spectaret, vtpote summæ Ecclesiæ necessaria. At quando controuersia est, an aduersùs fidem hic deliquerit, quæ potius est quæstio de facto, quàm de iure; decisio illius non est ita Ecclesiæ necessaria, quæ non possit ab aliis præter Pontificem decidi.

7 Aduerto tamen posse Inquisitorem interposita appellatione, imò illa admissa procedere aduersùs appellantem, si ex alia causa, scilicet ex alia noua hæresi fuerit appellans denũtiatus; quia appellatio solùm suspendit exercitium iurisdictionis in illa causa, in qua contingit appellatio; non in aliis. Excipe nisi causa appellationis fuerit suspicio iudicis: tunc enim, quia æqualiter in omnibus causis procedit, non poterit iudex reum compellere ad respondendum in aliis causis, nisi fortè fuerint adeò graues, & manifestæ, vt ipsamet grauitate, & manifestatione reus condemnatus existat, vt probat text. *in cap.proposuit, de appellat. in fine.* ibi, *iudex tamen, à quo appellatur (quia illi omnino suspectus est) eum non debet ad respondendum super aliis compellere, nisi pro crimine adeò graui, & manifesto, quo ipso actu meritò sit damnandus.*

PVNCTVM VIII.

De recusatione Inquisitoris, quando fieri possit à reo.

1 *Inquisitor recusari potest, tametsi multi contrarium sentiant.*
2 *Grauis causa ad hanc recusationem expostulatur.*
3 *Quis debet cognoscere de causa recusationis.*

1 NOn desunt graues Doctores, qui negant recusari posse, eo quòd sit delegatus ad vniuersitatem causarum, qui ordinario comparatur, in quem recusatio cadere non potest, vt dixit Sigismund. Scaccia *tract.de iud.cap.67.num.7.* Menoch. *de arbitr. quæst.37. in fine.num.4.lib.1.* Rojas *singul.100. & in tract.de hæretic.2. p.de priuileg inquisit.num.435.* At quia consuetudine receptum est recusationem fieri, & admitti, pluréique Doctores non infimæ notæ sentiunt id fieri posse allegata, inquam, causa recusationis, vt multis comprobat Eymer. *3.p.direct.num.120.* & Pegna *com.30.* Farinac. *de hæresi.q.185.num.236.* Simanc. *catholic.institut.tit.17.rub. de defensione reorum. num.51. & in enchirid. viol. relig. tit. 47.rub.de defensionib.num.26.* & alij. Ideo videndum est, quid id ea obseruandum sit.

2 Primò statuendum est pro certo, grauem causam ad hanc recusationem expostulari; cùm enim Inquisitoris officium, non nisi prudentia, doctrina, & virtute præditis concedatur; præsumi non potest suspectus ex leui causa, sic Eymeric. Pegna, Symanc. & Farinac. *supra.* Causam autem grauem vocant relati Doctores inimicitiam capitalem, aut grauem.

3 Secundò dicendum est facta recusatione, etsi de rigore iuris arbitri essent eligendi, vnus ex parte iudicis recusati, alius ex parte rei recusantis, qui de causa allegata in recusatione cognoscerent. At decentius, & honestius est, ne iudicium illudatur, néve negotium catholicæ religionis differatur, néve passim sine causa Inquisitores recusentur, vt causa ad supremum senatum remittatur, qui cognita summariè causa recusationis eam admittat, vel repellat, prout in Hispania ex Madriliana

instructione seruari testatur Pegna *dicto comment.* Farinacius *num.* 239. Interim tamen Inquisitor recusatus procedere non debet, sed si habet collegam, collega procedat, sin minus, causa quiescat. Quæ omnia procedunt, cùm dubium est causam recusationis esse legitimam; secus si iudicio prudentum manifestè constet friuolam esse, & inanem, & solùm fuisse appositam ad iudicium subterfugiendum, causámque detinendam.

Pvnctvm IX.

De tortura inferenda in crimine hæresis.

1 *Tortura in hoc crimine inferri potest, quando alia legitima probatio deficit.*

2 *Debent tamen procedere legitima indicia, & sufficienter probata.*

3 *Vnus testis deponens non de delicto, sed de indicijs delicti, non sufficit ad torturam.*

4 *Si plures, quàm duo testes singulares concurrerent ad probationem indiciorum, posset reus subijci torturæ.*

5 *Dictum vnius testis de corpore delicti sufficit ad subijciendum reum torturæ, tametsi alij contrarium sentiant. Intelligitur dummodo testis sit omni exceptione maior, & reus non sit probatæ virtutis.*

6 *Socius criminis non præbet indicium sufficiens ad torturam.*

7 *Præbet tamen, si alio adminiculo iuuetur.*

8 *Quid debeat iudex perpendere in depositione socij criminis.*

9 *Fama qua ratione præbeat indicium sufficiens ad torturam.*

10 *Confessio extraiudicialis sufficiens est indicium ad torturam.*

11 *Sola variatio, & vacillatio non præbet indicium sufficiens ad torturam, tametsi probabiliter alij contrarium defendant.*

12 *In crimine hæresis omnes aliàs exempti torquendi sunt.*

13 *Aliquibus placet leuius esse torquendos, sed non est eorum dictum in iure fundatum.*

14 *Minores, senes, & valetudinarij torqueri possunt pro qualitate virium, excepta muliere prægnante.*

15 *Reus in tormentis delictum fassus debet ratificari, aliàs ex eius confessione ibi facta condemnari non potest.*

16 *Facta ratificatione si pœnitentiam expostulat, admittendus est, nisi fuerit relapsus, si in errore persistit; debent adduci Doctores, qui illum conuincant.*

17 *Si accedente tempore ratificationis reus reuocat, subijciendus torturæ iterum est.*

18 *Si tortus sufficienter sit, & in negatiua persistit, absoluendus est.*

19 *Reo conuicto, & confesso, potest tortura inferri pro habendis complicibus.*

20 *Quoties agitur, an reus subijciendus sit torturæ, debet eius Aduocatus assistere.*

1 Nemini dubium est torturam inferri posse in hoc crimine, cùm alia via veritas haberi non potest. nam priùs tentanda sunt omnia alia remedia, & in omnium defectum, huius acris, rigidi, periculosi, & fallacis vsus conceditur. Conuicto enim, & confesso non est tortura inferenda, quia tunc iam de delicto constat, & tortura, vt probetur delictum, & inuestigetur veritas occulta, adhibetur, iuxta textum *in l. vlt. C. de quæstionib.* ibi, *& ex his ea quæ occulta sunt, reuelari. & l. edictum, vers. si de quæstionib. & l. diuus Pius, eodem tit.* & aliis quæ congerit Anton. Gomez *tom. 3. variarum, cap. 13. num.* 20. constat. Modos inferendi torturam, & diligentias anteriores faciendi, vt veritas eruatur, optimè tradit Eymeric. *direct. 3. part. rubr. de tertio modo terminandi processum, num. 151. & seqq.* & ibi Pegna *in addition. comment.* 39. Anton. Gomez *tom. 3. variarum, cap. 13. num. 23. & 24.*

2 Nunquam tamen in crimine hæresis, sicut neque in alio crimine tortura infligi potest, nisi præcedant sufficientia, & legitima delicti indicia. sic latè Marsilius *l. 1. ff. de quæstionib. & cons. 49. num. 9. cons. 50. num. 3.* Menochius alios referens, *de arbitr. lib. 1. quæst. 84. à num. 1.* & redditur ratio, quia à tortura, quæ est damnum irreparabile, inchoandum non est, *l. 1. ff. de quæst.* Tortura enim in subsidium aliarum probationum deficientium assumitur ad veritatem manifestandam. Hæc autem indicia torturam præcedentia debent sufficienter esse probata; dum enim probata non sunt, indicia esse non possunt. Quapropter credo quodlibet indicium de se ad torturam inferendam sufficiens probandum esse duobus, vel pluribus testibus; aliàs non plenè probatum erit, vt pluribus exornat Anton. Gomez *variarum resolutionum, tom. 3. cap. 3. rubr. de tortura reorum, num.* 18. Clarus *practicarum quæst. 22. in princ.* Menochius *de arbitr. lib. 2. casu 270. num.* 23. Farinacius *lib. 1. quæst. 37. à num.* 13.

3 Quocirca vnus testis deponens non de delicto, sed de indiciis delicti, v.g. de confessione extraiudiciali, de fama, de fuga, aut alio simili, insufficiens est, vt aliis relatis docent supradicti Doctores, quibus adde Mascard. *de probationibus, lib. 1. concl. 462. num. 18. & 19. & conclus. 894. num. 1. & 4. lib. 2. & concl. 1385. num. 32. lib. 3.* Pegna ad Eymer. *direct. 3. part. quæst. 61. comment. 100. versic. iam indicia.* Martinus Delrio *disquisit. magic. lib. 5. in 2. appendice, quæst.* 10. Rojas *tractat. de hæreticis, part. 2. num.* 189. Quod intelligendum censeo, etiamsi adesset alius testis deponens de alio indicio, ita vt essent duo testes singulares, quilibet de suo indicio deponens, non redderent reum subiectum torturæ; quia vtraque illa depositio non æquiualet probationi concludenti factæ à testibus contestibus, vt pluribus comprobat, & exornat Farinac. *quæst. 37. num.* 38.

4 At si testes singulares plures quàm duo concurrerent ad probationem indiciorum, ipsique essent probatæ vitæ, omníque exceptione maiores, sufficienter ex eorum depositione reus subiici posset torturæ, quia verisimile non est tot testes talia deposuisse, nisi reus culpabilis existeret. Item cuiuslibet testis depositio, etsi non concludenter probet indicium, aliquam tamen, etsi leuem, facit præsumptionem. Ergo multiplicatis his depositionibus, ex illis resultare potest maior præsumptio, quàm ex probatione concludenti vnius tantùm indicij. sic Albertin. *tract. de agnoscend. assert. cathol. & hæret. quæst. 25. num.* 20. Carrer. *practic. in 2. tractat. de indic. & tortura, §. quæ autem, & qualia debeant esse indicia, n. 6. 8. & 9.* Clarus *in pract. quæst. 21. vers. sed pone quòd vnus.* Farinacius *loco allegato, num.* 38. Adde ad torturam regulariter sufficere vnum indicium, si sit proximum, & illatiuum delicti, & bene probatum: sic post alios Anton. Gomez *tom. 3. variarum, cap. 13. num.* 8. Gigas *de crimine læsæ maiest. q. 1. n.* 16. Menochius *de arbitr. lib. 2. casu 331. & de præsumpt. lib. 1. q. 89. num.* 14. Farinacius *quæst. 37. num.* 47.

5 Quæ autem sint hæc indicia, quorum quodlibet sufficiens sit torturæ subiiciendi reum, examinandum est. Et primò dubitatur de depositione vnius testis de delicto. v.g. deponit Petrus te hæresim prædicasse, aut idoliis adorasse, vel quid simile hæreticale fecisse: præbétne eius depositio sufficiens indicium ad te torquendum? Non desunt negantes, nisi simul cum depositione vnius testis de delicto fuerit, vel aliud indicium, præsumptióque concurrat. sic Marsilius *cons. 102. n.* 10. Nouell. pract. *in rubr. de testibus in mat. crimin. num.* 49. Ratio esse potest, quia tortura est pœna grauissima, quæ reo imponenda non videtur, nisi delictum sit plusquam

semi

semiplenè probatum. Item dictum vnius testis in criminalibus non semiplenè probat, etsi probet in ciuilibus: quibus fauet Albertin. *tract. de agnosc. assert. quæst.* 34. *num.* 59. Viui. *comm. opin. verbo testis vnius de visu, num.* 2. *& seqq.* Eymer. 3. *p. quæst.* 61. *vers.* 3. Nihilominus à communi sententia recedendum non est, quæ affirmat dictum vnius testis de corpore delicti deponentis sufficiens esse indicium ad torturam. Debet tamen testis esse omni exceptione maior. Ratio est, quia tam in ciuilibus, quàm in criminalibus, testis vnus semiplenè probat, cùm duo probent concludenter, vt multis relatis docent Anton. Gomez *tom.* 3. *var. cap.* 12. *num.* 2. *sub vers. animaduertendum tamen.* Pegna *direct.* 3. *p. comm.* 110. *in medio, vers. cæterùm.* Menoch. *de præsumpt. lib.* 1. *quæst.* 89. *num.* 7. Farinac. *quæst.* 36. *num.* 129. Et ita in propriis terminis hæresis, sufficere vnius testis omni exceptione maioris depositionem docuit post alios Simanc. *cathol. instit. tit.* 65. *rubr. de tormentis, num.* 23. *& seq.* Eymer. *direct. inquisit.* 3. *p. quæst.* 61. *num.* 3. *vers. secunda regula, & n* 8. *vers. septima regula,* & ibi Pegna *comm.* 110. *vers. primo, & seqq.* Farinac. *quæst.* 185. *num.* 129. Zanch. *tract. de hæretic. cap.* 9. & ibi Campeg. *in addit. litt. E, vers. nunquid poterit torqueri,* & alij. Notanter dixi, si testis sit omni exceptione maior: nam si aliquem defectum patiatur, cùm tunc non semiplenè probet, nullo modo seipso solo indicium faciet ad torturam. sic Farinac. *suprà num.* 131. & latiùs dixit *quæst.* 37. *num.* 56. *&* 61. Carrer. *tract. de hæret. num.* 118. Pegna *dicto comm.* 110. *vers. secunda regula.* Gabr. *consil.* 178. *num.* 6. *lib.* 1. Adde neque vnum testem omni exceptione maiorem sufficere ad torquendum reum, si reus denunciatus sit bonæ famæ, & virtutis apud omnes. Quia rei bona opinio infirmat dictum testis, & præsumptionem constituit in contrarium: sic Simanc. *de catholic. instit. tit.* 65. *num.* 23. *& in enchirid. tit.* 52. *num.* 13. Decian. *tract. crim. lib.* 5. *cap.* 36. *num.* 6. Pegna 3. *p. direct. quæst.* 61. *comm.* 110. *vers. non dubito tamen.* Farinac. *de hæresi, quæst.* 185. *num.* 132.

6 Hinc infertur socium criminis deponentem de delicto non præbere sufficientem probationem ad torturam; quia esto in hoc crimine ob fidei fauorem testis aliàs inhabilis admittatur; non tamen admittitur vt integrè probans, & tanquam omni exceptione maior. vt tradit Marsil. *consil.* 109. *num.* 15. *volum.* 2. Grammat. *cons.* 59. *num.* 1. Hippol. Riminald. *consil. crimin. diuers. cons.* 84. *num.* 9. Anton. Gom. *tom.* 3. *rub. de probationib. delictorum, num.* 23. Bossius *de indicijs, & considerationib. ante torturam, num.* 166. *&* 177. *vers. non tamen credas.* At ad torturam requiritur ad minus semiplena probatio delicti. Cùm ergo hæc ex depositione socij criminis, & testis patientis defectum, & suspicionem non habeatur; efficitur sanè non posse ex illo reum torturæ subiici. & ita multis relatis docet generaliter Farinac. *quæst.* 43. *num.* 75. *& num.* 147. *& in crimine hæresis, quæst.* 185. *num.* 151. Simanc. *cathol. instit. tit.* 65. *rub. de torm. num.* 26. *& in enchirid. viol. relig. tit.* 52. *rub. de torm. num.* 14. Pegna *addit. direct.* 3. *p. q.* 61. *com.* 110. *vers. An autem socius criminis.* Martinus del Rio *disquisit. magic. lib.* 5. *q.* 3. *& lib.* 5. *in* 2. *appen. quæst.* 1.

7 Verùm si dictum socij criminis alio adminiculo iuuetur, sine dubio tenendum est præstare sufficiens indicium ad torturam: tenent supradicti Doctores, quia ratione adiuncti suppletur testis defectus. Quod autem adminiculum debeat esse, vt ex illo, & ex depositione testis defectuosi resultet integrum indicium aduersùs nominatum, non est certa regula definitum: ac proinde arbitrio iudicis prudentis regulandum est, vt dixit Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *casu* 474. *num.* 47. *& seqq.* Mascard. *concl.* 1311. *sub num.* 53. Hoc autem arbitrium, vt benè dicit Farinac. *quæst.* 43. *num.* 162. non ex proprio marte sumendum est; sed ex sententia, & dictis Doctorum. Quapropter ipse aliquos casus adducit, ex quibus constare potest, quibus indiciis adminiculata depositio socij criminis inferat torturam aduersùs depositum. Præcipui, & nostro instituto deseruientes sint. Primus si cum nominatione socij criminis concurrant testes de auditu. tunc enim sufficit talis nominatio ad torquendum reum; quia licèt testes de auditu non faciant indicium ad torturam, nec probent. *l. testium, ff. de testibus. l. si arbiter. ff. de probationib. cap. licèt ex quadam, de testibus.* At cùm negari nō possit facere aliqualem præsumptionem: illa præsumptio iuncta cum depositione socij criminis æquiualet depositioni testis omni exceptione maioris. Secundus est, quando cum dicto socij criminis concurrit fama contra nominatum, ob rationem supradictam, quia fama supplet defectum ponentis. Tertius si cum supradicta depositione concurrat fuga nominati. Quartus si concurrat stricta amicitia, & intima familiaritas nominati cum nominante; quia habere cum sceleratis hanc amicitiam malum est, & non leue reddit indicium ad torturam; imò in crimine hæresis est speciale delictum cum hæreticis familiaritatem habere. Quintum addere possumus, si depositioni vnius socij criminis, alia alterius socij iungatur, & duo socij criminis deponant; quia tunc duplex illa depositio integri testis depositioni videtur æquiualere: sic Pegna *direct.* 3. *p. quæst.* 61. *comm.* 110. *ad finem. vers. si tamen duo socij.* Martin. del Rio *lib.* 5. *de disquisit. mag. sect.* 3. *vers. ad torturam, & lib.* 5. *in* 2. *append. quæst.* 1. *conclus.* 2. *& seq.* Farinac. *quæst.* 185. *num.* 152.

8 Aduertendum tamen est, vt socij criminis depositio aliis indiciis adminiculata faciat plenum ad torturam indicium, debere iudicem satis perpendere qualitatem personæ nominatæ, & nominantis, & modum depositionis: ita vt ex illis certò credat depositionem esse veram, & nominatum delinquentem esse: quod satis colligitur ex textu *in c. in fidei fauorem. de hæreticis, in* 6. ibi, *postquam dixit ob fidei fauorem testes aliàs inhabiles admitti,* subdit, *Si ex verisimilibus coniecturis, & ex numero testium, aut personarum tam deponentium, quàm eorum, contra quos deponitur, qualitate, ac alijs circunstantijs, sic testificantes falsa non dicere præsumantur.* sic Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *casu* 474. *num.* 58. Mascard. *de probationib. lib.* 1. *conclus.* 158. *num.* 3. *& lib.* 3. *conclus.* 1311. *num.* 45. Farinac. *quæst.* 43. *num.* 177. Roland. *consil.* 73. *num.* 25. *&* 37. & alij apud ipsos.

9 Secundò dubitatur de fama, an sola illa sufficiens præbeat indicium ad torturam: quando oritur à fide dignis, & ritè probata est? Videtur affirmatiuè respondendum esse, eo quòd talis fama semiplenè probet. Verùm omnino tenendum est solam famam insufficientem esse, nisi aliis indiciis adiuuetur; quia fama est indicium remotum, & fallaciæ subiectum; ac proinde insufficiens subiiciendi infamatum tam graui pœnæ. Neque sola illa semiplenam probationem constituit. Quocirca vt fama præbeat indicium sufficiens torturæ, debet esse ita vehemens, hoc est, ex tali fundamento firmo, & ratione orta, vt meritò ipsum fundamentum, & causa reddat ipsam famam verosimilem, vel vt alio adminiculo adiuuata, & coniuncta, semiplenè saltem probet delictum. sic Clarus *pract.* §. *fin. quæst.* 21. *versic. fama sola.* Pegna 3. *p. direct. comm.* 110. *vers. tertia regula.* Farinac. *quæst.* 47. *num.* 4. *iuncto num.* 17. Menoch. *lib.* 1. *præsumpt. quæst.* 89. *num.* 28. Sigismund. Scaccia *de iudic. cap.* 95. *n.* 1. *vers. si sumus in crimine hæresis.* Martin. del Rio *disquisit. mag. lib.* 5. *in* 2. *append. quæst.* 7. *& dicto lib.* 5. *sect.* 3. *sub vers. ad torturam,* & alij plures apud ipsos.

10 Tertiò dubitatur de confessione extraiudiciali, de qua cum communi sententia censeo sufficere; quia est indicium satis proximum, & illatiuum delicti: nemo enim præsumi potest sibi falsò crimen imponere, sic ex glossa *in l. capite quinto, ff. de adulter.* Bart. Bald. & aliis docet Anton. Gomez *tom.* 3. *var. cap.* 13. *num.* 8. *&* 9. Carrer. *pract. crim. num.* 121. *vers. septimum indicium.* Iulius Clarus *pract.*

pract. §. fin. q. 21. verf. confeſſio extraiudicialis. Farinacius *q. 37. num. 47.* Pegna *direct. 3. p. comm. 110. circa fin. verſic. ergo præter rememorata indicia.* Menoch. *de præſumpt. lib. 1. q. 89. n. 14. & ſeqq.*

11 Quarto dubitatur de variatione, & vacillatione in reſpondendo, an hoc indicium ſufficiens ſit, ad torturam? & ſermo eſt de variatione in delicto, vel circumſtantiis ipſum inferentibus.

Reſpondeo probabilius eſſe (etſi contrarium ſit ſatis probabile) ſolam variationem ſiue in tormentis, ſiue extrà non præbere indicium ſufficiens ad torturam, quia variatio, & mendacium in confeſſione, de ſe eſt ſignum remotum delicti, & non proximum, & concludens. At ad torturam requiritur indicium vehemens, vrgens, & luce clarius. Ergo. Neque obſtat teſtem varium ob variationem torquendum eſſe. *l. qui falſa, vel varia. ff. de teſtib. l. ex libero, ff. de quæſt.* quia torquetur eo quòd eius dictum non valet, niſi tormentis firmatum; non enim erat conueniens, vt aduersùs tertium valeret dictum teſtis mutabilis: at cùm cuiuſque dictum aduersùs ſe ipſum valeat *l. de ætate, §. 1. ff. de interrog. action.* non eſt opus tormentis ad dictum illius firmandum. Verùm ſi ipſamet variatio, & mendacium alio indicio adiuuetur, tunc erit ſufficiens ad torturam: ſic pluribus relatis comprobat Farinacius *q. 52. num. 22. iuncto num. 29.* Neque etiam obſtat reum confitentem crimen in tormentis, & ductum ad locum, quo ſe ratificare debet, ſi reuocat confeſſionem factam, torqueri iterum poſſe: vt tenet communis ſententia cum Marſil. *pract. crimin. §. quoniam, num. 3. verſ. & in hac quæſtione, & in l. repeti, num. 11. & ſeqq. ff. de quæſtionib.* quia aliàs nunquam reus confeſſionem factam ratificaret, ſciens ex non ratificata confeſſione damnari non poſſe; neque etiam ſubiici poſſe torturæ: & ſic delicta impunita remanerent. Non, inquam, obſtat, vt dicamus reum ex ſola variatione torturæ eſſe ſubiiciendum, quia in hoc caſu non tam ob variationem, quàm vt primo dicto valorem, & firmitatem tribuat, ſubiicitur: cùm enim dicta in tormentis non valeant, niſi ratificata, cogitur tormentis ratificari. Item non propter variationem, ſed propter nouum indicium ex confeſſione facta in tormentis ortum torquetur. Nunquam tamen tormentum vltra tertiam vicem repetendum eſt; imò neque vltra ſecundam, ex ſola non ratificatione; etiamſi in tormento poſitus iterum fateatur crimen, & poſtea neget; quia ſecunda confeſſio eadem eſt cum prima in tormentis facta, ac proinde non conſtituit nouum ad torturam indicium, vt bene conſiderabit alios referens, Farinacius *quæſt. 38. num. 99.* pluries enim reum tormentis ſubiicere, non humanum, ſed inhumanum, & crudeliſſimum eſt, & proprium carnificum.

12 Rursus dicendum eſt de perſonis, quæ torturæ ſubiici poſſunt. Variæ ſunt perſonæ à tortura exemptæ: tum ratione officij, & dignitatis, tum ratione ætatis, & corporis valetudinis. Regula ergo generalis eſt perſonas exemptas ratione officij, & dignitatis, quales ſunt clerici, religioſi, milites, decuriones, nobiles, ſi in crimen hæreſis delinquant, torqueri poſſunt: probat textus *in l. de minore, ff. de quæſtionib. & in l. ſi quis alicui, & in l. nullus, C. ad legem Iuliam maieſt.* textus *in l. etſi excepta, C. de maleſic. & mathemat.* ſic tradit Anton. Gomez *tom. 3. variarum, cap. 13. rubr. de tortura reorum, num. 3. ad finem.* Boſſius *in tit. de indic. & conſiderat. ante torturam, num. 115.* Simancas *catholic. inſtitut. tit. 65. rubr. de torment. num. 44. & ſeqq. & in enchirid. violatæ relig. tit. 51. num. 20.* Franciſc. Pegna *direct. 3. part. comment. 39. n. 156. verſ. ſcio quæſitum eſſe. & q. 61. comment. 110. verſ. his conſtitutis.* Farinacius *de indicijs, & tortura, quæſt. 41. n. 100. & de hæreſi, quæſt. 185. num. 125.* Decian. *tractat. crimin. lib. 5. cap. 20 num. 22. & cap. 33. num. 11.* Rojas *ſingul. 208.* & alij apud ipſos.

13 Aliquibus tamen videtur hos leuius, quàm alios torquendos eſſe. ſic docuit Martinus Delrio *diſquiſit. magic. lib. 5. in 2. append. quæſt. 23.* & loquens de clericis tradit Gigas *de crimine læſæ maieſtatis, lib. 2. quæſt. 28. n. 5.* Simancas *de hæreticis, tit. 65. num. 49.* Clarus *pract. §. fin. quæſt. 64. verſic. ſed an clerici, in fine.* Salzedo *pract. cap. 125. num. 6.* vbi alios adducit concordantes, *litt. D. pag. 423.* & videtur probari ex textu *in cap. illi qui, 5. quæſt. 5.* cùm enim ibi dicatur torturam clerico inferendam eſſe per religioſum tortorem, tacitè inſinuatur cum pietate, & religione, & non cum rigore, & crudelitate eſſe inferendam. Item quia dignitati aliquid deferendum eſt. Si enim ob atrocitatem criminis non eximantur ij à tortura; ſaltem conuenit, vt à rigore illius eximantur. Fateor piam eſſe, & fauorabilem hanc ſententiam; at parum in iure fundatam. Nam textus ſupradictus *in cap. illi qui,* ſolùm indicat clericum torquendum eſſe, religioſo, ſeu Eccleſiaſtico tortore, non laico, vti dixit gloſſa *ibi.* Gigas *num. 6. ſuprà.* Carrer. *pract. crimin. in 2. tract. de indic. & tortura, §. circa tertium quæ perſona,* &c. *num. 29.* Quod iam vſu, & conſuetudine eſt abrogatum, vt aliis relatis docet Clarus *pract. §. fin. quæſt. 64. verſic. ſed hîc quæro.* Sigiſmund. Scaccia *de iud. lib. 1. c. 10. num. 41.* Farinacius *de indicijs, & tortura, quæſt. 41. n. 15.* At nullo modo ex dicto textu, neque ex alio probatur clericos, nobiles, & quoſlibet alios ratione officij, & dignitatis à tortura exemptos mitiùs torquendos eſſe in hoc crimine: cùm enim hæ perſonæ, vtpote digniores, & de republica, ac Eccleſia amplius bene merita grauius delinquant, quàm cæteri, qui his obligationibus carent: tortura, quæ iuxta grauitatem criminis menſuranda eſt, grauior illis debetur. ſic Franc. Caſon *tractat. de torment. cap. 11. rubr. de non torquendo clerico, num. 5.* Foller. *pract. crimin. cap. 31. verſic. tormentis mox ſubijciatur, num. 7.* Farinacius *de indic. & tortura, quæſt. 41. num. 12. & 13.*

14 Difficultas autem eſt de perſonis exemptis ob periculum vitæ propriæ, vel alienæ, vt ſunt minores 14. annorum, & ſenes, & valetudinarij, & mulieres prægnantes. An, inquam, ij omnes in criminibus excepti, præcipuè in hoc crimine hæreſis, torqueri poſſint? Negat Anton. Gomez *tom. 3. cap. 13. num. 3. in fine, verſ. quod tamen intellige.* Et reddit rationem, quia exemptio harum perſonarum à tortura fit ob periculum vitæ propriæ, vel alienæ; quod periculum æquè in omni crimine procedit, & conſentire videtur Pegna *3. part. direct. comment. 110. circa medium, verſic. quod autem.* Nihilominus credo hos omnes torqueri poſſe (excepta muliere prægnante) ſi tortura ea cautela, & moderatione adhibeatur, vt ſecundùm Medicorum conſilium, nullum inde periculum mortis timeatur. ſic Simancas *de hæretic. tit. 65. num. 45.* Petr. à Placha *in epitome delict. lib. 1. c. 32. num. 12. in fine.* Carrer. *in pract. crimin. in 2. tract. de indic. & tortura, §. circa tertium quæ perſonæ torqueri poſſunt, n. 37. verſic. fallit in criminibus exceptis.* Pegna *3. part. direct. comment. 39. num. 156. verſic. ſcio quæſitum eſſe.* Farinacius *de indic. quæſt. 41. num. 103. & de hæreſi, quæſt. 185. num. 125.* Fundamentum deſumitur ex *l. de minore, ff. de quæſt.* vbi exempto minore 14. annorum à tortura, ſubdit Conſultus non procedere exemptionem in crimine læſæ maieſtatis: in quo omnes omnino ſi ad teſtimonium prouocentur, cùm res exegerit, torqueantur. Si igitur torqueri poſſunt pro teſtimonio dicendo in crimine excepto, à fortiori ob ſuſpicionem commiſſi criminis. Nec valet dicere, hos, inquam, torquendos eſſe tortura relata *in l. 1. §. impuberi, ff. ad Syllan.* vbi cauetur impuberes terreri poſſe, habena, vel ferula cædi; quia hæc terror, & cæſio etiam extra crimina excepta conceditur. Item quia textus *in l. de minore,* abſolutè dicit torquendos. Terror autem, & ferulæ cæſio non reputatur tortura, vt ex ſupradicta *l. 1.* manifeſtè colligitur. Inquit enim

enim textus. Impuberi autem vtrùm in supplicio parcimus, an verò etiam in quæstione? Et magis est vt de impubere nec quæstio habeatur; aliàs solet hoc in vsu obseruari, vt impuberes non torqueantur, terreri tamen solent, & habena, vel ferula cædi. Ecce qua ratione terror, & cæsio ferulæ tortura non reputatur. Dixi, *excepta muliere pregnante*, quæ propter partus periculum non solùm à tortura, sed etiam à terrore illius excusatur, eo quòd ex terrore abortus sequi potest, sicut ex ipsa tortura. Vnde prohibita tortura, & hic terror prohibetur; tum quia est eadem ratio; tum quia prohibito fine, prohiberi videntur media ad illum. *l. oratio. ff. de sponsalib. l. cùm lex. ff. de fideiussorib. l. cùm delictum, ff. de pactis.* & tradit expressè Anton. Gomez *tom. 3. var. cap. 13. de tortura reorum, num. 4. vers. & ita debet procedere.* Farinac. *quæst. 41. de indicijs, & tortura, num. 84. & 108.* Pegna *3. p. comm. 34. col. 4. vers. si quis autem.*

15 Restat quid faciendum sit de reo negante, vel confitente in tormentis. Et in primis aduerto confessionem factam in tormentis debere ratificari; aliàs ex illa condemnari non poterit: vt tradit ex omnium sententia Eymeric. *direct. 3. p. rubr. de tertio modo terminandi processum, num. 157. vers. si autem in quæstionibus.* Farinac. *de hæresi, quæst. 185. num. 150.* Vt autem ad ratificationem inducatur reus, cautè Inquisitor procedat, primò, interrogando eum in genere, an confessionem factam approbet, deinde eam in particulari proponat, & per extensum legat, & perquirat, an quæ lecta sunt, sint ea, quæ fassus sit.

16 Quo facto si reus in tormentis confessionem suo tempore, scilicet post 24. horas ratificauerit, & pœnitens absolutionem petierit, abiurare debet suos errores, & pœnitentia iniuncta ab excommunicatione incursa publicè absoluendus, nisi fuerit relapsus. quia tunc curiæ sæculari est tradendus: iuxta superiùs dicta. Si verò ratificans confessionem in suo errore persistere vult, neque ab illo recedere, variis modis conuincendus; præcipuè adducendi Doctores, qui cum illo disputent, eiúsque rationes dissoluant; ac tandem argumentis omnino vincant. Quòd si se victum non protestetur, sed pertinax perstiterit, curiæ sæculari puniendus tradetur.

17 Verùm si accedente tempore ratificationis reus confessionem factam reuocauerit, iterum torturæ subiiciendus est, non tantùm quia reuocauit, sed quia ex confessione priùs facta nouum indicium criminis commissi dedit. Nunquam tamen, vt iam dixi, vltra tertiam vicem subiiciendus torturæ est; præcipuè si prima vice tormentum sustinuit, quatenus indicia postulabant, vt multis allegatis aduertit Farinac. *quæst. 38. n. 97. & 105.* At si reus in tortura negauit, subiici iterum torturæ non potest, nisi fuerint noua indicia vrgentia, & à primis diuersa, iuxta textum *in l. vnius, §. 1. ff. de quæstionib.* ibi, *reus euidentioribus argumentis oppressus repeti in quæstionibus potest, vel nisi prius iuxta qualitatem indiciorum, & grauitatem delicti tortus non fuerit.* quia tunc non tam repetitur, quàm de nouo tortura continuatur; qualibet enim ex his causis existente torqueri potest. At illis cessantibus abstinendum est à tortura, vt aliis allegatis docent Menoch. *de arbitr. lib. 2. casu 272. num. 5. 6. & 7.* Farinac. *de indicijs, quæst. 38. à num. 72. præcipuè num. 83.* Cùm autem dico reum subiici iterum torturæ posse; debet intelligi, si valeat sustinere absque vitæ, vel membrorum periculo: sunt enim aliqui ita debiles, vt etiam si leuiter torti fuerint, nouam torturam absque periculo probabili sustinere non possunt, iis tamen danda non est, vt colligitur satis *in l. vnius, §. 1. ff. de quæstionib.* ibi, *maximè si in tormentis animus, corpúsque durauerit.* Semper enim præ oculis habenda sunt illa verba Iurisconsulti *in l. quæstionis modum, ff. de quæstionib.* Quæstionem habere oportet, vt seruus saluus sit, vel innocentiæ, vel supplicio: sic Pegna *3. p. comm. 39. num. 156. vers. vnum tamen,* pluribus relatis Farinac. *quæst. 38. num. 82.*

18 Sed quid si tortus in negatiua semper persistit, absoluendus ne est, an potiùs indicenda purgatio, vel abiuratio? Respondeo, si insufficienter tortus fuit ob debilitatem, vel aliam causam; & indicia sunt vrgentia, & vehementia, abiurare debet: at si sufficienter tortus fuit, credo liberum esse dimittendum, & sententiam absolutoriam, si petierit, esse concedendam. Prior pars probatur, quia aliqua via debent indicia illa purgari, & cùm tortura purgata non sint, iustum est, vt abiuratione purgentur. At quando tortura indiciis correspondet, plenè illa purgat: purgatis autem indiciis remanet reus absoluendus, ex vulgari axiomate, Actore non probante reus debet absolui. *l. actor. C. de probat. l. qui accusare, C. de edendo.* sic pluribus comprobat Simanc. *catholic. instit. tit. 56. rubr. de purgat. canonica. num. 17. & in enchirid. tit. 42. rubr. de torm. num. 40. & tit. 54. rubr. de purgat. n. 16.* Pegna *3. p. direct. comm. 39. num. 156. circa finem, versic. etsi omnino requiratur. & 2. p. comm. 14. ad cap. inter sollicitudines, de purgat. canon. versic. atque ex hac interpretatione.* Farinac. *quæst. 185. num. 128.* Rojas *tract. de hæretic. 2. p. num. 306.*

19 Tandem inquires, an reo conuicto, & confesso pro habendis complicibus tortura inferri possit? Respondeo posse, si semiplenè probatum fuerit complices habuisse, quia non reuelare complices (quando tenetur, & de illis rogatur) est delictum fautoriæ. Ergo super hoc delicto semiplenè probato torqueri potest. At si nulla probatio sociorum præcessit, non video qua ratione subiici torturæ possit ob illos reuelandos; cùm non detur præsumptio, quòd delictum committat: sic Simanc. *catholic. instit. tit. 43. num. 27. & seq. & tit. 65. num. 59. & 60. & in enchirid. tit. 29. num. 12. & tit. 52. num. 30. & 31.* Didac. Cantera *quæst. crim. rubr. de hæretic. cap. 1. num. 57.* Farinac. aliis relatis *de hæresi, quæst. 185. num. 133.*

20 Pro complemento huius materiæ placet aduertere cum Repert. inquisit. *verbo aduocatus. §. sed an aduocatus, & verbo tortura. §. an aduocatus.* Pegna *direct. 3. p. comm. 110. in fine. versic. postremò videndum.* Quoties disputatur, an reus subiiciendus sit torturæ, debere eius Aduocatum assistere, vt reum possit à tortura defendere, si viderit indicia insufficientia esse: cùm enim tortura graue præiudicium reo afferat, contra rationem, & æquitatem esset, si indefensus illam cogeretur subire.

Pvnctvm X.

De probatione requisita in crimine hæresis.

1 *Ad condemnandum reum, vt hæreticum, hæresis debet sufficienter probari, ad illum vt suspectum, sufficiunt præsumptiones iuris.*

2 *Scriptura, verbis, & factis hæresis probatur, & qualia hæc sint.*

3 *Aduersus huiusmodi facta, vel dicta non admittitur in contrarium probatio, nisi ad summum coniecturalis ex metu.*

4 *Confitens facta hæreticalia, & negans intentionem condemnandus est vt vehementer de hæresi suspectus, si comparet ante denuntiationem.*

5 *Si citatus compares, & negas intentionem, torquendus es, & in negatiua persistens, tanquam suspectus de hæresi vehementer condemnandus iuxta plurium sententiam.*

6 *Probabilius censeo tanquam hæreticum negatiuum esse puniendum.*

7 *Duæ probationes semiplenæ non iunguntur ad vnam integram efficiendam, tametsi aliqui contrarium sentiant.*

8 Certa

8 *Contra accusatorem, & fiscum in fauorem rei sufficit semiplena probatio, vt in pœnam ordinariam condemnari non possit.*

1 Dubitant Doctores, an hæresis crimen debeat plenè, & concludenter probari, an solùm sufficiant præsumptiones? Cui dubitationi communis responsio est, ad condemnandum hæreticum tanquam hæreticum plenam, & concludentem probationem requiri; ad illum verò condemnandum vt suspectum, præsumptiones iuris sufficere. Priorem partem docent post alios, quos allegant Simancas *cathol. institut. tit.* 50. *rubr. de præsumpt. n.* 21. *& seqq. & in enchir. viol. relig. tit.* 40. *ead. rubr. de præsumpt. n.* 1. Rojas *tract. de hæret.* 2. *p. assert.* 6. *n.* 150. Decian. *tract. crimin. lib.* 5. *cap.* 35. *num.* 20. *vers. imò quòd non sufficiant.* Farinacius *q.* 187. *n.* 2. 5. *&* 38. & videtur decidi expresse *in cap. litteras, de præsumpt.* ibi, *Quocirca mandamus, quatenus cum propter solam suspicionem quamuis vehementem, nolumus illum de tam graui crimine condemnari.* Ratio est, quia hoc delictum grauissimum est, & grauissimis pœnis punitur. Iustum ergo est, ne aliquis ex sola præsumptione illius, illud commisisse declaretur. Adde, in reliquis delictis probationes luce meridiana clariores expostulantur, vt tenent omnes, & est decisio textus *in l. sciant cuncti, quæ est fin. C. de probat.* & habetur *cap. sciant cuncti,* 2. *quæst. vlt.* Ergo à fortiori in hoc delicto reliquorum grauissimo. Secundam partem, scilicet præsumptiones iuris sufficere ad condemnandum reum tanquam suspectum, videtur res indubitata, cùm præsumptiones illum suspectum reddant: nulla ergo iniuria illi irrogatur, si sic suspectus declaretur, & vt talis puniatur abiuratione, & pœna extraordinaria; iuxta textum *in cap. accusatus, in princip. de hæreticis, in* 6. in illis verbis, *licèt ante abiurationem suam hæresis crimen plenè probatum non fuerit contra ipsum.* sic Albert. *tractat. de agnoscend. assert. cathol. & hæret. quæst.* 34. *num.* 56. Menochius *consil.* 82. *num.* 144. *lib.* 1. Pegna *direct.* 2. *part. comment.* 80. *versic. sed hanc sententiam.* Simancas *catholic. institut. tit.* 50. *rubr. de præsumpt. n.* 21. *& tit.* 51. *n.* 12. Rojas *de hæret.* 2. *p. n.* 304. *& seq.* Farinacius *de hæresi, quæst.* 187. *num.* 9. 40. *&* 42.

2 Sed inquires primò, quibus modis hæresis crimen probetur?

Respondeo tripliciter, scriptura, verbis, & factis, quia omnibus iis modis, & non aliis hoc crimen committi potest. Et primò scriptura probatur esse commissum, si probas alicuius scripturam hæresim continentem propria manu scriptam, vel subscriptam esse, seriò & accuratè, vel testibus comprobes ab ipso sic fuisse dictatam. Secus verò si scripta sit in chartulis, seu memorialibus indigestis, & inemendatis, & quibus non est vltima manus imposita; quia tunc non ex animo errandi, sed ex ignorantia processisse censendum e[illegible]è ex Nauarr. *lib.* 5. *consil. cons.* 6. *n.* 1. *& seqq. de hæret.* [illegible]at Farinacius *q.* 187. *num.* 11. Secundò probari potest verbis, si probes verba hæresim clarè significantia affectiuè, & ex animo esse ab aliquo prolata. Dixi, clarè significantia: nam si dubia sint, interpretari debent, vt potius excludant delictum, quàm illud constituant: vt optimè probat Rojas *de hæretic.* 1. *part. num.* 200. *& seqq.* Pegna *direct.* 3. *p. quæst.* 62. *comment.* 111. *versic. sed cùm in dictis.* quod intelligendum est, vt ipsi Doctores notant, quando proferens non esset aliàs suspectus, vel generis, aut nationis infectæ, & consentit Farinacius *quæst.* 187. *num.* 14. Tertiò probari potest factis, si probes aliquem ea facta fecisse, quæ errorem exprimant manifestè, neque in bonam partem, & sensum accipi possint; qualia sunt, se circumcidere, purificationes Iudæorum facere, cōmunionem ab hæreticis more suo recipere, consolationem in extremis postulare, genua dæmonibus flectere, & Mahometo reuerentiam exhibere: cùm enim hæresis in animo consistat, & animus factis potius, quàm verbis declaretur, ex *cap. dilecti, de appellationibus,* fit sanè factis hæreticum probari. sic Simancas *cathol. instit. tit.* 20. *rubr. de hæresi, n.* 15. *in fine.* Eymer. *direct.* 2. *part. q.* 34. *n.* 1. *& q.* 50. *num.* 3. & ibidem vtroque loco Pegna, Param. *de orig. inquisit. lib.* 3. *q.* 9. *n.* 117. Farinacius *q.* 187. *num.* 16. & alij innumeri apud ipsos. Quibus autem testibus hæc verba, vel facta probari debeant, vt tanquam hæreticus condemnari possit, dicemus disput. sequent. punct. de testibus.

3 Secundò inquires, an aduersùs hæc facta, vel verba admitti possit probatio in contrarium: quæ nulla alia esse potest, nisi probando te non ex animo, & voluntate assentiendi talibus erroribus, sed ex ignorantia, & simplicitate ob amorem lucri, aut mali timorem, vel alio humano respectu te illa exteriùs simulasse? Et in primis certum est hoc difficillimè probari posse, cùm intentio soli Deo nota sit. Quapropter censeo solùm te id probare coniecturaliter posse, si probes, te illa ex timore præstitisse, & illo remoto statim ab illa iniquitate cessasse, & quàm primùm potuisti, pœnitentiam pro illius remissione ab Inquisitoribus postulasse. Extra hunc verò casum aduersùs hanc vehementem, seu violentam præsumptionem, nescio qua ratione possis probationes verosimiles adhibere, vt rectè dixit Rojas *tract. de hæret.* 1. *p. n.* 326. Nam ignorantia in iis rebus ita manifestis contra fidem rarò præsumitur.

4 Hinc infertur decisio illius grauissimæ quæstionis, an confitens facta, vel verba hæreticalia, & intentionem negans, tanquam negatiuus hæreticus condemnandus sit, ac proinde curiæ sæculari relaxandus? In qua quæstione omissis variis Doctorum placitis dicendum censeo, si sponte, antequam denuntiatus sis, compareas, condemnandum esse non vt hæreticum, sed vt hæresis suspectum vehementer; & sic in pœnam extraordinariam, scilicet abiurationis de vehementi, & aliam pecuniariam: qui enim sic se manifestat, præsumi debet veritatem integrè manifestare, siquidem nullam vtilitatem ex illa dimidiata confessione consequi poterat. sic practicari vidi Compostellæ anno 1619. circa quendam, qui hæreticales Iudæorum ritus fecit, illósque Inquisitoribus manifestauit, negata intentione credulitatis, abiurasse de vehementi, & trecentos ducatos soluisse fisco Regis, & sumptibus Officij sancti, & insuper à sua villa duobus annis fuit exilio mulctatus. Credo tamen hunc metu superuenturæ testificationis se detulisse, & ita effectus probauit: postea enim testificatus fuit non solùm de factis, sed de intentione sæpiùs declarata: ob quam testificationem iterum fuit in secretum carcerem reclusus, & in negatiua perseuerans, tortus est, & tandem confessus, & pœnitentiam expostulans publicè errores abiurauit, & bonis omnibus publicatis perpetuo carceri fuit addictus.

5 Quòd si iam citatus venias, & hæreticales ritus fecisse fatearis, neges tamen fecisse ex intentione, & animo sic credendi, nullam rationabilem causam adducens huius negatæ intentionis, affirmant Pegna 2. *part. direct. comm.* 59. *in medio, vers. quòd si non compareant spontè.* & Simancas *catholic. instit. cap.* 65. *num.* 52. torquendum esse, etsi in negatiua perseueres, condemnandum vt hæresis suspectum; quia cùm de mala intentione requisita omnino ad hæresim non videaris conuictus, neque confessus, non est cur dicamus vt hæreticum esse puniendum.

6 Nihilominus probabilius existimo te sic negantem intentionem, & ritus hæreticales fatentem, tanquam hæreticum negatiuum esse puniendum. Moueor, quia satis conuinceris de mala intentione, conuictus de hæreticali facto spontaneo; factum enim malum, & damnosum ex mala intentione factum esse supponitur. *cap.* 1. *de præsumpt.* Ergo dum non probas contrarium,

huic claræ, & manifestæ probationi standum est. Item si ex negata intentione cessaret probatio hæresis ex verbis, vel factis hæreticalibus, aperta esset via omnibus hæreticis vitandi condemnationem; cùm omnes se excusare possent absque mala intentione verba illa protulisse, & facta præstitisse. Hoc autem videtur absurdum. Ergo non est dicendum hanc fallaciam tibi patrocinari posse. Denique Pegna, & Simancas admittunt te condemnari debere in abiuratione de vehementi, & in alia extraordinaria pœna, exilij, pecuniæ, fustigationis, vel triremis, si post torturam in negatiua perseueras. Et reddunt rationem, quia per torturam non sufficienter purgatur suspicio ita vehemens prauæ intentionis, quæ ex factis hæreticalibus prouenit. Ergo signum est te torquendum non fore, sed tanquam hæreticum condemnandum; tortura enim ad purganda indicia assumitur. Si ergo per nullam torturam hæc indicia purgari possunt, quia sunt ita vrgentia, adhibenda non est, sed statim ad condemnationem procedendum. Neque obstat ex præsumptionibus neminem saltem in pœna corporali, & ordinaria condemnari debere: vt multis relatis probat Farinacius *tota quæst. 86. præcipuè num.* 110. Non, inquam, obstat, quia facta, & verba hæreticalia dici non debent præsumptiones delicti, sed legitimæ illius probationes. Adde duplicem esse præsumptionem, aliam iuris, & de iure, seu ab ipso iure approbatam: & licèt aduersùs iuris præsumptionem probatio in contrarium admittatur: at aduersùs præsumptionem iuris, & de iure nulla probatio in contrarium admittitur: vt multis relatis probat Anton. Gomez 3. *var. cap.* 12. *rubr. de probatione delicti, num.* 25. vnde *in num.* 26. §. *aduertendum*, concludit habentem contra se præsumptionem iuris, & de iure torquendum non esse, sed pœna ordinaria plectendum. Secus de illo, qui solùm præsumptiones iuris, seu hominis habet. At in præsenti casu ius ipsum reputat hæreticum esse, qui verba, & facta hæreticalia præstat; iuxta illum textum *in cap. hæreticus*, 24. *quæst.* 3. ibi, hæreticus est, qui alicuius temporalis commodi, & maximè gloriæ, principatúsque sui gratia, falsas, vel nouas opiniones, vel gignit, vel sequitur. & idem habetur *cap. inter hæresim, in princ. eadem causa, & quæst.* Et ratio est clara, cùm nulla alia via distingui Catholici ab hæreticis possint, intentio enim soli Deo nota est. Ergo qui contra se hanc præsumptionem à iure approbatam habet, non erit torquendus, sed curiæ sæculari, vt impœnitens negatiuus relinquendus. sic Arnold. Albertin. *tractat. de agnoscend. assert. cathol. quæst.* 8. *num.* 12. *& quæst.* 32. *num.* 17. *quæst.* 34. *num.* 53. Rojas *tractat. de hæreticis*, 1. *part. num.* 276. *& seq. & num* 583. *& seq.* Graffis *lib.* 4. *suarum decis. cap.* 18. *num.* 28. Simancas *in enchirid. titul.* 29. *rubric. de confessis, num.* 8. Repert. *verbo confessio, versic. nota singulare.*

7 Tertiò inquires, an duæ semiplenæ probationes iungantur ad vnam integram in hoc crimine efficiendam, reúmque pœna ordinaria condemnandum? Dixi, *ordinaria.* Nam extraordinaria certum est condemnari posse: non solùm ex duplici semiplena probatione, sed etiam ex præsumptionibus, & dubitatis indiciis, ex *cap. accedens, de accusat. cap. significasti, de adulterijs, cap. afferte, de præsumptionib. cap. de hoc, de simonia.* Affirmant ergo plures, quando vtraque probatio ad eundem finem tendit, quod in præsenti materia semper verum habet, cùm omnes actus hæreticales conueniant in remouendo delinquentem à gremio, & vnitate Ecclesiæ. Repert. Inquisit. *verbo probationes, vers. sed quæritur ibi.* Quintil. Mandos. *in addit. litt. F.* At longè probabilius existimo nequaquam coniungi duas imperfectas probationes ad plenam probationem efficiendam; quia cùm quælibet in suo ordine diuersa sit, non apparet quomodo cum alia coniungi possit; & ita pluribus relatis tenet Anton. Gomez *tom.* 3. *var. cap.* 12. *n.* 25. cum glossa *in cap. veniens, el* 1. *de testibus.* Farinacius *de reo confesso, & conuicto, q.* 86. *n.* 22. *& q.* 187. *n.* 7. & dicemus latiùs, cùm de testibus fuerit sermo.

8 Quartò inquires, an in fauorem rei, & contra accusatorem, & fiscum, sit sufficiens probatio, quæ ex præsumptione, aliísve indiciis, & semiplena probatione oritur?

Respondeo sufficere, vt in pœnam ordinariam condemnari non possit, quantumuis accusator, & fiscus haberent probatam suam intentionem; quia negari non potest ex supradicta probatione defensiua probationem fisci obnubilari, ac proinde non esse luce meridiana clariorem, & consequenter neque sufficientem ad delinquentis condemnationem: sic docuit Bart. *in l. non solùm, §. sed vt probari, num.* 2. *& seq. ff. de noui operis nuntiat.* quem sequuti sunt ferè omnes scribentes *in cap. in præsentia, de probat.* Abbas *num.* 6. Felin. *n.* 13. Beroius *n.* 31. Decius *n.* 252. Parisius *n.* 31. & pluribus aliis comprobat Menochius *de præsumpt. lib.* 5. *præsumpt.* 48. *num.* 8. Farinacius *quæst.* 86. *num.* 76.

PVNCTVM XI.

De sententia ferenda in crimine hæresis.

1 *Duplex est sententia condemnatoria, & absolutoria.*
2 *Vtraque sententia ex consilio peritorum pronuntiari debet, & qui hi sint.*
3 *Debet ijs integrè processus manifestari tacitis nominibus testium, tametsi qualitates illius omnino debeant illis declarari.*
4 *Si Inquisitores ad sententiam procedunt, nullo peritorum consilio requisito, probabilius est nullam esse sententiam.*
5 *Horum tamen consilium sequi non obligantur Inquisitores; esto contrà plures teneant.*
6 *Absolutoria, & condemnatoria sententia in scriptis debet proferri.*
7 *Prolatio sententiæ non est necessariò facienda ab ipsomet Inquisitore, sufficit si per Notarium fiat.*
8 *In absolutoria sententia non sunt proferendi specialiter errores, de quibus reus fuit accusatus.*
9 *Non debet reus in hac absolutoria sententia innocens proferri, sed ab instantia iudicij absolui. Excipe casu quo manifestè fuit probatum testes, & accusatores falsum dixisse.*
10 *Reo absoluto, si nouæ probationes superueniant, poterit iterum examinari, & iudicari.*
11 *Condemnatus pœna arbitraria, eo quòd delictum plenè probatum non sit, si superueniant legitimæ probationes, & pœna arbitraria non sit executioni mandata, poterit reus in pœnam ordinariam puniri. Secus si mandata sit executioni.*
12 *Plures censent nullam esse sententiam condemnatoriam hæretici impœnitentis, nisi fiat in præsentia iudicis sæcularis.*
13 *Probabilius est valere.*
14 *Pro stylo seruando in sententijs videndi sunt Doctores.*

1 DVplex est sententia, alia quæ absoluit reum, alia quæ illum condemnat. De vtraque est dicendum, qua ratione fieri debeat. Sed priùs, quæ vtrique sententiæ communia sunt, explicemus.

2 Commune est tam absolutoriæ, quàm condemnatoriæ sententiæ, vt ex consilio peritorum pronuntietur: vt bene notauit Pegna 3. *part. direct. comm.* 126. *fin, versic. periti verò.* Cùm enim res, quæ tractatur, grauis sit, expedit maximè vt plurium ad illam definiendam

coni

consilium expostuletur; quia ibi salus, vbi multa consilia: & deciditur *in cap. vt commissi, de hæreticis, in 6.* ibi, *aduocarúdi quoque, prout expedierit, peritos quoslibet, vt vobis assistant, & in huiusmodi sententijs præbeant consilium opportunum, ac eis quod super his vobis humiliter pareant, in virtute obedientiæ iniungenda.* Idem habetur *cap. statuta, §. iubemus, de hæreticis, in 6.* ibi, *de ipsorum consilio ad sententiam, vel condemnationem procedi volumus*, & notant omnes Doctores in sequent. referendi. Hi autem periti, qui possunt esse tum Theologi, tum Canonistæ, & Legistæ, præstare consilium tenentur Inquisitoris mandato, etiamsi eis nullum sit salarium assignatum, nullave pecunia detur: quia *in supradicto cap. vt commissi*, absolutè dicitur posse Inquisitores in virtute obedientiæ iniungere Aduocatis, vt consilium præbeant nulla solutionis mentione facta. Item quia fidei negotium omnes defendere, & procurare tenentur independenter à solutione. Verum est tamé, si sponte offeratur salarium, vel pretium, posse illud recipi pro labore impenso; quia in hoc nulla apparet indecentia. sic Zanch. *tract. de hæret. cap. 15. n. 3.* Decian. *tractat. crim. lib. 5. cap. 24. n. 10.* Farinac. *q. 185. n. 190.* Simancas *cathol. institut. tit. 41. rubr. de ministris, n. 13.*

3 Debet tamen iis ministris totus processus legi, & manifestari; aliàs consilium præbere non poterunt, iuxta merita causæ: quod expresè deciditur *supradict. cap. fin. § iubemus, de hæreticis, in 6.* ibi, siue Episcopus, siue Inquisitores processerint, aliquibus aliis personis prouidis, & honestis, iurísque peritis (quas ad hoc vocari, & eis per totum *processum, super quo deliberandum est, seriosè manifestari, ac integraliter explicari*, & de ipsorum consilio ad sententiam, vel condemnationem procedi volumus) exprimantur, &c. sic docet Eymer. *director. 3. part. quæst. 79.* & ibi Pegna *comment. 128.* Paramus *de orig. sanctæ Inquisitionis, lib. 3. quæst. 4. rubr. de forma, & ordine iudic. sancti Officij, n. 56.* Neque inde fit nomina testium, & delatorum peritis manifestanda esse. Tum quia sæpe integra notitia processus dari potest absque hac manifestatione. tum & præcipuè, quia ita consuetudine receptum est. esto *in cap. statuta*, exprimi nomina peritis, & non reis præcipi videatur. sic docuit Pegna aduersùs Eymer. *3. p. direct. q. 80. comm. 129.* Farinacius *quæst. 185. num. 196.* Qualitates autem testium omnino debent peritis manifestari, videlicet, an sint graues, docti, probatæ vitæ; vel econtra, an sint plebei, infames, socij criminum, inimici, &c. Hoc enim necessarium est, vt sciant, quantum singulis detrahendum sit, quantúmve deferendum, & ex hac cognitione inferant causam ritè esse probatam. sic Pegna, & Farinac. *supra.* Qui optimè addunt causa legitima intercedente posse, & debere Inquisitorem, reorum, testium, delatorúmque nomina peritis, aliisve viris probis manifestare: nempe cùm dubium est de inimicitia inter eos, & periti satis supradictas personas cognoscunt; quia tunc illa manifestatio ad decidendam causam omnino videtur necessaria, vel saltem summè conueniens. Debet tamen Inquisitor iis peritis sub iuramento, imò sub pœna excommunicationis, si opus sit, secretum indicere, iuxta textum *in cap. statuta, de hæret. in 6.*

4 Quòd si Inquisitores ad sententiam procedant, nullo peritorum consilio requisito; credo probabilius nullam fore sententiam, quia *in cap. vt commissi*, & specialiter *in cap. statuta*, Inquisitoribus præcipitur hos peritos aduocare, & ex eorum consilio ad sententiam, vel condemnationem procedere. quod mandatum videtur inducere formam; cuius omissio annullat actum, iuxta ea quæ dixi *tract. de legibus.* Neque obstat, quòd *in cap. vt commissi*, Inquisitoribus detur facultas vocandi peritos (prout expedierit.) quasi tacitè insinuans non esse vocandos, si iudicatum fuerit non expedire. Non, inquam, obstat; quia verbum illud, *prout expedierit*, non refertur ad solam definitiuam sententiam pronuntiandam: quasi tunc liberum Inquisitoribus sit iudicare, an expediat peritos vocare. Hoc enim eorum iudicio, & voluntati non videtur remissum; cùm expresè ad hanc sententiam pronuntiandam dicat Pontifex, *Iubemus peritos adduci, & ex eorum consilio se velle, vt ad sententiam, vel condemnationem procedatur*; sed referuntur ad totam causam, in qua quoties Inquisitoribus expedire visum fuerit vocare peritos, facultas eis conceditur vocandi.

5 Grauior tamen est dubitatio, an peritorum consilium sequi Inquisitores teneantur? Affirmatiuè respondet Albert. *tract. de agnoscend. assert. cathol. quæst. 26. n. 11. & seqq. & in cap. quoniam, de hæreticis, lib. 6. quæst. 10.* Decian. *tractat. crimin. lib. 5. cap. 24. num. 10.* Farinacius *quæst. 185. n. 192.* Ratio desumitur ex supradictis verbis textus *in cap. statuta*, vbi dicitur: *Et ex ipsorum consilio ad sententiam, vel condemnationem procedi volumus.* quæ verba indicare videntur obligationem sequendi peritorum consilium. Si enim à peritorum consilio recedere fas esset Inquisitoribus, eorum sententia non diceretur ex consilio peritorum procedere, sed potiùs contra illorum consilium. Cæterùm dicendum est obligatos non esse Inquisitores peritorum consilio acquiescere; sed posse, si sibi æquius, & verius visum fuerit, pronuntiare contrarium. sic Simancas *catholic. institut. tit. 41. rubr. de ministris, num. 14.* Rojas *tractat. de hæreticis, 1. p. n. 409. iuncto num. 412. & singul. 99. num. 2.* Pegna *direct. 3. part. comment. 127. per totum.* Lœlius Zechius *summ. 1. p. tit. de fide, rubr. de hæresi, cap. 11. n. 14. vers. & sententia de eorum consilio.* Bursatus *consil. 90. n. 36. & seqq.* Locatus *in opere iudic. verbo consilium, num. 5.* Campegius apud Zanch. *cap. 15.* quæ sententia decisa est in Hispania per Madrilianam instructionem editam anno 1561. cap. 66. dicentem in omnibus casibus, in quibus contigerit discordia sententiarum, seu opinionum, inter Inquisitores, & ordinarium, vel aliquem ipsorum, vel in definitione causæ, aut in quolibet alio actu, vel sententia interlocutoria causa ad Senatum mitti debet. Sed si Inquisitores, & ordinarius fuerint conformes, quamuis consultores discrepent, & sint numero plures, decretum Inquisitorum, & ordinarij executioni mandetur. Fundamentum est, quia *in supradicto cap. statuta*, solùm mandatur sententiam ex consilio peritorum procedi. quod intelligi satis potest ex consilio requisito, etiamsi non obtemperato: quæ explicatio vt benignior, & dignitati Inquisitorum conuenientior amplectenda est. Item si periti vocati inter se dissentiant, quorum tunc consilium sequendum est? Si dicas maioris partis. Rogo, vnde constat talis obligatio? cùm ergo nullibi inueniatur, nullo modo asserenda est. Adde si obligatio esset Inquisitoribus sequendi peritorum consilium, periti potius essent iudices, quàm Inquisitores; cùm iuxta eorum consilium necessariò sententia proferenda esset, ipsísque Inquisitoribus solùm executio videretur concessa. Verùm etsi de necessitate sequendum non sit peritorum consilium, quia illorum consilium est. Ex decentia tamen, & prudentia sequi conuenit: vt rectè dixit Ancharan. *cap. si ad Episcopum, notab. 8. versic. circa secundum, in fine, ne sede vacante, lib. 6.* Imò quoties Inquisitori, & ordinario manifesta ratio in contrarium non vrget, tutius, & verius est consilio peritorum acquiescere debere Inquisitores; præcipuè si omnes periti in consilio præstando conueniant: non quia eorum consilium, & suffragium decisiuum sit (non enim est nisi consultiuum,) sed quia præsumitur veritati esse conforme.

6 Secundum commune est tam absolutoriæ, quàm condemnatoriæ sententiæ, vt in scriptis proferatur: vt sic de eius iustitia constet, neque occultari possit, & aliter prolata sententia nullius erit effectus, vt manifestè

conſtat ex *Clement.ſæpe,de verborum ſignificat.* ibi, *Sententiam definitiuam, citatis ad id licèt non peremptoriè partibus in ſcriptis, & prout magis ſibi placuerit, ſtans,vel ſedens proferat.* & notat ibi gloſſa *verbo in ſcriptis.* Pegna *director. 3.part. comment. 40. num.165. verſic. præterea in ſcriptis.* Farinacius *quæſt.185. num.166.* Boërius *deciſ.259.n.10.* Decian.*tractat.crimin. lib.5. cap.38. num.20.* contra Brunum *tract.de hæreticis,lib.4.cap.10.* Item ex conuenientia,etſi non ex neceſſitate proferenda eſt de die,& non de nocte;non enim vllo textu cauetur neceſſariò diurno tempore ſententiam eſſe proferendam. ſic relatis Abbate, & Felino *in cap.conſuluit, de officio delegati*, tradit Pegna *ſuprà, verſic. iam ſententia reorum.* Farinacius *num.165.*

7 Tertiò,prolatio huius ſententiæ,illiúſque recitatio non eſt neceſſariò facienda ab ipſomet Inquiſitore, ſed per Notarium, aut alium fieri poteſt,& de conſuetudine fit : cùm enim huiuſmodi ſententiæ in Eccleſia, vel publico cadahalſo publicari ſoleant,vbi innumerus populus concurrit, aſſumitur Notarius claram, & ſonoram vocem habens ad illarum publicationem : idque conforme eſt textui *in cap.vt commiſſi, de hæret.in 6.* Vbi Inquiſitoribus conceditur facultas committendi citationes,& denuntiationes ſententiarum:& licèt nomine denuntiationum intimatio, ſeu notificatio ſententiæ reo facta intelligatur, non tamen illius publicatio ; vt pluribus comprobat Decian. *tractat.crimin.lib.5.cap.38. n.16.* Attamen cùm ſimul intimetur reo, & publicetur ſententia : cùm enim publicè legitur, fit ſanè per alios ab Inquiſitoribus id fieri poſſe. Et ita deciſum eſt ab Vrbano IV.conſtitutione edita anno 1261. incipiente, *Licèt ex omnibus,verſic.vt ergo*, quam refert Pegna *in fine direct.inter litteras Apoſtolicas*,& tradit alios referens Pegna *3.part.direct. comment.40. circa finem, verſ. & quamquam.* Farinacius *q.185. num.171.* Rojas *ſingul.94. n.1. & ſeqq.* Simancas *cathol. inſtitut. tit.60. rubr.de ſententijs, num.1.*Conrad Brunus *tract.de hæret.lib.4.cap.10.* Iis poſitis, quæ communia ſunt abſolutoriæ, & condemnatoriæ ſententiæ, ſi de qualibet in particulari loquamur,

8 Dicendum eſt primò, ſi proferenda eſt abſolutoria ſententia, eo quòd nihil aduersùs delatum probatum fuerit,errores,de quibus fuit accuſatus,non eſſe ſpecialiter,& in particulari exprimendos. Nullius enim vtilitatis eſt eorum expreſſio, ſed potiùs videtur damnum abſoluendo afferre : vtpote quæ audientibus poteſt ſuſpicionem generare. ſic ex quadam Madriliana inſtructione edita anno 1561. cap.62. docuit Pegna *3.p. direct.comm.37.verſ.attendentes.*Farinac.*q.185.n.175.*

9 Secundò dicendum eſt in hac ſententia abſolutoria non debere reum vt innocentem, & à culpa immunem proferri,ſed ſolùm ab inſtantia iudicij abſolui,eo quòd nihil aduersùs illum probatum fuerit;quia contingere poteſt,vt quod modò probatum non eſt, poſtea probetur ; & reum modò abſolutum poſtea condemnare. At non eſt decens diuerſas ſententias in eodem iudicio pronuntiare. Ergo vt hæc diuerſitas vitetur, quoad fieri poſſit,expedit delatum non abſolutè abſoluere;neque vt innocentem declarare, ſed ſolùm abſoluere ab inſtantia iudicij, & declarare nihil aduersùs illum eſſe probatum. quæ abſolutio, & declaratio contraria non eſt condemnationi poſtea ex nouis probationibus ſuccedenti : ſic alios referens docuit Pegna *3.part.director. comm.37.verſ.caueatur*, cum Eymer. *3.part. rubr.de forma abſoluendi delatum,num.143. & in addit.ad Conrad. Brun. tractat. de hæret. lib.4. cap.8. in fine addit. verſic.cùm verò.* Farinacius *q.185. num.172.* Sigiſmund.Scaccia *tract. de iud.cap.59.n.1.* Solùm in vno caſu cenſeo admittendum delatum declarari poſſe innocentem, & vt talem à iudicio abſolui, nempe cùm manifeſtè probatum fuerit delatorem, & teſtes falſum dixiſſe, quia tunc nullum videtur adeſſe probabile periculum retractandi ſententiam abſolutoriam, cùm de iniquitate teſtium, & delatorum conſtet,& de innocentia delati. ſic Pegna *3. part.comment.37.in fine, verſ.quod verò.* Farinacius *n.173.* Martin.Delrio Ieſuita *diſquiſit.magic.lib.5.ſect.14.ad fin. verſ.& ſic intellige.* Dixi cùm manifeſtè probatum fuerit teſtes, & delatorem falſum dixiſſe, cuius probatio ſi oriatur ex eo quòd dicta ſua retractent, maxima circumſpectione opus eſt,ne fortè corrupti pretio faciant. ſic aduertit Pegna *ſuprà.*

10 Tertiò dicendum eſt,ſi reo abſoluto, & tanquam innocenti declarato ſuperueniant nouæ delicti probationes, poterit non obſtante priori ſententia abſolutoria denuò inquiri, examinari, & condemnari ; quia fauore fidei nunquam tranſit in hoc crimine ſententia in iudicatum, quod Pius V. ſua conſtitutione edita anno 1567.incipiente,*Inter multiplices curas*,definiuit.ſic alios referens docuit Pegna *3. part. direct. rubr. de primo modo finiendi proceſſum, comment.37. verſ. ſed quid ſi abſoluatur.* Simancas *de catholic.inſtit. tit.60.n.13.* Farinacius *q.185. n.197.* Sigiſmund. Scaccia *tract.de iudic.cap.95.* Ex his infertur probationes ſuperuenientes coniungi poſſe cum præcedentibus inſufficientibus, & ob quarum inſufficientiam abſolutus fuit reus ab inſtantia iudicij. Nam licèt citatio, & litis conteſtatio tunc facta periit, eo quòd perempta inſtantia, pereant acta ordinaria, quæ inſtantiam illam ſequuntur. *l. properandum, §.vſi quidem, de iudic. l.cùm lite mortua,ff. iudicatum ſolui.* attamen non pereunt, quæ litis deciſionem ſpectant, vt ſunt confeſſiones,probationes, declarationes teſtium, & ſimilia,ex *ſupradict.l.properandum, §.vltim.de iudicijs, & l. iubemus, C. de liberali cauſa.* & tradit optimè Alexand.*conſil.58.incipiente, Viſa petitione,lib.1.* Pegna *director.3.part.quæſt.62.comment.92.poſt medium,verſic.quod ſi fortaſſis.* Farinacius *q.185.n.200.* Simancas *cathol.inſtit. tit.18.rubr.de defuncto,n.20.*

Verùm loquendo de ſententia condemnatoria, declarata hæreſi delinquentis, ſimul etiam declarantur omnes pœnæ ipſo iure annexæ tali delicto, nec opus eſt illas exprimere. Secus verò de pœnis inferendis, quæ ſpecialem requirunt expreſſionem, & condemnationem. ſic Decian.*tractat. crimin. lib.5. cap.38.num.15. verſic.& ideo quoad pœnas impoſitas.* Gundiſaluus *tract. de hæreticis,q.15.num.1.fine.* Farinacius *quæſt.185.num.164. & 168.* Vmbert. Locat. *in iudic.inquiſit. verbo ſententia, num.20.*

11 Dubium tamen eſt, an condemnatus pœna arbitraria, eo quòd legitimæ criminis probationes non extiterint, poſſit iterum pœna ordinaria puniri, ſuperueniente poſtea legitima criminis probatione. In qua re omiſſis variis ſententiis diſtinguendum cenſeo : aut pœna arbitraria eſt executioni mandata,vel non. Si eſt executioni mandata, cenſeo nullo modo poſſe reum pœna ordinaria puniri ob tale delictum legitimè probatum, ſed à pœna ordinaria detrahendum eſt, quantum arbitraria importat, quia aliàs ſequeretur pro vno delicto reum grauius quàm dignus ſit puniri:ſiquidem punitur pœna ordinaria commenſurata delicto,& pœna alia arbitraria, contra textum *in cap. non afferamus, 24.quæſt.1.* Verùm ſi pœna arbitraria non eſt executioni mandata, tunc pœna ordinaria reus puniri poterit ſuperueniente legitima probatione;quia eſt noua ſententia,& nouum iudicium,& pœna non excedit delictum. ſícque vidi in hoc tribunali inquiſitionis practicatum contra quendam hæreticum, qui primò abiurauit de vehementi, & aliqua pœna pecuniaria fuit condemnatus ob non plenè delictum probatum ; poſtea verò ſuperuenientibus legitimis probationibus hæreticus declaratus fuit,& omnia eius bona fiſco addicta,& Eccleſiæ reconciliatus. Rojas etſi dubius *tract. de hæret. p.2. aſſert.50.n.391.& ſeq.* Farinac.*q.185.n.199.*

12 Dubium

12 Dubium est, an sententia condemnatoria hæretici impœnitentis in præsentia iudicis sæcularis fieri debeat, ita vt aliàs pronuntiata nullius sit valoris? Affirmatiuam partem probat textus *in cap. ad abolendam, de haret.* vbi dicit Pontifex hos tradendos esse, & relinquendos curiæ sæculari debita animaduersione puniendos. quod non videtur fieri posse, nisi ipsa curia sæcularis assistat. Clariùs habetur *cap. excommunicamus*, §. *damnati, eod. tit.* ibi, *damnati*, (scilicet de hæresi) *præsentibus sæcularibus potestatibus*, aut eorum balliuis relinquantur animaduersione debita puniendi. & *in cap. nouimus, de verborum significat.* loquens de clerico degradando, & curiæ sæculari tradendo; dicitur cùm ab Ecclesiastico foro fuerit proiectus, eius est degradatio celebranda *sæculari potestate præsente.* Ergo iudex Ecclesiasticus omittens hanc præsentiam curiæ sæcularis in remissione delinquentis ei facta, grauiter peccare videtur; & nulla est eius remissio, vtpote facta contra formam, & modum sibi præscriptum: quo cessante corruit actus. argument. *l. cùm hi, §. si prætor, ff. de transact. & cap. quia propter, de elect.* & habetur *cap. nihil, cap. primates, 2. quæst. 1.* vbi sententia data sine accusatore, & sine eo quòd reus confessus fuerit delictum, aut per testes conuictus irrita decernitur; quia statutum est sic fieri debere.

13 Cæterùm dicendum est absque hac præsentia validè posse sententiam pronuntiari. sic docuit doctissimus Franciscus Pegna 3. *part. direct. comment.* 48. *n.* 210. *versic. ac præsente potestate curiæ sæcularis.* Ratio est, quia præsentia iudicis sæcularis solùm expostulatur in prolatione sententiæ, vt executioni statim, & sine dilatione mandetur: nam iudex sæcularis in hoc crimine iudicando, vtpote Ecclesiastico, nulla ratione se intromittere potest. Ergo independenter à præsentia valida est sententia, cùm non ob eius valorem, sed ob eius executionem præsentia iudicis sæcularis expostulata sit: & ex hac ratione dissoluitur contrarium fundamentum. Fatemur namque omissionem modi, & formæ præscriptæ in pronuntianda sententia illam annullare, si substantialis sit: at in præsenti substantialis non est ad valorem sententiæ præsentia iudicis. Tum quia non pro sententia expostulatur, sed pro debita illius executione. Tum quia præscribitur aliàs habenti iurisdictionem: & sic non potest præscribi, vt substantialis, sed solùm vt accidentalis; ac proinde vitiare non potest actum: iuxta glossam *Clement.* 1. *verbo inhibentes, circa medium, de iure patronatus.* Episcopus autem, & Inquisitor, qui iurisdictione quasi ordinaria in crimine hæresis gaudent, potestatem habent inquirendi, examinandi, & condemnandi delinquentes ratione officij sibi commissi. Ergo præsentia iudicis sæcularis expostulari non potest, vt necessaria valori sententiæ. Adde si hæc præsentia necessaria foret, facilè possent sæculares impedire hæretici condemnationem subterfugientes comparere prolationi sententiæ, ipsique Inquisitores multum à potestate laica dependerent; quod videtur cedere in detrimentum fidei, & potestatis Ecclesiasticæ. Quapropter si iudex laicus præsens esse non possit, vel nolit, (quod rarò contingere potest) poterit Inquisitor in eius absentia sententiam proferre, & per Notarium intimare, & condemnatum eius potestati relinquere. At si facilè præsens condemnationi esse potest, credo non licere Inquisitori eius præsentiam in prolatione sententiæ condemnatoriæ subterfugere, quia id ad minus videntur conuincere textus *in cap. excommunicamus, cap. ad abolendam, de hæret. & cap. nouimus, de verb. signific.*

14 Denique si de stylo seruando in sententiis condemnatoriis, & absolutoriis loquamur, nihil occurrit aduertendum notatu dignum: sed videndi sunt. Eymeric. *director. inquisit.* 3. *part. à num.* 141. & pluribus sequentibus, vbi de tredecim modis finiendi processum in causa fidei, & ibi Francisc. Pegna, Vmbert. Locat. *post iudic. inquisit. à fol.* 488. *& seqq.* Simancas *catholic. institut. tit.* 60. *de sententiis. & in enchirid. tit.* 64. *eadem rubr. de sententiis.* Paramus *de origine sanctæ Inquisitionis, lib.* 3. *quæst.* 4. *rubric. de expeditione processus in causis fidei,* & alij.

PVNCTVM XII.

In crimine hæresis qui sint iudices, & qua ratione possint procedere.

IVdices fidei enumerari solent Pontifex maximus, Episcopus, Capitulum Sede vacante, Inquisitor, & delegati ab ipsis, & extra hos nullus alius.

§. I.

De Pontifice, Episcopo, & Capitulo Sede vacante, qua ratione sint iudices in causa fidei.

1 *Pontifex est iudex supremus, Legatus à latere de iure, at non ex consuetudine.*
2 *Episcopus ratione muneris est competens iudex in sua diœcesi, ordinarius respectu subditorum, delegatus comparatione exemptorum.*
3 *Debet Episcopus in causis fidei seruare modum, quem Inquisitores seruare tenentur.*
4 *Non potest spectato iuris rigore procedere absque consilio Capituli, bene tamen ex consuetudine.*
5 *Quod dicitur de Episcopo, dicendum est de Capitulo Sede vacante quoad subditos.*
6 *Quoad exemptos probabilius est non habere Capitulum iurisdictionem, tametsi alij contrarium sentiant.*
8 *Capitulum exercet hanc iurisdictionem non per se, sed per vicarium specialiter deputatum.*
8 *Vicarius generalis Capituli, vel Episcopi, non est competens iudex hæreticorum, nisi specialiter designetur.*

1 POntificem maximum iudicem esse omnium supremum, ab illóque omnem illorum iurisdictionem spiritualem dependere, certa fides est. Legatus à latere, etsi de iure in hæreticos animaduertere possit, quia vices summi Pontificis plenissimè gerit: attamen sine speciali commissione summi Pontificis, vel supremi tribunalis sanctæ Inquisitionis, ex consuetudine id facere non potest. Farinacius *quæst.* 186. *num.* 4.

2 Episcopus ratione officij, & sui muneris est competens iudex omnium hæreticorum suæ diœcesis: iuxta textum *in Clement.* 1. §. *propter quod, de hæreticis.* ibi, *tam per diœcesanos Episcopos, quia ad ipsum spectat hæreses extirpare, & bonum fidei promouere.* sic Azor 1. *part. lib.* 8. *cap.* 18. *quæst.* 2. Farinacius *num.* 5. Gundisalu. *tractat. de hæreticis, quæst.* 7. *num.* 8. *versic. item Episcopus*, & alij apud ipsos. Sed an sit iudex ordinarius, vel delegatus? Distinguendum est inter subditos, & exemptos. Respectu subditorum certum est esse ordinarium, quia ex proprio officio, & munere illi competit: & tradit Pegna 3. *part. direct. q.* 1. *comm.* 50. *in princ.* Farinac. *n.* 6. Simancas *in enchirid. tit. de Episcopis, n.* 2. *&* 3. Decian. *tr. crim. lib.* 5. *c.* 21. *n.* 4. *in princ.* Petr. Gregor. *syntagm. iuris, lib.* 33. *cap.* 7. *num.* 4. *versic. ad Episcopos,* & alij. At comparatione exemptorum maior est dubitatio. Hostiens. *in cap. ad abolendam, de hæret. n.* 13. dicit esse iudicem ordinarium: motus, quia à iure ipso generaliter, & vniuersaliter ei cócessa est delegatio. Sed quãdo iurisdictio delegatur alicui non ratione personę, sed dignitatis, nõ delegata, sed ordinaria iurisdictio dicenda est, & potestatis ordinarię iura habet, & sequitur: vt multis relatis probat Sanch. *lib.* 2. *de matr. d.* 40. *n.* 14,

Cùm ergo talis sit iurisdictio concessa Episcopis in crimine hæresis, comparatione exemptorum dicetur esse ordinariam. Nihilominus dicendum est comparatione exemptorum iudicem delegatum Episcopum esse, non ordinarium. quod videtur expressè decisum *in cap. ad abolendam, in fine, §. si qui verò, de hæreticis.* vbi inquit textus: Si qui verò fuerint qui à lege diœcesanæ iurisdictionis exempti soli subiaceant Sedis Apostolicæ potestati, nihilominus in iis, quæ sunt contra hæreticos statuta, Episcoporum subeant iudicium, *& eis in hac parte tanquam à Sede Apostolica delegatis*, non obstantibus libertatis suæ priuilegiis obsequantur: & ibi notat glossa, Ioann. Andr. Abbas, Felin. & omnes communiter, prout illos refert, & sequitur Farinacius *quæst.* 186. *n.* 7. Zanch. *tractat. de hæreticis, cap.* 8. *num.* 3. Simancas *catholic. institut. tit.* 25. *rubr. de Episcopis, num.* 6. Carrer. *tractat. de hæreticis, num.* 65. Gundisalu. *eodem tract. quæst.* 7. *num.* 14. Decian. *tractat. crimin. lib.* 5. *cap.* 21. *num.* 4. Verùm etsi hæc iurisdictio absolutè delegata sit, quia tamen non est delegata personæ, sed dignitati, & tam præsentibus, quàm futuris iurisdictionis ordinariæ priuilegiis gaudet quoad delegationem. At quoad appellationem sortitur naturam iurisdictionis delegatæ, & sic non appellatur à sententia interlocutoria Episcopi ad Archiepiscopum, sed ad Pontificem delegantem: vt tenent Vmbert. Locat. *in iudicial. inquisit. verbo appellare, num.* 1. *vers. sed eo casu.* Simancas *cathol. instit. tit.* 6. *rubr. de appell. n.* 3. Zanch. *cap.* 28. *n.* 3. *&* 4. Farinac. *q.* 185. *n.* 240. *& q.* 186. *n.* 9.

3 Modus autem procedendi in crimine hæresis, quem seruare debet Episcopus, est idem cum modo procedendi, quem seruant Inquisitores, quia ita decisum est *in cap. per hoc, §. fin. de hæreticis, in 6.* Siue autem ordinaria, siue delegata Episcopi potestate procedant, *illum in procedendo modum obseruent, quem Inquisitores possunt, & debent* per iura communia, vel per speciales concessiones, seu ordinationes Sedis Apostolicæ obseruare: & notat ibi glossa, Geminian. & Franc. & alij, quos refert, & sequitur Farinacius *quæst.* 186. *num.* 16. Simancas *catholic. instit. tit.* 25. *rubr. de Episcopis, n.* 4. *in fine, vers. prætereà eundem ordinem.* Ioan. Calderin. *tractat. de hæret. rubr. de process. inquisit. n.* 1.

4 Sed dubium est, an possit absque consilio sui Capituli procedere?

Respondeo spectato iuris rigore non posse; quia *in cap. ad abolendam, de hæreticis*, dicitur, vt id fiat cum consilio clericorum: at attenta consuetudine posse; sic alios referens testatur Farinacius *quæst.* 186. *num.* 14. *&* 15.

5 Quod dictum est de Episcopo, dicendum est de Capitulo Sede vacante, esse quidem iudicem ordinarium: iuxta textum *in cap. ad abolendam, de hæreticis.* ibi, *vel clerici ipsi Sede vacante*, & notat ibi glossa, Hostiens. Anton. de Butrio, & alij, quos refert, & sequitur Farinacius *quæst.* 186. *num.* 177. Simancas *cathol. institut. tit. de Episcopis, num.* 6. *versic. Capitulum quoque Sede vacante.* Decian. *tractat. crimin. lib.* 5. *cap.* 21. *num.* 13. Gundisalu. *tractat. de hæreticis, cap.* 7. *num.* 8. *vers. & etiam Capitulum.* Carrerius *eodem tractat. de hæreticis, num.* 66. *&* 70. Nomine Sedis vacantis intelligo non solùm quando sedes vacat absolutè, sed etiam quando diœcesis ab Episcopo gubernari non potest; vt si Episcopus captiuus esset, vel de Episcopatu prouisus non administraret ob non expeditas litteras; quia tunc quoad administrationem, & gubernationem verè dicitur Sedes vacare: & ita tenet Decian. *suprà num.* 13. Carrer. *num.* 66. Farinac. alios referens *num.* 179. & expressè glossa *in Clement.* 1. *de hæret. verbo vacante.*

6 An autem sit iudex respectu exemptorum, non est constans sententia. Marian. Socin. *in dict. cap. ad abolendam, num.* 44. affirmat attento rigore iuris id sustineri posse: cui consentire videtur Cardinal. Zabarella *in Clement.* 1. *de hæreticis, §. duro, n.* 60. *in* 8. *quæst.* cùm enim *in supradict. cap. ad abolendam*, eodem modo de clericis Sede vacante dicantur esse iudices causarum hæreticalium, ac dictum est de Episcopo: fit sanè sicut Episcopo competit iurisdictio respectu exemptorum; ita etiam competere Capitulo.

Nihilominus etsi hoc satis sit probabile: at probabilius est oppositum; tum quia sic communiter Doctores affirmant. Tum quia Capitulum non succedit Episcopo, nisi in his, quæ Episcopo competunt iure ordinario, & non ex delegatione. At iurisdictio in exemptos ex delegatione competit, vt probauimus ex *dicto cap. ad abolendam.* Ergo. & ita tenet in dicto cap. Abbas *num.* 17. Anchatan. *num.* 10. *versic. si autem non iure suo.* Ioan. Andr. *num.* 15. Henric. Boich. *num.* 25. Cardinal. Zabarella *§. si qui, versic. circa secundam quæstionem.* Ioan. de Anania *num.* 19. *vers. in his verò.* Decian. *tractat. crimin. lib.* 5. *cap.* 21. *num.* 14. Carrer. *tract. de hæret. num.* 66. Farinacius *quæst.* 186. *num.* 182. Idem quod dictum est de Capitulo esse quidem iudicem ordinarium circa causas fidei, dicendum est de habentibus iurisdictionem quasi episcopalem, vt de aliquibus Prioribus, & Abbatibus exemptis. sic tradit Ludouic. Molin. Iesuita *tract.* 5. *de iust. disp.* 28. *n.* 11.

7 Modus autem, quem seruat Capitulum in exercenda hac iurisdictione in causis hæreticalibus, non est per se, sed per vicarium ad id specialiter deputatum. colligitur ex *Clement.* 1. *§. propter, de hæreticis*, vbi cauetur non posse Inquisitores procedere ad decisionem causarum, sine Episcopo, vel eius officiali, aut Capituli vicario Sede vacante. Vbi notandum est nunquam dixisse textum sine Capitulo, & eius vicario, sed solùm sine vicario, seu delegato Capituli Sede vacante, quasi tacitè insinuans Capitulum per se hanc iurisdictionem exercere non posse. Neque deest ratio congruentiæ, quia aliàs secretum vix seruari possit, neque causæ ita breui tempore decidi: sic expressè docet Farinacius *quæst.* 186. *num.* 180. Bonifacius de Vitalinis *dict. Clement.* 1. *n.* 48. *&* 50. An autem debeat huiusmodi vicarius consilium vicinorum Episcoporum requirere? Credo non debere, neque esse in vsu, quia in *supradict. cap. ad abolendam*, solùm dicitur hoc consilium requirendum esse, si oportuerit, cuius iudicium Capitulo relinquetur. Neque contradicit Hostiens. Ioann. Andr. & Abbas *in supradicto cap.* quia solùm cùm oportuerit, asserunt consilium vicinorum Episcoporum expostulandum esse.

8 Vicarius generalis Episcopi, vel Capituli Sede vacante non est competens iudex hæreticorum, nisi ad id specialiter deputetur, quia ob grauitatem criminis specialem requirit commissionem, vt colligitur ex Trident. *sess.* 24. *cap.* 6. *de reformat.* ibi, *ipsis Episcopis, & non eorum vicarijs sit permissum.* sic tradit Ioann. de Imola *Clement.* 1. *num.* 19. *de hæreticis.* & ibi Cardinal. Zabarella *in §. duro, num.* 9. *in* 12. *quæst.* Vmbert. Locat. *in iudicial. inquisit. verbo Episcopus, num.* 6. Repert. Inquisit. *verbo cognoscere, versic. sed an vicarius.* Gundisalu. *tract. de hæreticis, quæst.* 7. *num.* 14. Decian. *tractat. crimin. lib.* 5. *cap.* 21. *num.* 7. Augustinus Barbosa 3. *part. de potestate Episcopi, allegat.* 54. *num.* 85. Farinacius *de hæresi, quæst.* 186. *n.* 13. *&* 181.

§. II.

De Inquisitore, eiúsque commissariis, & de eorum potestate.

1 *Inquisitor est præcipuus iudex in hac causa, qui cognoscit de hæresi, & illi annexis.*

2 *Est iudex delegatus, non ordinarius.*

3 *Inquisitores electi ab alijs Inquisitoribus, sint ne delegati Sedis Apostolicæ, examinatur.*
4 *Verius est delegatos esse.*
5 *Potestas Inquisitoris ad omnes personas quacumque dignitate fulgentes extenditur.*
6 *Excipiuntur Episcopi, sed possunt dicta testium aduersus eos recipere, vt Pontificem consulant.*
7 *Excipiuntur item Legati, Nuntij, aliique Sedis Apostolicæ officiales.*
8 *Excipiuntur ipsimet Inquisitores.*
9 *Inquisitores procedunt in causis criminalibus suorum familiarium priuatiuè.*
10 *Pœnitentium causæ criminales, & ciuiles, non subduntur iudicibus fidei, sed proprijs.*
11 *In regno Aragoniæ lata est Inquisitorum potestas.*
12 *Vices suas possunt Inquisitores alijs committere.*
13 *Commissarij ab Inquisitoribus electi, non possunt alios subdelegare.*
14 *Plures Inquisitores pro vna prouincia electi possunt simul, & separatim procedere.*
15 *Excipe, nisi Pontifex aliquem pro speciali causa designasset.*
16 *Iurisdictio Inquisitoris morte delegantis etiam re integra non spirat.*
17 *Quod intelligatur, tametsi delegatio facta esset ad beneplacitum non Sedis, sed Pontificis.*
18 *A solo Pontifice Inquisitorum iurisdictio reuocari potest.*
19 *Quid dicendum de Inquisitoribus electis ab Inquisitore generali, an possint absque legitima causa remoueri, vel de vno loco in alium transferri.*
20 *Dicendum est non posse absque legitima causa inuitum remoueri, neque transferri.*
21 *Expenduntur causæ, ex quibus hæc remotio fieri potest.*
22 *Ad mutationem ex vno loco in alium sufficit conuenientia sancti Officij, tametsi nulla culpa Inquisitoris intercedat.*
23 *Explicatur quis possit Inquisitores tum sæculares, tum religiosos punire.*
24 *Quadragesimum annum attingere debet electus ab alio, quàm à Pontifice. In Hispania sufficit, si attingat trigesimum.*
25 *Expenduntur aliæ qualitates in Inquisitoribus requisitæ.*
26 *Commissarij sufficit, si trigesimum annum attingant.*

1 PRæcipuus iudex in hac causa est delegatus à Pontifice, qui nomine Inquisitoris insignitur, iuxta textum *in Clement. 1. § propter, de hæreticis.* ibi, *tam per diœcesanos Episcopos, quam per Inquisitores.* Hic autem Inquisitor cognoscere potest non solùm de causa hæresis, sed etiam de omnibus connexis, dependentibus, & incidentibus illius: ex iis quæ latè refert Aretinus *consil.* 83. Decianus *tractat. crimin. lib. 5. cap. 22. num. 12.* Farinacius *de hæresi, quæst. 186. num. 26.* Eymeric. 3. *part. director. num. 37. in fine.* & ibi Pegna *comment.* 10. *versic. in prædictis omnibus*, vbi remissiuè tradit quæ sint emergentia, connexa, & dependentia. Et ratio est manifesta, quia concessa iurisdictione, & cognitione causæ principalis, conceduntur emergentia, incidentia, connexa, & dependentia ab illa. *l. nulli, C. de iudicijs, Clement. dispendiosam.* & ibi Doctores omnes, *eodem tit. de iudic.* Bart. *in extrauag. ad reprimendam, in verbo summariè, num. 20.* Decius *in cap. pastoralis, num. 4. in fine, de appellationibus*, & aliis pluribus relatis à Menoch. *de arbitr. lib. 1. quæst. 45. num. 9.* vbi concludit, iudicem habentem liberum arbitrium ad procedendum in causa principali, posse eodem modo procedere in accessoria.

2 Circa Inquisitorum iurisdictionem, & potestatem plures veniunt quæstiones decidendæ. Prima, an Inquisitor iudex sit ordinarius, vel delegatus? Dicendum est delegatum esse, quia esto delegatus sit ad vniuersitatem personarum; quia tamen ad solam causam hæresis, & illius connexa delegatus est, ideo iudex delegatus, & non ordinarius dicendus est, vt multis relatis docent Pegna cum Eymeric. 3. *part. director. quæst. 4. comment.* 53. Ioan. Azor *tom. 1. lib. 8. cap. 18. quæst. 6.* Farinac. *quæst. 186. num. 39.* Scaccia *de iudic. cap. 67. num. 5.* Ludouic. Molin. Iesuita *tractat. 5. de iustit. disput.* 28. *num.* 4. & satis probatur ex litteris Vrbani IV. & Clement. IV. relatis à Francisco Pegna *in fine director.* vbi dicitur: Prouidemus igitur ibidem ad præsens personas aliquas circumspectas pro tanto negotio deputari. & *cap. ne aliqui, de hæreticis, in 6.* vocatur officium Inquisitoris ab Apostolica Sede commissum: & quia vt tale debebat morte delegantis spirare quoad negotia integra, fauore fidei cauetur perpetuò duraturum: quod necessarium non foret, si iurisdictionis ordinariæ esset. Negari tamen non potest pluribus priuilegiis ordinariæ iurisdictionis gaudere: tum quia in causa fidei plures causæ continentur, ita vt delegatus ad illam causam ad vniuersitatem causarum delegatus dici potest: tum quia vicariis suas vices committunt: tum quia eius iurisdictio non spirat morte delegantis, etiam re non cœpta. quæ omnia à fortiori procedunt in Inquisitore generali Hispaniarum, cuius officium perpetuum est: & in quo vno mortuo, vel inde deposito promotione, vel ascensu ad alia, vel alia ratione alius sufficitur: quod ordinariæ iurisdictioni proprium est. Quapropter hoc officium habet perfectiones iurisdictionis delegatæ, & ordinariæ, sublatis cuiuslibet imperfectionibus, vt ex sequentibus constabit.

3 Verùm, quia sæpe Inquisitores non à Sede Apostolica immediatè eliguntur, & instituuntur, sed ab aliis, qui ad id authoritatem à Sede Apostolica obtinent. Dubium est, an ij electi debeant dici delegati à Sede Apostolica, & ab illa authoritatem habere; an verò ab illis, qui eos eligunt? Constat autem tempore Innocentij IV. Alexand. IV. & Clement. IV. Generalibus, & Prouincialibus ordinum D. Dominici, & Francisci datum esse ab iis Pontificibus priuilegium eligendi, & instituendi aliquos religiosos Inquisitores pro suis prouinciis, quibus præerant; quarum institutionum mentionem fecit Pegna *director. 3. part. quæst. 3. comment.* 52. Azor 1. *part. lib. 8. cap. 18. quæst. 5.* Farinacius *quæst. 186. num. 30.* Et licèt in tota Italia, & Hispania iam cessauerit in his Prælatis hæc potestas eligendi Inquisitores, & ad illustrissimos Cardinales generales Inquisitores totius orbis deuenit pro tota Italia; & in Hispania ad quendam Præsidem supremi Senatus Inquisitorem generalem vocatum electum à Rege, & à Sede Apostolica confirmatum, & approbatum: huic enim Sedes Apostolica committit potestatem eligendi Inquisitores omnium tribunalium, & visitatores inquisitionum, cum ea dependentia, & subordinatione, vt possit eos de loco in locum mutare, aut causa interueniente deponere, & punire, & modum procedendi præscribere, & eas causas, quæ sibi placuerint reseruare: ac denique vt ad ipsum tanquam ad superiorem ex omnibus Inquisitoribus appelletur; quia in illo tota residet iurisdictio circa res fidei. Cùm ergo hoc ita sit, videntur Inquisitores sic nominati delegati esse Inquisitoris generalis, non Sedis Apostolicæ, à qua solùm subdelegati videntur existere: cùm ab illa non immediatè, sed mediatè recipiant iudicandi facultatem. Item hoc declarat modus, quem Inquisitor generalis seruat in assignandis iis particularibus Inquisitoribus: inquit enim (vt testatur Simancas *cathol. instit. tit. 34. num. 15.*) Committimus vobis vices nostras, donec ad nos duxerimus eas reuocandas. Quo ergo modo clariori poterat subdelegare? Et ita hos Inquisitores particulares esse subdelegatos, affirmat, & probat Simancas *suprà.* 4 Nihi

4 Nihilominus tamen communior, veriórque sententia affirmat omnes Inquisitores particulares, etiamsi à Cardinalibus supremæ inquisitionis, vel à generali Hispaniarum Inquisitore eligantur, delegatos esse Sedis Apostolicæ: sic tenent alios referentes Pegna, cum Eymeric. 3.*p.direct.q.*3.*comm.*52.*in princ.* Vmbert. Locat. *in iudiciali inquisit.verbo inquisitor,num.*5. *vers.qui quidem inquisitor,& vers.vnde inquisitores.* Repert.*verbo inquisitor, vers.an inquisitores.* Lœlius Zech. *sum.*1.*p.tit.de fide,rubr. de haresi,cap.*11.*num.*13.*vers.& sunt delegati Papæ.* Rojas *singul.*114.*num.*4. *& tract.de hereticis,*1.*p.n.*438. Farinac. *quæst.*186.*num.*41. Ludouic.Mol.Iesuita *tract.*5.*de instit. disp.*28. *num.*7. *vers.vtrùm autem.* Probatique potest primò ex *Clement.*1. §. *propter,de heretic. & ex cap. per hoc,de hereticis, in* 6. vbi loquens de Inquisitoribus absolutè, qui cum Episcopis procedere debent,affirmat esse à Sede Apostolica deputatos: & ita *in suprad.Clement.* notarunt Cardin. Zabarella *num.* 2. *in* 4. *notab.* Bonifac. de Vitalinis *num.*3. Imola *Clem.*2. *de hereticis, num.*9. *ante finem.* Secundò probatur expressiùs ex constitutione Alexand. IV. edita anno 1258. incipiente, *Quod super.* §.*adiecistis*,quam refert Pegna post direct.inter litteras Apostolicas. Vbi postquam Pontifex Priori ordinis Prędicatorum facultatem concessit in hæreticos animaduertendi, tam per se, quàm per alios ab ipso electos, illósque amouendi, & loco illorum alios substituendi, quoticscunque viderit expedire, subiungit. Ipsi tamen Priori, & aliis sic assumptis committendi dumtaxat citationes,ac examinationes testium; cùm de huiusmodi crimine, ac circunstantiis eius inquiritur, ac denuntiationes sententiarum, quas super his contra quoslibet contigerit fieri, & iis similia faciendi *conceditur ab eadem sede facultas.* Ecce quomodo æquè prior, & alij ab ipso electi à Sede Apostolica accipiunt facultatem. Tertiò, Inquisitores particularium Inquisitionum nomine proprio, & authoritate Apostolica, & non nomine Inquisitoris generalis sententias aduersùs reos pronunciant. Ergo signum est à Sede Apostolica delegatos esse. Quartò, non arctantur ad publicandas, & denunciandas sententias per seipsos, sed de facto per alios in publico theatro pronunciant, vt in antecedenti puncto diximus: quod illis nullo modo liceret, nisi à Sede Apostolica delegati existerent. Quintò, hi Inquisitores possunt alios subdelegare, vt dicemus: sed subdelegatus alium subdelegare non potest; aliàs daretur processus in infinitum, cùm non occurrat ratio, quare ille secundus subdelegatus subdelegare non possit. Ergo dicendum est hos Inquisitores non esse subdelegatos, sed delegatos à Principe. Sextò, iurisdictio Inquisitorum non expirat morte, aut depositione generalis Inquisitoris illum eligentis, etiam re integra. At si subdelegatus existeret, expiraret potius, vel vt melius dicam in illum iurisdictio transmissa non esset: iuxta textum, *cap.quamuis, de officio deleg. lib.* 6. Ergo dicendum est esse delegatos à Sede Apostolica. Septimò, Inquisitores supremi Senatus non sunt delegati ab Inquisitore generali, sed à Pontifice, etiamsi ab Inquisitore generali nominentur; aliàs non daretur appellatio ad eorum tribunal à sententiis reliquorum tribunalium; quia ab vno subdelegato ad alium subdelegatum dari non potest appellatio: sed necessariò danda est ad subdelegantem. Ergo similiter dicendum est de reliquis Inquisitoribus esse quidem à Pontifice delegatos, ab ipsóque habere iurisdictionem facta nominatione, & electione Inquisitoris generalis. Neque obstat habere illam dependenter ab Inquisitore generali, quia hoc modo potuit committi, vt rectiùs, & securiùs in causa fidei procedatur. Neque etiam obstat, quòd Inquisitor generalis in electione dicat vices suas committere; quia illud dicit, vt intelligatur iurisdictionem concessam esse ab eo dependentem.

5 Secunda quæstio est, ad quas personas hæc Inquisitorum potestas extendatur? Respondeo ad omnes in sua prouincia existentes, vel delinquentes, siue sæculares sint, siue religiosi, aut aliàs exempti, deciditur *cap.vt officium.* §.*denique, de hereticis, in* 6. *cap.accusatores, in fine. cap. ad abolendam, de hereticis*, & tradunt omnes. quod verum est, etiamsi religiosi à suis Prælatis præuenti essent, adhuc per Inquisitores iudicandi sunt, illisque sunt hæreses denunciandæ iuxta rescriptum Pij IV. incipiens, *Pastoris etenim est*, & aliud Pauli III. editum anno 1542. incipiens, *In Apostolici culminis*, quorum tenorem refert Pegna post direct. inter litteras Apostolicas, & notat aliis relatis Farinac.*quæst.*186.*num.*26. Azor 1.*p.lib.*8.*cap.*18.*quæst.*12. Adde iam ab omnibus Prælatis sublatam esse potestatem cognoscendi de hæresi suorum subditorum, ex constitutione Pauli V. prout testatur Farinac. *de heresi,quæst.*186.*num.*128. *fine*, Episcopisque, & Inquisitoribus hoc esse remissum. In Hispaniis autem meritò sancitum est, vt Inquisitores particulares nullum religiosum, nullúmve nobilem, aut aliqua ratione insignem comprehendant, quin priùs certiorem faciant Inquisitorem generalem, & eius supremum Senatum, missis ad eos indiciis, & probationibus habitis contra talem reum, & ex eorum præscripto procedatur, & non aliter: sic relato Simanc.*cathol.instit.tit.*34.*n.*33. Pegna 3.*p. comm.*77. docet Ludouic. Molin. *tract.*5. *de instit. disp.*28. *num.*18. A qua regula solùm est excipiendus casus periculi fugæ, vel alterius grauis mali: sic præcitati Doctores.

6 Ab hac vniuersalitate personarum excipiuntur primò Episcopi, aduersùs quos nō potest Inquisitor etiam generalis procedere, nisi de expressa Sedis Apostolicæ facultate; sed negotium debet ad Pontificem remitti, vt quid faciendum sit, prouideat: iuxta text. *in cap. inquisitores.de hereticis. in* 6. ibi Inquisitores hæreticæ prauitatis ab Apostolica Sede, seu ab alio, vel aliis quibuslibet deputati de huiusmodi crimine inquirere *contra Episcopos nequeunt*, aut eius prætextu procedere contra eos, nisi in litteris commissionis Apostolicæ, quòd hoc possint, concedatur expressè. Si tamen Inquisitores ipsi Episcopos, vel alios superiores Prælatos sciuerint, vel inuenerint crimen hæreseos commisisse; aut eos de hoc diffamatos existere, vel suspectos, id tenentur Sedi Apostolicæ denunciare. Nomine Episcoporum intelliguntur titulares, quia verè sunt Episcopi. Item electi, & à Sede Apostolica confirmati, etiamsi consecrati non sint; quia iurisdictionem Episcopalem habent. Secus verò dicendum est de electis, & nondum à Sede Apostolica confirmatis. sic Simanc. *cathol.institut.tit.*25.*n.*11. *&* 12. Ludouic. Molin. *tract.*5. *de inst. disp.*28. *num.*19. Verùm etsi hoc ita sit, possunt tamen Inquisitores dicta testium contra Episcopos recipere, vt certiorem Pontificem faciant, ad eúmque dicta testium transmittant. Non enim alia via scire, aut inuenire possunt Episcopos hæreticos esse, aut de hæresi suspectos, vt teneantur Sedi Apostolicæ denunciare. sic Simanc. *suprà num.*8. *& in enchirid. viol.relig.tit.*8.*num.*2. Ludouic.Molin. *num.*19. Pegna *in addit. ad Eymer.* 3.*p. direct. quæst.*27. *comm.*76. Farinac. *quæst.*186.*num.*116. Decian. *tract.crimin.lib.*5.*cap.*23.*n.*2. Lœlius Zech. *summ.*1.*p tit.de fide, rubr. de haresi,cap.*11. *num.*13. *vers.neque etiam contra Episcopum.* Secundò, possunt Inquisitores Episcopum suspectum de fuga, & clarè cognitum hæreticum carcerare, & carceratum ad Pontificem mittere, & à fortiori si grauia mala ex dilatione comprehensionis sequerentur, vt si interim timeretur plures esse seducendos; quia tunc ex benigna interpretatione Summi Pontificis, censentur ij casus concessi, & à generali prohibitione procedendi aduersùs Episcopos excepti: sic Simanc. Molin. Pegna, Lœlius Zech. & Farinac. *suprà.* Debet tamen hoc periculum esse clarè cognitum: nam in dubio standum est prohibitioni. Aduerto tamen, etsi Inquisitor non possit aduersus

uersùs Episcopum procedere; poterit tamen alius Episcopus, si in eius diœcesi Episcopus hæresis suspectus, assistat, ut crimen committat; quia tunc ex delegatione, iuxta *cap. ad abolendam*, videtur iurisdictionem habere. sic tradit Farinacius *quæst.* 186. *n.* 122. cum Repert. Inquisit. *verbo Episcopus, versic. ad secundum.* Gundisalu. *tract. de hæret. quæst.* 7. *n.* 16. Decian. *tractat. crimin. lib.* 5. *cap.* 21. *num.* 5.

7 Secundò excipiuntur Nuntij, & Legati Sedis Apostolicæ, aliique eiusdem Sedis officiales, aduersùs quos non possunt Inquisitores, neque ordinarij procedere, nisi de licentia expressa Sedis Apostolicæ: bene tamen possunt aduersùs eos (modò Episcopi non sint) inquirere, & se informare, vt informationes ad Pontificem transmittant: habetur expressè *in extrauag. Ioan. XXII. cum Matthæus, de hæret.* Nomine Nuntij in præsenti intelligitur Legatus Sedis Apostolicæ, iuxta textum *in cap. nobilissimus, 97. distinct.* Nomine verò officialium Sedis Apostolicæ intelliguntur signati à Sede Apostolica ad aliquas causas Sedem Apostolicam, eiúsque honorem, & dignitatem spectantes, non autem ad causas particulares inter partes decidendas; quia ij non negotium Sedis Apostolicæ, sed particularium personarum agunt; ac proinde priuilegio officialibus Sedis Apostolicæ concesso gaudere non debent. sic Pegna relatis Lapo, & Decio tradit 3. *p. direct. q.* 16. *comm.* 75. Molin. *tract.* 5. *de iustit. disp.* 28. *n.* 20.

8 Tertiò excipiuntur ipsimet Inquisitores, aduersùs quos alij Inquisitores procedere non possunt: tum quia sunt à Sede Apostolica delegati; tum quia par in parem non habet imperium: & ita docet Pegna cum Eymer. 3. *part. direct. quæst.* 30. *comment.* 79. Farinacius *quæst.* 186. *num.* 126. Molin. *tract.* 5. *disput.* 28. *num.* 21. Hoc autem intelligendum est durante Inquisitoris officio: nam si ab illo remoueantur, vt in Hispania Inquisitor generalis remouere facilè potest, poterit tunc alius Inquisitor aduersùs eum procedere: imò si Inquisitores particulares delegati non sint à Sede Apostolica, sed subdelegati ab Inquisitore generali, vt Simancas contendit, poterit Inquisitor generalis eos in carcerem mittere, & punire, ita Molin. *suprà.* Vnum tamen est omnino certum extra crimen hæresis delinquentes Hispanos posse ab Inquisitore generali, & eius supremo Senatu coërceri, & puniri ob commissionem à Sede Apostolica illi factam, vt testatur Pegna 3. *part. direct. q.* 12. *comment.* 61. *versic. in Hispania.* Maior tamen est dubitatio, an Episcopi possint aduersùs Inquisitores de hæresi suspectos procedere? Affirmant Repert. Inquisit. *verbo Episcopus, versic. primo.* Zanch. *de hæreticis, cap.* 8. *num.* 9. Gundisalu. *eodem tract. quæst.* 7. *num.* 17. Decian. *tract. crimin. lib.* 5. *cap.* 21. *num.* 6. negant Geminian. *num.* 5. *vers. sed quæro, de hæret. in* 6. Locat. *in iudicial. inquisit. verbo Inquisitor, num.* 15. Quintilian. Mandos. *in addit. ad Rupert. verbo Episcopus.* Alij distinctione vtuntur de hæresi occulta, & manifesta: & circa manifestam hæresim affirmant procedere posse Episcopum; secus in occulta. Cæterùm tenendum est absolutè nullo modo aduersùs Inquisitorem posse Episcopum procedere, sed solùm informationes capere, & ad Sedem Apostolicam eas transmittere, nisi in casu per epiikeiam excepto, quando scilicet Inquisitor hæreses seminasset, vel seminare permitteret, & delinquentes hæreticos impunitos dimitteret, vel alia horrenda faceret, quia durante inquisitionis officio, officialis est Sedis Apostolicæ: ac proinde comprehenditur sub extrauag. Ioannis XXII. in qua cauetur aduersùs Nuntios, officialésq; Sedis Apostolicæ non posse ordinarios procedere in hoc hæresis crimine, nisi tantùm recipiendo informationes. sic expressè Ioan. Azor 1. *part. lib.* 8. *cap.* 18. *quæst.* 14. Molin. *de iustit. tractat.* 5. *disput.* 28. *num.* 21. Farinacius *quæst.* 186. *num.* 124. & 131.

9 Tertia quæstio, an Inquisitorum iurisdictio sit non solùm in causis fidei, sed in aliis causis, tum ciuilibus, tum criminalibus?

Respondeo iurisdictionem habere in causis criminalibus suorum familiarium, & officialium priuatiuè, ita vt alij iudices non se intromittere possint in illis iudicandis, solùm enim poterunt capere delinquentes: at illos captos tenentur remittere Inquisitorum iudicio. sic Simancas *catholic. instit. tit.* 41. *rubr. de ministris, n.* 19. *& seqq.* Rojas *singul.* 101. Ludouic. à Paramo *de origine sanctæ Inquisitionis, lib.* 3. *quæst.* 6. *n.* 27. Farinacius *q.* 186. *num.* 38. Ab hac tamen potestate excipiuntur committentes crimen læsæ maiestatis, rebellionis, seditionis publicæ, proditionis, raptus, mandatorum regalium despectus, & eorum iudicibus, resistentiæ, effractionis, seu violationis Ecclesiæ, aut monasterij incendiarij, vel denique committentes crimen nefandum, & his similia. Expediebat enim hæc à iudice sæculari, qui pœnam mortis imponere potest, iudicari: ne prætextu exemptionis auderent hæc committere. sic relati Doctores. In causis autem ciuilibus solùm credo habere iurisdictionem respectu officialium, qui sunt à secretis; ij enim solùm conuenri, & conuenire debitores possunt coram Inquisitoribus, non autem alij officiales externi.

10 Maior autem est dubitatio de reconciliatis, dum habitum pœnitentiæ gestant, & generaliter de quibuscumque pœnitentibus, dum pœnitentiam exequuntur, an ij in causis ciuilibus, & criminalibus Inquisitorum iudicio subdantur? Affirmat Hostiens. *in summ. tit. de foro compet.* §. *ex præmissis.* Anton. Butrius *in cap.* 2. *de foro competent. col.* 2. Barbatia *ibi num.* 61. & alij. Mouentur ex text. *in cap. aliud* 11. *q.* 1. quod repetitur *in cap. aliud, de pœnit. dist.* 1. quod est Leonis Papæ ex *epist.* 91. *ad Rusticum Narbonensem Episcopum, cap.* 8. vbi postquam reprehenderat eos, qui ob segnitiem differunt pœnitentiam impositam agere, concludit in hæc verba. Aliud quidem est debita iusta reposcere, aliud propria perfectionis amore contemnere: sed illicitorum veniam postulantes oportet multis etiam à licitis abstinere, dicente Apostolo: *Multa mihi licent, sed non omnia expediunt.* Vnde si quis pœnitens habeat causam, quam negligere fortè non debeat, *melius expedit Ecclesiasticum, quam forense iudicium.* ex hoc testimonio infert Gratian. *ibi,* non propter criminalem tantùm, sed generaliter propter quamlibet causam tam ciuilem, quàm criminalem, hoc esse intelligendum, atque adeò pœnitentem expedire potius Ecclesiasticum, quàm forense iudicium adire. Ergo laicus pœnitens subditus est Ecclesiastico iudicio, & non sæculari. Aliqui tamen authores supradictum textum intelligunt non de quolibet publico pœnitenti, sed de pœnitenti solemniter, cuius meminit textus *in cap. fin.* 50. *distinct.* & differt à pœnitentia publica, & priuata ob certos ritus, & cæremonias, quas exercere debet, prout optimè expendit Couarr. *var. resolut. lib.* 2. *cap.* 10. *n.* 3. quæ pœnitentia solemnis iam non est in vsu. sic intelligunt gloss. *in dict. cap. aliud.* Calderin. *cons.* 7. *tit. de iudic.* Repert. Inquisit. *verbo pœnitentiam pecuniariam.*

Verùm ex supradicto textu nullo modo censeo colligi posse pœnitentes laicos subditos esse in ciuilibus, & criminalibus Ecclesiastico iudicio, & multo minus iudicio Inquisitorum. Primò, quia, vt ex relatis verbis constat, datur consilium pœnitenti, vt Ecclesiasticum iudicium adeat potius quàm forense: at hoc consilium iis pœnitentibus conuenire non potest. Nam vel sunt actores, vel rei: si actores sint, debent reum vocare apud ipsius rei iudicem, neque potest in hoc variare, vt tenent ferè omnes Doctores *in dict. cap. aliud.* Si autem ipse pœnitens reus sit, necessariò conueniendus est apud suum iudicem; & sic conuentus non poterit iudicium

cium subterfugere; atque adeò non verificari poterit, quòd ipse pœnitens eligere poterit iudicium Ecclesiasticum, potius quàm forense. Dices verificari posse; quia pœnitens laicus & subditus est sæculari iudicio, & subditus Ecclesiastico: si hoc eligat, eo quòd dum est in pœnitentia, videtur esse pauper, miserabilisque persona, ob cuius rationem sub protectione Ecclesiæ videtur constitui: iuxta textum *in cap. 1. & seq. 87. dist.* Sed facilè respondetur. Nam esto hic pœnitens sub paupere, miserabilique persona comprehendatur; adhuc conuenire non potest coram Ecclesiastico iudice laicum, nisi priùs probauerit iudicem sæcularem negligentem esse in administratione iustitiæ, iuxta textum *in cap. nouit, de iudiciis.* probata autem negligentia, & remissione iudicis sæcularis poterit coram Ecclesiastico conueniri, iuxta textum *in cap. ex tenore, de foro compet. cap. significantibus,* vbi glossa, *de offic. deleg.* & tradit optimè Couarr. *pract. quæst. cap. 6. num. 1. vers. imò, & in hoc tractatu.* Secundò multi Doctores sentiunt illum textum intelligi de pœnitente aliquo religioso, qui pœnitentiæ habitum assumpsit, ratione cuius est constitutus Ecclesiastica persona, vti tradit Simanc. *catholic. instit. tit. 47. num. 21.* Pegna *direct. 3. p. quæst. 97. comm. 146. circa medium, vers. denique non obstat.* De hoc enim dicunt Doctores, si habeat causam, quam fortè negligere non debeat, possit reum laicum vocare ad Ecclesiasticum iudicium, si ipse vocatus consentiat, secus si renuat, cum non possit ratione pœnitentiæ maius priuilegium habere, quàm habeat sacerdos, qui reum laicum vocare non potest ad iudicium Ecclesiasticum ipso renuente. At ex hoc intellectu approbato à glossa, Dominico, Præposito, & Turrecrem. nullo modo infertur pœnitentem laicum Ecclesiæ reconciliatum, & pœnitentiæ iudicialis habitum gestantem posse conueniri, vel conuenire coram iudice Ecclesiastico; quia laicus reconciliatus non est persona religiosa, neque talis habitus impositio illum religiosum, aut Ecclesiasticum constituit. Ergo ex hoc textu non infertur hos pœnitentes iudicio Inquisitorum subdi. Neque video si Ecclesiastici sint pœnitentes, quare deberent Inquisitoribus, & non Episcopo subdi, tum in causis ciuilibus, tum in criminalibus. Quapropter si genuinam interpretationem textus velimus habere, necessariò supponendum est loqui Pontificem Leonem de pœnitente actore, quia in illo textu datur libertas eligendi iudicium, & consilium eligendi Ecclesiasticum potius quàm forense: at actori datur liberum arbitrium eligendi iudicium, aut illud omittendi; non autem reo datur optio declinandi iudicium sæculare, si ad illud pertineat; quia laicus est, vel Ecclesiasticus: si Ecclesiasticus sit, cum nullo textu, vel ratione eximatur. Posito, inquam, loqui Pontificem de pœnitente actore, dicendum est hunc pœnitentem optimè posse debita iusta reposcere: at quia peccatorum veniam postulat, meliùs faciet, si ab hac petitione abstineat. Nam esto habeat causam, quam fortè non debeat negligere, expedit illum, vt Ecclesiasticum iudicium adeat, & non forense, hoc est, vt pœnitentiæ iudicium exequatur: & iudicio forensi, hoc est, exactioni, & petitioni iudiciali, siue per Ecclesiasticos iudices, siue per sæculares facienda sit, non se immisceat, quousque tempus pœnitentiæ adimpleat. Neque nouum videri debet alicui, vt iudicium Ecclesiasticum pro iudicio pœnitentiæ, seu pro executione pœnitentiæ iniunctæ vsurpemus, vt vsurpat Couarr. *pract. quæst. cap. 34. circa finem, num. 4. vers. hinc sequitur.*

Dissoluto ergo hoc fundamento, cùm nullum aliud sit, ex quo colligi possit pœnitentes laicos iudicio Ecclesiastico in ciuilibus, vel in criminalibus subditos esse, asserendum est, nequaquam Inquisitorum iudicio subditos, sed à suis iudicibus iudicandos fore, sicut si pœnitentialem habitum non gestarent. sic docuit Rojas *singul. 98.* Simanc. *catholic. instit. tit. 47. rubr. de pœnitent. & conuersis, num. 18. & seq.* Decian. *tract. crimin. lib. 5. cap. 23. num. 15.* Couarr. *pract. quæst. cap. 34. à num. 3. & præcipuè num. 5.* Pegna *direct. 3. p. quæst. 97. comm. 146. circa medium, vers. in altera ergo quæstionis parte.* Ratio à priori est; quia Inquisitoribus prohibita est cognitio aliarum causarum ab hæresi, seu quæ hæresim concernunt. *cap. accusatus. §. sanè. de hæreticis. in 6.* Sed ex eo quòd causæ agitandæ sint pœnitentium, non efficitur esse causas hæresis, neque hæresim concernere. Ergo ad Inquisitores pertinere non possunt ex iure communi. Restat ergo, vt ex aliquo priuilegio pertineant, quod nullum esse appatet. Neque deest pro hac parte ratio congruentiæ: si enim ij pœnitentes Inquisitorum iudicio subderentur, ex delicto commodum reportarent; siquidem consequerentur priuilegium exemptionis à propriis iudicibus, quod familiares, & officiales Inquisitionis ob seruitia exhibita, & exhibenda consequuntur, quod videtur absurdum, item daretur illis occasio delinquendi dum viderent ab Inquisitoribus non esse ita seuerè puniendos pro suis excessibus, ac si propriis iudicibus subderentur.

11 In regno tamen Aragoniæ, Valen. & Barcin. Inquisitores ex particulari priuilegio summi Pontificis, & Hispaniarum Regis cognoscunt de cōmittentibus nefandum crimen quicunque sint: & aperitur via cognitioni huius criminis, ex depositione vnius testis etiam complicis; qua dispositione facta si adsint aliquæ aliæ præsumptiones de delicto commisso, comprehenditur, & in carceribus secretis detruditur, examinatur; si neget, vocatur testis, & in eius præsentia procuratur conuinci: quòd si in negatiua perseueret, & rationes testis vrgentes sint, quæstioni exponitur, quam si vincat, liber dimittitur: at si delictum fateatur, & maior sit 25. annis, curiæ sæculari relaxatur in actu publico: si delictum tribus testibus comprobetur, etiamsi singulares sint, relaxandus est quantumuis neget, iuxta legem regni editam anno 1598. si minor est 25. annis flagellis cæditur, & triremibus addicitur. Simul cum Inquisitoribus de hoc delicto Cæsar Augustæ cognoscit ordinarius Ecclesiasticus, sicut in causis fidei: at Barcinonæ cognoscit sæcularis iudex simul cum Inquisitore. Nunquam ob delictum bestialitatis crematur animal in tribunali Inquisitionis, fortè ne à denunciando aliqui huius occasione retardentur.

12 Quarta quæstio, an possint Inquisitores vices suas aliis committere. Certum est posse; quia ita supponitur *in cap. ne aliqui, de hæretic. cap. vt commissi. §. committendi, de hæreticis in 6. & in Clement. 1. eod. tit. §. porrò.* ibi Inquisitoris, vel suorum commissariorum ordinatio refragatur, *& deinde coram dictis Inquisitoribus, & substitutis ab eis.* & *in §. verum*, dicitur Inquisitoribus prædictis ac aliis ad dicti executionem officij *substituendis ab eis*, & *in Clement. 2. eod. tit. de hæretic.* ibi, super hoc *deputatis commissariis.* Id ipsum probant constitutiones Clement. VII. & Pij II. quarum meminit Pegna *direct. 3. p. q. 13. com. 62.* Ioan. Azor. *1. p. instit. cap. 18. q. 10.* Sed dubium est, an possint non solùm iis commissariis, & vicariis electis delegare receptiones denunciationum, inquisitionum, formationes, testium examinationē, sed etiam definitiuam sententiam aduersùs quemcunque reum. Et ratio dubitandi oritur ex Vrbani IV. rescripto quodam incipiente, *Licet ex omnibus*, cuius meminit Pegna *direct. 3. p. num. 37. com. 10.* Vmbert. Locat. *in iudicial. inquisit. verbo inquisitor. num. 4.* Calderin. *tract. de hæret. rub. de officio vicarij. num. 1. & seq.* in quo rescripto solùm ad præparatoria sententiæ plena facultas conceditur. Ergo tacitè negatur de sententia. Nihilominus dicendum est spectato iure, & rigore posse Inquisitorem non solùm vnum, sed plures vicarios, si id expedire iudicauerit, substituere, quibus integrè vices suas committat etiam

etiam vsque ad sententiæ definitiuæ prolationem: sic docet Eymeric. & Pegna *loco allegato*. Farinacius pluribus comprobans, *q.* 186. *num.* 29. Molin. *tract.* 5. *de iustit. disput.* 28. *num.* 8. Azor 1. *part. lib.* 8. *cap.* 8. *quæst.* 10. Ratio est, quam tradit Eymer. 3. *part. director. quæst.* 15. quia Inquisitor, vt diximus, est delegatus Sedis Apostolicæ; sed delegatus potest subdelegare, & alteri vices suas plenè committere, ex *cap. super quæstionum, de offic. iudic. deleg.* Ergo. Verùm etsi hoc ita sit, nunquam tamen Inquisitores deberent commissariis pro sententiis pronuntiandis, præcipuè aduersùs relapsos, & impœnitentes vices suas committere; quia cùm de vita hominis agatur, altiori examine, quàm eo quod fieri potest per vicarium indiget: imò est conueniens, vt nec examinatio testium illis concedatur, nisi fortè in aliquo casu graui, & vrgenti, quando neque ipsi testes ad Inquisitorem accedere facilè possunt, neque Inquisitor ad illos: sicut in Hispania cautum est quadam Hispalensi instructione edita anno 1484. *cap.* 17. cuius meminit Pegna *dict. direct.* 3. *part. cap.* 37. *comment.* 10. Quapropter in Hispania solùm commissariis conceditur ex officio denuntiationes recipere, vt testatur Molin. *dict. disp.* 28. *n.* 8. *in fine.*

13 Huiusmodi autem commissarij generaliter constituti ab Inquisitore, etiam cum potestate pronuntiandi definitiuam sententiam, nullo modo possunt alteri vices suas, neque in totum, neque in parte subdelegare; ita cum glossa *cap. super quæstionum*, *§. porrò, verbo transfert, de offic. iudic. deleg.* & glossa *in cap. cùm causam, verbo delegatus, de appellationibus.* Ioan. Andr. Albertin. Panormit. Alexand. & communi sententia tradit Pegna 3. *part. direct. quæst.* 15. *comment.* 64. Molin. *suprà num.* 8. *in medio.* & Azor *quæst.* 10. Probant primò, quia si commissarius, qui est subdelegatus, posset alium subdelegare, hic secundus subdelegatus posset alium subdelegare, & sic in infinitum; cùm nulla excogitari possit ratio, ob quam magis primus, quàm reliqui subdelegare possit. Processum autem in infinitum iura abhorrent, ac vitare præcipiunt. *l. si deicommissum, §. si quis, ff. de legatis* 3. Ergo. Secundò, lex delegatis à Principe concedit potestatem subdelegandi, quam tamen potestatem aliis delegatis, vel subdelegatis non concedit. Ergo signum est esse quasi priuilegium personale delegatorum, quod in alios transmitti non potest, iuxta textum *cap. priuilegium, de reg. iur. in* 6. notántque glossa *in cap. quàm sit, de elect. in* 6. & Bart. *in l. si is qui pro emptore, ff. de vsucap.*

14 Quinta quæstio est, an si plures Inquisitores pro vna prouincia eligantur, quilibet independenter ab alio procedere possit? Certa regula est & posse simul, & separatim procedere, prout sibi magis expedire visum fuerit. habetur expresse *in cap. vt officium, de heret. in* 6. ibi, Mandamus quatenus vbique in præfata prouincia simul, vel separatim, aut singulariter, prout negotij vtilitas suadebit contra hæreticos, credentes, receptatores, fautores, & defensores eorum, necnon contra infamatos de hæresi, vel suspectos iuxta sanctiones canonicas procedatis. & redditur ratio in supradicto textu, vt sic officium inquisitionis efficaciùs impleatur, & liberiùs res fidei tractentur, & hæretici, eorúmque fautores pluribus iudicibus comprimantur: sic pluribus comprobat Farinacius *quæst.* 186. *num.* 24. Pegna cum Eymer. 3. *part. direct. quæst.* 46. *comment.* 95. Molin. *tract.* 5. *de iustit. disp.* 28. *num.* 9. vbi aduertunt reum ab vno Inquisitore punitum ab alio puniri non posse; quia pro vno delicto vnica pœna illi correspondente reus afficiendus est, non pluribus. In Hispaniis autem ex quadam instructione Toletana, cuius meminit Rojas *singul.* 17. *num.* 6. & Farinacius *suprà*, quando duo, vel plures Inquisitores vnius districti præsentes sunt, non potest vnus sine altero ad capturam procedere, neque ad purgationem indicendam, neque ad publicationem testium, neque ad copiam actorum reo decernendam, & multo minus ad sententiam. Denique seruare tenentur formam ab Inquisitore generali eis præscriptam, quia dependenter, vt diximus, ab illo recipiunt iurisdictionem.

15 Quòd si Pontifex contra aliquem, vel aliquos specialiter, & expresse Inquisitorem designasset: tunc reliqui Inquisitores generaliter designati, de tali causa cognoscere nullatenus possent, etiamsi cognoscere incepissent; quia illa delegatione speciali facta, censetur Pontifex illam causam sibi, & illi delegato specialiter aduocare, & consequenter aliis potestatem cognoscendi interdicere: sic aliis relatis docet Pegna *dict. q.* 46. *comment.* 45. *versic. sed obiter.* Molin. *suprà num.* 9. Farinacius *quæst.* 186. *num.* 25. & probat textus *in cap. vt nostrum, de appellationib. & in cap. studuisti, de offic. delegat.* Ex quo fit si hic Inquisitor specialiter designatus obeat, vel alia via iurisdictio illius cesset, non posse Inquisitores generaliter designatos, neque Episcopum de illa causa cognoscere; quia iam fuit Pontifici aduocata, & ab eorum iurisdictione sublata. sic Molin. *d. disp.* 28. *num.* 9.

Ad huius autem causæ cognitionem, si hic Inquisitor specialis indigeat informationibus, & depositionibus factis apud alios Inquisitores, poterit illos compellere, vt ea sibi exhibeant. iuxta textum *in cap. vt commissi, versic. necnon, de hæreticis, in* 6. & iuxta constitutionem Bonifac. VIII. & Alexand. IV. quarum meminit Pegna 3. *part. comment.* 88. *super quæst.* 39. Molin. *dicto num.* 9. Scaccia *de iudic. cap.* 67. *num.* 10. Farinacius *quæst.* 186. *num.* 25. Addunt tamen, & bene, Molin. & Pegna *suprà*, modestè procedendum esse in hac parte. Primò enim instrumenta petenda sunt amicabiliter; quòd si huic petitioni acquiescere noluerint, expedit Romanum Pontificem consulere, neque illo inconsulto vi compellendi sunt, nisi in aliquo casu raro, & vrgenti.

16 Sexta difficultas, an expiret iurisdictio morte delegantis?

Respondeo, si absolutè institutus est, non expirat etiam re integra. In quo ob fauorem filij iurisdictioni ordinariæ comparatur. habetur expresse *in cap. ne aliquis, de hæreticis, in* 6. ibi, præsenti declaramus edicto ipsum officium non solùm quoad negotia viuente mandatore incepta, imò etiam *quoad integra, & non cœpta, & quod plus est quantũ ad ea quæ tunc nequaquam emerserant in fauorem fidei post committentis obitum durare*, & notant ibi glossa, & Doctores omnes. Quod intelligendum est non solùm de Inquisitoribus a summo Pontifice immediatè electis, sed etiam de Inquisitoribus, à Cardinalibus, & generali Hispaniarum Inquisitore nominatis; quia omnes hi delegati sunt à Pontifice, & tradit expresse cum Eymer. Pegna 3. *part. direct. quæst.* 7. & 8. *comment.* 56. & 57. Farinacius *quæst.* 186. *num.* 20. Azor 1. *part. institutionum moralium, cap.* 18. *quæst.* 7. Lœlius Zechius *summ.* 1. *part. tit. de fide, rubr. de hæresi, cap.* 11. *num.* 13. *vers. ne eorum potestas.*

17 Solum est dubium, si ad beneplacitum non quidem Sedis Apostolicæ, sed Pontificis esset delegatio facta, an tunc expiret morte delegantis? Affirmat Ioan. Andr. *in dict. cap. ne aliquis, de hæreticis, in* 6 *in gloss.* 1. Geminian. *num.* 4. *versic. & intellige præmissa.* Francus *num.* 2. *versic. in glossa prima.* Nicol. Arelatens. *notab.* 4. *num.* 3. Decian. *tractat. crimin. lib.* 5. *cap.* 20. *num.* 8. *versic. fallit tamen, & cap.* 22. *num.* 19. Syluest. *verbo hæreticus*, §. 2. *num.* 3. quos videtur sequi Farinacius *de hæresi, quæst.* 186. *num.* 22. & 23. Mouentur ex *cap. si gratiosè, de rescriptis, in* 6. vbi delegati ad beneplacitum Sedis non finiuntur morte delegantis, secus si ad beneplacitum Romani Pontificis. Cæterùm verius est iurisdictionem

sic

sic delegati non expirare, nisi id in litteris delegationis expressum fuerit; semper enim ob singularem fidei fauorem censenda est concessa iurisdictio ad beneplacitum sedis, etiam si sub verbo Romani Pontificis concedatur. Aliàs contingere casus posset in quo hæreses extirpari non possent, quia cessat qui poterat hæreticos inquirere, aut inquisitos punire, quod non est admittendum: & ita docet Francisc. Pegna *direct. 3. p. q. 7. com. 56. vers. sed vt verum fatear.* Azor. 1. *p. institut. moral. lib. 8. cap. 18. quæst. 7.* quos refert, neque impugnat Farinac. *suprà num. 23.*

18 Septima quæstio, à quo reuocari possit Inquisitorum iurisdictio? clarum est reuocari posse à Pontifice, qui eam concedit. Sed cùm olim Inquisitores non solùm à Pontifice eligerentur, sed etiam à ministro generali, & prouinciali, eiúsque ministris, tam in ordine D. Dominici, quàm Francisci, meritò concessum fuit iis superioribus posse à se electos authoritate Apostolica remouere, cùm id sibi visum fuerit expedire: sic ex priuilegiis concessis iis ordinibus, & ex constitutione Innocent. edita anno 1254. incipiente, *Licèt ex omnibus*, & ex alia constitutione Clement. IV. edita anno 1265. similiter incipiente, *Licèt ex omnibus*, & aliis probat Pegna 3. *p. direct. quæst. 9. com. 58.* Farinac. *quæst. 186. num. 32.* Azor. 1. *p. lib. 8. cap. 18. quæst. 9.* At cùm hodie Inquisitores ab iis prouincialibus, aut generalibus non eligantur, sed pro tota Italia ab Illustrissimis Cardinalibus vniuersali Inquisitioni præsidentibus, & in Hispania ab Inquisitore generali, ij tantùm à se electos poterunt de vno loco in alium transferre, & ab officio remouere, cùm id visum fuerit expedire: sic notant relati Doctores.

19 Sed dubium est, an sine vlla causa, sed solo libero eligentiũ arbitrio possint huiusmodi Inquisitores electi ex vno loco in alium transferre, vel ab officio remoueri? Ratio dubitandi est; quia in litteris electionis horum Inquisitorum dicitur esse electos, dum nostra voluntas fuerit. quæ verba videntur indicare liberum, & absolutum arbitrium non iure, & æquitate regulatum: vt multis exornat Menoch. *lib. 1. de arbitrar. quæst. 7. num. 2.* At quoties in pleno, & libero arbitrio alicuius negotium situm est, expedire illud potest pro voluntate nullis legibus subiecta; secluso tamen dolo, vt rectè expendit idem Menoch. *quæst. 6.* Ergo Inquisitores electi à Cardinalibus, & ab Inquisitore generali, & mutari de loco in locum, & ab officio remoueri pro libera voluntate eligentium possunt: & ita videtur sentire Ludouic. Molin. *de instit. tract. 5. disput. 28. num. 7. vers. neque obstat, & vers. confirmare possumus, circa finem.* In his enim locis, & alibi affirmat hos Inquisitores esse amobiles ad nutum Inquisitoris generalis.

20 Cæterùm omnino dicendum est non posse absque causa legitima intercedente Inquisitorem inuitum de vno loco in alium transferri, aut ab officio remoueri. Moueor, quia in supradictis decretis, & constitutionibus, in quibus potestas conceditur mutandi, & remouendi Inquisitores electos, semper adduntur illa verba, *si ita expedire visum fuerit, vel si ita vobis videbitur.* At hæc verba non indicant plenum arbitrium, sed arbitrium regulatum iure, & æquitate. Primò enim verbum *expedire* conuenientiam ipsius officij continet, iuxta *cap. non solum, de regularib. lib. 6.* & tradit alios referens Menoch. *lib. 1. de arbitr. quæst. 8. num. 5.* Pegna *direct. 3. p. quæst. 10. com. 59. vers. quæ autem sint causæ.* Deinde verbum illud, *si ita vobis videatur*, etiam denotat boni viri arbitrium, ac proinde ratione, & lege regulatum: vt alios referens probat Menoch. *dicta quæst. 8. num. 2. ex l. si fideicommissaria libertas. 2. in princ. ff. de fideicommissar. libertatib. & l. fideicommissa. §. quamquam, de legat. 3.* & tradit Pegna *loco allegato.* Adde etsi Inquisitoris generalis, & illustrissimorum Cardinalium arbitrio commissa esset potestas mutandi, vel remouendi Inquisitorem electum, adhuc credendum non est, liberum illis esse, prout sibi placuerit, facere; sed omnino eorum placitum iure, & æquitate firmari debet, vt satis colligitur ex iis quæ adducit Menoch. *quæst. 8. à num. 7.* vbi probat causam commissam ad beneplacitũ alicuius esse commissam secundùm boni viri arbitrium. Et idem est, quando eius potestati committitur, vt ex Bart. Ang. Gozadino probat idem Menoch. *num. 47.* Denique quòd causa aliqua requiratur ad hanc mutationem, vel remotionem faciendam, officio Inquisitionis conuenientius est: tum quia Inquisitores ampliùs reuerebuntur: tum quia exactiùs negotia fidei tractabunt, videntes non prohibitos, sed ex causa remouendos esse, docent generaliter loquentes Eymeric. *direct. 3. p. quæst. 10.* & ibi Pegna *com. 59.* Vmbert. Locat. *in iudicial. inquisit. verbo inquisitor. n. 38. vers. Nota tamen, & num. 40. per totum.* Farinac. *quæst. 186. num. 33.* Azor. 1. *p. lib. 8. cap. 18. quæst. 9. vers. si quæras.* Lælius Zech. *sum. 1. p. tit. de fide, rub. de hæresi. cap. 11. num. 13. vers. & Inquisitores.* Neque obstat quòd Inquisitor generalis in delegatione dixerit vices suas committere, dum ipse non reuocauerit, seu ad suum beneplacitum adhuc non potest sine iusta causa ab officio remouere; quia concessio facta ad beneplacitum perpetua esse dicitur, vt probat Menoch. *quæst. 69.* & beneplacitum significat arbitrium boni viri, vt tradit idem Menoch. *quæst. 6. num. 10.* & faciunt pro hac parte ea quæ adducit *q. 55. num. 11. & 12.*

21 Quòd si inquiras, quæ sint causæ, ex quibus Inquisitores ab officio remoueri possunt, vel ab vno loco in alium transferri? Respondeo ad remouendum ab officio Inquisitorem tres causas in genere à Doctoribus expostulari, ad quas omnes reducuntur, impotentia, negligentia, & iniquitas, maximè prætextu officij commissa, quarum quælibet per se sufficiens est: sic Eymeric. *direct. 3. p. quæst. 12. num. 5.* Pegna *comm. 61.* Lælius Zech. Azor, & Farinac. *suprà.* Et quidem impotentiam præbere sufficientem causam remotionis nemini dubium est, cùm officium datur ob exercitium, vnde impotens illud exercere priuari illo debet. Sub impotentia comprehenditur infirmitas, senectus, & ignorantia, quæ officio exercendo obstant. Infirmitas non quidem temporalis, sed perpetua, aut quasi perpetua: hæc enim est, quæ absolutè ineptum reddit officio exercendo. Alia verò temporalis non absolutè, sed secundùm quid, quo tempore scilicet limitato, reddit sic affectum impeditum pro quo tempore limitato constituere vicarium potest, & impotentiam supplere, sicuti si ob iustas causas pro limitato tempore absens esset. Senectus, si rectum iudicium, & præcedentem deliberationem tollat, aliàs non. Ignorantia, si adeò grauis sit, vt ignorent ea, quæ ad exercendum hoc officium requirantur; neque enim fas est Inquisitoribus omnia consultorum consilio remittere, quasi ipsi solùm essent Inquisitores, & non iudices; ipsi enim scientiam habere debent, qua possint rationes perpendere, & difficultates examinare, & quod iuri, & æquitati conformius est iudicare, aliàs inepti sunt officio exercendo, & in peccato mortali constituti, meritóque remouendi. Secunda causa est negligentia, quæ in quolibet officio sufficienté præbet occasionem, vt remoueatur ab illo, qui illam committit. *cap. si qui Episcopi. 1. q. 1. l. vlt. ff. vbi pupill. educari debeat. l. carceri. ff. de custod. reorum, & l. si quos. C. de officio præfecti prætorio*, & scribunt Roman. *consil. 467.* Glossa *in cap. excommunicamus, verbo neglexit. de hæreticis.* Bald. & Iason *in l. argentarius. §. vlt. ff. de edendo.* ex illo text. Alexand. *l. penult. num. 5.* & ibi Iason. *num. 9. in fine.* Decius ibi. *6. notab. C. de pactis.* Iul. Clar. *lib. 5. sentent. iuris. § fin. quæst. 73. vers. item iudex.* Menoch. *de arbitr. lib. 1. quæst. 55. num. 14. & lib. 2. casu 341. num. 1.* Hæc autem negligentia non solùm contingit, quando aduersùs hæreticos, aut

de

de hæresi suspectos non procedit, sed etiam quando non procedit debito tempore, ob quam remissionem fortè capiendus aufugit, aut aufugere poterat, vel interim hæreses disseminauit. Adde cùm hoc sit grauissimum crimen, & reipublicæ Christianæ perniciosissimum, quælibet negligentia in illo extirpando graue crimen reputatur, & meritò occasionem præbet ab officio negligentem remouendi. Quòd si hæc negligentia odij gratia, vel amoris lucri causa procedat; vltra debitam remotionem ab officio, si fuerit Episcopus suspenditur ipso facto per triennium ab officio; reliqui verò excommunicationem Pontificiam reseruatam incurrunt: habetur *Clement*. 1. §. *verum, de hæreticis, in fine*. Adde, ex quocumque fine Episcopus, & Inquisitor negligentes fuerint in hæreticis inquirendis, & puniendis, si eorum negligentia grauis fuerit, fautoriam hæresis incurrunt, ex text. *in cap. qui potest obuiare*, 23. *quæst*. 3. *cap. quanta, de sentent. excommunicat.* & aliis relatis docet Farinacius *quæst*. 186. *num*. 147. Meritò ergo ob tale crimen deponendi sunt ab officio, vt multis relatis docet idem Farinacius *quæst*. 182. *num*. 24. Tertia causa est iniquitas, quæ si prætextu officij commissa est, manifestissimam præbet occasionem remouendi ab officio iniquum. Non enim meretur officium retinere, qui in officium delinquit, præcipuè in officium ita sacrum, & ab omni iniquitate alienum. sic docet Menochius *lib*. 1. *de arbitr. quæst*. 55. *num*. 15. Roman. *consil*. 467. *fine*. Pegna *dicta* 3. *part. director. quæst*. 12. *comment*. 61. *post medium, versic. denique*. Farinacius *quæst*. 186. *num*. 34. Hinc infertur, si illicitè pecuniam extorqueas sacri Officij prætextu, dignus es, vt ab officio remouearis: & traditur expresè *in Clement*. 2. *de hæreticis*, vbi postquam sententiam excommunicationis aduersùs Inquisitores, & commissarios pecuniam illicitè extorquentes tulit, mandat eos ab officio remouere, & amotos aliis pœnis arbitrariis puniri. Sub nomine pecuniæ quælibet res pretio æstimabilis intelligitur. sic glossa *in supradicta Clement. verbo pecuniam*. Farinacius *quæst*. 186. *num*. 139. Pegna *director*. 3. *part. quæst*. 12. *comment*. 61. *post medium, versic. nomine pecuniæ*. Thomas Sanchez plures referens, *lib*. 2. *cap*. 20. *num*. 9. Dixi, si prætextu officij iniquitas commissa est; quia hoc crimen est, quòd præcipuam occasionem præbet ab officio remouendi eum, qui illud committit. At cùm hoc officium Inquisitoris expostulet viros prudentia, doctrina, & omni virtute conspicuos, iuxta constitutionem Vrbani IV. incipientem, *Præ cunctis*, cuius meminit Vmbert. Locat. *in iudicial. inquisit. verbo Inquisitor, num*. 3. & tradit Simancas *catholic. institut. tit*. 34. *num*. 9. *&* 10. *& in enchirid. tit*. 7. *num*. 2. Eymer. 3. *part. direct. q*. 1. Farinacius *q*. 186. *n*. 54. meritò infectus graui aliquo crimine, quodcumque sit, præcipuè si scandalum generat, ab officio remoueri debet.

22 Hucusque diximus de causis, ob quas ab officio Inquisitor remoueri possit. At si loquamur non de remotione ab officio, sed de mutatione ex vno loco in alium, dicendum est posse Cardinales illustrissimos, & Inquisitorem generalem Hispaniarum Inquisitores à se electos mutare, etiamsi nullam culpam commiserint, si videant officio inquisitionis talem mutationem conuenientiorem esse: etsi ei, qui mutandus est, non sit ita conueniens; quia hoc expedit potestati gubernatiuæ illis commissæ. Neque ad hanc mutationem faciendam opus illis est conuenientiam iuridicè probare: aliàs rarò possent mutare inuitos, & transferre Inquisitores ad loca infesta, vbi fortè eorum industria necessaria est. hincque sequeretur causam fidei maximè periclitari. Quapropter hoc negotium eorum conscientiæ, & prudentiæ est relictum, qui re maturè cognita, vt decet, non odio ducti, sed zelo fidei accensi hanc faciant mutationem.

23 Octaua quæstio est, quis possit delinquentes Inquisitores punire? Vt respondeam, distinguendum est inter Inquisitores religiosos, & sæculares clericos, & inter delictum in officio, vel extra. Si Inquisitores clerici sint sæculares, à Cardinalibus sanctæ Romanæ inquisitionis electi ab iis puniri debent, quocumque modo delinquant; quia iis sunt subiecti. Si à generali Hispaniarum Inquisitore electi sunt, ab ipso puniri possunt, ob eandem rationem. At si Inquisitores sint religiosi, cùm ratione religionis suis superioribus subdantur, existimat Eymeric. *director*. 3. *part. quæst*. 12. *num*. 1. & Vmbert. Locat. *in iudicial. inquisit. verbo Inquisitor, num*. 40. posse à suis superioribus coërceri, & puniri, si extra suum officium, & contra regularem obseruantiam delinquant. Secus si in proprio officio, quia in illo à propriis Prælatis exempti sunt, ex constitutione Alexandri IV. & Clementis IV. quarum meminit Eymeric. 3. *part. director. quæst*. 11. & ibi Pegna *comment*. 60. Decianus *tractat. crimin. lib*. 5. *cap*. 22. *num*. 33. Farinacius *quæst*. 186. *num*. 128. Cæterùm credo non solùm delinquentes in proprio officio, sed nec delinquentes extrà posse à suis Prælatis puniri, pœna, inquam, quæ aliquo modo retardare possit proprij officij exercitium. Ratio est, quia in supradictis constitutionibus eximuntur Inquisitores in suo officio exercendo à Prælatorum obedientia, ita vt ipsis Prælatis grauiter iniungatur, ne dictos Inquisitores ab executione sui officij directè, vel indirectè impediant. Si autem possent culpas extra officium commissas punire, consequenter possent indirectè eorum officium impedire. Ne ergo admittamus inconueniens, quod Pontifices in dictis constitutionibus vitare curarunt, dicendum est nullo modo posse hos Inquisitores à suis Prælatis puniri pœna, quæ aliquo modo exercitium sancti officij retardet, sic docet Farinacius *quæst*. 186. *num*. 132. vbi inquit: Tu verò dicas, quòd licèt Inquisitores teneantur parere suis superioribus regularibus, in his, quæ regulæ obseruantiam, & alia per quæ directè, aut indirectè sanctum Officium non impeditur, respiciunt, & propterea in delictis extra officium per eosdem superiores moneri, & reprehendi: non tamen puto, quòd dicti superiores possint eos punire, & consequenter ab eorum officio per indirectum retrahere, sed bene poterunt assumere informationes, illasque ad supremum tribunal transmittere, expectans quid sibi ab eodem tribunali supremo mandetur: aliàs esset inuenta aperta via impediendi officium Inquisitionis per indirectum. Hæc Farinacius.

24 Nona quæstio est de ætate, & qualitate requisitis in eo, cui est Inquisitoris officium commissum. Qua in re dicendum est: Spectato iure communi quadragesimum annum attingere debet Inquisitor ab alio, quàm à Pontifice electus: habetur expresè *Clement*. 2. *de hæreticis*. ibi, *Statuimus nullis ex tunc, nisi qui quadragesimum ætatis annum attigerunt, officium inquisitionis prædictæ committi Inquisitoribus*, & ibi notarunt glossa, & omnes. Aliàs electio facta nulla esse videtur, vtpote facta contra formam præscriptam, & conditionem à iure requisitam. sic glossa *in dicta Clement. verbo committi*. & ibi Ancharan. *post num*. 2. *versic. quærit Paulus*. Cardinal. Zabarella *num*. 3. *versic. tertio quæro*. Ioan. de Imola *num*. 5. & Bonifacius de Vitalinis *num*. 27. Farinacius *quæst*. 186. *num*. 50. Ab hac conclusione excipit Simancas *catholic. institut. titul*. 34. *num*. 12. Inquisitores Hispanos, qui ex speciali summi Pontificis decreto eligi possunt annum trigesimum attingentes. Subdit tamen Pegna 3. *part. director. quæst*. 2. *comment*. 51. *versic. Simancas.* hoc

hoc priuilegium se non vidisse; & quamuis in Hispania sic fiat, alibi ius commune seruandum esse, in quo tamen iusta causa intercedente dispensari poterit à Pontifice, expectata personæ eligendæ probitate, doctrina, ac prudentia. Ratio verò, quare hæc tam matura ætas in Inquisitore requiratur, cùm in Episcopo hoc officium exercente requisita non sit, sed solùm annus trigesimus, traditur optimè à Panormitano *cap. cùm in cunctis*, §.1 *num.6. de electione.* quia de Episcoporum moribus, doctrina, & prudentia fit ante electionem accurata indagatio, quæ tamen non præmittitur in electione Inquisitoris; ideóque in Episcopo tanquam in persona aliàs cognita idonea, non est requisitus ad officium Inquisitoris annus 40. qui tamen requisitus est in Inquisitore, aliàs idoneo non probato.

Notanter dixi requiri annum 40. in Inquisitoribus electis ab alio, quàm à Pontifice; quia de illis tantùm loquitur textus *in Clement.* 2. vt constat ex illis verbis, *committi Inquisitoribus*, quæ explicans glossa verbo *committi*, inquit per Prælatos prouinciales, vel ministros illorum ordinum, quibus deputatio talium à Sede Apostolica est commissa. Quocirca si à Pontifice immediatè eligantur, non videtur necessarium annum 40. attingere: sed in quacumque ætate eligantur, valet eorum electio, etiam ignorante Pontifice ætatem. sic Farinacius *quæst.* 186. *num.* 51. cum Bonifacio de Vitalinis *in supradict. Clement.* 2. *num.* 4. *versic. vnde si Papa.* & subdit Farinac. hoc procedere in Inquisitoribus electis à consistorio Cardinalium, quia eliguntur de scientia summi Pontificis.

25 Præter ætatem aliæ qualitates in Inquisitore requiruntur: nempe probitas vitæ, doctrina non vulgaris, & prudentia non mediocris; cùm enim hoc officium omnibus antecellat, quid mirum si illius præfecti commune genus hominum debeant excedere? Quapropter Eymeric. huius tribunalis satis bene meritus, 3. *part. director. quæst.* 1. dixit Inquisitorem debere esse conuersatione honestum, prudentia circumspectum, constantia firmum, sacra doctrina fidei eminenter eruditum, & virtutibus circumfultum: quod ibi confirmat Pegna *comment.* 50. Simancas *catholic. instit. tit.* 34. *rubr. de inquisit. Apostol. num.* 9. & 10. & *in enchirid. violat. relig. tit.* 7. *rubr. de inquisit. num.* 2. Vmbert. Locat. *in iudicial. inquisit. verbo Inquisitor, num.* 3. vbi adducit constitutionem Vrbani IV. incipientem, *Præ cunctis*, in qua hæ qualitates miris verbis expostulantur. Quòd si roges, an scientia Theologiæ, vel iuris canonici pollere debeat? Respondeo vtraque debere, Theologia, vt hæreses cognoscat; iure canonico, vt causas, & lites decidere valeat: sic Azor 1. *p. instit. lib.* 8. *cap.* 18. *q.* 3. Farinacius *q.* 186. *n.* 54. *fine.*

26 Sed quid dicendum de commissariis Inquisitorum, & Episcoporum? Glossa, & Ioann. Andr. *in dicta Clement.* 2. *de hæreticis*, eandem ætatem, & qualitatem expostulat, ac in Inquisitoribus, quia loco Inquisitorum substituuntur, & substitutus naturam principalis sapere debet. *l. parabolam, C. de Episcopis, & clericis.* Cæterùm dicendum est sufficere annum 30. attingere, quia ita statutum est à Clemente VII. in constitutione incipiente, *Cùm sicut*, relata à Pegna inter litteras Apostolicas, cuiúsque meminit ipse *in director.* 3. *part. quæst.* 13. & 16. *comment.* 62. & 65. vbi inquit Pontifex. Decernimus insuper, vt vestros vicarios, siue commissarios instituere valeatis viros scientia probos, prouidos, aptos, & idoneos, dummodo *ætatis trigesimum annum attigerint*; sic notant Vmbert. Locat. *in iudicial. inquisit. verbo Inquisitor, num.* 4. *in fine.* Ioann. Azor 1. *part. lib.* 8. *cap.* 18. *quæst.* 4. *versic. quæret deinde.* Molin. *de iustit. tractat.* 5. *disput.* 28. *in fine, num.* 23. Neque mirum est minorem ætatem in commissario, quàm Inquisitore requiri, cùm rarò illis committatur integra Inquisitorum potestas. De aliis autem qualitatibus constat debere esse doctos, probos, & idoneos officio exercendo. Quapropter semper solet eligi clericus, qui in illa ciuitate, & Ecclesia aliquam dignitatem præeminentem habeat. sic Farinacius *quæst.* 186. *num.* 55.

PVNCTVM XIII.

Quem modum seruare debeant Inquisitores, & Episcopi in hæreticis inquirendis, & puniendis.

1 *Statuitur à Bonifac. VIII. & Clem. V. aliisque Pontificibus.*
2 *Iurisdictio delegata Inquisitoris, non derogat iurisdictioni diœcesani Episcopi.*
3 *Citatus ab Inquisitore, & ab Episcopo pro eodem tempore, potest comparere coram quo maluerit, si exemptus sit; si tamen subditus Episcopi, communis sententia defendit debere coram Inquisitore.*
4 *Non caret probabilitate posse adire, quem maluerit.*
5 *Commissarij citatio præferenda ne sit citationi ordinarij? Sub distinctione respondetur.*
6 *In Hispania cessat hæc controuersia.*
7 *Si Inquisitor, & Episcopus diuisim procedant, debent se communicare processus.*
8 *Non potest Inquisitor sine ordinario, neque ordinarius sine Inquisitore reum tradere duro carceri.*
9 *Item neque tormentis subijcere.*
10 *Neque potest Inquisitor sine Episcopi consensu priuare reum beneficijs acquisitis.*
11 *Obligatur Episcopus requirere Inquisitorem, & Inquisitor Episcopum, quoties vnus sine alio procedere non potest.*
12 *Quid si requisitus non comparet, vel non vult venire, &c.*
13 *Quando hæc obligatio requirendi tum in Inquisitore, tum in Episcopo procedat.*
14 *In Hispania nullus hæreticus relaxatur, nisi consulto supremo Senatu.*
15 *Quid faciendum, cum Episcopus, & Inquisitor discordant.*
16 *Suspectum de hæresi non potest Episcopus sine Inquisitore, aut econtrà ad abiurationem cogere.*
17 *Neque hæreticum pœnitentem.*
18 *Quod si de facto sic fuerit coactus abiurare, & denuò in hæresim incidit, non contrahit pœnas relapsi.*
19 *Sententiam absolutoriam tum definitiuam, tum interlocutoriam in Hispania non potest Episcopus sine Inquisitore, aut econtrà proferre. Idem censeo iure communi.*
20 *Proponitur contraria sententia, & validissimè probatur.*
21 *Pœnitentiam iniunctam ab Inquisitore, & Episcopo, non potest vnus illorum mutare. Et quid in Hispania.*

1 BOnifacius VIII. *in cap. per hoc, de hæreticis, in* 6. respondet ex delegatione Inquisitoris ab Apostolica Sede generaliter facta in aliqua prouincia, ciuitate, vel diœcesi, nihil diœcesanis Episcopis derogari, quin & ipsi authoritate ordinaria, vel delegata procedere possint. Deinde subdit, vt inquisitionis negotium efficaciùs, meliùs, vtiliúsque procedat; possunt Episcopus, & Inquisitor communiter, vel diuisim, inquirere, citare, capere, carceri recludere hæreticos, testes examinare, & alia quæ ad sententiam requiruntur. Sententia autem per vtrosque simul proferra

proferenda est, ad cuius prolationem, si diuisim processerint, tenentur sibi inuicem communicare processus, vt per hoc possit meliùs veritas inueniri: quòd si in sententia ferenda non conuenerint, per vtrosque negotium sufficienter instructum ad Sedem Apostolicam remitti debet. Siue autem ordinaria, siue delegata Episcopi potestate procedant, præscriptum Inquisitoribus modum à iure communi, & Sedis Apostolicæ rescriptis obseruare tenentur. Clemens verò V. in Concilio Viennensi, *in Clement. 1. multorum, de hæreticis*, postquam retulit multorum querelas, quòd Inquisitores metas suæ iurisdictionis excesserint, infidelium detrimentum subiungit, vt negotium inquisitionis huiusmodi eo prosperetur felicius, quo deinceps eiusdem labis indago solemniùs, diligentiùs, & cautiùs peragatur, ipsum tam per diœcesanos Episcopos, quàm per Inquisitores à Sede Apostolica deputatos (omni carnali amore, odio, vel timore, ac cuiuslibet commodi temporalis affectione semotis) decernimus exerceri: sic quòd quilibet de prædictis sine alio citare possit, & arrastrare, siue capere, ac tutæ custodiæ mancipare, ponendo etiam in compedibus, vel manicis ferreis, si ei visum fuerit faciendum, super quo ipsius conscientiam oneramus, nec non inquirere contra illos, de quibus pro huiusmodi negotio secundùm Deum, & iustitiam viderit expedire. Duro tamen tradere carceri, siue arcto, qui magis ad pœnam, quàm ad custodiam videatur, vel tormentis exponere illos, aut ad sententiam procedere contra eos, Episcopus sine Inquisitore, aut Inquisitor sine Episcopo diœcesano, aut eius officiali, vel episcopali Sede vacante, Capituli super hoc delegato, si sui ad inuicem copiam habere valeant, intra octo dierum spatium, postquam se inuicem requisierint, non valebit; & si secus præsumptũ fuerit, nullum sit, & irritum ipso iure. Verùm si Episcopus, vel eius Capituli Sede vacante delegatus cum Inquisitore, aut Inquisitor cum altero eorundem propter præmissa nequeat, aut nolit personaliter conuenire, possit Episcopus, vel eius, seu Capituli Sede vacante delegatus Inquisitor, & Inquisitor Episcopo, vel eius delegato, seu Sede vacante illi, qui ad hoc per Capitulum Sede vacante fuerit deputatus, super illis committere vices suas, vel suum significare per litteras consilium, & consensum. Hæc in dictis textib.

2 Ex iis infertur primò iurisdictionem delegatam generaliter Inquisitori pro aliqua diœcesi non derogare iurisdictioni diœcesani Episcopi, quia vtrique insolidum concessa est. Secus verò dicendum esset, si commissio restricta esset ad certas personas, certáque hæresis crimina, quia per illam specialem commissionem ordinariorum, aliorúmque Inquisitorum potestas censetur restricta. sic glossa *in d. cap. per hoc, verbo generaliter, de heret. in 6.* & ibi Ancharan. Gemin. Archidiac. Imola, Zabarella, Bonifac. Vitalin. quos refert, & sequitur Farinacius *q. 186. num. 59.*

3 Hinc oritur quæstio, an citatus ab Inquisitore, & ab Episcopo pro eodem tempore teneatur comparere coram Inquisitore, omissa Episcopi citatione, vel possit eligere quem maluerit? Et quidem si Episcopus non iure proprio, sed ex delegatione procedit, quia citatus exemptus aliàs est ab eius iurisdictione: tunc certum est posse citatum eligere quem maluerit, cùm non possit coram vtroque simul comparere: sic Ioan. Azor *1. part. lib. 8. cap. 18. q. 8.* Lælius Zech. *1. p. sum. tit. de fide, rubr. de heresi, cap. 11. n. 13. vers. secundò dicendum est.* Farinacius *q. 186. n. 95.* Ne autem in hoc casu videatur mandatum vnius contemnere, expedit comparens coram vno, coram alio protestari impotentiam comparendi, etsi ad id non teneatur. sic Eymer. *3. p. direct. q. 5. n. 3.* At si Episcopus, & idem est de quolibet alio iurisdictionem episcopalem habente, procedat aduersùs sibi subditos, & consequenter ex iurisdictione propria. communis sententia tenet debere citatum coram Inquisitore comparere. sic multis relatis docet Pegna cum Eymer. *direct. 3. p. q. 5. n. 4. & 5. comm. 54.* Simancas *cathol. instit. tit. 43. rubr. de modo procedendi.* Ludou. à Paramo *de orig. sanctæ Inquis. lib. 3. q. 4. rubr. de forma, & ordine iudic.* Farinacius *q. 186. n. 87. & seq.* Azor *tom. 1. instit. moral. lib. 8. cap. 18. q. 8.* Mouentur, quia delegatus summi Pontificis vices summi Pontificis habet, & illum repræsentat. Ergo ei obediendum est tanquam Pontifici præcipienti, quolibet alio iudice posthabito. Ob quam rationem *in cap. sanè, de offic. delegat.* dicitur iurisdictionem delegati in causa delegationis maiorem esse qualibet alia iurisdictione. Cùm ergo Episcopus in sibi subditos non tanquam delegatus, sed tanquam ordinarius procedat, Inquisitor autem procedat, vt Pontificis delegatus: efficitur sanè citatum comparere debere coram Inquisitore, & non coram Episcopo. Et confirmo, ex *l. 1. ff. de officio eius cui mandata est iurisdictio*, vbi dicitur, qui mandatam iurisdictionem suscepit, proprium nihil habet, sed eius qui mandauit iurisdictione vtitur. Ergo Inquisitor, cui iurisdictio demandata est à Pontifice, iurisdictione Pontificis vtitur, & non propria: at Episcopus vtitur iurisdictione propria. Ergo præualere debet Pontificia iurisdictio iurisdictioni episcopali.

4 Cæterùm etsi hæc sententia tenenda sit, & in praxi sequenda: at probabilitate non caret liberum esse citato adire iudicem, quem maluerit; quia pares esse videntur Inquisitor, & Episcopus in iurisdictione, siquidem quilibet insolidum, & independenter ab alio reum citare, & examinare potest. Et cùm vterque ad proferendam sententiam iunguntur, & discordant, nullus præualet aduersùs alium, quæ sunt signa æqualis iurisdictionis. Neque obstat text. *in cap. sanè. de off. deleg. & in suprad. l. 1.* nam videntur loqui de delegato, cui demandata est iurisdictio priuatiuè respectu aliorum, non de delegato, cui cumulatiuè cum ordinario, & in subsidiũ, & adiutorium illius conceditur iurisdictio. Cùm ergo Inquisitor hoc modo delegatus sit respectu Episcopi, seu episcopalem iurisdictionem habentis; efficitur neq; esse illo superiorem, neque eius citationem citationi ordinarij præferri debere: & ita tenet Ludouic. Molin. *tract. 5. de iust. disp. 28. n. 17. vers. mihi sub aliorum iudicio.*

5 Sed inquires, an ex suppositione, quòd Inquisitor sit ordinario superior, eiúsque citatio præferenda, idem dicendum sit de commissariis? Communiter distinguũt Doctores inter commissarium electum ab Inquisitore, vel à Pontifice. Et de commissario electo ab Inquisitore negant superiorem esse ordinario, eiúsque citationem citationi ordinarij præferendam. Mouentur ex doctrina Bart. *in l. filius, l. vicarius, l. filius ff. de legationib.* vbi vicerector constitutus à rectore nõ gaudet priuilegiis, & immunitatibus rectoris: & consequenter commissarius ab Inquisitore constitutus non gaudebit eius immunitate, & priuilegiis: ac proinde non erit ordinario superior, neque eius citatio citationi ordinarij præualebit. Verùm si commissarius ab ipsomet Pontifice eligatur, etiamsi tunc subdelegatus sit, quia à Principe est subdelegatus, eandem cum delegato prærogatiuam habet, ex *l. vlt. C. vt dignitatum ordo seruetur, lib. 12. & l. suggerente, C. de officio eius, qui vicem alicuius iudicis obtinet.* & tradit Abbas, & Decius *in dicto cap. sanè*, & alij relati à Doctoribus statim referendis. Ergo sicut ipse Inquisitor superior est ordinario, & præualet eius citatio; sic commissarius à Pontifice electus superior esse debet, & eius citatio præualere: & ita tradit alios referens Pegna *3. p. direct. quæst. 5. comment. 54. versic. num autem.* Ioan. Azor *1. p. lib. 8. cap. 18. q. 8. vers. quares itidem.* Farinacius *quæst. 186. num. 91.* Cæterùm pace tantorum virorum credo probabilius commissarium, siue electus sit à Pontifice, siue ab ipsomet Inquisitore, præferendum esse ordinario, si supponamus Inquisitorem ordi

ordinario præferri. Moueor, quia subdelegatus delegati Pontificis summum ipsum Pontificem repræsentat, & vices ipsius gerit, sicut & ipse delegatus, & eisdem priuilegiis gaudet: quod constat. Quare si priuatiuè delegato concessa esset in aliqua causa iurisdictio, ipséque alium substitueret, substitutus procedere poterat cum iurisdictione priuatiua aliorum, ac poterat ipse delegans, ac proinde sicut ipse delegans est superior, sic substitutus. Neque obstat doctrina Bart. *in suprad. l. filium*, quia loquitur in casu lòge diuerso. Fateor, inquam, rectorem, seu iudicem ordinarium, si eligat substitutum extra casum necessitatis ratione morbi, vel absentiæ, & absque expressa Principis facultate non gaudere substitutum priuilegiis, & immunitatibus substituentis, nec dici debere iudicem ordinarium, sed delegatum. Verùm si ex priuilegio Principis eligat substitutum, vt loco ipsius causas cognoscat, & decidat, eisdem priuilegiis, & prærogatiuis gaudet delegans: vt ipsemet Bart. tradit *in l. nec quicquam, §. vbi decretum, num. 6.* iunctis iis quæ dixerat *l. obseruare, num. 3. & 5. ff. de officio proconsulis.* & tradit pluribus relatis Maranta *de ordine iudic. part. 4. distinct. 5. à num. 17.* Cùm ergo Inquisitoribus concessum sit à Sede Apostolica commissarios eligere, quibus suas vices integrè committere possint, efficitur sanè eandem prærogatiuam electos habere, ac habent ipsi Inquisitores eligentes. & ita tradit Molin. *tract. 5. de iustit. disput. 28. num. 17. versic. quod sapientissimus*, &c.

6 Aduerto tamen in Hispania hanc dubitationem sublatam esse, eo quòd ex recepta consuetudine, imò ex priuilegio Sedis Apostolicæ non possunt ordinarij citare, capere, & in carcerem detrudere delinquentes, sed depositiones testium, seu denuntiationes, si aliquæ apud ipsos fiant, debent Inquisitoribus transmittere, quibus in hac parte concessa est integra iurisdictio, & ab ordinariis sublata: sic docet Molin. *tract. 5. de iustit. disput. 28. num. 13. vers. hac autem, & num. 14. in fine.* & ex parte consentit Azor cum Simanc. *lib. 8. cap. 18. quæst. 8.* Nam licèt neget priuilegium esse à Sede Apostolica, affirmat tamen ex consuetudine, & præscripto Regis sic obseruari.

7 Secundò infertur Inquisitore, & Episcopo procedente diuisim (quod contingit, cùm vterque procedit separatim, formando diuersum, & distinctum processum) teneri sibi inuicem communicare processus, vt sic veritas meliùs elucescat, & sententia sine errore proferatur: iuxta dictum textum *in cap. per hoc.* Hæc tamen cōmunicatio non solùm est facienda in fine litis, quando nihil superest faciendum, nisi ad diffinitiuam sententiam procedere, sed etiam quando vnus commodè procedere non potest, nisi visis processu, & actis alterius, & postulat sibi ostendi: in quo casu semel tantùm (ne fraudi locus sit) in toto negotio copia tribuenda est: habetur expressè *in extrauag. 1. de hæreticis, inter communes.* Vnde cùm ad torturam rei Inquisitor sine Episcopo, neque Episcopus sine Inquisitore procedere non possit, vt diximus, efficitur sanè tunc faciendam esse processus communicationem: aliàs imprudenter procederent non visis indiciis, & probationibus ad torturam: sic Pegna *3. p. direct. q. 53. comm. 102.* Repert. Inquisit. *verbo communicare, § sed quomodo.* Vmber. Locat. *in iudic. inquisit. in verbo tortura, num. 9.* Campeg. *in additionibus ad Zanch. tractat. de hæret. cap. 8. litt. F. verbo processum. versic. si quæris an ante torturam.* Farinacius *de hæresi, quæst. 186. num. 86.* Molin. *de iustit. tractat. 5. disput. 28. num. 11.* Secus verò dicendum videtur, si testis torquendus esset, quia tunc nulla videtur processus communicatio necessaria, cùm vnus sine alio procedere possit. sic Pegna, Farinac. & Molin. *suprà*, & Decian. *tractat. crimin. lib. 5. cap. 21. num. 23.* Hodie tamen præcipuè in Hispania tota hæc communicatio processuum cessat, siquidè solùm Inquisitores processus faciunt, & illis factis vocant ordinarios, illisque eos ostendunt, & ex illis sententiam simul cum Inquisitore proferunt. quod vbique seruari conuenit, vt bene dixit Pegna *direct. 3. p. q. 52. comm. 101.* Molin. *disp. 28. n. 14. fine.*

8 Tertiò infertur ex *supradict. Clement. 1.* non posse Inquisitorem sine ordinario, neque ordinarium sine Inquisitore, etiam quocumque illorum solo procedente, duro tradere reum carceri, siue arcto, qui magis ad pœnam, quàm ad custodiam videatur: ex cuius prohibitione non sequitur reum inclusum in carcere securo à fuga, expositum tamen aliorum communicationi non posse in alium strictum, & durum carcerem mutari: tunc enim non ad pœnam mutatur, sed ad debitam, rationabilémque custodiam. sic aliis relatis docet Farin. *q. 186. n. 75.* clariùs Molin. *de iust. tract. 5. disp. 28. num. 13. vers. mihi verò.*

9 Quartò infertur non posse Inquisitorem sine Episcopo diœcesano, aut eius officiali, vel episcopali Sede vacante Capituli super hoc delegato, aut econtra reum tormentis subiicere, aut condemnare: quod si secus fiat, nullum est, & irritum ipso iure. sic expressè *in dict. Clement. 1.* Ex quo plures Doctores inferunt, si in tali tormento reus confiteatur, confessionem sic factam illi non nocere; quia est extorta contra iuris ordinem, ac proinde nullius momenti, etiamsi ratificata fuerit: sic alios referens docet Farinacius *de hæresi, quæst. 186. n. 71. & 72.*

10 Quintò infertur, non posse Inquisitorem sine Episcopi consensu, vel eo absente sine consensu vicarij priuare hæreticum beneficiis, & dignitatibus Ecclesiasticis ante hæresim possessis. Probo, tum quia est quædam hæretici condemnatio, & pœnæ impositio, quæ ex *dict. Clement. 1.* fieri non potest ab Inquisitore solo. tum quia expressè id cauetur *in cap. vt commissi, de hæreticis, in 6.* ibi; *priuandi præterea, vel priuatos nunciandi dignitatibus, aut aliis beneficiis Ecclesiasticis, de diœcesanorum, vel eis absentibus vicariorum suorum consilio.* & notarunt ibi glossa, Archidiacon. Geminian. & alij, quos refert, & sequitur Farinacius *quæst. 186. num. 77.* Simancas *catholic. institut. tit. 46. rubr. de pœnis, num. 71.* Zanch. *tract. de hæret. cap. 18. n. 6.* Dixi, non posse Inquisitorem sine Episcopi, aut eius vicarij consilio hæreticum dignitatibus Ecclesiasticis priuare: nam si dignitates sæculares sint, glossa *in dicto cap. vt commissi*, & Archidiacon. *num. 4.* Farinacius *num. 78.* Decian. *tractat. crimin. lib. 5. cap. 21. num. 19.* existimant nullum esse necessarium Episcopi consilium. At credo hoc intelligendum esse, non esse necessarium ex vi, & dispositione *dict. cap. vt commissi*, in quo solùm consilium, non consensus videtur requisitus. Verùm ex *dicta Clement. 1. & dicto cap. per hoc, de hæreticis, in 6.* non solùm consilium, sed consensus Episcopi requisitus est ad quamlibet hæretici priuationem factam ab Inquisitore, cùm ibidem expressè caueatur non posse contra hæreticum sententiam proferri, nisi diœcesano requisito.

11 Sextò infertur, obligatum esse Inquisitorem requirere Episcopum, vel econtrà quoties vnus sine alio procedere non potest. sic habetur *in dict. Clement. 1.* Hæc autem requisitio semel tantùm facienda est, quia ibi non cauetur pluries esse faciendam: neque oportet in requisitione exprimere, vt intra octo dies compareat, cùm hoc tempus ab ipso iure sit præscriptum, quod currit à puncto requisitionis. sic glossa *in dicta Clement. verbo requisiuerint*, & ibi Ioann. de Imola *num. 12.* Cardinal. Zabarella *§. duro, num. 11. in 19. quæst.* Decian. *tractat. crimin. lib. 5. cap. 29. num. 6. versic. sed sufficit.* Farinacius *quæst. 186. à num. 98. & seqq.* Vmbert. Locat. *in iudicial. inquisit. verbo expectare, vers. & sufficit.* Campeg. *in addit. ad Zanch. tract. de hæret. cap. 8. litt. D. in verb. torquere, versic. & sufficit semel.* Item hæc requisitio fieri potest vel

vel per nuntium, vel per epistolam, & ad domum, quia in iure non est forma præscripta. Ergo quælibet sufficit. ita Vmbert. Locat. Campegius, Decianus, & Farinacius *suprà*, vbi *num.* 162. cum Bonifac. Vital. affirmat requisitum debere accedere ad locum, vbi est requirens, & processus formatus, secus si vterque diuisim processit: quia tunc communis locus eligendus est, nisi obstet consuetudo: & placet. In Hispania autem semper Episcopus, vel eius officialis ad tribunal inquisitionis accedit requisitus, quia (vt dixi) solùm Inquisitores processus faciunt. Quòd si Episcopus requisitus ab Inquisitore, vel econtra Inquisitor requisitus ab Episcopo (vbi Episcopi independenter ab Inquisitoribus procedunt) noluerit, vel non potuerit conuenire, poterit vnus alteri committere vices suas, vel suum significare per litteras consilium, & consensum. sic *in dicta Clement.* Notanda tamen est dictio disiunctiua *vel.* non enim dixit Pontifex requisitum committere posse requirenti vices suas, & simul consilium, & consensum significare, sed vnum ex illis posse; quia id sufficit, & vno communicato alterum superfluit: ad quid enim vices deseruiunt, si consilium, & consensum significat. Item quia nemini videtur concessum per se, & per alium in causa procedere: si autem requisitus, & vices committere posset requirenti, & simul præstare consilium, & consensum, & per se ratione consilij, & per alium ex delegatione facta procederet; atque adeò quasi duplici voto. Ergo dicendum est vnum tantùm ex illis posse. sic glossa *in d. Clement. verbo consensum*, quam immeritò impugnat Bonifac. de Vital. *num.* 70. Farinacius *q.* 186. *n.* 107.

12 Verùm si requisitus non potuerit, aut noluerit conuenire, & insuper vices suas intra octo dies à puncto requisitionis alicui non commiserit, aut suum consilium, & consensum non significauerit; eo ipso requirens poterit ad sententiam procedere, ex *supradicta Clement.* vbi notant glossa *verbo consensum, in fine*, Ancharan. *num.* 4. Imola *num.* 13. Bonifacius Vitalinis *num.* 55. 63. *&* 70. Zabarella *num.* 11. & alij, quos refert, & sequitur Farinacius *quæst.* 186. *num.* 108. Limitant tamen aliqui, nisi impotentia conueniendi, vel significandi consilium ex infirmitate prouenia: sic Bonifacius de Vitalinis *dicta Clement.* 1. *num.* 75. *versic. si propter infirmitatem.* Farinacius *dict. quæst.* 186. *num.* 97. At talis limitatio mihi non probatur, sicut nec reliquis Doctoribus; cùm textus *in dicta Clement.* dixerit procedere posse requirentem, si requisitus intra octo dies non potuerit, aut noluerit conuenire. Cùm ergo hæc facultas sit in fauorem fidei, vt causæ reorum citiùs expediantur, ex quacumque causa impotentia proueniat, censenda est concessa. Adde textum generaliter dixisse: si non potuerit conuenire, vel consensum significare, &c. Cur ergo de impotentia ob absentiam intelligi debet, & non de impotentia ob infirmitatem? Quòd si transactis illis octo diebus requisitus conueniat, vel consensum præbeat, aut vices committat, si res sit integra admitti debet: sic ex Anchar. & Zabarella docet Farinacius *num.* 110. quia terminus ille non ad excludendum requisitum, illúmque iurisdictione priuandum concessus est, sed ne fidei negotium impediatur, si requirens procedere solus non posset: quod tamen non impeditur, ex eo quòd requisitus admittatur, cùm lata sententia non est. At si requisitus conueniat lata iam sententia, non poterit præstare suum consensum, aut vices committere: quia non debet iterum causa iudicari, cùm verè, & firmiter iudicata sit. sic post Ancharan. Ioan. de Imola, & Zabarel. *in dicta Clement.* tenet Farinacius *num.* 111. Squallicens. *tract. de fide cathol. cap.* 40. *sub num.* 1. Repert. Inquisit. *verbo Inquisitor, sub versic. in quibus possit procedere Inquisitor, post princip.*

13 Aduertendum tamen est obligationem in Inquisitore requirendi Episcopum, & econtrà procedere, quando requisitus haberi potest; secus verò si haberi non possit. iuxta textum *in dicta Clement.* ibi, *si sui ad inuicem copiam habere valeant.* Dicitur autem copia requisiti non haberi, si fuerit absens extra prouinciam, vel diœcesim, nullo relicto delegato. sic Bonifacius de Vitalinis *in d. Clement.* 1. *num.* 65. imò etiam intra ipsam diœcesim ita remotus ab Inquisitore esse potest, vt meritò dici possit illius copiam haberi non posse. Quocirca arbitrio prudentis hoc mensurandum est, vt tradit Vmbert. Locat. *in iudicial. inquisit. verbo expectare, versic. idem fiat.* Farinacius alios referens *quæst.* 186. *num.* 96. An autem in isto casu requirendum sit Capitulum? non caret difficultate, quia videtur esse quasi sedes vacans. At omnino tenendum est requiri non debere, quia solùm requirendum est Capitulum, seu (vt meliùs dicam) delegatus ipsius Sede vacante, vel quasi. Ex sola remota absentia extra diœcesim non est Sedes vacans, vt de se constat, neque etiam est quasi vacans; cùm hæc solùm contingit ex captiuitate Præsidis, aut quando pro Episcopatu non sunt litteræ expeditæ. Ergo. sic Ioan. de Imola *dict. Clement.* 1. *de hæreticis, num.* 14. *versic. si autem.* Bonifacius Vitalin. *num.* 65. *&* 75. Cardin. Zabarella *num.* 11. *in* 14. *quæst.* Vmbert. Locat. *in iudic. inquisit. verbo expectare, versic. si autem.* Farinacius *quæst.* 186. *num.* 96.

14 Secundò est aduertendum in Hispania nullum hæreticum brachio sæculari relaxari posse, etiam consentientibus Inquisitoribus, & Episcopis, nisi consulto supremo Inquisitore, eiúsque Senatu, vt habetur in quadam Madriliana instructione edita anno 1561. cap. 66. relata à Pegna 3. *part. direct. quæst.* 50. *comment.* 96. & à Molin. *tract.* 5. *de iustit. disput.* 28. *num.* 14. *circa finem.* ibi enim dicitur. Verumtamen in causis grauissimis non debent vota Inquisitorum, ordinarij, & consultorum executioni mandari, etiamsi fuerint conformia in consulto Senatu, & solitum est, & iussum fieri. Causa autem grauissima meritò reputatur aliquem vita priuari.

15 Sed quid faciendum, cùm Inquisitor, & ordinarius discordant in his, ad quæ vterque simul concurrere debent?

Respondeo, spectato iure communi Pontifex est consulendus, ipsique causa cum summaria informatione est remittenda, iuxta dictum textum *in cap. per hoc, de hæreticis, in* 6. ibi, *in qua (scilicet sententia) ferenda, si non conuenerint, per vtrosque negotium sufficienter instructum ad Sedem Apostolicam remittatur.* Et licèt supradictus textus solùm loquatur de sententia diffinitiua, causa est, quia illo tempore solùm ad diffinitiuam sententiam conuenire tenebantur Inquisitor, & Episcopus. At cùm ex *Clement.* 1. non solùm ad diffinitiuam sententiam, sed etiam ad interlocutoriam torturæ condemnationis in pœnam mancipationis, vt duriori carcere ad custodiam irrequisiti, & ad pœnam destinati teneantur vterque concurrere; efficitur sanè, si in aliquo ex iis discordet Episcopus, & Inquisitor, Pontifici esse causam remittendam. sic Molin. *tractat.* 5. *de iustit. disput.* 28. *num.* 14. Eymeric. *quæst.* 50. & Pegna *ibi, comment.* 99. *vers. iam illud.* Farinacius pluribus comprobans *quæst.* 186. *num.* 64. In Hispania autem causa remittitur Inquisitori generali, & eius Senatui, & prout ipsis videtur, executioni mandatur. sic relati Doctores. Quod sine speciali commissione Sedis Apostolicæ fieri nequit, ob præiudicium ordinariorum, vt bene aduertit Molin. *suprà illo num.* 14. *fine.* testatúrque se à fide dignis accepisse, esse in hac parte à Sede Apostolica priuilegium concessum.

16 Triplex tamen restat examinanda difficultas. Prima, an Inquisitor sine Episcopo, vel econtrà possit suspe-

suspectum vehementer de hæresi cogere abiurare? Et quidem in Hispania manifeste constat id fieri non posse, sed ordinarium ab Inquisitore esse vocandum. At attento iure communi fieri posse affirmat Campeg. *in addit. ad Zanch. tractat. de haret. cap. 8. litt. E. verb. definitiuam*; & in puncto iuris affirmat Pegna *locis infra allegandis*, veriorem esse hanc sententiam. Neque fundamento destituitur, quia hæc abiuratio non est contra reum, sed pro reo, cùm ratione illius suspicionem purget, & Ecclesiæ rei incorporetur. Cæterùm omnino dicendum est, minimè posse à solo Inquisitore, sine Episcopo, vel econtrà fieri abiurationem. Primò, quia hæc abiuratio ignominiosa est delinquenti, eiúsque consanguineis, illúmque reddit obnoxium morti, si in crimen abiuratum incidat. Ergo reputari debet grauissima pœna, quam delinquentes vitare conantur, potius quàm torturam. Sed reum condemnare ad pœnam non licet Inquisitori sine Episcopo. Ergo neque licet ad hanc abiurationem. Secundò, quia abiuratio esto non sit contra reum qua parte per illam purgat suspicionem; est tamen contra illum, quatenus infamem, & pœnæ relapsi subiectum reddit: sicuti tortura non est contra reum, qua parte per illam purgat indicia; est tamen contra illum, quatenus dolorem infert. Esse autem hoc modo contra reum sufficit, vt non possit Inquisitor sine Episcopo, vel econtrà in tortura imponenda procedere. Ergo etiam sufficit, vt non possit purgationem, abiurationémque indicere. sic docuit vt tutius, & securius, & in praxi magis receptum cum Eymer. Pegna 3. *part. direct. de secundo modo terminandi processum fidei, num. 144. versic. circa istam, & quæst. 48. comment. 97. versic. an autem.* Farinacius pluribus relatis *quæst. 186. n. 79.* Azor 1. *part. lib. 8. cap. 18. quæst. 16.* Paramus *de origine sanctæ Inquisitionis, lib. 3. quæst. 4. rubr. de expeditione processus in causis fidei, num. 2.* Molin. *tract. 5. de iustit. disp. 28. n. 16. vers. idem dicendum.*

17 Ex his infertur à fortiori, nequaquam posse Inquisitorem sine Episcopo, vel eius delegato hæretico pœnitenti abiurationem indicere; quia hæc abiuratio indicitur per sententiam, qua declaratur reum hæreticum fuisse, simúlq; ex vi illius omnia bona cõfiscantur, & subiectus redditur morti, si relabatur, quęomnia grauissimæ pœnæ sunt, ideóque non debent Inquisitores sine Episcopo, neque Episcopus sine Inquisitore procedere. Excipit tamen ab hac doctrina Molin. *dict. disput. 28. num. 16. vers. idem dicendum*, eum qui captus à Mauris Mahometanam hæresim professus fuit, & aufugit, & sponte ad tribunal sanctæ Inquisitionis accedit, delicta manifestans, & pœnitentiam expostulans. Hunc ergo dicit posse ab Inquisitoribus absque ordinario reconciliari; tum quia secretò reconciliatur, hæresésque abiurat: tum quia nulla est dubitatio hunc ad recõciliationem esse admittendum, quæ videtur esse causa, ob quam præsentia ordinaria expostulatur: & ita testatur Lusitaniæ vidisse quendam captiuum redeuntem ad fidem sic abiurasse. Cæterùm neque hæc exceptio mihi probatur. Nam verè hic abiurans subditur pœnæ mortis, si relabatur, declaratúrque in excommunicationem incidisse, eiúsque bona fisco esse addicta. Cùm ergo hæc omnia pœnæ sint grauissimæ, non debent ab Inquisitoribus tantùm imponi. Et ratio omnium est, quia *in supradict. cap. per hoc, & d. Clement. 1.* prohibetur, ne Inquisitores ad sententiam contra reos procedant sine Episcopis, neque Episcopi sine Inquisitoribus. At hæc indicta abiuratio etsi non sit coram populo, sed solùm in tribunali, est sententia contra reum, siquidem illum excommunicatum declarat, & pœnis hæretici subiectum. Ergo non potest ab vno sine alio proferri. Quapropter nullus alius Doctor hanc exceptionem apposuit. Neque valet dicere certum, & indubitatum esse talem reum ad reconciliationem esse admittendum, vt inde dicamus non debere Inquisitorem requirere Episcopum. Nam etiam est certum pœnitentem hæreticum publicum ad reconciliationem admitti debere; neque tamen inde fit posse sine Episcopo ab Inquisitore admitti.

18 Sed quid dicendum, si de facto contingeret Episcopum sine Inquisitore, aut Inquisitorem sine Episcopo reum ad abiurationem cogere, talis sic abiurans maneret ne subiectus pœnæ relapsi? Affirmat Pegna 3. *par. direct. q. 47. comment. 97. versic. rursus dico*; quia nullibi cautum est hanc abiurationem factam coram solo Inquisitore, vel Episcopo nullam esse, etiamsi cautum sit fieri non debere coram vno solo. Nihilominus contrarium reputo probabilius, quia *in dict. Clement. 1. de hæreticis, §. duro*, postquam Pontifex dixerat non posse Inquisitorem absque ordinario, vel econtrà ad sententiam contra reos procedere, concludit, *non valebit, & si secus præsumptum fuerit, irritum sit, & inane.* Sed id quod irritum, & inane est, nullum præstat effectum. Ergo hæc abiurationis sententia non subiicit reum obnoxium pœnæ relapsi, qui est effectus legitimæ abiurationis.

19 Secunda difficultas est, an sententiam diffinitiuam, qua reus absoluitur, vel interlocutoriam, quæ vim sententiæ diffinitiuæ habet, qua similiter reus absoluitur à tortura, vel alio actu, & pœna possit Inquisitor sine Episcopo, vel eius delegato, aut econtrà proferre? Certum est in Hispania id fieri non posse, quia ita cauetur in instructionibus datis particularibus Inquisitoribus, quas ipsi obseruare tenentur, eo quòd iuxta illas iurisdictio ab Inquisitore generali conceditur. sic Simancas *catholic. instiut. tit. 3. rubr. de absolutionib. n. 9. & in enchirid. viol. relig. tit. 51. rubr. de absolut. num. 2.* At spectato iure communi aliqua maior est dubitatio. Simancas *locis allegatis*, negat id fieri posse. Rojas *singul. 17. num. 7.* Vmbert. Locat. *post iudicial. inquisit. q. 19.* vbi dicit hanc esse æquiorem opinionem, licet contrariam veriorem. Quintil. Mandos. *in addit. ad Repert. Inquisit. verbo Inquisitor, litt. C.* Carrerius *tract. de hæreticis, num. 72.* Lœlius Zechius *summ. 1. part. tit. de fide, cap. 11. rubr. de hæresi, num. 14. post princ.* Ioan. Azor 1. *part. lib. 8. cap. 18. quæst. 16.* dicit hanc esse tutiorem, æquiorémque opinionem, licèt contraria sit magis iuri conformis. Fundamentum esse potest, quia antequam Inquisitor proferat contra reum sententiam, debet Episcopum requirere, & inter se communicare processum, & examinare an reus sit condemnandus, vel absoluendus. Ergo assistentia vtriusque non tam est pro actu sententiæ, quàm pro antecedenti ad ipsam, ne aliquis error committatur absoluendo eum, qui fortè damnari debet, & condemnando eum, qui debebat absolui. Ergo nullo modo licet Inquisitori ad absolutoriã sententiã procedere ipso irrequisito. Secundò, si valida esset sententia diffinitiua, qua solus Inquisitor reum absolutè absoluit, aut qua absoluit à tortura, cùm inter se conueniunt de reo condemnando, vel absoluendo, & discordant, causa non debebat remitti Pontifici, contra textum *in cap. per hæc*; sed absolutoria præualere debebat, vtpote quæ non est contra reum. Propter hæc censeo hanc sententiam in praxi seruandam omnino esse, quam sic reputat seruandam Pegna *direct. 3. p. q. 48. comment. 97. vers. ex his omnibus*, licèt contrariam sententiam in puncto iuris veriorem esse affirmet.

20 At quia negari non potest contrariam sententiam communem esse, & à grauissimis Doctoribus approbatam, placet eorum fundamentum referre, quod sic se habet. A iure antiquo recedendũ non est, nisi in quantum iure nouo expressè correctum inuenitur. *l. sancimus, C. de testament. l. præcipimus, de appellat. authent. de non alien. aut permut. rebus Ecclesiast. §. fin. cap. ad nostram, de regular.* At iure antiquo indubitatum est Episcopum se solo

solo posse totum negotium fidei definire. Ergo etiam poterit iure nouo, dum non inueniatur expresse prohibitum. Sed in iure nouo non inuenitur Inquisitori, neque Episcopo prohibitum absolutoriam sententiam proferre, sed solùm condemnatoriam. Solùm enim prohibentur proferre sententiam contra reos, vt constat ex *dicta Clement.* 1. ibi, *neque ad sententiam procedere contra eos.* Ergo pro reis bene poterit quilibet sententiam absolutoriam proferre. Et confirmo. Ratio ob quam *in dicta Clement.* prohibitum fuit Inquisitori sine Episcopo, & Episcopo sine Inquisitore, reos duro carceri tradere, tormentis exponere, contra reos sententiam ferre, fuit satisfacere querelæ multorum, de molestiis, & vexationibus factis ab Inquisitoribus prætextu inquisitionis officij, in cuius exercitio metas iurisdictionis sibi commissas excedebant. At hæc satisfactio omnino cessat, cùm reus absoluitur: neque enim de absolutione fuit querimonia facta, sed de condemnatione iniusta. Ergo de absolutione nihil in illa Clementina dispositum fuit. Ergo stare debemus dispositioni iuris antiqui concedentis cuilibet independenter ab alio posse procedere. Deinde, quia argumentum à contrario non est leue in iure, quando contrarium dispositioni iuris antiqui conforme est. In dictis autem text. *per hoc, & Clement.* 1. *multorum, de hæretic.* solum prohibitum inuenitur Inquisitori ferre contra reos sententiam sine Episcopo. Ergo tacitè concedit pro eis ferri. Ad idem est argumentum desumptum ex rescripto Vrbani IV. incipiente, *Præ cunctis*, §. *si verò*, *& Clement.* 7. *incipiente, Cùm sicut*, quorum meminit Pegna *loco allegato*, vbi inquit Pontifex: Contra huiusmodi exemptos vsque ad sententiam diffinitiuam, ad quam ferendam, si fuerit condemnatoria, cum consensu ordinarij procedatis. Tacitè ergo insinuat, si absolutoria foret, consensum ordinarij non requiri. Neque in contrarium vrget textus *in cap. per hoc, de hæreticis, in 6.* vbi absolutè cauetur de qualibet sententia danda per Episcopum, & Inquisitorem, simul proferri debere. Non, inquam, obstat: nam licèt ille textus loquitur tam de sententia contra reos, quàm pro reis; tamen in casu speciali, scilicet cùm Inquisitor, & Episcopus diuisim procedunt, in quo si vnus alteri non defert, statuit Pontifex, vt simul per vtrosque sententia proferatur. Ergo cùm aliquis illorum solus procedit ex *suprad. cap.* non tenetur neque processum alteri communicare, neque ad sententiam proferendam illum vocare. Ex dicta autem Clementina 1. solùm tenetur, quando aduersùs reos procedit. Ergo si in illorum fauorem sententiam profert, vocare diœcesanum non tenetur: & ita docent pluribus relatis cum glossa *in dicta Clement.* Eymer. & Pegna 3. *part. director. quæst.* 48. *comment.* 97. Iulius Clarus *practic. crimin.* §. *hæresis, num.* 5. *versic. sed quis, in fine.* Farinacius *quæst.* 186. *num.* 60. Ludouic. Molin. *tract.* 5. *de iust. disp.* 28. *n.* 15.

Fateor fundamentum efficax esse, sed non ob illud recedendum esse à sententia negante posse Inquisitorem sine Episcopo, vel vice versa reos absoluere. Quia licèt textus de sola sententia condemnatoria expressè loquatur; indirectè tamen loquitur de qualibet sententia ob communicationem, & examinationem processus sententiæ prærequisitam.

21 Tertia difficultas est, an pœnitentia carceris, triremis, portationis vestis cruce signatæ imposita ab Inquisitore, & diœcesano simul possit à quolibet illorum mutari, & relaxari? Huic difficultati antecedenti disp. satisfecimus; ibi enim resoluimus iure communi spectato vtrumque simul debere concurrere, ex *cap. vt commissi, de hæreticis, in 6.* Aliàs frustrà vtriusque authoritas in illius impositione expostularetur, si quolibet posset postea relaxare, & occasio daretur fraudi, cùm quilibet consentire posset condemnationi, quam reputat iniustam, sub prætextu, quòd statim eam reuocare, aut mutare poterit, nihilque in hac parte firmum esset. & ita vltra Doctores ibidem relatos pluribus firmat Farinacius *q.* 186. *num.* 76. In Hispania autem ex speciali summi Pontificis priuilegio (vt credendum est) solus Inquisitor generalis mutandi, & relaxandi pœnitentias delinquentibus impositas facultatem habet, vt testatur Farinacius *suprà.* & Simancas *catholic. instit. tit.* 16. *rubr. de custodia reorum, num.* 20.

PVNCTVM XIV.

Qua ratione iudex sæcularis se gerere debeat in causa hæresis.

1 *Statuitur forma præscripta à Bonifacio VIII.*
2 *Iudex sæcularis in cognitione huius criminis nulla ratione se intromittere potest.*
3 *Non potest Princeps sæcularis statuta condere, quibus hoc crimen puniatur, si aliquo modo contraria sint legibus Ecclesiasticis.*
4 *Bene tamen, si augeant, & promoueant modum procedendi Ecclesiæ.*
5 *Non possunt iudices laici examinare causas, & processus illorum, qui sibi relaxantur à iudicibus fidei.*
6 *Tenentur morte afficere reos sibi puniendos traditos.*
7 *Sed quid si reum falsò condemnatum agnoscat? Sub distinctione respondetur. Si absque examinatione processus cognoscatur, (quod rarò fieri potest) supersedere debet. Secus si indiget processus examinatione.*
8 *Proponuntur aliquot obiectiones, quæ difficilem reddunt superiorem doctrinam.*
9 *Iudex laicus si vocetur ab Inquisitore pro reis capiendis, tenetur auxilium præstare.*
10 *Iudex sæcularis renuens obedire, aut sententiam ab Inquisitore prolatam omittens exequi, cogendus est excommunicatione, aliisque pœnis.*

1 Optimè traditur à Bonifacio VIII. *in cap. vt inquisitionis, de hæreticis, in 6.* vbi in primis approbat leges Federici Romanorum Imperatoris in deuotionem Romanæ Ecclesiæ promulgatas, quatenus Dei, & Ecclesiæ sanctæ suæ honorem promouent, & hæreticorum exterminium prosequũtur, & statutis canonicis non obsistunt. Secundò vniuersas sæculi potestates, & dominos temporales monet Inquisitoribus, & ipsi parere in inuestigatione, capturâque hæreticorum. Tertiò mandat prædictis potestatibus, vt condemnatos ab Episcopo, vel Inquisitore, sibique relictos puniendos, recipiant, sine dilatione animaduersione debita puniendos, remota qualibet appellatione, vel proclamatione. Quartò prohibet districtiùs ne de hoc crimine, vtpote Ecclesiastico cognoscant, néve delinquentes à carcere liberent, néve condemnatoriam sententiam retardent. Quòd si contra supradicta præsumpserint, excommunicatione innodantur, etsi in illa per annum steterint, tanquam hæretici sunt condemnandi.

2 Ex hac decisione infertur primò, sæcularem iudicem in cognitione huius criminis vtpote Ecclesiastici, nulla ratione, neque directè, neque indirectè se intromittere posse, vti expressè definitum fuit *in cap. vt inquisitionis.* ibi, *Prohibemus, ne ipsi de hoc crimine, (cùm merè sit Ecclesiasticum) quoquo modo cognoscant, vel iudicent.* Notanda sunt verba, *quoquo modo*, quæ omnem cognitionem etiam incidentem excludunt, vt dixit glossa *ibi*, & Ioan. Andr. *col. fin. in fine.* Geminian. *num.* 4. Parisius *consil.* 2. *num.* 107. *lib.* 4. Farinacius *q.* 186. *n.* 154. Simancas *catholic. institut. tit.* 36. *rubr. de iudicibus sæcularibus, num.* 1. *& in enchirid. violat. relig. tit.* 66. *rubr. de iudicibus sæcularib. num.* 1.

3 Secundò infertur non posse Principes, iudicésque sæculares statuta condere, quibus præscribatur modus procedendi, vel puniendi hoc crimen, si diuersus est ab eo, quem Ecclesia obseruat; quia hoc esset de crimine cognoscere, & falcem mittere in alienam messem: quódque expressè prohibetur *in cap. statutum ciuitatis, de hæretic. in 6.* Deinde quia præscribere modum procedendi in crimine hæresis ad iurisdictionem Ecclesiasticam pertinet, cùm crimen sit Ecclesiasticum. Ergo nequaquam licet iudicibus sæcularibus statuta condere, quibus talis modus procedendi præscribatur. Adde, statuta laicorum concernentia Ecclesiasticam iurisdictionem, nulla sunt, nullíusque effectus, dum à Romano Pontifice non approbantur, ex *dicto cap. vt inquisitionis, in princ. & cap. quæ in Ecclesiarum, de constitutionib.* & notant glossa, & Doctores ibi, quos refert Decian. *tract. crimin. lib. 5. cap. 26. num. 4.* Bossius *tit. de hæreticis, num. 13. & 14.* Cùm ergo statuta præscribentia modum procedendi in crimine hæresis, Ecclesiasticam iurisdictionem concernant, nulla erunt, si à iudicibus laicis fiant.

4 Dixi nulla esse statuta laicorum præscribentia modum distinctum procedendi in crimine hæresis ab eo, quem Ecclesia obseruat. Nam si statuta solùm augeant, & promoueant talem procedendi, & puniendi modum, valida sunt, firma, & laudabilia, quia hæc non cedunt in diminutionem Ecclesiasticæ iurisdictionis; sed potiùs in illius augmentum. Cur ergo valere non debent? Et ita validas, & laudabiles esse leges augentes pœnas per ius canonicum hæreticis impositas, aut impositas ab Ecclesiasticis iudicibus obseruari mandantes probat optimè doctissimus Pegna *3. p. direct. quæst. 86. comm. 135. vers. de principibus sæcularibus.* Carrer. *tract. de hæretic. n. 64.* Decian. *tract. crimin. lib. 5. cap. 25. num. 2. vers. sed & canonistarum.* Farinac. *de hæresi, quæst. 186. num. 157.*

5 Tertiò infertur non posse iudices laicos, & sæculares magistratus examinare causas, & processus hæreticorum, qui sibi à iudicibus Ecclesiasticis puniendi committantur; quia hoc esset contra prohibitionem *suprad. cap. vt inquisitionis*, in quo sibi mandatur, vt reos relictos recipiant indilatè animaduersione debita puniendos. Neque de tali crimine vtpote Ecclesiastico cognoscant, aut quoquo modo iudicent, neque executionem sententiæ adimplere detrectent, vel aliàs directè, vel indirectè impediant. Si autem reos sibi commissos, & eorum causas iterum possent examinare, non diceretur recipere reos animaduersione debita puniendos, sed potiùs examinandos, vt puniantur, vel à punitione liberentur. Item iam executionem sententiæ latæ adimplere detrectarent; ac tandem de hæresis crimine verè cognoscerent: quod omnino eis est prohibitum. sic glossa *ibi, in verbo indilatè, vers. vnde sententia.* Ioann. Andr. *num. 1. ante finem, col. 2. post med. vers. captione.* Franc. *num. 3. vers. tertiò nota.* Vmbert. Locat. *in iudic. inquisit. verbo iudex, num. 57. vers. quomodo autem.* Ioann. Calderin. *tract. de hæretic. rubr. de pœnis hæreticorum, num. 10.* Pegna multis relatis, *3. p. direct. quæst. 36. comm. 85. vers. sed canonistæ*, & aliis pluribus firmat Farinac. *quæst. 97. de pœnis temperandis, num. 103. & de hæresi, quæst. 186. num. 161.*

6 Quartò infertur obligatos esse iudices laicos debita animaduersione punire, hoc est, pœna mortis hæreticos sibi puniendos commissos; quia hæc est pœna aduersùs illos per leges imperiales à Pontificibus approbatas statuta: quam pœnam tenentur statim, & absque vlla dilatione exequi. sic habetur *in dicto cap. vt inquisitionis. §. prohibemus, de hæretic. in 6.* Dicetur autem statim, & sine vlla dilatione exequi, si intra sex dies executioni mandetur, quia ex rescripto Innocent. VIII. incipiente, *Dilectus filius*, cuiúsque meminit Pegna, & Farinac. statim referendi hoc spatium conceditur. Inquit enim. Eisdem officialibus sæcularibus sub excommunicationis pœna, & aliis censuris Ecclesiasticis præcipiatis, atque mandetis, vt infra sex dies, postquam legitimè fuerint requisiti, sine aliqua dictorum processuum per vos agitatorum visione, sententias per vos latas contra huiusmodi hæreticos promptè exequantur appellatione remota: & tradit Farinac. *quæst. 97. n. 105. & de hæresi, quæst. 186. num. 162. & 165.* Diaz *pract. crimin. canon. cap. 144. num. 2.* Pegna *3. p. direct. quæst. 36. comm. 85. vers. ex quibus declaratur.*

7 Sed quid dicendum, si iudex laicus cognoscat hæreticum falsis testibus esse condemnatum, poterit tunc exequi sententiam, aut poterit ab illa supersedere, aut quid debet facere? Grauissima est quæstio, quæ alibi ex professo agitanda est. Pendet enim ex illa quæstione an innocentem probatum nocentem possit iudex condemnare, & executor sententiam exequi, quam latè disputat Lessius *de iust. lib. 2. cap. 29. dub. 10.* Breuiter ergo respondeo, si euidenter, & absque vlla tergiuersatione, vlláve processus visione malitiam cognoscat, ab executione sententiæ abstinere debet. Satis enim probabile est innocentem, vt talem cognitum condemnari non posse; esto nocens probatus sit. At si malitia non sit ita clara, & aperta, vt sese obiiciat, sed altiori examine indiget, absque dubio iudex sæcularis tenetur sententiam latam exequi, quia ipse examinare non potest processum, neque potest prætextu iniustæ condemnationis executionem retardare. Idem quod dicimus de iniusta sententia ob innocentiā delinquentis, dicendum videtur: cùm euidenter constat de nullitate sententiæ ob non seruatum iuris ordinem, vel quia fuit lata à iudice incompetente, & carente prorsus iurisdictione; quia tunc non ex authoritate publica, quæ nulla est, sed ex propria reus condemnaretur, quod est iniquum, ac proinde executor ab executione supersedere debet, sic tradit in vtroque casu Repert. Inquisit. *verbo executor. vers. ex prædictis.* Conrad. Brun. *tract. de hæretic. p. 4. cap. 15. num. 10. 12. & 13.* Decian. *tract. crim. lib. 5. cap. 25. num. 3. & 4.* Gundisalu. *de hæretic. quæst. 19. num. 6. & 7.* & faciunt ea, quæ tradit Farinac. *de pœnis temper. quæst. 97. num. 77. 88. 92. 93. & 94.* Verùm si nullitas sententiæ ex se euidenter non appareat, nullo modo licet sæculari iudici executionem sententiæ contra hæreticum differre prætextu nullitatis. Neque enim fas est tali iudici probationes recipere etiam ad effectum supersedendi à sententiæ executione, & causam remittendi superiori: nam esto in aliis delictis hoc fieri possit, quando in continenti probationes offeruntur, vt optimè docet Nauarr. *in cap. cùm contingat. in primo rem. num. 7. & n. 8. de rescript.* Salzedo *in addit. ad pract.* Bernard. Diaz *cap. 154. num. 14.* & alij, quos sequitur Farinac. *quæst. 97. num. 91. & 92.* At in crimine hæresis ob fauorem fidei hoc prohibitū esse videtur ex rescriptò Innocent. VIII. *suprà allegato*, & tradit Simanc. *catholic. instit. tit. 36. n. 7.* Farinac. *quæst. 97. num. 108.*

8 Sed aduersùs supradicta acriter pugnat Simanc. *catholic. instit. tit. 36. de iudicibus sæcularibus. à num. 6. & in enchirid. viol. relig. tit. 66. rub. de sententijs, à num. 4.* cui fauet Farinac. *quæst. 97. de pœnis temper. num. 107. & 108. & de hæresi, quæst. 186. num. 168. & 169.* Affirmat namque iudicem sæcularem quantuncumque noscat iniustitiam, vel nullitatem sententiæ iudicis Ecclesiastici, non posse ab eius executione abstinere. Mouentur, quia vel cognoscit iniustitiam ex actis, vel aliunde. Ex actis cognoscere non potest, cùm apud ipsum facta non fuerint, neque ipsi competit illa examinare, quòd si ea vt priuatus legit, ex eius scientia, vtpote priuata moueri non potest ad sententiæ executionem suspendendam, cùm in executione sententiæ gubernari non debeat ob scientiam priuatam, sed publicam: sicut iudex in sententiæ prolatione non mouetur ex scientia priuata, sed ex publica, quam constituunt testes, & probationes. Verùm hoc fundamentum non est satis firmum. Concedo

cedo

cedo namque iniustitiam, vel nullitatem sententiæ cognosci non posse ab executore per scientiam publicam, ob rationem dictam, sed necessariò cognoscendam esse per scientiam priuatam. At hæc cognitio sufficit, vt nequaquam posset executor ad executionem sententiæ procedere; quia procederet ad executionem rei iniquæ, qualis est vita priuare innocentem. Neque hoc honestari potest ex scientia publica, quæ in errore fundatur, & veritati cognoscitur euidenter contraria. Sicuti præceptum Regis bellum iniustum aggredientis non honestaret militis pugnationem scientis esse bellum iniustum: vt bene expendit Lessius *dict. dub.* 10. *num.* 83. loquens in propriis terminis de executore sententiæ euidenter iniustæ. Aliud fundamentum maiorem difficultatem habere potest. desumitur namque ex textu *in cap. pastoralis*, §. *quia verò, de officio, & potestate iudic. delegat.* vbi in hæc verba Innocent. III. prorumpit. Quia verò sæpe contingit, quòd executio sententiæ ordinario demandatur, quæsiuisti, an si ipsam iniustam esse cognouerit, debeat eam executioni mandare, an sit ei potiùs subsistendum? Attendentes itaque, quòd non cognitio, sed executio tantùm demandatur eidem. Respondemus, *quòd cùm ordinarius teneatur obsequi delegato: etsi sciat sententiam illam iniustam, exequi nihilominus tenetur eandem, nisi apud eum efficere possit, vt ab hoc onere ipsum absoluat.* Cùm ergo iudici laico solùm executio, & nulla cognitio demandetur; efficitur etiamsi cognoscat sententiam latam contra hæreticum iniustam esse, debere illam exequi. Sed neque hoc fundamentum conuincit. Respondeo namque debere merum executorem exequi sententiam delegati iniustam, quæ solùm est iniusta in iis, quæ condemnatus cedere potest. At cùm in priuatione vitæ cedere nullatenus possit, nequit, si iniusta sententia lata est, executioni mandare. quæ solutio colligitur manifestè ex glossa *in supradicto textu, verbo etsi sciat, in fine.* Inquit enim, Nota. Non semper obediendum est iudici, si euidenter iniquum est mandatum ipsius, siue contra ius. *cap. quod culpatur*, 23. *quæst.* 1. Secus si aliàs fuerit iniustum. *cap. lex æterna, cap cùm minister*, 23. *quæst.* 5. quia hoc præceptum iam non dicitur iniquum, sed iustum ex iuris rigore, & exequendum. Nam ex quo sententia lata est, licèt iniusta, & contra ius litigatoris, à qua non est appellatum, elapso decennio de iuris rigore mandanda est executioni. argument. *l. vltim. C. vt lite pendente.* Spontanea enim appellationis omissio turpitudinem purgat, quæ sententiæ inerat. argument. *l. si ob turpem, ff. de condict. ob turpem causam.* vel si appellauit secundò, & succubuit, & hoc etiam de rigore iuris introductum est, ne lites protrahant, &c. Ecce qua ratione iuxta glossam supradictus textus loquitur de sententia iniusta, id est, lata contra ius litigatoris, cui iuri ipse cedere potest; secus de sententia iniusta, quæ iniquitatem continet, qualis est priuare vita innocentem sic taliter cognitum. Item eo loci dixerat glossa executorem non teneri sententiam latam exequi, si sciat illam nullam, vt si esset lata authoritate falsarum litterarum, eo quòd iudex falsis instrumentis, vel dolo aduersarij vsurpauit iurisdictionem: in quo casu supersedere debet ab executione, si incontinenti hæc coram executore obiiciuntur; poterit enim illas recipere, vt causam superiori referat, quod intelligendum est, vt dixi in aliis criminibus ab hæresi, in quo nulla cognitio iudicialis haberi à laico potest.

9 Quintò infertur iudicem laicum vocatum ab Inquisitore in auxilium pro capiendis hæreticis, illisque custodiendis, teneri fauorem præstare, ex suprad. textu *vt inquisitionis*, & ex constitutione Innocent. IV. Vrbani IV. & Martini V. quarum meminit Vmbert. Locat. *in iud. inquisit. verbo index, num.* 57. *versic. sed quid si laicus.* Farinacius *q.* 186. *n.* 160.

10 Sextò infertur, si iudex sæcularis auxilium hoc præstare recusauerit, vel sententiam ab Inquisitore latam executioni mandare distulerit, pœna excommunicationis cogendus est, & aliis arbitrariis pœnis, pro qualitate dilationis, & contumaciæ. sic Pegna 3. *part. direct. quæst.* 36. *comment.* 85. *versic. ergo Inquisitor.* Farinacius *quæst.* 186. *num.* 163. Adde huiusmodi recusantes exequi sententiam ab Inquisitoribus latam, vel omittentes fauorem præstare hæreticis puniendis, cùm sint requisiti, suspecti redduntur fautoriæ, ac proinde tanquam contra fautores hæreticorum procedi potest aduersùs illos. sic Pegna *dicto comment.* 85. *versic. sed paucis.* Iacobus Graffis *lib.* 4. *decis. cap.* 18. *num.* 22. Farinacius *quæst.* 186. *num.* 164. Quòd si roges, quomodo Inquisitor cogere poterit absque irregularitatis timore iudicem laicum, vt exequatur sententiam in hæreticos sibi traditos, optimè respondet Pegna *dicto comment.* 85. *in fine.* Neque enim expressè præcipere debet iudici laico, vt pœnam mortis in illos exequatur, sed solùm vt sententiam à se latam exequatur, vel meliùs vt seruet constitutiones, & leges aduersùs hæreticos editas. Nam in hoc modo compulsionis cùm mors directè petita non sit, nulla est occasio irregularitatis contrahendæ.

PVNCTVM XV.

De testibus in causa hæresis.

Latissima est hæc materia, quæ si pro dignitate tractanda esset, volumine integro indigebat. Principaliora illius referam, non tam disputando, quàm summando, ita vt nihil omittatur ex iis, quæ ad perfectam cognitionem modi procedendi in hoc sanctissimo inquisitionis tribunali requiruntur. Vt autem cum distinctione procedamus, per varios §§. discursus diuidendus est.

§. I.

Qui possint esse testes in causa fidei.

1 *Omnes admittuntur præter capitales inimicos.*
2 *Expenduntur testes aliàs inhabiles, qui in hac causa admittuntur. Primò infames, criminosi, socij criminum.*
3 *Admittuntur periurij.*
4 *Admittuntur Iudæi aduersùs Christianos apostatantes.*
5 *Item hæreticus.*
6 *Item domestici, familiares, & consanguinei.*
7 *Mulier admittitur.*
8 *Item minor* 14 *annorum.*
9 *Nullus præter inimicum excluditur.*
10 *Quid sit inimicus? Intelligitur de inimico vero, & suspecto.*
11 *Excluditur inimicus reconciliatus de recenti.*
12 *Non debet esse inimicitia à parte procurata.*

1 Crimen hæresis ita graue est, & reipublicæ perniciosum, vt meritò in eius detestationem testes aliàs inhabiles admittantur, vt sic faciliùs delictum puniri possit, & extirpari. Quocirca omnes præter capitales inimicos admitti posse in hac causa, docet Vmbert. Locat. *in iudic. inquisit. verbo exceptio, n.* 4. *vers. verùm quia.* Repert. Inquisit. *in verbo exceptiones, vers. item solum, & verbo testis, vers. nota.* & alij in discursu referendi, quod examinatione indiget.

2 Primò ergo admittuntur excommunicati, criminosi, infames, socij criminum, qui aliàs erant inhabiles, habetur expressè *in cap. in fidei fauorem, de hæreticis, in* 6. & notant omnes.

3 Secun

3 Secundò admittuntur periuri, etiamsi pœnitentiam non egerint periurij, ex text. *in cap. accusatus. § licet, de hæretic. in 6.* Nam licet periurus a testimonio repellatur, quia de veritate suspectus est. *cap. testimonium, de testibus.* At fauore fidei ad testimonium dicendum contra se, & contra alios admittitur, quoties ex circunstantiis, & indiciis colligitur vera deponere: sic Glossa, & omnes *in suprad. cap.* & optime tradit Gundisalu. *tract. de hæretic. quæst. 13. num. 12.* Gigas *de crimine læsæ maiest. lib. 2. tit. quomodo, & per quos procedatur. quæst. 11.* Farinac. *quæst. 188. num. 82 & 91.* Pegna *3. p. direct. q. 65. com. 114.* Sed est aduertendum non quemlibet periurum ad testificandum admitti, sed solùm eum, qui primò celauit veritatem, & postea zelo fidei eam manifestare intendit, quia huic tantum periuro conceditur eius testimonium valere, *in dicto cap. accusatus.* Quocirca si in alio casu periurus extitit, aut de falso damnatus fuit, eius testimonium non admittitur etiam in causa hæresis. quia in hac causa non omnes inhabiles admitti debent, sed tantum illi, quibus a iure conceditur admittendi, alias si omnes indifferenter possent admitti, non leui periculo calumniæ fideles innocentes exponerentur, vt benè comprobat, & defendit Decian. *tract. crimin. lib. 5. cap. 35. num. 14.* & ex illo Farinac. *quæst. 188. num. 77. & 92.* vbi dicit tibi videri hanc limitationem verissimam.

4 Tertiò aduersus Christianos iudaizantes, vel quomodocumque [illegible] apostatantes admittuntur Iudæi in testes, ne hoc tam graue crimen defectu probationum [illegible] habetur expressè *in cap. contra Christianos, de hæretic. in 6.* [illegible] *per Christianos, seu Iudæos* [illegible] & tradit ibi Glossa, Archidiac. Gemini. & alij, quos refert, & sequitur Pegna *2. p. direct. comm. 13. ad cap. contra Christianos.* Gundisalu. *tract. de hæretic. quæst. 13. num. 1* [illegible] Gigas *tract. de crim. læsæ maiest. lib. 2. tit. quomodo, & per quos procedatur, quæst. 10.* Farinac. *de hæresi. quæst. 184. num. 124.*

5 Quintò, [illegible] hæreticus in testem admittitur contra fidelem in causa fidei: si enim Iudæus, [illegible] admittuntur, quare non hæreticus? Neque obstat aduersus hoc, & superius dictum textus *in cap.* [illegible] *de hæretic.* vbi dicitur, *Nec eis omnino credendum est, qui fidem* [illegible]. ergo eis nulla fides est habenda. Non, inquam, obstat, quia ex eo quòd eis omnino credendum non sit, non infertur nulla ratione eis credendum, sed solum infertur non illis esse omnino, integrè, plenè, & perfectè credendum: ac proinde eorum testimonium non esse plenum, & perfectum, sed imperfectum. Et secundum hanc rationem in hoc crimine valere eorum testimonium. & praxis inquisitionis docet [illegible] hæretici aduersùs fidelem de hæresi deponunt, [illegible] aliqualem probationem facit [illegible] Pegna aduersùs Eymeric. *3. p. quæst. 68. comm. 11* [illegible] Simanc. *cathol. instit. tit. 64. rubr. de testibus, a num. 43. & seq.* Lælius Zech. *in summ. 1. p. tit. de fide, rubr. de hæresi, cap. 11. num. 14. vers. hæreticus etiam.* Farinac. *quæst. 186. n. 1* [illegible] *& latius quæst. 56. n. 227.* Mascard. *de probationib. conclus. 857. num. 9.*

6 Quintò, domestici, familiares, & consanguinei aduersus alios domesticos, familiares, & consanguineos admitti in testes in criminibus exceptis possunt, imò seruus aduersùs dominum, pater aduersùs filium, & filius aduersùs patrem, vxor aduersus maritum, & maritus aduersus vxorem *l. ult. C. ad leg. Iul. maiest.* Optat enim Ecclesia hoc tam graue crimen in his nullo omnino perpetrari, & si commissum fuerit puniri. Ne ergo desint illi probationes, testes, qui aliàs repelluntur, admittit. Adde hos testes alienos esse à suspicione, cùm contra sibi coniunctos testimonium dicunt. Deinde domestici melius quàm alij domesticorum mores, & facta cognoscere possunt. Ergo per illos aptius, quàm per alios probari delictum domesticorum potest. *l. consensu. C. de repudijs. cap. tertio loco, de probationib.* & tradit Pegna *3. p. direct. q. 70. com. 119. vers. horum sententia*, vbi optimè explicat, qui dicantur familiares. Farinac. *q. 188. num. 143.* Mascard. *de probation. lib. 2. conclus. 857. num. 22.* Rojas *singul. 197.* Lœlius Zech. *1. p. tit. de fide, rub. de hæresi. cap. 11. num. 14. vers. quo verò ad domesticos.*

7 Sextò mulier etiamsi à testimonio in causa sanguinis repellatur, eo quòd ob fragilitatem sexus, præsumatur eius testimonium infirmũ, iuxta textum expressum *in cap. forum, vers. fin. de verbor. significat.* & textum *in cap. mulierem. 33. q. 5.* & vtroque loco glossa. quod intelligendum est, si ad instantiam accusatoris producta sit in testem, secus si iudex ex officio examinauerit, vt est glossa, & aliis *in cap. quoniam, de verbor. signific.* notant Farinac. *quæst. 59. num. 9.* & Mascard. *lib. 2. concl. 762. num. 21.* Nihilominus in crimine hæresis, aliisque exceptis criminibus non est dubium admitti, ex textu *in cap. cantà, cap. per tuas, de simonia*, & ibi glossa, & Doctores, & tradit plures referens Mascard. *suprà num. 22.* Farinac. *num. 10.* Simanc. *cathol. inst. cap. 61.*

8 Septimò minores 14. annorum, & cuiuscunque ætatis sint, si sint doli capaces in hoc crimine ad testificandum admittuntur; imò ad id possunt cogi, & torqueri, ex textu *in l. de minore, in princ. ff. de quæstionib.* Si enim in crimine læsæ maiestatis humanæ hoc procedit, a fortiori in crimine læsæ maiestatis diuinæ procedere debet; & notauit Farinac. *de hæresi. quæst. 188. num. 75. fine.* Aduertit tamen Mascard. *conclus. 462. num. 5.* debere deponere cum authoritate tutoris, aliàs nullu esse eius testimonium, ex *l. clarum. C. de authorit. præstanda.* Sed hoc requisitum in practica non seruari testatur Farinac. *q. 54. num. 14.*

9 Ex his omnibus videtur inferri ferè nullum alium nisi inimicum a testificando in crimine hæresis repelli. Hunc autem prorsus repelli omnes Doctores admittunt, eo quòd inimicus sæpè falsum deponere, non verum dicere præsumitur. creditur enim non ex zelo iustitiæ, sed ex vindicta procedere: facitque text. *in cap. si testes. 4. quæst. 3. cap. meminimus, cap. cum oporteat, de accusationib.* Si enim ob inimicitiam ab accusando quis repellitur. *cap. per tuas, cap. licet Heli, de Simonia*, à fortiori à testificando repelli debet. in qua actione grauius nocere potest. Aduertendum tamen est non quemlibet inimicum, sed capitalem, à testimonio dicendo excludi. Cùm enim hoc delictum grauissimum sit, non est præsumendum absolutè testem, qui grauiter offensus non est, falsò testificari. Sed quia pro qualitate inimicitiæ falsitatis præsumptio oritur, ea de causa etsi eius testimonium admittatur, admittitur tamen tanquam infirmum: & ita docet Eymeric. *3. p. rub. de defensionibus reorum, num. 118. vers. primo*, & ibi Pegna *comm. 28. vers.* [illegible] *tamen exceptionibus. & quæst. 67. com. 116. vers. causas* [illegible] Campeg. *in addit. ad Zanch. tract. de hæreticis, cap. 1*[illegible] *in verbo conspiratores. vers. primo, & seq.* Farinac. *quæst. 188. num. 110.* Vmbert. Locat. *in iudicial. inquisit. verbo inimicitia num. 2. & 4.* Paris. *consil. 2. num. 46. in fin. & seq.* [illegible] Decian. *tract. crimin. lib. 5. cap. 35. num. 10. vers.* [illegible] *iudex.* Qui autem dicatur capitalis inimicus, quæve inimicitiæ capitalis causæ sint, latè expendit Pegna [illegible] *com. 16.* Petrus Binsfeld. *de confess. maleficor. in 2. membr. post 6. conclus. principalem, in 2. dubio. vers. verum.* Lælius Zech. *sum. 1. p. tit. de fide. rub. de hæresi. cap. 11. num. 14. vers. inimici tamen capitales.*

10 Secundò aduertunt aliqui Doctores de vero inimico conclusionem esse intelligendam, non de [illegible] co suspecto, qualis est, qui cum meo inimico affinitatem, vel amicitiam strictam contraxit. de hoc enim dicunt admitti posse, si Inquisitori visum fuerit; esto de illius fide multum diminuatur. sic Campeg. *in addit. ad Zanch. tract. de hæretic. cap. 31. vers. testium quoque impedimentum.* Ioan. Calderin. *tract. de hæreticis, rub. de his*

qui

qua pertinent ad executionem officij. num.8. & 10. Farinac. *quaest.188.num.107.& quaest.54.num.43.& 46.* At probabilius credo oppositum: qui enim cum meo inimico amicitiam strictam, & parentelam, seu confoederationem contraxit, vnus cum illo effectus est, ac proinde easdem qualitates accepit, idémque de vtroque praesumi debet. sic Hieron.Gabr.*consf.178.n.8.& 24.lib.1.* Pegna *dict.comment.116. versic. item praesumuntur.* ibi enim probat à testimonio repelli, Primò qui cum meis inimicis commorantur, *cap.accusatoribus, 3.quaest.5.cap.repelluntur, cap. cùm oporteat, de accusationibus.* Secundò amicus intimus inimici mei, quia verè est meus inimicus. Tertiò qui affinitatem cum meis inimicis contraxit, ex doctrina Baldi, *in l.liberi, C.de inofficioso testamento.*

11 Tertiò aduertunt excludi inimicum etiam reconciliatum. quod intelligendum est de reconciliatione recenti, ob timorem ne adhuc in animo reliquiae inimicitiae perseuerent, & occasione accepta vindictam sumat falsum deponens. Secus verò de reconciliatione antiqua, & bene fundata; quia tunc nulla est inimicitiae suspicio rationabilis, & consequenter nulla causa, ob quam à testimonio sit repellendus. sic Pegna *dict. comment.116. circa finem, versic.superiora tamen.* Mascard. *de probationibus, lib.2. conclus.857. num.47.& seqq.* Ioann. à Rojas *singul.199. num.4. & in tractat.de haereticis, 2.part. num.233.* Farinacius *quaest.188. num.105.* & innumeros referens, *quaest.54. num.59.* Quando autem dicatur reconciliatio recens, vel antiqua, sitque bene fundata, arbitrio iudicis relinquitur, vt testatur Pegna *suprà.* Farinacius *dict.quaest.54.num.61.* Mascard.*lib.2.de probation. conclus.899.num.10.* Clarus *in practic.§.fin.quaest.24. versic.sed quid si sequuta sit reconciliatio, in fine.* Campeg. *de testibus, regul.23.in 3.fallent. & reg.26. in 3.fallent.* Adde hanc reconciliationem nunquam praesumi, ideóque allegantі incumbit onus probandi; quia semel inimicus probatus perseuerare in inimicitia praesumitur. *l. in ipsum.* & ibi Bald. *C. familiae ercifcundae.* & tradit Menochius *de praesumpt. lib.5. praesumpt.42. num.7.* Farinacius *quaest.64. num.62.* Decian. *tractat. crimin. lib.3. cap.25. num.86.*

12 Quartò aduertunt Doctores, & optimè, non debere inimicitiam esse à parte procuratam. Si enim procurata fuit ad repellendum testem, qui crimen manifestaturus erat; non debet illi prodesse, quia non est iustum, vt ex sua iniquitate commodum reportet. sic Anton.Gomez *tom.3.variarum resolutionum, cap.12. num.14. versic.item etiam.* Pegna *5.part.director.comment.116.circa finem, versic.rursus non procedunt.* Mascard. *de probation. lib.2. conclus. 857. num. 54.* Farinacius pluribus relatis, *quaest.54.num.64.* An autem inimicitia sit procurata per fraudem, iudicis arbitrio relinquitur. sic alios referens Farinacius *num.65.* Nunquam tamen creditur testi dicenti partem inimicitiam procurasse, debet enim aliunde quàm ex suo dicto probari. sic ex Rota testatur Crescent.*decis.3.n.5.& seq.in tit.de testibus.*

§. II.

Quomodo supradicti testes aliàs inhabiles deponere debeant.

1 *Hi testes ad solam probationem delicti, non ad illius circumstantias admittuntur.*
2 *Proponitur quaedam obiectio, & fit illi satis.*
3 *Negant plures admitti hos testes inhabiles, si via accusationis procedatur.*
4 *Probabilius est oppositum.*
5 *Communis sententia negat hos inhabiles admittendos esse absque tortura.*
6 *Contrarium dicendum est.*
7 *Admittuntur supradicti, tametsi aliae adsint probationes.*
8 *Admitti possunt tam contra reos, quàm pro ipsis.*
9 *In fauorem rei consanguinei admitti possunt, sed non tanquam integri testes, sed tanquam testes diminuti.*

1 PRima difficultas est, an admittendi sint hi testes inhabiles non solùm ad probationem delicti, sed etiam ad alia adminicula, & cum delicto connexa? Cui difficultati respondeo admitti solùm ad probandum delictum, & circumstantias illius intrinsecas, delictúmque inferentes; secus verò ad circũstantias extrinsecas, etiãsi delicto praesupponantur necessariò. Exemplis explico. Haeresis punienda ab Ecclesia committi non potest nisi à baptizato: testes autem criminosi, & aliàs inhabiles, etsi ad haeresim probandam admittantur, non videntur admittendi ad probandum Baptismum; quia Baptismus cum haeresi nihil commune habet, quia ex Baptismo haeresis non infertur, neque econtrà; bene tamen admittuntur ad probanda indicia, ex quibus haeresis infertur. v. g. ad probandam familiaritatem cum haereticis, conuenticula secreta, & alia huiusmodi, quia haec delictum inferunt, & sunt de illius intrinseca substantia. Confirmo ex doctrina Bart. *in l.quaestionibus, ff. ad legem Iuliam maiest.* vbi affirmat admitti infames ad probandum rectorem cuiusdam prouinciae non admisisse successorem Regem; ac proinde laesae maiestatis crimen commisisse, etsi non admittantur ad probandum legitimum successorem esse; cùm tamen esse legitimum successorem necessariò praesupponatur ad crimen laesae maiestatis committendum. Secundò confirmo ex Baldo *in authent. si testis productus, num.7. C.de testibus*, vbi si statuto admittantur infames ad probandum adulterium, non inde infertur admitti ad probandum matrimonium adesse, cùm tamen sine matrimonio adulterium esse nõ possit, & ratio omnium est, quia nec matrimonium infert adulterium, neque successio in regno infert repulsam subditorum, neque cum his delictis aliquid commune habent. sic doctissimus Farinacius *lib.2.praxis, tit.6.q.56.de testibus, à num.78.* & faciunt ea, quae adducit *quaest.62. num.69.* vbi loquens de casu, in quo testes inhabiles admittuntur, si veritas aliter probari non potest, concludit huiusmodi conditionem; quia extrinseca est negotio, pro quo ipsi admittuntur, ab aliis, quàm ab ipsorum testimonio probanda est.

2 Sed obiicies. Qui dat formam, dat consequentia ad formam: & vno concesso, conceduntur ea, sine quibus esse non potest, aliàs videretur diminuta, imò inutilis concessio: & habetur *l.2.iurisdictio, ff. de iurisdict. omn. iudicum, l.ad legatum, l.ad rem mobilem ff. de procuratoribus.* Sed crimen haeresis punibile ab Ecclesia esse non potest, nisi à baptizato. Ergo concesso infamibus, vt esse testes possint in hoc crimine, conceditur similiter, vt possint testificari ea, sine quibus stare crimen nullatenus potest. Propter hanc rationem Angel. *in l. famosi, num.3.ff.ad legem Iuliam maiest.* Salycet. *in authent. si dicatur, num.11. C. de testibus.* Gigas *de crimine laesae maiest. lib.2.rubr.quomodo, & per quos crimen laesae maiestatis probetur, quaest.5. per totam.* Bossius *in tit.de crimine laesae maiest. num.114. in fine*, existimant testes admissos ad probandum aliquod delictum, admitti debere ad probandum ea omnia, sine quibus delictum esse non potest, quia omnia illa, dicunt, sunt substantialia. Caeterùm ego cum supradicto Farinac. Bart. & Bald. existimo nullo modo substantialia delicti dici debere ea, quae in alio genere delicto praesupponuntur, sed solùm illa, quae praesupponuntur delicto, tanquam illatiua illius. Esse autem baptizatum non infert haeresim, neque illius est pars; neque matrimonium infert adulterium, neque successio

successio in regno infert rebellionem subditi; ideo ex concessione facta testibus aliàs inhabilibus, vt testentur de hæresi; de adulterio, de rebellione, non conceditur testari de illis sic præsuppositis. Neque aduersùs hæc pugnat vulgaris regula, concesso vno concedi simul ea, sine quibus esse non potest, quia intelligitur de iis, quæ sunt in eodem genere, & quæ se mutuò inferunt.

3 Secunda difficultas est, an ij inhabiles admittantur, si via accusationis procedatur. Plures negant admitti posse: sic Glossa *in dicto cap. in fidei fauorem, verbo inquisit.* Ioan. Andr. *num. 3. fine.* Geminian. *num. 7.* Franc. *num. 3.* Mascard. *de probationib. lib. 2. conclus. 857. num. 3.* Decian. *tract. crimin. lib. 5. cap. 35. num. 2. & 8. & cap. 27. num. 5. & cap. 29 num. 5.* Repert. Inquisit. *verbo testes. vers. nota distinctionem.* consentit Farinac. *de haresi, quæst. 188. n. 78.* Mouentur, quia ij inhabiles à testimonio dicendo sunt exclusi. *cap. testes. 2. quæst. 7. cap. 1. de præscriptionib. cap. licet, de probationib. cap. testimonium. de testibus.* Ergo in tantum admitti poterunt, in quantum eis fuerit à lege concessum. At *in suprad. cap. in fidei fauorem,* solùm eis conceditur, cùm iudex via inquisitionis procedit, quia solùm de illo modo procedendi textus loquitur: vt constat ex illis verbis, *in negotio inquisitionis.* Ergo cùm sit à regula generali exceptio, non debet extendi ad accusationem. Deinde accusatio non est fauorabilis, vt inquisitio, *cap. si quis Episcopus. 2. quæst. 7.* Ergo priuilegium pro inquisitione concessum non debet ad accusationem extendi. Denique si in accusatione ij testes admitterentur, eorum admissio non tam in fauorem fidei, quàm in fauorem accusatoris redundaret, cuius fauere non intendit; & hæc sententia est satis probabilis.

4 Nihilominus contrariam probabiliorem reputo. Non enim censeo priuilegium admittendi inhabiles testes in crimine hæresis voluisse Pontificem arctare ad casum, in quo via inquisitionis proceditur, aliàs hoc expressisset. Neque ex verbis suprad. textus, *in fidei fauorem,* hæc restrictio colligitur. Inquit enim Pontifex: In fidei fauorem concedimus, *vt in negotio inquisitionis hæreticæ prauitatis* excommunicati, & participes, vel socij criminum ad testimonium admittantur. Cùm enim dixit, *in negotio inquisitionis,* quid commune dixit, siue via inquisitionis, siue accusationis procedatur; quocunque enim modo Inquisitor procedat, hæreticam prauitatem inquirit, & in negotio inquisitionis versatur. Cur ergo priuilegium in fidei fauorem concessum, limitandum est ad casum, in quo via inquisitionis, in negotio inquisitionis procedatur, cùm possit intelligi de quocunque modo procedendi? & ita intelligi affirmat Archidiacon. *in dicto cap. in fidei fauorem, num. 2. & 3.* Gundisalu. *tract. de hæretic. quæst. 13. num. 16. & 17.* Carrer. *tract. de hæretic. num. 120.* Rojas *singul. 188. num. 6. & seqq. & singul. 191. num. 3. & singul. 84. num. 4.* & plures alij relati à Mascard. *lib. 2. conclus. 857. num. 31.* Gundisalu. *tract. de hæretic. quæst. 13. num. 17.* & consentit Farinac. *de testib. quæst. 62. num. 86.*

5 Tertia difficultas est, an hi inhabiles admitti debeant absque tortura in hoc crimine excepto. Negat communis sententia generaliter loquens in criminibus exceptis, prout videre est ex pluribus, quos refert Farinac. *de testib. quæst. 56. num. 56. & 57. & quæst. 62. 72. num. 23. & seqq.* & specialiter loquens de crimine hæresis docet Campeg. *in addit. ad Zanch. tract. de hæretic. cap. 9. litt. C. in verbo inquisitor vers. adsunt insuper.* Martin. del Rio *disquisit. magic. lib. 5. sect. 3. vers. sed quædam, & in 2. appendice, qu* [illegible] *11.* Montemar. *in pract. Archiepiscop. cap. 84. num. 1* [illegible] *ucet* Greg. de Valent. *tom. 3. disp. 6. q. 13. p. 4. vers. cæter.* [illegible] *in fine.* Subdit tamen sufficere torturæ metum. Gun[illegible] *tract. de hæretic. quæst. 13. num. 5.* Clar. *pract. crimin.* [illegible] *1. vers. suam etiam.* Et hanc esse veram opinion[illegible] *ocet* Pegna statim allegandus. Aduertunt tamen [illegible] leuiter esse hos testes torquendos. Fundamentum præcipuum sumitur ex *l. ob carmen. §. si ea rei conditio. ff. de testibus.* vbi ad litteram dicitur: Si ea rei conditio sit, vbi arenarium testem, vel similem personam admittere cogimur, sine tormentis, testimonio eius credendum non est: quæ lex approbatur *in cap. si testes, 4. quæst. 3. in medio.*

6 Cæterùm credo hos excommunicatos, infames, criminosos, socios criminis, seu aliàs inhabiles personas admitti posse, & regulariter sic admittendos esse in testes sine tortura, quoties ex officio examinantur, vel ipsi in fauorem fidei, & ex propria conscientia coacti deponunt. Non enim videtur iustum torquere testem, cuius nulla interest testimonium, bonóque communi, & reipublicæ fauet. Aliàs si testes hi scirent suum testimonium admittendum non esse, nisi priùs tormentis examinentur, & firmentur, à testificando omnino auerterentur, quod in graue reipublicæ, & religionis detrimentum cederet. Neque obstat lex imperialis à iure canonico approbata. nam loquitur de teste producto à parte in sui fauorem, vel ab accusatore pro sua intentione fundanda. Huic enim testi, quem iudex admittere cogitur, credi non debet absque tortura, & meritò; quia ipse non partes iudicis, sed rei, vel accusatoris facit; ac proinde suspectus de veritate redditur vltra inhabilitatem, quam habet: debet ergo illam suspicionem tormento purgare. Secus verò dicendum est de testibus ex officio iudicis examinatis, & qui sese zelo fidei, & reipublicæ testificando offerunt; & ita hos testes admitti sine tortura regulariter est praxis vniuersalis inquisitionis, prout testatur Farinac. *quæst. 188. num. 68.* & ego in Hispania sic practicari vidi, & latè defendit Simanc. *cathol. instit. tit. 64. rub. de testib. num. 37. & seqq. & in enchirid. viol. relig. tit. 35. rub. de testib. num. 18. & in addition. ad Zanch. in tract. de hæretic. cap. 2.* Pegna *3. p. direct. quæst. 64. com. 113. vers. illa est etiam.* vbi licèt contrariam sententiam dicat esse veram: at hanc esse benigniorem, & fauorabiliorem fidei; ac proinde sequendam. Et concedit in aliquo casu arbitrio iudicis testem torqueri posse Lælius Zech. *sum. 1. p. tit. de fide. rub. de hæretic. cap. 11. num. 14. vers. & idem si sit socius criminis.* Mascard. *de probation. lib. 2. conclus. 857. num. 3.* Rojas *tract. de hæretic. p. 2. num. 153. & seq.* Sigismund. Scaccia *tract. de iudic. cap. 82. num. 2.*

7 Quarta difficultas est, an huiusmodi testes inhabiles, infames, criminosi, socij criminis, excommunicati admittantur in defectum aliarum probationum? Non desunt, qui censeant solùm in illo casu admitti debere, vt docuit Eymeric. *3. p. direct. quæst. 69.* quia solùm in illo casu reputatur eorum admissio necessaria. Cæterùm omnino talis sententia reiicienda est, quia contraria videtur textui, *in fidei fauorem.* vbi dicit Pontifex, in fidei fauorem hos admitti posse, præsertim in defectum aliarum probationum; aduerbium enim *præsertim* ampliatiuum est, & denotat in omni casu admittendos esse, maximè in illo. Dictiones enim *maximè*, & *præsertim*, explicant casum minus dubitabilem, & implicant, seu supponunt magis dubitabilem, vt copiosè scribit Alberic. *in suo dictionario, in verbo præsertim*; & multis relatis docet Gutierr. *lib. 1. canon. qq. cap. 20. à num. 5.* & optimè probat Sanch. *lib. 2. de matrim. disp. 39. num. 6. in princ.* ex textu *in cap. litteras, de restit. spoliat.* vbi de conscio impedimenti consanguinitatis, præsertim in gradibus diuina lege prohibitis, deciditur reddere non posse. Ex quo textu arguit neque etiam reddere posse, si impedimentum sit ex gradibus humana lege prohibitis. Ergo similiter in nostro casu dicendum est. Deinde testes infames, & aliàs inhabiles admitti, cùm veritas aliter haberi non potest, iure communi sancitum est. *cap. veniens el 2. de testib. cap. fin. de testibus cogendis.* & ibi Abbas *in 2. notab. & in l. consensu. §. super plagu. C. de repudijs*, & aliis pluribus legibus, & Doctoribus comprobat

probat Farinacius *q.62.num.50.* Ergo non esset specialis fauor fidei hos admittere, si solùm admittendi essent in aliarum probationum defectum, contra textum *in cap. in fidei fauorem.* Et ita hos esse admittendos, siue adsint aliæ probationes, siue deficiant, docuit Ioann. Andr. *in dict. cap. in fidei fauorem, n.3.* Vmbert. Locat. *in iudicial. inquisit. verbo excommunicati, num.4.* Syluest. *verbo hereticus, §.2.n.6. in princ.* Repert. Inquisit. *verbo testes, sub vers. est tamen.* Farinacius *q.188.§.5.n.74.* Sigismund. Scaccia *de iudic. cap.81. num.2. in fine, vers. vel ponderando illud aduerbium præsertim.* Simancas *in enchirid. viol. relig. tit.35. rubr. de testibus, n.17.* Decian. *tract. crimin. lib.5. cap.35. n.1.* & alij.

8 Quinta difficultas est, an hi testes possint admitti in hæretici defensionem, si ab ipso inducantur? Negant Farinacius *q.188.n.81.* Gundisalu. *tract. de heretic. q.13. num.14.* Repert. Inquisit. *verbo testes, vers. an illi testes inhabiles.* Bossius *tit. de hæreticis, num.3. vers. non admittuntur tales testes ad defensionem.* Ioan. à Rojas *singul. 188. num.9. & 10. & tract. de heret. part.2. num.177. assert.46.* & faciunt scripta per Crottum *de testibus, n.104.* & Gigas *de crimine læsæ maiestatis, lib.2. rubr. quomodo, & per quos crimen læsæ maiestatis probetur, quæst.17.* Mouentur ex *dicto cap. in fidei fauorem*, vbi in fauorem fidei conceditur hos ad testimonium admitti contra hæreticos, credentes, fautores, defensores, &c. Ergo per argumentum à contrario admitti non possunt pro ipsis. Cæterùm credo pro ipsis admitti posse, etsi non faciant plenam fidem, præcipuè cùm defensio aliter haberi non potest: si enim ob fauorem fisci, & actoris ad probationem criminis admittuntur, cur admitti non debent in fauorem delinquentis ad eius innocentiam probandam? Neque textus *in fidei fauorem*, contrarius est, quia fauor fidei est hos testes inhabiles admitti, etiam dum esse non possint aliæ probationes. At in hæretici defensionem solùm in aliarum probationum defectum: & ita tradit expressè Anton. Gomez *tom.3. variarum, cap.12. rubr. de probationibus delict. num.23.* Farinacius sibi contrarius *quæst.62. num.97.* & facit textus *in cap. litteras, de præsumptionibus*, vbi frater in crimine hæresis admittitur ad purgationem fratris, cùm omnes domestici iure ciuili, & canonico à testimonio in fauorem ipsorum domesticorum repellantur, vt constat ex *l. testes, ff. de testibus, & cap. si testes, §. testes, 4. quæst.3.*

9 Sed quid de familiaribus, consanguineis, & domesticis, valet enim eorum testimonium, si pro reo inducantur? Negant plures, quos congerit Mascard. *de probat. lib.2. conclus.857. num.24.* Crottus *tractat. de testibus, num.104.* Farinacius *de heresi, quæst.188. num.149.* & mouentur ex *cap. filij, de hæreticis, in 6.* vbi loquens de eo, qui tempore mortis consolationem, (seu veriùs desolationem) ab hæreticis postulauit, quem non esse tunc sanæ mentis probare nitebantur filij, vel hæredes, dicitur casu quo id probandum sit non per vxores, filios, familiares, vel de suis aliquos: sed per testes alios fide dignos, & specialiter fidei zelatores probandum esse. Et ratio est, quia ij ob consanguinitatem, amicitiam, vel subiectionem præsumuntur veritatem occultaturos, cùm sua intersit delinquentem à delicto liberare. Cæterùm credo hos admittendos non esse tanquam integros testes ob nuper dictam rationem. At vt testes diminutæ veritatis, seu non integræ opinionis admitti posse ad innocentiam probandam, cùm nullo iure expresso reperiantur exclusi, imò potiùs admissi, *in cap. litteras, de præsumptionibus.* Neque obest textus *in cap. filij.* Intelligi enim potest primò, non esse admittendos tanquam testes integros, & plena fide dignos, vel ad reprobationem aliorum testium, quibus probatum fuit defunctum sanæ mentis fuisse, cùm more hæreticorum consolationem in extremis postulauit, in quo casu domestici à testimonio dicendo excluduntur. quia receptum est à communi sententia testes reprobatorios debere esse omni exceptione maiores, ex textu *in cap.1. & ibi glossa, in verbo Stephanus Papa, de exceptionibus.* & tradit Speculator *in tit. de testibus reprobatoriis, in princip. & num.3.* Rota *tit. de rescript. in antiquis, decis.22.* Grammatic. *consil. 12. num. 31.* Boërius *decis.40. num.130.* Hippolyt. Riminald. aliis relatis, *consil. 809. num.70. lib.7.* quæ doctrina à fortiori procedit, si agatur de reprobandis testibus omni exceptione maioribus. Tunc enim clarum est testes reprobatorios similis qualitatis esse debere, ex *l. nihil tam naturale, ff. de regulis iuris.* Absurdum enim est quemlibet obligatum esse probare causam per testes omni exceptione maiores; & aduersarium illos reprobare posse per testes diminutæ opinionis. Non igitur ex supradicto textu *in cap. filij*, infertur innocentiam rei probari nullatenus posse; sed solùm infertur non posse probari reprobando testes legitimos, quibus rei malitia probata est: & ita hanc sententiam defendit Gabr. *lib.7. conclus.22. num.7. versic. contrarium voluit.* Campegius *de testibus, regul.5. in 9. fallentia.* Mascard. *de probationibus, lib.2. conclus.857. num.27. & 28.* Lœlius Zechius *summ.1. part. tit. de fide, rubr. de heresi, cap.11. num.14. versic. quod verò ad domesticos.* Franciscus Pegna *3. part. director. comment.119. versic. & quamuis*, vbi admittit testes domesticos, si probatæ vitæ sint, & maximè, si cum alio omni exceptione maiore iunguntur. Farinacius *de testib. quæst.54. num.118. & q.55. n.73. & de heresi, q.188. n.150. & 151.*

§. III.

Qua ratione examinandi sunt supradicti testes, eorúmque testimonium publicandum.

1 *Omnes compelli possunt (exceptis capitalibus inimicis) tametsi absint, & extra iurisdictionem Inquisitoris existant.*
2 *Debent per litteras requisitorias citari, & vocari.*
3 *Possunt examinari lite non contestata, & parte non citata.*
4 *Apponitur limitatio cum pars est potens, sed non admittitur.*
5 *Testes examinati parte non citata iterum examinandi sunt, si pars aliquid opponit.*
6 *Testes cum ex prima instantia examinantur, debent examinari coram Notario, & duabus personis discretis spectato iure, at vsus contrarium obtinuit.*
7 *Facta testium depositio, publicanda est reo tacitis nominibus testium.*
8 *Testes non sunt cum reo confrontandi, nisi in duplici casu.*

1 Concors est omnium sententia compelli posse omnes (inimicis capitalibus exceptis) ad testificandum de hæresis crimine, quoties ad cognitionem veritatis id expedire visum fuerit Inquisitori, ita vt cogi possit frater aduersùs fratrem, & filius aduersùs patrem, & vxor aduersùs maritum. sic pluribus firmat Farinacius *q.188. num.2.* Neque defendere se potest vocatus ex eo quòd extra terminos iurisdictionis Inquisitoris existat vltra duas diætas. in quo casu testis compelli non potest ad comparendum. *cap. nonnulli, de rescriptis, cap. statutum, eodem tit. in 6.* quia fauore fidei hoc priuilegium à testibus sublatum est, & Inquisitoribus (& idem est de Episcopis in causa fidei procedentibus) concessum, vt possint testem quantumcumque absentem vocare, & citare, & ad comparendum compellere, iuxta text. *in cap. vt officium, §. denique, de heret. in 6.* &

& ibi notant omnes, & specialiter Simancas *catholic. institut. tit. 34. rubr. de Inquisitoribus Apostolicis, num. 24.* Rojas *singul. 95.* Eymeric. & Pegna 3. *part. quæst. 74. comment. 123.* Cautè tamen, & prudenter, vt bene dicit Pegna, agendum est, præcipuè cum viris illustribus, qui potius rogandi, quàm trahendi sunt, & aliquando conuenientius erit, vt Inquisitor ad examinandum testem adeat, vt si sit mulier honesta, aut religiosa, quam non decet domo exire, & in iudicium trahi, vel alteri vices committat, quas committere posse diximus ex rescripto Vrbani IV. incipiente, *Licet ex omnibus*, & tradit Pegna 3. *part. comment.* 10. Farinacius *quæst.* 188. *num.* 20. *&* 21.

2 Rursus hæc vocatio, & citatio testis extra iurisdictionem Inquisitoris existentis fieri debet ab Inquisitore per litteras requisitorias ab Episcopo, vel Inquisitore illius diœcesis, ne videatur eorum iurisdictionem offendere: in hac tamen requisitione non est illi opus processum transmittere Inquisitore, vel Episcopo requisito, sed eo ipso, quòd Inquisitor dixerit sibi opus esse hoc, vel illo teste, pro causa fidei expedienda, tenetur requisitus Episcopus testem transmittere; aliàs censebitur impedire inquisitionis officium. sic notauit Pegna *dicto comment. 123. vers. neque Episcopus*, & ex illo Farinacius *q.* 188. *n.* 4.

3 Testes in hoc crimine examinari possunt lite non contestata, & parte non citata; quia in hac causa non arctatur Inquisitor formam iudicialem seruare, sed procedere potest simpliciter, & de plano. *cap. si. de haret. in 6.* & tradit Rojas *singul.* 125. Marsil. *pract. crim. §. diligenter, num.* 158. Simancas *catholic. institut. tit. 64. rubr. de testib. num. 15. & in enchirid. tit. 35. eadem rubr. de testib. num.* 8. Farinacius *quæst.* 188. *num.* 15. Pegna 2. *part. director. comment. 19. in cap. veritatis, de dol. & cont.* & alij apud ipsos.

Difficultas est, an sic examinati probent? Videtur negare Farinacius, & Pegna *loco allegato*, & Arnold. Albertin. siquidem dicunt debere testem repeti parte citata, vt probent contra inquisitum, & solùm ad inquirendum iuuare. Cæterùm credo sic examinatos non solùm iuuare ad inquirendum, sed etiam probare contra reum; aliàs nullus esset fidei fauor factus, cùm in qualibet causa testes examinati parte non citata, litéque non contestata iuuent ad inquirendum, specialiter contra reum. Neque inde fit posse reum ex talium depositione, absque citatione condemnari; quia ad condemnationem non solùm requiritur probatio delicti, sed probatio delicti ab inquisito non infirmata, ad cuius effectum necessaria est citatio. Deinde quia satis recepta sententia est, & in generalis inquisitionis supremo tribunali practicata, testes examinatos parte non citata repetendos non esse, saltem cùm inquisitus annuit eorum examinationi, neque repeti postulat, vt aliis relatis optimè docet Farinacius *quæst. 72. num. 149. & de hæresi, quæst. 188. num. 27. versic. contrarium.* Ergo signum est valere depositionem testium parte non citata: & ita tenet Mascard. *lib. 1. in præfat. quæst. 5. num.* 41. Placha *in epitom. delict. cap. 19. num. 17. vers. quod conuinci posset.* Farinacius *quæst. 72. num. 115. & de hæresi, quæst. 188. num.* 24. Simancas *catholic. institut. tit. 64. rubr. de testibus, num. 16. & 28.* Rojas *singul.* 196. Decianus *tractat. crimin. lib. 5. cap. 20. num.* 24. & alij apud ipsos.

4 Limitant tamen Rojas *suprà num.* 6. Decian. *cap. 35. num.* 15. Parisius *in consil. 2. num.* 165. & alij relati à Farinacio *quæst. 72. num.* 116. vt intelligatur, quando inquisitus est potens, & ob eius potentiam timetur aliquod testibus damnum euenturum. ob quam rationem nomina testium non publicantur. Verùm probabilius existimo etiam remota potentia inquisiti non requiri citationem rei ad valorem depositionis testium antea factæ, sed solùm, vt ipse opponat, si quid habet aduersum: sic Simancas *loco allegato.* Calderin. *tractat. de hæreticis, rubr. de mat. process. inquisit. num.* 2. Carter. *tractat. de hæreticis, num.* 121. Ber. Comen. *lucerna inquisit. verbo tortura, num.* 51. Repert. Inquisit. *verbo testes, versic. item nota.*

5 Ex his infertur decisio illius quæstionis, an testes examinati parte non citata, sint iterum post citationem examinandi?

Et respondeo cum communiori sententia iterum examinandos esse, si inquisitus, & citatus aliquid opposuit, vel interrogatoria dedit, quibus veritas amplius inuestiganda sit. Nam si oppositionibus, & interrogationibus requisiti non satisfaciant testes, eorum depositio antea facta multum infirmatur. Debent ergo iterum examinari, vt depositiones factæ firmæ permaneat, sic Arnold. Albertin. *tract. de agnoscend. assert. cathol. & hæret. q. 34. à n. 16. & seqq.* supponit Pegna 2. *part. direct. comment. 19. ad cap. veritatis, de dolo, & contum.* Sigismund. Scaccia *tractat. de indic. cap. 98. num. 7. versic. si loquimur.* Farinacius *quæst. 188. num.* 22. Dixi, examinandos iterum esse, quando inquisitus dictis testium se opposuit, & interrogatoria dedit; secus verò si nihil horum fecerit, quia tunc repeti examen necesse non est, cùm eorum depositio non infirmetur, vt multis allegatis docet Farinacius *quæst. 72. num. 149. & de hæresi, quæst. 188. num. 27. fine.* Ex officio tamen iudicis repeti poterunt, & sæpè repetuntur in criminalibus, quoties de grauissimo præiudicio inquisiti agitur, vt bene notauit ex Montemar. *in pract. Archiepiscop. cap. 84. num.* 5. Farinacius *de hæresi, dict. quæst. 188. num.* 27. & fauent, quæ dixit *q. 73. n.* 9. Quando autem testes iam examinati iterum examini subiiciuntur, debent summariè referre primam depositionem, quin eis legatur, vel ostendatur; neque satisfacient, si se generaliter ad prima dicta referant. Nam esto in aliis depositionibus hoc fieri possit, ob variationis periculum euitandum, iuxta consilium Bart. *in l. eos qui diuersa, num. 6. ff. de falsis.* At in crimine hæresis, vbi ex testium depositione tam graue damnum inquisito prouenit, quódque vitare facilè non potest, eo quòd nomina testium non publicentur, neque illorum copia detur inquisito, necessarium est in secundo examine deponere, ac si tunc primò testis examinatus fuisset, vt sic veritas meliùs cognoscatur. sic Simancas *in enchirid. violat. relig. tit. 35. rubr. de testibus, num.* 10. Rojas *singul.* 206. Farinacius *quæst. 188. n.* 35. Solùm in casu, quo longum tempus inter primam, & secundam depositionem præcessit, poterit tunc testis deponere, prout tunc recordatur, addens ex integro se remittere ad primam depositionem, & per illam velle hanc secundam corrigi, si forte in aliquo fuerit illi contraria: ratione enim præsumptæ obliuionis hoc potest admitti. Rojas. & Farinacius *suprà.*

6 Item cùm testes ex prima instantia examinandi sunt, aut eorum examen repetendum, debent coram Notario, & duabus discretis, religiosísque personis examinari: quòd si Notarius deficiat, potest eius defectus aliis duobus viris honestis suppleri: habetur expressè *in cap. vt officium, de hæreticis, in 6. §. verum.* Nomine religiosæ personæ, intelliguntur honestæ, siue clerici, siue laici sint, quæ si in fine depositionis, & postea per Notarium lectæ, & à teste confirmatæ assistant, satisfacient dispositioni supradicti textus. sic Eymeric. 3. *part. director. rubr. quot personæ esse debeant in examinatione testium, num.* 81. & ibi Pegña *comment.* 20. Aduerto tamen rarò ad examinationem rei, & testis has personas adhiberi, sed vsus obtinuit in præsentia Notarij, & fiscalis tantùm examinari. Quapropter Franc. Pegna, cum Eymer. 3. *p. direct. q. 63. comm.* 112. existimat has personas solùm ex consilio, non ex præcepto adhibendas esse. Dixi, si Notarius deficiat, eius defectum suppleri posse duobus viris honestis, quorum vnus scribere debet, &

& alter scripta subscribere: neque opus est vtrumque dicta testium scriptis mandare. sic Vmbert. Locat. *in iudic. inquisit. verbo Inquisitor*, *n.*29. Pegna, & Farinacius *suprà*, & alij apud ipsos.

7 Facta autem testium depositione reo publicanda est, suppressis nominibus testium, & delatorum: ex text. expresso *in cap. fin. de hæreticis*, *in* 6. & hoc ob fauorem fidei, ne testes arceantur à depositione tam grauis criminis. Ex qua ratione infertur manifestè dandam non esse delato copiam cognominum testium, neque aliquarum circumstantiarum depositionis, ex quibus deuenire potest in notitiam aduersùs illum deponentis. sic Eymer. 3. *p. direct. n.* 119. & ibi Pegna *comment.* 29. *&* q. 75. *comment.* 124. Lœlius Zechius *sum.* 1. *part. tit. de fide, rubr. de hæresi, cap.* 11. *n.* 14. *versic. ad quoque*. Farinacius *de hæresi*, q. 188. *n.* 7. *&* 8.

Hæc autem doctrina procedit, quoties periculum testis, & delatoris ex publicatione timetur. Nam si nullum adsit periculum, publicari nomina debent, sicut in aliis iudiciis, vt expresè dicitur *in supradicto textu*. Cæterùm iam vsus obtinuit semper hoc periculũ præsumi, etiamsi inquisitus potens non sit, quia eius consanguinei, vel eius socij, & complices potentes esse possunt ad vindicandum. Item est periculum non leuis in religione detrimenti, si testes occultent delictum, quod aliàs manifestarent scientes publicandos non esse. Adde, vt tota ratio dubitandi in hac parte, ipsisque Inquisitoribus scrupulus auferatur. extat constitutio Pij IV. incipiens, *Cum sicut*, qua sancitum est obligatos nunquam esse Inquisitores nomina testium delato publicare. sic Simancas *in enchirid. tit.* 35. *rubr. de testibus, num.* 14. *&* 15. Repert. *verbo nomina*, *versic. nunc videndum*. Franciscus Pegna 3. *part. director. quæst.* 75. *comment.* 124. *versic. tametsi verò*. Farinacius *quæst.* 188. *num.* 12. Rojas *tractat. de hæreticis, p.* 2. *n.* 98. Ludouic. à Paramo *de origine sanctæ Inquisitionis, lib.* 3. *quæst.* 4. *rubr. de expedit. process. num.* 48.

8 Hinc à fortiori infertur testes non esse cum reo confrontandos. Nam esto in aliis iudiciis, & causis hoc sæpe expediat, vt reus sic faciliùs conuincatur, & veritatem negare non audeat, iuxta textum *in l. si postulauerit*, *§. quæstioni*, *ff. ad legem Iuliam de adulter.* ibi, *quæstioni interesse iubentur reus, reáve, & patroni eorum, & qui crimen detulerit.* Tamen fauore fidei, nè hac occasione abstinerent à delicto manifestando, expediens fuit eos ab hac confrontationis obligatione liberare. sic docuit Pegna 3. *part. direct. comment.* 23. *num.* 101. *versic. aliàs explicare potest. & comment.* 48. *num.* 209. *versic. te citari*, &c. Montemaran. *practic. Archiepisc. cap.* 84. *num.* 6. Farinacius *de hæresi*, *quæst.* 188. *num.* 28. affirmantes imprudentissimè facturum Inquisitorem, si testes renuentes confrontare compelleret extra duplicem casum. Primò cùm testis est simul socius criminis, quia tunc ratione societatis in delicto, & non ratione testimonij confrontare compelleretur. Neque in hac compulsione videtur sequi aliquod considerabile inconueniens, cùm testis seipsum simul condemnet, & reus obligatus sit ipsum deponentem manifestare. sic Pegna *director.* 3. *part. comment.* 48. *vers. sit secundum axioma.* Montemaran. *practic. Archiepiscop. cap.* 84. *num.* 6. Martinus Delrio *disquisit. magic. lib.* 5. *in* 2. *appendice*, q. 39. Farinacius *quæst.* 188. *num.* 30. Secundus casus est, quando dubium est de testium falsitate, neque apparet via, qua tollatur dubium, & veritas elucescat; poterunt tunc Inquisitores ad confrontationem testes compellere, ne innocens damnetur. Hoc tamen magna prudentia, & cautela faciendum est, & præcauendum omnino periculum testium. Quapropter censent infrà referendi Doctores hanc confrontationem faciendam non esse ab Episcopo sine Inquisitore, vel econtrà; quia est res grauissima: imò in generali totius orbis inquisitionis tribunali nunquam hæc confrontatio fit, nisi ex decreto illustrissimorum Cardinalium ibi præsidentium. sic docuit Pegna, & Farinacius *suprà*.

§. IV.

Testes criminosi, & aliàs inhabiles, & singulares, qua ratione in hoc delicto probent.

1 *Hi testes non integrè probant, & aliqua inde inferuntur.*
2 *Quis sit testis singularis.*
3 *Quotuplex est singularitas in testificando.*
4 *Testes singulares singularitate obstatiua nihil probant.*
5 *Testes singulares singularitate cumulata, vel diuersificatiua probant, vt reus subijci possit quæstionibus, vel vt condemnetur in pœnam extraordinariam.*
6 *In dubio, an testes de diuersis, an de vno actu deponant, præsumendi sunt de vno actu deponere.*
7 *Duo testes singulares omni exceptione maiores sufficiunt ex plurium sententia ad reum condemnandum.*
8 *Probabilius est oppositum.*
9 *Testes deponentes de quodam actu hæreticali variantes in loco, & tempore, affirmant aliqui esse contestes.*
10 *Contrarium probabilius est, esse scilicet singulares.*
11 *Satisfit fundam. num.* 9. *adducto.*
12 *At si vnus testis deponit de actu hæreticali tali loco, & tempore; & alius de illo deponit, neque tempus designat, nec locum, contestes debent reputari.*
13 *Testes deponentes de eadem hæresi, & verbis discordantes contestes sunt.*
14 *Ex depositione singulari trium, vel quatuor testium omni exceptione maiorum, affirmant plures te condemnari posse in pœna ordinaria.*
15 *Probabilius est oppositum.*
16 *Satisfit contrario fundamento num.* 14. *adducto.*

1 De testibus aliàs inhabilibus, vt sunt excommunicati, criminosi, socij criminis, Iudæi, & hæretici contra Christianum, & alios, quos suprà meminimus, communis, & recepta sententia est non integrè delictum probare, quia licèt fauore fidei ad testificandum admittantur, admittuntur tamen vt periculo falsitatis dicendæ subiecti, neque enim hoc periculum quod intrinsecum est, purgari potest admissione: sic pluribus comprobant Farinacius *quæst.* 188. *num.* 83. Pegna *direct.* 3. *part. quæst.* 64. *comment.* 113. *vers. cæteris tamen.* Mascard. *de probationibus, lib.* 2. *conclus.* 857. *num.* 38. Ex quo fit duplici teste conteste, sociis criminis, aut aliàs inhabilibus non posse reum ad pœnam ordinariam condemnari, etiamsi indicia, & circumstantiæ concurrant, quibus præsumi potest veritatem deponere; quia huiusmodi indicia, & circumstantiæ expostulantur, vt eorum dictum admitti possit: non autem expostulantur, vt integrè probent: vt legenti textum *in dicto cap. in fidei fauorem*, facilè constare potest, & tradunt relati Doctores. Quocirca depositio vnius testis inhabilis rarò ad torturam sufficit, nisi aliis adminiculis, & præsumptionibus grauibus adiuuetur. Depositio duorum sufficiet ad torturam, vel ad condemnandum reum in pœna extraordinaria. Trium, vel quatuor depositio ad condemnationem ordinariam sufficiet; quia multitudine deponentium inhabilitas illorum reparatur. sic Pegna, Mascard. & Farinacius *suprà*, & alij apud ipsos, & tradit optimè loquens de crimine magiæ Martinus Delrio *disquisit. magic. lib.* 5. *in* 2. *appendice*, *quæst.* 12. 13. 14. *&* 15. Adde neque etiam probari delictum plenè, & perfectè, esto cum teste aliàs inhabili cócurrat testis omnino integer, & valdè dignus; quia ex dignitate vnius non repa

reparatur alterius defectus, bene tamen repararetur, si cum vtriusque depositione aliæ circumstantiæ, & indicia concurrerent. sic docuit optimè alios referens Pegna *3. part. direct. quæst. 64. comment. 113. versic. sit iam tertium.* Farinacius *quæst. 188. num. 69.*

2 Difficultas autem grauissima est de testibus singularibus, habilibus, & fide dignis, an ij plenè probent delictum? Pro cuius decisione

Præmitto primò testem singularem dici, cuius depositio contestem non habet, vel, vt clariùs dicam, cuius depositio cum nullius alterius depositione coniungitur, sed ab omni alia distincta est. sic ex Bald. *in l. de quibus, n. 37. ff. de legib.* tradit Petr. Anton. à Petra *tract. de fideicommiss. q. 12. n. 491.* Pegna *3. part. direct. quæst. 72. comment. 121. col. 2. vers. testis verò singularis.* Farinacius *de testib. q. 64. à n. 26. & seqq.*

3 Præmitto secundò triplicem enumerari à Doctoribus testium singularitatem, obstatiuam scilicet, adminiculariam, seu cumulatiuam, & diuersificatiuam. sic ex Baldo *in cap. licet causam, num. 11. in princip. de probationibus*, tradit Rojas *de hæreticis, 2. part. assert. 6. num. 122.* Pegna *dicto comment. 121. col. 1. versic. sed quo apertius.* Farinacius *quæst. 64. num. 4.* & alij apud ipsos. Obstatiua singularitas est, cuius dictum alterius dicto obstat, & repugnat. Econtra verò adminiculata, seu cumulata singularitas est, cuius dictum alterius dicto fauet, & patrocinatur: vt si vnus deponat vidisse delinquere, alius deponat se audiuisse; vnius enim dictum alterius dicto fauet. Diuersificatiua singularitas illa est, cùm ex testium depositionibus diuersus actus in specie, & in substantia colligitur. Vt si vnus diceret te commisisse hæresim tali die, & tempore, alius verò deponat alio loco, & tempore. Hæ igitur depositiones arguunt diuersas hæreses factas fuisse, aliàs si solùm de vnico, eodémque actu testes vellent deponere, sibi ipsi obstarent, & singularitatem obstatiuam in suis depositionibus haberent. sic multis relatis docent Pegna, & Farinac. *suprà.*

4 Præmitto tertiò testes singulares singularitate obstatiua nihil probare; quia sibi inuicem aduersantur, & vnius dictum aliorum dictum infirmat, ac proinde minus probant plures, quàm vnus tantùm: sic post alios Rojas *tractat. de hæreticis, 2. part. assert. 6. num. 121.* Albertin. *in cap. 1. quæst. 16. num. 62. vers. & in hac singulariter habet locum, de hæreticis, in 6.* Farinacius alios referens *quæst. 64. num. 41.* Quòd si testes sint singulares singularitate cumulata, vel adminiculata sibi inuicem adiuuant, & licèt concludenter ex illis delictum non probetur, probatur tamen efficaciùs, vt de se constat; siquidem testis deponens de auditu coadiuuat deponentem de visu, & deponens de fama fouet deponentem de facto. sic Caccialup. *in l. admonendi, num. 86. in fine, versic. dicit etiam.* Gabr. *de probationibus, lib. 1. conclus. 1. num. 5.* Petra *de fideicommiss. quæst. 12. num. 507. & seqq.* & multis aliis exornat Farinacius *quæst. 64. n. 113. & 126. & seqq.* Idem licèt non ita efficaciter reputo dicendum in testibus deponentibus singularitate diuersificatiua, cùm ex vnius dicto alterius dictum non infirmetur, sed potiùs foueatur. sic Pegna *3. part. director. comment. 121. versic. vltima est diuersificatiua.* Gabriel *titul. de testibus, lib. 1. conclus. 2. num. 9.* & hæc non infringit dicta testium.

5 Præmitto quartò testes singulares singularitate cumulata, vel diuersificatiua, licèt delictum plenè non probent quoad pœnam ordinariam, probant tamen, vt reus subiici possit quæstionibus, & in pœnam extraordinariam puniri; quia delictum ex illorum depositionibus est plusquam semiplenè probatum. sic Pegna *dicto comment. 121. col. 8. & 9. circa fin. comment.* Mascard. *de probationib. lib. 2 conclus. 856. num. 12. & seqq.* Parisius *cons. 2. n. 93. lib. 4.* Calderin. *tractat. de hæret. rubr. de sentent. inquisit. num. 1.* Farinac. *q. 64. n. 218. & de hæresi, q. 188. num. 163.*

6 Præmitto quintò in dubio, an testes de diuersis actibus, vel de vno tantùm deponentes, si in loco, & tempore conueniant, præsumendi sunt de vnico tantùm actu deponere, ac proinde esse contestes, & non singulares. Ratio est, quia pluralitas actuum non præsumitur, ex *cap. cùm Ioannes, de fide instrument.* At si in loco, & tempore diuersi sint, & ex tali diuersitate diuersitas actuum inferatur, præsumendi sunt de pluribus actibus testari, & non de vno, ac proinde esse singulares. sic pluribus relatis firmat Farinacius *quæst. 64. num. 317. & seqq. vsque ad finem quæst.* iis positis,

7 Prima difficultas est. Si duo testes omni exceptione maiores aduersùs te deponant, quorum vnusquisque de suo actu hæreticali diuerso depositionem facit, redderis de hæresi conuictus, & subiectus condemnationi in pœnam ordinariam?

Affirmant plures relati à Mascardo *conclus. 856. num. 8.* Farinacius *quæst. 64. num. 205. & de hæresi, quæst. 188. num. 155.* Pegna *director. 3. part. comment. 121. versic. ergo quantum ad primam.* Philippo Portio *lib. 1. commun. opin. regul. 34. versic. contrariam opinionem*, ipsósque sequitur Anton. Gomez *tom. 3. cap. 12. num. 12. ante medium, versic. secus tamen est.* Mouentur, quia huiusmodi testes licèt non concludenter probent aliquam hæresim in specie, probant tamen in genere, quia probant te hæreticum esse: siquidem per quamlibet hæresim hæreticus es. Et in hac generalitate concordes, & contestes esse videntur, & hoc à fortiori militat, si propositiones hæreticales à se firmatæ, vel actus hæreticales facti ad vnam sectam pertineant. v. g. si vnus testis aduersùm te deposuit ex obseruatione legis antiquæ Sabbatum custodisse, alius ieiunasse, vel te circumcidi permisisse. Nam tunc videris conuictus esse de illa secta, vt in hoc casu speciali tradit Simancas *in enchirid. violatæ relig. tit. 37. rubr. de testibus singularibus, num. 11. & tractat. de hæreticis, tit. 64. num. 75.* Menochius *consil. 81. num. 138. lib. 1.* Farinacius *de hæresi, quæst. 188. num. 157.* Petra *de fideicommiss. quæst. 12. num. 700. versic. & hæc consideratio.* Albertin. *cap. 1. quæst. 56. num. 81. de hæretic. in 6.* Conrad Brunus *tractat. de hæreticis, lib. 4. cap. 9. ad finem*, sequentes Salycetum *in l. Titium, num. 16. C. de testibus.*

8 Cæterùm probabilius credo, & in practica omnino tenendum ex vi supradictarum depositionum præcisè te non esse sufficienter conuictum hæresis, vt pœnam ordinariam luere possis: sic pluribus firmant Rojas *tractat. de hæreticis, 2. part. assert. 6. num. 142. & seqq. & n. 145.* dixit contrariam sententiam periculosam esse Pegna *director. 3. part. comment. 121. versic. cæterùm omissa.* Mascard. *de probationib. concl. 856. num. 13. & 14.* Ratio à priori est, quia esse non potest genus nisi in aliqua specie, neque species nisi sit in aliquo indiuiduo. Ergo non potes probari hæreticus in genere, quin proberis aliquo actu indiuiduo hæresim commisisse: atqui concludenter de nullo actu hæreticali in indiuiduo conuinceris per duos testes, vt casus supponit. Ergo nunquam redderis sufficienter ex eorum testimonio conuictus.

9 Secunda difficultas est, an si duo testes deponant te Mahometum adorasse, vel in obseruationem suæ legis cæremonias, & lauatoria fecisse, deponunt tamen de loco, & tempore diuerso, an debeant dici contestes, vel singulares? Ratio difficultatis est; quia vterque testis concordat in vna, & eadem hæresi, scilicet in adoratione Mahometi: discordat tamen in loco, & tempore. quæ discordantia videtur esse extrinseca, ac proinde insufficiens infirmare eorum testimonium. Probant ergo concludenter. Item vel illi duo testes deponunt de eodem actu hæreticali, vel de diuerso.

Si

Si de eodem actu deponunt, iam testes contestes sunt; si autem de diuersis actibus, est depositio, cùm huiusmodi actus ad eundem finem tendant, & ad eandem hæresim pertineant, æquiualenter de eodem actu deponunt. Et confirmo. Si vnus testis probaret te furatum esse pallium à Petro die Iouis, & alius deponat die Veneris sequenti apud te retentum vidisse, manifestè videris conuictus de furto, etiamsi de diuersis actibus fuerit facta depositio; quia in eadem materia, & in eadem specie furti conueniunt. Similiter ergo videtur dicendum de depositione facta alicuius hæresis specialis. Et ita per hos duos testes probari integrè te hæreticum esse, & vt talem condemnari posse, defendit Conrad.Brunus *lib. 4. de hæreticis, cap.9. non longè à fine.* Albertin. *tractat.de agnoscend. assert. quæst.14.num.2.* Simancas *de catholic.institut. tit.64. num.75.& 76.* & adducit pro se D.Thom. *2.2.quæst.70. art.2.*

10 At tenendum est hos duos testes singulares esse, neque omnino, & plenè hæresim probare: sic docuit aliis relatis sapientissimus, & satis de inquisitione bene meritus, Pegna *3.part. direct. comment.121. circa medium, vers.omissa igitur.* vbi probat manifestè cum Caietano, & Soto D.Thom. huius esse sententiæ, eandem acriter defendit Rojas vocans contrariam periculosam, *tract.de hæret.assert.6.n.145.* Mascard.*de probationib.lib.2. concl.856.n.13.* Farinacius *q.64.n.217.vers.si vero.* & pro hac opinione facit expressè textus *in cap.nihilominus,3. quæst.9.* ibi: neque iterum voces,tanquam plurium admittuntur,quos temporum diuersitas simul interfuisse prohibuit; & notat ibi glossa,& alij innumeri,quos referendo sequitur Farinacius *dict.quæst.64.num.72.* Ratio ea est, quia testes deponentes de hæresi commissa diuerso loco,& tempore, non deponunt de eodem numero actu,sed de diuerso, cùm impossibile sit eundem actum. v.g.eandem propositionem hæreticalem longo tempore,imò vix vnico die continuari. Sed testes deponentes de diuerso actu singulares sunt, & non concordes.Ergo non plenè probant. Neque obstat tempus, & locum non esse de substantia hæresis,neque esse articulata;quia sufficit quòd tempus,& locus inducant diuersitatem hæresis, vt depositiones singulares sint, & non contestes, vt ex Aymon. Albertin.& aliis notauit Farinacius *d.q.64.n.80.*

11 Ad rationem dubitandi respondeo,etsi temporis, & loci diuersitas extrinseca sit hæresi, non tamen est extrinseca, quoad depositionem, cùm faciat diuersas depositiones. Adde hanc diuersitatem temporis,& loci non extrinsecam,sed intrinsecam hæresi quoad eius indiuiduitatem videri: siquidem pro varietate temporis, & loci diuersa numero hæresis constituitur. Ad primam confirmationem dico de diuersis actibus deponere, etsi tendant ad eundem finem, ad eandémque hæresim in specie pertineant: sicut si quilibet testis de homicidio commisso hoc mense testaretur, & alius de commisso mense antecedenti. deponerent namque de diuersis homicidiis,& sic essent singulares, singularitate diuersificatiua,quòd si de vno tantùm vellent disponere,sibi ipsis obstarent,& fidem tollerent. Ad secundam confirmationem concedo illos duos testes integrè probare furtum; quia probant de eodem actu continuo,non de diuerso: retentio enim eiusdem rei est idem actus continuus,cum prima illius vsurpatione. Quotiescumque autem testes deponunt de eodem actu continuo, non singulares, sed contestes dicuntur, vt tradit glossa *in d.cap.nihilominus, 3.q.9. verbo simul, vers.si tamen aliquem actum continuum.* & ibi Præposit.*n.7.* Caccialup. *in l.admonendi, n.84. ante medium, vers.si verò non est factum instantaneum,ff.de iureiur.* Petra *de fideicommiss.q.12.n.625. & 647. & n.701. & 721. in princ.* & aliis in locis,plures referens Farinacius *quæst. 64. num. 90. & 91.* pluribus comprobat testes deponentes per foramen vnum post alium adulterium,copulam,vel alium actum vidisse,integrè probare; quia ex quo vident vnum actum continuatum,simul vidisse dicuntur,vt optimè tradit alios referens Pegna *dict.comment.121.post medium,vers.postremò illud hoc loco.* Anton.Gomez *tom.3.rubr.de probat. delicti.cap.12.num.12.versic.item etiam intellige.* Mascard. *de probationib.lib.1.conclus.59.num.17.& 18.& concl.65.n.2.* At in nostro casu,cùm in tam diuerso tempore, & loco eadem numero hæresis continuari non possit, efficitur sanè sic deponentes de diuersa deposuisse, atque adeò singulares testes esse.

12 Sed inquires. Quid si vnus testis deponat te Mahometum adorasse tali loco,& tempore, & alius deponat de eadem adoratione absolutè, absque signatione loci,& temporis,quia illorum non recordatur, an huiusmodi testes contestes sint,& non singulares?

Respondeo esse contestes,sed non integrè, ideóque non plenè ex illis delictum probari. Priorem partem, scilicet esse contestes,defendit Petra *de fideicomm. q.12. n.493.756.758.& 877.* Crottus *de testib.p.7.num.321. in princ. vers.tertia sit conclusio.* Farinacius aliis relatis *q.64. n.74.* Et ratio est, quia testis deponens de delicto absque signatione temporis, conuenit cum deponente de eodem delicto facta temporis signatione;cùm vterque de eodem delicto deponat. Ergo in illa depositione in quantum ad substantiam contestes sunt. Secundam verò partem, scilicet non esse integrè contestes ex se patet,quia ad hanc integritatem nihil speciale habere debebat vna depositio ab alia; at vna depositio signat tempus, & locum, quod alia non signat. Ergo. Item quia ex huiusmodi defectu tale testimonium non est plenum. Nam licèt in ciuilibus necessarium non sit testi deponenti signare locum,& tempus,præcipuè si antiquum sit,nec de illis interrogatur. At in criminalibus, vbi clariores probationes requiruntur,necessarium est; aliàs testi deponenti de delicto, loco, & tempore non signato fides integra non habetur, vt pluribus relatis defendit Farinacius *quæst.64.num.107.*

13 Tertia difficultas est,an duo testes deponentes de eadem hæresi commissa eodem loco, & tempore, si in verbis discordent, facient plenam probationem? v. g. vnus deponit te tali loco, & tempore dixisse imagines venerandas non esse, alius deponit te dixisse inutilem, & abolendum esse vsum sacrarum imaginum. qua in re Arnold. Albertin.*cap.1. quæst.16. num.42. de hæreticis, in 6.& tractat.de agnoscend.assert.cathol.quæst.34. num.47.* existimat hos testes contestes non esse, sed singulares, hæresimque non plenè probare. Mouetur,quia hæresis verbis commissa,in verbis consistit: at in verbis huiusmodi testes conformes non sunt; ergo non sunt contestes. Cæterùm omnino affirmandum est hos testes contestes esse,& plenè delictum probare, docuit Pegna *3.part. direct.quæst.72.comment.121.post medium,versic.verum tamen.* Rojas *tractat.de hæret. 2.part. assert.6. n.132.* Mascard.*concl.856.num.18.* Farinacius *quæst.64.num.70. & 112. & quæst.65. num.22.* & adducitur Bald. *in cap. bonæ,de elect.* vbi dixit, quòd si sunt duo testes, quorum vnus deponit, quòd Titius promisit Seio duos solidos, alter verò quòd promisit 24.denarios, vtique isti testes erunt contestes,& probabunt,nisi interrogati essent de qualitate vocis,& verborum formalitate: & facit textus *in cap.nihil obstat, de verborum significat.* ibi, *nihil obstat narrandi diuersitas, vbi eadem dicuntur.* Ratio autem est, quia ea verba licèt materialiter distincta sint, formaliter tamen eadem sunt, quia eundem sensum, eandémque significationem habent, in qua significatione vis verborum consistit. *cap. intelligentia, cap. præterea,de verborum significat.* Ergo testes de illis deponentes, non diuersi formaliter sunt, sed potiùs similes, & conformes.

Deinde depositio facta per eadem formalia verba suspicionem arguit falsitatis, ex textu *in l. 3. §. 1.* ibi, *vnum, eundémque præmeditatum sermonem*, & ibi Doctores *ff. de testibus.* Petra *de fideicommiss. quæst. 12. n. 1111. & 1112.* Mascard. *lib. 2. de probat. concl. 745. num. 16. & lib. 3. concl. 1368. n. 6.* Farinacius pluribus exornans *q. 65. n. 14.* Ergo discordia in cortice verborum cum omnimoda conuenientia in sensu infirmare non potest testimonium deponentium, sed potiùs illud facit credibilius, vt rectè ex D. Thom. *2. 2. quæst. 70. art. 2. ad 2. argument.* & ex Soto *de iustit. lib. 5. quæst. 7. art. 2. ad 3. argum.* probat Pegna *dict. comment. 121. circa finem, versic. imo vsque adeò.* Item satis receptum est inter Doctores modicam contrarietatem testium eorum fidem non infirmare, vt constat ex pluribus, quos referunt Mascard. *de probation. lib. 3. conclus. 1361. num. 5. in fine.* Farinacius *q. 65. num. 34.* Sed nulla potest esse minor diuersitas, & extra rei substantiam, quàm diuersitas materialis verborum. Ergo. Adde testes tunc dici contestes, quando inferunt identitatem facti, singulares, quando ex eorum dictis recepit factum separationem. sic Foller. *in practic. crimin. verbo, idem quod commisit falsitatem*, *num. 28.* Viuian. *in commun. opin. verbo testes singulares non faciunt fidem*, *num. 5.* & tradit Caccialup. *in l. admonendi, num. 87. post medium, versic. & quando testis*, *& num 89. in princ.* At ex horum depositione non infertur separata hæresis, sed potiùs vna, & eadem cognitio. Aduertendum tamen est, si testes de verborum formalitate examinati essent, & vnus de vnis verbis, alius de aliis deponeret, in tali casu nihil probarent, quia tunc in substantia depositionis discordes essent. sic docuit Riminald. *consil. 549. num. 7. lib. 3.* Roland. *cons. 33. num. 22. vsque ad finem, lib. 2.* Farinacius *quæst. 64. n. 67. 68. & 69.* Mascard. *de probat. conclus. 856. num. 19. & concl. 1361. num. 9. & concl. 1368. n. 7.* Petra *in tract. de fideicom. q. 12. num. 533. & num. 316. 894. & 1292.*

14 Quarta difficultas est in tribus, vel quatuor testibus singularibus omni exceptione maioribus, quorum quilibet de sua propositione, vel actu hæreticali deponit, sufficienter censearis conuictus ad pœnam ordinariam? Affirmant plures nec pœnitendi Doctores. Cæpol. *cons. 3. in fine.* Marsil. *cons. 1. n. 71. & singul. 114. incipiente, Vulgatum, & tritum est.* Caccialup. *in repetit. l. admonendi, ff. de iureiur. vers. patet igitur.* Franc. Brunus *tract. de indic. & tortur. p. 1. q. 2. n. 6.* Simancas *tract. de hæreticis, tit. 64. n. 77.* Tiraquel. *de pœnis temper. causa 51. num. 106.* & alij relati à Pegna, & Farinac. *locis statim allegandis.* Fundamentum præcipuum esse potest, quia testes singularitate diuersificatiua deponentes mutuò se iuuant, & depositionem probabiliorem faciunt. Ergo ex hoc adminiculo, & adiutorio probari integrè delictum potest. Item quia non est credibile tot testes spectatæ virtutis, & prudentiæ falsum deponere. Adde manifestum inconueniens, scilicet posse hæreticum plures è populo peruertere, & ad suam falsam opinionem trahere, quin posset conuinci, si vnumquemque solum doceret.

15 Cæterùm credo ex multitudine testium singularium neminem, vt hæreticum in pœnam ordinariam condemnari posse. sic tenuit Beroius *in cap. licet causam, num. 43. vers. istud tamen dictum, de probat.* Crott. *de testib. p. 7. n. 326. vers. sed credo illam non esse veram.* Pegna *3. par. direct. comment. 121. vers. atque vt in hac quoque causa.* Rojas *tract. de hæret. p. 2. assert. 6. n. 146. & seq.* Farinac. *q. 64. n. 305.* & fauet Concilium Narbonense, & Biterrense, prout refert Pegna *suprà.* Ratio præcipua est; quia non potest integrè, & plenè probari quis hæreticus, quin de illo hæresis integrè, & plenè probetur. At cùm testes sunt singulares, hæresis plenè probari non potest; quia hæc probari non potest, nisi probato actu hæreticali. Cùm ergo nullus actus hæreticalis integrè, & plenè probetur; efficitur sanè hæresim nunquam esse plenè probatam. Et confirmo. Vnius depositio cum alterius depositione non coniungitur; quia sunt de re omnino distincta. Si ergo prima depositio in se imperfecta est, & delictum plenè non probat, ex aduentu alterius, quæ de re alia distincta deponit, perfecta reddi non potest. Adde communem illam doctrinam glossæ *in cap. veniens, el 1. verbo illorum, de testibus*, quámque tradit Bart. *in l. si quis ex argentarijs, §. 1. ff. de edendo.* Ex pluribus, inquam, imperfectis probationibus in criminalibus, non coalescere vnam perfectam, sed semper imperfectas remanere. Denique in aliis criminibus non conceditur perfecta probatio ex multitudine testium singularium. Ergo à fortiori non est concedenda in hoc hæresis crimine, in quo tot genera pœnarum concurrunt, & vberiores, clarioresque probationes requiruntur propter truncatam, & deminutam defensionem reorum, quibus nomina testium non publicantur. Sæpè enim testes, qui aliàs reputantur omni exceptione maiores, iudicarentur inhabiles, & defectuosi, si reo manifestarentur, quia obiicere poterat defectum nobis ignotum.

16 Neque obstat fundamentum contrarium. Fateor namque depositiones singulares se mutuò aliqua ratione iuuare, quatenus quælibet magis firma, & probabilis redditur ex alterius consortio, sed talis maior firmitas, & probabilitas cùm sit orta à causa extrinseca, scilicet ab alia depositione extrinseca, & accidentaria, non extrahit primam depositionem. v. g. à probatione imperfecta, quam habet, sed illam in suo modo probandi relinquit, ideóque ex multitudine depositionum singularium, quæ imperfectæ sunt, nunquam vna probatio integra, & perfecta consurgere potest. argument. *l. vnic. C. qui num. tutel. se excus. & l. sancimus, §. si quis autem, C. de donationib.* Ad confirmationem concedo delictum sic probatum præsumi verè esse commissum, ideóque reus illud negans torquendus est. quòd si post quæstionem adhuc in negatiua perseueret, abiurare debet de vehementi, ob vehementem delicti præsumptionem, quæ per torturam in hoc casu purgari satis non potuit, & insuper poterit condemnari in aliqua pecuniaria pœna, vel in pœna carceris, triremis, iuxta delicti, & personæ qualitatem, & testimonia, quæ contra se habet, qua condemnatione fit satis inconuenienti allegato pro prima sententia. sic docuit alios referens Farinacius *quæst. 64. num. 218. & 219.* Mascard. *de probat. lib. 2. conclus. 856. num. 12. & seq. specialiter num. 25. & 26.* Pegna *dict. comment. 121. post medium vers. quoties quis.*

§. V.

An duo testes contestes omni exceptione maiores ad probationem plenam huius delicti sufficiant.

1 *Sufficere probatur spectato iuris rigore.*
2 *At in practica nunquam executioni mandatur, si reus probatæ vitæ sit.*

1 TEstes omni exceptione maiores sunt, qui nullam exceptionem patiuntur. *cap. licet, de testibus.* Hos ergo & necessarios esse, & ad probationem huius criminis sufficere, manifestè videtur probare textus *in cap. nullam, §. sed hoc, in fine, 2. q. 4.* ibi, *Duorum, vel trium testium quilibet iure conuinci, & damnari poterit*, iuxta Euangelium dicens, *In ore duorum, vel trium stat omne verbum.* A qua generali regula nullibi inuenitur hæresis crimen exceptum: & ita hanc sententiam, vtpote communem, pluribus exornant Albertin. *in repet. cap. 1. de hæreticis, in 6. quæst. 16. num. 131.* Anton. Gomez *tom. 3. variarum, cap. 12. num. 9.* Pegna *3. pars. director. quæst. 71.*

cum

cum Eymer. *ibi, comment.* 120. *versf.horum omnium sententia.* Farinacius *quaest.* 63. *num.*233.*& seqq. & de haeresi, quaest.*188. *num.*55. Lœlius Zechius 1. *part. tit. de fide, rubr. de haeresi, cap.*11. *num.*14. *versic. quo verò ad numerum.* Cæuallos *in commun. contra comm. quaest.* 721. *num.* 1. Simancas *catholic. institut. titul.* 51. *rubr. de probationibus, num.*8.*& tit.*64. *rubr. de testibus, n.*36.*& in enchirid. tit.*34. *rubr. de probationib. n.*4. & alij apud ipsos.

Neque aduersùs hoc obstat textus *in cap. praesul,* 2.q.4. vbi ad conuincendum Cardinalem, si Episcopus sit, testes 72. requiruntur, si presbyter, 44. si Diaconus vrbis Romanæ, 27. si subdiaconus, acolytus, exorcista, lector, aut ostiarius, 7. Non, inquam, obstat: tum quia ille text. solùm loquitur de Cardinalibus, ob eius excellentem dignitatem, cui hæc prærogatiua debetur, vt non ita facile condemnetur. Tum præcipuè, quia non loquitur textus de testibus fide dignis, sed de testibus inhabilibus, qui cùm à testimonio repellantur, mirum non est, si tot requirantur ad plenam fidem aduersùs Cardinalem. Quòd autem supradictus textus loquatur de testibus inhabilibus, constat ex *dict. cap. nullam*, ibi: Sed hoc particulari priuilegio de clericis Romanæ Ecclesiæ intelligitur, *vel propter improbitatem quorundam*, qui cùm non sint spectatæ vitæ, & scientiæ, in accusationem ministrorum Dei repentè prosiliunt; quorum verò vita adeò laudabilis est, vt omnibus imitanda appareat, de quorum assertione nulla dubitatio nasci poterit, eorum testimonio duorum, vel trium testium, quilibet iure conuinci, & damnari poterit. Ex quibus verbis manifestè constat dispositionem *cap. praesul*, emanasse ad reprimendam malitiam aliquorum hominum perditorum, qui aduersùs Cardinales, clericósque Romanæ Ecclesiæ prosiliebant accusantes eos, vt hac ratione ab officio remouerentur, ac proinde de his testibus talis numerus copiosus expostulatur ad Cardinalem conuincendum. Adde consuetudine iam recepta supradictam dispositionem *cap. praesul*, omnino cessasse. sic Decius *in cap. at si clerici, de iudic. in* 6. Beroius *ibi, num.*8. *vers. Decius.* Iulius Clarus *practic. crimin.* §. *fin. quaest.*66. *vers. debet etiam scire*, plures referens Farinacius *quaest.*63. *n.*244.

2 Verùm etsi hoc ita sit spectato iuris rigore posse, inquam, ex duorum probatorum testimonio reum conuinci, & in pœnam ordinariam condemnari: at crederem, si delinquens probatæ vitæ sit, id nunquam fieri debere, sed oportere tres, vel quatuor testes adesse, vel saltem aliqua alia indicia, & circumstantias, quibus præsumatur delictum esse commissum. Ratio ea esse videtur, quia in hoc crimine minuitur multum defensio rei, cùm in eius præsentia testes non examinentur; neque eorum nomina illi manifestentur; quibus fortè poterat aliquem defectum obiicere, ob quem eorum testimonium non leuiter infirmaret. Quapropter Guido Falcon. relatus à Pegna *dicto comment.* 121. *in princip.* dixit duos illos testes vix duos esse, eo quòd vrgente necessitate ordo truncatur. sic docuit Eymeric. 3. *part. quaest.* 71. & ibi Pegna *comment.*120. *circa finem, versic. quamuis autem haec vera sint.* Rojas *tractat. de haereticis, assert.*4. *num.*103. & fauent relati à Farinacio *quaest.*188. *num.* 56. *&* 57. Dixi, duobus testibus reum bonæ opinionis conuictum non debere damnari in pœnam ordinariam, quia in aliquam pœnam extraordinariam, arbitrio iudicis optimè potest, vt aduertunt relati Doctores, & supponunt omnes.

§. VI.

Qua pœna afficiendus sit testis in hoc tribunali falsum deponens.

1 *Qui dicatur testis falsus.*
2 *Testis falsus potest ab Inquisitore torqueri, & puniri.*
3 *An possit Inquisitor sine Episcopo, vel econtrà hunc testem punire? Sub distinctione respondetur.*
4 *Testis falsus in crimine haeresis pœna mortis afficiendus est ex plurium sententia.*
5 *At ex consuetudine receptum est pœna arbitraria puniri.*
6 *Excipe, nisi ille contra quem deposuit, vt negatiuus fuerit morte affectus.*
7 *Si testificatus punitus non est, testis non est in pœnam talionis condemnandus, etiam spectato iuris rigore.*
8 *Nulla est differentia inter testem falsum imponentem haeresim nunquam damnato, vel iam de illa damnato.*
9 *Pœna arbitraria puniendus est testis falsus pro defensione inquisiti.*
10 *Proponitur obiectio, & soluitur.*
11 *Contra huiusmodi testem, tanquam contra fautorem haeretici Inquisitor procedere potest.*
12 *Non euitabit pœnas, tametsi nulla sit eius depositio.*
13 *Quid si testis se ipsum detulit? Pœna est arbitraria puniendus, & mitius.*
14 *Dicta de testibus extenduntur ad corrumpentes, mandantes, consulentes, &c.*
15 *Filius, & nepos testis falsò condemnati non sunt infames, neque alijs pœnis subijciuntur, quibus subijciuntur haereticorum filij.*

1 PRæmitto testem falsum dici non solùm eum, qui mendacium dicit, sed etiam, qui veritatem occultat: habetur expressè *cap.* 1. *de crimine falsi.* ibi, vterque reus est, & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit, quia & ille prodesse non vult, & iste nocere desiderat. Et hos esse falsos testes testatur Farinacius *quaest.* 67. *num.* 120. nullum habere contradictorem. Modus autem imponendi falsum in crimine hæresis est, si propositionem hæreticalem, quam alius recitando, vel interrogando protulit, tu testeris affirmatiuè protulisse; falsa enim est talis depositio, & crimen non commissum imponis. sic Pegna 3. *part. director. quaest.*37. *comment.*122. *versf. nec modò sunt.* Farinacius *q.*188. *n.*42. Simancas *cathol. institut. tit.*64. *rubr. de testib. n.* 89. *versic. est quoque falsus testis.*

2 Præmitto secundò, testem falsum ab Inquisitore torqueri, & puniri posse. Nam licèt satis inter Doctores controuersum sit, an delegatus possit testem alioqui sibi non subditum punire, si in suo tribunali delinquat? Communior sententia defendit, si sit delegatus à Principe id facere posse; vt defendunt pluribus relatis Couarr. *practic. quaest. cap.*18. *n.*8. *vers. quamobrem.* Farinacius *quaest.*67. *num.*50. *& seqq.* Pegna *suprà, versic. quantum ad primum.* Ergo à fortiori id facere poterit Inquisitor, quia non solùm est delegatus Principis, scilicet Pontificis ad vnam causam, sed etiam ad plures causas criminales. Deinde, quia consuetudine receptum est habere Inquisitores hanc potestatem, quam consuetudinem testatur adesse Pegna *loco allegato*, & Farinac. *de haeresi, quaest.* 188. *num.* 40. Adde pro maiori securitate illis hanc potestatem esse concessam à Leone X. rescripto incipiente, *Intelleximus*, edito anno 1518. cuius tenorem refert Pegna *in fine directorij, inter litteras Apostolicas. & supradicto comment.* 122. & consentit Farinacius *suprà.*

3 Dubium tamen est, an solus Inquisitor, vel solus Episcopus, possit hunc testem falsum torquere, & punire? Et quidem si torquendus esset non vt reus, sed vt testis pro depositionis factæ firmitate, certum est à quolibet illorum in causa procedente torqueri posse; quia quilibet illorum potestatem habet inquirendi, & examinandi

minandi veritatem, quousque causa in statu sententiæ constituatur. Constat autem ad hunc effectum necessariam esse sæpè testis torturam. Efficitur ergo à quolibet illorum dari posse. At si torquendus esset vt reus, quod contingit, cùm specialiter contra illum de nouo formatur processus; tunc ab vtroque simul, scilicet Inquisitore, & Episcopo torquendus est, neque potest vnus sine alio, iuxta expressum textum *in Clem. 1. de hæreticis. §. propter. vers. duro tamen tradere carceri*, &c. sic expressè Eymer. *3. p. direct. quæst. 73. num. 4.* Pegna *dict. comm. 122. col. 1. vers. alterum est.* Verùm si de punitione loquamur, fateor spectato iuris rigore posse Inquisitorem sine Episcopo, & econtra testem coram se notoriè, & manifestè falsum punire pœna extraordinaria, quia hæc potestas cuilibet delegato Principis in causa criminali conceditur, vt pluribus exornant Clarus *in pract. §. fin. quæst. 38. vers. sed quæro nunquid, in fine.* Couarr. *pract. cap. 18. num. 8.* Farinac. *quæst. 67. num. 48. & seq.* & de quolibet delegato habente iurisdictionem puniendi delicta optimè probat Fachin. *lib. 9. cap. 26. ex l. nullum. C. de testibus.* Nihilominus, quia stat rescriptum Leonis X. remissum ad Inquisitores Aragoniæ anno 1520. cuius meminit Pegna *dicto comm. 122. circa finem, versic. illa etiam est.* in quo cauetur, ne possint Inquisitores sine Episcopis hunc testem falsum damnare, ideo dicendum est ita obseruari debere: & ita defendit tanquam tutius Pegna *supradicto loco.* Farinacius *quæst. 188. num. 41.* At cùm supradictum rescriptum iurisdictioni ordinariæ, & delegatæ, aliquo modo præiudicet; limitat enim Inquisitori, & Episcopo potestatem puniendi testes falsos, quam ius illis in integrum concedit; ideo ad alios Inquisitores, & Episcopos præter deputatos Aragoniæ videtur non esse extendendum, de illis namque solis loquitur Leo X. vt testatur Pegna *suprà.* Aduerto tamen, si aliquando contingat testem falsum sæculari iudici tradi morte puniendum, id debere ab Inquisitoribus particularibus fieri, consulto supremo Senatu, & non aliter, quia cùm agatur de vita hominis, quæ est res grauissima, neque ita certum est in iure hac pœna testem falsum esse afficiendum, expedit maximè ne cuiuslibet Inquisitoris particularis iudicio imponatur. sic Pegna *dicta comm. 122. vers. iam quamuis.* Salzedo *pract. cap. 93. vers. in Romana.* Farinac. *quæst. 188. num. 53.*

4 Difficultas est, an testis falsò hæresim alicui imponens pœna mortis damnandus sit, & curiæ sæculari relinquendus? Affirmatiuam partem tenet Simanc. *cathol. instit. tit. 64. rubr. de testibus, num. 86. iuncto num. 90. & in enchirid. viol. relig. tit. 38. rubr. de testibus, num. 2. & 3.* Salzedo *pract. in addit. ad Bernard. Diaz cap. 93. vers. hic sanè.* Anton. Gomez *in l. Tauri, 83. num. 8. in fine.* Rojas *tract. de hæretic. p. 2. assert. 8. num. 156. & seqq.* Lœlius Zech. *in sum. 1. p. tit. de fide, rubr. de hæresi, cap. 11. num. 14.* Mouentur primò, quia in reliquis causis testis falsum imponens punitur eadem pœna, qua puniendus erat testificatus; si verum esset obiectum, vt deciditur expressè *in l. 1. § præterea. ff. de sicarijs.* ibi, *qui falsum testimonium dolo malo dixerit, quo quis publico iudicio rei capitalis damnaretur. & in cap. satis hinc, in fine, 33. quæst. 5.* postquam dixerat August. virum falsò accusantem de adulterio vxorem suam non debere pœna mortis damnari, subditur. In alijs autem falsis eum, qui testimonio falso cuiquam nocuerit, quod si probaretur, ius sit, occidi, eadem plecti iubemus pœna, qua fuerat, si verum esset, testis plectendus. Et concordat *lex regia, 83. Tauri.* ibi, *quando se probare que algun testigo depuso falsamente contra alguna persona en alguna causa criminal, en loqual sino se aueriguasse su dicho ser falso aquel, o aquellos contra quien depuso mereçio pena de muerte. Otra pena corporal, que al tal testigo aueriguandose como fue falso; le sea dada la misma pena contra persona, y bienes, como se le debiera dar a aquel, o aquellos contra quien depuso, siendo su dicho verdadero; caso que en aquellos contra quien depuso no se execute la tal pena, puesto por ellos no quedo de darsela. loqual mandamos que se execute en todos los delictos de qualquier calidad que sean.* Cùm ergo hæresis crimen sit omnium grauissimum, vtpote reipublicæ, religionique Christianæ summè perniciosum; efficitur sanè testem deponentem falsò pœna mortis damnari non debere; quia illa est pœna, quæ imponenda erat testificato, si crimen obiectum verum esset. Secundò probatur ex rescripto Leonis X. *suprà allegato,* in quo Pontifex Inquisitoribus remittit punitionem testis falsi pro qualitate criminis, & circunstantiarum, etiam vsque ad traditionem, & remissionem faciendam brachio sæculari, & hoc absque irregularitatis periculo: sed nullus excogitari potest casus, in quo hæc pœna testi falsò imponenda sit, nisi cùm is, de quo deponitur, illam subire debebat, si verum esset obiectum. Ergo in illo casu pœna mortis testis falsus puniri debet. Notanter dixi testem falsum puniendum esse pœna mortis, si testificatus illam subire debebat, si vera fuisset depositio: quod non potest verificari, nisi cùm hæresim alicui imponit. nam si de alio crimine inferiori, ob quod testificato pœna mortis imponenda non est, clarum est neque testi esse imponendam, sed aliam mitiorem iudicis arbitrio, v.g. fustigationis, triremis, vel exilij, & pecuniæ. sic Simanc. *cathol. instit. tit. 64. rubr. de testib. n. 90. & 91.* Pegna *dicto comm. 122. vers. caeterùm, & vers. quod si leuiter nocuerit.* Ignat. Lopez de Salzedo *cap. 93. vers. quibus assimilari possunt.* Lœlius Zech. *1. p. tit. de fide, rub. de hæresi, cap. 11. num. 14. vers. quòd si testes,* Farinac. *quæst. 188. num. 51.*

5 Nihilominus contraria sententia consuetudine recepta est, scilicet testem falsum in crimine hæresis pœna arbitraria puniri, quæ rarò, vel nunquam extenditur ad mortis pœnam, sed ad fustigationem, vel triremis, vel vtramque pœnam simul. sic Ignat. Lopez, *suprà, cap. 93. vers. in Romana quidem curia.* Farinac. *quæst. 188. num. 39. & de testib. quæst. 67. num. 29.* Et fundamentum esse potest; quia is cui falsò hæresis crimen imponitur, etiam si verum esset, mortem necessariò non subiret, sed pœnitens illam euitare posset; nisi esset relapsus. Ergo testi non est pœna mortis absolutè imponenda, sed alia mitior, æqualis illi, quàm hæreticus verus, & pœnitens subire debebat.

6 Dicendum tamen est primò. Pœna mortis, & curiæ sæculari omnino tradendum esse testem falsò alicui hæresim imponentem, ob cuius depositionem curiæ sæculari vt negatiuus fuit condemnatus, & obiit: sic ex rescripto Leonis X. docet Pegna *dicto comm. 122. vers. illi verò, post princ.* Farinac. *de testib. quæst. 67. num. 21. iuncto num. 14.* vbi pluribus Doctoribus, & text. confirmat. & ita in tribunali inquisitionis Logronen. practicatum fuit. Et in hoc casu est verissima communis sententia, quæ negat testem falsum admittendum esse ad pœnitentiam, sicut hæreticus admittitur ad reconciliationem, de qua Bald. Cynus, Ioan. Andr. Panormit. & alij *in cap. excommunicamus, el 2. de hæreticis.* & tradit Pegna *3. p. direct. comm. 122. circa finem, vers. quæsitum est.* Farinac. *quæst. 188. num. 43.* Anton. Gom. *leg. 83. Tauri. num. 8.* & tradunt omnes Doctores, *num. 3.* relati. Ratio est, quia ille non solùm vt testis falsus, sed vt verè homicida puniendus est. Idem crederem dicendum, si in carcere existens testificatus obiret; quia credendum est testem falsum causam illius mortis fuisse.

7 Dico secundò, si testis falsò hæresim alicui imponeret, si tamen veritas manifestata est, antequam pœnam testificatus subiret, probabilius existimo, etiam attento iuris rigore non debere pœna mortis affici. Probo, quia pœna talionis saltem in foro Ecclesiastico non est recepta. Neque in hoc casu est aliquis textus, cogens illam imponere. Nam textus relatus *in cap. satis hinc,* præterquam quòd non est Pontificius, sed Augustini, non probat

probat eadem pœna plectendum esse testem, qua plectendus erat testificatus, si de facto plexus non fuit. Imò potiùs contrarium colligitur ex illis verbis, *cum qui testimonio falso cuiquam nocuerit*, quæ nocumentum non attentatum, sed cum effectu important. Item rescriptum Leonis X. hoc clariùs indicat, vbi conceditur facultas liberè procedendi absque timore irregularitatis contra eos, qui vel tacendo verum, vel falsum deponendo, vel instigando ad hanc falsam depositionem occiderunt, aut membro aliquo mutilarunt, aut bonis suis omnibus, vel maiori parte spoliarunt, &c. Ecce qua ratione de teste cum effectu damnificante rescriptum intelligitur. Solum video legem regiam Tauri nobis contrariam esse: sed cùm illa in crimine hæresis vtpote Ecclesiastico nequaquam disponere possit; efficitur sanè in hoc crimine pœnam mortis exequendam non esse, quando cum effectu intestificatum executa non est, licet exequenda foret, si verum esset obiectum: & ita tenet hanc sententiam Farinacius *quæst.* 188. *n.* 48. *& q.* 67. *n.* 16. *&* 17. Et loquens generaliter de teste in causa capitali falsò deponente, in qua effectus non est sequutus, affirmat pœna capitali non esse puniendum; quia ex consuetudine affectus non sequuto effectu, non punitur eadem pœna. Non enim iustum est eadem pœna punire testem deponentem falsò, ob cuius depositionem nullum testificato damnum irrogatum est, qua punitur testis, ob cuius depositionem falsam testificato mors successit.

8 Dico tertiò, nullam esse differentiam inter testem imponentem falsò hæresim alicui de hæresi nunquam damato, vel imponentem falsò hæresim alicui iam de illa damnato; quia in vtroque casu testificatus morti erat tradendus, si firma maneret falsa testis depositio. Nam vterque debebat mori, vt impœnitens negatiuus; cùm secundùm probabilem sententiam nemini liceat fateri crimen hæresis non commissum. Ergo si testis falsò imponens crimen aliàs damnato, morte plectendus est, etiam plecti debet eadem morte imponens crimen ei, qui nunquam damnatus fuit. Fateor tamen in imponente falsò crimen ei, qui aliàs de hæresi fuit damnatus, efficaciùs procedere, cùm hic nulla via à morte liberari posset, nisi falsitas, & mendacium detegeretur. Nam siue neget hæresim impositam, siue illam fateatur, mortem euitare non potest; quia in vnoquoque damnaretur vt negatiuus, in alio vt relapsus. At testificatus de hæresi, aliàs de illa nunquam condemnatus suppetit via euadendi mortem, si crimen fateatur. Quod an fieri possit, in sequentibus examinabimus.

9 Dico quartò, si testis pro defensione inquisiti falsum deponat, v.g. negando hæresim, quam sibi constat commisisse, obligatúsque est reuelare, pœna arbitraria puniendus est, dummodo non accedat ad pœnam mortis, nisi fortè contingeret aliquis casus extraordinarius; in quo ex falsa depositione testis, & veritatis occultatione graue damnum reipublicæ immineret. sic docuit Simancas *cathol. instit. tit.* 64. *rubr. de testibus, n.* 90. vbi testatur sibi ita rescriptum esse à supremo Senatu inquisitionis: & in Toletana instructione 4. *cap.* 11. ita haberi. Idem docet *in enchirid. violat. relig. tit.* 38. *eadem rubr. de testibus, num.* 4. Farinacius *quæst.* 188. *num.* 49. & loquens generaliter de testibus *quæst.* 67. *n.* 18. multis relatis exornat. Moueor, quia nullo textu cautum inuenio hanc pœnam imponendam esse testi in defensionem falsi testificanti. Nam rescriptum Leonis X. in quo æqualiter de depositione falsa contra reos, vel in eorũ fauorem loquitur, hanc pœnam illis non imponit: solùm enim ibi arbitraria pœna decernit omnes illos esse puniendos vsque ad relaxationem brachio sæculari, quod nequaquam potest intelligi, quòd hæc relaxatio omnibus debeatur; sufficit, si debeatur illis, qui sua depositione causa fuerunt, vt aliquis morti iniustæ traderetur. textus autem *in l.* 1. *§. præterea, ff. de sicar.* & textus *in cap. satis hinc.* 33. *q.* 5. expresiè loquitur de teste deponente contra reum, non pro reo. Ergo ex huiusmodi depositione non est inferenda testi tam grauis pœna, sed fustigationis, vel triremis, vel vtraque simul.

10 Sed obiicies: Grauiori supplicio est dignus, qui grauiùs offendit; sed qui deponit falsum, occultando hæresim, grauius delinquit, quàm si deponeret falsum illam reuelando. nam ille offendit diuinam maiestatem, hic humanam. Ergo grauiùs puniri debet. Et confirmo. Qui contra fiscum, & rempublicam deponit, grauissima pœna est dignus, quàm qui contra priuatum, ex text. *in authent. multo magis, C. de sacrosanct. Eccles.* Sed hic occultans veritatem, contra fiscum, rempublicámque falsum deponit. Ergo. Adde causam esse, vt ille hæreticus defensus, & alij per ipsum morte perpetua damnentur. Si ergo cùm est occasio temporalis damnationis vita priuandus venit, à fortiori cùm est causa in pluribus damnationis æternæ. Propter hæc Pegna 3. *part. direct. comment.* 122. *versic. par ratio eorum*, existimat curiæ sæculari tradendum esse hunc falsum testem: consentit Lœlius Zech. *sum.* 1. *part. tit. de fide, rubr. de hæresi, cap.* 11. *n.* 14. *vers. quod si testes.*

Verùm retinenda est nostra sententia, vtpote æquior, & benignior, & in practica omnino recepta. Et ad obiectionem omnino respondeo. Primò sæpe grauiora peccata leuioribus pœnis humanis puniri, vel quia grauiora illa peccata non sunt ita frequentia, vel quia non reputantur reipublicæ ita damnosa, vt patet in periurio, & sacrilegio, quod leuiori pœna punitur, quàm homicidium, vel adulterium, cùm tamen sint grauiora peccata, & diuinam maiestatem offendunt directè. Secundò respondeo non esse ita certum grauiùs diuinam maiestatem offendere, qui per falsam depositionem hæreticum occultat, quàm qui catholicum hæreticum facit reputari: cùm hic non solùm hominem, sed etiam Deum, & rempublicam grauissimè offendat.

11 Fateor tamen contra huiusmodi testem falsò hæresim occultantem, posse processum formari de crimine fautoriæ, & tanquam fautorem hæreticorum damnari. Illa tamen tunc non erit condemnatio ob præcisam falsitatem; sed potiùs ob fauorem, & auxilium ex illa hæretico præstitum.

12 Aduertendum omnino est, si testis falsus se ipsum detulit, & complices si fortè habuit plenè manifestauit, mitiùs cum illo agendum esse, neque vllo modo morti tradendum, nisi in casu quo testificatus mortem subiisset, sed vel carceri, vel exilio, vel triremibus damnari debet. sic colligitur ex Pegna 3. *part. direct. comment.* 122. *circa finem. vers. cum verò iudices, & vers. multis modis.* Simancas *cathol. instit. tit.* 64. *n.* 95. alios referens Farinacius *q.* 188. *n.* 43.

13 Secundò aduerto, si ex aliquo capite testis depositio nulla fuit, non obinde falsi pœnam integrè euitabit, sed solùm ordinariam. At extraordinaria arbitrio iudicis puniri debet, quia verè tentauit iniuriam irrogare, & falsitatem commisit, & iudicium offendit: sic ex pluribus firmat Farinacius *q.* 67. *toto §.* 6. *n.* 193. *& specialiter* 119.

14 Dico quintò, quod dictum est de testibus falsis, dicendum est de corrumpentibus eos prece, aut pretio, vt falsum dicant. Item de mandantibus, aut persuadentibus ad falsum testimonium, aut etiam de mandantibus alicui, vt testes corrumpat. quia ij omnes efficaciores, & principaliores causæ falsitatis esse videntur. & ita habetur expresiè in rescripto Leonis X. ibi, *qui ad talia committenda minis cogunt, vel pecunia alliciunt*, &c. & infrà, *aut alium ad falsum deponendum, aut verum tacendum induxisse.* & notauit Pegna *dicto comment.* 122. *post medium, versic. atque hoc ipsum.* Salzedo *practic. cap.* 93 *vers. & quod de testibus.* Farinacius *quæst.* 188. *n.* 44. Lœlius Zechius *sum.*

sum.1.p.tit.de fide, rubr.de hæresi, cap.11.num.14. vers. quòd si testes. Simanc. *cathol.instit.tit.64. rubr.de testibus, n.96. & in enchir.tit.38. eadem rubr.de testibus, num.8.*

15 Dico vltimò. Filius, & nepos falsi testis in crimine hæresis condemnati etiam ad pœnam mortis non redditur infamis, neque aliis pœnis obnoxius, quibus hæreticorum filij redduntur. quia nullibi cautum inuenitur, & pœnæ extendendæ non sunt, sed potiùs restringendæ, iuxta textum *in cap.odia, de reg.iuris, in 6.* sic tradit Pegna *dicto comm.122. in fine, versic.postremò quæsitum est.* Sanchez *lib.2.cap.27.num.25.* Farinac. *quæst.188. num.54.* Simanc. *cathol.instit.tit.64. rubr.de testibus, n.92. & in enchirid. tit.38. eadem rubr. de testib. num.5.* Lœlius Zech. *summ.1.p. tit.de fide, rubr.de hæresi, cap.11.num.14. vers.quòd si testes falsum deponant.*

Pvnctvm XVI.

De reo hæretico.

Reus in hoc tribunali & potest esse hæreticus, vel de hæresi suspectus ob fautoriam. De hæretico, vel de hæresi suspecto ob fautoriam, qua ratione aduersùs illum Inquisitores procedant, satis in superioribus dictum est. omnia enim quæ de inquisitione, accusatione, & denunciatione, hæreticorumque pœnis diximus, huic deseruiunt instituto. Sed pro illius complemento aliquæ restant difficultates examinandæ.

§. I.

De reo confitente, & reuocante.

1 *Si fassus sit hæresim, ex illa confessione condemnari potest.*
2 *Debet tamen confessio esse specialis, quæ specialem hæresim declaret.*
3 *Si reuocet confessionem in continenti, vel probet ex errore fassum esse, valida est reuocatio.*
4 *Reuocatio non in continenti facta, neque errore probato non excusat, tametsi alij contrarium sentiant.*

1 Contingit sæpe hæresim quem fateri, & postea reuocare confessionem factam. Dubium ergo est, an possit à iudicibus fidei hic reus condemnari? Et quidem si confessionem non reuocet, clarum est, ex illa condemnari posse; quia nulla clarior probatio huius delicti esse potest, quàm illa, quæ ex proprio delinquentis ore habetur. ad text. *in cap.vestra, cap.fin.de cohabitat. clericorum, & mulier. & l.1. C.de confessis. l.qui sententiam. C.de pœnis.* Et licèt in aliis delictis sola confessio, cùm de corpore delicti non constat, insufficiens videatur ad condemnandum. *l.1. §. item illud. ff. ad senatusconsult. Syllani.* vbi Bart. & Bald. *in auth. sed nouo iure. C.de seruis fugitiuis.* & Angel. *in l.1. C.de confessis.* At cùm hoc crimen interiùs potius, quàm exteriùs perficiatur, nulla de corpore delicti probatio requiritur, sed sola confessione delinquentis probatum esse censetur: vt aliis relatis docet Pegna *direct. 3. p. num.117. tit.de defensionibus reorum, comm.28. in princ. vers. & quamquam.* Simanc. *cathol. instit.tit.13. rub.de confessis, num.1.* Mascard. *de probationib. lib.2. conclus.859. num.1. & seqq.* Farinac. *quæst.188. n.73.* Martin. del Rio *disquisit.lib.5. sect.11.* Rojas *tract.de hæret. 2.p.num.255.*

2 Debet tamen hæc confessio specialis esse, scilicet quæ sufficienter hæresim aliquam specialem declaret, aliàs insufficiens erit condemnationi. Quapropter si quis solùm generaliter diceret se hæreticum fuisse, nisi hæresim declaret, non sufficiet hæc confessio, vt tanquam hæreticus condemnetur, quia fortè ex errore procedet, quo existimat hæresim, quæ verè hæresis non est. Valeret autem si diceret se Lutheranum esse; quia tunc iam exprimit errores, quibus fuit assentitus: sic Simanc. *catholic.instit.tit.13.num.3. & 4. & in enchirid.tit. 29.num.2.* Farinac. *num.74.* Decian. *tract.crimin. in lib.5. cap.35.num.19.* Rojas *tract.de hæretic.2.p.num.268.*

3 Quòd si confessionem factam reuocet, distinguendum est, si illam reuocat incontinenti, & in præsentia iudicis, ex illa condemnari non potest, quia credendum est ex lapsu linguæ, vel ex metu, aut timore, vel ex alia causa extrinseca factam fuisse. sic Rojas *tract. de hæretic. 2.p.num.260.* & multis allegatis docet Farinac. *quæst.81.* vbi de reo confesso, & conuicto, *num.348.* Si autem iam fuit à iudice, vel à fiscali acceptata, tunc si reuocat, errore probato, valida est reuocatio; neque ex prima confessione condemnari potest. sic Simanc. *tit.13. n.13. & 14.* Farinac. *de hæresi. quæst.188. num.75. & quæst.81.* vbi de reo confesso, & conuicto agit. Debet autem non solum errorem probare, sed probare causam quare ita errauit. Hoc autem sufficienter probatur, si probet metum vel à iudice, vel ab alio extrinseco illatum. Item si multum tempus præcessit, in quo obliuio præsumi potest. sic multos referens Farinac. *d.q.81.num.344.*

4 Quòd si reuocatio neque in continenti fit, neque errore probato, adhuc existimat Didac. Cantera *quæst. criminal. rub. de hæretic. cap.1.num.70.* efficacem esse ad infirmandam primam confessionem, ita vt ex illa non possit reus curiæ sæculari tradi, nisi fortè constaret ex malitia reuocationem factam esse: quia prima confessio eatenus efficax est ad sic cõfessum condemnandum, quatenus in suo robore, & firmitate persistit. At ex reuocatione facta minuitur eius firmitas, cùm tota firmitas confessionis ex approbatione confitentis prouenit. Ergo tota eius firmitas destituitur ex eiusdem reprobatione. Cæterùm hæc sententia nulla ratione sustinenda est, sed omnino dicendum cum Farinac. *quæst.188.n.75.* nullius valoris esse reuocationem confessionis sponte factæ errore non probato, sed illa reuocatione non obstante posse, & debere sic confessum curiæ sæculari tradi tanquam impœnitentem, si vel ipsam confessionem factam non approbat, & criminis pœnitentiam expostulat, vel errorem in præcedenti confessione commissum non ostendit. Et ratio est manifesta, quia prima illa confessio semper firma persistit, quoties error in ea commissus non ostenditur; quia nullus præsumitur contra se dicere testimonium falsum, eáque de causa qui reuocat errore non probato, neque causa allegata erroris audiendus non est. Aliàs nullus hæreticus confessus damnari posset, cùm omnes ante damnationem reuocare confessionem possent: sic tradit loquens in genere de cuiuslibet delicti confessione Paris de Puteo *de syndicatu, verbo tortus. cap.8.num.1.vers. etsi confessionem reuocat.* Carrer. *pract.in 1.tract.de appellation. §.tertius casus, num.23. ad finem. & in 3.tract.de homicid. §.11. excusat & num.24.* Monticel. *reg.20.n.7.vers.quod verum.* Franc. Personal. *de indicijs, & tortura. post num.81.* quos refert, & sequitur Farinac. *quæst. 81. num.344.* & faciunt omnia, quæ adducit toto illo *cap.9.*

§. II.

De obligatione hæretici dicendi verum, cùm à iudicibus fidei interrogatur.

1 *Obligatus es fateri veritatem, si legitimè interrogaris.*
2 *Si testibus contestibus conuictus es, & ob hanc causam morti damnaris, teneris crimen fateri, esto ex tali confessione mortem non euites.*
3 *Crimen tibi falsò impositum possis ne fateri ad euitandam mortem examinatur, & decisio Doctoribus remittitur.*
4 *An ob vitanda grauia tormenta possis crimen tibi falsò impositum fateri. Proponitur dubitandi ratio.*
5 *Approbatur vnico casu excepto.*

Dein:

1 DEficere potest reus in veritate, vel negando crimen commissum, vel sibi falsum imponendo. & de vtroque est dicendum. Primò dubitatur, an hæresim probatam testibus tenearis fateri? Non est dubium te obligatum esse illam fateri, si verè commisisti, iudice legitimè interrogante: quia si in aliis delictis hæc obligatio inest, à fortiori in crimine hæresis. Solùm videris excusatus in casu quo ex confessione pœna mortis tibi esset imponenda, & negando delictum hanc pœnam euitares, tunc si doleas de peccato, & tibi suppetat alia via impetrandi absolutionem ab incursa excommunicatione, probabilitate non videtur carere te posse in respondendo amphibologia vti; vt bene probat Lessius *lib.2. de iustit. cap. 31. dub.3. num.16. 2.editione.* quæ omnia latiùs examinabimus *in tractat. de iudice, teste, & reo.*

2 At si testibus contestibus conuictus es, & ob hanc rationem tanquam negatiuus damnaris, credo te obligatum esse sub mortali crimen fateri publicè, neque posse alia via à peccatis absolui: sic docuit Thom. Sanchez *lib.3. in Decalog. cap 7. num.11 fine. verf. hinc excipiendus.* Ratio est, quia media illa confessione euitare potes mortem tibi imminentem, quam euitare teneris, si commodè potes, quia non es dominus vitæ. & dato quòd euitare non posses, eo quòd sis relapsus, vel quia non præsumeris ex vero corde conuerti, cùm ita tardè ad pœnitentiam accesseris: at euitas ne æstimeris impœnitens, & pertinax decedere è vita; ad quam existimationem grauissimum fundamentum præbes. Teneris ergo hoc scandalum euitare. Neque obstat te in aliis delictis obligatum non esse post condemnationem confiteri delictum priùs negatum, quia ex illorum negatione non causas scandalum, sicuti causas in negatione hæresis, neque testibus, iudici, aut alteri tertio damnum infers, vt latè expendit Sanchez *loco allegato suprà.*

3 Secundò dubitatur, an si falsis testibus conuictus sis, & ob eam causam damnaris, possis ad euitandam mortem confiteri crimen tibi falsò impositum? Negat Pegna *3. part. direct. num.210. comment.48. versic. quamobrem.* Sotus *lib.4. de iustit. & iure, quest.2. art.3. conclus.4.* Couarr. *lib.1. variarum, cap.2. num.8.* Mouetur, tum quia si crimen fateris non commissum, mentiris: mendacium autem illicitum semper est, & in materia graui mortale peccatum. Ergo. Tum quia licet pro tuendo honore possis diuitias effundere, & pro tuenda vita honorem, vtpote rem inferioris ordinis. Hoc autem intelligitur, quando honorem, & diuitias proprias effundis. Secus verò si honor, & diuitiæ alienæ sint. At qui crimen hæresis sibi imponit, non solùm eius honorem, & famam lædit, sed etiam filiorum, & nepotum, & consanguineorum. Ergo ex hac parte à criminis confessione impeditur.

Verùm hæ rationes non videntur conuincere. Non prima, quia fateri optimè potes crimen non commissum absque mendacio, si subintelligas te commisisse non verè, sed præsumptiuè, & in aliorum æstimatione. Non secunda, quia ex confessione criminis non infamas filios, & consanguineos, imò potiùs minuis infamiam, quæ ex condemnatione ob probationem testium illis prouenire debet. Nam si condemnaris vt negatiuus, filij, & nepotes ab officiis, & beneficiis manent exclusi: secus verò, si facta confessione ad pœnitentiam reciperis. Ergo illa confessio potius vtilitatem, quàm damnum affert. Deinde si moriaris negatiuus, omnes præsumunt te impœnitentem, & hæreticum mori, ac proinde scandalum omnibus es; facta autem confessione, & ad pœnitentiam receptus hoc scandalum reparas, & omnino tollis. Ergo poteris fateri crimen. Adde, quilibet tenetur suam vitam conseruare, quando commodè potest, sed fatendo crimen sic probatum conseruas vitam, quam negando crimen, omnino perdis, & ex tali confessione, vt probatum est, nullum tibi neque consanguineis damnum accrescit. Ergo non solùm potes crimen sic probatum fateri, sed videris teneri. Propter hæc salua pace tantorum virorum reputarem securè, & probabiliter posse impositum crimen admittere, & pro illo pœnitentiam expostulare. Decisionem tamen remitto iudicio Ecclesiæ, & Doctorum.

4 Tertiò dubitatur, an ob vitanda grauia tormenta, possis hæresim non commissam, at semiplenè probatam fateri, & misericordiam expostulare?

Ratio dubitandi est, quia ob hanc causam potes tibi crimen homicidij, aut furti imponere, etiamsi inde mortis sis damnandus, quia cum tanto dolore, & labore non teneris vitam, & honorem conseruare. Sicuti non teneris scissionem membrorum pati, vt vitam conserues. Neque illud est te ipsum occidere, sed potiùs ab vna continua, & molesta occisione liberare. Iudici autem, & testibus non facis iniuriam, cùm ipsi intentum habeant, si crimen fatearis. Ergo nulla superest ratio, ob quam sit illicitum. & ita cum Toleto, Augustino, & Syluest. docet Lessius *lib.2. cap.11. dub.7. num.41.* Ergo idem est dicendum in crimine hæresis, præcipuè cùm ex eius confessione, si ex animo, & corde fiat, non mors, sed vita conceditur. Quòd si dicas illicitam esse hanc confessionem, tum ob infamiam, quæ consanguineis accrescit; tum ob scandalum, quod præbes te delinquentem efficiendo, facilè responderi potest. Quia sæpè infamia, quæ aliis accrescit, non est tantæ considerationis, ac sunt tormenta, & dolores, quos negans sustinere debebas: ideóque pensanda sunt, & prudentis arbitrio ponderanda, vt dicit Lessius *suprà num.50.* Adde tibi imponendo falsum crimen non videris directè consanguineos infamare, & ius illorum lædere; aliàs cùm ipsummet crimen cõmitteres, contra iustitiam debitam honori consanguineorum peccares, & in confessione manifestare deberes, quos haberes consanguineos, vt sic plenè iniustitia facta cognosceretur, quod est inauditum. Non ergo peccas contra ius debitum consanguineis, fatendo crimen falsum, sed ad summum peccas aduersùs charitatem tibi, & illis debitam. At hæc charitas, imò iustitia non videtur cum tam graui damno, & dolore obligare, sicuti non obligat proprio honori; ergo neque alieno. Scandalum autem ex huiusmodi confessione non videtur sequi: tum quia multi censere possunt te falsum esse delictum, non quia commisisti, sed quia tormenta timuisti. Tum etiam, quia si ex confessione delicti aliquod scandalum sequitur, & occasio præbetur aliis id ipsum committendi, pœnitentia, & dolore illius sufficienter reparatur. Ergo ex nullo capite hoc esse illicitum apparet.

5 Fateor hanc rationem dubitandi efficacem esse, ac proinde censerem te posse sic reputatum delinquentem crimen tibi falsò impositum approbare ob grauissima, & penè insuperabilia tormenta vitanda. Debes tamen in approbatione vitare mendaciũ amphibologia vtens. Solùm autem hoc limitandum censerem, si nobilis multò sis, familiámque habeas nobilissimam, & de republica benemeritam: tunc enim deberes atrocissima sustinere tormenta, ne falsò crimine tibi imposito familiam maculares; quia bonum commune reipublicæ etiam cum vitæ dispendio conseruare, & illæsum custodire teneris. sic colligitur hæc doctrina ex Lessio *lib.2. cap.11. dub.7. in fin. n.50.*

§. III.

De hæretico absente contumace.

1 *Qua ratione citandus est.*
2 *Ad huius defensionem admittitur excusator.*

3 *Qua*

3 *Quæ bona huius absentis sequestrantur.*
4 *Reus mortuus intra annum, neque eius delictum plenè probatum, sistit iudicium, neque vlterius ad condemnationem procedit.*

1 CVm aduersùs absentem proceditur, si delictum plenè probatum non est, citatur publicè in Ecclesia, vt intra 30. dies compareat sub pœna excommunicationis latæ sententiæ: quæ citatio tribus vicibus fit, in qua idem tempus assignatur, & in qualibet illarum denuo accusatur eius contumacia, quo termino transacto declaratur reus in excommunicationem incidisse, & annus integer speratur, an compareat: quo non comparente, tanquam hæreticus contumax damnatur, eiúsque effigies, seu statua curiæ sæculari comburenda traditur, & bona fisco applicantur à die testificationis, secundùm Farinac. *quæst.* 190. §. 12. *num.* 21. Quòd si delictum absentis cótumacis plenè probatum sit, non speratur annus ad eius condemnationem: vt bene dixit Simanc. *in enchirid. tit.* 46. *num.* 5. sed accusata eius contumacia in tribunali ad sententiam publicam proceditur.

2 Ad huius defensionem admittitur excusator allegans reum sic citatum nó posse intra terminum signatum comparere, & pro qualitate excusationum solet prorogari terminus ad comparendum. Et sic in quadam causa, in Compostellana inquisitiòne anno 1619. fuit ex decreto supremi Senatus prorogatus terminus quatuor mensium.

3 Bona horum absentium in tertium possessoré translata, licèt de rigore iuris sequestrari non debeant, si tamen paulo ante citationem fuga præcessit, probaríque facilè possunt, quæ bona sint, sequestrari debent: sic responsum fuit à supremo Senatu inquisitionis, Inquisitoribus Galletiæ anno 1610. At si fugit reus tempore quo captura exequenda erat, sequestrantur bona pro derelicto habita, vel quæ in potestate vxoris, & filiorum reperiuntur. Quòd si hæc discerni non possunt, sequestrantur omnia, quæ in eius domo reperiuntur, quia omnia illa esse fugitiui præsumuntur.

4 Si reus contumax moriatur intra annum, & eius delictum plenè, & concludenter probatum non est, sed contra illum, tanquam contra suspectum procedebatur; tunc sistendum est, neque vlteriùs ad condemnationem deueniendum, nisi superueniant claræ, & legitimæ probationes. Farinac. *quæst.* 197. *num.* 103. Si autem transacto anno contumaciæ obierit, communior sententia est condemnari posse, vt *in* §. *seq.* dicemus.

§. IV.

De hæretico defuncto, qua ratione aduersùs illum procedi possit.

1 *Morte non extinguitur hoc crimen.*
2 *Vt defunctus hæreticus damnetur, debent adesse claræ, & dilucidæ probationes.*
3 *Quæ sint huius claræ probationes.*
4 *Pendente processu, si moriatur reus, memoria non damnatur, nisi adsint claræ probationes.*
5 *Si in excommunicatione ob causam fidei per annum insordescit, puniri potest.*
6 *Aduersus fautores hæreticorum non proceditur post mortem.*
7 *Ad condemnationem defuncti hæretici, citari debent filij & hæredes.*
8 *Non tenentur hi comparere per se, sufficit si per procuratorem.*
9 *Quilibet volens defendere defunctum hæreticum admittitur.*
10 *Facto processu reus absoluendus est, vel condemnandus, neque causa haberi potest in pendenti.*
11 *Possitne procedi aduersus hæreticum defunctum, tametsi dilucidè non sit eius hæresis probata? Affirmatiuè respondetur.*
12 *Dum causa agitur, bona non sunt sequestranda à tertijs possessoribus.*
13 *Firmato processu, & hæresi plenè probata damnandus est, & eius bona fisco applicanda.*
14 *Si tamen non probatur delictum, neque speratur breui probandum, absoluendus est reus.*
15 *Si hæreticus pœnitentiam in extremis expostulauit, nunquam est damnandus.*
16 *Quo tempore præscribatur, ne contra defunctum procedi possit? Probabilius est quadriennio præscribi.*

1 DIcendum est primò, etsi omnia crimina committentis morte extinguantur, *l. defuncto. ff. de publicis iudicijs. l. prima, cum alijs. C. si reus, vel accusator mortuus fuerit. l. pupillum.* §. *in heredem. ff. de reg. iur. l. ex iudiciorum, in fine. ff. de accusationib. l. prima, C. ne ex delicto defunctorum*, & aliis. non tamen extinguitur hoc crimen, sicut nec crimen læsæ maiestatis humanæ. ex *l. vlt. C. ad leg. Iul. maiest.* & est text. expressus *in l. Manichæos.* §. 2. *vers. in mortem. C. de hæreticis.* ibi, in mortem quoque inquisitio extendatur. nam si in criminibus maiestatis licet memoriam accusare defuncti, non immeritò & hic debet subire tale iudicium. Idem habetur clarè *in cap. accusatus.* §. *in eo verò, de hæreticis. in 6. & cap. si quis Episcopus, eodem tit. de hæretic. cap. fin.* 24. *quæst.* 3. *cap. filij, de hæreticis. in 6.* & aliis pluribus, quæ congerit Farinac. *q.* 10. *num.* 37.

2 Dico secundò, vt hæreticus defunctus damnetur, requiruntur claræ, & dilucidæ probationes in hæresi decessisse: si enim viuens damnari non potest, nisi legitimè confessus, vel conuictus; à fortiori nec defunctus, qui iure se defendendi caret. Dices damnari non posse vt hæreticum: at benè vt de hæresi suspectum. Respondeo nulla ratione id sustineri posse; quia solùm in supradictis textibus cóceditur aduersùs hæreticum condemnatio, non aduersùs hæresis suspectum, & infamatum: quod constat, quia ad confiscationem bonorum proceditur, ex *dicto cap. accusatus.* quæ confiscatio suspecto de hæresi conuenire non potest. Item quia suspiciones hæresis morte delinquentis extinguuntur. ex *dicto cap. accusatus.* §. *si verò.* & ita tenet Simanc. *catholic. institu. tit.* 18. *rubr. de defunctis, num.* 13. *& tit.* 46. *rubr. de pœnis, num.* 77. *& in enchirid. tit.* 62. *rubr. de mortuis, n.* 6. Farinac. *quæst.* 197. *num.* 103. Pegna 3. *p. direct. comm.* 92. *vers. & ratio quidem.* Vmbert. Locat. *in iudic. inquisit. verbo cadauera. num.* 1. *fine, verbo filij. num.* 13. *& verbo defunctus. vers. secundo, in fine.*

3 Hæresis autem plenè, & sufficienter probatur, si illam viuens confessus fuit, nec pœnituit; quia tunc tanquam pertinax, qui noluit Ecclesiæ reconciliari, condemnandus est. Ad huius probationem reducitur, si in carcere existens seipsum interemit; quia illa est quædam criminis confessio: credendum est enim ex conscientia criminis se interfecisse, neque voluisse de illo pœnitere: sic Gundisalu. *tract. de hæretic. quæst.* 22. *num.* 1. *in fine. vers. conuincitur autem.* Pegna 3. *p. comm.* 42. *vers. quod ipsum in eo. & vers. de illo qui in carcere.* Farinac. *quæst.* 197. *num.* 90. Simanc. *tit.* 18. *catholic. instit. num.* 31. Secundò probatur testibus, qui debent esse omni exceptione maiores, aliàs plenè, & concludenter non probabunt.

4 Hinc fit si pendente processu mortuus fuerit inquisitus, eius memoria damnari non poterit, nisi aliunde plenè, & concludenter hæresis probata fuerit. tum quia infamatus de hæresi, hæreticus non est, tum quia eo ipso hæres defuncti censetur innocentiam probasse, dum malitia defuncti plenè probata non est: sic ex Simanc.

Simanc.Deciano, & aliis notauit Farinacius *quæst.*197. *num.*99.

5 Dubium est, an hæresis probata sit sufficienter, ex eo quòd probetur extitisse quis contumax per annum in excommunicatione ob causam fidei; & sic mortuum esse? Et ratio dubij est, quia ille non est verè hæreticus, sed solùm iuris fictione. Ergo lex eximens crimen hæresis à generali regula, qua omnia crimina morte delinquentis extinguuntur, de vero crimine hæresis, & non præsumpto, debet intelligi. At credo probabilius sufficienter hæresim illius probari. Si enim illa probatio viuente delinquente sufficeret ad illum tanquam hæreticum declarandum, & condemnandum, cur mortuo ipso sufficere non debet? Siquidem iam à iure illa contumacia tanquam legitima probatio hæresis, & non tantùm suspicionis illius admissa est: & ita tenet Clarus *pract.*§.*heresis,num.*19. *vers.item de crimine,in fine.* Decian. *tractat. crimin. lib.*5. *cap.*57. *num.* 6. Farinacius *q.*197.*n.*93.

6 Fit secundò aduersùs fautores, defensores, receptatores hæreticorum, nequaquam post mortem procedi posse: habetur expresè *cap.accusatus,* §.*si verò*, *de haret. in* 6. ibi eius hæredibus non est satisfactio pro extincto iam crimine iniungenda. Et ratio est clara, quia non sunt hæretici, sed de hæresi suspecti. Solùm autem crimen hæresis post mortem delinquentis puniendum seruatur. Ergo non horum crimen: & ita pluribus relatis docet Pegna *comment.*92.*ante medium*, *vers.alterum caput.* Simancas *catholic.instit. tit.*4.*rubr.de accusat.num.*5. Decian.*tract.crimin.lib.*5.*cap.*51.*num.*35. Farinac.*q.*197. *num.*104.

7 Dico tertiò. Hæretici memoria condemnari non potest, nisi priùs citentur filij, & hæredes, quorum interest, siue sint præsentes, siue absentes, siue certi, siue incerti; quia iusta defensio nemini est deneganda. Cùm ergo filij, & hæredes grauissimum damnum patiantur ex defuncti condemnatione, tum infamatum in bonis, quæ ab illis auferuntur, citari debent, vt si velint inquisitum defendere, allegare possint, si quid habeant in eius defensionem. Vt autem hoc facere possint, danda est illis copia indiciorum, & accusationum, quia nullus excogitari potest aptior modus defendendi defunctum, quàm probationes in contrarium infirmando. sic Decian. *tract. crimin.lib.*5.*cap.*57.*n.*8. Pegna 3.*p.direct. comment.*92. *circa fin. versic.cum reus moritur.* Farinac. *q.*197. *num.*106.

8 Hi verò filij, & hæredes non tenentur per se comparere; sufficit, si per procuratorem compareant, & sic comparendo audiendi sunt. sic Farinac. *suprà num.*83.*& num.*106. Simancas *in enchirid.tit.*43.*rubr.de procuratoribus*, *num.* 3. Solùm à defensione hæretici defuncti, qui consolationem in extremis ab hæreticis expostulauit, excluduntur filij, eiúsque domestici, nisi velint probare non sanæ mentis hæc fecisse, iuxta *cap.filij*, *de heret.in* 6. quæ prohibitio ad aliam quamcumque defensionem non extenditur, vt ex Deciano notauit Farinac. *q.*197. *num.*111.

9 Dubium tamen est, an quilibet è populo volens hæreticum defunctum defendere, admitti debeat? Negat Ioan. Rojas *singul.*39. Neque ratio ei deest. nam si filius non est, neque hæres, neque illius consanguineus, sua non interest illius condemnatio. Ergo assumens illius partes videtur esse hæreticorum fautor, & defensor. Cæterùm communis sententia, & tenenda asserit, quemlibet volentem sic citatum defendere, admitti debere. Ratio est, quia vtiliter gerit negotium Ecclesiæ, & religionis; cùm enim Ecclesia suis edictis citet ad comparendum eos, qui defunctum velint defendere, & casu quo nullus comparet, ex officio signat defensorem, vt Doctores statim allegandi, tradunt, efficitur sanè assumentem defensionis officium, negotium Ecclesiæ facere, & non proprium. Adde. Appellatio cuiuslibet pro morte damnato admitti solet. Ergo etiam admitti debet hæc defensio, cùm vtraque in charitate fundetur. Neque obinde dici potest hæreticorum defensor, quia vsquedum condemnatus sit, non constat hæreticum esse: solùm enim constat ipsum, eiúsque filios, hæredes, & consanguineos in summo discrimine, & periculo grauissimi damni versari, quod si iustè auerti potest, charitas petit, vt auertatur. sic Simancas *catholic.instit.cap.*18.*num.*15.*& in enchirid.tit.*62. *rubr.de mortuis,n.*8. Decian.*tract.crimin.lib.*5.*cap.*37.*n.*31. Farinac. *q.*197. *num.*108. Pegna *direct.*3.*part.q.*92.*versic. eo termino elapso*, *& seqq.* Gundisalu. *tractat. de hereticis, quæst.*22.*num.*9.

10 Dico quartò. Facta citatione, & processu formato ea breuitate, qua fieri possit, vel reus defunctus absoluendus est, vel condemnandus: neque enim in suspenso causam Inquisitores habere possunt, quia id cederet in grauissimum filiorum, & hæredum præiudicium, quibus & matrimonia, & contractus celebrare multum ex illa suspensione impediretur; cùm nullus auderet contrahere cum illis, quorum ascendens periculo damnationis est expositus, & quorum contractus periculum rescissionis subeunt, quorúmque diuitiæ auferendæ sunt. sic ex Abulensi instructione anno 1498. lata pro Inquisitoribus Hispanis notauit Pegna *d.comm.*92. *vers.obseruandum etiam censeo.*

11 Nunquam tamen debent Inquisitores defunctum citare, & causam contra eius memoriam prosequi, nisi plenam, dilucidámque probationem in hęresi decessisse habeant. sic notauit Rojas *tract.de hæreticis*, 2.*part.n.*30. & adducit instructionem Granatensem, Hispalensem, & Madrilianam. Simancas *cathol.instit.tit.*18.*rubr.de defunctis,num.*12.*&* 19.*& in enchirid.tit.*62.*rubr.de mortuis, num.*5. Farinac.*quæst.*197. *num.*120. Pegna 3.*part.direct. comment.* 92.*post medium*, *versic. in hac causa.* Sed certè spectato iuris rigore censeo aduersùs hæreticum, semiplenè probatum, inquiri posse, & causam agere: si enim aduersùs illum viuentem instituta erat inquisitio, & processu pendenti mortuus fuit, poterit Inquisitor prosequi; quia semper censetur prosequi causam aduersùs hæreticum. sic Decian. *lib.*5.*crimin. cap.*57. *num.*6. *&* 9. Farinacius *quæst.*197. *num.*99. *&* 100. Aliàs si semper causa defuncti ante citationem hæredum plenè probari debet, frustraneè ad eius defensionem hæredes citantur.

12 Interim tamen quo causa formatur, quousque sententia accedat, non sunt bona à possessoribus sequestranda, quia ipsi non deliquerunt, & cùm ea possederint, non debent in casu dubio illorum vsu priuari. sic Pegna *dict.comment.*92.*versic.tametsi verò.* Farinacius *q.*197.*n.*102.

13 Formato ergo processu, si hæresis est plenè probata, damnandus est, eiúsque bona fisco sunt applicanda, etiamsi ad tertium deuenerint possessorem, & eius ossa exhumanda, si fortè à Catholicis possunt distingui; ac tandem eius effigiem, seu statuam comburendam: sic plurimi relati à Farinac.*q.*197.*n.*92.*&* 94. *& q.*10.*n.*38. Forma autem sententiæ optima est, quæ deducitur ex ea, quæ lata fuit in Concilio Constantiensi, *sess.*8. aduersùs Ioan. VVicleff hæreticum, quam refert Pegna *dicto comment.*92.*circa finem.*

14 Quòd si hæresis plenè probata non sit, neque spectatur breuissimo tempore probanda, absoluendus est reus, ne eius fama patiatur detrimentum, néve filij, & hæredes grauentur. In hac enim absolutione nullum Ecclesiæ, neque fisco sequitur inconueniens: siquidem superuenientibus nouis probationibus, ex illis iunctis iis, quæ antea erant in processu, poterit sic absolutus condemnari, vt bene aduertit Pegna *suprà d.comm.*92. *post med.vers.quòd si fortassis.*

15 Notanter semper fui locutus de hæretico sic decedente. nam si in extremis signa contritionis exhibuit; & iudicialiter ob temporis angustiam absolui non potuit, nequaquam eius memoria est damnanda, sed potiùs debet ad reconciliationem admitti, ex text. *in cap. à nobis, el 2. de sent. excom.* & argumento à contrario sensu colligitur ex *cap. filij, de hæret. in 6.* & multis exornat Vmbert. Locat. *in iudic. inquisit. verbo caducum, n. 1. fin. & verbo filij, n. 13. fin. & verbo Inquisitor, n. 25.* Farinacius *q. 193. num. 20. & 21.*

16 Dico vltimò varias esse Doctorum sententias, super tempus, in quo præscribitur, ne contra defunctum procedi possit. Aliqui enim neque contemnendi Doctores affirmant quinquennio præscribi, alij vicennio, alij tricennio, alij quadricennio, alij denique existimant nullo tempore præscribi, quorum opiniones refert Vmbert. Locat. *in iud. inquisit. verbo cadauera, n. 5.* Decian. *tract. crim. lib. 5. cap. 57. n. 12.* Rojas *tr. de hæret. 2. p. n. 193. & sing. 50.* Pegna *3. p. direct. comm. 92. vers. his ita positis, & seqq.* Farinac. *q. 197. à n. 112. & q. 10. n. 82.* In qua diuersitate illa mihi verior sententia apparet, quæ affirmat solo quadricennio præscribi: cùm enim ius confiscandi bona hæreticorum dixerimus quadricennio præscribi, & hoc ius sit accessorium memoriæ defuncti damnatæ, efficitur & toto illo tempore memoriam defuncti damnari posse: sic pluribus comprobat Rojas *suprà.* Mascard. *de probat. lib. 1. concl. 112. n. 29.* & Farinac. *q. 10. n. 82. vers. tu dic.* Neque audiendi sunt Doctores, qui inter damnationem memoriæ defuncti, & confiscationem suorum bonorum constituunt differentiam: ij sunt Baiard. ad Clarum, §. *hæresis, n. 27.* Felin. *cap. cùm nobis, de præscript. n. 52.* relatus à Deciano *lib. 5. crimin. cap. 57. num. 12. ante medium*, qui affirmant quinquennio præscribi in damnatione memoriæ defuncti, & in confiscatione quadricennio. Alij econtra in confiscatione dicunt quadricennio præscribi, iuxta textum *in cap. 2. de præscript. lib. 6.* In damnatione autem memoriæ, & in aliis hæreticorum pœnis nullo tempore præscribi. sic Pegna *suprad. comm. 92. circa princ. vers. his ita positis.* Thomas Sanchez *lib. 2. cap. 22. n. 42.* Azor *3. p. instit. lib. 1. cap. 18. versic. nihilominus.* Graffis *lib. 2. suarum decis. cap. 11. n. 12. versic. & hæc intellige.* Non, inquam, inaudiendi sunt, tum quia, vt bene dicit Farinac. *q. 197. n. 116.* hæc distinctio nec iure, nec ratione fundatur, tum quia confiscatio accessoria est memoriæ defuncti condemnatæ, taliter quòd non requiritur specialis sententia super bonorum confiscatione, sed eo ipso, quòd memoria defuncti damnatur, bona ipsius manent fisco addicta, & illa liberè occupat. Ergo si memoria defuncti non nisi infra quinquennium damnari potest, neque confiscatio vltrà locum habebit, vel econtra si memoria defuncti damnari potest, & confiscatio, quæ illi accessoria est, semper intrare debet.

§. V.

De reo adorante dæmonem, seu de lamiis, vulgò *Bruxas*.

1 *Qui adorat dæmonem, præter bonorum confiscationem, alias pœnas incurrit.*

2 *Ad horum capturam liquidiores probationes, quàm in aliis delictis requiruntur.*

3 *Si ipsi rei se detulerint, ad reconciliationem secretam admittuntur.*

4 *Quando absolutio ad cautelam, & abiuratio commissarijs remittatur.*

1 SI exhibeat cultum dæmoni, ex affectu illum reuerendi absque intellectus errore, etsi hæreticus non sit, quia tamen est verus idololatra, incurrit præter bonorum publicationem, alias pœnas aduersùs hæreticos latas, & extrauag. Ioan. XXII. quæ incipit, *Super illius specula*, quámque ad verbum refert Pegna *direct. inquisit. 2. p. q. 43. post n. 9.* esto aliqui dicant vsu non esse receptam. Quòd si reueretur dæmonem ex metu, vel auaritia, vel ex alio affectu, supradictam pœnam excommunicationis non incurrit, quia non est verus idololatra. Sanchez *lib. 2. in Decal. cap. 7. n. 10.*

2 Ad horum capturam grauissima indicia, & probationes liquidiores, & clariores quàm in aliis delictis requiruntur ob periculum falsitatis, quod experientia teste compertum est. Quapropter ex depositione præcisa complicum, qui de aliquo testantur adfuisse in conuentu, & congregatione lamiarum adorantium dęmonem, ibique adorasse, non capitur reus, quia sæpè per illusionem dæmonis, aliqui probatæ virtutis in hoc conuentu apparere videntur; cùm tamen verè non appareant. Item sæpè existimant lamiæ corporaliter apparere, cùm solùm in repræsentatione adsint. sic Farinacius *q. 185. n. 152. fine, & q. 188. n. 76. vers. imò ex depositionibus.* Quapropter nisi cum illorum depositione constet simul de aliquo actu exteriori. v.g. de nece alicuius hominis, vel aliquorum animalium, vel apud testificatum appareant aliqua vnguenta, & animalia immunda, nempe bufones, & angues, ex quibus vehemens præsumptio delicti oriatur, nunquam capturæ traditur, iuxta quandam Madrilianam instructionem, quæ est 15. & 20. circa lamias, edita anno 1612. occasione cuiusdam actus publici Logronensi ciuitate celebrati, in quo plures condemnati sunt, & postea compertum fuit plures fallacias in condemnatione adfuisse, ob quas bona eorum, qui ibidem damnati sunt, fisco addicta non fuerunt, neque eorum sententiæ Ecclesiis fuerunt affixæ, & insuper reconciliati, declarati fuerunt habiles cuilibet inquisitionis officio.

3 Si huiusmodi lamiæ se ipsas detulerint, & fassæ fuerint dęmonem adorasse, illique credidisse, & à nostra fide verè & ex animo apostatasse, ad reconciliationem admittuntur secretam, iuxta practicam inquisitionis Hispaniæ, neque eorum bona confiscantur, neque habitus pœnitentialis eis imponitur. habetur in instructione Madriliana 14. edita anno 1613. Quòd si hæ post hanc abiurationem relabantur, etsi de rigore iuris tanquam relapsæ brachio sæculari tradendæ essent, nihilominus in Hispania, iuxta instructionem supradictam, & aliàs inquisitioni Logronensi remissas ad reconciliationem admittuntur bis, & ter. Si autem hi delinquentes in minori ætate, v.g. ante 12. vel 14. annum deliquerint, solùm ad cautelam absoluuntur, esto in aliis delictis, si fuerint doli capaces, absolutio absolutè concedatur, iuxta supradictam instructionem.

4 Verùm si hi delinquentes, & spontaneè confitentes fateantur tantùm adfuisse in conuentu, & congregatione lamiarum adorantium dæmonem, absque apostasia à fide, tunc absolutio ad cautelam, & abiuratio commissariis remitti solet.

§. VI.

De Iudæis, Mauris, aliisque infidelibus non baptizatis.

1 *Si nostram fidem, & religionem directè offendant, iudicibus fidei traduntur puniendi.*

2 *Idem est, si contra nostram fidem, & suam delinquit.*

3 *Qui communiter reputatur baptizatus, si aduersùs nostram fidem delinquit, punitur.*

4 *Ab Inquisitore simul cum ordinario puniendi sunt.*

1 ALicui videri posset hos nequaquam à iudicibus fidei puniri posse, quia sunt extra Ecclesiam:

ftam: quod quidem solùm verum est, quando aduersùs suam legem, & non specialiter aduersùs nostram delinquunt. At cùm sæpè nostram religionem offendant, iudicibus fidei, ad quos pertinet illam custodire immaculatam, & à quibusuis contrariis defendere subiecti sunt, ob hanc rationem colligitur hæc potestas, ex *cap. contra Christianos, de hæreticis, in 6.* & ex extrauag. Gregor. XI. incipiente, *Admodum dolenter audiuimus*, & ex constitutione Gregor. XIII. edita anno 1581. incipiente, *Antiqua Iudæorum improbitas*, quæ referuntur à Pegna inter litteras Apostolicas, *in fine director.* Quocirca si aliquis Iudæus non baptizatus violat Ecclesias, sacramenta contemnit, & irridet, blasphemias in Christum iactat, pro qualitate criminis puniri debet. Item si persuadet Christianos, vt fidem abnegent, & abnegantes recipit, & abscondit, fauorémque præstat hæreticis, ne ab Inquisitoribus capiantur, tanquam fautores hæreticorum puniendus est, pœna scilicet arbitraria, fustigationis, triremis, exilij, pecuniæ, necnon & alia atrociori, prout Inquisitoribus visum fuerit, etiam vsque ad relaxationem: sic habetur expressè in supradictis decretis, & tradit Hippolyt. Riminald. *consil. crimin. diuers.* 83. *num.* 4. *lib.* 2. Campeg. *in addit. ad Zanch. tract. de hæreticis, quæst.* 9. *num.* 11. Rojas *tractat. de hæreticis,* 1. *part. n.* 557. *& seq.* Farinacius *quæst.* 178. §. 6. *num.* 143. Eymeric. *director.* 2. *part. quæst.* 46. *per totam.* & ibi Pegna *comment.* 71. *& comm.* 69. *vers. tertium est, & seqq.* Azor *institutionum moralium* 1. *part. lib.* 8. *cap.* 22. *rubric. de obstinata Iudæorum perfidia*, *quæst.* 12. & alij apud ipsos.

2 Maior difficultas est, si Iudæus, & paganus in iis, quæ sunt nostræ, & suæ fidei communia, delinquit, an tunc ab Inquisitoribus puniri possit? v. g. si neget Deum esse, dæmones adoret, inuocet, & sacrificia eis offerat. quà in re, etsi aliqui contrarium asserant, omnino dicendum est ab Inquisitoribus puniri posse, neque de hac re licet dubitare, cùm expressè decisum sit a Gregor. XIII. in dicta constitutione, incipiente, *Antiqua Iudæorum improbitas*, vbi recensentur casus, in quibus Inquisitores possunt aduersùs Iudæos, aliósque infideles procedere. Et primo loco ponitur is, de quo agimus per hæc verba: Si quis Iudæus, aut infidelis in his, quæ circa fidem cum illis nobis sunt communia, veluti Deum vnum, æternum, omnipotentem, creatorem omnium visibilium, & inuisibilium, & similia non esse asseruerit, prædicauerit, vel priuatim alicui insinuauerit, Inquisitorum hæreticæ prauitatis iudicio subiacebit, &c. Et ita notant referentes supradictam constitutionem, Pegna 2. *part. direct. quæst.* 46. *comment.* 71. *post princ.* Farinacius *quæst.* 178. *num.* 146. Azor 1. *part. lib.* 8. *cap.* 22. *quæst.* 12. Didac. Cantera *in suis quæst. crimin. rubr. de hæreticis, cap.* 1. *num.* 72. Ratio est, quia sic delinquendo nostram fidem oppugnant, & offendunt. Competit ergo iudicibus fidei eam defendere, & offensorem punire, & media offensorum punitione audaciam aliorum reprimere. Debent autem hæc delicta in præsentia Christianorum fieri, vt sic censeantur malo suo exemplo Christianos mouere; aliàs non videtur esse specialis offensio, & oppugnatio fidei, neque locus defensioni. sic Pegna *dicto comment.* 71. *versic. si ergo, in fine.* Omitto plures textus, & rationes, quibus hæc doctrina impugnari potest; quia illis omnibus satis facit plenè Eymeric. *dicta quæst.* 46. De forma autem abiurandi hos errores, vide Pegnam *supradict. comment.* 71. *in fine.*

3 Rursus contingere potest aliquem baptizatum non esse. At in communi hominum æstimatione sic reputari; quia inter Christianos nutritus est, qui quidem si aduersùs nostram fidem delinquit, etsi hæreticus non sit, tanquam hæreticus est puniendus, quia offendit religionem nostram, quam exteriùs saltem profitetur. sic Farinacius *quæst.* 178. *num.* 135. Simancas *catholic. institut. tit.* 31. *rubr. de hæreticis, num.* 5. Azor 1. *part. lib.* 8. *cap.* 9. *quæst.* 3. *vers. si quæras.* Et iuxta hanc doctrinam Cæsaraugustæ anno 1619. quidam Maurus, qui aduersùs nostram fidem deliquit, reconciliatus est, etiamsi allegauit baptizatum non esse, in cuius confirmationem in libro suæ parochiæ non fuit inuentus scriptus.

4 Denique aduerte, quoties hi Iudæi, & infideles puniendi sunt, ab Inquisitore simul cum ordinario puniri debere, neque posse vnum sine alio, iuxta *Clement.* 1. *si duro, de hæretic.* sic Squallicens. *tract. de fide cathol. cap.* 46. *ad finem.* Pegna 2. *part. direct. quæst.* 44 *comment.* 69. *in medio, vers. illud hic non est omittendum.* Farinacius *quæst.* 178. *num.* 147.

§. VII.

De fautoribus hæreticorum impedientibus, & vsurpantibus S. Inquisitionis officium.

1 *Examinari debet, an fautor sit factus hæretico, qua talis, an quatenus amicus, vel consanguineus.*
2 *Idem est de impediente officium inquisitionis.*
3 *Quæ pœnæ sint ijs imposita, & qua ratione contingat sanctum Officium impedire.*
4 *Vsurpans officium inquisitionis ab Inquisitoribus punitur pro qualitate causæ.*

1 Exactè inuestigandum est, an fauor præstitus sit hæreticis, quatenus tales sunt, an solùm quatenus sunt consanguinei, vel amici: nam in vno casu contrahunt pœnas fautoribus impositas, videlicet excommunicationem, & alias arbitrio iudicis imponendas, pro qualitate criminis, scilicet pecuniæ, triremis, fustigationis, & similium, & de leui abiurant. In alio autem casu à supradictis pœnis excusantur, vt latiùs diximus, cùm de his suspectis in fide sermonem instituimus. Modos cognoscendi, qui fautores hæreticorum sint, recenset Farinacius *quæst.* 181. *n.* 10. Pegna *direct.* 2. *p. q.* 53. *comm.* 78. *vers. secundò, & seqq.*

2 Idem quod dictum est de fautoribus, dicendum est de impedientibus inquisitionis officium; verè enim hæreticorum fautores sunt, & de hæresi suspecti, & grauiùs delinquunt quibuslibet aliis fautoribus, & sic grauius puniendi sunt.

3 Quapropter ex constitutione Innocent. IV. edita anno 1251. & Clem. IV. edita anno 1265. vtraque incipiente, *Ad extirpanda*, quásque refert Pegna, inter litteras Apostolicas, *& in direct.* 2. *p. q.* 52. *comment.* 77. Qui hæreticum captum de manibus ministri eripere ausus fuerit, vel impedierit ne capiatur, vel aliquo modo auxilium, consilium, vel fauorem ad liberandum præstiterit, siue id faciat vi, & armis, siue clamoribus, & monitionibus, quibus auditis fugit delinquens, perpetuò relegatur cum publicatione bonorum. At huic delicto Pius V. in quadam sua constitutione edita anno 1569. incipiente, *Si de protegendis*, præcedentium confirmatoria, pœnam mortis, & confiscationis bonorum, ac reliquas omnes pœnas, quibus rei latæ maiestatis humanæ afficiuntur, imposuit: cuius Bullæ tenorem refert Pegna inter litteras Apostolicas, illiúsque mētionem facit Farin. *de hær. q.* 182. *n.* 96. Fateor hanc partē mortis nunquā ob hoc crimen præcisè imponi, nisi in aliquo casu raro, & extraordinario, in quo simul cum defensione hæretici occisio, seu grauis alicuius ministri inquisitionis vulneratio coniungeretur; tunc enim sic delinquens curiæ sæculari relaxatur, esto fateatur se hæreticum esse, & pœnitentiam expostulet, & ad reconciliationem admittatur. Ad idem est qui fingeret se esse hæreticum illum

illum capiendum, & loco illius se submitteret, vel alium submittere faceret, vt sic hæreticum à potestate inquisitionis liberet: hic enim tanquam fautor hæreticorum, & inquisitionis officij impeditor puniendus est. Ex supradictis autem constitutionibus Innocentij IV. & Clement. IV. qui sic se supponit, carceri perpetuo mancipatur; qui verò alterum submittit, publicatis bonis omnibus, in perpetuum relegatur, & suppositus si fuit in dolo, mancipatur perpetuo carceri. sic notauit Farinacius *quæst.* 182. *num.* 98.

4 Rursus huic tribunali subiectus est reus vsurpans officium Inquisitoris, Notarij, aut alterius ministri, quia offendit sanctissimam huius tribunalis iurisdictionem; meritóque ab eius iudicibus coërceri debet. Sed qua pœna puniatur, non constat. Examinanda enim est diligenter causa vsurpationis: nam si officium vsurpauit, vt se ab aliquo periculo, in quod fuit coniectus, liberaret, nec alicui nocuit; leuiter est puniendus, reprehensione aliqua verbali secretò in tribunali facta, & pœna aliqua pecuniaria, vel exilio per aliquot annos: sic colligitur ex iis, quæ tradit Menochius *de arbitr. lib.* 2. *casu* 306. *à num.* 14. vbi probat falsitatem, quæ nemini nocuit, nec nocere potest, non pœna falsi, sed aliqua extraordinaria puniri. At si officium inquisitionis vsurpauit, vt aliquos terreret, & concuteret, vel pecunias extorqueret, aut alia crimina præstaret, in actu publico est producendus, ibique legenda est eius sententia, vt aliquoties vidi. Sententia autem solet esse pecuniaria, fustigationis, & triremis pro qualitate delicti. sic docuit Simancas *catholic. institut. tit.* 46. *col. vlt. & in enchirid. cap. vlt. num.* 15. & probat authoritate Iulij Clari *lib.* 5. *recept. sentent. tit. ad legem Corneliam testamentariam*, qui ita scriptum reliquit: Qui insignibus altioris ordinis vtuntur, militiámve confingunt, quo quem terreant, vel concutiant, humiliores capite puniuntur, honestiores in insulam deportantur.

§. VIII.

De reo ducente secundam vxorem viuente prima.

1 *Iudicibus fidei puniendus subijcitur hic delinquens.*
2 *Pœna huius criminis est arbitraria: in aliquibus partibus abiurant de vehementi, in Hispania de leui.*
3 *Procedunt tam in viro ducente vxorem, quàm in vxore ducente virum.*
4 *Religiosus ducens vxorem, grauiùs punitur.*

1 QVòd Inquisitores aduersùs hos delinquentes procedant, tanquam aduersùs hæresis suspectos, & malè de sacramento matrimonij sentientes, nulla est dubitatio, vt testatur Farinacius *quæst.* 178. *num.* 68. & tradit Pegna 2 *part. direct. quæst.* 56. *comment.* 81. *post medium, versic. de eo.* Couarr. *epitom. de sponsalibus,* 2. *part. cap.* 7. §. 3. *num.* 6. *versic. suspectos etiam hæreseos.* Albertin. *tract. de agnoscend. assert. quæst.* 23. Simancas *catholic. institut. tit.* 40. *& in enchirid. tit.* 12. *rubr. de nefarijs nuptijs, num.* 5. Rojas *singul.* 98. *n.* 4. Menoch. *de præsumpt. lib.* 5. *præsumpt.* 6. *n.* 37. *& de arbitr. lib.* 2. *casu* 420. *n.* 114. & alij apud ipsos. Quod venit intelligendum, siue secundum matrimonium palàm, siue secretò contrahatur, quia hoc non tollit suspicionem, licèt ex parte minuat. Simancas *catholic. institut. cap.* 40. *num.* 3. Salzedo *in pract. crimin. cap.* 80. *litt. B. versic. nec illud.* Farinacius *de delictis carnis quæst.* 140. *num.* 24. Item procedit conclusio, posse scilicet Inquisitores aduersùs hos delinquentes procedere, etiamsi secundum matrimonium aliàs sit inualidum, vt quia erat consanguinea, vel religiosa, aut alio impedimento ligata; quia in præsenti non tam matrimonium in effectu, quàm in affectu punitur, ex *l. eum qui duas, C. ad legem Iuliam, de adulter. aut l. nem. incestas, C. de inuestis nupt. cap. nuper, de bigamis.* & notauit Anton. Gomez *l.* 80. *Tauri, num.* 30. Albert. *de agnoscend. assert. cathol. quæst.* 23. *num.* 10. Farinacius alios referens, *quæst.* 140. vbi de delictis carnis, *num.* 25. Quocirca reus, vt effugiat hoc iudicium, probare tenetur ignoranter processisse: quæ ignorantia non probatur, ex eo quòd multo tempore coniux primus absens fuerit; quia insuper debet probare certum nuntium accepisse de illius obitu, iuxta textum *in cap. in præsentia, de sponsalibus*, vel probare tenetur primum matrimonium nullum fuisse, & quousque hoc probet, Inquisitorum iudicio subditur ob hæresis suspicionem: nullitate autem probata cessat Inquisitor, & succedit Episcopus, qui sic contrahentem debet punire, iuxta textum *in cap. cum in Apostolica, de sponsalib.* eo quòd absque declaratione Ecclesiæ nullitatis prioris matrimonij, ausus fuerit secundam contrahere. sic notauit Farinacius *de hæresi, quæst.* 178. *num.* 72.

2 Pœna huius criminis arbitraria est in Italia, alijsque locis abiurant de vehementi, vt testatur Pegna *dicto comment.* 81. *post medium, versic. de eo.* Farinacius *de hæresi, quæst.* 178. *num.* 68. *fine.* At in Hispania de leui tantùm abiurãt, & si plebei sint, flagellis cęduntur, & quinquennio triremibus addicuntur: si nobiles, aliis pœnis pecuniariis, exilióque damnantur. Simancas *catholic. institut. tit.* 40. *num.* 6. *& in enchirid. tit.* 12. *num.* 6. Farinacius *quæst.* 178. *num.* 74.

Aduerto tamen si hic delinquens antequam testificatus sit, se ipsum Inquisitoribus detulit, & crimen manifestauit, mitiùs esse puniendum. Putarem sanè primò in carceribus secretis recludendum non esse, dum eius causa agitur, sed in aliqua particulari domo, vt Compostellæ obseruatum vidi. Secundò existimarem, etiam si plebeius sit, flagellis non debere cædi, sed exilio, aliquáque pœna pecuniaria condemnari. Et idem est dicendum de eo, qui aliqua apparenti ratione ductus de morte prioris coniugis, probat secundum matrimonium contraxisse.

3 Secundò aduerto supradicta tam in viro ducente vxorem, quàm in vxore ducente virum procedere. sic Simancas *catholic. institut. tit.* 40. *num.* 5. Farinacius *quæst.* 178. *num.* 73.

4 Ad huiusmodi crimen reduci potest, si religiosus siue laicus sit, siue clericus ducat vxorem: punitur enim ab Inquisitoribus eadem pœna, qua binas nuptias contrahens, & grauiori ob suspicionem grauiorem Lutheranæ hæresis. Cantera *quæst. crimin. de hæreticis, num.* 70. *&* 71. *fol.* 431.

§. IX.

De reo non Sacerdote Missam celebrante, aut aliud sacramentum ministrante.

1 *Hic est de hæresi suspectus.*
2 *Pœna mortis pluribus in locis punitur, alijs verò, vt in Hispania arbitraria pœna.*

1 HVnc de hæresi suspectũ esse nemini esse potest dubium; ac proinde Inquisitorum iurisdictioni subiectum. committit enim crimen falsi in re grauissima, vsurpans officium, & iurisdictionem à se prorsus alienam. sic Bernard. Diaz *pract. crimin. cap.* 12. *num.* 3. & ibi Salzedo alios adducens. Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *casu* 320. *num.* 13. *&* 14. Solùm potest esse aliqua dubitatio, si quis ex intentione ludendi, vel irridendi hæc sacramenta ministraret, & talis intentio omnibus adstantibus patefieret; quia tunc non videtur puniendus, tam vt alienæ, sacræque iurisdictionis vsurpator, quàm vt irrisor.

2 Sed

Sed qua pœna puniendus is sit?

Respondeo pœna mortis puniendum esse; ac proinde brachio sæculari tradendum, vbicumque receptæ sint constitutiones Pontificiæ. Nam sic delinquenti pœnam mortis esse imponendam, statuit Paulus IV. in sua constitutione edita 20. Maij anno 1557. & in alia edita 17. Februarij anno 1559. quarum mentionem facit *iudicial. inquisit. rubr. sine ordinibus celebrantes, fol mihi* 475. Salzedo *suprà*. Idem statuit Clemens VIII. in sua constitutione edita 5. Decembris anno 1601. incipiente, *Etsi alias*, cuius meminit Farinacius *quæst.* 193. *n.* 39. Et meritò hac pœna puniri debet; quia est nefas omnino grauissimum, quale antiqui Pontifices nunquam committendum præsumpserunt, & fortè ob eandem causam huic crimini pœnam non statuerunt, vt dicit Bernard. Diaz *practic. dicto cap.* 12. *in princip.* Sed cùm his temporibus malitia hominum creuerit, & in omne malum, scelúsque propendeant, aliqua pœna graui coërceri iustissimum fuit. Dixi pœnam mortis huic crimini imponendam esse, vbi constitutiones Pontificiæ receptæ sunt: quod dixi, quia in Inquisitionibus Hispaniæ video supradictas Bullas quoad relaxationem curiæ sæculari ob huiusmodi crimen receptas non esse; ac proinde solùm pœna arbitraria sic delinquentem esse puniendum. sic Bernard. Diaz *allegato loco*, & Menochius *suprà*, *casu* 320. *num.* 14. Hæc autem pœna arbitraria regulariter est in actu publico, abiurare de leui, flagellis cædi, & triremibus addici, & ab ordinibus perpetuò priuari. Aliquando hæc pœna minuitur, & in exilium, & pecuniam conuertitur, tum si delinquens nobilis sit, neque in actu fuit specialis malitia; tum si sit ita rusticus, vt non tam ex malitia, quàm ex aliquali ignorantia processisse videatur. Et ita vidi quendam adolescentem simplicem, qui annali reclusione in monasterium, & pœna pecuniaria damnatus fuit, eo quòd fingens se sacerdotem, alterius confessionem excepit, vt postea illum irrideret.

§. X.


De transmittentibus arma, equos, bellicáque tormenta hostibus nostræ religionis.

Inquisitoribus Hispaniæ hoc crimen committentes subijciuntur, & pœnis arbitrarijs puniuntur.

INquisitores Hispani de hoc crimine cognoscunt ob suspicionem hæresis. Videntur enim sic delinquentes fautores hæreticorum esse; & ita in carceribus secretis recluduntur, dum eorum causa agitur. Illa conclusa, simul cum ordinario (quod semper intelligitur) pronuntiatur sententia, quæ regulariter in tribunali tantùm pronuntiatur, & non in actu publico, nisi in aliquo casu graui, & extraordinario. Huius autem pœna est; si vilis persona est, fustibus cædi; sin minus, exilio, & pecunia, in ea quantitate, qua equi, armáque valebant, & insuper omnia illa confiscantur: quòd si iam fuerint transmissa, pœna pecuniaria duplicatur. Et scio quendam religiosum ob hoc crimen ex consilio supremi Senatus condemnatum fuisse in sexcentis scutis, & in annua in suo conuentu reclusione, & suspensione interim ab officio: quam condemnationem adimpleuit, & pecuniam ex reditu sibi obuenturo duobus annis soluit. Antiquitus abiurabant de leui, modò non est in vsu.

DISPVTATIO IX.

De Confessario ad Venerem incitante.



PLACVIT pro complemento huius tractatus aliquamo latiùs examinare, qua ratione Inquisitores de hoc crimine cognoscant, & quando alij teneantur sic delinquentes Inquisitoribus denuntiare, & quibus pœnis delinquentes affici debeant.

PVNCTVM I.

Quid in hac re à summis Pontificibus, & ab Inquisitoribus statutum sit.

1 *Quid statuerit Pius IV.*
2 *Quid Clemens VIII.*
3 *Quid Gregorius XV.*
4 *Sola citatio ad Venerem, non ad alia crimina in supradictis decretis cauetur.*
5 *In Bulla Pij IV. & Clementis VIII. sola solicitatio mulieris cauetur. At in Bulla Gregor. cuiusque personæ, siue fœminæ, siue viri.*
6 *Ex decreto Pij IV. & Clementis VIII. solus Confessarius in confessione delinquens venit puniendus. At ex Gregorij decreto, si ante, vel post confessionem immediatè delinquat.*
7 *In decreto Pij IV. & Clementis VIII. nulla pœnitenti imponitur obligatio denuntiandi, præter eam, quæ iure inest. Secus ex decreto Gregorij.*
8 *In Bulla Pij IV. & Clementis VIII. committitur hæc cognitio priuatiuè Inquisitoribus. At in Bulla Gregorij etiam ordinarijs.*
9 *Bulla Gregorij in Hispaniarum regnis non videtur recepta.*
10 *Inquisitores quid circa hoc crimen in suis edictis præcipiant.*
11 *Colligitur stricta obligatio in pœnitente denuntiandi Confessarium, & quàm graue crimen hoc sit.*

1 PAramus *de origine inquisit. lib.* 3. *quæst.* 10. *in fin.* Coriolan. *de casib. reseruatis*, *p.* 1. *sect.* 2. *art.* 22. *fol.* 235. Ioan. Sanchez *in suis select. disput. disp.* 11. *num.* 18. referunt Bullam Pij IV. & Clementis VIII. de hac re in Bulla, inquam; Pij IV. quæ incipit, *Venerabili fratri, Archiepiscopo Hispalensi Hispaniarum hæreticæ prauitatis Inquisitori generali, quæque fuit edita, & publicata die* 16. *Aprilis, anno* 1561. Solùm tribuitur Inquisitori generali iurisdictio cognoscendi, & puniendi per se, vel per alios à se deputatos, delinquentes sacerdotes tam sæculares, quàm regulares regnorum Hispaniæ, qui sacramento Pœnitentiæ in actu audiendi confessiones abutuntur; mulieres videlicet pœnitentes ad actus inhonestos, dum earum audiunt confessiones, alliciendo, & prouocando, seu allicere, & prouocare tentando, & procurando. Super iis autem (ait Pontifex) diligenter inquiras, & iuxta facultatum tibi contra hæreticos, aut de hæresi quouis modo suspectos, à Sede Apostolica concessarum continentiam, & tenorem procedas.

2 Clemens verò VIII. vti infertur in decreto supremi Senatus inquisitionis edito die 3. mensis Decembris, anno Domini 1592. solùm statuit Inquisitorem generalem in Hispania procedere posse aduersùs quoslibet presbyteros sæculares, & regulares in sacramento Pœnitentiæ, seu in actu confessionis sacramentalis, solici-

solicitantes mulieres pœnitentes ad impudicitiam, seu peccata carnis, sicut & in aliis causis ad sanctissimum Inquisitionis officium pertinentibus, vt hactenus fecit, etiam priuatiuè, quoad superiores regularium, cuiusuis ordinis, & congregationis, etiamsi mendicantium existant, ipsósque regulares non eximi ab onere deferendi, seu denuntiandi huiusmodi delinquentes eidem sancto Officio, quemadmodum in aliis casibus, & causis sanctæ Inquisitionis, in quibus alij Christi fideles de iure tenentur.

3 At Gregorius XV. die 30. Augusti, anno 1622. & sui Pontificatus anno 2. constitutionem edidit aduersùs solicitantes sacerdotes; & primò refert, & confirmat Bullam Pij IV. nuper relatam, illámque non solùm in prædictis Hispaniarum regnis, sed in quibusuis Christiani orbis partibus firmiter, & inuiolabiliter obseruari præcipit, & mandat. Secundò, ne de pœna his delinquentibus imponenda, & de modo procedendi ab aliquo dubitari possit, statuit, quòd omnes, & singuli sacerdotes, tam exempti, quàm non exempti, qui personas quæcumque illæ sint ad inhonesta, siue inter se, siue cum aliis quomodolibet perpetranda in actu sacramentalis confessionis, siue ante, vel pòst, immediatè, seu occasione, vel prætextu confessionis huiusmodi, etiam ipsa confessione non sequuta; siue extra occasionem confessionis in confessionario, aut in loco quocumque, vbi confessiones sacramentales audiuntur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire, solicitare, vel prouocare tentauerint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, siue tractatus habuerint, in officio sanctæ Inquisitionis seuerissimè puniantur. Tertiò apponit modum cognoscendi de tali delicto, remittit enim eius cognitionem tam Inquisitoribus, quàm locorum ordinariis, simul, vel separatis. Ait enim Pontifex: Omnes hæreticæ prauitatis Inquisitores, & locorum ordinarios vniuersi orbis Christiani, in suis quemque diœcesibus, & territoriis per has nostras litteras etiam priuatiuè, quoad omnes alios specialiter, ac perpetuò iudices delegamus, vt super his contra prædictos simul, vel separatim in omnibus, prout in causis fidei iuxta sacrorum canonum formam, necnon officij inquisitionis constitutiones, &c. diligenter inquirant, & procedant. Quartò, qui in aliquo ex huiusmodi nefariis excessibus culpabiles fuerint reperti, pro criminum qualitate, & circumstantiis puniendi sunt, scilicet suspensione ab executione ordinis, priuatione beneficiorum, dignitatum, & officiorum quorumcumque, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, necnon vocis actiuæ, & passiuæ, si regulares fuerint, exilij, damnationis ad triremes, carceris perpetui: imò si pro delicti grauitate maiores pœnas meruerint, debita præcedente degratione curiæ sæculari puniendi tradantur. Quintò, datur facultas venerabilibus fratribus sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus generalibus Inquisitoribus, ne delictum tam enorme, & Ecclesiæ Dei tam perniciosum remaneat ob probationum defectum impunitum, cùm difficilis sit probationis, testibus etiam singularibus, concurrentibus præsumptionibus, indiciis, & aliis adminiculis delictum probatum esse arbitrio suo iudicandi, & curiæ sæculari, vt dictum est, reum tradendum esse pronuntiandi. Sextò mandat omnibus Confessariis, vt suos pœnitentes, quos nouerint fuisse ab aliis, vt suprà, solicitatos, moneant de obligatione denuntiandi solicitantes, seu, vt præfertur, tractantes, Inquisitoribus, seu locorum ordinariis prædictis: quòd si hoc officium prætermiserint, vel pœnitentes docuerint, non teneri ad denuntiandum Confessarios solicitantes, seu tractantes, vt suprà, iidem locorum ordinarij, & Inquisitores illos pro modo culpæ punire non negligant.

4 Circa supradicta decreta notandum est solùm in illis præcaueri solicitationem ad Venerem; non tamen ad alia crimina, etiamsi grauiora sint; quia non est æquè periculum de illis, ac de solicitatione ad Venerem.

5 Secundò aduerte, in Bulla Pij IV. & in decreto Clement. VIII. solùm de solicitatione mulieris habetur sermo. At in Bulla Gregor. XV. cuiusuis solicitatio præcauetur, vt constat ex illis verbis, *Qui personas, quæcumque illæ sint, ad inhonesta*, &c.

6 Tertiò nota ex decreto Pij IV. & Clementis VIII. Sacerdos in confessione solicitans veniebat puniendus. At ex decreto Gregor. siue in confessione, siue extra, antè, vel pòst, immediatè, siue in confessionario, seu loco confessionibus deputato, siue alibi simulans audire confessiones, & pœnitentem solicitans, aut cum eo inhonesta tractans, venit puniendus.

7 Quartò in decreto Pij IV. & Clementis VIII. nulla obligatio præter eam, quæ iure naturæ inest, imponebatur pœnitenti Confessarium denuntiandi. At in decreto Gregorij præsupponitur pœnitentes teneri Confessarium sic solicitantem denuntiare, & insuper mandatur omnibus Confessariis, vt eos de tali obligatione moneant.

8 Quintò in Bulla Pij IV. & in decreto Clementis, solùm committitur cognitio huius delicti Inquisitori generali Hispaniarum, & ab eo deputatis. At in decreto Gregorij omnibus Inquisitoribus totius orbis Christiani, & locorum ordinariis, simul, vel separatim datur facultas cognoscendi.

9 Hinc orta est difficultas; an Bulla Gregorij Hispaniarum sacerdotes liget, tum quia in Hispaniis non est publicata, tum quia non videtur recepta?

Et quidem non esse in Hispania publicatam, in causa esse non potest, quominus obliget. Sufficit enim Romæ publicatam esse, vt post sex menses Hispanos liget, iuxta dicta in materia de legibus. Quòd verò ab Inquisitoribus Hispaniæ recepta non sit, mihi maximè probatur: ita enim mihi retulit Doctor Isidorus de San Vicente Inquisitor Cæsaraugustanus, vir pius, & doctus, & in materiis inquisitionis satis versatus. Cùm enim in Bulla Gregor. Inquisitores locorum ordinariis æquales fiant, nolunt hanc Bullam recipere, quæ illis in hac parte derogat iurisdictioni concessæ à Pio IV. & Clemente VIII. vt ipsi soli de hoc crimine cognoscant. Item si hæc Bulla esset in Hispania recepta, in edictis, quæ ab Inquisitore generali in quolibet tribunali quotannis leguntur, illius notitia daretur, præcipuè apponeretur clausula, qua intelligerent sacerdotes simulantes audire confessiones, & sic pœnitentes solicitantes puniendos esse. Deinde hæc Bulla Gregor. parum, vel nihil iurisdictionem Inquisitorum extendebat: nam iam ipsi Hispaniarum Inquisitores à paritate rationis iurisdictionem sibi concessam à Pio IV. contra solicitantes fœminas, etiam ad viros solicitatos extendebant, vt dicemus, & ex alia parte eorum iurisdictio limitatur; quatenus ordinariis locorum committitur æquè, ac illis. Ergo non est mirum, si renuant illam recipere. Denique non leuis est difficultas, qua ratione Sacerdos simulans audire confessiones, & pœnitentem solicitans, debeat à pœnitente denuntiari? Nam vel pœnitens simulationi illius cooperatur, vel non? Si socius est simulationis, nullo modo obligari potest denuntiare sacerdotem, quia obligaretur denuntiare se ipsum: quòd si ipse pœnitens simulationi non cooperatur, sed Sacerdos fingens se paratum confessiones audire, pœnitentem bona fide accedentem solicitat, iam hic Sacerdos in confessione, seu proximè ad illam censetur solicitare; de quo casu Hispaniarum Inquisitores cognoscunt, & pœnitentes

tes obligati sunt denuntiare Confessarium sic solicitantem.

10 Inquisitores autem Hispaniarum pro executione iurisdictionis à Pio IV. & Clemente VIII. sibi concessæ quotannis edicta euulgant, in quibus sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda, mandatur cuilibet scienti tale crimen, vt ad inquisitionis tribunal deferat, ibi: *Si sabeis, o aueis oido deçir, que algun Confessor, o Confesores clerigos, o religiosos, de qualquier estado, o condiçion que sean en el acto de la confesion, o proximamente a ella ayan soliçitado a sus hijas de confesion, prouocando las, o induçiendo las con echos, o palabras para actos torpes, y deshonestos.* & inferiùs circa finem edicti dicitur: *So pena de excomunion mayor lata sententiæ trina canonica monitione præmissa, mandamos a todos, y quales quier de vos, que si supieredes, o vuieredes echo, visto, o oido deçir que alguna persona aya echo, dicho, tenido, o afirmado alguna cosa de las arriba declaradas, o otra qualquiera que sit contra nuestra santa fee catholica, y lo que tiene, predica, y enseña nuestra santa madre Yglesia de Roma, a si de viuos, presentes, o ausentes, como de difuntos, sin comunicarlo con persona alguna (porque a si conuiene) vengais, y parescais ante nos personalmente, o ante nuestro comissario a deçirlo, y manifestarlo, dentro de seys dias primeros siguientes despues que esta nuestra carta fuere leyda, y publicada, o como della supiere des en qualquier manera.* Insuper mandatur Confessariis, ne pœnitentes sic obligatos denuntiare absoluant à peccatis, quin priùs denuntiationem faciant. ibi, *Mandamos, o prohibimos so la dicha pena a todos, y quales quier Confesores, clerigos, o religiosos, que no absueluan a persona alguna, que cerca de lo suso dicho este culpada, o no vbiere dicho, y manifestado en el santo Oficio, lo que dello supiere, o vbiere oydo deçir. antes la remitan ante nos,* &c.

11 Ex quo decreto satis colligitur, quàm stricta obligatio sit in pœnitente Confessarium sic solicitantem denuntiandi, & quàm efficaciter Ecclesia intendat huic crimini remedium adhibere. Est enim hoc crimen nimis execrandum contra sacramenti reuerentiam, eiusque institutionem. Sacramentum namque institutum est in remedium, & medicinam peccatorum, reconciliationem cum Deo, & reparationem gratiæ deperditæ. Quid igitur iniquius loco medicinæ venenum propinare, & loco reconciliationis nouam iniuriam inferre, & loco gratiæ reparandæ nouam occasionem perditionis accumulare? Quæ omnia optimè apposuit Pius IV. Clemens VIII. & Gregorius XV. in suis decretis.

PVNCTVM II.

An Sacerdos fœminam, vel virum ad nefandum congressum inducens, vel ad alios actus inhonestos, denuntiandus sit Inquisitoribus.

1 *Stante Bulla Gregorij clarum est esse denuntiandum.*
2 *At attenta Bulla Pij IV. & Clementis VIII. aliqui censent non esse denuntiandum.*
3 *Contrarium tenendum est.*

1 NOn loquor de obligatione naturali cuilibet fideli insita denuntiandi delinquentem, qui per correctionem fraternam non emendatur. Nam hæc obligatio per regulas generales correctionis, & denuntiationis metienda est. Loquor, inquam, de obligatione denuntiandi orta ex Bullis Pontificiis, & ex edicto Inquisitorum, cui excommunicatio est annexa. De hac igitur obligatione dicendum est, in illis partibus, in quibus Bulla Gregorij recepta est, sacerdotem solicitantem virum ad inhonestos actus denuntiandum esse. Nam Gregorius non de fœminis solicitatis tantùm loquutus est, sed de quocumque pœnitente. Ait enim, *Omnes, & singuli sacerdotes, qui personas, quæcumque illæ sint, ad inhonesta solicitare,* &c. vbi notanter apposuit, *personas, quæcumque illæ sint*, vt intelligeretur non solùm fœminas, sed viros comprehendere.

2 Difficultas autem est, an ex Bulla Pij IV. & Clementis VIII. Inquisitores Hispaniarum ius habeant cognoscendi de solicitante viros in confessione, ad ipsósque sic solicitans deferri debeat? Ratio dubitandi esse videtur, quia Pius IV. & Clemens VIII. solùm de solicitante fœminas in suis decretis loquuti sunt, vt ex verbis suprà relatis constat. Ergo non debet tale decretum extendi ad solicitationem virorum. Nam licèt hoc decretum videatur sacramento Pœnitentiæ fauorabile, at sacerdotibus est onerosum, cùm illos tribunali inquisitionis puniendos subdat, cuius punitio ob infamiam, quam secum trahit, maximè grauis censetur. Est etiam locorum ordinariis odiosum, cùm delinquentes à sua iurisdictione excludat, & Inquisitoribus puniendos tradat. Ergo non est vltra proprietatem verborum extendendum: priuilegium namque derogans iuri alterius quæsito non extendendum est, sed potiùs limitandum. *cap. ex tuarum, de authoritate, & vsu pallij, & cap. licet in corrigendis, de offic. ordinarij, l. 1. §. merito, & §. si quis, ff. ne quid in loco publico.* Vnde in vniuersum præsumitur non esse mentem Principis ius tertij lædere. *l. nec, C. de emancipat. liberorum.* Ergo cùm per huiusmodi priuilegium Inquisitoribus concessum ordinarij læduntur in sua iurisdictione, non debet tale priuilegium extendi. Et confirmatur. Si Inquisitores Hispani priuatiuè de solicitantibus viros, sicut & fœminas possunt cognoscere, quare in edictis solùm de solicitantibus fœminas loquuntur? Bene enim possent per verba generalia edicta promulgare, dicentes denuntiandos esse sacerdotes, qui pœnitentes in confessione solicitauerint. & sic tradit Fagundez *de præceptis Ecclesiæ, 2. p. lib. 4. cap. 3. num. 31. post medium.*

3 Nihilominus pro certo tenendum est Inquisitores Hispanos, ex vi supradicti breuis Pij IV. & Clementis VIII. cognoscere posse de solicitantibus fœminas, & viros ad turpes actus, tenerique ex mandato inquisitionis sic solicitatos denuntiare solicitantes. ita Quaranta *verbo ordo, & verbo Confessor, in fin.* Ludou. Lopez *1. p. instructorij, cap. 35. versic. at hic iam, in fine.* Salzedo *in pract. cap. 82. versic. deponantur.* Grassis *1. tom. consil. cons. 1. de cognat. spirit. in fine, à n. 45.* Manuel Rodriquez *tom. 1. regul. quæst. quæst. 59. art. 4. in fine, & tom. 2. quæst. 27. art. 3.* Coriolan. *de casib. reseruatis, p. 1. sect. 2. à num. 22. fol. 236.* Acuña *de Confessore solicitante, quæst. 6. à num. 6.* & affirmat idem iudicasse Suarez consultum, Ioan. Sanchez *disp. 11. select. num. 12.*

Ratio præcipua conclusionis est, quia finis præcipuus constitutionum in fauorem est sacramenti Pœnitentiæ, vt scilicet puriùs, & honestiùs, & maiori cum fructu animarum tractetur, vt constat ex decretis suprà allegatis, quibus abusus sacramenti Pœnitentiæ, & illius iniuria per sacerdotes solicitantes facta coërceri procuratur. Quando autem alicuius constitutionis finis præcipuus fauorabilis est, etiamsi in alterius pœnam, & grauamen redundet, extendenda est constitutio, & non limitanda, præcipuè quando odium à fauore distingui nequit, vt in præsenti contingit, in quo non potest distingui fauor factus sacramento Pœnitentiæ, vt Inquisitores de sacerdotibus solicitantibus viros in confessione cognoscant, quin in grauamen, & pœnam solicitantis redundet, & in diminutionem iurisdictionis ordinariis concessæ. hanc doctrinam optimè probat Thomas Sanchez *lib. 1. de matrim. disput. 1. num. 4. ex glossa in cap. si propter, de rescriptis, in 6. verbo*

primi anni. vbi illam constitutionem reseruantem fructus vacaturæ Episcopo mortuo appellat fauorabilem, quia principaliter edita est in fauorem Episcopi, vt debita persoluat, quamuis in eorum damnum, quibus obuenire debebat, redundet. & tenet ibi Dominic. *num*.9. & Francus *num*.9. Couarr. 1.*variar.cap*.11.*num*.5. Mandosius *reg*.10.*de annali, quæst*.3.*num*.7. Flamin.*de resignat. beneficij, lib*.12.*quæst*.2.*n*.23. Ioann. Salas *de legib.tract*.14. *disp*.21.*sect*.4.*num*.20. Cùm ergo constitutio de solicitantibus fœminas loquatur, & fauorabilis sit sacramento, ad viros solicitatos extendenda est. Et confirmo. lex, priuilegium, & quælibet alia dispositio extendenda est ad casum, vbi est eadem, & maior ratio secundùm satis probabilem sententiam, vt optimè probat Rebellus 1.*lib.de obligat.iustit. quæst*.6.*sect*.4. aliis relatis. Salas *de legib.tract*.14.*sect*.5.*à num*.11. Ioann. Sanchez *disp*.11.*select.à num*.12. qui varios casus in confirmationem huius principij adducunt. Cùm ergo huiusmodi constitutio maiori ratione procedat in solicitantibus viros, quàm fœminas, cùm delictum grauius sit, & eiusdem rationis; efficitur sanè esse ad huiusmodi crimen extendendam. Neque obstat bullas, & edicta Inquisitorum tantummodo loqui de solicitantibus fœminas. Nam fœminæ exempli gratia appositæ fuerunt, legésque attendunt ad ea, quæ frequentiùs contingunt, eaque prohibent nominatim. *l. nam ad ea, ff. de legib*. & per hæc patet responsio ad rationem dubitandi in contrarium adductam.

PVNCTVM III.

An Confessarius solicitans fœminam, vel virum ad actus, solùm venialiter inhonestos, denunciandus sit sub graui culpa.

1 *Affirmant aliqui.*
2 *Venialia peccata contra castitatem non sunt mortalia, tametsi in sacramento fiant.*
3 *Non obligatur sub graui culpa sic solicitantem denunciare, quando constat pœnitenti de animo confessarij.*
4 *Satisfit contrariæ rationi.*

1 IOan. Sanchez *disp*.11.*select.num*.22. cum Seraphino à Freytas *quæst*.7.*num*.33. affirmat. Mouetur, quia tangere manum, vel mamillas fœminæ, digitos intorquere, & vellicare in genere castitatis, peccata venialia sint, quando ob solam delectationem absque vlteriori fine, vel periculo pollutionis habentur, vt aliis allegatis docet Thom. Sanch. *lib*.9.*de matrim.disput*.46. *n*.16. Salas 1.2.*tom*.2.*q*.74 *tract*.13.*disp*.6.*sect*.20. *num*.146.& *sect*.21.*num*.149. Freytas *quæst*.7.*num*.28. At si hæc fiant in confessione ante, vel post immediatè, peccata mortalia sunt contra religionem ob indecentiam sacramento factam, sicut intra genus temperantiæ leue peccatum esset modicum cibi sumere, at in ratione sacrilegij grauissimum esset, si illo sumpto ad Eucharistiam accederes.

2 Verùm non caret difficultate hæc doctrina. Nam ex iure naturali, & diuino peccata de se venialia in materia castitatis, eo quòd fiant in sacramento Pœnitentiæ, non redduntur mortalia contra religionem: aliàs quodlibet peccatum veniale in materia iustitiæ, humilitatis, & patientiæ factum in sacramento Pœnitentiæ esset mortale sacrilegium, quod nemo concedit: cùm æquè iure naturali, & diuino omnia prohibeantur. Restat ergo vt ex iure positiuo hæc prohibitio oriatur. At ex supradictis decretis Pij IV. Clement. VIII. & Gregor. XV. non fit aliqua specialis prohibitio de peccatis venialibus, sed solùm prohibetur id quod de se malum, & inhonestum est; imò quia malum, & inhonestum est, ideo prohibetur. Ergo si solùm est malum in ratione peccati venialis, in ratione peccati venialis prohibetur ob religionem. Sicut cùm prohibetur percussio clerici ob reuerentiam ordini debitam, non prohibetur quælibet leuis percussio sub graui delicto: neque furtum rei sacræ sub graui culpa, si leue sit; quia hæc omnia prohibentur, quia mala sunt, & consequenter eo modo quo mala sunt, eo modo ob reuerentiam sacramenti prohibentur. Adde, ex supradictis decretis Pontificum nequaquam colligi potest eos intendisse, veniale contra castitatem, fieri mortale contra religionem; imò potiùs contrarium non leuiter colligitur. Nam in Bulla Pij IV. dicitur sacerdotes denunciandos esse, qui mulieres pœnitentes ad actus inhonestos prouocant, & loco *reconciliationis cum Deo grauiori peccatorum mole eas onerant, & in manibus diaboli tradunt*. Quæ verba necessariò respiciunt actus inhonestos, qui peccata mortalia sint: nam per venialia nec traduntur in manibus diaboli, nec grauiori mole onerantur. Clemens verò VIII. nihil aliud fecit, quàm renouare supradictum decretum. Gregor. verò XV. in sua constitutione vocauit impium hoc, ac nefandum scelus, & illud facientem infernalem, veneficum, & proditorem execrabilem, quæ cum inductione ad peccatum veniale nequaquam videntur cohærere.

3 Propter hæc non improbabile videri potest, si sacerdos pœnitentem tactibus aliàs honestis tangat, qui ex circunstantiis solùm peccata venialia sint, & ipse pœnitens intelligat sacerdotem nullo modo habere animum vlteriùs progrediendi, neque pœnitens periculum consentiendi in graue crimen, non committi peccatum mortale contra religionem; sicut neque contra castitatem, neque fore denunciandum sub graui culpa. Verùm si ex circunstantiis colligeretur animus sacerdotis vlteriùs progrediendi, censenda esset talis solicitatio grauis, quia sufficienter præsumit pœnitens ad graue crimen sacerdotem voluisse ipsum inducere.

4 Ad rationem in contrarium respondeo, illa quæ secundùm se peccata sunt venialia, vel nulla peccata, posse fieri peccata mortalia in materia religionis: vt in exemplo adducto, de cibo sumpto ante Eucharistiam. Sed hoc est quando non prohibentur qua ratione in se mala sunt, sed solùm ob reuerentiam sacris debitam. At quando solùm prohibentur, qua ratione mala sunt ne fiant in sacramento, sequuntur naturam, quam habent. Vnde si peccata venialia sunt in ratione iustitiæ, vel castitatis, peccata venialia sunt in materia religionis: si verò mortalia, peccata mortalia sunt in materia religionis.

PVNCTVM IV.

An si pœnitenti tribuas in confessione chartam postea legendam, in qua ad Venerem incites, censearis solicitator in confessione; ac proinde denunciandus, & puniendus.

1 *Placet alicui sic esse affirmandum.*
2 *Proponuntur rationes in contrarium.*
3 *Videtur ob illas pars negans probabilis.*

1 VIdetur absolutè affirmandum, quia traditio illa chartæ est incepta solicitatio, & negari non potest per illam iniuriam fieri sacramento; si quidem tempore quo monendus erat pœnitens de mutatione vitæ in melius, instrumentum tradatur ei, quo saucietur. sic Ioan. Sanch. *disput*.11.*select.num*.31.

2 Sed obstat primò, quia talis chartæ traditio est solùm causa solicitationis, nó verò solicitatio. Non enim tunc quando traditur charta, mouetur pœnitens ad malum, vt suppono. Ergo tunc non solicitatur: solicitatio

citatio namque est inductio, & motio voluntatis alienæ; cùm autem non moueatur pœnitentis voluntas in confessione, sed extrà, quando scilicet legit chartam, efficitur in confessione non fuisse factam solicitationem, ac proinde non fore ex obligatione denuntiandum. Confirmo, vt Sacerdos subiiciatur pœnis contentis in Bullis aduersùs solicitantes, requiritur vt delictum solicitationis, in ratione solicitationis sit completum: sicut requiritur homicidium completum, vt irregularitas homicidij contrahatur, & percussio clerici, vt excommunicatio liget, neque sufficit causam dedisse his delictis. Cùm igitur in traditione chartæ non sit solicitatio completa, imò neque solicitatio, non erit Sacerdos sic peccans denuntiandus, & puniendus ex rigore decreti inquisitionis.

Secundò finis præcipuè intentus in Bullis aduersùs solicitantes non procedit in hoc casu. Finis enim est, ne pœnitentes loco reconciliationis grauioribus peccatis onerentur, & loco medicinæ venenum eis propinetur. At in supradicto casu cessat hic finis, cùm absolutè per confessionem pœnitens cum Deo reconcilietur, & medicina, & non venenum ei propinetur. cui reconciliationi, & medicinæ charta tradita non obstat. Et explico hoc exemplo. Si enim chartam amatoriam tribueres pœnitenti dandam alteri personæ legendam, quámque velles prouocare ad malum, quis diceret te venenum in confessione huic pœnitenti propinasse, cùm ipse ignarus sit, quid charta contineat, neque obinde impediatur à reconciliatione cum Deo? Ergo similiter dicendum videtur, quando charta traditur pœnitenti legenda ab ipso, quia vsque dum legit, non propinatur illi venenum. Item talis actio prout est facta in confessione, indifferens omnino est in foro externo, neque ab alio quàm à tradente malitia eius cognoscitur. Ergo non venit denuntianda. Solùm enim actio, quæ mala apparet in sacramento, quæque pœnitentem in sacramento maculare potest, denuntiari debet.

3 Hæ rationes probabilem videntur reddere partem negantem, talem scilicet traditionem chartæ non esse solicitationem comprehensam in Bullis, si charta non immediatè post susceptum sacramentum legatur, sed transacto iam tempore. Verùm quia hoc delictum grauissimum, & perniciosissimum est, præcaueri debet, & coërceri omnis occasio illud committendi.

PVNCTVM V.

Explicantur aliqui casus, in quibus dubium est, an interueniat solicitatio comprehensa in Bullis.

1 *Si fœminam incites, vt alium in copulam admittat, denuntiandus es.*

2 *Si solicites, vt mediet, esto probabile aliquibus videatur non fore denuntiandum ex decreto Clementis. At probabilius censeo oppositum.*

3 *Si fœmina solicitet ad Venerem, & tu renuas contentus tactibus, aliqui existimant te esse denuntiandum.*

4 *Verius censeo oppositum.*

1 PRimus est, si in alterius gratiam fiat solicitatio. v.g. si fœminam instiges, vt alium in copulam admittat. Et quidem in hoc casu censendum est esse solicitationem comprehensam in Bullis, cùm verè pœnitentem ad turpes actus inducas, per accidénsque est, sint tecum exercendi, vel cum alio. ita docet Ioan. Sanchez *disput.* 11. *num.* 43. cum Acuña *quæst.* 17. *num.* 5. Seraphin. Freytas *num.* 13. Graffis *cons.* 1. *num.* 41. *in fine, de cognat. spirit.*

2 Secundus est, si fœminam solicites, non quidem tibi, neque alteri copulandam, sed vt mediet, & intercedat, vt alia fœmina in fornicationem consentiat. Et quidem vbi decretum Gregorij XV. receptum est, omnino affirmandum est, esse solicitationem ibi prohibitam, & denuntiandum. Ait enim Pontifex, *denuntiandos esse sacerdotes, qui ad inhonesta, siue inter se, siue cum alijs perpetranda solicitauerint.* Itémque qui cum pœnitentibus illicitos, & inhonestos sermones, siue tractatus habuerint. Verùm ex constitutione Pij IV. & Clementis VIII. & ex decreto Inquisitorum existimat Acuña *quæst.* 17. *num.* 8. & Freytas *num.* 14. probabile esse non esse solicitationem ibi comprehensam, neque talem Confessarium sic solicitantem denuntiandum inquisitioni; quia hæc solicitatio cùm non sit ad exequendum carnis flagitium cum pœnitente, non videtur in Bullis prohibita. Mihi tamen videtur probabilius & esse solicitationem ibi comprehensam, & esse denuntiandam. Nam ex supradictis Bullis, & ex edicto Inquisitorum mandantur denuntiari sacerdotes, qui *mulieres pœnitentes ad actus inhonestos prouocant, seu alliciunt.* Qui autem prouocat pœnitentem, vt mediet, absolutè prouocat ad actus inhonestos: illa enim mediatio actus inhonestus est, & eiusdem speciei cum crimine perpetrando. Item tota ratio prohibendi solicitationem pœnitenti factam procedit in præsenti, cùm venenum propinet ei Confessarius, cui debebat antidotum salutis propinare, & loco reconciliationis grauem peccati molem imponat, fontíque limpidissimo lutum admisceat. Ergo cùm hoc decretum sit institutum in fauorem sacramenti Pœnitentiæ, non limitandum est, sed potiùs extendendum, vt diximus.

3 Tertius casus est, si fœmina te solicitet ad congressum, tu verò renuas intendens solùm tactibus te oblectari, & ad illos solos fœminam prouoces, denuntiandus ne sis? Ioan. Sanchez *disput.* 11. *num.* 28. *in fine.* existimat te denuntiandum, quia tam à copula, quàm ab osculis, & tactibus auertere poteras fœminam. Ergo cùm ad tactus prouocas, male facis. Et confirmat. Si enim fœmina te prouocaret ad sodomiticum congressum, tu verò renuens ad naturalem incitares, nemini est dubium denuntiandum fore, quia talis prouocatio mala est. Esto enim licitum sit minus malum alteri consulere, vt maius vitetur, quando alia via vitari non potest. At cùm quilibet in se ipso vitare possit maius malum, sine effectione minoris, nullo modo licet minus efficere. Non enim licet fœminæ inductæ ad nefandum congressum offerre vas naturale, vt præposterum feruet, quia talis oblatio intrinsecè mala est, sic in præsenti non licet tibi inducto ad congressum solum tactibus delectari, & ad illos pœnitentem inducere. Ergo venis denuntiandus.

4 Verùm mihi se offert contrarium dicendum. Fateor namque si fœmina prouocaret Confessarium ad Sodomiam, ipse verò ad naturalem congressum incitaret, vel econtra, fore Confessarium denuntiandum; quia absolutè Confessarius inductor est ad malum, ad quod non est à pœnitente prouocatus. At quando solùm renuit congressum, volens se tactibus tantùm delectari, non censetur Confessarius solicitare ad malum, sed solicitationi factæ à fœmina consentire. Fœmina enim inducens ad congressum, tacitè, & in virtute inducit ad oscula, & tactus, vtpote præuia ad illum; eáque de causa manifestato congressu in confessione nulla est obligatio confitendi tactus, & oscula, vt latiùs in materia de confessione. Ergo Confessarius suadens solùm tactus, renuens vlteriùs prosequi, non persuadet fœminam, ad congressum solicitantem, aliquod malum ad quod ipsa non induxerit: imò si bene perpendatur, solùm persuadet fœminam, vt contenta sit solicitatione

tatione ad tactus, & oscula, neque vltrà velit procedere. Deinde ipse Ioan. Sanch. *illa disput.* 11. *num.* 26. affirmat, si adinuicem fiat solicitatio, à fœmina primò, à confessario deinde, ita vt mutuò se pelliceant ad turpis actus complementum, nõ fore denuntiandum confessarium. quia illa non est prouocatio ex parte confessarij, sed in prouocationem factam consentire, & illum continuare. idémque docet Acuña *quæst.* 11. *num.* 1. Sed quando confessarius prouocatus ad congressum persuadet solùm tactus, & oscula, in dimidiatam prouocationem consentit. Ergo non venit denuntiandus.

PVNCTVM VI.

An sola solicitatio ad Venerem sit denuntianda Inquisitoribus?

1 *Proponitur dubitandi ratio, ob quam probabile est omnem prauam solicitationem denuntiandam esse.*
2 *Probabilius est hanc obligationem imponendam non esse pœnitentibus.*
3 *In vsu aliorum sacramentorum solicitatio ad Venerem non venit Inquisitoribus necessariò denuntianda.*
4 *Venit tamen sic delinquens denuntiandus superiori, vt illum corrigat.*

1 Ratio dubitandi est, quia ideo hæc denuntiatur, quia sic solicitantes de hæresi sunt suspecti, præbent enim fundamentum saltem leue, vt de illis suspicio formetur, non bene de sacramentis sentire. Sed hæc ratio æquè procedit, si ad furtum, vel homicidium, vel aliud quoduis maleficium inducant: imò maior malitia videtur adesse in inductione ad hæc peccata, quàm in inductione ad luxuriam, cùm inductio ad luxuriam magis ex passione procedat, quàm ex malitia.

Propter hanc rationem existimat Pegna *in direct. inquisit.* 2. *p. comm.* 81. *versic. ille quoque*, Inquisitoribus subiici sic pœnitentem ad quælibet peccata solicitantes.

2 Verùm etsi probabiliter dici posset ob facultatem generalem Inquisitoribus datam cognoscendi de hæresi suspectis, posse cognoscere de iis solicitantibus, si deferantur. At credo nullo modo teneri pœnitentes sic confessarium solicitantem Inquisitoribus denuntiare; quia nullibi cautum est talem denunciationem esse faciendam, neque in breuibus Pontificum, neque in edictis Inquisitorum; omnia enim hoc solùm de solicitantibus ad actus inhonestos loquuntur; quia ob fragilitatem naturæ frequentiùs hæc solicitatio contingere poterat, & maius in ea periculum consentiendi: & ita docet Ledesm. *de matrimon. quæst.* 56. *art.* 2. §. *& non est idem.* Param. *lib.* 3. *quæst.* 10. *num.* 121. *&* 122. Acuña *quæst.* 8. *num.* 3. *&* 6. Ioann. Sanchez *disput.* 11. *num.* 23.

3 Neque item solicitatio ad Venerem in aliorum sacramentorum denuntianda necessariò venit Inquisitoribus; quia nullibi de huiusmodi delicto specialiter cautum est denuntiationem fieri. ita Acuña *quæst.* 16. *num.* 6. Freytas *num.* 10. Ioann. Sanchez *disp.* 11. *num.* 42.

4 Aduerto tamen solicitantem ad Venerem in vsu aliorum sacramentorum, vel in confessione ad aliquod maleficium, fore denunciandum suo superiori, vt illum corrigat, & emendet, & iniuriam sacramenti caueat, seruatis tamen conditionibus requisitis in denunciatione facienda, de quibus in materia correctionis fraternæ, & denunciationis iudicialis.

PVNCTVM VII.

Quæ solicitatio censenda sit facta, ante, vel pòst immediatè ad confessionem, vt denuntiari debeat Inquisitoribus.

1 *Ex decreto Clemen. non constabat denuntiandum Inquisitoribus esse Confessarium, ante, vel post confessionem delinquentem. At ex edicto Inquisitorum constat.*
2 *Quid sit antè, vel post immediatè ad confessionem solicitare?*
3 *Ante confessionem solicitat Confessarius, tametsi confessio non sequatur.*
4 *Intelligi debet, dummodo fœmina vellet statim confiteri.*
5 *Non est solicitatio ante confessionem denuntianda, si illo tempore neque fœmina, nec sacerdos de confessione facienda statim cogitarunt, tametsi de facto confessio sequatur.*
6 *Sed quid si fœminam volentem confiteri dissuadeas confessionem, animo incitandi postea ad libidinem. Si animum non manifestas, non est solicitatio denuntianda, secus si animum manifestes.*
7 *Proponitur quædam obiectio.*
8 *Fit illi satis.*

1 Ex decreto Pij IV. & Clem. VIII. non constabat expressis verbis solicitationem factam ante, vel post confessionem esse denuntiandam: eáque de causa motus est Fagundez *de præceptis Ecclesiæ,* 2. *p. lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 31. affirmare nullam esse obligationem denuntiandi, nisi solicitatio in ipso actu confessionis fiat, hoc est, post signum crucis, & ante absolutionem. At ex constitutione Gregor. XV. & ex edicto Inquisitorum constat fore denuntiandum.

2 Illa ergo dicitur solicitatio ante, vel post confessionem immediatè, quãdo inter solicitationem, & confessionem nihil aliud mediat, ita vt neque confessarius, neque fœmina ad extraneos actus diuerterint. ita Ioan. Sanch. *disput.* 11. *num.* 49. cum Freytas *quæst.* 5. *num.* 20. Paramo *lib.* 3. *quæst.* 10. *num.* 47. Vnde si absolutione impensa aliquis illorum ad extraneum actum diuerterit, & sic diuersus, vel fœminam diuersam statim solicitauerit, non dicendus est in continenti solicitari. sic Ioan. Sanch. *suprà*, cum Ægidio *de priuileg. honest. artic.* 11. *num.* 19.

3 Vt verò ante confessionem solicitare dicatur confessarius, nullo modo requiritur confessionem ipsam sequi: sufficit enim, si fœminam accedentem confiteri persuadeat Venerem, & confessionem dissuadeat, quia tunc confessarius laqueum parat, vbi à laqueis pœnitentem liberare debebat. Quapropter Gregor. XV. in sua constitutione apposuit puniendum esse solicitantem occasione confessionis, etiam ipsa confessione non sequuta.

4 Hoc tamen intelligendum est (vt benè supradictus Sanch. aduertit) quando fœmina vellet statim confiteri: nam si diceret confessario se velle in crastinum confiteri, & tunc occasione huius dicti confessarius confessionem dissuadeat, & de venereis tractet, talis solicitatio non est proxima confessioni faciendæ; sed solùm est proxima conuentioni de confessione, ac proinde non delinquit in confessione, nec proximè ad illam, & sic non est denunciandus. Aliàs si diceret fœmina se velle transacto anno confiteri, & sacerdos confessionem dissuaderet, & de Venere tractaret, peccaret aduersùs bullas latas contra solicitantes: quod nullus dicet.

5 Item non est solicitatio proximè ad confessionem, quando tempore solicitationis, neque fœmina, neque sacerdos de confessione facienda cogitarunt, etiam si

imme

immediatè sequatur confessio, quia talis confessio ortum habet ex eo quòd fœmina de delicto dolorem concepit, vúltque citò à peccato liberari per confessionem: cui voluntati satius erit (ait Sanchez) consentire. Ego tamen existimo cautè procedi debere, ne sacramentum Pœnitentiæ absque vero dolore fiat. Quare ministrandum non esset, nisi signa satis aperta doloris ostenderet.

6 Difficultas in hac parte non leuis est, an si fœminæ dicenti se velle statim confiteri confessionem dissuadeas, animo eam postea alliciendi ad impudicos actus; talis dissuasio censeatur solicitatio in confessione? Et quidem si animus non manifestatur fœminæ, certum est non esse solicitationem: at si animus sufficienter fœminæ manifestatur, taliter quòd ipsa possit intelligere dissuasionem confessionis oriri ex animo ad Venerem alliciendi, etsi tunc cum illa tractes, existimat Ioan. Sanchez *disput.* 11. *num.* 49. esse veram solicitationem denuntiandam, quia illa dissuasio sic declarata est vera inductio, & prouocatio ad peccatum; si enim dissuadens confessionem diceres fœminæ te illius amore esse captum, ideóq; nolle eam confiteri, verè solicitares. Ergo similiter solicitas, si aliis signis talem animum declaras.

7 Sed obiicies. Dissuasio confessionis etiam ex prauo animo non potest esse solicitatio exterior, nisi quatenus talis animus declaratur: at huiusmodi declaratio est per signa quasi indifferentia, & non clara, & manifesta; colligit enim, v. g. fœmina prauum affectum Confessarij, ex eo quòd aspectu blando, & alacri eam alloquatur, & nullam causam negandæ confessionis præbeat. quæ signa satis non demonstrant prauum affectum. Ergo talis dissuasio confessionis, & confusa animi praui manifestatio, non est vera solicitatio, ac proinde nec denuntianda; sicut non est vera hæresis denuntianda, quæ per verba sufficienter expressiua mentis non fit, neque casus reseruatus, qui in opus exterius non transit manifestè.

8 Respondeo, etsi alicui probabile posset videri Confessarium dissuadentem fœminæ confessionem, & manifestantem prauum animum per verba, vel signa alioquin honesta, seu indifferentia, quorum determinatio ad malum non ex illis præcisè, sed ex aliis adiunctis à fœmina colligatur, non fore denuntiandum, mihi dicendum videtur esse denuntiandum. Nam etsi aliis illa verba, vel signa quasi indifferentia sint; at fœminæ hîc, & nunc indifferentia non sunt, sed determinata ad malum, & expressiua satis prauæ voluntatis Confessarij. Ergo saltem respectu fœminæ constituunt solicitationem exteriorem, cùm ab illa cognita sint vt talia. Ergo est peccatum exteriùs consummatum, & denuntiandum.

PVNCTVM VIII.

An solicitatio facta simulando confessionem denuntianda sit.

1 *Qualiter simulatio confessionis in præsenti contingere potest.*
2 *Si vterque in simulatione conuenit, Confessarius, & pœnitens, nemini incumbit obligatio denuntiandi.*
3 *Grauiter peccant aduersùs religionem sic intemperatè loquentes.*
4 *Si pœnitens accedat animo tractandi alia negotia, & ad Venerem incitetur à Confessario, est obligatio in pœnitente denuntiandi iuxta constitutionem Gregorij.*
5 *At ex decreto Pij IV. & Clement. VIII. cessat obligatio.*

1 NOn voco simulatam confessionem eam, qua quis accedit absque vero dolore peccatorum, volens tantùm sua peccata sacramentaliter confiteri; quia talis confessio vera confessio est, vt diximus in materia de pœnitentia. Quapropter si fœminam sic accedentem solicitares, absque dubio denuntiandus esses, & puniendus: ita relato Acuña *q.* 14. *n.* 10. docet Ioan. Sanchez *disp.* 11. *n.* 41.

Simulatio igitur confessionis dupliciter solùm potest contingere. Primò, si vterque tam pœnitens, quàm Sacerdos, vt liberiùs de rebus inhonestis tractent, simulant confessionem. Secundò, si pœnitens non animo confitendi, sed alia negotia tractandi accedat ad Confessarium, cùm tamen ab iis qui videtur intelligatur ad confessionem accedere; tunc, inquam, simulatur confessio.

2 Dico ergo primò, si vterque in simulatione confessionis conuenerunt, vt liberiùs de rebus inhonestis tractarent, nemini incumbit obligatio denuntiandi, non Sacerdoti, vt de se constat, neque pœnitenti, aliàs esset obligatus denuntiare se ipsum. Neque hæc solicitatio est propria Sacerdotis, potius quàm pœnitentis, sed est mutua solicitatio, ac proinde in solicitationem sibi factam vterque consentit.

3 Aduertendum tamen est vtrumque tam Confessarium, quàm pœnitentem grauiter non solùm aduersùs temperantiam, sed etiam aduersùs religionem debitam Pœnitentiæ sacramento peccare in tali allocutione lasciua. Nam sacramento Pœnitentiæ debita est illa exterior reuerentia, & cæremonia, vt scilicet pœnitens flexis genibus, detecto capite, & supplex ad pedes Confessarij accedat pro consequenda venia peccatorum. Qui ergo hanc cæremoniam inhonestæ locutioni arrogat, & sacramentum ipsum iure suo spoliat, & grauiter lædit, cùm sub habitu sacramenti, & illius prætextu scelus nefarium committat. sic Ioan. Sanchez *in select. disp.* 35 *num.* 5.

4 Dico secundò, si pœnitens bono animo accedat alia negotia à confessione tractaturus, Sacerdos verò occasione arrepta ad Venerem inducat; tunc obligatio est in pœnitente solicitato denuntiandi Sacerdotem, iuxta constitutionem Gregorij XV. inquit enim: Qui personas, quæcumque illæ sint, ad inhonesta siue inter se, siue cum aliis quomodolibet perpetranda in actu sacramentalis confessionis, siue ante, vel pòst, immediatè, seu *occasione, vel prætextu confessionis huiusmodi*, etiam ipsa confessione non sequuta, siue extra occasionem confessionis, in confessionario, aut in loco quocumque vbi confessiones sacramentales audiantur, seu ad confessiones audiendas electo, *simulantes ibidem confessiones audire*, solicitare, vel prouocare tentauerint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, siue tractatus habuerint, in officio sanctæ Inquisitionis seuerissimè puniantur. Cùm igitur in præsenti Sacerdos simulet audire confessiones, vt suppono, eo quòd sit in loco illis audiendis destinato, & pœnitens alia negotia tractaturus flexis genibus assistat, vel alio modo quo videntes intelligant confessionem fieri, & tunc solicitat, absque dubio committit in constitutionem Gregor. ac proinde denuntiandus. & ita tradit Ioan. Sanchez *disp.* 11. *n.* 40. 66. & 68.

Aduertendum tamen est optimè posse Sacerdotem cum fœmina de rebus inhonestis in confessionario tractare, quin simulatio vlla sit confessionis audiendæ, & tunc denuntiandus non est; quia non quælibet solicitatio in confessionario facta cauetur illo decreto Gregorij, sed solicitatio, quæ simulationem confessionis trahat, vt constat ex illis verbis; *simulantes ibidem confessiones audire.*

5 Dico tertiò, vbi Bulla Gregorij recepta non est, non tenetur supradicta fœmina solicitata Sacerdotem Inquisitoribus denuntiare; quia talis solicitatio non est

est facta in confessione, cùm hæc non interueniat, neque proximè ad illam faciendam: cùm fœmina nullam (vt suppono) voluntatem confitendi sacerdoti declarauerit. Ex decreto autem Pij IV. Clem. VIII. & ex edicto Inquisitorum solùm prohibetur, & denuntianda mandatur solicitatio facta in confessione, vel proximè ad illam: & ita docet Acuña *de solicitat. quæst.* 14. *num.* 6. id colligens ex Suar. *tom.* 4. *de pœnitent. disput.* 33. *sect.* 2. *num.* 4. Henriq. *summ. lib.* 6. *cap.* 21. *num.* 4. Ioann. Sanch. *suprà num.* 40.

Pvnctvm IX.

Qui nomine confessarij, seu sacerdotis solicitantis veniant intelligendi ex supradictis decretis.

1 *Sacerdos tametsi iurisdictione careat intelligitur.*
2 *Episcopi, Nuntij, officialésque sedis Apostolicæ non sunt Inquisitoribus denunciandi.*
3 *Inquisitores Hispani an sint denunciandi, & cui? Sub distinctione respondetur.*
4 *Possunt tamen Inquisitores recipere dicta testium, vt Pontificem, vel Inquisitorem generalem de delicto denunciati certiorem faciant.*
5 *Laici fingentes se sacerdotes, & confessionem excipientes, si solicitent, non sunt ex hoc decreto denunciandi.*
6 *Item neque est denunciandus interpres.*
7 *Neque pœnitentem si confessarium solicitet, tenetur confessarius ex vi bullarum denunciare.*

1 Certum esse debet sacerdotem iurisdictione ad audiendas confessiones carentem, si exponatur illas audire, & pœnitentem solicitet, fore denunciandum. quia absolutè censetur confessarius, cùm potestatem ordinis habeat, & possit à peccatis venialibus, & mortalibus confessis absoluere, & ab omnibus in articulo mortis. Aliàs posset quilibet sacerdos solicitans affirmare ausum fuisse solicitare pœnitentem, eo quòd iurisdictionem non haberet ad absoluendum à peccatis, quæ sibi erant confessa, quod esset eludere decreta Inquisitionis, & constitutiones Pontificum; & ita relato Acuña *quæst.* 14. *num.* 5. Freytas *num.* 13. docet Ioan. Sanch. *disput.* 11. *num.* 38. Et quidem iuxta constitutionem Gregor. nemini potest esse dubium talem sacerdotem comprehendi, cùm hic sacerdos simulet se audire confessiones, & sic simulans ad Venerem incitet pœnitentem.

2 Quòd si confessarius solicitans sit Episcopus, non est à fœmina solicitata Inquisitoribus denunciandus; quia Episcopus Inquisitoribus non est subiectus. ex *cap. Inquisitores, de hæretic. in* 6. & Trident. *sess.* 24. *cap.* 5. *de reform.* Si enim in delicto hæresis Inquisitoribus non subduntur, à fortiori neque in delicto suspicionem hæresis habente. Nomine Episcopi Inquisitoribus non subditi comprehenduntur Episcopi titulares, quia verè sunt Episcopi: ita Ludouic. de Mol. *tom.* 6. *de iust. tract.* 5. *disput.* 28. *num.* 19. Acuña *quæst.* 12. *num.* 7. Ioan. Sanch. *disp.* 11. *num.* 33. Comprehenduntur item Episcopi electi, & à sede Apostolica approbati, etiam si consecrati non sint. ita Mol. *suprà*, quòd si solùm sint electi, Inquisitoribus subduntur, ac proinde sicut quilibet alius sacerdos debent denunciari. ita Acuña *quæst.* 11. *num.* 12. Freytas *num.* 31. Ioann. Sanchez *num.* 35. Molin. *num.* 20. Deinde Nuntij, seu Legati Sedis Apostolicæ, aliique eiusdem sedis ministri, & officiales non sunt denuntiandi Inquisitoribus, aut ordinariis, quia non subduntur Inquisitoribus, aut ordinariis in vllo etiam grauissimo delicto. constat ex *extrauag. cùm Matthæus, de hæretic.* & tradit Ludouic. Molin. *tract.* 5. *de iustit. disp.* 28. *num.* 20. Farinac. *de hæresi, quæst.* 186. Decian. *tom.* 1. *crimin. lib.* 5. *cap.* 23. *num.* 10. Ioan. Sanchez *disp.* 11. *num.* 33. Vocantur delegati Sedis Apostolicæ, seu ministri, & officiales ipsius, qui nomine Sedis Apostolicæ ad negotium Sedi Apostolicæ pertinens tractandum mittuntur. Non autem illi, qui ad causas particulares inter alios iudicandas, ac dirimendas quotidie à Sede Apostolica mittuntur: hi enim non negotium Sedis Apostolicæ, sed personarum particularium, authoritate tamen Sedis Apostolicæ agunt. ita Molin. *tract.* 5. *disp.* 28. *num.* 20.

3 Sed quid dicendum, si aliquis ex Inquisitoribus Hispaniæ fœminam in confessione solicitauerit, est ne tribunali denunciandus, vel ordinario?

Respondeo nullo modo tribunali, vel Episcopo esse denunciandum, si vera est sententia Eymeric. *lib.* 3. *direct. inquisit. quæst.* 30. & cum eo Pegna *schol.* 79. dicentis hos annumerandos esse inter delegatos Sedis Apostolicæ, eiúsque officiales. Quòd si vera est sententia Simanc. *tit.* 25. dicentis hos esse subdelegatos, ac commissarios Inquisitoris generalis, tunc denuntiandum fore non quidem Episcopo, neque alteri Inquisitori, quia eis non subditur, sed supremo senatui, vel Inquisitori generali, cui omnes subduntur. ita Molin. *suprà.*

4 Aduertendum tamen est, etsi Episcopi, & Inquisitores denuntiandi non sint, vt corrigantur, vel puniantur ab aliis Inquisitoribus, possunt tamen Inquisitores, (si denuntiatio fit) depositiones testium accipere sedi Apostolicæ, vel generali Inquisitori remittendas: ita relato Simanc. docet Mol. *tract.* 5. *de iustit. disput.* 28. *num.* 19. Ioan. Sanch. *disput.* 11. *num.* 34. Acuña *quæst.* 12. *num.* 9. & 10.

5 Laici fingentes se sacerdotes, & confessiones excipientes si solicitent, non veniunt denuntiandi ex supradictis decretis; quia solùm loquuntur de sacerdotibus, non de illis, qui se sacerdotes fingunt, quíque confessarij propriè non sunt, neque confessio illis facta est sacramentalis, neque obligationem sigilli propriè inducit. ita Acuña *quæst.* 13. *num.* 5. Ioan. Sanch. *disp.* 11. *num.* 36. Verùm etsi ij laici solicitantes denuntiandi non sint ex bulla lata aduersùs solicitantes. At ex constitutione Gregor. XIII. lata aduersùs eos, qui se sacerdotes simulant, & sub tali simulatione confessiones excipiunt, denuntiandi sunt. Requiritur tamen, vt non solùm confessiones ambierint, sed etiam absolutionem impenderint, vt benè notauit Acuña *quæst.* 13. *num.* 17. Ioan. Sanch. *disput.* 11. *num.* 36. ideóque in edicto Inquisitorum dicitur denuntiandum esse illum, qui cùm sacris initiatus non sit, aliquod sacramentum administrauit. Non autem censetur sacramentum Pœnitentiæ administrasse, quousque absolutionem impenderit.

6 Interpres quicumque sit, etiam si sit sacerdos, si pœnitentem in confessione solicitet, denuntiandus non est, ex tenore bullarum; quia absolutè non est confessarius, sed potiùs ex parte pœnitentis se tenet. ita Ioan. Sanch. *disput.* 11. *num.* 10. & 37. esto contra teneat Seraphin. Freytas *in addition.* ad Acuñam *quæst.* 15. *num.* 37.

7 Pœnitens quicunque sit, si confessarium solicitet, nullo modo à confessario est sub obligatione Bullarum, & decreti Inquisitorum denuntiandus; quia hæc non aduersùs pœnitentes, sed aduersùs confessarios pœnitentes solicitantes lata sunt, vt ex ipsis apertè constat. ita Acuña *quæst.* 9. *num.* 3. 5. & 6. Ioan. Sanch. *disput.* 11. *num.* 24.

Pvn

PVNCTVM X.

Quando cesset obligatio denuntiandi Sacerdotem hoc crimen solicitationis committentem.

1 *Cessat, si Sacerdos emendatus sit, neque periculum sit recidiui.*

2 *Cessat, si correctione fraterna emendandus speratur, & spes debet esse certa.*

3 *Alij excusant, quoties Sacerdos de hoc delicto infamatus non est. Non admittitur excusatio.*

4 *Deinde excusant alij à denuntiatione facienda Inquisitoribus, si Episcopo denunties. Non approbatur in Hispania.*

5 *Item excusant, si secretò scieris solicitationem. Sed non probatur excusatio.*

1 DE hac dubitatione satis dictum est in disput. de correctione fraterna denuntiationi præmittenda, & ex ibi dictis satis constat. Primò ergo cessat obligatio denuntiandi, si Sacerdos emendatus præsumatur, neque periculum sit recidiui; cùm decreta Pontificum in hoc delicto non tam punitionem delinquentis Sacerdotis, quàm reuerentiam sacramenti attenderint, ideóque diximus esse decreta fauorabilia, & ampliand, non restringenda. Hoc tamen intelligendum est, quando ex mandato Inquisitorum aliud non constat, ipsi enim ad punitionem delicti commissi, & in aliorum exemplum, & coërcionem imperare possent, vt delicta iam emendata sibi manifestentur: tunc enim scientes obligati essent manifestare, si delictum laboraret infamia, vel aliquo modo publicum esset, alias minimè.

2 Secundò videtur dicendum cessare obligationem denuntiationis, si correctione fraterna integrè emendandus speratur; quia ex iure naturali tenemur reuerentiæ sacramenti prouidere, minori damno proximi, quo fieri possit. sic aliis relatis docet in casu præcedenti Fagundez *de 5. præcepto, 2. part. lib. 4. cap. 31. num. 1.* Rarò tamen existimo hanc emendationem hac correctione secreta sperari posse, ac proinde rarò cessare obligationem.

3 Tertiò excusat Fagundez ab hac denuntiatione facienda, quoties Sacerdos aliquo modo de tali delicto infamatus non est; quia Bulla Clementis VIII. petit Sacerdotem esse infamatum. Inquit enim, *de quomodolibet infamatis.* & quia denuntiatio præcepta sub excommunicatione regulariter non obligat de delictis occultis, & quæ probari non possunt, excepto crimine hæresis, ne denuntiator calumniator reputetur. Cenedo *collect. 201. num. 3.* Henriq. *de excommunicat. lib. 13. cap. 18. n. 3.* Nauarr. *cap. 25. n. 46.* Sotus *de tegendo secreto, n. 31. quæst. 1. concl. 4.* Verùm hæc excusatio mihi non probatur: tum quia rarò fœmina solicitata tenebitur denuntiationem facere, siquidem hoc crimen secretissimè committitur, neque alius à solicitato illud solet cognoscere, neque infamationem contingere, nisi cùm delictum denuntiatum est. Tum quia hæc denuntiatio ad præcauendum delictum, & impediendam irreuerentiam sacramenti ordinatur: in quo casu non est necessarium delictum publicum esse, præcipuè cùm nullus adsit timor, vt denuntiator pro calumniatore habeatur: siquidem non induit personam accusatoris, sed delatoris, & testis, vt latiùs *in tract. de correct. p. vlt.* diximus. Neque obstant verba Clementis, mandat enim denuntiare quemlibet Sacerdotem de hoc crimine quomodolibet infamatum, id est, infamatum apud solicitatam personam: nam aduerbium illud, *quomodolibet*, restringit infamiam, vt non accipiatur in rigorosa sua significatione. Item dici potest hunc quomodolibet infamatum præcipuè esse denuntiandum.

4 Quartò excusat Fagundez ab obligatione denuntiandi Inquisitoribus, si Episcopo denunties. Sentit enim supradict. Doctor Clement. 8. non abstulisse ab ordinariis facultatem de hoc crimine cognoscendi, sed eam simul tradidisse Inquisitoribus. Ergo non arctaris ad tribunal inquisitionis recurrere, sed poteris ad ordinarij tribunal accedere, quo tribunali denuntiationem acceptante cessat tibi obligatio ad inquisitionem recurrendi.

Cæterùm neque hæc excusatio mihi probatur. Existimo namque Clementem VIII. ab ordinariis abstulisse cognitionem huius criminis, & priuatiuè concessisse Inquisitoribus. Tum quia nunquam ordinarij in Hispania de hoc crimine cognoscunt, sed solùm Inquisitores. Consuetudo autem est optima legum interpres. Item constitutio Gregor. X V. de hac materia loquens ideo ab Inquisitoribus Hispaniæ recepta non est; quia æquè ipsis, & ordinariis concedit facultatem procedendi in hoc crimine. Tum denique quia Inquisitores cùm de hoc crimine iudicant, ordinarium vocant, & simul cum illo causam decidunt, sicuti in causis fidei. Ergo signum est neque ordinarium sine Inquisitoribus, neque Inquisitores sine ordinario posse in hac causa in Hispania procedere; ac proinde Inquisitoribus, & non ordinario denuntiatio est facienda, quia formare processum ipsis independenter ab ordinario competit.

5 Quintò excusat Fagundez ab obligatione denuntiationis, si sub secreto naturali scieris solicitationem; quia huiusmodi secretum non vergit in detrimentum proximi, & ex alia parte obligatio illius est de iure naturali, denuntiatio de iure tantùm positiuo, & humano. Ergo fortiùs vinculum iuris naturalis præualere debet minus forti. At neque hæc excusatio mihi placet, quia secretum seruare non debes, quoties cedit eius obseruatio in damnum commune. Sed non denuntiare solicitantem non emendatum vergit in damnum sacramenti Pœnitentiæ, & illuc accedentium, quibus venenum loco medicinæ paratur. Ergo non teneris illud obseruare, vt latiùs diximus *p. 14. de correct.*

PVNCTVM XI.

Quibus pœnis, & qua ratione Inquisitores in hoc crimine procedant.

1 *Quousque reus duobus testibus testificatus sit, non recluditur in carcerem.*

2 *Causa conclusa vocantur consultores Ecclesiastici, vt ex eorum consilio proferatur sententia, & qua forma profertur.*

3 *Si ante testificationem reus se defert, non recluditur, & facta graui reprehensione dimittitur.*

4 *Quid si reus neget, cùm est duobus testibus eius delictum probatum.*

1 QVousque reus duobus, vel tribus testificatus sit, non recluditur in carcerem, quia cùm hi testes singulares sint, & regulariter præsumptio stet pro Sacerdote, requiritur probatio efficacior, quàm in aliis delictis. Quapropter in Hispania non solent particulares Inquisitores sine consilio supremi Senatus aliquem specialiter religiosum in carcerem secretum detrudere. Si autem personæ testificantes non sint satis qualificatæ, propria domus, vel ciuitas assignatur reo pro carcere: interim tamen quo agitatur causa prohibetur delinquens à Missæ celebratione, administratione que sacramentorum, & prædicatione.

2 Causa conclusa vocantur consultores Ecclesiastici tantùm, & ex eorum consilio Inquisitor, & ordinarius profe

proferunt sententiam, illámque reo denuntiant in tribunali secreto. Nam licèt Didac. Cantera *in quæst. de hæreticis, num. 65. fol.* 426. sentiat in publico actu fidei legi debere, & triremibus sic delinquentem esse condemnandum, eius sententia in praxi non est recepta, & meritò, ne plures sumpta inde occasione à receptione sacramentorum abstineant, néve hæretici, qui sic pœnitentiam detestantur, Confessores irrideant. Legitur ergo sententia in secreto tribunali præsentibus duobus cuiusuis ordinis religiosis Confessariis, ibique grauiter reprehensus abiurat de leui, & ab audiendis confessionibus, & prædicatione verbi Dei perpetuò priuatur, si casus grauis sit, hoc est, si plures solicitauit, & solicitationis effectum est consequutus: si autem casus ita grauis non est, aliquibus annis priuatur ab excipiendis virorum confessionibus, & in perpetuum mulierum, & vno, vel duobus annis in aliquod monasterium recluditur; quòd si religiosus sit, præcipitur, vt in choro, & refectorio, aliisque locis communibus vltimam sedem habeat, voce actiua, & passiua interim priuatus. Et aliquoties hæc sententia iterum per secretarium in suo conuentu, præsentibus omnibus religiosis legitur, vt illis in exemplum sit, & delinquenti in confusionem. Quòd si solicitatio ad plures personas se extendit, & cum illis turpitudines graues commisit, ab omnibus religiosis post lectam sententiam flagellatur. Adde me vidisse aliquos ob hoc crimen relegatos, & triremibus addictos, maximè cùm solicitatio virorum fuit. In qua solicitatione, si actus consummatus fuit, in Aragoniæ regno, curiæ sæculari delinquens traditur; quia ibidem ex speciali breui Sedis Apostolicæ Inquisitores de hoc crimine cognoscunt.

3 Si autem delinquens ante duorum testium depositionem se Inquisitoribus detulit, in carcerem secretum non recluditur, sed lite contestata, & causa conclusa, vt dictum est, abiurat de leui; & ab audiendis confessionibus priuatur, neque aliæ pœnæ ei imponuntur. Et hoc procedit, etiamsi plures solicitasset: quòd si semel tantùm solicitauit, & ante vllius testis depositionem se detulit, grauiter reprehenditur, neque vltrà punitur. Et idem fit in casu, quo solicitatæ personæ examinatæ negant solicitationem sibi factam esse.

4 Verùm si reus negat delictum duobus testibus singularibus sibi probatum, Inquisitores inuestigent diligenter qualitatem testium, & animaduertant, an aliquibus indiciis verosimilibus suas depositiones comprobent, & si sic repererint, etiamsi reus neget, dummodo ob inimicitiam testes non repellat, illum damnent, vt abiuret de leui, & ab audiendis confessionibus abstineat. Nunquam tamen torturæ reum subiiciant, quia hoc crimen pœnæ corporali regulariter non subiicitur, ideóque pro eruenda veritate quæstionari non debet.

TRA



TRACTATVS QVINTVS, ET DISPVTATIO VNICA

De virtute spei, & ei annexis, & contrarijs.



AVLVS 1.*Corinth.*13. post virtutem fidei spem enumerat,quia obiectum cognitum, & nobis conueniens speramus. Præmittit spem charitati; tum quia charitate est inferior, tum quia sine charitate esse potest,vt contingit in peccatoribus fidelibus, qui media pœnitentia sperant consequi salutem. At charitas sine fide, & spe in hac vita esse non potest.

PVNCTVM I.

Quid sit spes,quod eius obiectum,& quomodo à fide distinguatur.

1 *Definitur spes.*
2 *Obiectū materiale spei est,quod ipsa virtus obtinere intēdit.*
3 *Arguitur Deum non esse immediatum obiectum spei.*
4 *Deum visum esse immediatum obiectum spei defenditur.*
5 *Satisfit rationi dubitandi num.3. adducta.*
6 *Deus visus quatenus est nobis conueniens, est formale obiectum spei.*
7 *In quo spes à fide, & charitate distinguatur.*
8 *Distinguitur ab his virtutibus distinctione reali.*

1 NOmen spei multipliciter accipitur. Sed omissis variis acceptionibus, de quibus expositores cum Magistr. *in 3.sentent. dist.26.* & cum D.Thom. 2.2. *quæst.17.art.1.& seq.* spes in præsenti accipitur pro habitu, seu virtute theologica, qua bona supernaturalia, præsertim beatitudinem speramus, iuxta illud ad Roman.8. *Quod non videmus,speramus.* & 1.Petri 1. *Regenerauit nos in spem viuam per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis in hæreditatem incorruptibilem*, &c. & clariùs ad Roman.5. *Gloriamur in spe gloriæ,secundùm spem vitæ æternæ,quam promisit qui non mentitur Deus.* Ex quibus locis constat dari quandam virtutem, qua hæc omnia bona, præsertim supernaturalem beatitudinem à Deo consequendam speramus.

2 Hinc fit obiectum materiale huius virtutis,seu materiam eius esse quidquid ipsa virtus obtinere intendit. Hoc autem primò est gloria, seu beatitudo æterna, secundò omnia alia, quæ huius consecutioni deseruiunt. Et quidem quòd primarium eius obiectum sit gloria, probat tum locus Pauli ad Rom.5.*Gloriamur in spe gloriæ secundùm spem vitæ æternæ*; faciens enim mentionem solius gloriæ denotat gloriam ad minus esse speciale, & præcipuum illius obiectum. Tum, quia gloria est vltimus nostræ vitæ finis, quem procurare non possumus, nisi speremus. Sed quia hic finis consequi non potest, nisi auxiliis diuinis, gratia, reliquisque supernaturalibus donis,hæc omnia ad virtutem spei secundariò pertinent; quia ad eandem virtutem, ad quam pertinet procurare finem, pertinent & media ad ipsum finem, cùm intentio finis sit implicita mediorum intentio. Adde hoc expresè videri definitum in Trident. *sess. 6. cap.6.* vbi loquens de modo, quoad iustitiam peccatores disponuntur. Dixit primò, disponi per fidem credentes vera esse, quæ diuinitus reuelata, & promissa sunt: atque illud in primis, à Deo iustificari impium per gratiam eius,&c. Secundò in spem eriguntur fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore. Tertiò illúmque tanquam iustitiæ fontem diligere incipiunt, &c. Ecce qua ratione non solùm beatitudo, sed quæ beatitudini deseruiunt, obiectum sunt virtutis spei. sic omnes Doctores Catholici. Quocirca si beneficia aliqua creata speraremus consequi à Deo sine ordine saltem implicito ad beatitudinem,talis spes,& desiderium ad spem theologicam non pertineret, quia in tantum ad ipsam potest pertinere,quatenus ad beatitudinem consequendam conducere potest, & sub hac ratione speratur.sic notauit Coninch *disp.19. dub.4.n.58.*

Sed quia in beatitudine considerari potest & Deus qui videtur,& visio ipsius,dubium est,quódnam sit horum obiectum spei?

3 Et ratio dubitandi est primò, quia obiectum spei communiter dicitur esse obiectum arduum, absens, & futurum: sed Deus non est quid arduum,absens, & futurum, sed sola eius visio nobis est absens, futura, & difficilis. Ergo sola illa est obiectum immediatum spei, & Deus mediatus, scilicet vt terminus huius visionis. Secundò in beatis gaudium, & fruitio est de visione, non de Deo,& in damnatis tristitia,& desperatio est de carentia visionis, non de carentia Dei, Deo enim non carent. Ergo in præsenti vita spes debet esse non de Deo, sed de eius visione, quia idem quod in hac vita speratur,eodem in patria fruimur. Tertiò referre Deum ad nos ipsos videtur inordinatum,quia ipse est vltimus omnium finis, sed spes refert obiectum quod sperat ad commodum,& vtilitatem sperantis, quia illud amat vt bonum proprium,& hac ratione à charitate distinguitur, cuius obiectum amatur propter bonitatem in ipso existentem. Ergo. Quartò, amor concupiscentiæ, qui est spei proprius, non potest ferri in ea, quæ supposito sunt nobis distincta,quia ea non videntur posse esse bonum nostrum,nisi ratione alicuius effectus nobis inhærentis,sicuti ignis non est nobis bonum,nisi ratione caloris nobis inhærentis.

Cæterùm communis & verissima sententia est præcipuum obiectum spei esse Deum ipsum, simul tamen cum eius visione:ita D.Thom.2.2.*q.17.art.2.& 5.*& ibi Caiet.Suarez *disp.1.de virtute spei,sect.1.n.4.* Valent. 2.2. *disp.2.q.1.p.1.pag.445. verf.nos verò.* Coninch *disp.19.de spe,dub.3.concl.1.n.44.* Ratio præcipua est, quia sperans beatitudinem,non sperat Deum in se,neque illud petit, neque etiam sperat,aut petit visionem eius à Deo separatam,

ratam,sed petit,& sperat vtrumque simul, sicuti auarus non petit,& sperat pecunias existere,sed petit illas possidere. Possidere autem pecunias æquè immediatè includit pecunias,& illarū possessionem. Ergo in vtrumque nostra spes fertur. Deinde si Deus non esset nostræ spei immediatum obiectum,sed solùm terminus immediatus obiecti, non esset spes virtus theologica: hac enim ratione religio à virtute theologica excluditur, quia solùm attingit Deum vt obiectum,cui reuerentia, & honor exhibetur,& honor,& reuerentia est eius immediatum obiectum. At secundùm communem Theologorum sententiam tres sunt theologicæ virtutes, fides, spes, & charitas. Ergo si fides, & charitas Deum immediatè attingunt, etiam & spes illum attingere debet.

5 Neque argumenta in contrarium obstant. Fateor obiectum spei esse absens,arduum,& futurum, quia licèt Deus in se non sit absens,neque difficilis,neque futurus,est tamen Deus visus, sufficit enim quòd ratione visionis sit nobis absens, & difficilis, vt absolutè hoc complexum Deus visus nobis dicatur absens,& difficilis, & futurus; sicuti auaro appetenti pecunias dici possunt esse ab illo absentes, quia illarum possessio absens ab illo est. Adde cùm obiectum spei dicitur absens,arduum,& futurum,non intelligas ferri in has rationes tanquam in formale obiecti constitutiuum;non enim speras, neque desideras absentiam, neque arduitatem, neque futuritionem; imò velles hæc omnia non esse, sed illud obiectum, quod apprehendis arduum, absens, & difficile acquisitu, hoc speras consequi. Ad secundum dico,fruitionem, & gaudium beatorum non esse præcisè, imò nec primariò de visione, sed potiùs de Deo per visionem possesso, ideo enim gaudent se habere visionem, quia per illam possident Deum. Et idem est in damnatis,carent enim Deo, qui sit illorum merces,esto non careant Deo,qui sit eorum delictorum vindex. Ad tertium referre Deum ad nos ipsos, tanquam in finem esse quidem inordinatum, at referre Deum vltimum finem nobis,id est,nostræ vtilitati inordinatum non est; sicuti Deus ipse nobis detulit filium suum,id est,in nostram vtilitatem,& remedium; non tamen detulit nobis, vt nos essemus illius finis. Spes ergo refert Deum nobis, id est, desiderat, & sperat consequi nobis Deum, non tamen desiderat, aut sperat nos, nostrámque vtilitatem esse finem Dei acquisiti, ad hoc enim necessarium erat nostram vtilitatem Deo ipso præferre, quod absit. Ad quartum nego omnia quæ sunt à nobis supposito distincta non posse nobis esse bona,& appetibilia;sunt etenim,vt patet in auaro, & in ebrio,quibus vinum,& pecunia sunt bona appetibilia, & visus, auditus, & gustus appetunt obiecta à se distincta, illáque reputant bonū proprium. Fateor tamen aliquando bonum aliquod non esse per se obiectum appetitus,sed medio effectu producto, vt in exemplo allegato de igne,quem frigidus ad effectum se calefaciendi non appetit immediatè,sed mediatè,secus ad alios effectus,quibus ipsa substantia ignis omnino necessaria est.

6 Ex his constat quod sit obiectum formale spei, affirmo, inquam, esse Deum visum nobis conuenientem. Nam illud est formale obiectum alicuius voluntatis actus, quod mouet ad sui appetitum, & desiderium. At Deus visus mouet nostram voluntatem, vt ipsum appetat,& desideret,quia sibi est bonum conueniens.Ergo hoc est obiectum formale spei.& ita tenent cum D.Thom.ferè omnes eius expositores, Bannes *artic.5.versic.nota secundò* Suarez *disput.1.de spe.sect.2.conclus.3.* Coninch *disput.19. dub.4. num.52.* & alij apud ipsos.

7 Ex obiecto materiali, & formali huius virtutis infertur distinctio,quam habet à fide, & charitate. Nam licèt fides, & charitas Deum respiciant, illúmque habeant pro formali obiecto, sub diuersa tamen ratione, ac spes. Nam fides respicit Deum, vt testificantem verum, charitas ipsum respicit, vt in se summum bonum, summóque amore dignum. Spes attendit ipsum Deum,vt bonum sperantis,sic has virtutes distinguunt supradicti Doctores, Valent. *disput.2. quæst.1. punct.2. in princip.* Suarez *suprà, tota sect. 3.* Coninch *dub.4. in fine.*

8 Quòd si inquiras, an hæc distinctio sit realis, vel tantùm rationis? Respondeo realem esse, neque enim sola rationis distinctio videtur sufficere ad numerum constituendum. Atqui ex sententia Pauli *1.Corinth.13.* fides,spes,& charitas constituunt ternarium numerum virtutum. Ergo sunt inter se realiter distinctæ. Adde, in quolibet peccante mortaliter perit charitas, & non perit fides, neque spes. Ergo distinguuntur adinuicem realiter. sic Suarez *sect.3.fine.*

PVNCTVM II.

Qui sint actus spei.

1 *Duplex est actus prosecutionis,& fugæ.*
2 *Desiderare beatitudinem alicui potest esse actus spei, si illam vt tibi conuenientem desideres, si vt alteri conuenientem,erit actus charitatis.*
3 *Desperare de beatitudine alicuius absque rationabili causa, est peccatum contra charitatem, vel iustitiam, vel fidem, secundùm rationem, quam habes ad desperandum.*
4 *Ex gratia Dei, & ex nostris meritis speranda est beatitudo.*
5 *Bonum temporale sperare potes virtute spei.*
6 *Obseruare iustitiam ex timore gehennæ actus esse potest virtutis spei.*

1 REspondeo in genere duplicem esse actum,alium prosecutionis in bonum sibi conueniens,alium fugæ à malo sibi disconuenienti. Actus prosecutionis vocatur spes, actus fugæ vocatur timor. Ad eandem enim virtutem pertinet amare bonum, & odio habere contrarium,quia sub eadem ratione vterque actus versatur, & inter se sunt ita subordinati, vt vnus alterum necessariò inferat. Ergo ad eandem virtutem pertinet sperare bonum sibi conueniens, & timere malum contrarium; vterque enim actus proprium commodum respicit.sic tradunt ferè omnes Doctores,cum D.Thoma 2.2.q.17. & 19. Difficultas autem solùm versatur in explicando, qui sint ij actus prosecutionis, & fugæ, seu spei,& timoris.

2 Et primò dubitatur circa actus prosecutionis, an tantùm circa nostram beatitudinem, an etiam circa alienam spes versari possit? Quod est inquirere,an sperare, seu desiderare alicui beatitudinem, sit actus spei? Qua in re omissis variis argumentis,quæ inutiliter cōgerunt aliqui Doctores;respondeo cum distinctione, si desideres beatitudinem alterius, quatenus tibi bona est, quia sic accidentaliter saltem tua beatitudo crescit, tale desiderium est actus spei; si verò illam desideres, quia illi bona est, erit actus charitatis. sic docent expressè cū D.Thom.& August. Valent.2.2.*disp.2.q.1.p.1. pag.446.vers.tertia particula.* Vasq *in 3.p.tom.1.disput.43. cap.2.n.6.& 7.* Coninch *disp.19.de spe,dub.5.n.64.in conclus.* Suarez *disput.1. sect.3. num.19.* Ratio prioris partis est, quia si beatitudinem alterius appetis, quia tibi conueniens est, potius bonum tibi, quàm alteri appetis. Ergo ille appetitus ex amore concupiscentiæ, & nō ex charitate,& amicitia procedit,sicuti si tuo mancipio,aut equo salutem appeteres, quia tibi conuenit, non tam bonum illorum, quàm proprium procuras.

Econtra

Econtra verò si beatitudinem alterius optes, quia illi bona est, & conueniens, illius bonum optas, non proprium; ac proinde non ex amore concupiscentiæ, sed beneuolentiæ, & amicitiæ procedit, & consequenter spes esse non potest, sed erit charitas, quæ sit virtus theologica, vel moralis. Nam velle bonum proximo, quia illi bonum est regulariter ex honesta quadam amicitia, non ex charitate, virtute theologica procedit, & notauit Coninch *disp. 19. de spe, dub. 1. num. 13. & dub. 5. n. 67.* Neque obstat dictum D. August. *serm. 11. de verbis Domini*, asserentis de nullius salute esse desperandum, vt inde colligamus ad virtutem theologicam spei pertinere sperare aliorum salutem. loquitur enim D. August. in latiori significatione spei, qua comprehendit bonum quodlibet speratum.

3 Quòd si inquiras cui virtuti contradicas, cùm absque rationabili causa de proximi salute desperas? Respondet optimè Coninch *disp. 19. dub. 5. n. 68.* attendendam esse rationem, ob quam desperas. Nam si desperas, quia credis Deum non illi adfuturum suis auxiliis, & erras contra fidem, cùm ex illa tenearis credere omnibus Deum esse paratum, & insuper offendis diuinam pietatem, & benignitatem, illique iniuriosus es sic malè sentiens. Si autem desperas de proximi salute, quia credis ex sua negligentia, vel malitia omissurum necessaria ad salutem, peccas contra charitatem, vel iustitiam proximi, temerè de illo in re tam graui iudicando absque fundamento, quod esse non potest absque reuelatione, nam etiamsi perditissimus sit, potest conuerti, & salutem consequi. Quòd si ex odio, quo proximum prosequeris, talis desperatio procedit, contra charitatem illi debitam peccabis.

4 Secundò dubitatur, an speranti beatitudinem licitum sit illam sperare ex suis meritis, an solùm ex promissione, & gratia Dei? Respondeo principaliter debere sperare ex gratia Dei, eiúsque promissione, secundariò ex suis meritis, vt à gratia Dei profectis: sic omnes Catholici cum D. Thom. *q. 17. art. 4.* Ratio est manifesta, quia inde speramus beatitudinem, vnde illam consequi possumus; sed ex gratia Dei primò, & secundariò ex nostris operibus, vt gratia Dei profectis consequi possumus æternam salutem; ergo ex vtroque simul illam sperare possumus. Pluribus locis Scripturæ confirmare poteram, breuitatis causa omitto, quia res est clara. videatur Valent. *p. 1. circa finem.* Hinc fit certitudinem nostræ spei fundari in auxiliis diuinis, & nostris operibus ex gratia Dei factis, quia ex his causis beatitudo obtinetur, & Deus illam sic dare promisit. Et quidem de auxilio diuino constat ex illo Trident. *sess. 6. c. 13.* ibi, *Vnumquemque in Dei auxilio firmissimam spem reponere debet.* Quòd autem etiam in operibus diuina gratia fulcitis hæc spes niti debeat, probat Paul. ad Roman. 5. *Gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia verò probationem, probatio spem, spes autem non confunditur.* & 1. Ioan. 3. *Si cor nostrum non reprehenderit, nos fiduciam habemus apud Deum.* & illud 2. ad Timoth. *Bonum certamen certaui, fidem seruaui*, &c. Secundò fit posse nos operari bene intuitu, & spe consequendi æternam beatitudinem; siquidem beatitudo in præmium offertur bene operantibus ex diuina gratia: & docuit Trident. *sess. 6. cap. 11. in fine.* ibi, Cùm hoc, vt in primis glorificetur Deus, mercedem quoque intueantur æternam, & constat ex illo Psalm. *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes in æternum propter retributionem.*

5 Tertiò dubitatur, an ex virtute spei sperare possis mercedem aliquam temporalem bonis operibus consequendam, v. g. salutem temporalem, ieiunio, oratione, & eleemosyna? Suppono licitum tibi esse ieiunium, orationem, & eleemosynam ad hæc consequenda referre, quia licitum tibi est hæc à Deo petere. Ergo etiam licitum tibi est eius voluntatem inflectere his bonis operibus. Item Deus promittit obseruantibus mandata bona temporalia daturum. Ergo licitum tibi est obseruare mandata, vt sic præmissum consequaris. Neque obinde debes dici seruus, & mercenarius, quia non seruis Deo ob illam retributionem temporalem, animo non aliàs illi seruiendi, sed potiùs paratus es saltem habitualiter omnia eius mandata seruare, etsi nullum temporale commodum tibi dedisset. Neque item obstat, quòd rem superioris ordinis ad inferiorem referas, quando res superioris ordinis ex relatione ad inferiorem non omnino perit, vt patet in præsenti, non enim perit oratio, & eleemosyna ob talem relationem, sed apud Deum locum habet, aliàs tibi non liceret docere pueros ob aliquod temporale commodum, sufficit enim si hæc omnia actu, vel habitu ad Deum referantur. Hoc supposito, respondeo, si temporale commodum, quod consequi optas mediis bonis operibus, velis illud obtinere, vt sic faciliùs beatitudinem consequaris, actus erit virtutis spei saltem imperatus; quia ab eodem motiuo procedit. At si ex nulla relatione ad beatitudinem procedit, credo non tam ad virtutem spei theologicam, quàm moralem id pertinere posse. sic Suarez *disput. 1. de spe. sect. 5. fine.*

6 Quartò dubitatur circa mali fugam, an sit actus spei obseruare iustitiam ex præciso timore gehennæ? Et quidem si ita ex timore gehennæ iustitiam obseruares, vt voluntatem haberes iustitiam non obseruandi, si gehenna non esset, clarum est timorem illum esse malum, & peccatum, quia tunc gehennam præfers mandatorum obseruationi, & consequenter Deo, qui debet esse semper noster vltimus finis. In quo sensu dixit D. Thomas 2. 2. *q. 19. art. 4.* seruilitatem semper esse malam. quod clariùs explicuit August. *in lib. de nat. & grat. c. 57.* dum dixit, Sub lege est qui timore supplicij, quod lex minatur, non amore iustitiæ se sentit abstinere ab opere peccati, nondum liber, nec alienus à voluntate peccandi: in ipsa enim voluntate reus est, qua mallet, si fieri posset, non esse quod timeat, vt liberè faciat, quod occultè desiderat. At si ex timore gehennæ mandata diuina obseruas, alioquin obseruanda, etiamsi gehenna non esset, actum virtutis spei efficis. Vt quid enim Deus nos timore pœnarum continere voluit in iustitia, si ex illarum timore moueri non possemus? Quapropter Trident. *sess. 6. can. 8.* contra Lutherum, definit: *Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores peiores facere, anathema sit.*

PVNCTVM III.

In quibus habitus spei, & timoris insit.

1 *In beatis non est propriissimus actus spei, remanet tamen habitus quoad substantiam.*
2 *Idem dicendum est de timore.*
3 *Quis timor sit in beatis.*
4 *Christus Dominus dum fuit in hac vita mortali habuit habitum spei.*
5 *Animæ in purgatorio existentes, habent propriissimum actum spei.*
6 *Damnati actu, & habitu spei carent.*
7 *Viatores iusti habent habitum spei, imò & peccatores, quorum peccatum virtuti spei non sit contrarium.*

De beatis, & de damnatis, & animabus in Purgatorio existentibus potest esse dubitatio.

1 Dico ergo primò, in beatis non esse propriissimum actum spei, remanere tamen habitum quoad substantiã, etsi non quoad denominationem. hanc conclusionem defendit Suarez *tom. 1. in 3. part. quæst. 7. in explicat. art. 4. &*

& disp.1.de fide,sect.8.n.5. Coninch *disp.19.dub.10.n.130.& 131.* Priorem partem huius conclusionis probo, quia propriissimus actus spei est velle,& sperare Dei possessionem. Atqui beati iam possident Deum, & certò sciunt semper possessuros. Ergo defecit in illis obiectum huius proprij actus, atque illum habere non possunt,& in hoc sensu loquitur Paul.1.*Corinth.*13.& Pontifices, cùm dicunt fidem, & spem in patria euacuari, manere tamen charitatem,non enim manet spes secundùm ipsius denominationem, quia non manet secundùm suum proprium actum. Secundam partem, scilicet ibi remanere habitum spei quoad substantiam, sic probo. Nam beati plures actus eliciunt pertinentes ad virtutem spei. Primò gaudent de Deo possesso, quatenus sibi conueniens est, qui actus necessariò procedit ab eadem virtute,à qua procedebat illius amor,& desiderium. Secundò sperant beatitudinem sui corporis, & licèt huiusmodi beatitudinem sciant futuram esse infallibiliter,& sine difficultate acquirendam, quia tamen acquirenda est ex auxilio supernaturali naturæ indebito,ea de causa dici potest ad virtutem spei pertinere. Tertiò sperare possunt,& optare beatitudinem aliorum, non solùm ex amore charitatis, & amicitiæ, sed etiam ex amore concupiscentiæ, quatenus sibi conueniens est, eo quòd ex aliorum consortio crescit saltem accidentaliter eorum beatitudo.

2 Quòd si de timore orto ex virtute spei loquamur, idem dicendum est, quod dixi de actu spei non esse in beatis secundùm proprium actum, quia beati cognoscunt sibi esse impossibilem priuationem Dei,æternámque damnationem, non igitur illam timere possunt. Timor enim propriè est alicuius mali possibilis imminentis. Eadem ratione videtur excludendus timor filialis,qui propriè est culpæ,quatenus est offensa Dei,& etiam pœnæ per illam incursæ, prout separat à diuina possessione,& eius honore, quia æquè beatis pœna, & culpa est impossibilis, illiúsque impossibilitatem cognoscunt,non igitur illa timere possunt. Adde securitatem timori contrariari: sed beati omnino sunt securi à culpa, & pœna, suscepta pœna, & culpa, secundùm quamcumque rationem. Ergo non possunt secundùm aliquam rationem illa timere. Denique qui timet aliquod malum anxius est, ne illi eueniat:at beati nullam anxietatem patiuntur, quia sunt omnino securi tum à pœna, tum à culpa. Neque item indigent aliqua constantia,aut fortitudine ad vitandum malum. Ergo non timent.

3 Dices timorem Domini sanctum permanere in sæculum sæculi,vt testatur Dauid *Psalm.*18. & de Christo dixit Esaias repleuisse eum Dominum spiritu sui timoris,& Angeli, vt canit Ecclesia, tremunt, & contremiscunt. Ergo aliquis timor saltem filialis affirmandus est beatis residere.

Respondeo supradicta conuincere in beatis aliquem timorem esse statuendum,non strictum, & qualem Philosophi agnouerunt, ob illius beatissimi status securitatem; sed qualem Catholici agnoscunt possibilem cum perfectione illius. Primò ergo concedendus est beatis timor reuerentialis ortus ex cognitione diuinæ excellentiæ,& propriæ vilitatis, cùm enim beati perfectissimè Deum,& se ipsos cognoscant,videántque se nimis improportionatos diuinæ familiaritati; efficitur sanè ei trementes assistere, non tamen anxios, & perturbatos, sed cum summa pace,& securitate. Hæc igitur reuerentia simul cum humilitate dici communiter solet timor; non quia sit timor alicuius mali, sed quia est reuerentia admiratione plena,in quo sensu credo dixisse Petrum Christo Luc.5. *Exi à me Domine,quia peccator sum, stupor enim circumdederat eum*; non ob aliquod malum, quod timeret sibi fieri posse, sed ob vehementem cognitionem diuinæ excellentiæ,& propriæ iniquitatis,& sic intelligendus est Psalm.cùm dixit, timorem Domini permanere in sæculum sæculi, & Ecclesia affirmans Angelos in conspectu diuinæ maiestatis tremere, & contremiscere. At hic timor, qui nihil aliud est, quàm summa religio humilitate coniuncta, non procedit ab habitu spei,sed ab habitu religionis,& humilitatis. Secundò concedendus est filialis timor, quo culpam, vt summum malum, & diuinæ bonitati contrarium fugiant. Neque obstat cognoscere se esse à tam graui malo omnino securos, quia sufficit,quòd attenta præcisè eorum natura illis possibilis sit:hæc enim possibilitas remota sufficiens videtur causa eius fugam in voluntate beati,& experientia compertum. Et nos tremere,& pauere viso leone,aut alia fera ligata,à qua tamen scimus certò esse securos, quia sufficit apprehendere illud malum nostræ naturæ possibile esse. Fateor exemplum non esse adæquatum, tum quia timendo feram anxiamur, & angustiamur, quod tamen in beatis non contingit,tum quia malum,quod à fera nobis prouenire potest, absolutè est possibile, vel quia possibile est à ligatura dissolui,vel me illi coniungi. At beati cognoscunt culpam, & priuationem Dei illis esse impossibilem: propter quæ credo absoluto actu timoris refugere non posse,bene tamen per quemdam simplicem actum,& quasi conditionatum. Et in hoc sensu non reputo inconueniens,quòd refugiant pœnam damni, & sensus, cùm etiam apprehendere possint, suæ naturæ præcisè spectatæ possibilem esse. Esto Valent.*disp.2.q.2.p.5.* & Coninch *disp.20.de timore, dub.9.n.63.* censeant illius non habere timorem, etiam secundùm hanc imperfectam rationem,quia sunt Deo intimè vniti, & de sua incolumitate parum, de diuino honore multum soliciti.

4 Ex his constat primò,in Christo Domino, cùm in hac vita extitit spem fuisse quoad habitum, secundùm substantiam, siquidem gauisus fuit de visione beata, tum ob gloriam Patris, tum quia illi erat bonum proprium. Et insuper spem habuit consequendi gloriam sui corporis,exaltationémque sui nominis,quibus perfectius Deo vniretur. Neque obstat cognouisse Christum illa omnia esse certò consecuturum, nec timuisse amittere, eo quòd virtute, suppositóque diuino erat roboratus; quia ad rationem spei non videtur necessaria contingentia, sed solùm possibilitas cum difficultate.Fuit autem Christo Domino gloria sui corporis,exaltatióque nominis possibilis consequi cum graui difficultate, & arduitate; siquidem summis doloribus, & morte acerbissima illa consequi debuit,iuxta illud Lucæ vlt. *Oportebat Christum pati, & ita intrare in gloriam suam.* Ergo licèt in aliis beatis non esset agnoscendus habitus spei secundùm suam denominationem, quia neque sperant gloriam animæ,cùm iam habeant,neque gloriam corporis, vt rem arduam, & difficilem, cùm absque vllo labore eam debent consequi; in Christo agnoscendus est habitus spei quoad gloriam sui corporis,propriíq; nominis exaltationẽ. sic docuit D.Thom. 3.*p.q.*7.*art.*4.& ibidem Suarez *in comm.* Vasquez *disp.*45. *cap.*2. Coninch *de spe,disp.*19.*dub.*11.*concl.*1. 2. & 3. De actu timoris idem quod dictum est de aliis beatis, dicendum est de Christo Domino: neque video aliquid vltra notatu dignum.

5 Secundò constat quid dicendum sit de animabus in Purgatorio existentibus, an, inquam, iis non solùm habitus,sed verus actus spei insit? Aliquibus videtur ab illis huiusmodi actum esse remouendum. nam licèt beatitudo illis sit possibilis, & absens, quia tamen sunt de illius consecutione omnino certæ, non videntur illius propriè habere spem, cuius obiectum debet esse aliquo modo speranti contingens. sic Lorca 2. 2. *sect.*2. *disp.*9.*n.*7.& 8. Cæterùm verius est propriissimum actũ spei habere, quia illis beatitudo est possibilis, absens,

&

& acquisitu difficilis, siquidem pati debent tot grauissima tormenta pro illius consecutione. Quòd autem certò sciant se consecuturas, hoc in causa esse non potest, quominus illam sperare possint; certitudo enim non tollit spem, sed tollit anxietatem, & turbationem; aliàs careret spe consequendi beatitudinem, cui esset reuelata eius futura consecutio. Et ita in animabus Purgatorij esse verã spem beatitudinis, docuit D.Thom. communiter receptus 2.2.*q.*18.*art.*3.*in fin.corp.* & tradit Coninch *disp.*19. *dub.*11.*n.*146. Suarez *disp.*1.*de spe, sect.* 8. *n.*4. De actu timoris idem proportionaliter dicendum est, quod de beatis diximus, cùm ipsæ animæ sint omnino ex diuina reuelatione certæ, neque culpam, neque damnationem incursuras.

6 Rursus de damnatis dicendum est carere non solùm actu proprio spei, sed etiam ipsius habitu secundùm substantiam. tum quia ij sciunt beatitudinem sibi esse impossibilem. Nequeunt ergo illam efficaciter desiderare, aut sperare, aut de illa gaudere. Inefficaciter autem bene possunt desiderare esse beatos, sed ob hoc inefficax, & imperfectum desiderium non est illis concedendus habitus spei, præcipuè cùm ipsi sint indigni quolibet supernaturali dono. sic Valent. 2. 2. *disp.*2. *q.*1. *p.*3. Coninch *disp.* 19. *dub.*12. *concl.*3. *n.*150.

7 Tandem de viatoribus dicendum est, si iusti sint, de fide est, esse in illis habitum proprium spei, & timoris, quia ij, vt dixit Trident. ad iustificationem disponuntur. si autem sint peccatores, non obinde spem amittunt; colligitur apertè ex Trident. *sess.*6. *cap.*7. docente per fidem, & spem nos non esse Christo perfectè vnitos, nisi accesserit charitas. Supponit ergo posse nos imperfectè vniri, atque adeò fidem, & spem habere posse sine charitate. Clariùs *sess.*14. *cap.*4. loquens de attritione cum spe veniæ, dixit esse donum Spiritus sancti nondum inhabitantis. Separatur fides, & spes à charitate, & ita tradunt omnes Catholici. Verùm si peccatũ sit infidelitatis, spes omnino deperditur: nam sublata fide omnia supernaturalia dona virtutis pereunt, quia illorum est fundamentum, & radix, vt dixit Trident. *sess.* 6. *cap.* 8. Item si peccatum sit desperationis, spes amittitur, quia illi specialiter est contrarium: sic supponunt omnes, vt videre est in Suarez *disp.*1.*de spe, sect.*8. *in princ.* Coninch. *disp.*19. *dub.*12.

PVNCTVM IV.

An sit, & quando obliget præceptum spei.

1 *Præceptum spei negatiuum semper obligat, affirmatiuum aliquando.*
2 *Obligat quoties necessarium est ad orationem, pœnitentiam, vel tentationem vincendam.*
3 *De directa obligatione proponuntur variæ sententiæ, sed refelluntur.*
4 *Concluditur nullum esse tempus determinatum, sed prudentis arbitrio mensurandum esse.*
5 *De timore tam filiali, quàm seruili est præceptum.*
6 *Sed non videtur esse præceptum de exercendis his actibus formaliter.*
7 *Raò homines nisi perditissimi executionem huius præcepti omittunt.*

1 PRæceptum spei & potest esse affirmatiuum, & negatiuum. Negatiuum semper obligat, quia semper obligamur non desperare de diuina misericordia, & consecutione æternæ vitæ. Præceptum spei affirmatiuum non est constans apud Doctores quo tempore obliget, etsi apud omnes cum D.Thom. 2.2.*q.*22.*a.*1. sit receptum aliquando obligare, ex illo Psalm.4. *Sperate in Domino*, & ad Titum 2. *Expectantes beatam spem*, & ad Roman.15. *Vt per patientiam, & consolationem scripturarum spem habeamus.* Non enim sine spe beatitudinis, beatitudo obtineri potest, est enim anchora firmissima nostræ vitæ spiritualis. Et quidem si de tempore huius obligationis loquamur,

2 Primò certum est obligare præceptum spei, quoties sine illo debita oratio, pœnitentia, & tentationis victoria obtineri non potest, quia præceptum obligans ad aliquem finem, obligat simul ad ponenda media necessaria ad illum finem. At hæc obligatio non tam est ex præcepto spei, quàm ex præcepto pœnitentiæ, orationis, & tentationis vincendæ; ac proinde eius omissio non est specialiter contra spem, sed contra pœnitentiam, vel orationem, & ita non est in confessione manifestanda. sic Bannes 2.2.*q.*22.*art.*1.*dub.*2. Sanchez *lib.*2. *in Decalog.cap.*33.*n.*3.*in medio, & fine.* Suarez *disput.*2.*de spe, sect.*1.*n.*2.*&* 3.

3 De directa autem obligatione spei plures censent adesse, cùm primùm rationis vsum assequeris, quia eo tempore teneris te ad Deum conuertere, quod fieri non potest, quin in ipsum speres. sic Bannes 2. 2. *q.* 22. *art.*1.*dub.*2. Aragon *ibi.* Petr. de Ledesm. 2.*tom. sum.tr.*2. *cap.*4.*concl.*3. Cæterùm hoc dictum non satisfacit, tum quia hæc non est obligatio directa, sed conuersionis, quæ si fieri posset sine spe, nullum de spe esset præceptum. Tum quia conuersio perfecta videtur fieri posse sine speciali actu spei, eo ipso, quòd Deum cognoscas vt summum bonum, illúmque ames super omnia. quod enim impedire potest, quominus fidem amor subsequatur, nullo actu spei formaliter, & distincto; sufficit enim regulariter actum spei mediare, vt dicamus spem inter fidem, & charitatem medium locum tenere. Adde pro illo instanti vsu rationis non adesse hoc conuersionis præceptum, secundùm probabilem sententiam, sed necessarium est, vt tempus aliquod arbitrio prudentis decurrat. Ergo non adest directa spei obligatio: & ita tenet Valent. 2.2.*disp.*2. *q.*4. *p.*1. Sanchez *lib.*2. *Decalog. cap.*33.*n.*3. Alij secundò dicunt te obligatum esse actum spei elicere, quoties graui tentatione desperationis vexaris, nisi animum actu spei contrario firmes, quia eodem præcepto, quo teneris non desperare, teneris & sperare, quando sperare, medium est necessarium ne desperes. sic docent Bannes 2.2.*q.*22. *art.*1. *dub.*2. Valent. *p.*1. Sanchez *n.*3. Bonacina *disp.*3.*q.*3.*p.*2.*n.*2. Fateor hoc verissimum esse, sed rogo, quando actus spei reputari posset medium necessarium ad vincendam desperationis tentationem? Quis enim hoc inuestigare poterit? cùm sint plurima alia media à Deo instituta ad quamlibet grauem desperationis tentationem vincendam, tum oratio, tum consideratio, tum fides, tum amor, tum denique imaginationis diuersio. Non ergo hoc tempus obligationis est cognitu facile. Tertiò alij dicunt te obligatum esse spem habere, quoties obligaris, vel vis aliquid à Deo petere; quia sine spe consequendi petitum, non videris posse debitè petere. sic Coninch *disp.*19. *dub.*9. *n.*117. Sed neque hoc dictum satisfacit. Primò, quia tunc non est obligatio directa spei, sed indirecta, quatenus est medium necessarium ad orationem. Quod inde constat, quia si orationem debitam omittas, non peccas contra virtutem spei, sed contra religionem, cuius actum exercere tenebaris. Secundò, quia stare optimè potest te obligatum esse ad orationem aliquam faciendam, non tamen esse obligatum, neque indirectè ad habendum formalem actum spei, sufficit, si illum habeas implicitum, & virtualem, vt dixit Suarez *disp.*2.*de spe, sect.*1.*num.*2. Qui enim petit à Deo beneficium aliquod, non tenetur illud petere ex amore sui, & ex relatione ad beatitudinem sibi conuenientem, potest enim illud petere, & sperare consequi ex amore amicitiæ, vel alio honesto fine. Non ergo obligatur elicere formalem actum spei.

4 Restat ergo, vt dicamus nullum esse tempus determina-

minatum, in quo huiuſmodi præceptum obliget, ſed prudentis arbitrio menſurandum eſſe, nec permittendum longo tempore differri. ſic Suarez *diſp.* 2. *de ſpe, ſect.* 1. *num.* 3.

Regulariter huic præcepto poſitiuo omnes ſatisfaciunt. Primò ſatisfaciunt,cùm de peccatis dolent,quia vix, aut nunquam omittunt actum formalem ſpei, quo eriguntur, vt dixit Concil. *ſeſſ.* 6. *cap.* 6. ad peccata deteſtanda,nouámque vitam inchoandam. Secundò huic obligationi faciunt ſatis,cùm propoſitum habent nunquam peccandi mortaliter: hoc enim propoſitum etſi aliquoties ex Dei amore perfecto procedat,ſæpè illum gignunt ex amore imperfecto. conſiderant enim æternam retributionem,quam peccatis amittũt, & ex illius conſideratione in ſpem vitæ æternæ, vt ſibi cõuenientis, eriguntur, & peccata deteſtantur. Neque enim in hac vita tot difficultatibus plena ſine ſpe aliqua retributionis ſæpè repetita conſeruari homines poſſunt in diuina gratia,aut longo tempore peccata vitare. Vide Coninch *diſp.* 19. *dub.* 9. *num.* 114.

5 Rurſus de actu timoris inquiri poteſt, an ſit præceptum, & quando obliget? Eſſe quidem præceptum videtur ſatis colligi ex illo Sapientię 1. verſ. 27. & 28. *Qui ſine timore eſt,non poterit iuſtificari.* Cùm autem iuſtificatio neceſſaria ſit ad ſalutem, efficitur ſanè & timorem, ſine quo ipſa eſſe non poteſt,neceſſarium eſſe: & tradit D.Thom. 2.2. *q.* 22. *art.* 2. Sanch. *lib...cap.* 33. *num.* 4. Suar. *diſp.* 2. *de ſpe.ſect.* 1. *num.* 4.

Sed quia eſt duplex timor honeſtus, alius filialis, alius terribilis,de vtroque affirmandum eſt eſſe præceptum. Filialis timor Dei, quo ex amore Dei times, & fugis eius offenſam, ſicut legitimus filius patrem timet offendere,quia illum amore complectitur. Seruilis autem timor honeſtus eſt, quo times more ſeruorum offendere Deum ob pœnam, quam inde incurris, in quo affectu potius tuæ incolumitati, quàm diuino honori conſulis. De vtroque ergo timore aſſerunt D. Thom. Sanch. & Suar. *ſuprà,* eſſe præceptum. Nam de timore filiali videtur traditum Deuteron. 10. *Quid Dominus Deus tuus petit à te, niſi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in vijs eius, & diligas eum?* de ſeruili timore Matth. 10. & Luc. 12. illis verbis, *eum timete, qui poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennam,* & colligitur ex Trident. *ſeſſ.* 6. *cap.* 6. definiente ad iuſtificationem impij hunc timorem gehennæ concurrere.

6 Cæterùm cùm neceſſarium non ſit ad iuſtificationem impij aliquem ex his timoribus expreſſè, & formaliter concurrere, ſed ſufficit, ſi virtualiter inſit, vt notauit Valent. *diſp.* 2. *de ſpe, q.* 4. *p.* 2. efficitur ſanè nullum adeſſe præceptum expreſſum exercendi hos timores formaliter. Sed tunc ſatis exercentur, cùm opera aliàs præcepta executioni mandantur. ſic Valent. *ſuprà,* & Sanch. *lib.* 2. *cap.* 33. *num.* 4. Dices, ſæpè graui tentatione vexaris,eámque vincis,timens ne Deum offendas, néve pœnam inferni incurras; alioquin non victurus. Ergo huiuſmodi timor obligat in præſenti caſu. Reſpondeo obligare non ex præcepto ſpeciali ſpei, & timoris, ſed ex præcepto illius virtutis, aduersùs quam tentaris. Quod manifeſtè probatur ex eo, quòd ſi tentationi conſentias, non aduersùs virtutem ſpei peccas, ſed ſolùm aduersùs illam virtutem, cuius erat tentatio, eámque ſolam culpam teneris in confeſſione manifeſtare;quia ille defectus timoris ſolùm eſt conditio quædam generalis continens animum à peccatis, ſicut diuinorum beneficiorum conſideratio, ac proinde ſicut defectus huius conſiderationis non conſtituit ſpecialem culpam, neque etiam defectus timoris illam conſtituere poteſt.

7 Addo denique etſi de timore tam filiali, quàm ſeruili ſpeciale præceptum, & formale daretur, crederem raiò homines, niſi perditiſſimi ſint, illius executionem omittere. Nam cùm hæc obligatio non pro ſingulis menſibus,neque annis deberet conſtitui,ſed aliquoties tantùm in vita prudentium arbitrio,raiò omitti poteſt. Quis enim eſt, niſi deprauatiſſimus ſit, & Dei ſummè oblitus, qui aliquoties in vita non omittat Dei offenſam,tum ob Dei bonitatem, & amorem, tum ob pœnas inferni vitandas,quique non doleat de peccatis his motiuis excitatus? Ergo non ſunt in huius præcepti executione ſcrupuli iniiciendi.

PVNCTVM V.

De deſperatione ſpei virtuti contraria.

1 *Definitur deſperatio.*
2 *Neque in actu iudicij, quo iudicas te non eſſe ſaluandum, neque in nolitione beatitudinis conſiſtit deſperatio.*
3 *In quo deſperatio formaliter conſiſtat.*
4 *Præſupponit iudicium vel de difficultate, vel de impoſſibilitate beatitudinis.*
5 *Deſperatio ſemper eſt mortale peccatum.*
6 *Quid dicendum de illo, cui Deus ſuam damnationem reuelaret.*
7 *Negatur poſſibilitas caſus.*
8 *Ab alijs Doctoribus admittitur ſaltem de potentia Dei.*
9 *Illo caſu admiſſo expenditur aliquorum placitum de deſperatione.*
10 *Quid dicendum ſit explicatur.*

1 Definitio deſperationis deſumi debet ex contrarietate quam habet cum ſpe. Quare cùm ſpem dixerimus conſiſtere in voluntate efficaci obtinendi beatitudinem, illámque procurandi, deſperatio conſiſtit in voluntate efficaci nolendi beatitudinis proſecutionem:ſic enim deſperatio ſpei erit directè contraria.

2 Vt autem hoc pleniùs intelligatur, aduertendum eſt aliquos affirmare deſperationem conſiſtere aut in nolitione beatitudinis,ſicuti ſpes conſiſtit in illius volitione; aut deſperationem conſiſtere in actu intellectus,quo iudicas te non eſſe ſaluandum,ſicuti ſpes ſupponit actum fidei, quo credis ſaluari poſſe. ſic Almain. *tract.* 1. *moral. cap.* 1. Cæterùm hic modus explicandi deſperationem communiter à Doctoribus reiicitur. Primò enim conſiſtere non poteſt in nolitione beatitudinis. Tum quia nullus eſt,qui beatitudinem poſſit nolle, cùm in beatitudine nulla ratio mali apprehendatur, qua eſt fugæ obiectum, vt benè dixit Vaſq. 1.2. *diſp.* 39. *num.* 7. Tum quia deſperatio eſt ſolùm illius rei, quam aliquis vult, & appetit ſequi. Ergo ſi de facto non vis beatitudinem, quia tibi ex aliqua ignorantia non placet, illam non deſperas, ſed tanquam malam reſpuis. Secundò in actu intellectus, quo iudicas te non eſſe ſaluandum,conſiſtere deſperatio nequaquã poteſt;quia deſperatio eſt contraria ſpei, & cùm ſpes ſit in voluntate, deſperatio in eadem potentia reſidere debet. Deinde vel iudicas te non eſſe ſaluandum, quantumcunque cum diuina gratia adiutus facias quòd poſſis, vel iudicas non eſſe ſaluandum, quia determinas media neceſſaria ad ſalutem non apponere.Primum iudicium eſt hæreticum, ac proinde in illo deſperatio conſiſtere non poteſt, aliàs deſperatio cum hæreſi confunderetur contra receptam ſentẽtiam diſtinguentem deſperationem ab hæreſi, & affirmantem manere poſſe fidem in homine abſque ſpe propter peccatum deſperationis. Secundum iudicium etſi hæreticum non ſit, non conſtituit deſperationem, ſed ad ſummũ deſperationi ſupponitur: nam poſito illo iudicio adhuc non cogeris deſperare,quia ab illo iudicio non neceſſitaris, ſed potiùs poteris dicere,faciam quantum potuero, vt ſaluer. Ergo in illo iudicio deſperatio conſiſtere non poteſt. Regulariter autem ex illo iudicio ſequitur deſperatio,

vt

vt bene dixit Suarez *disp. 2. de spe, sect. 2. num. 2.* Sanchez *lib. 2. cap. 33. n. 6.* Adde nullum ex his iudiciis ad desperationem necessariò requiri, sed aliud iudicium efformatum de difficultate beatitudinis consequendæ sufficit ad illius desperationem, vt iam dicam.

3 Dicendum ergo est desperationem consistere in duplici actu voluntatis, vel in vno actu cum duplici respectu. Primò consistit in quadam voluntate efficaci, & positiua omittendi pro tota vita media necessaria ad salutem, quia tibi difficilia apparent, & tuis appetitibus sunt contraria. Secundò consistit in ipsiusmet beatitudinis fuga, & recessu, quatenus enim ille actus beatitudinem respicit, dicitur propriè desperatio, quia beatitudinem desperat qui non vult illam prosequi, quatenus verò respicit mediorum executionem, quæ ad beatitudinem requiruntur, dicitur nolitio, quia absolutè non vult media beatitudini necessaria exequi. sic Coninch *disput. 10. dub. 10. à n. 74.*

4 Hinc infertur ad desperationem sufficere iudicium, quo iudices beatitudinis consecutionem tibi esse arduam, & difficilem, cùm ex hoc iudicio moueri possis ad nolendum illam procurare, & consequenter ad desperandam illius consecutionem. sic Coninch *n. 81.* Debes tamen, vt bene notat ipse Coninch *n. 82.* carere iudicio te beatitudinem esse consecuturum. Nam hoc iudicio stante desperare nequaquam posses, sed potiùs sperare tibi necessarium erit, si aliquem actum eliciturus eras. Aliquando desperatio oritur ex iudicio falso, & erroneo, quo iudicas tuam salutem impossibilem; si ex hoc iudicio nascatur, supponit hæresim; si ex aliis iudiciis ortum habeat, supponit te nimis peccato deditum, iuxta illud ad Ephes. 4. *Desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in auaritiam,* & illud Ierem. 18. *Desperauimus, post cogitationes nostras ibimus.*

5 Sed inquires, an desperatio semper sit mortale peccatum? Affirmatiuè omnes respondent, vt testatur Sanchez *lib. 2. cap. 33. n. 3.* Suarez *disput. 2. sect. 2. num. 4.* Valent. *disput. 2. quæst. 3. punct. 1. circa finem.* Et ratio est manifesta, quia non potest inueniri grauitas materiæ in voluntate deficiendi integrè à [illegible]cutione æternæ vitæ.

6 Sed aduersùs hanc resolutionem obstat vulgaris casus de eo, cui Deus fore condemnandum reuelaret, quia hic non videtur peccaturus in desperatione, siquidem iam illam sperare non potest, vtpote certò sciens non consecuturus: nam, vt dixit D. August. *in enchirid. cap. 8.* Quid sperari potest, quod non creditur? Quasi diceret, si non credis consecuturum beatitudinem, quomodo illam sperare potes? Ergo non peccas in illius desperatione, cùm desperatio nihil aliud sit, quàm voluntas non prosequendi, seu conandi ad beatitudinem.

7 Facilis erat huius argumenti solutio, si casum esse possibilem negaremus, vt negat Bonauent. *1. dist. vlt. circa litteram.* & ibi Gregor. *q. vlt. paulò ante fin.* D. Thom. *ibid. art. 4. ad 2.* vocat casum quasi impossibilem Dionys. Richel. *dialog. de iudic. animæ. art. 5.* Altisiodor. *lib. 3. tract. 5. cap. 6. q. 5. paulò ante fin.* Et mouentur, quia talis reuelatio diuinæ bonitati, & sapientiæ repugnat. Tum quia constituit hominem in occasione vehementi desperandi de diuina misericordia, & committendi plurima peccata, tum quia impedit serium, & fortem conatum in beatitudinem, quem habere non potest, si sciat beatitudinem non esse consequuturum.

8 At plures Doctores hunc casum esse possibilem admittunt saltem de potentia Dei, sic relato D. Thom. Maior. & Gabr. docent Suarez *disput. 2. de spe, sect. 2. n. 6.* Coninch *disput. 10. dub. 12. n. 91.* Vasquez *1. 2. disput. 72. n. 15.* Bonacina *disp. 3. q. 3. p. 2. n. 4.* Lorca *2. 2. q. 22. art. 1. sect. 2. disp. 18.* & alij. Et mouentur, quia in hoc nulla videtur implicatio, nec repugnantia: nam licèt ille homo ex tali reuelatione constituatur in grauissima, & vehementi occasione peccata multiplicandi, & de diuina misericordia desperandi, Deo illa peccata non sunt tribuenda, quia ipse Deus obligatus non erat illa impedire, aut à tali reuelatione, & occasione cessare, cùm grauissima causa motus, scilicet ostensione diuinæ iustitiæ id effecerit. Quoties ergo peccata ex alicuius actione per accidens sequuntur, & præter ipsius intentionem, ipsi non tribuuntur, si obligatus non fuit ab actione cessare. Item ex illa reuelatione nequaquam impeditur habere firmum conatum in beatitudinem, quantum est ex parte sua, licèt attenta humana fragilitate sit difficillimum. Ergo ex nullo capite implicat talis reuelatio, præcipuè si fiat homini peccatori in vindictam peccati commissi, & ad terrorem aliis incutiendum.

Dixi, reuelationem posse fieri præcipuè homini peccatori in vindictam peccati commissi. Nam iusto vix credo posse talem reuelationem fieri, quia nulla videtur adesse honesta causa, qua Deus moueatur illam ponere in amico suo. Nam præcipua, & potissima causa, quæ excogitari potest, est peccati proprij vindicta, quæ in homine iusto non habeat locum. sic Coninch *disput. 10. dub. 12. n. 93.* Et confirmo. Quæ enim implicatio esse potest, quod Antichristo reueletur sua impœnitentia finalis, & æterna damnatio, siquidem illa impœnitentia non ex reuelatione, sed ex malitia illius prouenire debet, eodem modo, ac si nulla esset facta reuelatio, quia reuelatio, sicuti & scientia Dei, non immutat causarum operationem, sed potiùs illam obiectiuè supponit.

9 Posito ergo Deum alicui suam damnationem absolutam reuelasse, (quod rarò, vel nunquam præsumendum est fieri) argumento respondet Coninch *disput. 10. dub. 13. concl. 2. n. 109.* Bonacina *disp. 3. q. 3. p. 2. n. 4.* concedendo totum, & affirmando desperationem tunc non esse peccatum, si procedat ex iudicio, quo credis illam non esse ex tua infirmitate consecuturũ, non ex iudicio quo credas misericordiam Dei tibi paratam non esse. Quod probant, quia sciens absolutè tuam condemnationem, sperare non potes aliter esse futurum. Ergo licitè potes velle illam non sperare. Ergo licitè desperas, quia voluntas non sperandi, est desperatio formaliter. Hæc autem desperatio non est intrinsecè mala, sed illa solùm est mala, quæ esset de Deo, eiúsque misericordia. Dices. Ergo inde infertur me non teneri, imò nec posse ad beatitudinem conari, quia serius conatus ad beatitudinem esse non potest, cum iudicio certo de illius non consecutione. Item infertur me non peccaturum consentientem tentationi, quia hanc vincere non possum sine serio conatu ad beatitudinem, quam tamen habere non debeo? Coninch *disp. 20. toto dub. 12. 13. & 14.* sequelam admittit, motus ea præcipuè ratione, quia ad serium conatum ad beatitudinem requiritur necessariò iudicare probabiliter saltem esse tibi possibilem beatitudinem consequi: at qui certò scit non esse illam consequuturum, non potest iudicare probabiliter esse sibi possibile illam consequi. Ergo non potest ad illam efficaciter moueri. Secundam consequentiam latè disputat Coninch *dub. 14.* & ob illam affirmat nemini posse reuelari à Deo proprium, & speciale peccatum in aliquo determinato tempore faciendum, ob quod sit condemnandus, quia ex tali reuelatione tolleretur serius conatus, qui necessarius est ad vitandum illud; ac proinde impediretur moraliter potentia illud vitandi, & consequenter cessaret ratio peccati. Quòd si obiicias, ex præscientia Dei de tuo peccato futuro non impeditur tua libertas ad illud vitandum. Ergo neque etiam ex illa præscientia tibi manifestata, cùm semper obiectum supponat, & modum operandi non immutet? Respon

Respondet Coninch *dub.14.num.137.* negando consequentiam, & rationem differentiæ assignat, quia præscientia Dei nihil in te causat: at reuelatio causat iudicium, quo iudicas tibi peccatum esse vitatu impossibile, & consequenter tollit vires, & conatum ad illud vitandum.

10 Cæterùm aliter respondendum censeo. Affirmo namque cum iudicio certo de damnatione posse quantum est ex parte tua serium conatum habere pro illius consecutione; quia illa damnatio non euenit ex aliqua causa, quæ tibi necessitatem inferat, sed euenit ex tua libera voluntate te ad peccatum determinante. Ergo antecedenter ad illius determinationem conari potes, vt te non determines; quid enim impedit? Non iudicium, quo iudicas te nõ euitaturum, quia hoc iudicium supponit tuam liberam determinationem, cum omnibus causis, quæ ad illam concurrunt, & cum omnes hæ vim, & necessitatem voluntati non inferant, iudicas te liberè esse determinandum. Ergo cum hoc iudicio stare potest aliud iudicium, quo iudicares te posse non determinari, atque adeò possibile esse tibi non condemnari. Ergo serium conatum habere potes pro vitando peccato, & condemnatione. Dices ad aliquem finem consequendum te non posse eligere medium quod hîc, & nunc inutile reputas ad illius consecutionem. Ergo non poteris seriò, & constanter eligere medium ad vitandum peccatum, & condemnationem, quod attentis his circunstantiis inutile reputas. Respondeo, quando inutilitas medij, aliunde, quàm ex tua voluntate prouenit, fateor te seriò, & efficaciter conari non posse ad finis consecutionem pro illo medio. At si medium esse inutile non aliunde quàm ex tua voluntate prouenit, optimè poteris conari finis consecutionem medio illo, cùm hoc obiectum non excedat tuam voluntatem, & potentiam.

PVNCTVM VI.

De præsumptione, quæ virtuti spei contraria est.

1 *Quotupliciter præsumptio sumitur.*
2 *Graue est peccatum.*
3 *Præsumptio contraria spei quibus modis committatur.*
4 *Qua præsumptione amittatur spes.*

1 PRæsumptio multipliciter sumitur. Primò pro spe, & fiducia consequendi à Deo auxilium opportunum, iuxta illud Iudith 6. *Non derelinquis præsumentes de te.* & cap.9. *Exaudi me miseram deprecantem, & de tua venia præsumentem.* Secundò sumitur præsumptio pro iudicio ex coniecturis formato, quod pro qualitate coniecturarum aliquando est certum, aliquando probabile. Hinc orta est communis Iurisperitorum distinctio præsumptionis in violentam, vehementem, & leuem, de qua in vlt. disput. præcedentis tract. latè diximus. Tertiò sumitur præsumptio pro vitio opposito humilitati, & magnanimitati, de quo D.Thom. *quæst.*130. Quartò sumitur præsumptio pro vitio opposito virtuti Theologicæ spei. De præsumptione secundùm hanc vltimam acceptionem est in præsenti agendum. Est ergo hæc præsumptio spes obtinendi à Deo gratiam, & gloriam, reliqua quæ supernaturalia dona, aliter quàm ipse obtinenda statuit. sic omnes Doctores cum D.Thom. 2.2. *quæst.*21. Cùm enim spes sit voluntas obtinendi à Deo gratiam, & gloriam mediis ab ipso institutis, & præsumptio alia via obtinere intendat, spei opponitur.

2 Hanc autem esse grauissimum peccatum constat tum ex Ecclesiast. 18. *Vidi præsumptionem cordis eorum, quàm mala est*; tum ex manifesta ratione, quia voluntas obtinendi dona supernaturalia præter ordinem diuinæ prouidentiæ & est illusoria, inutilis, & diuinæ sapientiæ, & potentiæ contraria. Ergo habet malitiam ita grauem, vt nisi ex defectu plenæ deliberationis excusari non possit à mortali. sic Bannes 2.2. *dicta quæst.* 21. *dub.*2. Valen. *disput.*2.*quæst.*3.*p.*2. Sanch. *lib.*2.*cap.*33.*n.*7. *vers. estque semper.* Bonac. *disput.*3.*q.*3. *de spe. p.*1.*num.*5. Azor 1.*part.lib.*9.*cap.*2.*q.*7. Tolet. *lib.* 4. *cap.*7. *num.*9. & alij apud ipsos.

3 Hæc præsumptio contraria spei theologicæ multipliciter committi potest. Primò si præsumas, vt Pelagius, propriis viribus beatitudinem cõsequi. Ad idem est, si spem colloces in creaturis, tanquam in auxilio sufficienti ex se ad salutem, quia nulla creatura nisi cum Dei adiutorio salutem tibi impertiri potest. At inuocare creaturas, & in illorum præsentia sperare, vt simul cum Deo te adiuuent, etiã si Dei expressè memor non sis, nulla præsumptio est, quia sufficit virtute, & interpretatiuè Deum in adiutorium expostulari: sic aliis relatis Sanch. *lib.*2. *cap.* 33. *num.*7. Secundò committi potest præsumptio, si, vt Lutherus, præsumas sine pœnitentia remissionem peccatorum, & sine meritis gloriam obtinere. Ad idem reduci potest, si ex spe obtinendi in fine vitæ peccatorum remissionem, differas pœnitere; quia nimium de diuina misericordia præsumis, siquidem præsumis misericordiam obtinere, diuinam misericordiam irritando. Non enim iustum est, vt misericordiam inueniat qui ex illa occasionem sumpsit multiplicandi peccata, ex qua debebat à peccato abstinere. At hoc peccatum credo non esse propriè contra spem, siquidem non speras misericordiam consequi mediis peccatis de præsenti commissis, sed pœnitentia illorum, quam existimas facturus diuina gratia adiutus. Erit tamen hoc peccatum contra virtutem pœnitentiæ, si illam differas vltra tempus obligationis, & contra alias virtutes, si in contrariis vitiis perseuerare intendis. sic Sanch. *lib.*2.*c.*33.*num.*7. Bonac. *disp.*3. *quæst.*3. *de spe.p.*1.*num.*6.

4 Sed inquires, an hoc peccatum præsumptionis ita sit contrarium spei, vt illam corrumpat? Respondeo si more Pelagij, & Lutheri præsumas, credens propriis viribus, vel sine meritis beatitudinem consecuturus, manifestum est te amittere spem, quia amittis fidem, sine qua spes non est, neque vlla virtus, & docent omnes. At hæc amissio virtutis spei non prouenit propriè ex præsumptione contraria spei, sed ex hæresi, quæ præsumptionem antecedit. Quocirca si hæc præsumptio sine iudicio erroneo intellectus haberetur, vt communiter haberi solet, cùm ita speras beatitudinem consequi, ac si illam propriis viribus, vel sine meritis iudicares assequendam, spem non destruis, etsi illi aduerseris per excessum, quia non per quodcunque peccatum spei contrarium perit spes, sicut neque fides per quamcunque infidelitatem, vt bene notauit Coninch 2.2. *disp.*18. *dub.*4.*in principio,num.*25. sed per solum illud peccatum, quo cum compati nulla ratione potest spes, quod non est aliud nisi desperatio. Cum præsumptione autem secluso errore intellectus optimè compati potest spes, cùm tam spes, quàm præsumptio conueniant in obiecto formali sperato, quod est beatitudo, vt bonum proprium, & solùm differant, quia diuerso modo illam consequi sperant. sic Suarez *disp.*2.*de spe, sect.*3.*n.*4. Valent. 2.2.*disp.*2.*quæst.*3.*p.*2. Turrian. *quæst.*21. *art.*2. Coninch *disp.*20.*dub.*15.*num.*149. Sanchez *lib.*2.*cap.*33.*num.*8.

TRACTA



TRACTATVS SEXTVS

DE CHARITATE, ET EI ANNEXIS, ET CONTRARIIS.

PROOEMIVM.

POst fidem,& ſpem agimus de charitate,non quia charitas illis ſit inferior, cùm potiùs omnium virtutum ſuprema ſit,ſed quia generatione eſt poſterior,vt conſtat ex Trident. *ſeſſ.6.cap.7.* De hac virtute latiſſimè tractant Theologi cum Magiſt. *in 3. à diſtinct.27. vſque ad 37.* & cum D.Thom. *2.2. à quæſt.23. vſque ad 44.* Nos verò ſex diſputationibus hunc tractatum abſoluemus, omiſſis ſcholaſticis quæſtionibus de augmento,& decremento charitatis.

Prima erit de præcepto charitatis erga Deum,& proximum.

Secunda de externo effectu charitatis,qui eſt eleemoſyna.

Tertia de alio effectu,qui eſt correctio fraterna.

Quarta de quibuſdam vitiis charitati contrariis.

Quinta de bello,rixa,& duello.

Sexta de ſcandalo.

DISPVTATIO I.

De præcepto charitatis.

PVNCTVM I.

Quid ſit charitas, quod eius obiectum, & qua ratione à fide, & ſpe diſtinguatur.

1 *Charitas ſumitur pro actu,& pro habitu.*
2 *Qua ratione charitas definiatur.*
3 *Per charitatem amatur Deus amore beneuolentiæ.*
4 *Proponitur obiectio non poſſe inter Deum, & hominem veram amicitiam intercedere. Et fit illi ſatis.*
5 *Primarium obiectum charitatis eſt Deus. Secundarium proximus,quatenus ad Deum refertur.*

1 CHARITAS aliquando pro actu,aliquando pro habitu ſumitur. De vtraque acceptione accipi poteſt illud ad Coloſſenſ.3.*Super omnia hac charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis.* & 1.ad Timoth.1.*Finis præcepti eſt charitas.*Specialiter de actu locutus eſt Chriſtus Dominus,*Matth.22.* cùm dixit, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. & proximum tuum, ſicut te ipſum.* De habitu locutus eſt Paulus ad Rom.5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris.* & 1.Corinth.13. *Nunc autem manent fides,ſpes,charitas,tria hæc,maior autem horum eſt charitas.*

2 Hæc autem definitur, vt ſit virtus theologalis, & ſupernaturalis, qua amatur Deus amore ſupernaturali beneuolentiæ, & proximus propter ipſum. Eſſe virtutem theologalem, & ſupernaturalem conſtat, quia Deum immediatè reſpicit,& in illius ſumma perfectione complacet, quod eſt quid honeſtiſſimum; imò eſſe virtutem omnium perfectiſſimam inde probatur, quia eo virtus perfectior eſt,quo perfectius noſtram voluntatem diuinæ ſubiicit, & conformat, cùm diuina voluntas noſtræ voluntatis regula ſit,& menſura: at charitate perfectius Deo ſubiicimur, eiúſque diuinæ voluntati conformamur, quàm per reliquas alias virtutes,ſiquidem charitas in omnibus, & per omnia intendit Deo complacere, eiúſque voluntatem exequi, & hoc abſque vllo reſpectu proprij commodi, ſicuti habet ſpes. Ergo eſt virtus omnium perfectiſſima, & ita videtur definitum à Chriſto Domino, *Matth.22.* cùm dixit, diligere Deum eſſe maximum, & primum mandatum, & à Paulo 1.Corinth.13. *Maior autem horum eſt charitas*,& ad Roman.13.*Plenitudo legis eſt dilectio.*

3 Dixi eſſe virtutem, qua amatur Deus amore beneuolentiæ. Nam amor beneuolentiæ, vt diſtinctus ab amore concupiſcentiæ, in eo conſiſtit, vt velis amico bonum, quia illi bonum eſt,non quia tibi commodum eſt;cùm autem Deo ſeruire vis, quia ipſe quolibet obſequio digniſſimus eſt,amore beneuolentiæ illum proſequeris. Et idem eſt,ſi ex eodem affectu velis proximo beati

beatitudinem, non quia proximo bona est, sed quia est gratum, & iucundum Deo illam habere proximum. Adde non solùm esse virtutem, qua amatur Deus amore beneuolentiæ, sed etiam qua amatur amore amicitiæ. Est enim vera amicitia inter Deum, & hominem, iuxta illud Ioann. 15. *Vos autem dixi amicos, quia omnia, quæ audiui à Patre meo, nota feci vobis*; & ratione constat. Nam vera amicitia in eo consistit, vt velis amico bonum, quia illi bonum est, ipséque vicissim tibi bonum velit, quia tibi bonum est. Hoc autem totum reperitur in iustis, qui Deum amant, eúmque esse ita perfectissimum gaudent, quia illi bonum est. Similiter etiam Deus hominem iustum amat, de eiúsque iustitia gaudet, quia homini bona est: & licèt huiusmodi iustitiam ad se, suámque gloriam referat, hoc non obest rectæ amicitiæ, quia illam non refert ad se, quasi illa indigeat, sed quia ipse totius bonitatis est principium, & finis, sicuti Petrum veræ amicitiæ amore prosequeris, etsi eius amorem in Deum, tanquam in vltimum finem referas.

4 Dices, de ratione amicitiæ est æqualitas, vt dixit Aristot. 8. *Ethic. cap.* 5. sed inter dominum, & seruum, inter Regem, & subditum, & à fortiori inter Deum, & homines non potest esse æqualitas. Ergo non potest esse vera amicitia. Respondeo verum esse inter dominum, & seruum, inter Regem, & subditum, & inter Deum, & homines in pura natura cõstitutos non posse veram amicitiam intercedere. At si dominus seruum, & Rex subditum eximat ab statu subiectionis, & seruitutis, illúmque in altiori gradu constituat, & aliquo modo sibi similem faciat, vera amicitia intercedere inter illos potest, vt sæpè intercedit. Deus autem media charitate diffusa in humanis cordibus homines eleuat supra statum suæ naturæ, illósque quodam modo sibi similes facit, iuxta illud 2. Petri 1. *Maxima, & pretiosa nobis promissa donauit, & per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ.* Ergo vera amicitia inter Deum, & hominem intercedere potest. Secundò respondeo ad rationem amicitiæ non requiri, vt supponat æqualitatem, sed sufficit, si illam aliquó modo constituat, quod facit Deus charitatem infundendo. Respódeo tertiò ad amicitiam non requiri æqualitatem omnimodam, sed sufficere secundùm quandã proportionem, qua ratione inter Regem, & subditum, & inter patrem, & filium esse potest vera amicitia, etsi non reperiatur omnimoda æqualitas, quia est amicitia supereminentiæ, vt dixit Aristot. 8. *Ethic. cap.* 7.

5 Ex iis constat quódnam sit charitatis obiectum. est enim primarium obiectum Deus ipse secundùm omnes suas perfectiones, secũdarium proximus, quatenus Deo refertur, illiúsque beatitudinem participare potest. Vt autem proximus per charitatem diligatur, nõ debet diligi propter aliquam bonitatem in ipso existẽtem sine respectu ad Deum, quia tunc non charitate, sed amicitia, quæ est virtus moralis, amaretur. Debet ergo amari propter bonitatem relatam ad Deum, scilicet quia est creatura Dei, & filius eius adoptiuus, vel quia Deo placet, vt sic ametur, &c. Ex quo fit nullum actum charitatis theologicæ virtutis habere veram rationem amicitię erga proximum, sed solùm circa Deum, quia per virtutem theologicam nõ desideramus bonum proximo, quia bonum illius est, sed quia in bonum Dei cedit, scilicet in eius honorem, & gloriam. Ergo talis amor non est amor amicitiæ erga proximũ, sed circa Deum, sicuti non est amor amicitiæ erga seruum, cùm illi bonum desideras, quia cedit in bonũ domini, cuius ipse seruus est. ita docuit Vasquez *tom. 1. in 3. p. disp.* 98. *cap.* 2. Lessius *de instit. ca.* 36. *num.* 23. Coninch *disp.* 24. *de obiecto charit. dub.* 1. *num.* 19. 20. & 23.

Pvnctvm II.

An sit speciale præceptum dilectionis Dei.

1 *Esse speciale præceptum dilectionis defendunt Doctores communiter.*
2 *Quibus impugnetur hoc speciale præceptum.*
3 *Defenditur communis sententia.*
4 *Satisfit rationibus num. 2. adductis.*
5 *Explicatur modus huius præcepti.*
6 *An peccet aduersus hoc præceptum, qui vellet in hac vita perpetuò manere.*

1 Latum esse speciale præceptũ de diligẽdo Deum, tenent cum D. Thom. omnes eius expositores. Valent. *disput.* 3. *quæst.* 19. *p.* 1. Lorca *sect.* 3. *disp.* 47. Torres *disp.* 97. *dub.* 1. Coninch *disp.* 24. *dub.* 2. *num.* 28. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 35. *num.* 1. Bonacina *disput.* 3. *quæst.* 4. *punct.* 1. Probant ex illo Deuteronom. 6. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua*, &c. & ex illo Matth. 22. vbi loquens Christus de præcepto dilectionis dixit esse maximũ, & primum mandatum. Neque deest ratio conueniens: si enim de fide, & spe, vt iam diximus, datur speciale præceptum, quomodo negandum esset charitati, quæ nos Deo perfectius vnit?

2 Dices supradicta solùm probare dari præceptum de habenda charitate, vtpote ad salutem omnino necessaria, at non probare dari speciale præceptum de aliquo actu interno amoris, quo Deum aliquãdo ames. Primò, quia in Decalogo non continetur tale præceptum. Ergo signum est præceptum charitatis non esse præceptum aliquod speciale aliquo speciali tempore implendum, sed generale omnium præceptorum. Sicuti præceptum de proximi dilectione, quod Christus dixit esse secundum præceptum, non est speciale præceptum, sed in Decalogi præceptis continetur. Et confirmatur, quia in his duobus præceptis vniuersa lex pendet, & Prophetæ. Ergo hæc duo præcepta in reliquis omnibus imbibuntur, neque sunt ab illis distincta. Secundò, quia *Ioann.* 14. dicitur, *Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me*, & alibi, *plenitudo legis est dilectio.* Ergo obseruantia mandatorum est dilectionis præceptum, & non aliud distinctum. Et confirmo ex illo 1. Ioann. 3. *Qui non diligit, manet in morte*, quod intelligi non potest de actuali dilectione, sed solùm de habituali; aliàs continuè, & incessanter deberemus Deum actualiter diligere, quod in hac vita est impossibile. Confirmo secundò ex illo Deuter. 10. *Nunc Israel audi, quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in vijs eius, & diligas eum?* In quibus verbis etsi videatur dilectio Dei tanquam quid distinctum præcipi à reliquis viis mandatorum Dei. At si benè perpendatur, contrarium colligitur, siquidem ibi præcipitur timere Deum, vt quid distinctum, cùm tamen dixerimus suprà de timore non esse speciale præceptum, sed per reliqua vagari. Quare illa omnia verba eundem sensum habent, scilicet Deum non offendere, sed omnia eius mandata obseruare. Tertiò, in lege gratiæ solùm dantur præcepta de mediis necessariis ad salutem: at dilectio actualis Dei super omnia non videtur necessaria ad salutem, cùm in sacramento Pœnitentiæ per attritionem consequi gratiam possis, qua obtenta obtines salutem. Quartò, si daretur hoc præceptum speciale, non solùm esset de diligendo Deum, sed de diligendo Deum ex toto corde, & ex tota anima, &c. iuxta locum relatum *Deuteron.* 6. & *Matth.* 22. At amare Deum in hac vita ex toto corde, & ex tota anima, videtur impossibile, vt tradit August. *lib. de perfect. instit. ratiocinat.* 17. vbi inquit: Cùm adhuc aliquid est carnalis concupiscen

piscentiæ, quod vel continendo frænetur, (vt contingit in hac vita) non omnino ex tota anima diligitur Deus. Augustinum sequitur D. Bernard. *sermone* 50. *in Cant.* explicans illa verba, *Ordinauit in me charitatem.* Est (inquit) charitas in actu, est & in affectu, & de illa quidem quæ operis est, puto datam legem esse hominibus, mandatúmque firmatum: nam in affectu quis ita habet, vt mandatur? Ergo illa mandatur vt meritum, ista vt præmium datur, & infrà. Quomodo ergo iubenda fuit, quæ implenda nullo modo erat? Ex quibus verbis videtur clarè Augustinus, & Bernard. sentire charitatem secundùm affectum non præcipi in hac vita, sed solùm in opere, hoc est, in executione mandatorum Dei. Propter hæc affirmant aliqui non dari de dilectione Dei, & proximi speciale præceptum, sed esse generale indistinctum à reliquis. sic Vasquez *tom. de pænitent. quæst.* 90. *artic.* 1. *dub.* 4. *num.* 40. Molin. 1. *part. quæst.* 63. *art.* 2. & 3. *disput. vnica, membr.* 2. §. *id etiam quod affirmant.* Iansenius *concord. Euangel. cap.* 81. Maldonat. *Matth.* 22. *vers.* 39. dicit hæc duo præcepta maxima totius legis præcepta à Christo Domino dici, non quòd distincta ab aliis præceptis sint, sed cæterorum compendium. Ioann. Sanchez *in select. disput.* 1. *num.* 21.

3 Sed his non obstantibus retinenda est communis sententia, asserens præceptum dilectionis esse speciale, & non tantùm generale de omnibus præceptis. Moueor primò, & præcipuè, quia ita communis sententia affirmat. Secundò, ex illo *Matth.* 22. vbi dixit Christus esse maximum, & primum mandatum, quod dici non posset, si non esset distinctum à reliquis, & illorum radix, & principium. Tertiò, quia Deus est obiectum summo amore dignum, tum ob perfectiones, quas in se habet, tum ob beneficia, quæ hominibus confert. Ergo decebat naturæ rationali imperare, vt hoc obiectum amaret. Quartò, amare hoc obiectum est naturæ rationali summè conforme. Ergo si ita amandum homini repræsentetur, & ipse per totam vitam eius amorem repellat, iniuriam censendus est Deo facere. Adde, nihil gratius est Deo, quàm noster animus, & voluntas, iuxta illud, *Fili pone me super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum.* At per dilectionem totus animus, & voluntas Deo perfectissimè conceditur, non sic per reliquarum virtutum actus. Ergo dicendum est esse de dilectione actuali præceptum.

4 Neque argumenta in contrarium conuincunt, etsi difficilia sint.

Ad primum fateor in Decalogi præceptis non contineri formaliter præceptum de dilectione Dei, & proximi, sed potiùs esse præambula ad omnia illa, vt docuit D. Thom. 2. 2. *quæst.* 44. *art.* 1. *ad* 3. & 1. 2. *quæst.* 100. *art.* 4. *ad* 1. Nauarr. *cap.* 11. *num.* 5. Sanchez *lib.* 2. *in Decalog. in præfatione.* Nam tria prima præcepta Decalogi non sunt de diligendo Deum, sed de illo honorando, adoratione latriæ, iuramento, obseruatione festorum; ac proinde non ad charitatem, sed ad religionem propriè pertinent. Reliqua, quarto excepto, quæ proximos respiciunt, negatiua sunt, non occides, non fornicaberis, non furtum facies, &c. Quare beneficientia, & misericordia in illis expresè non continetur. Restat ergo, vt dicamus, hæc duo præcepta amoris Dei, & proximi ad reliqua omnia præambula esse, & in illis tanquam in primis principiis includi, ac proinde obseruatis illis duobus præceptis omnia obseruantur, quia in illis duobus vniuersa lex pendet, & Prophetæ.

Dices pendere vniuersam legem ex dilectione Dei, & proximi non actuali, sed habituali: siquidem ad obseruationem reliquorum mandatorum non requiritur, vt actu diligas Deum, vel proximum; aliàs peccando contra religionem, vel iustitiam peccares etiam contra speciale præceptum charitatis. Ergo signum est præceptum de charitate non esse de charitate actuali, sed habituali.

Respondeo vniuersam legem pendere ex præcepto dilectionis Dei, & proximi, non quatenus affirmatiuum est tantùm, sed potiùs quatenus est negatiuum. nam secundùm hanc rationem obligat, vt nec Deum, nec proximum offendamus, & obligat semper, & pro semper, & secundùm hanc rationem est generale præceptum reliquis præceptis commune, & in illis imbibitum: secundum autem quod affirmatiuum est, à reliquis distinguitur.

Ad secundum cum suis confirmationibus eodem modo respondemus seruantem præcepta diligere Deum non positiuo, & formali actu dilectionis, nisi præceptum sit de dilectione, sed solùm virtualiter, & interpretatiuè, quatenus interpretari potest Deum diligere, qui eius voluntatem exequitur.

Quartum argumentum petit, vt explicetur modus huius præcepti, quidve intelligatur illis verbis, *ex toto corde, & ex tota anima,* &c. Pro quo supponendum est nos posse Deum amare supernaturali amore, appretiatiuo, aut intensiuo. Amore appretiatiuo amamus Deũ, si eum omnibus aliis rebus præferamus, & ita ex illius amore affecti simus, vt velimus omnia perdere, potius quàm ipsum. Intensiuo autem amore super omnia amamus, si feruentiori, intensiorique actu, quàm omnia alia diligamus. Contingere autem potest, & sæpè ita contingit, vt rem aliquam ames præ omnibus appretiatiuo amore, non tamen intensiuo, & econtra, vt eam ames intensiuo, & non appretiatiuo, vt bene dixit Valent. *disput.* 3. *quæst.* 4. *punct.* 1. *vers. sed vt praterea.* Præceptum ergo de diligendo Deum super omnia de amore appretiatiuo, & non de amore intensiuo intelligitur. Nam de illo amore intelligitur præceptum, quod de se efficax est ad omnia præcepta seruanda: sed hic est amor appretiatiuus; quia habens illum, præfert Deum omnibus aliis rebus. Ergo de illo amore præceptum intelligitur. Adde, de intensione amoris præceptum non datur, tum quia non datur de amore ita intenso, quin vlla ratione intensior esse possit; aliàs omnes hoc præceptum exequentes amarent Deum ita intensè, ac Christus amauit. Neque datur de amore ita intenso, qui expleat totam efficaciam auxilij, aliàs habens auxilium ad amandum Deum amore intenso vt octo, si illum amaret, vt quatuor, non diceretur præcepto charitatis satisfacere. Neque etiam datur de amore, qui in intensione præcedat omnes alios creatos amores; aliàs dolens filius qui de patris morte, & condẽnatione doleret æquè intensè ac de suis peccatis, non amaret Deum super omnia. Adde peccaturum, si de facto intensiùs patrem, aut matrem amaret plusquam Deum, iuxta illud Matth. 10. *Qui amat patrem, aut matrem plus quàm me, non est me dignus.* Quæ omnia sunt absurda. Ergo manifestum est non de intensione, sed de æstimatione præceptum dilectionis esse intelligendum: & ita aliis relatis docet Sanchez *lib.* 2. *in Decalog. cap.* 35. *n.* 2. Bonacina *disp.* 3. *quæst.* 4. *de charit. punct.* 1. Vasquez 1. 2. *disp.* 194. *cap.* 3. Coninch *disp.* 25. *dub.* 1. *num.* 14. & *seqq.* Suarez *disp.* 5. *de charitate, sect.* 2. & alij apud ipsos. Quocirca argumento respondemus præcipi quidem hominibus amare Deum super omnia ex toto corde, & ex tota anima secundùm æstimationem, non secundùm intensionem; cùm Bernard. & August. dixit hoc præceptum non impleri in hac vita, sed in futura, intelligendi sunt non de materia præcepti, sed de fine ipsius præcepti. Materia, inquam, huius præcepti est amor Dei appretiatiuus, & hic in hac vita impletur. Finis verò illius præcepti est Deo pro viribus incontinenter adhærere, qui finis solùm in cœlo à Sanctis obtinetur. sic explicant August. & Bernard. Valent. 2. 2. *disp.* 3. *q.* 19. *punct.* 1. *vers. itaque cum August.* Coninch *disp.* 24. *de charit. dub.* 2. *n.* 35. *in fine.*

6 Aduersùs hoc præceptum affirmat Sanchez *lib.2. cap.35.in fine,num.11.* cum Nauarr. *summ.cap.11.num.20.* Ledesm. *in summ. sacrament. vbi de confess. post dub.12. in interrogat.circa primum præceptum.* Man.1 *tom.sum.cap.11. fine.* Bonacina *disput. 3. quæst. 4. de charitate,punct.1 fine,* peccare mortaliter eum,qui deliberatè velit in hac vita perpetuò manere,quia præfert Deo, eiúsque visioni,& fruitioni delitias huius sæculi. At desiderare longam vitam affirmat vacare culpa. Sed hoc dictum non vniuersaliter approbo, si enim ex eo quòd velis in hac vita perpetuò durare, infertur te delitias humanas diuinæ fruitioni præferre, etiam cùm longam vitam desideras, præfers pro illo tempore delitias humanas diuinæ fruitioni. Ergo hoc etiam sufficit vt pecces, quia summa peruersitas est pro vno,& minimo instanti diuinam fruitionem humanæ voluptati postponere. Quapropter cùm vitam sine termino desideres, solùm videris desiderare hac vita non priuari. Hoc autem per se malum non est,sed potiùs bonum. Ergo. Adde te nescire, an post hanc vitam saluandus sis, an condemnandus. Ergo cùm desideras in hac vita perpetuò manere,potes illud desiderare, vt periculum condemnationis fugias: sed hoc periculum fugere non est malum. Ergo non est peccatum mortale tale desiderium absolutum. Ergo solùm esse potest,cùm de facto præponis tuam vitam huius sæculi bonis,quæ tibi Deus in æternum præparauit, quod rarò,vel nunquam nisi sceleratissimo accidit.

PVNCTVM III.

An hoc præceptum dilectionis sit præceptum de dilectione naturali, vel supernaturali.

1 *Quid sentiat Valentia.*
2 *Neque est præceptum directè de dilectione naturali,neque de supernaturali determinatè.*
3 *Satisfit cuidam obiectioni.*

1 RESpondet Valent. 2. 2.*disput.3.quæst.19. punct.1. versic.dico secundò.* Sanchez *lib.2.in Decal.cap.33. num.4.* per se obligare ad amorem supernaturalem; in aliquibus casibus amore naturali esse contentum. Priorem partem probant, quia dilectio Dei debet esse ex fide non ficta, 1 *ad Timoth.1.* hoc est,procedens ex cognitione supernaturali fidei, & circa obiectum supernaturale. Ergo debet esse supernaturalis. Item hæc dilectio est necessaria ad salutem, sed quidquid ad salutem necessarium est,supernaturale est. Ergo. Posteriorem partem probant, quia sæpè dilectio expostulatur solùm ad impediendam Dei offensam,tuendúmque diuinum honorem:sed ad hunc effectum sufficit naturalis dilectio. Ergo non præcipitur supernaturalis.

2 Cæterùm dicendum est te directè non obligari ad amorem supernaturalem,neque ad amorem naturalem, sed solùm vt ames Deum super omnia ob eius infinitam bonitatem,quantum cum Dei gratia possis. Ex hac obligationis satisfactione oritur, vt illum ames supernaturali amore,si habitum supernaturalem habeas, vel auxilium Dei extrinseco supernaturali præueniens: si autem illis careas,amabis Deum naturali amore. Et ratio est manifesta, quia in tua potestate situm non est Deum amore supernaturali,potius quàm naturali prosequi, quia cùm hæc differentia non tam ex obiecto formali, quàm ex principio influente in actum procedat,& hæc principia non cognoscas, neque tuæ voluntati in operatione subdantur, vt possis vti pro libito principio naturali,supernaturali excluso. Efficitur sanè supernaturalem amorem directè præcipi non posse, sed solùm indirectè, quatenus præcipitur tibi, vt ames Deum, quantum cum gratia possis;aliàs cognosceres te esse in gratia, sicuti cognosceis præcepto amandi Deum te satisfecisse.

3 Neque obstat præcipi dilectionem, quæ ex fide supernaturali oriatur, quæque ad salutem necessaria sit, quia non præcipitur directè, sed indirectè. Non enim præcipi tibi potest directè præstare, quod nullo modo cognoscis. At non cognoscis te supernaturali cognitione insigniri. Ergo non potest tibi directè præcipi amor ex supernaturali cognitione procedens.sic docet, & bene probat Ægidius de Coninch *disput. 24. de charitate,dub.2.num.32.*

PVNCTVM IV.

Quo tempore hoc præceptum dilectionis obliget.

1 *Qui autument obligare in primo instanti vsus rationis.*
2 *Non admittitur hæc obligatio.*
3 *Fit satis rationibus num.1.adductis.*
4 *Repellitur solùm pro fine vitæ obligare hoc præceptum.*
5 *Neque approbatur semel tantùm in vita hoc præceptum obligare.*
6 *Quolibet die festiuo non obligat hoc præceptum.*
7 *Neque etiam obligat,cum Baptismus suscipiendus est.*
8 *Neque item cum Eucharistia suscipitur.*
9 *Expenduntur aliquot casus,in quibus hæc obligatio à Doctoribus agnoscitur,sed non approbantur.*
10 *Licet ne vltra tres annos differri.*
11 *Rarò fidelis hoc positiuum præceptum violat.*

1 LOquimur de præcepto dilectionis affirmatiuo (quia negatiuum semper obligat.) De hoc ergo præcepto variè Doctores sentiunt. Primò tempus, quo assignari solet, est cùm primum rationis vsum assequeris. sic Bannes 2.2. *quæst. 44. art.1. dub.1. ad 3.* Nauarr. *summ.cap.11.num.8.* Tolet.*lib.4 summ.cap.9.n.9.* & communiter omnes expositores. D.Thom. 1.2.*quæst.89. artic.6.* Vbi sanctus Doctor asserit illo tempore quemlibet obligatum esse se ad Deum conuertere, & omnia sua in eum tanquam in vltimum finem dirigere, quia consentaneum est creaturæ rationali, vt suum creatorem recognoscat,& amet. Mouentur autem ad hanc obligationem statuendam, tum ob rationem dictam, tum ob inconueniens, quod videtur sequi, si pro illo tempore hæc obligatio negetur. Contingere enim potest, vt existens in originali, & ad rationis vsum accedens, peccet venialiter, proferendo scilicet aliquod otiosum verbum,aut officiosum mendaciũ, & cum tali peccato originali,& veniali è vita discedat. Hoc autem est inconueniens, quia tali peccatori non est locus assignatus, siquidem neque est infernus; illuc enim soli decedentes in mortali adeunt. Neque limbus; quia ibi non est pœna sensus, qua indiget veniale; neque est Purgatorium, vbi solùm amici Dei purgantur. Ergo non est concedendus huiusmodi casus. Deinde, quia Innocentius III. *in cap.maiores, de Baptismo, §.sed adhuc,* declarat dormienti adulto non remitti peccatum originale,quia hoc sine actuali mortali remitti non potest, ad cuius remissionem dormiens non se disposuit. Sentit ergo in adultis originale esse non posse sine actuali mortali.

2 Cæterùm hæc argumenta non conuincunt, vt hanc obligationem ita grauem pro illo instanti asseramus. Nam licèt conueniens sit, vt quilibet se, suáque omnia in Deum dirigat, cùm primùm rationis vsum assequitur. At hoc ex obligatione fieri nec suauitati legis diuinæ, nec imbecillitati humanæ consonum esse potest, imò potiùs videtur impossibile, nisi aliquo superiore,& extraordinario lumine illustretur. Quod sic probo.

probo. Nam ad executionem huius præcepti requiritur illius perfecta cognitio; at ante vsum rationis nequeunt pueri perfectè cognoscere, quomodo sit Deus super omnia diligendus, accedente verò vsu rationis, si tunc ligantur præcepto, ligantur sine illius cognitione. Item nullus est qui cognoscat primum instans suæ rationis principium. Quomodo ergo ligari præcepto pro illo tempore potest? Hæc quidem ratio conuincit (meo iudicio) si sumatur instans rationis physicum: at si moraliter sumatur pro aliquibus horis, vel diebus, etsi non ita conuincat, suo etiam modo efficaciam habet. Nam breui illo tempore vix possunt pueri instrui perfectè, in iis quæ necessaria sunt ad illius executionem. Deinde rarò, vel nunquam instruuntur, quod est signum sufficiens non adesse pro illo tempore talem in pueris obligationem. sic docent alios referentes Azor 1.*part.lib.*4.*cap.*10.*quæst.*6.& *lib.*9.*c.*4.*quæst.* 1. Valent. 2.2. *disput.*3. *quæst.*19. *punct.*3. Sanchez *lib.*2. *in Decal.cap.*35.*num.*7. Coninch *disp.*24.*dub.*3. *num.*48. Suarez 4.*tom. de pœnit. disput.*11.*sect.*2.*n.*14.& 15. & *de charit.disp.*5.*sect.*3.*n.*2.

3 Ad rationem aduersam respondemus admittendo dari posse in homine existente in originali peccatum veniale, priusquam mortale, quod necessariò asserendum est, etiamsi concedamus pro illo principio vsus rationis dari præceptum affirmatiuum dilectionis, siquidem ex defectu plenæ deliberationis potest illud præceptum omitti, cuius omissio, vt bene dicit Sanchez *suprà*, solùm venialis erit. Item poterit hæc obligatio præcipuè inter barbaros inuincibiliter ignorari: stante autem tali ignorantia inuincibili nullum in eius omissione committitur peccatum. Ergo poterunt tunc venialiter peccare, peccato mortali non commisso, atque adeò cum originali, & veniali solùm decedere. Ergo tam in sententia contraria, quàm in nostra assignandus est locus, quò debeat decedens in originali, & veniali macula adire. Dupliciter ergo argumento respondemus. Primò ad diuinam prouidentiam pertinere, ne permittat aliquem solo veniali, & originali maculatum è vita decedere. sic Sanchez cum aliis *dicto num.*7. At hoc gratis videtur excogitatum ad enodandam difficultatem. Quare secundò, & probabiliùs respondeo admittendo casum, posse, inquam, aliquem cum originali peccato, & veniali tantùm mori, ipsúmque ad limbum puerorum accessurum, ibique aliqua perpetua, & temporali pœna confusionis orta ex displicentia sui ob illam maculam esse puniendum. sic Suarez *tom.*4. *de pœnitent. disput.*11. *num.*18. Coninch *disput.*24.*de charitate,dub.*8.*num.*40.& 41.

4 Secundum tempus huius obligationis assignant aliqui solùm pro fine vitæ. sic Vasquez *tom.de pœnitent. quæst.*86. *artic.*2. *dub.*6. *num.*11. & hoc speculatiuè loquendo iudicat verius Ioan. Sanchez *in select. disput.*1. *num.* 21. §. *neque frangitur*, sed immeritò in illud solum tempus obligationem reiiciunt, cùm hoc præceptum imponatur ad rectam vitæ institutionem, dirigendásque nostras actiones in suum debitum finem, gratiam, & amicitiam cum Deo conseruandam, quæ omnia potius in principio, quàm in fine vitæ locum habent. sic Thomas Sanchez *lib.*2. *cap.*35. *num.*8. Suarez *de charit. disput.*5.*sect.*3.*num.*1. Valent. 2.2.*disp.*3.*quæst.*19.*punct.*1. *vers.septimus casus.*

5 Tertium tempus huius obligationis, alij, quos tacito nomine refert Sotus *lib.*1.*de natura,& gratia, cap.*22. *versic. dicamus ergo*, assignant indeterminatum, & vnicum tantùm, ita vt qui semel in vita huic præcepto satisfecit, non teneatur amplius illo, consentit Ioan. Sanchez *dicta disput.*1. *num.*21. quia cùm nullum tempus signet Deus, quo debeat diligi, sed liberum homini relinquit, vt tempore à se electo obligationem exequatur, efficitur mortis tempore obligatum esse, si antea obligationem non impleuit, quia vltra illud tempus non restat aliud eligendum. At hoc dictum communiter à Doctoribus reprobatur, vt testantur Sanchez, Valent. Saa, Coninch, & alij, tum quia permittit in finem vitæ hanc obligationem reiici, neque arctat ibi exercendam esse, si antea de cursu temporis illi aliquando satisfecisti. Item derogat maximè amicitiæ diuinæ, vt semel tantùm in vita ad sui exercitium obliget, si enim alia præcepta non vnico actu contenta sunt, sed plures expostulant, cur hoc præceptum omnium dignissimum vnico actu contentum erit?

6 Quartò alij per contrarium extremum affirmant tempus huius obligationis esse quemlibet diem festiuum. ita Sotus *in* 3.*distinct.*27. *quæst.vnica, ad* 3. §.*quantum ad secundum.* Tabien.*verbo charitas,quæst.*20. Angel. *verbo feria,num.*41. Gabr.*in* 3.*distinct.*37.*quæst.vnic.art.*3. Almain.*quæst.vnica.* Fundamentum, quia Deus non tam honorandus est externo cultu, quàm interno, corpore, quàm mente. Sed præcipuus cultus internus, qui Deo exhiberi potest, est dilectio super omnia. Ergo hæc est illo tempore præcepta. Sed hanc obligationem communiter Doctores reiiciunt, quia non quælibet honoratio interna, quæ diebus festis fieri potest, præcipitur, sed solùm quæ necessaria est, vt ab opere seruili abstineas, & Missæ sacrificio intersis, quia solùm hæc præcepta sunt tam diuino præcepto sanctificandi festa, quàm Ecclesiastico. Sed hæc præstari possunt, vt de se constat, sine actu dilectionis, & ab homine in mortali existente. Ergo. Adde nullum esse, qui de hac omissione facta die festo se accuset. Ergo credibile non est hanc esse obligationem; aliàs parochi tenerentur suos fideles de illa monere, & ad illius impletionem excitare, quod videmus non fieri. sic docent cum D.Thom. Couarr. Nauarr. Soto, & aliis, Sanchez *lib.*2.*cap.*35. *num.*8. Suarez *disput.*5. *sect.*3.*num.*1. Coninch *disput.*24.*dub.*3. *num.*43. Bonacina *disput.*3.*quæst.*4.*de charit. punct.*2.

7 Quintò alij dicunt adultos recipientes Baptismum obligatos esse hoc præcepto, quia suscipiens Baptismum se seruum Christi profitetur, in eiúsque obsequio promittit toto vitæ tempore perseueraturum; decet ergo, vt hoc propositum firmet diuino amore. Item cùm quis se militiæ adscribit, debet se, suáque omnia in Principem referre. Ergo miles Christianus, qui in Baptismo suum nomen Christo concedit, omnia in illius obsequium referre tenetur. sic Sotus *lib.*1. *de natura,& gratia,cap.*22.*versic.dicamus ergo, casu* 1. & *lib.*2.*de iustit.quæst.*3.*art.*10.*versic.responsio harum.* Valent.*disp.*3. *quæst.*19. *punct.*1. *versic.secundus casus.* Sed neque hæc obligatio à Doctoribus admittitur, quia ad dignè suscipiendum Baptismum sufficit attritio concepta ex metu pœnæ, quæ amorem Dei super omnia non includit. At respondet Valent.*suprà*, solùm probare amorem Dei super omnia non requiri tanquam dispositionem ad dignè sacramentum suscipiendum, bene tamen necessarium esse, vt quis ritè, & firmiter se profiteatur Dei seruum in Ecclesia Christi, cui se aggregat. Cæterùm neque ad hunc effectum censeo amorem Dei necessarium esse, etsi sit conuenientissimus: nam ipsius Baptismi susceptione cum attritione debita satis se seruum Christi profitetur, & firmum animum habet nunquam ab illius obsequio recedendi, neque opus est militi Christiano omnia in Deum expressè referre, sufficit si virtualiter referat, per propositum, quod habet eius voluntati perpetuò obsequuturum. sic aliis relatis docent Sanchez *lib.*2.*cap.*35.*num.*9. *versic.secundus casus.* Suarez *disput.*5. *de charitate, sect.*3.*num.*2. Coninch *disp.*24.*dub.*3. *num.*44.

8 Sextò defendunt alij, quoties Eucharistia sumenda est obligare hoc præceptum, vt sic cum Deo intimè vniamur. sic Bannes 2.2.*quæst.*44.*art.*1.*dub.*1. *ad tertium.*

Sed est obligatio sine fundamento, quia ex Paulo iuncto Trident. solùm habetur debere se hominem probare ad Eucharistiam media confessione, si conscientiam habet peccati mortalis; neque vllibi affirmatum est per dilectionem actualem esse probandum peccato mortali carentem; & ita hanc obligationem reprobant ex communi sententia Sanchez *suprà, n.8.* Azor *tom.1. lib.9.cap.4.quæst.1.*

9 Septimò alij dicunt obligare hoc præceptum. Primò, cùm martyrium subeundum est, vel aliud egregium, difficiléque opus aggrediendum, quia expedit tunc firmare animum Dei obsequio. sic relato Soto docet Valent. 2.2.*disput.3. quæst.19. punct.1. versic.quintus casus.* Sed esto conuenientiam agnoscam, obligationem improbo, quia nullo fundamento nititur, oratione enim, aliísque virtutum actibus te munire potes. sic Suarez *disp.5.de charitate,sect.3.num.2.* Coninch *disp.24. dub.3.num.45.*

Secundò, si beneficium magnum à Deo acceperis, quia expedit redamare, qui te ita amauit. sic Sotus *lib.2.quæst.3.art.10.versic.responsio horum.* Valent.*punct.1. casu 4.* Tolet.*lib.4. cap.9. num.10.* subdit Valent. Si beneficium est naturale, ad amorem naturalem obligare, si supernaturale, ad supernaturalem. Sed meritò hunc casum Sanchez *dict.cap.35. num.9.* Suarez, & Coninch *suprà*, reiiciunt, vtpote firmo fundamento carentem, quia ex beneficij receptione solùm iure naturæ ad gratias referendas obligari potes, & hoc non immediatè post acceptum beneficium, potest enim absque mortali aliquandiu differri.

Tertiò dicunt obligare hoc præceptum, quoties audis blasphemantes, & Deo grauem iniuriam inferentes, vt media tua dilectione iniuriam factam quasi repares. sic Sotus *dicto art.10.* Nauarr. *cap.11. num.10.* Valent. *dicto punct.1. casu 6.* Sed immeritò hæc obligatio charitati imponitur, cùm si aliqua est, religioni adscribenda sit, cui incumbit diuinum honorem defendere, & illi aduersum impedire quoad possis. Quocirca vt hæc obligatio etiam ex religione sit, debet honor diuinus periclitari, nisi tu eius partes assumas. sic Sanchez *lib.2.cap.35.num.9. vers.sextum tempus.* Coninch *disp.24. dub.3.num.4.*

Quartò obligare hoc præceptum asserunt, cùm graues insurgunt tentationes, specialiter odij Dei, & illis est periculum consentiendi. sic Sanchez *num.9. fine.* Bonacina *disput.3. quæst.4. de charitate, punct.2. num.1.* At credo hoc verum non esse regulariter, quia aliis viis superari tentatio potest, consideratione scilicet gloriæ promissæ vincenti, & pœnarum inferni succumbenti. quare nisi dilectio Dei, mediam esset necessarium (quod rarò, vel nunquam præsumi potest,) illius obligatio ob tentationes vincendas affirmari non debet. sic Coninch *disput.24.dub.3.num.45. & 55.* Suarez *disp.5.de charitate,sect.3.num.3.vers.alij addunt.*

Quintò asserunt alij, instante periculo mortis, etiam si peccati mortalis conscius non sis, imò etiamsi illius conscius sacramentaliter confitearis, te obligatum esse Deum super omnia diligere. sic Valent. *disp.3.quæst.19. punct.1. casu 7.* Suarez *disput.5. de charitate, sect.3. num.3.* Coninch *disput.24.dub.3. num.51.* Mouentur, quia licèt certum sit attritionem cum sacramento conferre gratiam; quia tibi non constat talem attritionem habere, eniti debes ad contritionem, vt sic saltem attritionem habeas: agitur enim tunc de æterna salute, quam oportet omnibus modis securam reddere. Secundò si in illo periculo, & necessitate omittis contritionem, contentus attritione; dignus videris, vt nec attritionem habeas. Tertiò tunc dæmon grauissimas tentationes immittit, sciens modicum tempus habere; debes ergo animum in diuino obsequio firmare meliori modo, quo possis. Adde te velle cum Deo perpetuam amicitiam habere. Expedit ergo vt in fine vitæ illam habeas post vitam continuandam. Fateor hanc obligationem esse satis probabilem, & in praxi semper consulendam. At non est omnino certa, si peccati mortalis conscius non es. nam illam reiiciunt Azor *tom.1.lib.9.cap.4. quæst.1.* Sanchez *lib.2.cap.35.num.9. versic.octauum tempus*, & probari potest infirmando rationes contrarias. Nam si ob incertitudinem attritionis, & gratiæ obtentæ, debes contritionem, & amorem Dei super omnia procurare, cùm de illo amore nunquam certus sis, non solùm semel, sed iterum obligatus eris contritionem elicere. Nam cùm de salute in æternum perdenda agatur, omnibus modis tibi possibilibus secura reddenda est. Item nullius peccati mortalis conscius obligatus esses non solùm dilectionem habere, sed & sacramentum Pœnitentiæ recipere, vt illa via securam redderes salutem, quæ fortè sacramento non recepto periclitaretur, quæ concedenda non sunt. Deinde ad tentationes vincendas dilectio Dei super omnia necessaria non est, vt ipsemet Coninch fatetur, cùm possis recordatione diuini iudicij, & spe salutis æternæ te munire. Quòd autem conueniat ea firmare animum, vt sic omnibus modis securus sis, non probat te obligatum esse, aliàs probaret te obligatum esse actus omnium virtutum exercere, præcipuè illarum, aduersùs quas tentationes insurgunt, siquidem hoc exercitio securior eris. Ergo omnem securitatem possibilem in illo casu non videris teneri præstare, sufficit si præstes, quæ moralem securitatem constituunt; cùm autem sacramenti Pœnitentiæ receptio cum attritione supernaturali hanc faciat securitatem, non videris ad dilectionem Dei obligatus conari.

10 Quapropter vt certum tempus huius obligationis signemus, distinguo duplicem obligationem, aliam, quæ per se, & ex vi charitatis oritur, aliam, quæ per accidens ratione alterius adiuncti, cui charitatis dilectio necessaria est. Quando enim dilectio non est per se, sed aliunde necessaria, si illam omittas, non aduersùs charitatem, sed aduersùs aliquam virtutem peccas. Exemplo declaro. Existis in mortali, vis ministrare, aut recipere aliquod sacramentum, teneris peccatum expellere ex anima, vt dignè ministres, quod nisi media attritione cum sacramento Pœnitentiæ, vel contritione, quæ amorem Dei super omnia includit, fieri non potest. Si igitur tunc omittas hæc media assumere, & sacramenta ministres, non aduersùs charitatem, sed aduersùs religionem peccabis, quia ex religione obligatio habendi dilectionem, casu quo sacramentum Pœnitentiæ non recipiebatur, ortum habebat. Sed de hac obligatione in præsenti non est sermo, sed de illa, quæ per se, & ex vi charitatis oritur. Hac ergo obligatione existimo quemlibet adultum teneri non singulis annis, vt placuit Petro de Ledesma *2.tom. summ. tractat.3. cap.5. post 6. conclus.* quia hoc est nimis durum, & nullo firmo fundamento nititur, sed aliquoties in vita, ita vt non multo tempore hoc exercitium differatur: signare autem hoc tempus, fieri non potest, sed prudentis arbitrio mensurandum est; reputarem autem dilationem trium annorum esse grauem. Nam qui tanto tempore diuinam bonitatem non reclamat, eam videtur contemnere, & in periculo eam offendendi, & humanis rebus postponẽdi constitui. sic Coninch *disput.24.dub.3. num.53.* Suarez *de charitate, disp.5. sect.3. num.4.*

11 Aduerto tamen rarò quemlibet fidelem, nisi moribus deprauatus sit, huius peccati reum existere; quia sæpè conatur contritione se ad absolutionem disponere, sæpéque beneficia diuina, & summam bonitatem considerat, quibus ad effectum debitum amicitiæ excitatur.

PVNCTVM V.

Vtrùm teneamur ex charitate proximum diligere.

1 *Quis sit proximus.*
2 *De fide est te esse obligatum proximum diligere.*
3 *Proponitur ratio dubitandi, an obligeris ad aliquem internum amorem.*
4 *Amore Dei potest amori proximi satisfieri.*
5 *Satisfit rationi dubitandi num. 3. adductæ.*

1 PRæmittendum est, qui nomine proximi intelligantur? Hi sunt qui supernaturalis beatitudinis sunt capaces. sic Doctores cum August. *lib. 1. de doctrin. Christ. cap. 23. 26. & 30.* Quapropter fidelis, & infidelis, peccator, & inimicus, prædestinatus, & reprobus nomine proximi veniunt intelligendi, quia omnes hi dum in hac vita degunt, capaces sunt beatitudinis, illisque beatitudinem velle potes: quòd si tibi reuelatum esset aliquem esse reprobum, & condemnandum, adhuc circa illum charitatem exercere potes, quia & velle posses absolutè, ne plura peccata committat, & simplici affectu vt beatitudinem assequatur, absolutè tamen ex suppositione, quòd reprobus sit, velle non poteris illi beatitudinem, quia velles impossibile, scilicet reuelationem non esse veram. Pari ratione de damnatis (qui etiam suo modo proximi nobis sunt) velle potes, ne tot peccata committant, & simplici affectu desiderare illius beatitudinem, non tamen absolutè, quia absolutè est impossibilis. sic Suarez *disp. 1. de char. sect. 1. à num. 3.* Hoc posito,

2 Dicendum est te obligatum esse ex charitate proximum, sicut te ipsum diligere. habetur Matth. 22. *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum*, vbi particula *sicut*, non qualitatem, sed similitudinem denotat, quod frequens est in Scriptura. iuxta illud Ioann. 13. & 15. *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos*; & illud Matth. 5. *Estote perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est*, & tradit pluribus exornans Athanas. *serm. 4. contra Arrianum, circa medium.* D. Thom. *2. 2. quæst. 44. art. 7.*

3 Difficultas est, an ad aliquem amorem internum procedentem ex charitate obligeris? Et ratio dubitandi est, quia eodem modo de præcepto dilectionis proximi locutus est Christus, iuxta illud *Matth. 22.* ac de præcepto dilectionis Dei, cùm enim dixisset, *Diliges Dominum Deum tuum, &c. hoc est maximum, & primum mandatum.* statim subiungit, *Secundum autem simile est huic. Diliges proximum tuum, sicut te ipsum.* sed præceptum dilectionis Dei obligat ad actum internum. Ergo & præceptum dilectionis proximi ad actum interiorem obligabit. Item filius patrem, vxor maritum, beneficiatus benefactorem, & similes tenentur interno affectu prosequi, quia beneficia accepta, & obligationes impositæ non solùm ad exteriorem gratitudinem, sed etiam ad interiorem mouent, incitant, ac deuinciunt. Ergo iam charitas obligare potest ad actum internum: quòd si in aliquibus proximis hoc verum habet, in omnibus habere debet, cùm præceptum charitatis omnibus generale sit, & solùm respicit proximum, quatenus ad imaginem, & similitudinem Dei factus est.

4 Hæc ratio omnino conuincit te obligatum esse amare proximum, illiúsque bonum desiderare. Sed huic obligationi credo fieri satis amore ipsius Dei, qui saltem virtualiter est amor proximi, iuxta illud Ioannis 4. *Hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.* Qui enim Deo placere in omnibus intendit, eiúsque voluntatem exequi, necessariò salutem proximorum velle debet, illámque procurare, prout cognouerit Deo placere. Amare autem proximum amore interno distincto ab amore ipsius Dei, credo te non obligari, nisi fortè fuerit aliquando necessarius ad aliqua opera debita exhibenda. sic docent Scotus *in 3. distinct. 30. §. quantum ad hoc, circa medium.* D. Thomas *2. 2. quæst. 25. art. 8. in corp.* Lorca *2. 2. sect. 3. disput. 58. num. 10.* Suarez *de charitate, disput. 5. sect. 4. num. 4.* Coninch *disput. 24. dub. 4. conclus. 1. & 2. num. 66. & 67.* Ratio est, quia ex charitate solùm teneris diligere Deum, vel proximum, quatenus talis dilectio in illorum bonum cedit: at actus internus præcisè in bonum proximi non cedit, cùm illi incognitus sit; cedit tamen in honorem Dei, cui omnia patent. Ergo respectu Dei teneris amorem internum habere, & respectu proximi solùm quatenus est necessarius, ad vitandum odium; vel opera misericordiæ, & signa beneuolentiæ illi debita exhibenda: fauéntque huic sententiæ omnia, quæ de dilectione proximi tradit *Ioann. 1. cap. 3. & 4.* & Paulus *ad Roman. 13.* & alibi. Nam si bene expendantur, totum præceptum dilectionis proximi in operibus misericordiæ constituunt.

5 Ad rationem dubitandi respondeo, præceptum dilectionis proximi esse simile præcepto dilectionis Dei, & esse idem cum illo, quoad actum internum, quia eodem actu, quo diligimus Deum, diligimus & proximum, quo respiciens *Ioan. 1. epist. cap. 4.* non dixit, hæc mandata habemus à Deo, qui diligit Deum, diligat & fratrem suum; sed dixit, *hoc mandatum habemus à Deo*, quasi vnum, & non duplex sit mandatum. Est autem mandatum proximi simile mandato Dei, & ab illo distinctum secundùm opera externa. Alia enim sunt, quæ hominibus exhiberi debent, alia quæ Deo. Sed quia horum operum exhibitio à iure naturæ, & diuino procedit, & ex eodem respectu, scilicet Dei super omnia dilecti, ideo vnum præceptum alteri dicitur esse simile.

PVNCTVM VI.

Qua ratione cum inimicis, & peccatoribus procedere debeas, ne charitatis præceptum offendas.

1 *Obligatio est diligendi peccatores, & inimicos.*
2 *Non potes peccatori, vel inimico velle malum, qua malum illius est.*
3 *Neque potes velle vindicari, sed teneris ex corde remittere offensam: imo neque præbere alijs fundamentum suspicandi te non remittere.*
4 *Quid debeas facere, ne hoc fundamentum præbeas.*
5 *Per se non teneris inimicum occurrentem salutare; at aliquando teneris.*
6 *Si ipse te prius salutauit, regulariter teneris.*
7 *Si inimicus veniam postulet, teneris signa exhibere amicitiæ.*
8 *Non teneris satisfactionem debitam pro iniuria remittere.*
9 *Si offensor satisfactionem exhibeat, vel iniuriæ satisfieri non possit, adhuc potes accusationem instituere, & satisfactionem à iudice expostulare.*
10 *Cum duo se offendunt, quis teneatur priùs veniam petere.*
11 *Quando offendens proximum obligatus sit veniam petere.*
12 *Aliquando teneris alloqui inimicum, si inde scias ab odio fore, vt desistat.*

1 CErtum est secundùm fidem te obligatum esse tam iure naturæ, quàm diuino, peccatores, & inimicos diligere, quia sunt verè proximi ad imaginem

Dei creati, & supernaturalium bonorum capaces, ob quæ redduntur amore digni. Neque enim obligaris amare peccatorem, quatenus peccator est, neque inimicum, quatenus inimicus est: hoc enim esset te obligare amare culpam, & Dei offensam; sed obligaris amare illos, quia tibi proximi sunt, & naturæ conformes. Conclusio satis probatur ex illo *Lucæ 6.* vbi loquens Christus de dilectione inimicorum, dixit, *prout vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis similiter*, & Matth. 5. *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, & benefacite ijs qui oderunt vos*, &c. Cùm autem Christus Dominus nullum morale præceptum, præter ea, quæ sunt sacramentorum, tulerit in lege gratiæ, quod iure naturæ latum non esset, vt cum D. Thom. 1.2.*quæst.*108. omnes supponunt, efficitur sanè hoc præceptum dilectionis inimicorum iure naturæ haberi. Neque obstat lege veteri odium inimicorum videri præceptum illis verbis Matth. 5. *Audistis, quia dictum est antiquis, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* Quia nulla in parte veteris Testamenti habentur, sed à Pharisæis, & Scribis erat introductum, vt probat Iansen. *in sua concordia, cap.*40. Lyra *super illum locum.* Lorca 2.2.*sect.*3.*disput.*23.*num.*13. Adde antiquis non esse præceptum, aut permissum odium inimicitiæ respectu alicuius inimici. Voco odium inimicitiæ, quo scilicet velles inimico malum, qua malum illius est, quia hoc permitti non poterat, vtpote intrinsecè malum, & nullo bono fini deseruiens; bene tamen permitti, & præceptum fuit odium abominationis, quo scilicet aliquem tanquam nobis malum, & infestum auersamur, & cupimus omnino destrui, & perire, & hoc odium non fuit antiquis permissum respectu cuiuslibet inimici, sed respectu illius, qui legem Dei auersabatur, & Iudæos ad idololatriam excitabat, quales erāt Chananæi, quibus cum amicitiam inire Iudæi erant prohibiti; imò potiùs tenebantur eos aduersari, & pro viribus delere, *Exod.*34.*num.*16. *Regum* 11. *vers.* 2. & tradit Gregor. *homil.* 38. *in Euangel. post initium.* Hoc autem odium abominationis honesto fine habitum, quódque potiùs in operibus externis, quàm in interno affectu consistit, non est intrinsecè malum. Lege tamen gratiæ etiam hoc odium inimicorum sublatum est, vt Ecclesiæ minus conueniens.

2 Ex hac obligatione primò infertur, te non posse peccatori, neque inimico velle malum aliquod, qua malum illius est, quia hoc est intrinsecè malum, & nulla ratione honestari potest. Quòd si obiicias, sæpè in Scriptura conceditur mala grauissima peccatoribus imprecari, vt Psalm. 9. *Conuertantur peccatores in infernum*, & Psalm. 18. *Constitue super eum peccatorem, & diabolus stet à dextris eius cùm iudicatur, exeat condemnatus, & oratio eius fiat in peccatum.* quæ certè grauissima mala sunt, & ad Galat. 5. *Vtinam & abscondantur, qui vos conturbant.* Facilè respondetur, non enim illa mala peccatoribus imprecamur, quatenus illis mala sunt, sed quatenus per illa diuina iustitia ostenditur, & alij eorum punitione corriguntur, ipsíque à peccando cessant. Quo titulo ipsemet Deus hæc mala peccatoribus infligit, non autem ex odio illorum, quia, vt dicitur Sapient. 1. *Non delectatur in perditione impiorum.* Item hæc mala non tam imprecantur, quàm prædicuntur, etsi per modum imprecationis prædictio fiat; sæpè enim optatiuus modus in Scriptura pro indicatiuo vsurpatur, vt tradit Augustinus *Psalm.* 108. & Hieronymus *Psalm.* 11. super illud, *Disperdat Dominus vniuersa labia dolosa*, & super *cap.* 1. *Thren.* & Gregor. *li.* 15. *moralium, cap.*23. Deinde in sensu formali solent illæ imprecationes accipi, ita vt sensus sit, pereant peccatores, & condemnentur, quatenus peccatores sunt, id est, eorum culpæ, non tamen quatenus ad naturam Dei creati sunt. sic exponunt Origen. *lib.* 8. *in epist. ad Roman. super cap.* 11. Euthym. *Psalm.* 43. Hieronym. *in cap.* 3. *Ezech. & cap.* 4. *Daniel.* & has omnes explicationes admittit D. Thomas 2.2. *quæst.* 25. *art.* 6. *& quæst.* 83. *art.* 8.

3 Secundò sequitur te obligatum esse iniurianti remittere ex corde offensam, etiamsi non petat, quod est dicere te obligatum esse abstinere à volitione vindictæ, qua malum iniuriantis est. conclusio constat ex nuper dictis, & videtur de fide ex illo *Matth.* 18. vbi Christus minatur tradendos esse tortoribus, qui ex corde iniurias acceptas non remiserint, & tradit Nauarr. *cap.* 14. *num.* 25. Lorca 2.2. *sect.* 3. *disput.* 25. *num.* 33. Suarez *disput.* 5. *sect.* 5. *num.* 9. Valentia *disput.* 3. *quæst.* 3. *versic. secundò quæritur.* Coninch *disput.* 24. *dub.* 6. *num.* 82.

Addendúmque est te non solùm obligatum esse ex corde remittere offensam, sed te ita cum inimico portare, vt neque ipsi, neque aliis præbeas fundamentum suspicandi rancorem, & inimicitiam habere, quia ex obligatione charitatis teneris nemini scandalum esse. Ex quo fit, si ipse veniam petat, & doleat de iniuria facta, te obligatum esse significare illi te ex animo deposuisse odium, quia si id non significas, præbes sufficiens fundamentum, vt omnes intelligant te verè illius esse inimicum, illíque malum velle, & consequenter illi scandalum est, & occasio, vt inimicitia perseueret. sic ex D. Thom. tradit Suarez *disp.* 5. *sect.* 5. *num.* 9. Valent. 2.2. *disp.* 3. *quæst.* 3. *punct.* 2. *circa finem.* Coninch *disput.* 2. *dub.* 6. *num.* 93.

4 Sed inquires, quid debeas facere ne præbeas fundamentum suspicandi te odio prosequi inimicum?

Respondeo nulla regula certa id præscribi posse, sed prudentis arbitrio spectatis circumstantiis esse mensurandum. Placet tamen aliquos casus subiungere, ex quibus alij contingentes decidi possunt. Primò, non licet tibi inimicum, quia inimicus est, excludere ab oratione, beneficio, auxilio, opere in gratiam alicuius communitatis facto, cuius ipse inimicus est pars, quia eo ipso significas te inimicum odisse, eiúsque odium excitas, & prouocas. Et in hoc sensu dixit Christus *Matth.* 5. nos debere orare pro persecutoribus, & illis benefacere, hoc est, quando pro aliis oramus, aliísque benefacimus.

Dices te obligatum non esse salutare, eleemosynam distribuere, sed gratis, & pro libito facis. Ergo potes his, & non aliis conferre?

Respondeo negando consequentiam, si ea exceptio est odij signum; sæpe enim obligatus non es orare: at si oras, debes attentè orare. Sic ergo dicendum est, etsi obligatus non sis orare, eleemosynámque communitati tribuere; si tamē tribuas, debes omnibus tribuere, ne des inimico occasionem offensæ, & aliis fundamentum suspicandi te rancorem non deposuisse. sic ex communi sententia docet Suarez *disput.* 5. *de charitate, sect.* 5. *n.* 7. Valent. 2.2. *disput.* 3. *quæst.* 3. *punct.* 2. *circa finem, versic. tertiò sequitur.* Coninch *disput.* 24. *dub.* 6. *à num.* 85. cum D. Thom. *quæst.* 25. *art.* 9. & eius expositor. Dixi te non posse absque peccato à communi oratione, & beneficio inimicum excludere qua inimicus est. Nam si illum ex alia causa honesta excludis, illámque causam aliis manifestas, non peccas; quia solùm peccare potes, eo quòd signum præbeas inimicitiæ, & inimicum ad odium excites, quod cessat, quando titulo honesto facis exclusionem. Hinc est, si beneficium impartiendum omnibus non suppetit, poteris omittere calumniatores, & aliis conferre, item si scires intercessionem tuam pro omnibus factam, non omnibus profuturam, poteris pro amicis impendere, inimicis exclusis, quia tunc non excludis inimicos, quia inimici, sed quia pallium breue est, & multos operire non potest,

test, quo in casu prudentia dictat, vt potius amicis, quàm inimicis faueas. sic Valent. & Coninch *suprà*, cum D.Thom. Bannes, & Lorca *ibi*.

5 Secundus casus est de obligatione salutandi inimicum, cùm tibi occurrit. Dico ergo per se nullam esse talem obligationem, quia per se omissio salutationis non est signum odij, neque ad odium excitat, cùm debita non est, & liberè omitti potest. Non enim omnes, qui tibi occurrunt, salutare teneris, neque ex salutationis omissione censeris insalutatum odisse. At inimicis non teneris specialia signa amicitiæ exhibere, cùm ratione inimicitiæ potiùs indigniores sint constituti. Ergo non teneris per se inimicum occurrentem salutare. sic Coninch *disput*. 24. *dub*. 6. *num*. 91. Bonacina *disput*. 3. *quæst*. 4. *de charitate*, *punct*. 3. *num*. 3. Suarez *disput*. 5. *sect*. 5. *num*. 8. Dixi per se non esse odij signum: nam aliquando esse potest, scilicet cùm inimicitia est publica, & ante inimicitiam solitus fueris inimicum occurrentem salutare, si tunc salutationem omittas, sine dubio scandalum generas, & sufficiens præbes fundamentum suspicandi ob solam inimicitiam omittere, quod à fortiori militat, si inimicus sit superior, si tunc salutare omittas, illum censeris contemnere, & odij fomitem ministrabis. sic Valent. 2. 2. *disp*. 3. *quæst*. 3. *punct*. 2. *vers. hinc sequitur*. Coninch *disp*. 24. *dub*. 6. *num*. 91. Lorca *disp*. 25. *num*. 28. Bonacina *suprà*, & alij.

6 Sed quid si ipse inimicus te salutauit?

Respondeo, regulariter loquendo, te obligatum esse resultare, quòd si non facias, non solùm contra vrbanitatem peccas, sed etiam contra charitatem, quia posita inimicitia, censeris omittere ob inimici contemptum, illíque occasionem præbes in inimicitia perseuerandi. sic Suarez *disput*. 5. *sect*. 5. *num*. 8. Coninch, Valent. Lorca, Bonacina *suprà*. Emanuel Saa *in vtraque editione, verbo charitas*, *num*. 9. Excipi tamen debet casus, in quo seclusa inimicitia non soleres salutantem resalutare, qui casus rarus est, & solùm habere potest locum in homine tibi longè inferiori; tunc enim nec contemptus, neque odij potest esse signum omissio resalutationis. sic expressè Coninch *num*. 91. cum Bannes, Valent. Lorca, Nauarr. & Bonacina *disp*. 3. *quæst*. 4. *de charitate punct*. 3. *num*. 4.

7 Tertius casus est de inimico veniam postulante, & dicendum est te obligatum esse aliqua signa exhibere, quibus significes illum in amicitiam recipere, quia omissio talis signi in illa occasione esset signum rancoris, & odij. sic Suarez *dicta disput*. 5. *sect*. 5. *num*. 9. Bonacina *punct*. 3. *num*. 5. Coninch *disput*. 24. *dub*. 6. *num*. 95. Emanuel Saa *verbo charitas*, *num*. 9. & alij apud ipsos. Excipit autem Coninch ab hac obligatione superiorem offensum, affirmat namque hunc posse aliquantulum retardare remissionem, & animum offensum ostendere, vt subditus grauitatem suæ culpæ apprehendat, illámque iterum fugiat; quia tunc illa ostensio non est signum inimicitiæ, sed potiùs amicitiæ, cùm in bonum subditi fiat, sicuti fecit Dauid cum Absalom, cui diu suum conspectum distulit. Item illa ostensio est quædam culpæ punitio, quæ superioribus, & non aliis permissa est. Cauendum tamen est, vt bene ipse Coninch aduertit, ne ex odio fiat, & ne ex illo oriri intelligatur, néve subditus nimis exasperetur, consentit Emanuel Saa *suprà in edit. Complutens.* cùm dixit, si scandalum absit, & sit aliqua occasio negandi salutationem salutanti, & veniam postulanti, qui negaret non esse condemnandum; sufficit enim (inquit) non odisse, & paratum esse in necessitate, vt proximo subuenire.

8 Verùm in hac significatione amicitiæ non comprehenditur remissio satisfactionis debitæ pro iniuria. Sed non obstante petitione veniæ, illiúsque concessione, potest offensus satisfactionem debitam petere coram magistratu; quia petit, quod sibi debetur, & quod magistratus facere tenetur. sic post alios tradit Valent. 2. 2. *disput*. 3. *quæst*. 3. *punct*. 2. *circa finem*. Suarez *disput*. 5. *sect*. 5. *num*. 10. Bonacina *disput*. 3. *quæst*. 4. *de charitate*, *punct*. 3. *num*. 5. Coninch *disput*. 24. *dub*. 6. *à num*. 96. Cauendus tamen est nimius rigor in hac satisfactione petenda, semper enim Christianus pietatem redolere debet.

9 Sed quid si offensor vltra humilem petitionem veniæ offerat satisfactionem iniuriæ factæ sufficientem prudentis arbitrio; vel iniuria talis conditionis sit, vt reparari non possit, vt contingit in morte filij, vel parentis, poteris ne in iis casibus prosequi actionem iniuriarum coram iudice?

Videtur negandum, ex *cap. si quis constitutus*, 90. *dist.* vbi Fabian. Papa dicit: Si quis ob iniuriam acceptam grauiter contristatus est, & satisfactionem oblatam noluerit admittere, grauissimis pœnis ad id est compellendus. Secundò videris procedere ex affectu vindictæ, cùm absque vlla propria vtilitate damnum alteri procures, illíque præbes sufficiens odij excitatiuum. Tertiò, quia contra consilium Christi procedis, debebas enim percutienti in vna maxilla, præbere illi alteram; non tamen procurare, vt grauiùs percutiatur. sic docent Beja 1. *part. summ. casu* 10. Azor 3. *part. lib*. 12. *cap*. 13. *quæst*. 7. inclinat Syluest. *verbo charitas*, *quæst*. 9.

Fateor regulariter hoc consulendum esse, quia rarus est, qui ex amore iustitiæ, & non potiùs ex affectu vindictæ punitionem iniuriantis petit. Cæterùm si protesteris non ex affectu vindictæ, sed iustitiæ te accusationem instituere, & punitionem iniuriantis petere, vrgendus non es, vt desistas, neque ob id est neganda absolutio. Ratio est, quia iudices sunt constituti à Republica, vt delinquentes puniant, & offensis satisfactionem exhibeant. Ergo offensus petens hanc punitionem, & satisfactionem, non petit aliquid illicitum, sed potiùs quod iustitiæ vindicatiuæ conforme est. Ergo hæc petitio non debet reputari signum vindictæ, neque odij excitatiuum. Adde sæpe esse conueniens reipublicæ, ne offensus ab accusatione desistat. Nam illo desistente solent criminosi facilè veniam impetrare, & audaciores fieri ad similia committenda. Vt ergo ipsi, & alij arceantur, & reipublicæ scandalo fiat satis, expedit offensam prosequi actione iniuriarum: & ita tradit expressè Suarez *disput*. 5. *de charitate*, *sect*. 5. *fine*. Coninch *disput*. 14. *dub*. 6. *num*. 103. Lorca *sect*. 3. *disput*. 25. *num*. 3. Bonacina *disput*. 3. *quæst*. 4. *punct*. 3. *num*. 5. Ioan. Sanchez *disput*. 2. *selectarum*, *num*. 11. vbi addit licitum tibi esse non solùm coram iudice petere vindictam iniuriantis, hoc est, punitionem debitam, sed etiam à Deo, dummodo non excedas in petitione vindictæ vltra meritum culpæ, quia petis quoddam opus virtutis, scilicet delinquentis punitionem factam ab eo, qui potestatem habet puniendi. Neque obstant superiùs adducta. Nam *cap. si quis constitutus*, solùm probat grauiter compellendum esse eum, qui satisfactionem iniuriantis non vult admittere, vt odium deponat. sic explicat Valentia 2. 2. *disput*. 3. *quæst*. 2. *punct*. 2. *circa finem*, *versic. neque Syluest.* Ad secundum nego te procedere ex affectu vindictæ, sed ex affectu iustitiæ. Ad tertium sufficit non esse contra Christi præceptum, vt licitè fieri possit. Adde neque esse contra consilium, si ratio boni communis, & non tantùm proprij sui commodi intercedit, vt sæpè potest contingere.

10 Quartus casus est, cùm duo se inuicem offendunt, quis teneatur priùs petere veniam, aut satisfactionem exhibere pro iniuria illata? Respondeo per se, & cæteris

teris paribus obligatum esse, qui priùs iniuriam intulit, quia priùs obligationem satisfaciendi contraxit, & alter aduersùs illum ius petendæ satisfactionis acquisiuit. sic Nauarr. *cap.14.num.25.* Coninch *disput.24. dub.6.num 99.* Bonacin. *disput.3. quæst.4. de charit. p.3. num.6.* At si prior offendens leuem iniuriam intulit, & posterior grauiorem, vel prior est longè nobilior, secundus inferior, non videtur obligatus priùs satisfactionem exhibere, sed illam suspendere potest, quousque alius sibi debitam exhibeat. sic Bonac. & Coninch *suprà*, & Reginald. *lib.17.num.125.* Et idem videtur dicendum, si præsumat petita venia, & satisfactione pro sua parte exhibita alium non correspondsurum; tunc enim titulo recompensationis retinere quasi in depositum satisfactionem poterit, quousque videat alium paratum debitam exhibere: sic Bonacina *suprà.*

11 Sed inquires, an offendens obligatus sit semper veniam petere, aut satisfactionem competentem exhibere, neque possit absolui, si id facere nolit? Respondeo sæpè ab obligatione petendi veniam, & satisfactionem exhibendi excusari offendentem, ideóque posse absolui. Primò excusatur in casu proximè dicto, quando alius intulit grauiorem iniuriam, vel præsumit sibi illatæ non satisfacturum. Secundò si læsus non sit contentus satisfactione prudentis arbitrio competente, sed exigat immoderatam, qualis esset, si vellet vt aliquo modo infami peteret veniam, quia ante sententiam iudicis, ad hæc tam ardua, & difficilia nullus tenetur. sic Coninch *disput.24. dub.6. num.100.* Tertiò si pensatis circunstantiis censeatur læsus satisfactionem remisisse, aut de illa parum curare, quod fieri intelligitur, si non exigat, cùm facilè possit, vel cum lædente ita amicabiliter pertractet, ac si nullam iniuriam accepisset. sic Coninch. *suprà num.100.* Extra hos ergo, & similes casus, si offendens nolit veniam petere, aut satisfactionem competentem exhibere, nequaquam absolui debet, quia non potest esse contritus, cùm nolit obligationi debitæ satisfacere. sic Syluest. *verbo iniuria, quæst.5.* Coninch *disput.24. dub.6. num.100.*

Dixi veniam petere, aut satisfactionem competentem exhibere, non enim semper ad petitionem veniæ obligatur, vt contingit, cùm offendens est superior, quem non decet se ita subdito submittere, nisi fortè iniuria grauis sit. Debet tamen semper offendens satisfactionem competentem dare prudētis arbitrio, spectata qualitate personarum, & iniuriæ factæ.

12 Quintus casus est, an si scias alloquendo inimicum, & aliàs signa beneuolentiæ illi exhibendo ab odio fore, vt desistat, præstare tenearis. Respondeo cum distinctione, si grauem difficultatem in iis exhibendis censeas, cogendus non es, quia non videris teneri cum tanta difficultate salutem inimici procurare. sic expressè Coninch *disput.24. dub.6. num.92.* & indicat Suar. *disput.5. sect.5. num.8.* vbi solùm inquit aliquando hæc pro salute inimici facienda esse. Verùm si tibi hæc præstare grauiter molestum non est, sine dubio teneris, quia bonum spirituale inimici, sicuti & cuiuslibet proximi procurare debes, etiam cum aliquo tuo incommodo; aliàs non esset nobis præceptum, *Exod.23.* leuare asinum inimici iacentem sub onere, & *Prouerb.25.* esurientem inimicum cibare. sic Suarez *suprà*, & Coninch *num.97.* & Bonacina alios referens *disput.3. quæst.4. de charit.p.3. num.3.*

Pvnctvm VII.

Vtrùm in bonis spiritualibus teneamur nos ipsos in amore appretiatiuo præferre omnibus proximis.

1 *Quæ sint bona spiritualia.*
2 *Obligaris velle potius tibi gratiam, & gloriam, quàm reliquis omnibus.*
3 *Proponitur quædam obiectio de facto Moysis, & Pauli.*
4 *Pro aliquo tempore licitum tibi est velle beatitudine carere, vt saluti proximorum prouideas.*
5 *In bonis spiritualibus non obligatoriis potes alios tibi præferre.*

1 Bona spiritualia sunt in duplici differentia, alia, quæ quis sibi, & proximis velle debet, alia quæ nec sibi, nec proximis velle tenetur. Explico. Ex charitate teneris velle gratiam, & gloriam tam tibi, quàm cuilibet proximo, & omnibus illius impedimentis carere. Summam autem gratiam, & gloriam, & quæ ad hanc perfectionem conducunt, qualia sunt euangelica consilia, neque tibi, neque alteri regulariter obligatus es velle.

2. Dico ergo primò. Obligatus es velle potius tibi gratiam, & gloriam, quàm reliquis omnibus, etiam vniuerso mundo. Cóclusio est certa, quam tradit D.Thom. 2.2. *quæst.26. art.4.* Valent. *disp.3. quæst.4. p.3. conclus.1.* Suarez *disp.9. de charit. sect.1. n.2.* Coninch *disp.25. dub.5. conclus.4. & 6.* & alij apud ipsos. Ratio est, tum quia norma, & regula diligendi proximum est amor sui ipsius. Matth.22. *Diliges proximum, sicut te ipsum.* Ergo dilectio tui præferenda est. Tum quia charitas magis inclinat ad procurandam sui conseruationem, & augmentum, quàm ad procurandam conseruationem, & augmentum aliorum, in quibus ipsa non residet, quia ad proprium augmentum inclinat per se, ad aliorum augmentum per accidens. Ergo velle prius debes tibi gratiam, quàm aliis. Ergo non potes velle gratia carere, vt alij eam consequantur. Adde te non posse gratiam, & beatitudinem amittere, nisi peccatum mortale committendo: at hoc secundùm fidem, & iam, si totus mundus saluus fieret, committi non debet. Ergo neque potest velle gratiam, & beatitudinem amittere, vt totus mundus saluus fiat. Sed demus sine peccato gratiam, & gloriam omitti posse, adhuc non potes velle ipsis carere, vt alij ea consequantur. Tum quia hæc carentia non potest esse medium proportionatum ad huius finis consecutionem, potius enim possessio charitatis, quàm illius carentia est medium, vt in aliis similem charitatem excites. Tum quia charitas ipsa obligat subiectum, in quo residet, vt sui conseruationem, & augmentum primò procuret. Tum denique quia gratius Deo est, vt quilibet procuret Deum amare, quoad possit, quàm vt procuret, vt alij ament, se ipso neglecto. iuxta illud Matth.16. *Quid enim prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò sua detrimentum patiatur.*

3 Neque obstat Moysen *Deut.32.* elegisse potius beatitudine carere, quàm populum condemnatum relinquere. Dixit enim Deo, *Aut dimitte illis hanc noxam, aut dele me de libro vitæ*, & Paulum voluisse anathema esse à Christo pro fratribus, quia omissis aliis explicationibus, quas supradictis locis adhibent expositores communiter, ea mihi magis probatur, quæ cum August. *quæst.147. super Exod.* affirmat neque Paulum, neque Moysen voluisse absolutè beatitudine carere, sed per quandam exaggerationem, & filialem confidentiam fuisse locutos, scientes non esse beatitudine priuandos, dixisséque Deo, sic salutem proximorum desideramus, vt si per impossibile vnum è duobus est faciendum,

conce

concedatur aliis æterna salus, etiamsi nos à visione tua excludas, quod scimus facturum non esse; sicut si amicissimo diceres: Parce his rebellibus, vel dele me de tua amicitia, aut me cum illis interfice. Non enim vis mori, neque amicitia illius priuari, etiam si ille petitionem non concedat, sed per exaggerationem loqueris, vt declares te desiderare aliorum veniam, ac desideras vitam, eiúsque amicitiam.

4 Verum est licitum tibi esse, & laudabile velle pro aliquo tempore pati dilationem beatitudinis, vt proximorum saluti prouideas, sicuti fecit Paulus *ad Philippens.* 1. Coarctor è duobus desiderium habens, dissolui, & esse cum Christo, permanere autem in carne necessarium propter vos. & de S. Martino testatur in eius vita Bernard. morientem dixisse: Si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem, & sic de aliis. Quia carentia beatitudinis pro aliquo tempore determinato compensatur sufficienter voluntate aliorum, & meritorum proprio incremento. Nunquam tamen tibi licet velle nec pro vna hora, gratia, & charitate carere, etiamsi absque peccato futurum esset; quia non est medium ad salutem aliorum proportionatum, & præterea est contra inclinationem charitatis, quæ per huiusmodi desiderium in sui destructionem tenderet. sic docet, & latè probat Valent. 2.2. *disput.* 3. *quæst.* 4. *punct.* 3. *concl.* 2.

5 Dico secundò. Si bona spiritualia sunt extra obligationem, poteris absque peccato alios tibi præferre. sic Valent. 2.2. *disput.* 3. *quæst.* 4. *punct.* 3. *conclus.* 1. Et ratio est manifesta, quia si nulla est obligatio procurandi illa bona nec tibi, neque aliis, sed pro libito ea tibi, & aliis procurare potes, quòd illa aliis procures, & non tibi, non obinde argui potes, sed potius laudari, quia opus laudabile facis. Nihilominus verum est charitatem inclinare, vt potius tibi, quàm aliis, hæc quæ ad perfectionem attinent, procures. Sed quia ad hæc non obligaris, ideo potes absque peccato procurare aliis, & non tibi. At si bene aduertitur, & tibi procuras perfectionem: non enim potes aliorum perfectionem promouere, quin tuam etiam promoueas.

PVNCTVM VIII.

Verùm in temporalibus bonis debeamus nos ipsos magis diligere, quàm proximum.

1 *Pro bono reipublicæ, bona fortunæ, imò & vitam expendere debes.*
2 *In æquali tui, & alterius particularis necessitate, non teneris alium tibi præferre.*
3 *In bonis fortunæ potes proximum tibi præferre.*
4 *Proponuntur variæ sententiæ, affirmans, & negans te constitutum in æquali necessitate bonorum, quæ conseruare teneris, posse alium tibi præferre.*
5 *Conciliantur hæ sententiæ.*
6 *Satisfit rationibus num. 4. adductis.*
7 *Oppetere mortem, & exponere te periculo vitæ ob conseruandam vitam proximi extranei non est mortale, sed cauenda est cooperatio.*

1 PRæmitto certa, vt gradum faciam ad dubia, & controuersa. Primò certum est te debere in æquali tui, & reipublicæ necessitate non solùm bona fortunæ, sed etiam vitam expendere pro reipublicæ conseruatione. sic D.Thom. ab omnibus receptus 2.2. *quæst.* 26. *art.* 3. quia bonum commune præferendum est speciali, & pars exponenda est ob conseruationem totius. Dixi, in æquali necessitate. Nam si respublica solùm grauiter, & non extremè indigeat, probabilitate non caret te obligatum non esse vitam expendere; quia tunc extrema tua necessitas præponderat graui reipublicæ. Item ius conseruandi vitam est homini maximè connaturale. Ergo non est obligandus amittere ob quamlibet reipublicæ necessitatem, sed solùm ob extremam. sic Suarez 2.2. *disput.* 9. *de charitate*, *sect.* 3. *num.* 1. Quod dictum est de republica, dicendum est de Principe, seu alia persona reipublica necessaria, si verè necessaria est, quia id ipsum est reipublicæ prouidere. sic Suarez *suprà*, Valent. 2.2. *disput.* 3. *quæst.* 4. *punct.* 2. *conclus.* 4. *fine.*

2 Secundò est certum in æquali necessitate tui, & cuiuslibet priuati te posse tibi, & non alteri prouidere, imò hoc charitati esse conformius, quæ inclinat potius ad sui, quàm ad aliorum amorem, iuxta illud Matthæi 19. *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum.* sic D.Thomas *suprà art.* 4. Coninch *disput.* 25. *dub.* 6. *n.* 79. Suarez *disput.* 9. *sect.* 3. & alij. Si verò necessitates dispares sunt, vt si proximus sit in extrema, tu verò in graui, ipse in periculo manifesto vitæ, tu in periculo solùm probabili, poteris illi succurrere. At credo te non teneri, quod possis. probatur, quia iuxta ordinem charitatis est, vt bonum maius proximi proprio præferatur. At negari non potest vitam proximi, quæ alia via conseruari non potest, maius bonum esse, quàm exclusio probabilis periculi vitæ propriæ, sicut grauius malum est mors certa, quàm periculum illius. Ergo charitati conforme est, si periculo probabili te exponas ob vitandum certum tui proximi. sic tradit Valent. 2.2. *disput.* 3. *quæst.* 4. *conclus.* 3. *versic. secundò sequitur.* & hinc est te posse cum periculo vitæ inseruire peste infectis. Quòd autem non tenearis, probo, quia præceptum de conseruanda vita alterius non potest cum graui detrimento propriæ obligare: esset enim nimis asperum, & durum præceptum. At qui se exponit periculo probabili amittendi vitam propriam ob conseruationem alienæ, graue detrimentum patitur. Ergo ad hoc non est obligandus. sic Emanuel Saa *verbo charitas*, *num.* 2. *in vtraque edit.* cum Nauarr. *cap.* 24. *num* 9. Tolet. *lib.* 4. *cap.* 10. *num.* 4. Lopez 1. *part. cap.* 67. An verò si proximus in periculo vitæ versetur, tu verò in periculo amittendi fortunæ bona, tenearis illi succurrere, constabit ex iis, quæ disput. seq. de eleemosyna trademus.

3 Tertiò est certum in bonis, quæ ex obligatione conseruare non tenemur, posse proximum nobis præferre. Quapropter licet nobis proximo egenti donare etiam ea, quæ nostro statui necessaria sunt. loquor de homine libero, non de patrefamilias, cui alia via hæc prohiberi possent. sic Coninch *disput.* 25. *dub.* 6. *num.* 79.

4 Dubium igitur est, an pecces contra charitatem, si constitutus in æquali necessitate bonorum, quæ ex obligatione conseruare debes, vt vitæ, & corporis, cedas tui conseruationi, vt vita, & corpus proximi conseruetur.

Sunt qui affirment te peccare, ea præcipuè ratione moti, quia charitas obligat propriam, & alienam vitam conseruare, & cæteris paribus prius obligat propriam, deinde alienam, quia, vt ait D.Thomas 2.2. *quæst.* 26. *artic.* 4. propria vita magis illi coniuncta est. Ergo contra charitatis obligationem procedis, si hunc ordinem peruertis. Ergo peccas. sic Paludanus 4. *distinct.* 15. *quæst.* 3. *art.* 2. *conclus.* 3. Gabriel *ibidem distinct.* 16. *quæst.* 4. *artic.* 2. *conclus.* 1. & videtur esse Augustini *lib. de mendac. cap.* 6. vbi ait: Si quis exponat vitam corporalem propriam pro vita corporali alterius, iam non diligit proximum sicut se ipsum, sed plusquam se ipsum, quod sanæ doctrinæ regulam excedit. Ergo est contra regulam charitatis. Econtrà alij negant te peccare, sed

sed potiùs dicunt te opus laudabile facere. Mouentur, quia non teneris ita propriam vitam conseruare, quin possis eam periculo exponere ob aliquem honestum finem, vt multis exemplis Lessius *lib.2.c.9. dub.6. à num.* 27. confirmat. Sed conseruare vitam proximi est honestus finis, & proprius virtutis charitatis, & fortitudinis. Ergo non peccas, si ob hunc finem exponas propriam. Deinde pro conseruatione tui status, acquisitione honoris, & rerum fortunæ potes laudabiliter vitam exponere. Ergo à fortiori pro conseruatione vitæ proximi, quod maius bonum est. Denique pro conseruando statu, rebúsque fortunæ alicuius domini se exponit famulus certissimis vitæ periculis, & stipendium accipit, vt sic obligetur. Ergo si id faciat ex liberalitate, laudabilior erit. & ita tenet Lessius *lib. 2. cap. 9. dub. 6. num.* 29. Coninch aliis relatis *disput.* 25. *dub.* 6. *num.* 81.

5 Alij supradictas sententias conciliant, & primam sententiam procedere dicunt, quoties nulla specialis ratio adest exponendi vitam propriam, nisi conseruatio alienæ, vt contingit, cùm illam exponis pro extraneo, nec tibi amico, nec benefactore, neque specialiter reipublicæ necessario. Secundam sententiam dicunt procedere, cùm aliqua specialis ratio intercedit, scilicet ostendere amico debitum amici officium, gratificari illi beneficia, prouidere alicui vtilitati communi, quia tunc non amas proximum plusquam te, sed opus virtutis amas præ vita, vt dixit D. Thom. suprà relatus. sic Suar. *disput.* 9. *de charit. sect.* 3. *num.* 7. Valent. *disput.* 3. *quæst.* 4. *conclus.* 3. & hic modus dicendi mihi probabilior apparet argumentis pro vtraque sententia adductis.

6 Neque aduersùs hunc modum dicendi vrgent rationes allegatæ pro sententia Lessij, & Coninch. Negamus namque conseruationem vitæ proximi amissione propriæ esse finem honestum, quia est contra ordinem debitum charitatis. Erit autem finis honestus, si cum conseruatione vitæ proximi, ostensio amicitiæ, gratitudinis ad beneficia, fidelitatis, aut alterius virtutis coniungatur, vt contingit in omnibus exemplis allatis à Lessio, & quæ adducta sunt in confirmationem illius negatiuæ sententiæ. Quòd si obiicias: Si aliquis culpabiliter, vel inculpabiliter te inuadat, cuius ictum declinare non potes, nisi illum occidas, licet tibi abstinere ab illius occisione, & permittere, vt te occidat. Ergo iam conseruatio præcisa vitæ alienæ est honestus finis ad permittendam propriam mortem.

Respondeo negando consequentiam: non enim permittis te occidi ob alterius vitæ conseruationem præcisè; sed ne alium occidas. est enim occisio cuiuslibet hominis ita grauis, dura, & terribilis, vt actus sit pietatis ab illa abstinere, etiamsi tibi liceat: permittere ergo tuam mortem ob huiusmodi finem actus est laudabilis.

7 Aduertit tamen Suarez *disp.9.sect.3.num.7.* non esse peccatum mortale, sed solum veniale oppetere mortem, & exponere vitam propriam, pro conseruanda præcisè vita proximi extranei: quia licèt charitas obliget prius amare seipsum, quàm proximum in æquali necessitate etiam temporali, non tamen sub graui obligatione hunc ordinem imponit, sed sub leui. Secundò aduertit esse cauendum, ne positiuè ad mortem propriam coopereris, existimat autem & bene te cooperaturum, si proximo periclitanti in mare cederes tabulæ iam à te occupatæ, vt ipse se saluaret, sciens te inde esse periclitaturum; quia illa cessio est quædam positiua in vndis immersio, quæ tibi non licet. Secus verò si tabula à te occupata non esset, poteras tunc permittere ab alio occupari, quia tunc non cooperaris morti propriæ, sed abstines à conseruatione vitæ ob alterius vitæ conseruationem, & tradit Vasquez *opusc. de eleemos. cap.* 1. *num.* 1. Hæc omnia dicta sunt de homine libero, cuius vita aliis necessaria non est. Nam si aliis necessaria est, vt filiis, & vxori, & consanguineis tum ad bonum spirituale, tum ad temporale, nullo modo liceret pro vita alterius priuati hominis propriam exponere, sed grauiter talis peccaret: non enim cum tantorum detrimento vitæ alterius succurrere debebat. sic Coninch *disp.25.dub.6. in fine, n.*84. Bonacina *disp.3. quæst.4. de charit. p.4. fine, num.6.*

PVNCTVM IX.

An ex charitate obligeris, & quando, salutem spiritualem proximorum bonis propriis temporalibus fortunæ, & vitæ præferre.

1 *Præmittuntur tria certissima.*
2 *Statuitur regula ab omnibus recepta te obligatum esse salutem spiritualem cuiuslibet proximi tuis bonis temporalibus fortunæ, & vitæ præferre.*
3 *Hæc obligatio vrget in extrema proximi necessitate.*
4 *Si Petro dormienti, & in peccato mortali existenti scires mortem euenturam, teneris cum periculo vitæ impedire.*
5 *Idem est de infante Christiani filio.*
6 *Homini peccatori in extremis, non teneris semper cum periculo vitæ pœnitentiæ sacramentum ministrare.*
7 *Te inuadentem benè potes occidere, tametsi in peccato moriatur.*
8 *Examinantur tres casus positi à Valentia.*
9 *Extra casum extremum non teneris cum graui iactura succurrere proximo priuato in spiritualibus.*
10 *Proximo communi, scilicet reipublicæ, teneris cum periculo vitæ succurrere.*
11 *Cuilibet proximo grauem necessitatem spiritualem patienti teneris cum leui tuo detrimento succurrere.*
12 *Si superior, & pastor sis, teneris cum periculo vitæ graui spirituali necessitati proximi subuenire.*
13 *Non potes tempore pestis fugere.*

1 PRæmitto primò. Nomine *proximorum*, vt constat ex sæpè dictis, non solùm quilibet particularis homo intelligitur, sed à fortiori quælibet communitas, respublica, & regnum. Item loqui possumus de obligatione hominis particularis, & priuati, vel de obligatione superioris, Principis, & pastoris.

Secundò præmitto triplicem esse necessitatem proximi de tuo auxilio leuem, grauem, & extremam. Leuis est, quam proximus leui conatu, & facili negotio absque tuo auxilio repellere potest. Grauis, quæ sine tuo auxilio non nisi graui conatu, & difficulter ab illa se potest proximus liberare. Extrema est solùm periculum æternæ damnationis, à quo proximus absque tuo auxilio vel se omnino eripere non potest, vel cum tanta difficultate vt prudentis iudicio reputetur moraliter insuperabile, ac proinde omnino impossibile.

Præmitto tertiò, vt proximo obligeris succurrere cum iactura propria, duo tibi debent esse moraliter certa. Primò proximum indigere tuo auxilio, quia alius non adest, qui succurrat. Secundò, auxilium tuum fore profuturum. In his tribus suppositis omnes conueniunt, vt videre est in Doctoribus in discursu referendis.

2 Regula ergo certissima, & ab omnibus catholicis recepta est, te obligatum esse salutem spiritualem cuiuslibet proximi tuis bonis temporalibus fortunæ, & vitæ præferre, ita vt si opus sit hæc omnia expendere pro illius consecutione, id debeas facere. Probatur ex illo Ioann.14. *Hoc est preceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* At Christus dilexit nos expendendo

dendo propriam vitam pro nostra spirituali salute. Ergo sic debemus proximos diligere. Et confirmatur ex illo Ioann.1.cap.3. *In hoc cognouimus charitatem Dei, quia ille animam suam posuit pro nobis, & nos debemus pro fratribus animas ponere.* quem locum expendens Augustinus *lib. de mendac. cap.6.* dixit, temporalem vitam suam pro æterna proximi non dubitabit Christianus amittere. Ratio est, quia bona spiritualia, & maximè æterna excellentiora, & Deo gratiora sunt quolibet temporali bono, etiam proprio. Ergo ex charitate huic bono illa præferri debent.

Difficultas autem est, quibus euentibus id necessariò faciendum sit, quod sequentibus conclusionibus explicabimus.

3 Prima conclusio est, in extrema proximi necessitate debes non solùm bona temporalia, sed etiam vitam expendere, si tibi spes est fore profuturum. sic cum D.Thoma 2.2. *quæst.26. art.5.* tradunt omnes eius expositores, Caietan. Bannes, Aragon, & alij. Valent. *disput.3. quæst.4. punct.4. assert.5.* Torres *disput.87. dub.2. conclus.3.* Lorca *sect.3. disput. 28. memb.2.* Azor *tom.2. lib.12.cap.4.* Tolet. *lib.4.summ.cap.10.* Coninch *disp.25. dub.7.num.86.* Suarez *de charitate, disput.9. sect.2.num.2.* Bonacina *disput.3. quæst.4. de charitate, punct.4. num. 2.* Ratio est, quia præceptum expendendi vitam propriam pro salute proximi in aliquo casu obligat; aliàs superuacaneum esset. Ergo ad minus obligare debet in casu extremæ necessitatis.

4 Ex quo infero primò. Si Petro dormienti, & phrænesi laboranti, & in peccato mortali existenti mortem scires euenturam, siue à se, siue ab alio, teneris cum periculo vitæ impedire si potes, & moraliter certus es à peccato postea esse liberandum, aliàs non; quia hæc est extrema necessitas. sic Coninch *num.87.* Suarez *disput.9. sect.2. num.3.*

5 Infero secundò. Si infans filius Christiani fidelis sit morti proximus, indigeátque Baptismo, quem absque periculo vitæ conferre non potes, neque alius sit, qui conferat, teneris cum periculo vitæ conferre; quia illa est extrema necessitas, à qua non potest infans se liberare. Neque obstat illam necessitatem prouenire ab extrinseca aliqua causa, scilicet à tyranno impediente Baptismum, ob cuius rationem negat Sotus *relect. de secret. membr.2. quæst.2. post 6. conclus.* non esse hunc casum extremæ necessitatis per se, sed per accidens, quia impertinens est, à quo, & quomodo proueniat necessitas, vt deobligeris, si de facto necessitas vrget. sic Nauarr. *cap.24. num.9.* Lorca 2.2. *sect.3. disput.28. num.32.* Coninch *disput.25. dub.7. num.88.* Suarez *disp.9. sect.2. num.3.* Bonacina *disput.3. quæst.4. de charitate, punct.4. num.2.* Valent. *disp.3. quæst.4. de charitate, punct.3. in fine.* Dixi, si infans sit filius Christiani fidelis. nam si filius ethnici sit, non est constans inter Doctores, an parentibus inuitis possit baptizari. In illo ergo casu, in quo baptizari potest, teneris cum periculo vitæ Baptismum illi conferre. sic Suarez *suprà.* Posse autem baptizari, quoties absque vi illata parentibus, & graui illorum perturbatione fieri potest, communior ferè sententia. sic Coninch *suprà.* Scio tamen Emanuelem Saa *verbo charitas, num.4. in vtraque editione,* reputare probabile te non esse obligatum puero huic Baptismum conferre cum periculo vitæ, alioqui enim teneretur mater grauida permittere se secare, vt filius in vtero existens baptizaretur, alioquin sine Baptismo moriturus, quod non est concedendum.

6 Tertiò infero quid dicendum sit de eo, qui diu vixit in consuetudine peccandi, & morti proximus petit Confessarium, à quo absoluatur, an debeas, parocho, neque alio succurrente, absolutionem concedere cum periculo propriæ vitæ? Affirmat Bannes 2. 2. *quæst.28. art.5.* Suarez *suprà num.3.* Valent. *disput.3. punct.3. versic. quartus casus,* quia huic difficillimum est habere contritionem. Ergo reputanda est illa extrema necessitas.

Sed credo hoc solum esse intelligendum in homine rustico, aut prorsus ignaro ad iustificationem extra sacramentum requiri contritionem, quia huic moraliter impossibile est contritionem habere, cùm eius menti obligatio habendi contritionem non occurrat. sic Coninch *disput.25. de charitate, dub.7. num.90.* cum Nauarr. *cap.24. num.9.* & indicat Bonacina *num.2.* quatenus dicit requiri ad extremam necessitatem, vt non valeat actum contritionis elicere. Aliàs si cuilibet petenti absolutionem deberes cum periculo vitæ impendere, ne ob defectum contritionis in æternum pereat, sine dubio obligatus esses tempore pestis, & inuasionis hostilis deficientibus parochis cum periculo propriæ vitæ sic oppressis sacramenta ministrare, neque posses fugere. quod Doctores communiter negant.

7 Quartò infero quid dicendum sit de eo, qui te inuadit, cuius ictum declinare non potes, nisi occidas. Reputo te posse occidere, quia illa extrema necessitas non est, cùm ab illa se liberare possit, sed potiùs est extrema malitia. sic Coninch *num.95. fine.* Bonacina *disput.3. quæst.4. punct.4. num.2. fine.* Sed quid si inuasor ebrius sit, aut phræneticus, teneris ne tunc te permitti occidi, ne in peccato alius moriatur?

Respondeo te non teneri, quia nec reputare debes alium esse in peccato, neque si est, postea esse conterendum, neque te ita esse dispositum, vt mortem subitaneam, & non præmeditatam subire possis sine periculo damnationis.

8 Quintò infero quid dicendum sit de tribus illis casibus relatis à Valent. *suprà,* in quibus ipse agnoscit extremam necessitatem? Primus est de illis rusticis, qui à concionatore hæretico reducuntur, neque est, qui valeat eos ab ignorantia liberare. Secundus de celebrantibus aliquem contractum vsurarium ex ignorantia vincibili, in qua creduntur perseueraturi, nisi tu succurras. Tertius de filia, quam pater ob paupertatem læsioni tradit contra eius voluntatem.

Respondeo in supradictis nullam adesse extremam necessitatem. Nam vel illi seducti ignorantia vincibili laborant, vel non. si non; non committunt peccatum, si laborant vincibili ignorantia absolutè, etiamsi cum difficultate ab illa se liberare possunt. Ergo non est extrema necessitas. Filia verò etsi aliquo modo coacta ob parentis reuerentiam peccato consentiat: at liberè consentit, & potest sustinendo iram parentis à peccato abstinere. Ergo extrema necessitate non laborat. Adde præsumi non posse supradictos semper in peccato esse perseueraturos, neque aliquando esse à Deo illuminandos. Et ita à necessitate extrema, & obligatione succurrendi cum periculo vitæ. hos casus excludit Coninch *d. disp.25. dub.7. n.94.*

9 Dico secundò. Extra casum extremæ necessitatis non teneris cum periculo morali propriæ vitæ, aut amissionis membrorum, aut graui iactura bonorum fortunæ succurrere proximo priuato in spiritualibus. sic D.Thom. 2. 2. *quæst.26. art.5. ad 3.* Nauarr. *cap.24. num.12.* Coninch *disp.25. dub.7. n.96.* Valent. 2. 2. *disp.3. quæst.4. punct.3. vers. secundò dico, post 5. assertionem.* Suarez *disput.9. de charitate, sect.2. n.4.* Bonacina *disput.3. quæst.4. punct.4. num.2.* Eman. Saa *verbo charitas, num.2. & 5.* Ratio est, quia non decet suauitati legis Euangelicæ ob necessitaté proximi, à qua ipse se potest liberare, te esse arctandum ad propriæ vitæ, bonorúmq; fortunæ amissionem: ius enim conseruandi propriam vitam, & ea quę vitæ sunt necessaria, est maximè naturale. Non ergo amittendum est ob necessitates passim occurrentes, quales sunt graues proximorũ necessitates. Hinc infero te

te non esse obligatum cum periculo vitæ, vel iactura graui honoris, & diuitiarum peccatum proximi impedire, tum quia cùm ipse peccat, non laborat extrema, sed ad summũ graui necessitate. Tum quia potest postea se ab illo peccato per pœnitentiam liberare. Secundò infero te non teneri ad Indos proficisci, quia neque ipsi laborant extrema necessitate, cùm sint alij qui succurrant ex obligatione, neque est moraliter certum te posse succurrere. Ergo non teneris ob eorum salutem procurandam periculum nauigationis subire, & exilium ita graue pati. sic Bonacina *disp. 3. quæst. 4. de charit. p. 4. num. 2. fine.*

10 Dico tertiò. Proximo communi (hoc est, reipublicæ) in graui necessitate cõstituto teneris etiam cum periculo propriæ vitæ succurrere. sic Coninch *disput. 25. dub. 7. num. 99. & 100.* Bonac. *suprà num. 5.* & Suar. *disput. 9. sect. 2. num. 4.* vt probabile defendit. Ratio est, quia vix fieri potest rempublicam pati grauem in spiritualibus necessitatem, quin plures particulares patiantur extremam. Deinde illa necessitas communis est grauissimum damnum, cui meritò succurri debet amissione vitæ alicuius particularis, quæ minus damnum est. Adde cùm vitia in communitate grassantur, & plures peruertuntur, honor diuinus periclitatur. Teneris ergo pro illius defensione periculum vitæ subire. Ex quo fit, si scias concionatorem prauam doctrinam in populo seminare, pluresque esse peruertendos, & spem habeas impediendi, si te opponas, te obligatum esse. sic Suar. & Coninch *suprà*, quia tunc pro fide periculum subis. Fit secundò, si in persecutione, aut hostili incursione plebs aliqua careret, qui illi sacramenta ministraret, & ex alia parte grauibus periculis peccandi, amittendique fidem esset exposita, videris teneri cum periculo vitæ.

Dixi, in graui necessitate constituto reipublicæ te obligatum esse cum graui tuo detrimento succurrere: nam si leuem tantùm necessitatem patiatur, obligandus non es ob illius remedium grauem iacturam etiam bonorum fortunæ pati. Non enim iustum est tibi grauem obligationem imponi ob necessitatem, cui facilè ab ipso patiente succurri potest. sic supponunt Doctores suprà relati, & expressè tradit Bonac. *disp. 3. q. 4. de charit. p. 4. num. 5.*

11 Dico quartò cuicunque proximo grauem necessitatem spiritualem patienti teneris succurrere cum leui tuo detrimento, secus patienti leuem necessitatem. sic Coninch *disput. 25. dub. 7. num. 99. & 100.* Suar. *disp. 9. sect. 2. de charit. num. 5. conclus. 4.* Eman. Saa *verbo charitas, num. 5.* Valent. *disput. 3. quæst. 4. p. 3. post 5. conclus. vers. tertiò dico.* Ratio est, quia grauis necessitas spiritualis bonum est superioris ordinis, quod præferri debet cuilibet iacturæ temporali leui; si enim cùm tuus inimicus grauem necessitatem temporalem patitur, teneris, si absque tuo detrimento potes, succurrere, vt patet ex illo Exod. 23. *Si occurreris boui inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum. Si videris asinum odientis te, non pertransibis, sed subleuabis cum eo*, & Prouerb. 25. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum.* Ergo à fortiori teneberis, cùm in rebus spiritualibus grauiter indiget.

12 Dico quintò, si de te principe, pastore, & superiore loquamur, teneris cum periculo vitæ propriæ graui necessitati spirituali cuiuslibet subditi occurrere, si moraliter speras remedium profuturum. sic D. Thom. 2. 2. *quæst. 26. art. 5.* & cum eo expositores communiter. Valent. *disp. 3. quæst. 4. p. 3. circa finem.* Suarez *disp. 9. sect. 2. num. 4.* Coninch *disput. 25. dub. 7. num. 101.* Bonacina *disp. 3. quæst. 4. de charit. punct. 4. num. 5.* & videtur esse sententia August. *epist. 108. ad Honoratum.* Ratio est, quia ij ratione officij, & ob stipendium à subditis acceptum obligantur cum proprio detrimento illorum spirituali necessitati succurrere. Item ij arctius obligantur, quàm reliqui priuati; sed priuatus obligatur proximorum spirituali necessitati extremæ succurrere. Ergo ij obligantur occurrere graui. Dixi te pastorem cum periculo vitæ propriæ obligatum esse spirituali necessitati graui cuiuslibet subditi occurrere. Quod intelligendum est, nisi ex occursu reliqui graue damnum patiantur: vt contingeret, si tua vita esset necessaria reipublicæ, & ob bonum vnius illam exponeres. Imprudenter sanè, & contra charitatem faceres salute vnius damnationem multorũ comparare; sic colligitur ex Coninch *disp. 25. dub. 7. num. 96. fine, vers. excipiendus tamen casus.*

13 Hinc fit primò tempore pestis non posse te pastorem fugere, nisi relicto alio, qui vices tui gerat sufficienter, quia grauiter indigent subditi administratione sacramentorum, reliquisque spiritualibus subsidiis ad salutem. Et idem est si hæretici peruertunt plebem. Officium enim boni pastoris, vt dixit Christus, *Ioann. 10.* est, animam suam dare pro ouibus suis. sic Valent. *punct. 3. circa finem.* Bonacina *num. 5.* Coninch *dub. 7. num. 102.* Suarez *sect. 2. num. 4.* Fit secundò instanti tali necessitate, & inuitis subditis te non posse officio, & beneficio renunciare, sicut nec miles renunciare potest militiæ instante necessitate pugnæ. Aliàs nullus esset pastor obligatus ouibus assistere, cùm possit facilè hoc remedio ad fugiendum vti. sic Coninch, & Valent. *suprà.* Excipe tamen nisi sit alius idoneus, qui ad suscipiendum officium sponte se offerat, neque subditi possunt esse rationabiliter inuiti, siquidem eorum necessitati sufficienter prouidetur. sic Valent. *dicta disp. 3. quæst. 4. p. 3. fine.*

PVNCTVM X.

An possis, vel tenearis vnum proximum præ alio diligere.

1 *Teneris vnum proximum præ alio diligere.*
2 *Satisfit cuidam obiectioni.*
3 *Obligatus es præferre eum, qui tibi coniunctior est.*
4 *Comparatione Dei vnica est coniunctio in specie, tametsi varij gradus. At comparatione diligentis multiplex est coniunctio.*
5 *Proximus pati potest necessitatem in temporalibus, vel spiritualibus bonis.*
6 *Necessitas proximi, alia grauis, alia extrema, & quando in vtroque proximo est grauis, potest esse in vno grauior.*
7 *Coniunctio naturalis præferenda est spirituali.*
8 *Satisfit obiectioni.*
9 *Consanguinei peccatores tum in spiritualibus, tum in temporalibus præferendi sunt extraneis sanctioribus.*
10 *Amici aliquando præferuntur consanguineis.*
11 *Frater amico, & benefactori in extrema necessitate præferendus est.*
12 *Pater, vxor, filius, frater, creditori sunt præferendi.*
13 *Coniuncti in eodem ordine qui sint alijs præferendi.*
14 *Non est mortale positum ordinem inuertere.*
15 *Quod dicitur de consanguineis, dicendum est de reliquis.*
16 *Benefactor beneficiato præferendus est, iustus iniusto, fidelis infideli.*

1 Certissimum est te posse & aliquãdo teneri vnum proximum præ alio diligere, quia vnus præ alio tibi, & Deo coniunctior est. sic cum D. Thom. 2. 2. *quæst. 26. artic. 6.* tradunt omnes eius expositores. Valent. *disp. 3. quæst. 4. p. 4.* Torres *disp. 76.* Suarez *de fide, disput. 9. sect. 4. à num. 2.* Coninch *disput. 25. dub. 8. præcipuè num. 112.* Bonacina *disput. 3. quæst. 4. de charitate punct. 5.* Quod non solùm intelligendum est de dilectione

lectione in effectu, id est, in exteriori beneficentia. In quo nullus contradicit; cùm manifestum sit existente patre, aut matre, & alio homine ignoto in extrema necessitate corporis, vel animæ, neque possim vtrique succurrere, sed necessariò vnus omittendus sit, debere omittere extraneum, & coniuncto succurrere, vt dixit D. Augustinus *lib.* 1. *de doctrina Christiana, cap.* 28. cùm omnibus prodesse non possis, his potissimum consulendum est, qui pro locorum, & temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictus tibi quasi quadam sorte iunguntur. Non solùm, inquam, intelligenda est conclusio de dilectione in effectu, sed etiam in affectu. Neque enim in effectu vnum præ alio diligere potes, quin simul in affectu illum præ alio diligas, quia diligere in effectu vnum præ alio est conferre illi bonum aliquod altero omisso: ita diligere in affectu vnum præ alio, est velle conferre illi bonum altero omisso. Ergo impossibile est te posse, & teneri vnum proximum diligere præ alio in effectu, quin simul in affectu tenearis.

2 Neque aduersùs hæc obstat Augustinus *loco relato*, cùm dixit, omnes homines æquè diligendi sunt, sed cùm omnibus prodesse non possis, &c. Vbi videtur distinguere dilectionem à beneficentia, & in dilectione affirmat omnes debere esse æquales, secus in beneficentia: quod clariùs dixit *cap.* 6. *ad Galat.* super illa verba, *Operamur bonum ad omnes, maximè ad domesticos fidei.* Omnibus (inquit) pari dilectione vita optanda est, et si non omnibus eadem possint exhiberi dilectionis officia. Non, inquam, hæc obstant. Omnes enim ex parte nostra sunt æqualiter diligendi, quia omnibus debemus velle æquè benefacere, si omnibus possumus. At casu quo omnibus prodesse non possimus, tenemur coniunctiorem minus coniuncto præferre, & hoc velle.

3 Difficultas autem est, qui proximi, & quibus in euentibus præferendi aliis sint? Et casus procedit, cùm obligatus es omnibus benefacere, neque potes; sed necessariò aliquis omittendus est, quis debeat omitti?

Pro quo suppono primò, charitatem semper obligare ad præferendum eum, qui tibi coniunctior est altero non ita coniuncto; quia, vt rectè ait D. Thom. 2. 2. *q.* 26. *art.* 6. cùm est aliquis ordo seruandus, ille præferendus est, qui principio ordinis fuerit coniunctior. Dupliciter autem quis esse potest coniunctior principio charitatis, iuxta duplex charitatis principium. Primò si sit coniunctior diligenti. Secundò si sit coniunctior Deo, propter quem omnia diliguntur. Contingit autem sæpè esse quem diligenti coniunctiorem, quia est consanguineus, & alter extraneus, & Deo minus coniunctum, quia est minus sanctus, & tunc est difficultas infrà examinanda, quæ coniunctio præponderet.

4 Secundò suppono coniunctionem respectu Dei vnicam esse in specie, quæ fit per sanctitatem: in hac tamen sunt varij gradus, iuxta maiorem, vel minorem sanctitatem, ita vt ille erit Deo coniunctior, qui magis sanctus est, & ille minus coniunctus, qui minus sanctus est. At respectu diligentis multiplex est coniunctio, alia naturalis, vt consanguinitatis, alia humana, vt amicitiæ, patriæ, societatis; alia spiritualis, qualis est inter omnes fideles, & præcipuè inter eos, qui eiusdem religionis sunt, inter Confessarium, & pœnitentem, inter prædicatorem, & suo medio conuersum ad fidem, & maximè superiorem, & subditum.

5 Tertiò suppono proximos pati posse necessitatem tui auxilij in diuersorum bonorum genere, alius in spiritualibus, alius in temporalibus, & alius extremè indigere potest, alius solùm grauiter. Et quidem in hac comparatione attendendæ sunt regulæ superiori puncto positæ. Ex illis enim constat necessitatem extremam spiritualem cuilibet temporali necessitati etiam coniunctissimi esse præferendam, siquidem propriæ vitæ præfertur: si autem spiritualis necessitas solùm grauis sit; sicut cum iactura tuorum bonorum graui occurrere non obligaris, ita neque cum iactura illorum, qui tibi coniuncti sunt; si tamen patiens spiritualem necessitatem, æquè tibi coniunctus est, ac patiens temporalem, sine dubio ille huic est præferendus.

6 Quartò suppono necessitatem proximorum posse esse variam etiam in eodem genere bonorum: nam in vno potest esse extrema, in alio grauis, & quando in vtroque est grauis vna, potest esse alia maior. Item possunt proximi se inuicem in coniunctionibus excedere, ita vt coniunctior in consanguinitate, in amicitia, & in spirituali vinculo sit omnino inferior. Quapropter vix potest tunc definiri, quis debeat in amore præferri; quia satis tunc dubium est, quis absolutè principio charitatis sit coniunctior. Pensandæ tamen sunt circumstantiæ occurrentes, tum necessitatis, tum spei futuri fructus, tum præcipuè ex cuius salute maior aliorum speratur fructus: & ex his iudicium ferendum est. sic Suarez *disput.* 9. *sect.* 4. *num.* 1. *fine.* His positis comparando naturaliter coniunctos cum spiritualiter iunctis,

7 Primò dubitatur, an coniunctio naturalis præferenda sit spirituali? v.g. an pater naturalis præferendus sit spirituali, etiam pastori, & filius naturalis spirituali subdito, & sic de reliquis?

Respondeo coniunctionem naturalem per se esse necessariò præferendam; quia hæc est intimior coniunctio, antiquior, & immutabilior, & maiori beneficio fundata. sic Suarez *disp* 9. *sect.* 4. *num.* 11. Coninch *disput.* 25. *num.* 149. & 161. Et quidem in necessitatibus temporalibus credo omnino certum debere patrem carnalem spirituali præferri, & filium naturalem spirituali subdito, & sic de reliquis. Solùm de necessitate spirituali censent aliqui patrem spiritualem esse præferendum. sic Bonacina *disp.* 3. *quæst.* 4. *de charitate, punct.* 5. *in fine.* cum Abulens. *in Matth. quæst.* 66. & Reginald. *lib.* 4. *num.* 317. Valent. *disput.* 3. *quæst.* 4. *punct.* 5. *versic. tertiò sequitur.* quia in spiritualibus bonis videtur pater spiritualis tibi coniunctior, quàm carnalis. At omnino tenendum est contrarium cum Suarez *suprà, & num.* 19. Coninch, & aliis ab eis relatis, quia carnalis coniunctio non solùm obligat ad prouidendum sic coniunctis in bonis temporalibus, sed præcipuè in spiritualibus, vtpote magis necessariis. Ergo obligat ad præferendum hos sic naturaliter coniunctos eis, qui solùm extrinsecè, & in spiritu coniuncti sunt.

8 Neque obstat Ambrosius *lib.* 1. *offic. cap.* 8. quem sequitur D. Thom. *quæst.* 26. *art.* 8. *ad* 1. dicentem. Neque enim minus vos diligo, quos in Euangelio genui, quàm si in coniugio suscepissem, non enim vehementior est natura ad diligendum, quàm gratia: plus certè diligere debemus, quos perpetuò nobiscum putamus futuros, quàm quos tantùm in hoc sæculo. Non, inquam, obstat; quia S. Ambrosius loquitur de amore, quem ipse erga filios spirituales habebat, neque agit de obligatione illos præ aliis amandi; cùm autem dicit plus esse diligendos, quos perpetuò nobiscum putamus futuros, quàm tantùm in hoc sæculo, loqui potest vel de amore complacentiæ, vel certè extra casum necessitatis, vel non comparat spiritualiter coniunctos cum carnaliter iunctis, sed absolutè sanctos cum peccatoribus, & tunc certum est sanctos esse magis diligendos.

Item non obstat Prælatum obligatum esse sibi subditis prouideri in graui necessitate, vt inde colligatur subditos filiis naturalibus, aut saltem fratribus naturalibus, aliisque consanguineis remotis, tum in temporalibus, tum in spiritualibus esse præferẽdos, quia si loquamur de consanguineis intra primum gradum omnino, tam in temporalibus, quàm in spiritualibus sunt præferendi

rendi illis, quorum cura tibi commissa est, quia non censeris illorum iura suscipere derogando obligationi naturali debitæ iis subueniendi. Extra primum gradum non est ita certum, cùm non sit ita stricta coniunctio, & ita poterit obligatione subueniendi subditis vinci. sic Suarez *disp.9.sect.4.num.12.* Coninch *disp.25.dub.9. num.168.& 169.iuncto num.151.* Si autem loquamur de subditis religiosis, valde probabile reputat Coninch *num.152. & 171.* posse, & debere Prælatum illis prius prouidere, quàm quibuscumque consanguineis (excepto parente) tam in temporali necessitate, quàm in spirituali, quia ipsi se totos religioni tradiderunt, & loco parentis religionem susceperunt, & sub ea cura eos religio recepit.

9 Sed quid si consanguinei sint minus sancti, vel fortè peccatores, præferendi sunt extraneis sanctioribus? Affirmat Gabr. *in 3.distinct.29. art.2. concl.7.* & ibi Magist. Mouentur, quia sunt Deo magis coniuncti. Sed charitas primò respicit Deum. Ergo primò respicit, qui Deo coniunctiores sunt. Item sanctiores diliguntur à Deo præ aliis. Ergo qui eos præ aliis diligeret, voluntati diuinæ se conformaret. Nihilominus dicendum est consanguineos, etsi peccatores sint, sanctioribus extraneis esse præferendos, tum in spiritualibus, tum in temporalibus in casu necessitatis, & in quo semper loquimur. sic Suarez *disput.9.sect.4.num.19.* Coninch *disp.25. dub.9. num. 140.* cum D. Thom. communiter recepto *quæst.26. art. 7.* Ratio est, quia ex charitate obligaris sanguine iunctis, quia tibi iuncti sunt succurrere. At sanctitas non tibi inducit hanc obligationem. Ergo. Item charitas naturam perficit, sed natura inclinat amare tibi coniunctos sanguine, potius quàm meliores, & sanctiores. Ergo sunt in dilectione præferendi.

Neque obstant contraria.

Ad primum dico sanctiores esse Deo magis coniunctos, & obiecta magis diligibilia secundùm se, ac proinde magis amanda esse amore complacentiæ, non approbationis: at non esse obiecta, quæ ex obligatione sint magis diligenda amore absoluto, & appretiatiuo. Aliàs obligatus esses sanctiores diligere, illisque prouidere, potius quàm sibi in peccato existenti.

Ad secundum dico Deum amare sanctiorem pre minus sancto: at tu non teneris amare illum, nisi solùm amore complacentiæ: at amore absoluto, & desiderio efficaci minus sancto tibi coniuncto potes desiderare eam, & maiorem sanctitatem, quia in hoc desiderio diuinæ voluntati te conformas. Adde rationem diligendi esse Deum, sed obligatio vnum præ alio diligendi non tam ex coniunctione ad Deum, quàm ex coniunctione ad diligentem desumenda est.

10 Secundò dubitatur comparando naturaliter iunctos cum iunctis humana coniunctione, an coniunctio naturalis semper præferenda sit humanæ coniunctioni? v.g. an pater, frater, vel consanguineus præferendus sit amico, & benefactori?

Respondeo omnes hos non esse necessariò præferendos, sæpè enim amicitia ita arcta esse potest, & beneficentia ita eximia, vt coniunctionem consanguinei intra secundum gradum euincat. sic docet Valent. *2.2. disp.3. quæst.4. punct.5. versic.quarto sequitur.* Bannes *2.2. quæst.26. artic.8. in fine, dub.1.* Coninch *disput.25.dub.9. num.156.* Solùm est dubium de consanguineis in primo gradu, nempe de filio respectu patris, & de patre respectu filij, & de fratribus inter se, an ij necessariò debeant semper præferri amico, & benefactori insigni? De patre, filio, & vxore ferè omnes Doctores sentiunt esse necessariò præferendos cuilibet amico, & benefactori ob horum strictissimam coniunctionem. sic docent cum D.Thom. *2.2.quæst.26.art.6.& 9.* omnes eius expositores. Coninch *disp.25. dub.9. à num.153.* Valent. *2.2. disp.3. quæst.4. punct.5. versic.quintò sequitur.* & alij apud ipsos. Neque enim, vt ait Aristot. *8.ethic.cap.vlt.* Diis, parentibúsque possunt reddi æqualia. Solùm in casu quo pater, filius, & vxor obligationi debitæ sui muneris non satisfecerint, sed potiùs contrarium facere procurauerint, existimant plures Doctores te posse amicum, & benefactorem insignem illis præferre, non tamen ad id teneri. sic Suarez *disp.9. de charitate, sect.4. num.15.* Coninch aliis relatis *disput.25. dub.9. à n.155.* Valent. *disp.3. quæst.4. punct.5. versic.nihilominus.* Quòd possis præferre probo; quia licèt vna virtus excellentior alia sit, ex suo genere: at in indiuiduo potest inferior vincere superiorem, saltem quoad obligationem exercendi proprium actum, vt contingit in die festo, cuius obligatio audiendi sacrum cessare solet ob exercitium virtutis misericordiæ cum proximo grauiter meo auxilio indigente. Ergo licèt pietas in parentem, filium, & vxorem longè superet virtutem amicitiæ, & gratitudinis. At ita potest esse debita amicitia, & gratitudo ob singularia beneficia, vt vincat pietatem, quæ attentis circumstantiis videtur indebita. Quòd verò non tenearis amicum, & benefactorem præponere supradictis consanguineis, probo, quia esto consanguineus ob mala opera in te facta aliquid de iure sibi debito amiserit, remittere illis possum, & ius illæsum, & integrum, quod à natura habent, conseruare.

11 Quòd si fratrem compares cum amico, & benefactore. Affirmat Lorca *2.2.quæst.26.art.9.num.4.* rarò fore peccatum mortale amico, & benefactori postponere, iuxta illud *Prouerb.18.* Vir amabilis ad societatem magis amicus erit, quàm frater. Dicendum tamen est semper esse peccatum mortale in extrema necessitate præferre amicum, & benefactorem fratri, nisi in casu superiùs dicto, cùm frater iura fraternitatis violasset, vel amicus esset insignissimus benefactor, quia coniunctio fraternitatis est nimis stricta, quam derogari non decet ob quæcumque signa amicitiæ, & beneuolentiæ. Adde, ad exaggerandum alicuius amicitiam vtimur comparatione fraternæ dilectionis, & affirmamus illos amare, ac si fratres essent. Ergo fratres amicis per se sunt necessariò præferendi. Neque obstat locus Prouerb. ibi enim tantùm significatur societate amici nos magis delectari, quàm cuiuslibet consanguinei; vel significat interdum amicum esse nobis fideliorem, & vtiliorem fratre. Ex quo tamen non sequitur esse in necessitate præferendum.

12 Hinc infertur, quid dicendum sit de patre, vxore, filio, & fratre comparatis cum creditore?

Respondeo hos in extrema necessitate existentes creditori esse præferendos, quia cessat obligatio soluendi debitum, cùm hos habes extremè indigentes. ita Torres *disp.82.dub.9. ad fin.* Bonacina *disp.3.quæst.4.punct.5. num.3.* Lessius *lib.2.cap.16.n.14.* Coninch *disp.25.dub.9. num.168.& 169.* Imò si graui necessitate laborant, non videtur improbabile hos creditori simili necessitati laboranti posse præferri, quia tui necessitas grauis excusat à restitutione debiti antea contracti, vt defendit Lessius *lib.2. cap.16. dub.1. n.20.* Ergo etiam necessitas horum, qui ita tibi coniuncti sunt; reputare enim potes propriam eorum necessitatem.

13 Tertiò dubitatur comparando coniunctos in eodem ordine, quos debeas præferre, cùm omnibus occurrere non possis? Communis est sententia in coniunctione naturali patrem omnibus esse præferendum, secundò matrem, tertiò vxorem, quartò filios, quia illo ordine sunt tibi coniunctiores. sic Coninch *disp. 25. de charitate, dub.9. n.149.* Bonacina *disp.3.quæst.4.punct.5. n.2.* Suarez *disp.9.sect.4. à n.5.* Valent. *2.2.disp.3.q.4.p.5. post med.* Sed aliqui Doctores hunc ordinem inuertunt. Affirmant namque matrem patri esse præferendam, tum quia magis amat filium, tum quia in eius educatione plus laborat.

Sed absolutè retinenda est communis sententia; neque enim hæ rationes præponderant ei, quam pater pro se habet, scilicet esse filij principium præcipuum: ob cuius causam tenetur arctius, quàm mater filio prouidere, & illius curam gerere. Alij affirmant vxorem parentibus esse proferendam, iuxta illud Genes. 2. *Quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit vxori suæ*, & Matth. 19. *Iam non sunt duo, sed vna caro*. Sed quilibet se ipsum præferre debet parenti. Ergo etiam vxorem præferre debet. Cæterùm hæc non conuincunt; quia hæc solùm probant quoad electionem status vxorem esse præferendam, & quoad ea, quæ ad gubernationem domus pertinent, non tamen quoad extremam necessitatem. Alij deinde præponunt filios, tum parentibus, tum vxori; parentibus præponunt, quia amor filiorum est antiquior, & cura illis prouidendi arctior est in patre, quàm in filio respectu parentis, iuxta illud 2. ad Corinth. 12. *Nec enim debent filij parentibus thesaurizare, sed parentes filijs*. Vxori autem præponunt ob eandem rationem, & quia vxor assumitur propter filios gignendos. sic Valent. 2. 2. *disput. 3. quæst. 4. punct. 5. versic. decimò sequitur*. At credo parentes semper esse præferendos filiis in casu necessitatis, tum quia beneficium à patre acceptum est omnium maximum, siquidem ex illo habes esse. Ergo sicut Deus omnibus præferendus est, quia tibi contulit esse, ita suo modo tuus pater omnibus præferri debet; tum quia occisio patris, aut illius maledictio grauius peccatum est, quàm occisio, & maledictio filij, vt constat *Exod. 12. & Leuit. 20*. Ergo auxilium pro conseruanda illorum vita magis est debitum. Fateor tamen appetitum sæpè inclinare magis ad amorem filiorum, quàm parentum; eàque de causa facilius patrem amare filium, quàm è contra: non tamen inde infertur patrem non esse præferendum; cùm charitas, & inclinatio rationalis naturæ ad patrem potius, quàm ad filium propendeat. Neque obstat locus Pauli *ad Corinth. 12.* quia solùm probat extra necessitatem filios, præcipuè non emancipatos esse parentibus præferendos, quia filiis sub cura, & prouidentia parentum existentibus tenetur pater, tum in temporalibus, tum in spiritualibus prouidere, & inuigilare pro maiore illorum profectu. Adde, neque etiam extra necessitatem in temporalibus tenetur filius, etsi possit prius aliis filiis prouidere, quàm parenti, quia prouidendo parenti, prouidet & sibi, cùm bona parentis iure hæreditatis ad ipsum deueniant, & nemo tenetur aliis cum iactura propriorum bonorum extra necessitatem occurrere. sic Coninch *disput. 25. dub. 6. num. 146*.

De vxore non est ita certum, an debeat filiis præferri? Credo probabilius, cum Suarez, Bonacina, Coninch, & aliis esse præferendam, tum quia est principium filiorum, tum quia est tibi intimo vinculo coniuncta. Neque solùm propter filios assumitur, sed ad vitæ solatium & societatem. Copula autem est, quæ propter filios gignendos, vel sedandas tentationes assumenda tantùm est.

14 Aduerte tamen inter hos consanguineos ita strictè iunctos non esse mortale assignatum ordinem inuertere; quia excessus coniunctionis non est ita grauis, & quia non est satis constans, qui excedant. sic Bonacina *disput. 3. quæst. 4. punct. 5. num. 2.* Suarez *disput. 9. sect. 4. num. 8.* Secundò aduerto supradictum ordinem seruandum esse, cæteris paribus. Nam si pater sit crudelis, & mater benefica, sine dubio mater præferenda est, quia vltra vinculum coniunctionis naturalis addidit beneuolentiæ vinculum. sic D. Thomas *quæst. 26. artic. 10.* Reginaldus *lib. 4. num. 311.* Bonacina *disput. 3. quæst. 4. punct. 5. num. 2.*

15 Quod dictum est de his consanguineis, dicendum est de reliquis, illos esse aliis præferendos, cæteris paribus, qui tibi magis coniuncti sunt; & proportione seruata, dicendum est de tibi coniunctis spirituali titulo, patrem, inquam, spiritualem præferendum esse filio spirituali, & hunc fratribus spiritualibus. sic Bonacina *suprà num. 4.* At si filius spiritualis non tantùm sit filius in lata significatione, qualis est tua industria ad fidem conuersus, sed etiam stricta, videlicet quia sub tua cura est, quia illius es pastor, censeo eius bonum patri spirituali præferendum esse; quia pater spiritualis non est tibi commendatus, sed potiùs tu ipsi: subditus autem tibi omnino commendatus est. Ergo teneris subditum præferre cuilibet alio, quæ tibi naturaliter non est coniunctus.

16 Duplex restat comparatio. Prima benefactoris cum beneficiato, qui debeat præferri?

Respondeo benefactorem ex hoc titulo semper præferri debere; quia beneficium acceptum obligat recipientem, vt gratum se benefactori ostendat. At beneficium datum non obligat ad vllam gratitudinem. Cum hoc tamen stat, beneficiatum sæpè ardentiùs diligi benefactore, vt rectè probat D. Thomas 2. 2. *quæst. 26. artic. 12.* sic Valent. *disput. 3. quæst. 4. punct. 5. in fine, versic. vndecimò sequitur*. Suarez *disput. 9. sect. 4. num. 9.*

Secunda comparatio est peccatoris cum iusto, fidelis cum infideli. Et respondeo cæteris paribus fidelem, & iustum peccatori, & infideli esse præferendum, sicut & magis iustum minus iusto, quia in illo genere coniunctionis arctiùs sibi iunguntur, & videtur constare ex illo ad Galat. 6. *Dum tempus habemus, operemur bonum*, ad omnes, maximè ad domesticos fidei. sic ex communi sententia tradit Coninch *disput. 25. dub. 9. num. 142.* Cæterùm credo te posse, (etsi non tenearis) peccatorem in extrema necessitate temporali laborantem præferri homini iusto, quia in peccatore est periculum æternæ condemnationis, quod non adest in iusto. Deinde quia in peccatore videtur simul cum corporali necessitate adesse spiritualem. sic Bonacina *disp. 3. quæst. 4. punct. 5. num. 3. fine*.

DISPVTATIO II.

De externo effectu charitatis, qui est eleemosyna.

VARII enumerantur effectus charitatis, alij interni, alij externi. Interni sunt complacentia, desiderium, gaudium in bono Dei, & proximi, misericordia in proximum, quæ consistit in compassione alienæ miseriæ: de quibus effectibus nihil speciale notandum occurrit. videatur D. Thom. 2. 2. *quæst. 27. 28. 29. & 30.* vbi eos optimè explicat. Alij sunt effectus externi charitatis, in quibus explicandis Doctores sermonem protendunt. Primus est generalis, qui est beneficentia, quæ, vt ait D. Thomas *quæst. 31.* communiter receptus consistit in faciendo alicui bene: at quia dupliciter proximo facere bene potes, corporaliter, inquam, & spiritualiter, ideo beneficentia diuiditur in corporalem, & spiritualem. Corporalis beneficentia arrogat sibi nomen eleemosynæ, spiritualis beneficentia vocatur correptio; & iuxta hanc diuisionem disputatio erit de eleemosyna, sequens de correptione.

Pvnctvm I.

Quid sit eleemosyna, & quotuplex.

1 *Expenditur definitio eleemosynæ, & à qua virtute procedat.*

2 *Duplex est beneficentia, corporalis, & spiritualis, & vtraque explicatur.*

1 Eleemosyna est alienæ miseriæ subleuatio, sic D. Thomas 2.2. *quæst.* 31. *art.* 1. & cum eo omnes Doctores. Hæc subleuatio si procedat ex voluntate præcisè, qua tibi aliena miseria displicet, eámque remouere intendis, erit actus exterior virtutis moralis charitatis, scilicet misericordiæ. Si autem procedit ex voluntate placendi Deo; placet enim ipsi, vt proximis ab ipso creatis benefacias, eorúmque miseriam subleues, erit actus charitatis theologicæ. Potes aliquando miseriam pauperis subleuare ex affectu aliarum virtutum, verbi gratia, ex affectu satisfaciendi Deo, & tunc erit actus imperatus à virtute pœnitentiæ; vel ex affectu recognoscendi Deum, vt tui superiorem, omniúmque Dominum: & tunc erit actus imperatus à virtute religionis. Semper tamen externa subleuatio miseriæ procedit immediatè à virtute misericordiæ, vel charitatis, quia semper procedit ex amore, quo intendis à proximo malum remouere: quæ voluntas, cùm sit voluntas benefaciendi illi, semper est voluntas charitatis theologicæ, vel moralis. Neque est inconueniens inferiorem virtutem imperare posse superiori, quia non imperat superiori, nisi media voluntate, cui omnes virtutes subordinantur; & solùm imperat, quatenus sibi vtilis est ad proprium finem consequendum. Cùm autem superior virtus sæpè vtilis sit inferiori virtuti ad suum finem consequendum, poterit inferior virtus superiori imperare. Quod exemplo virtutis pœnitentiæ est manifestum. Ex affectu enim satisfaciendi Deo, potes Deum amare super omnia, qui est actus charitatis. Item ex affectu virtutis spei, qua pœnas inferni vitare intendis, potes velle ita conteri, vt extra sacramentum gratiam consequaris, quod nisi per contritionem, quæ à charitate procedit, fieri non potest. Ita ergo poteris velle ex affectu iustitiæ, vel pœnitentiæ, vel religionis alienam miseriam subleuare, & actum charitatis theologicæ, vel moralis virtutis elicere. Et in his communiter Doctores consentiunt (paucis exceptis,) vt videre est apud interpretes. D. Thom. 2.2. *quæst.* 31. *ar.* 1. specialiter Valent. *disput.* 3. *quæst.* 9. *punct.* 1. Coninch *disput.* 27. *dub.* 2.

2 Duplex est in genere beneficentia, sicut est duplex proximi miseria, alia est corporalis, alia spiritualis: vtraque autem plures actus habet, iuxta plures proximi necessitates: hos comprehendit D. Thom. communiter receptus, 2.2. *q.* 31. *art.* 2. sequentibus versibus,

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.
Consule, castiga, solue, remitte fer, ora.

quæque in Catechismis catholicis continentur. Corporales sunt visitare infirmos, subleuando eorum infirmitatem opera & cura eis impensa; potum sitienti, & cibum egenti tribuere, captiuum redimere, nudum operire, peregrinum recipere, mortuum sepelire. Hinc constat sepelire mortuos opus esse misericordiæ, quia subleuat magnam miseriam, qualis est sepultura carere, & quia excitat fideles ad memoriam, vt pro defunctis orationes fundant. Qua de causa in Scriptura, & à sanctis Patribus plurimum hoc opus commendatur, vt pluribus exornat Valent. *disp.* 3. *quæst.* 9. *punct.* 2. Vnde peccatum erit mortale insepultum corpus relinquere, quod sine graui tuo incommodo sepeliri potest. sic Bannes 2.2. *quæst.* 32. *art.* 2. *conclus.* 2. Torres *disput.* 81. *dub.* 1. Bonacina *disput.* 3. *quæst.* 4. *de charitate*, *punct.* 6. *num.* 1. Valent. *suprà*, *versic. ex quibus sanè testimoniis.* Coninch *disput.* 25. *dub.* 3. *num.* 21. *fine.* Spirituales sunt docere ignorantem, consilium egenti præbere, errantem punire, iniuriam remittere, mœstum consolari, patienter aduersitates, & proximorum molestias ferre, pro viuis, & defunctis orare. Alia dantur tam spiritualia, quàm corporalia opera, quæ expresè in supradictis non continentur, vt rectè probat Valent. 2.2. *disput.* 3. *quæst.* 9. *punct.* 2. Sed quia hæc sunt præcipua, & ad hæc reduci possunt, ea de causa retinenda est hæc communis diuisio, quámque Catechismus Pij V. approbauit. Neque video difficultatem alicuius momenti, in qua necesse sit immorari. Solùm aduerto in præsenti disputatione esse præcipuè sermonem de eleemosyna corporali: in sequenti, vbi agemus de correptione delinquentis, de eleemosyna spirituali.

Esse de eleemosyna præceptum tam diuinum, quàm naturale, nulli Catholico esse potest dubium. Nam ipsa ratio nobis dictat proximum esse amandum, quod fieri non potest, si in necessitate constituto non succurras. Non enim amor verbo, & lingua, sed opere, & veritate ostendendus est, *Ioann.* 1. *cap.* 3. In Scriptura autem toties necessitas eleemosynæ commendatur, vt superuacaneum censeam immorari in eius probatione. Pro omnibus testimoniis, quæ adduci possunt, sufficiat locus *Matth.* 25. vbi Christus Dominus testatur in extremo iudicio sententiam damnationis, vel salutis pronuntiaturum, iuxta illius studium, vel negligentiam. Qua via ergo commendari eleemosyna amplius poterat? Difficultas solùm versatur in explicando tempus huius obligationis, quod in sequentibus præstare conabimur.

Pvnctvm II.

Quando obliget præceptum eleemosynæ.

1 *Triplex est proximi necessitas, extrema, grauis, & communis, & quelibet explicatur.*

2 *Bona, ex quibus est facienda eleemosyna, alia sunt necessaria, alia superflua, & quæ hæc sint.*

3 *Non est obligatio ex charitate inquirendi egenum proximum, sufficit si paratus sis subuenire, secus si Prælatus sis.*

4 *Obligatio ex charitate solùm est, quando proximus patitur necessitatem, aliàs non subleuandam.*

5 *In extrema necessitate ex necessarijs statui, & superfluis naturæ teneris proximo subuenire.*

6 *Satis est probabile ex necessarijs statui non esse obligationem subueniendi proximo extremam necessitatem patienti.*

7 *Non es obligatus magnas diuitias pro redimenda vita particularis proximi expendere.*

8 *Pro salute proximi non es obligatus Medicos à longè vocare, & medicinas exquisitas afferre.*

9 *Condemnato iustè ad mortem non teneris subuenire, tametsi facilè possis.*

10 *Extra extremam necessitatem aliqui negant te esse obligatum eleemosynam facere.*

11 *Proponitur secunda sententia affirmans.*

12 *Tertia sententia media via procedit.*

13 *Sub graui culpa obligaris proximo grauiter indigenti subuenire ex superfluis tuo statui.*

14 *Proponitur quædam obiectio, & fit illi satis.*

15 *In communi necessitate pauperum aliquando obligaris eleemosynam facere de superfluis.*

16 *Fit satis argum. num. 10. & seqq. adductis.*

17 *Eleemosyna in propellenda proximi aduersitate, & subleuanda eius necessitate sita est.*

1 Pro huius explicatione præmitto primò triplicem esse proximi necessitatem, aliam extremam, aliam

aliam grauem, aliam communem. Extrema est, si proximus in probabili, & moraliter certo periculo vitæ versetur, nisi illi succurras. Ad hæc reduci potest periculum mutilationis membri, perpetui carceris, aut alicuius infirmitatis perpetuæ; quia hæc morti comparantur, ideoque à Doctoribus necessitas horum euentuum vocatur quasi extrema. Grauis necessitas est, in qua proximus periculum moraliter certum subiit alicuius grauis damni, tum in corpore, tum in honore, tum in pecunia; à quo tamen nisi adiuuetur, se liberare non potest. Communis necessitas est, quam pauperes communiter patiuntur, cuique non possunt succurrere, nisi cum magna difficultate, & extraordinaria diligentia. sic Valent. 2.2. *disput.3.quæst.9. toto punct.4.* Coninch *disp.25.dub.8.à num.*112. Vasquez *in opuscul.de eleemosyna,cap.1.dub.3.sub n.*8. Suarez *disp.7. sect.1. num.4.*

2 Secundò præmitto. Bona, ex quibus facienda est eleemosyna, in duplici sunt differentia. Alia sunt superflua, seu non necessaria vitæ tuæ, & tuorum. Alia sunt superflua, seu non necessaria tuo statui. Illa autem dicuntur bona non necessaria vitæ tuæ, sine quibus propriam vitam, & illorum, qui ad te pertinent, conseruare potes. Illa verò dicuntur non necessaria statui, sine quibus status conseruari potest. sic supradicti Doctores, & ex ipsis terminis liquet. Sed est aduertendum necessaria ad statum non spectanda esse, præcipuè ex præsenti conditione, sed ex ea, quæ probabiliter futura est; quare quæ necessaria sunt ad infirmitatem, aut casum aliquem probabiliter contingentem, vel ad filios, aut domesticos in statu constituendos, vel ad conseruandum statum altiorem, ad quem credis probabiliter promouendum, absolutè necessaria statui dici debent. sic Coninch *disput.25. dub.8. num.*110. Suarez *disput.7. de charitate, sect.3.num.9.* Vasquez *de eleemosyna, cap.1. dub.3.num.9. & 27.* Bonacina *disput.3. quæst.4. punct.6. num.5.* Deinde est aduertendum plura bona neque esse ita necessaria statui, quin sine illis conseruari possit, licèt non æquè bene, neque etiam esse ita superflua, quin statui conuenientia sint: colligitur ex supradictis Doctoribus, cùm dicunt necessaria statui non consistere in indiuisibili, sed latitudinem pati, & tradit expressè Valent. *disput. 3. quæst.9. punct. 4. versic. qua in re iudicanda.* Bannes 2. 2. *quæst. 32. artic. 6. dub. 2.* Torres *disput. 82. dub. 4.* Lorca *disput. 39. num.35.* Coninch *disput. 27, dub. 8. conclus. 2. num.*130. Quapropter dici possunt statui absolutè necessaria, si pulchritudini eius, & decentiæ necessaria sint. Ex quibus fit, (vt bene dicit Coninch *suprà*, & Vasquez *num.*27.) rarò affirmari posse quemlibet habere statui suo superflua, quia rarò de aliqua affirmari potest ea bona quæ habet, nec sibi, nec suis ad casus probabiliter contingentes, & statum altiorem procurandum necessaria non esse.

3 Tertiò præmitto tibi non esse obligationem ex charitate inquirendi egenum proximum, vt subuenias, sufficit, si paratus sis subuenire, cùm tibi eius necessitas moraliter constet: quia præceptum eleemosynæ solùm obligat necessitati visæ subuenire, quod non leuiter colligitur ex illis verbis 1. Ioan. 3. *Qui viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo*, &c. quasi excusatus sit, si non viderit. Dixi ex charitate te non esse obligatum inquirere: nam si officium habeas prælati, debes inquirere, quomodo se habeant subditi, & illorum necessitates inuestigare, quia illorum curam geris. sic Valentia 2. 2. *disput. 3. quæst. 4. punct. 4. circa principium, versic. primæ circumstantiæ.* Nauarr. *cap.24. num. 9.* Ioann. Medin. *de eleemosyna, quæst. 37. §. ad id autem.* Malder. *quæst.32. artic.6. dub.2. in princip.* Vasquez *in opuscul. de eleemosyna, cap.1.dub.3. num.25. & cap.4.num.14.* Corduba *quæst. lib.2. quæst.14.* Bonacina *disput. 3. quæst. 4. punct.6. num. 10.* Suarez *disput. 7. de charitate, sect. 1. num.6.* Quomodo autem constare tibi debeat de necessitate proximi, vt obligatus sis subuenire, certa regula definiri non potest, sed prudentis arbitrio mensurandum est. Illud certum, non sufficere testimonium patientis necessitatem, quia in causa propria infirmum est ob præsumptam simulationem. sic Bonacina *disp. 3. quæst.4. de charitate, punct.6. num.3.* cum Malder. 2.2.*q.*32. *art.6.dub.2.ad finem.*

4 Quartò præmitto te solum esse obligatum proximo subuenire, cùm eius necessitas tibi nota est, & cognoscis alia via non esse subleuandam; si enim probabiliter præsumis alium succursurum, non erit auxilium tuum necessarium, atque adeò respectu tui non erit ille proximus in necessitate. sic Nauarr. *cap. 24. num. 5.* Valent. 2.2. *disput. 3. quæst.9. punct.4. versic. tertia denique circumstantia.* Coninch *disp.27.dub.8.num.*116. & fauet D.Thom. *quæst.32.artic.5.ad tertium*, cùm dicit tunc obligare eleemosynam, quando apparet euidens, & vrgens necessitas, nec apparet in promptu, qui ei subueniat. His positis,

5 Dicendum est in extrema proximi necessitate te obligatum esse ex necessariis, hoc est, conuenientibus statui, & superfluis naturæ eleemosynam facere. Aliàs nullum esset eleemosynæ præceptum, si pro hoc tempore non obligaret. Neque charitati fieret satis, si bona temporalia tibi non simpliciter necessaria pro vita tui proximi non expenderes. sic ferè omnes Doctores, cum D. Thoma 2. 2. *quæst. 32. artic. 5. in corp.* qui licèt *artic. 6.* dicat hoc esse opus laudabile succurrere proximo ex superfluis naturæ, & statui necessariis, non intendit affirmare esse opus consilij, sed esse opus licitum, & laudabile, vt bene aduertit Ioan. Medin. *de eleemosyna, quæst.3.§.verum.* Valent. 2. 2. *disput.3. quæst.9. punct.4. versic. neque sanè est probabilis, col.*602.

6 Verùm si bona expendenda ita sunt tuo, tuorúmque statui necessaria, vt absque illis nulla ratione conseruari status possit, sed necessariò ab illo cadere debes; censeo esse satis probabile te non esse obligatum ea in proximo particulari extremam necessitatem patientes expendere. sic latè, & optimè probat Ægidius Coninch *disput. 27. dub. 8. à num. 134. conclus. 4.* Primò, quia non videtur te obligandum esse vitam proximi conseruare cum tam graui tuo detrimento, quale est te fieri miserum. Secundò, quia non teneris arctius vitam proximi conseruare, quàm propriam; sed propriam non teneris conseruare cum amissione proprij status, aliàs omnes tuas opes deberes expendere in curatione alicuius infirmitatis, si scires hac via sanandum esse, & è contra moriendum. Item deberes te, & tuos in mendicitatem reducere, si alia via non posses à morte minata tibi ab inimico liberari: quæ omnino videntur falsa. Tertiò, quia reipublicæ vtilius videtur nobilem retinere statum, quàm priuatum pauperem vita finiri. Ergo non tenetur quilibet nobilis, & diues à suo statu cadere, vt vitam cuiuslibet conseruet. Neque obstat vitam esse bonum longè nobilius omnibus fortunæ bonis, vt tenearis omnia tua bona pro vita cuiuslibet expendere, quia si non potes illa expendere, quin tuam vitam facias miseram, non teneris te miserum reddere, vt alium in vita conserues. Esset enim te obligare ad malum æquè graue sustinendum, ac est illud, quod à proximo vitare contendis, quod nullo modo charitas dictare potest.

7 Imò addendum existimo te non esse obligatum magnas, opulentásque diuitias expendere, v.g. ter, vel

quatuor mille aureos pro redimenda vita cuiuslibet priuati, etiamsi obinde ab statu cadere non debeas. sic expresse tradit Coninch *disput. illa* 27. *dub.* 8. *num.* 143. *conclus.* 6. & faciunt, quæ tradit Suarez *disput.* 7. *de charitate, sect.* 4. *num.* 4. Ratio est, quia ille sumptus in morali æstimatione, & quoad vtilitatem reipublicæ pretiosior est vita hominis priuati.

8 Ex quo fit, si proximus infirmetur, te non esse obligatum Medicos longè distantes vocare, & medicinas exquisitas afferre, etiamsi scires hac via esse curandum, & è contra moriendum. Quia non teneris de vita proximi ita esse solicitum. Neque charitas obligat extraordinariis mediis proximo succurrere, sed solùm ordinariis, & communibus. sic Coninch *num.* 145. Fit secundò patienti periculum vitæ ab inimicis, ni magnam summam expendas, te non esse obligatum expendere, etiamsi obinde ab statu cadere non debeas, quia aliàs facili negotio possunt inimici rempublicam inopem reddere, obligando ciues ad grauem summam expendendam minando mortem captiuis.

9 Quæ diximus intelligenda sunt de patiente necessitatem extremam à causa naturali intrinseca, vel à causa extrinseca iniusta. Nam si à causa extrinseca iusta necessitas inferatur, nullo modo teneris subuenire, hinc est te non esse obligatum condemnato iustè vt fame pereat, cibum præbere, & condemnato ad triremes, & perpetuum carcerem pecunia liberare, esto possis. Ratio est, quia reipublicæ æquè vtile est, & fortè vtilius, vt delinquens pœnam debitam sustineat, quàm eum à tali pœna liberum reddere. Item ipse condemnatus non tenetur se à tali morte liberare, etsi possit; sed potest illam patienter sustinere. Ergo neque tu teneris. sic Nauarr. *cap. non in inferenda*, 23. *q.* 3. *num.* 24. Malder. *de virtut. tractat.* 3. *cap.* 1. *dub.* 15. Emanuel Saa *verbo charitas, num.* 6. Ioann. Sanchez *in select. disput.* 4. *num.* 6. & 7. Bonacina *disput.* 3. *quæst.* 4. *de charitate, punct.* 6. *num.* 17. Poteris tamen si non sis minister iustitiæ, aut specialiter interdictus sic condemnato, vt fame pereat, cibum subministrare: sicut enim condemnatus potest illum sumere, & procurare ob ius conseruandi vitam, etiam tu potes illi in hac causa iuuare, quia solùm condemnatur ad patiendum. Dixi te posse, nisi sis minister iustitiæ, aut specialiter interdictus. Quia tunc ratione officij, cui executio iustitiæ competit, vel ratione specialis præcepti impediris. sic Bannes 2. 2. *quæst.* 32. *dub.* 3. Sotus 5. *de iustit. quæst.* 5. *art. vlt.* Reginald. *lib.* 4. *cap.* 25. *num.* 296. Tolet. *lib.* 4. *cap.* 31. Bonacina *suprà num.* 17.

10 Maior difficultas est, an extra necessitatem extremam obligeris eleemosynam facere?

Variæ sunt sententiæ. Prima negat te esse obligatum sub graui culpa. sic Gabr. *in* 4. *distinct.* 16. *quæst.* 4. *artic.* 2. *conclus.* 4. Medin. *C. de pœnitent. tractat* 5. *quæst. de necessitate dandi eleemosynam*, §. *quod in controuersia est*. Gerson 2. *part. alphabet.* 32. *litt. O.* & alij plures, quos referunt Vasquez *opusc. de eleemosyna, cap.* 1. *dub.* 3. & *cap.* 3. *dub.* 4. *num.* 14. Azor 2. *part. lib.* 12. *cap.* 7. *quæst.* 2. Suarez *disp.* 7. *sect.* 3. *in princip.* Coninch *disput.* 27. *dub.* 8. *à num.* 118. & eam probabilem reputat Bonacina *disput.* 3. *quæst.* 4. *punct.* 6. *num.* 8. *versic. ad primum argumentum.* Mouetur primò, quia charitas te obligare non potest ad subueniendum proximo, magis quàm ad subueniendum tibi. At tibi non es obligatus subuenire in graui necessitate; sed eam libenter pati potes propter Deum. Ergo nec proximo teneris. Secundò, si graui necessitati proximi esses obligatus succurrere, cùm hæ necessitates sæpiùs occurrant, non posses filiis thesaurizare, neque diuitias ad fundandam Ecclesiam obseruare. Tertiò non apparent bona, ex quibus tenearis hanc eleemosynam facere. Nam ex bonis tuo statui necessariis teneri non potes; aliàs obligatus esses cum æquali damno proprio, subuenire alieno. Superflua autem statui rarò, vel nunquam habes.

11 Secunda sententia affirmat te esse obligatum sub mortali, si habeas superflua statui, pauperibus, quos elegeris, distribuere siue in graui, siue in communi necessitate; secus verò si solùm necessaria statui habeas. sic Caietan. 2. 2. *quæst.* 32. *artic.* 5. & *in opuscul. de præcepto eleemosynæ, præcipuè cap.* 3. 4. & 22. Valentia *disput.* 3. *quæst.* 9. *puncto* 4. §. 2. *versic. secunda sententia, pag.* 606. & alij plures, quos refert Bannes *quæst.* 32. *art.* 6. *dub.* 2. Torres *disput.* 81. *dub.* 2. Reginald. *lib.* 4. *cap.* 20. *num.* 252. Lorca *disput.* 39. *num.* 14. & 22. eamque defendit Bonacina, vt satis probabilem *suprà num.* 8. Et videtur satis probari ex illo *Lucæ* 11. vbi Christus Pharisæis consuluit, vt à rapina, & iniquitate se liberarent, eleemosynam facerent de iis, quæ sibi supererant. Neque illud videtur consilium, sed præceptum, siquidem illud non implentes pleni iudicantur rapina, & iniquitate. Item *Lucæ* 3. mittitur in ignem arbor non faciens fructum bonum: tunc autem censeris, vt ex ipso contextu constat non facere fructum bonum, cùm duas tunicas habens, neges nullam habenti, & habens escas, neges egenti. Ratio pro hac sententia est, quia iure gentium dominia rerum introducta sunt: at credendum est esse taliter introducta, vt quisque assumat quæ sibi necessaria sunt, reliqua egentibus distribuat: aliàs inordinata esset diuisio rerum, & contra ordinem charitatis. Ergo ex eo præcisè quod quis habeat superflua, cogitur in pauperes distribuere.

12 Tertia sententia media via procedit. Affirmat namque in graui proximi necessitate te esse obligatum ex superfluo statui eleemosynam facere, secus in communi necessitate. sic Couarruuias 3. *variarum, cap.* 14. Petr. Nauarr. *lib.* 3. *de restitut. cap.* 1. *num.* 358. Malder. *quæst.* 32. *art.* 6. *dub.* 4. *proposit.* 1. & 2. & alij plures relati à Suarez *disput.* 7. *de charitate, sect.* 3. *num.* 5. Ratio est, quia diuites dominium habent omnium illorum, quæ iusto titulo possident, etiam si suo statui superflua sint; aliàs peccabunt contra iustitiam ea retinendo, & deberent ea distribuere; etiamsi nullus existeret, qui necessitatem pateretur. Quòd si præter superfluitatem bonorum ex parte tua, requiritur necessitas ex parte recipientis eleemosynam, spectanda est, quænam sit necessitas: nam si hæc sit grauis, videtur grauiter obligare, si leuis, & communis, leuiter.

13 Dicendum ergo est te obligatum esse sub graui culpa eleemosynam facere proximo grauiter indigenti ex bonis, quæ tuo statui præsenti supersunt. sic Couarruuias *lib.* 3. *variarum, cap.* 14. *num.* 5. Bellarmin. *lib.* 3. *de bonis operibus, cap.* 7. Valent. 2. 2. *disput.* 3. *quæst.* 9. *punct.* 4. *circa finem, versic. secunda sententia.* Torres *disput.* 81. *dub.* 1. Lorca *sect.* 3. *disput.* 39. *num.* 22. Suarez *disput.* 7. *sect.* 3. *num.* 5. Coninch *disput.* 27. *dub.* 8. *num.* 135. & 130. Et probari potest primò ex illo 1. Ioan. 3. *Qui viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo?* quasi diceret, non manet charitas Dei in illo, qui viderit fratrem suum necessitatem habere, & non succurrit: neque dixit necessitatem extremam, vt innueret grauem sufficere. Item *Matth.* 18. damnatus fuit seruus, quia non fuit misertus conserui sui grauiter indigentis, & *Matthæi* 25. damnantur in iudicio homines, quia nec cibarunt famelicum, nec potarunt sitientem, nec vestierunt nudum, nec receperunt peregrinum, &c. Quæ cùm passim occurrant, non debent intelligi esse necessitatis extremæ. Idem constat *Exod.* 22. & *Deuteron.* 22. vbi mandaris leuare asinum proximi cadentem, & reddere vestimentum in pignus acceptum ei, qui non habet aliud, quo se operiat. Ratio est, quia charitas te obli

obligat, vt proximi damnum graue vitare procures, quando sine tuo graui damno id facere potes, ideóque si videas domum proximi comburi, & facilè possis impedire, peccas mortaliter si non impedias, sed expendendo aliqua bona, quæ tuo statui præsenti necessaria non sunt, & ex alia parte non sunt in graui quantitate, non pateris aliquod graue damnum. Ergo obligatus es ea expendere.

14 Dices, nullus tenetur se impotentem reddere ad altiorem statum acquirendum ob subleuandam grauem proximi necessitatem, quia nullus tenetur cum graui iactura propria alieno malo succurrere. At est grauis iactura amissio altioris status. Ergo si bona expendenda sunt tibi necessaria ad altiorem statum acquirendum, non poteris teneri illa expendere, quamuis ad præsentem statum conseruandum non sint tibi necessaria. Fateor hoc argumentum non parum vrgere, ac proinde videri excusatos à graui culpa non succurrentes proximorum necessitatibus ex bonis, quæ putant sibi necessaria ad altiorem statum acquirendum, quando habent ius ad conquirendum illum altiorem statum per illa bona: quod notanter dico propter bona titulo Ecclesiastici beneficij comparata, quæ non videntur concessa, vt mediis illis pares viam ad altiorem statum, sed ad præsentem conseruandum, vt dicemus. At quia hinc sequitur rarò diuites obligatos esse ad eleemosynam faciendam, si solùm ex superfluo status præsentis, & futuri tenentur, vt dicit Vasquez *de eleemosyna, cap. 1. dub. 3. num. 27. & 32.* quia, vt ipsemet dicit *cap. 4. num. 14.* vix in sæcularibus etiam Regibus superfluum inuenitur, cùm nullus ferè sit, qui altiorem gradum sibi, & domesticis procurare non possit, vel cuius opes ad fundationem alicuius collegij, vel monasterij non sint destinatæ. Ideo censeo ad obligationem eleemosynæ faciendæ in graui necessitate non esse attendendum statum futurum, quem procurare potes, sed præsentem, quem habes, cui præsenti si illa bona tibi supersunt, ita vt absque illis sine speciali detrimento tuus præsens status conseruari possit, tenearis eleemosynam facere. sic Coninch *disput. 27. dub. 8. num. 130.* cum Bannes *2. 2. quæst. 32. artic. 6. dub. 1.* Torres *disput. 82. dub. 4.* Lorca *disput. 39. num. 35.* Suarez *disput. 7. de charitate, sect. 3. num. 11.*

15 Secundò dico in communi necessitate pauperum te obligatum esse eleemosynam facere aliquoties ex bonis, quæ tibi necessaria non sunt ad præsentem, & futurum prætensum statum acquirendum, & conseruandum, esto sint necessaria, vt commodiùs illos status sustinere possis. sic Valent. *2. 2. disp. 27. dub. 8. concl. 3. num. 131.* Suarez *disput. 7. sect. 3. num. 7.* Bonacina *disp. 3. quæst. 4. punct. 6. versic. tertia sententia, num. 8.* & alij apud ipsos.

Ratio est, quia diues habens sic superflua, & eleemosynam omittens longo tempore pluribus egenis expostulantibus reipublicæ graue detrimentum infert, cùm totum onus alendi pauperes in ipsam transferat, neque illi subsidium præstet, cùm possit. Neque obstat omissionem cuiuslibet eleemosynæ non esse peccatum mortale, imò nec veniale; quando voluntatem habes aliis succurrendi, & de facto aliis succurris: secus verò, si illa voluntate cares, & nemini intendis succurrere, quia in priori casu iam aliquo modo leuas onus reipublicæ, eique subsidium præstas. At in secundo rempublicam grauas, & te inhumanum, & durum ostendis, & aliis impietatis exemplum præbes.

16 Argumentis, quæ in confirmationem prædictarum sententiarum adduximus, facilè respondetur, quatenus nobis aduersa sunt.

Ad primum primæ sententiæ respondeo te non esse obligatum propriæ necessitati graui succurrere, quia es dominus tuorum bonorum fortunæ, & honoris: at esse obligatum alienæ, quia alienis cedere non potes sicut propriis. Vnde sicut in bonis corporis, quia illorum dominium non habes, teneris tibi succurrere, si graui necessitate vexeris, ita debes proximo in bonis fortunæ, quorum dominium non habes. quæ omnia confirmantur exemplo creditoris, & debitoris, creditor enim remittere debitum potest: at tu si debitor es, teneris soluere. sic patiens grauem in bonis fortunæ necessitatem potest ob rectum finem sustinere: at tu non potes remedium subtrahere, dum de illius voluntate tibi non constat.

Ad secundum dico graues necessitates non ita passim occurrere, vt te impediant ab illis operibus bonis: at si de facto occurrant, non poteris ad fundandas Ecclesias, vel collegia diuitias obseruare, vt relato Azor. docet Bonacina *disput. 3. quæst. 4. de charitate, punct. 6. num. 9. versic. secundo*; bene tamen quæ necessaria sunt ad filios, & domesticos in statu constituendos, quia hæc pertinent ad proprium statum conseruandum.

Ad tertium satis constat, ex quibus bonis succurrere debeas graui necessitati, scilicet ex iis, quæ tibi, tuorúmque statui simpliciter necessaria non sunt, sed absque illis possis sine graui detrimento conseruari. Argumenta autem secundæ & tertiæ sententiæ ex probationibus nostrarum conclusionum sufficienter explicantur.

17 Aduerto eleemosynam versari in propellenda proximi aduersitate, & subleuanda eius necessitate, quia est actus misericordiæ, & compassionis. Quapropter necessarium est, vt necessitas præsens sit, non præterita. Ex quo fit, si proximus infirmetur, teneris curare illum, si alius non sit, qui illius curam gerat. Et idem est si indiget tuo patrocinio ad famam, vel diuitias tibi iniustè ablatas recuperandas, quia verè nunquam illas amisit. Secus verò est, si casu, vel iustè famam, & diuitias amisisset, non teneris, et si facilè possis procurare, vt recuperet; quia illa recuperatio est lucri acquisitio, eleemosyna autem non ordinatur ad lucrum proximo acquirendum, sed ad damnum pendens impediendum. sic optimè Vasquez *in opuscul. de eleemosyna, cap. 1. dub. 3. num. 27. 28. & 35.* Bonacina *disp. 3. q. 4. de charit. punct. 6. num. 9.*

PVNCTVM III.

An in casibus, in quibus obligaris eleemosynam facere, tenearis ex iustitia, an solùm ex charitate.

1 *Qui & quibus probent te ex iustitia obligatum esse.*
2 *Affirmandum est te solùm obligari ex charitate.*
3 *Satisfit argum. num. 1. adductis.*

1 NOn desunt Doctores, qui hanc obligationem ex iustitia adstruant. sic Caietan. *2. 2. quæst. 18. art. 4.* Aragon *quæst. 32. art. 5.* Turrecrem. *cap. si fœnerauerit, 86. distinct.* Sarmiento *lib. 1. de Ecclesiasticis redditib. p. 3. cap. 4. num. 3. & seqq.* & fauet Augustinus *Psalm. 147.* explicans illud, confortauit seras portarum tuarum, vbi inquit: Superflua diuiti necessaria sunt pauperi, aliena retinet, qui ista tenet. Item Ambrosius *sermone 81. sub finem*, & Basilius in illud Lucæ 12. *Destruam horrea mea*, & alij Patres vocant retinentes bona in iis occasionibus esse raptores, & aliena retinere, & D. Thomas *2. 2. quæst. 118. artic. 4. ad secundum,* vocat hoc debitum legale, quod condistinguit contra debitum morale, ac proinde esse ex iustitia.

Probatur autem hæc sententia primò, quia ex iure naturæ omnia erant communia ante diuisionem, iúsque gentium diuisionem introduxit, sed non est credendum diuisionem introduxisse cum violatione charitatis. Ergo cùm charitas obligat relinquere egenti bona necessaria, iam illa bona cessant esse illius, cui iure gentium fuerunt applicata. Ergo manent communia, ac proinde illius, qui illis eget. Secundò laborans extrema necessitate, imò & graui potest absque iniustitia, & peccato surripere bona sibi necessaria, neque tu impedire potes. Ergo signum est illius esse, ac si à nullo possiderentur. Tertiò iudex cogere potest sic habentem superflua, vt egenis succurrat, ab illóque bona tanquam iniustè detenta auferre. Ergo ipse ante talem coactionem tenetur.

2 Nihilominus cum communi sententia affirmo te solùm ex charitate, & non ex iustitia obligatum esse eleemosynam facere. sic Ioan. Med. *C. de restit. quæst.* 3. *causa* 1. Nauarr. *cap.* 24. *num.* 7. *&* 8. *& tract. de redditib. quæst.* 1. *num.* 16. *& in cap. intra verba, num.* 714. *& in apolog. contra Sarment. quæst.* 2. *mon.* 2. Torres 2. 2. *disput.* 82. *dub.* 3. Lorca *sect.* 6. *disput.* 39. *num.* 45. Vasq. *in opusc. de eleemosyna cap.* 1. *dub.* 5. *sub num.* 17. Coninch *disput.* 27. *dub.* 7. *num.* 104. Reginald. *p.* 1. *lib.* 4. *cap.* 20. *sect.* 4. *num.* 264. Suar. *disput.* 7. *sect. vlt. de charit.* Bonac. *disput.* 3. *q.* 4. *de charit. p.* 6. *num.* 29. & alij. Ratio ea est, quia proximus duplici tantùm genere bonorum indigere potest ad propellendam necessitatem, scilicet tuis actionibus personalibus, vel bonis fortunæ à te iam possessis: nullum autem ex iis bonis teneris ex iustitia in eius obsequium impendere, sed solùm ex charitate. Ergo. Et quidem de actionibus personalibus videtur res manifesta. Non enim ob necessitatem alterius amittis libertatem tibi à natura donatam, neque seruus indigentis efficeris, sed æquè liber manes, & æquè dominium retines tuarum actionum, ac si nullus eis indigeret. Ergo non peccas contra iustitiam eas actiones denegando. De bonis autem à te iam possessis sic probo, quia licèt iure naturæ illa bona ante possessionem nullius essent, idcóque dicuntur communia: at semel à te accepta, & collecta tua sunt. Neque ob indigentiam alterius desinunt esse tua, quod à fortiori militat in pecuniis, vestibus, & cibis, quæ tua, vel tuorum industria, & labore comparata sunt, ac proinde sunt fructus magna ex parte personales, quorum dominio priuari non potes ob vllius indigentiam.

3 Neque contra hanc doctrinam procedunt Augustinus, Ambrosius, & Basilius, aliíque Patres affirmantes rapinam committere, qui negat pauperi debita, quia per quandam exaggerationem loquuntur vocantes rapinam, & furtum, quod est ex charitate debitum. D. autem Thom. dixit esse debitum legale, hoc est, à lege charitatis introductum, non autem iustitiæ commutatiuæ. Esto è contra omne debitum iustitiæ commutatiuæ sit debitum legale. Neque obstat debitum legale distinguere contra debitum morale, quia morale debitum, vocat debitum ex quadam decentia, & honestate. Debitum autem legale est debitum strictum, quia est debitum ex rigorosa lege.

Ad primum contrarium concedo ius gentium, seu naturale non introduxisse diuisionem rerum cum violatione charitatis; non tamen inde fit reliquisse res extra dominium possidentis, sed solùm obligasse possidentem, vt eas ex charitate egenis impertiretur. Dicuntur autem fieri communes in necessitate, quia charitas, quæ non quærit quæ sua sunt, eas communes facit, ratione cuius egens potest eis vti absque vlla domini iniustitia, quia ipse dominus in tali vsu tenetetur ex charitate consentire, quòd si de facto repugnet, obstare non potest, quo minus egens iure sibi à charitate concesso vtatur, quia est repugnantia contra charitatem, ac proinde nullius momenti. Ex quo patet

Ad secundum argumentum sic accipientem in extrema necessitate res sibi necessarias non peccare contra iustitiam, quia tu debebas eas illi ex charitate concedere, neque sic accipientem impedire potes, quia ea conditione ab authore naturæ donata sunt, vt ex charitate impertiri indigenti tenearis.

Ad tertium concedo à iudice cogi posse diuitem superflua habentem, vt egenis succurrat, sicuti potest cogi ebrius, ne se inebriet, vel fornicans ne fornicetur, quia iudici competit leges omnes facere obseruari.

PVNCTVM IV.

Vtrùm satisfacias obligationi eleemosynæ, si rem, qua proximus indiget, mutues, vel dilata solutione vendas, vel dones sub conditione, vt reddat acceptum, si ad pinguiorem fortunam venerit.

1 *Si proximus indiget non re, sed vsu, sufficit, si vsum dones, tametsi non rem.*
2 *Si proximus indigens habet alibi bona, satisfacis mutuando, vel vendendo.*
3 *In quo sita sit controuersia.*
4 *Qui affirmant, & quibus probent te satisfacere mutuando verè egenti.*
5 *Probabilius est te obligatum esse donare extremè indigenti.*
6 *Idem est dicendum de patiente grauem necessitatem, tametsi aliqui contrarium sentiant.*
7 *Cum obligaris mutuare, non potes lucrum cessans deducere in pactum.*
8 *Omittens dare eleemosynam, cum ex charitate tenetur, non tenetur ad damna.*

1 HAc in re primò certum est, si proximus non re, sed vsu illius indigeat, te non esse obligatum rem donare, sed solùm vsum. Explico. Indiget proximus equo, veste, aut alia re, quæ transacta necessitate perseuerat, non teneris ei vestem, aut equum donare, sed sufficit, si dones illius vsum, quia solus vsus est illi necessarius: charitas enim solùm obligat, vt proximi necessitati succurras, non autem, vt proximum dites. sic Valent. 2. 2. *disput.* 3. *quæst.* 9. *p.* 4. *vers. septimò certissimum est, iuncto vers. ac per hoc patet responsio.* Suar. *disput.* 7. *de charit. sect.* 5. *num.* 4. Vasq. *opusc. de eleemosyna cap.* 1. *dub.* 6. *num.* 51. Coninch *disput.* 27. *dub.* 9. *num.* 147. Bonac. *disput.* 3. *quæst.* 4. *de charit. p.* 6. *num.* 16.

2 Secundò certum est, si proximus tua re, vsúque illius indigeat hîc, & nunc, habeátque alibi bona, quibus satisfacere possit, vel spem proximam habendi ex successione, vel labore proprio, & industria à suo statu non aliena, satisfacies obligationi eleemosynæ, mutuando, vel commodando, vel vendendo. sic Valent. *vers. septimò certissimum.* Coninch *num.* 149. Suar. *num.* 3. Bonac. *num.* 15. Vasq. *num.* 53. Ratio est, quia hic non est absolutè pauper, cùm non simpliciter indigeat; indiget enim tantùm pro determinato aliquo loco, & tempore. Ergo non teneris illi absolutè donare. Item habens alibi plura bona diues est absolutè, non igitur respectu illius obligare potest eleemosynæ gratuitæ præceptum. Quòd si alibi non habeat bona, habeat tamen spem habendi, cùm illa spes pretio sit æstimabilis, absolutè dici potest de præsenti bona habere, quibus imponi possit obligatio satisfaciendi. Item si proximi necessitati subuenire potes te seruando indemnem, quæ ratio esse potest, quominus facere non possis?

Quæ

Quæ omnia confirmantur, *Genes.* 25. exemplo Iacob, qui esurienti fratri cibum vendidit, & exemplo Ioseph, *Genes.* 41. & 42. qui ab Ægyptiis fame laborantibus pro frumento tradito terras accepit, & exemplo Tobiæ, qui gabello sub chirographo mutuum dedit; quia ij omnes non erant absolutè, & simpliciter pauperes, cùm bona aliunde haberent.

3 Controuersia ergo est, an proximo existenti in extrema necessitate, quíque neque habet aliunde bona, quibus sibi traditum reddere possit, neque spem habendi illa absque notabili difficultate, tenearis gratis dare, vel satisfacies mutuando?

4 Affirmant plures te satisfacere mutuando, neque teneri gratis dare. sic Nauarr. *cap.* 17. *num.* 61. & *cap.* 24. *num.* 5. Couarruuias *regul. peccatum*, 2. *part.* §. 1. *num.* 4. Tolet. *lib.* 5. *cap.* 24. sequuti Adrian. *quodlibet.* 1. *artic.* 2. *circa medium*, & *in* 4. *in mat. de restitut. quæst.* 33. Mouentur, quia solùm teneris necessitati proximi subuenire, & hæc subuenitur æquè mutuo, ac donatione. Ergo potes quod malueris eligere. Item facta mutuatione tollitur necessitas proximi: sublata autem necessitate non obligat eleemosyna. Ergo. Hanc tamen sententiam approbant grauissimi Doctores sub quadam limitatione, scilicet vt mutuum non sit absolutum, sed conditionatum, scilicet si proximus ad lautiorem fortunam deuenerit. sic Vasquez *in opuscul. de eleemosyna, cap.* 1. *dub.* 6. *num.* 54. Lessius *lib.* 2. *de iustit. cap.* 16. *dub.* 1. *num.* 11. Et mouentur, quia hac via satisfacis præcepto eleemosynæ, cùm gratis dones, quæ proximo necessaria sunt: cui donationi non obstat grauamen impositum restituendi acceptum, casu quo venerit ad pinguiorem fortunam. Quòd verò mutuum absolutum esse non possit, probant, quia si absolutè mutuares, obligares egenum transacta necessitate, vt pro viribus conaretur satisfacere obligationi contractæ, ipsúmque à religione, statúque perfectionis assumendo impedires, si manens in sæculo posset acceptum reddere. At executio vnius præcepti non debet alterius executionem impedire. Ergo executio præcepti eleemosynæ non debet obligare accipientem absolutè, vt reddat acceptum. Ex obligatione autem sub conditione non impeditur ab statu perfectionis. Ergo bene potest eleemosyna tribui sub hac obligatione conditionata, & non absoluta.

5 Dicendum ergo existimo probabilius esse, te non posse sub obligatione absoluta, aut conditionata ei, qui extremè indiget, & verè pauper est, succurrere: sic pluribus relatis docet Valent. 2. 2. *disput.* 3. *quæst.* 9. *punct.* 4. *versic. septimò certissimum est.* Torres *disput.* 81. *dub.* 6. & 7. Ægidius Coninch *disp.* 27. *dub.* 9. *num.* 153. Bonacina *disput.* 3. *quæst.* 4. *punct.* 6. *num.* 15. Reginaldus *lib.* 4. *cap.* 20. *num.* 260. Suarez *disput.* 7. *sect.* 5. *num.* 2. Ratio præcipua est, quia Scriptura, & Patres nomine eleemosynæ præcipuè intelligunt donationem absolutam sine vllo onere, & obligatione retributionis, vt colligitur ex parabola incidentis in latrones, *Lucæ* 10. cui nulla fuit imposita obligatio reddendi acceptum. & ex modo loquendi Patrum, qui dicunt diuites superflua dispensantes, non bona propria, sed pauperum dispensare. Si autem pauperibus imponi posset obligatio reddendi acceptum etiam sub conditione, non bona ipsorum, sed potiùs diuitum dispensarentur. Vt ergo hanc obligationem excluderent, videntur vsi fuisse illo modo loquendi. Secundò, vel accipiens eleemosynam spem habet absque magna difficultate fore, vt possit acceptum restituere, vel non? si habet, iam non est re, & spe pauper, & ita poteris illi non donare, sed absolutè mutuare; si autem caret tali spe, illi obligatio absoluta imponi non potest: tum quia esset contra charitatem talis impositio, cùm ex charitate tenearis proximum à graui necessitate, seu difficultate liberare, si facilè possis: tum quia esset inutilis talis obligatio, quam ipse subire non tenetur ob opus ex charitate sibi debitum. Imponere autem obligationem sub conditione, expectando præcisè casum fortuitum, si fortè, inquam, proximus ad lautiorem fortunam venerit, præterquam quod auarissimi est, tollit liberalitatem, quam Patres in eleemosyna facienda recognoscunt. Adde, illud onus, & obligatio etiam sub illa conditione imposita pretio est æstimabilis. Ergo tribuens eleemosynam sub hoc onere non gratis tribuit. Ergo præceptum eleemosynæ nunquam obligabit ad gratuitam, & liberalem donationem: nam si in aliquo casu obligare posset, maximè cùm proximus eget extremè, & re, & spe pauper est. Dicere autem hoc præceptum nunquam obligare ad liberalem, & absolutam donationem nec pium est, nec practicè probabile affirmat Suarez *suprà*. Ergo. Neque obstant in contrarium adducta.

Ad primum nego te solùm teneri subuenire necessitati proximi, sed debes eam debito modo iuxta regulas charitatis subuenire.

Ad secundum concedo facta mutuatione tolli necessitatem, sed nego mutuationem valere, quia contra charitatem est. quod non solùm procedit in mutuatione absoluta, sed etiam conditionata, vt ex probatione nostræ sententiæ liquet.

6 Sed inquires, an idem dicendum sit de eleemosyna facienda patienti grauem necessitatem, vel communi? Negat tam de communi, quàm de graui necessitate Lorca 2. 2. *sect.* 3. *disput* 39. *num.* 53. Mouetur, quia iis non debetur sustentatio æquè ac patientibus necessitatem extremam. Ergo quomodocumque eis subueniatur, siue gratis, siue ex mutuo fit satis huic obligationi. At credo idem prorsus dicendum esse in vtraque necessitate, cùm obligatus es subuenire; quia ratio, ob quam asseruimus in necessitate extrema te esse obligatum donatione, & non mutuo proximo succurrere, est, quia erat friuola, & nulla obligatio, cui nulla erat spes satisfaciendi, sed cùm pateris grauem, vel communem necessitatem, tanquam verè pauper cares spe satisfaciendi acceptum in remedium illius. Ergo si obligatus es in extrema necessitate per donationem succurrere, etiam in iis es obligatus. Adde, eleemosynæ, quæ pro iis necessitatibus præcipuè communibus subleuandis impertiuntur, ita leues sunt, & modicæ, vt ridiculum videatur velle accipientem ad restituendum obligare, cùm nulla sit spes fore, vt possint sine notabili difficultate acceptum restituere. Item ab authore naturæ omnia hæc temporalia conceduntur ad subleuandas hominum indigentias. Ergo posita indigentia in proximo, ei debent ex charitate donari. Vnde enim constat, quòd possint mutari? sic Coninch *disput.* 27. *dub* 8. *n.* 153. & 155. Suarez *disput.* 7. *sect.* 5. *n.* 7. Valent. 2. 2. *disput.* 3. *quæst.* 9. *punct.* 4. *versic. septimò certissimum.* Neque obstat fundamentum contrarium. Fateor non æquè deberi sustentationem grauem necessitatem patienti, ac patienti extremam: sed quia vtrique absolutè debetur, esto vni strictius, quàm alteri, ideo affirmo te obligatum esse in vtraque necessitate constituto gratis succurrere.

7 Secundò inquires, an in iis casibus, in quibus debes eleemosynam mutui facere, possis lucrum cessans deducere in pactum? Affirmat Bonacina *disp.* 3. *quæst.* 4. *de charitate, punct.* 6. *num.* 16. *versic. sed mihi probabilius.* Mouetur, quia non peccas contra iustitiam, cùm non tenearis ex iustitia ad mutuandum sine pacto. Dicendum tamen est nullo modo te posse ad lucrum cessans obligare mutuatarium, quia in tantum obligare potes, in quantum licitè lucrum poteras acquirere. At stante necessi-

necessitate mutuandi non poteras lucrum acquirere, quia tenebaris mutuare. ergo. sic Vasquez *de eleemosyn. cap.1.dub.6.num.57.fine.*

10 Tertiò inquires, an omittens dare eleemosynam, cùm tenetur ex charitate, obligatus sit restituere damna inde consurgentia?

Respondeo probabilius esse non teneri, quia obligatio restituendi solùm oritur ex læsione iustitiæ. sic Couarr. 2.*var.cap.*14.*num.*5.Nauar.*cap.*24.*num.*7. Suar. *disput.*7.*de charit.sect.*6.*num.*2.

Pvnctvm V.

Qua ratione Ecclesiastici arctius obligentur, quàm sæculares ad eleemosynam.

1 *In omnibus casibus, in quibus laici obligantur, obligantur & clerici. Et in quo difficultas consistat.*

2 *Bona clericorum sunt in triplici differentia. Et quæ hæc sint.*

3 *Ex bonis patrimonialibus, aut quasi, non alio titulo obligantur clerici eleemosynam facere, quàm laici.*

4 *Clericus ex patrimonialibus bonis in sui sustentationem insumens potest ex redditibus beneficij tantundem in vsus, quos voluerit, expendere.*

5 *Idem est si parcè viuendo minus insumat in sui sustentationem, quàm insumere posset.*

6 *Beneficiati tenentur ex redditibus beneficij, quæ sibi supersunt, in eleemosynam, vel pia opera expendere sub obligatione peccati mortalis.*

7 *Quæ sit grauis quantitas, quam expendens beneficiatus in vsus profanos peccatum mortale committit.*

8 *Quæ reputentur debita cuicunque beneficiato pro congrua eius sustentatione.*

9 *Pro qualitate beneficij maior, vel minor quantitas assignanda est beneficiato pro congrua eius sustentatione.*

10 *Quo clericus est nobilior, & doctior, eo plus assignandum est pro congrua eius sustentatione, tametsi aliqui contrarium sentiant.*

11 *Non sunt facilè beneficiati donantes consanguineis condemnandi.*

1 NOn est dubium in omnibus casibus, in quibus laici obligantur eleemosynam facere, Ecclesiasticos arctiùs obligatos esse, quia ratione status debent esse patres pauperum, & aliis exemplum; vt benè dixit Suar. *disput.*7. *de charit.sect.*6. *num.*3. controuersia enim solùm est, an in aliis casibus obligentur: cùm enim ex satis probabili sententia sæcularis obligati non sint in graui necessitate constitutis succurrere ex iis, quæ sibi necessaria sunt tam ad præsentem statum cum decentia conseruandum, quàm ad altiorem probabiliter obuenturum, & constitutis in communi necessitate, ferè nullus est, qui affirmet ex iis bonis sibi ad statum præsentem, vel futurum necessariis obligatos esse. Est difficultas an idem dicendum sit in personis Ecclesiasticis? Pro cuius decisione

2 Præmitto triplicia bona habere posse clericum. Primò, bona patrimonialia, quę successione obueniunt: ad quæ reducuntur, quæ donatione, labore, & industria sunt acquisita. Secundò, bona intuitu Ecclesiastici ministerij acquisita, v.g. stipendia pro celebratione Missarum, pro verbi Dei prædicatione, pro administratione sacramentorum, etiam si hæc omnia ex obligatione fiant. Item quæ dantur pro vicaria temporia; & hæc vocantur quasi patrimonialia. Tertiò, sunt bona merè Ecclesiastica, scilicet ex beneficio percepta, qualia sunt annui fructus ex decimis, capellaniis, aliisque piis legatis beneficio annexis. sic Cordub. *lib.*1.*qq quæst.*18. *in princ.* Nauarr. *tract. de redditib. quæst.*1. *num.*4. Coninch *disp.*27.*de charit.dub.*11.*n.*173. Vasquez *opusc.de redditib. cap.*1.§.2.*dub.*1.*num.*16. Lessius *lib.*2.*cap.*4.*dub.*6.*in princ. num.*35. Molin. *de iustit.tract.*2.*disp.*142.*in princ.*

3 Secundò præmitto ex bonis primi, & secundi generis, scilicet patrimonialibus, non alia via obligantur clerici eleemosynam facere, ac obligantur laici, quia eodem modo illa possident, ac si laici essent, illorúmque plenum habent dominium, & liberam dispositionem, cùm sint industriæ fructus; dantur enim illa bona à fidelibus in stipendium, & mercedem operis impensi sine vllo onere, & obligatione: sic ex omnium sententia testatur Vasquez, Coninch, & Lessius *suprà*. Ex quo infertur posse clericum ex iis bonis consanguineos ditare, & ad altiorem statum promouere, sicut quilibet alius sæcularis; quia solùm ex redditibus beneficij, quæ bona sunt merè Ecclesiastica, hoc illi est prohibitum à Trident. *sess.*25. *cap.*1. *de reformat.* sic Doctores statim referendi.

4 Secundò infero, si clericus hæc bona patrimonialia, vel quasi patrimonialia in suam sustentationem insumat, poterit compensare ex redditibus beneficij, & ex illis tantundem in vsus, quos voluerit insumere: quia integra sustentatio beneficiato debetur ex fructibus beneficij. Ergo si aliunde eam accipit, poterit compensare. Et idem est, si in opera pia fructus patrimoniales consumat, poterit tantundem ex fructibus beneficij accipere, quæ in opera pia debebant impendi. Excipe, nisi expressam voluntatem habuisset non faciendi recompensationem: nam in casu dubio præsumendum est habuisse; nemo enim præsumendus est se velle iure suo priuare: sic ex Nauarr. & aliis affirmat Molin. *tract.*2. *de iustit. disput.*145.*in princ.* Lessius *lib.* 2.*cap.*4. *dub.*6.*num.*38.

5 Tertiò infero, si beneficiatus parcè viuendo minus insumat, quàm insumere posset in suam congruam sustentationem; poterit de sic reseruatis disponere, ac de bonis patrimonialibus, seu quasi, quia sic reseruata computari debent, vt fructus industriæ, & laboris. sic Couarruu. *in cap. cùm in officijs, de testament. num.* 2. Nauarr. *cap.*25.*num.*127.*& in apolog. de redditib.quæst.*1. *monito* 30. *& seq. & monito* 78. optimè Molin. *lib.* 2. *de primogen. cap.* 10. *num.* 50. & noster Molin. Iesuita *tract.*2. *de iustit. disput.* 145. *vers. hinc vult. & latiùs disp.* 146.*in princ.* Lessius *lib.*2.*cap.*4.*dub.*6.*num.*39. Coninch *disp.*27.*dub.*11.*num.*197. Vasq.*de eleemosyna cap.* 4. *n.*18. his præmissis,

6 Dicendum est beneficiarios teneri sub mortali eleemosynam facere, vel in alia pia opera expendere omnia bona, quæ ex fructibus beneficij suæ congruæ sustentationi supersunt. est ferè omnium sententia, vt testatur Vasq. *de eleemos. cap.*4.*num.*8. Valent.2.2.*disput.*3. *quæst.*4.*& disp.*10.*q.*3.*p.*7. *vers. sextò certum est.* Coninch *disp.*27.*dub.*11.*num.*192.Mol.*de iustit.tract.*2.*disput.*144. *vers. prior verò eiusdem sententia.* Lessius *de iustit. lib.* 2. *cap.*4.*dub.*6.*num.*47. & alij innumeri.

Fundamentum præcipuum sumitur ex Trident. *sess.* 25. *cap.*1. *de reformat.* vbi sancta Synodus omnino Episcopis interdicit, ne ex redditibus Ecclesiæ consanguineos, familiarésque suos augere studeant, cùm & Apostolorum canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quę Dei sunt, consanguineis donent, sed si pauperes sint, eis, vt pauperibus distribuant & paulo inferiùs subiungit. Quæ verò de Episcopis dicta sunt, eadem non solùm in quibuscunque Ecclesiastica beneficia, tam sæcularia, quàm regularia obtinentibus pro gradu suæ conditionis obseruari, sed etiam ad sanctæ Ecclesiæ Romanæ Cardinales pertinere decernit. Ex quibus verbis, quæ strictissimum præceptum continent, constat manifestè non licere beneficiariis ex redditibus Ecclesiæ, hoc est, ex fructibus beneficij aliquid in profanos vsus expendere, cùm donatio facta consanguineis, quæ profana, prodigáque non est, prohibeatur. Secundò probo

ex

ex ipsomet statu. Sunt enim beneficiarij præcipuè curam animarum habentes patres pauperum, iuxta Trident. *sess.* 28. *cap.* 1. Ratione cuius debent pietate, & misericordia prælucere, & aliis esse in exemplum. Ergo secluso præcepto positiuo, ex ipsomet statu est illis obligatio dandi eleemosynam, amplius quàm laici. Tertiò, quia bona beneficij non censentur data à fidelibus, nisi in sustentationem ministrorum, & ad pauperum miseriam subleuandam, bonaque opera facienda. Ergo qui in alios vsus insumeret, aduersùs hanc intentionem peccaret: sicuti peccat collega, qui in aliquo collegio, & vniuersitate alitur eo fine, vt studeat, & postea reipublicæ prosit, si otio vacet, & tempus terat, quia defraudat grauiter intentionem fundatoris collegij, qui sustentationem illi suppeditat, vt studeat, non vt otiosus sit, & fortè luxuriosus. Quapropter non est audiendus Lessius existimans iure tantùm positiuo sub graui culpa obligatum esse beneficiatum omnia, quæ sibi supersunt congruæ sustentationi, in pauperes, piósque vsus insumere, non autem iure naturali. Quia licèt hoc sit aliqua inordinatio, non tamen (inquit) videtur mortifera. Dicendum ergo est esse mortiferam, si in graui quantitate fiat, cùm reliqui Doctores id asseuerent: ita vt Vasquez *de eleemosyna*, *cap.* 4. *num.* 13. dicat se nullum legisse, qui assereret iure tantùm humano ad id teneri. Ex quo fit grauiter peccare, tum ob scandalum, tum aduersùs præceptum Trident. tum aduersùs ius naturale, qui hæc superflua sui status in quantitate graui donaret venatoribus, histrionibus, aucupibus, parasitis, & similibus, quia neque est opus pium, neque statum Ecclesiasticum decet. sic expressè Vasquez *de eleemosyna*, *cap.* 4. *num.* 17. Secundò sit Ecclesiasticos obligatos esse amplius quàm laicos necessitatibus pauperum subuenire. Nam obligantur pauperum necessitates inquirere, ne fortè ratione illarum à recto institiæ tramite deflectant. sic Valentia 2. 2. *disput.* 10. *quæst.* 3. *punct.* 7. *versic. sextò certum est.* Vasquez *de eleemosyna*, *cap.* 4. *num.* 14. Secundò obligantur omnia, quæ suo statui præsenti supersunt in eleemosynas, aliáve pia opera insumere, cùm tamen laici non obligentur superflua status præsentis, si necessaria sunt, futuro prætenso insumere; quia ex beneficij fructibus non licet beneficiato aliorum statum quærere, sed præsentem decenter sustentare, cùm tamen id laicis liceat, sic Vasquez *supra*. Ad præsentem autem statum pertinet non solùm prouidere suis, suorúmque necessitatibus præsentibus, sed etiam verosimiliter futuris.

7 Dixi, peccare mortaliter beneficiatum ex fructibus beneficij congruæ sustentationi superfluis expendentem in profanos vsus in graui quantitate: quæ autem hæc sit, arbitrio prudentis est mensurandum; illa enim in præsenti videretur necessaria, quæ tertiam, vel quartam partem horum annuorum redditum expenderet, aliàs non potest dici notabilis excessus. sic Coninch *disput.* 27. *dub.* 11. *num.* 177. & 193. *fine*, & *dub.* 8. *num.* 108. Molin. *tract.* 2. *disp.* 144. *post medium*, *versic. prior verò eiusdem sententia.*

8 Sed inquires, quæ reputentur cuiusque beneficiati congruæ sustentationi debita, vt inde constet quæ teneatur in pia opera expendere?

Respondeo non posse certa regula definiri: non solùm quia pro varietate temporum, loci, & personarum plus, minúsve vni, quàm alteri requiritur: sed quia intra latitudinem congruæ sustentationis dari potest infimum, medium, & summum, sicut in pretiis rerum venalium cernitur. Verbi gratia, infimum congruæ sustentationi designatur 500. medium 600. supremum 700. poterit beneficiatus 700. insumere, quòd si aliquid inde subtrahit, poterit vt fructus industriæ, & laboris in quoslibet vsus expendere, & ad ditandos consanguineos obseruare: sic ex Nauarr. tradit Lessius *lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 6. *num.* 40. Molin. *tract.* 2. *de iustit. disput.* 145. *versicul. illud quoque.*, Coninch *disputat.* 27. *dub.* 11. *num.* 177.

9 Aduerto tamen pro qualitate beneficij congruam sustentationem beneficiato esse assignandam; ac proinde maiorem familiam, splendidiorem mensam, & supellectilem deberi Episcopo, quam Decano, & huic quàm canonico eiusdem Ecclesiæ, & sic de aliis. In hac autem congrua sustentatione clauduntur non solùm ea, quæ necessaria sunt ad se, suamque familiam alendam, sed etiam ea quæ necessaria sunt ad aliqua moderata conuiuia amicis, & consanguineis exhibenda, pro beneficij qualitate, hospitésque recipiendos, quos recipere cogit vrbanitas, cum illísque aliqualiter recreari. Non enim credendum est Ecclesiam obligare suos ministros austeram, & aggrestem vitam degere. sic Molin. *dicta disput.* 145. *versic. tertium est.* Ob eandem rationem in congruâ sustentatione, (inquit Molina,) clauduntur non solùm donationes remuneratoriæ, sed etiam liberales, iuxta beneficij qualitatem. Et quidem de donatione remuneratoria meritis proportionata est res indubitata; cùm hæc sit ex gratitudine debita, & aliquando sub culpa veniali. Donatio autem liberalis si moderata sit, expedit beneficiarij statui, & conditioni, tum ad animos conciliandos, tum ad beneuolentiam ostendendam, essétque nimis durum obligare beneficiarios, ne ex redditibus beneficij aliquid possint hac ratione insumere: & consentit Valent. 2. 2. *disput.* 10. *quæst.* 3. *punct.* 7. *versic. itaque.* Quapropter regula generalis congruæ sustentationis ea est, quæ non excedit sumptus solitos fieri à viris timoratis eiusdem status, & conditionis. Ij semper præ oculis habendi sunt, & spectandi quam familiam habeant, quem victum, quem vestitum, ac supellectilem, quot item conuiuia, aut donationes faciant, & munuscula mittant, quæ ab omnibus approbantur, & iis te conformare poteris. Vnde cùm beneficiati timorati si beneficium pingue obtineant, vel ad dignitatem episcopalem euehantur, soleant parentibus, fratribus, aliisque propinquis consanguineis, si fortè in paupertate degunt, alimenta subministrare, quibus paupertatem expellant, imò quibus possint viuere ita honestè, vt dedecus non sit beneficiario eos propinquos habere. Idem tu facere potes: & tradit Nauarr. *quæst.* 1. *de redditibus monast.* 77. *num.* 5. Molin. *disput.* 146. *versic. dubium est.* Coninch *disput.* 27. *dub.* 11. *num.* 185. Tolet. *lib.* 8. *summ. cap.* 38. Ex eadem ratione poteris ex fructibus beneficij filios spurios alere, si (quod absit) habeas, quia posito delicto illis sustentatio iure naturæ debetur: imò illis debetur sustentatio iuxta qualitatem beneficiatij, ita vt maior debeatur dos filiæ spuriæ sacerdotis nobilis, quàm pauperis, infimæque conditionis; intra limites tamen filiæ spuriæ, quæ longè inferioris conditionis est, ac filia legitima. sic Molin. *disput. illa* 146. *in fine.* Qui antecedenti versiculo hanc doctrinam limitat, vt intelligatur casu quo beneficiatus non habeat alia bona, quibus possit hæc alimenta filiis spuriis præbere, quia si alia habet, ad illa filius habet ius, ac proinde pauper dici non potest. Fateor hoc semper esse consulendum. At non audeo affirmare ex obligatione faciendum esse, quia filius spurius ad omnia bona parentis æquale ius habet, quia solùm habet ius respectu personæ parentis, vt sibi detur sustentatio. Item ipse parens obligatus est alere filios spurios. Ergo ex fructibus beneficij eos alere potest, etiamsi alia bona habeat, quia omnia onera, quæ beneficiario sunt annexa, ex fructibus beneficij adimplere potest, aliàs non posset donationes remuneratorias facere ex fructibus beneficij, si alia bona patrimonialia haberet.

haberet, & docet Valent. 2.2. *disp.* 10. *quaest.* 3. *p.* 7. *verf. neque ij solum Ecclesiastici.*

10 Solùm est dubium, an quo clericus est nobilior, & doctior, eo plus illi pro congrua sustentatione sit assignandum?

Negat Lorca 2.2. *sect.* 3. *disput.* 40. *num.* 39. quia beneficij fructus dantur pro competenti beneficiati sustentatione, quatenus beneficiatus est. Ergo non possunt ex maiori nobilitate, aut doctrina crescere, quia ex illis non crescit dignitas officij, ad cuius conseruationem fructus ordinantur.

Contraria nihilominus sententia tenenda est, quia sic est in praxi recepta, satisque colligitur ex *cap. de multa, de praebend.* vbi Innocent. III. cum Concilio Lateranen. statuit in pluralitate beneficiorum posse cum valde nobilibus, seu notabiliter doctis dispensari: inutilis autem esset dispensatio, si plusquam alij in suam congruam sustentationem insumere non possent: consentitque Trident. *sess.* 24. *cap.* 17. *& extrauag. execrabilis. de praebendis, inter communes*, vbi ab irritatione dispensationum, quas ibi commemorat, excipit Cardinales S. Rom. Ecclesiae, ob vtilitatem, quam Ecclesiae afferunt, & filios Regum propter sublimitatem eorum, ac generis claritatem. Est ergo haec causa sufficiens, vt plus possint insumere. Ratio autem ea est, quia hae personae ratione suae nobilitatis, & doctrinae regulariter plus aliis Ecclesiae prosunt, tum authoritate, tum doctrina: cedit enim in honorem, & authoritatem Ecclesiae habere beneficiatos valdè nobiles, & doctos, cuius authoritate, & doctrina facilè ab aduersis se possit tueri. Ergo quo plus Ecclesiae prosunt, eo maiorem ab illa sustentationem merentur, iuxta illud 1. ad Timoth. 5. *qui bene praesunt presbyteri, duplici honore*, id est, stipendio, *digni habeantur.* Nunquam tamen ob nobilitatem excedere possunt limites humilitatis, & paupertatis Christianae. Semper enim prae oculis habenda est regula à Trident. *sess.* 25. *cap.* 1. *de reformat.* tradita, vt scilicet non solùm Episcopi, & alij beneficiati modesta supellectili, & mensa, ac frugi victu contenti sint, verùm etiam in reliquo vitae genere, ac tota eius domo caueant, ne quid appareat, quod à sancto hoc instituto sit alienum, quódque non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum prae se ferat.

Attendendum tamen est, ne fabrica Ecclesiae, & ornatus obinde periclitetur: haec enim praeferenda sunt. Non enim decet ob splendidiorem ministri sustentationem, Ecclesiam ruere, & immundam esse permittere, & ita tradit Ægid. de Coninch *disput.* 27. *dub.* 11. *num.* 149. & Ludouic. Molin. *tract.* 2. *disput.* 145. *post medium. verf. dubium est hoc loco*, adducitque Nauarr. *in apolog. de redditib. quaest.* 1. *monito* 82. *num.* 7. Argumentum in contrarium non obstat. Dantur enim fructus beneficij in sustentationem beneficiati, quatenus beneficiatus Ecclesiae vtilis est: cùm autem valdè nobilior, & notabilior doctior sit Ecclesiae vtilior, maiores illi fructus in sustentationem debentur.

11 Ex his constat non esse facilè condemnandos beneficiatos, qui suos consanguineos ditant, & statum augent, maioratúmque instituunt; quia credendum est eos facere non ex redditibus beneficij, sed ex aliis bonis patrimonialibus, seu quasi patrimonialibus: ipsi tamen tenentur scandalum vitare, quoad possint, & omnia, quae sibi ex fructibus beneficij supersunt, fideliter in pauperes, operáve pia expendere.

PVNCTVM VI.

An beneficiatus peccet contra iustitiam, & ad restitutionem teneatur, si quae ex fructibus beneficij suae congruae sustentationi supersunt, in profanos vsus insumat.

1 *Ex quo pendeat decisio huius difficultatis.*
2 *Tempore nascentis Ecclesiae, & pluribus annis sequentibus aliter, ac nunc redditus beneficiorum erant diuisi. Neque dominium illorum beneficiati habebant.*
3 *Facta diuisione pars cuilibet assignata pro congrua eius sustentatione beneficiarij est propria, & illius habet dominium, quidquid contrà sentiat Nauarr.*
4 *Proponitur sententia affirmans te esse obligatum ex iustitia expendere in pauperes quae supersunt.*
5 *Probabilius est oppositum.*
6 *Satisfit rationibus num. 4. adductis.*

1 PEndet magna ex parte huius puncti decisio ex illa quaestione, an beneficiatus dominium integrum habeat suorum redditum. Nam si illud habet, difficile est ex iustitia obligare illum in vsus pios superflua expendere; si verò dominio caret, & penes pauperes existit, ipséque pauperum dispensator est, nullus dubitare potest peccare contra iustitiam denegando pauperibus ius debitum.

2 Pro huius decisione supponendum est cum omnibus Doctoribus tempore nascentis Ecclesiae, & vsque ad tempus Simplicij, qui anno 471. Ecclesiam gubernauit, clericos in communi viuere, nullúmque redditum beneficiorum habuisse dominium, sed Episcopus omnia administrabat, & ex illis sibi, clericis, & fabricae, quae iudicabat necessaria, concedebat, reliqua in pauperes expendebat. constat ex tota causa 12. *quaest.* 1. Sed quia in hac partitione non ita fideliter Episcopi procedebant, multaeque querimoniae essent obortae pro parte clericorum, fabricae, & pauperum; ideo Simplicius Pontifex *in cap. de redditibus*, 12. *quaest.* 2. in quatuor partes fructus diuisit. Primum assignauit Pontifici. Secundum clericis pro meriti qualitate distribuendam. Tertium fabricae. Quartum pauperibus. Idémque confirmauit Gelasius I. *in cap. vobis enim, & 4. seqq.* 12. *quaest.* 2. & Gregor. Magnus *in cap. cognouimus, eadem causa, & quaest.* Postea verò successu temporis aliae diuisiones pro locorum commoditate fuerunt factae, de quibus Gratian. *in cap. constitutum*, 16. *quaest.* 1. & constat ex *cap. requisisti, de testament.* vbi dicitur, tertia, vel quarta pars ad Episcopos pertineat secundùm consuetudinem, & *in cap. antiquos*, 10. *quaest.* 1. ex Concilio Aureliano, media pars eorum, quae offerebantur, Episcopo contingebat. Ex hac igitur varietate factum est, vt ferè in nulla Ecclesia pars pauperibus designata reperiatur intacta, sed potiùs cum aliis partibus permixta. Igitur ante hanc bonorum partitionem omnes affirmant neque Episcopum, neque clericos redditum habere dominium, praecipuè cùm satis receptum sit omnes voto paupertatis adstringi, ac proinde quidquid supererat, ex iustitia debebat diuidi, tum pauperibus fabricae, aliisque clericis.

3 Facta autem diuisione, etsi Nauarr. cum aliis *quaest.* 2. *de redditibus, ferè per totam*, contendat beneficiatos non esse dominos, sed dispensatores redditum, qui sibi applicantur, contrarium omnino dicendum est, esse, inquam, verè dominos illius partis, quae sibi pro congrua sustentatione est assignata. Tum quia est illis assignata in praemium, & retributionem iusti laboris impensi. tum quia inutilis esset talis diuisio, si dominium

dominium non compararent. Tum quia diuisio rerum communium, & illarum assignatio cuilibet facta dominium transfert, iuxta *l.* 1. *C. communia vtriusque iudicij.* Diuisionem prædiorum (inquit lex) vicem emptionis obtinere placuit. Adde hoc satis colligi ex *cap. vnico, de clericis non residentibus, lib.*6. & ex Trident. *sess.*22. *cap.*3. *de reformatione, & sess.*23. *cap.*1. *de reformat.* vbi expressè dicitur: Absentes nullo modo fructus, & prouentus faciant suos, neque illorum dominium acquirant. Supponit ergo Concilium interessentes facere fructus suos, & dominium acquirere: aliàs ridicula esset priuatio dominij facta à Concilio, si absentes aliàs incapaces illius essent. Item *sess.* 24. *cap.*12. *de reformat.* mandatur omnibus prouisis de beneficiis, curam animarum habentibus, dignitatibus, aut canonicatibus fidei professionem facere intra duos menses à die adeptæ possessionis, aliàs non facient fructus suos. Item in eodem cap. mandatur, ne obtinentes in cathedralibus, aut collegiatis Ecclesiis canonicatus, dignitates, aut portiones vltra tres menses absint quolibet anno; alioquin primo anno priuetur vnusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam præbendæ, ac residentiæ fecit suos. Quòd si iterum eadem fuerit vsus negligentia, priuetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit, quæ verba lucratum esse, suósque fecisse fructus, indicant sanè comparasse illorum dominium: & ita tenet, latéque defendit Sarmiento 4 *part. de redditibus, cap.*1. *& sequent.* Soto *lib.* 10. *de iustit. quæst.*4. *artic.*3. Couarruuias *cap. cùm in officijs, de testament. num.* 3. Vasquez *de reddit. cap.*1. §.2. *num.*27. Molin. *tractat.*2. *disput.*143. Ægidius de Coninch *disput.*27. *dub.*11. *num.*185. Valent. *disput.*10. *quæst.*3. *punct.*7. *versic. quidquid autem sit de hoc.*

4 Difficultas autem est, an tenearis ex iustitia sub obligatione restituendi, quæ tibi, tuæque congruæ sustentationi supersunt, pauperibus exhibere. Stat enim optimè dominium illorum fructuum acquirere posse, & hanc obligationem habere, quia potuit clericis hoc dominium ab Ecclesia concedi sub hoc onere, & obligatione. Hinc ergo oritur ratio dubitandi: potuit enim Ecclesia clericis, & Episcopis fructus beneficij concedere in tam ampla magnitudine, quæ regulariter præmium, vt mercedem laboris impensi excedat cum hoc onere, & obligatione, vt si ex illis aliquid supersit congruæ sustentationi non necessarium, pauperibus impendatur. Ergo credendum est ita factum esse. Tum quia hæc dispositio pauperibus fauorabilior erat. Tum quia hac ratione pars fructuum, quæ tibi erat antea applicata, non omnino extinguebatur. Tum quia sancti Patres hoc satis indicant vocantes clericos fures, & latrones, si fructus beneficiorum malè expendant, vt videri potest pluribus in textibus, 16. *quæst.*1. *&* 12. *quæst.*1. præcipuè constat ex *cap. præcipimus, cap. ex his, cap. habebat, cap. conuenienter, cap. ordinamus, distinct.* 42. *cap. gloria*, § *amico*, 12. *quæst.* 2. & apud Bernard. *epist.*2. *&* 42. *& in serm. Ecce nos reliquimus omnia, & toto lib. de considerat. ad Eugen.* Tum denique, quia non satis intelligi potest, qua ratione beneficiarij obligari sint iure naturali, & diuino ad hæc superflua expendenda in pios vsus, magis quàm reliqua alia bona patrimonialia: si enim omnes fructus beneficiorum dantur beneficiario in præmium officij impensi, sic etiam dantur ob Missas, administrationem sacramentorum, prædicationem, &c. aliquæ eleemosynæ speciales. Ergo sicut potest liberè de his acquisitis disponere, poterit etiam de fructibus beneficij, aut vnde constat specialis horum prohibitio? Ergo dicendum est beneficiatos ex iustitia obligari superflua in pia opera expendere, & contra facientes ad restitutionem teneri, si aliunde bona habeant, ipsósque sic accipientes non esse in conscientia tutos. sic pluribus relatis defendit Nauarr. *cap. vltim.* 16. *quæst.*1. *in quæst.*2. *monito* 7. & alij plures, quos refert, sed non sequitur, Molin. *de primogen. lib.*2. *cap.*10. *num.*52. & noster Molin. *tractat.*2. *de iust. disp.*144. *in princ.* Couarr. *cap. cum in officijs, de testament. num.*2.

5 Nihilominus his temporibus contraria sententia communior est, quámque reputo probabiliorem, cum Couarr. & vtroque Molin. *suprà.* Soto *lib.* 10. *de iustit. quæst.*4. *art.*3. *&* 4. Francisc. Sarmiento *cap. si priuatum,* 12. *quæst.*1. *& cap. nulli,* 12. *quæst.*3. *& de redditibus,* 2. *part. cap.*1. *&* 2. *& p.*4. *cap.*1. Ægidius Coninch *disput.* 27. *dub.*11. *num.*185. Lessio *lib.*2. *cap.*4. *dub.*6. *n.*43. Valent. 2. 2. *disput.*10. *quæst.*3. *punct.*7. *post medium*, & alij apud ipsos.

Ratio præcipua est, quia non est imponenda obligatio iustitiæ sine manifesto textu, vel ratione: at nullus est textus, neque efficax ratio hanc obligationem persuadens. Ergo. Et quidem quòd nullus sit textus, inde conuincitur. Nam esto in supradictis decretis vocentur clerici profanè expendentes bona, raptores, & homicidæ pauperum, id non conuincit: tum quia per exaggerationem dictum est; tum quia de sæcularibus auaris id ipsum sæpè Patres testantur, vt dicit D. Thomas 2. 2. *quæst.* 185. *artic.* 7. *ad primum.* Quos certum est ex iustitia obligatos non esse superflua expendere: cùm autem dicitur in aliis decretis Ecclesiasticos non dominos, sed administratores esse, vt *in cap. qui Christi*, 12. *quæst.*2. *& cap. res Ecclesiæ*, 12. *quæst.* 1. vel intelligendum est de bonis ipsius Ecclesiæ, vel de redditibus ante diuisionem, vel facta diuisione de redditibus fabricæ applicatis, vel denique si de applicatis ipsis clericis intelligatur, dicendum est non esse dominos absolutos, quin habeant strictissimam obligationem misericordiæ in pauperes superflua expendendi. Quòd autem nulla adsit ratio efficax obligationem iustitiæ persuadens, sic probo. Hæc enim obligatio oriri debet ex eo quòd ij fructus dati sint à fidelibus, vel ab Ecclesia sub hoc onere, & obligatione: nullibi autem constat sic data esse à populo, sed potiùs constat absolutè esse donata in sustentationem ministri, & vt ipsi Deo famularentur feruentiùs, maioréque cum splendore procederent, & apud populum honorabiliores existerent. Adde. Fructus beneficij præcipuè consistunt in decimis, primitiis, & oblationibus, quæ tamen non liberaliter, sed ex debito iustitiæ dantur à populo ministris Dei. Ergo in his non potest populus obligationem aliquam iustitiæ imponere. Ab Ecclesia autem non constat sub prædicto onere datos esse fructus, imò potiùs contrarium non leuiter colligitur ex eo quòd Ecclesia non rescindat donationes profanas, & excessiuas factas à clericis in detrimentum pauperum: si enim pauperes ius iustitiæ haberent ad superflua sustentationi ministrorum, non est credendum Ecclesiam permissuram eos sæpè ita defraudari. Item possent pauperes clam surripere, si ipsis constaret diuitem non esse erogaturum, & soluentes decimas partem reseruare, vt pauperibus tribuant, illósque indemnes seruent; & denique concederetur pauperibus actio in iudicio contra clericos non erogantes: quæ omnia absurda sunt. Non igitur dicendum est ex iustitia pauperibus superflua deberi.

6 Neque obstant in contrarium adducta: licèt enim pauperibus fauorabilior esset applicatio fructuum sub onere pauperibus expendendi quæ supersint: at ministris Ecclesiæ est odiosior, quod sufficit, vt sic applicati non sint: obligatio autem ministrorum ex charitate expendendi superflua beneficiorum non prouenit tam ex donatione, seu modo, quo fructus recipiunt, quàm ex statu clericali, quem habent. Hic autem

tem status obligat ipsos bona propria illius, qualia sunt beneficij fructus, in opera pia expendere, non autem obligat eo stricto rigore bona per industriam, aut specialem laborem acquisita.

Quòd si inquiras, quid factum est de parte illa pauperibus olim assignata, videtur enim permixta cum parte beneficiariis competente, ac proinde teneri beneficiarios illam ex iustitia pauperibus tribuere?

Respondeo hoc argumentum probare obligatos esse beneficiarios illam partem pauperibus tribuere, etiamsi ad suam sustentationem superflueret. Deinde dico illam partem Episcopis, clericis, & fabricis esse applicatam, ac proinde obligationem inter omnes æqualiter diuidi. Tertiò respondeo cum Soto *suprà*, ex illa parte pauperum hospitalia esse fundata, vel potiùs ad Principes, & Reges sæculares deuenisse ob Ecclesiæ defensionem.

Pvnctvm VII.

An quæ dicta sunt de beneficiariis, intelligi debeant de pensionariis.

1 *Proponuntur variæ sententiæ.*

2 *Conciliantur iuxta diuersitatem pensionum Ecclesiasticæ, vel sæcularis.*

1 Negat Vasquez *opuscul. de eleemosyna, cap. 4. fine, num. 22.* vbi dicit se nullum vidisse authorem obligantem pensionarios ex charitate adhuc ad vberiores, vel alias eleemosynas, quàm alios sæculares. Licèt enim (inquit) bona sint Ecclesiastica, dantur tamen in pensionem propter bonum Ecclesiæ, & in ipsorum alimentum, & sustentationem. Status autem pensionarij (si aliàs beneficiatus non sit) non obligat specialiter. Contrarium defendit Nauarr. *in apolog. quæst. 1. monito 80. & in opuscul. de spolijs clericorum, §. 1. num. 6. & §. 7. num. 7.* vbi pensionarios beneficiatis æquiparat, sed latiùs id probat *tractat. de redditibus, quæst. 1. monito 32.* iis argumentis. Primò, quia hæc obligatio est annexa redditibus beneficiorum. Ergo ad quoscumque transeunt, debent cum hoc onere transire, argument. *cap. litteris, de pignoribus, cap. pastoralis, de decimis.* Secundò non potest pensionarius ex pensione aliter disponere, quàm vult Pontifex, qui concedit, sed Pontifex concedit solùm pro alimentis. Ergo tacitè insinuat nolle vt eos prodigant, *cap. 1. 42. distinct. & §. 1. 44. distinct.* Tertiò remedium ordinarium fauorabilius est extraordinario, ex *glossa penultim. Clement. 2. de officio ordinar.* At redditus pensionum est extrardinarius, redditus verò beneficiorum est ordinarius. Si ergo redditus beneficiorum hoc onus habent, non debent pensionum redditus ab illo eximi. Quartò ei qui minus præmij meretur, non debet plus dari. argument. *§. 1. Institut. de iustitia, & iure, & l. iustitia, ff. eodem titulo.* minus autem meretur pensionarius, qui non tenetur dicere officium diuinum, neque seruire, quàm beneficiatus, qui ad vtrumque tenetur. Ergo. Quintò sequeretur pensionarium posse pro libito de fructibus pensionis in vita, & in morte disponere tanquam de patrimonio suo, quod est alienum à praxi recepta, & contra constitutionem Pij V. quam refert Nauarr. *§. 1. num. 6. & §. 8.* vbi æquè eximit ab spoliis beneficiatos, & pensionarios, cuius beneficium, aut pensio triginta ducatorum de camera non excedit, quia non præsumuntur habere spolia, quibus tam tenues redditus sunt concessi.

2 Dicendum tamen est duplicem esse pensionem ex beneficij fructibus concessam, aliam sæcularem, aliam Ecclesiasticam, vt aliis relatis bene docet Garcia *de benefic. 1. part. cap. 1. à num. 1. præcipuè à num. 8.* De pensione sæculari procedit opinio Vasquez, at de pensione Ecclesiastica opinio Nauarri. Ecclesiastica pensio est, quasi quoddam beneficium, illiúsque naturam imitatur, ac proinde quidquid obligationis beneficiato imponitur ex fructibus beneficij, imponi etiam debet pensionario; & ita notauit Molin. *tractat. 2. de iustit. disput. 145. post princip. vers. ex eadem Bulla.*

Pvnctvm VIII.

Quid dicendum sit de beneficiariis religiosis.

1 *Religiosi assumpti ad beneficium sæculare, vel regulare non habent dominium redditunm beneficij, sed penes monasterium est.*

2 *Religiosus Episcopus eodem modo, ac alij sæculares Episcopi, habet dominium redditnum beneficij secundùm plurium sententiam.*

3 *Contrarium defenditur.*

4 *Fit satis fundam. num. 2. adductis.*

5 *Religiosus Episcopus prodigè disponens de Ecclesiasticis redditibus, contra iustitiam peccat, & accipiens ad restitutionem tenetur.*

1 Certum est religiosos assumptos ad aliquod beneficium sæculare, vel regulare, nullum habere dominium reddituum beneficij, sed penes monasterium esse, ipsisque solùm administrationem concedi ad vsus pios, & non aliter. Quocirca si aliquid in profanos insumant, peccabunt mortaliter; tum contra votum paupertatis, tum contra iustitiam, & alienatio facta nulla est. Hoc tamen (inquit Vasquez *de redditibus, cap. 3. dub. 8.*) intelligendum est de religiosis assumptis ad beneficium sæculare, vel regulare ad nutum amobile: nam si beneficium sit perpetuum, neque per superiorem religionis amoueri possint, credit verè dominos esse, & eodem modo de redditibus beneficij disponere posse, ac possunt alij clerici sæculares beneficiati. Sed contrarium omnino dicendum est, cùm nullus sit textus, neque ratio efficax persuadens eos à voto paupertatis liberos esse, quod ex dicendis de religiosis Episcopis ampliùs constabit, neque vllus alius est Doctor, qui eos à paupertatis voto eximat, sed potiùs dicunt omnes verè manere religiosos, vt videre est apud Sanchez *lib. 6. cap. 6. num. 36.*

2 De religiosis ergo ad statum episcopalem assumptis non desunt Doctores, qui affirmant eodem modo de bonis Ecclesiasticis disponere posse, ac alios Episcopos sæculares, quia illorum habent dominium, & administrationem. sic docent Soto *lib. 7. de iustit. quæst. 4. artic. 2. ad vltim. & lib. vltim. quæst. vltim. artic. vltim. col. 4.* Vasquez *1. 2. quæst. 96. artic. 4. disput. 165. cap. 8. num. 91. ad finem, & num. 104. & in opuscul. de redditib. cap. 3. dub. 7.* Michaël Medin. *de sacr. hom. contin. lib. 5. cap. 26.* Angles *floribus, 2. part. quæst. vnica, de voto, art. 2. post 3. difficult. dub. 5.* Palaz. *4. distinct. 38. disput. 1. fol. 384. col. 1. initio.* Gratian. *regul. 520. num. 4.* Mouentur primò, & præcipuè ex *cap. statutum, 18. quæst. 1.* vbi dicitur statutum est, & secundùm sanctos Patres à Synodo confirmatum est, vt monachus, quem electio canonica à iugo regulæ monasticæ absoluit, & sacra ordinatio de monacho Episcopum fecit, velut legitimus hæres paternam sibi hæreditatem postea iure vendicandi potestatem habeat. In quibus verbis videtur clarè exprimi habere dominium hæreditatis paternæ. Primò, quia dicitur esse

esse legitimus hæres: si autem monasterium, vel Ecclesia acquireret dominium, ipsa, & non ipse legitimus hæres diceretur, sicut dicitur de monacho existente in monasterio. Secundò, quia conceditur potestas vindicandi hæreditatem paternam non Ecclesiæ, sed sibi: vindicare enim, sibique acquirere proprium est veri domini. *l. in rem actio, ff. de rei vindicat.* Tertiò, quia non cogitur paternam hæreditatem vindicare, sed potestatem habet illam vendicandi, ac proinde illam renuntiare potest, quod nequaquam fieret, si dominus non esset. Secundò mouentur, quia non apparet apud quem dominium illius hæreditatis existat, non apud pauperes, tum quia est communitas nimis indeterminata, tum quia non posset in alios vsus Episcopus religiosus expendere. Neque item est apud Ecclesiam vniuersalem, à quo non fuit ipsi applicata. Neque item apud Ecclesiam illam particularem, ad quam assumptus est, aliàs non liceret translato ad aliam Ecclesiam deferre secum hæreditatem, sicut translato è monasterio ad Episcopatum non licet deferre secum, quæ in monasterio acquisiuit. Neque obstat obligatum esse Episcopum ea bona relinquere Ecclesiæ; quia hoc solùm probat non habere liberam facultatem disponendi in morte; & meritò, quia cum ratione Ecclesiæ dominium illorum acquisierit, ad ipsam Ecclesiam iustissimum est, vt perueniant. Tertiò cum voto paupertatis compati non potest dispositio bonorum perpetua, & independens ab aliquo superiore: at religiosus factus Episcopus habet iure diuino administrationem, & dispositionem bonorum, quæ ab ipso auferri nullatenus potest, nisi in pœnam alicuius grauis delicti. Ergo.

3 Nihilominus recedendum non est à communi sententia, quæ affirmat religiosum factum Episcopum, & obstrictum voto paupertatis manere, & consequenter incapacem dominij proprij. sic tenet D. Thomas 2. 2. *quæst.* 185. *artic.* 8. ibi Caietan. Valent. *disput.* 10. *quæst.* 3. *punct.* 8. *col.* 3. Couarruuias *cap.* 1. *de testament. num.* 18. Molin. *de primogen. lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 28. Ægidius de Coninch *disput.* 27. *dub.* 11. *num.* 208. Thomas Sanchez pluribus relatis *lib.* 6. *in Decalog. cap.* 6. *num.* 8. Lessius *de iustit. lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 5. *num.* 29. *& cap.* 41. *dub.* 11. *num.* 92. Nauarr. *comment.* 1. *de regula*, *num.* 31. *& comment.* 2. *num.* 17. *& comment.* 3. *num.* 46. *& lib. de redditibus Ecclesiast. quæst.* 1. *monito* 11. *num.* 1. *&* 2. *& monito* 52. *num.* 1. Sarmiento *de redditibus*, 1. *part. cap.* 1. *num.* 10. *& in defens. illius primæ part. mon.* 11. *num.* 2. *&* 3. & alij.

Probo, quia religiosus factus Episcopus verus religiosus existit; aliàs non obligaretur habitum suæ religionis portare: sed de essentia religionis non solùm est votum castitatis, sed etiam paupertatis, & obedientiæ. *cap. cùm ad monasterium, de statu monachorum, fine.* Ergo sic factus Episcopus omnia hæc vota retinet. Secundò, quia vota religiosorum in tantum dispensari poterant, quatenus obstarent muneri Episcopali, sed abdicatio dominij non obstat huic muneri concessa libera facultate administrandi redditus Episcopales, cæteráque bona in quoslibet decentes vsus. Ergo non est dicendum in voto paupertatis dispensatos esse.

4 Neque obstant in contrarium adducta.

Ad primum desumptum ex *cap. statutum*, respondeo religiosum factum Episcopum esse legitimum hæredem, sibique vendicare hæreditatem non pro se, sed pro sua Ecclesia, sicut existens in monasterio ius successionis habet, & hæreditatem sibi vendicat non pro se, sed pro monasterio, iuxta *l. Deo nobis*, 56. §. *hoc etiam*, *C. de Episcop. & cleric.* vbi cauetur, ne parentes priuent filios religiosos hæreditate sibi obueniente. & subditur. Sin verò vltimam voluntatem parentes, neque testamento, neque alio vltimo elogio declarasse monstrati fuerint, omnem parentum substantiam hæredes, quibus ab intestato competit, secundùm leges nostras sibi defendant, nullo impedimento ex sanctimoniali conuersatione generato, siue soli, siue cum aliis ad successionem vocantur. Neque ex illis verbis, potestatem habeat vindicandi, infertur non debere de facto vindicare, sed explicatur, quod difficultatem ingerere poterat. Adde, etsi posset non vendicare, sed renuntiare, inde non infertur illius habere dominium, sed plenam, & liberam administrationem.

Ad secundum dico, dominium illius hæreditatis esse apud Ecclesiam, ad quam assumptus est, sed cum potestate libera transferendi, dum viuit, in aliam Ecclesiam, & in quodlibet pium opus. In morte autem Ecclesiæ relinqui debet, non vt liberè Ecclesiæ donatum, sed vt proprium Ecclesiæ, vt satis indicant illa verba textus, iuncta glossa, *ad altare ad quod sanctificatur, & intitulatur secundùm sacros canones restituat.* Verbum enim *restituat*, Ecclesiæ esse proprium indicat.

Ad tertium nego cum voto paupertatis compati non posse dispositionem liberam perpetuam in vsus pios bonorum Ecclesiasticorum, aliàs religiosus ad parochiale beneficium assumptus, quo priuari nullatenus possit, nisi ob vrgentem causam, religiosus non esset, cum haberet ius perpetuum disponendi de bonis: quod autem hæc perpetuitas ex iure diuino, vel humano proueniat, impertinens esse videtur.

5 Ex his infertur religiosum Episcopum prodigè disponentem res Ecclesiasticas, & bona sibi obuenientia contra iustitiam peccare, & accipientem obligatum esse restituere, nisi Ecclesia remittat, quia caret bonorum dominio, & sola administratio ad honestos vsus illi est concessa. sic Lessius *lib.* 2. *de iustit. cap.* 4. *dub.* 5. *num.* 19. Thomas Sanchez *lib.* 6. *in Decal. cap.* 6. *num.* 13. Coninch *disp.* 27. *dub.* 11. *à num.* 200.

PVNCTVM IX.

An pauperi patienti extremam, vel grauem necessitatem, liceat aliena surripere, eáque consumere.

1 *In extrema necessitate potest, si alia via succurrere sibi non valet.*
2 *An teneatur priùs rogare diuites, vt sibi succurrant.*
3 *Non potest per vim à domino impediri, quin pauper sibi succurrat extremè indigens.*
4 *In graui necessitate plures censent inuito domino non posse aliena surripi.*
5 *Probabilius est oppositum.*
6 *Satisfit fundam. num. 4. adducto.*
7 *Si proximus in eadem necessitate existit, non potes ab illo rem surripere.*
8 *Expenditur, an tenearis reddere debitum Petro, eo indigente æqualiter.*

1 IN extrema necessitate ferè omnes Doctores affirmant, si alia via sibi succurrere non potest; quia quilibet habet strictissimum ius, propriam vitam defendendi, & consequenter assumendi quæ ad hanc defensionem necessaria sunt. Item diues, à quo assumit pauper bona, habet obligationem ea ipsi donandi. Ergo non est præsumendus inuitus, vel saltem non erit rationabiliter. Adde omnia in illa necessitate facta esse communia ab authore naturæ, cùm ad conseruandam hominum vitam ea produxerit, & sub hoc onere certis dominis tradiderit.

2 Dixi, si alia via sibi succurrere non potest. Nam si rogando amicabiliter diuitem, vt succurrat, potest sibi prouidere, nullatenus licet ab eo bona clam auferre, quia nemini licet aliena surripere, cùm propria per donationem habere potest. sic supponunt omnes, & expressè notauit Coninch *disput.*27.*dub.*10. *num.* 158. Lessius *lib.*2.*cap.*12. *dub.*12. *num.*66. vbi dicit omissionem huius conditionis non videri peccatum mortale, si scandalum absit, quia siue dominus concedat, siue non, potest accipere pauper sibi necessaria. Ergo est solum inordinatio in modo, quæ non videtur ita grauis. Addit verò Coninch ab hac petitione non excusari pauperem, etiamsi nobilis familiæ sit, & valde pudeat mendicari; quia in tanta necessitate pudor ille (inquit) vincendus est, & aliquibus diuitibus necessitas manifestanda, præcipuè cùm huiusmodi necessitas non ex culpa euenire soleat. At hoc durum mihi videtur, quia inde obligaretur pro remedio suæ necessitatis extremæ, grauem saltem subire, qualis est ab statu cadere mendicando, quod aliqui ita ægrè ferrent, ac ipsam mortem. Quare Lessius dixit virum honestæ conditionis non teneri ostiatim mendicare, fauétque Lorca 2. 2. *sect.* 3. *disput.* 39. *membr.*1. *num.* 9. reputans eum esse in extrema necessitate, qui est in certo periculo ita decidendi ex honesto statu, vt non possit vitam sustentare, nisi discendo artem mechanicam, aut mendicando, quod licèt verum non sit, probat tamen esse grauissimum malum. Ergo si ob vitandam grauem necessitatem potest proximus aliena surripere, poterit ob vitandam extremam, absque obligatione mendicandi. Quocirca solùm existimo obligari posse pauperem vni, vel alteri diuiti secretò necessitatem manifestare, si probabiliter credat eos hac via esse succursuros; quia hæc manifestatio non videtur grauiter ignominiosa, neque grauem pudorem causare.

3 Hinc fit sic accipientem non posse à domino impediri, quòd si impediat eum repellendo, iniustus est, & hanc iniustitiam potest accipiens propellere, etiam diuitem occidendo, si opus sit. sic Lessius *lib.* 2. *cap.*12. *dub.* 12. *num.* 69. Coninch *disput.* 27. *dub.* 10. *num.*169.

4 In graui verò necessitate est inter Doctores controuersia, an licitum sit aliena inuito domino surripere? Negare videtur D.Thomas 2.2.*quæst.*66. *artic.*7. & ibi Caietanus, Sotus *lib.* 5. *de iustit. quæst.*3. *artic.*4. Couarruuias *regul. peccatum*, *p.*2. §. 1. *num.* 3. & supponit Suarez *disput.*7. *de charitate*, *sect.*5. *num.* 8. & fauet *cap. si quis*, 3. *de furtis*, vbi imponit pœnitentiam furanti in necessitate graui: dicitur enim, si quis propter necessitatem famis, aut nuditatis furatus fuerit cibaria, vestem, vel panes, pœniteat hebdomadas tres, & si reddiderit, non cogatur ieiunare. Ratio autem est, quia pauperi non licet surripere, nisi in quantum diues obligatus est illi dare, aliàs esset bellum iustum ex vtraque parte: sed diues obligatus non est huic patienti grauem necessitatem dare, sed potest eo omisso alium eligere. Ergo. Quòd si dicas id verum esse, cùm dominus non habet bona, quibus possit omnibus patientibus grauem necessitatem subuenire, secus si illa habeat. Hinc sumo argumentum: Pauperi constare non potest diuitem habere bona superflua status, quibus omnibus egenis grauiter succurrere possit, cùm necessitates graues frequentes sint, imò contrarium debet præsumere. Ergo stante hac ignorantia non habet ius aliena surripiendi.

5 Nihilominus probabilius censeo patientem grauem necessitatem, si alia via succurri non potest, posse clam à diuite aliena surripere. sic docuit Nauarr. *cap.*17. *num.* 5. Petrus Nauarr. *lib.*2. *de restitut. cap.*1. *num.*374. Lessius *lib.*2. *cap.*12. *dub.*12. *num.*71. Vasquez *cap.*1. *de eleemosyna*, *dub.*7. *num.*60. Coninch *disput.*27. *dub.*10. *num.*162.

Ratio sumitur ex contrario fundamento. Est enim insita diuiti obligatio ex charitate succurrendi cuilibet patienti grauem necessitatem, sicut patienti extremam, si commodè potest. Hoc autem sufficienter pauperi constat, si illi constet de sua graui necessitate, & de potentia diuitis, & ignoret, an alij patiantur eandem, secúmque concurrant: iis enim conditionibus positis tenetur diues succurrere, & in acceptis à paupere consentire. Ergo pauper accipiens non peccat. Quòd si de facto plures patientes grauem necessitatem concurrant, & cognitæ sint à diuite, quibus omnibus satisfacere non potest ex bonis, quæ sibi supersunt, sed solùm vni, vel alteri, credo tunc non posse pauperem clam surripere, si ipsi non constat nolle aliis diuitem eleemosynam impertiri, quia in tantum potest, in quantum diues tenetur. At in tali casu diues non tenetur ei eleemosynam concedere, sed potest eam aliis seruare. Ergo. Neque obstat patientem extremam necessitatem posse à diuite clam necessaria surripere, etiamsi plures alij similem necessitatem patientes concurrant, & diues non possit omnibus prouidere, quia ius conseruandi vitam, quia est nimis exemptum, hanc tribuit facultatem, neque vllus conqueri rationabiliter potest, quòd sic conseruare studeat. sic Vasquez *de eleemosyna*, *cap.* 1. *dub.* 7. *num.* 62. Fateor tamen ob hanc rationem etiam in graui necessitate esse probabile. Nam cùm diues omnibus illis diuisim teneatur prouidere, qui præuenit accipiendo, iure à natura sibi concesso videtur vti.

6 Neque nostræ sententiæ obstat *cap. si quis.* nam, vt rectè explicat D.Thomas 2. 2. *quæst.*66. *artic.*1. & ex illo Vasquez *dicto dub.*7. *num.*63. Lessius *lib.*2. *cap.*12. *dub.* 12. *fine.* Coninch *disput.* 27. *dub.*10. & alij. Loquitur textus, quando furtum commissum est propter necessitatem communem, non tamen vrgentem, & grauem: cùm verò dicitur, si restituerit, non ieiunet, indicatur duplicem esse furanti extra grauem, & extremam necessitatem pœnitentiam imponendam. Primò trium hebdomadarum pœnitentiam. Secundò ieiunium, quæ ieiunij pœnitentia restituenti statim non imponitur. Quòd si velis loqui textum de furante in graui, & extrema necessitate, respondere debes. Primò peccasse sic furantem, quia indebitè alienam rem vsurpauit, quia fortè rogando poterat obtinere. Secundò impositam esse pœnitentiam non ob peccatum, sed ob peccati similitudinem. Adde textum non esse Pontificium, neque ex aliquo Concilio desumptum, sed ex pœnitentiali Theodori. Ratio autem, qua illa sententia nitebatur, satis ex probatione conclusionis nostræ dissoluta est.

7 Aduerto tamen primò, te non posse etiam in extrema necessitate constitutum surripere rem alienam ab alio æquè illa indigente, quia tunc ipse non tenetur tibi dare, & ratione possessionis ius acquisiuit prælationis. Secundò aduerto rem valde pretiosam te non posse ab illo sumere, vt tuæ necessitati satisfacias, quia, vt suprà dixi *punct.* 4. non tenetur diues cum tam graui iactura bonorum tuæ necessitati prouidere, quia id cedit in reipublicæ damnum.

8 Dices. Ergo debens ex furto Petro magnam quantitatem, tenetur cum tali periculo Petro reddere, si videat Petrum in æquali necessitate existere; quia retentio est primæ acceptionis continuatio. Si ergo non licet primò accipere, neque licebit acceptum retinere? concedit Lorca 2.2. *disput.*38. *num.* 11. quoties

quoties res debita Petro in specie existit, quia Petrus habet ius in specie eam vendicandi, quo iure non videtur priuandus ob necessitatem possidentis, cùm ipse ea æquè indigeat, & possessio iniusta non debet raptori prodesse, & domino nocere, & hoc mihi probabilius videtur, si vterque creditor, & debitor in necessitate concurrant, neque prius debitor, quàm creditor, consentit Vasquez *de eleemosyna, cap. 1. dub. 9. num.71.* esto censeam satis probabile oppositum, vt affirmat Lessius *lib.2. cap.16.dub.1.num.13.* & Coninch *disput.27. dub. 10. num. 171.* Qui mouentur ex eo, quòd pro eo tempore cessat vis, & potestas dominij iure gentium introducta, & res fiunt quoad vsum primò capientis, & possidentis. Sed responderi potest hoc esse verum, si capiat, & possideat iustè: at capiens, & possidens per furtum, non capit, neque possidet iustè, neque tollit domini possessionem. Necessitas autem superueniens non potest facere, vt iustè possideat, si simul cum necessitate domini concurrat. Ergo.

PVNCTVM X.

An consumens rem alienam in necessitate tenearis restituere, si ad pinguiorem veneris fortunam.

1 *Ex quo pendeat resolutio huius difficultatis.*
2 *Si alienum habeas ex contractu transferente dominium, teneris; secus si habeas alienum ex contractu non transferente dominium.*
3 *Si ex delicto alienum habeas, communior sententia docet te esse obligatum restituere. Contrarium est satis probabile.*

1 Resolutio huius puncti pendet ex dictis *puncto* 4. vt bene aduertit Coninch *disput.27. dub. 10. num.161. & 164. conclus.* 2. Vasquez *opuscul. de eleemosyna, dub.8.num.67.* ibi enim asseruimus plures esse casus, in quibus debebat diues gratis omnino, & sine obligatione eleemosynam concedere, & plures esse, in quibus poterat obligationem restituendi imponere. In iis ergo casibus, in quibus hæc obligatio imponi potest, si rem accipias secretè, teneris, cùm ad pinguiorem veneris fortunam, restituere, quia non potes alia via accipere, quàm ipse tenetur præstare. Neque præsumi potest nolle diuitem sibi rem restitui, cùm id velle possit.

2 Difficultas ergo est, an si alienam rem ante necessitatem possideas, & in necessitate constitutus illam consumas, excuseris à restitutione, sicut si tunc accipiens rem illam consumpsisses? Qua in re certum est, si rem possessam, & tibi necessariam habebas ex contractu transferente dominium, qualis est mutuum, vel venditio, teneri restituere, quia tunc non consumis alienum, sed proprium, & obligatio ex contractu reddendi rem perseuerat. Coninch *disput. 27. dub. 10. num. 167.* Vasquez *de eleemosyna, cap. 1. dub. 8.* Bonacina *disput.3. quæst.4. de charitate, punct.6. num.16.* & alij apud ipsos. Si autem ex contractu non transferente dominium habebas, verbi gratia, ex commodato, vel deposito, censeo probabilius te non esse obligatum restituere, quia nec restituere teneris ex re accepta, cùm nihil illius supersit, vt suppono, neque ex iniusta acceptione, cùm nulla fuerit, neque etiam ex contractu priùs facto: hic enim solum obligare potest ad reddendam rem, quando culpa depositarij periit; secus si absque illius culpa, vt in præsenti contingit. & ita tradunt plures relati ab Azor *lib. 11. cap. 8. quæst.7.* Torres *disput.82.dub.7. ad finem.* quibus accedit Petr. Nauarr. *lib. 4. de restitut. cap.4. num.16.* Bonacina *disput.3. quæst.4. punct.6. num.26.* Lessius *lib.2. cap.16. dub.1.num.5.*

3 Quòd si rem alienam tibi necessariam habes ex delicto furti, vel rapinæ; communior sententia tenet te obligatum esse transacta necessitate similem restituere, quia esto licitè illam consumas in necessitate: at obligatio ante necessitatem contracta ex iniusta acceptione non perit, sed suspenditur. sic Vasquez *illo dub.8. fine, num.68.* affirmans neminem contradicere. Bonacina *dicto num.16.* Petrus Lorca *disput.38.num.14.* & alij plures apud ipsos. Ratio est, quia ad subleuandam necessitatem opus non est debitum extingui, sufficit eius restitutionem impediri. Verùm contrarium censeo satis probabiliter, & fortè probabilius dici posse, cum Petro Nauarr. *lib.4. cap.4. num.24. & 25.* Coninch *disput.27. dub.10. num.166.* quia sic consumens rem videris satisfacere obligationi restituendi antea contractæ, cùm rem consumas, sicuti dominus tenetur velle consumi, si apud ipsum staret. Et confirmo. Ab onere restituendi rem, liberatur iniquus detentor, si absque eius culpa periit res furto ablata, eodem modo apud dominum existens peritura, vt bene probat Lessius *lib. 2. cap.12. dub.15.* Atqui si res illa apud dominum existeret, eodem modo periret, ac periit apud te iniquum detentorem, cùm ipse dominus teneretur tibi in necessitate extrema existenti donare. Ergo.

PVNCTVM XI.

Vtrùm existens in necessitate tenearis rem alienam restituere creditori necessitate simili laboranti, vel possis restitutionem omittere.

1 *Non teneris, si alienum retines ex contractu.*
2 *Si retines ex delicto, neque res existit in specie, non teneris.*
3 *Secus si res aliena in propria existit specie.*
4 *Idem quod dictum est de tua necessitate, dicendum est de necessitate illorum, qui tibi in primo gradu coniuncti sunt.*

1 Dupliciter rem alienam retinere potes, vel ex contractu, vel ex delicto. Si habes ex contractu, probabilius censeo non solùm in extrema, sed etiam in graui necessitate te non esse obligatum restituere; quia in pari casu melior est conditio possidentis. quod est manifestum, si habes rem ex contractu transferente dominium. At si habes rem ex contractu depositi, precarij, commodati, quibus dominium non transfertur, neque finitum est tempus contractus, est probabilius, quia licèt dominium apud te non sit, est tamen iusta possessio, & vsus pro eo tempore. Ergo potes te, tuósque creditori præferre. sic Vasquez *in opuscul. de eleemosyna, cap.1. dub.9. num.73.* Bonacina *disput.3. quæst.4. de charitate, punct.6. num.14.*

2 Si autem ex delicto debeas, distinguendum est, vel res debita existit in specie, vel non? Si non existit, non teneris tunc cum æquali tua iactura restitutionem facere, quia & dominium, & possessio tibi fauent, nec potes dici retinere alienum, sed proprium cum obligatione reddendi ablatum; quæ obligatio ob necessitatem suspenditur. Quod non solùm existimo verum in extrema necessitate, sed etiam in graui: grauis enim necessitas eo modo, quo extrema facit omnia communia. sic Lessius *lib.2. cap.16. dub.1. num.20.* Limita, nisi

causa fueris necessitatis creditoris, quia tunc debes cum iactura propria æqualem creditoris reparare, quia est melior illius conditio. sic Bonacina *disp.3.q.4.de charit. punct.6.num.14.*

3 Si verò res debita ex delicto in propria existit specie, placet mihi sententia Vasquez *de eeleemosyna, cap.1. dub.9. num.70. & 71.* & Lorcæ 2.2. *disput.38. num.10.* Nauarr. *cap. 17. num. 60.* te esse obligatum restituere creditori, si creditor priùs actu, vel eodem tempore in necessitatem incidit; quia non est æquum ob vsurpatam possessionem te velle creditori simili necessitate laboranti præferre. Si autem tu prius in necessitatem incidisti; quia ratione necessitatis possides rem, seu rei vsum iustè, illam possessionem continuare censeris, quando alius in necessitatem incidit, & obinde à restitutione excusaris.

4 Quæ dicta sunt de tua propria necessitate, dicendum est de necessitate parentis, aui, filiorum, vxoris, imò & fratrum: ius enim fauendi iis tibi ita coniunctis præferendum videtur creditori. sic pluribus relatis Bonacina *disp.3. quæst.4. de charitate, punct.6. num.14.* quamuis Vasquez *de eleemosyna, cap.1. dub.9. num.74.* in fratre limitet, cui creditorem existimat esse præferendum.

PVNCTVM XII.

Ex quibus bonis facienda est eleemosyna.

1 *Facienda est ex proprijs in casu graui, & extrema necessitatis, ex alienis, quando patiens necessitatem habet ius surripiendi.*

2 *Quid dicendum de bonis à communitate possessis. Qua ratione de illis facienda sit eleemosyna ab hominibus illius communitatis.*

3 *Quid de illicitè, & turpiter acquisitis.*

1 FAciendam esse eleemosynam ex propriis, & quorum habes administrationem, & non ex alienis, nemini est dubium. Non enim iniustitia committenda est, vt charitati subuenias, vt rectè docuit Augustinus *in lib.50. homil. homil.7.* relatus *in cap. fortè, 14. quæst. 5.* Solùm casus extremæ necessitatis excipitur, ad cuius medium aliena accipere potes, si alia via nequit prouideri. In casu grauis necessitatis solùm hæc habent locum, quando vrget præceptum eleemosynæ, & ipse patiens necessitatem illam ab inuito accipere poterat. Vasquez *de eleemosyna, cap. 2. dub.2.*

2 Ex his infertur, quid dicendum sit de bonis, quæ ab aliqua communitate possidentur? Dupliciter enim possideri possunt, vel collegialiter, vel particulariter: collegialiter possidentur, cùm non in singulos diuiduntur, sed à communitate, vel eius, qui illius curam gerit, dispensantur. Particulariter possidentur, cùm in singulos distribuenda sunt, singulique illius communitatis ius habent, vt sibi signata portio detur. Si bona collegialiter possidentur, poterit communitas, seu maior illius pars, vel qui illius curam gerit, facere eas eleemosynas, quæ rectæ gubernationi illius communitatis expedire visæ fuerint. *cap. cùm in cunctis, de his quæ fiunt à maiori parte capituli.* At si bona particulariter possidentur, necessariò requiritur consensus omnium illius communitatis, vt eleemosyna concedatur, quia cùm ad quemlibet sua pars pertineat, nequit sine eius consensu defraudari: colligitur ex *cap. cùm omnes, de constitutionibus.* sic Ioann. Medina *de eleemosyna, cap.4.* Valent. 2.2. *disput.3. quæst.9. punct. 5. versic. secundò.* Vasquez *in opuscul. de eleemosyna, cap.4. num.2.* vbi subdit cum Ioan. Medin. quamuis portionarij non habeant vocem in Capitulo, si bona eroganda in eleemosynas in illos essent diuidenda, nequaquam sine illorum consensu posse erogari. At credo in hac parte consuetudini esse standum: cedunt enim portionarij huic iuri, cùm Ecclesiam ingrediuntur, in qua non habent vocem in Capitulo, vt possit Capitulum ex bonis communibus, ad ipsósque pertinentibus eleemosynas facere, prout rectæ gubernationi expedire visum fuerit. Aliàs deberet Capitulum explorare consensum non solùm præsentium, sed absentium, vt aliquam eleemosynam faceret. quod est contra vsum receptum.

3 Secundò infertur, quid dicendum sit de illicitè, & turpiter acquisitis, an possis facere eleemosynam? Pro cuius decisione suppono dupliciter te posse rem alienam illicitè acquirere. Primò vsura, furto, & rapina. Secundò præmio, & mercede alicuius illicitæ actionis, scilicet fornicationis, occisionis, iniustæ sententiæ, beneficij, Ecclesiasticæ collationis. Si furto, vsura, & rapina res acquisita est, & in specie existit, extra supradictum casum extremæ, vel grauis necessitatis non potes eleemosynam facere, sed debes domino restituere. Secus verò, si iam non existit in specie, neque ex eleemosyna impotens redderis ad restitutionem faciendam, quia tunc ex propriis eleemosynam facis, absque damno creditoris. Vasquez *cap. 2. de eleemosyna, dub. vltim.* Suarez *disput. 7. sect. 2. de charitate, num. 6. & 9.* Si autem impotens redderis ad restitutionem, clarum est te non posse eleemosynam facere. Dubium tamen non leue est, an recipiens tenearis, si mala fide accepisti, credens dantem reddi impotentem ad restituendum? Et quidem teneris; quia cooperaris damno creditoris eius debitum deteriorando. Si bona fide recepisti, & consumpsisti, non videris teneri; quia nec ratione rei acceptæ, quæ non existit, nec ratione iniustæ acceptionis, quæ nulla fuit, teneris. Si autem res accepta consumpta non est, aut si consumpta est, ditior es factus, ob cuius causam in æquiualenti perseuerat; alicui videberis esse obligatus, quia res illa obligata est creditori, neque cum illius damno tibi donari poterat. Ergo potest à creditore vendicari. Ergo tu teneris creditori reddere. Et confirmo. Si à principio rem accepisses, credens dantem impotentem reddi ad restituendum, esset iniusta acceptio, & obligatus esses creditori reddere. Ergo etiam es obligatus, cùm illam retines, & scis ex illius retentione creditori damnum parari. Et hoc mihi dicendum videtur cum Suarez *disput. 27. sect. 2. de charitate, num. 10.* Quamuis non careat difficultate, cùm bona specialiter obligata non acceperis; quia tunc tota obligatio debitoris esse videtur personalis, cui ipse satisfacere tenetur ex bonis, quæ habet, neque bona ipsius postquam sunt alienata, videntur cum illo onere transire, aliàs vindicari possent. Quòd si præmio, & mercede alicuius illicitæ actionis iam executæ acquisitum sit, poteris ex illis eleemosynam facere, quia dominium illorum acquisisti, neque teneris danti restituere. Non enim tenetur meretrix pretium sui corporis, neque iudex pretium iniquæ sententiæ restituere danti, postquam meretrix sui corporis copiam fecit, & iudex iniquam sententiam tulit. Ægidius Coninch *disp.27. dub.12. n.210.* Lessius *lib.2. cap.14. dub.8.* Excipio simoniacè acquisita ob beneficium, quæ restituenda sunt Ecclesiæ ante iudicis sententiam, vt in disp. de simonia dicemus.

PVN

Pvnctvm XIII.

Qui eleemosynam facere possint.

1 *De quibus personis sit controuersia.*

2 *Seruus mancipium non potest eleemosynam facere, nisi ex consensu domini, censetur dominus consentire, si sibi ex assignatis ad sustentationem subtrahat, vt expendat.*

3 *Enumerantur plures alij casus, in quibus seruus dominium bonorum acquirit, & illorum eleemosynam facere potest.*

4 *Quod dicitur de seruis mancipijs, dicendum est de famulis.*

5 *Prodigus magnam eleemosynam facere non potest, bene paruam, & suo statui conuenientem.*

6 *Minor, & pupillus similiter absque tutoris, vel curatoris consensu, non possunt magnam eleemosynam facere. At si faciant, factum tenet, quousque repetatur.*

7 *Tutores, & curatores ex bonis illorum, quorum habent curam, moderatas eleemosynas facere possunt.*

8 *Filiusfamilias, etiamsi pubes sit ex bonis profectitijs, aut aduentitijs; non potest facere eleemosynam, nisi quatenus pater præsumitur consensurus; secus de bonis castrensibus.*

9 *Religiosus superior eleemosynas facere potest ex bonis, quæ decenti sustentationi religiosorum supersunt. Alij verò religiosi solùm ex præsumpto superioris consensu.*

10 *Vxor de bonis proprijs eleemosynam facere potest, & quæ hæc sint.*

11 *Secus de dote, & bonis communibus, absque mariti consensu.*

12 *Limitatur doctrina, ne procedat in eleemosynis paruis, & quæ aliæ fœminæ suæ qualitatis facere solent.*

13 *Item cum maritus est amens, vel absens.*

14 *Deinde cum fit eleemosyna ad auertendum malum, vel impetrandum bonum; sed prudenter est concedendum.*

15 *Item cum maritus bona dissipat.*

16 *Tandem, vt non procedat, si parentes, vel filij ex priori matrimonio indigeant.*

17 *Debet vxor computare in sua parte dissoluto matrimonio, quæ sic dedit.*

18 *Succurrere indigenti eleemosyna consistente in actionibus necessarijs quilibet potest.*

19 *De quibus bonis quis disponere potest, si habet ascendentes, vel descendentes.*

20 *Eleemosynas moderatas non tenetur quis computare in quinta, vel tertia parte bonorum, secus excedentes.*

1 Cvm eleemosyna liberalis quædam donatio sit, dominiúmque transferat in accipientem: clarum est, extra casum necessitatis fieri non posse ab alio, quàm à dominio rei donatæ liberam illius administrationem habente, nisi ex præsumpta domini voluntate. Hinc oritur difficultas de seruis, & famulis, de filiisfamilias, de minoribus, & pupillis, de prodigo sub curatore constitutis, de religiosis, de vxore, qua ratione eleemosynas aliquas facere possint, cùm non habeant bona propria, vel si illa habeant, non habeant liberam illorum administrationem?

2 Et primò videndum est de seruis, & famulis. De quibus recepta est omnium sententia, seruum mancipium non habere bonorum dominium, sed esse apud dominum, cuius ipse est seruus. habetur expressè *Institut. per quas personas, §. item nobis. & l. placet, ff. de acquirenda hæreditate, l. id vestimentum, ff. de peculio, & cap. cùm olim, de priuilegijs, l. 7. tit. 21. part. 4.* Ratio colligitur ex *supradicta l. id vestimentum.* Si enim seruus domini est, & à domino possidetur. Ergo bona ipsius serui domini sunt, & à domino possideri debent. Ex qua doctrina infertur non posse seruum vllam eleemosynam facere, nisi ex consensu tacito, vel expresso domini. Dominus autem semper consentire censetur in eleemosynam factam de pecunia, aut cibis in sustentationem serui designatis: designans enim pecuniam illam in sustentationem, totum illud dispositioni serui remittere videtur. Quare si seruus sibi aliquid subtrahit, ex illo eleemosynam facere potest.

3 Secundò facere eleemosynam potest ex peculio proprio, si habeat: habere autem illud potest. Primò, si ab aliis sibi donatum est ea conditione tacita, vel expressa, ne in potestatem domini deueniat. Quod contingit, cùm seruo datur in gratitudinem alicuius obsequij absque præiudicio domini facti. Secundò, si ab ipso domino concessum est vel gratis, vel in præmium alicuius extraordinarij laboris. Tertiò, si in compensationem iniuriæ factæ ei donatum est. Quartò, si pecunia sic accepta aliquid acquisiuit. Ex his enim bonis eleemosynam facere potest pro libito: tum quia multorum sententia est perfectum habere illorum bonorum dominium, & administrationem, neque posse à domino absque iniustitia impediri, quia leges decernentes seruum non posse sibi, sed domino acquirere, non sunt cum eo rigore receptæ: aliàs nunquam se posset seruus redimere, neque contra dominum actionem habere, neque cum eo contrahere, contra *l. vix, 53. ff. de iudic.* Adde esto in supradictis casibus non haberet seruus illorum bonorum dominium, negari non potest habere administrationem, quam saltem ex fidelitate impedire non potest dominus, ac proinde eleemosynam pro libito facere ex illis potest. sic Ægidius de Coninch *dub. 5. num. 46.* Suarez *disput. 7. sect. 2. num. 2.*

4 Idem quod dictum est de seruis mancipiis, dicendum est de famulis, facere, inquam, posse eleemosynam ex bonis propriis; secus ex bonis dominorum, nisi rationabiliter præsumant ratum habituros. sic Coninch *suprà, num. 50.*

5 Prodigus, cui datus est curator, & bonorum administratio est interdicta, nequaquam potest facere eleemosynam magnam: constat ex *l. 2 ff. de curatorib. furios.* paruas autem eleemosynas, & suo statui conuenientes facere poterit; quia in iis non videtur sibi præiudicare, neque officium curatoris eludere.

6 Minor, & pupillus eadem ratione non poterunt absque tutorum, vel curatorum consensu magnam, & excedentem eleemosynam facere, quia non habent expeditam suorum bonorum administrationem. At poterunt eas eleemosynas facere, quas alij eiusdem conditionis facere solent: quia in iis faciendis tutor, vel curator consentire debet. sic Coninch *disput. 27. dub. 5. num. 61.* Quòd si de facto aliquam grauem, & magnam eleemosynam faciant, factum tenebit, neque obligatus est recipiens reddere, quousque repetatur à curatore, vel à minore petente restitutionem in integrum: quia sunt accepta à vero domino. sic Molin. *tractat. 2. disput. 277. num. 2.* Sanchez plures referens *lib. 6. disput. 38. num. 1.* Anton. Gomez *2. variarum, cap. 14.* Lessius *lib. 2. cap. 18. num. 81.*

7 Tutores, & curatores, & omnes illi, quibus alienorum bonorum cura demandata est, possunt moderatas eleemosynas facere; quia id pertinet ad rectam bonorum administrationem, quæ illis commissa est, & in bo-

num pupilli, & minoris cedunt, ipsique consentire tenentur. sic Azor 2. *part. lib.* 12. *cap.* 10. *quæst.* 5. Lorca 2. 2. *disput.* 40. *memb.* 1. Vasquez *opusc. de eleemos. cap.* 4. *num.* 2. Bonac. *disp.* 3. *quæst.* 4. *de charit. p.* 6. *num.* 26.

8 Filiusfamilias etiam si impubes sit, non potest ex bonis profectitiis, aut aduentitiis eleemosynam facere, nisi quatenus præsumitur pater consensurus: quia horum bonorum dominium, vel saltem vsusfructus apud patrem residet. Præsumitur autem pater consentire, si ex datis sibi ad congruam sustentationem, honestámve recreationem aliquid subtrahat, vt in eleemosynam expendat. sic Coninch *disput.* 27. *dub.* 5. *num.* 58. Vasquez *cap.* 4. *de eleemosyn. num.* 3. De bonis autem castrensibus, aut quasi, poterunt, quas voluerint, eleemosynas facere, quia plena eorum administratio illis competit. quod intelligendum esse dicit Coninch de filiis puberibus: nam si impuberes sint, existimat non esse facilè permittendum dare magnas eleemosynas ob iudicij imbecillitatem, argum. *l. fin. C. de testam. militu.* vbi denegatur potestas testandi tribuno militi etiam de bonis castrensibus, eo quòd stabilem mentem nondum sit adeptus. sed, vt benè aduertit Lessius *lib.* 2. *cap.* 18. *dub.* 11. *num.* 78. supradicta lex solùm locum habere potest in testamento, vel in donatione facta extraneo, non tamen ad causas pias, qualis est eleemosyna; si tamen hæ eleemosynæ in damnum graue ipsius filij familias cedant, poterit petere restitutionem in integrum, & illas non vt eleemosynas, sed vt donationes prodigas reuocare. Lessius *lib.* 2. *cap.* 17. *dub.* 9.

9 Religiosus superior, cui bonorum conuentus administratio commissa est, aliquas eleemosynas facere potest ex his, quæ decenti subditorum sustentationi supersunt: quia in iis conuentus consentire debet; & ad rectam illius administrationem pertinet. Item solum prohibetur profanas donationes facere, vt constat ex Bulla Clem. VIII. *de largitione munerum*, edita anno 1594. cuius meminit Quaranta, *verbo largitio munerum pag.* 361. Ergo donationes ad pias causas ei tacitè conceduntur. Alij autem religiosi subditi nullas facere eleemosynas possunt, nisi ex tacito, aut expresso superioris consensu: censetur autem superior consentire aliquibus eleemosynis religioso statui conuenientibus, ex eis, quæ eis ad viaticum, vel congruam sustentationem extra monasterium existentibus conceduntur, quia datur illis libera tunc illorum bonorum administratio. sic ex omnium sententia Suar. *disput.* 7. *sect.* 2. *num.* 3. Vasquez *de eleemos. cap.* 4. *num.* 1. Rarò tamen præsumitur consentire, vt existentes in monasterio eleemosynam faciant ex iis, quæ sibi ad victum apponuntur, quia obstat hæc dispositio rectæ domus gubernationi: sic Lorca 2. 2. *disput.* 3. *sect.* 36. *num.* 6. Torres *disp.* 84. *dub.* 2. Coninch *disput.* 27. *dub.* 5. *num.* 47. Lessius *lib.* 2. *cap.* 18. *dub.* 11. *num.* 85.

10 Restat dicendum de vxore, de qua duo sunt certa. Primò, certum est vxorem habentem aliqua bona, quorum dominium, & administratio ipsi competit, posse de illis disponere, prout voluerit. Hæc bona sunt, si quæ ad matrimonium tulit præter dotem, quæque vocantur bona paraphernalia. Item si quæ labore suo, & industria lucrata est, ad quem laborem ipsa non tenebatur, cùm (vt suppono) sufficientem dotem attulerit pro oneribus matrimonij. Tertiò, si ex assignatis à marito in sustentationem aliquid subtrahit, quia videtur illud suo labore esse acquisitum, vel ex consensu tacito viri disponi. sic ex D. Thom. Paludan. Nauarr. & aliis docet Nauarr. *opusc. de eleemosyn. cap.* 4. *num.* 4. & 6. Coninch *disp.* 27. *dub.* 5. *num.* 51. Lessius *lib.* 2. *cap.* 12. *dub.* 14. *num.* 84. Bonacina *disput.* 2. *de restitut. quæst.* 10. *punct.* 2. *à num.* 5. & 9. *versic. quartò.* Aduerto tamen hoc verum esse spectato iure communi. Nam in Hispania aliter est dicendum, cum non solum dotis, sed etiam paraphernalium bonorum administratio ad maritum pertinet, & omnia lucra constante matrimonio communia sunt vtrique coniugi. sic Vasquez *supra.* Probabile tamen est hanc dispositionem regiam solùm habere locum in vxore nuptiis iam celebratis, vel in sponsis matrimonio consummato, secus in sponsis etiam de præsenti nondum cognitis, nec traductis ad domum. Couarr. 2. *p. decret. cap.* 7. §. 1. *num.* 4. Valent. 2. 2. *disput.* 3. *quæst.* 9. *p.* 6. *fine.*

11 Secundò certum est apud omnes vxorem non posse de dote, nec de bonis communibus eleemosynam facere absque viri consensu, quia esto habeat illius dominium; non tamen habet administrationem.

12 Hoc tamen limitandum est. Primò, vt non procedat de eleemosynis paruis, quas aliæ fœminæ suæ qualitatis facere solent: nam has posse vxorem facere ferè omnes admittunt, quia in iis consentire debet vir ob consuetudinem receptam: & quia hæc eleemosynæ largitio pertinet ad congruam, & decentem mulieris sustentationem, quam præstare vir tenetur, neque censendus est per absolutam prohibitionem has prohibere, sed solùm magnam, & excessiuam. sic ex Nauarr. August. & Syluest. docet Suar. *disput.* 7. *sect.* 2. *num.* 5. Vasquez *de eleemos. cap.* 4. *num.* 4. Coninch *disput.* 27. *dub.* 5. *num.* 52. Lessius *lib.* 2. *cap.* 12. *dub.* 14. *num.* 85. Bonac. *disp.* 2 *q.* 10. *de restit. p.* 2. *num.* 6.

13 Secundò limitant aliqui, ne procedat, cum maritus est diu absens, vel amens, quia tunc competit vxori bonorum administratio, ac proinde eleemosynarum elargitio. sic Nauarr. *summ. cap.* 17. *num.* 154. Vasquez *num.* 6. Coninch *suprà num.* 54. Sed subdit Nauarr. non debere excedere quantitatem, quæ à marito sui compote, vel præsente daretur. At Lessius *lib.* 2. *cap.* 12. *dub.* 14. *num.* 86. cum Palud. Syluest. & Angelo, & Coninch *supr.* Bonac. *num.* 9. *vers. quinto*, doctrinam firmant sine hac limitatione, sed absolutè dicunt eas eleemosynas facere posse, quæ sibi regulante prudentia visa fuerint conuenire. At mihi dicendum videtur cum Vasquez doctrinam Nauarri veram esse in casu absentiæ mariti, doctrinam Lessij, Paludani, & aliorum in casu amentiæ; quia in casu absentiæ mariti est à marito vxori concessa administratio, & nomine mariti administrat; ipse enim est, qui administrationem retinet, licèt illam ob absentiam exercere non possit: non igitur vxor alio modo administrare potest, quàm sibi à marito fuerit præscriptum, vel quem intelligit marito placitum esse. At in casu amentiæ, cum ipsa sit à iure simpliciter administratrix, poterit, prout prudentia dictabit, eleemosynas facere.

14 Tertiò limitant, vt non procedat, si eleemosynas faciat ad auertendum malum aliquod temporale, vel spirituale sibi, vel marito imminens, impetrandúmque à Deo, sui suorúmque conuersionem. Quia licèt in iis maritus non consentiat, consentire debet, quia vtiliter eius gerit negotium. sic Lessius *lib.* 2. *cap.* 12. *dub.* 14. *num.* 85. *vers. sextò.* Suarez *disput.* 7. *sect.* 2. *num.* 5. Nauarr. *cap.* 17. *num.* 153. Vasquez *in opusc. de eleemos. cap.* 4. *num.* 5. Bonac. *disput.* 2. *de restit. quæst.* 10. *p.* 2. *num.* 9. *vers. tertiò.* & fauet exemplum Abigail 1. *Reg.* 25. quæ laudabiliter munera obtulit Dauid, ne in suum maritum amplius sæuiret. Hæc tamen limitatio sic absolutè sumpta mihi nullo modo probatur, quia aperit viam vxoribus omnia bona liberè expendendi in pauperes, putantes id sibi licere, vt à Deo impetrent gratiam, ne maritus vitiosus & inhonestus sit. Quocirca, vt benè dicit Coninch *disput.* 27. *dub.* 5. *num.* 56. solùm in casu aliquo rarò id est permittendum. Neque exemplum Abigail vrget, quia tunc donatio illa fuit necessarium medium ad temperandam iram Dauid. At eleemosyna regulariter non est medium vnicum, & efficax ad impetrandam

dam peccatoris conuersionem, cùm orationibus, ieiuniis, & sacramentorum receptione id obtineri possit.

15 Quartò limitant, & bene, vt non procedat, cùm maritus bona dissipat ludo frequenti, compotationibus, luxuriis, & similibus: tunc enim vxor partem sibi contingentem surripere potest, vt se indemnem seruet, & ex illa eleemosynas facere, quantum decens suæ familiæ sustentatio permiserit, quia marito non est concessa bonorum communium dissipatio, sed ministratio, de cuius essentia est, vt cedat in rei administratæ commodum. Cùm ergo tunc ipse maritus non administret, sed dissipet, poterit vxor partem, quæ sibi contingit, accipere administrandam, neque tenetur in dissipationem consentire. sic Lessius *lib.2.cap.12. dub.14. num.* 87. Coninch *disput.* 27. *dub.* 5. *num.* 58. Bonacina *disput.2. de restit. quæst.10.punct.2.num.9. versic.sextò.*

16 Quintò limitant, vt non procedat, si parentes eius, vel filij ex priori matrimonio habiti patiantur necessitatem, neque habeat bona propria, ex quibus illis prouideri posit, poterit tunc ex bonis communibus petita priùs à marito licentia: quia æquum non est eius bona accipere, ipso renuente, si ipso consentiente accipi possunt. Crederem tamen non peccare mortaliter, etiamsi hanc licentiam petere omittat, quia vir non est, neque esse potest inuitus in tali eleemosyna: siquidem negata licentia poterit vxor clam surripere, vt obligationem naturalem alendi sic sibi coniunctos exequatur. sic Lessius *num.*88. Bonacina *num.*9. Nauarr. *lib.3.de restit.cap.1.num.*161. Quam doctrinam extendunt supradicti Doctores ad fratres ob naturalem coniunctionem; spectat enim ad decentem vxoris statum, ipsiúsque honorem, ne fratres suos permittat egere, cum bona habeat, ex quibus posit succurrere; fauétque *l.manens* 73.§.1.*ff.de iure dotium*, ibi, manente matrimonio non perdituræ vxori ob has causas dos reddi potest, vt se, suósque alat, vt fundum idoneum emat, vt in exilium, vel in insulam relegato parenti præstet alimoniam, vt egentem virum, fratrem, sororémve sustineat.

17 Debet tamen vxor, quæ sic dederit, computare in sua parte, quando dissoluto matrimonio ad partitionem venerit cum viri hæredibus; quia non est æquum, vt ex alieno consanguineis succurrat, cum habet propria. sic Lessius, & Bonacina *suprà.*

18 Tandem aduerto sermonem hucusque esse de eleemosyna, quæ fit per pecuniam, aut simile. Nam si de eleemosyna in actionibus humanis consistente loquamur, certum est vxorem, filiumfamilias, religiosum, seruum posse liberè illam præstare, dummodo nihil deroget imperio illorum, quibus subditur. sic Suarez *disp.*7. *sect.2. num.*2.

19 Sed inquires, an eleemosynæ coniugum computandæ sint in parte, de qua possunt liberè disponere?

Spectato iure regio Castellæ nullus, qui legitimos descendentes habeat, potest vltra quintam bonorum partem aliis extraneis liberaliter donare. *l.* 30. *Tauri*, quæ est *l.*13.*tit.*6.*lib.*5. *compilat.* si tamen caret filiis, & habet parentes, solùm de tertia disponere potest. *l.*6. *Tauri*, hodie *l.*1. *tit.*8. *lib.*5. *compilat.* Dubium ergo est, an debeant eleemosynæ in vita factæ computari in hac tertia, vel quinta parte; ita vt si excedant, non possit quis amplius disponere, sicut computantur in morte?

20 Breuiter respondeo (latiùs tractandum in materia de donationibus) si eleemosynæ excessiuæ grauiter non appareant, sed potiùs prudentis arbitrio videantur moderatæ, & conuenientes conditioni, & qualitati donantis, eiúsque possibilitati nequaquam computandæ sunt, in quinta, vel tertia bonorum parte, de quibus liberè potest disponere, sed ex toto aceruo possessionis detrahendæ sunt, tanquam ea, quæ rigorosè sunt debita. Ratio est, quia harum eleemosynarum elargitio ad rectam domus gubernationem, decentémque sustentationem donantis pertinet: quæ ratio cessat, cùm eleemosynæ sunt excessiuæ. Præterea excessiuis eleemosynis defraudari hæredes possunt omni sua hæreditate; secus eleemosynis moderatis. sic docent Molin. *tom.2.tractat.2.disput.*182. *§.dubium est.* Thomas Sanchez alios referens *lib.6.de matrim. disput.*36.*num.*6 *& 11.*

Pvnctvm XIV.

Quibus danda sit eleemosyna.

1 *Facienda est indigenti, modò non foueat eius iniquitatem.*
2 *Vagabundis non est facienda eleemosyna, nisi grauiter indigeant.*
3 *Simulato pauperi vera est eleemosyna, qui affirment.*
4 *Ex hac doctrina inferunt non esse obligatum restituere, tametsi obligatus sit deceptionem tollere.*
5 *Probabilius est nullam esse eleemosynam ficto pauperi concessam, ipsúmque obligatum esse restituere.*
6 *Satisfit fundam.num.3.adducto.*
7 *Facienda est restitutio domino, vel veris pauperibus.*
8 *Quibus pauperibus distribuenda est eleemosyna, cum à testatore mandatum est in pauperes distribui, & quid de filio spurio testatoris.*
9 *Vni tantùm non potest integra eleemosyna distribuenda in pauperes concedi, neque alijs pauperibus à designatis.*
10 *Executor potest suis consanguineis pauperibus eleemosynam in pauperes determinatos distribuendam concedere, fraude cessante.*

1 Constat apud omnes dandam esse pauperi indigenti, siue iustus sit, siue iniustus, siue amicus, siue inimicus, modò non credatur iniquitatem, & inimicitiam de eleemosyna fouendam esse, quia tunc nullo modo facienda est illi eleemosyna, vt dixit Augustinus *epist.*48. *ad Vincentium Donatistam, paulo post initium*, vtilius esurienti panis tollitur, si de cibo securus iustitiam negligebat, quàm esurienti panis frangitur, si iniustitiæ seductus acquiescat: & tradit Vasquez *opuscul. de eleemosyna, cap.*3. *dub.*4. *num.*9. Medin. *C. de eleemos. cap.* 7. Coninch *disput.* 27. *dub.* 6. *num.* 70. quia anima, plusquam corpus diligenda est.

2 Ex his infertur patientibus necessitatem non ob amorem virtutis, sed ob otium, tædiúmque laboris, quales sunt vagabundi, quíque regulariter vitiis pleni sunt, non debet eleemosyna concedi. quia sic fouetur eorum malitia. Sotus *in deliberat. causæ pauper. cap.* 3. Lorca 2. 2. *sect.*3. *disput.* 37. *num.*10. Vasquez *tractat.de eleemos. cap.2.dub.*1. Coninch *disput.*27. *dub.* 6. *num.* 69. & probat *authent. de quæstore, collat.*6. *& l.*1.2.3. *& 6. lib.*8. *nouæ compilationis.* Excipe, nisi in grauem necessitatem incidissent, & eleemosyna sic data crederetur ad meliorem frugem esse reducendos; quia in tali casu prodest eleemosyna corpori, & animæ. sic Coninch, Lorca, & alij *suprà.* Qui bene aduertunt, pauperes nobis occurrentes non esse facilè huius qualitatis præsumendos: fieret enim illis iniuria manifesta, si absque sufficienti fundamento

mento putarentur otio torpentes, & laboris tædio eleemosynam expostulare: potiùs enim credendum est ex necessitate, vel amore virtutis sic victum quærere.

3 Difficultas est, an eleemosyna data pauperi simulato dominium in illum transferat? Affirmat Lessius *lib. 2. de iustit. cap.* 18. *dub. vlt. in fine, num.* 132. Ægid. de Coninch *disput.* 27. *dub.* 6. cum Soto *lib.* 9. *de iustit. quæst.* 7. *artic.* 3. *sub finem.* Mouentur, quia si error non procedit circa substantiam actus, sed circa accidentia, non reddit actum ipso iure irritum, sed solum irritandum pro voluntate decepti. Sed talis videtur esse huiusmodi error, quia substantia eleemosynæ non petit paupertatem veram, sed sufficit existimata; quia non minus apud Deum valet donatio facta vero pauperi, quàm ficto, si fictio prorsus ignoratur. Et confirmatur, quia aliàs donatio facta paupertatem simulanti esset nulla, si donaturus non esses, si simulationem cognosceres: & matrimonium cum ignobili, & paupere contractum inualidum esset, si existimabas nobilem esse, & diuitem, & beneficij collatio facta ignoranti, & moribus deprauato, nulla esset, si existimabas esse doctum, & probum: quæ omnia videntur difficilia. Ergo dicendum est absolutè illam donationem validam esse.

4 Hinc inferunt Coninch, & Lessius sic eleemosynam accipientem non esse obligatum directè eam restituere, quia illius habet dominium; obligatum tamen esse deceptionem tollere, quia iniustè alium decepit, & ad sibi donandum per fraudem induxit; vt sublata deceptione donans liber maneat ad confirmandam donationem, vel ad illam repetendam. Quòd si noluerit huic obligationi satisfacere, debet reddere acceptum. Si tamen fraus donanti manifestari non potest, neque acceptum restitui, poterit accipiens retinere, neque in pauperes obligatus est expendere; quia pauperes nullum ius acquisierunt. Sotus verò absolutè affirmat nullam esse in accipiente restitutionis obligationem; quia causa finalis illius donationis, quæ fuit charitas Dei, verè extitit, etiamsi impulsiua defecerit, deficiente vera paupertate in accipiente eleemosynam.

5 Nihilominus dicendum est eleemosynam datam ficto pauperi nullam esse, & obligatum esse accipientem restituere sic acceptum. sic Nauarr. *cap.* 17. *num.* 107. Medin. *Cod. de restit. quæst.* 124. Adrian. *in* 4. *tractat. de restit. quæst.* quæ incipit, *Consequenter quæro, vtrùm indistinctè tenetur homo quidquid simulatione.* Scotus 4. *distinct.* 15. *quæst.* 2. *artic.* 3. Angel. *verbo restitutio.* 1. *verbo turpe lucrum*, §. 3. Caietanus *in summ. verbo restitutio, cap. vlt. casu* 4. Vasquez *de eleemosyn. cap.* 3. *dub. vlt. num.* 12. *&* 15. & alij. Ratio est, quia error hic commissus est substantialis, & reddit actum quoad substantiam inuoluntarium. Ergo nullum. Antecedens probo. Quia eleemosyna essentialiter respicit miseriæ releuationem. Ergo si nulla est miseria, quæ releuetur, nulla esse potest eleemosyna. Neque obstat quoad Deum habere illam donationem eleemosynæ meritum; quia ad hunc finem sufficit esse existimatam miseriam, quia Deus solùm intentionem donantis spectat: at in re non est illa donatio vera eleemosyna, cùm in re non sit vlla miseriæ releuatio. Quod exemplo adorantis hostiam non consecratam existimando esse consecratam illustrari potest: ille enim externus cultus meritum adorationis, & religionis habet: in re tamen non est vera religio, cum nihil sit in illa hostia religione dignum.

6 Ex his dissoluitur contrarium fundamentum. Ad confirmationem nego simulationem sanctitatis reddere eleemosynam nullam; quia sanctitas non pertinet ad eleemosynæ substantiam, sicut pertinet paupertas. Et idem est de matrimonio cum ignobili, & paupere, quia non est conditio, cui de iure, aut ex natura rei contrahens debet inniti: collatio autem beneficij facta ignoranti, vel improbo erit nulla, si ignorantia, aut improbitas tanta est, vt tollat à recipiente dignitatem, & sufficientiam; secus aliter. Quocirca vt contractus nullus sit ob aliquam conditionem tacitam, vel falsò expressam; videndum est, an sit conditio illa cui contrahens inniti debeat iure ipso. Nam si talis sit, reddit donationem irritam: secus econtra. Hinc est collationem beneficij factam insufficienti, simulato sufficienti nullam esse, quia sufficientia est à iure requisita, vt valida sit. Secus verò, si se amicum, consanguineum, aut pauperem simulasset, & matrimonium liberæ personæ cum seruo ignorata seruitute nullum est, quia est conditio à iure requisita, secus si ignoraretur esse pauper, nobilis, aut moribus deprauatis.

7 Cui autem facienda sit hæc restitutio? variant supradicti Doctores. Nauarrus, Caietanus, & Medina existimant pauperibus esse faciendam; quia sic executioni mandatur voluntas donantis: hæc enim facit à se dominium abdicare, & pauperibus tribuere, quæ voluntas ob simulatam paupertatem non potuit obtinere effectum. Alij dicunt donanti debere restitui, præcipuè si res sit magni momenti. sic Lessius, Sotus, & alij. Existimo tamen cum Vasquez *illo cap.* 3. *dub. vltim. fine, num.* 24. vtrique restitui posse & domino, & pauperibus, cui simulatus pauper voluerit. Domino, quia illius est: pauperibus, quia dum non constat voluntatem retractasse, censetur perseuerare in priori voluntate, quæ fuit velle rem illam à se abdicare, & pauperibus tribuere. Ergo pauper fictus reddens veris pauperibus voluntatem domini exequitur, & iuxta eius beneplacitum de re disponit.

Secunda difficultas est, quibus pauperibus distribuenda eleemosyna sit, cum quis à testatore potestatem habeat aliquam pecuniam in pauperes distribuendi? Certum est explorandam esse, quoad fieri possit, voluntatem committentis, quia nomine ipsius fit distributio, eius tamen voluntas præsumitur esse, vt pauperes consanguinei exteris præferantur, & inter exteros pauperiores, & nobiliores, quia charitati hæc distributio conformior est. sic Augustinus Barbosa 3. *part. de potestate Episcop. allegat.* 83. *num.* 17. *&* 18. Solùm ab hac regula videtur excipiendus filius spurius testatoris, qui in distributione bonorum pauperibus relictorum eligi non potest ab executore. sic Menochius *lib.* 4. *præsumpt. quæst.* 96. *num.* 12. Gutierrez *practic. lib.* 3. *quæst.* 55. *num.* 21. & alij, quos sequitur, & refert Barbosa *dicta allegat.* 83. *num.* 24. Quod intelligendum est, si vltra alimenta ei donentur. Nam alimenta ei debentur, & testator obligatus erat relinquere. Quapropter executor optimè voluntatem testatoris in hac parte præsumere potest, & debet: sic aliis relatis docet Matien. *l.* 7. *glossa* 5. *num.* 3. *tit.* 8. *lib.* 5. *recopilat.*

9 Vni tantùm integrum legatum non est concedendum, si in pauperes mandetur distribui: videtur enim pauperum communitati iniuria fieri. Menochius *de præsumption. lib.* 4. *quæst.* 125. *num.* 20. Cenedo *practic. & canon. quæst. lib.* 1. *quæst.* 35. *num.* 13. Augustinus Barbosa *suprà num.* 19. Et ob eandem rationem, si determinatos pauperes testator elegerit, non poterit executor aliis donare, quia ius ex electione acquisierunt. Quod non solùm verum habet, cùm quilibet determinatè eligitur, sed cùm eligantur sub aliqua ratione communi, v. g. si eligantur pauperes alicuius ciuitatis,

ciuitatis, non poterit aliis alterius ciuitatis distribui. Hinc est legatum factum pauperibus concurrentibus ad portam testatoris, non posse infirmis existentibus in hospitali distribui. sic Barbosa *dicta alleg*.83.*num*.20. cum Marc. Anton. Genuens. *practic. Ecclesiast. quæst*.214. *per totam*; & à fortiori legatum distribuendum pauperibus verecundis (vulgò *en vergonzantes*) non poterit iis, qui ostiatim postulant, & multò minus mendicantibus religiosis distribui.

10 An verò executor sibi, suísque consanguineis distribuere legatum possit? Credo posse fraude omnino cessante. Gonçalez *ad regul*. 8. *cancellariæ, glossa* 2. *num*.54. & 55. Augustinus Barbosa 3. *part. de potestate Episcopi, allegat*. 83. *num*. 22. & 23. Bonacina *disput*. 3. *quæst*. 4. *de charitate, punct*.6. *num*.27. Suarez *disput*.7. *de charitate, sect*.1. *num*.9. Ratio est, quia si executor, eiúsque consanguinei verè indigeant, verè pauperes sunt. Ergo eleemosyna illis facta pauperibus fit. Ergo iuxta voluntatem testatoris. Neque enim præsumendum est testatorem voluisse excludere executorem ob executoris officium à iure sibi aliàs competente ad eleemosynam illam. Neque obstat hunc executorem, si à Confessario imponatur in pœnitentiam, vt aliquid in pauperes distribuat, non posse satisfacere subueniendo sibi, etsi possit satisfacere subueniendo consanguineis; quia, vt bene dicit Suarez *suprà*, est subuentio sibi facta contra intentionem Confessarij; eo quòd non sit pœnalis, quæ ad pœnitentiam requiritur. At cùm ex præscripto testatoris distribuenda eleemosyna est per executorem, non mandatur executori eleemosyna ipsi pœnalis, sed eleemosyna.

Pvnctvm Vlt.

De eleemosynarum quæstoribus.

1 *Qui sint eleemosynarum quæstores.*
2 *Quæ prohibeantur eleemosynarum quæstoribus.*
3 *Religiosi mendicantes non possunt ab ordinarijs locorum impediri, ne pro suis conuentibus eleemosynas petant.*
4 *Si nulla mercede accepta, neque indulgentijs publicatis eleemosynas petas in fauorem alicuius pij operis, non indiges licentia ordinarij.*
5 *Ipse ordinarius potest tibi hanc petitionem prohibere, quousque constet nullum periculum subesse.*
6 *Episcopus non potest licentiam postulandi concedere, si ex postulatione quæstum sibi quærit postulans, vel indulgentias publicat. Secus si probatæ vitæ sit, neque signa quæstoris gerit.*
7 *Quid in Lusitania, & Castellæ regno sancitum sit de his quæstoribus.*
8 *Episcopus in eleemosynarum quæstores animaduertere potest, tametsi exempti sint.*

1 Qværstores eleemosynarum illi propriè dicuntur, qui eleemosynas quærendo, vtilitatem sibi quærunt, vt tradit ex Baldo *consil*. 27. *volum*. 1. Barbosa 3. *part. de potestate Episcop. allegat*.109. *num*.6. Quod dupliciter fit. Primò, si pio loco obligentur se daturos tantam quantitatem, modò illis concedatur integra eleemosyna, quam sperant consequi. Secundò, si pius locus obligetur dare aliquam mercedem pro eleemosynæ petitione.

2 Hi ergo eleemosynarum quæstores, quia falsas reliquias, indulgentias, & facultates publicabant, indecentérque viuebant cum non leui reipublicæ Christianæ detrimento: ideo *in cap. cùm ex eo, de pœnitent. & remissionibus*, & *Clement*. 2. *eodem titulo*, statutum est, ne absque facultate Sedis Apostolicæ, vel diœcesani Episcopi hoc munus gerant, & tunc ne aliud prædicent, nec populo proponant, præter id quod in supradicta facultate continetur: quibus decretis inhærens Tridentin. *sess*. 5. *de reformatione, cap*. 2. *in fine*, statuit, ne quæstores eleemosynarum, qui quæstuarij vulgò dicuntur, cuiusque conditionis existant, nullo modo nec per alium prædicare præsumant, & contrà facientes ab Episcopis, & ordinariis locorum priuilegiis quibuscumque non obstantibus, opportunis remediis omnino arceantur. At quia hæc prohibitio sufficiens non fuit, vt eorum malitiæ remedium poneretur, sed potiùs magno fidelium scandalo quotidie augebatur absque nulla spe emendationis, ideo Tridentin. *sess*. 21. *cap*. 9. *de reformatione*, statuit, vt posthac in quibuscumque Christianæ religionis locis eorum nomen, atque vsus penitus aboleatur, neque ad officium huiusmodi exercendum vllatenus admittantur, non obstantibus priuilegiis, Ecclesiis, monasteriis, hospitalibus, piis locis, & quibusuis cuiuscumque gradus, status, & dignitatis personis concessis, aut consuetudinibus etiam immemorabilibus.

3 Circa huiusmodi decretum dubium exortum est, an regulares mendicantes impediri possint ab ordinario, ne eleemosynas pro suis conuentibus petant? Alicui videbitur id fieri posse; quia reuocantur in dicto decreto omnia priuilegia, tam monasteriis, quàm singularibus personis cuiuscumque conditionis existant, concessa. Cæterùm omnino tenendum est, non posse ab ordinariis locorum talem petitionem impediri. sic optimè probat Nauarr. *lib*. 3. *de regularib. cap*. 79. *num*. 4. Emanuel Rodriquez *tom*.2. *quæst. regular. quæst*. 57. *artic*. 7. Barbosa 3. *part. allegat*. 109. *num*. 7. Ratio est manifesta, tum quia à Sede Apostolica constituuntur mendicantes. Ergo nequit ab ordinario illis prohiberi mendicatio. Tum quia non sibi, sed communitati eleemosynas quærunt, cùm proprium habere non possint. Ergo non sunt propriè quæstores prohibiti à Concilio. Tum denique, quia ita sacra Concilij Congregatio declarauit anno 1621. vt testatur Barbosa in hæc verba: Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini interpretum censuit fratres ordinum mendicantium nequaquam posse ab Episcopis prohiberi, quominus per se ipsos in diœcesibus, vbi habent conuentus, eleemosynas quærant: sed tantùm si extra loca, vbi monasteria existant, quæritare voluerint, teneri suorum superiorem licentiam ordinario ostendere. Ecce qua ratione solùm possunt ordinarij examinare licentias horum fratrum, si extra loca, vbi sunt conuentus, quærant eleemosynas: quòd si compertum fuerit licentiam à suis Prælatis habere, impediri non possunt.

4 Secundum dubium est, an possis eleemosynas petere tibi pauperi, vel alteri pio loco necessitatem patienti absque vlla Pontificis, & diœcesani licentia?

Respondeo posse, si nulla mercede accepta, neque indulgentiis publicatis petas. Tum quia à Concilio non prohibentur eleemosynarum quæstores, qui absque vlla fraude gratis eleemosynas colligunt, & indigentibus distribuunt. Sed ad summum prohibentur, qui ex ipsis eleemosynis alteri quæsitis sibi lucrum quærunt, & quæstum intendunt, vt bene ait Tuscus *tom*.6. *verbo quæstores, conclus*.46. Tum quia non vtcumque videntur ij quæstores prohibiti, sed illi tantùm, qui prædicando, vel publicando indulgentias concessas eis, qui manus porrexerint adiutrices piis locis,

locis, quorum ipsi sunt quæstores, & pro quibus eleemosynas petunt. sic Nauarr. *dicto consil.* 79. *de regular. alias* 33. *de pœnitent. & remission.* Emanuel Rodrig. *tom.* 2. *quæst.* 57. *num.* 5. qui inde colligunt. Nam decretum Tridentini expeditum fuit ad declarationem, & confirmationem, *cap. cùm ex eo, & clem. abusionibus, de pœnitent. & remissionib.* qui textus ponuntur sub titulo *de pœnitent. & remission.* & in capitulis, qui tractant de indulgentiis, & de vsu, vel abusu quæstorum in illis prædicandis. Item colligunt ex fine prædicti decreti Tridentini, quatenus prohibet in vltimis verbis publicari indulgentias per quæstores, & permittit earum publicationem per deputatos ab ordinariis cum consensu duorum ex Capitulo. Tum quia vsu receptum est plures quærere eleemosynas pro hospitali necessitatem patiente, pro pauperibus in carcere constitutis, pro virginibus, & viduis honestis, ac proinde pro quibusuis egenis: qui quæstores non exterminantur, sed potiùs fouentur, & laudantur à Prælatis Ecclesiæ, populóque Christiano, vtpote qui opus pietati, & charitati maximè consentaneum præstent. Signum ergo est hos quæstores non esse prohibitos, sed illos tantùm, qui lucrum temporale intendentes mercede accepta huic operi incumbunt, vel, vt placet Nauarr. & Rodrig. qui insuper diligentias, & gratias prædicant concessas eis, qui manus adiutrices sibi porrexerint: quod non leuiter indicauit Concilium, cùm in principio illius capitis dixerit, multa in diuersis Conciliis, Lateranens. Lugdunens. & Vienen. aduersùs prauos eleemosynarum quæstorum abusus remedia esse adhibita, tacitè insinuans nihil aliud intendi, quàm prauos vsus, & consuetudines quæstorum remouere, & cùm subdit nomen quæstorum, & vsum penitus abolendum, neque ad supradictum officium vllatenus admittendos, satis denotat quæstoris officio abutentes exterminari debere; non illos, qui pietate ducti officium nulla mercede accepta, nulla indulgentia publicata exercent: sic docent Tuschus, Nauarrus, Rodriguez *locis citatis.* Augustinus Barbosa 3. *p. de potestate Episcop. allegat.* 109. *num.* 5. 6. & 7. *& in remissionibus ad Concilium sess.* 21. *cap.* 9. Emanuel Saa *verbo quæstuarij in vtraque editione*, inquit. Quæstuarij eleemosynarum nullibi admittendi ex Concilio Tridentino, vbi tamen non prohibentur, qui sine indulgentiarum publicatione petunt pro se, aut loco pio, quíve collectas eleemosynas in pios vsus erogant.

5 Verùm etsi supradictum officium seruatis supradictis conditionibus absque diœcesani licentia exercere potest. Nihilominus diœcesanus poterit, & meritò tibi prohibere exercendum, quousque sibi compertum sit nullum periculum scandali in tali exercitio adesse, seruarique conditiones omnes, sub quibus facultas postulandi solet concedi, vt statim dicam. Ratio est, quia ad locorum ordinarios spectat licentias, & facultates concedere eleemosynas per loca quæritandi. Franciscus Leo *in thesauro fori Ecclesiast. p.* 4. *cap.* 2. *num.* 146. Barbosa *allegat.* 109. *num.* 8. Ergo etiam ad ipsos ordinarios spectat postulantes examinare, & prohibere, qui sibi non satisfecerint: aliàs non erit satis huic ministerio consultum, & respublica multitudine postulationum grauari poterit.

6 Tertiò dubitatur, an possit Episcopus licentiam concedere postulandi eleemosynas pro aliquo pio opere?

Respondeo nequaquam posse, si postulans quæstum ex postulatione quærit, aut indulgentias, & facultates postulando publicat; quia Concilium hunc quæstorum vsum, & nomen penitus aboleri intendit, & cùm alicui concedit ex licentia ordinarij pœnitentias publicari, ne populus Christianus hoc thesauro defraudetur, subiungit id fieri debere nulla mercede accepta, vt sic cœlestes thesauros non ad quæstum, sed ad pietatem omnes intelligant exerceri. Vnde Pius V. omnes indulgentias à se, & prædecessoribus suis concessas, & in posterum concedendas quibusuis personis, & locis, pro quibus obtinendis manus sunt porrigendæ adiutrices, etiam si ab ipsa sede Apostolica facultatem quæstuandi habuerint, sanctissimè, & prudentissimè reuocauit: testatur Gallet. *in Margarita casuum conscientiæ, verbo indulgentia primo.* Barbosa *allegat.* 109. *num.* 12. Emanuel Saa *verbo quæstuarij num.* 2. *in vtraque edit.* Verùm si postulans neque indulgentias publicat, neque quæstum quærit, poterit ordinarius ei dare licentiam petendi, dummodo honestæ, probatæque vitæ sit, nec nomen, aut signum quæstoris gerat, sed eleemosynarum collectoris. Quapropter non debet priuilegia, aut reliquias circumferre, neque campanulam pulsare, aliáve instrumenta, & insignia quæstorum gerere ad excitandas personas, nec minis, aut terroribus ad eleemosynas mouere, neque eleemosynam tanquam debitam, aut solitam petere, neque vlla arte, aut prætextu dicendi orationes Beati Antonij, aut alterius sancti, vel aliter pecuniam extorquere; sed simpliciter, modestè, & diligenter recipere, quod sibi liberaliter fuerit oblatum. Neque debet super iis eleemosynis vllam conuentionem quouis modo facere, etiam in vtilitatem supradicti loci pij: sic decisum refert à sacra Congregatione Zerola 1. *p. praxis episcop. verbo quæstores.* Barbosa *allegat.* 109. *num.* 11. *& in remission. Concilij, sess.* 21. *cap.* 9.

7 Vt autem omnes abusus horum quæstorum penitus aboleantur, prudentissimè in Lusitanio regno *l.* 5. *tit.* 103. *& in legibus Castellæ l.* 1. *tit.* 9. *lib.* 1. *& leg.* 37. *tit.* 6. *nouæ compilat.* statutum est, ne petitoria cuiusvis sancti permittantur à magistratibus regiis, nisi regiæ litteræ ostendantur, quibus expresse nominetur persona, quæ eleemosynam quæsitura est; neque per se, neque per alios concionetur, aut indulgentias publicet. Quòd si aliter fiat, omnes eleemosynæ ab eo quæsitæ quæstori redemptionis captiuorum applicentur: sic aliis relatis docet Barbosa *dicta allegat.* 109. *num.* 13. *& in remiss. Conc. sess.* 5. *cap.* 2. *de reformat.*


8 Quartò dubitatur, an Episcopus animaduertere possit in prauos eleemosynarum quæstores, etiamsi laici sint, aut exempti?

Respondeo esse omnino certum animaduertere posse, non obstante quolibet priuilegio, vel exemptione: sic definitur *in Clement. abusibus, de pœnitent. & remission.* ibi, Quæstores autem, qui deinceps in præmissis, vel aliquo præmissorum deliquerint, vel aliàs etiam quibuscunque suis priuilegiis abusi fuerint, sic per locorum Episcopos puniri volumus (nullo prorsus eisdem quæstoribus in hac parte priuilegio suffragante,) quod à suis temerariis ausibus qui vbique, vt communis habet assertio, nimis excreuerunt, pœnæ formidine propensiùs compescantur, & notat Abbas *cap. tuarum, num.* 1. *de priuilegijs.*

DISPV

DISPVTATIO III.

De alio externò charitatis effectu, qui est correctio.



X supradictæ disputationis principio satis constat, opera misericordiæ spiritualis enumerari septem, scilicet, remittere iniuriam inimici, illam patienter ferre, orare pro ipso, & pro aliis fratribus, miserum consolari, delinquentem punire, consulere, & corrigere. De remissione iniuriæ satis diximus, cùm de dilectione inimicorum haberemus sermonem, de oratione *tract. 7. de religione* agendum est. De consolatione miseri nihil speciale occurrit, præter generalem doctrinam sæpe positam de eleemosyna corporali, esse, inquam, solatium adhibendum misero, si illo grauiter indigeat, & sine graui tua iactura comedere possit. Punire autem delinquentem potius ad officium iudicis, quàm priuati pertinet; si tamen hæc punitio decretatiua sit, sub correctione fraterna comprehenditur, sicut & solatium.

PVNCTVM I.

Quid sit correctio, & an sit in præcepto, & cuius virtutis actus.

1 *Correctio est sermo, quo proximum niteris emendare.*
2 *Alia est correctio fraterna, alia iuridica.*
3 *Præceptum est correctionis fraternæ.*
4 *Satisfit quibusdam tacitis obiectionibus.*
5 *Seruanda sunt aliquot conditiones, vt obliget hoc præceptum.*
6 *Oritur ex virtute charitatis hoc præceptum.*
7 *Impleri potest per actum elicitum à charitate, vel à virtute misericordiæ.*
8 *Satisfieri huic præcepto potest, etiamsi ex prauo motiuo correctionem facias.*

1 NOmine correctionis in præsenti venit intelligendus quicunque sermo, quo proximum niteris emendare, siue emendatio sequatur, siue non. ita cum D. Thom. 22. *quæst.* 33. *artic.* 1. & communi Theologorum, docet Greg. de Valent. *disp.* 3. *quæst.* 10. *p.* 1.

2 Duplex est correctio. Alia est correctio fraterna, alia iuridica: correctio fraterna est, qua primò, & per se intendis bonum proximi; correctio verò iuridica, qua per se spectas bonum aliorum, qui per peccatum vnius scandalizantur, & bonum commune, quod turbari cuiusque peccato solet: ideóque hæc correctio ad iustitiam vindicatiuam spectat. Correctio fraterna exerceri potest à patre in patrem, & ab inferiore in superiorem, & à superiori in inferiorem, quia ad illius exercitium nulla requiritur iurisdictio. At iudicialis correctio non potest esse ab alio, quàm à superiore potestatem iurisdictionis habente, in præsenti igitur sermo est præcipuè de correctione fraterna, non de iuridica. Agendúmque est, an, & quando obliget, & quomodo.

3 Esse præceptum correctionis fraternæ nemini Catholicorum potest esse dubium; vt latè probat Valen. *disp.* 3. *q.* 10. *p.* 2. Torres *disp.* 86. *dub.* 1. Suar. *tom.* 4. *de relig. lib.* 10. *cap.* 7. *num.* 10. & constat ex illis verbis sæpiùs repetitis *Ecclesiastic.* 19. *Corripe amicum, corripe proximum*, & traditur expressè ab Anacleto Papa, *in cap. tam Sacerdotes.* 24. *q.* 3. Fundamentúmque habet in illo charitatis præcepto, *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum.* Cùm enim si te rectè diligis, velle debes peccatum non committere, illúdque procurare, ne animam occidas; idem debes velle, & procurare tuo proximo. Item ex charitatis, seu misericordiæ præcepto teneris proximi miseriam subleuare, si commodè potes: Sed nulla maior miseria esse potest, quàm peccatum, & regulariter ad illum auertendum est medium vnicum correctio. Ergo teneris illam adhibere. Item ex amore in Deum teneris eius iniurias, & offensas impedire, si commodè possis.

4 Neque obstat ruinam spiritualem esse proximo voluntariam, vt ab obligatione illam præcauendi excuseris; quia licèt sit voluntaria, ab illa voluntate debes illum remouere, si commodè potes: ille enim etsi possit à peccato desistere, ac difficulter potest ob peccati illecebras, vel ob determinationem sub prauæ voluntatis: hanc autem difficultatem obligaris iuuare vincendam; vt benè dixit *Valen. disput.* 3. *q.* 10. *p.* 2. *pag.* 663. 5. *Respondeo.* Neque etiam obstat habenti bona propria te non teneri ex propriis eleemosynam facere, quia non censetur esse in necessitate tuorum bonorum constitutus, teneris, inquam, ei propria bona ministrare, quia illis indiget, non tuis. At constitutus in periculo peccandi, & in peccatum vel ex passione, vel ex malitia propensus tuis monitis indiget, vt corrigatur. Teneris ergo illum corrigere. Ita Lorca 2. 2. *quæstio.* 33. *disput.* 41. *n.* 17. *fine.*

5 Hoc autem præceptum (vt de se constat) affirmatiuum est, ac proinde obligat solùm, cùm aliquæ circumstantiæ, & conditiones interueniunt. Tres sunt potissimæ. Prima, vt proximus sit in graui necessitate spirituali constitutus. Secunda, vt possis absque graui tuo, tuorúmque incommodo ei subuenire. Tertia, vt fructus ex tali correctione speretur. De quibus conditionibus in discursu disputationis est agendum.

6 Sed inquires, ex qua virtute oriatur hoc præceptum. Aliqui dicunt oriri ex illa virtute, aduersus quam proximus peccat; quia quælibet virtus nos inclinat non solùm in nobis eius honestatem conseruare, & contraria fugere; sed etiam in aliis.

Cæterùm omnino tenendum est cum D. Thom. ferè ab omnibus recepto, 2. 2. *quæstio.* 32. *articul.* 2. ex charitate Dei; & proximi hoc præceptum correctionis oriri; quia hæc virtus obligat quodlibet malum Dei, & proximi auertere, quoad fieri possit. Sed peccatum est vtrique malum, ergo obligat illud auertere. Auerti autem debet correctione. Ergo obligat ad correctionem exercendam. Neque obstat quamlibet virtutem nos inclinare, vt eius honestatem tam in nobis, quàm in aliis procuremus conseruare. Quia esto ad id inclinet, non tamen obligat, aliàs contra honestatem peccares, quoties luxuriantem non impedires, & contra iustitiam quoties furantem non corrigeres. Quod non est dicendum, quia neque ex omissione correctionis luxuriosi es intemperans, neque iniustus ex ommissione correctionis iniusti; vt benè notauit. Ægid. de Coninch 2. 2. *disp.* 28. *dub.* 2. *a. n.* 12.

7 Cùm verò huiusmodi præceptum impletur, impleri potest per actum elicitum à charitate, & per actum misericordiæ, quæ reputatur virtus distincta. Si ex amore Dei, & desiderio, quo velis Deum non offendi, corripias proximum, actum charitatis elicis. Si verò ex voluntate subleuandi illum à miseria, procedis, actum misericordiæ facis: & ita explicandus est D. Thom. cùm dicit esse actum charitatis, vt benè notauit Valentin. *disputatione* 3. *quæstio.* 10. *par.* 1 *pag.* 651.

8 Vnum tamen est omnino certum, & indubitatum, ad

ad satisfactionem huius præcepti non requiri necessariò correctionem fieri ex hoc, vel illo motiuo charitatis, vel misericordiæ. Nam etiamsi ex malo motiuo procedas, satisfacere potes præcepto correctionis, sicuti satisfaceres præcepto ieiunij, vel Missæ audiendæ, vel eleemosynæ erogandæ, etiamsi ex prauo fine ieiunares, Missam accedi res, vel eleemosynam tribueres. Et ratio omnium est, quia hæc præcepta non sunt de actibus virtutis residentibus in voluntate, sed de actibus externis misericordiæ, temperantiæ, vel religionis, qui integri esse possunt, etiamsi à voluntate deprauentur, vt latiùs in materia de legibus; & docet in præsenti Bannes 2. 2. *quæstion*. 33. *articul*. 2. Ludouicus Torres *ibi disputat*. 86. *dub*. 1. *pag*. 1078.

PVNCTVM II.

Quem proximum ex supradicto præcepto obligeris corripere.

1 *Exponitur status quæstionis.*
2 *Circa proximum, qui peccatum non commisit, tametsi in occasione committendi illud versetur, non est propriè correctio.*
3 *Secus si peccatum commisit & in periculo est illud iterum committendi.*
4 *Si proximus publicè peccat, & à republica permittitur, corripiendus est, si spes sit emendæ.*
5 *Peccatorem in peccato habituali existentem absque periculo committendi peccatum aliquod actuale, aliqui affirmant esse obligationem correctionis.*
6 *Contrarium, vt probabilius defenditur.*
7 *Satisfit fundam. n. 5. adducto.*

1 DVplicem statum proximus habere potest. Primò potest esse in peccato. Secundò in illius occasione. In peccato esse potest habitualiter tantùm, absque periculo iterum illud committendi, vel cum tali periculo.

2 Si proximus peccatum nullum commisit: at in periculo, & occasione illud committendi versatur. Propriè præceptum correctionis, quatenus correctio est, non te obligat; quia dignus non est correctione, seu reprehensione, qui non deliquit: eàque de causa Christus Dominus non dixit, si peccaturus est frater tuus corripe illum, sed *si peccauerit in te*, tacitè innuens correctionem lapsum supponere. At esto hoc præceptum non te obliget proximum corripere; obligaris tamen ex charitate Dei, & proximi eius peccatum quoad fieri potest, impedire; quia tunc non vi correctionis, sed vi defensionis honoris diuini. & boni proximi obligaris. Ægid. de Coninck *disput*. 28. *de correctione dub. numero* 35. Suar. *tom*. 4. *de relig. lib*. 10. *cap*. 8. *num*. 3. *&* 8.

3 At si proximus peccauit, & insuper est in periculo iterum labendi, omnes Doctores censent tunc propriè esse obligationem correctionis, quia proximus est in graui miseria. Tum ob peccatum commissum, tum ob periculum simile committendi. Item honor diuinus ibi periclitatur.

4 Sed quid si proximus non secretè, sed publicè peccat, & à magistratibus sic permittitur; teneris ne illum corripere si spes esset fructus? Videris obligatus non esse, quia te opponis licitæ magistratus permissioni. Vemerij occasio, vt in rempublicam maiora mala ingrediantur. Cæterùm dicendum est te obligatum esse. Sic Ægid. de Coninch *disput*. 28. *de corrept. dub*. 3. *numero* 33. Ratio est, quia & Deus offenditur, ac proximus sibi malum infert. Ergo si hæc auertere potes absque periculo grauioris mali, obligaris. Quod autem id fieri possit, constat, quia conuersione vnius, vel alterius non tollitur, quin aliis pluribus peccatoribus permissio malè viuendi à magistratibus concedatur ex quo manifestè constat differentia, quare magistratus non teneatur hos peccatores impedire, & remouere, sed possit illos permittere, tu verò teneâris vnum, vel alium corrigere, quia magistratus non potest vnum, vel alterum corrigere, quin omnes impediat, cùm non adest ratio, ob quam potiùs vni, quàm alteri permissionem concedat. At tu ex correctione vnius non obligaris omnes corrigere, neque ex vnius correctione omnes correcti manebunt.

5 Quòd si proximus peccauit, cares tamen periculo iterum labendi; dubium est, an tenearis illum corrigere?

Bannes, 2. 2. *quæstio*. 32. *articul*. 3. *dubio* 1. *ad* 4. *&* Valent. *disput*. 3. *quæst*. 10. *part*. 2. *pag*. 662. Bonac. *disput*. 3. *quæst*. 4. *part*. 7. *numer*. 4. & ex parte consentit Suar. *de charit. disput*. 8. *sect*. 3. *numer*. 8. affirmant obligatum te esse corrigere proximum in peccato habituali existentem, etiamsi ipse non teneatur tunc de illo pœnitere, si speres tua correctione fore, vt pœniteat. Mouentur, quia existens in peccato, existit in periculo damnationis, quo nulla est maior miseria. Ergo cùm correctio ad subleuandam miseriam proximi dirigatur, efficitur sanè ad hominem existentem in peccato habituali dirigi. Adsunt enim ibi omnes circumstantiæ ad obligationem huius præcepti inducendam, videlicet proximum esse in graui miseria, & te posse absque tuo incommodo ab illa cum liberare. Quòd verò ipse proximus non teneatur tunc à peccato surgere, in causa non videtur esse, quominus tu non tenearis resurrectionem procurare; ipse enim cedere potest iuri suo, & gratiæ sibi donandæ: ac tu non potes cedere bono alterius ex tua correctione sperato. Deinde obligatio peccatoris surgendi à peccato, & obligatio illum corrigendi à diuersis virtutibus ortum habent; obligatio enim in peccatore surgendi à peccato habituali, vel ex virtute charitatis, quasi ipsum tenetur diligere, vel ex virtute pœnitentiæ, qua tenetur Deo pro peccato facto satisfacere oritur: at obligatio illum corrigendi ex misericordia nascitur, quæ attendit miseriam proximi subleuare. Ergo cùm hæ obligationes diuersæ sint, stare optimè potest obligatio misericordiæ absque obligatione charitatis, atque adeò te esse obligatum corrigere, etiamsi alius non sit obligatus à peccato surgere.

6 Nihilominus etsi supradicta sententia probabilis sit, probabiliorem existimo contrariam, nempe peccatum mortale habituale, quatenus tale est, non esse materiam præcepti correctionis, sed solùm esse, quando timetur non fore corripiendum proximum suo tempore de illo: quare si à se vel alio speratur suo tempore corripiendus, non teneris illum de præsenti corrigere, etsi possis: ita docet Abulen. *in Matth*. 18. *quæstio*. 83. Glossa *in cap. si peccauerit*: 2. *quæst*. 1. Reginald. *tom*. 1. *lib*. 4. *cap*. 25. *numer*. 332. Sotus *de tegendo secreto. quæst*. 2. *concl*. 2. Lorca 2. 2. *quæstio*. 33. *articul*. 5. *disput*. 41 *numer*. 3. Eman. Saa *verbo correctio. numero* 1. *& numero* 5. *in editione Romana* Villalobos. *tom*. 2. *sum. tract*. 4. *difficult*. 2. *numero* 4. nobiscum consentit Suar. *disput*. 8. *sect*. 3. *numero* 7. vbi ait. Si videas proximum peccasse, & probabiliter existimas suo tempore acturum pœnitentiam, & ex hoc peccato non sumpturum occasionem peccandi, non teneris illum corrigere: idem tenet Torres, 2. 2. *quæst*. 33. *disput*. 86. *dub*.

dub. 2. pag. 1079. Ægid. de Coninch *disput.* 28. *dub.* 6. *numero* 117.

Ratio est, quia non censetur proximus in graui necessitate esse constitutus, nisi ex occasione peccati commissi sumat occasionem illud peccatum committendi, aut probabiliter existimetur ita permansurum in illo peccato, vt suo tempore de illo non doleat: quod iam est nouum peccatum. Extra hoc periculum perseuerantia in peccato, etiamsi grauis miseria sit; non tamen ex misericordia videris obligatus procurare illam tollere: si enim ipse ox charitate sui, quæ strictius obligat, non obligatur statim illam miseriam depellere, quare tu ex misericordia obligandus es procurare? Non enim cohærere videntur te esse obligatum corrigere; & alium non esse obligatum admittere correctionem. Cùm igitur peccator non statim ac peccat, teneatur de peccato conteri, (vt ferè omnes Doctores fatentur, cum D. Thom. 4. *distin.* 17. *quæst.* 3. *articul.* 1. *quæstiuncula* 4. *ad.* 2. Sotus, *ibid. quæstio.* 2. *articul.* 6. Dur. *quæstio.* 10. Ioann. Med. *Codic. de pœnit. quæstio.* 6. Nauarr. *in sum. capit.* 1. *numero* 27. & 29. Suar. *de pœnitent. disput.* 15. *sect.* 5.) non tenetur correctionem admittere, quæ sibi tunc adhibetur. Ergo nec tu videris obligatus illi correctionem facere. Et confirmo. Peccatum proximi non potes tollere per correctionem immediatè; sed media voluntate ipsius peccatoris. Ergo quando peccator non tenetur apponere suam voluntatem ad tollendum peccatum, non teneris tunc correctionem apponere, cùm correctio ad tollendum peccatum proximi ordinetur, quod tolli non potest nisi media voluntate ipsius. Quódque satis à Christo Domino videtur insinuatum illis verbis, Matth. 18. *Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipsum solum; si te non audierit, adhibe tecum vnum, vel duos testes: si illos non audierit, dic Ecclesiæ: si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus.* Si enim ipse peccator nec te, neque testes, neque Ecclesiam tenetur audire, quomodo iudicandus es sicut ethnicus, & publicanus? Ergo quando nullo modo obligatur correctionem admittere, præceptum correctionis videtur cessare.

7 Argumento pro contraria sententia respondeo, existentem in peccato mortali habituali in graui miseria existere, at non in graui necessitate ab illa surgendi, cùm non instet tempus pœnitendi, & existimetur illo adueniente fore vt pœniteat. Ex eo autem, quòd proximus potest absque peccato cedere bono per correctionem sperato, non obligaris ei illud procurare, quia media eius voluntate procurare debebas. Ad confirmationem dico obligationem in peccatore surgendi à peccato, & in corrigente illum corripiendi à diuersis virtutibus oriri. At vna obligatio cum alia connexa est; quia correctio media voluntate correcti effectum habere debet, cuius voluntas nisi arctetur correctionem admittere, obligatio in corripiente efficax esse non potest.

PVNCTVM III.

Sitne proximus constitutus in obligatione peccandi venialiter corrigendus ex obligatione.

1 *Esse obligationem sub veniali aliqui docent.*
2 *Contraria sententia communis est.*
3 *Prima Sententia probabilior videtur.*
4 *Satisfit rationi num. 2. adducta.*
5 *Intelligenda sunt supradicta de peccato veniali, ex quo lapsus in mortale non timetur.*
6 *Si peccans venialiter subditus sit & ex eius peccatis religiosa disciplina labefactatur, Prælatus mortaliter peccat non corrigens. Et idem est de aliis vicem Prælati gerentibus.*
7 *Ex sola dissimulatione peccatorum venialium, si occulta sint, non peccat Prælatus grauiter.*

1 ESSE sub obligatione venialis corrigendum docet Caiet. *in sum. verbo correctio fraterna.* Sotus *lib. de tegendo secreto. memb.* 2. *quæstio.* 2. *concl.* 3. Valen. 2. 2. *quæstio. part.* 2. *circa finem.* Villalobos *tom.* 2. *sum. tract.* 4. *difficult.* 2. *numer.* 5. Lorca. *disput.* 41. *numer.* 9. *inclinat* Suar. *disput.* 8. *de charit. sect.* 2. *numer.* 6. *in medio.* Ratio, quia hæc est quædam miseria, & maioris momenti, quàm quælibet temporalis. Ergo si absque incommodo potes præcauere, cur non tenendus es?

2. Contrariam sententiam communiter docent Doctores. Paludan. 4. *dist.* 19. *quæst.* 3. *numero* 4. Alen. *lib.* 2. *sum. tract.* 6. Bannes *quæst.* 32. *art.* 2. *dub.* 2. Azor. *lib.* 12. *cap.* 4. *quæst.* 4. Torres *quæstio.* 33. *disput.* 86. *dub.* 2. §. *deinde.* Reginald. *lib.* 4. *cap.* 25. *numero* 333. Bonac. *disput.* 3. *quæst.* 4. *part.* 7. *numero* 3. Saa *in sum. Romana, verbo correctio. numero* 5. *in addit. ibi, si crimen sit veniale, non est adhibenda correctio.* Quod intelligi poterat de obligatione mortali sicuti dicit Syluest. *verbo correctio. quæst.* 1. Mouentur, quia per peccatum veniale frater non est perditus. Ergo correctio, quæ ad lucrandum fratrem ordinatur, ex illo Matth. 18. *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum*, in peccatis venialibus locum habere non potest. Secundò à peccatis venialibus facillimo negotio se potest quis liberare, vel in sacramento, vel extrà. Ergo non indiget auxilio alterius. Tertiò esset graue iugum hanc obligationem hominibus imponere, cùm omnes in periculo peccandi venialiter frequenter sint.

3 Fateor equidem ratione ductus probabiliorem mihi videri primam sententiam. Esse inquam peccatum veniale non corrigere proximum in occasione peccandi venialiter constitutum, si speras fructum ex tali correctione. Et absque incommodo illam potes efficere. Moueor ratione adducta à Valen. Charitas, & amicitia, & misericordia in proximum non solùm te obligat, ne illi consulas, vel adiuues ad peccandum venialiter, sed etiam ne permittas cadere, cùm commodè potes à casu remouere: sicuti in temporalibus non solùm obligaris damnum etiam leue non inferre proximo, sed etiam præcauere, cùm possis. Deinde vnusquisque tenetur proximum, sicut seipsum diligere, volendo scilicet proximo ea, quæ tenetur velle sibi: sed tenetur quis sub peccato veniali velle in effectu, & procurare sibi immunitatem à quouis peccato veniali: Ergo etiam proximo. Dixi te obligatum esse sub veniali corrigere proximum venialiter peccantem, si speras fructum ex tali correctione, & absque incommodo illam præstare potes: quæ conditiones rarò succedunt, vt optimè expendit Ægid. de Coninch *disput.* 28. *a. num.* 27. *& seqq.* ac proinde regulariter excusaris à correctione peccantis venialiter.

4 Argumenta pro secunda sententia facta non vrgent. Fateor Christum Dominum Matth. 18. locutum fuisse de correctione peccantis mortaliter, non venialiter. At inde non infertur non esse præceptum de corrigendo fratre peccante venialiter in illo præcepto tacitè inclusum, non quidem sub culpa graui, sed leui; quia leuiter, & secundùm quid per peccatum veniale deperditur frater, & sic per correctionem lucratur. Ad secundum respondeo facilè posse peccantem venialiter se à peccato liberare, vt verò faciliùs liberetur, seu vt efficaciter liberetur, indiget correctione. Ad tertiū dico non esse graue iugum, quia nec sæpè speratur fructus ex correctione, neque constat de periculo proxi-

 mi, neque

mi, neque facilè absque verecundia eum potes corrigere.

5 Hæc dicta sunt de correctione peccati venialis, ex quo non timetur lapsus in mortale, nam si hic timetur, non leuis, sed grauis obligatio erit illud corrigendi, pro grauitate periculi, vt supradicti Doctores docent.

6 Sed quid dicendum, si peccans venialiter subditus sit, & ob eius nimiam licentiam aliis ruina paratur, vel religiosa obseruantia labefactatur? Dicendum est teneri Prælatum non solùm sub obligatione peccati venialis, sed mortalis, tales defectus veniales corrigere. Sic Soto *q. 2. concl. 3. de secreto.* Lorca 2. 2. *quæst. 33. disp. 45. n. 4.* Bannes *de charit. art. 2. dub. 2.* Torres *disp. 86. dub. 2. §. tertio dicendum.* Suar. *disp. 8. de charit. sect. 2. n. 6. circa finem.* Eman. Saa *verbo correctio. n. 5. in edit. Romana.* ibi, *simplex veniale in Prælato regulari necessaria materia correctionis.* Ægid. de Coninch *disp. 28. dub. 3. n. 24.* vbi extendit obligationem ad quemlibet priuatum. Ratio est, quia obligatio non tam est ex præcepto correctionis, quæ bono spirituali proximi attendit, quàm ex obligatione officij superioris, quo tenetur religiosam disciplinam conseruare, & nullo modo labefactandam permittere. At ex permissione defectuum venialium, si graues sint, & nociui, solet religiosa disciplina nimium labefactari. Tenetur ergo Prælatus hanc diminutionem præcauere; Iudices verò sæculares non ita arctantur hac obligatione corrigendi in subditis peccata venialia, nisi defectus essent reipublicæ graue nocumentum inferentes.

• Syndici, visitatores, & alij vices Prælati gerentes tenebuntur Prælatum de defectibus admonere; & si in hac parte nimium dissimulent, & ex eorum dissimulatione religiosa obseruantia in communitate labefactari prudenter timeatur, peccabunt grauiter. Sicut & Prælatus peccaret sciens tales defectus, & non corrigens, cùm posset: ita Suar. & Lorca & Ægid. *supra.*

7 Ex sola tamen dissimulatione cum aliquo horum defectuum, si occulti sint, non existimo Prælatum peccaturum grauiter, cùm ex illis, vtpote occultis non detur aliis occasio ruinæ, neque ob illas disciplina religiosa labefactetur, neque ipse religiosus in periculo proximo sit cadendi à statu religioso, vt suppono. Colligitur ex Bonac. *disp. 3. q. 4. puncto. 7*, asserente peccata venialia non esse corrigenda sub obligatione, nisi fortè talia sint, vt proximè disponant ad mortalia, aut magnum aliis afferant detrimentum. Et Suar. *disp. 8. sect. 2. n. 6. circa finem.* Tunc maximè (inquit) poterit esse obligatio in Prælato sub mortali corrigendi venialia, quando defectus sint generales communitatis, quòd si in communitatem non redundant, neque ex illis salus proximi in discrimine vertitur, non agnosco ex quo capite obligatio corrigendi sub mortali possit oriri. Idem colligitur ex Torres *disp. 86. dub. 2. fine.* vbi postquam dixit superiores religionum obligari sub mortali ad reprehendendas consuetudines aliquas contrarias religioni subditorum. Idem dicerem ego de obligatione Prælati ad reprehendendum aliquem fraterna correctione propter aliquod genus peccati venialis nociuum religioni. v. g. propter impudica aliqua verba, aut consuetudinem iurandi, aut simile quid, quod religiosum maximè dedecet. Ecce qua ratione ex omnibus iis auctoribus constat Prælatum non esse sub mortali obligatum corrigere defectus veniales, nisi tales sint, qui religioni ob malum exemplum noceant.

Pvnctvm IV.

An necessariò requiratur, vt obliget correctionis præceptum, cognitio in corrigente de fratris delicto, & in ipso fratre cognitio illius.

1 *Cognitio moraliter certa de peccato fratris prærequiritur ad correctionis obligationem.*

2 *Si proximus ex ignorantia inuincibili peccat, plures censent non esse necessariò corrigendum.*

3 *Probabilius existimo corrigendum esse.*

1 FErè omnes Doctores sentiunt non posse esse obligationem certam de corrigendo fratre absque notitia moraliter certa de eius miseria, & necessitate: ita Adrian. 4. *quæst. de correctione.* Nauarr. *cap. 24. n. 12.* Suar. *aliis relatis, disp. 8. sect. 3. n. 1.* Lorca. 2. 2. *q. 33. art. 6. disp. 44. n. 4.* Eman. Saa. *verbo correctio, in editione Romana,* ibi, *si mortale incertum, non est adhibenda correctio.* Villalobos. *1. 2. sum. tract. 4. difficult. 3. n. 1.* Ægid. de Coninch *disp. 28. dub. 6. n. 87.* adducique potest Sotus *de secret. memb. 2. q. 2. concl. 4. &* Torres *2. 2. q. 33. disp. 86. dub. 3. in principio,* dicentes requiri, & sufficere notitiam probabilem, & prudentem, cùm enim dicunt prudentem, necessariò expostulare debent notitiam delicti commissi, & committendi moraliter certam. Aliàs corripiens sine hac certitudine non amorem, sed iram, & odium in fratre excitaret, cùm illi peccatum fortè non commissum obiiceret; facillimóque negotio correctio eludi posset: & probari videtur satis ex illo Matth. 18. *si peccauerit in te frater tuus* id est, te sciente, vt explicat August.

2 Difficultas maior est, an excuseris à correctione eo quòd proximus delictum non cognoscit? Et quidem si id procedat ex ignorantia vincibili, & culpabili, clarum est te obinde excusari non posse, cùm illa ignorantia non excuset proximum à peccato. At si ex ignorantia inuincibili legem transgrediatur, plures Doctores docent te obligatum non esse. Qua ratione dicunt nullam esse obligationem monendi comedentes carnes die Veneris, vel non audientem Missam die festo, si ignorantia inuincibili præcepti laborat. Tum quia proximus non est absolutè in statu spiritualis miseriæ, cùm non peccet, tum etiam quia præceptum correctionis est de peccato proximi, iuxta illud, *si peccauerit in te.* Ergo vbi non adest peccatum, non est obligatio; & ita tenet loquens de ignorantia iuris positiui, Bannes, *dub. 3. q. 33. art. 5.* Nauarr. *cap. 24. num. 12. & 13. &* Valen. *disp. 3. q. 10. p. 2. §. cum tamen* Villalobos. *tract. 4. difficult. 4. numer. 6.* Bonac. *disp. 3. de charit. q. 4. p. 7. num. 10.* de qualibet ignorantia id affirmat, modò non vergat in graue detrimentum ipsius delinquentis, vel tertij, neque obligatus sit ex officio.

3 Ego verò existimo siue obligatus sit ex officio, siue non, siue ignorantia sit iuris positiui, siue naturalis, si ex monitione speratur fructus, te teneri, sic transgredientem legem, monere. Tum ob reuerentiam ipsius legis, tum quia illa ignorantia absolutè malum quoddam est, esto non imputetur culpæ. Ergo est materia doctrinæ, vel correctionis, & obiectum spiritualis eleemosynæ. Adde regulariter ex transgressione materiali legis fit quis facilis ad formalem illius transgressionem. Ergo si commodè potes hoc periculum vitare, quæ causa esse potest, vt excuseris? Denique si transgredientes legem non corrigis, cùm possis, tacitè denotas eam transgressionem approbare, & scandalum generas. Et quidem si ex officio obligeris, vt si sis superior, parochus, confessarius, & dominus, ferè omnes Doctores tenent te obligatum esse, quia ratione officij teneris subditos instruere in obseruatione præceptorum. Item teneris procurare, ne aliis scandali occasionem præbeant, quod [illegible] transgressione materiali legis causatur. Deinde impedire, ne alij intelligant subditorum errores te approbare: sic Thom. Sanch. *libr. 2. de matrim. disput. 38. numer. 5.* Valen. 2. 2. *disput. 3. quæst. 10. p. 2. §. tertio certum est.* Et adducit Gregor. Hom. 11. *in* Ezech.

& Pau

& Paulum Æbonum 20 *Non enim subterfugi, quò minus annunciarem omne consilium Dei vobis.* Bonac. *disput.* 3. *de charit. quæst.* 4. *p.* 7. *numer.* 10. At quando ex officio non obligaris, docet Lorca *disput.* 41. *nume.* 15. Suar. *disput.* 8. *sect.* 1 *numer.* 6. Azor. *lib.* 12. *cap.* 15. *quæst.* 4. & 5. Valen. & Villalobos *supra.* Plures tamen ex iis Doctoribus solùm in iure diuino, & naturali id admittunt: nam in ignorantia iuris positiui iam diximus sentire non esse obligationem monendi: sed quia eadem videtur esse ratio de vtroque, scilicet reuerentia legis, & transgressio materialis illius, & malitia ignorantiæ, ideò de omnibus dicimus esse obligationem monendi, seu corrigendi: & ita tenet Coninch *disp.* 28. *dub.* 4. *a num.* 38.

PVNCTVM V.

An requiratur necessariò spes fructus, vt correctio sit in præcepto, & quæ spes futura sit.

1 *Spes fructus necessariò requiritur.*

2 *Non est opus statim fructum sperare, sufficit, si decursu temporis speretur.*

3 *Spes fructus probabilis sufficit ad obligationem correctionis.*

4 *Quando dubius es, an correctio profutura, vel obfutura sit, nulla est obligatio.*

5 *Secus si dubius sis de profectu, at securus non illaturus damnum.*

6 *In extrema necessitate in dubio de profectu, & de nocumento adhibenda est correctio.*

1 COmmunis sententia affirmat cum D. Thom. 2. 2 *q.* 33. *art.* 6. necessariò requiri spem fructus, aliàs correctio esset otiosa, ideóque dixit August. *cap. si quis, de pœnit. dist.* 7. *Si scirem non tibi prodesse, non te admonerem.* Neque aduersus hanc communem doctrinam obstat Sanch. *lib.* 2. *de matr. disp.* 38. *num.* 2. affirmans laborantem ignorantia vincibili, & culpabili, si ad confessarium accedat, monendum esse, etiamsi confessarius iudicet non profuturam monitionem; quia vt bene ipse Sanch. explicat, etsi non prosit monitio, vt à peccato desistat, prodest tamen, vt stimulis agitetur, & præcipuè ne querelas formet negatæ sibi absolutionis; quare non tam ex præcepto correctionis, quàm ex obligatione confessarij succurrendus est pœnitens.

2 Aduertendum tamen est non requiri necessariò fructum ex correctione statim sperari: sufficit, si decursu temporis speretur, ita Suar. *de charit. disp.* 8. *sect.* 3. *num.* 4. & relato Syluest. Adrian, Nauarr. & D. Thom. docet Ioann. Sanch. *disp.* 6. *select. num.* 9. §. *aduertendum.* Thom. Sanch. *lib.* 3. *de matrim. disp.* 13. *num.* 3. alios plures referens. Quare si persona talis est, qua cum possis in correctione progredi, & sperares per tertiam correctionem fore emendandum, debes primam, & secundam apponere; quia iam erant illæ correctiones necessariæ. At hoc nimis metaphysicum est. Quis enim sibi persuadere potest illam tertiam correctionem non habituram effectum, nisi præcedentibus duabus primis, aut vnde probabiliter cognosci potest non repulsurum peccatorem illam tertiam correctionem, sicut & duas primas? Si igitur ex alio capite præsumitur peccatorem tempore illius tertiæ correctionis fore dispositum, & correctioni obtemperaturum, omittatur correctio vsque ad illud tempus, siquidem antecedentes correctiones nullius sunt effectus: & ita sentit Ægidius de Coninch *disputatione vigesima octaua, de correct. dub.* 6. *numer.* 104.

3 Difficultas autem est, quæ spes requiratur, an debeat esse certa, vel sufficiat probabilis, aut dubia? Et certam debere esse tradit Caietan. *in sum. verbo correctio.* Recepta tamen omnium sententia est non requiri omnino certam, aliàs nunquam correctio apponeretur, cùm hæc certitudo esse non possit, siquidem est de re ab alterius voluntate dependenti. Quare sufficit probabile esse correctionem profuturam, & non obfuturam, vt obligeris corrigere: ita tradit D. Thom. 2. 2. *quæst.* 33. *art.* 2. *ad* 3. Bannes hîc *art.* 2. *dub. vlt.* Torres, *disp.* 86. *dub.* 3. § *sed difficultas est.* Valen. *disp.* 3. *q.* 10. *p.* 2. *pag.* 665. § *altero modo.* Adrian. Soto, & alij, quos refert, & sequitur Suar. *disp.* 8. *sect.* 3. *numer.* 3. & probatur ex D. August. 1. *de ciuit. Dei. cap.* 9. vbi damnat eos, qui metuunt leuiter proximum corripere, cùm fortasse possent corripiendo corrigere: & paulo inferiùs monet abstinendum non esse à correctione, quia inquit, *Semper incertum est, an voluntatem sit peccator in melius mutaturus.* Confirmarique potest exemplo Medici, qui ægro tenetur corporalem medicinam præbere, quam credit profuturam, & cognoscit non obfuturam. Ergo etiam Medicus spiritualis tenebitur medicinam probabiliter salutiferam peccatori offerre, cùm sciat nullum ex illa damnum esse accepturum.

Quòd si probabiliter tibi persuadeas nihil effecturum per correctionem, non teneris illam apponere: ita expressè docet Valen. 2. 2. *quæst.* 10. *disp.* 3. *p.* 2. §. *tertia circumstantia. pag.* 657. cum Richard. 4. *dist.* 19. *art.* 2. *q.* 1. & Dur. *ibidem qu.* 3. *art.* 3. & aliis communiter, quia tunc cessat finis intrinsecus correctionis, saltem in prudenti æstimatione, neque enim ad actionem inutilem obligatio esse potest.

4 Item quando dubius es, an correctio nocitura, vel profutura sit, ferè omnes conueniunt omittendam esse; & in hoc sensu dixit Caietan. debere esse certam spem fructus, id est, sine dubitatione nocumenti: ita aliis relatis docent Suar. *de charit. disput.* 8. *sect.* 3. *num.* 3. Bonac. *supra num.* 6. Lorca 2. 2. *q.* 33. *art.* 6. *disp.* 44. *n.* 9. Valen. *ibi disp.* 3. *q.* 10. *p.* 2. *pag.* 664. §. *sed si attentè legantur.* Bannes. 2. 2. *q.* 33. *art.* 2. *ad finem.* Villalob. tanquam probabile, *t.* 2. *sum. tract.* 4. *difficult.* 3. *n.* 4. Coninch *disp.* 28. *dub.* 6. *numer.* 92. Ratio quia in dubio nocumenti, vel fructus non est, vnde correctionis obligatio oriatur, quæ ad fructum, vt ad finem tendit, quæ doctrina, vt benè aduertit Valen. suprà, vera est; etiam si minus dubites de correctionis emolumento: sufficit enim si de nocumento dubites, vt obligatio cesset. Nocumentum voco non aliquam tristitiam, mærorem, vel iram cum aliqua leui culpa, quia hæc non reputantur vt nocumenta, comparatione fructus ex correctione sperati, vt benè aduertit Suares *disputatione octaua, de charitate, sectione tertia, numero* 5. Sed nocumentum, quod debet timeri, est graue damnum in correcto, scilicet nouum peccatum graue, vel noua obstinatio in peccato, de quo fit correctio.

5 Aduertit tamen Valen. *suprà p.* 2. *pag.* 665. §. *altero modo,* cum Adrian. & Caietano. Dubius de profectu correctionis, certus tamen non obfuturam tenetur corrigere, sicut Medicus tenetur medicinam ægroto adhibere, de qua certus est non obfuturam, sperat tamen etsi sub dubio profuturam.

6 Sed quid dicendum in casu, quo peccator sit in extremis, & æquè dubitas de fructu correctionis, ac de illius nocumento?

Pro certo tenendum est adhibendam esse correctionem, ita Lorca, Suar. Bonac. Bannes, Valen. Villalobos, Coninch *sup.* quia nocumentũ nõ adhibita correctione est certum, grauissimũ, & irreparabile, vtpote damnatio æterna. Nocumentum verò ex correctione timendum non est ita graue, quod abundè non compensetur spe,

mi, neque facilè absque verecundia eum potes corrigere.

5 Hæc dicta sunt de correctione peccati venialis, ex quo non timetur lapsus in mortale, nam si hic timetur, non leuis, sed grauis obligatio erit illud corrigendi, pro grauitate periculi; vt supradicti Doctores docent.

6 Sed quid dicendum, si peccans venialiter subditus sit, & ob eius nimiam licentiam aliis ruina paratur, vel religiosa obseruantia labefactatur? Dicendum est teneri Prælatum non solùm sub obligatione peccati venialis, sed mortalis, tales defectus veniales corrigere. Sic Soto *q. 2. concl. 3. de secreto*. Lorca 2. 2. *quæst. 33. disp. 45. n. 4*. Bannes *de charit. art. 2. dub. 2*. Torres *disp. 86. dub. 2. §. tertio dicendum*. Suar. *disp. 8. de charit. sect. 2. n. 6. circa finem*. Eman. Saa *verbo correctio n. 5. in edit. Romana*. ibi, *simplex veniale in Prælato regulari necessaria materia correctionis*. Ægid. de Coninch *disp. 28. dub. 3. n. 24*. vbi extendit obligationem ad quemlibet priuatum. Ratio est, quia obligatio non tam est ex præcepto correctionis, quæ bono spirituali proximi attendit, quàm ex obligatione officij superioris, quo tenetur religiosam disciplinam conseruare, & nullo modo labefactandam permittere. At ex permissione defectuum venialium, si graues sint, & nociui, solet religiosa disciplina nimium labefactari. Tenetur ergo Prælatus hanc diminutionem præcauere; Iudices verò sæculares non ita arctantur hac obligatione corrigendi in subditis peccata venialia, nisi defectus essent reipublicæ graue nocumentum inferentes.

Syndici, visitatores, & alij vices Prælati gerentes tenebuntur Prælatum de defectibus admonere; & si in hac parte nimium dissimulent, & ex eorum dissimulatione religiosa obseruantia in communitate labefactari prudenter timeatur, peccabunt grauiter. Sicut & Prælatus peccaret sciens tales defectus, & non corrigens, cùm posset: ita Suar. & Lorca & Ægid. *supra*.

7 Ex sola tamen dissimulatione cum aliquo horum defectuum, si occulti sint, non existimo Prælatum peccaturum grauiter, cùm ex illis, vtpote occultis non detur aliis occasio ruinæ, neque ob illas disciplina religiosa labefactetur, neque ipse religiosus in periculo proximo sit cadendi à statu religioso, vt suppono. Colligitur ex Bonac. *disp. 3. q. 4. puncto. 7*. asserente peccata venialia non esse corrigenda sub obligatione, nisi fortè talia sint, vt proximè disponant ad mortalia, aut magnum aliis afferant detrimentum. Et Suar. *disp. 8. sect. 2. n. 6. circa finem*. Tunc maximè (inquit) poterit esse obligatio in Prælato sub mortali corrigendi venialia, quando defectus sint generales communitatis, quòd si in communitatem non redundant, neque ex illis salus proximi in discrimine vertitur, non agnosco ex quo capite obligatio corrigendi sub mortali possit oriri. Idem colligitur ex Torres *disp. 86. dub. 2. fine*. vbi postquam dixit superiores religionum obligari sub mortali ad reprehendendas consuetudines aliquas contrarias religioni subditorum. Idem dicerem ego de obligatione Prælati ad reprehendendum aliquem fraterna correctione propter aliquod genus peccati venialis nociuum religioni. v.g. propter impudica aliqua verba, aut consuetudinem iurandi, aut simile quid, quod religiosum maximè dedecet. Ecce qua ratione ex omnibus his auctoribus constat Prælatum non esse sub mortali obligatum corrigere defectus veniales, nisi tales sint, qui religioni ob malum exemplum noceant.

PVNCTVM IV.

An necessariò requiratur, vt obliget correctionis præceptum, cognitio in corrigente de fratris delicto, & in ipso fratre cognitio illius.

1 *Cognitio moraliter certa de peccato fratris prærequiritur ad correctionis obligationem.*

2 *Si proximus ex ignorantia inuincibili peccat, plures censent non esse necessariò corrigendum.*

3 *Probabilius existimo corrigendum esse.*

1 Ferè omnes Doctores sentiunt non posse esse obligationem certam de corrigendo fratre absque notitia moraliter certa de eius miseria, & necessitate: ita Adrian. *4. quæst. de correctione*. Nauarr. *cap. 24. n. 12*. Suar. *aliis relatis, disp. 8. sect. 3. n. 1*. Lorca. 2. 2. *q. 33. art. 6. disp. 44. n. 4*. Eman. Saa. *verbo correctio, in editione Romana*, ibi, *si mortale incertum, non est adhibenda correctio*. Villalobos. *1. 2. sum. tract. 4. difficult. 3. n. 1*. Ægid. de Coninch *disp. 28. dub. 6. n. 87*. adducique potest Sotus *de secret. memb. 2. q. 2. concl. 4. &* Torres 2. 2. *q. 33. disp. 86. dub. 3. in principio*, dicentes requiri, & sufficere notitiam probabilem, & prudentem, cùm enim dicunt prudentem, necessariò expostulare debent notitiam delicti commissi, & committendi moraliter certam. Aliàs corripiens sine hac certitudine non amorem, sed iram, & odium in fratre excitaret, cùm illi peccatum fortè non commissum obiiceret; facillimóque negotio correctio eludi posset: & probari videtur satis ex illo Matth. 18. *si peccauerit in te frater tuus* id est, te sciente, vt explicat August.

2 Difficultas maior est, an excuseris à correctione eo quòd proximus delictum non cognoscit? Et quidem si id procedat ex ignorantia vincibili, & culpabili, clarum est te obinde excusari non posse, cùm illa ignorantia non excuset proximum à peccato. At si ex ignorantia inuincibili legem transgrediatur, plures Doctores docent te obligatum non esse. Qua ratione dicunt nullam esse obligationem monendi comedentes carnes die Veneris, vel non audientem Missam die festo, si ignorantia inuincibili præcepti laborat. Tum quia proximus non est absolutè in statu spiritualis miseriæ, cùm non peccet, tum etiam quia præceptum correctionis est de peccato proximi, iuxta illud, *si peccauerit in te*. Ergo vbi non adest peccatum, non est obligatio; & ita tenet loquens de ignorantia iuris positiui, Bannes, *dub. 3. q. 33. art. 5*. Nauarr. *cap. 24. num. 12. & 13. &* Valen. *disp. 3. q. 10. p. 2. §. cum tamen* Villalobos. *tract. 4. difficult. 4. numer. 6*. Bonac. *disp. 3. de charit. q. 4. p. 7. num. 10*. de qualibet ignorantia id affirmat, modò non vergat in graue detrimentum ipsius delinquentis, vel tertij, neque obligatus sit ex officio.

3 Ego verò existimo siue obligatus sit ex officio, siue non, siue ignorantia sit iuris positiui, siue naturalis, si ex monitione speratur fructus, te teneri, sic transgredientem legem, monere. Tum ob reuerentiam ipsius legis, tum quia illa ignorantia absolutè malum quoddam est, esto non imputetur culpæ. Ergo est materia doctrinæ, vel correctionis, & obiectum spiritualis eleemosynæ. Adde regulariter ex transgressione materiali legis fit quis facilis ad formalem illius transgressionem. Ergo si commodè potes hoc periculum vitare, quæ causa esse potest, vt excuseris? Denique si transgredientes legem non corrigis, cùm possis, tacitè denotas eam transgressionem approbare, & scandalum generas. Et quidem si ex officio obligeris, vt si sis superior, parochus, confessarius, & dominus, ferè omnes Doctores tenent te obligatum esse, quia ratione officij teneris subditos instruere in obseruatione præceptorum. Item teneris procurare, ne aliis scandali occasionem præbeant, quod [illegible] transgressione materiali legis causatur. Deinde impedire, ne alij intelligant subditorum errores te approbare: sic Thom. Sanch. *libr. 2. de matrim. disput. 38. numer. 5*. Valen. 2. 2. *disput. 3. quæst. 10. p. 2. §. tertiò certum est*. Et adducit Gregor. Hom. 11. *in* Ezech.

& Pau

& Paulum Æbonum 20. *Non enim subterfugi, quò minus annunciarem omne consilium Dei vobis.* Bonac. *disput.* 3. *de charit. quæst.* 4. *p.* 7. *numer.* 10. At quando ex officio non obligaris, docet Lorca *disput.* 41. *nume.* 15. Suar. *disput.* 8. *sect.* 2 *numer.* 6. Azor. *lib.* 12. *cap.* 15. *quæst.* 4. & 5. Valen. & Villalobos *suprà.* Plures tamen ex iis Doctoribus solùm in iure diuino, & naturali id admittunt: nam in ignorantia iuris positiui iam diximus sentire non esse obligationem monendi: sed quia eadem videtur esse ratio de vtroque, scilicet reuerentia legis, & transgressio materialis illius, & malitia ignorantiæ, ideò de omnibus dicimus esse obligationem monendi, seu corrigendi: & ita tenet Coninch *disp.* 28. *dub.* 4. *a. num.* 38.

PVNCTVM V.

An requiratur necessariò spes fructus, vt correctio sit in præcepto, & quæ spes futura sit.

1 *Spes fructus necessariò requiritur.*
2 *Non est opus statim fructum sperare, sufficit, si decursu temporis speretur.*
3 *Spes fructus probabilis sufficit ad obligationem correctionis.*
4 *Quando dubius es, an correctio profutura, vel obfutura sit, nulla est obligatio.*
5 *Secus si dubius sis de profectu, at securus non illaturus damnum.*
6 *In extrema necessitate in dubio de profectu, & de nocumento adhibenda est correctio.*

1 COmmunis sententia affirmat cum D. Thom. 2. 2. *q.* 33. *art.* 6. necessariò requiri spem fructus, aliàs correctio esset otiosa, ideóque dixit August. *cap. si quæ, de pæni tent. dist.* 7. *Si scirem non tibi prodesse, non te admonerem.* Neque aduersus hanc communem doctrinam obstat Sanch. *lib.* 2. *de matr. disp.* 38. *num.* 2. affirmans laborantem ignorantia vincibili, & culpabili, si ad confessarium accedat, monendum esse, etiamsi confessarius iudicet non profuturam monitionem; quia vt bene ipse Sanch. explicat, etsi non prosit monitio, vt à peccato desistat, prodest tamen, vt stimulis agitetur, & præcipuè ne querelas formet negatæ sibi absolutionis; quare non tam ex præcepto correctionis, quàm ex obligatione confessarij succurrendus est pœnitens.

2 Aduertendum tamen est non requiri necessariò fructum ex correctione statim sperari: sufficit, si decursu temporis speretur, ita Suar. *de charit. disp.* 8. *sect.* 3. *num.* 4. & relato Syluest. Adrian. Nauarr. & D. Thom. docet Ioann. Sanch. *disp.* 6. *select. num.* 9. §. *aduertendum,* Thom. Sanch. *lib.* 3. *de matrim. disp.* 13. *num.* 3. alios plures referens. Quare si persona talis est, qua cum possis in correctione progredi, & sperares per tertiam correctionem fore emendandum, debes primam, & secundam apponere; quia iam erant illæ correctiones necessariæ. At hoc nimis metaphysicum est. Quis enim sibi persuadere potest illam tertiam correctionem non habituram effectum, nisi præcedentibus duabus primis, aut vnde probabiliter cognosci potest non repulsurum peccatorem illam tertiam correctionem, sicut & duas primas? Si igitur ex alio capite præsumitur peccatorem tempore illius tertiæ correctionis fore dispositum, & correctioni obtemperaturum, omittatur correctio vsque ad illud tempus, siquidem antecedentes correctiones nullius sunt effectus: & ita sentit Ægidius de Coninch *disputatione vigesima octaua, de correct. dub.* 6. *numer.* 104.

3 Difficultas autem est, quæ spes requiratur, an debeat esse certa, vel sufficiat probabilis, aut dubia? Et certam debere esse tradit Caietan. *in sum. verbo correctio.* Recepta tamen omnium sententia est non requiri omnino certam, aliàs nunquam correctio apponeretur, cùm hæc certitudo esse non possit, siquidem est de re ab alterius voluntate dependenti. Quare sufficit probabile esse correctionem profuturam, & non obfuturam, vt obligeris corrigere: ita tradit D. Thom. 2. 2. *quæst.* 33. *art.* 2. *ad* 3. Bannes hîc *art.* 2. *dub. vlt.* Torres, *disp.* 86. *dub.* 3. §. *sed difficultas est.* Valen. *disp.* 3. *q.* 10. *p.* 2. *pag.* 665. §. *altero modo.* Adrian. Soto, & alij, quos refert, & sequitur Suar. *disp.* 8. *sect.* 3. *numer.* 3. & probatur ex D. August. 1. *de ciuit. Dei. cap.* 9. vbi damnat eos, qui metuunt leuiter proximum corripere, cùm forrasse possent corripiendo corrigere: & paulo inferiùs monet abstinendum non esse à correctione, quia inquit, *Semper incertum est, an voluntatem sit peccator in melius mutaturus.* Confirmarique potest exemplo Medici, qui ægro tenetur corporalem medicinam præbere, quam credit profuturam, & cognoscit non obfuturam. Ergo etiam Medicus spiritualis tenebitur medicinam probabiliter salutiferam peccatori offerre, cùm sciat nullum ex illa damnum esse accepturum.

Quòd si probabiliter tibi persuadeas nihil effecturum per correctionem, non teneris illam apponere: ita expresè docet Valen. 2. 2. *quæst.* 10. *disp.* 3. *p.* 2. §. *tertia circumstantia. pag.* 657. cum Richard. 4. *dist.* 19. *art.* 2. *q.* 1. & Dur. *ibidem qu.* 3 *art.* 3. & aliis communiter; quia tunc cessat finis intrinsecus correctionis, saltem in prudenti æstimatione, neque enim ad actionem inutilem obligatio esse potest.

4 Item quando dubius es, an correctio nocitura, vel profutura sit, ferè omnes conueniunt omittendam esse; & in hoc sensu dixit Caietan. debere esse certam spem fructus, id est, sine dubitatione nocumenti: ita aliis relatis docent Suar. *de charit. disput.* 8. *sect.* 3. *num.* 3. Bonac. *supra num.* 6. Lorca 2. 2. *q.* 33. *art.* 6. *disp.* 44. *n.* 9. Valen. *ibi disp.* 3. *q.* 10. *p.* 2. *pag.* 664. §. *sed si attentè legantur.* Bannes. 2. 2. *q.* 33. *art.* 2. *ad finem.* Villalob. tanquam probabile, 1. 2. *sum. tract.* 4. *difficult.* 3. *n.* 4. Coninch *disp.* 28. *dub.* 6. *numer.* 92. Ratio quia in dubio nocumenti, vel fructus non est, vnde correctionis obligatio oriatur, quæ ad fructum, vt ad finem tendit, quæ doctrina, vt benè aduertit Valen. suprà, vera est; etiam si minus dubites de correctionis emolumento: sufficit enim si de nocumento dubites, vt obligatio cesset. Nocumentum voco non aliquam tristitiam, mœrorem, vel iram cum aliqua leui culpa, quia hæc non reputantur vt nocumenta, comparatione fructus ex correctione sperati, vt benè aduertit Suares *disputatione octaua, de charitate, sectione tertia, numerò* 5. Sed nocumentum, quod debet timeri, est graue damnum in correcto, scilicet nouum peccatum graue, vel noua obstinatio in peccato, de quo fit correctio.

5 Aduertit tamen Valen. *suprà p.* 2. *pag.* 665. §. *altero modo,* cum Adrian. & Caietano, Dubius de profectu correctionis, certus tamen non obfuturam tenetur corrigere, sicut Medicus tenetur medicinam ægroto adhibere, de qua certus est non obfuturam, sperat tamen etsi sub dubio profuturam.

6 Sed quid dicendum in casu, quo peccator sit in extremis, & æquè dubitas de fructu correctionis, ac de illius nocumento?

Pro certo tenendum est adhibendam esse correctionem, ita Lorca, Suar. Bonac. Bannes, Valen. Villalobos, Coninch *sup.* quia nocumentū nō adhibita correctione est certum, grauissimū, & irreparabile, vtpote damnatio æterna. Nocumentum verò ex correctione timendum non est ita graue, quod abundè non compensetur spe,

etsi dubia illud nocumẽtum æternum reparandi. Ergo teneris corrigere, vt repares non solùm præsens peccatum, sed æternam damnationẽ: sicuti Medicus ægrotanti, etiam de salute desperato potest, & debet dubiam medicinam applicare, quia nocumentum, quod per illam medicinæ applicationem timetur addendum, nullius est considerationis, & fructus esse potest maximus. Item ex duobus malis minus est eligendum. Sed minus malum est, quòd ipse aliquod peccatum committat, quàm quòd in æternum damnetur. Ergo primò curandum est æternam damnationem vitare.

PVNCTVM VI.

Quæ causæ ab obligatione correctionis excusent.

1 *Extra casum extremæ necessitatis excusaris à correctione ob graue detrimentum honoris, vitæ & fortunæ.*

2 *Plurimi à mortali excusantur non adhibentes correctionem.*

3 *At in casu extremæ necessitatis plures censent cum periculo vitæ obligare correctionem.*

4 *Expenduntur aliqui casus, in quibus obligatio corripiendi cum periculo vitæ asseritur ab aliquibus Doctoribus.*

5 *Si proximus ab alio, vel à se corrigendus est, non obligaris corrigere.*

6 *Si speras proximum alio tempore fructuosius esse corripiendum, excusaris à correctione statim facienda.*

7 *Quod est verum, tametsi proximus intermedio tempore peccatum aliquod committat.*

1 Extra casum extremum, qualis est, si proximus moriturus est in peccato mortali, non existente correctione, ferè omnes Doctores conueniunt excusatum te esse à correctione ob graue damnum vitæ, honoris, vel fortunæ, quia præcepta non ita grauiter obligant, lex enim Christi suauis est; ita relato Arag. Valen. Reginaldo, Bannes, Maldero, Nauarro, docuit Bonac. *de charit. disp.* 3. *q.* 4. *p.* 7. *num.* 11. Nauarra *de restit. lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 11. *num.* 107. 2. *edit.* Coninch *disp.* 28. *dub.* 6. *num.* 124.

2 Ex supradicto principio plurimi non corrigentes proximum excusantur saltem à mortali; pudor illos, & verecundia occupat, ne corrigant: vincere autem pudorem, & verecundiam non facilè possunt, qua ratione in materia detractionis excusamus à peccato mortali audientes detractorem, & præ verecundia illum non corripientes: & hac de causa dixit Eman. Saa *verbo correctio. n.* 2. omittere correctionem frequenter veniale peccatum est. Et in propriis terminis ob pudorem, & verecundiam excusari à correctione docet Valen. *disp.* 3. *q.* 10. *p.* 2. *pag.* 662. §. *quartò certum est.* cum D. Thom. *art.* 2. *ad* 3. & Caietan. *ibi, & in sum. verbo correctio fraterna.* Suar. *disp.* 7. *de correct. sect.* 3. *num.* 5. Ioann. Sanch. *disp.* 6. *select. n.* 9. Debet tamen pudor, & verecundia alicuius momenti esse, quem facilè cordatus vincere non potest. Neque enim ob leuem pudorem, & verecundiam omittenda est correctio, aliàs nunquam fieret. Si enim, vt benedicit Ægid. de Coninch 2. 2. *disp.* 28. *de correpr. dub.* 6. *n.* 126. in communibus necessitatibus tenetur priuatus corripere peccantem, etsi credat se ideò deridendum, aut aliquas iniurias auditurum, aut aliquod odium non ita sibi nociuum excitaturum, modò speret ex correctione fratris lucrum: à fortiori obligatus erit, tametsi aliquem pudorem patiatur.

3 Verùm si proximus sit in extremis, & moraliter existimetur certum correctione posita in gratia decessurum, secus verò in peccato moriturũ, plures Doctores existimant te obligatum esse corrigere etiam cum periculo vitæ propriæ: ita Bonac. *loco allegato. n.* 11. Bannes 2. 2. *q.* 33. *art.* 3. *dub.* 4. Sotus. *memb.* 2. *q.* 2. *concl.* 6. Naur. *sum. cap.* 24. *n.* 12. Valen. *disp.* 3. *q.* 10. *p.* 2. *pag.* 665. §. *tertia sententia.* Torres 2. 2. *q.* 33. *disp.* 87. *dub.* 1. Ægd. de Coninch *disp.* 28. *dub.* 6. *n.* 124. & 126. & dixerat *disp.* 25. *n.* 86. colligitur ex Suar. *disp.* 9. *de charit. sect.* 2. *n.* 3. *fine.* Probant, quia salus æterna proximi temporali vitæ præferenda est, iuxta illud 1. Ioann. 3. *& nos debemus pro fratribus animas ponere.* Exemplum est de puero in extremis constituto, quem baptizare teneris cum periculo propriæ vitæ, ne in peccato originali decedat, & adulto in extremis existenti, cuique difficilis sit contritio, teneris sacramentum ministrare.

4 At hæc exempla non leuem patiuntur difficultatem. Admitto gratis te teneri baptizare paruulum iam animam agentem, quia non habet aliud medium, quo à peccato liberetur, & vitam consequatur. Contrarium enim defendit Soto *de secreto. memb.* 2. *quæst.* 2. *post* 6. *conclus.* Saa *verbo charitas. num.* 4. Arcualo *de correct. fraterna. fol.* 174. Ioann. Sanch. *disp.* 10. *select. num.* 10. *circa medium.* At adulto, cui etsi difficilis sit contritio, est tamen possibilis, non videris cum periculo vitæ obligatus illi sacramenta ministrare, & multo minus correctionem, quia solùm grauiter, & non extremè indiget hoc medio correctionis, eáque de causa Eman. Saa *verbo correctio. n.* 1. *in edit*, *Romana*, dixit cum Victoria priuatum non teneri cum periculo vitæ corrigere. Valen. *disp.* 3. *q.* 10. *p.* 2. *pag.* 663. §. *& quidem*, affirmat ex malitia peccantem nunquam laborare necessitate extrema. Idẽ dixit Villalob. *t.* 2. *sum. tract.* 4. *difficul.* 5. *n.* 6. *circa finem.* casum hunc de necessitate extrema rarò, vel nunquam contingere; ipse enim solùm agnoscit, quando proximus laboraret ignorantia vincibili alicuius necessarij ad salutem, & te de illius notitia rogaret. Lorca *item disp.* 28. *memb.* 2. *& disp.* 45. *n.* 7. acriter defendit nũquam dari extremam necessitatem correctionis, siue peccator ex malitia, siue ex ignorantia, aut passione peccet, cùm semper diuinis auxiliis adiutus possit à peccato surgere, & vitam consequi. Quare si non consequatur, ipsi tribuendum est, non omittenti corrigere, cùm ob periculum vitæ excusetur. Excipiendi tamẽ sunt ab hac doctrina Prælati superiores, & omnes illi, quibus ex officio cura subditorum incumbit, qui graui necessitate intercedente tenentur vitam corporalem pro salute spirituali subditorum offerre, vt latiùs supra dictũ est de ordine charitatis, & docent Bannes, Sotus, Nauarr. & Valen. Torres, & Villalob. *suprà.*

5 Rursus est difficultas, an obligeris corripere proximum quem speras ab alio, vel à se esse corrigendum? & omissis aliorum placitis respondeo cum Caiet. *verbo correctio*, & Valen. 2. 2. *disp.* 3. *quæst.* 10. *part.* 2. §. *quinta circumstantia, pag.* 658. Eman. Saa *verbo correction.* 1. Torres *disp.* 86. *dub.* 2. §. *deinde.* Villalob. *tom.* 2. *sum. tract.* 4. *difficult.* 3. *num.* 5. Coninch *disp.* 28. *dub.* 6. *n.* 115. deobligatum te esse corrigere, si probabiliter intelligas alterius ope, vel sua sponte se emendaturum, quia iam intelligis alium tua correctione non indigere; sicuti non teneris corporalem eleemosynam præbere pauperi, qui sibi potest necessaria acquirere, vel alij sunt qui ei ministrent.

6 Deinde excusaris à correctione statim facienda, si speras alio tempore fructuosiùs proximum esse corripiendum, quia in tali dilatione negotium proximi facis, eiúsque vtilitati videris prospicere. ita D. Aug. *lib.* 1. *de ciuitate Dei. cap.* 9. D. Thom. *quæst.* 33. *art.* 2. *ad* 3. Syluest. *verbo correctio. num.* 2. *fine.* Nauarr. *cap.* 24. *n.* 17. Valen. *disp.* 3. *quæst.* 10. *p.* 2. §. *sexta circumstantia. pag.* 658. Eman. Saa *verbo correctio. num.* 5. *in edit. Romana.* Torres *disp.* 86. *dub.* 2. §. *deinde.*

7 Quæ doctrina etiam habet verum, casu quo illo intermedio

termedio tempore proximus peccatum committat; hoc enim damnum abunde videtur compensandum certitudine de maiori profectu, & resurrectione firma à peccato. ita Sotus *quæst.* 2. *de tegendo secreto. concl.* 6. Adrian. 4. *quæst de correct.* Torres *supra.* §. *restat*, & fauet D.Thom. 4. *dist.* 19. *quæst.* 2. *art.* 2. *quæstiuncula* 1. *ad* 5. & tenet expressè Villalob. *tom.* 2. *sum. tract.* 4. *difficult.* 3. *num.* 6.

PVNCTVM VII.

Quæ personæ teneantur corrigere, & quæ sint corrigendæ.

1 *Omnes obligati sunt proximum corrigere.*
2 *Peccator publicus regulariter à correctione deobligatur, aliquando tamen tenetur.*
3 *Peccator occultus obligatus est corrigere.*
4 *Ob correctionem faciendam extra casum extremæ necessitatis non est obligatus peccator de proprio peccato pœnitere, nisi Prelatus sit.*
5 *In extremis plures Doctores affirmant.*
6 *Difficilis tamen est doctrina, & contrarium videtur probabilius.*
7 *Concionator, & iudex delicta corrigentes in peccato mortaliter non peccant.*
8 *Prelati, aliique superiores specialem habent obligationem, & ex qua virtute hæc obligatio oriatur.*
9 *Omnes tam fideles, quàm infideles corrigendi sunt.*
10 *Prelati à subditis corrigi possunt, humili tamen obsecratione.*

1 CErtum est omnes obligatos esse, cùm sit præceptum naturale, & diuinum omnes adstringens; vnicuique enim mandauit Deus de proximo suo, *Ecclesiast.* 17. Item omnes obligati sunt Deum, & proximum amare; sed ex amore Dei, & proximi nascitur malum vtriusque impedire, quantum fieri possit. Ergo nascitur obligatio proximum corripiendi, quia sæpè ad impediendam iniuriam Dei, & malum proximi, correctio est vnicum medium.

2 Solùm de peccatore est dubium, obligatúsne sit corrigere, dum in peccato existit. Et videtur non esse, quia ipse indiget correctione, ineptúsque est ad corrigendum, cùm ei dici possit: à *Hypocrita eiice priùs trabem de oculo tuo, & tunc perspicies, vt educas festucam de oculo fratris tui*; & illud, *Medice cura te ipsum.* Hæc ratio omnino conuincit peccatorem publicum, vel notú correcto regulariter deobligatum esse à correctione, vtpote ineptum, & à quo nullus fructus speratur. Verùm vt rectè D.Thom. *in præsenti. art.* 5. Torres *ibi. disp.* 88. *dub.* 2. Valen. *disp.* 3. *q.* 10. *p.* 3. §. *non enim vult. pag.* 667. Si peccator corrigat delinquentem non exprobrando eius peccatum, neque se iustiorem ostendendo, sed potiùs cognoscendo, & suam indignitatem per humilitatem ostendendo; absque dubio efficaciter potest corrigere, & in tali casu nemini potest dubium obligatum esse præcepto correctionis, vt supradicti Doctores docent.

3 Ex quo à fortiori constat peccatorem occultum obligatum esse corrigere, quia potest ex tali correctione fructus sperari: & ita tradit Syluest. Richar. Palud. & Sab. quos refert, & sequitur Suar. *disp.* 8. *sect.* 4. *num.* 6. *de charit.* Soto *de secreto memb.* 2. *qu.* 3. *concl.* 6. Torres & Valen. *suprà.*

4 Sed quid si ob peccatum proprium ineptus sis correctioni, tenerisne de illo pœnitentiam facere, vt sic fructuosè possis corrigere indigentem, præcipuè si probabiliter intelligas moriturum in peccato, nisi correctionem sic adhibeas? Suar. *disp.* 8. *sect.* 4. *numero* 7. existimat extra casum extremum te non teneri ob correctionem faciendam de peccato proprio pœnitere, consentit Lorca 2.2. *quæst.* 33. *art.* 5. *disp.* 42. *numero* 12. *fine.* Sotus *relect. de secreto. memb.* 2. *quæst.* 3. *concl.* 6. Valen. *disp.* 3. *quæst.* 10. *pag.* 3. Bannes. *quæst.* 32. *art.* 5. Coninch *disp.* 28. *dub.* 7. *numero* 32. Ratio, quia absque pœnitentia proximum sufficienter corrigere per humilitatem. secundò & præcipuè, quia nullus tenetur diuitias quærere, etiamsi prodigè consumpsisset, vt eleemosynam grauiter indigenti faciat.

Ab hac doctrina excipiunt supradicti Doctores, Suar. Soto. Lorca, & Villalobos. cum communi, 4. *difficult.* 8. *num.* 1. Prælatum, cui ex officio incumbit correctio, qui aut officium debet deponere, aut se in statu apto correctioni constituere.

5 Dixi, extra casum extremum: nam si proximus constitutus in extremis correctione indigeat, & fructus ob peccatum corripientis impediatur, affirmat Suar. *suprà*, Torres *art.* 5. *dub.* 2. *disp.* 88. Bannes *ibi. concl.* 5. Villalobos *supr. difficult.* 8. *n.* 2. te obligatum esse pœnitere quia charitas obligat misereri proximo, eiúsque fragilitati attemperari.

6 Fateor hanc doctrinam mihi difficilem esse. Nam (vt ipse Suar. concedit) peccator tenetur admittere correctionem à quocunque fiat, præcipuè in articulo mortis, & ex alia parte corrigens sufficienter quid faciendum sit, proponit temperando humilitate sermonis indignitatem suam. Ergo satisfacit præcepto correctionis; sicuti satisfacit præcepto Eleemosynæ corporalis, illam tribuens, existens in peccato. Item correptus non potest aduersùs sic corripientem retorquere argumentum, vt seipsum curet, cùm facilè satisfieri possit se corripiendum, & emendandum fore, si in simili necessitate esset constitutus. Facit ergo quantum videtur necessarium, vt correctio fructuosa sit, si verò fructum non habet, ex malitia correcti, & non ex defectu corrigentis prouenit. Et ita mihi videtur dicendum ratione præcepti correctionis raró, vel nunquam te, nisi Prælatus sis, esse obligatum pænitere; ratione verò scandali obligatio esse potest, cum tuo peccato, & malo exemplo facis, vt alius peccatis inhæreat: & ita expresè docet Valen. *disp.* 3. *q.* 10 *pag.* 3. §. *inde verè asserunt* Soto. *pag.* 668. Ægid de Coninch, 2.2. *d.* 28. *dub.* 7. *a. n.* 131.

7 De concionatore, & de iudice delicta corrigentibus plures Doctores affirmant peccare mortaliter, si in peccato corrigunt, quia sunt actiones, quasi sacræ à peccatoribus non exercendæ, ita Caietan. 2.2. *q.* 187. *art.* 1. & 3. *pag.* 964. *art.* 6. & insinuat ibi D.Thom. Syluest. *verbo correctio. num.* 16. loquens de correctione iudiciali.

Contrarium omnino est dicendum, quia supradictæ actiones nec sunt annexæ ordinibus sacris ex institutione Christi; nec sunt ita sacræ, quin à peccatore effici possint. Nulla ergo efficax ratio est obligandi concionatores, & iudices gratiam habere, vt peccata publica corrigant, & ita tenet Suar. *disp.* 8. *sect.* 4. *numer.* 6. & loquens de concionatore *t.* 3. *in* 3. *pag. disp.* 16 *sect.* 3. *in fine.* Solut 4. *dist.* 1. *quæst.* 5. *art.* Med. *de pœnit. tractat.* 2. *q.* 6. Torres 2.2. *quæst.* 33. *art.* 5. *disp.* 88. *dub.* 2. Villalob. *tractat.* 4. *diff.* 8. *n.* 3.

8 Tandem aduertendum est, etsi omnes obligentur corrigere peccatores; at Prælati, & Superiores respectu subditorum, patres respectu filiorum, maritus respectu vxoris, tutor respectu minoris, dominus respectu mancipij arctiori vinculo tenentur, vt constat ex *cap. quamuis causæ. de reg. iuris.* & tradit D.Thom. 2.2. *quæst.* 33. *art.* 3. *ad* 1. & cum eo Doctores communiter. Aliqui volunt hanc strictiorem obligationem ex misericordia oriri. vt Soto *de secreto memb.* 2. *quæst.* 3. *concl.* 3. Lorca *disp.* 42. *num.* 4. Alij & rectiùs, vt Caietan. *art.* 2. *in respons. ad* 4. Coninch *disp.* 28. *num.* 74. ex iustitia, quia

oritur ex officio. Officium enim illud ea conditione à communitate datur, vt superior subditorum vitia corrigat, corúmque salutem procuret. Vnum tamen est, in quo omnes debent conuenire, teneri Prælatum, patrem, maritum, & dominum, omittentem correctionem subditorum, cùm deberent apponere, manifestare in confessione hanc circunstantiam officij, seu personæ: ita docet Suar. *disp.* 8. *sect.* 4. *num.* 5. Torres 2.2. *disp.* 87. *dub.* 1. Valen. *disp.* 3. *q.* 10. *p.* 3. §. *sed hac fortè, pag.* 670. Inclinat Ægid. 2. 2. *disp.* 28. *dub.* 5. *num.* 58. Ioann. Sanch. *disp.* 6. *select. n.* 9. qui hanc obligationem non agnoscit in domino respectu famulorum ob salarium seruientium, quia horum actiones non sunt specialiter domino subordinatæ, & sub illius cura. Quod verò dicit Villalobos debere dominum à suo seruitio famulum expellere, si videat domi occasionem habere peccandi, laudo si faciat, obligationem tamen non agnosco, præcipuè si domino vtilis sit famulus, quia non tenetur occasionem peccatorum cum suo damno remouere, & fortè expulsus liberiùs peccabit: & ita tenet Arag. 2. 2. *q.* 33. *art.* 1. *ad finem.*

9 Quòd si de personis corrigendis loquamur, omnes tam fideles, quàm infideles sunt corrigendi: Nam licèt infideles non sint fratres per gratiam, sunt tamen per naturam, & cuilibet incumbit onus eorum salutem procurandi. Ita omnes Catholici.

10 Difficultas est de Prælatis, an sint à subditis corrigendi? Et quidem debere corrigi, si delinquant, est expressa decisio Gregorij in *cap. sicut.* 2. *qu.* 7. ibi sicut laudabile, & discretum est reuerentiam, & honorem exhibere maioribus: ita rectitudinis, & Dei timoris est, si quæ in eis sunt, quæ indigent correctione nulla dissimulatione postponere; cùm & proximi sint, & arctiùs teneamur eos diligere. Aduertendum tamen est hanc correctionem faciendam esse cum magna prudentia, & humilitate, & potius obsecrando, quàm increpando. Aliàs nullius effectus erit. Itémque secretò, & non publicè; ex decreto Innocent. III. ex *cap. cùm ex iniuncto, de Hæreticis.* & facit ad id *cap. sententia, cap. qualis.* 2. *quæstio.* 7. Quod intelligi debet, nisi peccata sint scandalosa, & publica: tunc enim publicè argui debent, etiamsi nulla speretur emendatio. Deinde captari debent tempora, quibus creduntur magis esse dispositi: & generaliter in hac correctione summa prudentia opus est: & in iis Doctores conueniunt cum D. Thom. 2. 2. *quæstio.* 33. *articul.* 4. Valen. *ibi disputatio.* 3. *quæstio.* 10. *p.* 4. Bannes & Caietan. *ibi.* Torres *disputation.* 88. *dub.* 1. Lorca. *disputatione* 43. Ægid. de Coninch *disputatione* 28. *dub.* 4. *articul. numero* 52.

Pvnctvm VIII.

An ordo correctionis fraternæ assignatus à Christo Domino, Matth. 18. sit in præcepto?

1 *Quis sit ordo correctionis à Christo constitutus.*
2 *Ad quem finem est inductio testium.*
3 *Seruandus est hic ordo, quando adsunt aliquæ circumstantiæ.*
4 *In hoc ordine non constituit Christus nouum præceptum, sed præceptum naturale correctionis declarauit.*
5 *Satisfit quibusdam obiectionibus.*

1 Ordo correctionis consistit primò vt peccantem admoneas secretò, & absque vllo teste, iuxta illud, *si peccauerit in te* (id est, te sciente) *corripe inter te, & ipsum solum. Quod si te non audierit induces testes, vnum, vel duos; si illos non audit, dices Ecclesiæ; si Ecclesiam non audit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus.*

2 Testes inducis, vt te adiuuent in correctione delinquentis, fortè enim peccator etsi te contempserit, testes reuerebitur. Quapropter solùm sunt inducendi, quando certò ex eorum inductione speretur vtilitas delinquentis, vt benè aduertit Lorca. 2. 2. *q.* 33. *art.* 8. *disp.* 46. *nu.* 20. Quòd si delictum testibus est notum, aut talis naturæ, vt possis Prælato denunciare, inducis testes, vt testificentur te satisfecisse officio, & obligationi corrigendi secretò, ne postea ob non præmissam correctionem à denunciatione facienda repellaris, iuxta *cap. cùm dilectus, de accusationibus:* & tradit Chrysostom. *hom.* 61. *in* Matth. & ex Hieroni & August. Valen. *disp.* 3. *quæ.* 10. *p.* 5. §. *posset enim, pag.* 683. Nunquam tamen inducuntur, vt testes in iudicio possint esse; quia hoc est extra finem correctionis fraternæ, & daretur occasio proximo negandi delictum, neque admittendi correctionem, si intelligeret testes in iudicio contra illum esse deposituros. Quare cùm Christus dicit, vt in ore duorum, vel trium stet omne verbum, ideo dixit, quia in ore duorum, vel trium, faciliùs persuadebitur correptus id quod agit & malum esse, & emendatione dignum. Facta inductione testium, si adhuc delinquens non corrigatur, dicendum est Ecclesiæ, hoc est, Prælato, & superiori, qui nomine Ecclesiæ intelligitur, vt infra dicemus.

3 Non defuerunt Doctores, qui saltem tanquam probabile defendunt supradictum ordinem non esse sub præcepto seruandum, sed solùm sub consilio: ita Bernardin. *de* Areualo *tract. de correct. fraterna,* & Salmer. *tom.* 4. *in euangel. par.* 3. *tract.* 11. qui varias rationes, & testimonia adducunt ad hanc probabilitatem adstruendam: sed omnes illæ solùm probant hunc ordinem non esse semper seruandum, sed debitis temporibus, & circumstantiis, quando scilicet est secretum delictum, & per correctionem secretam sufficienter emendandum præsumitur, neque alia ratio boni communis, aut cessio iuris cogit illum omittere: sic Lorca. 2. 2. *quæst.* 33. *art.* 8. *disp.* 46. *sect.* 3. *memb.* 2. *artic. numero* 26. Torres *disput.* 89. *dub.* 2. *concl.* 2. & 3. Bannes *artic.* 8. *dub.* 2 *concl.* 4. Valen. *disput.* 3. *quæst.* 10. *p.* 5. §. *certum est. pag.* 676. Villalobos *tract.* 4. *diff.* 9. Ægid. de Coninch *disput.* 28. *dubio* 8. *numero* 138. Suar. *tomo* 4. *de relig. libro* 10. *cap.* 7. *a. n.* 10.

4 Quare pro certo tenendum est cum supradictis Doctoribus, & aliis pluribus, quos ipsi referunt, Christum Dominum in supradicto loco Matth. & tradidisse præceptum correctionis, & declarasse modum, quo debet fieri. Non quia nouum aliquod præceptum tulerit, quod ex ipsa lege naturæ non oriatur, sed quia præceptum à lege naturæ obscurius traditum clariùs explicuit, ipsa enim natura dictat corrigendum esse proximum cum minori damno famæ, & honoris, quo fieri possit, ac proinde si absque testium inductione corrigi potest, ipsa natura dictat, vt corrigatur, & si solùm vnicus testis sufficit, vt quid duo sunt adducendi? & si iis adductis emendatur, quare Ecclesiæ denuntiandus est? Est ergo hic ordo in præcepto. Et ita definitum videtur ab Innocent. III. *in c. Nouit, de indic. & cap. cùm ex iniuncto, de hæreticis,* & ab Alexand. III. *in cap. licèt Heli, de simonia.*

5 Neque obstat verba Christi non videri generalia, cùm solùm de peccatis, quæ sunt iniuriosa corrigenti loqui videantur, in quibus secreta correctio vix habet locum, sed illa omissa potest ad denuntiationem procedi. Non, inquam, obstat, nam esto de solis illis peccatis expressè loquatur Christus Dominus; ex communi sensu Ecclesiæ ad omnia alia peccata, quæ proximus committit te sciente, extendútur: sicuti *Matth.* 25. Operibus tantùm misericordiæ promittitur vita æterna, & tamen inde inferunt omnes Patres de reliquis bonis operibus idem esse dicendum; quia est æqua vel

vel efficacior ratio: ita in præsenti. Si enim in iniuriis propriis, in quibus experi potest iudicialis satisfactio; potest aliquando, & debet iniuriatus corrigere delinquentem, vt tradit D. Thom. 2.2. *q.* 33. *artic.* 7. *in corp.* & Bannes *articul.* 8. *dub.* 1. *§. deinde probatur.* Torres *disput.* 89. *dub.* 1. *circa finem*: à fortiori in peccatis aliis poterit, & debebit hanc correctionem apponere. Præterea illud *in te*, non debet explicari contra te, vt communiter sonat, quasi tibi aliquam specialem iniuriam intulisset, sed, vt explicat Lyra, Glossa, Hugo, Cardinal. & Augustin. *serm* 16. *de verbis Domini*, id est, coram te, te sciente; qui enim te sciente peccat, quasi te contemnit, ac proinde in te peccat, seu contra te; vel dici potest in te peccare, quatenus te ad peccatum incitat, & suo malo exemplo mouet ad peccandum: sic ex August. Anselm. Chrysostom. & aliis explicat Lorca *disput.* 46. *memb.* 1. *num.* 12. & optimè Suar. *tom.* 4. *de relig. lib.* 10. *capu.* 7. *annot.* 12.

PVNCTVM IX.

An renuntiari possit ab aliquo, vt secum hic ordo seruetur, quando aliàs ex præcepto diuino seruandus erat.

1 *Negatiuè aliqui respondent, & quibus probent.*
2 *Pro certo tenendum est Socios renuntiari posse.*
3 *Satisfit rationibus contrariis.*
4 *Nemini licitum est impugnare quolibet quæsito colore hanc iuris cessionem.*
5 *Proponitur quædam obiectio, an ex cessione iuris manifestari possint delicta superiori, quæ aliàs ex charitate manifestari non poterant.*
6 *Satisfit supra adductæ obiectioni.*
7 *Religiosi Societatis Iesu cedunt iuri in ordine ad correptionem fraternam non iudicialem.*

1 PHiliarcus *de officio sacerdotis. tom.* 1. *p.* 1. *libr.* 4. *cap.* 14. *statim in princ.* & Lorca 2.2. *quæst.* 33. *articul.* 8. *disp.* 47. *numero* 13. acriter defendunt hoc ius renuntiari non posse primò. Nam esto quilibet dominus sit propriæ famæ, ac proinde ob aliquem honestum finem pati posset in illa detrimentum. At præceptum diuinum de ordine in correctione seruando non solùm attendit famam proximi, vt quàm minus fieri possit lædatur, sed præcipuè attendit bonum ipsius correctionis, vt meliùs, & congruentiùs fiat, & pacem, & quietem communitatum, & euitationem rixarum, & aliorum defectuum, quæ ex manifestatione occultorum oriri possunt: cui iuri non videtur posse cedere quilibet priuatus. Secundò sæpè Prælatus erit minus aptus ad corrigendum alio particulari; tum quia non est gratus delinquenti, tum ob eius imperitiam, & fortè prauum affectum. Ergo in tali casu non esset licitum omissa priuata correctione veili ad denunciationem inutilem deuenire. Ergo in hoc casu non potuit subditus renuntiare ius quod habet de secreta sibi monitione facienda; aliàs esset renunciatio prodiga famæ, & perniciosa. Cùm autem in qualibet religione plures esse possint Prælati inefficaciores in corrigendis secretis aliquorum culpis, quàm alij particulares, effici videtur non posse generatim hoc ius renuntiari.

2 Nihilominus certa sententia est posse quemlibet, & totam aliquam communitatem (vti facit sanctissima religio Societatis Iesu) renuntiare iuri, quod habet, vt sibi peccata secretò corrigantur, antequam ad Prælatum deferantur, ipse deferens nullius culpæ reus sit, etiamsi correctionem non præmiserit: ita docuit Thom. Sanch. *lib.* 6. *sum. capit.* 18. Valen. 2.2. *disputat.* 3. *quæst.* 10. *p.* 5. *pag.* 678. *§. quintus casus.* Torres *de charit. quæst.* 33. *articul.* 7. *disput.* 89. *dub.* 4. *circa finem.* Suar. *disput.* 8. *de charit. sect.* 6. *numero* 12. *& numero* 17. *& tom.* 4. *de relig. lib.* 10. *cap.* 7. *numero* 18. Ribadeneira *de instituto Societatis. cap.* 34. Ægid. de Coninch 2. 2. *disputat.* 28. *dub.* 11. *numero* 197. Alphons. Rodrig. *tom.* 3. *in lib. de spiritualib. monitis cap.* 6. *de correct. fraterna. tractat.* 8. Cantarelus *in præceptis Decalogi. lib.* 2. *cap.* 69. *numero* 211. Ioann. Sanch. *disputat.* 46. *select. num.* 28. Petr. de Ledesm. *sum.* 2. *tom. titul.* 4. *cap.* 4. *post conclus.* 24. *difficult.* 6. *pag.* 291. Bannes 2. 2. *quæst.* 33. *artic.* 8. *dub.* 2. *in respons. ad.* 2. *p. prioris confirmat.* 7. *argum. vers. iam ad aliud.* Ii tamen Doctores, Ledesma, & Bannes addunt sibi maximè dubium esse, an conueniens sit talem renunciationem ab aliqua tota communitate fieri; quia & executio est difficilis, & subditi turbari possunt scientes suos defectus occultos Prælato manifestari: sed hæc inconuenientia, & rationes nullius sunt momenti, vt rectè expendit Valen. Torres, Ægid. & Suar. *suprà.*

Ratio præcipua huius conclusionis est. Quilibet potest ob honestos fines detrimentum in fama, & honore pati, (vt ex communi sententia suppono) etiamsi dominus non sit famæ propriæ, & honoris. Ergo potest renuntiare ius quod habet, vt sibi fama integra conseruetur in correctione ob honestos fines, quales sunt maior spiritualis correcti profectus, maiorque securitas à recidiuo, submissio, & humilitas propria, integritas communitatis. Negari enim non potest religiosos maiori circumspectione processuros, si sciant peccata propria occulta à quolibet sciente extra confessionem, vel gratia petendi auxilium, esse superioribus manifestanda omissa correctione securiores esse à recidiuo, & communitatem magis indemnem seruari. Ergo ob huiusmodi honestos fines possunt famæ detrimentum pati. Confirmo. Si proximus ob fines supradictos manifestaret proprium peccatum Prælato, nonne laudandus esset? Ergo etiam si ex consensu ipsius eius peccatum superiori manifestes ob supradictos fines, opus laudabile facies. Tandem si proximus iam famam apud Prælatum amisisset, rectè posses cum illo agere de eius peccato, si in tali tractatione operaris ex bono fine. Ergo idem videtur dicendum, quando ipse proximus non vult seruare suam famam apud Prælatum, sed iusta de causa tibi facit potestatem eius.

3 Ad primum argumentum contrarium admitto finem præcepti non solùm esse conseruationem famæ correcti, sed bonum ipsius correctionis, & pacem, & quietem communitatum. At hic finis obtinetur, quando ex voluntate ipsius correcti delictum superiori manifestas; sicuti obtinetur finis præcepti seruandi sigilli in confessione, qui est non solùm conseruare famam proximi (aliàs; & benedicit Thom. Sanch. ob bonum commune rumpi posset) sed est facilitas ipsius sacramenti, & rectus illius vsus, qui obtinetur, vel vt meliùs dicam, nullo modo læditur, quando ex voluntate pœnitentis culpæ manifestantur. Ad secundum respondeo cessioné iuris factam à subditis religiosis Soc. Iesu esse prudentem, & non temerariam, ac proinde etsi generatim fiat, subintelligitur fieri seruato fine præcipuo correctionis, qui est correctio, & emendatio delicti, quem finem si certum sit per Prælatum non esse obtinendum, vel non esse obtinendum ita benè, ac per inferiorem, vel de illo dubium est (quod raró contingere potest, præcipuè in nostra Societate; vbi superiores tot informationibus de vita, & moribus factis apponuntur) nequaquam tunc censetur quis cedere iuri conseruandæ famæ: ita tenet cum Abulens. *cap.* 18. in Matth.

in Matth. *q.* 98. *ad finem.* Thom. Sanch. *lib.* 6. *sum. cap.* 18. *num.* 47. Idémque colligitur ex Valen. Suar. & Torres *supra*, Semper enim supponunt meliùs à Prælato subditum esse corrigendum, & præcauendum à recidiuo, quàm ab alio subdito, cui facilè potest se emendatum simulare. Quapropter concludit Torres *dub. illo.* 4. §. *addendum*, tunc posse fieri denunciationem Prælato vt patri, quando multum habet odium contra subditum, & talis est, qui ex affectu verè paterno inferiori suo delinquenti tanquam dilecto filio curabit remedium afferre: qui etiam tenax sit secreti; & de fama subditi curam habeat, iuxta doctrinam. S. Thom. *quod lib.* 11. *art.* 13.

Ex dictis infertur nemini licere hanc nostram regulam de cessione iuris, & manifestatione delicti; quouis disputandi, vel etiam veritatis indagandæ quæsito colore directè, vel indirectè impugnare, aut contradicere. Tum quia à Paulo. III. & Iulio. III. nostrum institutum fuit approbatum, & confirmatum, & in eo omnes eius constitutiones, præcipuè quæ contradictionem patiebantur. Tum quia Gregor. XIII. in sua bulla, quæ incipit, *Ascendente Domino*, prohibet sub pœna excommunicationis hanc impugnationem nostri instituti, ac cuiuscunque constitutionis, vt constat ex illius verbis, quæ ad longũ refert, Petr. de PibaDeneyra *li.* 3. *vita S. Patris nostri Ignatii. ca.* 23. Tum quia de facto idem Greg. damnauit libellum cuiusdam, qui hanc nostram regulam, & constitutionem impugnauit, vt testatur Turrian. 2. 2. *disput.* 89. *dub.* 5. Alphons. Rodrig. *in exercitio perfect.* 3. *p. tract.* 8. *cap.* 6. Ægid. de Coninch *disp.* 28. *dub.* 12. *num.* 226. Suar. *tom.* 4. *de relig. lib.* 10. *num.* 1. *in fine.* Neque obstat constitutionem Carthusianam de non comedendis carnibus in periculo vitæ, à multis impugnari, tametsi à Sede Apostolica cõfirmata sit. Ergo etiam si nostra constitutio confirmata sit à Sede Apostolica impugnari poterit. Non, inquam, obstat, quia illa constitutio Carthusianorum non est expressè à Sede Apostolica approbata, & confirmata. Nam quando Carthusianorum institutum confirmatum fuit ab Alexand. III. & Cœlestino III. non erat illa constitutio sancita: vt testatur Petrus Sutor. *lib.* 1. *tractat.* 3. *capit.* 8. fuit enim hæc sancita anno Domini, 1294. in capitulo quodam generali ferè centesimo anno post ordinis institutionem, & approbationem. At nostra constitutio erat sancita, & satis controuersa, cùm institutum nostrum à Iulio III. & Gregor. XIII. approbatum fuit. Tum quia Gregor. XIII. & Iulius III. non solùm nostrum institutum vtcúmque approbarunt, sed etiam omnes illius constitutiones, articulos, &c. Quæ tam exacta approbatio in Carthusianorum instituto non reperitur. Tum denique quia Pontifex prohibet de hac, & de qualibet constitutione sub prætextu disputationis quomodolibet impugnare, quæ prohibitio non est facta in constitutione Carthusianorum.

5 Aduersùs supradicta obiici potest sequi excessione iuris facta in Societate Iesu non dari aliis potestatem specialem manifestandi delicta superiori, quæ ex ipsa correctionis natura non habeatur, ac proinde neminem cedere, vt sua delicta superiori manifestentur, si ex præcepto diuino manifestari non poterant. Sequelam probo. Quando melius per correctionem secretam intelligitur emendandus frater, quàm per correctionem superioris, vel de hoc dubium est, non intelligitur frater cedisse secretæ correctioni fraternæ, quia esset iniqua cessio, & contra charitatem, & bonum proprium. Quando verò meliùs per Prælatum intelligeretur corrigendus, posses omissa correctione secreta delicta Prælato manifestare, etiam si ipse iuri non cessisset, vti affirmat Ricard. *in* 4. *distinctio.* 19. *quæstio.* 1. *articul.* 4. & Suar. *de charit. disputatio.* 8. *section.* 6. *numero* 17. & *to.* 4. *de relig. li.* 10. *c.* 9. & 10 *per totum* quia læsio honoris, & famæ proximi ex delatione ad superiorem contingens abundè compensatur maiori fructu, & spirituali proximi profectu. Quando æquè bene per secretam correctionem emendandus esset peccator, ac per Prælati correctionem, nullo modo peccator censetur cedere iuri conseruandæ famæ, quia in tantum cedit, in quantum ad sui profectum, & emendationem delicti necessaria est, & expediens: non autem est necessaria, neque expediens talis manifestatio, si æquè benè per secretam correctionem, ac per Prælatum omnis fructus, & emendatio fratris obtinetur: ergo nullus casus est, in quo cessio iuris det aliis facultatem manifestandi delicta superiori, si ex ipsa correctionis natura illam non habent.

6 Fateor equidem cessionem iuris non dare aliis potestatem manifestandi delicta; quæ manifestari non possent, cessione iuris non obstante, nisi in casu dubio de emendatione, vt infrà dicemus. At quia sine hac cessione multi Doctores affirmant, vt sequ. puncto videbimus, non posse peccata occulta ad Prælatum, vt Patrem deferri, non præmissa secreta correctione, etiamsi Prælatus maiori cum vtilitate, & fructu delinquentem esset correcturus: & posita cessione iuris, certius est, & ferè indubitatum posse tunc peccata ad Prælatum, vt Patrem deferri, omissa secreta correctione, quia in illo casu nulla irrogatur peccanti iniuria, cùm ex eius voluntate rationabiliter habita ob maiorem fructum, & spiritualem profectum delicta manifestentur. Ideò in religione Societatis Iesu omnibus mandatur hæc cessio.

7 Aduertendum tamen est cum Suar. *tom.* 4. *de relig. lib.* 10. *cap.* 12. *numero* 3. & 35. Thom. Sanch. *lib.* 6. *sum. cap.* 18. *num.* 48. religiosos Societatis Iesu solùm cedere, & consentire, vt eorum delicta deferantur Prælato, tanquam patri, non tanquam iudici. Probat Sanch. quia in dubio præsumitur actus ita gestus, vt sit minus quoad fieri possit onerosus agenti, vt multis probat Menoch. *de præsumptio. libr.* 6. *tota præsumpt.* 9. & semper præsumitur gestus eo modo, quo agenti vtilior esse possit, vt tradit Bartol. *l. gerit. numero* 21 *ff. de acquir. hæredit.* Tiraquell. *de retractu. lignagier.* §. 30. *glossa* 1. *numero* 34. Menoch. *de præsumpt. lib.* 3. *præsumpt.* 156. *num.* 16. Cùm verò in renuntiatione religiosorum Societatis tantùm fiat mentio de denunciatione facienda superiori, neque explicetur, an fiat vt patri, vel vt iudici, explicanda est, vt fiat solùm vt patri, quia ita vtilior, & minus onerosa est renuntianti: fauétque *reg.* 9. & 10. *sum. constitutionum Societatis*, vbi dicitur, vt debito cum amore, & charitate omnes iuuerit se corrigi: non autem esset, (vt benè dicit Sanch.) debitus amor, sed summus rigor, si omissa secreta correctione, Prælato, vt iudici peccata deferrentur. Item hæc renuntiatio fit ad maiorem spiritus profectum, vt constat ex *regula dicta.* tum ex §. 8. *cap.* 4. *examinis* tum ex *decreto.* 52. VI. *congregationis*, qui finis est prius correctionis fraternæ, non iudicialis, quæ propriè punitionem respicit.

PVNCTVM X.

An quodlibet peccatum, quantumuis secretum, possit Prælato deferri, omissa secreta correctione, quando existimatur Prælatus meliùs delinquentem correcturus.

1 *Stante cessione iuris id certum est.*
2 *Illa seclusa plures Doctores negant.*

3 Con

3 *Contrarium est probabilius.*
4 *In religionibus semper præsumendum est Prælatum melius correcturum.*

1 Stante cessione iuris nemini potest esse dubium te posse peccatum proximi ad Prælatum, vt patrem in hoc casu deferre: ita expressè Valen. *p.5. pag.* 687. §. *respondeo.* Suar. Torres, Sanch. suprà allegati.

2 Verùm cessione iuris non posita negant Adrian. IV. *quæst. de correct. fraterna.* §. *pro huius decisione.* Soto *de secreto. memb.2. quæst.4. dub.3. statim in princ.* Nauarr. *cap. inter verba. & 11.q.3. in 2. edit. concl.2. col.44. num.113.* Nauarra *de restit. lib.2. cap.4. in noua edit. p.2. dub.12. n.* 120. Petr. de Ledesm. *tom.2. sum. tract.* 4. *fol.* 292. *difficult.5. concl.*24. Lorca. 22. *q.* 33. *art.* 8. *sect.* 3. *disp.* 47. *dub.* 10. *& num.* 7. Negant, inquam alij Doctores te posse peccatum proximi ad Prælatum, etiam vt patrem deferre, si sufficienter ex tua admonitione speras vtilitatem, etiamsi Prælatus aptior videatur ad correctionem. Quia manifestatione criminis Prælato facta lædis proximi famam. Ergo cùm hæc læsio non sit necessaria ad eius correctionem, non est cur apponatur.

3 Nihilominus dicendum existimo omitti posse correctionem secretam in hoc casu, Prælatóque vt patri manifestari delictum posse: ita expressè cum Ricard, & D. Thom. affirmat Suar. *disp.* 8. *de charit. sect* 6. *num.*17. *latiùs tom.4. de relig. lib.* 10. *toto. cap.* 9. *&* 10. Moueor ex eo, quòd Medicus corporalis prudenter vtitur acerbiori medicina, quamuis non sit valdè necessaria, si tamen est valdè vtilis. Ergo etiam si correctio per Prælatum non sit necessaria simpliciter, si tamen est valdè vtilis, & efficacior secreta correctione, poteris hac omissa delictum ad Prælatum deferre. Quod religionibus, vt benè dicit Suar. hæc sententia sequenda est; in aliis verò, quia magis sunt sui iuris, nisi fructus notabilis speretur pro certo, non est admittenda.

4 Addendum tamen est in religionibus, præcipuè in Societate, semper præsumendum esse melius subditum delinquentem per Prælatum corripiendum esse, quàm à quolibet particulari, dum contrarium non constat. Tum quia Prælatus occasiones peccati remouere potest, quas non potest alius subditus. Tum quia ipse Prælatus pœnitentias, & remedia applicare potest, quæ per alios subditos non possunt applicari. Tum quia difficilius subditus simulare potest Prælato emendationem, quam tamen facili negotio simulare potest alteri Fratri, sic latè expendit Ægid de Coninch 2. 2. *disp.* 28. *dub.*11. *num.*202. Suar. *tom.4. de relig. lib.*10. *cap.9. num.*11.

PVNCTVM II.

Quid possit Prælatus facere ex denunciatione sibi vt patri facta de peccato subditi.

1 *Non potest Prælatus ex tali denunciatione iudicialiter procedere.*
2 *Aliqua tamen moderata pœnitentia potest Prælatus delinquentem punire.*
3 *Potest subditum à loco, & officio remouere, si hoc absque infamia fieri potest.*
4 *Qua prudentia debeant Superiores in hoc procedere.*
5 *Potest Prælatus alicui, vel aliquibus viris grauibus delictum subditi manifestare, si hoc necessarium est ad eius correctionem.*
6 *Rector collegij Prouinciali manifestans delictum sui subditi, quem absque tali manifestatione emendare potest, non videtur mortaliter peccare.*
7 *Probabilius est oppositum.*
8 *Potest Prælatus subdito delinquenti socium designare fidelem, qui eius actiones exploret, & Prælato deferat.*
9 *An possit Prælatus significare socio designato se malè de subdito sentire, vt sic diligentiùs vigilet?*
10 *Item potest Prælatus subditum delinquentem coram duobus, vel tribus testibus reprehendere.*
11 *Si per denuntiationem paternam remedium non adhibetur sufficiens, & delictum vergit in damnum communicatis, vel tertiæ personæ, tenetur denuntians iudicialem denunciationem facere.*

1 Certum est non posse Prælatum ex tali denunciatione procedere iudicialiter, & delinquentem punire: ita omnes Doctores, vt videre est apud Suar. *disp.8. de charit. sect. vlt. n.*18. *& t.4. de relig. c.* 12. *num.*36. *&* 43. Bannes *dub.4. concl.*2. Petr. de Ledesm. *tract.4. de correct. concl.*25. *fol.*292. quia tunc delicta nō non manifestantur Prælato iudicanda, & punienda, sed paterno amore corrigenda. Quapropter S. Thom. 2. 2. *quæst.* 33. *art.* 8. *ad* 4. Richard. *art.3. quæst.2. ad* 2. Adria. *in fine quæst. de correct.* Gab. *lect.*74. *lit. T.* Syluest. *verbo correctio. dub.* 5. Armilla. *num.* 3. Antonin. §. 4. Soto *memb.2. quæst.4. ad* 3. Lorca 2. 2. *q.* 33. *art.* 8. *disp.* 46. *num.*24 Ægid. de Coninch 2. 2. *disp.*28. *dub.*10. *num.*176. Suar. *tom.4. de relig. lib.*10. *cap.*10. *num.*2. *&* 4. affirmant denunciationem Prælato, vt patri factam pertinere ad illum secundum gradum correctionis fraternæ, quo mandatur à Christo Domino adhiberi testes, si secretò corripientem peccans non audierit. Nam quando Christus dicit, si testes peccans non audierit, dicendum esse Ecclesiæ, idem est ac si diceret dicendum esse, Prælato, vt Iudici, siquidem habetur peccans, vt Ethnicus, & Publicanus, ac proinde vt excommunicatus, si Ecclesiam non audit: quod absque iudicio, & causæ cognitione fieri non potest: & ita docuit D. Thom. *quæst.* 33. *art.7. &* 8. & Lorca *disp.46. sect.3. memb.2. n.*23. & testatur esse communem. Idem tradit Ricard. 4. *dist.*19. *art.3. quæst.2. ad* 2. Chrysostom. Durand. Adrian. Syluest. Gab. & alij, quos refert & sequitur Valen. *disp.*3. *quæst.10. p.5. pag.* 683. Probaríque potest ex *cap. nouit, de iudic. cap. cum ex iniuncto, de hæret. cap. licèt Heli, de simonia.*

2 Verùm ex hac denunciatione potest Prælatus hac moderata pœnitentia delinquentem punire, quæ neque infamiā irroget, neque delictum, si graue est, manifestet. Esset enim contra vis delicto non probato illud punire, ac si probatum esset, & secretò manifestatum ad correctionem, per pœnitentiam euulgare. At aliqua punitio pro delictis, quę nullam irrogant infamiam, & quæ solent communiter à religiosis committi, limites correctionis fraternæ non excedit, sicuti in patre carnali cum filiis contingit. Si verò delictum graue sit, præcipuè si probari potest, ad pœnitentiam aliquam secretam poterit procedere, quæ magis correctiua, & præseruatiua delicti sit, quàm punitiua. Suar. *tom.4. de relig. lib.*10. *cap.* 12. *num.* 37. & in hoc sensu dixit Villagutier *in sua pract. lib.2. tit. de denunciat. euangel. c.4. Concl.3. pag.*103. propter denuntiationē factam Prælato, vt patri, non posse Prælatum procedere ad pœnitentiam, sed ad compunctionem eius secretis correctionibus elaborare, vt dicitur *in cap. si tantum.6. q.2.* & est Concilij Varensis, *& cap. placuit.* 6. *quæst.* 2. *& cap. erubescant,* 32. *dist.* intelligitur enim de pœnitentia purè punitiua, non correctiua. Eandem doctrinam tradit Soto *de tegendo secreto. memb.2. quæst.4. concl.* 7. Suar. *de charit. disp.* 8. *sect. vlt. num.* 18. *& tom.4. de relig. cap.*10. *num.*13. Petrus de Ledesm. 2. *to. sum. tract.* 4. *concl.*26. *pag.*293. Valen. *disp.3. q.10. p.5. vers. octauo igitur. pag.* 685. Villalobos *tom.* 2. *tract.* 4. *difficult.* 14. consentit congregatio VII. generalis Societatis Iesu in expli-

in explicatione decreti. 49. de manifestatione delicti. *cap.* 15.*p.* 2.*n.*6.1.

3 Secundò, potest Prælatus, cui vt Patri reuelatum est crimen subditi illum à loco, vel ministerio aliquo remouere, quando munus ex solo nutu superioris pendet, & fieri potest remotio sine vlla sui infamia omnibus circumstantiis prudenter consideratis: ita expressè Suar. *to.*4.*de relig.lib.*10.*c.*10. 12. 13.*& cap.*12.*n.* 38. Torres 2. 2. *quest.* 33. *disp.* 89.*dub.*4.§. *secundò aduertendum.* Probátque ex *cap. qualiter, & quando.* 2. *de accusat*: vbi Pontifex dicit ordinem correctionis non esse semper cum personis religiosis seruandum, quia faciliùs, & liberiùs possunt à suis administrationibus remoueri: & tradit Congregatio *vbi suprà. num.* 5. & habetur *in.*6.*Congregat. decreto* 65. *de manifestat.delicti.* Ratio huius conclusionis in promptu est: nam esto delictum non fuerit commissum, nulla delinquentia superiori irrogatur iniuria in remotione à tali loco, & officio; cùm pro sua voluntate id posset efficere, & ex alia parte potest esse maximè vtilis ad præcauendum damnum. ergo sufficienter honestatur.

4 Debent tamen superiores maxima prudentia, & animaduersione procedere, tum in examinando, an necessarium sit ad emendationem fratris, & præcauendum damnum illum ab officio, & occupatione, & habitatione remouere. Nam si hoc necessarium non sit, aut valdè vtile, nequaquam debet id superior præstare, quia est medium nimis asperum, & rigorosum, sed potiùs debet cum eodem modo tractare, & honorare, vt colligitur ex Calisto Papa relato *in cap. ponderet.* 50. *dist.* ibi, *Si aliquis lapsus quocunque modo fuerit, portemus eũ, & paterno corripiamus affectu. & paulo inferius* Porrò S.Dauid de mortiferis criminibus egit pœnitẽtiã, & tamen in honore permansit. Deinde debẽt superiores vigilare, ne fortè delator inuidia, aut odio aliquo motus delictũ alteri imposuerit, aut cõmissum exaggerauerit, vt *in decreto* 8.VII.*Cõgregationis* Societatis *dicitur*: ibi, caueant superiores, ne faciles delatoribus aures præbeant, disquirántque singula, donec in delatæ rei cognitionem veniant, vt aut innocentem liberent, aut noxium, falsúmque delatorem pro rei magnitudine puniant. Quapropter ob vnius dictum, nisi aliæ præsumptiones concurrerent, nunquam censerem debere superiorem ab officio, & loco subditum remouere. Est enim res nimis grauis, & quæ subditos valdè contristare solet. Quòd si hoc fiat absque culpa, iam ex se apparet, quàm graue sit innocentem in re punire, nocente delatore manente indemni: & colligitur ex Suar.*tom.*4. *de relig.lib.*10. *cap.*12.*n.*37.

5 Tertiò potest Prælatus, cui delictum, vt patri est manifestatum dicere alicui, vel aliquibus ex suis consultoribus, si hoc necessarium iudicat ad remedium adhibendum; quia in hac manifestatione vtilitatem spiritualem delinquentis respicit, quæ leui illi detrimento famæ anteponenda est: ita expressè Torres 2. 2. *quest.* 33. *disp.* 89. *dub.* 4. *circa finem*, & tradit Congregatio *vbi suprà. num.* 3. *&* 4. & in Congregat. 6. *decreto.* 62. ibi habita ratione finis denunciationis paternæ potest ipsum delatum aliquando monere, & corrigere secretò coram duobus testibus, vt ex Euangelio cum S.Thom. docent Doctores. Item & de remedio consulere imponendo secretum iis, cum quibus communicat.

6 Sed dubium est, an si superior immediatus collegij possit se solo delinquentem à reincidentia præcauere, peccet manifestando delictum Prouinciali? Videtur enim peccare, quia iam illa manifestatio delicti, & amissio famæ non habet finem paternæ delationis, quæ est fratris lucrum, cùm absque illa lucratus sit. Tacitéque id insinuatur in supradicta Congregat. VI. *decreto.* 63. *Potest etiam vnus superior dicere rem sic delatam, & notam alteri superiori eiusdem delati; quando res ita postulauerit ad finem paternæ delationis.* Ergo è contra quando id non expostulat, nequaquam poterit. Dices, etsi non expostuletur vt necessarium, expostulatur vt conueniens, ne Prouincialis ignarus huius delicti delinquentem exponat aliis similibus, vel grauioribus committendis. Fateor ob hanc rationem probabile esse nullum peccatum in tali manifestatione committi. Si enim probabile esse diximus in materia detractionis, reuelare peccatum vni, vel duobus viris grauibus, qui magis prodesse possunt, quàm obesse, non fore peccatum mortale, etiam ex leuitate, & loquacitate reueletur; à fortiori probabile erit, quando ex recto fine manifestatur, & ex alia parte non leuis conuenientia intercedit.

7 Verùm quia inde ostium aperitur manifestandi pluribus delictum, commissum, probabilius existimo non licere Prouincialem moneri: nam si solùm ob maiorem securitatem à recidiuo, & non ob necessitatem, quæ appareat, licet monere: etiam licebit monere quemlibet superiorẽ in mediatum, quem delinquens habeat, & Prouincialem sequentem, cùm tunc securior erit delinquens à recidiuo, quod quidem non est concedendum. Eaque de causa dixit eadem Congregatio. VI. *decreto* 60. & Congregatio. VII. *decreto de manifestat.delicti. cap.* 15. *num.* 2. sine vrgenti necessitate, & magna vtilitate nemini esse crimen delati reuelandum. Expende verba, *sine vrgenti necessitate, & magna vtilitate*, quæ non conuenientiam, sed necessitatem indicant.

8 Quartò potest Prælatus subdito delinquenti socium designare fidelem, qui eius actiones exploret, & referat superiori: ita Bannes 2. 2.*q.*33. *art.*3. *dub.* 2. Torres *ibi disp.*89. *dub.* 5. Ratio est, quia superior ratione sui officij obligatus est vitam subditorum inquirere, quia eius curæ commissi sunt, quod aliis priuatis datum non est. Quapropter D. Gregor. *lib.* 2. *registri. epist.* 52. nullo modo excusat Prælatum à correctione subditorum ex eo, quòd dicat se subditorum delicta nescire. Inquit enim: Quæ potest esse pastoris excusatio, si lupus oues comedat, & pastor nescit? Ergo signum clarum est teneri pastorem vigilare, & examinare, an lupus oues comedat, & damnum inferat.

9 Addunt præterea Bannes & Torres primò posse Prælatum socio significare aliquam malam de subdito suspicionem habere: dicendo *obserua illum*, si iam apud Prælatũ subditus diffamatus sit, secus è cõtra; Secundò, dicunt posse sic designatum non præmissa correctione delictum fratris superiori, vt patri deferre. Vtrumque dictum non vndique probo. Non primum: si enim absque malæ opinionis significatione potest socio vigilantia commendari; quæ causa esse potest honestans infamationem? Neque etiam probo secundum. Nam si delinquens correctione fraterna sufficienter intelligetur emendandus æquè benè ac per Prælatum, (quod rarò succedet,) non debet Prælato denuntiari; nam esto apud Prælatum grauata sit eius opinio, non est dubium, quin multo ampliùs per repetitionem delicti grauetur quæ si excusari potest, charitas id exigit. Verùm si superior corrigens delinquentem de eius emendatione non mansit securus, existimo posse socio exploratori significare, te non rectè de tali subdito sentire; ac proinde necessariam esse vigilantiam super illum, vt sic aperiatur via socio deferendi superiori crimen, si viderit. Nam in tali casu socius præsumere non debet se posse efficaciter corrigere, cùm præsumere debeat monitum fuisse, & non esse emendatum. Ergo absque præmissa correctione debet tunc manifestare, & Prælatus poterit sub præcepto ad eius manifestationem obligare. Tum quia nomine Prælati delictum cognoscit; tum quia præsumere non potest

rationa

rationabiliter correctione secreta esse sufficienter emendandum.

10 Quintò potest Prælatus (si ei moraliter constet de delicto subditi, saltem per delationem vnius testis occulati, de quo nulla potest esse suspicio falsum impositurus) grauiter subditum reprehendere etiam coram duobus, vel tribus testibus: si id iudicauerit expedire ad eum confundendum,& commouendum. Secundò, poterit ob eandem rationem pœnitentiam aliquam iniungere,ieiunium vel flagellationem. Tertiò minis eum terrere. Quartò præcipere etiam sub excommunicatione ipso facto incurrenda, ne talem locum suspectum adeat, néue cum tali persona loquatur: quod præceptum poterit imponere coram ipso delatore, & testibus, vt sic de eius trangressione clariùs constet. quia hæc omnia non excedunt paternam correctionem, & potestatem, quam habet pater in filios: & ex alia parte semiplena probatio delicti sufficit ad hæc præstanda; vt optimè, & prudentissimè notauit ferè eisdem verbis Francisc. Suar. *t.4. de relig. lib. 10. cap. 10. nu. 14. & cap. 12. n. 37.*

11 Sextò, si delictum in damnum communitatis, vel tertij cedit, & via denunciationis paternæ, ei remedium sufficiens non adhibetur, vel quia subditus durus est, negátque delictum, & emendationem non promittit, poterit Prælatus præcipere delatori, vt relicta denũciatione fraterna ad iudicialem transeat; cui præcepto tenebitur obedire, nisi ob graue periculum sibi imminens excusetur. Nam, vt rectè dicitur *decreto 58. congregat. 6.* ibi, Quando prudenter iudicaretur non posse adhiberi sufficiens remedium, quo prouideatur bono communi, vel tertię personæ, nisi assumatur in ea re officium iudicis; tunc tenebitur subditus ad denunciationem iudicialem superiori faciendam. Et ratio est, quia bonum commune, & innocentis tertij particulari nocentis præferendum est. Item potest Prælatus creare Fiscalem, qui denunciationis officium sumat, & facta per illum denunciatione examinare delatorem tanquam testem qui veritatem tenetur fateri, nisi ob aliquod graue periculum à testimonio dicendo excusetur: Et facta hac testificatione procedet ad examinandum delinquentem, cui processus legendus est, vt clarè illi constet Prælatum iuridicè interrogare, & sic veritatem fateri teneatur, sic Suar. *tom. 4. de relig. lib. 10. cap. 11. n. 44. iuncto n. 30.* vbi aduertit aliis relatis non esse necessarium dare reo copiam nominum testium, sed satis esse si testificationes declarentur, suppressis testium nominibus. Quod certè verissimum est, præcipuè in Societate, vbi non est necesse seruare exactè formã iudicij sed proceditur summariè, & de plano. Adde in omni iudicio religioso existimat Suar. *dicto loc.*, non esse necessarium nomina testium declarare reo, non solùm vt teneatur veritatem fateri, sed etiam vt se possit defendere, quia regulariter plura inde inconuenientia sequuntur.

PVNCTVM XII.

An si frater emendatus sit de delicto, possis Prælato patri denunciare, vt sic securior sit à recidiuo.

1 *Proponitur prima sententia affirmans.*
2 *Negat secunda sententia.*
3 *Tertia sententia approbat primam in casu cessionis iuris, illo excluso approbat secundam.*
4 *Resoluitur probabilius esse fratrem emendatum, & nullum periculum relabendi habentem non esse denunciandum superiori, neque cessionem iuris in Societate ad hunc casum se extendere.*

5 *Stante periculo denuntiandus est, & quod sit probabile periculum.*
6 *Expenditur quid faciendum sit, cùm est dubium, an delinquens emendatus sit.*

1 Prima sententia affirmat, quam tenet Ricard. *in 4. dist. 19. art. 3. quæst. 1. in corp.* Gab. *in canone Missæ lect. 74. litt. V.* Rosella, *verbo inquisitio.* Angel. *verbo denuntiatio. n. 10.* Graffis. *1. p. decis. lib. 2. cap. 69. numero 30.* Idem docet, quando Prælatus denuntiare iubet. Gerson. *2. p. titul. de correct. proximi, Alphab. 34. litt. T. vers. tuum peccatum.* & videtur consentire Alphons. à Villagut. *lib. 2. tit. de denunciat. Euangel. concl. 5. pag. 94. & 96.* Ratio esse potest: nam talis manifestatio potest prodesse, & non obesse, prodest enim, vt Prælatus occasiones, & pericula iterum labendi remoueat, & ex alia parte parum, vel nihil obest; cùm ex scientia illius delicti ad punitionem procedere non possit.

2 Secunda sententia negat Prælato esse denunciandum: ita Adrian. *quæst. de correct. §. pro huius decisione.* Sotus *relect. de secreto. memb. 2. quæst. 4. concl. 4.* Nauarr. *sum. cap. 24. num. vlt. fine.* Arag. *2. 2. q. 33. art. 7. fine.* Valen. *disp. 3. q. 10. p. 5. §. sed rectius hoc negant. pagina 686.* Nauarra *lib. 2. de restit. cap. 4. parte 2. dub. 12. numero 120.* D. Thom. Antonin. Syluest. & alij, quos refert, & sequitur Thom. Sanch. *lib. 6. Decalogi cap. 18. n. 49. & n. 60.* Eman. Saa *verbo correct. n. 4.* Probatur, primò ex verbis Christi dicentis, *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum*; quasi dicat ibi esse sistendum, cùm ad lucrum fratris correctio ordinetur. Secundò, fama apud Prælatum pluris æstimatur à subditis, & ægrius ferunt apud illum infamari propter eius dependentiam, quàm apud plures socios. Ergo ob solam maiorem securitatẽ licita esse non potest talis infamatio. Nemini enim licet bona temporalia à proximo auferre eo fine, vt securior sit in virtute, aliàs liceret diuitias ab eo auferre, & pauperibus dare, vt pro illo orent, vt ex Adriano infert Valen. *suprà.*

3 Tertia sententia distinguit, aut proximus, qui peccauit, renunciauit ius sibi conseruandi famam, vel non; Si non renunciauit, vera est secunda sententia; si tamen renunciauit, vt renunciant religiosi Societatis Iesu vera est prima sententia: ita docet expressè Valen. *disp. 3. q. 10. p. 5. pag. 687. §. respondeo per distinctionem.* Et videtur consentire Suar. *to. 4. de relig. cap. 10. n. 11. & 12.* Probat Valen. quia ipse delinquens quantumuis emendatus sit, potest laudabiliter peccatum suum Prælato deferre, vt illum à recidiuo caueat maiori cum securitate. Ergo etiam poterit alius de illius consensu peccatum Prælato deferre; consentit enim iam ob rectum finem in iactura propriæ famæ. Quòd autem religiosi Societatis Iesu ob huiusmodi finem iuri sibi conseruandæ famæ cedant, non probat Valen. sed supponit: probari tamen potest ex *reg. 9. summar. constit.* ibi enim dicitur, *Ad maiorem spiritus profectum, & præcipuè ad maiorem summissionem, & humilitatem propriam contentus esse quisque debet, vt omnes errores, & defectus ipsius, & res quæcunque quæ notatæ in eo, & obseruatæ fuerint, superioribus per quemuis, qui extra confessionem eas acceperit, manifestentur.* Ergo siue sit emendatus, siue non, poterunt delicta superioribus manifestari ad maiorem subditorum profectum, & maiorem eorum humilitatem, & submissionem. Item negari non potest prouidentiam Prælati esse maximè necessariam ad tollendas occasiones iterum relabendi; Ergo delatio ad Prælatum esto necessaria non sit ad emendam fratris, est tamen necessaria, vel saltem valdè vtilis ad illius securitatem, & bono communi religionis prospiciendum. Deinde quilibet religiosus (maximè in Societate) tenetur totam suam conscientiam Prælato aperire, omnésque suos errores, defectus, & peccata mani

manifestare, vt constat ex Examine c. 4. §. 34. 35. & 36. vt sic meliùs regi, & gubernari possit, & in viam domini dirigi. Ergo conqueri non potest, quòd alius eos errores, defectus, & peccata Prælato manifestet ob prædictum finem, siquidem præstat, quod ipse debebat præstare. Adde repugnantem huic manifestationi meritò timeri posse non esse emendatum.

4 Verùm mihi probabilius videtur, si certò tibi constat proximum emendatum esse, neque periculum probabile habere relabendi, nullo modo posse eorum delicta superiori manifestare, vt securior sit, nisi ipse expresse in tali manifestatione consentiret, neque consensus in societate præstitus ad hunc casum censendus est extendi: ita tenent Doctores relati pro secunda sententia, & loquens de nostra Societate Thom Sanch. *suprà.* & probatur. Nam finis præcipuus in societate, ob quem mandantur delicta superioribus deferri, est correctio ipsius delinquentis, quod abundè constat ex *reg.* 10. *sequenti ad nuper positam*, vbi dicitur, *Boni etiam omnes consulant ab aliis corrigi, & ad aliorum correctionem iuuare debito cum amore, ad maiorem spiritus profectum.* Si ergo frater correctus omnino est, & emendatus: neque periculum sit recidiui, cessat finis, ob quem consentit delicta superioribus deferre. Et confirmo. Si enim ob maiorem securitatem, maioremque humilitatem, & submissionem propriam cessante fine correctionis liceret delicta fratris emendati superiori deferre; liceret, inquam, non vni, sed pluribus superioribus manifestare, vt sic delinquens ampliùs humiliaretur, & securior à reincidentia esset, quod nullus debet concedere, & expresse constat contrarium ex declaratione supradictarum regularum facta à Congregatione VII. *cap.* 14. & 15. vbi *in num.* 2. dicitur, quando ob fines, & rationes allatas (quæ sunt profectus spiritualis subditorum, & bonum commune religionis) existimat reuelandum. tunc iis tantùm manifestare oportebit, qui remedio adhibendo prodesse poterunt, & *n.* 5. iterum repetit licere superiori ob prædictum finem secretò peragere quæcunque iudicauerit expedire ad remedium. Ergo cessante remedio, quia iam frater est emendatus, nemini poterit ampliùs eius delictum manifestari: Ergo maior profectus, humilitas, & submissio solùm intenduntur, quatenus ad emendationem, & correctionem delicti necessaria sunt.

5 Dixi, nisi proximus periculum habeat relabendi, si præteritus eius lapsus superiori non manifestetur. Nam stante periculo manifestandus est, vt præseruet, quod sentit expresse Valen cum Adrian. Soto, & D. Thom. *disp.* 3. *q.* 10. *p.* 5. *pag.* 687. §. *quod si* Et probat. Nã etiam ob huiusmodi finem liceret cuilibet priuato, sine cuius ope non reputaretur proximus immunis à relapsu delictum indicare.

Probabile periculum relapsus voco, quando ita proximus occasionibus peccati innodatus sit, vt moraliter loquendo iudicetur casurus, nisi ab illis diuertatur: nam de alio periculo magis remoto non est curandum, cùm omnibus tale periculum insit ex fragilitate naturæ. Quapropter Petr. de Ledesm. *tom.* 2. *sum. tract.* 4. *concl.* 24. *diffic.* 5. *pag.* 290. affirmat, si scias religiosum in luxuriam incidisse non ex malitia hoc est ex consuetudine, sed ex fragilitate humana propter occasionem sibi oblatam te non debere Prælato denunciare, si à te corrigi potest; quia tunc non censetur esse in probabili periculo cadendi. At si ex malitia, & praua consuetudine peccat, affirmat denunciandum fore, quia rarò præsumi potest emendatus, sed potiùs in morali periculo iterum, & sæpe cadendi versari. Addo in nostra societate propter cessionem iuris, etiamsi ex fragilitate peccet, denunciari posse, quia semper præsumi debet melius à Prælato, quàm ab alio socio corrigendum fore, & quando hic maior profectus correctionis interuenit, iam proximus cessit iuri sibi conseruandæ famæ apud Prælatum. Et in hoc sensu verum est quod dicit Suar. *suprà.*

6 Sed quid dicendum, quando dubium est, an delinquens emendatus sit?

Respondeo, si delictum est tantùm in damnum ipsius delinquentis, qui iuri famæ non cessit, non teneris vllo modo deferre Prælato, imò nec potes; quia hæc delatio honestatur ob bonum ipsius delinquentis; cùm autem ignoretur, an bonum ipsius sit, ignoratur, an sit ratio honestans infamationem. Ergo non poteris apud Prælatum infamare proximum, cùm infamatio sit certa, & ratio excusans dubia. Si tamen cessit iuri famæ, benè poteris, quia adest finis correctionis saltem sub dubio, ac proinde sufficiens honestandi actionem. Verùm si delicta in damnum tertij, vel communitatis sint, qualia censet Thom. Sanch. *lib.* 6. *Decalogi. c.* 18. *n.* 50. & Suar. *de charit. disp.* 8. *sect.* 6. *n.* 12. esse ferè omnia religiosorum externa peccata. Tunc, inquam, denuncianda sunt Prælato, casu quo dubium sit, an sit delinquens emendatus, & timeatur recidiuum, nisi Prælato manifestetur, quia damnum communitati, vel tertio faciendum, etiam sub dubio præponderat famæ particularis delinquentis; habet enim ipsa communitas, vel tertius innocens ius, vt sibi ab imminenti damno præseruetur, etiamsi hoc sit cum aliqua iactura honoris alicuius nocentis. argum. *cap. qui cum, de furtis*: & ita docet Thom. Sanch. *lib.* 6. *Decal. c.* 18. *n.* 47. Lorca 2. 2. *q.* 33. *art.* 8 *disp.* 47. *n.* 20. *reg.* 4. Petrus de Nauarra *lib.* 2. *de restit. cap.* 4. *n.* 71. *in* 2. *edit.*

PVNCTVM XIII.

An licita sit denunciatio iudicialis de secretis delictis, omissa correctione secreta, & inductione testium.

1 *Publicum, & secretum multipliciter sumitur.*

2 *Peccata alia sunt in damnum solius peccantis, alia in damnum tertiæ personæ, alia in damnum communitatis, & quæ hæc sint.*

3 *Peccata notoria possunt non præmissa correctione iudicialiter denunciari.*

4 *Obligatio huius denunciationis est, cùm adest præceptum superioris, vel cùm proximus correctione fraterna non censetur emendandus.*

5 *Peccata, quæ à te, & ab alio sciuntur denuncianda sunt iudicialiter, si in damnum tertij vergant.*

6 *Si delicta solùm sunt in damnum delinquentis, præmittenda est secreta correctio, & inductio testium, antequam iudicialiter denuncientur, si probabiliter existimatur correctio, vel inductio testium profutura.*

7 *Notatur quædam differentia inter peccata, quæ in damnum tertij vergunt, & quæ solùm peccanti nocent.*

8 *Peccata omnino secreta, & quæ in damnum communitatis, vel tertij vergunt, si per secretam correctionem emendari possunt, non sunt iudicialiter denuncianda.*

9 *Si est præsumptio non esse delinquentẽ corrigendũ, adhuc plures censent non posse fieri denunciationem iudicialẽ.*

10 *Contrarium est tenendum.*

11 *Cùm Prælati præcipiunt sibi delicta denunciari absque communicatione cum aliqua persona, intelligitur præceptum de delictis, quæ tibi certò constat esse denuncianda, secus de illis, de quibus dubius es.*

12 *Rarò in propriis iniuriis est obligatio corripiendi delinquentem.*

1 POno primò, multipliciter posse sumi secretum, & publicum, vt constat ex iis, quæ tradit glossa, & Panormit. *in cap. ex litterarum, de Temp. ord. & cap. vestra de cohabitat. cler. & mulier.* Sylu. *verbo occultum.*

verbo manifestum, verbo notorium. Sotus *detegendo secreto. memb. 2. in princ.* Nauarr. *sum. cap. 27. num. 225.* Valen. 2. 2. *disp. 3. q. 10. p. 5. pag. 667.* Villalob. *tract. 4. de correct. difficult.* 10. Suar. Lorca, & alij infrà referendi. Specialiter sunt tres gradus publici, & tres gradus secreti, vt dicit Villalob. *suprà*, & Lorca *disp. 47. sect. 5. num. 3.* Suar. *de charit. disp. 8. sect. 6. in princ.* Primus gradus publici est, quando à duobus scitur, & tunc dicitur in iure probabile, quia probari delictum sufficienter potest, etsi nulla eius infamia sit. Secundus gradus publici est, quando non solùm probari potest, quia pluribus est notum, sed eius versetur infamia: & hoc dicitur à iure famosum, vel manifestum. Tertius gradus est, quando est notorium, quódque nullo modo celari potest, nec negari ab eo, qui commisit: & hoc dupliciter contingit, vel notorium notorietate iuris, vel facti. Notorium notorietate iuris est, quod iam est per sententiam declaratum. Notorium notorietate facti, quod à maiore parte communitatis, oppidi, collegij, vel viciniæ cognoscitur, modò communitas excedat decem personas, quæ omnia in materia detractionis aduertimus. Opposito modo contingit secretum. Illud namque est primò, quod in iudicio probari non potest. Secundò, quod etsi probari possit, non laborat infamia. Tertiò, quod probari facilè potest, etsi aliqua tergiuersatione celetur, neque est maiori parti communitatis notum.

2 Pono secundò, ex supradictis Doctoribus, & communi sententia, quædam esse peccata, quæ in damnum solius peccantis cedunt, quædam quæ in damnum tertij, quædam quæ in damnum commune. Illa dicuntur peccata cedentia in damnum solius peccantis, quæ solú peccantem lædunt, v. g. fornicatio, sodomia, ebrietas, consuetudo vexandi. Alia dicuntur in damnum tertij, quia tertium lædunt, qualia sunt adulterium, homicidium, furtum, detractio. Alia lædunt communitatem, vel in temporalibus, qualia sunt proditio, institutio falsæ monetæ, subornatio ad officia, ex qua sequitur dari indignis, vel omitti digniores, in spiritualibus, vt falsa doctrina, qua fides, vel mores corrumpuntur: ita ferè omnes Doctores, vt videre est in Petro & Nauarra *lib. 2. de restit. cap. 4. artic. num. 50. & præcipuè num. 69. in noua edit.* Et licèt omnia peccata scandalosa in perniciem sint reipublicæ, non tamen propriè dicuntur esse contra bonum commune, quia eorum immediatum obiectum, non est aliquod bonum commune, quod per ipsa lædatur, quod necessariò requisitum erat, vt dicerentur propriè esse in damnum communitatis, vt aduertit Villalobos. *tract. 4. difficult. 11. nu. 1.* Suar. verò *de char. disp. 8. sect. 6. n. 12.* & Thom. Sanch. *lib. 6. Decal. cap. 18. n. 50.* aduertunt peccata à sæcularibus commissa, quęque solùm committentem lædunt rei fiant à religiosis, dicenda esse peccata contra communitatem, quia communitatem in honore, & fama lædunt. Vnde si religiosus aliquis fornicetur, ebrius sit, aut passim iuret, honor religionis non leuiter labefactatur, & vix fieri potest, vt alios ad sui imitationem non pertrahat, propter intimam inter religiosos communicationem. Fateor hanc doctrinam verissimam esse, si intelligatur de læsione non quidem directa, sed indirecta communitatis. Indirectè enim quodlibet peccatum religiosi in actum exteriorem prodiens religionis honorem lædit: at hæc læsio non est sufficiens, vt omnia religiosorum peccata censeantur esse in damnum communitatis, & tanquam de proditione, vel hæresis sit de illis iudicandum. Nam hoc modo nullum est peccatum quod in dãnum cõmune non vergat, cùm ferè nullum sit, quo nó lædatur aliqua communitas, in qua peccans viuit. Si enim sit Ecclesiasticus, contemnitur status à sæcularibus, si sæcularis, contemnuntur consanguinei. Quapropter Suar. *tom. 4. de relig. lib. 10. cap. 12. num. 10.* dixit non omnia peccata religiosorum censenda esse vergere in damnum cõmunitatis ratione obiecti; neque ratione scandali: & Congreg. VI. *decreto 57.* & Congregatio VII. *in cap. 15. de manifestat. delicti. n. 7.* enumerans delicta, quæ in detrimentum boni communis, vel in damnum imminés tertiæ personæ vergunt, ea enumerauit, quæ directè sunt infectiua aliorum, & nociua bono religionis, scilicet *lapsus carnis cum tertio, seminatio discordiarum inter fratres, furtum, impugnatio, vel machinatio contra institutum, aut superiorem, præsertim generalem, consuetudo detrahendi, aut susurrandi, & similia.* Iis positis.

3 Dico primò peccata notoria, hoc est, quæ in præsentia multorum, vel alio modo à pluribus cognoscuntur, possunt statim non præmissa correctione fraterna iudicialiter denunciari, conueniunt omnes cũ D. Tho. *q. 33. art. 7. in princ.* iuxta illud Pauli 1. ad Timoth. 5. *Peccantem coram omnibus argue, vt cæteri timorem habeãt.* Ratio est. Qui enim in publico peccat, eo ipso renuntiat iura secreti, neque sperari potest corrigendus per monitionem secretam, cùm præsentiam hominum, & leges monentes non sit veritus. Secundò, In tali denũciatione non solùm emendatio fratris intenditur, sed etiam intenditur reparatio scandali dati media punitione; hac enim punitione à peccato deterrentur, quantum per malum exemplum videbantur incitati.

4 Obligatio autem denunciandi hæc peccata tunc erit, quando adest præceptum superioris, vel quando ex illis imminet damnum tertio, aut communitati, quódque per denunciationem potest reparari. Si verò peccata non sint in damnum tertij, sed solùm in damnum ipsius delinquentis, & præsumitur emendandus per correctionem, eo quòd peccatum non tam ex malitia, quàm ex ignorantia processit, tentanda videtur secreta correctio, antequam denuncietur, vt euitentur damna, & denunciatione prouenientia: ita relato Adriano, & Paludano docet Lorca 2. 2. *q. 33. artic. 8, disput. 47. n. 17.* Cordub. *in annotat. ad Sotum, memb. 1. q. 4. concl. 1.* Nauarra *lib. 2. de restit. cap. 4. dub. 8. n. 66. in 2. edit* Villalob. *t. 2. sum. tract. 4. diffi. 10. n. 2.* Suar. *tom. 4. de relig. lib. 10. cap. 12. n. 36.* Hoc intelligendum est, nisi adsit præceptum denunciationis, quod absque dubio implendum est non obstante secreta correctione, & emendatione proximi ob finem prædictum, ne delicta maneãt impunita, & videntes timorem habeant.

5 Dico secundò. Peccata, quæ partim sunt secreta, partim publica, qualia sunt, quæ non solùm à te, sed etiam ab alio sciuntur, quæque in iure vocantur probabilia, denuncianda statim sunt, si in damnum tertij vergant. Neque opus est præmittere correctionem secretam, inductionem vt testium, nisi casu quo firmiter credatur correctionem secretam profuturam: ita Suarez *disputatio. 8. de charit. sectio. 6. numero 6. & de religio. tom. 4. libro 10. cap. 12. numero 35. & 42.* Ægid. de Coninch 2. 2. *disputatio. 28. dub. 8. articul. numero 147.* Villalob. *tract. 4. de correct. difficult. 12.* Lorca *disput. 47. num. 20.* affirmat esse omnium Doctorum. Ratio, quia per denunciationem & defenditur innocens, & corrigitur delinquens, qui nec corrigendus intelligitur, neque innocens sufficienter defendendus, nisi denũcietur. Vnde si firmiter credatur profutura correctio, & innocens defensus per monitionem, non debet fieri denunciatio iuridica: ita aliis relatis docent Nauarra *lib. 2. de restit. cap. 4. n. 70. & seq. secunda edit.* Villalob. *tract. 4. de correct. diffic. 12. n. 1.* Suar. *dicto cap. 12. num. 42.* & Coninch *suprà.* In peccatis autem, quæ sunt contra bonum commune, vt hæresis, & proditio, rarò, vel nunquam præsumi potest correctio delinquentis ex secreta monitione: ideóque denũciandus statim est delinquẽs, vt bono cõmuni prouideatur, & maximè stante præcepto denunciandi lato à iure, & ab

ab Inquisitoribus. Inquisitores enim nolunt cuilibet particulari committere iudicium ferre, an per secretam correctionem delinquens hæreticus possit emendari, sed ipsi iudices esse volunt, ac proinde etsi in aliquo casu crederes emendandum per tuam secretam correctionem, adhuc non teneris corrigere, sed debes statim denunciare: vt docet Areualo *de correct. fol.* 188. Seraphinus Fæyras. *quæst.* 18. *num.* 30. Lessius *de iust. cap.* 30. *dub.* 6. Villalob. *tom.* 2. *tract.* 4. *diff.* 11. Suar. *de fide disp.* 20. *sect.* 4. *n.* 11. *& tom.* 4. *de relig. lib.* 10. *c.* 12. *n.* 42. Ægid. de Coninch *supra.* Ioann. Sanch. *select. disp. disp.* 11. *n.* 56. qui hanc doctrinam extendit ad peccata suspicionem hæresis habentia, qualia sunt, quæ in edictis Inquisitorum apponuntur.

6 At si delicta solùm sunt in damnum delinquentis, præmittenda est ex præcepto diuino secreta correctio & inductio testium, antequam iudicialiter denuncientur, si probabiliter existimatur correctio, vel inductio testium profutura. ita Soto *de secreto. memb.* 2. *quæst.* 4. *concl.* 2. *&* 3. Nauarr. *sum. cap.* 24. *num.* 14. & aliis pluribus relatis Lorca *disp.* 47. *numero* 19. Suarez *tomo* 4. *de religion. libro* 10. *capite* 12. *numero* 36. Villalob. *tom.* 2. *sum tract.* 4. *difficult.* 10. *n.* 3. & testantur esse communem. Ratio est, quia denunciatio iudicialis tendit ad bonum commune delicto delinquentis damnificatum, per punitionem reparandum, & secundariò ad delinquentem corrigendum. Cùm ergo per huiusmodi peccata bonum commune non sit læsum, & ex alia parte non apparet necessitas iudicialis denunciationis ad delinquentis correctionem, nequaquam debet fieri, quin secretò priùs corripiatur. Secundò si in iis peccatis non est seruandus ordo correctionis, in nullis venit ex necessitate seruandus. Nam in peccatis omnino secretis raro potest ad denunciationem iudicialem procedi, in omnino publicis non est præmittenda secreta, neque inductio testium. Ergòne dicamus processum correctionis à Christo præscriptum fore inutilem; affirmandum est in iis peccatis, quæ partim sunt secreta, partim publica, seruari optimè posse.

7 Est tamen magna differentia inter hæc peccata, quæ solùm peccanti nocumentum afferunt, & inter illa, quæ aliis nocent. In peccatis enim solùm peccanti damnificantibus, sufficit probabilis spes, seu non desperatio fructus, vt correctio secreta debeat ex præcepto diuino præmitti. At in peccatis damnum tertio afferentibus requiritur moralis certitudo, seu spes certissima de correctione, & deuitatione omniũ damnorũ, quæ timentur: ita cum Ricar. *dist.* 18. *art.* 3. *q.* 1. docuit Suar. *de charit. disp.* 8. *sect.* 6. *n.* 6. *pag.* 760. Quapropter, vt benè aduertit Lorca suprà in iis peccatis, quæ partim sunt secreta, partim publica, quæque peccanti solùm inferunt damnum, regulariter loquendo seruandum esse ordinem à Christo præscriptum.

8 Grauissima tamen est difficultas, an in delictis omnino secretis, qualia sunt, quæ ab vno præter committentem sciuntur, sint iudicialiter denuncianda, si in damnum tertij, vel communitatis vergant? Et quidem si per monitionem secretam delinquenti, vel alteri tertio factam sufficiẽter intelligitur damnum imminens reparari, clarum est non habere locum iudicialem denunciationem: hæc enim solùm apponi potest in præsenti ad impediendum damnum tertij, vel communitatis. Si ergo hoc impeditur sufficienter medio alio non ita nociuo, & infamatorio delinquentis, illud medium debet apponi, & denunciatio iudicialis omitti; debet enim proximus mederi minori damno, quo potest: excipiendum tamen est crimen hæresis ob ea, quæ ibi diximus.

9 At si præsumitur delinquens non corrigendus per secretam monitionem illi, vel tertio, cui damnum parat, factam, plures Doctores videntur affirmare non posse ad denunciationem iudicialem deuenire, sed debere dicere Prælato, vt patri, vel aliis, vt obseruent, & possint esse testes in iudicio: ita Duran. *in* 4. *dist.* 19. *q.* 4. Soto *de secreto memb.* 2. *quæst.* 4. *concl.* 2. expressè Nauarra *lib.* 3. *de restit. cap.* 2. *num.* 358. *in* 2. *edit.* Henriq. aliis relatis, *li.* 13. *de excommunicat. cap.* 18. *num.* 3. Eman. Saa *verbo censura. num.* 3. *& in edit. Romana, verbo correctio. num.* 5. *& verbo denunciatio.* Suar. *de charit. disp.* 8. *sect.* 6. *num.* 6. *fine.* loquens de delictis, quæ cedunt in commune damnum, dicit: si occulta penitus sunt, hoc est, si nullus alius præter te sciat, superiorem esse admonendum, vt vigilet. Infertur ergo non esse admonendum, vt possit iudicare. & *n.* 10. loquens de edictis sanctæ Inquisitionis ait. Si delicta non sint talia, vt via inquisitionis possint Inquisitores de illis interrogare iuridicè, tunc credendum est eos procedere secundùm ordinem fraternæ correctionis. Et hic ordo seruandus est, vt D. Tho. *art.* 7. *in solut. ad* 5. explicat, neque aliud expedit, aut necessarium est communi bono, cui sufficit, vt publica delicta puniantur, & occulta conuenienti ordine charitatis cohibeantur. Neque enim per se loquendo habent superiores ius ad punienda peccata occulta, Thom. Sanch. *lib.* 6. *decal. c.* 18. *num.* 56. vbi crimen ambitionis in societate reputat, & optimè esse directè in damnum commune, affirmat, inquam fore denunciandum, etiamsi secretum sit, & probari non possit; quia non fit, (inquit) denunciatio Præposito generali vt iudici, sed vt patri: neque enim ex tali denunciatione punire publicè potest delinquentem, & inhabilem reddere. Ergo sentit Thom. Sanch. delicta omnino secreta, quæque probari non possunt, non posse iudicialiter denunciari, præcipuè si ex tali denunciatione punitio sequenda foret. Lorca 2. 2. *q.* 33. *art.* 8. *disp.* 47. *n.* 6. affirmat omnes sine controuersia ita sentire & *n.* 15. dicit Prælatos religiosorum raro posse præcipere, vt aliquid occultum sibi etiam vt patri manifestetur: quoniam non potest illis satis constare, vtrùm res in eo statu sit, vt subditus licitè occultum prodat, & magnam occasionem perplexitatis illi præbent, & ideò optima regula est illa. S. Thom. *art.* 8. *in solut. ad.* 1. Prælatum tunc solùm posse præcipere, quando potest inquirere, potest autem, quando adest denunciator, aut infamia, quod intelligendum est tam de paterna, quàm de iudiciali inquisitione; quia S. Thom. indistinctè, & vniuersim loquitur *& numero* 16. vbi dubitat, an sicut non licet deferre ad iudicium hoc genus occulti denunciando, ita etiam non liceat testificando? Et respondet eandem esse rationem, quoniam nemo testificari potest, nisi crimen probabile, quia adest alius testis, vel saltem infamia. & *numero* 21. dicit. Si superior præcipiat denunciare, quantumcunque absolutè præcipiat non obligat, nisi circa crimen, quod probari potest, & seruato correctionis ordine; alias esset præceptum iniustum. Alphons. de Villaguta *in sua pract. canon. libro* 2. *tract. de denunciat. Euangelica, pag.* 94. *concl.* 5. *cap.* 4. *&* 5. *concl.* 4. *pag.* 101. latè probat cum Panormit. & aliis delictum, quod non potest probari, quia nullus alius præter denunciantem scit, non posse iudicialiter denunciari: ex *capite hoc videtur.* 22. *quæstio.* 5. *& ex capite erubescant.* 37. *distinctio.* vbi, Vrbanus. De manifestis loquimur, secretorum cognitor Deus, & *in capite plerunque.* 2. *quæstio.* 7. dicit, S. August. plerunque boni viri propterea sufferunt aliorum peccata, & tacent, quia deferuntur à publicis documentis, quibus ea, quæ ipsi sciunt, probare iudicibus non possunt. Ratio horum Doctorum ea est, quia non potest esse iudicium sine sufficienti probatione. Ergo vbi hæc est impossibilis, cessat obligatio denunciandi, quæ ad iudicium complen

complendum ordinatur. Neque obstare videtur aduersus hanc doctrinam vsus Prælatorum peccata omnino occulta sibi denunciari præcipientium, vbi certum est non præcipi denunciationem paternam, sed iudicialem, siquidem coram Secretario, & propria manu signatur denunciatio, & illa facta sine vlla correctione secreta Fiscalis accusat, & denunciantem, vt testem præsentat, & delinquens capitur, & punitur. Non, inquam, obstat hic vsus, nam Prælati procedunt via inquisitionis generalis, ipse autem denuncians debet videre, quæ denunciare debet; non enim iudices limites charitatis fraternæ in illis casibus, in quibus obligat, transgredi intendunt, neque peccata, quæ probabilia nō sunt, sed penitus occulta volunt ad suum tribunal deferri, vt optimè dixit D. Thom. *2.2. q. 33. art. 7. ad 5.* Talium enim peccatorum dum probabilia non sunt, solùm est iudex ipse Deus, cui omnia sunt manifesta.

10 Verùm meo iudicio omnino dicendum est te posse, & debere delinquentem aduersus tertiam personam, vel commune bonum Prælato vt iudici denunciare, si alia via tibi non suppetit damnum impediendi, etiamsi probare non possis, sed solus tu sis, qui noueris, modò non noueris per confessionem, & manifestatio delicti sufficiat damnum impedire aliquo modo, etsi non perfectè: ita expresè docet Syluest. *verbo correptio. quæst. 5.* Eman. Saa *in edit. Rom. verbo denunciatio.* Valen. *disputat. 3. quæst. 10. p. 5. pag 677.* Villalob *tom. 2. sum. tract. 4. diffic. 11. num. 2. & 4* & testatur esse communem Lessius *lib. 2. de iust. cap. 30. dub. 2. n. 13. & dub. 6. n. 43.* & multis allegatis Thom. Sanch. *lib. 3. de matr. disp. 13. art. num. 2.* vbi volentes contrahere cum impedimento, etiam si impedimentum infamatorium sit, probat esse denunciandos iudici, quantumuis occultum impedimentum sit, probarique non possit, fauetque Congregatio. VII. *illo decreto de manifestat. delicti cap. 15. 1. p. n. 8.* vbi dicit, quando prudenter iudicaretur non posse adhiberi sufficiens remedium, quo bono communi, vel tertiæ personæ prouideatur, nisi assumatur in ea re persona iudicis, tunc tenebitur subditus ad iudicialem denunciationem superiori faciendam: & loquitur congregatio in toto illo decreto de delictis occultis omnino.

Ratio conclusionis est, quia hæc denunciatio non tam ad punitionem delinquentis, quàm ad præcauendum damnum, quod intendit inferre, ordinatur. Ergo non est curandum, quòd ipse delinquens infametur, vel vexetur per denunciationem, hæc enim consequuntur per accidens; quod enim primò intenditur, est defensio innocentis, vel boni communis. Neque obstat delictum probari non posse, vt sciens non teneatur denunciare, quia non denunciat, vt probet delictum, sed vt damnum impediat, quod per denunciationem impeditur: & licèt sufficienter per denunciationem damnum non impediretur, nihilominus deberes denunciare, quia per denunciationem aperis viam iudici, vt inquirat, & quærat media impediendi, vt optimè notauit Thom. Sanch *lib. 3. de matr. disp. 18. numer. 2.* Eman. Saa *suprà verbo denunciatio.* Neque Doctores suprà relatos sentio nobis dissentire: non enim credibile est illos velle non esse denunciandum delinquentem, qui ciuitatem pararet incendere, si alia via præter denunciationem iudicialem non suppetit impediendi damnum. Esset enim iniquum non facere bono communi ob delinquentis detrimentum. Quare debent intelligi de denunciatione ad punitionem, non de denunciatione ad præcauendum malum impendens requisita.

11 Solùm aduerto, quando Prælati, seu inquisitores mandant denunciationem sibi fieri de iis, & aliis delictis, absque eo quod cum aliquo communices: hoc intelligi debet de delictis, quæ tibi certò constant in edictis contineri, quæquæ tibi mandantur denunciari. Nam si dubius es, an peccata, quæ scis, sint contenta in edictis, vel non, poteris absque dubio consulere confessarium, vel virum doctum; neque hanc communicationem intendunt inquisitores prohibere, vt aduertit Ioann. Sanch. *select. disput. disp. 11. num. 57.* cum Areualo *de correct. fraterna, fol. 188.* & Bannes *2. 2. q. 33. art. 8. dub. 2. ad 7. argum.*

12 Sed inquires quid dicendum in propriis iniuriis? Respondeo, rarò in his est obligatio corripiendi secretò delinquentem: quia rarò inuenitur iniuriatus, cui graue non sit iniuriantem fraternaliter corrigere, & cuius correctio ab iniuriato admittatur. Potest tamen iniuriatus satisfactionem expostulare apud iudicem, si alia via non ei offertur, & denunciare delinquentem in omnibus casibus, in quibus diximus denunciari posse delicta alteri damnum inferentia. ita ex Arag. *2. 2. quæst. 68. art. 1.* docet Villalob. *tom. 2. sum. tract. 4. diff. 12. num. 2.*

PVNCTVM XIV.

Quando cesset obligatio denunciationis iuridicæ.

1 *Delinquentes, quorum delicta non laborant infamia, & constat emendatos esse, non sunt iudicialiter denunciandi, & quid dicendum de crimine hæresis.*

2 *Quando præsumi potest delinquens emendatus, vt cesset obligatio denunciationis.*

3 *Delictum à duobus, vel tribus notum, si iudex ad punitionem procedit, non est denunciandum.*

4 *Neque item est denunciandum, si sub secreto delictum accepisti, modò delictum non cedat in damnum tertij.*

5 *Accepta in compensationem non sunt manifestanda, ob præceptum latum de reuelandis furtis.*

6 *Quid præceptum sit de manifestando accepta, tametsi accepta sint in recompensationem?*

7 *Si tibi graue damnum ex denunciatione imminet, non teneris denunciare, vel si compellendus es probare, nec potes.*

8 *Tandem excusaris à iuridica denunciatione, si à fide dignis non acceperis.*

1 Delinquentes, quorum delicta non laborant infamia, si constat emendatos esse, esto fuerint delicta in damnum tertij, vel communitatis, denunciãda non sunt. est ferè omnium sententia, vt constat ex Doctoribus in superiori puncto pro nostra conclusione allegatis. Nam ea de causa delicta secreta dicimus posse iudicibus manifestari, vt impediant damnum tertio, vel communitati impendens. Si igitur iam cessauit damnum, cessat & ratio iustificans manifestationem. Præterea quia in tali casu iudex solùm procedit ad punitionem, quando verò iudex ad punitionem procedit, requiritur delinquentem infamia laborare. vt est decisio in *c. inquisitionis. §. tertio, de accusat.* & probat bene Lessius *lib. 2. c. 29. dub. 15. n. 121.* & dicemus *disp. de iudice.* & in propriis terminis docet Suar. *de charit. disp. 8. sect. 6. n. 10.* Cordub. *in sum. q. 64. p. 2.* & Nauarra *lib. 2. de restitut. capit. 4. dub. 10. n. 98.* Hæc enim delicta iam emendata habentur, ac si non essent commissa. Solùm ab hac regula generali excipit Suar. *disputat. 20. sectio. 4. numero 13.* & Ioann. Sanch. *disputatio. 11. numero 51.* crimen hæresis propter eius atrocitatem, & infectionem; quod licèt iure naturæ denunciandum non sit, si iam sit emendatum, at ex vi præcepti ecclesiastici affirmat denunciandum fore. Quæ doctrina vera est, si ponamus esse delictum probabile: nam cùm in illo casu possit sciens denunciare ad

punitionem, debet emendatus denunciare, & hoc modo explico Eman. Saa *verbo denunciatio, in edit. Romana.* affirmantem cum Toleto, Soto, & Nauarr. hæreticum, quem scis resipuisse, non teneris denunciare. De aliis verò delictis plures Doctores non infimæ notæ censent stante emendatione nullo modo esse denuncianda, si occulta sint, hoc est, si infamia non laborant: ita innumeris relatis. Thom. Sanch. *lib. 6. decal. c.* 18. *n.* 49. Nauarra *lib. 2. de restit. c. 4. num.* 120. *in* 2. *edit.* Ioann. Sanch. *disp.* 11. *n.* 51.

2 Sed inquires, quando præsumi potest delinquens emendatus? Respondeo prudentis arbitrio esse relinquendum: si enim omnino appareant occasiones sublatæ, præsumenda est emendatio. Ex solo decursu temporis, nisi longum sit, non est præsumenda correctio. Quando verò post commissum delictum longum tempus præcessit, præsumendus est delinquens correctus, nisi aliunde constet reincidentia: ita expresè Ioann. Sanch. *disp.* 11. *select. n.* 52. loquens de denunciatione solicitationis factæ à confessario, & affirmat cum Acuña *tract. de confessar. solicitantibus q.* 3. *nu.* 15. ad tribunal inquisitionis non esse deferendos, quando longum tempus præcessit à commisso delicto. Et explicans statim quid censeatur longum tempus, affirmat tres annos sufficere ad emendationem præsumendam in criminoso, ex Mascard. *concl.* 600. *numero* 14. Alciat. *reg.* 2. *præsumpt.* 7. Farinac. *in praxi. quæst.* 23. *artic. num.* 26. *& decis.* 52. *num.* 10. *lib.* 1. vbi agit de suspecto de hæresi, qui abiurauit. tenet eandem sententiam, & adducit hos Doctores Seraphinus Frustas *in addit. ad Accuñam q.* 3. *n.* 32. *&* 33.

3 Secundus casus, in quo cessat denunciationis iuridicæ obligatio, est quando delictum duobus, vel tribus tantùm est notum, & iudex ad pœnam procedere intendit: tunc enim non est manifestandum: ita cum Corduba *in sum. quæst.* 64. *p.* 2. *tenet* Nauarra *lib.* 2. *de restitut. cap.* 4. *dub.* 10. *numero* 99. *in* 2. *edit.* Nauarr. *cap. inter verba concl.* 6. *n.* 21. *& in rub. de iudiciis num.* 87. & aliis relatis Lessius *de iustit. lib.* 2. *caput.* 29. *dub.* 18. *concl.* 2. *in* 109. 2. *edit.* Quod intelligendum est cum supradictis Doctoribus de delictis, quæ in damnum tertij non vergunt: de iis enim absque infamia non iustè procedit iudex inquirendo, quia infamia est, quæ inquisitioni aperit viam, ex *capit. qualiter & quando. el* 2. *de accusat.* & dato quòd ipse iudex iustè procederet, adhuc tu iustè taceres; quia ratio boni communis non exigit punitionem delinquentis, quousque à populo delictum sciatur, & delinquens infamatus sit: ita aliis relatis Lessius *lib.* 2. *de iustit. cap.* 30. *dub.* 6. *num.* 47. *secunda edit.* Si verò delicta in damnum tertij sint, neque emendata, teneris, vt dictum est, denunciare iuridicè, si alia correctio, vel denunciatio paterna non appareat sufficiens.

4 Tertius casus excusans à denunciatione facienda, est, si sub secreto delictum accepisti, quia tibi ratione petendi consilium, vel remedium est manifestatum: tunc enim etiam præcedente infamia, & semiplena probatione, non teneris delictum, imò nec potes manifestare, & peccares non solùm contra charitatem, sed etiam contra iustitiam, & ad restitutionem damnorum tenereris: ita docere videtur D. Thom. 1. 2. *quæstio.* 10. *artic.* 1. *ad* 2. Cordub. *in sum. quæstio.* 64. *casu* 3. *& lib. qq. quæstio.* 43. *dub.* 2. *pag.* 346. *col.* 1. Nauarrus *cap.* 25. *numero* 41. *&* 46. *casu.* 7. *& cap.* 18. *numero* 52. *& numero* 60. Petrus Nauarra aliis relatis, *lib.* 2. *de restit. capit.* 4. *numero* 102. 2. *edit.* Eman. Saa cum aliis *verbo iudiciales actus.* §. *testis. numero* 6. Lessius *lib.* 2. *de iust. cap.* 30. *dub.* 6. *numero* 45. Ratio, quia esto bonum commune expostulet delinquentem infamatum puniri; non tamen expostulat, vt iuuet ad punitionem, qui sub secreto, & occasione remedij cognouit; arcerentur enim miseri à consilio, vel remedio petendo. Vnde in nostra Societate, vbi quilibet potest defectus aliorum Prælato deferre, vt patri, ad maiorem delinquentis profectum. Excipitur hic casus, in quo sub secreto gratia petendi consilium acceperis, vt expresè habetur *decreto* 54. *congregat.* 6. *& can.* 10. *illius congregat.* §. 2. & notauit Suar. *tom.* 4. *de relig. lib.* 10. *c.* 7. *n.* 23.

Hæc tamen doctrina vera est de delictis, quæ in damnum tertij non vergunt, nam si huius conditionis sint & damnum immineat reipublicæ, vel tertio, teneris, si ipse non desistit, manifestare, quantumuis sub secreto acceperis, modò non sit sub sigillo confessionis, dignus est enim vt sibi frangatur fides etiam iurata, ob reparationem damni reipublicæ, vel tertij innocentis: sic Eman. Saa, Nauarra, Lessius, *suprà*, & innumeris vt solet allegatis Tho. Sanch. *lib.* 3. *de matr. disp.* 23. *art. num.* 6. Ex qua doctrina explicat Nauarra Iulium Clarum *lib.* 5. *sentent.* §. *fin. quæst.* 27. & Socin. *lib.* 4. *consil.* 102. asserentes non teneri quemuis ex præcepto superioris, manifestare rem furtiuam, si habeat ab ipso fure, & non aliunde: intelligitur, enim quando fur desistit, & restituit, quia tunc non ad emendationem, sed ad punitionem procederet iudex.

5 Quartus casus est, quando quis rem alienam accepit in recompensationem sui debiti, modò debitum sit ex iustitia, & liquidum, & aliæ adsint circumstantiæ honestantes compensationem, de quibus in materia de restitut. tunc enim neque teneris de te, nec de alio debitum manifestare, etiam si sub iuramento, & excommunicatione præcipiaris: ita relato Corduba *q.* 64. *casu.* 4. *& q.* 111. *ad finem Syassi. & q.* 43. *&* 63. Vbi loquitur de exhibenda scriptura in tuum damnum. Nauar. *cap.* 17. *n.* 114. Med. *Cod. de restit. q.* 3. *casu* 12. *& q* 11. docet Petr. de Nauarra *lib.* 2. *de restit. cap.* 4. *n.* 105. *in* 2. *edit.* Lessius *lib.* 2. *de iustit. cap.* 30. *dub.* 6. *n.* 50. *secunda edit.* Thom. Sanch. *lib.* 3. *de matr. disp.* 13. *in casu simili, n.* 3. Eman. Saa *censura. numero* 3. Ratio quia excommunicatio fertur ibi ob furtum manifestandum, & in tali casu nullum fuit commissum, siquidem non alienum, sed proprium accepit. Ergo excommunicatio, & præceptum ad illum non extenditur.

6 Sed quid si mandaris reuelare acceptum ab alio, etiam si scias in recompensationem accepisse, qualiter solet mandari ab auditoribus Romanæ curiæ ob vitandas fraudes, quæ sæpè contingunt accipiendo in recompensationem, quod nullo modo debitum erat? Angel. *verbo furtum, &* Nauar. *cap.* 17. *n.* 124. *& cap.* 25. *n.* 46. absolutè docent neque in hoc casu scientes teneri reuelare, cùm ex eius reuelatione multæ molestiæ recompensantibus sibi debita oriantur. Quod intelligendum est, quando tibi constaret in recompensationem legitimam accepisse, nam si dubitas, an iustè alius fecerit recompensationem, debes, nisi dubium deponas, manifestare, quia præceptum est clarum, & ratio excusans dubia, ac proinde possidet præceptum, ita Petr. de Nauarra, *lib.* 2. *de restit. cap.* 4. *n.* 206. *in secunda edit.*

7 Quintus casus est, quando cogendus esses probare, quod denuncias, cùm re vera non posses, vel aliud detrimentum tibi ex denuntiatione veniret: cum graui enim detrimento non teneris damnum alteri impendens impedire, nisi fortè esset damnum commune, quod ex tua denunciatione esset impediendum: tunc enim tenereris aliquod damnũ pati. vt euitaretur: secus econtra, ita cum Corduba, & Nauarro, tenet Petr. de Nauarra *supra n.* 107. Eman. Saa *verbo iudiciales actus n.* 3. Couaruu. *tract. quæst. q.* 18. Lessius *lib.* 2. *de iustit. cap.* 30. *dub.* 6. *n.* 50. §. *sexto in* 2. *edit.* & in casu simili Thom. Sanch. *lib.* 3. *de matr. disp.* 13. *n.* 4.

8 Sextus casus est, si iubeas denunciare crimen, quocun

quocunque modo scias, non debes denunciare, si à fide dignis non accepisti, vel si non recordaris, à quo acceperis. Notareris enim leuitatis, & proximo damnum sine vlla vtilitate inferres, & fortè sine fundamento: ita relato Corduba docet Nauarra. *lib. 2. cap. 4. dub. 10. num. 108. 2. edit.* Lessius *suprà §. septimo.* Thom. Sanch. *concl. 2. num. 7.*

PVNCTVM XV.

An accusationem debeat præcedere secreta correctio.

1 *Negatur à pluribus præmittendam esse secretam correctionem accusationi.*
2 *Oppositum affirmatur ab aliis.*
3 *Media procedunt via qui dicunt non esse præmittendam correctionem ex iustitia, benè tamen ex charitate.*
4 *Probabilius est non solùm contra charitatem, sed etiam contra iustitiam esse accusare delictum, quod etsi probari possit, non laborat infamia.*
5 *Quoties à iure datur facultas accusandi, non est peccatum contra charitatem accusare.*

1 PLures Doctores negant præmittendam esse correctionem secretam accusationi. Nam accusans non tam intendit emendationem delinquentis, quàm punitionem delicti commissi, & satisfactionem offensæ factæ tertio, vel reipublicæ. Non ergo adstringitur corrigere cùm correctio ad emendationem tendat. Deinde committens delictum coram aliis, rempublicam offendit: habet ergo quilibet ex republica ius eum accusandi, vt damnum, quod per peccatum respublica accepit, per punitionem delinquentis reparetur: per peccatum enim incitati fuerunt homines ad similia patranda. Debent ergo deterreri, & coërceri per punitionem ipsius: sic docuit Adrian. *in 4. de correct. fraterna. col. 17. vers. ad 2.* Soto *de tegendo secreto memb. 2. q. 1.* Nauarr. *cap. 18. num. 30.* Cordub. *de detract. q. 2. concl. 4. & quest. 3. concl. 4.* & Scoto *in 4. dist. 15.* & Driedo *de libert. Christiana lib. 2. cap. 10.* & colligitur ex *cap. qualiter & quando 2. de accusat.* vbi dicitur. Accusationem legitimam debet præcedere inscriptio, & denunciationem charitatiua monitio. Solùm ergo ad denunciationem, & non ad accusationem secreta correctio est præmittenda.

2 Alij Doctores per oppositum affirmant præmittendam esse monitionem, si emendatio fratris ex illa speratur, ita Dur. *in 4. dist. 19. q. 4. ad. 1.* Syluest. *verbo accusatio. q. 5.* Caiet. 2. 2. q. 33. *art. 7.* Lorca *ibi. art. 8. disp. 47. n. 27.* & fauere videtur D. Thom. *art. 7.* cùm vtramque opinionem retulerit, & nullam improbauerit. At in solut. ad 3. insinuat à contrario sensu, cùm delictum nō est famosū, habere locū verba Christi Matth. 18. Ratio huius sententiæ est, quia charitas id videtur exigere.

3 Media via alij Doctores procedunt. Affirmant namque non esse præmittendam correctionem ex iustitia, quando delictum est probabile, esse tamen præmittendam ex charitate, si frater intelligitur emendandus priuatis monitis: ita Lessius *lib. 2. de instit. cap. 30. dub. 2.* Nauarr. *l. 2. de restit. c. 4. dub. 13. n. 130. & 131. in 2. edit.*

4 Dicendum tamen in hac re existimo: etsi quælibet ex iis sententiis sit satis probabilis; at mihi probabilius est non solùm esse contra charitatem, sed etiam contra iustitiam delictum accusare, quod etsi probari possit, infamia non laborat. Ratio est, quia infamia aperit viam iudici ad punitionem. Ergo tibi etiam ad accusandum. Ergo vsque sit infamia, clausa tibi est porta accusationis. Excipe, nisi delictum sit contra tertium directè: tunc enim accusatio, quia non ad punitionem tantùm, sed ad correctionem ordinatur, institui potest eo ipso, quo possis probare, vt latiùs *in disp. de accusat.* Deinde punitio publica est ad reparationem iniuriæ factæ reipublicæ, vel alicui tertio. Peccata autem, quæ directè non sunt contra rempublicam, vel tertium, non censentur reipublicæ, vel tertio iniuriam facere. Ergo non est circa illa punitio publica quærenda.

5 Secundò dico, quoties à iure tibi datur facultas accusandi, non peccas contra charitatem, etsi accuses. Non enim iustitia aduersus charitatem esse potest. Vnde etsi videatur contra charitatem esse delinquentem accusare, quem correctione secreta emendare poteras, at verè non est contra charitatem, cùm ipse se delinquendo huiusmodi damno exposuit, & bono communi, quod per accusationem intenditur, sufficienter compensatur. Adde, manifestatio secreti delicti de se non est contra charitatem, quatenus charitas est virtus specialis, sed est contra iustitiam. Ergo si secludamus à tali manifestatione peccatum iniustitiæ, & peccatum contra charitatem debemus secludere. Denique si contra charitatem esset accusatio delicti, quod potest correctione secreta præcaueri, esset contra præceptum Domini latum, Matth. 18. at ibi non loquitur Christus de accusatione, sed de denunciatione Euangelica, quæ potius ad correctionem, quàm ad punitionem procedit. Ergo.

PVNCTVM XVI.

Vtrùm iudex teneatur repellere denunciationem sibi factam de delicto, eo quòd illius secreta correctio non præcesserit.

1 *Proponitur ratio dubitandi.*
2 *Lorca sentit obligatum esse iudicem, si commodè potest, denunciationem repellere. At si denuntians persistit, admittere debere denunciationem.*
3 *Tenetur iudex denunciationem admittere, tametsi denuncians non probauerit denunciationem præcessisse.*
4 *Satisfit rationi dubitandi, n. 1. adducta.*

1 RAtio dubitandi desumitur *ex cap. qualiter, & quando 2. de accusat.* ibi enim dicitur denunciationem debere præcedere charitatiuam monitionem, iuxta textum Euangelicum: vbi primò corrigendus est frater secretò; deinde adhibendi sunt testes, postea si illos non audierit, dicendum esse Ecclesiæ. Ergo omittēs hos actus aduersus ius diuinum Naturale, & Canonicū denunciat. Ergo repellenda est eius denunciatio vt illicita, & cōtra charitatem, & iustitiam. Ergo non potest iudex illam admittere, aliàs fauebit peccato denunciantis. Confirmo *in supradicto ca.* eodem modo dicitur debere charitatiuam monitionem præcedere denunciationem, quo inscriptio accusationem, & clamosa insinuatio inquisitionem, sed sine inscriptione accusatio nulla est, & sine clamosa insinuatione nulla inquisitio. Ergo nulla erit denunciatio sine charitatiua monitione. Confirmo secundò, ex doctrina Baldi *in leg. 1. ff. de liber. & posthum.* formam datam à lege, vel statuto non debere omitti: & est tex. notandus *in leg. magis puto. §. penult. ff. de rebus eorum.* Sed monitio secreta videtur tradi à Christo Domino pro forma, antequam denunciatio Ecclesiæ fiat. Ergo est nulla denunciatio monitione omissa, & ita videtur tenere Felin. *in cap. nouit, de iudiciis col. penult.*

2 In hac quæstione Lorca 2. 2. *q. 33. art. 8. disp. 47. n. 29.* affirmat iudicem obligatum esse inquantum commodè possit impedire denunciationem taliter factam. At si denuncians non vult desistere, posse illam admittere, etsi requiratur eius officium, teneri admittere. Prima pars probatur ratione dubitandi. Secunda ex eo


quòd denunciatio iuridica non habet dependentiam à secreta correctione, neque iure naturæ, neque diuino, neque canonico, cùm nullibi ob eius omissionem irrita reddatur. Nõ in iure canonico (de quo poterat esse dubium.) Nam *in capit. qualiter & quando*, dicitur, denunciationem debere præcedere secretam monitionem, sicut accusationem libellus: sed non dicitur debere præcedere eodem ordine necessitatis, aliàs deberet constare semper, cùm denunciatio fit, præcisè, secretam correctionem testésque fuisse inductos: quod est contra praxim. Quapropter *cap. licet Heli, de simonia*, cùm Abbas Pomposianus ad summum Pontificem delatus esset ob varia crimina, & ipse opposuisset secretò non fuisse correctum, & delatores testarentur correxisse: Pontifex nihil de hoc puncto curauit, sed ad causæ decisionem processit. Verum est processisse ex officio ob clamorosam de delictis insinuationem, ac proinde non videtur huiusmodi res adæquatè probare denunciationem valere omissa correctione.

3 Quapropter censeo dicendum teneri iudicem denunciationem admittere, etsi denuncians non probauerit monitionem præcessisse, quod mihi persuadet vsus iudicum nihil de monitione interrogantium. Fateor tamen ipsum denunciantem non præmissa correctione, cùm deberet præmittere, peccare, & iniustitiam facere, at validè denunciare. Quia aliud est esse iniustam denunciationem, aliud esse validam. Verùm si iudici aliquo modo constaret monitionem secretam non fuisse præmissam, casu quo esset præmittenda, (quod difficilè constare potest) existimo denunciationem omnino esse repellendam à iudicio, vtpote iniustam, & contra præceptum Domini: ita tradit expresè Glossa *in cap. cum dilectus. 20 de accusat.* per text. ibi si constiterit præfatum Episcopum de iam dictis excessibus non fuisse præmonitum ab eisdem, à denunciatione repellatis eosdem, *& cap. qualiter, eodem titul. cap. licet Heli de Simonia.* Suar. *tom. 4. de relig. lib. 10. cap. 8. fin. n. 15.* Valen. *disp. 3. q. 10. p. 5. §. posses etiam pag. 682. & 683.* Alfonsus de Villagutt. *in sua pract. lib. 2. tit. de denunciat. Euangel. cap. 9. concl. 4. pag. 10. q. & pag. 113. concl. 3.* addit debere iudicem, antequam denunciationem admittat, interrogare denunciantem, an præmiserit secretam correctionem, testésque induxerit; quod si ita fecisse non probauerit, causámque omissionis legitimam non allegauerit omnino esse repellendum. Sed quod diximus verius est ob vsum receptum.

4 Ad rationem dubitandi patet ex dictis: mandatur enim ille ordo correctionis secretæ præmitti denunciationi, vt licita, & iusta denunciatio fiat, non vt valida, cùm non possit denunciatio iuridica dependere à monitione secreta, quæ eo ipso, quo secretè fit, non potest de illa constare.

DISPVTATIO IV.

De odio, inuidia, discordia, schismate, aliisque charitati contrariis.



SICVT charitas plures actus habet tam internos, quàm externos, de quibus in superioribus dictum est; sic etiam habet plura vitia sibi contraria, scilicet odium Dei, & proximi, inuidiam, accidiam, discordiam, contentionem, schisma, rixam, seditionem, bellum, & scandalum, de omnibus his in hac disputatione agemus. Solùm de scandalo, quia materia latior est, in sequentem disputationem reseruamus.

PVNCTVM I.

De odio Dei, & proximi, quid sit, & quale peccatum.

1 *Odium est charitati contrarium, & est duplex, abominatio, & inimicitia.*
2 *Proponuntur quædam obiectiones, & fit illis satis.*
3 *Quodcunque ex iis odiis circa Deum est mortale, neque fieri potest veniale ex leuitate materiæ.*
4 *Circa proximum aliquando esse potest veniale.*
5 *Odium proximi differt specie ab odio Dei.*
6 *In odio proximi qui censeant non esse plures actus specie distinctos.*
7 *Probabilius est oppositum.*
8 *Qua ratione odium proximi ab ira, & indignatione, appetitúque vindictæ distinguatur?*
9 *Enumerantur plures casus, in quibus licitum est proximo velle malum.*
10 *An optare mortem, vel de illa gaudere ob hæreditatem habendam, liceat, proponitur negans sententia.*
11 *Contrarium vt probabile defenditur, si cum debita fiat moderatione.*
12 *Satisfit contrario fundam. n. 10. adducto.*

1 ODium charitati oppositum est, velle alicui malum, qua malum illius est. Dupliciter contingit. Primò abominando ipsam personam tanquam tibi contrariam, & desiderando, vt non sit, & hic actus est odium abominationis. Secundò, desiderando illi aliquod malum ex supradicta abominatione, quod vocatur odium inimicitiæ. Sic omnes Doctores in discursu referendi; Vtrumque odium versari posse circa Deum, & circa proximum de fide est. Circa proximum versatur, si ob malum, quod in ipso residet, vel ob iniuriam tibi illatam auerseris, velisque illum perimere, aut aliquod aliud malum illi euenire. Circa Deum versatur; non quatenus in se est, quia vt sic nihil mali habere potest, sed quatenus te punit, tibique difficilia imperat: ob has enim rationes potes illum auersari, & quantum in te est velle, vt non sit.

2 Quòd si obiicias. Nullus potest velle alteri malum, nisi illud malum sibi esse bonum apprehendat. At in auersione Dei, ciúsque inimicitia nulla ratio boni esse potest. Ergo. Respondeo nullam rationem boni esse, apprehendi tamen, & existimari; quod sufficit, vt possit Deus odio haberi à non videntibus ipsum. At illi qui Deum clarè vident, cùm videant obiectum summè diligibile, nequeunt illum odio habere: sic D. Thom. 22. q. 34. art. 1. & ibi Caietan. Valen. *disp. 3. q. 11. p. 2. in fi.*

Si instes. Secundò, qui alterum odit, & auersatur, est ob aliquod malum in eo existens: at in Deo nullum malum esse potest. Ergo non est capax odij, & auersionis? Respondeo non semper esse necessarium ad odium, vt malum existat in persona, quæ odio habetur, sufficit, si malum aliquod causet. Quapropter etsi in Deo nullum malum esse possit, quia non potest vllo bono carere: at potest esse causa alicuius mali pœnæ, & tibi iniucundi, & ob hanc rationem potes ex peruersione tuæ voluntatis illum odio habere.

3 Quodcumque ex iis odiis, si circa Deum versetur, est mortale peccatum, iuxta illud Num. 10. *Surge Domine, & dissipentur inimici tui, & fugiant qui oderunt te à facie tua.* Deute. 32. *His, qui oderunt me, retribuam.* & Psal. 138. *Nonne qui oderunt te Domine, oderam.* & alibi: imò ex genere suo est peccatum omnium maximum, quia directè opponitur charitati, quæ est præcipua virtus, & quia per se, & directè auertit hominem à Deo summo bono; cùm tamen reliqua peccata solùm consentire ab ipso auertant, quatenus peruersè feruntur in obiectum diuinæ voluntati contrarium: ratione cuius amicitia

cum

cum Deo dissoluitur, vt ex D.Thom. 2.2.q.34.*art.*2. benè notauit Valen.*disp.*3.*q.*11.*p.*2.*vers.*3. Torres *disp.* 91.*dub.*2. Bonacina.*disp.*3.*q.*4.*de charit.p.vlt.n.*1. Adde odium contra Deum ita esse graue peccatum, vt fieri non possit leue ex leuitate materiæ, sic Torres 2.2.*disp.* 91.*dub.*1.*vers.sed quærere potest.* Bonac.*n.*3. Ratio est manifesta, quia cùm Deus in se summè bonus sit, & iustissimè in suis actionibus procedat, grauissimam iniuriam illi infers, si illum aliqua ratione auerseris, & quantum in te est, cupies non esse, ex talique affectu aliquod malum etiam leuissimum illi velis, cum ab omni malo summè alienus sit.

4 Si autem odium circa proximum versetur, etiam est graue peccatum, iuxta illud Leuit.19. *Non oderis fratrem tuum in corde tuo* & 1.Ioann.2. *Qui dicit se in luce esse, & fratrē suum odit in tenebris est.* Ratio est, quia velle creaturæ rationali aliquod malum, qua illi malum est, sistendo, ibi inordinata est voluntas. Ergo nequaquam licet. Hoc autem odium proximi aliquando esse potest veniale peccatum, non solùm ob defectum plenæ deliberationis, sed etiam ob materiæ leuitatem. Vt si quis proximum absque iusta ratione leuiter auersetur, eiúsque præsentiam fugiat, malúmq; aliquod leue exoptet. Sic Tolet. *lib. de septem peccatis c.*70. Coninch *disp.*19. *dub.*3.*n.*60. Eman. Saa. *verbo indignatio.* Torres. 2.2.*disp.* 1.*dub.*1. Reginald. *lib.*17.*c.*10.*n.*109. Bonac.*disp.*3.*q.*4. *p.vlt.n.*6. Valen.*disp.*3 *q.*11 *p.*2.*in fine.vers.*6.*dico.* Ratio est, quia in hac displicentia personæ, & in hoc prauo desiderio, nō fit grauis iniuria proximo, sicuti fit ipsi Deo, quia proximus capax est mali; secus verò Deus, cuius tabernaculo flagellum non appropinquauit.

5 Sed inquires, an odium proximi differat specie ab odio Dei? Respondeo differre, quia licèt vtrumq; charitati opponatur; at diuersimodè opponitur. Vnū enim offendit directè maiestatem Dei, aliud indirectè. Quapropter in confessione debes illa distinguere, vt rectè notauit Valen. 2.2.*disp.*3.*q.*11.*p.*2.*vers.quartò dico.* Bonac.*supr.n.*10. Coninch *disp.*29.*de charit. dub.*3.*n.*61. Torres *disp.*9.*dub.*61.*ad finem.* Bannes *dub.*2.*concl.*3.

6 Maior difficultas est de odio proximi, an in illo sint plures actus specie distincti?

Negat Caietan. 2.2.*q.*34.*art.*6.*ad vlt.* Bonac. & Torres supra, & Valen.*disp.*3.*q.*11.*p.*2.*vers.quintò dico.* Mouentur, quia odium non sumit speciem, neque indiuiduitatem ex obiecto materiali, sed formali: obiectum autem formale semper est idem, scilicet displicentia personæ. Ergo quantumuis obiecta materialia varientur, non variatur actus. Hinc inferunt supradicti Doctores te non esse obligatum in confessione manifestare quæ mala proximo desiderasti, sed satisfacere, si dicas te odio proximum toties fuisse prosecutum, optando illi graue malum; quia omnia illa mala sub eadē ratione appetita sunt, scilicet, quia proximo mala erant.

7 Cæterùm mihi omnino dicendum videtur contrarium cum Suar.*disp.*6.*de charit.sect.*2.*n.*2. Ægid. de Coninch *disp.*29.*dub.*3.*n.*61. Moueor, quia vnum odium proximi ab alio differre potest, tum ex fine, quo proximum adeò habes, tum ex parte mali, quod illi optas. Ex parte finis differt, si proximum auerseris, quia est Dei imago ad beatitudinem creatus, qualiter Dæmones nos odio habent: aut quia tibi aliquam iniuriam intulit; vtrumque enim odium, est odium proximi, etiamsi primum ex odio Dei ortum habeat. Negari ergo non potest vnum actum ab alio differre. Neque credo hoc à Caietano, Bonac. & Torres improbari. Ex parte verò mali, quod proximo optas, etiam specie videntur differre. Quis enim neget optare inimico ob displicentiam illius æternam condemnationem, esse diuersum peccatum in confessione manifestandum ab eo, cùm solùm amissionem status, & temporalis vitæ desideras; cum bonitate diuersæ rationis priuet. Et confirmo. Voluntas inferendi proximo malum in vita, diuersum peccatum est, à voluntate inferendi malum in fama, & honore, aut pecuniis. Ergo etiam voluntates quibus hæc mala appetuntur euenire, diuersæ sunt. Et ratio est, quia species odij inimicitiæ non sumitur præcisè ex displicentia, & auersione personæ, quam auersaris, sed ex malo, quod illi desideras. Aliàs nullum odium proximi esset odium inimicitiæ, sed solùm odium abominationis. Ex quo infertur in confessione omnino explicanda esse, vt expressè docent Coninch & Suar.*supr.*

8 Secundò inquires, qua ratione odium proximi ab ira, & indignatione, appetitúque vindictæ distinguatur? Distingui affirmant ferè omnes Doctores; quia habent diuersas rationes formales. Odiū enim est auersio personæ, & ex illius auersione, & displicentia illi malū velle, qua illi malū est sine vlla mensura. Esse autem alteri malum apprehendit odiens tanquam bonum propriū. Dixi sine vlla mensura, quia ea quæ per se appetuntur mensurā non habent in appetitione. At ira est appetitus irrationalis, & immoderatus vindictæ ob iniuriam sibi ab altero illatam. Ex quo fit non appetere malum alterius absolutè, sicut odium, sed secundùm mensuram iniuriæ, illique satisfacere intendit. Est tamen peccatum de se graue, quia modum excedit satisfactionis: etsi aliquando ob imperfectionem actus tum ex parte rationis, tum ex parte obiecti, veniale sit. Indignatio verò peccaminosa est dolor, quòd bona temporalia indigni habeant. Aduerte tamen sæpe indignationē, & irā posse licitè haberi, si modū non excedat, iuxta illud, *irascimini, & nolite peccare.* Ex quibus omnibus fit longè odiū proximi ab ira, seu appetitu vindictæ, & ab indignatione differre; vt notauit Suar. *disp.*6.*de charit.sect.*2.*n.*4. Azor.*tom.*1.*lib.*3.*c.*12.*q.*2.*& c.*17.*q.*2. Bonac.*de charit. disp.*3.*q.*11.*p.vlt.n.*8. Ægid. de Coninch *disp.*29.*dub.*1. *n.*21. Lessius *lib.*4.*cap* 4.*dub.*4.*n.*27.

9 Dixi in principio odium proximi esse, velle illi malum, qua malū illi est. Quia vt sic tibi esse bonū apprehendis, vt tacitè innuerem, si ob aliquē finem extrinsecum bonū illi velis malū, excusari te posse ab odio, & à peccato. Primò enim tibi licet ex amore virtutis auersari peccatores, quatenus tales sunt, iuxta illud, *Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi.* Imitaris enim hac in parte Deum, cui odio est impius, & impietas eius. Tolet.*li.* 4.*c.*11.*in princ.* Secundò ex zelo iustitiæ tibi licet gaudere, & desiderare punitionē, & mortē malefactorum à publica potestate infligendam: non qua mala sunt ipsis, sed quatenus sunt pœnæ peccatis debitæ, actúsque iustitiæ vindicatiuæ, & in aliorum exemplum; vt omnes supponunt cum Lessio *lib.*2 *de iustit.c.*47. *dub.*4.*n.* 21. Ledesm.2.*p.sum.tract.*17.*concl.*3. Tolet.*lib.*4.*sum.c.*11. Ioann. Sanch.*disp.*2.*select.n.*11. Ex qua doctrina infert licitum tibi esse desiderare, & à Deo petere vindictam iniuriantibus, dummodò non excedas in petitione vindictæ mensuram culpæ, quia petis punitionem peccati à potestate superiori faciēdam, non ex odio, sed ex zelo iustitiæ vindicatiuæ. Tertiò ex charitate proximorū licet tibi desiderare, & gaudere de morte peccatoris scandalosi, ne aliis occasio sit ruinæ: sic Nau.*c.*15.*n.*10. Tolet. *de septem pecc.mort.c.*66.*& lib.*4.*c.*11. Reginal. *lib.*17.*n.*116. Ioann. Sanch.*disp.*2.*select.n.*6. Bonac.*disp.* 3.*q.*4.*p.vlt.n.*7. Quartò ex charitate circa ipsum delinquentem, licet tibi velle infirmitatem, pecuniarum amissionē, vt à peccatis desistat, quia illi maius bonum desideras. Tolet. & Bonac.*supr.* Eadem ratione desiderare illi potes mortem, si videas non conuertendum, ne grauior illi sit condemnatio. Nauarr.*supr.* Bonac.*disp.* 3. *q.*4.*p.vlt.n.*7.*vers tertio.* Et generaliter ex bono spirituali proprio, vel alieno licitum tibi est hæc mala pœnæ aliis in efficaci affectu velle, quia in hoc appetitu spirituale bonum temporali præfertur. Ergo ex hac parte inordinatus esse non potest.

10 Maior

10 Maior est difficultas, an ob bonum temporale & aliquando inferioris ordinis liceat tibi malum aliquod graue temporale proximi desiderare, & de illo gaudere, & de bono ipsius tristari, quia tibi impedimento est ad boni temporalis consecutionem, v.g. An possis desiderare mortem alicuius, vt illi in bonis succedas, vel ne in eo sustentando, vel curando graueris? Negat Nauarr. *cap.* 15. *n.* 10. & affirmat esse omnium. Ratio esse potest, quia ex charitate obligaris præferre vitam proximi tuis diuitiis, temporaliq; emolumento. Si autem ob habendam hæreditatem illius mortem oppetis, iam temporale emolumentum vitæ proximi præfers; quod esse contra charitatem videtur.

11 Nihilominus credo, si cum debita moderatione facias, te posse absque peccato mortali de vita alicuius tristari, & de illius morte naturali gaudere, illamque in efficaci affectu petere, & desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum inde secutum. Sic docere videtur Eman. Saa. *verbo charitas, in vtraque editione. n.* 8. vbi absolutè dicit te posse proximo optare malum corporale ad salutem animæ, & mortē ob reipublicæ bonū, & hosti tibi alioqui valdè nociuo mortē, non odio, sed ad vitandū damnum tuum, itē de morte eius gaudere ob bonū inde secutū. Azor. 1. *p. sum. lib.* 3. *c.* 12. *q.* 2. & Bonac. *disp.* 3. *q* 4. *p. vlt. n.* 7. affirmant licere matri mortē filiarū optare, eo quòd ob deformitatē, vel inopiam non possit eas iuxta suum desideriū nuptui tradere. Et idem esse dicunt, si ob illarū causam malè tractaretur à marito, posset illarū mortem optare, vt ab illo damno liberaretur: consentit iis Ioann. Sanch. *disp.* 2. *select. n.* 9. vbi inquit, Licitum est optare tibi, vel proximo mortem, ob vitandam molestā infirmitatem, mendicitatem, vitam pœnalem à marito inflictam, & alia huius generis, dummodò desideres, vt à Deo infligenda, nō ab homine iniustè, vel à dæmone. Ratio est, quia huiusmodi desiderium, & gaudium de malo proximi, non tam est desiderium, & gaudium de malo illius, quàde bono inde sequuturo. Ergo nō habet malitiam; quia illam habere non potest, nisi finis illius malus sit, cùm tota species actus inefficacis ex fine desumatur. Et confirmo. Tibi licitum est, hæreditatē optare, honorem appetere ad actus virtutis præstandos. Itē carere molesta infirmitate, inopia, aliisque malis, vt liberiùs Deo seruire possis. Cognoscis autem hæc omnia consequi te non posse, nisi Deus è vita præsenti proximum tollat. Poteris ergo ex supradicto fine, & ob illius consecutionem proximi mortem desiderare, & de illa succedente gaudere; quia non gaudes de illa, quatenus proximo mala est, ibi sistendo (hoc enim esset malum) sed gaudes de illa, quatenus est causa tui emolumenti, & secundùm hanc rationem bona esse videtur, & appetibilis. Secus verò esset, si velles proximo absolutè, & efficaciter mortem, quia talis voluntas illicita, & peccaminosa esset sub quocunq; motiuo illā haberes, quia velles illam inferre, & consequenter velles homicidium, quod semper illicitum est.

12 Neque obstat fundamentum contrarium. Concedo te debere bonis fortunæ vitam proximi præferre, quoad effectum, & voluntatem efficacem, ac proinde teneris bona fortunæ exponere, vt vitam proximi conserues. Secus de inefficaci affectu, & simplici complacentia dicendum est, quia respicit obiectum secundùm se, & ex illius bonitate sumit speciem, non ex illius executione.

PVNCTVM II.

De inuidia, qua ratione sit peccatum charitati contrarium.

1 *Inuidia quid sit.*

2 *Multipliciter de bono alterius dolere, & tristari potest absque inuidia.*

3 *Tristari de bono alterius, quia tibi bonum proprium diminuit, est inuidia, & peccatum ex genere suo mortale.*

4 *Non deest, qui sentiat inuidiam solum esse mortale, cùm ex illa moueris ad iniustè remouendum proximi bonū.*

5 *Non admittitur hæc sententia.*

6 *Sæpè inuidia est veniale peccatum.*

7 *Inuidia est vnum ex vitiis capitalibus.*

1 INuidia est tristitia de bono alterius quatenus per se, & ratione sui proprium nostrum diminuit. Vel est gaudium de malo illius, quatenus per se, & ratione sui nostrum malum diminuit. Sic Doctores communiter cum D. Thom. 2. 2. *q.* 36. *art.* 1.

2 Pro explicatione huius definitionis aduerte, multipliciter te dolere posse de bono alterius, & de illius malis gaudere. Primò, si doleas, quia bonum illius est, & gaudeas de malo, quia malum illius est. Et sic dolor, & gaudiū ad odium pertinet. Secundò, si doleas de bono alterius, quia inde per accidens sequitur tibi aliquod nocumentum, & hic dolor non est peccatum inuidiæ, sed sæpè licitum esse potest, si nocumentum, quod times, licitè refugis, quia tunc non tam doles de bono alterius, quàm de tuo damno. Tolet. *de septem peccat. cap.* 63. *vers. primo. & cap.* 64. Tertiò, dolere potes de bono alterius, non quia in illo est, sed quia tu illo cares; qui dolor non est inuidia, sed æmulatio, quæ bona esse potest, si dolor moderatus sit, & circa res appetendas versetur. Tolet. *cap.* 65. Si circa res improportionatas, vt cùm videris Regem & Pontificem, doles quòd non sis, est veniale; si circa res turpes, aut illicitas pro qualitate malitiæ peccatum erit. Tolet. *de septem peccatis, cap.* 65. Quartò, esse potest dolor de bono alterius, quia illo indignus est. Hic autem dolor, qui vocatur Nemesis, seu indignatio, & esse potest bonus, & malus: bonus esse potest, si cum debita moderatione doleas, tristeris & indigneris, quod beneficia publica, & officia reipublicæ indigni possideant; quia tunc doles, & tristaris de aliqua actione peccaminosa, & mala, qualis est indigna horum bonorum possessio. Sic Tolet. *de septem peccat. mort. cap.* 64. & *c.* 65. Erit autem malus saltem venialiter hic dolor, si doleas, quòd mali pecunias possideant, & bonis fortunæ fruantur, ea tantùm præcisè ratione, quia mali sunt. Sic D. Thom. 2. 2. *q.* 36. *art.* 2. & ibi Caietan. Lessius. *lib.* 4. *cap.* 4. *dub.* 4. *n.* 27. Ægid. Coninch *disp.* 30. *de charit. dub.* 2. *n.* 26. Suar. *disp.* 6. *de charit. sect.* 4. *n.* 3. Tolet. *cap.* 65. aduersùs Petr. de Lorca, negantem esse peccatum. Sed ratio nostra est, quia mali, & peccatores iustè possident diuitias, & honores, (vt suppono.) Ergo inde non potest sumi causa honesta ad dolendum; videres enim diuinam prouidentiam incusare. Aliàs si casu perderent, nō deberes impedire, posses tamen dolere, & tristari; quòd diuitias possideant peccatores, si inde sumant occasionem peccandi, & tunc ex affectu charitatis procederes. Tolet. *cap.* 63. Item si doleres, eo quòd ob eam causam iusti homines illis diuitiis priuantur, quia tunc esset actus misericordiæ in iustos. Suar. *sect.* 4. *n.* 2. Item posses inefficaciter tristari ob defectum conuenientis proportionis, qui adest, cùm ij peccatores diuitiis abundant, & iusti illis carent. Valen. 2. 2. *disp.* 3. *q.* 13. *p.* 2. *circa finem.*

3 Quintò, denique potes dolere de bono alterius, eo quòd per se, & ratione sui proprium tuum bonum diminuat: bonum, inquam, alterius potest esse occasio diminuendi proprium tuum bonum, sine eo quòd aliquam vim tibi inferat, actionémq; iniuriosam exerceat: vt patet si existente te in aliqua ciuitate, in qua nimis doctus, & peritus reputabaris, accederent alij æquè docti, tua doctrina, & peritia non tanti, vt antea æstimabitur; quia non est ita rara. Ecce qua ratione bonum

num alterius per se proprium tuum diminuat. Si ergo doleas de bono alterius, quia huius diminutionis est causa, inuidus es, & peccas, & ex genere suo mortaliter, ita D.Thom. 2.2.*q*.36.*art*.1.& 3. Valen.*disp*.3.*q*.13.*p*.2.*in princ*. Ægid.de Coninch *disp*. 30. *dub*.2.*n*.20. Nauarr.*cap*.23.*n*.118.Bonac.*disp*.3.*q*.4.*de charit.p.vlt*.§.2.*n*.3.Reginald.*lib*.17.*n*.129. Suar. *disp*. 6. *de charit. sect*. 4.*num*.4.& alij communiter. Ratio est, quia hoc vitium est charitati contrarium, cùm de bono proximi tristetur, & de malo illius gaudeat, quòd verò gaudeas de malo illius, vel tristeris de bono quin proprium tuum bonum, vel malum diminuit, non est sufficiens causa honestandi actum. Fateor enim imminutionem propriæ excellentiæ malum esse, & dignum, vt de illo tristeris: sed quia non solùm de illo, sed de bono proximi per se, & non per accidens tristaris, quin per se, & immediatè hanc imminutionem causat, ea de causa hæc tristitia mala est. Quòd autem ex suo genere peccatum mortale sit videtur constare ex illo *ad Rom*. 1. vbi plenos inuidia tradit Deus in reprobum sensum.

4 Lorca verò, 2.2.*q*.36.*in addit.ad* 3.*art*. affirmat inuidiam solùm esse mortale, cùm ita vehementer bono proximi inuides, vt ex illo affectu mouearis ad iniustè remouendum proximi bonum, secus si absque hoc periculo inuideas, sicuti auaritia, & vana gloria, in qua nõ sunt peccata mortalia, nisi aliqua circumstãtia mortali vestiantur. Et probari potest, quia dolere de bono proximi, quatenus tuum bonum diminuit, non est absolutè de bono proximi dolere, sed dolere de illo, quatenus hunc effectum causet, & licèt nõ causet media actione iniuriosa; negari tamen non potest esse tibi molestum, & iniucundum: Siquidem tollit opinionem, & honorem singularẽ antea à te possessum. Ergo talis tristitia, & dolor non videtur inordinatus, vt peccatum mortale constituat. Adde, si doleas de bono alterius, quia inde proximus occasionem sumit te vexandi, non peccas, quia doles præcipuè de tuo incommodo. Ergo idem erit, cùm doles. Quatenus ex se causat tibi incommodum. Nam esse causam per se, vel per accidens parum videtur referre.

5 Nihilominus retinenda est communis sententia ob rationem ibi dictam, ex qua fundamentum pro sententia Lorcæ solutum est. Aliàs si fundamentum illud verum esset, non solùm probaret inuidiam peccatum mortale non esse, sed neq; esse peccatum, nisi moueatur inuidus ad remouendum iniustè à proximo bonum, quia dolere de bono alterius, si moderatè fiat, quatenus inde per accidens sumit alius occasionem me damnificandi, non est peccatum, vt suprà dixi.

6 Aduerte sæpè inuidiam peccatum esse veniale tum ob imperfectionẽ consensus, tum ob leuitatẽ materiæ, vt in pueris contingit. Ægid.*dub*.2.*n*.25.Bonac.§.2.*n*.4. Valen.*p*.2.*propos* 3. Sæpè trãsit in æmulationẽ, & tunc non est peccatũ, sicuti solẽt mercatores inuidere, quod alij eiusdem conditionis merces vendãt, & lucrẽtur, & ipsi non; enim tam dolent de alieno lucro, quàm quod ipsi eo careant: est tamen periculosus affectus ob singularem lucri appetitum. Coninch *supr.n*.23.

7 Computatur inuidia inter vitia capitalia, quia ex illa, tanquam ex radice alia vitia pullulant, scilicet odium proximi, susurratio, detractio, gaudium in aduersis, tristitia in prosperis. De quibus S.Thom.*q*.36.*art*.4.& ibi Caiet.Lorca, Torres, & alij, Tolet.*de 7.peccat.cap*.67.

Pvnctvm III.

De Accedia, qua ratione peccatum sit charitati oppositum.

1 *Definitur Accedia.*

2 *Accedia specialis charitati contraria est, dolere te esse à Deo creatum sub obligatione seruandi præcepta.*

3 *Dolere de præceptorum obseruatione ob illorum molestiam est accedia generalis.*

4 *Aliquando accedia generalis est peccatum veniale, aliquando nullum.*

5 *Accedia specialis semper est mortalis, nisi excusetur ex defectu pleni consensus.*

6 *Quæ vitia ex accedia oriantur, & eorum malitia expenditur.*

1 Accedia est tristitia de bono spirituali diuino, & ex fine creationis nobis necessario. colligitur hæc definitio ex D.Thom.2 2.*quæst*.35.*art*.1.*in corp*.& *art*.3.*ad* 2.& ibi ferè omnes expositores.

2 Pro cuius explicatione aduerte te à Deo esse creatum, vt filius illius sis adoptiuus, beatitudinisque hæres: ad cuius consecutionem plura sunt necessaria simpliciter, plura secundùm quid, plura conuenientia. Necessaria sunt simpliciter, quæ sub præcepto graui prohibentur, vel imperantur; secundùm quid sunt necessaria, quæ sub leui culpa mandantur. Conuenientia dicuntur, quæ obseruantiam mandatorum promouent, quæque vocantur consilia. Si igitur doleas, quòd sic creatus sis, vt tenearis amicus esse Dei, eiusque mandata obseruare, sin minus, æterno supplicio puniri, peccas peccato accediæ specialis, & grauissimẽ, quia est cõtemptus maiestatis diuinæ, cuius amicitiam refugis, & postponis executioni tuarum passionum, & voluptatum. Est tamen hoc peccatum contra charitatem, quia proprium charitatis est gaudere de amicitia Dei, eiusque fruitione. Ergo contrarium illi erit de iis dolere, & tristari, etiamsi occasio illius tristitiæ sit labor illius consecutioni annexus.

3 Notanter dixi te peccare peccato accediæ specialis, si doleas te esse creatum in finem ita excellentem, vt tenearis mandata diuina ad illius consecutionem obseruare, sin minus æternis suppliciis addici, vt tacitè insinuarem esse accediam aliam generalem, quæ per alia vitia vagatur. Si enim doleas de ieiunio ob illius molestiam, talis tristitia temperantiæ opponitur; si doleas restituere ob affectum diuitiarum, pugnas cum iustitia, & sic de reliquis virtutibus; sicut enim quælibet virtus habet circa suum obiectum varios actus, tum desiderij, tum gaudij, ita vitium ei oppositum oppositos actus habet: sic ex D.Thom.2.2.*q*.3.*art*.2. notat Valen. *disp*.3.*q*.11.*p*.1.*circa princip.vers. secundo*, Suar. *disp*.6.*de char. sect*.3.*n*.3 Coninch *disp*.30.*dub*.1.*n*.8.Bonac. *disp*. 3.*q*.4.*de char.p.vlt*.§.3.*n*.4. Ad idem reducitur accedia consiliorum, qua quis tristatur de obligatione, quam habet seruandi consilia, vt contingit in religioso, qui ob molestias, & difficultates, quas in religione sentit, tristatur, quòd statum illum perfectionis assumpserit. Sic Suar.*n*.4.Coninch *n*.9. Valen.*vers.tertio sequitur*.

4 Hæc ergo accedia generalis non semper est peccatum mortale, sed aliquando veniale, & aliquando nullum: vt rectè ex D.Thom.& Caieta.supradicti Doctores aduertunt. Est igitur peccatum veniale, si tristetur de obiecto, quod solùm sub veniali exequi teneris. Caiet.*verbo accedia*.Valen.*disp*.3.*q*.11.*vers.tert*. Bonac. *disp*.3.*q*.4.*p.vlt*.§.3.*n*.3. Item si tristetur de obiecto grauiter præcepto non secundùm se, sed ob aliquam illius circumstantiam, temporis, vel loci, vt si tristeris, quod tali die sit præceptum ieiunij, tali hora concio habeatur: sic Reginald.*lib*.17.*n*.108. Tolet. *de septem peccat. mortal. cap*.69. Bonac. *disp*.3.*q*.4.*de charit.p.vlt*. §.3.*n*.3. Nullum tamen erit peccatum, si de obseruatione consiliorum tædeas, qua ratione excusaris à peccato dolens te esse religiosum sacerdotem, si absque periculo transgrediendi præcepta contingat. Sic Suar. *disp*.6.*sect*.3.*n*.4. Coninch *disp*. 30. *dub*.1.*num*.9. Valen. *suprà*, quia cùm nulla sit obligatio suscipiendi talem statum,

ſtatum, nulla eſt obligatio de illo ſuſcepto gaudendi, aut de illo non dolendi: Eſt tamen hic affectus nimis periculoſus, vt benè dicunt Suar. & Coninch *ſup.* quia aperit viam deſerendi ſtatum.

5 Accedia tamen ſpecialis, quæ charitati contraria eſt, & de fine ſupernaturali neceſſariò dolet, eſt ſemper mortalis, niſi ob defectum pleni conſenſus excuſetur, quia materia eſt grauiſſima, & in grauiſſimam Dei iniuriam, & contemptum cedit. Ex hac ergo accedia ſpeciali ferè omnia vitia oriuntur. Quem enim tædet amicitia Dei, eiúſq; beatitudo ob laborioſam conſecutionem, tædent etiam omnia, quæ ad illius conſecutionem ſunt neceſſaria, ac proinde omnes virtutes, parátque viam omnibus contrariis.

6 Sex tamen ſpeciales filias accediæ enumerauit. S. Gregor. *lib.* 31. *mor cap.* 31. D. Thom. *art.* 4. & 5. & ex illis Tolet. *cap.* 70. Valen. *p.* 1. *in fine*. Reg. *n.* 108. Prima Malitia, hoc eſt deteſtatio, & odium bonorum ſpiritualium in ſe, vt ſi velis, ea non eſſe, non impleuiſſe mandata, non fuiſſe ad finem ſupernaturalem creatum, non cognouiſſe Deum, quæ ſunt grauiſſima peccata, odij Dei; & beneficiorum diuinorum contemptus. Secunda eſt rancor erga eos, qui te ad ſpiritualia mouent, & inducunt, qui ſi ſimul prorumpat in odium, quod illis aliquod malum graue deſideres erit mortale, [illegible] contra Tolet. *ſup.* [illegible] Tertia, puſillanimitas erga bona ſpiritualia, quia ardua ſunt, quæ ſi non ſunt præcepta non erit mortalis, ſi tamen ſunt præcepta, erit torpor, quæ eſt quarta filia accediæ conſiſtens in negligentia ſui, ommiſſionéque diuinorum præceptorum, & eſt mortale. Quinta eſt euagatio mentis ad alias res illicitas, quæ oblectant, & hæc aliquando eſt mortalis, aliquando venialis, prout ſunt res, quibus quis per cogitationem delectatur: cum hac autem euagatione cōiungi ſolet defectus attentionis debitæ rebus ſpiritualibus exercendis, quæ ſi ex præcepto exercenda ſunt, vt eſt Miſſam die feſto audire, horas canonicas ex præcepto recitare, talis defectus voluntatis notabilis peccatum mortale conſtituit: ſecus ſi hæc ex præcepto exercenda non ſunt.

PVNCTVM IV.

De diſcordia, & contentione, & quomodo charitati opponantur.

1 *Diſcordia definitur.*
2 *Eſt peccatum charitati contrarium.*
3 *Ex ſuo genere mortale, aliquando eſſe poteſt veniale.*
4 *Contentio charitati contraria definitur.*
5 *Ex ſuo genere eſt peccatum mortale.*
6 *Proponitur obiectio, & fit illi ſatis.*

1 Diſcordia eſt diſſenſio voluntatis à voluntate proximi circa bonum, quod velle ex charitate teneris, non enim eſt diſſenſio intellectus, ſed voluntatis, quia diſſenſio intellectus in rebus fidei, eſt peccatū fidei contrarium, non charitate, & ita vocatur hæreſis, non diſcordia; in aliis verò opinionibus, & iudiciis, rarò eſt peccatum, niſi ſcandalum cauſet, aut pacem turbet. Dixi eſſe diſſenſionem voluntatis, circa bonum quod velle teneris, nam ſi velle non teneris, quod alius intēdit, nullum erit peccatum ab eius voluntate diſcordare; hac enim ratione non peccas contemnens conſilia amici de religioſo ſtatu ſuſcipiendo. Aliquando etiam erit bonum diſcordare à voluntate alterius, quia alterius voluntas mala eſt, prout hæc omnia notauit Valen. *diſp.* 3. *q.* 14. *p.* 1. *verſ. diximus, & ſeqq.* Coninch *diſp.* 30. *de char. dub.* 3. Suar. *diſp.* 11. *de charit. ſect. vn.*

2 Diſcordia ergo voluntatum, circa bonum, quod velle ex charitate teneris, peccatum eſt charitati contrarium, cùm enim proprium ſit charitatis voluntates vnire, & ex pluribus vnum efficere, charitati opponitur, qui voluntates diuidit, præcipuè in iis ad quæ charitas obligat: cùm autem charitas obliget communitatis neceſſitatem prouidere, poſtpoſita vtilitate ſpeciali, & neceſſitatem cuiúſque particularis, quando facilè poſſis; ſi procurantibus hæc te opponas, contra charitatem peccas. Dices, ſæpè hæc procurare eſt obligatio iuſtitiæ, vt contingit in iis, qui ex officio tenentur bona communitatis, & ſubditorum procurare. Ergo non eſt peccatum contra charitatem, ſed contra iuſtitiam in iis diſcordia. Reſpondeo negando conſequentiam: non enim eſt inconueniens vnum numero actum phyſicum in duplici ſpecie morali exiſtere; atque adeò & eſſe contra charitatem, & contra iuſtitiam. Eſt quidem contra charitatem illa voluntatum oppoſitio; quia bonum commune impeditur ob vtilitatem propriam. Eſt contra iuſtitiam; quia impeditur executio obligationis iuſtitiæ proſpiciendi bono publico ex officio orta. Deinde addo ſæpè diſſenſionem voluntatis non contra charitatem, ſed contra alias virtutes eſſe, v.g. diſſentit ſubditus à voluntate ſuperioris, cui ſe conformare tenetur, peccat aduersùs virtutem illam, in qua eſt res præcepta. Item diſſentit debitor à voluntate creditoris debitum exigentis, peccat contra iuſtitiam: & ſic de aliis. Quapropter dixi diſcordiam charitati contrariam eſſe diſſenſionem voluntatis in re, quam ex charitate velle teneris.

3 Hinc conſtat ex ſuo genere graue peccatum eſſe diſcordiam, tum quia charitati opponitur, tum quia inter peccata, quæ à regno Dei excludunt, illam enumerauit, Apoſtolus *ad Galat.* 5. Tum quia ſeminatorem diſcordiarum inter fratres ſummè Deus abominatur, *Prouerb.* 6. dixi ex ſuo genere: nam aliquando ex defectu pleni conſenſus, & ex materiæ leuitate contingit eſſe veniale, vt notauit. Valen. & Coninch *ſuprà* Bonac. *diſp.* 3. *quæſt.* 4. *de chari. p. vlt.* §. 4. *num.* 2. Suar. *diſp.* 11. *ſect. vn. n.* 4. vbi infert conſulentem teſtatorem, ne relinquat hæredem, quem volebat, & electorem, ne eligat ad beneficium, quem eligere intendebat, non peccaturum mortaliter, ſi abſque odio, inuidia, & iniuria fiat, & ſæpè nullum eſſe peccatum, ſi aliqua rationabili cauſa moueatur: quia ſecluſa neceſſitate non teneris proximo ſubuenire, illique benefacere, ac proinde nec conſentire in voluntate illius, qui illi ſubuenire, & benefacere intendit.

4 Contentio charitati contraria effectus eſt diſcordiæ. In præſenti definitur, vt ſit con[illegible]tio quædam verborum cum proximo ad impugnandam veritatem. Sic ex D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 38. *art.* [illegible] 2. docet Valen. *diſp.* 3. *q.* 14. *p.* 2. Suar. *diſp.* 11. *ſect. vnica. num.* 5. & 6. Coninch *diſp.* 30. *dub.* 4. Bonac. *diſp.* 3. *quæſt.* 4. *p. vlt.* §. 4. *num.* 4. & alij communiter. Dixi ad impugnandam veritatem, vt excluderem contentionem, quæ pro veritate defendenda, indaganda, aut aliquo modo clarificanda deſumitur, vt fieri ſolet in ordinariis diſputationibus, quia hæc non eſt contentio vitioſa, niſi ex aliquo accidenti extrinſeco vitium illi contingat. Requiritur ergo, vt altercatio ſit ad veritatem oppugnandam. Hanc ergo oppugnare potes. Primò ſi eam clarè cognoſcas, & hæc eſt formaliſſima contentio. Secundò ſi dubius de illa ſis, & tunc eſt virtualis oppugnatio veritatis, ſiquidem abſque præuio examine verúmne ſit, an falſum, quod oppugnas, contentionem aſſumis. Tertiò cùm ſub prætextu iniquo falſitatis veritatem impugnas, & falſum perſuadere procuras, vti faciunt hæretici.

5 Hanc triplicem altercationem eſſe peccatum, & ex genere ſuo graue, fatentur ferè omnes Doctores cum D. Thom. *quæſt.* 38. *art.* 2. & videtur probari ex illo ad Rom. 1. plenos inuidia, homicidio, contentione.

Hæc

Hæc contentio inter peccata grauia enumerata est. Item est etiam peccatum contra charitatem. Tum quia animos diuidit, & disiungit. Tum & præcipuè, quia ex charitate teneris abstinere à nocumento proximi. Est autem non leue nocumentum falsa illum docere, & errores persuadere.

6 Dices, oppugnatio veritatis perinentis ad fidem, & rectam morum institutionem contra fidem est. Oppugnatio verò veritatis philosophicæ contra virtutem veritatis. Item decipere proximum contra iustitiam est, cùm vnusquisque ius habeat, ne ab alio cedatur, præcipuè in potentiis superioribus animæ. Ergo nulla datur impugnatio veritatis aduersus charitatem directè. Respondeo, me hoc argumento conuinci impugnationem veritatis tunc solùm esse contra charitatem, quando fit ex animo alteri contradicendi, & à communi, & vero aliorum sensu separandi. Sed sic finis, raro dicit Suar. *illa disp.* 11. *sect. vnica num.* 6. *&* 7. est peccatum mortale. Erit autem peccatum contra fidem, si veritatem fidei oppugnes, aut aliquomodo opprimas, & obscurcis; & contra iustitiam in re graui, si proximum in iis decipias. In aliis autem materiis raro oppugnatio veritatis est peccatum mortale; quia raro fit cum notabili proximi detrimento, quod ad peccatum mortale requiritur. Sic Suar. Valen. Bonac. Coninch *locis citatis*.

PVNCTVM V.

De schismate quid sit, & quale peccatum.

1 *Schisma est diuisio ab Ecclesia, eiusque capite.*
2 *Dupliciter contingit.*
3 *A subiectione Pontificis te separare potes directè, vel indirectè. Et quibus modis contingat?*
4 *Pontifex ab vnitate Ecclesiæ te separare potest.*
5 *Peccatum schismatis grauissimum est.*
6 *Aliqui à communione fidelium se separant, quin sit schisma, & quales ij sunt.*
7 *Nolens exequi mandatum Pontificis, quia difficile, non est schismaticus.*
8 *Neque est schismaticus qui dominium Pontificis in aliquam ciuitatem non recognoscit.*
9 *Item schismaticus non est, qui non obedit Pontifici, quem probabiliter credit legitimum non esse.*
10 *Peccans mortaliter non est schismaticus.*

1 Schisma in præsenti sumitur pro scissione, vel diuisione ab Ecclesia, eiúsque capite; cùm enim Ecclesia vna sit, ac proinde indiuisa constans ex fidelibus tanquam membris, & ex Christo, eiúsque Vicario tanquam capite, qui se ab huiusmodi membris, vel capite separat, schismaticus est.

2 Dupliciter te ab Ecclesia separare potes, iuxta duplicem vnionem, quam Ecclesia in se retinet. Primò, deserendo fidem, quæ vnica est in Ecclesia, & tunc hæreticus es, & consequenter schismaticus, quia à præcipua vnitate Ecclesiæ, quæ desumitur à fide te separas. Secundò, te separare ab Ecclesia potes deserendo eius vnitatem, quam fideles omnes inter se habent cum suo capite, tum in sacramentis, & cultu diuino, tum in subiectione, & subordinatione ad suum caput. Si enim sacramentorum vsum contemnis, religiosúmque cultum omittis, & Christi Vicario tanquam vero capiti te subiicere non vis, iam exinde non communicas cum reliquis fidelibus, sed potiùs ab eorum communione te separas, ac proinde schisma committis. Requiritur ergo ad verum schisma rebellio in Pontificem, vel Ecclesiam, quæ rebellio in eo sita est, vt quis verbis, vel factis ostendat se nolle Ecclesiam, vel Pontificem, qua talis est, recognoscere: sic ex omnium sententia tradit D. Thom. 2.2. *q.* 39. *art.* 1. *& ibi* Caietan. Valen. *disp.* 3. *quæst.* 15. *p.* 1. *præcipuè proposit.* 3. Suar. *disput.* 12. *sect.* 1. *a n.* 1. *& seqq. præcipuè* 13. *&* 8. Coninch *disput.* 30. *dub.* 5. *nu.* 36. *&* 42. Sanch. *lib.* 2. *decal. cap.* 36. *a num.* 1. Bonac. *disp.* 3. *q.* 4. *de charit. p. vlt.* §. 5. *proposit.* 1. Farinac. plures referens, *q.* 184. *num.* 2. *&* 3.

3 Dupliciter autem te potes à subiectione Pontificis, & Ecclesiæ vnitate diuidere. Primò directè, secundò indirectè. Directè te diuidis, cùm expressè, & formaliter intendis non recognoscere Pontificem, vt superiorem; indirectè, cùm facto ipso ostendis non recognoscere: quod videtur contingere existentibus in Anglia, & exhibentibus Regi obedientiæ signa, quibus testantur esse Christi Vicarium in spiritualibus, quamuis interius sic esse nullo modo credant, quia sciunctio ab vnitate Ecclesiæ, eiúsque obedientia in opere ipso externo consistit; ac proinde ij verè schismatici sunt; esto non sint hæretici. Sic Suar. *de censur. disput.* 21. *sect.* 2. *n.* 13. Sanch. *lib.* 2. *cap.* 36. *n.* 14. Bonac. *disp.* 3. *quæst.* 4. *p. vlt.* §. 5. *num.* 9. *vers. hinc patet.* Item indirecta recessio ab Ecclesia contingit iis, qui præsumunt absque debita authoritate congregare Synodos vniuersales, vel eas postquam per legitimam authoritatem dissolutæ sint, prosequi: Sic Caietan. *dicta q.* 39. *art.* 1. Valen. *p.* 1. *proposit.* 3. *vers. Nam qui separant.* Suar. *de charit. disp.* 12. *sect.* 1. *num.* 2. Sanch. *num.* 5. Coninch *num.* 38. Rursus quælibet ex his dissentionibus, tam directa, quàm indirecta, potest dupliciter contingere, primò mixta hæresi, secundò, sine vlla. Mixta hæresi contingit, si eum te subtrahis ab obedientia Pontificis, & vnitate Ecclesiæ negas eius vnitatem, vel Pontificis prælationem. Sine hæresi stat schisma, cùm & vnitatem Ecclesiæ recognoscis, & Pontificis prælationem, non vis tamen illi ex malitia subiici, & in hac subiectione cum reliquis membris Ecclesiæ communicare: sic Sanch. *cap.* 36. *num.* 8. Valen. *dicta proposit.* 3. Toletus *de casibus cœna Domini, concl.* 3. *excommunicat.* 1. Bonac. *disp.* 3. *q.* 4. *p. vlt.* §. 5. *num.* 5. Farinac. *quæst.* 184. *num.* 2.

4 Quocirca quicunque ab vnitate Ecclesiæ, & suo capite se separat, schismaticus est. An autem possit Pontifex sic te separare, dubitant aliqui. Tenendum tamen est posse, quia potest nolle cum fidelibus in sacramentis, & cultu diuino communicare, ac proinde te separat ab ipso, & à Christi capite. Adde non esse de essentia schismatis separationem à Pontifice, cùm sede vacante committi possit; sufficit enim esse separationem ab vnitate, quam fideles inter se, & cum Christi capite habent. Sic bene probat Valen *disp.* 3. *quæst.* 15. *p.* 1. *proposit.* 5. Coninch. *disp.* 30 *num* 41.

5 Esse autem schisma grauissimum peccatum charitati contrarium nulli dubium esse potest. Quia scindit quantum est de se vnitatem Ecclesiæ, quam charitas constituit. Neque dari posse credo leuitatem materiæ in hac parte, quia nunquam leue esse potest, te seiungere ab vniuersa Ecclesia, & superiorem illius non recognoscere etiam in re leuissima. Est enim summa arrogantia, & diabolica superbia, & Ecclesiæ Dei grauissimus contemptus. Sic Valen. *suprà p.* 2. *in princ.* Bonac. *disp.* 3. *q.* 4. *de charit. p. vlt.* §. 5. *proposit.* 1.

6 Verùm quia aliqui à communione fidelium se separant, qui tamen propriè schismatici non sunt, placet illos enumerare, ne æquiuocatio contingat. Primò, si te separes ab vnius Episcopi, & Cleri obedientia, & communicatione, si simul cum aliis Ecclesiis, & Pontifice communicas, non eris schismaticus, quia non te separas ab vnitate Ecclesiæ. At si ille Episcopus, & Clerus cum aliis Ecclesiis, & Pontifice communicat in illa re, in qua tu communicare non vis, schismaticus eris, si ab illius obedientia te separas. Quia implicitè te separas ab vnitate Ecclesiæ, cùm tota Ecclesia tibi resistat. Sic Val. *post* 3. *proposit. vers. item eadem ratione.* Coninch *disp.* 30. *dub.* 5. *n.* 40. Lorca *disp.* 48. *num.* 11. Farinac. *q.* 184 *num.* 27. *&* 30.

7 Secundò infero te non esse schismaticũ, si Pontificis

mandatum non impleas; eo quòd tibi videatur difficile, & arduum vel extra Pontificis potestatem, vel in odium illius, & vindictam, quia cum hac inobedientia stat recognitio prælationis Pontificiæ, ac proinde debita illi in aliis materiis subiectio; aliàs quilibet transgressor Ecclesiastici præcepti esset schismaticus, quod non est dicendum. Sic D.Thom.2.2. *quæst.*39. *art.*1. & ibi Caiet. *dub.*2. Bannes *ibidem ad finem.* Valen. *proposit.* 3 Sanch. *n.*3, Bonac. *disp.*3.*q.*4.*p.vlt.* §.5.*n.*2.*vers. sexto,* Coninch *disp.*30.*dub.*5.*n.*42. Farinac. *quæst.*184. *num.*11. Azor.1.*p.lib.*8.*cap.*20.*quæst.*4.

8 Tertiò infero te non esse schismaticum eo quòd dominiũ Pontificis in aliquam ciuitatẽ non recognoscas, & ob illam causam nolis mandatis parere, quia hæc non est separatio ab vnitate Ecclesiæ, eiusque capite, quatenus illius caput est. Sic Sanch. *num.*4. Bonac. *vers. septimo,* & alij apud ipsos.

9 Quartò, infero te non esse schismaticum, cùm te subtrahis ab obedientia Pontificis, quem probabiliter credis talem non esse, quia tunc non peccas. Non enim teneris obedire superiori, nisi tibi priùs morali certitudine constet superiori esse. Valen. *proposit.*5. Sanch. *num.*3. Bonac. *vers. octauo.* Coninch *num.*42. Suar. *disp.*12. *sect.*1. *in fine.* imò potiùs foueres schisma, si dubio Pontifici te subiiceres. Vnde cùm aliquis in Pontificem est electus, de cuius canonica electione non satis constat, non tenetur Ecclesia illum vt Pontificem acceptare, illique obedire, & consequenter neque ipse potest officium Pontificis exercere, cùm ad hoc officium necessariò spectet posse cogere subditos, vt sibi obediant; imò potiùs tenetur ipse iuri illi dubio cedere, vt Ecclesia de pastore prouideat; caret enim illo, dum dubiũ habet: sic ex Caiet. benè notauit Coninch *disp.* 30. *dub.*5. *num.*44. vbi *num.*45. dixit aliquando Pontificem, de cuius canonica electione prudenter dubitari non potest, obligatum esse cedere iuri, quod habet, & renunciare Pontificatum, si alia via cognoscit Ecclesiam non esse pacem habituram. Quia officium boni pastoris est animam ponere pro ouibus suis, *Ioann.* 10. Ergo à fortiori honorem, & authoritatem. Item pro bono communi quilibet tenetur proprium expendere. Ergo authoritatem Pontificiam tenetur Pontifex expendere pro pace Ecclesiæ, quæ bonum commune est.

10 Quintò, infero peccantem mortaliter non esse schismaticum, quia non se separat ab vnitate Ecclesiæ, quæ in fide, & sacramentorum vsu, cum debita ad Christum, eiusque vicarium subiectione consistit. Sic Bonac. *disp.*3. *quæst.*4. *p.vlt.* §.5. *vers. tertio. proposit.*1. cum Reginald. *lib.*9. *n.*258. Farin. *quæst.*184. *num.*25.

Sextò, excommunicatum non esse schismaticum propriè, quia non se separat ipse, sed potiùs separatur à communione fidelium. Sic Bonac. & Reginald. *suprà.* Farinac. multos referens *num.*26.

PVNCTVM VI.

Quæ sint pœnæ schismaticorum.

1 *Explicatur prima pœna, quæ est priuatio potestatis ordinis, & iurisdictionis.*

2 *An hæc priuatio contingat schismaticis non denunciatis? Refertur quadruplex sententia.*

3 *Approbatur secunda sententia, priuari scilicet ipso facto quemlibet schismaticum occultum.*

4 *Secũda pœna schismaticorũ est excõmunicatio ipso facto.*

5 *Comprehendit non solum schismaticos hæreticos, sed eos, qui hæresis suspicionem habent.*

9 *An quilibet inobediens Pontifici hanc excommunicationem contrahat? Proponitur sententia affirmans.*

7 *Solùm schismaticus propriè hanc contrahit excommunicationem.*

Fautores receptatores schismaticorum non ligantur hac bullæ excommunicatione.

9 *Schismatici, qui hæretici non sunt, absolui possunt semel in vita, & semel in morte virtute Cruciatæ, vel Iubilæi casu Cœnæ concedentis.*

10 *Tertia pœna est inhabilitas ad beneficia.*

11 *Pœnitentibus schismaticis & Ecclesiæ reconciliatis tollitur hæc inhabilitas secũdum probabilem sententiã.*

12 *Probabilius est dispensatione indigere.*

13 *Quis possit dispensare.*

24 *Probabile est occultum schismaticum dispensatione non indigere.*

15. *Beneficiis ante schisma obtentis non priuatur schismaticus, nisi hæreticus sit.*

16 *Quarta pœna enumeratur ab aliquibus irregularitas, sed non approbatur.*

17 *Quinta pœna est suspensio ordinis à schismaticis scienter recepti.*

18 *Sexta vt collatio beneficiorum ab eis facta irritetur.*

19 *Septima est suspicio hæresis vehemens.*

20 *Octaua est subiectio Ecclesiasticis iudicibus pro pœna sustinenda.*

1 PRima pœna, quæ enumerari potest, est priuatio potestatis Ecclesiasticæ, ordinis, & iurisdictionis. De potestate ordinis consistente in spirituali charactere certum est apud catholicos non posse priuari schismaticum; quia non potest priuari charactere, à quo talis potestas prouenit, vt constat ex *cap. ordinationes* 9. *q.*1. In iis enim operatur homo, vt dicit D.Thom statim allegandus vt instrumentum Dei, ideóque effectus sacramẽtales ob culpam conferentis non cessant: at benè priuari potest, & de facto priuatur legitimo vsu talis potestatis. Non enim licet ipsi eam potestatem exercere, dum est in schismate, sic ex D.Thom. *q.*39. *art.* 3. Turrecremata *lib.* 4. *sum parte* 1. *cap.* 7. & aliis Doctoribus, probat Valen. 2.2. *disp.*3. *quæst.* 15. *puncto* 3. *in princ.* Farinac. *q.* 184. *num.* 43. De potestate iurisdictionis ferè omnes Doctores conueniunt schismaticum priuatum esse ipso iure, & meritò, quia indignus est frui potestate Ecclesiæ, qui se pertinaciter ab illa separat. Vnde non potest excommunicare, absoluere, indulgentias, & beneficia conferre, & alia, quæ iurisdictionem requirunt: sed omnia illa inualida sunt, nisi aliunde ex communi errore ob titulum præsumptum iurisdictio concedatur. Sic D. Thom. 2.2. *q.*39. *art.* 3. Valen. *disp.* 3. *q.* 15. *p.* 3. *vers. tertio certum est, & vers. controuersum autem est, & seq.* Azor. 1. *p. lib.* 8. *cap.*20. *quæst.* 9. & 12. Decian. *tract. crim. lib.* 5. *cap.* 67. *num.* 8. & *seq.* Farinac. *de hæresi q.* 184. *num.* 43. & probatur manifestè ex text. *in cap.* 1. *de schismaticis*, vbi dicitur ordinationes ab Octauiano, & Guidone hæresiarchis factas, & ab ordinatis ab eis irritas esse censemus. (id est, quod executionem earum legitimam, vt benè cum glossa notat Valen. *suprà*) adiicientes, vt qui dignitates Ecclesiasticas, seu beneficia per dictos schismaticos acceperunt, careant impetratis; alienationes quoque quæ per eosdem schismaticos, seu per laicos factæ sunt de rebus Ecclesiasticis, omni careant firmitate, & ad Ecclesias sine vllo onere reuertantur. Ad idem est text. *in cap. Nouatianus* 7. *q.* 1. vbi Cyprianus dixit. Qui nec vnitatem spiritus, nec conuentionis pacem asserit, & se ab Ecclesiæ vinculo, & à sacerdotum collegio separat, neque Episcopi potestatem habere potest, neque honorem: & & *cap. didicimus.* 24. *quæst.* 1. Idem Cyprian. inquit. Didicimus omnes omnino hæreticos, & schismaticos nihil habere potestatis, & iuris. Idem habetur *cap. audiuimus, eadem causa & q.*

2 Dubium tamen est, an hac potestate iurisdictionis priuentur schismatici manifesti, & occulti, vel necessariò debeant esse publicè denunciati, iuxta *extrauag. ad euitanda scandala*, Concilij Constantin.

Qua

Qua in re quadruplex est sententia. Prima negat ipso facto priuari, sed esse per sententiam priuandos, quia nullibi habetur ipso iure priuatos esse. Sic Caiet. *tract. de authorit. Papæ, & Concilij. cap.* 20. 21. 22. Cano. *lib.* 4. *de locis. cap.* 2. *& capit. vlt. ad argum.* 12. Sotus *in* 4. *dist.* 22. *quæst.* 2. *art.* 2. Secunda concedit priuari ipso facto iurisdictionis potestate quemlibet schismaticum, quantumuis occultum. Sic D. Thom. 2. 2. *q.* 39. *art.* 3. Turrecrem. *lib.* 4 *sum. p.* 2. *cap.* 10. Castro. *lib.* 2 *de iusta hæretic. punit. cap.* 13. *&* 14. Azor. 1. *p. lib.* 8. *cap.* 2. *q.* 9. *in fine.* Mouentur, quia occultus schismaticus exterior ab vnitate Ecclesiæ & subordinatione ad illius caput se subtrahit. Ergo indignus est, cui iurisdictio ab Ecclesia concedatur. Tertia negat occultum schismaticum priuari iurisdictione, concedit manifestum, siue sit manifestus per sententiam, siue ex facto proprio. Sic Valen. 2. 2. *disp.* 3. *q.* 15. *p.* 3. *vers. tertia sententia.* Et probat, quia dum est occultus aliquis, cum Ecclesia vnionem retinet, ac proinde iurisdictionem ab illa accipere potest. Deinde quia textus hanc priuationem imponentes loquuntur de hæreticis, & schismaticis publicis, non occultis, vt expendenti eos patebit. Quarta sententia dicit post Concilium Constantiense nullum schismaticum iurisdictione priuari, qui denunciatus non sit, aut manifestus clerici percussor. Quia cum solùm hos vitare teneamur, solùm ij carere debent iurisdictione nobis conueniente. Sic Bonac. *disp.* 1. *q.* 4. *de charit. p. vlt.* §. 6 *n.* 8.

3 Inter has sententias secunda D. Thom. mihi magis probatur, quia text. *in cap.* 1. *de schismaticis. cap. Nouatianus, cap. audiuimus, cap. didicimus*, expressè notant ipso iure hanc priuationem incurri: dicunt enim ordinationes esse irritas, & conferentem nihil habere iuris, & potestatis, & ex alia parte hanc priuationem ad omnes schismaticos extendi probat textus *in cap. didicimus*, omnes omnino hæreticos, & schismaticos nihil habere potestatis, & iuris. Verùm vt huiusmodi priuatio iurisdictionis effectum habeat, necessaria est saltem declaratoria sententia criminis, vt ex ijs quæ diximus de hac pœna hæreticorum constare potest, & tradit in præsenti Suarez *disput.* 12. *sect.* 2. *numero* 1.

4 Secunda pœna schismatici est excommunicatio, de qua satis controuersum est, an olim fuerit ipso iure imposita, an imponenda per sententiam, vt videre est in Azor. 1. *p. lib.* 8. *cap.* 20. *quæst.* 6. Farinac. *quæst.* 184. *n.* 37. *&* 38. Sed iam nemini est locus dubitandi esse schismaticis excommunicationem impositam in bulla Cœnæ Domini, *clausula prima in fine*: vbi inquit Pontifex. Excommunicamus, & anathematizamus schismaticos, & eos, qui se à nostra, & à Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahunt, vel recedunt.

5 Circa quam excommunicationem, Primò dubitatur, an comprehendat schismaticos non hæreticos? Negat Tolet. *in edit. Lugdunens. lib.* 4. *sum. cap.* 11. *fine.* Vbi dicitur, qui credit potestatem Papæ, ex passione aliqua motus ab illius obedientia se subtrahit, iste est purè schismaticus, quia schisma est contra vnitatem charitatis, non contra fidem, & tale schisma substat excommunicatione Papali, non quidem in Cœna Domini, nisi sit cum hæresi, sed à iure, quod habetur *cap. licet, de electione & cap. nulli. dist.* 79. At vt rectè Azor. *suprà. q.* 6. ex iis capitibus non colligitur excommunicationem ipso facto quemlibet schismaticum contrahere; quia *cap. licet*, loquitur in casu speciali, scilicet de Cardinalibus, qui post electum Pontificem ex duarum partium consensu, alium ex tertia parte in Pontificem recipiunt, & simul eum qui electioni consentit, & vt Pontificem se gerit. *Caput* verò, *nulli fas est*, solùm habet schismaticos esse excommunicatione expellendos. Idem habetur ex *cap.* 1. *de schismat. cap. de liguribus.* 23. *q.* 5. & tradit Abbas *in rub. de schismat. n.* 2. & multis relatis Garcia. 11. *p. de benef. cap.* 10. *n.* 156. *& seq.* Quocirca dicendum est schismaticos non hæreticos ipso iure excommunicatos non esse, quod pluribus firmat Farinac. *quæst.* 184. *n.* 59. aut dicendum est esse excommunicatos in clausula bullæ Cœnæ Domini, vt verè dicit debet. Nam cùm in dicta bulla schismatici ipso iure excommunicentur, & nomine schismaticorum non solùm schismatici hæretici, sed etiam qui hæretici non sunt, suspicionem tamen hæresis habent, propriè intelligantur, efficitur sanè eos omnes excommunicatos esse: & ita tenent alios referentes Azor. 1. *p. lib.* 8. *cap.* 20. *quæst.* 5. Valentia. 3. *t. disput.* 3. *quæst.* 15. *p.* 3. *vers. tertio certum est.* Sanchez *lib.* 2. *cap.* 36. *num.* 11. *iuncto num.* 14. Suarez 5. *t. de censur. disput.* 21. *sectione.* 2. *numero* 18. *& de charitat. disputatione* 12. *sectione* 2. *in princip.* Bonacin. *disputatione* 3. *quæstione* 4. *de charit. p. vlt.* §. *n.* 9.

6 Secundò, dubium circa prædictam excommunicationem est, an non solùm schismaticus propriè, qualem esse diximus puncto præcedenti: sed etiam qui quomodolibet Pontifici inobediens est, hanc pœnam excommunicationis contrahat?

Affirmat Farinac. sibi contrarius *quæst.* 184. *n.* 11. *in fine* & adducit Tolet. *lib.* 1. *cap.* 19. *num.* 10. *&* 11. *& lib.* 4. *c.* 11. *n.* 2. Sed in edit. Lugdunens. in primo nihil dicit, in secundo dicit contrarium. Probari tamen potest, ex eo quòd in bulla Pontifex excommunicat schismaticos, & eos, qui se ab eius, & cuiusuis Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahunt, vel recedunt. Cùm ergo nihil in Pontificis decretis superfluum esse dicendum sit, efficitur non solùm recedentes à Pontificis obedientia tanquam à Vicario, sed quomodocunque recedentes intelligi debere. Nam recedentes pertinaciter ab obedientia Pontificis, tanquam à Vicario Christi, & Ecclesiæ capite sub schismaticorum nomine comprehensi erant. Vt quid ergo reliqua verba adduntur?

7 Nihilominus affirmandum est solùm schismaticè recedentes hac excommunicatione ligari. Sic Azor. 1. *p. lib.* 8. *cap.* 20. *quæst.* 5. Suar. *de censur. disp.* 21. *sect.* 2. *num.* 12. Thom. Sanch. *lib.* 2. *cap.* 36. *num.* 12. & testatur esse omnium Bonac. *disp.* 3. *quæst.* 4. *de charit. p. vlt.* §. 5. *num.* 9. Ratio est, quia recessus à sedis Apostolicæ obedientia propriè non stat cum illius recognitione. Ergo dum Pontificem, vt superiorem recognoscis, etiamsi illi ob aliquã causam inobedias, à Pontifice vt tali non videris absolutè recedere; ad proinde excommunicationem illam non contrahis. Quocirca etsi sub nomine schismaticorum ij recedentes comprehensi erant, fuerunt tamen expressi ad maiorem claritatem, specialem timorem incutiendum, ita Suarez Sanch. & Bonac. alios referentes *suprà.*

8 Aduertunt supradicti Doctores hac excommunicatione bullæ non ligari fautores, defensores, receptatores schismaticorum, quia in supradicta bulla non exprimuntur, & exprimuntur hæreticorum fautores, & in odiosis non est vltra proprietatem verborum extensio facienda; ligantur tamen excommunicatione non reseruata, per textum *in cap. licet, de elect. cap.* 1. *de schismaticis in* 6. tradit Syluest. *verbo schisma. num.* 5. Decian. *tract. crim. lib.* 5. *cap.* 65. *n.* 6. *& cap.* 67. *sub num.* 2. Farinac. *quæst.* 184. *n.* 17. *&* 18. Sed clarior est ex constitutione Pauli. IV. quæ incipit, *Cùm ex Apostolatus officio*, vbi excommunicantur, aliisque pœnis afficiuntur fautores schismaticorum, vt benè notauit Bonac. *suprà.*

9 Schismatici, qui hæretici non sunt, absolui possunt semel in vita, & semel in morte virtute Cruciatæ: & similiter absolui possunt virtute Iubilæi, vel

vel priuilegij casus cœnæ concedentis; quia sola hæresis ob eius grauitatem reseruatur. sic Sanch. *lib. 2. cap. 36. num. 17.*

10 Tertia pœna schismaticorum est inhabilitas ad beneficia Ecclesiastica in posterum habenda: constat ex tex. *in cap. quia diligentia, de electione*, vbi schismatico in Episcopum electo dispensatiuè confirmare permittitur. Non igitur valida erit electio ante dispensationem: & ita tradit glossa *ibi*, & omnes.

11 Dubium est, an pœnitentibus schismaticis, & Ecclesiæ reconciliatis tollatur hæc inhabilitas. Affirmare videtur Decian. *tract. crim. lib. 5. cap. 54. num. 15. & 16.* Conrad. Brunus *tractat. de haeretic. libr. 3. capit. 7.* Bursatus *cons. 14. numero 34.* Quintil. Mandos. *in addit. ad Repert. inquisit. verbo abiuratio. litt. A. vers. pulchra etiam.* Farinac. plures referens, *quaest. 189. & quaest. 193. num. 66.* Ratio est, quia hæc inhabilitas procedit ex schismate. Ergo illo sublato cessat. Neque obstare videtur tex. *in d. cap. quia diligentia*; quia electio illius schismatici in Episcopum fortè fuit durante schismate, ideóque indiguit confirmatione, & dispensatione, quibus tamen non indigeret, si sublato schismate, & Ecclesiæ reconciliato, electio facta esset. Neque etiam obstat tex. *in capit. vnico, de schismaticis. in 6.* vbi schismatici, & eorum fautores perpetuò inhabiles ad beneficia declarantur, quia loquitur tex. de casu speciali, in quo duo Cardinales noluelluerunt Pontificem canonicè electum recognoscere, & alium in Pontificem elegerunt.

12 Nihilominus probabilius, & securius censeo, schismaticum Ecclesiæ reconciliatum adhuc inhabilem esse ad beneficia Ecclesiastica, nisi per Pontificem, aut vices ipsius habentem fuerit dispensatus: sic docet Azor. *1. part. lib. 8. cap. 20. quaestio. 8.* & testatur esse communi sensu receptam Sanch. *lib. 2. capit. 36. numero 18.* Bonac. *disput. 3. quaest. 4. de char. part. vlt. §. 5. nu. 10.* Pegna *direct. 2. part. quaest. 48. com. 73. in medio.* Suar. *de censuris. disputatio. 43. sect. 2. numero 7.* Farinac. pluribus relatis, *quaestio. 184. numero 36.* Moueor ex *supradicto capit. quia diligentia*, vbi glossa expressè dicit abiurato schismate in Episcopum electum fuisse, & nihilominus indiguit dispensatione: ergo signum est inhabilem remansisse.

13 Dixi huius inhabilitatis neminem à Pontifice, aut vices ipsius habente dispensare posse, quia eius est soluere, cuius fuit ligare. Habet tamen Episcopus ex *decreto Trident. sess. 24. capit. 6.* concedente casus occultos potestatem ad dispensandum in quacumque inhabilitate ad beneficia ex delicto occulto proueniente. Quare si delictum schismatici occultum sit, poterit ab Episcopo schismaticus ad vnitatem Ecclesiæ rediens habilis reddi, sic Sanch. & Bonac. *suprà*. Si tamen schisma publicum sit, non desunt Doctores, qui affirment posse Episcopum dispensare ad beneficia omnia præter episcopatum, & dignitatem exemptam, si scienter ordinem à schismaticis non receperint: sic tradit Abbas *in cap. 2. de schismat. n. 7.* Decius *cap. at si clerici. §. de adulteriis. de iudiciis. numero 124. & in capite quia diligentia, de electione. numero 17.* vbi indistinctè tenet sufficere dispensationem Episcopi; consentit Lambertin. *1. p. 2. lib. quaest. 9. art. 8.* & vt probabile reputat glossa *capite 2. de schismaticis.* sed huius potestatis nullum apparet in iure firmum fundamentum; ac proinde dicendum est non posse ab alio, quàm à Pontifice dispensari: & tradit vltra Sanch, & Bonac. *locis citatis.* Garcia *11. parte de benefic. capite 10. num. 164.* glossa *c. 2. de schismaticis, in fine.* Farinac. *q. 184. n. 36*

14 Adde esse probabile hunc occultum schismaticum, & Ecclesiæ reconciliatum dispensatione non indigere; quia pœna inhabilitatis non cuilibet schismatico videtur imposita, sed publico, & manifesto; qualis erat ille Episcopus relatus *in cap. quia diligentia*; quare occultus, & maximè emendatus, & conuersus hanc pœnam nullo modo contrahit, vt multis probat etiam de hæretico, Garcia *11. part. de benefic. cap. 10. numero 83.* & specialiter de schismatico, *n. 162.*

15 De beneficiis ante schisma obtentis reputat Rebuf. *in praxi beneficiar. tit. de modis amittendi beneficia*, & Flamin. Parisi[illegible] *lib. 3. de resignat. q. 1. n. 16.* Farinac. *q. 184. n. 42.* priuatum manere schismaticum, ex *cap. nos consuetudinem. 12. dist. & cap. quia diligentia de electione.* & præcipuè ex *cap. vnico, de schismat. in 6.* ibi, omnibus beneficiis perpetuò priuantes, & inhabiles reddentes ad habenda. At dicendum est, si schisma hæresi coniunctum non sit, hanc priuationem non inducere, quia supradicti tex. *quia diligentia. & cap. nos consuetudinem* non loquuntur de beneficiis antea obtentis, & *capite nos consuetudinem* loquitur de hæreticis *capite vnicum, de schismat.* loquitur in casu speciali, quo postposita electione canonica alicuius Pontificis alius eligitur, & ita schismaticum non hæreticum, priuatum non esse beneficiis antea obtentis, docet Garc. *11. p. de benefic. c. 10. numero 151.* Sanch. *libr. 2. cap. 36. n. 19.* Bonac. *disput. 3. quaest. 4. de charit. par. vlt. §. 5. n. 10.*

16 Quarta pœna, quæ secundùm plures Doctores schismaticis imponitur, est irregularitas: sic ex plurium sententia defendit Azor. *lib. 8. instit. cap. 20. quaest. 8.* Pegna. *2. p. direct. quaest. 48. com. 78.* At, vt rectè expendit Sanch. nullus est tex. ex quo hæc irregularitas clarè colligatur, & cùm irregularitas non incurratur, nisi in casibus à iure expressis, efficitur sanè schismaticos irregulares non esse. sic Sanch. *lib. 2. cap. 36. n. 20. fine.* Suar. *de censur. disp. 43. sect. 2. n. 7.* Bonac. *disp. 3. q. 4. de charit. puncto vlt. §. 5. n. 12.*

Aduertit tamen & bene Sanch. & Bonac. *suprà*, si schisma notorium sit, illo durante schismaticum irregularem esse irregularitate generali prouueniente ex crimine notorio depositione digno: hæc tamen irregularitas per pœnitentiam aboletur.

17 Quinta pœna est suspensio ordinis à schismaticis scienter recepti, ex *cap. 1. & 2. de schismaticis & cap. ordinationes. 9. quaest. 1.* sic Suar. *disputatione 23. de censur. sect. 3. numero 4.* Sanch. *lib. 2. cap. 36. nu. 20.* Bonac. *disp. 3. quaest. 4. p. vlt. §. 5. num. 13.* Farinac. *quaest. 183. num. 43. & 44.*

18 Sexta pœna est, vt collatio beneficiorum ab eis facta irritetur, *cap. 1. de schismat.* ibi, *careant impetratis.* sic Suar. Sanch. Bonac. & Farinac. *suprà*. Aduerte pro his duabus pœnis debere schismaticos notorios esse secundùm satis probabilem sententiam declaratos. Azor. *supra. quaest. 11.* Bonac. *num. 13.* Nam *in cap. ordinationes. 9. quaest. 1. in princ.* sic cauetur. Tum quia videntur fideles post Concilium Constantiense obligati non esse vitare illos, quousque denunciati sint. Denique non carent potestate iurisdictionis, vt diximus in prima pœna, quousque eorum crimen declaratum sit. Adde has pœnas solùm videri impositas recipientibus scienter ordines, seu beneficia à schismaticis hæreticis, vt satis colligitur ex *capite 1. de schismaticis, cap. ordinationes. 9. quaest. 1.* Nam in iure hæreticus, & schismaticus æquiparantur, ex *cap. firmissimè, de haereticis*, & multis exornat Farinacius. *quaest. 184. num. 53.*

19 Septima pœna est suspicio hæresis, & meo iudicio vehemens: nam licèt aliquando contingat dari schisma absque intellectus errore, vt dictum est; rarò tamen contingit, ac proinde omnis schismaticus non solùm abiurare tenetur schisma, sed etiam hæresis suspicionem, vt benè notat Pegna. *2. p. direct. quaest. 48. com. 73.* Vgolin. *tract. de censur. Pontifici reseruatis. 2 p. in glossa, nec non schismaticos* Farinac. *quaest. 184. numero 35. & latius. 13.* Menoch. *de praesumpt. lib. 5. praesump. 6. num. 24.*

*n.*14. vbi dicit schismaticos, vel schismaticorum sequaces esse vehementer de hæresi suspectos.

20 Octaua pœna schismaticorum est esse subiectos iudici Ecclesiastico, vt pro qualitate criminis eos puniat, tum pœna pecuniaria, tum exilio, tum carcere, tum triremibus, imò & relaxatione brachio sæculari, si pertinaces existant, sic Bernard. Dial. *in pract. cap.* 112. *n.* 1. *& seq.* Farinac. *q.* 184. *n.* 51. Valen. *disp.* 3. *q.* 15. *p.* 3. *vers. quintò certum est, & colligitur ex cap. de liguribus.* 23. *q.* 5. *cap. non vos.* 23. *q.* 5. *cap. in vnione domus* 23. *dist.*

DISPVTATIO V.

De bello, rixa, & duello, quatenus Charitati contraria sunt.

DISPVTATIO de bello, rixa, & duello potius ad virtutem iustitiæ, quàm charitatis videbatur pertinere, sed quia D. Thom. 2. 2. *q.* 40. & eius interpretes communiter agentes de charitate de ijs tractant, vtpotè contrariis paci, quæ est charitatis effectus, ideò moueor de illis in præsenti habere sermonem.

PVNCTVM I.

Quid sit bellum, & an licitum sit.

1 *Vnde dicitur bellum, & qua ratione definiatur.*
2 *Bellum aliud est offensiuum, aliud defensiuum.*
3 *De fide est licitum esse bellum, si conditiones debitæ seruentur.*
4 *Aliquando est in præcepto.*
5 *Proponuntur quædam hæreticorum argumenta.*
6 *Fit illis satis.*
7 *Tres conditiones sunt ad iustum bellum requisitæ, & quæ hæ sint.*

1 BEllum dicitur, vt Priscian. sentit per antiphrasim, quasi nihil belli, & pulchri habeat per se. Non enim bellũ per se est appetibile; imò potiùs quantum fieri possit vitandum, ob grauissima mala, quæ secum trahit: cæduntur enim multi, & sæpè innocentes, vrbes deripiuntur, diuitiæ dilapidantur, & regna pereunt; non igitur appeti debet per se, sed eo modo, quo medicina appetitur. Alij econtra à bello, & bono deducunt, quia ex fine bono, & pulchro fit, qualis est propulsare iniuriam, pacem obtinere. Alij, vt Testus à belluis deriuant, quia belluarum est mutuo se laniatu conficere. Sed vndecunque bellum dicatur, communiter à Doctoribus definitur, vt sit discordia hostium arma sibi mutuò inferentium, cui opponitur pax; vel est conflictus ipse, & hostium congressio, quæ & pugna dicitur. Debet tamen versari inter duos Principes supremos, vel respublicas: nam quando discordia inter Principem, & suam rempublicam, vel inter ciues, & rempublicam habetur, est seditio. Si autem inter priuatas personas, rixa vocatur, vel duellum.

2 Duplex autem est bellum, iuxta duplicem caussam, ob quam sumi potest, aliud est defensiuum, aliud offensiuum. Defensiuum est, cùm in defensionem vitæ, honoris, & fortunæ assumitur, vt si quis te vellet vita, vel honore priuare, vel à possessione diuitiarum deiicere. Tu verò vt impedias iniuriam, arma assumis, bellum geris defensiuum. Offensiuũ, seu aggressiuum est, cùm in satisfactionem iniuriæ iam factæ, & ad illam vindicandam fit. Vocari etiam potest huiusmodi bellum aliquo modo defensiuum, quatenus vindicatione iniuriæ factæ defenduntur iniuriati, ne simili iniuria iterum afficiantur. Negari enim non potest vindicatione iniuriæ factæ contineri iniuriantes, & alios à simili iniuria committenda.

3 Dicendum ergo est de fide esse licitum esse bellum cuilibet reipublicæ etiam Christianæ, si conditiones seruentur, quas in sequentibus apponemus. Conclusionem multis locis sacræ Scripturæ tam veteris, quàm noui Testamenti aduersùs hæreticos, exornãt Doctores in præsenti, specialiter Valen. 2. 2. *disp.* 3. *q.* 16. *p.* 1. Suar. *disp.* 13. *de charit. sect.* 1. Ægid. de Conninch *disp.* 31. *dub.* 1. Mol. *de Iustit. tract.* 2. *disp.* 99. Ex veteri namque Testamento constat bella esse licita, siquidem illa gerentes reputati sunt viri sanctissimi, vt Abraham, qui Deo protegente hostes vicit, *Genes.* 14. Moyses, Iosue, Dauid, Samson, Gedeon, Machabæi, & alij, qui etiam iussu Domini bella gesserunt. Et in nouo Testamento, *Lucæ* 3. militibus rogantibus, quid sibi faciendum esset, vt diuinum iudicium, & condemnationem vitarent, non illis fuit mandatum arma deponere; imò potiùs illis dictum fuit, vt suis stipendiis contenti essent. Ex quo manifestè inferebatur licitè in bello perseuerare aliàs stipendia accipere nõ possent. Item *Matth.* 8. laudat Christus fidem Centurionis, & *Act.* 10. Cornelius Centurio erat vir religiosus, ac timens Deum, & absque depositione militiæ baptizatus est, accepitque Spiritum sanctum. Ergo militia licita est. Nam vt dicit D. August. *epist.* 5. *ad Marcellin.* Si Christianis bella prohiberentur, primum consilium accipientibus fidem esse debebat, vt arma deponerent, & à militia se subtraherent. Alia induci possent ex Paulo *ad Rom.* 13. & 1. *Petri.* 2. vbi magistratus, & duces ministri Dei, & à Deo missi in vindictam malefactorum vocantur. Plura item in confirmationem huius veritatis adducit Gratian. ex Patribus, præcipuè August. 23. *q.* 1. & 2. Et quidem de bello defensiuo euidenter probatur. Nã cuilibet iure naturali permissum est se ab iniuria defendere, & iniuriam factam amouere, agere quæ prò illius recompensatione, dum illam iniuriator tenetur præstare, quia dum non præstat, iniuriam factam continuat. Sed hæc omnia sæpè fieri non possunt absque bello, cùm pars offendens superiorem non habet. Ergo bellum licitum est ad huiusmodi finem consequendum. Eadem ratione de bello aggressiuo probari potest: cuilibet enim reipublicæ concessum est, vt se incolumem seruet, & iniurias faciendas propulset, iniuriatoresque frænet, & contineat. At ad huiusmodi finem consequendum sæpè necessarium est iniurias acceptas vindicare, & punire. Nam si semel illata iniuria scirent malefactores nullam sibi punitionem esse inferendam, audaciores redderentur, & viam haberent apertam multiplicandi crimina, & nouas iniurias probis viris inferendi, nullàque respublica tuta esse posset.

4 Ex qua ratione non solùm constat licitum esse posse bellum, sed etiam aliquando esse in præcepto; quia ex præcepto charitatis, & iustitiæ tenentur gubernatores ciuitatis bono ipsius prospicere; ad cuius finem sæpè necessarium erit bella mouere & iniurias vindicare. Sic Suarez *disp.* 13. *de charitat. sect.* 1. *numero* 4. & Molina *tract.* 2. *de iustit. disput.* 99. *vers. statuenda nihilominus, & vers. ad testamenta.*

5 Restat satisfacere friuolis quibusdam argumentis hæreticorum, & præcipuè Lutheri intendentis bella esse Christianis interdicta. Primum desumitur ex variis locis scripturæ. Nam Isaiæ secundo, de tempore legis gratiæ dicitur, *conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces: non leuabit gens contra gentem gladium, & non exercebuntur vltrà ad prælium.* & Micheæ 4. *Non sumet gens aduersus gentem gladium, & non discent belligerare, & sedebit vir subtus vineam suam*

nam,&c.& *Matth*.5. Iubemur non resistere malo, sed si quis nos percusserit in vna maxilla, præbeamus illi alteram:& *Matth*.26. dicitur Petro, vt conuertat gladium in locum suum, quia omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt, & ad Rom. 12. *nulli malum pro malo reddentes*. Et infrà, *Non vos defendentes charissimi, sed date locum iræ. Scriptum est enim: Mihi vindictam, & ego retribuam*.& 2.ad Corinth. 12.& ad Ephes. 6. *Arma militiæ Christianæ non carnalia, sed spiritualia sunt*. Ergo ex iis omnibus infertur, bellum procul à Christianis esse debere. Secundum argumentum desumitur ex variis testimoniis Patrum, quorum aliqua referuntur à Gratiano *de consecrat. dist*. 5. Specialiter *cap. si qui verò, & cap. contrarium, cap. falsas*. In quibus redeuntes ad militiam, postquam se Deo manciparunt, condemnantur. Tertiò, Bellum causa est multorum innocentium cædis, direptionis reipublicæ, deuastationis regni, imò plurimorum peccatorum, quibus milites solent esse inuoluti. Ergo est illicitum. Quartò, est contrarium paci, quæ est charitatis effectus. Ergo est per se malum. Quintò, videtur contrarium præcepto diligendi inimicos. Sextò, videtur contra diuinam voluntatem intendentem peccata Christianorum bellis, & calamitatibus punire, si vi, & armis propulsare conamur.

Sed hæc facilè diluuntur. Ad primum dici posset omnia illa loca scripturæ solùm probare arma regulariter assumenda non esse, sed solùm necessitate vrgente, & quando aliter fieri non potest. Ad loca Isaiæ, & Micheæ respondeo, prædici ibi tempore Christi esse summã pacem, sicuti fuit eo nascente, non tamen prædictum est successu temporis bella non esse assumenda. Ad locum *Matth*. 5. respondeo esse consilium percutienti vnam maxillam, præbere illi alteram, & hoc non semper. Aliàs iniquè fecisset Paulus. *Act*. 23. qui percussus in facie ob mandatum Principis sacerdotum, non præbuit alteram maxillam, sed potiùs dixit, *Percutiat te Deus paries dealbate*;& Christus Dominus seruo Principis sacerdotis percutienti non obtulit aliam maxillam; imò potius increpauit, dicens, *Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem bene cur me cædis?* Ergo ex illo loco non infertur esse semper consilium se offerre post vnam receptam iniuriam alteri simili. Solùm enim Christus Dominus persuadere nos voluit, vt recipientes iniuriam parati simus aliam grauiorem, si inferatur, patienter sustinere: non autem voluit, vt semper permittamus inferri; vt rectè D. Augustin. *epist*. 5. *ad Marcellin*. arguit. Ad locum *Matth*. 26. reprehensus est Petrus, tum quia contra Dei voluntatem procedebat: scire enim debebat se voluntariè morti offerre, tum inutilis eius defensio contra tot milites sic armatos, potiùs enim ex illa irritandi essent in Christum, quàm coërcendi. Cùm verò subiungitur. *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt*, intelligitur de recipientibus in vindictam propriam, & propria authoritate, vel ad defensionem innocentis omnino inutilem. Eadem solutio adhibenda est verbis Pauli ad *Rom*. 12. cùm autem dicit ad Corinth.& ad Ephes. arma militiæ nostræ esse spiritualia, & non carnalia, intendit docere Christi regnum non temporale, sed spirituale, & non armis, & bellis augendum esse, sed prædicatione, miraculis, & vitæ exemplo. Item in loco ad Corinth. loquitur de armis, quibus Ecclesiæ principes vtuntur aduersus subditos rebelles, quæ sunt censuræ Ecclesiasticæ, aliæque spirituales pœnæ. In loco autem ad Ephes. agit de armis, quibus diabolo resistendum est, quæ sunt orationes, pœnitentiæ, & similes.

Ad secundũ respondeo aliquibus illicitum esse bellum ob circumstantiam, qualiter antiquo tempore illicitum erat eis, qui ex præcepto Ecclesiæ publicam agebant pœnitentiam, non enim licitum illis erat ex pœnitentia non peracta ad bellum proficisci, nisi necessitas vrgeret, & tunc ex consilio Episcopi, vt dicitur *in cap. falsas, de consecrat. dist*. 5. Aliis illicitum erat bellum ob professionem vitæ religiosæ, quam deserere, & militiæ sæculari se addicere non conueniebat. Aliis verò erat illicitum, quia redeuntes ad militiam profitebantur fidem deserere, & iussa Imperatorum religionem Christianam persequentium exequi velle, vt colligitur satis ex illo *c. si qui verò*, qui est 11. Concilij Nicæni.

Ad Tertium dico probare bellum per se non esse appetendum, sed solùm esse appetendum, quando non est aliud remedium; vt benè dixit August. *epist*. 207. ad Bonifacium Comitem. Pacem (inquit) habere debet volũtas, bellum necessitas, vt liberet Deus à necessitate, & conseruet in pace. Mala verò quæ ex bello iusto inferuntur per accidens sunt, & maiora essent, si bellum non moueretur, vt benè expendit August. *in cap. quid culpatur*, 23. *q*. 1.

Ad Quartum nego bellum iustum esse contrarium paci, imò potiùs pacem obtinere, vt dixit Philosoph. *lib*. 7. *polit. c*. 14. & 15.& August. *epist*. 207. ad Bonif. Dicitur autem contrarium paci tum quia multipliciter iniustum esse solet, tum quia materialiter, & secundùm rẽ procedit ex dissensione voluntatis vnius ad alterum.

Ad Quintum nego esse contrarium præcepto dilectionis inimicorum; aliàs iudex non posset malefactores punire. Præceptum enim dilectionis solùm obligat, ne velis malum inferre inimicis, quatenus malum est: at inferre illis malum, quia illis, & reipublicæ bonum est, non est contra debitam illorum dilectionem. Est enim bonum illis, vt ab iniuria desistant, timeántque similem committere. Est etiam bonum reipublicæ, quæ hac ratione se in pace conseruat.

Ad Sextũ nego esse contra diuinam voluntatem resistere iniuriis, & calamitatibus, quæ iniusto bello nobis inferuntur, quia Deus solùm permittit ea inferre, si nos non cauerimus; non autem præcipit, & à fortiori non prohibet, ne ea impediamus. Aliàs non liceret remedia illa adhibere, vt pestis, inopia, falsáque testimonia vitarentur.

7 Dixi bellum esse iustum, & licitum, seruatis tamen aliquibus conditionibus; Tres enumerantur à Doctoribus. Prima, legitima authoritas. Secunda, iusta causa, & titulus bellandi. Tertia, debitus modus in illius prosecutione. Sic D. August. *lib*. 22. *contra* Faust. *tum. cap*. 74. & 75. Suar. *disp*. 13. *de charit. sect*. 1. *in fine*. Valen. 2. 2. *disp*. 3. *q*. 16. *p*. 2. *in princ*. Coninch *disp*. 31. *dub*. 1. *in fine*. Bonac. *disp*. 2. *de restit. q. vlt. p. vlt*. §. 2.& alij. Addunt verò aliqui quartam conditionem, vt ex debito fine fiat, *ex cap. quid culpatur* 23. *q*. 1. qui si de fine extrinseco operantis loquuntur, necessaria specialiter non est, cùm ex tali fine non reddatur bellum iniustum. Neque iudex, qui animo vindictæ punit iuxta iuris regulas delinquentem, iniustitiam committeret, esto contra charitatem faciat, & peccet, ille ergo finis ad honestatem actionis operantis, non ad iustitiam belli expostulatur. Coninch *supr*. Valen. *disp*. 3. *q*. 16. *p*. 2. *circa finem. vers. decimò certum est*. Si autem de fine intrinseco ipsius belli loquantur, ad secundam conditionem reducitur, quia idem est finis, ac causa, titulúsque bellandi. De iis ergo conditionibus in seqq. est agendum.

PVNCTVM II.

Quæ authoritas ad bellum requisita sit.

1 *Quilibet habet authoritatem bellum purè defensiuum indicendi.*

2 *Bellum aggressiuum solus Princeps, vel respublica superiorem non recognoscens indicere potest.*

3 *Aliqua*

3 *Aliqua ex superiori doctrina notabilia inferuntur.*
4 *Consuetudine introduci potest, vt respublica inconsulto suo Principe bellum moueat. Et qua ratione hoc verum sit.*
5 *Quid dicendum in casu quo superior vindicare noluerit iniuriam reipublicæ sibi subditæ.*
6 *Pontifex habet ius indicendi bellum, quando bonum Ecclesiæ id postulat.*

1 SI de bello purè defensiuo loquamur, cõstat apud omnes in quolibet residere authoritatem illud indicendi. Quia cuilibet à natura concessum est ius se defendendi, & iniurias propulsandi. Sic Doctores statim referendi. Quapropter de bello aggressiuo est difficultas penes quem hæc potestas resideat?

2 Regula est ab omnibus recepta residere solùm in Principe, vel republica in causis ciuilibus, & criminalibus superiorem non recognoscente, sic D. Thom. 2.2. *q.40.ar.1.*& ibi Caiet. Arag. Bannes, & alij. Valen. *disp. 3. q.16.p.2.vers. itaque secundò.* Suar. *disp. 13 de charit. sect. 2.art.n.1.* Ægid. de Coninch *disp.32. dub.3.n.57.* Couaruu. *reg. peccatum. parte.2.§.9.n.* Bonac. *disp. 2. de restit.q.vlt.p.vlt §.1. n. 4.* Mol. *tract. 2. disp.* 100.& alij apud ipsos, & deciditur ab August. *cap. quid culpatur. 23. quæst. 1.*

Ratio est, quia in qualibet republica residet potestas puniendi delicta suorum ciuium, vt hac ratione in pace conseruentur, & malefactores contineantur, ergo in illa residere debet potestas vindicandi iniurias, puniendique malefactores alterius reipublicæ non habẽtis superiorem, & illos coërcendi. Nã hæc potestas penes aliquem residere debet, cum necessaria omnino sit, vt in pace conseruetur. At residere non potest talis potestas in republica iniuriante, quia ipsa sui ipsius vindex esse non potest. Restat ergo vt in republica iniuriata resideat, cui ratione iniuriæ acceptæ subditur respublica iniurians.

3 Ex qua ratione manifestè constat, si aliqua ciuitas Principi, vel reipublicæ supremæ subiecta iniuriam intulerit, alteri supremo Principi, vel reipublicæ, nõ posse hunc aduersùs ciuitatem illam mouere bellum, quin priùs apud eius superiorem ius expostulet. Quia penes illum residet potestas vindicatiua criminum, quæ à subditis committuntur. Quod si respublica, vel superior ille Princeps vindicare noluerit, poterit tunc respublica damnũ passa non solũ aduersus ciuitatẽ inuriantẽ, sed aduersus rempublicã, & superiorẽ nolentem sibi ius dicere bellũ mouere, vt benè tradit Aug. relatus *in cap. Dominus. 23.q.1.* Mol. *tract. 2. de iustit. disp. 100. vers. illud tamẽ.* Coninch *dub. 3.n.58* Secundò, constat rẽpublicã, vel Principem subditum iniuriatum ab alio Principe, vel republica suprema non posse propria authoritate bellum mouere aduersùs illum, sed necessariò requirere debet sibi superiorem, qui partes ipsius assumat, & satisfactionem exigat, sic omnes Doctores in princ. relati. Ratio est manifesta, quia ideò respublica perfecta, quæ est illa, in qua omnes causæ terminantur, potestatem habet vindicandi proprias iniurias, quia non habet superiorem, qui illam defendat, & cuius authoritate id faciat. Ergo respublica imperfecta, quæ superiorem habet obligatum illam defendere, non poterit propria authoritate bellum mouere. Vsurparet enim ius sui superioris, & rempublicam perturbaret.

4 Duplicem limitationem huic secundæ illationi adhibent Doctores: prima vt intelligatur, nisi aliter consuetudine præscriptum sit. Posse enim consuetudine præscribi, vt vna ciuitas inconsulto suo Principe bellum moueat aduersùs sui offensores, probatur ex eo, quia ratione consuetudinis censetur ex voluntate sui Principis mouere: sic Caietan. 2. 2. *quæst. 40. artic. 1.* Lorca *ibi. disp. 50. num. 12.* Coninch *disp. 31. dub. 8. fine. num. 64.* Victor. *in relect. de iure belli. n. 9.* Mol. *tract. 2. disp. 100 vers. victoria in relect.* Et placet mihi duplici sub limitatione apposita, prima vt consuetudo legitimè introducta sit. Nam si eius introductioni Princeps repugnauit, potiùs seditio, & rebellio, quàm consuetudo legitima dicenda est; ac proinde nullum ius tribuere potest, sic Caieta. & Mol. *suprà.* Secunda, vt intelligatur de authoritate mouendi bellum aduersùs non subditos ipsi Regi. Nam si tam pugnantes, quàm oppugnati eidem superiori subiecti sunt, contra rationem naturalem videtur esse consuetudo proprias iniurias vindicandi, cùm authoritate superioris vindicari possent. Neque Princeps est censendus vnquam consensisse, sed potiùs omnino repugnasse, cùm tale bellum, cùm sit bellum ciuile, & inter partes eiusdem reipublicæ perfectæ, in eius perniciem, & perturbationem totius regni cedit, sic Suar. *disp. 18. de char. sect. 2. n. 2.*

5 Secundam limitationem, quam ex Victor. suprà aliqui addunt, est, vt procedat extra casum necessitatis. Nam si superior vindicare noluerit iniuriam factam reipublicæ sibi subditæ, poterit tunc illa respublica aduersùs offensores bellum mouere, ne insatisfacta maneat. Cæterùm hæc limitatio absolutè probanda non est, præcipuè inter subditos eiusdem Principis ob grauissima mala, quæ inde oriri possunt; aliàs cuilibet particulari, præcipuè patrifamilias licebit se vindicare, si eius Princeps noluerit ius sibi dicere, quod est absurdum. Quocirca solùm in casu, in quo bellum reputaretur omnino necessarium ad coërcendos malefactores, ne nouam iniuriam inferant, poterit illa inferior respublica bellum mouere, quia tunc non in vindictã, & punitionem iniuriæ illatæ assumitur, sed in defensionem, quod à iure naturali concessum est. sic Mol. *dicta. disp. 100. vers. Idem Victor.* (inquit enim) quando ita necesse esset, vt ab iniuriis inferendis se continerent. Coninch *dub. illo. 3. n. 61.* Suar. *sect. 2. n. 2.*

6 Aduerto tamen Pontificem non solùm habere ius indicendi bellum, sicut quilibet alius Princeps supremus, sed etiam quando bonum totius Ecclesiæ id necessariò expostulat, habet potestatem prohibendi Christianis Principibus, ne bellum gerant, cui præcepto ipsi obedire tenentur. Quod si rebelles sint, & bellum moueant, peccabunt non solùm contra charitatem, sed etiam contra iustitiam, quia ius bellandi illis ob bonum publicum ablatum est. sic Suar. *disp. 18. de char. sect. 2. in fine.*

PVNCTVM III.

Quæ sit causa iusta, iustúsque titulus bellandi.

1 *Triplex est causa iusta, iustúsque titulus belli.*
2 *Iniuria, quæ bellũ honestare potest, debet esse grauissima.*
3 *Enumerantur aliquot iniuriæ bellum honestantes.*
4 *Quid de impedientibus mercaturam, venationem, piscationem in suo regno? Affirmatur non esse causam iustam belli, nisi id debitum sit.*
5 *Ob solam iniuriam impediendam, reparandam, vel vindicandam bellum moueri potest.*
6 *Aduersùs occidentes innocentes, & impedientes Euangelij prædicationem bellum moueri potest.*
7 *Ob idololatriam, infidelitatem, & alia peccata contra naturam impedienda bellum moueri potest.*
8 *Quomodo tibi debet constare de iusta causa bellandi, respondetur remissiuè. Requiritur tamen, vt claris probationibus possidentem conuincere possis ad te regnum pertinere.*
9 *An ex vtraque parte possit dari iustus titulus bellandi? Proponitur ratio dubitandi.*

10 *Resoluitur per se, & seclusa ignorantia dari non posse.*
11 *Satisfit rationibus contrariis n. 9. adductis.*
12 *Ad honestandum bellum iniuria materialis sufficit.*
13 *An oblata ab aduersario satisfactione sufficienti, debeas ab illo desistere. Distinguit Caietan. de satisfactione ante bellum inceptum, vel post.*
14 *Non approbatur eius distinctio, sed quocunque tempore offeratur satisfactio plena, debes ab illo desistere.*
15 *Sed quid dicendum, quando pars rebellis digna est morte ob iniuriam illatam? Probabilius est non esse obligationem acceptandi satisfactionem aliam.*
16 *Hoc verum est spectato iustitiæ rigore, at ex charitate sæpè erit obligatio.*
17 *Stante iusta causa bellandi potest bellum iniustè fieri, si adsit minima spes victoriæ, & parum vtilitatis ex bello speretur.*
18 *Si damna quæ ex bello sequuntur præualeant vtilitati, quæ ex victoria speratur, illicitum est bellum. Item si religio Christiana minuenda est, & heretici potentiores futuri.*

1 CAusa iusta, iustúsque titulus bellandi triplex est. Iniuriam imminentem impedire, illatam resarcire, & illam vindicare. sic D. Aug. relatus. *in cap. Dominus.* 23. q. 1. & ex illo D. Thom. ab omnibus receptus. 2. 2. *q.* 40. *art.* 1. Titulus primus, & secundus belli est clarissimus. Nam quælibet respublica ius habet se defendendi: in qua defensione continetur iniuriam imminentem impedire, & sibi factam reparare: nam dum iniurians non reparat iniuriam, continuat. Potest ergo respublica titulo defensionis propriæ hanc reparationem procurare bello, si ad id necessarium est; quia procurans hanc reparationem, à continuatione iniuriæ se defendit. Titulus autem tertius etiam est sufficiens, vt probaui in puncto præcedenti, cùm in nullo alio, nisi in republica offensa possit residere potestas vindicandi iniurias factas ab alia republica superiorem non habente. Neque obstat eandem rempublicam, vel supremum Principem esse iudicem simul & vindicem propriæ iniuriæ: quod videtur inconueniens ob probabile periculum excessus. Non, inquam, obstat, quia respublica, vel supremus Princeps non proprio consilio, sed communi sui regni ducitur in hac vindicta, & non tam propriam, quàm communem causam agit; secus verò contingit in priuato, ob idque non versatur tantum periculum excessus. Adde, persona priuata potest manu sui superioris se satisfacere. Quod si aliquando superior nolit ius illi dicere, per accidens est, & patienter debet tolerare. At respublica suprema, cùm superiorem non habeat, ipsa sui ipsius debet esse vindex.

2 Qualis autem debeat esse injuria, quæ bellum honestare potest? Constat apud omnes debere esse grauissimam; Nam cùm in bello nocentibus, & innocentibus plura mala, & pericula tum mortis, tum deuastationis bonorum fortunæ contingant, meritò grauem causam expostulant: sicut enim pro leui delicto, non licet iudici malefactorem mortis pœna punire; ita non licet bellum, quæ grauissima pœna est, inferre. Sed pro mensura peccati debet esse & plagarum modus, *Deut.* 25. sic ex communi sententia docet Victor. *de iure belli num.* 14. Coninch *disp.* 31. *dub.* 2. *num.* 53. Mol. *tract.* 2. *disputatione* 102. *vers. illud est*, Suar. *disputat.* 13. *sect.* 4. *n.* 2. Valen. 2. 2. *disp.* 3. *q.* 16. *p.* 2. *vers. tertio*: vbi inquit, Ad bellum iustè inferendum, non sufficit qualiscúnque iniuria, sed quę vel absolutè, vel ob aliquas circumstantias sit vel maior, vel certè non minor, quàm damna, quæ solet bellum afferre.

3 Aduerto tamen cum Suar. aliquando leuem apparere iniuriam, quæ spectatis omnibus circumstantiis grauis est, quia viam aperit grauioribus malis, sic non est reputanda leuis iniuria occupatio vnius minimi oppidi, illiúsque deuastatio; quia est grauis domini contemptus. Quapropter Mol. *disp.* 104. Coninch *n.* 52. Valen. *puncto.* 2. *vers. extra controuersiam.* Bonac. *disp.* 2. *de restit. q. vlt.* §. 2. *in princ.* & alij referunt iniurias, ob quas bellum indici potest: primò, Iniusta aggressio reipublicæ. Secundò, Rebellio subditorum. Tertiò, Publica in Principem contumelia, vel in sibi subditos, quia est illorum custos, & defensor. Quartò, occupatio iniqua alicuius ciuitatis: Quintò, violatio fœderis initi in re magni momenti. Sextò, denegatio eorum, quæ iure gentium omnibus videntur licere, qualis est transitus necessarius per alienas terras, hic enim si absque causa iusta negetur, præbet sufficientem causam bellandi. sic Mol. Victor. Valen. & Bonac. *suprà*, & probat manifestè August. *in c. notandum.* 23. *q.* 2. Ex illo loci *Num.* 21. vbi filij Israël aduersùs regem Amorreorum mouerunt bella, quia eis transitus innoxius denegatus fuit, qui iure humanæ societatis æquissimo patere debebat. Debent tamen transeuntes omnem securitatem facere; alias iustè illis poterit denegari: qua ratione sæpè armatis denegatur, quia ferè semper periculum timetur, vt benè dixit Coninch *disp.* 31. *dub.* 2. *n.* 51.

4 Hanc causam extendit Victor. 2. *p. de Indis insulanis in princip.* vt comprehendat, si aliqua respublica, v. g. Indica, vel Veneta, nõ permittat ciues alterius reipublicæ ibi peregrinari, mercaturam exercere, per flumina illius regionis nauigare, piscari, mineralia effodere, gemmas, & aurum extrahere, præcipuè, si hæc aliis exteris concessa sint, quia iure gentium hæc omnia videntur deberi. At hæc extensio admittenda non est, cùm nullo iure probari possit tale commercium cuilibet extero deberi, præcipuè, cùm illa respublica grauissimas causas habere possit denegandi externis id, quo indigent domestici, sic latè Mol. *tract.* 2. *disp.* 105. *vers. ut nobis contrarium.* Coninch *disp.* 31. *dub.* 2. *n.* 52. maximè cùm ex tali commercio sæpè damna propriis ciuibus proueniant. Adde si aliquibus ex suis subditis ob aliquam causam in aliorum vtilitatem potest respublica commercium, & nauigationem, piscationem, & alia eiusmodi interdicere, cur non poterit exteris, quibus prouidere, reipublicæ non incumbit? Restat ergo, vt solum bellum inferri possit, cùm ius debitum violatur. Pro hac ergo violatione impediendo, reparanda, & vindicanda bellum moueri potest non solùm aduersùs præcipuos offensores, sed etiam aduersùs eorum fautores, defensores, & receptores, quia hac ratione ipsi iniuriosi sunt. sic Mol. *tract.* 2. *de iust. disputatione* 104. *versio. quarta, & quinta.* Valen. *puncto* 2. *versicul. quarto, ex sexto.* Coninch *numero* 24. & 26. & 53. Bonac. *disp.* 2. *de restit. quæst. vlt. p. vlt. n.* 6. & alij.

5 Dixi causam iustam belli esse iniuriam impediendam, reparandam, vel vindicandam, vt inde colligatur ob nullam aliam causam bellum moueri posse, quia bellum est actus iustitiæ, quo bellans intendit ius suum illæsum seruare. Ergo vbi nullum ius læditur, nulla est occasio bellandi, sic supponunt Doctores relati, Mol. *disp.* 104. & 105. Bonac. *supra.* Coninch. *disp.* 31. *dub.* 2. *num.* 54. Suar. *de charit. disp.* 13. *sect.* 4. *artic. num.* 3. & *sect.* 5. *num.* 6.

6 Hinc infero te posse bellum mouere aduersùs eos, qui innocentes occidũt, ad idololatriã cogunt, aut alias iniustitias committunt; quia suscipis bellum in defensionem proximi, & nomine illius. sic Mol. *disput.* 106. *concl.* 3. Suar. *de charit. disp.* 13. *sect.* 5. *n.* 5. Bonac. *disp.* 2. *de restit. quæst. vlt. p. vlt.* §. 2. *in fine.* Eadem ratione mouere bellum potes aduersùs eos, qui prædicationem Euangelij impediunt, concionatores iniuriis afficiunt, religionem Christianam blasphemant, quia hæc est defensio Christianæ fidei, vt latè diximus, cùm de fide agere

ageremus, & tradit in præsenti Suar. *sect.* 5. *in fine.* Bonac. *suprà.*

7 Secundò, infero ob idololatriam, infidelitatẽ, & alia peccata contra naturã te non posse bellũ suscipere aduersùs eos, qui nullo modo tibi subditi sunt. sic Bonac. *disp.* 2. *de restit. q. vlt. p. vlt.* §. 2. *n.* 13. Mol. *disp.* 106. Valen. *disp.* 1. *q.* 10. *p.* 7. Coninch *disp.* 31. *dub.* 2. *n.* 54. Suar. *disp.* 13 *sect.* 5. *n.* 3. Ratio est manifesta, quia nemo puniri potest, nisi punienti subditus sit, quia punitio actus est iurisdictionis, quia est actus vindicatiuæ iustitiæ. Subditus autem esse potest vel ratione personæ, vel ratione delicti, qui ergo ex persona alteri non subiicitur, ex ratione delicti subiici illi non potest, nisi delictum contra illum sit, illiúsque ius violet; aliàs quælibet respublica aduersùs aliam mouere bellum continuò posset ob peccata, quæ ciues committunt: quod est omnino absurdum. Non enim Deus omnibus potestatem dedit suas iniurias vindicandi. Hinc à fortiori colligitur non esse iustum titulum barbaram gentem debellandi, vt aptiore, & politico modo gubernentur, si eorum vita aliis iniuriosa non sit. sic Mol. *disp.* 105. *in fine.* Coninch *disp.* 31. *dub.* 2. *in fine. n.* 55. Suar. *de charit. disp.* 13. *sect.* 5. *n.* 5. Sed vt clariùs supradicta doctrina innotescat, enodandæ sunt aliquot difficultates circa causam iustam belli.

8 Prima difficultas est, qua ratione tibi constare debeat de iusto titulo bellandi, vt possis bellum inferre? Cui difficultati pro tenuitate nostri ingenij satisfecimus *tract. de conscient. disp.* 2. *puncto.* 7. *&* 8. *& disp.* 3. *p.* 4. tam de inferente bellum, quàm de militibus pugnantibus, quomodo debeant examinare causam belli. Solùm aduerto te non posse alium à possessione regni deturbare ex eo, quòd credas regnum ad te pertinere, nisi simul valeas claris probationibus conuincere; quia dum possidenti hæc non ostenduntur, non tenetur se regno priuare, sed potest se vi aduersus inuadentem tueri. Ergo inuadens non potest illum expellere. Aliàs bellum non solùm materialiter, sed formaliter iustum daretur ex vtraque parte, quod non est admittendum. Quòd si probationes claræ sint, ipse tamen vel ob ingenij hebetudinem, vel ob passionem, vel quia malè consulitur, illis non acquiescit, poteris tunc debellare, quia præsumere potes ex malitia procedere, vel ex ignorantia, quæ tibi præiudicare non debet. sic benè docet Coninch *disp.* 31. *de char. dub.* 2. *art. num.* 44.

9 Secunda difficultas est, an dari possit iustus titulus bellandi ex vtraque parte. Videtur inquam, dari posse, primò sæpè oppugnans, & oppugnatus non peccant belligerando, eo quòd vterque probabiliter credit sibi regnum pertinere. Ergo ex parte vtriusque est iustus titulus. Secundò, Oppugnans ciuitatem interficere potest innocentes, si alia via non potest illam subiicere. At innocentes possunt se ab oppugnatione defendere. Item condemnatus ad mortem ob delictũ falsò probatum potest resistere executioni sententiæ. Ergo. Item captiuus ius habet fugiẽdi, & dominus ius detinendi. Et eadem est ratio de reo in carcerem detruso, qui ius habet fugiendi, cùm tamen iudex habeat ius illum detinendi, & puniendi si fugerit. Datur ergo titulus bellandi iustus ex vtraque parte, iustúmque bellum, etiam nulla intercedente ignorantia.

10 Dicendum tamen est dari non posse per se, & seclusa ignorantia iustum titulum belli ex vtraque parte circa eandem rem: sic supponit ex communi sententia Valen. *disp.* 3. *q.* 16. *puncto.* 2. *vers. nonò, certum est.* Rationem reddit, quia nulla virtus potest habere actus sibi contrarios, aliàs secum pugnaret, & bonum bono contradiceret. Ergo iustitia, quæ tibi præbet titulum iustum possidendi, v.g. ciuitatem, & oppugnandi ibi existentes, non potest tribuere iustum titulum oppugnatis tibi contradicendi. Item iustitia vindicatiua, quæ tibi præbet ius puniendi delinquentem, non potest tribuere ius delinquenti resistendi punitioni.

11 Neque obstant contraria.

Ad primum; concedo, sæpè oppugnantem, & oppugnatum non peccare, quia ex ignorantia inuincibili iuris procedunt. Hoc tamen non probat ex vtraque parte dari iustum titulum, sed ex vna parte dari, & in alia præsumi, & ratione illius præsumptionis potest ille actus ad iustitiam pertinere.

Ad secundum, admitto innocentes oppugnari, quatenus sunt mixti nocentibus, & nequeunt nocentes alia via oppugnari; Et vt sic ipsis non conceditur ius resistendi, conceditur tamen ius fugiendi, quod oppugnatores impedire non possunt, imò potiùs debent facere. Similiter delinquenti non conceditur ius resistendi magistratui in executione sententiæ: esto concedatur ius fugiendi sententiam, & captiuo conceditur ius fugiendi, non tamen resistendi detentioni, & punitioni, quę licèt aliquam contrarietatis speciem habeant, verè contraria non sunt, neque directè inter se pugnant, vt benè aduertit Valen. *suprà*, & Lessius *lib.* 2. *de iustit. c.* 13. *n.* 30.

12 Sed obiicies. Ergo falsò dictum est, iniuriam esse vnicam belli causam, siquidem ille qui non peccat, tibi iniuriosus non est, quia non est iniustus. Respondeo dupliciter sumi posse iniuriam, aliam formalem, & peccaminosam, aliam materialem & sine peccato contingentem Ad bellum ergo defensiuum, seu reparatiuum, quælibet ex iis sufficit; quia finis huiusmodi belli est ius proprium illæsum seruare, & læsum reparare; cui fini parùm refert lædatúrne cũ peccato, vel sine illo: Si tamẽ bellum vindicatiuum sit, id est, ad vindicandam iniuriam factam, hoc fieri nullatenus potest nisi peccaminosa iniuria commissa sit, quia pœna præcipuè ita grauis, qualis est belli indictio, necessariò culpã grauem, quam puniat, supponere debet. Sic Mol. *disp.* 102. *per totam.* Inter bella illa est notanda differentia, quòd ex bello procedente contra aduersarios inuincibili ignorantia laborantes, non potest bellator exigere expensas belli, neque aliquid aliud præter id, super quo bellum mouetur. Secus verò cum culpa committitur, quia ipsi oppugnanti nec tenentur ratione rei acceptæ, neque ratione iniustæ acceptionis. sic Mol. *disp.* 102. *post. med.*

Tertia difficultas est, an oblata ab aduersario sufficienti satisfactione, tenearis ab illo desistere?

13 Caietan. *in sum. verbo bellum*, distinguit de oblata satisfactione ante bellum inceptum, vel postquam cœptum est, dicitque te obligatum esse à bello desistere, si ante bellum offeratur ad aduersario sufficiens satisfactio, & damna illata tibi compenset. Quia tunc bellum non est tibi necessariũ, sed volũtarium, ac proinde erit illicitũ, quia sola necessitate assumi potest. *c. noli.* 23. *q.* 1. Si verò satisfactio offeratur post bellum inceptum affirmat Caiet. te non esse obligatum satisfactionem acceptare, quia iam aduersarij non sunt in statu satisfaciendi, sed satis patiendi. Idem reputat probabile Eman. Saa *in vtraque edit. verbo bellum. n.* 9.

14 Dicendum tamen est quocunque tebello, & absratur ab aduersariis debita satisfactio te obmpore offeà bello desistere, si securè desistere potes à ligatum esse que periculo perdendi victoriam: sic docent ex communi sententia Mol. *disp.* 103. *in medio. vers. belli causa.* Valen. 2. 2. *disp.* 3. *quest.* 16. *puncto.* 2. *vers. hic autem controuersia est.* Coninch *disp.* 31. *dub.* 2. *n.* 38. Suar. *disp.* 13. *de char. sect.* 7. *art. n.* 3. & alij apud ipsos. Ratio est, quia bellum solùm necessitate, non voluntate suscipitur, vt dixit D. August. *epist.* 207. *ad Bonifac. comitem*, & refertur *in cap. noli.* 23. *q.* 1. Sed cùm debita satisfactio offertur, cessat omnis necessitas bellandi. Ergo contra

contra iustitiam peccas, si tunc bellum prosequaris. Aduerto tamen sub debita satisfactione comprehendi, vt non solùm tibi reddantur omnia illa, quæ tua sunt, sed etiam soluantur expensæ in bello factæ, & pericula, & molestiæ, quibus te & tuos exposuisti, & iniuriæ factæ compensentur. Quia cùm ad hæc omnia ius habeas, omnia hæc compensari debent, priusquàm tenearis à bello cessare. Insupérque petere potes quidquid in posterũ tibi necessarium est, vt securè viuas, & pacẽ obtineas, quia hîc est præcipuus belli scopus. Quæ omnia in ipso conflictu, & belli congressu ferè sunt impossibilia, ideóque fortè dixit Caiet. nunc aduersarium potius esse in statu satis patiendi, quàm satisfaciendi, quia vix est possibile offerre tunc satisfactionem, quæ iudicetur præ angustia temporis tum sufficiens, tum secura; sic Doctores supra relati.

15 Sed quid si pars rebellis ob iniurias illatas digna sit morte, ita vt post partam victoriam absque vllo periculo possis illam perimere; petit tamen veniam, & in quantum potest, se tibi submittit, & iniuriam pecuniis, tributis, & aliis eiusmodi cõpensat, & pignora præbet, quibus te securum reddit à timore in posterum similis iniuriæ. Dubium ergo est, an tenearis hanc satisfactionem acceptare, & à bello desistere, vel possis bellũ mouere, quousque tibi tradantur nocentes iugulandi? Ratio dubitandi est, quia factus es iudex rebellium ob iniuriam acceptam, illiúsque vindex: sed iudex non tenetur acceptare satisfactionem oblatam à delinquente, sed pro grauitate delicti pœnam illi infligere potest, quæ sibi magis placuerit, modò limites iustitiæ non excedat. Ergo sic dicendum est in casu præsenti. Neque valet dicere te esse iudicem extraordinarium, & in defectum, quòd pars aduersa non habet superiorem. Nã præterquam quod sub lite est, an debeat iudex extraordinarius, vel ordinarius vocari ratione delicti, & iniuriæ acceptæ: nihilominus eo ipso quo iudex est constitutus, in defectum superioris videris illius vices habere, & sicut superior non teneretur acceptare satisfactionem illam, sed posset in aliorum exemplum pœnam promeritam nocentibus inferre, sic videris tu posse, & sic spectato iuris rigore affirmat Mol. *tract. 2. de iust. disp. 103. post med. vers. dubium est. & seqq.* Bannes. 2.2. *q. 40. art. 1. dub. 2. concl.* 4. Lorca. *disp. 49. num 6. & disp. 52. num. 3. & disput. 53. num.* 12. Et mihi placet hic modus dicendi, quamuis difficilẽ reputet Coninch. *disp. 31. dub. 2. a n. 19. & dub. 7. a. n. 106.* motus ea præcipuè ratione, quia bellum contra non subditos non potest indici ad vindicãdam iniuriam, nisi quatenus iniuriato necessarium est, vel ad reparationem honoris, vel ad futuram securitatem, quia vt dicit August. dicto *cap. nulli bellum.* sine necessitate indici non potest. Aliàs (inquit) obligati essent nocentes seipsos tradere iugulandos, neque possent vi resistere, neque alius illos defendere. Sed hæc omnia in firma sunt; pugnant enim contra sententiam affirmantem bellum esse actum vindicatiuæ iustitiæ, quod stare non potest, si iniuriæ vindicandæ solùm essent, quatenus earum vindicatio necessaria est ad reparationem iuris læsi, quia tunc potiùs commutatiuam iustitiam, & legalem, quàm vindicatiuam exerces. Vt ergo firmum sit, bellum esse iustitiæ vindicatiuæ actum, affirmandum est bellantem non solùm reparationem sui honoris, & securitatem in futurum intendere posse, sed etiam debitam pœnam iniuriantibus infligere, quod ex Adriano notat Valen. 2.2. *disp. 3. quæst. 16. p. 3. vers. secundo.* Neque inde fit teneri nocentes se tradere iugulãdos; sufficit enim si vi, & armis non resistant, quia ius conseruãdi vitã vtpote naturæ conforme, aliis iuribus præpõderat.

16 Aduerto tamen etsi spectato iustitiæ rigore non tenearis illam satisfactionem admittere; at spectato iure charitatis sæpè teneris: charitas enim postulat sic afflictis, & humiliatis minuere rigorem, ne in desperationem veniant, néve tot mala contingant, quæ secum trahit bellum: sic Coninch *dicta disp. 31. dub. 2. n. 26.* Mol. *disp. 103. circa finem. vers. hinc credo.*

17 Quarta difficultas est, an stante iusta causa bellandi, aduersùs aliquem illicitè moueas bellum?

Respondet Caiet. 2.2. *q. 96. art.* 4. Coninch *disp. 31. dub. 4. n.* 73. illicitè moueri, si minima subsit spes victoriæ: quia tunc temeritatis argueris, & iniuriosus tuis existes, cùm eos periculis grauissimis exponas ob exiguam vtilitatem. Cæterùm, vt benè dicit Suar. *disp. 13. de charit. sect. 4. in fine.* omnia pensanda sunt, & vidẽdum, an spes victoriæ præualeat damnis, quæ timentur: nam si spes præualet, tentari bellum potest; sin minus, cessandum à bello, inquam aggressiuo; secus à defensiuo, quia hoc cum aliquali spe victoriæ tentandum est, quia necessitatis, non volũtatis est. Ex quo fit verũ non esse, quod Caiet. affirmat, requiri moralẽ certitudinem victoriæ, vt bellum possit indici; quia solùm probabilis spes victoriæ potest præualere damnis, quæ ab aduersariis timentur. Itẽ quia bono reipublicæ maximè expedire potest, vt inimici intelligant te non esse pusillanimem, & timidum, sed forti animo, audacẽ, periculáque contemnere. Denique rarò liceret Regi minus potenti bellum potentiori indicere, si moralis certitudo victoriæ necessaria esset, cùm hæc à minus potenti ferè nunquam haberi posset.

18 Ex aliis autem capitibus potest bellum illicitum esse, & contra iustitiam stante iusta causa bellandi. Primò erit illicitum, & contra iustitiam, si damna, quæ ex bello sequuntur, propriæ reipublicæ præualeant vtilitati victoriæ speratæ, quia Princeps in suis communibus actionibus tenetur prouidere potius bono suæ reipublicæ, quàm proprio. A republica enim accipit potestatem gubernandi non pro suo libito, & vtilitate, sed pro bono ipsius reipublicæ, quòd si contra faciat, & contempta vtilitate reipublicæ propriæ acquiescat, non Rex, sed tyrannus erit. Sic Mol. *disp. 102. in fine.* Suar. *de char. disp. 13. sect. 4. num.* 8. Secundò illicitum erit bellum, & contra charitatem debitam bono communi, si credat inde religionem Christianam minuendam esse, & hostes Ecclesiæ potentiores futuros, & fortè nostra inuasuros, & occupaturos, tunc, inquam, Princeps Christianus læsus suis commodis cedere debet, vt bonum commune religionis non ita grauiter pereat, ad quod præstandum compelli potest à Pontifice, etiam sublato iure bellandi. Sic Victor. *de iure belli. n. 33.* Coninch. *disp. 31. dub. 4. n. 72.* Suar. *disput. 13. de charit. sect. 4. n.* 8. Valen. 2.2. *disp. 3. quæst. 16. puncto. 2. vers. octauo certum est.* Mol. *tract. 2. de iust. disput. 107. vers. rectè admonet.* Tertiò illicitum esse potest bellum, & contra charitatem debitam, si ob leue tui commodum grauissima mala reipublicæ aduersæ inferres, præcipuè si ipsa pro viribus tibi satisfacit. Suarez *suprà.*

PVNCTVM IV.

Qui modus seruandus sit in bello, vt licitè fiat.

1 *Ante bellum competit Principi examinare iustam causam bellandi, non autem ducibus, & militibus.*

2 *Ea licent Principi, ducibus, & militibus in bello, & post bellum, quæ necessaria sunt ad finem belli consequendum.*

3 *Duces, & milites ex mandato Principis debent procedere, aliàs contra iustitiam peccabunt cum obligatione restituendi.*

4 *In bello licitum est insidiis, & stratagematis vti, nisi fidem dedisses illis non vtendi.*

5 *Nocentes hostes licet bellanti occidere.*

6 *Non*

6 *Non tamen decet Christianam pietatem multos, etsi dignos morte, occidere.*
7 *Innocentes directè occidi non possunt, benè tamen indirectè.*
8 *Proponitur quædam obiectio probans innocentes directè occidi posse. Et fit illi satis.*
9 *Probatur innocentes posse indirectè occidi.*
10 *Explicatur, qui reputentur innocentes, quos non potest bellator vita directè priuare.*
11 *Licitum est libertate priuare hostes, & in seruitutem redigere.*
12 *Ab hoc iure excipiuntur Christiani capti ab aliis Christianis, nisi fuerint a fide apostatæ.*
13 *Innocentes optimè possunt in seruitutem redigi, si respublica digna est hac pœna.*
14 *An capti bello iusto possint fugere, & possis eos ad fugam iuuare. Proponitur sententia negans.*
15 *Affirmans sententia defenditur, nisi fidem seruum dederit de non fugiendo.*
16 *Satisfit contrariis n. 14. adductis.*
17 *Bona hostium etiam illorum, qui innocentes sunt, occupari a victore possunt.*
18 *Bona Ecclesiæ, & Ecclesiasticorum innocentium ab hac regula excipiuntur.*
19 *Per accidens deuastari, occuparique possunt, si necessarium fuerit ad finem belli consequendum.*
20 *Idem est dicendum de cuiuscunque innocentis bonis.*
21 *Victoria reportata probabilius est te teneri iis satisfacere, tametsi ex occupatione horum bonorum ditior non euaseris.*
22 *Repressaliæ, seu impignorationes licitæ sunt seruatis aliquibus conditionibus.*
23 *Bona in bello capta, si immobilia sunt pertinent ad principem, si mobilia, fiunt capientium, nisi aliter consuetudo obtinuerit.*
24 *Si mali a captis possideantur, & immobilia sunt, reddenda sunt dominis, si mobilia iure naturæ dominis prioribus reddi debent. At iure Cæsareo fiunt capientium, si ad præsidia, locáve tuta deportarunt.*
25 *Excipiuntur ea, quibus priuilegium postliminij est concessum.*
26 *Ea quæ iure Cæsareo concessa sunt legibus Castellæ, & aliorum regnorum approbantur.*
27 *Tria aduertēda sunt pro explicatione superioris doctrinæ.*
28 *Licitum est ciuitatem aliquã dari militibus in prædam.*
29 *Qua ratione Princeps compositionem facere possit cum alio Principe iniustè bellante.*

Hæc conditio explicatur, explicatis iis, quæ contingere possunt ante bellum, in bello, & post bellum, tum Principi, tum Ducibus, tum militibus.

1 ANte bellum tenetur Princeps, examinare iustam belli causam, illámque aduersariæ parti proponere, vt eidem iustitia belli constet, si compensationem debitam nolit facere. Quia nemo potest bellum indicere, nisi necessitate coactus, sic ex August. *ex cap.* Molin. 23. tradit Suar. *disput.* 13. *de bello, sect.* 7. *numero* 3. Ducibus autem, & militibus non competit causam iusti belli examinare, sed quoties de iniustitia non constat, præsumere debent iustam esse, vt latiùs diximus *tract. de conscien. disp.* 2 *p.* 8. *& disput.* 3. *part.* 14. & probat optimè Suar. *disp.* 13. *de bello. sect.* 6. *n.* 11. *&* 12. Quod præcipuè verum est, quando non sponte, sed præcepto coacti bellum suscipiunt, vt benedicit Coninch *disp.* 31. *dub.* 5. *n.* 84.

2 In bello autem, & post bellum dicendum est ea omnia licere Principi, & ex eius mandato ducibus, & militibus, quæ ad finem belli consequẽdum necessaria, vel conueniẽtia sunt ad reparationem acceptæ iniuriæ, ad illius vindicationem, ad pacem, & securitatem firmãdam: sic ex omniũ sententia tradit Victor. *relect. de iure belli, n.* 37. *& seq.* Syluest. *verbo bellum,* 1. *concl.* 2. *&* 3. Valen. 2. 2. *disp.* 3. *q.* 16. *puncto* 3. *assert.* 1. Mol. *tract.* 2. *de instit. disp.* 117. *in princ.* Bonac. *disp.* 2. *de restit. q. vlt. puncto. vlt.* §. 3. *n.* 14 Coninch *disp.* 31 *dub.* 7. *n.* 108. Suar. *de charit. disp.* 13. *sect.* 7. *n.* 6 *&* 7. Ratio est manifesta, quia si finis licet & media ad illum consequendum licere debent. Vnde licet hostium bona vsurpare, agros vastare, arcem occupare, ciuitatem diripere, si hæc omnia iudicantur apta ad supradictos fines.

3 Notanter dixi licere ducibus & militibus ex mandato Principis: nam si contra eius voluntatem saltem præsumptam bellum moueant, vel aliqua damna inferant., contra iustitiam facient cum obligatione restituendi. Quia ipsis datum non est, bellum mouere; neque iniurias sibi factas vindicare. Aduerto tamen aliquando hanc damnorum illationem militibus prohiberi, non in gratiam hostium, sed in ipsorum, & reipublicæ vtilitatem, ne, inquam, disciplina militaris deseratur, néve exercitus damnum aliquod patiatur, néve hostes irritentur tunc enim nulla erit obligatio militibus restituendi damna, quæ inferunt, quia præsumendum est, sic esse voluntatem Principis, postquam iam illata sunt, sic Mol. *tract.* 1. *de instit. disp.* 101. Bonac. *disp.* 2. *de restit. q. vlt. p. vlt.* §. 3. *n.* 16.

Vt ergo hæc doctrina clariùs elucescat, aliquæ speciales difficultates enodandæ sunt breuiter.

4 Prima, an liceat vti in bello insidiis, & stratagematis? Respondeo licere, si apta reputentur ad victoriam consequendam, quia hoc per se malum non est, non enim est mendacium, sed simulatio, occultatióque veritatis, quæ ex honesta causa sæpè licet, & tradit Aug. *relatus in cap. Dominus.* 23. *q.* 2. exemplo Iosue 8. cui præcepit Dominus insidiis vti ad expugnandam ciuitatem ait. Si enim licet hostes occidere, vt victoria obtineatur, quanto magis permittere, vt decipiantur. Excipiendus est casus, quo fidem dedisses hosti, non vtendi insidiis, quia tunc deberes fidem seruare, & promissa implere, vt benè dicit D. Thom. 2. 2. *q.* 40. *art.* 3. nisi fortè coactus dedisses, quia coactio promissionem annullat, vt diximus. *tract.* 2. *de peccat*: aut si promissio in graue damnum boni communis, reipublicæ, vel religionis cederet; quia tunc etiam iuramento firmata impleri non deberet, vel tandem si hostis violaret in toto, vel ex parte fidem vicissim datam. Non enim neganti fidem, fides seruanda est; quia hæ promissiones habent tacitam conditionem, dummodò promissarius promissis steterit. Et in iis conueniũt Doctores, vt videre est apud Valen. *disp.* 3. *q.* 16. *puncto.* 3. *illat.* 1. Bonac. *disp.* 2. *de restit. q. vlt. p. vlt.* §. 3. *num.* 16. Mol. *disp.* 111. *in princ.* Suar. *disp.* 13 *de bello sect.* 7. *n.* 23.

5 Secunda difficultas est, an liceat bellanti hostes occidere? De nocentibus, & rebellibus nulla est dubitatio occidi posse, tam in ipso pugnæ congressu, quàm post victoriam partam, si eorum mors necessaria sit ad vindicandam iniuriam, pacem, & securitatem in posterum stabiliendam: sic Valen. 2. 2. *disp.* 3. *quæst.* 16. *p.* 3. *vers. septimo infero.* Coninch *disp.* 31. *dub.* 7. *n.* 129. Suar. *disp.* 13. *sect.* 7. *n.* 7. Bonac. *disput.* 2. *de restit. q. vlt. p.* 12. §. 3. *num.* 21. vbi alios refert. Ratio est, quia si fraus licet, & media licere debent. Item parta victoria iam hostes vincenti subduntur, & vincẽs est eorum iudex, & superior. Poterit ergo in pœnam delicti cõmissi eos interficere, si delictum morte dignum sit. Quod verum habet, etiamsi nocentes hostes se dederint inimicis, adhuc enim morte plecti possunt, si digni sunt, nisi fortè sub promissione vitæ se dederint, quia tunc seruanda est. sic Bonac. *disp.* 2. *de restit. q. vlt. sect.* 1. *puncto.* 12. §. 3. *num.* 25. Mol. *tract.* 2. *disputat.* 122. *in fine.* Valen. *disp.* 3. *q.* 16. *puncto.* 3. *sub.* 7. *infero.* 2. *vers. secundo. pag.* 722.

6 Aduertendum tamen est, si multi nocentes sint, & omnes digni sint morte, & illa affici possent, spectato iustitiæ

iustitiæ rigore, non tamen sic esse afficiendos. Quia crudelitatem redoleret,& in detrimentum boni communis, & religionis cederet, nisi fortè ad firmandam pacem hoc simpliciter iudicaretur necessarium. Non enim decet Christianum sic exardescere aduersus iam victos, & humiliatos, sufficeret tamen ad aliorum exemplum præcipuos punire, & multitudini parcere. sic Victor. *de iure belli.n.*44. Valen.& Coninch.*suprà*.& optimè Mol.*disp.*122.*concl.*2.3.*&* 4.

7 Quòd si de innocentibus loquamur, constat apud omnes per se,& directè occidi non posse, benè tamen indirectè: sic pluribus relatis docent Couarruu.*reg.peccatum.*2.*p.*§.3. *num.*4. Franciscus Victor. *de iure belli.a. num.* 35. Mol. *disp.* 119. *concl.* 1. *&* 2. Suar. *disput.*13. *sect.*7.*a.n.*15. Bonac. *disp.* 2.*de restu.q. vlt.sect.*1. *puncto* 12. §.3.*num.*17. Valen.*disp.*3. *quæst.*16. *part.*3.*vers.tertio infero*, Coninch *disp.*31.*dub.*7.*num.* 120.*& aly*. Priorem partem probo, quia occisio hominis per se mala est, & prohibita, nisi à potestate publica ex causa legitima fiat. At nulla est causa legitima interficiendi innocentem. Nam si aliqua esse posset, maximè culpa totius ciuitatis, cuius ipsi sunt partes, sed hæc esse non potest, quia ipsi immunes fuerunt ab illa culpa. Ergo ob illam non possunt ipsi vita priuari, argum. *de Vieron.* 24. vbi ob peccatum patris nequit filius occidi, & ratio est, quia neque pater est dominus, neque esse potest vitæ filiæ, neque respublica vitæ suorum ciuium. Quando enim ob peccatum vnius alter punitur, semper puniri debet in bonis, quæ ad ipsum delinquentem aliquo modo possint pertinere,& quorum ipse dominus fieri possit,& non in aliis, quia delinquens est, qui ibi præcipuè punitur, priuando ob eius causam innocentem honore, bonis fortunæ, & libertate. Cùm ergo nunquam dominus esse possit vitæ alterius, efficitur ob eius causam priuari non posse. Confirmarique potest exemplo Ambrosij relati *in c.cum apud Thessalonicam.* 11.*q.*3. excommunicantis, & grauiter reprehendentis Theodosium Imperatorem, eo quòd innocentes cum nocentibus inuolueret in pœna mortis ob rebellionem ciuitatis. Quod si in aliquibus locis scripturæ videantur innocentes absque peccato fuisse interfecti à populo Israëlitico, vt *Iosue* 6.*&* 1.*Reg.*15. id dicendum est fuisse factū ex speciali concessione Dei ob peccata illarū nationū: cùm enim sit dominus omniū vitæ, potest, prout sibi placuerit eam eripere, eripiendámque concedere.

8 Dices. Finis belli non solùm est recompensatio iniuriæ factæ, illiúsque vindicatio, sed pax,& securitas in futurum; sed timeri satis potest, si relinquantur viui, qui modo innocentes sunt, successu temporis nocentes esse futuros, & pacem turbaturos. Ergo ob huiusmodi finē occidi poterunt. Videtur enim hæc occisio esse quædā anticipata defēsio,& omnino necessaria?

Respondeo ob huiusmodi causam nullo modo licere innocentem occidere, quia aliàs liceret tibi priuato viro quemlibet occidere, si aliquam leuissimam suspicionem haberes successu temporis esse contra te arma sumpturum, quod absurdum est. Non enim licet in defensionem propriam alterum priuare vita, nisi occidendus aggressor sit. Qui autem innocens est, neque de facto te aggreditur; imò nec voluntatem habet te aggrediendi, aggressor non est. Ergo aduersùs illum non est locus defensioni. Quapropter Franc. Victor. *in relect. de iure belli,n.*38. Valen. *puncto* 3.*vers. nam si hæc*. Mol. *disp.* 119.*vers.vt vero*, & alij reprobant, vt omnino illicitam, & intolerabilem occisionem infantium in bello Sarracenorum, timore ne postquam adulti sint, Christianos infestent maiorum suorum exempla sequentes. Non enim licet pœnam infligere ob culpam non commissam, & fortè non committendam, præcipuè cùm aliæ dentur viæ præcauendi hæc mala, scilicet priuando infantes illos sua libertate, omnibúsque fortunæ bonis, quod statim dicemus fieri posse.

9 Secundam partem conclusionis, scilicet innocentes posse per accidens, & præter intentionem occidi, ex eo constat, quia hæc indirecta occisio sæpè est necessaria ad belli finem consequendum, quia sæpè innocentes ita mixti sunt nocentibus, vt nequeant ij oppugnari,& vinci, nisi cum periculo, & occisione innocentum. Si ergo finis belli tibi licitus est, & media sine quibus consequi non potest, licent. Adde talem occisionem non esse tibi imputandam, cùm tu illam non intendas, sed solùm permittas vtens iure debito. Quòd si obiicias. Illi innocentes se iustè à morte possent defendere. Ergo iniustè tu illos aggrederis occidendo; aliàs non esset iusta defensio. Respondeo negando se posse defendere te aggrediendo, tibique resistendo, quia si hoc facerent, iam fierent nocentes. Concedo tamen posse se defendere, pura, inquam, defensione, si hæc illis, aliqua ratione prodesse potest. Aduerto tamen semper considerandum esse, an finis belli præponderet innocētium morti,& damnis aliis inferendis, quia non est licitum tuam vtilitatem propriam cum iactura aliorū grauissima quærere, vt ex Victor. *relect. de iure belli, n.* 37. notauit Valen.*disp.*3.*q.*16.*puncto* 3.*vers.diximus*.

10 Sed inquires qui reputentur innocentes, quos nullo modo potest bellator priuare vita? Respondeo iure naturali reputari infantes,& mulieres, & qui non possunt arma sumere, bellúmque iuuare. Videtúrque probari ex illo Deuteron. 20. *Percutietis omne quod in ea est generis masculini absque mulieribus*, *& infantibus*, quasi reliqui omnes præter hos reputentur nocentes, & ij innocentes. Verùm vt benè aduertit Mol. *disput.* 119.*vers. hinc infert Victor.* sæpè mulieres adultas bellum iuuare, vel portando merces, vel seruando sarcinas, imò propria manu pugnando. Quapropter inter infantes innocentes reputari non debent, si hostes committentur, vel intra vrbem obsessam resideant, sed potiùs præsumendum est nocentes esse. Secus verò si non constet hostes fuisse comitatas. Item reputantur innocentes, dum aliud non constat, qui non sunt ciues reipublicæ oppugnatæ, vt sunt aduenæ, & peregrini, & mercatores non habentes domicilium, sed casu ibi mercemonia portantes, & quasi in transitu existentes. Iure autem gentium inter innocentes computantur legati, siue oratores, de quibus *cap. Paternarum* 24.*q.* 3. *& cap. illi qui eadem causa*, *& q.* quia nisi præsumerentur innoxij, non possent munus suum debitè exercere. Inter Christianos monachi, presbyteri,& conuersi reputantur innocentes, dum contrarium non probatur, quia in ordine ad bellum non sunt partes reipublicæ, cùm bellum illis sit prohibitum. *ca.innouamus. de treug. & pace.* ibi, Innouamus, vt Presbyteri, Monachi, Conuersi, peregrini, Mercatores, Rustici euntes,& redeuntes, & animalia, quibus arant, & semina portant ad agrum, securitate congrua lætentur. Et in iis consentiunt Doctores, Valen. *disput.* 3. *q.*16.*puncto* 3. *vers.quinam* Suar. *de charit.disp.*13.*sect.* 7.*n.*10. Mol. *de iust.disp.* 119. Bonac.*disp.* 2. *de restit.quæst.vlt.sect.*1. *p.*12.§.3.*n.*17.

11 Quarta difficultas, an liceat in bello libertate priuare hostes, & in seruitutem redigere? Si rei naturam spectemus, certissimum est apud omnes licere quoties in recompensationem iniuriæ factæ, & satisfactionem damnorum quæ victor passus est fuerit necessarium. Si enim victor priuare vita hostes potest, à fortiori poterit libertate, & habetur. §. *item ea quæ ab hostibus. Instit. de rerum diuis.* ibi, Quæ ab hostibus capimus, iure gentium nostra fiunt, adeò vt liberi homines in seruitutem nostram redigantur. Idem traditur *l. naturalem.* §. *vlt.& l. transfugam.ff.de acquir. rerum domin. l. si quid bello, l. hostes. ff. de captiuis & postlim. reuersis.* consentit *cap. ius gentium, dist.*1.*& cap.dicat.*23.*q.*5.

Ab hoc

12 Ab hoc autẽ iure excipiuntur Christiani capti ab aliis Christianis, & eorum filii, qui non possunt in seruitutem redigi ob consuetudinem inter eos præscriptam; possunt tamen detineri aliquantulum, dum pecunia aliqua in præmium capientium conceditur, sic alios referens docet Couarr. *reg. peccatum. 2. p. §. 11. num. 1. & 6.* Mol. *disp. 117. concl. 4.* Bonac. *disp. 2. de restit sect. 1. puncto. 12. n. 21.* Valen. *disp. 3. q. 16. pũcto. 3. vers. quinta assertio.* Suar. *disputat. 13. de bello. sect. 7. num. 13.* Coninch. *disputat. 31. dub. 7. num. 120.* Hoc tamen priuilegio non gaudent Christiani apostatæ à Fide, siue subditi sint bellantis, siue non, quia quod in fauorem Fidei introductum est, non debet prodesse iis, qui Fidem abiurarunt. Suar. & Valen. *suprà.* Hæreticis autem receptum est prodesse, quia ij aliquomodo Christũ fatentur, Suar. *loco citato.* Filiis autem Apostatæ, & Hæretici, qui Fidem non relinquunt, certum est prodesse.

13 Aliqui dubitant, an innocentes in seruitutem redigi possint, eo quòd neminem soleat Respublica libertate priuare, nisi ob eius culpam? Dicendum tamen est rectè posse, si iniuria ciuitatis aduersæ hanc pœnam mereatur, sic Victor. *de iure belli. num. 42.* Molin. *tit. de iustit. disp. 120.* Eman. Saa *verbo bellum. num. 2.* Coninch. *disp. 31. dub. 7. num. 112. & 119. & seqq.* Ratio est, quia libertas inter bona fortunæ, quorum Respublica dominium habet, computatur, quia respublica illorum bonorum habet dominium, quorum habent eius subditi: sed quilibet subditus propriæ libertatis dominium habet, illamque vendere potest necessitate vrgente. Ergo respublica idem facere poterit, & confirmo. Pater necessitate vrgente potest filium libertate priuare, & creditor debitorem impotentem soluere, si ius positiuum non obstaret. Ergo à fortiori poterit respublica quemlibet ciuem, cùm quilibet debeat satisfacere pro debito reipublicæ vtpotè pars ipsius. Adde receptissimum esse tradi infantes obsides inimico nolenti aliter à bello desistere, qui tamen in arctam, & sæpè in perpetuam seruitutem reducuntur: quod est quoddam genus seruitutis, & priuationis libertatis.

14 Sed inquires, án ij captiui possint fugere; illósque possis ad fugam iuuare? Suppono esse captos bello iusto; nam si iniusto capti essent, quales sunt omnes Christiani à Mauris, & Turcis: clarum est fugere posse, quia iniustè detinentur, & laudabile opus charitatis esse illos fugientes iuuare, & à possidentibus eripere. De seruis autem bello iusto captis censet Nauarr. *cap. 17. num. 103. & 104.* & plures alij relati à Couarrub. Valen. Lessio statim referendis, fugere non posse; quòd si seruus Christianus sit, & ab infideli domino fugiat, obligatum esse mittere pretium, non tamen reddere ob periculum peruersionis. Probat Nauarr. suam sententiam. Primò, quia seruus pretio emptus fugere non potest, ergo nec bello captus. Tum quia potior titulus seruitutis est, qui ob bonum commune reipublicæ introducitur, quàm qui priuata authoritate comparatur. Tum quia nulla datur distinctio inter seruum emptitium, aut bello comparatum. Secundò, hæc seruitus est quædam pœna à republica imposita iis, quibus fortè pœna mortis debebatur ob iniuriam illatam, & ex pietate, & misericordia in hanc leuiorem pœnam commutatur. Ergo facta commutatione, & pœna seruitutis imposita non licet damnatis fugere ab illa, aliàs liceret cuilibet damnato ad triremes, aut in exilium ab eo fugere. Tertiò fugientem seruum potest dominus castigare. Ergo signum est commisisse culpam in fuga. Item potest illum vi, & armis, si opus fuerit, reducere, neque potest repugnare; aliàs daretur bellum iustum ex vtraque parte. Ergo seruus non habet ius fugiendi. Tandem probatur ex Concilio Gangiensi *cap. 3. relato in cap. si quis seruum. 16. quæst. 4.* vbi anathemate damnatur, si quis seruum prætextũ diuini cultus doceat dominum contemnere proprium, vt discedat ab eius obsequio, ne ei cum beneuolentia, & omni honore deseruiat. Si igitur consuli non potest fuga. Ergo neque exequi, & *l. 1. C. de seruis fugitiuis*, dicitur fugitiuus seruus furtum sui facere domino. Neque ibi distinguitur de seruo empto, & de seruo bello capto.

15 Nihilominus communior sententia est, & tenenda, licitè posse seruum bello captum fugere ad suos, seu ad aliquam ciuitatem amicam, in qua tuti sint, sic aliis relatis docet Couarub. *reg. peccatum. 2. p. §. 11. num. 6. & lib. 1. var. resolut. cap. 2. num. 10.* Bannes *2. 2. q. 40. ar. 1. dub. 3.* Valen. *disp. 3. quæst. 16 puncto 3 circa finem. vers. alterum dubium.* Lessius *lib. 2. de iust. cap. 5. dub. 5. num. 24.* Eman. Saa *verbo bellum. num. 7.* Bonac. *disp. 2. de restit. quæst. vlt. sect. 1. par. 12. num. 26.* Ratio desumitur ex §. *Item ea quæ ab hostibus, Instit. de rerum diuis.* vbi de seruis bello captis dicitur, si nostram potestatem euadant, & ad suos redeant, pristinum statum accipiant, id est, consequantur libertatem, quam antea habebant. Ergo tacitè illis conceditur facultas fugiendi à confinibus dominorum; aliàs irrationabilis esset lex, quæ concederet libertatem in præmium actionis iniquæ, & quæ hac via ad malum incitabat. Quod intelligendum est, etiam si captus bello pretio vendatur, semel & iterum, quia nunquam venditur, nisi seruitus bello comparata, atque adeò semper retinet priuilegium seruitutis belli. Et idem est de prole, si quam habeat, quia non debet esse deterioris conditionis. Sic Lessius *loco citato. num. 25.* Notanter dixi licitum esse seruo bello capto fugere ad suos, vt indicarem aliam fugam intra confines dominorum, cùm ex illa libertas non obtineatur, illicitam esse, & sic intelligit Couarub. *supra textum in l. 1. C. de seruis fugitiuis, & captiui geminum dist. 1. & leg. 23. tit. 14. par. 7.*

Limitanda tamen est hæc doctrina, vt procedat, nisi fidem seruus dederit non fugiendi, quia tunc speciali titulo fidelitatis, & maximè si iuramento firmatus esset, tenetur à fuga abstinere, sic Valent. Lessius, Bonac. & Couarr. *suprà.*

16 Neque obstant contraria. Ad primum concedo seruum, qui per iustam emptionem seruus factus est, non posse à domino fugere, quia receptum est emptionem fuisse factam pro iure seruitutis perpetuæ. Quod tamen aliter constat de seruo bello capto, cuius seruitutis titulus nobilior est. Quapropter huic à finibus dominorum ad suos permittitur fugere, non tamen seruo emptitio. A qua regula excipi debet casus, quo dominus seruum ad peccatum incitaret, neque rogatus vellet desistere, tunc enim liceret seruo cuicunque fugam arripere, si non habeat aliud commodius medium ad vitandum animæ periculum: sic ex omnium sententia tradit Nauarr. *cap. 17. num. 102.* & Lessius *lib. 2. cap. 5. dub. 5. num. 19.* Eadem est ratio (inquit Lessius, & benè) si inhumaniter tractetur (vt si fame, siti, frigòre, & verberibus sine sufficienti causa affligatur) quia tunc iniuriosus illi est dominus, à qua iniuria iure defensionis se potest eripere per fugam, cùm alia via non suppetit. In iis ergo casibus non consequitur seruus libertatem, sed potiùs tenetur redire cessante periculo similis tractationis, & inductionis. Nisi fortè (subdit Lessius) fuerit iniuria tanta, vt meritò libertate sit compensanda.

Ad secũdum admitto seruitutẽ esse pœnã impositam ob delictum, sed quia imposita est ea cõditione, vt condemnatus seruus liber ab illa existat, si ad suos reuertatur, ea de causa licet reuertere Ad tertiũ, admitto posse dominum hunc fugitiuum seruum, dum est intra suam ditionem castigare, tum quia absolutè est seruus, & sibi subditus, neque tenetur præsumere animo re-uertendi

vertendi ad suos fugam arripuisse, sed potiùs animo vagandi. Tum quia acquiescit probabili Nauarri, & aliorum sententiæ non posse fugere. Tum & præcipuè, quia non castigat illum ob culpam commissam, sed obseruandum ius proprium terrendo seruum à simili fuga. Tum denique, quia sub hac conditione videtur illi concessa fuga, vt si intercipiatur, puniri grauiter possit. Ad confirmationem concedo posse dominum vi, & armis, si opus est, fugientem seruum reducere, dum non peruenit ad suos, neque posse seruum resistere. Nego tamen inde inferri non habere ius fugiendi, quia habet ius fugiendi, dum à domino non impeditur.

Ad vlt. dico in Concilio Gangiensi, non reprobari consilium absolutum datum seruo fugiendi dominum, sed datum prætextu religionis Christianæ, quasi religio Christiana obstet seruituti.

Ad leg. 1. respondeo seruum fugientem à domino animo diuagandi intra illius confines, furtum facere, secus si ad suos perrexerit, vel loquitur de seruo emptitio, non de seruo bello capto.

Quinta difficultas, qua ratione liceat hostium bona occupare? Non est dubium posse à Principe indicente bellum occupari omnia bona hostium, quæ necessaria sunt tum ad reparationem iniuriæ acceptæ, illámque vindicandam, tum ad securitatem in posterum futuram: qua de causa licet arcem, & ciuitatem occupare, pecunię summā exigere, & tributa imponere soluenda in futurum, & vt hæc impleantur exigere obsides, sic latiùs Mol. *d.* 117. Suar. *d.* 13. *sect.* 7. *de Charit. n.* 20. & omnes es. Quod non solū verum habet in bonis hostiū nocentum, sed etiam innocentum, si necessaria sunt ad supradictos fines vindictæ, & securitatis, quia tunc non puniuntur innocentes, sed punitur respublica in ipsis, cuius sunt partes sic Valen. 2. 2. *disp.* 3. *quæ.* 16. *puncto.* 3. *vers. quartò infero.* Victor. *de iure belli, n.* 40. Couarub. *reg. peccatum,* 2. *p.* §. 9. *n.* 4. Molin. *disp.* 121. *concl.* 4. Suar. *disp.* 13. *de bello sect.* 7. *n.* 12. Coninch *disp.* 31. *dub.* 7. *a n.* 113. Ab hac tamen regula excipiuntur: Primò, animalia, quibus rustici euntes, & redeuntes arant, & semina portāt in agrum, ex decreto Alex. III. *in cap. innouamus. de treuga & pace.*

18 Item excipiuntur ab hac regula bona Ecclesiæ, & Ecclesiasticorū innocentum, quæ ob delictum ciuitatis occupari non possunt. Tū quia sunt specialiter dedicata, & à iurisdictione sæculari exempta, ac proinde non debent ob delictum aliorū grauari. Tum quia Ecclesiastici partem constituunt distinctam à republica ciuili. Ergo propter eius culpam puniri non debent, sic ex communi sententia docet Valen. 2. 2. *disp.* 3. *q.* 16. *pūcto* 3. *vers. hic autem.* Suar. *disp.* 13. *de charit. sect.* 7. *n.* 14. Coninch *disp.* 31. *dub.* 7. *n.* 118. Bonac. *disp.* 2. *de restit. q. vlt. sect.* 1. *punct.* 12. §. 3. *n.* 18. Mol. *disp.* 121. *concl.* 3. Addit prætereà Suar. *ibi* cum Syluest. *verbo bellum, in fine*, hoc priuilegio immunitatis gaudere omnia bona, quorumcunque sint, si in Ecclesia ad custodiam reponantur, quod piè dictum est.

19 Verùm etsi hoc ita sit, per accidēs tamen Ecclesia, eiúsque bona, diripi, comburi, & deuastari possunt, si hoc necessarium fuerit ad finē belli consequendum, pacémve firmādā. Item possunt hostes ex Ecclesia extrahi, & in illa occidi, si priùs ipsi Ecclesia abusi sunt, tanquam arce, & castro ad repugnandū, quia eo ipso amittunt priuilegium immunitatis, vt colligitur ex *c. sanctorum Patrum,* 10. *q.* 1. quod tamen non amittunt, si illam munierint ad præcisam Ecclesiasticorum; innocentúmque defensionem: sic Syluest. *verbo bellum,* 3. *q.* 6. & 8. Suar. *disp.* 13. *sect.* 7. *n.* 14. Bonac. *dicto n.* 18. & 19. Valen. *p.* 3. *vers. hic autem.* Coninch *disp.* 31. *dub.* 7. *n.* 118.

20 Idem dicendum est de cuiuscunque innocētis bonis, etiamsi pars non sit reipublicæ aduersæ, possunt, inquam, deuastari, & occupari, non per se, sed per accidēs, in quantum fuerit necessarium ad finem belli consequendum. Quod à fortiori procedit, si credas illi; bonis aduersarium vsurum, vt te iniustè oppugnet, quia tunc est quædam naturalis defensio, sic Valen. *vers. quartò infero.* Mol. *disp.* 121. *in princ.*

21 An autem tenearis iis satisfacere victoria reportata, si ditior ob illorum bonorū occupationem, aut deuastationem non euasisti? Variant Doctores. Negāt te esse obligatum: Mol. *disp.* 121. *concl.* 2. Bonac. *disp.* 2. *de restit. q. vlt. sect.* 1. *p.* 12. *n.* 19. quia non apparet ex quo capite ad restitutionem tenearis non ratione rei acceptæ, quæ non extat, neque ratione iniustæ acceptionis, quæ nulla fuit. At contrarium mihi dicendum videtur. Existimo namque te esse obligatū reparare. Primò, ex bonis hostis, si aliqua sint, quia hic causa fuit iniusta horum damnorū, tu verò illius bona occupans eandē obliganti nō contrahis, & colligitur ex Mol. *supra.* Quòd si bona hostis non acceperis sufficientia ad reparationem tuæ iniuriæ, & aliorum damnorum, credo ex propriis bonis te esse obligatum satisfacere quia innocens, & qui pars nō erat reipublicæ offendentis non tenebatur tibi donare sua bona, vt tu ius propriū recuperares, quia nō eras absolutè, & simpliciter pauper, sufficiebat enim ea tibi mutuare, atque adeò ex tacito cōtractu manes obligatus.

22 Hinc resoluitur dubium de repressaliis, an licitæ sint? Repressaliæ, seu impignorationes vocantur bona, quæ innocens respublica, & iniuriam passa assumit à ciuibus reipublicæ nocentis in pignus satisfactionis, sibi, suisq; ciuibus debitæ. Contingit enim aliquādo Gallos, v. g. damnum inferre Castellæ, de oppidis, vel eius incolis, monetur Rex Galliç de iniuria facta, vt fieri satisfactionem procuret, ipse verò negligit. Tunc Rex Castellæ, permittens, si à nocentibus non valet obtinere satisfactionem, vt innocentium bona occupentur, repressalias concedit, quod omnino videtur licitum, quia illa bona vsurpata sub domino sunt reipublicæ Galliæ, qui culpabilis existit, dum non procurat, vt sibi subditi satisfaciant iniuriis illatis alterius reipublicæ ciuibus. Ergo hæc respublica innocens, & iniuriata in suis ciuibus punire poterit rempublicam iniuriantem, eius ciues innocentes, si opus est, grauando, & bonis priuando, iuxta sententiam August. *in cap. Dominus* 23. *quæst.* 2. vbi iustam esse causam belli affirmat, si respublica vindicare negligat, quod à suis improbè factum est. Sic Victor. *de iure bello num.* 42. Couarub. *reg. peccatum* 2. *p.* §. 9. *num* 4. Valen. *disp.* 3. *quæst.* 16. *p.* 3. *vers. Quinto infero.* Mol. *disp.* 121. *concl.* 4. *vers. confirmari verò* Coninch *disp.* 31. *dub.* 8. *num.* 132. vbi *n.* 133. optimè aduertit sex conditiones requiri, vt repressaliæ licitæ sint. Prima quòd de iniuria facta manifestè constet; manifestè enim constare debet ciues alterius reipublicæ iniustè vsurpare bona ciuium huius reipublicæ, vel detinere, nolléque soluere debita. Aliàs iniquum esset dubium debitum compensatione certa reparare. Debet autem hæc iniuria grauis esse, præcipuè si bona vsurpanda sunt ab innocentibus, quia multis scandalis, & iniuriis est expositus hic modus recuperandi debitum. Mol. *suprà vers. licet autem.* Secunda, vt superior delinquentem moneri debeat de iniuria facta, vt fieri satisfactionem mandet, alias iniquè vexares innocentes, & alienam iurisdictionem sine occasione vsurpares. Aduertit tamen Molina & benè *disputation.* 121. *vers. ad quem pertinet*, si dum hæc satisfactio à superiore petitur, adsint mercatores illius reipublicæ, quæ damnum intulit, periculúmque sit, nedum satisfactio petitur, illi recedant, & fortè debitum non facilè recuperetur te posse illos detinere, illiusq; bona sequestrare expectāns rei euentum, præcipuè si credis damnū esse illatū authoritate Principis, est n. hæc iusta defensio. Tertia debet tibi cōstare culpabiliter Princ. nolle premere subditos vt satisfaciāt, quia alias

aliàs in eius defectum bona innocentium non subrogantur satisfactioni. Quarta, Princeps reipublicæ læsæ debet adiri, & facultatem concedere represalias capiendi, quia solus is qui bellum mouere potest, potest eas concedere. Quinta, Ne plus damni alteri reipublicæ inferatur, quàm necessarium sit ad plenam satisfactionem. Sexta, ne concedatur in personas Ecclesiasticas innocentes, quia hæ exemptæ sunt sub pœna excommunicationis, *cap. vnico de Iniuriis in 6.* & notauit Valent. *dicta disp. 3. q. 16. puncto. 3. vers. 5. infero.*

His ergo conditionibus positis represaliæ, seu pignorationes licitæ sunt. Quocirca cum in *cap. 1. Autent. vt non fiant pign. collat. 5. nouella 52. & l. vn. cod. vt nullus ex vicinis*, dicitur æquitati contrariũ esse pro alienis debitis alios molestari; intelligendum est, quando propria authoritate, & non ex facultate Principis, & seruatis supradictis conditionibus fit.

23 Denique pro complemento huius difficultatis inquires. Primò ad quem bona capta in bello pertineant? an, inquam, ad Principem, an ad milites? Et quidem si bona immobilia sunt, constat apud omnes ad Principem pertinere in satisfactionem iniuriæ acceptæ, recompensationem expensarum, & periculorum, quæ in bello subiit, ex *l. si captiuus §. 2. ff. de captiuis*, & tradit cum communi sententia Couarub. *reg. peccatum 5. 11. art. num. 1. præcipui n. 6. & 7.* Valen. *disp. 3. q. 16. punctio. 3. vers. quarta propositio.* Coninch *disp. 31. dub. 7. num. 121.* Bonac. *d. 2. de restu. q. vlt. sect. 1. pag. 12. n 22.* Si verò bona mobilia sunt, regulariter fiunt capientium, nisi alicubi sit cõtraria consuetudo, vt hac ratione ad pugnam excitentur milites, & animosiores fiant; sic Couarub. Valen. Coninch. Bonac. & alij *suprà.* Vide *tit. 26. part. 2. nostrarum legum*, vbi varia de diuidenda præda statuuntur.

24 Sed quid dicendum, si ea, quæ ab hostibus eripiũtur, ipsorum hostium non sint, sed furto, & rapina sublata, qualia sunt ea quæ Turcæ à Christianis accipiũt? An inquam, hæc restituenda sunt veris dominis, vel possint præliantes bello iusto ea sibi retinere? Cui difficultati respondeo, si bona immobilia sunt, reddenda esse prioribus dominis, est communis sententia, cum Glossa. *leg. 2. ff. de captiuis*, tradit Couarub. *reg. peccatum. 3. p. §. 11. n. 7.* Valen. *suprà.* Mol. *disp. 118. §. his ita explicatis*, & probat *lex captiuus. §. expulsis hostibus. ff. de captiu. & postlim. reuersis, & lex Pomponius. ff. de acquir. rerum domin.* Si verò bona capta ab hostibus mobilia sunt, probabile reputat Valen. cum Couarub. *suprà*, non esse prioribus Dominis restituenda, consentit Eman. Saa. *edit. Complut. verbo bellum, numero 4.* At distinguendum censeo cum Mol. *tota disp. 118.* Coninch *disput. 31. dub. 7. artic. numero 122.* iure naturæ prioribus Dominis esse restituenda, quia non amiserunt dominium. Iure tamen Cæsareo capientium fieri, si hostes ea deportarunt ad præsidia, locáve tuta quia tunc reputantur, ac si essent ipsorum hostium propria, secus si in ea loca non deportarunt, aut veri Domini eos fuerunt insecuti, quia tunc non possunt reputari quieti illorum posessores, constat ex *l. si quid bello 18. iuncta postlimin. 5. ff. de captiuis, & postlim. reuers.*

25 Ab hoc tamen iure excipiebantur aliqua, quibus priuilegium postliminij erat concessum: hoc autem priuilegium in eo situm erat, vt ea quæ illo gaudebant. si ab hostibus capiebantur, ob cuius capturam, quasi extra limen, & terminum regni constituebantur, cùm postea redibát, siue bello extincto ab hostium potestate, siue alia ratione quacunque reputabantur ac si nunquam in hostium potestatem deuenissent, sed eundem statum obtinebant, qué habebant ante capturá. Ea verò quæ hoc priuilegio gaudebát, sunt. Primò, homines, siue serui, siue liberi, liberi redibant ad suam libertatem, serui ad suam pristinam seruitutem, hoc est, ad priorem dominum, seu illius hæredes. Quòd si pretio aliquis eos ab hostibus redemisset, si intra tres annos à domino pretium redemptori offerebatur, obligatus erat redemptor seruos tradere, secus elapso triennio constat *l. in bello, §. si quis seruum. ff. de Captiu. & postlim. reuers. iuncta leg. ab hostibus 2. l. eodem tit.* Secundò gaudebant priuilegio postliminij, naues aptæ vsibus belli, secus piscatoriæ aliæ agiles, quæ recreationis causa parantur. Tertiò equi, vel equæ freni patientes ita habetur *l. 2. ff. de captiu. & postlim reuers.*

26 Hæc quæ de mobilibus iure Cæsareo statuta extant, statutis aliorum regnorum confirmata sunt, præcipuè in hoc regno Castellæ *leg. 26. tit. 26. part. 2.* vbi solum requiritur, quòd res sublata ab hostibus cum ipsis pernoctauerit, etiamsi ad locum tutum perducta non esset. Potuerunt autem leges ob bonum commune militiæ hæc militibus donare, & à veris dominis auferre, tum vt ipsi milites hac ratione animosiores essent in pugna, tum ne scrupulis agitentur, an rei captæ dominium hostes haberent, tum ob vitandas lites in hac inuestigatione.

27 Aduerto tamen cum eisdem Doctoribus Molina, & Coninch suprà: Primò has leges per se non extendi ad bona sublata ab iis, qui subiecti non sunt iuri Cæsareo, & Castellæ, quare, si bona, quæ Hispanus vsurpat à Turcis, Turcæ accepissent à Gallis, non videtur ex vi harum legum retinere posse. Neque econtra Gallus, si vsurpat bona Hispanorum à Turcis, quia Hispanus, & Gallus non eidem iuri subduntur. At credo in omni ferè natione ius hoc approbante consuetudine esse introductum, vt placet Eman. Saa *verbo bellum, numero 4.* Secundò aduerto hoc priuilegium esse concessum militibus hæc bona ab hostibus eripientibus, non tamen si emptione, aut donatione accipiant, quia tunc debent prioribus dominis restituere. Esto contrarium placeat Eman. Saa. *loco citato, edit. Complut.* quod in Romana expunctum est. Tertiò aduerto, si credatur Dominum non esse recuperaturum rem ab hostibus malè possessam, vt ferè semper contingit, poteris eam ab illis vili pretio emere ea intentione, vt si dominus comparauerit, illi reddas, quia in hoc nullam illi irrogas iniuriam, sed potiùs vtiliter eius negotium geris. Quapropter si ipse postea velit rem sibi reddi, reddere tibi debet pretium pro illa datum, tam in foro conscientiæ, quàm exteriori. Tum quia hostis non tenetur de euictione, tum quia nomine ipsius & ex præsumpta eius voluntate pretium dedisti. Mol. & Coninch *suprà.* Vasq. *de restu. cap. 9. §. 2. dub. 5. n. 28.* Bonac. alio referens *disput. 2. de restu. q. vlt. sect. 1. puncto. 12. num. 14.* Idem est dicendum de iis rebus cultui diuino dicatis, quas hæretici vsurpant à Catholicis, & vili pretio vendunt, poteris, inquam, illas emere ex præsumpta dominorum voluntatate: credendum enim est dominos Catholicos potiùs velle, vt vili pretio emantur, & cultui diuino applicentur, quàm quòd ab hæreticis detineantur, & in vsus profanos insumantur. sic Mol. *d. disp. 118. fine.*

28 Sexta difficultas est, an possit, & deceat ciuitatem aliquam, vel aliquas dari in prædam militibus: Respondeo per se posse, & aliquando conuenire, si nimis rebellis fuit, & iniuriosa, vt sic aliis ciuitatibus sit in exemplum. Regulariter tamen id non decet, quia hac occasione multa patrãtur scelera à militibus, extorquẽdo pecunias à captiuis, & eorum mulieres, & filias violãdo. Quapropter debet Princeps, & dux, qui hanc potestatẽ militibus concedit vigilare summè, ne hæc scelera cõmitantur, & committentes grauissimo supplicio punire, vt alij in officio contineantur; aliàs reus erit totius damni; sic ex Syluest. Victor. & communi sentẽtia notat Valen. *2. 2. disp. 3. q. 16. p. 3. vers. sextò, infero.*

Coninch *disp.* 31.*dub.*7.*num.*11. Mol.*tract.* 2.*disp.*122. *in princ.* Bonac.*disp.*2.*de restit.q.vlt.sect.*1.*pag.*12.*n.*20.

29 Septima difficultas est, possit ne Princeps compositionem facere cum alio Principe iniustè bellante, damnorum, quæ sui subditi acceperunt? Respondeo, si ipsi subditi liberè consentiant, certum est posse; si autem ipsi renuant, nulla est remissio, nisi bono communi, pacique reipublicæ expediat; quia Princeps ex officio tenetur subditos defendere, & iniuriantes cogere ad satisfaciendum: quod si absque rationabili causa omittat, iniuriosus illis est. Stante autem bono communi reipublicæ potest Princeps subditis inuitis compositionem, & remissionem facere, quia potestatem habet cogendi subditos, vt pro bono cõmuni aliquam iacturam patiantur; sic aliis relatis Syluest. *verbo bellum tom.quest.*12.Mol.*disp.*123.*concl.*3.*&* 4.Bonac.*d.* 2. *de restit.quest.vlt.sect.*12.§.3.*in fine.* Damna verò facta Ecclesiæ, & Ecclesiasticis personis non potest sæcularis Princeps remittere sine consensu Prælati Ecclesiastici, etiamsi bono communi expediat, quia eius iurisdictioni subiecta non sunt: debet tamen Prælatus remissioni consentire, si id bono communi expedit, & præcipuè si ex continuatione belli maius damnum Ecclesiis immineat, vt ferè semper contingit, sic Mol. *suprà.*

PVNCTVM V.

Expenduntur specialiùs peccata, quæ in bello Principes, duces & milites solent committere.

1 *Si iniustum est bellum, peccat Princeps contra iustitiam, cum obligatione restituendi damna inde sequuta.*

2 *Si iustum est bellum, peccat Princeps, si stipendia militibus non concedit statuto tempore. Item si temerè exercitum periculo exponit.*

3 *Duces, & ministri Principis grauissimè peccant, si plures milites repræsentent, quàm secum habeant. Item enumerantur alia peccata, quæ solent committere.*

4 *Expenduntur peccata, quæ milites committere solent.*

1 Si iniustè bellum moueat Princeps, clarum est & peccare contra iustitiam, aduersùs oppugnatos, & aduersùs sibi subditos, & iis omnibus esse obligatum satisfacere damna, quæ inde receperunt, quia fuit illorum iniusta causa. Ab hac tamen obligatione satisfaciendi subditis liberaretur Princeps, si ipsi absque vlla coactione scientes belli iniustitiam illud aggrederentur, quia tunc ipsi sibi damna pararunt. sic Mol.*tract. de iustit.disp.* 123.*concl.*1.

2 At posito iusto bello Princeps peccat, si stipendia militibus non concedat, in pretium laborum, & periculorum, quæ miles subit: imò obligatus est, vt quantum fieri potest illa reddat statuto tempore, quia sic pactus, & sub hac conditione miles se militiæ tradidit: sic omnes Doctores. Adde hoc stipendium deberi, etiamsi infirmus existat. Syluest.*verbo miles,n.*8.Eman. Saa. *verbo bellum,num.*15.Ex quo fit posse militem occulta compensatione vti, si alia via stipendia obtinere non potest. Mol. *disput.*116.*in princ.* Secundò, fit teneri Principem resarcire omnia damna, quæ milites pressi necessitate patiuntur, & aliis inferunt. Solent enim ob hanc causam propria vili pretio vendere, infirmari, & à lucro cessare. Item solent vicinos populos molestare, & ab eis indebita extorquere, exercitum concitare, & in rebellionem prodire, & rempublicam periculo exponere, & alia multa, quorũ omnium Princeps causa iniusta est, resarcireque tenetur. Idem & de iis qui à Principe destinati sunt ad hæc stipendia militibus soluenda, si culpabiles existant, quia ad hanc iniustitiam concurrunt. Coninch *disp.* 31. *dub.* 7. *num.*95. Deinde peccare potest Princeps cum obligatione restituendi, si sine causa, & temerè exercitum periculo maximo exponeret. Non enim dominus est vitæ subditorum, sed gubernator, neque pro suo arbitratu bona illorum potest expendere, sed prout communi bono necessarium fuerit, aliàs non Rex, sed tyrannus erit. Valen.*d.q.*16.*p.*3.*vers.item peccaret.*

3 Duces verò, & ministri Principis peccant grauissimè, si plures milites repræsentent, quàm secum habeant, vt sic plura stipendia accipiant, & sibi retineant. Nã præterquam quòd ea à Principe iniustè surripiunt, grauissimorum damnorum sunt causa. Nam Princeps credens tot milites adesse, non procurat alios milites submittere ad castrum defendendum, inimicósque oppugnandos, qui necessarij erant eáque de causa non solùm non reportat victoriam, quam verè reportaret, sed sæpè castrum ab inimicis occupatur, vel milites grauiter cæduntur, & respublica, religióque Christiana in maximo periculo constituitur, eiúsque hostes exardescunt, & insolentiores fiunt, prohdolor! Tenentur ergo duces hoc crimen committentes hæc omnia reparare; sic Mol.*d.*116.*vers.solet.*Coninch *disp.*31.*dub.*7.*num.*100.Bonac. *disp.*2.*de restit.quest.vlt. sect.*1.*puncto* 12.§.3. *num.*27. Secundò, peccant duces, & ministri Principis, si ob negligẽtiam, vel ob furtum, necessaria ad bellum parantes, parent cibum, & potum, aliáq; huiusmodi corrupta ex qua mors militibus prouenit, aliáque damna enumerata sequantur. Et idem est, si ob ob eandem causam simulent se præparasse ea, quæ ad bellum sunt necessaria ex voluntate Principis; cùm tamen in minori quantitate præparata sint, aut si præparent ea, quæ victoriæ consequendæ necessaria, sunt dolosa, & falsa. Molina *dicta disp.*116.*vers.non dissimile.* Bonac. *suprà.* Tertiò peccant duces transeuntes cum suo exercitu tenentes loca vicina suspensa, neque manifestantes, quò sint diuersuri, vt sic accedat, & offerat vnusquisque locus magnam quantitatem, ne illuc exercitus transeat; quia hac via regnum grauatur iniustè, tum grauando populum, apud quem diuertit exercitus, tum accipiendo ab aliis illã summã. Et licèt ducibus concessa sit electio vnius populi præ alio, quando onus non potest in omnes æqualiter diuidi: non tamen est illis concessum, neque concedi potuit, vt hanc electionem venalem faciant, & sibi pretiũ retineant. Expediebat namque potiùs si vnus populus grauabatur, hospitando exercitum, reliqui ad eius leuamen concurrerent, media aliqua contributione. Mol. *disp.*116.*vers. molestum.* Coninch *disp.* 31. *dub.*7. *num.* 100. Bonac. *dicta disp.* 2.*de restit.quest.vlt. sect.* 1.*puncto* 12.*n.*27. Quartò peccant duces signantes suos famulos in milites, & centuriones, vt stipendium à Principe signatum imminuant, & sibi illam partem reseruent, nisi constet ipsos gratis ducibus donare, quod rarò est credendum: Bonac. *suprà.*

4 Milites verò primò peccant contra fortitudinem, si se temerè, & absque vlla necessitate periculo vitæ se exponerent. At quando est probabilis spes cum proprio, vel aliquorum damno fructum copiosum esse consecuturos, laudabile erit, & actus fortitudinis se mortis periculo tradi, sicuti fecerunt viri fortissimi, sic Valen. *d.* 3. *quest.* 16. *pag.*3. *assert.* 2. *vers.item peccarent.* Secundò peccant milites, si stationem, & pugnam deserant, etsi adsit euidens mortis periculum, quia ad hoc munus obeundum ob bonum reipublicæ se obligarunt, & stipendia accipiunt. Tertiò tenentur defendere arces, & locum sibi demandatum, quorum spes aliqua subest resistendi. Aliàs obligantur omnia dãna inde prouenientia reparare, & capitis pœna plectuntur, vt pote rei læsæ maiestatis. *tom.* 5. *ff. ad leg. Iul. maiest.* quod si nulla est spes se posse hostibus resistere, non tenentur mortem expectare, quia esset frustanea, inutilis,

inutilis,& nociua talis expectatio,& contra charitatem sibi debitam, ac proinde ad id se obligare non potuerunt, Mol. *disp.* 116. *in princ.* Coninch *disp.* 31. *de bello. dub.* 7. *num.* 97. Quartò, peccant milites mortaliter, & contra iustitiam, si sine Ducis, aut Principis facultate castra deserant, quia sub hac obligatione sunt côducti: si enim hæc facultas discedendi libera esset cuilibet militi, nô posset Dux securè ad bellum procedere, cùm enim existimaret sufficientem numerum habere ad pugnam, se vacuum, & inermem inueniret; eáque de causa meritò pœna capitis, vel triremis, & infamiæ plectitur, sic discedens, vt tradit Glossa, *capite ius militare. dist.* 1. *verbo deferatur.* Neque dux in concedenda hac licentia facilis esse debet, præcipuè cùm miles nulli pugnæ interfuit, quia inde non parum reipublicæ,& Principi damnum proueniet, qui tot sumptus fecit in milite sustentando,& asportando absque vlla vtilitate. At si miles aliquibus annis suo officio satisfecit, expedit rationabili aliqua causa intercedente, vt ei facilè licentia discedendi concedatur. Nam vt benè dicit Mol. *supra*, hæc facultas viam aperit, vt alij se militię dedicét, & difficultas omnino præcludet. Quintò, peccant milites, si vltra debitum sibi stipendium aliquid accipiant: dicitur enim Lucæ 3. *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendiis vestris.* Quapropter si aliquid accipiunt præter id quod ex consuetudine iam recepta illis debitum est, peccant, & obligati sunt ea dantibus restituere, nisi manifestè constet gratis donare, quod rarò est præsumendum, concedunt enim timore maioris mali. Neque excusantur ex eo quòd Princeps eis stipendia non soluat, quia non obinde hospites grauandi sunt, excusarentur tamen, si pressi extrema, vel graui necessitate facerent. Reputaretur autem grauis necessitas, & sufficiens, si vel perire, vel deserere castra cogerentur, quod fieri non potest sine magno sui, vel reipublicæ damno. Princeps autem hæc omnia damna tenetur reparare, cùm ob eius causam data sint. Sextò, peccant milites facientes sibi plures domos signari, quibus hospitentur, intendentes in vna solùm hospitari,& ab aliis pecunias recipere, ne ibi commorentur, iniustissimè enim tales pecunias recipiunt, & obligati sunt eas restituere, & eandem obligationem subiit, qui eis chirographa diuersa concessit, cùm fuerit causa huius iniquę vexationis. Vide Molinam *dicta disp.* 116. Coninch *disp.* 31. *dub.* 7. *art. num.* 94. Bonac. *disp.* 2. *de restit. q. vlt. sect.* 1. *puncto.* 12. §. 3.

Pvnctvm VI.

Quæ personæ in bello pugnare possint.

1 *Omnes pugnare possunt, nisi eis sit specialiter prohibitum.*

2 *Episcopis, clericis, monachis, seu religiosis prohibitum est propria manu pugnare.*

3 *An monachi laici, & clerici in minoribus sub hac prohibitione contineantur? Negant aliqui.*

4 *Approbatur eorum sententia in iis, qui priuilegio fori non gaudent. Approbatur in iis, qui tali gaudent priuilegio.*

5 *Possunt clerici in sacris bello assistere, & ad pugnam hortari, milites consolari, &c.*

6 *Neque ad hæc officia exercenda indigent licentia sui Episcopi.*

7 *Ad se, suósque defendendos propria manu clerici pugnare possunt.*

8 *Neque obinde irregulares sunt censendi.*

9 *Solus Pontifex dispensare potest, vt clericus bello præsit, vel propria manu pugnet.*

10 *Infideles, & hæreticos ad bellum vocare, esto per se illicitum non sit, regulariter tamen est illicitum.*

11 *In bello iniusto nemo pugnare potest. Timore mortis aliqui excusantur.*

12 *Occurrente necessitate omni tempore pugnandum est: extra illam diebus festis pugnari non potest.*

1 SI bellum iustum sit, omnes in eo pugnare, adiuuaréque possunt, nisi eis specialiter sit prohibitum, quia exercere actionem licitam, ad illámque iuuare per se laudabile est. Videamus ergo quibusnam hoc sit prohibitum,& quo iure?

2 Respondeo, Episcopis, clericis, & monachis, seu religiosis prohibitum est propria manu pugnare, vel exercitum ducere: neque aliis inuenitur facta prohibitio. De monachis etiam laicis habetur expresse, *cap. eos qui* 20. *quæst.* 3. De clericis, *cap. clerici. cap. quicunque ex cler.* 23. *quæst.* 8: & aliis, sub quibus religiosi comprehendi poterant. Quod non possint exercitum ducere, habetur *cap. sententiam* 9. *ne clerici, vel monachi.* Congruentia prohibitionis; quia clerici, & religiosi dicati sunt Deo seruire, à qua professione sæcularis pugna multùm reuocat. Item clerici sunt ministri Christi, ipsúmque repræsentant, qui proprium sanguinem pro aliorum salute effudit. Ergo non licet alienum effundere. Hæc autem prohibitio iure positiuo facta grauis est, & ad culpam lethalem obligat clericos in sacris constitutos, quod satis indicant grauissimæ pœnæ clericis pugnantibus impositæ. Priuantur namque vsu suorum ordinum, recluduntur in monasterio, & si in bello moriantur, pro illis non offertur sacrificium, & oblatio, vt constat ex allegatis textibus. Peccant ergo mortaliter, & ita tradunt ferè omnes doctores etiam de constitutis in ordine subdiaconatus. D. Thom. 2.2. *quæst.* 40. *art.* 2. *& ibi* Caietan. Syluest. *verbo bellum.* 3. *quæst.* 2. Couarub. *clem. si furiosus* 2. *pag.* §. 3. *numero* 2. Valen. *disp.* 3. *quæst.* 16. 4. *in princ.* Bonac. *disput.* 2. *de restit. quæst. vlt. sect.* 1. 12. §. 4. Suar. *de bello disp.* 13. *sect.* 3. *numero* 5. Mol. *de iustit. tract.* 2. *disp.* 108. *circa finem vers. secundum est,* Coninch *disputatione* 31. *dubium* 6. *numero* 86. *& alij.*

3 Sed difficultas est, an monachi laici, & clerici in minoribus ordinibus constituti hac prohibitione rigorosa contineantur?

Negant Couarub. & Bonac. *suprà*, & Lorca 2.2. *sect.* 3. *disp.* 51. *numero* 12. Et mouentur, quia consuetudine receptum est hos canones ad illos non extendi: quare dicit Couarub. de clericis eodem modo, ac laicos pugnare posse: consentit eis Franc. Suar. nisi habeant beneficium Ecclesiasticum, quia tunc ratione beneficij ad altiorem ordinem aspirare debent, aut saltem debent impedimentum non apponere.

4 Cæterùm sententia Molinæ in hac parte mihi magis probatur, quam etiam approbat Coninch *numero* 87. Affirmat namque clericum in minoribus constitutum priuilegio fori non gaudentem ad bellum procedere posse æquè ac laicum, quia tanquam laicus reputatur. Neque canones aduersùs illum procedunt saltem ex consuetudine recepta. Si autem priuilegio fori gaudet, peccat, quia cùm ex officio deputatus sit Ecclesiæ seruire, indecens est ad militiam sæcularem se transferre. Non autem videtur hæc grauis culpa, quia longè est à ministerio altaris, & repræsentatione Christi, ob cuius causam prohibitio facta est. Quod etiam de beneficiato in minoribus constituto dicendum credo, peccare, inquam, tantùm venialiter, sed grauiùs; tum quia nullus text. specialiter de eo loquitur; tum quia beneficium solùm obligat, vt non apponas impedimentum ad officium eius exercendum, casu quo retinere illud velis. At potes procedere ad bellum animo relinquendi

relinquendi beneficium, si impedimentum irregularitatis in bello contrahas. Ergo ex beneficio nō videris mortaliter peccare. De Religiosis laicis maior est dubitatio, an peccatum mortale committant, si ad bellum procedant, quia *cap. eos qui* 20. *q.* 3. mandantur excommunicari, quod non fieret, nisi graue esset peccatum. Sed dicendum est non obinde præcisè excommunicari, sed quia apostatādo à religione se militiæ, & publicis honoribus tradiderunt. Quocirca ex processu ad bellum solùm venialiter existimo peccaturos, grauius tamen quàm beneficiatos clericos.

Dixi non posse clericos in sacris constitutos propria manu pugnare, vel exercitum ducere, aut pugnantibus, percutientibúsque præesse, vt inde colligeres posse bello interesse, vt subsidia spiritualia ministrent, milites consolentur, & ad pugnam excitent, modò non excitent specialiter, & expressè ad occisionem, & mutilationem inimicorum; quia hæc officia aliena non sunt à clerici statu, & ita tradunt Couarub. Coninch. Bonac. Valen. Suar. *& alij suprà*, & constat *ex cap. omni timore, cap. hortatu, cap. præterea. & aliis* 2. 3. *q.* 8. Neque obstat text. *in cap. quod in dubiis, de pœnis*, vbi Innocent. III. eodem modo deponi mandat eos sacerdotes, qui gubernant naues ad pugnam, & personaliter exercent conflictum, quàm eos, qui alios incitant ad pugnandum. Non, inquam, obstat, quia vt bene dicit glossa, loquitur text. de bello iniusto, non iusto. argum. *cap. sicut dignum §. qui verò de homicid. & leg. item Mela, §. item cum is ff. ad leg. Aquil.*

6 Vt autem clerici hoc officium exerceant non indigent speciali licentia sui Prælati, quia nullo iure cauetur hanc illis esse necessariam. Nam text. *in cap. reprehensibile, & cap. quo ausu* 23. *q.* 8. qui ad hoc probandum adducuntur, non conuincunt. Nam *in cap. reprehensibile*, reprehenduntur Episcopi, non quia ad bellum ob consolandos milites, eósque ad pugnam hortandos sine licentia profecti fuerint, sed quia ibi sicut reliqui milites pugnauerint: & quia hac occasione impediti non venerint ad Cōcilium, quod Summus Pontifex Romæ congregauit. Textus verò *in cap. quo ausu*, non de profectione ad bellum, sed ad Imperatoris Ecclesiam loquitur, & grauiter reprehenditur à Pontifice Episcopus, qui eius mandatum contemnit ob Imperatoris iussa exequenda, præcipuè cùm canones euidenter præcipiant nullum omnino Episcoporum, qui Leuitica portione sunt contenti, nisi Summo Pontifice viso, atque consulto ad comitatum, hoc est, ad Imperialem aulam debere contendere.

7 Verùm vrgente necessitate possunt clerici in sacris constituti, & religiosi propria manu pugnare, & occidere: v. g. ad se, suósque defendendos, quia lex ecclesiastica prohibere non debet, quod iure naturali conceditur, & à fortiori possunt pro patria, & bono communi reipublicæ, & fidei pugnare, si aliter in periculo graui hæc constituantur, ac denique pugnare possunt pro victoria obtinenda, à qua pax reipublicæ, fideique progressus non leuiter pendet: imò in iis casibus non solùm possunt, sed tenentur pugnare. Non enim lex ecclesiastica aduersari poterat legi naturali, sed potiùs illam perficit, sicut gratia perficit naturam: & ita tradunt communiter Doctores. Mol. *disputation.* 108. *post medium vers. sunt verò*, Valentian. *disp.* 3. *quæst.* 16. *punct.* 4. *vers. secundo, & seq.* Bonacin. *disp.* 2. *de restit. quæstion. vlt. section.* 1. *puncto* 12. §. 4. Suar. *de bello. disputation.* 13. *section.* 3. *numero* 6. Coninch *disputation.* 31. *dub.* 6. *numero* 91. & alij apud ipsos.

8 An verò in huiusmodi casibus aliquam irregularitatem contrahant clerici pugnantes? Dixi *in tractat. de irregularitat.* non contrahere, & tradit aliis relatis Coninch. *de sacrament. disputation.* 18. *numero* 88. 89. *&* 97. *& disputation.* 31. *de bello. dub.* 6. *numero* 91. Couarub. *clement. si furiosus*: 2. *p.* §. 3. *numero* 2. *&* §. 4. *numero* 9. *&* 3. *p.* §. *vnico. numero* 5. Valent. 2. 2. *disputation.* 3. *quæst.* 16. *puncto.* 4. *circa finem vers. sed contraria sententia* Suarez *disputation.* 13 *de bello. section* 3. *numero* 6. 7. & alij.

9 Sed inquires. Qui potest dispensare, vt clericus in sacris propria manu pugnet, vel pugnantibus præsit? Respondeo solum Pontificem, quia in lege superioris nequit inferior, nisi ex superioris commissione. At nullum vestigium huius commissionis inuenimus datam Episcopis. Ergo nequeunt in hac dispensatione se intromittere: & ita tradit Bannes 2. 2. *quæstion.* 40. *articul.* 2. *dub.* 1. Azor. 3. *p. libro* 2. *capite* 16. Bonacin. *disputation.* 2. *de restitution. quæstion. vltima sectione prima, puncto duodecimo, numero vigesimonono* §. 4.

10 Rursus aliæ sunt personæ, quæ ob eorum malitiam dubitari potest, an sint exclusæ à bello iusto Christianorum: ij sunt infideles, cùm enim ex eorum consortio grauissima mala reipublicæ proueniant, meritò excludendi sunt à bello aduersus Christianos facto. Nam licèt per se illicitum non sit hos infideles in tui adiutorium, & defensionem vocare, per accidens tamen regulariter est illicitum: assumunt enim inde occasionem profanandi sacra; destruendi templa, violandi virgines, & alia innumera flagitia committendi, ob quæ Princeps catholicus quoad fieri potest, eos vitare debet. Et multo fortiùs debet se abstinere à præstando iis infidelibus adiutorium, cùm aduersus catholicos pugnant, etiamsi ex parte infidelium videatur bellum esse iustum; quia bonum religionis omnibus aliis præferri debet: in iis consentiunt Doctores, Reginald. *tom.* 2. *prax. lib.* 21. *num.* 100. Rodrig. 1. *p. sum.* 126. *num.* 2. Mol. *tract.* 2. *de iust. disput.* 112. *fine.* Ægid. de Coninch *disp.* 31. *de bello, dub.* 7. *num.* 101. Bonac. *disp.* 2. *de restit. quæst. vltim. sect.* 1. *p.* 12. §. 2. *numero* 6. Suarez *de bello. disputation.* 13. *section.* 7. *fine. numero* 25.

11 Hucusque de pugnantibus in bello iusto dictum est, at si bellum iniustum sit, clarum est neminem pugnare posse, & omnia damna facta pro viribus reparanda esse. Solùm est dubium de ijs, qui pugnant ob metum mortis, amissionis membrorum, aut alterius similis damni, quales sunt captiui in nauibus Turcarum remigantes, an ratione huius metus, à culpa, & obligatione restituendi excusentur? Sed de iis disp. seq. *de scandalo*, latiùs dicetur.

12 Restat dicendum, quo tempore pugnandum est? Respondeo occurrente necessitate omni tempore. Extra necessitatem probabilius est die festo pugnari non posse, quia est opus seruile, vt dixi cùm de obseruatione festorum egi. Ab Aduētu autem vsque ad Octauam Epiphaniæ, & à Septuagesima vsq; ad Octauam Paschę prohibetur præliatio ab Alexand. III. *in cap. treugas, de treuga, & pace*, sub grauibus pœnis, & comminatione excommunicationis. Verùm hoc præceptum receptum non fuit, vt testatur glossa *ibi*, & tradit Valen. 2. 2. *disp.* 3. *q.* 16. *p.* 5. *fine.* Suar. *disp.* 13. *de bello, sect.* 7. *n.* 24.

PVNCTVM VII.

De quibusdam bellis particularibus iniustis, scilicet seditione, rixa, & duello.

1 *Quid sit seditio.*
2 *Proponitur quædam obiectio, vt clarius seditionis definitio constet, & fit illi satis.*
3 *Rixa, seu duellum quid sit, exponitur.*
4 *Enumerantur causæ, ob quas suscipi potest duellum, & dubitatur an sint sufficientes ad illud honestandum?*

Osten-

5 *Ostentare vires, & voluptatem spectantibus causare, insufficiens causa est.*
6 *Veritatem aliquam duello firmare non solùm illicitum, sed superstitiosum est.*
7 *Vindicatio propria iniuria illicita est per duellum.*
8 *Defensio honoris proprij, quem videris amittere, si oblatum duellum respuas, non est censenda sufficiens causa honestandi duellum.*
9 *Si aliquis tibi minatur mortem, vel grauem iacturam honoris, vel diuitiarum, nisi duellum acceptes, acceptare illud potes.*
10 *Excipe, nisi cum aliquo innocente procuret, vt pugnes.*
11 *Ad euitandam mortem, ad quam es condemnatus, an licitè possis duellum acceptare? Tenent aliqui, & quibus defendant.*
12 *Contrarium tenendum est.*
13 *Si mineris de iniusta accusatione, nisi duellum acceptes cum accusatore, poteris acceptare.*
14 *In defensionem diuini honoris aliquando admitti potest duellum.*
15 *Ob terminandum bellum licitum est admittere duellum ex parte iustè bellantis.*
16 *Licitum est in hoc casu obligare mulieres, ne pugnantibus succurrant.*
17 *Enumerantur pœnæ imposita duellantibus absque causa legitima.*
18 *Non prohibetur sub prædictis censuris qualibet pugna, sed pugna ex condicto loco, & tempore determinato.*
19 *Excommunicatio, quam duellantes incurrunt, est res creata virtute Trident. Absolui possunt ab Episcopo, si occultum sit duellum; virtute Cruciatæ, etiamsi publicum sit semel in vita, & semel in morte.*
20 *Quæ causa excusent Principem ab hac excommunicatione incurrenda, ex eo quòd duellum permittat.*
21 *Reliquæ pœnæ præter excommunicationem, suspensionem, & interdictum, indigent declaratione Iudicis, vt incurrantur.*

1 SEditio est bellum aggressiuum vnius partis reipublicæ aduersus aliam, vel aduersus suum principem. Hæc semper est illicita, vtpote paci, & iustitiæ contraria; cùm enim nulla pars reipublicæ authoritatem habeat indicendi bellum, sed hæc resideat in Principe, seu Republica perfecta, fit sanè contra charitatem, & iustitiam procedere illam Reipublicæ partem, quæ hoc bellum mouet.

2 Dices: Contingere potest, quòd vna pars reipublicæ aliam infestet, iniuriosáque sit, & Princeps rogatus non impediat. Poterit ergo tunc ciuitas offensa offendentem debellare? Item potest Princeps non Rex, sed tyrannus esse, sed mouere bellum aduersus tyrannum cuilibet reipublicæ parti licet. Ergo non est dicenda seditio bellum vnius partis reipublicæ aduersus aliam, neque aduersus Principem?

Facilis est horum solutio. Notanter enim dixi, seditionem esse bellum non quodcunque, sed aggressiuum, vt inde colligeres, si pars aliqua reipublicæ bellum moueat, quatenus ad sui defensionem necessarium est, & non aliter non seditiosè procedere, sicut nec quælibet persona particularis seditionem committit, cùm se ab inuadente defendit, potiùs namque ex parte inuadentis stat seditio. Eodem modo respondendum est ad confirmationem. Dupliciter enim Rex tyrannus esse potest. Primò, quia regnum iure sibi non debitum vsurpauit. Secundò, quoad regimen, quia in illo iniuriosè procedit. Si tyrannus est, primo modo tota respublica, & quælibet eius pars expellere eum à possessione potest. Tunc enim non mouet bellum aduersus suum Principem, & Dominum, sed aduersus latronem dominium vsurpantem, ipséque fictus Rex est, qui seditionem committit, & illius est causa. Nam ex parte illum debellantium solùm est defensio. Si autem Rex secundo modo tantùm tyrannus existat, tunc patientes iniuriam se bello tantùm defensiuo munire possunt, non tamen illis licitum est suum Principem, vt verè dominum aggredi; aliàs seditionem, & rebellionem propriè committerent. Tota autem respublica illum regno priuare potest, si in eius perniciem gubernaret, quia Rex à republica authoritatem accepit in ædificationem reipublicæ, non in eius destructionem, sic optimè Suar. *disp.* 13. *de bello, sect.* 8.

3 Rixa est priuatum bellum, priuatáque authoritate assumptum, quo vnus alterum lædere conatur. Ex parte inuadentis est per se peccatum mortale, nisi leuitas materiæ excuset, vt in pueris rixantibus, sic D.Thom. 2. 2. *quæst.* 1. 4*articulo* 1. *& omnes.* Hæc rixa, seu priuatum bellum quid commune est ad duellum, & ad diffidationem. Duellum vocatur rixa, seu pugna duorum ex condicto, publicis quibusdam conditionibus interpositis. Diffidatio dicitur pugna, quę sine his conditionibus, ex conuentione tamen partium assumitur, quæque vocatur priuatum duellum. Videndum ergo est, an hoc duellum, siue publicum, siue priuatum licitum aliquando sit?

Decisio huius difficultatis pendet ex causa, quæ ad duellum suscipiendum occurrere potest. Nam si nulla inueniatur legitima, duellum semper erit illicitum, si tamen aliqua legitima inueniatur, tunc licebit duellum, sicut bellum, licèt legitima causa intercedente, secus si causa deficiat.

4 Octo ergo causæ occurrere possunt ad suscipiendum duellum, de quibus Doctores dubitant, an sint legitimæ? Prima est vana ostentatio virium, acquisitióque nominis, & honoris viri robusti. Secunda, causare voluptatem spectantibus, illisque se gratum præbere. Tertia, terminatio alicuius litis ciuilis, vel criminalis. Quarta, vindicatio iniuriæ factæ, illiúsque reparatio. Quinta, defensio proprij honoris, quem videris amittere, si oblatum duellum respuas. Sexta, periculum vitæ, honoris, vel bonorum fortunæ, quod necessariò subire debes, nisi duellum acceptes. Septima, defensio diuini honoris, quem alius blasphemiis, & irrisionibus, aliisque peccatis lædere intendit, nisi duellum acceptes. Octaua, terminatio belli inter hostes, & resolutio illius in duellum.

5 Prima, & secunda causa ab omnibus insufficientes iudicantur ad honestandum duellum, cùm enim in illo euidens periculum vitæ tam propriæ, quàm alienæ insit, nequit ob finem ita inutilem suscipi. Vnde & bellicum exercitium mortale peccatum est, si cum euidenti periculo vitæ suscipiatur, & in illo morientes Ecclesiastica priuantur sepultura, *capite* 1. *de Torneam.* sic expressè Caietanus 2. 2. *quæstione nonagesima quinta, articulo octauo circa solut. ad* 13. *in secunda causa, & in sum. verbo duellum.* Nauarra *capite decimoquinto, fine.* Valent. 2. 2. *disputatione tertia, quæstione decima septima, puncto primo, in causa* 5. *&* 6. Suarez *disputatione decima tertia de bello, sectione vltima, num.* 1. Coninch *disput.* 32. *dub.* 2. *num.* 5. P. Nauarra *lib.* 2. *de restit. cap.* 3. *in* 2. *p. dub.* 13. *n.* 296. Sanch. *lib.* 2. *in Decal. cap.* 39. *n.* 12.

6 Tertia causa est, ob quam propriè dicitur duellum, cùm enim inter aliquos controuersia esset, neque sufficienter veritas ostendebatur, resoluebatur lis in duellum, vt is qui victor in eo euaderet, reputaretur verum dicere, qui verò succúberet falsum. Duellum ergo assumptum ex hac causa non solùm illicitum, sed superstitiosum est, & vt tale damnatum, *cap.* 1. *&* 2. *de purgat. vulg. & cap. Monomachiam.* 2. *quæst.* 5. Est enim medium omnino inefficax, & improportionatum ad veritatem indagandam. Neque enim Deus

victoriam promisit daturus innocenti: neque iustum est eam ab illo sperare medio ita indebito, & atroci. Caietanus, Suarez & Nauarra *suprà*. Coninch *numero* 13. Sanch. *num.* 3. Valen. *dicto puncto* 1. *verf. Nec tertio*:& alij plures.

7 Quarta causa, quæ est vindicatio iniuriæ factæ, illiúsque reparatio, etiam insufficiens iudicatur ab omnibus supradictis Doctoribus ad honestandum duellum. Quia nemini particulari licet ob vindicandam propriam iniuriam alterum occidere. Ergo nec procurare: ad hoc enim officium Principis est constitutum. Adde huiusmodi effectus non certò per duellum obtinetur, cùm sæpè qui putatur victurus succumbat.

8 Quinta aliquibus videtur sufficiens, vt licitè suscipiatur duellum; cùm enim respuentes duellum ignaui, & timidi reputentur, neque possint absque rubore coram socijs comparere, quia eis non creditur respuisse ob vitandam Dei offensam, sed solùm ob timorem: fit sanè grauem inde iacturam honoris pati. Ergo vt hanc euitent, poterunt duellum admittere. Hac enim ratione vir nobilis non tenetur fugere aggredientem, etsi posset (vt cõmunior fert sententia) quia fuga illi est ignominiosa: Ergo similiter prouocatus ad duellum nõ tenetur respuere, quia talis repulsa illi est ignominiosa? At dicendum omnino est, ex hac causa nullo modo honestari duellum posse: sic Caiet. *art.* 8. *circa solut. ad* 3. Suar. *n.* 5. Sanch. *n.* 9. Valen. *punct.* 1. *verf. nec secundo*. P. Nauarr. *dub.* 13. *n.* 286. Coninch *disp.* 32. *dub.* 2. *num.* 8. & alij apud ipsos. Ratio est, quia tibi illicitum est mortem alteri infligere, illámque procurare nisi in tui defensionem. At illa acceptatio duelli non est defensio tui honoris, non enim datur defensio, vbi non est aggressio. At inuitans ad duellum non aggreditur tuum honorem, potiùs enim ex repulsa duelli, quàm ex eius inuitatione amissio honoris sequitur. Neque ipse cogit ad pugnam, sed suadet. Vbi ergo tibi infertur vis, quam possis repellere? Nullibi certè. Secùs verò est de viro nobili, quem alius aggreditur: tunc enim in aggressione patitur vim, quam non tenetur fuga sibi ignominiosa declinare, sed occisione poterit auertere.

9 Sexta causa, quæ est periculum vitæ, honoris, & fortunarum, magis est controuersa inter Doctores. Aliqui enim illam sufficientem iudicant ad honestandum duellum. Alij negant. Alij distinguunt inter periculum vitæ, & honoris, fortunarúmque, & dicunt periculum vitæ sufficere ad acceptandum duellum; secùs periculum aliarum rerum. Vt ergo cum distinctione procedamus, proponendi sunt casus, in quibus hoc periculum necessariò quis subire potest, & offertur duellum ad illius euasionem. Primò, si minetur tibi aliquis mortem, aut falsum testimonium, aut grauem iacturam diuitiarum, nisi duellum cum illo acceptes, & credas sine dubio tibi illud malum inferendum esse recusato duello; in hoc casu tibi licitum est duellum acceptare, imò ad illud inuitare, quia non inuitas ad malum, sed ad minus malum, neque enim eligis periculum mortis absolutè, sed certum periculum mortis, infamiæ, amissionisque bonorum commutas in periculum dubium, & incertum. sic Sanch. *lib.* 2. *cap.* 39. *num.* 8. Valen. 2. 2. *disput.* 3. *quæstione* 17. *puncto primo*, *verf. talis autem casus*. Coninch *disput.* 32. *dub.* 2. *n.* 4. *in septimo casu*, & *n.* 17. & clariùs Lessius *lib.* 2. *de iust. cap.* 9. *dub.* 8. *n.* 49.

10 Quòd si hic iniustus aggressor tuæ vitæ, honoris, vel diuitiarum, vellet duellum iniri non secum, sed cum alio tertio innocente. Maior est difficultas, an posses cum illo tertio pugnare, vt ab iniusta vexatione te liberes? Et ratio difficultatis est, quia tibi concessum est prouidere tuæ vitæ, cum iactura proximi, præcipuè cùm talis iactura non sit intenta, sed permissa, & ita vt probabile sentit Valen. 2. 2. *disput.* 3. *quæst.* 17. *puncto* 1. *paulò post principium verf. ponunt etiam*, & absolutè Caietan. 2. 2. *quæst.* 95. *articulo* 8. *circa solut. ad* 3. Sanch. *lib.* 2. *in decal. cap.* 39. *n.* 4. Petr. Nauarra *lib.* 2. *de restit. cap.* 3. *in* 2. *p. dub.* 13. *num.* 295. Tolet. *lib.* 5. *sum. cap.* 6. *n.* 31. At dicendum est nequaquam tibi licere. Non enim licet tibi directè innocentem interimere, vt vitam conserues. Ergo si ille tertius te non aggreditur, non licet tibi illum impetere, eiúsque mortem procurare: quod maximè procedit, quando ipse coactus duellum admitteret. Neque te excusare potes, affirmãs aggressorem medio illo tertio innocente te impetere, quia ille tertius non te impetit, sed potiùs tu illum impetis, & aggrederis. Nequis ergo id præstare, vt damnũ euites: & ita tenet Syluest. alios referens *verbo duellum, quæst.* 2. D. Antonin. 3. *p. tit.* 4. *cap. vlt.* §. *vlt.* Tabiena *verbo duellum. q.* 3. *n.* 4. Armilla *ibi. n.* 5. Henriq. *quodlib.* 5. *q.* 32. Abulen. 1. *Reg. cap.* 17. *q. vlt.*

11 Secundus casus est, cùm iniquè es accusatus, & condemnatus, vel credis certò esse condemnandum, & offertur tibi duellum ab accusatore, vel iudice, si velis à condemnatione liberari?

In hoc Nauarr. *cap.* 11. *n.* 39. & *cap.* 15. *num.* 9. Sanch. *lib.* 2. *cap.* 39. *n.* 8. Coninch *disp.* 32. *dub.* 2. *n.* 17. Petr. Nauarra *suprà*, *n.* 289. Mol. *tract.* 3. *de iustit. disp.* 17. *n.* 7. & Lessius *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 8. *n.* 47. existimant te licitè acceptare posse duellum ad euitandam condemnationem mortis, mutilationis membrorum, infamiam, grauémque fortunarum iacturam. Probant, quia tibi licitum est occidere eum, qui tuam vitam, honorem, vel diuitias aggreditur, à cuius aggressione nequis alia via liberari: sed huiusmodi accusator iniquis testibus tuam vitam, honorem, & diuitias aggreditur. Ergo potes illum duello perimere, cùm non suppetat tibi alia via euadendi periculum, nisi interficiendo insectãtem, videris posse interficere, quia est iusta defensio. Ergo sic dicendum in nostro casu. Ex hoc inferunt Coninch, Petr. Nauarra, Sanch. Mol. & alij apud ipsos, non solùm licitum esse acceptare duellum, vel illud indicere ad hanc iniuriam propulsandam, sed te posse occultè calumniatorem occidere, si alia via non suppetit euadendi periculum, quia illa non est occisio, sed defensio: imò Nauarra *dicto lib.* 2. *de restit. cap.* 3. *dub.* 13. *num.* 290. & Sanch. *dicto cap.* 39. *num.* 8. *fine*. affirmat te obligatum esse non acceptare duellum, si calumniatorem secretò interimere potes, quia nec te exponis periculo vitæ, & ab alio tollis occasionem committendi nouum peccatum duellum acceptando, vel offerendo.

Caietan. verò 2. 2. *q.* 65 *art.* 8. *ad* 3. *in* 4. *causa*, limitat supradictam doctrinam, vt procedat si duellum initur ex consensu Principis, quia aliàs non videtur concedendum. Secundò limitat, vt procedat in causa criminali, non in ciuili, quia defensio armata solùm licet, cùm alius te armis oppugnat. In causa criminali accusator iniustus te oppugnat armis, & gladio iudicis: in causa autem ciuili nulla sunt arma; quia nulla est ibi condemnatio ad mortem, neque mutilationem, cui dicendi modo adhæret Valen. 2. 2. *disput.* 3. *quæst.* 17. *p.* 1. *verf. est autem assertio*, & *verf. talis autem casus*. Nauarr. *cap.* 11. *n.* 39. & *cap.* 15 *n.* 9.

12 Cæterùm dicendum existimo primò, nec posse Principem in supradicto casu offerre tibi duellum, neque te posse illud acceptare; sic Abulen. 1. *Reg. cap.* 17. *q. vlt.* Salon. 2. 2. *q.* 64. *art.* 3. *controu.* 3. Suar. *de bello*, *disp.* 13. *sect. vlt. a. n.* 5. Probo. Nam, vel tu es dignus condemnatione secundùm allegata, & probata, vel non? Si dignus es condemnatione, etsi nullam tibi irroget iniuriam Princeps, condemnationem debitam in duellum commutans; at grauem irrogat accusatori, quocũ duellum inire debet, cùm absque causa legitima probata, illum manifesto vitæ periculo permittat exponi. Quòd si accusator in illud periculum liberè consentiat; esto ei

Princeps

Princeps iniuriosus non sit, est tamen reipublicæ, cuius administrationem gerit; cùm absque causa publicâ, & legitima periculo vitæ permittat exponi sibi subditum. Si verò dignus non es condemnatione, & nihilominus iudex te vult condemnare, & offert duellum loco condemnationis, adhuc existimo te non posse illud acceptare, nisi fortè ille, quocum duellum ineundum est, sit dignus condemnatione, & in duellum eius condemnatio commutetur, vel teipsum aggrediatur. Nam extra hos casus iniustè illum oppugnas, illúmque perimere intendis ob conseruationem tuæ vitæ: licèt enim in aliquo casu tibi permissum sit innocentem occidere vt vitam conserues; debet esse casus, ex quo sequatur occisio per accidens ad tuam actionem, vt contingit, cùm fugis inimicum, & in medio itinere est innocens constitutus, quem perimere debes, si cursum prosequeris, vel cùm arcem oppugnas, in qua innocens residet; in iis enim licita est innocentis occisio, quia ad pugnam, & fugam necessariam per accidens sequitur: vt bene probat Lessius *lib. 2. cap. 9. dub. 8. à n. 57.* At acceptatio, vel indictio duelli per se inferunt periculum occisionis. Nequeunt ergo hæc liberè fieri contra innocentem.

13 Secundò dico, si duellum oblatum sit tibi ab accusatore iniusto, & promittit se cessaturum ab iniqua actione, si admittis, secùs si respuis. Videris posse illud admittere, quia neque ipsi irrogas iniuriam occidendo, cùm ipse se tali periculo exposuerit, neque tu malè facis periculum tale suscipiens, eiúsque occisionem procurans, cùm in defensionem propriam, & ad vitandam iniuriam facias. Et confirmo. Si aliquis iniustè aggrederetur te infamare in platea de graui crimine, neque alia via vellet desistere, nisi duellum admitteres, vel offerres. Posses quidem illud admittere, & offerre, vt honorem defenderes, & à calumnia te liberares. Ergo à fortiori poteris, cùm apud iudicem te infamare intendit, cùm hæc infamatio magis publica sit, & grauioris damni periculo exposita. Quòd si dicas, tibi non licere alium occidere, nisi in defensionem. In præsenti autem casu non videris te defendere ab accusatore, sed potiùs illum aggredi, quia accusator te non aggreditur armis, sed lingua, & calumnia: lingua autem non videtur coërcenda, neque calumnia diluenda armis, sed testibus, & rationibus? Respondeo, si testibus, & rationibus coërceri non potest, & dissolui calumnia, armis fieri potest, quia à natura concessum est illis mediis vti, quæ ad propulsandam iniuriam necessaria fuerint. sic P. Nauarr. Mol. Lessius, Coninch, Sanch. *suprà.*

Neque approbo dictum Petri Nauarræ, & Sanchez, nempe te esse obligatum occidere calumniatorem, si occultè potes non admisso duello, quia ex occulta occisione calumniatoris infertur eius perpetua condemnatio, quam fortè in duello pugnans euitabit, vt benè dicit Coninch *disp. 32. dub. 2. n. 20.*

14 Septima causa, ob quam videtur admitti posse duellum, est in defensionem diuini honoris, si aliàs à peccatis desistere nō vult, nisi cum illo duellum ineas. Sed distinguenda sunt peccata, alia quę cedunt in iniuriam proximi, boni communis, & religionis, alia quę solùm peccanti nocent. Ob peccata, quæ solùm nocent peccanti, clarum est te non posse duellū admittere. Ob peccata verò, quę cedunt in iniuriam grauem proximi, & boni communis, & religionis; poteris præcipuè authoritate Principis duellum admittere, si alia via tibi nō suppetit defensionis; quia ob hanc rationē licet tibi iniuriantem occidere; quis enim negare potest te nō posse hæreticum occidere, si à conculcatione Sacramenti, & profanatione rerum sacrarum desistere non vult? Defendis enim tunc diuinum honorem.

15 Octaua causa est terminatio belli inter hostes, & resolutio illius in duellū, & hanc esse causam sufficientem honestandi duellum ex parte illius Principis, qui iustum bellum gerit, nullus dubitare potest, seruata tamen hac conditione, vt non trahat victoriam ad statum magis dubium, quàm per bellum. Nam posita hac conditione vitantur plures cædes, pluráq; damna vtrinque contingentia in bello, & omnia reducuntur ad paucos. Secus verò esset si spes victoriæ minueretur: grauissimè enim peccaret Princeps, aduersus suam rempublicam, certam victoriam, quam per bellū haberet, in incertam duelli commutans, peccarétque item aduersus duellantes, cùm eos periculo interitus exponeret absq; causa legitima. Itē licet Principi acceptare, & indicere duellū ad debilitandos hostium animos, & roborandos propriorum militū quando id videt esse sibi ad bellum necessarium, quia est pars belli, & ad victoriam consequendam sæpè conueniens, ac proinde ex eisdem conditionibus, quibus honestatur bellum, & ipsum duellū tunc honestatur: sic Suar. *disput. 13. de bello, sect. vlt. n. 9.* Sanch *lib. 2. c. 39. n. 15. & 16.* Val. *2. 2. disp. 3. q. 17. pūct. 1. vers. talis autem casus.* Pet. Nauar. *lib. 2. cap. 3. in 2. p. dub. 13. n. 294.* Coninch *disp. 32. dub. 2. n. 28.*

16 Quòd si inquiras, an in hoc casu liceat militibus, & Principi se obligare ad non succurrēdum sociis, si succumbant? Respondeo licere, quia aliquando licitū est, & permissum te obligare abstinere ab auxilio ferendo periclitanti, si illud præstare non potes absque graui damno proprio, vel boni communis. Cùm ergo in præsenti non possint milites defendere socios, nisi violent fidem datam, torúmque exercitum periculo exponant, fit sanè cessare posse ab hac defensione, & ita Sanch. notauit *lib. 2. in decal. cap. 39. n. 17.* Suar. *disput. 13. de bello, sect. vlt. fine.* Coninch *disp. 32. dub. 2. n. 28.*

17 Sed inquires, quæ pœnæ sint impositæ duellantibus absque causa legitima? Respondeo varias pœnas esse impositas à Concilio Trident. *sess. 25. cap. 19. de reformat.* Primò aduersùs quoscunque dominos temporales siue Reges, siue Imperatores, qui locum ad Monomachiam in terris suis inter Christianos concesserint, fertur excommunicatio, & iurisdictione, & dominio ciuitatis, castri, aut loci ab Ecclesia obtenti, in quo, vel apud quem duellum fieri permittitur, priuantur, etsi feudalia sint, directis dominis statim acquiruntur. Secundò aduersùs pugnam committentes, eorúmque patrinos fertur excommunicatio, & pœna confiscationis bonorum ac infamiæ perpetuę, & vt homicidę mandantur puniri, & si decesserint in ipso conflictu, careant Ecclesiastica sepultura. Tertiò, aduersùs eos, qui consilium in causa duelli dederint, aut alia quacunque ratione ad id quemque suaserint fertur excommunicatio. Gregor. verò XIII. in sua constit. quæ est 82. in ordine, incipiente, *Ad tollendum detestabilem duellorum vsum,* extendit supradictas pœnas, vt locum habeant in duellis priuatis, hoc est, in loco priuato, & non tuto commissis, & absque patrinis, sociisve ad id vocatis, ac sine prouocatoris litteris, & cartellis, & etiā si duellantes duellum, seu pugnam non perfecerint, si per ipsos non steterit, quominus dictum duellum perfectum non fuerit. Insuper Clemens VIII. anno 1592. Kalend. 17. Septemb. prædictam constitutionem Greg. XIII. pluribus aliis modis extendit, & excommunicationis absolutionem sibi reseruat. Quas omnes constitutiones benè explicat Conedo *ad decreta, collect. 117.* P. Cæuallos *tract. de omni genere homicidij, à n. 76.* Valer. Reginald. *prax. lib. 21. c. 7. à n. 73.* Sanch. *lib. 2. c. 39. à n. 19.* August. Barbosa *in remiss. Concilij, & de potest. Episc. 3. p. alleg. 50. num. 120.* & alij apud ipsos.

18 Primum, & præcipuum, quod in illis obseruari debet, est, non prohiberi sub prædictis censuris quālibet pugnam, sed pugnam ex condicto loco, & tempore determinato. Quocirca si aliquis accepta iniuria, & calore iracundiæ prouocet offendentem statim ad pugnā, non

dicitur

dicitur commisisse duellum, quia non fuit pugna ex cōdicto, vt benè probat Farin. ex verbis bullæ *lib.1.cons.9. n.35.* Sanch. *n.28.* Secùs verò dicendum esset, si accepta iniuria diceret offendēti: Exeamus hinc, scilicet ex platea, vbi sunt multi, qui nos impedire possunt, & eamus in agrum, & pugnabimus: tunc enim illa pugna iam est ex condicto, hoc est, ex pacto, & conuentione, loco, & tempore signato, ac proinde subiecta pœnis supradictę bullæ Clementis VIII. Idem est, si diceret inermi: Vade, assume arma, hic te expecto: quia iam signat locum & tempus præsens. Sanch. *loco citato.*

19 Secundò, aduerte excommunicationem, quā duellantes, eorúmque socij, & patroni, & Principes concedentes locum, seu nō impedientes, cùm possint, & quicunque alij ad id auxilium, vel consilium præstātes incurrunt, esse Pontifici reseruatam, ex bulla Clementis VIII. At poterit Episcopus ab ea absoluere virtute Trident. si duellum occultum sit, quia non intelligitur ex supradicta bulla hoc Trid. decretum abrogatū. sic Sanchez *lib.2.c.30.n.27.* Bonac. *de censur. disp.2.q.6.puncto 2.n.15.* Barbosa *3.p.alleg.50.num.120.fine.* Item virtute bullæ Cruciatæ poterit confessarius electus ab hac excommunicatione semel in vita, & semel in morte absoluere, quia exclusa hæresi, omnes aliæ censuræ conceduntur. Neque est verisimile, velle Pontificem supradictum priuilegium limitare: sic Sanch. *suprà.*

20 Tertiò, aduerte excusari à supradicta excommunicatione lata in Trid. & aliis decretis Pontificiis, Principem Christianum, qui locum infidelibus cōcederet ad duellum, quia Trident. expressè dixit, *inter Christianos*, sic relato Delrio affirmat Sanch. *n.29.* Barbosa *in remiss. Concilii.* Secùs verò affirmant, si Christiano pugnaturo cum infideli in suo regno locum Princeps concederet. Secundò, excusatur Princeps à supradicta excommunicatione, & pœnis, si iustam habeat causam permittēdi duellum, quia cùm illa permissio licita sit, non potest pœna puniri. Posse tamē aliquando adesse causam, quæ hanc honestet permissionem, non videtur posse dubitari, cùm sæpè occurrat occasio permittendi aliqua mala, vt maiora euitētur. Tertiò, excusantur à supradicta excommunicatione, & pœnis casu spectantes duellū, quia fortuitò illac transibant, quia in bulla Greg. XIII. expostulatur, vt ex proposito spectent, aliàs hac visione non videntur ad pugnam incitare. Sanch. *n.31.* Quartò, excusantur comitantes pugnaturos, si animo impediendi pugnam comitentur: quia ij dici non possunt socij illorum esse, sed aduersarij, neq; auxilium illis præbere, sed impedimentum. Adde talem comitatum laudabilē esse, & fortè ex obligatione suscipiendum. Ergo pœna affici non debet, sed præmio. Sanch. *n.31.*

21 Quartò, aduerte cum eodem Sanch. *n.32.* reliquas pœnas, præter excommunicationem, suspensionem, & interdictum, relatas in supradicto decreto Trident. & bullis Pontificum indigere sententia iudicis saltem declaratoria criminis, vt incurrantur. Quod de infamia, proscriptione bonorum, amissioneq; loci, in quo duellum committitur, est certum, cùm priuent iure acquisito. Et idem est ob eandem rationem de inhabilitate ad beneficia obtenta. At de inhabilitate ad beneficia, & officia obtinenda probabile reputat cum Mol. & Nauarr. similiter indigere sententia iudicis, quia non est vsu receptum absque illa incurri.

DISPVTATIO VI.

De Scandalo Charitati contrario.

GRauissima est hæc disputatio, & multum necessaria ad regulandas humanas actiones, sed vt distinctè procedamus. Videndum est primò, quid sit scandalum, & aduersus quam virtutem procedat. Secundò, quæ actiones ratione scandali illicitæ sunt. Tertiò, quæ causæ excusent ab scandalo dato.

PVNCTVM I.

Quid sit scandalum, & aduersus quam virtutem procedat.

1 *Duplex est scandalum, actiuum, & passiuum, & vtrumque definitur.*
2 *Tripliciter ruina proximi intendi potest.*
3 *Nunquam est scandalum, nisi ruina spiritualis proximi succedat, vel timeatur probabiliter successura. Excipe, nisi directè velis proximum cadere.*
4 *Aliqua notabilia inferuntur.*
5 *Proponitur quædam obiectio, & fit illi satis.*
6 *Scandalum passiuum non aduersatur speciali virtuti, sed per omnia vitia vagatur.*
7 *Scandalum actiuum, si directè volitum sit, hoc est, ex affectu, vt proximus ruat, speciale est peccatum.*
8 *Si verbis, & factis moueas aliquem ad peccatum ea intentione, quia est malum illius, teneris in confessione intentionem exprimere.*

1 DVplex est scādalum, aliud actiuum, aliud passiuum. Actiuum, quod propriè scādalum est, definit D. Thom. ab omnibus receptus *2.2.q.43.art.1.* Hieron. & glossa *Matth. 18.* esse opus minus rectum præbens proximo occasionem ruinæ. Nomine *operis*, intelligo verba, vel facta, vel eorum omissiones, quodlibet horum, si proximo præbeat occasionē ruinæ, scādalum actiuum erit. Dicitur minùs rectum, quia ad peccatū scandali actiui necessariò requiritur opus scandalizans esse malum, vel mali speciem habere. Quapropter quando in se non est malum, neque mali speciem habet, vt contingebat in actionibus Christi Domini, & Apostolorum, non censetur tunc præbere occasionem ruinæ, etsi alij inde accipiant. Passiuum scandalum est ipsa ruina proximi, quæ aliquando dicitur scandalum Pharisæorum, aliquando pusillorum. Scandalum Pharisæorum dicitur, quia ruit proximus nulla data occasione legitima, sed ex malitia ipsius, vt faciebant Pharisæi. Pusillorum scandalum est, quando ex opere aliàs bono sumit proximus occasionem ruinę, vel quia ignorat bonū esse, vel quia fragilis est; sicuti ex ornatu fœminæ licitò labi potest fragilis ex fragilitatē, prauus ex malitia, & qui licere ignorat ex ignorantia. sic D. Basil. *in reg. breuior. interrogat. 64.*

2 Secūdò, suppono tripliciter te posse ruinam proximi intendere. Primò, directè intendendo ruinam illius, quatenus ruina illius, & hoc modo dæmones nostros casus intendunt. Secundò, etiam directè intendendo ad ruinam, non ex affectu vt ruat, sed quia talis ruina tibi, vel alteri vtilis est. Tertiò, intendere potes ruinam proximi indirectè, hoc est, intendendo actionem, ex qua præuides proximum casurum.

3 Tertiò, suppono nunquam scandalum contingere, nisi ruina spiritualis proximi succedat, vel probabiliter timeatur successura: quando enim hæc cessant, cessat & scandalum, vt vniuersi tradunt cum D. Thom. *2.2.q.43. art.1.* Quod intelligendum est de scandalo, seu ruina proximi indirectè volita. Nam si directè velis proximū cadere, vel suadeas casurū, etiamsi ipse firmus futurus sit, committis peccatum scandali. Quis firmior Christo Domino in subeunda morte ob redemptionē generis humani! & tamen quia Petrus *Matt. 16.n.22.* persuadebat ei à morte abstinere, meruit audire, *Vade post me Satana, scandalum es mihi*; quia directè malum persuadebat, etsi Petro malum esse non videretur, ac proinde

credo

credo non peccasse; procedebat enim talis persuasio ex nimio in Christum amore, neque tamen sciebat à Patre æterno esse mortem Christo imperatam. Verùm si sciret imperatam esse, neque Christum illam licitè omittere posse, & peteret omitti, quis potest dubitare peccaturum peccato scandali? Verùm si solùm intendis ruinā proximi indirectè, quatenus occasionem aliquam intendis, ex qua proximus occasionem sumere potest cadendi, si de facto nō se tibi offerat probabilis illius casus, non committis peccatum scandali, vt vniuersi tradunt Doctores cum D. Thom. suprà.

4 Ex quo fit primò, plures coram aliis peccantes excusari à peccato scandali, vel quia videntes ita sunt in bono stabiles, vt nullo modo peccatis visis censeantur ad peccatū moueri, vel ita sunt deperditi, vt peccatum aliorum nihil illos immutet. Sic optimè tradit Nauar. *c. consideret. §. animaduerte, n. 9. de pœnit. & in sum. c. 6. n. 19. & c. 14. n. 28.* & ex illo Sanch. *lib. 1. in Decal. c. 6. n. 7.* Galass. *t. 1. in 1. 2. tract. 7. disp. 3. sect. 4. n.* 84. Bonac. *disp. 2. de pecc. q. 4. p. 2. §. vnic. n. 43.* plures referens Ioan. Sāch. *disp. 46. sect. n. 11* Fit secundò, si ex tuo dicto, vel facto nihil aliud præter admirationē, & rumorem in videntibus excitetur, non debes censeri peccati scandalum commisisse, vt benè notauit Ioan. Sanch. *disp. 48. select. n.* 45 quia admiratio, rumor, & suspicio de delicto, si fundamentum præbes non est peccatum, & consequenter causa non eris ruinæ spiritualis proximi.

5 Dices: Ergo si die Veneris coram aliis carnes comedas, non censeberis scandalum dare, siquidem ex illa actione potiùs excitatur in videntibus horror, & detestatio, seu admiratio conscientiæ tam perditæ, quàm propositum carnes comedendi: similiter si religiosus frequenter mulierem suspectam inuiseret, alij religiosi non inde mouentur ad peccatū, sed potiùs religiosi libertatem detestantur, & tamen scandalum censetur hic religiosus præbere; vt benè probat Nauar. *sum. c. 14. n. 31.* & tradit Syluest. *verbo scandalum, q. 2. fine.* Ergo ad rationem scandali non est necessarium esse proximo occasionem ruinæ spiritualis, & peccati?

Respondeo, si ex supradictis casibus solùm detestatio peccati, vel admiratio oriretur, & ex visitatione fœminæ à religioso facta aliquis rumor, & suspicio de delicto nasceretur; censeo nullo modo te peccato scandali peccaturum; tradit Suar. *de char. disp. 10. sect. 1. n. 1.* Ioan. Sanch. *disp. 48. select. n. 45. & clarius disp. 46. n. 11.* At quia rarò contingit ex supradictis actionibus non dari videntibus, aut scientibus occasionem alicuius ruinæ spiritualis, scilicet viuendi liberiùs, vel contemnendi religionem, religio ásque personas; ideò regulariter dixit benè Nauarr. *suprà*, scandalum præbere, qui absque causa necessaria, vel vtili alicuius mulieris suspectæ consuetudine familiari vtitur, & qui frequenter moniales debitam clausuram non obseruantes, inuisit: ex qua visitatione frequenti populus accipit occasionem detrahendi, & murmurandi, etiamsi alioqui castè viuat, & recta intentione loca illa frequentet. Item, qui domi suæ habet aliquam mulierem, de qua populus sinistrè aliquid suspicatur, siue sit cognata, siue extranea, etiamsi alioqui nec cogitatione cum ea peccet: quia non est præsumendum ex his actibus solam admirationem, & rumorem oriri, vel sinistram suspicionem, & locutionem, sed aliud peccatum graue, quale est religiosi status, & virtutis contemptus, & intentio liberiùs vitam agendi.

6 Quartò, suppono scandalum passiuum non aduersari speciali alicui virtuti, sed per omnia vitia vagari: scandalum enim passiuū, nihil alud est, quàm peccatum scandalizati, quod aliquando est aduersus temperantiam, aliquando aduersus iustitiam, aliquando aduersus religionem, & in hoc omnes Doctores conueniunt. Solùm de scandalo actiuo est difficultas, an speciali alicui virtuti aduersetur, sitque speciale peccatum?

7 In qua re certum est, esse speciale peccatum contrarium beneficentiæ, & misericordiæ, & ex suo genere mortale scandalum directè volitum, hoc est, ex affectu, vt proximus ruat. Hic tamen affectus deprauatus haberi potest, vel ex displicentia proximi, vel aliunde; si ex displicentia proximi habeatur, erit actus odij charitati contrarius, si tamen aliunde habeatur, quia tibi, vel alteri est vtilis talis ruina; tunc erit contrarius formaliter beneficentiæ, seu misericordiæ; misericordia enim inclinat miseriam à proximo remouere, quia illius malum est, neque necessarium est, vt talis remotio fiat ex complacentia ipsius, esset enim actus charitatis: sufficit si oriatur ex amore concupiscentiæ, quia scilicet tibi vtilis est, ita tradit optime Vasquez *1. 2. disput. 102. cap. 5. numero 14. & capite 6. numero 19. &* 20. & probatur ex D. Thom. communiter recepto 2. 2. *quæst. 43. articulo 3.* affirmat enim scandalum per se, seu quo directè ruina proximi intenditur, vt malum illius, opponi correptioni, & correptio necessariò versatur directè circa spiritualis nocumenti remotionem, non ex complacentia personæ, sed alia ratione; efficitur scandalum versari circa nocumentum ipsius personæ directè intentum, non ex displicentia ipsius, sed aliunde. Quòd autem hoc sit speciale peccatum, nemini esse potest dubium: habet enim specialem deformitatem affectus ille, quo ruina proximi, vt malum illius est, intenditur. Ergo necessariò est dicendus aduersari alicui virtuti, non charitati formaliter, siquidem non est ex displicentia personæ. Ergo alteri. Ergo beneficentiæ, seu misericordiæ, quia nulla alia videtur esse, cui possit aduersari.

Dices aduersari virtuti, quam scandalizatus lædit, vt si scandalizatus ruit in libidinem, intentio, vt ruat in libidinem castitati aduersatur. Fateor quidem castitati aduersari, sed dico habere prætereà supradictam malitiam contrariam charitati, seu beneficentiæ, & misericordiæ. Nam intendere huiusmodi ruinam spiritualem, quia malum proximi est, est specialis deformitas, & contraria castitati, quia illi finis formalis non magis opponitur castitati, quàm iustitiæ. Ergo assignare debemus aliquam virtutem, cui specialiter opponatur, quæ non apparet alia præter beneficentiam, & misericordiam.

8 Ex quo fit, si verbis, vel factis aliquem moueas ad peccatum ea intentione deprauata, quia malum illius est, non solùm te esse obligatum confiteri peccatum, ad quod mouisti, sed illam deprauatam intentionem. Sic Sanch. *lib. 1. in Decal. cap. 6. num. 3. 6. & 8.* Vasq. *1. 2. disp. 102. cap. 3. n. 5. & cap. 4. n.* 10. Bonac. *disp. 2. de pecc. q. 4. p. 2. §. vnico. n. 3. vers. hinc colligitur.* Quòd si illa deprauata intentio fuit ex displicentia personæ, à fortiori teneris id exprimere, quia talis intentio aduersatur tunc charitati, estque actus specialis odij proximi, vt benè Vasq. Sanch. *suprà.*

PVNCTVM II.

An inducere aliquem ad veniale peccatum, ea intentione deprauata, quia malum illius est, esse possit veniale peccatum.

1 *Negant aliqui. Sed eorum ratio infirma est.*
2 *Efficacior ratio proponitur.*
3 *Contraria sententia scilicet talem affectum esse posse peccatum veniale approbatur.*
4 *Satisfit fundam. n. 2. adducto.*

1 RESpondet Vasquez 1. 2. *disputatione* 102. *capite 7. numero 23. & 24.* Ægid. de Coninch 2. 2. *disput. 32. dub. 5. num. 51. non posse.* Ratio esse potest, quia velle

velle directè alicui veniale peccatum, est velle illi grauius nocumentum quolibet alio bono temporali, cùm peccatum veniale quolibet alio temporali nocumento præferendum sit.

Sed hæc ratio infirma est, probaret enim non solùm te peccare mortaliter, quando directè induceres ad peccatum veniale ex affectu damnificandi proximum, sed etiam quando huiusmodi affectum non haberes, siquidem tunc causa es proximo grauioris damni quolibet alio temporali. Item probaret, omittentem recitare breuem aliquam orationem ex iustitia debitam peccaturum mortaliter, quia priuat proximum emolumēto grauiore quolibet bono temporali. Non enim metienda est grauitas, vel leuitas huius obligationis, ex grauitate materiæ spiritualis, comparatione temporalis. Nam secundùm hanc comparationem certum est leuissimum damnum spirituale præferendum esse cuilibet temporali. Sed consideranda est materia secūdùm se, & videndum, an in suo ordine sit grauis, vel leuis: cùm autem peccatum veniale in genere damnorum spiritualium leue sit, efficitur ex hac parte non posse esse peccatum mortale.

2 Mihi tamen aliunde difficultatem ingerit. Fateor namque inducere aliquem ad peccatum veniale, veniale solùm esse; at inducere ex affectu illum damnificandi graue esse videtur, quia talis affectus non videtur posse prouenire nisi ex odio Dei, aut proximi, aut ex desiderio placendi dæmoni. Ex quocunque autem horum affectuum proueniat, grauem deordinationem continet. Ergo: Dices posse prouenire ex affectu vindictæ, quo apperis alium maculari peccato veniali, quia malum illius est. Item potest prouenire ex displicentia personæ, quæ non videtur grauem malitiam continere. Sed contrà, quia illa displicentia, & ille appetitus contrarij sunt charitati, vel misericordiæ virtuti directè. Ergo habent deordinationem grauem: sicut enim transgressio alicuius leuis præcepti ex contemptu illius mortale est ex communi sententia; ita inductio ad veniale ex voluntate damnificandi proximum, mortale erit. Item, si pecces venialiter ex contemptu alicuius beneficij à Deo accepti, ingratitudinem formaliter cōmittis, & tamen ille contemptus mortalis est. Ergo etiamsi ad veniale inducas, si tamen inducas ex affectu damnificandi proximum, talis affectus mortalis erit, est enim diaboli proprium.

3 Nihilominus à communi sententia affirmante peccatum veniale esse talem affectum deprauatum recedendum non est. docet D. Thom. 2. 2. *q.* 43. *art.* 4. Nauar. *c.* 14. *n.* 29. Azor *tom.* 1. *instit. moral. lib.* 4. *cap.* 20. *q.* 3. Bonac. *disp.* 2. *de peccat. q.* 4. *p.* 2. *§. vnico*, *n.* 10. Suar. *de charit. disp.* 10. *sect.* 1. *n.* 4. Sanch. plures referens, *lib.* 1. *in Decal. cap.* 6. *n.* 10. Lorca 2. 2. *q.* 43. *in sum. quest. n.* 6. Salas. 1. 2. *tract.* 13. *disp.* 5. *sect.* 15. *n.* 142. *vers. sed hac.* Et ratio est, quia talis affectus non videtur habere obiectū graue, quia solùm habet pro obiecto damnificationem proximi non grauem, sed leuem: sicuti si velles Petrum aliquo veniali peccato infici, & ex hoc affectu persuaderes illi dicere verbum otiosum, talis persuasio ex supradicto affectu non videtur vllo modo grauis esse. Nō enim grauis est ex obiecto ad quod persuades, cùm hoc sit verbum otiosum, neque etiam ex ratione formali persuadendi, cùm hæc solùm sit peccatum veniale.

4 Neque obstat ratio contraria. Concedo enim affectum damnificandi proximo in aliquo veniali peccato etiam ex displicentia personæ posse esse veniale, sicuti suprà diximus de contēptu pręcepti leuis. Contemptus verò beneficij à Deo accepti grauis semper est, quia tacitè Deus contemnitur, cui summa reuerentia debetur, quod in hominibus aliter contingit.

PVNCTVM III.

An si velis, vel inducas proximum ad peccatum, non quia malum illius est, sed quia tibi, vel alteri est vtile, pecces peccato speciali scandali?

1 *Certum est te peccare eadem specie peccati, qua proximus peccat, & obligatū esse in confessione manifestare.*
2 *Proponitur quadam obiectio, an tenearis ad restitutionē, si malo exēplo ad furtū induxeris? Et fit illi satis.*
3 *Si aliquem prauo exemplo, vel consilio ad furtum incites, simúlque cum illo fureris, obligatus es totum in confessione manifestare.*
4 *Quid dicendum de peccatis, qua sine complice patrari non possunt: An tenearis inductionem manifestare. Resoluitur vt probabilius te obligatum esse.*
5 *Plures Doctores affirmant esse speciale peccatum talem inductionem aduersus virtutem misericordia. Et quibus probent.*
6 *Plures alij Doctores censent non esse speciale peccatum scandali.*
7 *Pro resolutione pramittitur te posse dupliciter virtuti contrariari. Primò, eius praceptis. Secundò, eius fini.*
8 *Ex tali inductione contrarius es obligationi charitatis, & misericordia, non tamen eius formali obiecto.*
9 *Aduersus quamlibet virtutem dupliciter peccare potes omissione actus debiti, vel illi contrario. Et qua sit hac differentia.*
10 *Soluuntur ex dictis fundamenta vtriusque sententia.*

1 Certum est apud omnes, si velis, vel cōsulas proximo aliquod peccatum te peccare eadē specie peccati, qua ipse proximus peccat; quia illud intendis. Deinde etiam est certū, si tuo exemplo alium ad peccādum incites, specialem malitiam contrahere necessariò in confessione manifestandam, quia saltem indirectè vis proximi peccatū, illiúsq; es causa moralis. Ex quo mihi videtur pro certo habendum te peccare illa specie peccati, qua peccat is, cui malū exemplū præbes, quia illud peccatum tibi est voluntariū: sic Vasq. alios referens, 1. 2. *disp.* 102. *c.* 7. *n.* 33. Bonac. *disp.* 2. *de peccat. q.* 4. *p.* 2. *§. vnico*, *n.* 12. Azor *t.* 1. *lib.* 4. *c.* 20. *q.* 6. *fine*. Sanch. *lib.* 1. *in Decal. c.* 6. *n.* 4. *& seqq.* esto cōtrà teneat Salas 1. 2. *q.* 2. *tract.* 13. *disp.* 5. *sect.* 15. *n.* 134. Nec refert induxeris ne opere aliàs bono, vel de se malo; nam quomodocumq; inducas, & pertrahas proximum ad peccatum, peccati proximi reus eris, quia illius es causa, vt benè probat Valen. 2. 2. *disp.* 3. *q.* 18. *p.* 2. Vasq. *supra c.* 1. *n.* 1. *&* 2. Sanch. *n.* 2. Lorca *quest.* 43. *art.* 6. *disp.* 56. *n.* 5. asserens contrarium esse improbabile.

2 Dices: Ergo si proximus peccat peccato iniustitiæ, v. g. furti, vel homicidij, & tu consilio, vel opere, aliàs prauo illius fuisti causa, teneberis damna ex tali furto, vel homicidio reparare, siquidem illorum fuisti causa, peccando, inquam, contra iustitiam.

Respondeo, si consilio, vel mandato illorum causa fuisti, non est dubium te teneri, quia tunc directè cooperatus fuisti furto, vel homicidio. Item, si subministrasti materiam, vt gladium, scalam, aliámve actionem furto, vel homicidio concurrentem absque iusta causa, sic Valen. 2. 2. *disp.* 5. *q.* 21. *p.* 4. *vers. vnde ad argum.* Sotus *li.* 4. *de iustit. q.* 7. *art.* 1. *ad* 1. Arag. 2. 2. *q.* 62. *art.* 5. *ibi*. Salon. *controu.* 2. Bannes *dub.* 2. Sanch. alios referens, *lib.* 1. *in Decal.* 7. *n.* 19. At si solùm prauo exemplo ad furtum induxeris, non videris te teneri restituere, quia is cui damnum est illatum ius non habet te obligandi abstinere ab actione, ex qua alius tertius sumit occasionem malum inferendi; peccat tamen contra iustitiam, quia ad hoc peccatum sufficit, si indirectè malum proximi intendatur, seu occasionem illius dederis, sicuti si absque causa iusta induceres aliquem, vt tibi sub vsuris mutuares,

mutuaret, peccares contra iustitiam, non quia tibi facis iniuriam, nemo enim se lædere potest, vt dixit Arist. 5. *Ethicor. capit.* 6. sed quia es occasio. vt alius tibi faciat; at non teneris restituere, quia tibi obligari non poteras. Ergo benè poteris prauo exemplo contra iustitiã peccare, quin obligeris restituere: & ita tenet Vasq. 1. 2. *d.* 102. *cap.* 7. *n.* 21. Sanch. *lib.* 1. *in Decal. cap.* 6. *n.* 5. Suar. *de charit. d.* 10. *de scand. sect.* 2. *n.* 9. Bonac. *de restit. disp.* 1. *q.* 2. *pag.* 12. *numero & disp.* 2. *de peccat. q.* 4. *pag.* 2. §. *vn. num.* 40.

3 Hinc infertur, si aliquem consilio, vel prauo exemplo ad furtum incites, simúlque cum illo fureris, teneris in confessione dicere non solùm te furatum esse, sed etiam ad furtum, quod re ipsa sequutum fuit, alium induxisse. Probatur manifestè, quia furtum tuum esse poterat, quin alterum induceres. Ergo ex manifestatione furti à te facti non manifestatur inductio, & peccatum alterius, cuius fuisti causa. *Azor. t.* 2. *l.* 12. *c.* 16. *q.* 3. & 4. Vasq. 1. 2. *d.* 102. *cap.* 3. *n.* 5. Sanch. *cap.* 6. *n.* 6. Ægid. *de* Coninch 2. 2. *d.* 32. *d.* 5. *n.* 56.

4 Solùm de peccato, quod sine complice patrari non potest est difficultas, an tenearis in confessione manifestare, v. g. si induxeris aliquem ad tecum fornicandũ, an tenearis in confessione manifestare inductionem, vel sufficiat dicere te fornicatum esse? Ratio difficultatis est, quia talis inductio ad peccatũ subsecutum refertur. Ergo manifestato peccato ea quæ ad ipsum referũtur, censeri debent manifestata; ideò enim actus, oscula, & amplexus præcedentes coitũ non obligamur ex cõmuni sententia manifestare coitu subsequuto, quia ex manifestatione coitus cẽsentur alia manifestata. Et præterea, quia tota malitia horũ actuum sumitur ex obiecto, cuius sunt dispositiones, sed similiter tota malitia inductionis sumitur ex actu ad quem inducit. Ergo manifestato actu, inductio debet censeri manifestata: & ita tenet Vasq. *de pœnit. quæst.* 91 *art.* 1 *dub.* 4. & *dub.* 5. *numero* 34. & est probabile. At probabilius est te obligatum esse manifestare, quia manifestata copula non manifestatur inductio, cùm fieri possit absque inductione, vt regulariter in fœmina contingit, quæ non inducit, sed est inducta. In viris autem, quia regulariter inducunt, fortè hanc inductionem non erit opus manifestare, quia subintelligitur, cùm contrarium non exprimitur: sic Sanch. *lib.* 1. *in Decal. cap.* 6. *numero* 14. *fine.* Ægid. de Coninch *disp.* 32. *dub.* 5 *numero* 55.

5 Quocirca solùm est difficultas, an supradictũ consilium, vel inductio indirecta sit speciale peccatum scãdali contrarium virtuti charitatis, & misericordiæ.

Plures Doctores affirmant etiam esse speciale peccatum scandali aduersus beneficentiam, vel misericordiam, ita Suar. *de charit. disp.* 10. *sect.* 2. *n.* 3. Nauarr. *in man. cap.* 6. *n.* 19. Valen. 2. 2. *disp.* 3. *q.* 18. *pag.* 2. Ægid. de Coninch *disp.* 31. *dub.* 5. *a. n.* 45. Salas. 1. 2. *tract.* 13. *disp.* 5. *sect.* 15. *n.* 132. & *n.* 127. plures pro hac sententia refert, qui bene possent explicari de generali scandalo, & non speciali: limitat tamen Salas. *nu.* 133. suam sententiam, vt solum sit speciale peccatum scandali, quando efficaciter proximum ad peccatum pertraheres taliter quod difficillimum esset non consentire. Vnde dicit, si sollicites mulierem etiam nuptam ad peccatum, non intendendo vt finem, ruinam ipsius, non habere speciem necessariò confitendam, si mulieri non esset difficillimum sollicitationem respuere. Probant supradicti Doctores suam sententiam, quia sufficit ad contrahendam alicuius peccati malitiam, si illud intendatur, cui illa malitia est necessariò coniuncta. Vt si intendas fornicationem cum vxorata peccas iniustitiæ peccato, quia intendis aliquam actionem cui iniustitia est annexa: sed cuilibet peccato proximi est coniunctum damnum ipsius, in quo scandalum consistit. Ergo intendens peccatum proximi peccas peccato scandali. Et confirmo: si consulas alicui iniustitiam, vel libidinem, non est dubium quin consulas, quod malum illius est: Ergo non solùm peccas contra iustitiam, vel temperantiam, sed aduersus charitatem, vel misericordiam. Probo consequentiam, quia charitas, vel misericordia te obligat succurrere proximo in necessitatibus tam spiritualibus, quàm corporalibus. Neque ad satisfaciendum huic obligationi necessarium est, vt succurras proximo ex intentione subleuandi eius miseriam, sed quomodocunque succurras, satisfacies obligationi, sicuti aduersus illam peccas ex quocũque fine succurrere committas. Ergo etiam ex quocunque fine damnum temporale, vel spirituale proximo inferas, peccabis aduersùs misericordiam, quia misericordia efficacius te obligat, ne proximo damnum inferas, quàm vt illi in necessitatibus subuenias. Item tota malitia scandali sita est in actu externo inducente proximum ad peccandum: sed hic actus externus eodem modo inducit ad peccatum, siue procedat ex intentione ruinę proximi, siue illa intentione careat. Ergo peccatum scandali non pendet ab hac intentione. Denique si sciens ex aliqua actione sibi imminere mortem, peccat contra charitatem sui, si illam faciat. Ergo à fortiori peccabit contra charitatem sui sciens ex aliqua actione sibi mortem animi imminere: Sed charitas proximi eodem modo obligat. Ergo ex illa teneris nihil facere, quod in damnũ proximi grauiter cedat. Ergo aduersus charitatem peccas proximum scandalizando.

6 Cæterùm alij plures Doctores censent non esse speciale peccatum scandali, sed solùm generale, atque adeò consulentem alicui, vt peccet, non peccare alia specie peccati præter illam in qua est peccatum, ad quod consulit. v. g. Persuades alicui fornicationem, peccas aduersus temperantiam, non aduersus charitatem, aut misericordiam, si ruinam proximi formaliter non intendis: & à fortiori si ex tua actione siue mala siue speciem mali habente ipse proximus sumat occasionem peccandi, non peccas alio speciali peccato præter illud, in qua ipsa actio est, & in qua est peccatum, aliquod inclinat: sic docet, & latè probat Vasq. 1. 2. *d.* 102. *c.* 4. & *seqq.* Sanch. *l.* 1. *c.* 6. *n.* 3. Azor. *t.* 1. *l.* 4. *instit. cap.* 7. *q.* 1. *fine.* & *c.* 10. *q.* 6. *fine* & 2. *t. l.* 12. *c.* 16. *q.* 2. & 4. plures refert Salas. *tract.* 1. 3. *b.* 5. *sect.* 15. *n.* 124 & valde probabile reputat Bonac. *de peccat. d.* 2. *q.* 4. *p.* §. *vn. nu.* 13. *vers. mihi tamen*: & est sententia expressa D. Thom. 2. 2. *q.* 43. *art.* 3. vt benè probat Vasq. *supra.*

Probatur primò, quia si malum proximi specialiter non intendatur, non potest lædi positiuè virtus beneficentiæ, & misericordiæ: beneficentia enim non respicit pro obiecto proprio ipsius proximo benefacere, sed benefacere illi, quia bonum illius est, & misericordia non respicit pro obiecto remotionẽ mali à proximo vtcunque, sed quatenus illi mala. Nã remouere malum, & benefacere proximo æquè est obiectũ charitatis, ac misericordiæ, gratitudinis, & aliarum virtutum. Ergo vt hę virtutes distinguantur necessariò concedendum est, misericordiam intendere subleuare miseriam proximi, quia talis subleuatio bona illi est. Ergo actus, qui positiuè debet opponi huic virtuti, necessariò debet esse actus, qui velit miseriam proximo inferre, quia mala illi est. Secundo probo ab inconuenienti, quia sequeretur ex opposita sententia consulentẽ alicui fornicationem grauius peccare, quàm ipse, qui fornicatur. Nam qui fornicatur solùm aduersus temperantiam peccat, at qui consulit nõ solũ aduersùs temperantiam, sed etiam aduersùs misericordiã, vel charitatem peccat. Ergo grauius peccat. Peccat inquam aduersùs tẽperantiam, quia est causa fornicationis alterius, & peccat aduersus misericordiam, vel beneficentiam, quia damnum infert. Ergo grauius. Item si solùm ad contrahendam malitiam

malitiam oppositam alicui virtuti sufficit velle obiectum, quod illi est materialiter contrarium, vt in præsenti sufficit vel damnificare Petro, non quia damnum illius est, sed quia mihi est vtile; quod obiectum solum est materialiter contrarium virtuti beneficentiæ, & misericordiæ, & charitatis; efficitur sanè consulentem alicui furtum peccare & peccato iniustitiæ, quod de se constat, & peccato maleficentiæ, & immisericordiæ, & ingratitudinis, si sit benefactor, & odij aduersùs charitatem, quia illud obiectum potest esse obiectum materiale omnium illarum virtutum. Deinde sequitur fornicantem, seu intendentem fornicari ex affectu voluptatis peccare alia peccati specie præter intemperantiam, scilicet aduersùs charitatem, & misericordiam, quia sibi malum infert, & aduersus gratitudinem Deo debitam de beneficentia accepta. Ergo ne sic multiplicentur peccata, dicendum est tam consulentem fornicationem, quàm illam cómittentem non peccare aduersus charitatem, neque aduersùs misericordiam, quoties malum, quatenus malum est, non intenditur.

7 Pro resolutione aduerte dupliciter te posse alicui virtuti contrariari; Primò si contrarius sis eius præceptis, & obligationibus; Secundò si contrarius sis non solum eius præceptis, sed etiam eius formali obiecto. Explico exemplis. Charitas Dei, & proximi te obligat illos non offendere, si autem illos offendis, aduersus charitatem peccas: at eius formali obiecto contrarius non es, nisi talem offensam ex displicentia Dei, vel proximi velis. Itē virtus obedientiæ te obligat præceptis superioris obedire, vnde si illam violas, aduersus obedientiæ obligationem facis; at non facis aduersùs formale obiectum ipsius, nisi ea violes, quatenus præcepta sunt, & consequenter non facis aduersùs ipsam virtutem formaliter. His positis:

8 Dicendum est, cùm alium tuo exemplo ad peccandum inducis, te peccare contra obligationem charitatis Dei, & proximi, & contra obligationem misericordiæ, & contra obligationem obedientiæ Deo debitæ, & cōtra obligationē gratitudinis ob beneficia accepta; quia hæc sunt species, & circūstantiæ generales omniū peccatorum, in quo cum prima sententia conuenio. At non peccas contra formale obiectum charitatis, seu misericordiæ, in quo secunda sententia mihi placet. Nam ad peccandum contra formale obiectum charitatis Dei, vel proximi, non sufficit facere illi malum, sed insuper requiritur, vt illi fiat ex displicentia personæ. Sunt enim aliquæ virtutes, quæ in voluntate cōsummantur, qualis sunt charitas, obedientia, gratitudo, misericordia. Vt ergo iis vitia contrarientur formaliter, debent esse ex contrario motiuo, & obiecto, circa quod ipsæ virtutes procedunt. Explico. Ex gratitudine obligaris Deo seruire ob beneficia accepta; Vt igitur gratitudinis actum exerceas, debes seruitia præstare in beneficij accepti gratiam, & recognitionem: aliàs non eris formaliter gratus. Item obligat te obedientia mandatis superioris obedire: at si vis formalem actum obedientię exercere, debes obedire superiori, quia tibi præceptum imponit. Sic ergo dicendum est de actibus contrariis his virtutibus: si enim peccas post beneficium, & gratiam acceptam, obligationem gratitudinis violas, quia cōtra obligationem debitā ex gratitudine facis; at non te opponis gratitudini formaliter, quia ad hoc necessarium erat, vt ex contemptu beneficij, & gratiæ acceptæ peccares, vt docuit D. Tho. 3. *p. q.* 88. *art.* 4. & pluribus relatis Vasq. *supra c.* 5. *n.* 4. Item inobedientia formalis non est, quoties præcepta superioris transgrederis; aliàs omnia peccata essent inobedientiæ formales, sed tunc est quando transgrederis præceptum ex intentione transgrediendi, seu cōtradicendi superioris mandato, sicuti neque obedientia formalis est, nisi quando obedis præcepto ex intentione obediendi, & subdendi te superiori; ita docuit D. Tho. 1. 2. *q.* 104. *a.* 2. *ad* 1. Inobediētia tamen est, & contra obligationem obedientiæ facis; ita similiter non peccas peccato contra beneficentiam, & misericordiam formaliter, quando ruinam, hoc est, peccatum proximi intendis, nisi intendas, quatenus ruina, & malum illius est; quia alio modo misericordiæ, seu charitati formaliter non opponitur. At verè contra obligationē charitatis, & misericordiæ facis. Secus est de aliis virtutibus, quæ in opere externo consummantur, vt iustitia, pietas, temperantia, & aliæ similes; cum enim iustitia nō respiciat, nisi æqualitatem, quandocunque aliquis æqualitatem constituit, motus ob honestatē ipsius, actum iustitiæ elicit, sic quoties inæqualitatem constituit, iniustitiam formaliter cōmittit. At nō est sic in misericordia, charitate, obedientia, & gratitudine, quæ necessariò respiciunt propria obiecta sub aliqua ratione formali.

9 Rursus aduerte dupliciter te posse peccare aduersus aliquam virtutem, vel omittendo actum debitum, vel positiuè contrarium efficiendo: si per omissionem pecces, non requiritur, vt sub motiuo contrario virtuti opereris; quia virtutes non semper imperant actus proprios ipsius, sed obiectis materialibus contentę sunt. Nō enim cū tibi imperatur ieiunium, imperatur abstinentia sub motiuo tēperantiæ, vel sub motiuo obedientiæ: solùm enim abstinentia secundū se tibi imperatur. Quare etsi malo fine ieiunes, præcepto satisfacis, vt diximus. Item cum ex virtute misericordiæ, vel charitatis obligaris Petro necessitatem patienti subuenire, nō obligaris subuenire ex motiuo charitatis, vel misericordiæ: quia non obligaris actum internum misericordiæ, vel charitatis elicere, sed actum externū, qui est subuentio necessitatis, qui idem est, siue hoc, siue illo fine fiat; ac proinde benè poteris peccare omissione aduersùs charitatem, vel misericordiam, quin destruas obiectū formale harum virtutū. Secus vero dicendum esset, si peccares per actum contrariè oppositum charitati, vel misericordiæ, quia tunc deberes operari ex contrario motiuo illius.

10 Fundamenta vtriusque sententiæ ex dictis manent soluta. Prima enim sentētia solùm probabat illū actum scādalosum contrariū esse charitati proximi, misericordiæ, aliisq; virtutibus: quod credo esse verissimū quoad obligationem harū virtutum, tametsi nō sit contrarius earū formali obiecto, quod ad peccatum non requiritur, quia ad peccandum contra aliquā virtutem minus necessarium est, quā ad operandum ex illa. Secūda sententia solū probabat inductionem illam ad peccatū non esse formaliter contrariā charitati, quod fatemur libēter; at quia est contraria eius obligationi, hoc sufficit, vt absolutè contra illam sit, & talis actus dici possit contra charitatē esse. Neq; obstat vnicū actum plures malitias habere, & pluribus virtutibus esse contrariū, quia hoc nō est inconueniens in circūstantiis generalibus omniū peccatorū. Neque inde fit consulentem fornicationem grauius peccare, quàm fornicantem, quia esto contra temperantiam peccet, at non ita directè, ac ipse fornicator. Item etsi peccet contra charitatem proximi, ipse fornicator peccat contra charitatem sui.

PVNCTVM IV.

An ex peccato publicè facto malitia scandali oriatur?

1 *Proponitur ratio dubitandi.*
2 *Peccatum publicum malitiam generalē scandali habet.*
3 *Peccans publicè tenetur in confessione hanc circumstantiam manifestare.*
4 *Si tuo facto nullum scias mouendum ad peccatum, vel solum mouendum ad veniale, non peccas nisi venialiter.*

1 Ratio

1 Ratio dubitandi est, quia tunc nescis quis mouẽdus sit ex prauo tuo exẽplo ad peccatũ, aut quæ peccata occasione tui praui exempli efficienda sint. Ergo prauum tuum exemplum scandali malitiam habere non potest. Probo consequentiam, quia nullam malitiam contrahere quis potest, quin prius illam cognoscat & sibi repræsentetur: cum autem nulla malitia tibi specialiter repræsentetur, nullam specialiter contrahis: dicere autem, quod omnes malitias contrahis, videtur ridiculum. Item certum tibi esse potest non omnes videntes esse mouendos ex tuo peccato ad peccatum, sed ad summum aliquos: nescis tamen quot sint. Ergo tale scandalum, neque speciem, neque numerum peccati habet determinatum: & videtur ita sentire. Nauar. *sum. cap.* 14. *num.* 33. Vbi ad peccatum mortale requirit certam aliquam personam esse inducendam, neque sufficere (inquit) credere aliquem generaliter peccaturum. Sicuti nec sufficit ad peccatum suspicari aliquem malè viuere in aliquo oppido, etsi nulla sit ad malè suspicandum ratio, *cap. Osius de electione.* Esset tamen si in particulari de aliquo malè suspicaretur.

2 Nihilominus dicendum omnino est peccatum publicum malitiam generalem scandali habere; quia negari non potest de se mouere ad malum, & ad contemnendam virtutem, & liberiùs viuendum, & per accidens omnino esse, si nullus ex illo moueatur, per se tamen est, vt aliqui moueantur. Ergo iam peccans causa est huius mali; Quod autem in particulari nescias, ad quod peccatum videntes mouendi sunt, & qui sint mouendi, non obstat, quominus determinatam malitiam scandali contrahas, sicuti contraheres, si aliquos absque vlla determinatione persuaderes, vt peccatũ mortale committerent, talis persuasio & vna est, & vnam malitiam habet, etsi obiectum videatur esse nimis commune, & confusum: quæ autem hæc malitia sit, reputo esse malitiam aduersus charitatem reductiuè: charitas enim vt regina omnium virtutum obligat ne fiat aliquid, quo Deus offendatur, & eius diuina amicitia deperdatur. Ergo qui daret occasionem, vt Deus offendatur, & eius diuina amicitia dissoluatur, aduersus charitatem procedit. Ergo peccas peccato scandali: & ita tenet Azor. *to.* 2. *instit. moral.* 12. *cap.* 16. *quæst.* 3. Bannes. 2. 2. *q.* 43. *art.* 4. Petr. de Ledesm. 2. *to. sum. tract.* 4. *cap.* 5. *dub.* 3. Bonac. *disp.* 2. *de peccat. q.* 4. *p.* 2. §. *vnico. n.* 41. Sanch. *lib.* 1. *in Decal. ca.* 6. *n.* 7. *& n.* 20. & colligitur ex Nauarr. *c.* 14. *n.* 44. *vers. vicesimo octauo.*

3 Ex quo fit te peccantem publicè teneri fateri in confessione, publicè peccasse, quia cum non sciatur, quot personæ mouendæ sint ex tuo malo exemplo, debes periculum explicare: si enim scires, quot personæ mouerentur, & ad quæ peccata, & numerum personarum, & speciem peccatorum teneberis explicare: aliàs non satisfacis, siquidem non declaras speciem peccati, neque numerum peccatorum: ita Sanch. *numero* 9. Bonacina *numero* 42. *&* 44. Vasq. 1. 2. *disput.* 102. *cap.* 6. *num.* 8. Ioann. Sanch. *disput.* 46. *select. num.* 11.

4 Fit Secundò, si tuo facto quantumuis prauo scias videntes vel non esse mouendos ad malum, vel solum esse mouendos ad veniale peccatum, solum peccatum veniale scandali habebis, quia in tantum peccas hoc peccato, in quantum causa mortalis est peccati aliorum. Ergo si solùm credis alios ad veniale tantum peccatum mouendos esse, venialiter tantùm peccabis: & ita docet Sanch. *libro primo, in Decalog. capite sexto, numero decimo*, Bonacina *disputatione secunda, de peccat. quæstione quarta, parte secunda*, §. *vnico. numero vndecimo versicul. hinc sequitur.* Ioannes Sanchez *suprà.*

PVNCTVM V.

Vtrùm pecces peccato scandali offerens alteri occasionem peccandi, vel oblatum non tollis, cùm possis?

1 *Quo fine id fieri possit, & an quilibet rectus finis excuset.*

2 *Permittere peccatum alterius, vt deprehensus in illo puniatur, est peccatum.*

3 *Permittere, vt deprehensus corrigatur efficacius licitum est. Debet tamen certò de correctione constare.*

4 *Permittere peccatum, vt te indemnem serues, licet.*

5 *Offerre occasionem peccandi ob prædictos fines non est licitum.*

6 *Contrarium defenditur ab aliquibus. Et expenduntur aliqua, quæ probabilem reddere videntur supradictam sententiam.*

1 Si ea intentione, vt delinquat, non auferas ab illo occasionem peccandi, clarum est te peccare ob circumstantiam praui finis. Dubium tamen est, an si aliquo recto fine mouearis, à peccato excuseris? Moueri tamen potes, vel vt deprehensus in delicto puniatur, vel vt corrigatur, vel vt te indemnem serues: quocunque enim ex iis modis mouearis, non videris peccato alterius consentire, sed permittere.

2 Dicendum tamen est, si permittas peccatum alterius, solùm vt deprehensus in illo puniatur, peccas: quia non videtur hæc sufficiens causa honestandi permissionem: pœna enim non est per se digna, vt appetatur, cùm solùm ob peccatũ possit imponi: imò cum antecedenter ad peccatum pœnam peccati intendis, tacitè ipsum peccatum censeris intendere: sic tenet Med. *Cod. de rest. q.* 12. Sanch. *li.* 10. *de matr. disp.* 12. *n.* 52. Bonac. *disp.* 2. *de peccat. q.* 4. *p.* 2. §. *vnico. n.* 28. Affirmant namque peccati mortalis reos esse custodes cum se abscondentes, vt viatores illuc ingredientes compellantur ad pœnæ solutionem, quod est satis durum.

3 Verùm si permittas peccatum alterius, vt sic deprehensus corrigatur, constat ex his quæ diximus. *disp. de correct. puncto* 6. licitè fieri posse, quia tunc videtur sufficiens causa honestandi permissionem correctio absoluta, delinquentis: tradit vltra Doctores ibi relatos. Nauarr. *sum. cap.* 17. *n.* 123. Nauarra. *lib.* 3. *de restit. c.* 4. *n.* 103. 2. *edit.* Valen. 2. 2. *disp.* 5. *q.* 6. *p.* 5. *dub.* 7. *in fine.* Sanch. alios referens *de matr. li.* 10. *disp.* 12. *n.* 51. Bonac. *disp.* 2. *de peccat. q.* 4. *p.* 2. §. *vnico. n.* 28. Mol. *tract.* 3. *disp.* 739. *n.* 8. Ioann. Sanch. *disp.* 35. *n. vlt.* Debet tamen ferè certò constare, de emendatione futura, vt sic emendationis firmioris, & efficacioris spe compensetur sufficienter permissio delicti præsentis.

4 Dico Secundò vt te indemnem serues, potes delictum permittere, qua ratione potest maritus suspicans vxoris adulterium, vel illius secretò conscius, adhibere secum testes, quibus possit adulterium probare, & diuortium facere. Cùm enim grauissima viro irrogetur iniuria, si vxor adulterium committat, & cogatur simul cum illa cohabitare, poterit hanc iniuriam propulsare, & cum non appareat alia via commoda, qua propulsare possit, nisi permittendo peccatum, & testibus comprobando delictum, licebit permittere, & testes adhibere: & ita tradit Nauarra. *n.* 104. Sanch. *n.* 52. Bonac. *n.* 33. Mol. *tract.* 3. *de iustit. disp.* 55. *in fine.*

Difficultas est, an liceat ob prædictos fines offerre delinquentibus occasionem delicti committendi?

5 Communis sententia negat id esse licitum, quia id non est permittere malum, sed ad malum cooperari: ita Eman. Saa *verbo peccatum. n.* 7. Sanch. *lib.* 10. *de matr. disput.* 12. *n.* 53. Bonac. *de peccat. disput.* 2. *q.* 4. *p.* 2. §. *vnico. n.* 28. *&* 34. Ex quo inferunt Bonac. & Sanch. non li-

cere marito pacisci cum vxore, vt amasio eius castitatem violare tentanti, conniueat concedens tempus, & locum, non vt adulterium perficiat, sed vt in crimine deprehendatur, quia talis oblatio est tacita, imò expressa acceptatio adulterij intentati, quod de se est illicitum.

6 Verùm Petr. Nauarra *lib. 3. de restit. cap. 4. 1. p. dub. vlt. num.104. in 2. edit.* existimat licere, sed rarò offerre delinquentibus occasionem peccandi. Et probari potest. Primò quia offerri potest occasio medio aliquo indifferenti, vt contingit, si pater volens deprehendere filium furantem, relinquat clauem in arca quasi oblitam apponàtque nummos eo in loco, quo commodè illos possit surripere, & surreptionis conuinci, tunc, inquam, actionem præstat indifferentem, & in hoc casu tenet Ioan. Sanch. *disp. 35. circa finem*, cum aliis. Item si mulier sollicitata ab aliquo, cuius non possit importunitatem repellere, vtatur æquiuocatione aliqua, qua sollicitanti videatur annuere, in re tamen non annuat, non videtur peccare. Si enim dicat sollicitanti placet mihi, vt tali hora, & tempore venias: ostium apertum erit. Verba hæc indifferentia sunt, & licet sonent sollicitanti acceptationem adulterij, at re vera acceptatio non sunt. Ergo licitè poterit illis vti, cum sufficientem causam habeat vtendi æquiuocatione. Deinde esto illa verba attentis circumstantiis videantur esse acceptatio adulterij intentati. At re benè perpensa acceptatio non sunt, eo quod sæpè soleant non ad adulterium perficiendum, sed ad puniendum intentatum assumi. Non enim dicit mulier: contenta sum, vt tu prauam voluntatem exequaris, sed solùm dicit: contenta sum, vt tu hac nocte venias: quæ verba indifferentia sunt, vt veniat ad adulterium, vel ad recipiendam illius punitionem, qua mulier pellat molestiam, & defendat honorem. Adde *l. si quis seruo 20. Cod. de furtis*, vbi dicitur posse seruum requisitum ab aliquo de furto committendo nunciare domino, & de consensu domini aliqua ferre ei, à quo fuit requisitus, vt sic deprehendatur in furto suadens. Ergo signum est consensum domini non fuisse verum consensum, sed permissionem, ita similiter in casu de adulterio non est censenda vera acceptatio, & cooperatio, sed permissio. Hæc sunt, quæ aliquo modo probabilem videntur reddere supradictam sententiam non solùm in foro externo, in quo talis consensus non obstat accusationi furis & adulteri, sed etiam in foro conscientiæ. Doctores enim, quos refert Sanch. si rectè videantur, non distinguunt de foro externo, & de foro conscientiæ, sed absolutè dicunt posse maritum cum vxore pacisci, vt vocet amasium tali hora, & sic vocatum capiat, & puniat, vt videre est in Azeued. *lib. 8. recopilat. titul. 20. leg. 2. num. 17.* & aliis ab ipso relatis. Sed ea Doctorum iudicio submitto.

PVNCTVM VI.

Vtrum pecces peccato scandali, si parato graue peccatum committere, suadeas committere leuius.

1 *Si recta via possis diuertere proximum à grauiori peccato committendo, non licet tibi minus peccatum suadere.*

2 *Determinatum occidere Petrum non licet tibi ad vulnerationem Pauli incitare.*

3 *Quid si Paulus pro conseruanda vita Petri teneretur propriam exponere, vel saltem suas diuitias, posses ne consulere tunc hoc minus malum? Resoluitur te non posse.*

4 *Determinatum vni ex pluribus iniuriam inferre, non licet tibi inclinare in aliquem illorum, tametsi minus damnum, quàm alij patiantur.*

5 *Determinato perpetrare graue malum licet tibi materiam minoris mali proponere.*

6 *Proponitur prima sententia licere persuadere minus malum parato maius committere.*

7 *Proponitur secunda sententia negans.*

8 *Parato grauius, & leuius peccatum committere, licet tibi ad leuius persuadere, & in hoc sensu admittitur. Prima sententia.*

9 *Si paratus non sit leuius peccatum committere, non tibi est licitum ad illud persuadere, etiam sub fine, vt à maiori desistat.*

10 *Satisfit argum. num. 6. adductis.*

11 *Quid si volenti surripere nummos pauperi roges, vt à diuite surripiat, non determinando diuitem? affirmant plures licitum esse.*

12 *Sub distinctione respondetur.*

13 *Teneris ratione huius concilij restituere, tametsi contrarium sentiat Sanc.*

1 VT certa ab incertis separemus. Primò certum est te non posse minus malum suadere, si alia via possis diuertere proximum à grauiori peccato cōmittēdo. Quia tunc simpliciter nō erat necessaria suasio illius minoris mali, cū alia via honesta grauius euitari possit: & ita tenet expressè Mol. *2. tit. de instit. tract. 2. disp. 935. §. hac tamen conclusione.* Thom. Sanch. *lib. 7. de matr. disput. 11. num. 15. & 21.* Lessius *lib. 2. de iustit. c. 13. dub. 13. num. 19.* neque vllus in hac parte dissentit.

2 Secundò, certum est determinato occidere Petrum, nullo modo licere consulere, vt Paulum eius consanguineū enecet, vel percutiat, & volenti à Paulo furari centum, persuadere, vt à Ioanne quinquaginta furetur, quamuis contra teneat Vasq. *in opusc. de scandalo. dub. 2. numero 14. §. mihi tamen videtur.* Quia sic consulens infers tertiò damnum, quod ipse non tenebatur subire; non enim tenebatur diuitias suas offerre, vt alterius indemnes seruaret, neque vitam suam exponere, vt alterius vitam conseruaret. Ergo si medio tuo consilio causa es illius damni, profectò peccas, & ad restitutionem teneris: & hac ratione plures condemnant factum Loth, qui Sodomitis volentibus irruere in hospites, obtulit filias stuprandas, non enim iniuria filiarum debebat prauam voluntatem Sodomitarum auertere, & ita tradit Lessius. *lib. 2. c. 13. dub. 3. nu. 20.* Petr. Nauarr. *l. 3. de restitut. cap. 4. nu. 24. in secunda edit.* Mol. *supra.* Sanch. plures referens, *n. 24.*

3 Dices. Ergo quando Petrus teneretur suam vitam, vel diuitias exponere, vt grauissimum damnum alicuius euitaretur, posses volenti hoc grauissimum efficere, persuadere, vt Petro diuitias vel vitam auferat, quia de hac persuasione conqueri non potest, cum ex illa non obligetur damnum aliquod pati, quod ipse aliàs pati obligatus non esset? Concedit Vasq. *in opusc. de scand. dub. 2 fine.* Nauarr. *lib. 3. cap. 4. notab. 4. num. 25. in secunda edit.* Sanch. *lib. 7. de matr. disp. 11. numero 24.* Bonac. *de restit. disp. 1. quæst. 2. pag. 7. nu. 14.* Lessius *num. 21.* Sed credo contrarium esse probabilius: nam esto Petrus teneatur vitam, vel diuitias suas exponere ad vitandum graue reipublicæ damnum: at ipse inferens non potest illi tale damnum efficere, sed peccat grauiter. Ergo tu nō poteris consulere talem damni illationē, ad summū enim poteris materiam minoris peccati proponere, vt statim dicemus, non ad illā inclinare.

4 Sed quid si dubius sit aliquis, cui debeat iniuriam inferre, determinatus tamen inferre vni illorum, poterisne suadere, quod minus est, v. g. Determinatus est furari, vel à Petro diuite, vel à Paulo paupere, licebit ne tibi consulere, vt Petro diuiti furetur? Respondeo licitum tibi esse solùm in genere consulere, minus peccatum esse à diuite, quàm à paupere furari, & casu quo ipse determinatus sit furari, vt peccatum minus cōmittat: in hoc

in hoc enim nulla apparet turpitudo, cum alterius voluntati determinationem electionis etiam minoris mali relinquas. Verùm non poteris consulere, vt à diuite furetur, & pauperem relinquat; quia huius furti determinati causa eris: quod furtum fortè non foret, si tuum consilium non adesset, eáque de causa diues de te merito conqueri potest tui causa illi damnum factum esse fortè non faciendum; & ita tenet Nauarra, & Sanch. *suprà*, & Lessius. *lib.2. capite* 13. *dub.* 3. *numero* 22.

5 Tertiò, Certum est determinato perpetrare graue malum licitum esse materiam minoris mali proponere, vt sic retrahatur à maiori malo committendo. v.g. Sodomiam intentanti, licebit tibi fornicationis materiam proponere, & determinato homicidium facere, vt bona furetur, licebit tibi proponere, quomodò exercendo vsuras possit bona consequi, quia hanc propositionem non inducis directè ad fornicationem, neque ad vsuras, sed solum viam ostendis, qua grauius peccatum euitari possit, & licèt via mala sit, at eu non inclinas, vt illac pergat, sed solum dicis illam esse viam grauioris peccati vitandi, quod verum est; & ita tenet Couarruu. 4 *decret* 1. *p. cap.* 4. *in princ. n. vlt. ad finem.* Caiet. 22. *q.* 78. *artic.* 4. *notab.* 3. *ad finem.* Valen. 2. 2. *disp.* 5. *q.* 21. *p.* 4. §. *& hoc ipsum.* Sanch. *lib.* 7 *de matr. disp.* 11. *n.* 19 Lessius *lib.* 2. *cap.* 13 *dub.* 3. *n.* 22. & Doctores statim referendi. Et in hoc sensu excusant plures factū illud Loth. *Genes.* 19. Dicunt namque Loth, solum in oblatione filiarum obtulisse nefandis illis viris materiam explendæ libidinis minorem illa, quam ipsi intentabant, at nullo modo persuasisse, aut consuluisse, vt facerent; id enim prauę illorum voluntati reliquit: & probabile est ita Loth excusari posse: probabilius tamen excusari posse vel ex animi perturbatione, qua non attendit parentum obligationem esse tuendi pudicitiam filiarum, neque eas tanto periculo exponendi, vel quia solum ad declarandam immanitatem sceleris, quod Sodomitæ intentabant, obtulerit filias, non quia intelligeret inde eas alicui periculo exponi: sicuti soles dicere iracundo, Interfice me, & ne illi damnum facias. non intendis, vt te interficiat, sed solum declarare affectum, quem habes retrahendi alterum à peccato. Excusari autem debere Loth à peccato in hoc facto, mihi certum apparet: & 2. *Petri* 2. vbi nominatur Loth iustus, cùm è Sodomis eductus fuit, quo tempore filias obtulit. Signum ergo est in tali oblatione mortaliter non peccasse.

6 Difficultas ergo est, an determinato graue peccatum facere, liceat expressè consulere, & persuadere, vt minus efficiat, si alia via diuerti non potest? Prima sententia tenet id licere, quia non persuades minus malum absolutè, sed sub conditione, quod aliud grauius sit effecturus. Sed casu quo grauius sit effecturus, bonum est illi persuadere, vt minori malo contentus sit, quia in hoc vtiliter eius, & Dei negotium geritur. Ergo non peccas; & ita tenet Sanch. plures referens, *lib.* 7. *de matr. disp.* 11. *n.* 15. Lessius. *lib.* 2. *cap.* 13 *dub.* 3. *n.* 19. Rebellus. *lib.* 2. *quæst.* 14. *sect.* 4. *numero* 21. Mol. *tom.* 2. *disput.* 335. *num.* 3. *& tom.* 3. *tract.* 2. *disp.* 730. *num.* 3. Bonac. *cum aliis disp.* 1. *de restit. q.* 2. *p.* 7. *n.* 8. Vasq. *in opusc. de scand. dub.* 1. *&* 2. Vasq. sequitur, & quasi transcribit omnia, quæ de scandalo affert Basil. de Leon. *lib.* 5. *de matr. cap.* 18. §. 5. *n.* 26. & videtur esse sententia D. Aug. relati *in cap. si quod verius est.* 33. *q.* 2. vbi loquens de volente occidere vxorem, & ducere concubinam, dixit vtrumque nefarium esse, nec debere vnum pro altero perpetrare, sed vtrumque vitare, sed si facturus est, quod non licet, iam faciat adulterium, & non faciat homicidium. Ecce qua ratione Aug. consulit minus malum parato maius facere.

7 Secunda sententia docet nullo modo licere minus malum consulere parato maius efficere. Quia illud consilium & de minori malo absolutè est de malo; comparatiuum enim supponit positiuum, sed consulere absolutè malum, est illicitum. Ergo. Secundò, electio libera leuioris mali nunquam est licita, quantumcúnque fiat à determinato grauius committere. Ergo nunquam erit licitum consilium illius. Consilium enim nunquam potest licitum esse de materia, quæ nunquam potest esse licita: & ita tenet Caietan. 2. 2. *quæstione* 78. *articulo* 4. *notab.* 3. *ad finem.* Couarruu. 4. *decret.* 1. *part.* *capite* 4. *in princ. numero vltim. ad finem.* Syluest. *matrimonium.* 7. *quæst.* §. *dicto.* 9. Eman. Saa *verbo peccatum. num.* 8. Valen. 2. 2. *disp.* 5. *q.* 21 *p.* 4. Conrad. *de contractib. q.* 16. *corol.* 1. *&* 2. quæ infert ex 2. *conclus.*

8 In hac re Primò dicendum existimo priorem sententiam esse veram, si consulas, & persuadeas minus malum ei, qui non solùm grauius, sed etiam minus paratus erat efficere; quia in tali non consulis ad minus malum, sed ad carentiam præcisè maioris, neque determinas delinquentis voluntatē ad minus malū, sed potius retrahis à graui cōmittendo: quod hoc exēplo manifestatur. Determinatus erat Petrus occidere Franciscū, vt ab illo furetur pecunias, persuades, vt contentus sit furto, relinquat occisionē: intendit occidere, rogas, vt cōtentus sit vulnerare: in hoc enim consilio nemini dānum inferes, nō Petro, siquidē curas ne tot criminibus eius anima maculetur, neque Francisco, cū vtiliter eius negociū facias. Ex quo fit licere tibi non solum consulere furtum Petro in illo casu, sed ad eam actionē materialiter sumptam adiuuare, eo quod non adiuues in actione, quæ de se illicita, & mala sit, sed potius vt à te procedit bona, & honesta est, siquidē procedit ex tacito, & præsumpto consensu domini, qui vt mortem euitet, censetur tibi facultatē donare adiuuandi furem, vt tali adiutorio impediatur eius occisio: & ita tenet Sanch. *n.* 18. Bonac. *n.* 9. Vasq. *de scand. lib.* 2. *n.* 13. At in iis, in quibus ipse facultatē concedere non potest, vt in vulneratione sui, non licebit tibi adiuuare, etsi possis consulere, quia adiuuares ad id, quod est intrinsecè malum; sic notauit. Vasq. Bonac. & alij *suprà*.

9 Dico, Secundò, non licet tibi consulere minus malū ei, qui paratus nō erat illud efficere: Itaq; non licet tibi fornicationē suadere ei qui paratus est cōmittere adulteriū, vel sodomiam: sic Doctores secundæ sententiæ, & ex Doctoribus primæ tenet Nauarra. *li.* 3. *de restit. c.* 4. *notab.* 4. *n.* 23. Carbon. *de rest. q.* 69. *post* 3. *concl.* Probo, quia iam illius peccati, quod consulis, verè tu causa es, & verè peccatorem ad illud inducis, etiamsi recto fine procedas. Ergo peccas. Item ille peccator nō recto medio vtitur ad vitandum malum graue, operando minus. Ergo neque tu rectè illi consulis, cum consulis operationem minoris mali, vt grauius euitet. Iis argumentis pressi Doctores, primæ sententiæ dicunt in persuasione minoris mali, non malum persuaderi, sed electionem, seu antepositionē minoris ad maius: quæ antepositio ex suppositione determinationis voluntatis ad maius malum necessariò facienda est, si rectè procedatur. At quis nō videat hoc esse illudere verbis; cū enim electio minoris mali quantuncunque à praua, & determinata voluntate mali maioris procedat mala sit, persuasio, & consilium illius mala semper erit. Neque vnquam datur præceptum eligendi minus malum, sed potius datur præceptum abstinendi ab illo, & à grauiori.

10 Neque obstat argumentum pro prima sententia factū: Dicimus namque persuadere minus malū sub quacunque conditione fiat, esse intrinsecè malum, neq; honestari vllo modo posse. Ad locum D. Aug. relati *in c. si quod verius.* Respondeo cum glossa ibi verbo adulterium loqui non consulendo, sed permittendo. vel dicere possumus Augustin. ibi tantum intendisse rectius

rectius facturum, si adulterium faceret, quàm si faceret homicidium; sicuti dixit Epiphan. *lib. 2. contra hereses. heresi. 61. pag. 6. tom.* 1. Melius est vnum peccatum habere, & non plura, id est, minus malum est, sic etiam poterit dici; minus malum est, consulere minus malum, quã consulere grauius: at non esse malum tale consiliũ non videtur ex Aug. deduci, nisi solum sit consilium ad minus malum, quatenus minus est, seu quatenus dicit præcisè carentiam maioris. At qui persuadet furtum occidere volenti, non solùm persuadet carentiam homicidij, sed etiam malitiam furti, quæ etsi retrahat ab homicidio, non tamen est formalis carentia illius.

11 Sed inquires. An possis volenti surripere nummos pauperi, rogare, vt à diuite surripiat, non determinando diuitis personam? In qua re Thom. Sanch. *lib. 7. de matr. disput.* 11. *num.* 14. *fine. & num.* 15. *cum* Mol. *tract. 2. de iust. disp.* 545. *§. hac tamen conclusione*, sentit non esse culpam, quia tunc nullius damni videris causa, damni pauperis repulsor. Item quia non inducis ad aliquod peccatum, ad quod ipse fur inductus non sit, sed potius eius prauam voluntatem temperas: ipse enim cum ad furandum à paupere inductus sit, absolutè inductus est ad furtum committendum, quia in quolibet indiuiduo species, & genus cõtinetur. Ergo cum rogas, vt à furto pauperis abstineat, & furtum diuitis committat, cum non determines, cui diuiti faciendum sit, relinquis eius voluntatem in determinatione priori. Ergo non peccas.

12 Verùm in hoc casu dupliciter te potes habere, vel consulendo furtũ diuiti, vel illud proponendo. Et quidem si solùm proponas conuenientiam, quæ relucet in anteponendo pauperem diuiti: vt si dicas, minus peccatum est, minórque iniuria irrogatur diuiti, quã pauperi, ac proinde casu quo vnum illorum sit faciendum, minus malum est eligere furtum diuitis, quàm pauperis: nulla est culpa in tali repræsentatione, quia ibi tunc non est consilium, neque inductio, aut persuasio, vt de se constat. At si verè inducis ad furtum diuitis, sine dubio peccas. Quod probo; quia tuum consilium tendit ad commutandam prauam voluntatem furis, non in aliquod bonum, sed in aliud malum, etsi minus; tendit enim loco furti faciendi pauperi subrogare furtum faciendum diuiti. Ergo prætendis ad aliud furtum, ab eo ad quod fur erat determinatus, determinare. Ergo peccas: quia esse personam diuitis indeterminatam non obstat, quominus furtum, ad quod inducis aliud sit ab eo, ad quod erat prius fur determinatus, & à quo prætendis remouere. Adde si induceres ad furtum determinando personam, omnes præter Vasq. conueniunt te peccaturum, quia iniuriam irrogas, eo quod causa determinata sis illius damni, quod aliàs non esset faciendum, si tuum consilium non adesset, sed quando non determinas personam, etiam es causa damni, etsi non determinati vagè sumpti, hoc est huius, vel illius diuitis. Ergo peccas: Merito enim omnes diuites de te conqueri possunt, quod voluntatem furis ad illos inclinaueris, aliàs non inclinandam.

13 An verò tenearis ratione huius consilij restituere, si furtum alicui diuiti factum sit? Thom. Sanch. etsi concederet sic consulentẽ peccare nõ obligaret ad restitutionem, siquidem *lib. 7. de matr. disp.* 11. *n.* 23. affirmat consulentem minus damnum ei, qui alia via auerti non potest à maiore, non esse obligatum restituere: quia consilium (inquit) bonum est in substantia, cum sit de minori malo comparatione maioris, & solum sit malum in modo, quia est contra charitatem, quæ obligat, vt omnia mala vitentur. At dicendum existimo obligationem esse restituendi, si diuiti factum sit damnũ; quia fuisti positiua causa illius: nam licèt non fueris causa, vt huic diuiti, potius quàm alteri damnum sit factum, quia tamen fuisti causa, vt alicui diuiti fieret, consequenter fuisti causa huius in particulari. Quis enim neget te obligatum esse restituere, si aliquem non cogitantem de furto ad furandum inducas, etsi innominata persona, cui debeat furtum fieri? Ergo hæc vniuersalitas non obest obligationi.

PVNCTVM VII.

An mulier se ornans, & virorum aspectibus se offerens peccet peccato scandali.

1 *Si ornatus est iuxta communem vsum, tametsi superfluus sit, non est peccatum mortale.*
2 *Mulier sciens turpiter ab aliquo amari non peccat mortaliter in sentẽtia Nauarri eius cõspectui se præsentãs.*
3 *Debet tamen honesta causa duci, vt à mortali excusetur.*
4 *Si nulla honesta causa, sed solùm vanitate ducta turpiter amanti se offerat, mortaliter peccat.*
5 *Proponitur quædam obiectio & fit illi satis.*
6 *Si animo roborandi turpem amorem se præsentet, mortaliter peccat.*
7 *Exponitur factum Iudith, quod huic doctrinæ videbatur obstare.*

1 SI ornatus est iuxta qualitatem personæ, & communem vsum, nullum est peccatum se ita ornare, & aspectibus virorum offerre, modò absit praua intentio; etiamsi sciret turpiter ab aliquibus esse amandam: esset enim graue onus mulieres obligare semper inornatas procedere, vel domi inclusas esse, nullisque virorum aspectibus offerri. Quòd si ornatus superfluus sit, non existimo ex hac parte peccatum mortale esse, sed solùm veniale. vt docet Caietan. *2. 2. q. 169. art.* 2. Nauarr. *sum. cap.* 23. *n.* 19. *& seqq.* & Sanch. *lib. 1. in Decal. cap. 6. n.* 17. ex communi sententia Bonac. *de matr. q. 4. par. 9. n.* 17. quia sunt tot mulieres ita se superfluè ornantes, vt vix de nulla affirmari possit grauem occasionem peccandi tribuere.

2 Quare solùm controuersia esse potest, an quando mulier sciret se ab aliquo turpiter amari, peccet, se ornando, eiúsque aspectui offerendo? Nauarr. *sum. cap.* 23. *num.* 29. *& seqq.* latè probat non esse mortale, neque peccatum alterius ei esse tribuendum, etiam si nuda pectora ostentet, vt pulchrior videatur.

3 At si res exactè consideretur, existimo authores dissentire non posse: omnes enim ad liberandam puellam à peccato scandali rationem honestam excogitare debent, & illa interueniente eam à mortali excusant: cessante verò causa honesta eam condemnare debent. Caietan. *enim 2. 2. q. 154. art. 4. fine. & q. 169. art. 2. ad 5. dub.* & Armilla *sum. verbo ornatus. n. 3. & verbo scandalum. n.* 3. & Thom. Sanch. *lib. 1. in decal. cap. 6. n.* 17. excusantes hanc fœminam à mortali. Fundantur in eo, quòd durum est priuare fœminam libertate propria, & iure quod habet egrediendi à domo, standi ad ostium, vel fenestram ob malitiam adolescentis eam turpiter amantis. Quare Ludouic. Lop. *1. p. instruct. cap. 20. fine*, solùm obligat semel, aut iterum se domi continere, non tamen semper. Nauarr. verò *ca. 14. n.* 37. Corduba *sum. q. 5. fol.* 30. Azor. *2. tom. sum. lib. 12. cap. vlt. q.* 12. & alij relati à Sanch. *suprà n.* 16. excusant à mortali ob causam necessariam vrbanitatis, ne scilicet inurbana censeretur, si vicinas, vel amicas non inuiseret. Idémque est dicendum de alia simili causa.

4 Quocirca dicendum est, si nulla necessitate, vel vtilitate, sed solùm ducta vanitate, aspectui viri eã turpiter adamantis se offerat, peccat mortaliter: ita expresse Sanch. *supra n.* 17. Vasq. *q. 43. a. 8. dub. 2. n.* 27. & cõuenire debẽt omnes Doctores. Probo, quia ex obligatione charitatis

charitatis quilibet tenetur vitare ruinam proximi, si commodè possit: Potest autem commodè, quando absque iactura alicuius rei neccessariæ, vel vtilis potest. Ergo tenetur.

5 Dices priuari libertate, & iure quod habet hac, & illac discurrendi. Ergo semper adest causa iusta excusans. Respondeo si in huiusmodi cursu aliquis honestus finis adesset, qui non est solùm exercitium libertatis, vtpote commune actibus bonis, & malis: fateor non debere ob malitiam adolescentis priuari; quia priuatur aliqua re sibi vtili, & necessaria: at priuari cursu impertinenti, & ocioso, non debet fœmina vt molestum reputare; & licet illa reputet molestum, non obinde excusari potest à scandalo, quia non habet honestam causam excusationis; non enim est honesta causa quam ipsa de se vitare tenetur.

6 Vnum tamen est omnino certum, si puella se præsentet viro animo excitandi, & roborandi turpem amorem peccare mortaliter, quia finis, à quo actus sumit speciem, iniquus est.

7 Aduersùs hæc obstare videtur factum Iudith, quæ videtur se ornasse animo excitandi Holofernem ad libidinem: orauit enim cap. 9. *Capiatur laqueo oculorum suorum in me.* Sed in hac oratione, quæ tam ex feruenti charitate, & recta intentione processit, nullo modo admittendum est peccatum, neque etiam in ornatu, cui Dominus contulit splendoem. Nam vt text. dicit, omnis ista compositio non ex libidine, sed ex virtute pendebat. Orauit ergo Dominum, vt Holofernes caperetur laqueo oculorum suorum ad amorem, & familiaritatem honestam, non ad libidinem: ita glossa in præsenti, quæ optimè hunc locum explicat, & liberat Iudith à calumnia, & peccato.

PVNCTVM VIII.

An vendens, vel subministrans indifferentia, ex quibus proximus sumit occasionem peccandi, peccet peccato scandali.

1 *Quæ sint indifferentia.*
2 *Hæc indifferentia aliqua sunt, quæ omni tempore in malum destinantur, alia pro aliquo tempore, alia in bonum vsum regulariter fiunt.*
3 *Si vendas res, quæ, communiter in malum vsum destinantur, vel semper, vel occasione temporis, debet tibi constare moraliter, eum cui vendis non esse illis malè vsurum.*
4 *Explicatur, quomodo id tibi moraliter constare possit.*
5 *Si res in bonum vsum communiter ordinantur, licet tibi vendere, & subministrare, quoties non constat de abusu petentis.*
6 *Si credas proximum iis indifferentibus malè vsurum, teneris si commodè potes, ea illi non vendere.*
7 *Contrarium defendunt aliqui Doctores. Sed immeritò.*
8 *Quæ causa sufficiat ad honestandam subministrationem horum indifferentium, non potest certa regula definiri.*

1 INdifferentia voco, quæ bono, & malo vsui deseruire possunt, Idoli venditio, ædificatio templi, remigatio, & alia plura, & possunt in bonum fieri, & in malum. Si enim vendatur idolum reseruandum in memoriam antiquitatis, & in detestationem cæcitatis, & irrisionem illorum, qui tale adorarunt, venditio bona est. Si verò vendatur adorandum, & colendum, mala est. Ergo cùm venditio ex se non habeat magis hunc prauum vsum, quàm bonum, sed id habeat ex animo vendentis, vel ementis, efficitur ex se indifferens esse, vt rectè dixit Syluest. *verbo infidelitas. q.4.* Valen. 2.2. *disp. 1. quæst. 10. p. 5. ad finem.* Suar. *disp. 10. de charit. sect. 4. num. 6.* Sanchez *lib. 1. in decal. cap. 7. num. 6.*

2 Ex iis autem indifferentibus, alia sunt, quæ regulariter in malum vsum omni tempore destinantur, alia quæ solum aliquo tempore, alia quæ potius in bonum. Venditio veneni, Idoli, clauis falsę regulariter in malum vsum omni tempore deseruiũt, esto aliquibus personis in bonum possint deseruire. Econtra venditio armorũ, animalium, & aliarum rerum, quæ communiter vẽduntur, & emuntur, in bonum vsum destinantur; aliqui tamen malè illis vtũtur. Carnium comestio in Quadragesima omnibus communiter prohibetur, ac proinde earum præparatio, & venditio communiter illo tempore in malum vsum destinatur.

3 Dico ergo. Primò, si vendas res, quæ communiter in malum vsum destinantur, vel semper, vel occasione temporis, non potes illas vendere, aut præparare, quin tibi moraliter constet eum cui venduntur, aut præparantur, benè illis vsurum. Quia aliàs peccatum alterius tibi imputabitur, cum ei materiam subministres: ita expressè Suar. *d. 10. de charit. sect. 4. n. 6.* Sanch. *l. 1. in decal. c. 7. n. 3. & 7.* Nauarr. *c. 17. n. 36.* Eman. Saa. edit. Rō. *verbo peccatum, n. 10.* & de venditione veneni, quod coloribus & medicinis conficiendis deseruit, res est clara nō licere vendere nisi illis, de quib. nō præsumitur illud velle ad malũ vsũ: quod docuit Salon. 2.2. *q. 77. a. 4. controu. 6. in tertio corol.* Mol. *t. 2. de iust. d. 340 ad finē.* Sanch. *n. 17.*

4 Quòd si roges, quando tibi moraliter constabit aliũ non in malum, sed in bonum vsum supradictis rebus debere vti? Respondeo, ex qualitate personarũ, & modo petendi colligendum esse, communiter tamen præsumendum est de bono vsu, si publicè, absque affectatione secreti petantur: rarò enim quis ita audax est, vt si delictũ velit efficere, non curet secretum: hac enim ratione caupones, & macelli vendentes carnes tempore ieiunij, & cœnam porrigentes petentibus excusantur à peccato scandali, quia præsumuntur petentes non soluere ieiunium, sed ratione priuilegij, vel alterius causæ excusari, quam excusationem ipsi caupones examinare non tenẽtur, quia fieri cōmodè nunquã potest: ita ex Caiet. 2.2. *q. 147. a. 4. notauit* Suar. *d. 10. de charit. sect. 4. n. 3. & tradit alios referēns* Sanch. *l. 1. in Decal. c. 7. num. 34.*

5 Dico. Secundò si res cōmuniter in bonũ vsum ordinetur, licebit tibi illa vendere, & subministrare, quoties non constat de abusu petẽtis: quia horum venditio, & subministratio solum esse poterat mala quatenus intentioni prauæ deseruiret. Hæc tamẽ intẽtio de nullo debet præsumi. Ergo: & ita ex communi sententia cũ D. Tho. 2.2. *q. 78. art. 4. & q. 169. art. 2. docet* Suar. *d. 10. de charit. sect. 4. n. 3.* Sanch. *l. 1. in Decal. c. 7. n. 3.* Nauarr. *c. 17. nu. 195. c. 19. n. 16. & cap. 21. n. 16. & cap. 23. n. 90.* Bonac. *d. 2. de peccat. q. 4. p. 2. §. vn. n. 17. vers. qui vero:* & in hoc sensu dixit Eman. Saa *verbo peccatum, num. 11.* Non esse mortale facere ea, quibus alij possunt benè, & malè vti, etsi plures malè vtantur, vt aleas, gladios, fucum, &c.

6 Quod si credas proximum malè vsurum iis indifferentibus, teneris, si commodè potes, ea illi nō vendere, vel subministrare, quia cũ ex charitate obligeris proximi peccatum impedire, si possis, à fortiori obligaris materiam peccati nō subministrare, Syluest. *verbo infidelitas, q. 4. verbo ars. q. 3.* Suar. *alios referens, sect. 4. num. 4.* Sanch. *lib. 1. in Decal. cap. 7. n. 34.* Dixi, si commodè possis: nam si absque tuo detrimento non possis ab eorum venditione, vel subministratione cessare, non peccas subministrando, quia in tantum peccare potes, in quantum media illa venditione, vel subministratione peccatum alterius censeris causare, siquidem subministratio ex se mala non est. At cùm tibi talis subministratio vtilis, vel necessaria est, causare non censeris peccatum alterius, sed potius censeris vti tuo iure, & libertate, & peccatum alterius permittere, vt benè docuit Thom. Sanch. *lib. 1. in Decal. cap. 7. n. 9. & 11. & 34.* Suar. *d. 10. de charit.*

de charit. sect. 4. n. 4. Bonac. *disp. 2. de peccat. q. 4. p. 2. §. vnico. n. 17. vers. tertio.*

7 Contra videtur tenere Man. 1. *tom. sum. in secunda edit. c. 23. n. 8.* Petr. de Ledesm. 2. *to. tract. 27. c. 2. dub. 4.* Salon. 2. 2. *q. 77. art. 4. contron. 6. post. 3. conclus.* & Caiet. 2. 2. *q. 147. art. 4. fine.* Ii omnes affirmant tabernarios & caupones posse liberè cibaria ministrare, & vendere iis, qui ieiunium soluunt, quia neque inducunt ad ieiunium violandum, sed actionem de se honestam, & deseruientem sustentationi naturæ faciunt. At credo debere causam legitimam intercedere, quæ actionem honestet, cum non solùm non impedias peccatum, sed materiam illius subministres: & ita docuit Valen. 2. 2. *disp 9. q. 2. puncto. 3. circa finem.* Lessius *lib. 4. de iustit. c. 2. dub. 4. n. 24.* Sanch. *in decal. lib. 1. c. 7. n. 34.*

8 Quocirca tota difficultas est examinare, quæ necessitas, vel vtilitas sufficiat excusare te vendentem, vel subministrantem indifferétia, ex quibus proximus malè vtitur? In qua re certum est non eandem causam pro omnibus esse requisitam: aliæ enim sunt actiones, quæ solum in detrimentum spirituale illius, cui materia subministratur, cedunt, vt delatio concubinæ, qua dominus vti vult, aliæ quæ in detrimentum, & iniustitiam tertij: vt si velit mutilare, vel occidere, vel alias iniurias facere. Item alia est subministratio remota, alia proximior. Remotam voco conducere domum, meretrici lectum sternere. Proximiorem voco, si eam comiteris domino copulandam. Item vel est paratus proximus committere delictum, vel non? Quotiescunque ergo delictum virtuti excellentiori aduersatur, vel subministratio proximius peccato accedit, vel proximus paratus non est, grauiorem causam excusationis requirit in eo, qui materiam subministrat. Quæ autem hæc sit, præscribi non potest certa regula, sed prudentis arbitrio pensandum est, iuxta grauitatem peccati committendi, & occasionem à se datam, & præparationem illius; ex casibus specialibus infra subiiciendis elucidabitur. sic Sanch. *c. 7. n. 12* Suar. *de charit. disp. 10. sect. 3. n. 4.* Bonac. *n. 19.* Vnũ tamen est certum, si ex delicto damnum alicui innocenti est inferendum, debere maximè attendi, quam graue sit; fortè enim ita graue erit, vt merito debeas pati iacturam grauem diuitiarum, vt illud euites. tradit Sanch. *suprà. numero 18.* Suar. *sect. 4. numero 4.* Bonac. *num. 20.*

PVNCTVM IX.

An ministrans indifferentia excuseris à peccato, eo quòd proximus aliàs erat transgressurus præceptum, tametsi tu illa indifferentia non ministrares.

1 *Proponitur casus.*
2 *Plures censent in hoc casu non esse scandalum mortale.*
3 *Proponitur sententia Thom. Sanch.*
4 *Probabilius est non sufficienter honestari cooperationem harum actionum ex eo quod alius peccaturus sit.*
5 *Satisfit rationibus contrariis. n. 2. adductis.*

1 Violaturus erat Petrus ieiunium, etsi tu illi cœnam non apponeres, occisurus Paulum, etsi gladium non ministrares, furtum committere, etsi scalam non adhiberes. Excusaris ne à mortali apponendo cœnam, tribuendo gladium, scalam adhibendo? Notanter apposui apponendo cœnam, non inuitando ad illam: nam inuitare ad cœnam est inuitare ad id, quod hic & nunc nulla ratione honesta fieri potest; ac proinde est inuitare ad peccatum; Secus verò est de præparatione illius; illa enim præparata, non obligatur Petrus illam assumere, sed potest relinquere, & pauperibus ieiunio deobligatis tribuere.

2 Plures existimant in hoc casu non esse scandalum mortale: ita Man. 1. *tom. sum. cap. 23. n. 8. in 2. edit.* Petr. de Ledesm. 2. *tom. sum. tract. 27. cap. 2. dub. 4.* Lessius *lib. 4. de iustit. cap. 2. dub. 4. n. 24.* Caiet. 2. 2. *q. 147. art. 4. in fine.* Omnes ij affirmant inuitantem ad cœnam die ieiunij, vel porrigentem illam ei qui alibi cœnaturus est, excusari à peccato. Idémque deberent dicere de aliis actionibus supra positis. Ratio, quia illæ actiones de se malæ non sunt; aliàs nunquam possent honestari. Ergo solùm sunt malæ, quia mouent, & adiuuant in mala operatione: at hoc non contingit, quando ipse operans eodem modo malè operaturus esset seclusis tuis actionibus, ac illis positis. Ergo illæ actiones non videntur esse causa malæ operationis. Confirmo. Si associares furem, vel homicidam non teneris ad restitutionem, quando eodem modo furtum, vel homicidium patraretur, ac si socius non fuisses, quia tunc non censeris furti, vel homicidij causa esse. Ergo neque peccas mortaliter peccato scandali, quod consistit in eo, quod causa fueris peccati alterius. Secundò, ab iis actionibus indifferentibus eatenus potes obligari abstinere, quatenus excusâs illarum abstinentia peccatum proximi: at in præsenti non excusatur. Ergo non obligaris abstinere.

3 Thom. Sanch. *libro 1. in Decal. capite 7. numero 16.* distinguit duplex genus actionum indifferentium. Aliæ quæ remotè tantùm ordinantur ad peccatum alterius, quales sunt vendere agnum sacrificaturo Idolo, apponere mensam, præparare cibaria soluturo ieiunium. Aliæ, quæ proximius peccato alterius accedunt, quales sunt scalam admouere furari volenti, humeris sustentare, vt per fenestram ingrediatur, præbere gladium sic determinato occidere, inuitare ad cœnam præparatam soluturo ieiunium. Si de iis vltimis actionibus sermo sit, existimat Sanch. te non excusari à peccato mortali generalis scandali, ex eo solum quod proximus peccaturus sit, quia hæ actiones ita proximè peccato accedunt, vt merito dici queant malæ, nisi aliqua vrgenti causa excusentur. At de actionibus primi generis affirmat probabilius sibi videri non esse culpam mortalem, sed solum venialem. Esse autem culpam venialem probat, quia probabile semper est, te non ministrante materiam alium non ita intentè, & affectuosè peccaturum. Tuáque negatio est quoddam monitionis genus, quod etsi non sufficiat à peccato præsenti reuocare, fortè à futuro reuocabit. Addit amorem Dei non solùm inclinare ad cooperandum bono, etiam quando alij cooperatores existant, sed etiam ad vitandam diuinam offensam, etiam quando alij non desint, qui cooperentur. Quòd autem non sit mortalis culpa probat: quia videtur hæc leuis cooperatio: consentit Bonac. *disp. 2. de peccat. q. 4. par. 2. §. vnico. n. 35. & seq.*

4 Verùm mihi probabilius est non sufficienter excusari supradictas actiones à mortali, ex eo solum quod proximus aliis actionibus vsurus esset, si tuæ non adessent: quia hæc conditionalis non tollit, quominus tu causa sis illius peccati, & sis eodem modo causa, ac si proximus aliis actionibus adiutus peccaturus non esset: quod sic probo: quia si proximus v. g. alibi non esset soluturus ieiunium, & tu nulla causa intercedente cœnam subministrares, ferè omnes conueniunt te peccaturum, quia aliquo modo concurris peccato alterius. At quod alibi proximus soluturus sit ieiunium, non immutat tuum concursum, qui in subministratione cœnæ consistit. Ergo eodem modo concurris. Præterea contra distinctionem Sanch. est, quia tota malitia harum actionum indifferentium sumitur à peccato, quod adiuuant; cum auté hoc graue sit, vt

sit, vt supponimus, semper debet dare malitiam grauem. Ergo vel esse alibi proximum peccaturum excusat, ne peccatum proximi iis actionibus indifferentibus tribuat malitiam, vel si non excusat, non poterit illam minuere. Adde esse proximũ eodẽ modo peccaturum, esto tu nõ ministres necessaria peccato, est contingens, & fortè ita non erit, poterit enim alia via impediri à peccato, vel Dei inspiratione remoueri, quantumuis modò sit determinatus. Ergo quantum est ex te teneris hunc effectum bonum possibilem promouere, & impedimentum ei non apponere: & ita tenet Suar. *disp. 10. de charit. sect. 3. n. 2. & sect. 4. n. 5.*

5 Neque obstant rationes contrariæ. Nego enim iis actionibus indifferentibus te non concurrere peccato alterius, ac si alibi proximus peccaturus non esset. Ad confirmationem concedo te socium furis, vel homicidam non teneri ad damna ex furto, vel homicidio subsecuta, si tua societas necessaria, vel vtilis non fuit ad furtum, vel homicidium patrandum, vel ad patrandum animosiori, & vehementiori animo, quia tunc ad furtum, vel homicidium positiuè non concurristi. At si tua societas licet indeterminatè necessaria, vel vtilis fuerit, quia scilicet sine illa, vel alia delictum patratum non esset, existimo sine dubio restitutioni te esse obnoxium, quia tunc positiuè concurristi. Qua ratione præbens scalam, gladium, & alia instrumenta necessaria parato occidere, vel furari, iudico obligatum esse ad damna subsequuta, quantumuis alius præberet. Præterea esto concederemus te socium furis, vel homicidæ non esse obligatum restituere damna, quæ fur, vel homicida causat, quando aliàs furturn, vel homicidium esset sequendum non obstante tua societate: at non probat te non peccare contra charitatem, si possis peccatum proximi impedire, quia authoritatem peccato præbes. Adde, esto associando non pecces in illo casu, tua societas nullo modo concurrit furto, vel homicidio, sed est omnino per accidens. At ministrans indifferentia, quæ necessaria sunt ad peccatum, verè concurris ad illud, licèt enim non possis impedire peccatum, quia alius esset eadem ministraturus: at hoc non tollit, quominus verè concurras. Deinde impedires hoc numero peccatum, quod tibi modò, tanquam causæ indirectæ imputatur. Ad secundum dico. Scandali generalis malitia non consistit in eo, quod peccatum absolutè non impediatur, sed in eo quod ad peccatum non concurras.

PVNCTVM X.

An excuseris à peccato scandali, eo quòd proximus paratus sit peccare?

1 *Si opus, quod petis sine peccato fieri non potest, peccat ea specie peccati, qua est opus petitum.*

2 *Non potes inuitare ad cœnam soluturũ ieiunium, tametsi Nauarr. & Caiet. contrarium sentiant.*

3 *Talis petitio generalem malitiam scandali habet, maximè, si alias non peccaret deficiente tali petitione.*

4 *Petere actionem licitam, à qua alius separare potest malitiam, communiter Doctores censent licere.*

5 *Sed hoc intelligendũ est causa iusta intercedẽte, alias nõ.*

1 SI opus, quod ab illo petis, ipse nullo modo absque peccato efficere potest, manifestũ est te peccare ea specie peccati, qua est peccatum, quod petis, vt si petis à Petro, vt iuret falsò, maleficiũ alio maleficio dissoluat, occidat, fornicetur, &c. peccas ea specie peccati, qua Petrum peccare intendis, tenerisque in confessione manifestare talem petitionem. Nam esto scires euidenter Petrum tale delictum esse effecturum, neque tua petitione moueri, nihilominus tua petitio mala est, vtpote de obiecto malo.

2 Hinc infertur, an possis Petro determinato soluere ieiunium inuitare ad cœnam? Caiet. *2. 2. quæst. 147. a. 4.* Nauarr. *cap. 21. numero. 13. & 24.* affirmat licere. Mouentur, quia inuitas ad cœnam, non quatenus est solutio ieiunij, sed quatenus est sustentatio humanæ naturæ. Item inuitas vsurarium ad mutuum, & ethnicum ad iuramentum, quæ tamen debent malè præstare, & tamen non peccas. Adde martyres incitasse carnifices, vt sibi tormenta duriora inferrent, quæ tamen licitè inferre non poterant. Ergo bene potes inuitare ad actum qui aliàs peccaminosus futurus sit. Nihilominus dicendum existimo nullo modo tibi licere inuitare ad cœnam eum, qui aliàs soluturus est ieiunium, quia inuitas ad actum, à quo alius separare non potest malitiam. Ergo peccas. Quid enim interest actui esse malum ex obiecto, vel esse malum ex præcepto, si de facto ab illo malitia separari non potest? Ergo cum ab hac cœna, ad quam inuitas, separari non possit malitia, inuitando ad cœnam ad malum inuitas. Ergo peccas, & ita tenet Vasq. *q. 43. art. 1. de scand. dub. 3. numero 17.* Neque obstant contraria. Ad primũ, dico te peccare etsi inuites ad cœnam quatenus est sustentatio naturæ, quia ab illa cœna tali tempore facta, inseparabilis est malitia, sicuti peccares, si ad fornicationem inuitares, etsi solum inuites, quia est coitus aptus generationi. Ad secundũ dico optimè posse ab ethnico peti iuramentũ, & ab vsurario mutuũ, quia non petis rem, à qua malitia separari non potest: in iuramento enim hic, & nunc facto, & in mutuo hic, & nunc concesso, non inuoluitur malum vllum, at à cœna, quam petis nullo modo separari potest malitia. Ad tertium respondeo martyres excusari ex bona fide, & zelo religionis, quo putabant opus esse constantiæ tyrannos ad tormenta prouocare, ex se tamen nullo modo licebat.

3 Quòd verò talis petitio dici debeat generalem malitiam scandali habere. Est quæstio de nomine, cùm certum sit habere malitiam, quam habet actio, quæ est scandalosa, siquidem habet malitiam illius peccati, ad quod refertur. Distinguendum tamen censeo. Dupliciter paratus quis esse potest cõmitere peccatum. Primò, quasi in habitu, seu sub conditione, si ei offeratur occasio, qualiter meretrix, & vsurarius sunt parati. Secundò, nulla adhibita conditione, sed ita paratus est exequi tale peccatum, vt moraliter loquendo executurus sit, sicuti cum aliquis determinatus est occidere inimicum. Si à parato primo modo petas delictum, censeo petitionem tuam esse scandalosam, quia causa est huius peccati, quod aliàs non efficeretur. At si à parato secundo modo petas, etsi pecces peccato, quo alius peccaret, non debet tamen dici propriè scandalum, quia scandalum actiuum influit, & causat ruinam proximi, & ita videtur loqui Suar. *4. tom. in 3. p. disput. 22. sect. 4. numero 18.* vbi dicit non adesse circumstantiam scandali, si petas ab omnino parato, *& disput. 10. de charit. sect. 3. numerõ 2.* vbi affirmat adesse scandalum, si hîc & nunc peccatum non esset committendum, nisi peteres, quantumuis esset paratissimus: neque videtur contrari is Thom Sanch. *lib. 1. in Decal. cap. 6. numero 14.* sed potiùs fauet nostræ sententiæ, cum probet voluntatem peccandi stare optimè posse, quin peccatum hîc, & nunc efficeretur, nisi adesset petitio. Ergo iam petitio inducit ad peccatum, ac proinde est scandalosa in illo casu.

4 Maior difficultas est de inductione indirecta, scilicet petendo rem indifferentem, an scilicet tunc excuseris à peccato scandali, si proximus omnino paratus sit peccare? v. g. Petis à ministro peccatore tibi Sacramenta ministrare, quæ scis in peccato ministraturum; petis ab vsurario mutuum, quod scis non concedendum absque vsuris? Communiter Doctores dicunt

dicunt licere, quia petis quod tibi vtile est, & alius rectè præstare potest, quod si non præstat, sibi imputet. sic D. Thom. 2. 2. q. 78. *art.* 4. & ibi Caiet. Nauarr. *cap.* 14. *numero* 39. *& cap.* 17. *num.* 262. Soto. *lib.* 6. *de iustit. quæst.* 1. *art.* 5. Eman. Saa edit Rom. *verbo peccatum. nu.* 12. *in addit.*

5 Verùm hoc intelligendum est, si causa rationabilis adsit petendi: nam si æquè benè, & facilè ab alio sacramentum, vel mutuum accipere poteras, non video, quomodo te à peccato mortali excusem, siquidem causa es, quod alius hîc, & nunc peccatum mortale committat, alias non commissurus, & amor diuinus, & misericordia in proximum te obligat vitare, quantumcúmque alius ex malitia peccet, peccata tua, & aliena, quæ commodè possis. & ita tradit Nauarr. *sum. cap.* 21. *num.* 26. Suar. *tom.* 3. *in* 3. *p. disp.* 18. *sect.* 1. *corol.* 2. *& de char. disp.* 10. *sect.* 3. *num.* 2. Sanch. *lib.* 1. *in decal. cap.* 7. *num.* 15. Valen. 2. 2. *disput.* 5. *q.* 21. *p.* 4. *vers. Nec satis erit.* Bonac. *disput.* 1. *de peccat. quæst.* 4. *p.* 2. *§. vnico. numero* 2. *vers.* Addo. Vasq. *de scandalo. q.* 43. *art. art.* 8. *dub.* 3. Quocirca mihi non probatur, quod dicunt Caiet. & Nauarr. *suprà illo cap.* 17. *n.* 262. esse solùm peccatum veniale petere mutuum ab vsurario, si ad expendendum in ludis, & negociatione superflua peteres, quia tunc nulla est causa honestans permissionem peccati, vt benè aduertit Basil. de Leon. *lib.* 5. *de matr. c.* 18. *n.* 50.

PVNCTVM XI.

Qua ratione filij, famuli, & serui possint parentibus, & dominis ministrare in eorum peccatis? Et quid de captiuis remigantibus in bello iniusto.

1 *Si ministratio est in re de se mala, clarum est esse peccatum.*

2 *In quo est difficultas.*

3 *Præmittitur distinctio actionum deseruientium proximè, vel remotè malo vsui.*

4 *Actiones remotè deseruientes excusat filiatio, & famulatus.*

5 *Indifferentia proximiora peccato aliam causam grauiorem, præter generalem famulatus, & filiationis expostulant ad eorum honestatem.*

6 *Quid dicendum, si dominus velit, vt illum comiteris, cum libidinem aggreditur? Sub distinctione respondetur.*

7 *Quid de scribentibus, vel deferentibus litteras amatorias, vel inuitatorias ad duellum? Si deferenti non constat de eorum malitia, deferre potest. Secus si constat. & proponitur ratio contraria.*

8 *Si famulus es alicuius gentilis, potes eum ad templa idolorum comitari, modò non videaris idolum adorare, sed vrbanus esse. Et explicatur locus. 4. Reg. 5.*

9 *Si ministeria iniuriosa actioni deseruiant, grauis causa expostulatur ad eorum honestatem, & comparare debes grauitatem tui damni, cum damno proximi innocentis.*

10 *Remigantes in triremibus Turcarum, esto aliqui condemnent, probabilius est timore mortis excusari posse à censura, & peccato.*

11 *Excipe, nisi sciat vnusquisque grauissimum damnum reipublicæ Christianæ euitandum esse, nisi ipse remiget, quod rarò contingit.*

12 *Quid de aliis actionibus iniuriosis, effractione domus, deuastatione diuitiarum, &c. Probabilius videtur timore mortis honestari posse.*

1 SI ministratio sit in re de se mala, & turpi, nemini est dubium esse graue peccatũ, vt si concubinam quæras, illámque inuites ad copulam domini, si dominum in rixa adiuues, qua intendit occidere inimicum, simul cum illo pugnando, &c. Hæc enim intrinsecè mala sunt.

2 Quare difficultas est, quando ministratio est rerum indifferentium de se, & abest praua intentio. An inquam ratione filiationis, famulatus, vel seruitutis, excusari possis illa ministrando, esto scias dominum, vel parentem talibus rebus vsurum fore ad peccatum?

3 Distinguendũ censeo iuxta superius dicta de actionibus nimis indifferentibus bono, & malo vsui, & de actionibus, etsi indifferentibus proximè tamen malo vsui deseruientibus. Item de actionibus innocenti iniuriosis, & de actionibus solùm peccanti damnosis.

4 Si ministres indifferentia, quæ reputantur remota actioni prauæ, ratio famulatus, filiationis, &c. sufficit te excusare. Indifferentia nimis remota voco, cibos condire, mensæ ministrare, lectum concubinæ sternere, illam ornare, equum, quo vsura est præparare, ianuam domus illi aperire, deferre munuscula, internuncia, vrbanitates, & alia similia. Hæc enim omnia non videntur ita proximè peccato accedere, quin honestari possint ex subiectione debita domino, & parenti: & ita tradit Nauarr. *c.* 20. *n* 16. Azor. 2. *to. instit. moral. lib.* 12. *c. vlt. q.* 8. Saa *verbo peccatum. n.* 9. Sanch. alios referens. *lib.* 1. *in Decal. c.* 7. *n.* 24. 27. 29. *&* 30.

5 Si indifferentia proximiora peccato subministres, aliam causam grauiorem honestandi administrationem expostulo, qualis esset, si pater toruis oculis te aspiceret, & timeres malè tractari, vel si dominus à domo sua te expelleret, & expulsus cogereris mendicare, vel penuriam pati, præcipuè cum non ita facilè alium dominum inuenias, qui similia, vel peiora ministeria non petat, vel si in eius domo te sustinet, id fit te abiurgando, & increpando, vel debita mercede defraudando. Si enim aliquod ex iis damnis tibi prouenit, eo quod non ministres actiones indifferentes de se, & prauo vsui ex malitia domini deseruientes, poteris illa ministrare quia tunc non censeris peccato illius cooperari, sed potius permittere. Vnde licet tibi tali vrgenti occasione presso concubinam portare, signare locum domino, vbi sit. Item dicere concubinæ; dominus meus dicit, vt illum hac nocte expectes, vel eum videas. Item domino ascendere volenti per fenestram, ad rem habendam cum fœmina, poteris pedem sustinere, scalam apponere, quia sunt actiones de se indifferentes; & ita tradit Nauarr. *lib.* 5. *consil in secunda edit. cons.* 5. *de pænit. circa finem.* vbi postquam plures ex his casibus apposuisset, concludit. Ex his videtur colligi ratio defendendi omnes prædictos à peccato saltem mortifero, modò, vt in casu proponitur, non placeat eis peccatum, & faciant obsequia prædicta ob aliquem bonum finem, puta eo quod habeant illa causa officij sui, vel iustam mercedem: licet enim hæc officia, & obsequia sint valde coniuncta peccato, non tamen sunt secundùm se, & suapte natura peccata, & ideò seiungi possunt à peccato per finem diuersum, & seiunctum. Hæc Nauarr. & idem tradit *in cons.* 6. *seq.* & licèt *in cons.* 4. visus fuerit contrarium dicere, loquitur quando ob malum finem hæc ministrantur; eandem doctrinam docet Azor. *tom.* 2. *instit. moral. lib.* 12. *cap. vltim. quæst.* 8. Petr. Nauarra. *de restit. libr.* 3. *capite* 4. *dub.* 4. *fine. numero* 51. Sanch. *libr.* 3. *capite* 4. *dub.* 4. *fine. numero* 25. Rebell. *de obligat. iust.* 1. *p. lib.* 2. *quæst.* 14. *sect.* 7. *numero* 53. *vers. Hinc etiam.*

6 Quòd si dominus libidinem aggressurus petat, vt illum comiteris, & custodias. existimat Thom. Sanch. *illo cap.* 7. *n.* 23. esse omnino illicitum, si custodias, & comitatus dirigatur, vt inuadas alios concubinæ competitores, cum illisque pugnaturus, hoc enim de se

de se constat esse intrinsecè malum. At si solùm vt custodias herum, si fortè aliquis illum damnificare intendit, vel moneas, vt aufugiat, cum adest qui illum offendere possit, censet aliquando tibi licere, quia est quid indifferens talis custodia. At quia maximo te periculo exponis non solùm dominum defendendi, sed etiam excedendi modum defensionis, & ex alia parte tali securitate posita, dominus maiori libidine peccat, quàm si timoribus agitaretur, ideò maxima causa tibi necessaria est. Non explicat autem Thom. Sanch. quæ hæc sit: existimarem tamen debere esse, si timeres non obediendo graue iacturam in bonis fortunæ, honoris, vel corporis: leuior enim causa non videtur sufficiens.

7 Sed quid dicendum, si cogaris scribere, vel deferre litteras amatorias continentes turpia, & mouentia ad libidinem? Thom. Sanch. *lib.* 1. *in decal. cap.* 7. *num.* 26. existimat hæc prorsus esse illicita, neque vnquam honestari posse: idem tenet Bonac. *q.* 4. *de matr. p.* 14. *num.* 6. Rebell. 1. *p. de obligat. iustit. lib.* 2. *q.* 14. *n.* 53. *fine.* quia verba turpia sunt intrinsecè mala, nisi inter coniugatos, aut sponsos de futuro. Ergo idem erit de scriptis. Idem à fortiori dicendum est de scriptis ad duellum prouocantibus, qualia essent, si in eis diceretur. Conueniamus cras tali hora, & tali loco pugnaturi; quia hæc nulli bono vsui possunt deseruire. At hæc difficultatem ingerunt. Quia hæc scribere, vel deferre non videntur intrinsecè mala, si absit à te malus finis: turpia enim verba scribi possunt, sicuti scribunt Doctores, ad ponderandam malitiam illorum, qui ea ex malo fine proferunt, possúntque scribi, & dici non tanquam ex proprio marte, sed ex alieno. Item non seriò, sed irrisoriè. Ergo scribere hæc verba turpia de se non est intrinsecè malũ, quia solùm sunt turpia, & mala, quatenus à prauo animo procedunt, & in prauũ finẽ diriguntur. Ergo secluso hoc animo, & hoc prauo fine mala non esse videtur, & à fortiori neque erit intrinsecè malum scripta illa deferre ad concubinã, poterat enim illa deferre, non vt moueatur ad coitum, sed vt illam irrideat, & comburat. Ergo illa actio deferendi, quatenus à te procedit bono vsui deseruire potest. Et idẽ esse videtur de scriptis ad duellum prouocantibus, & ideò Eman. Saa *verbo peccatum. numero* 9. *edit. Complut.* excusat famulos has litteras amatorias deferentes, & licèt Nauarr. *libro quinto, cons.* 5. *de pœnitent. fine*, damnet mortaliter scribere concubinæ litteras, vt post cœnam peccet, ideò damnat, quia est circumstantia mali finis. Ergo si hic finis malus cessat ex parte scribentis, seu deferentis, cessabit ex parte illius peccatum. Neque obinde debent dici ij deferentes lenones, quia hæc faciunt necessitate pressi, non vt prauam fieri intentionem promoueant. Hæc sub dubitatione dicta sint. Vnum tamen est certum hæc nunquam honestari posse, nisi vrgens causa intercedat. Secundò existimo, si dubium tibi negatiuum, vel probabile tibi sit, an hæc scripta contineant verba inuitantia ad libidinem, vel ad duellum, poteris si famulus sis deferre, quia in casu dubij ratione subiectionis potes, imò pluribus Doctoribus placet te obligatum esse obedire: & ita de hoc casu expresè tradit Rebell. 1. *parte libro secundo de obligat. iust. quæstione* 14. *numero* 53. *fine.*

8 Rursus si famulus sis alicuius gentilis poteris dominum ad idolorum templa comitari, & genu flectente domino tu similiter genu flectere, taliter quod ex tali genuflexione non intelligaris idolum adorare, sed solum vrbanum esse, & debitum domino obsequium præstare: nam si videntes intelligunt te idolo genuflectere, ex nulla causa tibi esset licitum, quia est intrinsecè malum exteriorem cultum, & reuerentiam idolo exhibere, & iuxta hæc intelligenda est petitio Naaman ab Eliseo, vt adorante eius domino in templo Remmon ipse similiter adoraret. 4. *Reg.* 5. *n.* 18. Si enim loquebatur de adoratione idolo exhibenda, omninò erat illicitum; & quod videatur loqui probat, quia petiuit ab Eliseo, vt deprecaretur Dominum sibi ignosci pro hac adoratione. Et propheta non approbãs, sed permittens dixit, *Vade in pace.* Si autem non de adoratione Idolo facienda, sed de adoratione reuerentiali, & vrbana domino facienda loqueretur, vt locutum fuisse dicunt Lyra *ibi.* Azor. *tom.* 5. *instit. lib.* 8. *cap.* 27. *q.* 7. Sanch. alios referens, *lib.* 1. *cap.* 7. *n.* 11. & *li.* 2. *cap.* 4. *n.* 14. Suar. *defensio fidei. lib.* 6. *c.* 9. & *disp.* 10. *de char. sect.* 3. *n.* 5. Rebell. 1. *p. lib.* 2. *de oblig. q.* 14. *sect.* 7. *n.* 53. Dicendum est approbari potuisse ab Eliseo. Aduertit tamen & optimè Suar. *illa sect.* 3. *n.* 5. facili negocio posse Naaman declarare ex vrbanitate genuflexionem procedere; siquidem publicè se profitebatur cultorem veri Dei, cui vt creditur, templum exædificauit, siquidem ad hunc finem terram ex Hierusalem adduxit.

9 Si verò de ministeriis iniuriosæ actioni deseruientibus loquamur, & hæc indifferentia sint, sicuti sunt comitari furem, vel occisionem, sustentare scalam, dare gladium occidere volenti, & similia, etsi possint in aliquo casu honestari, at hîc debet esse grauissimus, & longè maior quàm in superioribus actionibus, quia tunc non solùm agitur de vitando heri peccato, sed præcipuè de vitando periculo, & damno innocentis. Quocirca spectandum est damnum innocentis, & comparandum cum damno, quod tibi euenire potest ex cessatione talis ministerij; nam si damnum innocentis est vitæ, & tuum in pecuniis, & non multum graue, cui dubium esse potest te obligatum esse abstinere, & pati illud damnum, ne innocens pereat? & ita tenet Sanch. *lib.* 1. *in Decal. cap.* 7. *n.* 12. 18. 22. 27. neque est qui contradicat. Quod autem admouere scalam furanti, tradere ensem volenti occidere, vel ostendere vbi sit inimicus, sint actiones de se indifferentes probatur, quia possunt bono vsui deseruire, & solùm ex malitia alterius in malum detorquentur: & ita tradit D. Thom. 4. *dist.* 23. *q.* 2. *art.* 2. *quest.* 3. Eman. Saa *verbo peccatum. n.* 9. Salas. 1. 2. *tract.* 2. *disp.* 5. *sect.* 1. Vega. *libro* 5. *sum. capite* 440. Sanch. *lib. in Decal. cap.* 7. *numero* 18. *fine.* Vasq. *de scand. quæst.* 43. *artic.* 8. *dub.* 7. *de restit. capite* 9. §. 1. *dub.* 2. *n.* 39.

10 Hinc oritur non leue dubium quæ causa sufficiens sit, vt à culpa liberentur captiui Christiani remigantes in Turcarum triremibus, vel apponentes scalas ad occupandam ciuitatem, vel porrigentes arma, ad Christianos occidendos.

Plures Doctores tenent nullam adesse causam excusantem à culpa, etsi à censura excuset: ita docuit Vgolin. *de censur. Papæ reseru. p.* 2. *c.* 5. §. 2. *vers. ac omnes eorum fautores* Tolet. *sum. in exposit. bulla Cœna. excomm.* 5. *fine.* Nauarr. *sum. c.* 27. *nu.* 63. & *cap. ita quorundam, de Iudeis. notab.* 11. *num.* 10. Suar. *tom.* 5. *in.* 3. *p. disputatione* 21. *sect.* 2. *n.* 60. & *seqq.* Pedraza. *mandato* 7. *num.* 29.

Mouentur, quia cooperari bello iniusto, rapinæ, & decisioni innocentis est intrinsecè malum, sed illi miseri captiui remigantes, & alia facientes hanc cooperationem videntur præstare. Ergo. Verùm probabilius multo est nullam culpam committere hos remigantes, si timore mortis, vel alterius grauissimi damni remigent, aliáue officia indifferentia præstent, quia ij non directè, sed indirectè cooperantur: cooperatio autem indirecta si fit per actionem de se indifferentem honestari potest causa graui intercedente, vt de cooperatione indirecta ad libidinem, ad intemperantiam, ad irreligionem admittunt communiter Doctores. Ergo. Quod autem remigatio, & alia huiusmodi prout à captiuis procedit, actio sit indifferẽs, inde cõstat, Quia ipsi nihil aliud faciunt, quàm applicare nauem, scalas

scalas apponere, propugnacula deferre, quibus factis poterant Turcæ nullum damnum Christianis facere. Ergo actio prout ab illis procedit, non trahit damnum necessariò. Secus est de emissione sagittæ, vel bombardæ, hæc enim secum necessariò trahunt damnum proximi in vita., ac proinde intrinsecè mala sunt, neque vnquam honestari possunt. Petrus de Nauarra *lib. 3. de restit. cap. 4. dub. 4. num. 51. 2. edit.* Cordub. *q. 137. dub. 2.* Salas *1. 2. tit. 3. disp. 3. sect. 1. n. 30. corol. 1.* Molina *tit. 1. de iustit. disp. 115. concl. 1.* Lessius *lib. 2. de iust. cap. 9. dub. 18. n. 122. & c. 14. dub. 3. num. 30.* Sanch. alios referens *lib. 1. in decal. cap. 7. n. 18.* Rebell. *1. p. de obligat. iustit. lib. 2. q. 24. sect. 7. n. 52.* Vasq. *q. 43. art. 8. de scand. dub. 7. & tract. de restit. cap. 9. dub. 2. §. 1. num. 39.*

11 Limitant tamen benè Salas, Sanch. Mol. Lessius, Rebell. Vasq. non excusari timore mortis remigantes, si videant damnum graue reipublicæ Christianæ ipsis nõ remigantibus euitari posse, quia tunc tenẽtur propriam vitam ob commune bonum exponere. At rarò, vel nunquam hic casus potest contingere, in quo aliquis in particulari obligatus maneat. Quia rarò poterit aliquis sibi persuadere alios cessaturos fore à remigando, si ipse cesset, & sola cessatione ipsius damnum commune euitari.

12 Maior mihi est dubitatio de aliis actionibus directè, & per se proximo iniuriosis, quales sunt eius domũ perfringere, deuastare, bona surripere: hæc enim non videntur vllo modo honestari posse: & ita docet Ægid. de Coninc. *disp. 31. de char. dub. 7. n. 104.* referens Lorca *disp. 51.* Cæterùm timore mortis hæc honestari posse docet optimè Mol. *tit. 2. de iust. disp. 115. concl. 4.* Quia tibi licitum est externis bonis proximi vti, prout necessarium est ad vitandam extremam necessitatem, sed illa deuastare, capere, & asportare, tradereque minàti mortem est tibi necessarium ad illam vitandam. Ergo id facere potes. Neque dominus illarum rerum debet esse inuitus, sed potius debet ex charitate consentire, neque actionem prout à te fit iniuriosam reputare, consentit ex parte Lessius *lib. 2. de iustit. c. 18. dub. 3. n. 30.* affirmans has actiones iniuriosas esse, nisi fortè facias animo compensandi, quia tunc dominus debet permittere, ne grauissimum malum incurras.

PVNCTVM XII.

Quæ causa excuset locantes, & vendentes domos, cibaria, vestes, meretricibus, & vsurariis, quæ meretricum patronos, quæ pingentes Adonidem nudum, vel concubinam amasio.

1 *De locatione, & venditione domus, vestium, & alimentorum communis tenet sententia absque vlla causa te liberè facere posse.*

2 *Imò carius potes locare domum iis peccatoribus, quàm aliis honestis personis.*

3 *Si tua domus aptior est ad malam negociationem vel turpitudinem, non licet tibi si commodè potes, illis concedere.*

4 *Vsurariis alienigenis domus locari non possunt.*

5 *Patroni meretricum si contenti essent officio sibi à republica designato sustineri possent. At vt ipsi se gerunt vix absolui possunt.*

6 *Pingentes Adonidem, concubinam amasio, idolum Ethnico excusari possunt, si grauissimo metu compellantur, non aliter.*

7 *Satisfit obiectioni cuiusdam doctoris.*

1 Communis sententia docet nullam causam ad hoc requiri, sed liberè te posse locare, & vendere domum, cibaria & vestes meritricibus, & vsurariis, ad illorum habitaculum, & sustentationem. Primò, Quia hæc nimis à peccato remota sunt, cum non sint illius materia, neque occasio, Sanch. *lib. 1. in decal. cap. 7. num. 20.* Lessius *lib. 2. de iust. cap. 24. dub. 7.* Vasquez *de scand. quæst. 43. art. 8. dub. 5. fine.* Rebell. *lib. 14. quæst. 17. num. 8.* Bonac. *quæst. 4. de matrim. p. 14. num. 5.* Valent. *3. tit. disput. 5. quæst. 20. p. 5. pag. 1133. versic. Ex hoc autem. & quæst. 21. puncto 4. circa finem.* Azor *2. tit. instit. lib. 12. cap. vlt. quæst. 3.* Secundò, Vteris iure proprio res tuas locando, & vendendo. Tertiò, Peccatum illorum non teneris impedire. Siquidem nec respublica impedit, cum possit; imò ea permittit ob grauiora mala vitanda. Hæ rationes probant te posse iis vendere, locare domum, vestes, & alimenta, esto æquè benè aliis possis locare.

2 Aduertit tamen Nauarr. *sum. cap. 17. num. 195. §. respondimus*, non licere tibi domum locare meretricibus carius, quàm locaretur honestis, eo quod magis lucrentur, quia videris esse particeps lucri obuenientis ex peccato. Verùm hæc limitatio mihi non probatur, quia neque talis locatio est contra castitatem, neque contra iustitiam, non contra castitatem, quia sicut locare domum, & recipere pretium locationis, etiamsi sit pretium ex turpitudine acquisitum, non est contra castitatem, neque etiam est recipere maius pretium, quia non ob turpitudinem, sed ob domum locatam recipitur. Item hæc difficultas inueniendi domos accommodatas potius retardat à meretricio, quàm compellit. Quòd verò non sit contra iustitiam inde constat, quia ex habitatione meretricis, & vsurarij domus vilescit, & consequenter minoris posteà conducenda est, & ratione huius damni poteris pluris locare meretrici, quàm fœminæ honestæ.

3 Verùm etsi hoc ita sit, si tamen tua domus aptior sit ad illam execrandam negotiationem, & turpitudinem, existimo te teneri nec vendere, nec locare iis perditis personis, si inuenias alias, quibus loces: quia lege charitatis teneris vitare peccata, quæ possis absque tuo graui detrimento, præcipuè cum respublica solum intendat iis habitationem concedere ad viuendum, non aptitudinem ad peccandum & ita tenet Bonac. Valen. Sanch. Rebell. *suprà.* Idem quod dictum est de hac domo, dicendum est de vestibus, quæ magis ad ornatum, & ad iuuenum animos alliciendos deseruire possunt, quàm ad necessitatem.

4 Aduertendum tamen est vsurariis alienigenis, hoc est, qui ex alio regno originem trahunt, nullo modo posse domus locari, vel alio modo ad habitandum concedi, quia ita cauetur, *cap. vsurarum. 1. de vsuris. in 6.* vbi contrafacientibus, si Episcopi sine suspensionis pœna imponitur ipso facto, minores excommunicantur, communitas interdicitur, laici ab ordinario per censuras debent compesci. Addit verò Lessius *lib. 2. cap. 24. dub. 7. fine.* hanc constitutionem multis in locis non seruari, quia passim à principibus, & republica admittuntur ij vsurarij Episcopis minimè contradicentibus. Sed fortè non aduertunt, an alienigenæ sint.

5 Patroni meretricum (quos vulgo *Padres de las mancebias* appellant) destinati sunt à republica solum vt meretrices seruent incolumes, & morbo contagioso laborantes expellant, si contenti essent hac vili occupatione, possent sustineri, vt relato Petr. de Ledesma, & Man. docet Sanch. *lib. 1. in Decal. c. 7. n. 32.* At limites illius excedunt, & pluribus meretricum peccatis implicantur, quia fauent pulchrioribus, & quæ quæstũ maiorem comparant, illásque ad nundinas deferunt, & vidẽdas exponunt, & pluribus viis curant, ne à tam turpi lucro recedant: ob quę optimè dixit Sanch. *lib. 1. in Decal. cap. 7. n. 32.* difficillimo negotio hos absolui posse.

6 Pingens concubinam, illiúsque picturam amasio tribuens. Et idem est de pictura Idoli ad petitionem ethnici, quamuis actio de se indifferens sit, & bono vsui deser-

deseruire possit, ac proinde ex aliqua graui causa honestari, vt docet Thom. Sanchez *lib. 1 in Decal. cap. 7.* quia tamen fomentum est, & incitatiuum turpis amoris, vel idololatriæ, mortale peccatum esset, nisi pressus aliqua grauissima causa faceres. Hæc autem causa grauis non est amissio lucri ex tali pictura; aliàs semper tibi liceret hæc pingere. Quare illam solùm causam sufficientem putarem, quæ grauem metum mortis, vel vulnerationis valeret incutere: fabricatio enim eius picturæ, illiusque donatio homini sic deperdito, est quasi donatio gladij parato occidere, & ita sine vlla distinctione esse peccatum mortale, docent Azor *tom. 1. instit. moral. lib. 12. cap. vlt. q. 9.* Bonacina *disp. 2. de peccat. q. 4. p. 2. §. vnic. n. 29.*

7 Coninch verò *disp. 18. de infidelit. dub. 18. n. 213.* credit ob nullum metum licere pingere idolum, vestem sacerdotalem facere ad petitionem infidelis, quia in illis circumstantiis cedit illa fabricatio in honorem falsi cultus, & est quædam illius professio: siquidem famularis infideli, & vt illius instrumentum agis, cùm agis ad eius petitionem. Quapropter plures sculptores maluerunt grauissima tormenta perpeti, quàm idola ad petitionem Imperatorum fabricare, sicut de Marco Arethusæ Episcopo testatur Theodor. *lib. 3. histor. cap. 5.* At credo grauissimo metu excusari posse, si à te non expostulantur fieri in contemptum religionis, neque scandalum adsit te ita contemnere. Nam fabricatio idoli, & concubinæ pictura intrinsecè mala non est, sed sæpe honestari potest. Quòd autem fiat ad petitionem illius, qui illa ad malum finem vsurus est, non constituit in fabricante malitiam, quia ipse non famulatur petenti in illa mala intentione, sed in re petita, & hoc ex metu, neque agit vt instrumentum mali operis, sed operis in se indifferentis.

PUNCTUM XIII.

Quę causa excuset deponentem pecunias apud vsurarium, quibus creditur vti debere ad vsuram, & deponentem vinum apud tabernarium, qui creditur venditurus fore mixtum aqua.

1 *Probabilius est causam grauem in deponente pecunias requiri.*

2 *Si tabernarius vendit vinum mixtum aqua, quod tu habes apud illum depositum, pro viribus venditionem impedire teneris, si scias, & ad restitutionem obligaris: si te ignorante contingat venditio, restituere debes, in quo fueris factus locupletior.*

3 *Vinum his simulationibus vendere non potes, si commodè possis venditionem excusare.*

1 ETsi Caietan. Aragon, Bannes, & alij relati à Sanchez *lib. 1. in Decal. cap. 7. n. 36.* nullam causam in deponente pecunias expostulent; quia hæc pecuniarum depositio non videtur vsurarum causa, sicut nec locatio domus. Nihilominus tamen probabilius existimo, cum Sanchez *suprà.* Nauarr. *sum. cap. 14. n. 40. vers. duodecimò.* Molin. *tom. 2. de iust. disp. 331. vers. de eo qui apud vsurarium.* Valent. *2. 2. disp. 5. q. 2. [illegible] lt. fine.* Rebello *de iust. p. 2. lib. 8. q. 16. sect. 4. n. 20.* requ[illegible] necessariò causam grauem, si cessante tua depositione vsuræ non exercerentur, vel non exercerentur in tanta quantitate: quia in præsenti non solùm est obligatio vitandi peccatum vsurarij, sed etiam damnum, quod recipiunt mutuatarij. Quapropter Vasquez existimat deponentem obligatum esse restituere vsuras, quas mutuans accepit ex tua pecunia mutuata, quia præbuisti materiam iniustitiæ, sicuti obligaris, cùm præbes ensem volenti occidere inimicum. Idem tenet Basil. de Leon *lib. 5. de matrim. cap. 18. §. 4. n. 23.* Dura tamen est hæc obligatio, neque ab aliis Doctoribus admittitur, quia deposita pecunia est causa nimis remota fœnoris: indiget enim voluntate fœneratoris, & voluntate fœnus concedentis. Quæ autem causa grauis sit honestandi hanc depositionem, affirmo esse securitatem pecuniæ, si enim tibi ad huiusmodi finem necessarium est deponere pecuniam apud prædictum numularium, neque inuenis alium apud quem securam serues, poteris absque peccato deponere, neque vsuræ inde acceptæ tibi debent imputari.

2 Aliter de depositione vini philosophandum est, si vinum apud tabernarium deponas, ipseq; vendat aqua mixtum, & conscius sis illius delicti, grauiter peccas, si pro viribus non impedis, quia cùm vinum sit tuum, & non tabernarij, tu propriè vendis, & non ille, ac proinde omnia damna teneris reparare. Quòd si ipse te ignorante vendidit, teneberis restituere ea in quibus factus fueris locupletior.

3 Verùm si vinum apud tabernarios non fuit depositum, sed à te venditum; sciebas tamen tabernarios iterum vendituros non purum, sed aqua mixtum, vel alio modo simulatum. Tunc dicendum est te obligatum esse ex charitate iis simulatoribus vinum non vendere, si alios inuenias, de quibus iure non præsumis simulationem, quia teneris quoad possis peccata impedire, & præcipuè, quæ in damnum tertij vergunt. At si cogeris vinum inuenditum habere, cùm hoc tibi graue, & molestum futurum sit, poteris peccatum illorum permittere vtendo iure tuo. sic Sanchez *lib. 1. cap. 7. n. 37.*

PUNCTUM XIV.

Quæ causa excuset tabernarios, caupones vendentes vinum scienter inebriaturis, cibaria soluturis ieiunium.

1 *In vendente vinum inebriaturis causa grauis desideratur. Et quæ hæc sit.*

2 *In vendente cibaria soluturis ieiunium, minor causa, sed grauis desideratur, qualis est diminutio emptorum ex denegata venditione: nunquam tamen est censenda sufficiens causa amissio lucri, quod ex cœna vendita prouenire potest.*

1 IN vendentibus vinum inebriaturis constat debere esse causam grauem, qualis esset, si timeres ab ementibus affici iniuria, eo quòd vinum denegares, vel multum diminuendos esse emptores: cùm enim ebrietas peccatum sit non solùm ebrio damnosum, sed periculosum aliis; hanc grauem causam expostulat subministratio materiæ illius: illa autem causa posita, cùm venditio de se sit res indifferens, honestari sufficienter potest: & ita relato Valent. *2. 2. disp. 5. quæst. 21. punct. 4. vers. vnde ad argumentum.* Caiet. & Man. tenet Sanchez *lib. 1. in Decal. cap. 7. num. 33.*

2 In vendentibus item cibaria soluturis ieiunium etiam causa desideratur minor, quàm in supradicta venditione vini, quia solutio ieiunij non est peccatum aliis periculosum, causa tamen est sufficiens, si ob denegata cibaria, timeres diminutionem emptorum, præcipuè cum rarò ex tua denegatione vitatio peccati obtineatur, alij enim te deficiente cibaria ministrabunt, & ita aliis relatis docet Sanchez *num. 34.* Nunquam tamen existimarem esse sufficientem causam amissionem lucri, quod tibi ex cœna vendita soluturis ieiunium prouenire potest, quia hoc leuissimum quid est, vt propter illud graue peccatum permittendum sit, & materiam illius subministranda.

PVNCTVM XV.

An sit aliqua causa excusans præbentem munera concubinæ iudicis, ab illaque petentem, vt iudicem in negotio interpellet.

1 *Sanchez sentit nullam esse posse causam excusantem.*
2 *Tametsi hoc consulendum sit. Probabilius censeo causam excusantem adesse posse.*

1 SAnchez *lib.1.cap.7.num.38.* existimat nullam esse posse causam has actiones excusantem, eo quòd petitur à concubina, quod ipsa licitè præstare non potest: non enim ipsa licitè potest inuisere iudicem, illíve scribere, aut internuncium mittere, siquidem iis omnibus fouet turpem amorem, & saltem se, & iudicem periculo peccandi exponit. Item, quia videtur inordinatum turpi amore concubinæ causam, & iura defendere.
2 Hæ rationes probant sanè semper ita consulendum esse. At si negotium graue sit, videásque iudicem non tibi esse propitium; speres autem intercessione concubinæ gratum fore, neque alia via appareat, quo possis illum ad seruandum tuum ius inflectere, crederem tibi licere petere à concubina, vt in tali negotio intercedat, quia non petis aliquid, quod ipsa licitè præstare non possit. Nam licèt illa intercessione iudex, vel concubina foueant turpem amorem, hoc tu non intendis, neque illius momenti es causa. Nam stante illa intercessione adhuc iudex, & concubina poterant à praua voluntate se continere. Ergo intercessio de se mala non est. Quòd verò media illa intercessione concubina, & iudex periculo peccandi exponantur, non obstat quominus id licitè fieri possit vrgente graui causa: nam, vt diximus *in tract.2. de peccat.disp.2.p.9.§.3.* licitum est ob grauem causam sæpe periculo peccandi te exponere, quia periculum peccati in tali casu non est peccatum. Neque etiam reputari debet inordinatum, obligatione, & amore ex peccatis iam factis acquisito vti aliquando ad bonum finem, scilicet vt iustitia seruetur, & vnicuique suum ius reddatur. & ita tradit Bonacina *disput.2. de peccat.quæst.4.punct.2.§.vnico,num.24.*

PVNCTVM XVI.

An opus consilij, vel præcepti ob scandalum fratris omitti debeat.

1 *Præceptum negatiuum nunquam est omittendum.*
2 *Præcepta affirmatiua, si positiua sint, plures Doctores censent ob scandalum omitti posse.*
3 *Probabilius censeo nulla præcepta omittenda esse.*
4 *Fœmina non tenetur cessare à Missa præcepta, eo quòd sciat ab alio turpiter amari.*
5 *Satisfit argum.num.3.adductis.*
6 *Opera consilij non sunt omittenda ob scandalum ex malitia, differenda tamen ob scandalum ex infirmitate.*
7 *Fœmina non debet nisi ad summum aliquoties à Missæ auditione, vel recreatione honesta cessare ob turpem alterius amorem.*

1 SI præceptum sit negatiuum, constat ob nullam causam omitti posse eius obseruantiam, non enim potes fornicari, occidere, furari, vel aliam prauam actionem efficere ad vitandum proximi scandalum, quia non sunt facienda mala, vt inde eueniant bona.
2 De præcepto affirmatiuo potest esse dubitatio, an aliquando cesset eius obligatio ob scandalum vitandum? Couarr. *reg.peccatum,1.p. à n.4.* affirmat ob scandalum cessare obseruantiam præcepti affirmatiui, & aliquando naturalis; consentit ex parte Suarez *disp.10. de scand. sect.4.n.9. & 10.* Valent.*tom.3.disp.3.p.4.q.18.* *§.2.* Saa *verbo Missæ auditio,n.3.* Lorca *q.43. in sum.quæst. num.10.* Fauent plures Doctores dicentes ob scandalum omitti posse integritatem confessionis. Syluest. *confessio 1.q.18.* Sotus *in 4.dist.18. q.2. art.5.* Medin. *C.de confess. quæst. de integritate confessionis semper seruanda.* Nauarr. *cap.7.num.3.* Petr.de Soto *lect.10.de confess.* Canus *in relect. de pœnit.p.5.*

Mouentur, quia obligatio præcepti naturalis præferenda est obligationi præcepti positiui, sed obligatio vitandi scandalum est præcepti naturalis. Ergo omittenda est obligatio præcepti positiui ob obseruantiam præcepti naturalis. Confirmo ex *cap. duo mala, 13.dist.* vbi cùm duo mala occurrunt, cauetur minus esse eligendum: sed minus malum est non obseruare positiua præcepta, quàm naturalia. Ergo cùm vitatio scandali sit de præcepto naturali, præferenda est eius obseruatio præcepto positiuo. Secundò vita spiritualis proximi excellentior est corporali: sed ob vitam corporalem proximi tuendam omitti debet obseruatio præcepti positiui, v.g. ieiunij, vel Missæ. Ergo etiam ob conseruandam vitam spiritualem ipsius. Tertiò sæpè plura præcepta ob vitanda scandala cessant, quæ aliàs obligarent. Correctio proximi cessat, si ipse correctione obstinatior futurus est, punitio delinquentis, si inde debet insurgere seditio in republica. Ergo etiam præceptum sacri, vel ieiunij poterit cessare, si inde proximus scandalizandus est.
3 Nihilominus dicendum existimo ob vitandum præcisè scandalum, non esse omittenda vlla præcepta. ita D.Thom.*2.2.q.43.art.7.* Anton.*3.p.tit.8. cap.4. §.5.* Nauarr.*sum. cap.14. n.44. vers.vigesimo septimò.* Vasquez pluribus relatis *q.43.art.7.dub.1.n.4.* Basil.de Leon *lib.5. de matr.cap.18.§.2 .n.7.* & sumitur ex *cap.qui scandalizauerit, de reg.iur.* ibi vtilius scandalum nasci permittitur, quàm veritas relinquatur: & videtur tradi ab Innocent. III. *cap.cùm ex iniuncto, de noui operis nunciat. circa med.* opera illa, quæ sine mortali peccato omitti non possunt, non sunt pro vitando scandalo dimittenda, neque ea debent pro vitando scandalo committi, quæ sine mortali committi non possunt: & licèt Couarr. *in reg.peccatum, 1.p.n.4.& seqq.* & Suarez *de charit.disp.10.de scand.n.9.* affirment loqui Pontificem de præceptis, quæ occurrente occasione scandali obligant: hoc tamen, vt bene dixit Vasquez *suprà*, sustineri non potest. Esset enim friuola responsio Pontificis, si affirmaret ea præcepta seruanda esse occurrente scandalo, quæ re-vera in ea occasione obligant, neque hoc ignorare potuit Episcopus, cui Pontifex scribebat. Voluit ergo eum instruere de aliqua re, quæ difficultatem habere posset; ac proinde doctrinam generalem tradidit, dicens, ob scandalum non esse præcepta omittenda. Ratio autem quare occurrente scandalo præcepta non cessent, ea est, quia scandalum tunc non est datum, sed acceptum: non enim scandalum censetur dare, qui præceptum sibi impositum exequitur, executio namque præcepti neque est mala, neque speciem mali habet. Item obligatio cuiusque de vitando scandalo, est obligatio secundaria; priùs enim tenetur quis propriæ saluti consulere, quàm alienæ, & præcepta sibi imposita adimplere, quàm curare, vt alius adimpleat: hic enim est rectus ordo charitatis. Ergo non poterit præcepta sibi imposita omittere, vt alius præceptis sibi impositis satisfaciat. Et confirmo. Si Petrus, qui tibi est inimicus, omittat Missam, eo quòd tu ad illam accedis, non poteris vllo modo Missam omittere, vt ille Missam audiat. Ergo ob scandalum non sunt omittenda præcepta.
4 Ex quo fit fœminam credentem turpiter à viro adamari, non obinde teneri relinquere Missam die festo, quia ipsa exequendo præceptum non censetur probare occasionē peccandi, sed alium illam arripere ex sua malitia. sic Suar.*tom.3.in 3.p.disp.88.sect.6.§.quartum caput.*

5 Argu

5 Argumenta contraria non vrgent.

Ad primum concedo gratis præceptũ naturale præferendum esse positiuo. At nego adesse obligationem vitandi scandali, quando adest obseruantia præcepti positiui: non enim vitatio scandali obligat semper, & pro semper, sed quando adsunt aliquæ circumstantiæ, quarum vna est esse sine proprio damno. Sicuti præceptum est naturale, ne proximus infametur non vtcumque, sed absque rationabili causa. Ad confirmationem concedo ex duobus malis minus esse eligendum. At concurrente præcepto positiuo cessat circumstantia necessaria, vt præceptum de vitando scandalo obliget, & consequenter iam cessat comparatio.

Ad secundum fateor vitam spiritualem proximi excellentiorem esse corporali. At quia vita spiritualis proximi propria voluntate amittitur, ideo non tenemur ob illius conseruationem omittere obseruantiam præcepti positiui. Dices, etiam vita corporalis propria voluntate amitti potest, vt si quis se vellet occidere, & tamen ad impediendum huiusmodi damnum, potes, & debes Missæ, vel ieiunij præceptum omittere. Ergo amitti propria voluntate spiritualem vitam non obest obligationi omittendi obseruantiam præcepti positiui? Respondeo primò, esse per accidens propria volũtate temporalem vitam amitti, per se autem spiritualem taliter, quod alio modo amitti non potest. Secundò respondeo, ad conseruandam vitam temporalem alterius, obligaris virtute misericordiæ, quæ primò, & per se obligat, & cùm hæc obligatio maior sit, & efficacior obligatione audiendi Missam, vel ieiunandi, iuxta illud, Misericordiam volo, & non sacrificium; ideò anteponenda est eius obseruantia. At impedire peccatum alterius, & eius vitam spiritualem conseruare, cum non te obliget directè primò, & per se, sed secundariò, ideò non debes præceptorum obseruationem ob eius causam omittere. Non enim obligaris impedire peccatum alterius, nisi cessando ab opere, quod agitur: at nulla virtus per se obligat cessare ab operibus præceptis, vt impediatur proximi peccatum, quia non est mediũ proportionatũ.

Ad tertium nego vllum præceptum cessare præcisè ob vitandum scandalum: correctionis enim præceptum cessat, cùm proximus obstinatior est futurus, quia materia illius est emendatio fratris, quæ cum non speretur, cessat obligatio; punitio enim delinquentis in bonum reipublicæ ordinatur. Ergo cum ex illa maius damnum reipublicæ prouenit, cessabit eius obligatio. At obligatio audiendi Missam v.g. non attendit an proximus inde scandalizandus sit, vel non, & ita semper obligat quocumque scandalo posito. Si autem proximus ex adimpletione præcepti sumeret occasionẽ peccandi contra iustitiam, tunc tenereris abstinere à præcepto positiuo audiendi Missam, vt præcaueres iniustum peccatum ipsius, non quatenus peccatum ipsius est, sed quatenus tale peccatum redundat in damnum tertij, cuius vitæ, honori, & famæ primò, & per se teneris prospicere.

6 De operibus verò sub consilio, an omittenda sint ob scandalum, distinguendum est, si scandalizatus peccat ex malitia, vel ignorantia affectata, quod contingit, cum ex prauo affectu, & malo habitu peccat, nullo modo omittenda sunt opera consilij. Non enim iustum est malitiæ alterius, cum damno nostro spirituali, imò nec temporali consulere; aliàs quilibet posset sua malitia bona spiritualia, & temporalia nobis impedire. & probari sufficienter posset ex illo *Matth.* 15. vbi Christus de scandalo Pharisæorum non curauit, dicens: Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum. Verùm si ex ignorantia, seu passione peccat, omitti debent, aut differri opera consilij, quousque frater admoneatur, quia charitas postulat, vt aliquo modo infirmitati proximi, eiúsve ignorantiæ indulgeamus, omittendo, vel differendo pro aliquo tempore ea, quæ nobis ad salutem necessaria non sunt. Neque tunc obligaris omittere absolutè opus consilij, sed illud commutare in melius, scilicet in præcauendo proximum à peccato, eáque de causa dixit Ioan. Sanchez *in select. disp.* 37. *n.* 10. ab operibus consilij non esse abstinendum ob scandalum ex malitia; at ob scandalum ex infirmitate semel, & iterum: ita tradit S.Thom. 2.2. *q.* 43. *art.* 7. *&* 8. Vasquez *ibi opusc. de scand. dub.* 2. *n.* 20. *vers. vera igitur opinio.* Suarez *de charit. disp.* 10. *sect.* 4. *n.* 8. Lorca 2.2. *q.* 43. *in summ. quæst. num.* 11. Basil. de Leon *lib.* 5. *cap.* 18.

7 Ex iis infero posse mulierem ornatam iuxta consuetudinem patriæ domo exire causa audiendi Missam, vel se recreandi, etiamsi sciat aliquem, & aliquos ex malitia peccaturos; at si sciret aliquos ex infirmitate peccaturos, debet aliquoties se abstinere. Aduertit tamen Vasquez *num.* 28. nunquam timendum esse peccatum ex infirmitate, vel ignorantia, nisi cognoscatur qualitas, & conditio personæ, de qua timetur.

PVNCTVM XVII.

An iacturam rerum temporalium facere debeas, ne proximus peccet.

Raro, vel nunquam ad id obligatus es.

RAro, vel nunquam teneris in propriis bonis iacturam grauem facere, ne proximus etiam ex infirmitate inde accipiat occasionem peccandi, quia generaliter loquendo, non teneris peccatum alterius accusare, cum graui tuo incommodo, & detrimento; reputatur enim tunc talis excusatio moraliter impossibilis, vt dixit Sanchez *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 7. *num.* 11. Si verò dominus non est bonorum, sed dispensator, & administrator, à fortiori non debes iacturam facere bonorum, quorum habes administrationem, vt peccatum proximi euites, quia ob vitandam ruinam alterius non videtur tibi cessare obligatio prospiciendi pro illis bonis. Adde, tunc solùm censeris dare scandalum, & proximi peccatum velle, quando absque iusta causa peccatum eius non impedis, sed quando cessas impedire, ne Ecclesia, vel pupillus iacturam patiatur in bonis, quorum tu habes administrationem, iustam causam habes non impediendi. Ergo tunc scandalum non causas. ita Suarez *disp.* 10. *de charit. sect.* 4. *n.* 10. Basil. de Leon *lib.* 5. *de matr. cap.* 18. §. 3. *num.* 15. vbi addunt interdum licere pati iacturam in propriis bonis (de quo nemini est dubium) ne proximus peccet, sed etiam in bonis alienis, quorum tu habes administrationem: & hac ratione excusant à præcepto Pontificem, qui simulat, vel conniuet, quando Princeps sæcularis vsurpat bona temporalia Ecclesiæ, ne scilicet grauiora damna innocentibus fiant. Et hæc de charitate, quæ vtinam in cordibus nostris semper inhabitet.

FINIS.






INDEX
Rerum præcipuarum, quæ hac prima parte tractantur.

Prior numerus paginam, posterior eiusdem paginæ sectionem demonstrat. at vbi vnus solus est numerus, is intelligitur esse sectionis proximè prænotatæ paginæ.

A

Abbatissa.


BBATISSA an habeat iurisdictionem. 154.28.

Absolutio.

Absolutio ab excommunicatione propter hæresim incursa committitur Episcopis à Tridentino. 412.1
Nomine Episcopi veniunt electi, & confirmati, neque est necesse, vt sint consecrati. 2
Non venit Capitulum Sede vacante. 3
Abbates & alij Prælati inferiores iurisdictionem episcopalem habentes comprehenduntur. 4
Prælati regulares non comprehenduntur sub nomine Episcopi quoad hanc facultatem, ex probabiliori sententia; ex decreto, & Bulla Pij V. comprehenduntur. 5
Archiepiscopus suffraganeos absoluere potest, cùm sibi subduntur. 413.7
Hanc facultatem exercere potest Episcopus in sibi subditos, & non in alios. 8
Episcopus absolui potest à Confessore electo, si fortè in hæresim incidat, & ibi quid possit circa religiosos exemptos. 9
Non est necessaria confessio sacramentalis, vt absolutio concedatur. 414.10
Non potest Episcopus extra diœcesim absoluere. 13
Debet hæresis & delictum occultum, & quod hoc sit. 14
Item neque deductum ad contentiosum forum. 415. 15
Quid si in iudicio non fuit probatum, vel reus iam fuit absolutus. 16
Quid si fuit condemnatus. 17
Probabile est posse Episcopum committere hanc absolutionem hæresis. 416.19
Probabilius est oppositum. 20
Sit ne hæc facultas absoluendi reuocata per Bullam? Negant plures. 21
Probabilius videtur reuocatam esse. 417.22
Relinquitur Episcopis potestas pro foro externo absoluendi. Excipe in regnis Hispaniæ, in quibus non nisi cum Inquisitore, & in tribunali. 23
Absolutio ab hæresi pro foro externo Inquisitoribus committitur. 418.1
In foro conscientiæ probabilius est nullum Inquisitorem hac facultate gaudere. 3
Absolutio data ab Inquisitoribus hæretico fictè conuerso valida non est. 5
Quid si hæreticus diminutè delicta manifestauit? Sub distinctione respondetur. 419.5
Absolutio ab hæresi committitur ex speciali priuilegio religiosis Societatis Iesv. ibid.1
Explicatur qua ratione hæc facultas concedatur. 420.2
Superioribus Societatis datur facultas absoluendi ab excommunicatione incursa ob lectionem librorum prohibitorum. 3
Absolutio concessa à reseruatis non comprehendit reseruata in Bulla Cœnæ. 420.1
Neque concessa de reseruatis in Bulla Cœnæ comprehendit hæresim. 2
Absoluere pro articulo mortis hæreticum quilibet Sacerdos potest. 421.1
Explicatur qualis censeatur articulus mortis. 2
Fœmina partui proxima absolui potest. Idem est de nauigatione longa, itinere, & morbo periculoso. 3
Plures Doctores censent impedimentum perpetuum reputandum esse articulum mortis pro aliis criminibus ab hæresi. 4
Pro hæresi etiam videtur idem esse asserendum. 422.5
Si potes superiorem vocare, vel ab illo medio Confessario facultatem obtinere, plures affirmant te esse obligatum hanc præstare diligentiam, neque te posse ab alio absolutionem obtinere. 6
Probabilius est oppositum. 7
Simplex sacerdos, tametsi superior adsit, potest in articulo mortis absolutionem concedere, ex probabili sententia. 8
Probabilius est oppositum. 423.9
Tenearis ne ad Episcopum accedere. 11
Si incepta fuit cōfessio cum simplici sacerdote, non teneris proprio confiteri, tametsi postea veniat. 12
Teneris ex duobus sacerdotibus vno priuilegium habente absoluendi à reseruatis, alio non, eligere priuilegiatum. 13
Qui sacerdotes non sunt, potestatem non habent absoluendi ab hæresis excommunicatione. 14
Vt hæc absolutio in Iubilæo concedatur, debet triplex conditio seruari. 424.15
Specialiter debet fieri parti offensæ satisfactio. ibid.

Secundò debet absolutus præstare iuramentum de obediendo mandatis Ecclesiæ. 16
Tertiò debet comparere coram reseruante, quando commodè possit. 17
Explicatur obligatio huius iuramenti. 18
Si ex malitia, vel ignorantia Confessoris hoc iuramentum non expostuletur, manet reus absolutus, sed cum obligatione comparendi. 425.19
Non comparenti, cùm ad id obligatur, imponitur similis censura ei, à qua primò fuit absolutus. 20
Potest fieri satis huic obligationi comparendi, si per procuratorem compareas. 21
Satisfacies huic obligationi comparendi, si absolutionem obtineas ab habente priuilegium absoluendi. 22
Absolui potest hæreticus vrgenti causa recipiendi sacramenta, quin sit iudicialiter ab hæresi absolutus. 426.§.6. per totum.

Acedia.

Acedia quid sit. 655.1
Acedia specialis charitati contraria est dolere te esse à Deo creatum sub obligatione seruandi præcepta. 2
Dolere de præceptorum obseruatione ob illorum molestiam est acedia generalis. 3
Aliquando acedia generalis est peccatum veniale, aliquando nullum. 4
Acedia specialis semper est mortale, nisi excusetur ex defectu pleni consensus. Quæ vitia ex acedia oriantur, & eorum malitia expenditur. 656.5

Accusatio.

Accusationis via procedere in crimine hæresis non est in vsu. 507.1
Si tamen hunc modum procedendi quis subire velit, admittendus est, neque ad pœnam talionis tenetur se subscribere, tametsi grauiter puniendus sit, si in probatione defecit. 2
Si se subscripsit ad pœnam talionis, adhuc non est condemnandus. 3
Expenditur modus instituendi hanc accusationem. 4
Accusare in crimine hæresis omnes possunt. 5.& seqq.
Accusationi qualiter præmittenda sit secreta correctio, & quibus in delictis, & an ex charitate, vel ex iustitia. 631.1.& seqq.
Quoties à iure datur facultas accusandi, non est peccatum contra charitatem accusare. 5

Aduocatus.

Aduocatus bene potest esse contra reum in causa probabili. 21.2
Item potest iam vnam, iam alteram partem defendendam suscipere, cùm vtraque est probabilis. 3
In regno Castellæ suscepto patrocinio vnius non potest contrarium suscipere. 22.4.& 5

Alienatio.

Si res, quam sub dubio possides, an sit tua, alienes contractu oneroso, debes monere emptorem de dubio. 24.13
Quas alienationes factas à delinquentibus reuocet fiscus, latè explicatur. 468.5
In iis alienationibus rescindendis modum debet fiscus seruare. Si enim pretium formaliter, vel æquiualenter in potestate delinquentis existit, reddi debet à fisco, cùm alienatio rescinditur. 472.1
Et quando dicatur pretium stare in potestate delinquentis saltem æquiualenter. 2
Onus probandi pretium in vtilitatem delinquentis versum esse non fisco, sed prætendenti sibi restitui incumbit. 3
Non tenetur fiscus in hoc casu contractum rescindere. 4
Si pretium non probatur in vtilitatem delinquentis versum esse, non videtur fiscus obligatus pretium restituere, tametsi possessor bona fide contractum celebrauerit. 6
Alienationes factæ à delinquente, cuius bona non publicantur ipso iure, sed veniunt publicandæ, validæ sunt vtroque foro. 474.1
Quod verum est, esto sint factæ in fisci fraudem. 2
Post delictum commissum eodem modo valent alienationes, ac ante delictum. 475.4
Apponuntur aliquot limitationes, sed non approbantur. 5.& seqq.
Alienationes factæ post sententiam condemnatoriam, à qua appellatum non est, reuocari possunt. 8
Alienatio in fraudem fisci reuocari potest. 476.9
Quomodo probetur fraus. 10
Vt fraus ante delictum præsumatur, probandum est tempore alienationis adesse causam impellentem ad delictum. 11
Alienatio omnium bonorum ante delictum non est sufficiens ad probandam fraudem. 12
Neque item alienatio fundi, in cuius possessione delinquens existit, & fructus percipit. 13
Neque item quòd alienatio clandestinè facta sit. 14
Neque quòd delictum post alienationem statim fuerit sequutum. 15
Quibus indiciis manifestè fraus in alienatione præsumatur. 477.16
Post delictum quælibet ex supradictis coniecturis est sufficiens ad fraudem præsumendam. 17
Vt donatio reuocari possit facta ex fraude, non est necesse donatarium participem esse fraudis; secus verò in alienatione ex contractu oneroso. 18
Alienationem reuocat fiscus in sui fraudem factam, non solùm quoad rei substantiam, sed etiam quo ad fructus in illa pendentes. 20
Non potest fiscus reuocare alienationes factas in sui fraudem via executiua, sed ordinaria, quando res translatæ sunt in tertium possessorem. 21

Alimenta.

Alimenta quilibet parens tenetur filio præstare. 28.15
Quis teneatur filium illegitimum alere, de quo dubitatur quis sit eius parens. 14

Appellatio.

Appellatio denegatur hæreticis. 511.1
Concedenda tamen est hæredibus, quando ex præsumptione iuris hæreticus condemnatur. 2
Licet tamen hæretico condemnato via querelæ, & supplicationis Principem adire, tametsi aliis contrarium placeat. 3
Appellatio conceditur à sententiis interlocutoriis, esto à sententia declaratoria hæresis non concedatur. 4
Datur à sententia, seu decreto torturæ. 512.5
Explicatur ad quem sit appellandum in his sententiis interlocutoriis. 6
Inquisitor interposita appellatione procedere potest aduersùs appellantem, si ex alia noua causa denuntiatus sit. 7

B

Beatificatio Sanctorum.

Beatificatio Sanctorum quid? & qua ratione distinguatur à canonizatione. 338.1
Temerarium, & scandalosum est asserere Pontificem in beatificatione Sanctorum errare posse. 3

Eadem

Eadem certitudine tenendum est non posse Pontificem errare in beatificatione, ac in canonizatione. 4
Liceátne aliis ab iis, quibus facultas conceditur, sanctum beatificatum venerari? Proponitur dubitandi ratio. 5
Resoluitur longè pius, & probabilius esse ex deuotione omnibus æquanimiter licere. 339.6.7.8

Bellum.

Bellum quid sit, & vnde dicatur. 641.1
Aliud est defensiuum, aliud offensiuum. 2
De fide est licitum esse, si conditiones debitæ seruentur. 3
Aliquando est in præcepto. 4
Tres conditiones sunt ad bellum requisitæ, & quæ hæ sint. 642.7
Quilibet habet authoritatem bellum purè defensiuum indicendi. 643.1
Aggressiuum solum Princeps, vel respublica superiorem non recognoscens. 2
Consuetudine introduci potest, vt respublica inconsulto suo Principe bellum moueat. 4
Quid dicendum in casu quo superior vindicare noluerit iniuriam reipublicæ sibi subditæ. 5
Pontifex habet ius indicendi bellum, quando bonum Ecclesiæ id postulat. 6
Belli iusta causa triplex est. 644.1
Iniuria quæ bellum honestare potest, debet esse grauissima. 2
Enumerantur aliquæ iniuriæ bellum honestantes. 3
Quid de impedientibus mercaturam, venationem, piscationem in suo regno? Affirmatur non esse causam iustam belli, nisi debitum sit. 4
Ob solam iniuriam impediendam, reparandam, vel vindicandam bellum moueri potest. 5
Aduersùs occidentes innocentes, & impedientes Euangelium, bellum moueri potest. 6
Ob idololatriam, infidelitatem, & alia peccata contra naturam impedienda, bellum non potest moueri. 645.7
Qualiter constare debeat de causa bellandi. 8
An ex vtraque parte dari possit iustum bellum. Resoluitur seclusa ignorantia non esse possibile. 10. & 11
Ad honestandum bellum iniuria materialis sufficit. 12
An oblata ab aduersario satisfactione sufficiente debeas à bello desistere. 13. & 14
Sed quid dicendum, quando pars rebellis digna est morte, ob iniuriam illatam? Probabilius est non esse obligationem acceptandi satisfactionem aliam. 15
Quod verum est spectato iustitiæ rigore: at ex charitate sæpe erit obligatio. 16
Stante iusta causa bellandi potest bellum iniustè fieri, si adsit minima spes victoriæ, & parum vtilitatis ex bello speretur. 17
Si damna, quæ ex bello sequuntur, præualeant vtilitati, quæ ex victoria speratur, illicitum est bellum. Item si religio Christiana minuenda est, & hæretici potentiores futuri. 18
Ante bellum competit Principi examinare iustam causam bellandi, non autem ducibus, & militibus. 647.1
Ea licent Principi, ducibus, & militibus in bello, quæ necessaria sunt ad finem belli consequendum. 2
Duces & milites ex mandato Principis debent procedere, aliàs contra iustitiam peccabunt cum obligatione restituendi. 3
in Bello licitum est insidiis, & stratagematis vti, nisi fidem dedisses illis non vtendi. 4
Nocentes hostes licet bellanti occidere. 5
Non tamen decet Christianam pietatem multos, etsi dignos morte occidere. 6
Innocentes directè occidi non possunt, bene tamen indirectè. 648.7.8.& 9
Explicatur, qui reputentur innocentes, quos non potest bellator ita directè priuare. 10
Licitum est libertate priuare hostes, & in seruitutem redigere. 11
Ab hoc iure excipiuntur Christiani capti ab aliis Christianis, nisi fuerint à fide apostatæ. 649.12
Innocentes optimè possunt in seruitutem redigi, si respublica digna est hac pœna. 13
An capti bello iusto possint fugere, & possis eos ad fugam iuuare. 14.15,16
Bona hostium, etiam illorum, qui innocentes sunt, occupari à victore possunt. 650.17
Bona Ecclesiæ, & Ecclesiasticorum innocentium ab hac regula excipiuntur. 18
Per accidens occupari, deuastaríque possunt, si necessarium fuerit ad finem belli consequendum. 19
Idem est dicendum de cuiuscumque innocentis bonis. 20
Victoria reportata probabilius est te teneri satisfacere iis; tametsi ex occupatione horum bonorum ditior non euaseris. 21
Repressalia, seu impignorationes licitæ sunt, seruatis aliquibus conditionibus. 22
Bona in bello capta, si immobilia sunt, pertinent ad Principem: si mobilia, fiunt capientium, nisi aliter consuetudo obtinuerit. 651.23
Si malè à captis possideantur, & immobilia sint, reddenda sunt dominis: si mobilia, iure naturæ dominis prioribus reddi debent. At iure Cæsareo fiunt capientium, si ad præsidia, locáve tuta sunt deportata. 24
Excipiuntur ea, quibus priuilegium postliminij est concessum. 25
Ea quæ iure Cæsareo concessa sunt, legibus Castellæ, & aliorum regnorum approbantur. 26
Aduertuntur aliqua pro superiori doctrina. 27
Licitum est ciuitatem aliquam dari in prædam militibus. 28
Qua ratione Princeps compositionem facere possit cum alio Principe iniustè bellante. 652.29
Bellum si iniustum est, peccat Princeps contra iustitiam cum obligatione restituendi damna secuta. ibid.1
Si iustum est bellum, peccat Princeps, si stipendia militibus non concedit statuto tempore. Item si temerè exercitum periculo exponit. 2
Duces & ministri Principis grauissimè peccant, si plures milites repræsentent, quàm secum habeant. ibíque enumerantur alia peccata, quæ solent committere. 3
Expenduntur peccata militum. 4
in Bello omnes pugnare possunt, nisi eis sit specialiter prohibitum. 653.1
Episcopis, clericis, monachis, religiosis prohibitum est propria manu pugnare. 2
An clerici in minoribus, & monachi laici sub hac prohibitione comprehendantur. Negant aliqui. 3
Approbatur eorum sententia in iis, qui priuilegio fori non gaudent. Reprobatur in iis, qui tali gaudent priuilegio. 4
Possunt clerici in sacris bello assistere, & ad pugnam hortari, milites consolari. 654.5

Neque ad hæc officia exercenda indigent licentia Episcopi. 6
Ad se, suósque defendendos possunt propria manu clerici pugnare. 7
Neque obinde irregulares sunt. 8
Solus Pontifex dispensare potest, vt clericus bello præsit, vel propria manu pugnet. 9
Infideles & hæreticos ad bellum vocare, esto per se illicitum non sit, regulariter tamen est illicitum. 10
In bello iniusto nemo pugnare potest. timore mortis aliqui excusantur. 11
Occurrente necessitate omni tempore pugnandum est, extra illam diebus festis pugnari non potest. 12
Si Rex habeat opinionem probabilem sibi licere vrbem ab alio possessam occupare, poterit pro illius occupatione bellum mouere. 15.1
Si probabilitas est ex parte facti, aut iuris, nequit possessor à possessione deturbari ante datam sententiam. 2
Apud quem iudicem sit mouenda lis, & controuersia definienda. 4.& seqq.
Quod sit ius probabile, & litigiosum, neque armis definiendum. 17.12
Quando alicui competit regnum certò, & alius est in possessione, monendus est possessor, & rationes sunt allegandæ, antequam bellum inferatur. 13
Quoties militi non constat de iniustitia belli, si subditus est, tenetur militare. ibid.1
Militi non subdito constare debet de belli iustitia. 3
Milites dubij de iustitia belli, siue subditi, siue non, militare non tenentur, quousque examen præmittant de iniustitia belli. 39.2
Si milites subditi sint, neque habeant aliquã firmam rationem dubitandi, dubium debent deponere, & militare. 3

C

Charitas.

CHaritas quid sit, & qualiter sumatur. 575.1,2
Illâ amatur Deus amore beneuolentiæ. 3
Primarium illius obiectum est Deus, secundarium proximus, quatenus ad Deum refertur. 576.5
Charitatis Dei est speciale præceptum. ibid.1.& seqq.
Explicatur modus huius præcepti. 577.5
Peccétne aduersùs hoc præceptum, qui vellet in hac vita perpetuò manere. 6
Hoc præceptum non est de dilectione naturali, neque supernaturali determinatè. 578.2
Aliquoties in vita hoc præceptum obligat, & expenduntur tempora huius obligationis. ibid.p.4. per totum.
ex Charitate obligaris proximum diligere. 581.1. vbi explicatur quis sit proximus.
Amore Dei potest amori proximi satis fieri. 4
Charitas te obligat diligere peccatores, & inimicos. ibid.1
Peccatori, & inimico non potes velle malum, qua malum illius est. 582.2
Neque potes velle vindicari; sed teneris ex corde remittere offensam, imò neque præbere aliis fundamentum suspicandi te non remittere. 3
Quid debeas facere, ne hoc fundamentum præbeas. 4
Per se non teneris inimicum occurrentem salutare, aliquando teneris. 583.5
Si ipse te priùs salutauit, regulariter teneris. 6
Si inimicus veniam postulet, teneris signa exhibere amicitiæ. 7
Non teneris satisfactionem debitam pro iniuria remittere. 8
Si offensor satisfactionem exhibeat, vel iniuria satisfieri non possit, adhuc potes accusationem instituere, & satisfactionem à iudice expostulare. 9
Cùm duo se offendunt, quis teneatur priùs veniam petere. 10
Quando offendens proximum obligatus sit veniam petere. 584.11
Aliquando teneris alloqui inimicum, si inde scias ab odio fore, vt desistat. 12
Charitas te obligat velle tibi potius gratiam, & gloriam, quàm reliquis omnibus. ibid.1
Pro aliquo tempore licitum est tibi velle beatitudine carere, vt saluti proximorum prouideas. 585.4
In bonis spiritualibus non obligatoriis potes alios tibi præferre. 5
Charitate obligaris pro bono reipubl. bona fortunæ, imò & vitam expendere. ibid.1
In æquali tui, & alterius necessitate, non teneris alium tibi præferre. 2
In bonis fortunæ potes proximum tibi præferre. 3
Proponuntur variæ sententiæ, affirmans, & negans te constitutum in æquali necessitate bonorum, quæ conseruare teneris, posse alium tibi præferre. 4
Conciliantur sententiæ, & fit satis rationibus oppositis. 586.5.& 6
Oppetere mortem, & exponere te periculo vitæ ob conseruandam vitam proximi extranei, non est mortale, si d cauenda est cooperatio. 7
Charitate astringeris salutem spiritualem cuiuslibet proximi tuis bonis temporalibus fortunæ, & vitæ præferre. ibid.2
Hæc obligatio vrget in extrema proximi necessitate. 587.3
Si Petro dormienti, & in peccato mortali existenti scires mortem euenturam, teneris cum periculo vitæ impedire. 4
Idem est de infanti Christiani filio. 5
Homini peccatori in extremis non teneris semper cum periculo vitæ pœnitentiæ sacramenta ministrare. 6
Te inuadentem bene potes occidere, tametsi in peccato moriatur. 7
Extra casum extremum non teneris cum graui iactura succurrere proximo priuato in spiritualibus. 8.& 9
Proximo communi, scilicet reipubl. teneris cum periculo vitæ succurrere. 588.10
Cuilibet proximo grauem necessitatem spiritualem patienti teneris cum leui tuo detrimento succurrere. Si superior & pastor sis, teneris cum periculo vitæ graui necessitati spirituali proximi subuenire. 12
Non potes tempore pestis fugere. 13
Charitas te obligat vnum proximum præ alio diligere. ibid.1.& 2
Obligatus es præferre eũ, qui tibi cõiunctus est. 589.3
Comparatione rei vnica est coniunctio in specie, tametsi varij gradus: at comparatione diligentis multiplex est coniunctio. 4
Proximus pati potest necessitatem in temporalibus, vel spiritualibus bonis. 5
Necessitas proximi alia grauis, alia extrema, & quando in vtroque proximo est grauis, potest esse in vno grauior. 6
Coniunctio naturalis præferenda est spirituali. 7
Consanguinei peccatores tum in spiritualibus, tum in temporalibus præferendi sunt extraneis sanctioribus. 590.9
Amici

Index rerum.

Amici aliquando præferuntur consanguineis. 10
Frater amico, & benefactori in extrema necessitate præferendus est. 11
Pater, vxor, filius, frater creditori sunt præferendi. 12
Coniuncti in eodem ordine qui sint aliis præferendi. 13
Non est mortale positum ordinem inuertere. 591.14
Quod dicitur de consanguineis, dicendum est de reliquis. 15
Benefactor beneficiato præferendus est, iustus iniusto, fidelis infideli. 16

Citatio.

Citatio semper reo facienda est. 509.1
Citari autem debet primò in crimine hæresis absque causæ expressione, si non timetur fuga. 2
Si citatus verbaliter non comparet, capiendus est, sin minus, citandus causæ expressione, & vnica citatio sufficit: ex consuetudine tamen trina habetur. 3
Citatio non solùm ad contestandam litem, sed magis ad sententiam requiritur. 4

Clausula.

Vt omnes defectus iuris, & facti suppleantur, æquiualet clausulæ, Ex certa scientia. 217.6
Quid operetur clausula, vt brachium sæculare inuocari possit. 218.7
An debeat iudex sæcularis certificari de iustificatione causæ, vt teneatur auxilium præstare. Negant aliqui. Probabilius est ostendendam esse iustificationem per summariam informationem, vel authenticam ostensionem litterarum. 8
Clausula, Ex certa scientia, in rescripto posita, operatur solùm quoad vsus ibi expressos. 308.9

Clerici.

Legibus Ecclesiasticam libertatem violantibus ligari non possunt; secus legibus, quæ eorum statui conueniunt. 169.1
Iis legibus ita grauiter, ac laici obligantur clerici. 170.2
Vnde hæc obligatio nascatur? Resoluitur ex potestate legislatoris. 3,4,& 6
A potestate coërciua, & punitiua omnino clerici sunt exempti. 171.7
Qualiter teneantur eleemosynma facere. 598. p.5. & seqq.
Vide verb. *Eleemosyna.*

Commendatitiæ litteræ.

Commendatitiæ aliæ sunt generales, aliæ speciales. 283.1
Si ex commendatione generali res alicui committantur, non tenetur commendans de damno sequuto. 2
Excipe, nisi dolo fecerit. 3
ex Commendatione speciali, si contineat verum, obligatio non nascitur, nisi verba denotent voluisse commendantem obligationem subire. 4

Concilium.

Concilium triplex est, Generale, Prouinciale, & Episcopale. 340.1
Concilio non potest Pontifex delegare potestatem definiendi infallibiliter res fidei. 341.2
De fide est Concilium, Pontifice confirmatum authoritatis esse infallibilis. 3
Ante confirmationem nullam habet authoritatem infallibilem. 4
Idem dicendum est de vnanimi consensu Partum, & Doctorum, ac dicitur de Concilio. 342.§.8. per totum.

Condemnatus.

Condemnatus iudici resistere non potest. 177.1
Et quid si sententia in falsa præsumptione fundetur. ibid.& seq.

Confessarius.

Confessarius quando absoluere possit, vel teneatur pœnitentem sequentem opinionem probabilem. 9.1. & seqq.
Confessarius solicitans ad Venerem Inquisitoribus puniendus subiicitur. 557.1,2,3,4
An sola mulieris solicitatiò puniatur. 558.5
Item an sufficiat ante, vel post confessionem solicitauerit. 6
Cognitio huius criminis priuatiuè committitur Inquisitoribus ex Bulla Clementis, secus ex Bulla Gregorij. Qualiter denuntiandus sit. 559.11
Solicitans ad nefandum congressum denuntiandus est. ibid.1.& seqq.
Solicitans ad actus solùm venialiter inhonestos, si de animo constet, non videtur sub graui culpa denuntiandus. 560.1.& seqq.
Tribuens chartam pœnitenti postea legendam continentem solicitationem, non videtur in confessione solicitasse. Contrarium tamen securius est. ibid.p.4
Si fœminam incitat, vt admittat alium in copulam, denuntiandus est. 561.1
Item si solicitet vt mediet. 2
Si fœmina solicitet ad Venerem, & Confessor tactibus contentus sit, non videtur denuntiandus. 4
Sola solicitatio ad Venerem, & in confessione facta antè, vel pòst, venit Inquisitoribus denuntianda. 562.p.6
Et quæ censeatur solicitatio facta antè, vel pòst immediatè ad confessionem. ibid.p.7
Quæ solicitatio simulando confessionem debeat denuntiari. 563.p.8
Confessarius solicitans debet esse sacerdos: nam laicus fingens se sacerdotem, non est ex hoc decreto denuntiandus. 564.p.9
Cessat præceptum denuntiandi, si sacerdos emendatus sit, neque periculum recidiui sit. 565.1
Item si correctione fraterna emendandus speratur, & spes sit certa. 2
Alij alias excusationes apponunt, sed non approbantur. 3.& seqq.
Quibus pœnis afficiatur Confessarius solicitans. ibid.p.11

Confiscatio.

Confiscationis pœna est hæreticis iure ciuili, & canonico imposita. 430.1
In eius executione leges canonicæ præferendæ sunt. 431.2
Omnia bona hæretici cadunt sub hac pœna. ibid.1
Bona in potestate hæretici existentia, si illius non sunt, non confiscantur. 2
Debent tamen actu esse, nec sufficit fuisse, nisi in fraudem fisci alienata sint. 3
Ex quibus casibus fraus præsumatur. 4
Bona donata causa mortis, cadúntne sub confiscationem. ibid.p.3
Donata sub conditione, cuius conditio purgatur posito

posito delicto, sub confiscationem cadunt. 1
Bona requisita post delictum, & latam sententiam non publicantur. 432.3
Acquisita intermedio tempore inter delictum, & sententiam, plures censent publicari. 4
Probabilius censeo oppositum. 5,6,& seqq.
Bona sub conditione futura debita communis sententia defendit non publicari. 433.1
Debita hæretico ex testamento non transeunt in fiscum. 2
Debita ex contractu transeunt in fiscum, tametsi conditio post commissum delictum, & condemnationem impleatur. 3
Iuris patronatus non datur propria confiscatio, sed illius extinctio. 434.1
Intelligendum est, dummodo non sint alij compatroni, vel alij ab instituto vocati. 2
Si ius patronatus ad extraneos hæredes transire non potest, neque potest confiscationi subiici. 3
Apponitur quædam limitatio de confiscatione perpetua, secus ad vitam, sed reiicitur. 435.4
Ius patronatus ad hæredes extraneos transmissibile publicatis omnibus bonis per iudicem Ecclesiasticum publicatur. 5
Si iudex laicus sit, & reus laicus, & publicētur omnia bona, ius patronatus non manet directè publicatum, bene tamen indirectè. 6
Quando censeatur ius patronatus directè, quando indirectè publicari. 7
Iudice laico publicante delinquentium bona, vel illa vendente, ius patronatus publicari alij negant, alij affirmant. 8
Sub distinctione respondetur: si annexum sit alicui villæ publicari; secus si personam comitetur. 9
Limitant aliqui de confiscatione perpetua, secus de temporali, sed non admittitur limitatio. 10
Confiscatis à iudice laico bonis, possitne iudex Ecclesiasticus ius patronatus confiscare? Alij affirmant, alij negant: media via tenenda est. 11
Pensiones non comprehenduntur sub confiscatione à iudice laico, bene tamen Ecclesiastico, & qua ratione. 436.12
Bona fideicommisso subiecta, vel alienari prohibita, non cadunt sub confiscationem. ibid.1
Intelligitur casu quo testator prohibuerit alienationem in fauorem alterius à delinquente. 437.2
Item vt alienationis prohibitio perpetua sit, & non pro vita tantùm delinquentis. 3
Subintelligitur, nisi testator etiam alienationem pro vita prohibuerit. 4
Delinquens potest fideicommissum retinere, quousque per sententiam declaretur. 5
Ob crimen hæresis, læsæ maiestatis, & sodomiæ aliqui existimant confiscari maioratum, sed repellitur eorum dictum, quando institutus est maioratus ex propriis bonis. 438.8
Idem est si ex bonis à Rege donatis, & non sub titulo maioratus institutus sit. 9
Si sub titulo maioratus à Rege donata sunt, sub confiscationem cadunt bona illa, ex quibus maioratus constitutus est, vt affirmant plures Doctores. 10
Probabilius censeo oppositum. 439.11
Si in facultate regia, qua fuit maioratus institutus, cauetur, vt transeat ad fiscum, si possessor crimen læsæ maiestatis commiserit, confiscatur maioratus. 440.12
Secus si hæc clausula apposita non sit in concessione. 13
In casu dubio, an maioratus ex regia facultate institutus sit, an ex iure communi, præsumi debet, non ex regia facultate, sed ex iure communi institutus. 14
Maioratus ex regia facultate institutus, qui ex dispositione iuris communis institui poterat, non cadit sub confiscationem. 15
Maioratus ex regia facultate institutus ex omnibus bonis, qui tamen ex tertia, & quinta parte institui poterat, an confiscationi subiiciatur quoad tertium, & quintum? Negat Sanchez. 441.16
Sed contrarium nobis probatur, saltem in duplici casu. 17
Quòd si protestetur se instituere maioratum tum ex regia facultate, tum ex legali, prout sibi, suisque hæredibus vtilius sit, tunc confiscationi subiicitur illa in parte, in qua ex regia facultate, secus in alia. 18
Quod dicitur de maioratu, dicendum est de regno. 19
Quando maioratus in perpetuum publicatur, finitur maioratus, & fiunt bona libera. 20
Maioratus dupliciter institui potest, testamento, & contractu tum reuocabili, tum irreuocabili. ibid.1
Item institui potest ante commissum delictum, vel post illud. 442.2
Delictum aliud est, cui est confiscatio ipso iure annexa: aliud, cui est imponenda. 3
Si de bonis habitis tempore delicti, cui est confiscatio ipso iure annexa, instituas maioratum, nulla est institutio, & confiscationi non obest, si tu delinquas. 4
Si bona non publicantur ipso iure, valet maioratus institutio, neque confiscatur per delictum instituentis, si contractu irreuocabili, vel reuocabili fuit institutum. Secus si ex testamento. 5.& 6
Si ante delictum contractu irreuocabili instituatur, non subiicitur confiscationi. 7
Quid si delinquens reuocet maioratum? Probabilius est ad fiscum pertinere, non obstante distinctione assignata à Sanchez. 8.& 9
Prædia, ex quibus censum soluis, sub confiscationem cadunt. 443.3
Emphyteusis ad extraneos hæredes transmissibilis non cedit sub confiscationem. 4
Durante vita emphyteutæ non transeunt ad fiscum commoditates, sed ad dominum, secundùm probabilem sententiam. 5
Sed probabilius censeo transire ad fiscum. 444.6
Emphyteusis ad extraneos hæredes transitoria ad fiscum transit. 8
Non competit Ecclesiæ ius reuocandi emphyteusim in fiscum translatum. 9
Admissa sententia probabili posse Ecclesiam intra biennium recuperare emphyteusim, poterit aduersùs lapsum biennij restitui, in opinione Sanchez. 445.11
Sed contrarium est dicendum. 12
De melioramentis factis in prædio emphyteutico ad quem pertineant, an ad fiscum, an ad Ecclesiam reuocantem. 446.13,14
Emphyteuta perdens emphyteusim ob non solutam pensionem, ad dominum pertinent melioramenta. 15
Si dominus emphyteusis crimen committat, ob quod bona illius publicantur, publicatur emphyteusis quoad dominium directum. 16
Feudum ad hæredes extraneos intransmissibile nequaquam in fiscum transit. 447.2
Si publicatio feudi fiat ob delictum commissum aduersùs dominum, domino pertinet, & ad ipsum deuoluitur. 3
Idem est si feudum hæreditarium tibi concessum est: secus est, si concessum sit tibi, tuisque agnatis, in probabili sententia. 4.& 5

Feudum ad extraneos hæredes transitorium, ad fiscum transit. 6
Confiscatio non comprehendit filij familias legitimam ob eius delictum. 449.5
Neque ipsius bona profectitia. 6
Neque peculium aduentitium. 8
Quid intelligatur casu quo pater habeat vsumfructum. 450.10
Sed non approbatur. 11
Aliæ limitationes apponuntur, sed non approbantur. 12.& seqq.
Neque publicantur bona castrensia, sed patri deferuntur. 452.20
Ampliatur doctrina, tametsi filius condemnatus filios habeat, adhuc non publicatur castrense. 22
In crimine læsæ maiestatis datur publicatio. 23
Confiscatio ob delictum parentis non comprehendit bona castrensia filij. 455.8
Neque bona aduentitia quoad proprietatem: at quoad vsumfructum probabilius est publicari. 9
Peculium profectitium an publicetur publicatis bonis parentis? Proponitur dubitandi ratio. 13
Temperatur vt non procedat in delicto, per quod soluitur patria potestas. 456.14
Probabilius est supradictum peculium publicari publicatis bonis parentis. 15
Legitima & alimenta filio debita non publicantur. 457.17
Excipe in bonis maternis ob matris delictum. 18
Item non procedit in filiis conceptis post condemnationem. 19
Neque item procedit in crimine hæresis. 20
Neque in crimine læsæ maiestatis commisso contra Principem. 21
Filiis fœminis reseruatur legitima de bonis maternis ob parentum delictum. 22
Quid debeatur ex bonis parentis. 23
Non caret probabilitate reseruanda esse alimenta filiis parentum committentium crimen læsæ maiestatis. 24
Possunt huiusmodi filij, quibus non reseruantur alimenta, abscondere sibi ad victum grauiter necessaria. 458.25
Confiscatio ob delictum mariti non comprehendit bona vxoris. ibid.1
Quapropter non comprehendit dotem. 2
Neque bona paraphernalia, neque alio titulo vxori quæsita. 3
Potest vxor innocens publicatis bonis mariti sua bona propria authoritate capere. 459.4
Qua ratione mulier debeat probare bona habere, ne fiscus vsurpet. 5
Quid teneatur fiscus facere, dum non soluit. 6
Confiscatio bonorum mariti non solùm comprehendit dotem, reliquáque bona vxoris quoad proprietatem, sed etiam quoad vsumfructum. 7
Publicatis bonis mariti, non publicatur quarta pars illorum bonorum debita vxori inopi. 8
Quod limitatur, vt non procedat, quando mulier bis nupsisset. 460.9
Confiscatio ob vxoris delictum ad eius omnia bona extenditur, si vidua sit. 461.1
Si constante matrimonio delinquat, non publicatur eius dos spectato iure communi, exceptis quinque casibus. 2
Attento iure Castellæ dos publicari potest. 3
Nunquam confiscatio extenditur vltra id quod vxoris est proprium. 4
Quando publicatur dos, etiam vsusfructus publicatur. 5.6.& seqq.
Quòd si pactum esset inter virũ & vxorem, vt committente aliquo illorum delictum confiscatione dignum, bona illius transirent ad alium? Affirmant plures non impediri confiscationem. 462.8
Sed probabilius est impediri. 9
Confiscatio ob clerici delictum non comprehendit bona Ecclesiæ. ibid.1
Comprehendit tamen bona patrimonialia. 2
Acquisita titulo beneficij probabilius est non publicari spectato iure communi, sed Ecclesiæ applicanda esse. 3
In Hispania, vbi de his bonis testatur, & fiscus ea vsurpare potest. 4
Confiscatio bonorum delinquentis existentium in alieno territorio à iudice confiscante, si fiat rigore iuris communis comprehenduntur. 463.1
Secus si rigore statuti non vigentis illo in loco, vbi bona sita sunt. ibid.
At si fiat confiscatio iure speciali vigente in territorio, vbi bona sita sunt, sub distinctione respondetur. 2
Executio confiscationis nunquam fit, nisi per officiales illius loci, in quo bona sita sunt. 3
Confiscatio ob hæresim extenditur ad omnes Christianos Rom. Pontifici subiectos. ibid.p.16
Confiscatio imposita ipso iure ob crimen læsæ maiestatis, præcipuè diuinæ, an priuet delinquentem dominio suorum bonorum. Arguitur pro, & contrà, & conciliantur sententiæ. ibid.p.17.per totum.
Confiscatio ipso iure delicto annexa non obligat delinquentem sua bona fisco tradere ante sententiam, tametsi alij contrà sentiant. 465.1.& 2
At sententia posita non potest delinquens bona occultare. 466.5
Non tamen tenetur ea fisco offerre, secundùm communem sententiam, quæ difficultatem habet. 6
Si reus impediat malitiosè sententiam declaratoriam, aliqui existimant esse obligationem. Probabilius est oppositum. 7.& 8
Quid dicendum de procuratore, iudice, aliísque ministris iustitiæ, an sint obligati satisfacere fisco, cùm malitiosè confiscationem omittunt. 467.9
Confiscatio ipso iure delicto annexa non impedit delinquentem, quin possit ante sententiam sua bona alienare, tametsi alij contrà sentiant. ibid.2
Sed non sunt alienationes ita validæ, quin fiscus eas reuocare possit. 4
Excipe, nisi possessores præscripserint. 468.5
Tempus ad præscriptionem in crimine hæresis quadragenarium est. 6
Limitatur ab aliquibus, nisi fisco Regis sint applicata, quia tunc quinquennium sufficere dicunt. Non admittitur limitatio. 7
Deinde limitant, vt præscriptio procedat post mortem delinquentis, secus in eius vita. Non videtur approbanda limitatio in rigore. 8
Notandæ sunt aliquæ conditiones, quas præscribentes habere debent, vt illis faueat præscriptio. 9
In aliis criminibus ab hæresi non præscribitur minori tempore, quàm vicesimo. 469.10
Fiscus non potest petere bona à tertio possessore in ipsius fraudem alienata, nisi infra annum vtilem. 11
Fisco non datur restitutio aduersùs præscribentes bona, quæ illis competebant. 12
Alienationes factæ necessariò reuocari non possunt à fisco. 13
& explicantur quæ sint alienationes necessariæ.
Item non reuocantur alienationes factæ à marito bonorum vxoris, quæ constante matrimonio acquisita sunt. 470.15

Alienationes gratuitæ horum bonorum reuocari possunt, vtpote quæ præsumuntur in fraudem. 16
Quid si maritus conscius fuit vxoris criminis? Verùm est reuocari tunc posse. 17
Quòd si incidat in hæresim, & reconcilietur. 18
Sola alienatio de bonis post delictum facta est reuocabilis. 19
Non reuocantur alienationes factæ à reo per potestatem publicam absoluto. 471.20
Licita est hæc alienatio. 21. & 22
Teneris tamen vitium manifestare, quando adest periculum reuocationis, & inferuntur aliqua notabilia. 23
Confiscatio bonorum delinquentis condemnati in contumaciam ob causam fidei, facienda est à tempore quo probationes signant delictum commissum esse, non à tempore latæ sententiæ. 477. p. 22. per totum.
Confiscata bona variè sunt à Pontificibus applicata. 479. 1. & seqq.
In Hispania fisco regio integrè applicantur. 480. 5
Quid in aliis regnis. ibid.

Conscientia.

Conscientia quid sit, & quotuplex, & de conscientia practica, & speculatiua, & an inter se pugnent. 1. 1
Obligatio est obediendi conscientiæ erranti, dum non deponitur. 2. 1
Procedit doctrina de conscientia errante inuincibiliter. 3
Operans ex conscientia errante inuincibiliter, operatur in eadem specie virtutis, qua operaretur, si à Deo res esset præcepta. 6
Aliquando est veniale, aliquando mortale conscientiæ erranti non parere, & quando hæc contingant. 3. 1
Quid si tibi proponatur malum absque vlla distinctione an sit mortale, vel veniale. 2. & seqq.
Probabilius est non esse peccatum agere contra conscientiam solùm habitu errantem. ibid. 3
Quando conscientia errans proponit vtramque partem contradictionis esse malam, nullum est peccatum. 4. 2
Aliquando est grauius, aliquando leuius peccatum sequi conscientiam errantem vincibiliter, quàm illam non sequi. ibid. 2
Sitne obediendum conscientiæ erranti, vel superiori contrarium præcipienti. 5. 4
Pro libito deponi non potest errans conscientia. 5

Consuetudo.

Quid sit, & qua ratione differat ab vsu, stylo, & præscriptione. 188. 1. & seqq.
Consuetudo alia est canonica, alia ciuilis, alia totius Ecclesiæ, alia alicuius prouinciæ, seu diœcesis. Alia secundùm legem, alia præter legem, alia contra legem. 189. 4
Consuetudo rationabilis est, quæ est de se honesta, & vtilis reipublicæ. 190. 2
Quando censeatur bono communi expedire. 4
In dubio præsumenda est bono communi expediens. 5
Introducentes consuetudinem contra legem, an peccent. 6
Consuetudo decennio sufficienter præscribitur. 191. 5
Nunquam debet interrumpi. 192. 11
Ad illius constitutionem expostulatur actuum frequentia, & quot hi sint. 193. 1. & seqq.
Debent decennio durare. 6
Non est necesse in contradictorio iudicio approbari. 194. 9
At est necessarium esse liberos, & consequenter vt ex errore, aut ignorantia procedant. 11
Item procedant ex intentione introducendi consuetudinem. 195. 12. & 13
Quomodo cognoscetur consuetudo inducta ex intentione liberali. ibid.
Actus, quibus consuetudo introducitur, debent esse externi, vniformes, & pacifici. 14
Consensus legislatoris requiritur. 196. 1
Sed hîc sufficit consensus in lege, alius expressus non requiritur. 3
Ab vna persona non potest consuetudo introduci. ibid. 1
A communitate perfecta introduci potest. 197. 2
Regnum & prouincia superiorem recognoscens, neque habens authoritatem condendi legem, potest consuetudinem introducere. 4
Debet esse introducta à maiori parte communitatis. 5
Consuetudinis effectus præcipuus est obligatio, quæ ad pœnam, & non ad culpam extendi potest. ibid. 1
Consuetudo vnius ciuitatis aliam non obligat. 2
Quando in vna ciuitate non est lex, neque consuetudo, recurrere debet iudex ad vicinas ciuitates, non ex obligatione, sed ex æquitate. 3
Alius consuetudinis effectus est abrogare legem. 198. 1
Quod intelligitur de lege præcipiente, & pœnali. 2
Potest abrogare pœnam legis, manente legis obligatione. 3
Econtra potest abrogare legem, manente obligatione ad pœnam. 4
Item potest abrogare legem irritantem. 5
Quid dicendum de lege prohibente consuetudinem contrariam. 199. 6. & seqq.
Lex improbans consuetudinem per generalia verba, non solùm de consuetudine præterita, sed de futura intelligitur. 8
Aduersùs legem improbantem consuetudinem vt reipublicæ inconuenientem non potest consuetudo introduci, nisi res ita mutentur, vt prudenter possit legislator velle legi derogare. 10
Potest præualere consuetudo aduersùs legem versantem circa sacramentalia. 200. 11
Item non caret probabilitate aduersùs ius gentium præualere posse. 12. & 13
Consuetudinis item effectus est interpretari legem. 201. 1
Sed hæc interpretatio potest esse authentica, vel probabilis, & quomodo differant. 2
Authentica interpretatio requirit decennium, secus probabilis, seu coniecturalis. 3
Hinc fit secundùm consuetudinem receptam debere iudicem arbitrum iudicare, in quem est factum compromissum de iudicio ferendo secundùm ius. 4
Secundùm consuetudinem sunt contractus regulandi. 5
Iudicium externum, & internum iudicandum est secundùm consuetudinem. 6
Alius item consuetudinis effectus est irritatio actus, cui effectui plures limitationes apponuntur, sed non approbantur. ibid. §. 4. per totum.
Consuetudo per legem abrogatur, & qualiter hoc contingat. 202. §. 1. per totum.
Alia consuetudine abrogari consuetudo potest. 204. 1
Debet esse contraria consuetudo abrogans præexistenti abrogandæ, & quomodo contingat. 2
Solo decennio abrogatur. 5
Consuetudinem probare tenetur allegans. 205. 1
Excipitur consuetudo notoria. 2
Idem de ordine procedendi in iudicio. 3

Idem

Idem est de stylo fori,& curiæ. 4
Excipitur item consuetudo,de qua est dubium,an sit rationabilis. 5
Consuetudo,quæ ab allegante probanda est,plenè probari debet. 6
An vnus testis semiplenè consuetudinem probet. 7
Duobus testibus plenè consuetudo probatur,debent tamen deponere de frequentia actuum,& diuturnitate temporis. 8
Doctori excellenti de consuetudine testanti credendum est præsumptiuè,non concludenter. 206.9
Testantes Doctores de consuetudine integrè illam probant. 10
Vni Doctori in foro conscientiæ, dum alij non contradicunt,integrè fides adhibenda est. 11

Contemptus.

Qua ratione legis contemptus contingat. 82.1
Si iungitur transgressioni legis,est duplex peccatum. 83.2
In qua specie peccati contemptus sit. 3
Circa præcepta & consilia versari potest. 4
Contemptus formalis semper est mortale peccatum. 6

Contentio.

Charitati contraria quæ sit. 636.4
Ex suo genere est graue peccatum. 5.& 6

Contractus.

Si fiant spe acquirendi præmium validi sunt. 46.3

Cooperatio.

His, qui non comprehenduntur sub præcepto, vel lege, poteris subministrare, & adiuuare in actione prohibita,secus qui excusantur. 158.10
Licet infidelibus, pueris, amentibus cibos vetitos subministrare: non tamen licet infideles, vel amentes in monasteria monialium introducere. 159.11
Neque licet ignorantibus esse diem ieiunij cibos vetitos ministrare, & ad comedendum inducere. 12
Pueros ante septennium bene potes ad monasteria monialium introducere,non tamen amentes. 13
Non licet tibi inuitare ad copulam amentes, ebrios, nec pueros rationis vsu carentes. 14

Correctio.

Correctio quid sit. 613.1
Alia est fraterna,alia iuridica. 2
Illius est præceptum. 3
Seruandæ tamen sunt aliquæ conditiones. 5
Oritur ex charitate hoc præceptum. 6
Impleri potest per actum elicitum à charitate, vel misericordia. 7
Satisfieri huic præcepto potest, esto ex prauo motiuo correctionem facias. 8
Proximo,qui peccatum commisit, & in periculo est committendi,debetur correctio. 614.2.& 3
Si proximus publicè peccat, corripiendus est, si est spes emendæ. 4
Peccatorem in peccato habituali existentem absque periculo peccatum actuale committendi, non est obligatio corripiendi. 6
Constitutus in actione peccati venialis corripiendus est,vt probabilius defenditur. 615.3.& seqq.
Si peccans venialiter subditus sit, & eius peccatis religiosa disciplina labefactetur, Prælatus mortaliter peccat non corrigens. Et idem est de aliis vicem Prælati gerentibus. 616.6
Ex sola dissimulatione peccatorum venialium, si occulta sint, non peccat Prælatus grauiter. 7
Correctionis obligatio prærequirit cognitionem de peccato proximi moraliter certam. ibid.1
Si proximus ex ignorantia peccat, corrigendus est. 2.& 3
Item requirit correctio spem fructus. 617.1
Sed sufficit de cursu temporis sperari. 2
& sperari sub probabilitate. 3
Quando est dubium, an correctio obfutura,vel profutura est, nulla est obligatio. 4
Secus si dubium sit de profectu,& securitas de damno. 5
In extrema necessitate in dubio de profectu, & de nocumento,adhibenda est correctio. 6
à Correctione excusaris extra casum necessitatis extremæ ob graue nocumentum honoris,vitæ, & fortunæ. 618.1.& seqq.
& quando hæc contingant. ibid.
Si proximus ab alio, vel à te corripiendus est, non obligaris corrigere. 5
Si speras proximum alio tempore fructuosius esse emendandum, excusaris à correctione statim facienda. 6
Quod est verum,tametsi proximus intermedio tempore peccatum aliquod committat. 7
Corrigere proximum omnes obligantur. 619.1
Peccator publicus regulariter à correctione deobligatur: aliquando tamen tenetur. 2
Occultus peccator obligatur. 3
ob Correctionem non est obligatio pœnitentiæ, nisi in Prælato. Quid in extrema necessitate. 5.& 6
Concionator,& iudex delicta corrigens in peccatore non peccat mortaliter. 7
Prælati aliíque superiores specialem habent obligationem, & ex qua virtute oriatur hæc obligatio. 8
Omnes tam infideles, quàm fideles corrigendi sunt. 610.9
Prælati à subditis corrigi possunt, humili tamen obsecratione. 10
Correctionis fraternæ ordo à Christo institutus. ibid.1
Non constituit Christus speciale præceptum, sed materiale declarauit. 4
Vt tamen obliget, seruandæ sunt aliquot circumstantiæ. 3
Huic ordini, vt secum seruetur, cedere quis potest. 621.3
Neque licitum est talem cessionem impugnare. An ex cessione iuris manifestari possint delicta superiori aliàs non manifestanda. 622.5.& 6
Societatis IESV religiosi cedunt iuri in ordine ad correctionem fraternam non iudicialem. 7
Quoties Prælatus meliùs correcturus est, potes omissa secreta correctione ei secretum peccatum proximi manifestare. 623.1
Prælatus ex tali denuntiatione non potest iudicialiter procedere. ibid.1
Potest tamen delinquentem moderata pœna punire. 2
& subditum à loco,& officio remouere,si absque infamia fieri potest. 624.3
Debet tamen prudenter procedere. 4
Debet alicui, vel aliquibus delictum manifestare, si hoc necessarium est ad correctionem. 5
Rector collegij,qui poterat subditum emendare absque manifestatione prouinciali, peccat grauiter si manifestat. 6.& 7

Item subdito delinquenti potest socium designare fidelem, qui eius actiones exploret, & Prælato deferat. 8
An possit Prælatus significare designato se malè de subdito sentire, vt sic diligentiùs vigilet. 9
Potest Prælatus subditum delinquentem coram duobus, vel tribus testibus reprehendere. 625. 10
Si per denuntiationem paternam remedium non adhibeatur sufficiens, & delictum vergit in damnum communitatis, vel tertiæ personæ, tenetur denuntians denuntiationem iudicialem facere. 11
Fratrem emendatum, neque habentem periculum relabendi, non debes denuntiare. 626.4
Stante periculo denuntiandus est. & quod sit probabile periculum. 5
Quid cùm est dubium, an delinquens emēdatus sit. 6

D

Decisiones Rotæ.

Decisiones Rotæ non habent vim legis, tametsi magnæ sint authoritatis. 193.7

Declarationes Cardinalium.

An vim legis habeant, & quam authoritatem sortiantur. 272.3.& seqq.

Delectatio.

Quæ sit differentia inter delectationem, & desiderium. 89.1
Delectatio de cogitatione obiecti mali, mala non est. 90.2
Idem dicendum, si delecteris de modo aliquo mirabili, & artificioso. 3
Quomodo sit cognoscendum, procedat ne delectatio ex artificio, ex cogitatione, vel ex obiecto malo. 5
Semper est mala delectatio de obiecto formaliter malo. 6
Nulla delectatio deliberatè quæsita de obiecto graui in personis solutis in materia luxuriæ, venialis est ex leuitate materiæ. 91.4
Non est licitum delectari de copula sub conditione, si licita sit. 92.6
Viduis nullo modo licet de copula habita tempore matrimonij delectari. 7.& seqq.
Delectari de pollutione naturaliter contingente non licet, tametsi liceat illam ob aliquem honestum finem desiderare, aut de ea sic contingente ob eundem finem honestum gaudere. 10
Idem est dicendum de aliis materiis. 93.11
Quid de coniugibus ligatis voto castitatis. 12
Quid si ex alio impedimento extrinseco copula illicita sit. 13
Quid quando est dubium de valore matrimonij, ob quod dubium interdicta est debita petitio. 14. & 15.
Quid quando dubius coniux non est de valore matrimonij. 94.17
Delectatio in coitu aliorum illicita est. 18
In aliis materiis à luxuria delectatio de opere bono licita est. 20
Si de opere ex aliqua circumstantia malo, quatenus malum est delecteris, peccas. 21
De obiecto iure positiuo prohibito, potest esse delectatio absque peccato. 22
Delectatio & desiderium obiecti mali sub conditione auferente eius malitiam, si obiectum sit solo iure positiuo prohibitum, non est peccatum. 95.2
Si sit prohibitum iure naturæ, probabilius est esse peccatum, probabile honestari posse. 3,4,& sequentib.
Delectatio morosa non de turpi obiecto habeat ne omnes species malitiæ, quas haberet desiderium illius. 96.§.4.per totum.
Delectatio appetitus sensitiui cum commotione corporis renuente voluntate non constituit peccatum. 97.1
Si non refrænat illius voluntas, cùm possit, peccat venialiter. 98.6

Delegatio, Delegatus.

Delegatio si personalis est, expirat morte delegati, vel eius officio finito, secus realis. 241.1
Si sub nomine proprio delegatio fiat, regulariter censenda est personalis. 2
etsi sub nomine dignitatis realis, & ad successores transit. 3
Extenditur siue res integra sit, siue non. 4
Item esto sit consanguineus delegantis. 248.6
Si in commissione exprimatur nomen proprium, & nomen dignitatis, censenda est commissio personalis. Apponitur limitatio. 7.& 8
Commissiones factæ Legato non transeunt ad successorem. 249.2
Commissiones factæ Canonico transeunt ad successorem in Ecclesia, vbi est certus numerus Canonicorum. 3
Iudici synodali facta commissio ad successorem non transit. 4
Commissiones vicario Episcopi factæ de rigore iuris non debebant transire ad successores: at transeunt ex consuetudine. 5.& 6
Commissiones factæ vicario, seu officiali Episcopi, non possunt expediri ab Episcopo, etiam mortuo vicario, vel ab officio remoto. 7
Neque Nuntius, seu Legatus Apostolicus. 8
Neque Auditor Cameræ Apostolicæ. 9
Neque Officialis, seu vicarius Capituli sede vacante. 250.10
Cùm duo sunt officiales, principalior eligi debet, si æquè principales, in rescriptis gratiæ quilibet eligi potest. In contentiosis variant Doctores. Probabilius est recurrendum esse ad delegantem. 12
Electo vno officiali in rescriptis pro foro externo, non potest alius adiri, secus in foro pœnitentiæ. 13
Non potest Episcopus ab vno has commissiones auferre, & alteri committere, si in officio vicariatus illum retineat. 251.14
Qui sub nomine vicarij, cui delegantur dispensationes, intelligantur. 15
Vicarij foranei non possunt commissiones factas diœcesano expedire. 16
Delegatus, cui sunt commissa rescripta Pontificia, si remoueatur à dignitate, non potest expedire litteras dispensationis, si commissio facta est ratione officij, secus si commissio sit rationalis. ibid.1.2.& 3
Excipe nisi delegatus priuatus fuerit in pœnam dignitate, vel transierit ad statum incompatibilem. 5.& 6

Denuntiatio.

Denuntiare teneris omnes apostatas à fide, etiamsi tu solus noueris. 400.2
Quomodo facienda est hæc denuntiatio. 401.3

An excuseris ab hac obligatione, si speras correctione fraterna hæreticum emendandum? Affirmant aliqui. 4
Opposita sententia, vt probabilior, & religioni fauorabilior defenditur. 5
Hæreticus emendatus an denuntiandus sit. 6. & seqq.
In casu dubio semper intelligitur iudex non ad vindictam, sed ad correctionem procedere. 402.8
Quid si sub decreto acceperis. 9
Ratione damni excusari aliquando potes à denuntiatione, sed prudentia opus est. 10
Socios criminis regulariter non es obligatus manifestare. 11
Propinquos, & sanguine iunctos hæreticos tenetur quis denuntiare. 12
Quid dicendum de filio respectu patris, aut econtrà? Negant aliqui. 13
Probabilius est obligatum esse casu quo alia via non possit hæresim impedire. 14
Filius in hoc casu à pœnis latis aduersùs filios hæretici liberatur. 403.15
Quid dicendum de vxore respectu mariti. 16
Inquisitoribus non sunt denuntiandi, qui eis non subduntur. 17
Vnde Episcopi non sunt iis denuntiandi, & qui nomine Episcopi comprehendantur. 18
Item nec Nuntius, nec officialis Pontificis. 19
Teneris tamen illos Inquisitoribus denuntiare, si ad Pontificem non est recursus. 20
Expenduntur pœnæ latæ aduersùs omittentes denuntiationem, cùm obligati sunt. 21
Denuntiator in crimine non tenetur probare. At si probetur in crimine hæresis calumniosè denuntiasse, grauiter punitur. 508.1
Denuntiationis forma, & stylus in ea seruandus. 2
Denuntiatione facta Inquisitor procedit ex officio. 3
ad Denuntiationem omnes admittuntur, tametsi absentes; debent tamen litteras subscribere. 4
Quando sit obligatio denuntiandi Confessarium solicitantem ad Venerem in confessione. 557. disp.9.per tot.
Denuntiari iudicialiter possunt peccata notoria, non permissa correctione fraterna. 627.3
Obligatio huius denuntiationis est, cùm adest præceptum superioris, vel cùm proximus correctione fraterna non censetur emendandus. 4
Peccata quæ à te, & ab alio sciuntur, denuntianda sunt iudicialiter, si in damnum tertij vergunt. 5
Si delicta solùm sunt in damnum delinquentis, præmittenda est secreta correctio, & inductio testium, antequam iudicialiter denuntietur, si probabiliter existimatur correctio, vel inductio testium profutura. 628.6
Notatur quædam differentia in materia denuntiationis inter peccata, quæ in damnum tertij vergunt, & quæ solùm peccanti nocent. 7
Peccata omnino secreta, & quæ in damnum communitatis, vel tertij vergunt, si per secretam correctionem emendari possunt, non sunt iudicialiter denuntianda. 8
Si est præsumptio non esse delinquentem corrigendum, adhuc plures censent non posse fieri denuntiationem iudicialem. 9
Contrarium est tenendum. 629.10
Cùm Prælati præcipiunt delicta sibi denuntiari absque communicatione cum aliqua persona, intelligitur præceptum de delictis, quę tibi certò constat esse denuntianda. Secus de illis de quibus dubius es. 11
Rarò in propriis iniuriis est obligatio corripiendi delinquentem. 12
Denuntiandi non sunt delinquentes, quorum delicta non laborant infamia, & constat emendatos esse. ibid.1.& ibi de hæresi.
Quando præsumitur delinquens emendatus, vt cesset obligatio denuntiationis. 2
Delictum à duobus, vel tribus notum, si iudex procedit ad punitionem, non est iudicialiter denuntiandum. 3
Neque etiam est denuntiandum, si sub secreto delictum accepisti, modò delictum non cedat in damnum tertij. 4
Accepta in recompensationem non sunt denuntianda ex præcepto lato de reuelandis furtis. 5
Quid si præceptum sit de manifestando accepta, esto accepta sint in recompensationem. 6
Si tibi graue damnum ex denuntiatione imminet, non teneris denuntiare: vel si compellendus es probare, nec potes. 7
Tandem excusaris à iuridica denuntiatione, si à fide dignis non acceperis. 8
Tenetur iudex denuntiationem admittere, esto denuntians non probauerit correctionem fraternam præcessisse. 631.p.16.per totum.

Desperatio.

Desperatio quid sit, & in quo consistat. 572.1. & seqq.
Semper est mortale peccatum. 573.5
Quid dicendum de eo, cui Deus suam damnationem reuelaret: latè examinatur. 6.& seqq.

Discordia.

Discordia quid sit. 636.1
Est peccatum charitati contrarium. 2
Ex suo genere mortale, aliquando esse potest veniale. 3

Dispensatio.

Dispensatio quid sit. 284.1.& seqq.
Differt ab absolutione, à peccatis, & censuris. 5
A simplici licentia requisita per legem. 6
A legis abrogatione, & derogatione. 285.7
A priuilegio. 8
Legis dispensatio multum differt à dispensatione voti, & iuramenti. 9
Dispensatio in nullo iure naturali cadere potest. 286.5
Expenditur quorum peccatorum naturalium possint Prælati facere dispensationem indirectam. 287.7
In iure diuino positiuo solus Deus dispensat. ibid.1
Sed non est credendum dispensare, nisi sic Ecclesia declarauerit. 2
Regibus aliisque sæcularibus Pontificibus non est concessa potestas dispensandi in iure diuino positiuo. 3
Imò neque Pontifici est data talis potestas. 4. & sequentib.
Dispensandi potestas in propriis legibus, cuilibet legislatori competit. 289.1
Pontifex in suis legibus, & in legibus Concilij, & in legibus aliorum Pontificum potest dispensare. 2
Episcopus in legibus diœcesanæ Synodi. 3
Aliqui limitant, nisi iuramento sint constitutiones firmatæ. Sed non approbatur limitatio. 4
Secundò limitant, nisi constitutiones transierint in contractum. Explicatur limitatio. 5

Tertiò limitant, nisi fuerint constitutiones à superiore confirmatæ: sed intelligendum est de vera confirmatione. 6
In legibus superioris inferiores non habent potestatem dispensandi, nisi expresse, vel tacitè eis fuerit concessum. 7,8,& 9
Episcopus in legibus Concilij prouincialis non potest aliter dispensare, quàm potest in legibus Pontificiis. 290.10
Idem dicendum est de Archiepiscopo, qui tali Concilio præfuit. 11
Cùm lex superioris dicit vt dispensari possit, possunt inferiores dispensare. 291.1
Item cùm materia legis leuis est. 4
Item si casus frequentes sint. 291.5
Item quando leges sunt illius prouinciæ propriæ, non aliis communes. 6
Item in extraordinario aliquo euentu. 7
& cùm dubium est esse necessariam dispensationem. 10.& 11.
Deinde si consuetudine sit præscriptum posse inferiores in lege superioris dispensare. ibid.
Hæc potestas ordinaria est. 293.12
Neque pendet à Capitulo. 13
Potestatem dispensandi in pœnis habet legislator, & ante patratum delictum, & pòst. ibid. 1. 2
Pœnas annexas delicto non possunt inferiores impedire. 3
Pœna à lege statuta, & quæ executioni mandanda est per iudicem, augeri, aut minui non potest ab eo sine causa. 4
Apponuntur aliquot limitationes. 294.5
Post latam sententiam, & pœnam inflictam, nullus iudex inconsulto Principe potest augere, vel minuere pœnam, spectato iure ciuili, secus iure canonico. 6
Hæc potestas competit Capitulo sede vacante, & omnibus illis, qui episcopali gaudent potestate. 7
Quid de Prælatis religiosorum. 8
Prælatus non potest secum dispensare in pœna, quæ illi per sententiam fuerit imposita. 10
Item debet fieri dispensatio absque tertij præiudicio. 11
& in criminibus, quæ non sunt adulterio maiora. 12
Pœnam religiosi condemnati à Rectore, non potest Prælatus prouincialis renuente Rectore tollere. 295.13
Potestatem dispensandi secum in legibus, votis, & iuramentis quilibet superior habet non solùm de dispensatione indirecta, sed directa. ibid. 1.& 2
Quod de Prælatis religiosorum etiam intelligitur. 296.3
In censuris non admittitur hæc potestas directa. 4
Probabile est posse in irregularitate, inhabilitate, & depositione ipso iure contractis. 5
Cùm vagis nullibi habentibus domicilium certum est posse superiorem illius loci, in quo de præsenti resident, dispensare. ibid. 1
Cum forensibus dubium est. placet nobis in lege municipali, & communi dispensare posse. 297.5
In votis, iuramentis, aliisque impedimentis ex sola habitatione transeunte non videtur acquiri sufficiens titulus ad dispensandum. 6
Imò neque ex habitatione diuturna, si domiciliaris non sit. 7
Cum subditis suffraganeis expenditur, quando possit Metropolitanus dispensare. 298.1.& 2
Cum religiosis exemptis potest suus Prælatus dispensare. ibid.
Ab Episcopo non possunt hi religiosi dispensari absque suorum Prælatorum licentia. 299.3
Si iniustè hæc licentia negatur, potest religiosus Episcopum adire; secus si iustè negetur, & in casu dubio præsumendum est iustè negari. 4
Si non potest Prælatus religiosorum adiri, poterit tunc Episcopus. 5
Limitatur, nisi religiosus possit adire intra religionem superiorem alium Prælatum. 6
Quando nullus religionis Prælatus cum religiosis dispensare potest, potest religiosus de licentia sui Prælati Episcopum adire. 7
Ex priuilegiis religiosorum omnes possunt de licentia sui Prælati Episcopum adire pro dispensatione obtinenda, tametsi iure communi eis prohibitum sit. 8
Religiosi & sæculares subiecti Prælatis ordinum militarium, quibus non cōpetit potestas absoluendi, & dispensandi in Trident. concessa, possunt de licentia suorum Prælatorum adire Episcopum. 9
Dispensatio in lege propria vt valida sit, nullam causam expostulat. 300.1
Sine causa concedens dispensationem peccat. 2
Aliquibus placet hoc peccatum mortale esse. 4
Probabilius est esse tantùm veniale. 5
Quid dicēdum de Principe sine causa dispensante. 6
Dispensatione vtens sine causa concessa non peccat. 301.8
Dispensatio in lege diuina, & naturali, sine causa data, inualida est. ibid. 1
Idem est de dispensatione inferioris in lege superioris. 2
Aliqui temperant, nisi inferior habeat plenitudinem potestatis. Sed reiicitur. 3
Deinde limitant alij, nisi in facultate dispensandi exprimantur nomina, quibus dispensatio est concedenda, & non exprimatur causæ cognitio. Sed non admittitur limitatio. 4
Sicut neque admittitur, esto bona fide p[illegible]esserit, existimans adesse causam. 5
Inferior dispensans in lege superioris absque causa, mortaliter peccat. 302.6
Non potest certa regula definiri, quæ sit legitima causa dispensandi in legibus superioris. 7
Dispensationem concedere an teneatur superior, cùm adest eius concessionis legitima causa. 8
Resoluitur aliquando posse dispensationem concedere, aliquando esse obligatum. 9
Quando hæc contingant. 303.10
Quid dicendum de delegato, an teneatur dispensare, cùm adest causa legitima. 12
Dispensandi potestatem habentes possunt dispensaturis imponere aliquam mulctam pecuniariam, si dispensent in votis, vel quoties ex onere imposito integratur causa dispensationis. ibid. 1
In casibus tamen, in quibus debetur dispensatio, non possunt mulctam imponere: secus in illis, in quibus denegare possunt. 3
Inferior non potest sub onere aliquo, & pecuniaria mulcta dispensationem concedere, vt probabilius defenditur. 3.4.& 5
Dispensandi potestatem se habere asserenti potest in foro conscientiæ credi, sed non est obligatio. ibid. 1.& 4.
In foro externo nemini est credendum, nisi instrumentum concessionis ostendat. 2
Limitatur in iis, quæ graue præiudicium causare possunt: secus in iis, quæ nullum, vel minimum. 3
Creditur Episcopo non subditum ordinanti, si dicat in titulo de licentia proprij Episcopi fuisse. 5
Item

Item de Pœnitentiario dicente viuæ vocis oraculo sibi concessam esse potestatem absoluendi à reseruatis. 6
Dispensationis forma nulla est præscripta, sed illa sufficit, quæ mentem dispensantis exprimit. 305.1
Ad valorem dispensationis cum absenti, mandatum eius non requiritur. 2
Non tamen habet effectum, quousque dispensando innotescat. 3
Gratia impetrata valet absque tuo mandato; secus illius acceptatio. 4
Dispensationem tacitam concedere quilibet in suis legibus, & in legibus superioris potest. ibid.1
Cognoscitur tacita dispensatio, si tibi à Prælato mandetur actus, qui sine dispensatione fieri non potest. 306.2
Deinde si videat te disponi ad operandum contra legem, & non impedit cùm facile possit. 3
Quando taciturnitas, & dissimulatio Prælati censeatur sufficiens signum dispensationis. 4.& 5
Ratihabitio, & præsumptio excusans ab obligatione non debet subsequi actum, sed antecedere. 307.6
Dispensationem præcedere debet causæ cognitio. ibid.1
Si absq; illa legislator in propriis legibus dispenset, valida est dispensatio. 2
Secus si inferior in lege superioris dispenset, tametsi causa existat. 3.& 4
Cognitio causæ requisita ad dispensationem non est necesse vt iudicialis sit. 308.5.& 6
Quomodo in foro externo probandum sit adfuisse causam dispensationis. 7
Si Prælatus affirmet præcessisse causæ cognitionem in foro conscientiæ, optimè ei credi potest. ibid.1
In foro externo si in propria lege dispenset. At si causam ex facto alieno pendentem alleget ad dispensandum, tametsi præsumptionem faciat, datur probatio in contrarium. 309.2
In dispensatione legis superioris credendum est asserenti habuisse causam ad dispensandum, donec contrarium probetur. 3
Debet tamen declarare saltem in genere causam, aliàs probabilius est non esse credendum causam adesse. 4
Dispensationis expeditio non omnibus conceditur, sed aliquibus, & seruatis quibusdam conditionibus, & quæ hæ sint. ibid.p.15
Cùm dispensatio pro foro conscientiæ conceditur, committitur expedienda magistro in Theologia, vel Doctori iuris canonici, & ab ordinario approbato. 1
Sacerdotes Societatis IESV habent priuilegium has dispensationes expediendi, quamuis non sint gradu Doctoris, vel Magistri insigniti. 310.2
Potest dispensandus relicto vno dispensante alium adire in dispensationibus concessis pro foro interno, secus pro foro externo. 3
Præmittere debet dispensans causæ cognitionem, aliàs nulla est dispensatio. At dicto tametsi nó iurato dispensaturi creditur, & explicantur aliæ conditiones. 4
Non est necesse absolutionem sacramentalem præmitti. 6
Qua ratione facienda sit commutatio in pia opera. 7
An necessariò litteræ dilaniandæ sint. 311.8
Impedimentum dispensandum debet esse occultū. 9
Neque ad contentiosum forum deductum. 10
Quid si deductum fuit, & non fuit probatum integrè, sed semiplenè. 11
Quid si plenè probatum, & punitum. 12
Qua ratione coniux impedimenti ignarus conscius debet esse nullitatis prioris matrimonij. 13
Quid de potestate legitimandi prolem in his dispensationibus concessa. 312.14
Si pro foro externo dispensatio committitur expedienda, explicantur qualitates delegati. ibid.1
Ex quibus causis, & quibus modis hæc dispensatio concedenda sit. 2
Possintne delegari hæ dispensationes? Proponitur dubitandi ratio. 3
Resoluitur examinationem testium, veritatis indagationem delegari posse, non absolutionem, neque dispensationem, neque prolis legitimationem. 4
Dispensatio per metum extorta, si causa legitima intercedat, non est irrita. 313.1
Secus si non adest causa, nisi in propria lege dispensatio concedatur. 2
Debet tamen dispensans absolutam voluntatem habere dispensandi. 3
Dispensatio per errorem, vel ignorantiam, quæ tollat voluntarium, nulla est. ibid.1
Non est necesse mentionem facere alio tempore negatam esse dispensationem. 316.1
Sitne dispensatio nulla, ex eo quòd taceas alium tibi esse in ea materia concessam. 317.2
Resoluitur vt probabilius non esse. 3
Limitatur, nisi prima dispensatio fuerit in præiudicium tertij, quia tunc debet illius mentionem facere. 4
Idem est, si est necessarium, vt Princeps qualitatem, & quantitatem gratiæ intelligat, & explicatur exemplis. 318.5
Item si necessarium est, vt impedimentum dispensandi integrè cognoscatur. 319.6
Valet secunda dispensatio sine mentione primæ, quoties ad tollendos scrupulos, vel dubium secunda impetratur. 7
Sed quid si obtinens secundam dispensationem priori vsus non fueris? Affirmat Sanchez priorem euanescere. 8
Sed probabilius est secundam esse inualidam, casu quo prima extincta non sit impedimento perpetuo. 9
Duplici impedimento ligatus, debeátne vtriusque mentionem facere? Prima sententia negat. 10
Secunda probabilior affirmat. 11
Quid si habeas votum castitatis, & velis cum consanguinea contrahere, an possis voti dispensationem impetrare, tacito impedimento consanguinitatis? Resoluitur posse in aliquo casu. 12
Quid si habeas votum religionis, & castitatis. 13
Si impedimenta irritatione tolli debent, non est necessariò facienda mentio illorum in impetratione dispensationis. 14
Quid si impedimentum sit aliud publicum, aliud occultum? 15
Quid dicendum in dispensatione irregularitatis, & aliarum pœnarum. 16
Dispensatio sæpe vitiatur ex falsi expressione. 321.1
Si ex causa vera, & falsa integratur sufficiens causa dispensationi, dispensatio corruit. At si vera causa allegata sufficiens est, ex falsa superaddita non vitiatur dispensatio, secundùm communiorem sententiam. 2
In casu dubio sitne falsa causa allegata finalis, vel motiua, præsumitur motiua. 322.3
Quid si causa falsis testibus probetur. 4
Subreptio commissa in vna parte rescripti non viriat solum rescriptum, si per ignorantiam etiam culpabilem, modò non sit crassa, subreptio commissa sit.

Vitiat tamen, si ex fraude,& malitia procedatur. 6
Debet tamen vna pars cum alia coniunctionem habere. 7
& explicatur exemplis. 323.8.& seqq.
Non perit dispensatio per renuntiationem tacitam, nisi acceptetur à concedente. 254.11.& 12
Quare si obtinuisti dispensationem, vt duceres Mariam,& aliam duxisti, ea mortua potes priorem ducere. 13
Et si dispensatus ad beneficia ad nuptias transisti, non ob id cassatur dispensatio, sed mortua vxore illa vti poteris. 14
Dispensatione concessa ab inferiori in lege superioris,non potest illam reuocare, vt probabilius defenditur. 262.2.& 3
Quid dicendum de inferiore Prælato, an illius superior possit reuocare dispensationem ab illo factam. 5

Dispensandi potestas.

Latè est interpretanda, si detur personis non expressis. 229.2
Expressis personis strictè interpretanda est. 230.5
Concessa Episcopis in Trident. sess. 24. c.6. latè est interpretanda. 6
Idem est de potestate concessa per Iubilæum,& Bullam Cruciatæ. 7
Quid de potestate concessa alicui eligendi Confessorem, an sit intelligenda de peccatis commissis, vel committendis. Resoluitur de commissis tantùm,si in bonum ipsius concessa sit potestas. 8
Potest Episcopus dispensandi potestatem committere vicario generali,& speciali personæ. 415.18

Disputatio.

Cum infidelibus & hæreticis de rebus fidei aliquando est licita,aliquando illicita. 372.1.& seqq.
Potest esse licita, vel illicita ex fine, & quando hæc contingat. 2
Ex parte disputantis licita est,si doctus sit, nulláque lege positiua impediatur. 373.3
Laicus, tametsi doctus,prohibitus est dispensare. 4
Intelligitur prohibitio de disputatione formali. 5
Neque intelligitur prohibitio in casu necessitatis,vel grauis,vel euidentis vtilitatis. 6
Item intelligitur prohibitio de disputatione assumpta à laico propria authoritate. 374.7
Neque extenditur ad terras, in quibus hæretici cum Catholicis passim permixti sunt. 8
Ex parte audientium licita est disputatio, si cum eorum fructu fiat,& quando hoc contingat. 9
Qui modus seruandus sit,vt licita sit disputatio. 10

Dubium.

Aliud est de iure, aliud de facto: aliud speculatiuum, aliud practicum, & quæ hæc sint. 22.2.& 3.
Cum dubio speculatiuo stat iudicium practicum de recta operatione. 4
Operari cum dubio practico,est intrinsecè malum. 5
Dubitans speculatiuè de aliquo præcepto,si rationabiliter dubium non deponat, obligatus est partem tutiorem eligere. 23.6
Quæ sit pars tutior. 7
Dubius,an sit res sua, si illam bona fide possidet, facta sufficienti diligentia, si vincere dubium non potest, eam potest retinere. ibid.4
Suborta dubitatione debet fieri diligentia ad inuestigandum verum dominum. 24.7
Si hanc diligentiam omittas, cùm dominus comparere poterat,teneris ad restitutionem. 8
Si præmissa debita diligentia prop. ndes magis rem alienam esse, aliqui affirmant te obligatum esse restituere, vel saltem diuidere. Probabilius est oppositum. 10.& 11
Si certum tibi constat debitum contraxisse, dubitas autem an solueris, teneris soluere. 14
Monere debes emptorem de dubio, si rem alienes contractu oneroso. 13
Si à possessore bonæ fidei rem furto accepisti, & dubitas an eius sit, teneris integram ei reddere. 25.1
Si titulo emptionis, vel donationis rem sub dubio furtiuam possederis, & facta diligentia dubium persistit, teneris diuidere inter eos, de quibus dubitas. 2
Tenearis ne de damno sequuto, cùm dubitas, an illius fueris causa, consilij,mandati,adiutorij, &c. ibid.1.& seqq.
Dubius an sua culpa perierit res deposita, vel commodata,non tenetur ad restitutionem. 26.4
& quid in foro externo. ibid.
Si facta sufficienti diligentia dubius es de lege, vel præcepto,non teneris illo. 29.1
Idem est si dubites, an se extendat lex ad aliquem casum. 2
Quid si dubites an sit lex vsu recepta. 3.& 4
Si certus es de lege, dubius autem an ob aliquam causam eximaris,teneris. 30.5
Idem est,si dubites an satisfeceris. 7
Quid si dubites an sonuerit 12. hora noctis vt possis cœnare, vel carnes comedere? sub distinctione respondetur. ibid.6
Dubitans an expleuerit 21. annum, ieiunio non tenetur. 31.7
Dubius an comederis,vel biberis post 12.horam noctis, communicare non potest, secundùm probabiliorem sententiam. 9
Dubius an obligatus sit recitare ob tenuitatem beneficij,tenetur recitare. 11
Excusatus es à voto, promissione & iuramento, si dubius es an ea emiseris. 32.2.& 3
Si dubius fueris de intentione, non es excusatus. 33.4
Dubius, an cum ambiguitate iuraueris, eo quòd metu extortum tibi sit iuramentum, non te obligat. 6
Dubius an expleueris septennium, non est certum te obligatum esse iudicare expleuisse. ibid.3
Dubius an fueris perfectè liber ad votum, iuramentum & promissionem, credere potes non fuisse. 34.7
Dubius de materia voti, iuramenti, aut promissionis, an licita sit, teneris si superior consuli potest. Secus si consuli non potest, & vrgeat tempus promissionem exequendi. 35.1.& 2

Duellum.

Duellum quid sit,expenduntúrque causæ, ob quas honestari possit. 655.4
Ostentare vires, & voluptatem spectantibus causare insufficiens causa est. 5
Veritatem aliquam duello firmare non solùm illicitum,sed superstitiosum est. 6
Vindicatio propriæ iniuriæ illicita est per duellum. 656.7
Defensio honoris proprij, quem videris amittere, si oblatum respuis, non est censenda sufficiens causa honestandi duellum. 8

Si

Si aliquis tibi minatur mortem, vel grauem iacturam honoris, vel diuitiarum, nisi duellum acceptes, acceptare illud potes. 9
Excipe, nisi cum aliquo innocente procuret, vt pugnes. 10
Ad euitandam mortem, ad quam es condemnatus, an licitè possis duellum acceptare? tenent aliqui, & quibus defendant. 11
Sed contrarium dicendum est. 12
Si mineris de iniusta accusatione, nisi duellum acceptes cum accusatore, poteris acceptare. 657. 13
In defensionem diuini honoris aliquando admitti potest duellum. 14
Ob terminandum bellum licet admittere duellum ex parte iusti bellantis. 15
Licitum est in hoc casu obligare milites, ne pugnantibus succurrant. 16
Enumerantur pœnæ impositæ duellantibus absque causa legitima. 17
Non prohibetur sub censura quælibet pugna, sed pugna ex condicto loco, & tempore determinato. 18
Excommunicatio, quam duellantes incurrunt, est reseruata virtute Trident. Absolui potest ab Episcopo, si occultum sit duellum virtute Cruciatæ, etiamsi publicum sit semel in vita, & semel in morte. 19
Quæ causæ excusent Principem ab hac excommunicatione incurrenda, ex eo quòd duellum permittat. 20
Reliquę pœnæ præter excommunicationem, suspensionem, & interdictum, indigent declaratione iudicis, vt incurrantur. 21

E

Ecclesia.

Ecclesia variis modis sumitur. 329.1
Illius membra non sunt propriè catechumeni, bene tamen hæretici, excommunicati, & peccatores. 2
Ecclesiæ proprietates sunt septem, & explicantur. 330.3
Sola congregatio fidelium Romano Pontifici obediens est vera Ecclesia. 4
in Ecclesia necessariò constituenda est regula infallibilis veritatis. 331.1
Hæc regula non est sola sacra Scriptura. 2
Hæc regula in nullo alio præter Romanum Pontificem residet. 4

Electio.

Electio an facta ex metu, si sit maioris mali, vt minus vitetur, cadat in virum constantem? 46.3
Electio minoris mali comparatione maioris peccatum est non aduersùs electionem, sed aduersùs illam virtutem, qua cum pugnat malum electum. 101.4
Qui maius malum eligeret relicto muneri, aduersùs illam virtutem peccaret, aduersùs quam est malum electum. 5
Remanente vno Cardinali in conclaui aliis decedentibus, probabilius est non posse Pontificem ab eo eligi. 153.20

Eleemosyna.

Eleemosyna quid sit, & à qua virtute procedat. 592.1
Duplex est beneficentia, corporalis, & spiritualis, & vtraque explicatur. 2
Oligatio dandi eleemosynam est quando proximus patitur necessitatem aliàs non subleuandam. 593.4
In extrema necessitate, ex necessariis statui, & superfluis naturæ teneris proximo subuenire. 5
Satis est probabile ex necessariis statui non esse obligationem subueniendi proximo extremam necessitatem patienti. 6
Non es obligatus magnas diuitias pro redimenda vita particularis proximi expendere. 7
Pro salute proximi non es obligatus Medicos à longè vocare, & medicinas exquisitas afferre. 594.8
Condemnato iustè ad mortem non teneris subuenire, tametsi facilè possis. 9
Extra extremam necessitatem aliqui negant te esse obligatum eleemosynam facere. 10
Sed non admittitur. 12. & seqq.
In communi necessitate pauperum aliquando obligaris eleemosynam facere de superfluis. 595.15
Eleemosyna in propellenda proximi necessitate, eiúsque miseria subleuanda sita est. 16
In casibus in quibus obligatus eleemosynam facere, teneris solùm ex charitate. 596.2
Si proximus indiget non re, sed vsu, sufficit, si vsum dones, tametsi non rem. ibid. 1
Si proximus indigens habeat alibi bona, satisfacis mutuando, vel vendendo. 2
Extremè indigenti probabilius est te obligatum esse donare. 597.5
Idem est dicendum de patiente grauem necessitatem. 6
Cùm obligaris mutuare, non potes lucrum cessans deducere in pactum. 7
Omittens dare eleemosynam cùm ex charitate tenetur, non tenetur ad damna. 598.8
Si Ecclesiasticus es, in omnibus casibus, in quibus laicus obligatur, obligatus manes. ibid. 1. & seq.
Ex bonis patrimonialibus, aut quasi, non alio titulo obligantur clerici eleemosynam facere, quàm laici. 3
Clericus ex patrimonialibus bonis in sui sustentationem insumens, potest ex redditibus sui beneficij tantundem in vsus, quos voluerit expendere. 4
Idem est, si parcè euendo in sui sustentationem minus insumat, quàm insumere possit. 5
Beneficiati tenentur ex redditibus beneficij, quæ sibi supersunt, in eleemosynam, vel pia opera expendere, sub obligatione peccati mortalis. 6
Quæ sit grauis quantitas, quam expendere beneficiatus in vsus profanos, peccatum mortale constituat. 599.7
Quæ reputentur debita cuilibet beneficiato pro congrua eius sustentatione. 8
Pro qualitate beneficij maior, vel minor quantitas assignanda est beneficiato pro congrua eius sustentatione. 9
Quo clericus est nobilior, & doctior, eo plus assignandum est pro congrua eius sustentatione: tametsi aliqui contrà sentiant. 600.10
Non sunt facilè beneficiati condemnandi, si donent consanguineis. 11
Beneficiatus non est obligatus ex iustitia expendere in eleemosynam quæ sibi supersunt, sed ex charitate. 601.4. & 5
Idem est de clerico pensionario. 602. p.7. per totum.

Qualiter religiosus obligetur eleemosynam facere, si beneficiatus, vel Episcopus sit. ibid. p. 8. per totum.

Eleemosyna facienda est ex propriis in casu grauis, & extremæ necessitatis, ex alienis quando patiens necessitatem habet ius surripiendi. 606.1

Quid dicendum de bonis à communitate possessis: qua ratione de illis facienda sit eleemosyna ab hominibus illius communitatis. 2

Quid de illicitè & turpiter acquisitis. 3

Eleemosynam non potest facere seruus mancipium, nisi ex consensu domini. 607.2

Censetur tamen dominus consentire, si ibi ex assignatis ad sustentationem subtrahat, vt expendat. 2.& 3

Idem dicitur de famulis. 4

Prodigus magnam eleemosynam facere non potest, bene paruam, & suo statui conuenientem. 5

Minor & pupillus similiter absque curatoris, vel tutoris consensu non possunt magnam eleemosynam facere. At si faciant, factum tenet, quousque repetatur. 6

Tutores & curatores ex bonis illorum, quorum habent curam, moderatas eleemosynas facere possunt. 7

Filius familias, etiamsi pubes sit, ex bonis profectitiis, aut aduentitiis non potest facere eleemosynam, nisi quatenus dominus, pater præsumitur consensurus: secus de bonis castrensibus. 608.8

Religiosus superior eleemosynam facere potest ex bonis quæ decenti sustentationi religiosorum supersunt. Alij verò religiosi solùm ex præsumpto superioris consensu. 9

Vxor de bonis propriis eleemosynam facere potest. 10

Secus de dote, & de bonis communibus absque mariti consensu. 11

Sed non procedit in eleemosynis paruis, & quas aliæ fœminæ suæ qualitatis facere solent. 12

Item cùm maritus est amens, vel absens. 13

Deinde cùm fit eleemosyna ad auertendum malum, vel impetrandum bonum, sed prudenter est concedendum. 14

Item cùm maritus bona dissipat. 609.15

Tandem non procedit, cùm parentes, vel filij ex priori matrimonio indigeant. 16

Debet vxor computare in sua parte dissoluto matrimonio quæ sic dedit. 17

Succurrere indigēti eleemosyna cōsistente in actionibus necessariis quilibet potest. 18

De quibus bonis quilibet disponere possit, si habet ascendentes, vel descendentes. 19

Eleemosynas moderatas non tenetur quis computare in quinta, vel tertia parte bonorum, secus excedentes. 20

Eleemosyna facienda est indigenti, modò non foueat eius iniquitatem. ibid.1

Vagabundis non est facienda, nisi grauiter indigeant. 2

Ficto pauperi nulla est eleemosyna, sed recipiens tenetur vel domino, vel veris pauperibus reddere. 610.3.& seqq.

Quibus distribuenda sit eleemosyna, cùm à testatore mandatum est in pauperes distribui, & quid de filio spurio testatoris. 8

Vni tantùm non potest integra eleemosyna distribuenda in pauperes concedi. 9

Item neque aliis assignatis. ibid.

Executor potest suis consanguineis pauperibus eleemosynam in pauperes concedere fraude cessante. 611.10

Eleemosynarum quæstores qui sint, & quæ illis sint prohibita. ibid.1

Religiosi mendicantes non possunt ab ordinariis impediri, ne pro suis conuentibus eleemosynam petant. 3

Si nulla mercede accepta, neque indulgentiis publicatis eleemosynam petas in fauorem alicuius pij operis, non indiges licentia ordinarij. 4

Ipse ordinarius potest sibi hanc petitionem prohibere, quousque constet nullum periculum subesse. 612.5

Episcopus non potest licentiam postulandi concedere, si ex postulatione quæstum sibi quærat postulans, vel indulgentias postulat. Secus si probatæ vitæ sit, neque signa quæstoris gerit. 6

Quid in Lusitania, & Castellæ regno sancitum sit de his quæstoribus. 7

Episcopus in eleemosynarum quæstores, esto exemptos, animaduertere potest. 8

Emphyteusis.

Emphyteusis quid sit, & qua ratione amitti possit. 443. p.8. per totum.

Emptor.

Emptor bonæ fidei diceris, cùm nulla ratio conuincens se sibi offert, rem emptam esse furtiuam. 25.5

Si rem furtiuam emas, vt domino reddas, non peccas. 4

Epykeia.

Epiikeia quid sit, & an detur in casu dubio. 30.1

Non licet vti Epiikeiia in casu dubio, si consuli potest superior. 2

Quando turpior consuli non potest, affirmant aliqui. 3

Seruanda tamen est lex. 4

Epiikeia licet vti non solùm in casu, in quo obseruantia legis iniqua esset, sed etiam iniqua esset difficultas. 274.3

Causa in hac interpretatione debet esse ad minus probabilis. 4

Excommunicatio.

Excommunicatio lata aduersùs colloquentes cum monialibus ligat beneficiarios, tametsi monasteria extra diœcesim existant. Defenditur vt probabile. 167.17

Excommunicans nulliter, non contrahit pœnam suspensionis c.1.de sent.excommun.in 6. 186.3

Excommunicatus extra causam fidei, si in excommunicatione per annum perseuerat, habetur pro confesso, & potest condemnari. 410.2

Debet tamen annus computari non à die incursæ excommunicationis, sed à die declarationis. Item debet esse continuus, & toto illo tempore cum potestate comparendi. 3

Potes nihilominus probare innocentiam. 4

Hic excommunicatus extra causam fidei sic perseuerans est de hæresi suspectus. 5

Suspicio hæc esto leuis sit, sufficit ad indicendam purgationem. 411.6

Excommunicati ob causam fidei, qui dicantur. 7

Supradictus si per annum in excommunicatione insorduerit, tanquam hæreticus est damnandus. 8

Iudicis arbitrio relinquitur, quanto tempore expectare debeat post annum, vt sic hæreticum condemnet. 9

Quid si elapso anno contumaciæ comparet? Explicatur in quo debeat condemnari. 10

Quid si ante anni lapsum. 11

Festum.

F

Festum.

die FEsto laborans pluries, tametsi singulis vicibus, parum violare potest festum. 88.7
Non tamen si est causa, vt plures parum singuli laborent. 8

Feudum.

Feudum quid sit, & qua ratione amittatur. 446.p.9. per totum.

Fideiussor.

Fideiussor delinquentis tenetur satisfacere creditoribus casu quo fiscus non satisfecerit. 484.16

Fidelis.

Non licet fideli cum infidelibus communicare in ritibus,& superstitioso cultu. 383.1
Non licet Catholico infidelem admittere ad sacramentorum receptionem. 2
Si infideli imminet peruersionis periculum,iure naturæ prohibita est communicatio. 3
Iure Ecclesiastico prohibitum est fideli admittere non baptizatum ad sacrificium Missæ, bene tamen ad orationem. 4
Fidelis tenetur vitare hæreticum denuntiatum in quacumque communicatione non necessaria. 5
Enumerantur casus, in quibus videtur communicatio fidelis cùm infideli prohibita. 384.6
Familiaritas cum Iudæis de se periculosa prohibetur. 7
Alij casus solùm prohibentur, cùm iure naturæ prohibitio accedit. Excipe vnum,vel alterum. 8
Esus azymorum prohibetur, si fiat ritu Iudaico, & non aliter. 9
Non licet Iudæum, vel Sarracenum ad medendum vocare,nisi vrgente causa. 10
Item neque medicinas ab ipso applicatas recipere. 11
Ingressus in balneum cum Iudæo,qua ratione prohibeatur. 12
Quid de conuiuiis. 13
Nutrire filios Iudæorum extra illorum domus non videtur prohibitum. 385.14
Quid de famulatu. 15
Non licet Christiano Iudæos hæredes, vel legatarios facere. 16
Quando sit peccatum mortale in supradictis casibus communicatio. 386.17
Supradictæ prohibitiones de solis Iudæis intelliguntur,& vt probabilius defenditur. 18
Quis possit in supradictorum casuum communicatione dispensare. 19

Fides.

Fidei nomen multipliciter vsurpatur. 324.1
Declaratur propria fidei acceptio,eiúsque definitio. 2
Fidei obiectum formale est Deus reuelans. 325.1
Propositio Ecclesiæ ad fidem requiritur. 3
Explicatur quid sit hæc propositio, & quomodo ad obiectum formale fidei non pertineat, tametsi conditio illius sit. 4
Reuelatio diuina omnimodam habet certitudinem. 326.1.& 3
Nunquam Deus potest alicui falsum manifestare. 2
Fidei obiectum materiale debet esse non visum. 327.1
Stante cognitione euidenti de aliquo obiecto plures censent non posse illius dari fidem. 2
Probabilius est oppositum. 3
Est euidenter credibile. ibid.1
Non est necessarium vt quis fide diuina credat cognoscere euidenter fidei credibilitatem. 328.3
Fidei obiectum nullum aliud est præter contentum in Symbolo Apostolorum,sacris litteris, & Apostolicis traditionibus. ibid.1
Nulla veritas credenda proponitur fidelibus necessaria ad salutem,quæ Apostolis incognita fuerit. 429.3
Fides residet potentiæ intellectiuæ, & est habitus practicus,& speculatiuus. 343.1
Fides alia est perfecta, alia imperfecta: alia viua, alia mortua. 2
ad Fidei assensum aliquis habitus in voluntate requiritur. 3
In Angelis,& primis nostris parentibus resedit fides Dei vnius,& trini. 4
In damnatis nulla est supernaturalis fides. 6
In beatis neque quoad actum,neque quoad habitum fides residet. 344.7
Secus in animabus Purgatorij. 8
In hæreticis non manet fides. 9
Fidei actus expostulat iudicium intellectus de euidentia credibilitatis rerum fidei. ibid.1
Ex parte voluntatis prærequirit piam affectionem.2
Explicatur ad quam virtutem supradicti actus pertineant. 3
Fidei actus non solùm est supernaturalis quoad modum,sed etiam in sua substantia. 345.4
Si fiat à peccatore est meritorius de congruo, si ab homine iusto,de condigno. 5
Fides initium est nostræ salutis. 6
Fides in habitu, siue in actu omnibus est necessaria ad salutem,necessitate medij. ibid.2
Diuersimodè adultis,& paruulis est fides necessaria. 346.3
Proponitur obiectio de nutrito in siluis,& fit illi satis. 4
Fidem actualem aliquorum mysteriorum debet quis habere. ibid.1
Ante promulgationem Euangelij necessaria,& sufficiens erat fides explicita de Deo, & implicita Christi mediatoris. 2
In quo implicita Christi cognitio consistat. 347.3
Facta promulgatione Euangelij explicita notitia Trinitatis,& Christi necessaria est ad salutem,necessitate præcepti,non tamen medij, vt probabilius defenditur. 4.& seqq.
Quæ in Symbolo Apostolorum continentur, quilibet Christianus obligatus est ex præcepto explicitè credere. 348.1.& 3
Explicatur quæ notitia horum sufficiat. 349.5
Quid de sacramentis, de operibus misericordiæ, de præceptis Decalogi,& Ecclesiæ. 350 & seqq.
Quæ scientia in Prælatis & pastoribus debeat esse horum mysteriorum fidei. 351.11
Fidei supradicta mysteria tenetur fidelis addiscere,cùm primùm vsum rationis habet. ibid.1
Ab illo tempore tenentur parochi parentes, domini sibi subditos docere. 2
Potest Episcopus obligare supradictos, vt suo muneri satisfaciant, sub excommunicationis pœna. 352.3
Posítne dari ignorantia inuincibilis horum mysteriorum. 4.& seqq.
Qualiter cum ignorante se debeat gerere Confessarius. 7
Fidei actum obligatur quis aliquando exercere. 353.1.& seqq.

In

In primis infideles obligantur, cùm illis fides sufficienter proponitur. 354.4
Fideles cùm rationis vsum attingunt, illisque sufficienter mysteria fidei proponuntur. 5
Nullus infidelis tenetur præbere auditum cuilibet prædicanti. 7
Neque tenetur ei assensum præbere, quousque probet fidem quam prædicat, esse euidenter credibilem. 355.8
Quilibet infidelis, Maurus & hæreticus dubius, an securè procedat, tenetur inuestigare veritatem, alioquin culpæ reus est. 9
Non omnibus fidelibus æqualis propositio sufficit ad credendum. 10
Quæ propositio sufficiat infidelibus, & quæ fidelibus ad credendum. 11.& seqq.
Fidei externæ confessionis duplex est præceptum, aliud negatiuum, aliud positiuum. 356.1
Præceptum negatiuum semper obligat. 2
Distinguitur duplex negatio, directa & indirecta. 3
Sæpe negare te esse Christianum, clericum, religiosum pro negatione nationis vsurpatur. 4
Præceptum affirmatiuum fidei aliquando obligat. 5
Obligat te infidelem, cùm fides tibi sufficienter proponitur. 357.6
Item obligat, cùm talis confessio est necessaria ad defensionem fidei. 7
Item cùm necessaria est, vt aliqui in fidei confessione perseuerent. 8
Extra supradictos casus non apparet, quando obliget confessionis fidei præceptum positiuum. 9
Si generaliter de fide examineris, non teneris semper illam fateri, sed aliquando. ibid.2
Si in particulari rogeris, non licet tibi negare, neque cum æquiuocatione respondere, ita vt appareas fidei negator. 358.3
Secus si responsionem declinare potes, quin negator appareas. 4
Non est negatio fidei fugere tyrannum. ibid. p.15. per totum.
Nullo modo vti licet verbis, & factis, quæ spectatis circunstantiis nullam aliam significationem habent præter cultum falsæ religionis. 359.3
Potes vti vestibus, & signis propriis infidelium, vel hæreticorum, vt fidem occultes, cùm non vergit præceptum fidei confitendæ. 361.2
Sed non licet vti vestibus, & signis institutis ad falsæ religionis professionem. 3,6,7,8
Cibis vetitis transiens per terras infidelium vti potes: si absque graui iactura eos respuere non possis. 362.9
Licet tibi templa Gentilium, vel hæreticorum ingredi, ob cuiusdam obsequij ciuilis exercitium. Secus in signum falsi cultus. 10.& 11
Concionibus hæreticorum assistere licet, si causa vrgeat, qualis non est sola curiositas. 363.12
Vbi Princeps generaliter imperat omnes assistere in cultum falsæ sectæ, vt in Anglia, nequaquam licitum est. 13
Non licet Eucharistiam de manu hæretici accipere, neque matrimonium coram illo ex præscripto Regis celebrare. 14
Conuiuiis nuptialibus licet assistere, & contrahentibus bone precari. 16
Omittere signum ex præscripto Regis impositum ad significandum te fidelem esse licet tibi. ibid.2
Fidei professionem facere obligat aliquos Trident. 364.p.19
Obligat, inquam, præuisos de beneficiis curam animarum habentes. 365.3
Item canonicos, & dignitates Ecclesiarum cathedralium. 4
Item Prælatos regulares quorumcunque ordinum, tametsi ex consuetudine in aliquibus religionibus excusentur. 5
Item docentes artes liberales. 6
Si obtento canonicatu, vel beneficio professionem feceris, aliqui te excusant à professione facienda, si similem canonicatum, vel beneficium obtineas. Probabilius est oppositum. 7
Vnica fidei professione pluribus titulis satisfacere potes. 8
Qui modus seruandus sit in professione facienda. 366.9
Fierine possit per procuratorem, affirmatur vt probabilius. 10
Limitatur doctrina à Sanch. in Episcopis, sed non videtur approbanda. 11
Afferenti se fidei professionem fecisse credendum est. 12
Ex bulla Pij IV. & V. variæ sunt pœnæ impositæ omittentibus fidei professionem. Sed non videntur receptæ. 13
Tridentinum imponit priuationem fructuum, & possessionem beneficij decernit non suffragari. 14
Explicatur quid sit possessionē non suffragari. 367.15
Nulla expectata sententia tenetur sic omittens fructus restituere, secundùm probabilem sententiam. Probabilius est requiri sententiam declaratoriam criminis. 16
Intelligitur, si culpabiliter omiseris fidei professionem. 17
Sub nomine fructuum in hac pœna non veniunt distributiones quotidianæ, neque anniuersaria. 18
Quibus sit facienda fructuum restitutio. 19

Filius.

Filius in casu dubio legitimus est reputandus. 26.1
Prætendens ordines, aut beneficium, reputandus est legitimus, dum de contrario non fuerit infamatus. 4
Filius viduæ, quæ à contracto matrimonio peperit, reputandus est esse filius mariti, qui actualiter in possessione matrimonij est. 27.7
Ille est filius legitimus, qui nascitur ex vxore in domo mariti cohabitantibus simul. 8
Ex tractatu parentum sumitur sufficiens signum ad reputandum filium legitimum. 9
Qua ratione nominatio constituat sufficiens signum reputandi filium legitimum. 10
Fama aliis coniecturis fulcita est signum legitimationis. 11
Institutio illius tanquam filij facta à patre significat esse eius filium. 12
Si vna coniectura non præbet sufficientem probationem, aliis adiunctis probari potest. 13
Quibus modis exeat filius à patria potestate. 448.4
Filij & nepotes hæreticorum nulla pœna corporali ob delictum parentum afficiuntur. 498.1
Non priuantur bonis propriis, neque potestate succedendi in maioratu. 2
Non successione auorum, aliorúmque consanguineorum. 499.3
Bonis parentis hæretici omnino priuantur. 4
Excipe iure naturæ debita alimenta. 5
Contrahunt irregularitatem. 6
& inhabilitatem ad Ecclesiastica beneficia, & pensiones. 7
Item ad officia publica. 8
Extendunt aliqui hanc pœnam ad beneficia acquisita antequam pater declaretur hæreticus. Sed non admittitur extensio. 9

Pœnam

Pœnam infamiæ non contrahunt, tametsi aliqui consentiant. 500.10
Filij hæretici in contumaciam damnati non contrahunt has pœnas. 12
Filij siue ante, siue post commissum delictum, contrahant ne pœnas illis proprias? Variè examinatur, & sub distinctione respondetur. 14.& seqq.
Filij parentis committentis crimen læsæ maiestatis humanæ priuantur successione parentis, & aliorum extraneorum. 503.1
Filiæ obtinent legitimam in bonis maternis. 504.2
Non priuantur filij donatione inter viuos. 3
Bene tamen donatione causa mortis. 4
Contrahunt infamiam filij, sed non filiæ. 5
Sub iis pœnis comprehenduntur filij emancipati, spurij post delictum parentum geniti, non antea. 6
Non comprehenduntur clerici, neque nepotes. 505.7
Filiæ satis dubium est, an comprehendantur. 8
Plures Doctores censent supradictas pœnas consuetudine abrogatas esse. 9
Casu tamen quo contrahuntur, debet crimen esse aduersùs Imperatorem, Regem, aut eius lateri assistentem. 10

Fiscus.

Fiscus vendicat rem cum augmento illi coniuncto, solutis expensis: secus cum augmento separato. 473.8
Quid de fructibus perceptis. 9
Quando censeatur possessor fructus mala fide consumere, vt possit fiscus eos vindicare. 10
Nullo modo potest fiscus vindicare fructus, qui ex re percipi potuerunt. 11
Excipe, nisi possessor in iusto titulo rem à delinquente accepisset. 474.12
Qualiter fiscus reuocet alienationes factas in sui fraudem. ibid.p.21.per totum.
Tenetur satisfacere omnia debita delinquentis contracta ante delictum, si publicet eius bona. 482.1
Si publicet partem, pro parte tenetur. 2
Fisco incumbit onus probandi debita contracta esse post delicta. 4
Satisfacere debet creditoribus, quos constat tales esse facta summaria informatione. 5
Debet satisfacere pro viribus bonorum confiscatorum, & non vltrà, tametsi non confecerit inuentarium. 6
Item debet satisfacere ex bonis confiscatis, & incorporatis, non ex bonis postea confiscandis. 7
Item ex bonis sitis in illo territorio, vbi adsunt creditores. 8
Debet item satisfacere prius fiscus, quàm fideiussor delinquentis. 9
Fiscus conueniri potest via executiua, si delinquens eadem conueniri poterat. 483.10
Fiscus prius creditoribus, quàm sibi pro expensis factis satisfacere debet. 11

Forma.

Forma quid sit, & quotuplex. Alia est substantialis, alia accidentalis. 181.1
Quomodo cognoscatur, an sit substantialis, vel accidentalis. 2
Non est substantialis, cùm datur potestas, & præcipitur apponi, quod de iure inest. 182.3
Hinc Episcopus excommunicatus non seruata forma præscripta cap.1.de sent.excomm.in 6. validè, esto illicitè excommunicat. 4
Processus factus omisso iuramento valet. 5
Item habenti potestatem audiendi confessiones, si superior præcipiat, ne audiat fœminarum, valet confessio, esto illicitè faciat. 6
Quid cùm committitur tibi facultas, vt facias actum ex consilio peritorum, & omittis consilium. 7
Quid si statutum mandet fieri actum certo loco, & tempore. 8
In casu dubio, sitne forma substantialis, vel accidentalis, substantialis debet præsumi. 9
Omissio leuis formæ substantialis reddit actum nullum. 185.2
Ad vnguem est forma seruanda. 186.3

Fuga.

Fugere tyrannum in Christianos sæuientem, ne te de fide examinet, licitum est. 358.1
Aliquando licitum est non fugere, tametsi periculum vitæ immineat. 2
Regulariter obligaris te occultare, & dissimulare, & quando hoc contingat. 3
Pastor & Prælatus fugere potest, si ouibus satis prouisum non sit. Secus si illius præsentia grauiter oues indigeant. 5

Furtum.

Furtum non committit extremam necessitatem patiens, & aliena surripiens. 603.1.& seqq.

H

Hæresis, & Hæreticus.

HÆresis quid sit. 394.1
Quælibet ignorantia excusat ab hæresi, iure Ecclesiastico punita. 3.& 4
In foro externo allegans ignorantiam non creditur. 395.5
Si moneatur quis ab Episcopo, Inquisitore, alióque viro docto de suo errore, reputandus est in foro externo, & interno hæreticus. 6
Qua ratione protestatio fidei excuset ab hæresi. 396.7
Dubitans in fide hæreticus est. 9.& 10
Circa obiectum fidei sufficienter propositum non potest esse opinio. 11
Hæreticus est dissentiens speciali reuelationi sufficienter propositæ. 397.14
Examinatur, an incidat in pœnas hæreticis positas. 15
Dissentiens à fide verbo, vel facto, sed mente illam retinens, non incidit in pœnas hæreticorum, neque est propriè hæreticus. 16
In foro externo alleganti hanc fictionem non creditur. 17
Negans propositionem theologicam hæreticus præsumitur. 398.19
Ad committendam hæresim non requiritur Baptismus, bene tamen ad hæresim ab Ecclesia punibilem. 20
Hæresis interiùs tantùm consummata pœnis Ecclesiæ non subiicitur, vt probabilius defenditur. ibid.1
Quibus in casibus non est censendus quis hæreticus exterior. 399.4
Hæreticus alius est affirmatiuus, alius negatiuus. 5
Hæreticus credens qui reputetur. 404.1
An bis audiens concionem hæretici condemnandus sit, vt illi credas: distinctione resoluitur. 3

Item

Item receptator, defensor. 405.4.& seqq.
Omittens denuntiare, vel capere hæreticum, cùm ex officio non tenetur, non dicitur fautor. Secus si ex officio, vel mandato Inquisitorum teneatur. 7
Non desunt qui existiment te fautorem hæretici non esse, esto foueas, si tamen non foueas animo fouendi hæresi. 406.8
Contrarium est probabilius, modò auxilium cedat in hæresis fauorem. 9
Quid si auxilium hæretico præstitisti, vt à iustitia liberares, & non obtinuisti? adhuc censendus es fautor hæretici in probabili sententia. 10
Probabilius est oppositum. 11
An sufficiat fauere hæretico præsumpto, vt fautor hæretici dicaris. 12
Excusátne à fautoria esse consanguineum, vel affinem hæreticum cui fauet. 13
Hæreticorum fautores quibus pœnis afficiantur. 407.1
An illas incurrant, antequam notati sint, & in excommunicatione per annum insorduerint. 2
Fautor hæreticorum contrahit suspicionem hæresis pro qualitate fautoriæ. 3
Arbitrio iudicis est puniendus. 4
Episcopus negligens in puniendis hæreticis, vt fautor illorum est puniendus. 408.5
Ciuitates Episcopali dignitate sunt priuandæ. 6
Domini temporales requisiti, si per annum negligentes fuerint, priuantur dominio, & aliis committitur. 7
Hæretici afficiuntur excommunicationis pœna. ibid.1
Hæc excommunicatio non constituit hæreticum vitandum, quousque denuntiatus sit. 2
Quid si declarares aliquem esse hæreticum, an eo ipso vitandus sit? 3.& seqq.
Hæreticus absolutus in foro conscientiæ non excusatur subire iudicium fori externi. 410.3
Hæreticus priuatur officiis, & muneribus sacris. Item Ecclesiastica sepultura, si notorius sit. 426.1
Non solum publicus hæreticus, sed occultus est irregularis. 427.2
Ab hac irregularitate ex delicto occulto proueniente probabilius est Episcopum absoluere posse. 3
Hæreticus item est infamis, si eius delictum notorium sit notorietate facti, vel iuris. 4
Item hæreticus inhabilis est ad beneficia publica. ibid.1
ab Hæresi absolutus, & Ecclesiæ reconciliatus, si publicum fuit delictum, nequit beneficia Ecclesiastica obtinere, nisi in irregularitate dispensetur. Si occultum fuit delictum, probabile est non fuisse impeditum. 2
Beneficiis ritè obtentis plures Doctores affirmant non esse priuatum ipso iure, sed venire priuandum. 3
Probabilius est oppositum. 428.4
Requiritur tamen sententia declaratoria criminis. 5
Huius priuationis expenditur multiplex effectus. 429.6
Sed quid si ex toto corde hæreticus conuertatur? Proponuntur variæ sententiæ non esse beneficiis priuandum. 7
Quid sentiendum sit. 430.8
Priuatur hæreticus aliis officiis, & publicis muneribus. 9
Qua ratione pœna confiscationis bonorum afficiatur hæreticus. ibid.tota disp.5.
Vide v. *Confiscatio.*
Spectato iuris rigore nunquam hæreticus hanc pœnam vitare potest. 481.1
Ex misericordia remitti potest, si antequam denuntiatus, vel accusatus sit, pœniteat. 2
Secus verò dicendum existimo, si post publicata dicta testium misericordiam expostulet. 3
Facta confiscatione liberatur hæreticus à satisfactione exhibenda creditoribus, tametsi ad pinguiorem fortunam deueniat. 483.12
At si confiscatio non fuit omnium bonorum, sed partis, pro illa parte tenetur hæreticus satisfacere. 13
Si ex gratia Principis reddita sunt bona delinquenti, tenetur satisfacere creditoribus. 484.15
Hæreticis sunt aliæ pœnæ præter confiscationem impositæ. ibid.p.16
Est enim pœna imposita incapacitatis testandi, sed non est testamentum nullum, sed annullandum. 1
Secundò priuatur hæreticus successione ex testamento, vel ab intestato. 485.2
Hæreticus durante hæresi, restituere debet hæreditatem hæredibus ab intestato, ex communi sententia, quæ difficultatem habet. 5.& seqq.
Hæreticus Ecclesiæ reconciliatus capax est hæreditatis, & legati. 486.7
Bene potest hæreticus hæreditatem repudiare. 8
Legato alimentorum capax est hæreticus, quia non publicatur. 9
Communis sententia tenet eandem incapacitatem habere hæreticum respectu donationis, vt habet respectu legati. 10
Spectato iuris rigore contrarium est probabilius. 487.11
Tertiò punitur hæreticus, vt eius filij eximantur à patria potestate. 12
Non potest filio impuberi pupillariter substituere. 13
Neque obligatus est filius parenti hæretico alimenta præbere extra extremam necessitatem. 14
Hæreticorum fautores hac pœna non afficiuntur. 15
Quartò punitur hæreticus priuatione domini in seruos, sed non habet locum hæc pœna ante sententiam declaratoriam criminis. 16
Quintò punitur amissione cuiuslibet iuris, & obligationis, sed requiritur sententia declaratoria criminis. 488.19.& 20
Debitores verò non eximuntur à debiti obligatione, sed transit in fiscum. 21
Sextò hæretico seruanda non est fides, neque securitas promissa subintelligitur à priuata persona, non publica. 22
Septimò destruitur eius domus, in qua conuenticula fecit, vel se occultauit. 489.23
Rursus hæreticis pœna carceris imponitur. ibid.1
Hanc pœnam potest Episcopus cum Inquisitoribus mitigare. 2
Qualis debet esse carcer, ad quem hæreticus condemnetur. 3
Post condemnationem mitigatio pœnæ penes solum Inquisitorem generalem in Hispania residet. 490.4
Hæreticis item imponi potest pœna mortis. ibid.2
De facto imponitur hæreticis impœnitentibus, & pertinacibus. 3
Item hæreticis negatiuis, hoc est, fictione iuris impœnitentibus. 4
Item diminuto confitenti. 491.5
Item si in iudicio manifestet errores, & postea neget. 6
Deinde si sit relapsus. 7
Quis sit relapsus explicatur. 492.8
Hæreticis relapsis danda sunt sacramenta. 493.14
Hæresiarchæ tradendi sunt brachio sæculari, qui probent. 16
Probabilius est spectato iuris rigore oppositum. 17
Hæretici conuersi ante sententiam debent ad reconciliationem admitti. 494.18
Si post sententiam conuertuntur, admittendi non sunt. 19

Quid

Quid de illo, qui iam in tabulatu sperans audire sententiam conuertitur. 20
Hæreticis, item pœnitentibus, in signum delicti commissi, & pœnitētiam acceptam saccus benedictus imponitur. ibid. 1
Hæreticus pœnitentiam implere omittens, non debet vt relapsus condemnari. 3
Hæreticus si fassus sit hæresim, ex illa confessione condemnari potest. 550. 1
Debet tamen confessio esse specialis, quæ specialem hæresim declaret. 2
Si reuocet confessionem incontinenti, vel probet ex errore fassum esse, valida est reuocatio. 3
Reuocatio non incontinenti facta, neque errore probato, non excusat, esto alij contrà sentiant. 4
Hæreticus obligatus est veritatem fateri, cùm à iudicibus fidei interrogatur. 551. 1
Si testibus contestibus conuictus est, & ob hanc causam morti damnatur, tenetur crimen fateri, esto ex tali confessione mortem non euitet. 2
Crimen falsò impositum posśitne fateri? Examinatur, & decisio Doctoribus remittitur. 3
An ob vitanda grauia tormenta possit quis crimen fateri falsò impositum? Proponitur dubitandi ratio. 4
Approbatur, vnico casu excepto. 5
Hæreticus absens contumax qua ratione cauendus sit. 552. 1
Ad huius defensionem admittitur excusator. 2
Quæ bona huius absentis sequestrantur. 3
De reo mortuo intra annum, neque eius delictum plenè probatum, sistit iudicium, neque vlteriùs ad condemnationem proceditur. 4
Hæreticus defunctus damnari potest. ibid. 1
Vt defunctus hæreticus damnetur, debent adesse claræ, & dilucidæ probationes. 2
Quæ sint huius claræ probationes. 3
Pendente processu, si moriatur reus, memoria non damnatur, nisi adsint claræ probationes. 4
Si in excommunicatione ob causam fidei per annum insordescit, puniri potest. 553. 5
Aduersùs fautores hæreticorum non proceditur post mortem. 6
Ad condemnationem defuncti hęretici citari debent filij, & hæredes. 7
Non tenentur hi comparere per se, sufficit si per procuratorem. 8
Quilibet volens defendere defunctum hæreticum admittitur. 9
Facto processu reus absoluendus est, vel condemnandus, neque causa haberi potest in pendenti. 10
Posśitne procedi aduersùs hæreticum defunctum, esto dilucidè non sit eius hæresis probata? Affirmatiuè respondetur. 11
Dum causa agitur, bona non sunt sequestranda à tertiis possessoribus. 12
Firmato processu, & hæresi plenè probata damnandus est, & eius bona fisco applicanda. 13
Si tamen non probatur delictum, neque speratur breui probandum, absoluendus est reus. 14
Si hæreticus in extremis pœnitentiam expostulauit, nunquam est damnandus. 554. 15
Quo tempore præscribatur, ne contra defunctum procedi possit? Probabilius est quadriennio præscribi. 16

I

Iactantia.

Iactantia si sit de obiecto malo peccatum est. 99. 1
Si de dexteris, aliisque circumstantiis peccati extrinsecis iactatis, idque audientes intelligant, excusari à graui peccato potes. 2
Si alius te de peccato laudet, & laudes acceptes, peccas. 3
Idem est si tu alium laudas, vel quod non commiserit, exprobras. 4
In donis naturalibus immoderata iactantia per se est veniale peccatum. 6
Aliquando est mortale, vt si in damnum tertij vergat. 7
Quærere ab hominibus æstimationem, & gloriam ex virtute aliquando licet. 100. 8
Humanas laudes propter se appetere illicitum est. 9
Quid dicendum, si ob gloriam humanam captandam fingeres opera virtutis. 10

Ieiunium.

Comedens sæpe die ieiunij, tametsi singulis vicibus parum, violare grauiter ieiunij præceptum potest. 88. 5
Intemperanter sæpiùs comedens peruenire potest ad mortale. 6
Qui causa est, vt plures die ieiunij modicum accipiant, non peccat mortaliter. 8
Non potes sumere ientaculum manè vbi ieiunium obligat, tametsi nocte peruenturus sis ad locum, vbi ieiunium non obligat, esto contrà teneant aliqui Doctores. 89. 10
Cùm manè deobligatus fuisti à ieiunio, non teneris vespere illud seruare, defenditur vt probabilius. 11

Ignorantia.

Ignorantia quid sit. 64. 1
Alia est vincibilis, alia inuincibilis, & qualiter differant. 2
An detur ignorantia vincibilis, quæ non sit crassa & supina. 65. 3
Triplex ignorantia culpabilis distinguitur. 4
Quando dicatur vincibilis. 5
Quarum rerum censearis habere ignorantiam inuincibilem. 66. 6
Parochianus ignorans festa, & ieiunia in hebdomada occurrentia, quando censeatur habere ignorantiam inuincibilem. 7
Ignorantia vincibilis non excusat culpam, illam tamen minuit. ibid. 1. & 2
Posśitne hæc ignorantia ex mortali veniale facere. 67. 3
Ignorantia inuincibilis legis imponentis pœnam à pœna excusat. ibid. 2
Idem est, si adest ignorantia facti. 68. 3
Quid dicendum si solùm ignoras pœnam à lege impositam. 4
In censuris excusat. 5
& probabile est ad irregularitatem extendi. 6
Item ad alias pœnas delicti grauitatem secundùm se excedentes est probabile extendi. 7
Si lex petat scientiam, præsumptionem, aut temeritatem ad incurrendam pœnam, ignorantia ab illa excusat. 70. 2
Allegari potest ignorantia excusans à legis transgressione in foro externo. ibid. 2
Qualiter ignorantia probanda sit. 71. 4

Iuramentum non sufficit ad ignorantiæ probationem, si alia via ignorantia probari potest. Et quid specialiter in lege sufficienter promulgata. 5
Ignorantia facti sufficienter probatur iuramento. 7

Infidelitas,& Infidelis.

Quid sit infidelitas,& quotuplex. 368.1.& seqq.
Probabilius est non distingui essentialiter Iudaismum, paganismum,& hæresim. 4
An satisfacias confessioni, si dicas te deserere fidem, quin declares paganismo, vel Iudaismo, vel hęresi fecisse. 369.6
Comprehenditur sub his tribus omnis infidelitas. 8
Quid de apostasia dicendum est. 10
Hæresis est omnium grauior infidelitas, tametsi paganismus magis extendatur. 370.11
Infidelis habere potest ignorantiam inuisibilem mysteriorum, Trinitatis, & Incarnationis. ibid.1
Circa quodlibet mysterium lumine naturæ notum potest esse ignorantia inuincibilis. 2
Cum hac ignorantia potest culpabiliter aliis erroribus inuolui. 3
Proponitur obiectio, an hic peccet contra fidem, & illam pereat. 4
Fit satis tali obiectioni. 371.5
Infidelis multa bona opera moralia præstare potest. ibid.2
Infideles non subditi nequaquam compelli possunt ad audiendam fidem. 374.3
Subditi infideles compelli possunt à Principe Christiano, non est improbabile. 4
Probabilius est oppositum. 375.5
Compelli possunt infideles, ne prædicatorem legis Euangelicæ impediant. 6
Quid si non fiat resistentia blasphemiis, & irrisione, sed sola expulsione prædicatoris? Proponitur dubitandi ratio. 7
Probabilius est posse compelli. 8
Licitum est Ecclesiæ mittere prædicatores militibus associatos, ne illis iniuria fiat. Cauendum tamen ne sit aggressio,& violentia. 376.9
Infidelis hæreticus tametsi per iniuriam baptizatus, compelli potest ad recipiendam fidem. ibid.1
Reliqui infideles cogi non possunt. 377.3
Qua ratione indirectè possit Ecclesia, & Princeps sibi subditos ad fidem compellere. 4.& 5
Infidelem non subditum sola lege charitatis tenetur Princeps, & Ecclesia ab errore remouere, at subditum specialiter tenetur. 378.1
Si errores infidelium non sunt contrarij rationi naturali, sed solùm nostræ fidei, non possunt cogi à Principe, vt illos deserant. 379.2
Non potest Princeps Christianus cogere infideles non subditos, vt errores contrarios rationi naturali deserant,& ob hanc causam eos oppugnare. 4
Excipiuntur peccata directè nociua nostræ fidei, & religioni. 380.5
Infideles baptizati priuari possunt, & de facto priuantur dominio,& iurisdictione infideles. 381.1
Infideles Christiano Principi subiecti non possunt in Christianos iurisdictionem habere. 2
Infidelis subditus Christiano Principi priuatur dominio serui eo ipso quo seruus ad fidem conuertatur. 3
Supradicti infideles subditi Christiano Principi priuantur famulatu fidelium. 4
Filius infidelis si baptizetur, liberatur à patria potestate. 5
Infidelis Princeps Christiano Principi non subiectus nequaquã priuatur potestate gubernatiua in fideles. 6
Excipe, nisi adsit periculum peruersionis. 382.7
Quid dicendum de potestate dominatiua? Plures censent priuari infideles in seruos fideles. 8
Contrarium est dicendum. 9
Ratione periculi peruersionis, si proximum, & morale sit, eximi poterit seruus à seruitute. 11
Infidelis non baptizatus, si nostram fidem & religionem directè offendit, Iudicibus fidei subditur puniendus. 554.1
Idem est si contra nostram fidem,& suam delinquat. 555.2
Qui communiter reputatur baptizatus, si aduersùs nostram fidem delinquit, punitur. 3
Ab Inquisitore simul cum ordinario puniendus est. 4

Iniuria.

Quando teneatur quis eam remittere, & signa remissionis præbere? Et quando veniam expostulare. 581.p.6.per totum.
Vide verb. *Charitas.*

Inquisitio.

Inquisitio duplex est, generalis,& specialis. 509.1
Quid ad vtrumque requiratur. 2.& 3
Ex leuibus indiciis non est capiendus reus. 4

Inquisitores.

Aduersùs non exequentes pœnitentias procedere possunt. 494.2
Accusari possunt, tametsi multi contrarium sentiant. 512.1
Grauis causa ad hanc recusationem expostulatur. 2
Quis debeat cognoscere de causa recusationis. 3
Inquisitor est præcipuus iudex in causa hæresis, qui de ea cognoscit,& de illi annexis. 523.1
Est iudex delegatus, non ordinarius. 2
Electi Inquisitores ab aliis Inquisitoribus sunt Sedis Apostolicæ delegati, vt probabilius defenditur. 3.& 4
Inquisitoris potestas ad omnes extenditur. 524.5
Excipiuntur Episcopi, sed possunt dicta testium aduersùs eos recipere, vt Pontificem consulant. 6
Excipiuntur Legati, Nuntij, aliique Sedis Apostolicæ officiales. 525.7
Excipiuntur ipsimet Inquisitores. 8
Alij excipiunt Regem, sed immeritò. 9
Inquisitores procedunt in causis suorum familiarium priuatiuè. 10
Pœnitentium causæ criminales, & ciuiles non subduntur Inquisitoribus, sed iudicibus propriis. 526.11
In regno Aragoniæ lata est Inquisitorum potestas. 12
Vices suas possunt Inquisitores aliis committere. 527.13
Commissarij ab Inquisitoribus electi non possunt alios subdelegare. 14
Plures Inquisitores pro vna prouincia electi, possunt simul & separatim procedere. 15
Excipe, nisi Pontifex aliquem pro speciali causa designasset. 16
Iurisdictio Inquisitoris morte delegantis etiam re integra non expirat. 17
Quod intelligitur, esto delegatio esset facta ad beneplacitum Pontificis. 528.18
A solo Pontifice iurisdictio Inquisitoris reuocari potest. 19
Quid dicendum de Inquisitoribus electis ab Inquisitore generali? Non possunt, inquam, absque legitima causa remoueri, aut aliò transferri. 20.& 21

Expen

Expenduntur causæ, ex quibus hæc remotio, seu translatio fieri potest. 529.22.& 23
Explicatur quis possit tum sæculares Inquisitores, tum religiosos punire. 24
Inquisitor attingere debet quadragesimum annum, in Hispania sufficit si attingat trigesimum. 530.25
Expenduntur aliæ qualitates Inquisitoribus acquisitæ. 26
Sufficit, si trigesimum annum attingant. 27

Inuidia.

Inuidia quid sit. 634.1
De bono alterius dolere & tristari potes absque inuidia. 2
Tristari de bono alterius, quia tibi bonum proprium diminuit, est inuidia, & peccatum ex genere suo mortale. 3
Non deest qui sentiat inuidiam solum esse mortale, cùm ex illa moueris ad iniustè remouendum proximi bonum. 635.4
Non admittitur. 5
Sæpe inuidia est veniale peccatum. 6
Est vnum ex vitiis capitalibus. 7

Irritatio.

Irritatio actus sæpe inducitur non vt pœna, sed vt forma, & quando hæc contingat. 174.2
Quæ sit irritatio? quotuplex, & an lex irritans dicatur pœnalis, vel fauorabilis. 179.p.7.per tot.
Dupliciter irritatio contingit, vel ipso facto, vel expectata sententia. ibid.2
Non irritatur actus eo solùm quod sit prohibitus. 180.2
Et quid dicendum in nostro regno. 181.3
Si irritatio succedit actui iam facto ob omissionem formæ accidentalis, non habet effectum quousque à iudice declaratur. 182.1
Quando irritatio comitatur actum, vel illum antecedit, & in odium transgredientis imponitur, probabile est non habere effectum ante sententiam. 2
Si irritatio ferenda sit à iudice omnibus illis modis impeditur, quibus impeditur sententia. 184.1
Si iniquis mediis aduersùs iudicium impedias irritationis sententiam, non teneris contractum rescindere. Secus si aduersùs emptorem. 4.& 5
Quid in casu beneficij. 185.6
Irritatio in pœnam delicti commissi imposita ipso iure cessat, cessante delicto. 7
Secus si ob bonum publicum sit imposita, tunc enim nulla ratione cessat, etiam cessante delicto. 8
Si in fauorem priuatæ personæ feratur, illa renuntiante cessat. 9

Iudex.

Potest iuxta aliorum opinionem probabilem iudicare, relicta ea, quæ sibi probabilior apparet. 21.7
Debet ferre sententiam secundùm ea quæ allegata sunt, non quæ allegari possunt. 9
Iudex in causa fidei est Pontifex, Legatus à latere de iure, non ex consuetudine. 521.1
Episcopus ratione muneris est cõpetens iudex in sua diœcesi, ordinarius respectu subditorum, delegatus comparatione exemptorum. 522.2
Episcopus debet seruare modum in procedendo, quem Inquisitores seruare tenentur. 3
Non potest spectato iuris rigore procedere absque consilio Capituli, benè tamen ex consuetudine. Quod dicitur de Episcopo, dicendum est de Capitulo sede vacante quoad subditos. 5
Quoad exemptos probabilius est non habere Capitulum iurisdictionem, tametsi alij contrarium sentiant. 6
Modus exercendi Capitulum hanc iurisdictionem non est per se, sed per vicarium specialiter deputatum. 7
Vicarius generalis Capituli, vel Episcopi non est competens iudex hæreticorum, nisi specialiter deputatur. 8
Item Inquisitores sunt iudices, & qua ratione. 522. §.2.per totum.

Iudex sæcularis.

In causa hæresis nulla ratione se intromittere potest. 535.2
Non potest Princeps sæcularis statuta condere, quibus hoc crimen puniatur, si aliqua ratione contraria sunt legibus Ecclesiasticis. 3
Bene tamen si augeant, & promoueant modum procedendi Ecclesiæ. 4
Non possunt iudices laici examinare causas, & processus illorum, qui sibi relaxantur à iudicibus fidei. 5
Tenentur morte afficere reos sibi puniendos traditos. 6
Sed quid si vnum falsò condemnatum agnoscant? Sub distinctione respondetur, si absque examinatione processus cognoscatur, quod rarò fieri potest, supersedere debeat, secus si indigent processus examinatione. 7
Iudex laicus si vocetur ab Inquisitore pro reis capiendis, tenetur auxilium præstare. 537.9
Iudex sæcularis veniens obedire, aut sententiam ab Inquisitore prolatam omittens exequi, cogendus est excommunicatione, aliisque pœnis. 10

Iudicium.

In causa fidei fieri potest simpliciter, & de plano. 505.1.& 2
Explicatur quid sit hic modus procedendi, & quæ in illo seruari debent. 506.3
Integra debent remanere quæ sunt iuris naturalis. 4
Omitti potest libellus, & litis contestatio. 5
Agitari, & sententiari potest diebus feriatis. 6
Amputatur dilationum materia. 7
Citatio requiritur, sed sufficit vna. 507.8
Iuramentum calumniæ præstari debet, quamuis si omittatur non obinde processus vitiabitur. 9
Conceduntur reo defensiones legitimæ, citantur partes ad audiendam sententiam, & sententia pronuntiatur in scriptis. 10
Citatus ab Inquisitore, & ab Episcopo pro eodem tempore, potest comparere coram quo maluerit, si exemptus sit: si tamen subditus Episcopi, communis sententia defendit coram Inquisitore. 531.3
Non caret probabilitate posse adiri quem maluerit. 4
Commissarij citatio præferenda ne sit citationi ordinarij? Sub distinctione respondetur. 5
In Hispania cessat hæc controuersia. 532.6
Si Inquisitor & Episcopus diuisim procedant, debent sibi communicare processus. 7
Non potest Inquisitor sine ordinario, neque ordinarius sine Inquisitore reum tradere duro carceri. 8
Item neque tormentis subiicere. 9
Neque potest Inquisitor sine Episcopo priuare reum beneficiis acquisitis. 10
Obligatur Episcopus requirere Inquisitorem, & Inquisitor Episcopum, quoties vnus sine alio procedere non potest. 11

Quid si inquisitus non comparet, vel non vult venire, &c. 533.12
Quando hæc obligatio requirendi tum in Inquisitore, tum in Episcopo procedat. 13
In Hispania nullus hæreticus relaxatur, nisi supremo senatuconsulto. 14
Quid faciendum, cùm Inquisitor, & Episcopus discordant. 15
Suspectum de hæresi non potest Inquisitor sine Episcopo, aut econtra ad abiurationem cogere. 16
Neque hæreticum pœnitentem. 534.17
Quòd si de facto sic fuerit coactus abiurare, & denuò in hæresim incidit, non contrahit pœnas relapsi. 18
Sententiam absolutoriam tum diffinitiuam, tum interlocutoriam, in Hispania non potest Episcopus sine Inquisitore, aut econtra proferre. Idem censeo iure communi. 19
Proponitur contraria sententia, & validissimè probatur. 20
Pœnitentiam iniunctam ab Inquisitore, & Episcopo, non potest vnus mutare, & quid in Hispania. 535.21

Iurisdictio.

Delegati iurisdictio, quando expiret finita iurisdictione in delegante, latè examinatur. 243.5.3

Ius.

Ius gentium quid sit. 114.1
Quomodo à iure naturali & ciuili distinguatur. ibid. & seq.
Ius naturale quid sit. 285.1
Aliqua dicuntur de iure naturali non præceptiuo, sed concessiuo. 2
Ius præceptiuum mutari non potest, secus ius concessiuum. 3

L

Lex.

Legis contemptus qualiter contingat.
Vide verbo *Contemptus*.
Quid lex sit, & quomodo à consilio, petitione, & præcepto differat. 111.2.& 3
Semper debet esse iusta, & rationabilis, & bono communi conueniens. 112.4
Ab eo ferenda est, qui curam communitatis habet. debet esse promulgata. 9
Aliæque conditiones legis breuiter apponuntur. 10
Lex alia est diuina, alia naturalis, alia humana. 113.1
Quæ sit lex diuina. 2
Quæ naturalis. 3
Quæ positiua, & quotuplex. 4
Quæ odiosa, quæ fauorabilis. 6
Explicantur actus legis, & an inhabilitas, & irritatio actus legis sit. 115.p.4.per tot.
Legis materia debet esse honesta. ibid. 1. & 2
Expenditur differentia legis canonicæ à ciuili. 3
Ecclesiasticus quando vtatur lege ciuili. 4
Lex nulla humana imperare potest directè actus internos. 3
Bene tamen indirectè. 4
Lex vt obligationem inducat, scripturam non requirit. 119.2
Item neque necessariò requirit consultationem. 4
Lex est sententia declaratoria ipsius. ibid. 7
Item sententia decisiua litis, & qua ratione hoc intelligatur. 120.2.& seqq.
Verba quæ legem constituunt, clara debent esse. 121.1
& quæ hæc sint. ibid. per totum.
Lex publicari debet, ea publicatione, quæ sufficiat, vt in notitiam communitatis deueniat. 122.1
Non est necessarium cuilibet in particulari publicari. 3
Publicanda sunt omnia quæ vim legis habent. 4
Publicanda est lex reuocatoria. 5
Quid dicendum de regulis cancellariæ. 6
Leges ciuiles latę pro vna prouincia, sufficit si in ciuitate metropoli publicentur. 123.2
Si pro diuersis prouinciis fiant, in qualibet prouincia debent publicari solemniter, & tunc non nisi post duos menses à publicatione incipiunt obligare. 3
Excipe, nisi aliud expresè constet à legislatoris voluntate. 4
Quid si Princeps intendat statim à promulgatione ligare subditos, an maneant ligati, qui nouerint? 5. & seqq.
Lex canonica vt obliget, sufficit Romæ publicari. 125.2
Statim Romanos obligat. 3
Quid dicendum de lege municipali, & qualibet constitutione Principis. ibid. 4
& an ignorantes inde obligentur. 6
Acceptatio populi ad legem canonicam non est adæquatè necessaria, sed potest Pontifex fideles contradicentes obligare. 126.1
Si tempus instat obseruandæ legis, non potest eius obseruantia præteriri, sub prætextu non esse acceptatam à populo. 3
Limitatur in legibus difficilis obseruationis. 127.4
Si à maiori parte populi lex non obseruatur tempore ad præscriptionem requisito, lex cessat obligare. 5
Lex ciuilis, si de facto vsu recepta non est, cessat eius obligatio. 128.9
Quid necessarium est ad non vsum inducendum. 10
Dum lex vsu, vel desuetudine abrogata non est, obligat. 11
Si maior pars populi resistit legi, & Princeps permittit, reliqui à lege excusantur. 12
Facta supplicatione, vel appellatione ad Principem pro legis reuocatione lex durat. 129.14
Si tacet Princeps, audita petitione, censetur legem reuocare. 15
Lex ciuilis & canonica obligant in conscientia, & ad peccatum. 130.2
Lex iniusta ex parte rei præceptæ, nullam inducit obligationem. 131.8
Idem iuris est de legibus latis à carente potestate. 9
Quid dicendum de legibus tyranni? 10
Lex fundata in falsa præsumptione non obligat. 132.12
Intelligendum est de præsumptione facti, & delicti, non de præsumptione vera periculi. 133.13
Quid de lege inæqualiter subditos grauante. 14
Signa ex quibus obligatio legis colligitur, sunt excommunicatio maior legi apposita, suspensio, interdictum, irregularitates, depositio, degradatio, priuatio beneficij. ibid. 1. & seqq.
Temporalis pœna legi imposita non videtur sufficiens signum obligationis. 134.6.& seqq.
Si legislator nolit ad pœnam obligare, tametsi verbis præceptis vtatur, non obligat. 135.9
Si verba legis indifferentia sunt, probabilius est non obligare.

obligare. Excipe, nisi consuetudine aliter esset introductum. 10
Ex grauissima pœna temporali non inducitur signum sufficiens obligationis, esto alij contrà sentiant. 12
Cum periculo vitæ potest lex humana obligare. 136.1
Declaratur quando hæc potestas Principi data sit. 137.2.& 3
Intentio faciendi rem præceptam est intentio satisfaciendi præcepto, vel legi. ibid.2
Si ita rem præceptam exequeris, vt velis non exequi, si possis, peccas. 3
Aliud est non violare præceptum, aliud illud implere. 4
Si coactus facias rem præceptam coactione non tollente libertatem, præcepto satisfacis; secus si libertatem tollat. 138.5
Non est necessarium habere intentionem expressam satisfaciendi præcepto, vt præcepto fiat satis. 8
Si rem præceptam facias, tametsi expressè dicas te nolle præcepto satisfacere, verè præcepto satisfacis. 139.12
Opere bono ex se, vitiata tamen aliqua circumstantia, satisfieri legi posse. 141.2.& seqq.
Pluribus obligationibus ex iustitia non potes vnico actu satisfacere; secus si diuersarum sint virtutum. 141.p.19
Explicatur doctrina multiplici exéplo. 142.2.& seqq.
Pluribus actibus eodem tempore factis, potes pluribus præceptis facere satis. 143.1.& seqq.
Lex naturalis obligat per se omnia impedimenta tollere, secus præceptum positiuum. ibid.2
Potestas leges ciuiles condendi est à republica. 145.2
Qua ratione hæc potestas sit à Deo. 3
Non habet Pontifex potestatem leges ciuiles condendi obligantes totum orbem. ibid.1
In terris sibi subiectis leges ciuiles condere potest. 146.3
Item hanc potestatem habet Imperator comparatione regnorum, quæ sibi subduntur. 4
Secus extra illa. 5
Bene potest legem facere obligantes illis in regnis, in quæ habet directum dominium, tametsi immediatè non gubernet. 6
Deficientibus legis propriis, ditionis Pontificiæ & Lusitaniæ leges imperatoriæ in causis decidendis obligant, secus in Hispania, & Gallia. 147.7
Iudices Hispani obligati sunt sequi ius ciuile, deficiente proprio, vt probabilius defenditur. 9
Ob transgressionem legum ciuilium, si non procedat aduersùs ius naturale, nulla pœna debetur. 11
Quid sequendum est, cùm ius ciuile contrarium est Pontificio ciuili. 12
Rex, & supremus Princeps leges ciuiles ferre potest. 148.1
Aliquando illas ferre non potest independenter à regno. 2
Regina si domina est regni, & viro soluta, leges ferre potest. 3
Matrimonio adstrictam probabilius est etiam gaudere hac potestate. 6
Qui subditos habent ratione dominij, & nón iurisdictionis, leges ferre non possunt. 149.8
In quo potestas dominij & iurisdictionis distinguantur. 9
Communitates perfectæ, seu supremam habentes iurisdictionem, leges ferre possunt. 10
Secus quæ in Principem potestatem transtulerunt, nisi ex priuilegio, vel vsu contrarium constet. 11
Leges canonicas condendi Pontifex potestatem habet. 150.1
Non pendet in hac potestate à Concilio. 2
Neque à consilio, & consilio Cardinalium. 3
Episcopus in suo episcopatu leges ferre potest, ex potestate à Pontifice accepta. 4
Hanc habet potestatem electus & confirmatus. 151.7
In rebus grauioribus non potest inconsulto Pontifice, & quæ hæ res grauiores sint. 8
Quando Pontifex consuli non potest, potest dispensare, non legem Pontificiam abrogare. 9
Consensu clerici, aut Capituli non indiget Episcopus ad legem ferendam. 10
Quid dicendum de Archiepiscopo, Patriarcha, qua ratione leges ferre possunt. 11
Legatus leges ferre potest. 152.12
Sanctis Patrib. non est data potestas leges ferendi. 13
Concilium sine authoritate Pontificis congregatum leges non potest ferre. 14
Item neque congregatum eius authoritate, nisi facta à Pontifice approbatione. 15
Quid de Concilio tempore schismatis, vel morte Pontificis congregato. 16
A Concilio ad Pontificem datur appellatio, non econtra. 17
Concilia prouincialia, nationalia, & diœcesana, quomodo leges ferant. 18
Congregatio Cardinalium an ferat leges. 153.19
Capitulum sede vacante leges ferre potest. 22
Capitulum viuente Episcopo nullam videtur habere potestatem condendi leges, etiam obligantes ipsos capitulares. 154.24
Tenendum tamen est oppositum. 25
Qua ratione Ecclesiæ collegiatæ, vniuersitates, collegia, confraternitates leges ferre possunt. 26
Communitates religiosorum habent potestatem leges ferendi. 27
Quibus delegari à Pontifice possit potestas leges ferendi pro tota Ecclesia. 29.& 30
An fœminis delegari possit. 155.31
Legibus propriis legislator solùm tenetur ex directiua obligatione. ibid.2
Hæc non est grauis obligatio secluso scandalo. 4
Respectu legum inferiorum non inest hæc Principi obligatio. 5
Ad pœnam nullus legislator obligari potest. 156.8
Vxor legislatoris beneficio ipsius exempta præsumitur. 9
Infideles nullis Ecclesiasticis legibus tenentur. 157.1
Ebrij, amentes, & ignorantes inuincibiliter à lege excusantur. 2
Pueri ante rationis vsum, qui est regulariter septennio completo, legibus Ecclesiasticis non tenentur. 3
Post vsum rationis obligantur. 5
Quid dicendum de Eucharistiæ præcepto. 6.& 7
Leges respicientes delictum in territorio commissum, ligant subditum extra existentem. 166.13
Hinc beneficiarius absens ligatur excommunicatione lata aduersùs absentes, & fur existens extra territorium ligatur excommunicatione lata aduersùs illum ob delictum in territorio commissum. 167.14.& 15
Lex irritans actum ob non seruatam formam, habeatne effectum in conscientia? Arguitur non habere, probabilius est habere effectum. 183.5.& 7
Lex irritans actum non prohibet illius executionem formaliter. ibid.1
Cum lege irritante sæpe prohibitiua coniungitur. 184.4

Lex irritans non habet effectum ante tempus obligationis, nisi expresse declaretur. 186.2
Lex non censetur pœnam ipso iure imponere, si loquatur per verba indifferentia. 187.1
Apponuntur aliquot limitationes, sed repelluntur. 2.& seqq.
Si sub verbis de præsenti pœna imponitur, intelligitur ipso iure. 5
Si sub verbis imperatiuis directis in iudicem imponatur, non est pœna ipso iure; secus si sub verbis directis in rem. 7
Explicantur verba, quibus lex censetur annullare actum, aut pœnam imponere. ibid.p.17. per totum.
Lex improbans consuetudinem, de qua consuetudine intelligatur. 199.8
Lex potest abrogare consuetudinem. 201.1
Debet tamen esse consuetudini contraria. 2
Quapropter lege vniuersali consuetudo vniuersalis abrogatur. 203.3
Non tamen lege vniuersali derogatur consuetudo alicuius loci, neque statutum. 4
Lege speciali facta à Principe pro aliqua prouincia, probabile est non derogari illius prouinciæ consuetudinem, nisi lex contineat clausulam derogatoriam. 6
Hæc tamen consuetudo, quæ per legem non derogatur, debet esse legitimè præscripta. Defenditur vt probabilius. 8
Sub clausula generali reuocãte consuetudinem non venit immemorialis. 204.10
Lex per non vsum abrogatur, qualiter verum sit. 205.6
Lex cessat ex cessatione causæ finalis adæquatæ. 266.4
Si cessat adæquatus finis pro determinato tempore, vel in parte legis, pro illo tempore, & illa parte cessat lex, seu suspenditur. 267.7
Cessatio finis legis non debet toti communitati constare, vt singulares eximantur, sed sufficit vt cuilibet constet. 8
Si cesset finis legis in aliquo speciali casu, non cessat lex. 9,10.& 11
Lex valida, & vtilis abrogari potest. 268.1
Vt honestè fiat abrogatio, requiritur causa bono communi prospiciens. 2
Sine causa abrogatio legis ab eo, qui illam tulit, valida est, tametsi illicita. 3
Quæ publicatio in abrogatione requiratur. 4,5, & 6
Lex posterior priorem abrogat, si in corpore iuris prior fuerit inserta. 269.7
Limitatur, nisi iuramento firmata fuerit. 8
Posterior abrogat priorem, dummodo illi contraria sit, neque patiatur interpretationem. 9
Lex abroganda specialis, vel generalis extra corpus iuris non abrogatur, nisi illius fiat mentio saltem in genere. 10
Lex specialis pro aliquo loco, vel speciali materia, tametsi corpori iuris fuerit inserta, non abrogatur lege contraria, nisi illius fiat mentio saltem in genere. 11
Legem abrogare potest, qui illam tulit, vel eius successor. 270.1
Inferior non potest legem superioris abrogare. 2
Quid respectu sui territorij. 3
Quid de statutis confirmatis à superiore. 271.7
Leges, seu constitutiones factas in Synodo diœcesana potest Episcopus abrogare. 9.& 10.
Legem interpretari authenticè solus conditor legis, vel illius successor, aut illorum superior potest. 272.1
Hæc interpretatio publicanda est, sicut & lex. 2
Iudicibus inferioribus non licet legem authenticè declarare. 273.7
Quid de Cardinalibus declarantibus Tridentini Concilium. 272.3.& seqq.
Legem doctrinaliter interpretari cuilibet licet. 274.1
Pluribus placet non esse licitum à verbis legis deuiare. 2
Vti licet epiikeia non solùm in casu, in quo obseruantia legis iniqua esset, sed etiam in quo esset difficilis. 3
Causa in hac interpretatione debet ad minus esse probabilis. 4
Quando prohibetur à lege eius interpretatio, solùm censetur prohibita interpretatio friuola, & contra mentem legis. 5.& 6
Aliquando prohibetur interpretatio typis mandata, & ex professo. 7
In legis interpretatione quæ regulæ seruandæ sint. 275.1
Si de intentione legislatoris constet, illi standum est. ibid.
Seruanda est verborum proprietas. 2
Quod est verum, etiamsi legislator extra legem dicat se aliter intelligere. 3
Limitant aliqui in lege correctoria, sed non probatur. 4
At limitandum est, nisi ex proprietate verborum sequeretur absurdum. 5
Item nisi reddatur lex inutilis. 6
Proprietas verborum naturalis est quæ seruari debet. 476.7
Quod est intelligendum de lege præceptiua, & finali, non de fauorabili: hæc enim ad ciuilem etiam significationem extenditur. 8
Quid si duplicem habet significationem. 9
Legislatoris intentio, & materia legis ex proœmio desumitur. 10
Interpretatio in lege fauorabili extendenda est, in pœnali limitanda. 11
Quoties de obligatione agitur, stricta interpretatio facienda est. 12
Correctio legis omnino est vitanda quoad fieri possit. 13
Lex noua debet secundùm antiquam interpretari. 14
Legis extensio an fiat ad casum sub lata verborum forma non comprehensum, ob similitudinem vel identitatem rationis. 277.1.& 2
In legibus irritatoriis, & pœnalibus non datur extensio ad casum non comprehensum. 278.3
Neque in legibus correctoriis. 4
At corrigens vnum ex æquiparatis, aliud censetur corrigere. 5
In legibus exorbitantibus non datur extensio. 6
Neque etiam in fauorabilibus est admittenda extensio. 7
Excipe, nisi iniustitia, vel absurditas sequatur. 279.8
Dispositum in vno correlatiuo, censetur in alio dispositum. 9
Idem in æquiparatis. 10
Idem in connexis. 11
Idem in mensurante & mensurato. 12
Sæpe lex casum nominat specialem exempli, & demonstrationis causa. 13
Tametsi lex non extendatur ad casum similem. At iudex in iudicando pro illo debet sententiam ferre, si aliqua alia lege non fuerit decisum. 14
Legis extensio possitne fieri ad præterita? Præmittitur distinctio de lege declaratiua, & constitutiua, & deciditur declaratiuam legem propriè legem non esse. 280.1

Lex noui iuris constitutiua non trahitur ad præterita. 2
Neque quatenus præceptiua est. 3
Quatenus pœnam imponit potest trahi ad præterita. 4
Lex irritans aliquando trahi potest ad præterita, rarò tamen. 5
Lex declaratoria quatenus talis, futura, & præterita comprehendit. 6
Lex, statutum, constitutio non censetur extendi ad actum inchoatum ante illam legem si perfectus sit, secus si imperfectus. 281.7
Explicatur doctrina prima in lege dante formam testamentis,& contractibus. 8
Deinde in statuto determinante, vt vir lucretur tertiam partem dotis vxoris præcedétis,an, inquam, tale statutum comprehendat vxorem nuptam ante statutum. 9
Item declaratur in statuto prohibente extrahi merces,si eas extrahere incepisti? 10
Quid de statuto imponente pœnam, an extendatur ad delicta ante statutum commissa. 282.11
Et quid de statuto concedente delinquentibus remissionem pœnæ, an extendatur ad delinquentes solum præteritos,vel etiam ad futuros. 12
Loquens lex de præteritis, ad omnia extenditur. 13
Excipiuntur præterita iam decisa. 14
Item conclusa in causa. 15
Item decisa per sententiam, tametsi ab ea fuerit appellatum. 16
Quid in prima instantia. 17
Probabilius est non extendi ad præcedentia in iudicio. 183.18

Libertas.

Ex quibus causis dici possit. 33.1
Regulariter subita passio iracundiæ non tollit deliberationem requisitam ad votum, iuramentum & promissionem. 34.10
Non est argumentum firmum deesse libertatem, quòd pœniteas rei iam factæ. 11

Liberum.

Liberum quid sit,& quotuplex,& qua ratione à voluntario distinguatur. 42.1.& 2

Libri.

Libri hæreticorum tantùm in Bulla Cœnæ prohibentur. 386.1
Non comprehenditur liber Catholici, tametsi per ignorantiam erroribus mixtus sit. 387.2
Comprehenditur liber manuscriptus. 3
Comprehenditur epistola,concio, quæstio, aliáque breuis scriptura. 4
Non videtur contrarium improbabile. 5
Secundùm expurgatorium Romanum omnia hæc prohibentur. 388.6
Sub prohibitione Bullæ solùm comprehenduntur libri hæreticorum hæresim continentes, vel de religione tractantes. 7
Librorum horum lectio prohibetur, & quæ sit. ibid.1. & 2
An si alium audias legentem, vites censuram. 3,4, & 5
Examinatur, an excuseris à censura,& peccato mortali ob paruitatem materiæ, & quæ hæc sit. 389.6
Item prohibetur retentio horum librorum. 7
Quid si ad confutandos errores absque periculo peruersionis retineas. 8
Quid si breui tempore retineas. 10.& 11
Excusas censuram Bullæ, si comburis librum, sed non excusas censuram latam à Iulio III. & Paulo V. 390.12
Item prohibetur impressio horum librorum, & qui sub hac actione comprehendantur. 13
Item prohibetur defensio horum librorum. 14
Quid de transcriptione, venditione, asportatione horum librorum. 15
Libri ij omnibus prohibentur. 391.1
Ex speciali priuilegio Inquisitores eximuntur. 2
Extenditur facultas ad commissarios. 3
Limitatur doctrina in regno Hispaniæ. 4
Nullus præter Pontificem dare potest facultatem legendi libros hæreticorum. 5
Librorum horum prohibitio sub excommunicatione reseruata,illos legentes, aut retinentes, defraudantes, &c. sunt de hæresi suspecti, & tanquam hæreticorum fautores puniendi sunt. ibid.1
Componens scienter librum hæreticum, vt hæreticus puniendus est. 2
Transcribens suspicionem hæresis contrahit. 392.3
Imprimentes vltra excommunicationem pœna ordinaria sunt afficiendi. 4
Retinens,vendens,asportans,suspectus est de hęresi. 5
Arbitrio iudicis relinquitur, an suspicio sit grauis, vehemens,vel leuis. 6
His pœnis solùm fideles baptizati afficiuntur. 7

Locus.

Qui sit locus exemptus. 169.30

M

Matrimonium.

Matrimonium contrahentes clandestinum inualidum, non contrahunt pœnas iure antiquo latas. 186.p.15.2
Nubens mulier scienter hæretico dotem perdit. 460.10
Negat Sanchez alia bona extra dotem amittere. 11
Probabilius est oppositum. 12
Quid si à principio ignoranter processit,non debent eius bona publicari? Quid si maritus ducat vxorem hæreticam, priuandus ne sit bonis, sicut de vxore hæretico nubente? Negat Sanchez. 15
Probabilius videtur oppositum. 16

Medicus.

Tenetur Medicus medicinam certam relicta probabili & dubia adhibere infirmo. 18.1
Quando nullum est medicamentum certum,tenetur Medicus applicare dubium. ibid.2
Experientiam facere medicamentorum, an sint salutaria,vel nociua,illicitum est. 3
Non licet medicinam infirmo desperato applicare, de qua æquè dubitatur,an nocitura, vel profutura sit. 5
Potest Medicus vti medicina quam minus probabiliter credit profuturam,si alij probabilius profuturam existiment. 19.9
Medicinas assignatas à Medico non debet infirmarius omittere ob causas,quæ sibi videntur. 10

Metus.

Metus quid sit,& quotuplex. 46.1.& 2
An causet inuoluntarium. 4

Quæ ſint conditiones requiſitæ ad metum. 47.1
Grauem metum quæ indicant ex communi ſententia. 2
Timor infamiæ cedit in virum conſtantem, idem eſt de metu excommunicationis iniuſtæ. 4
Reuerentialis timor niſi aliud adiungatur non videtur cadere in virum conſtantem. 48.6
Quando preces importunæ inducant metum grauem. 49.7
Oportet vt minans malum præſumatur illud executurus, & quando hoc præſumi poteſt. 9
Ex ordine ad patientem metum grauitas metus deſumitur. 10.& 11
Sufficit ſi in perſona filiorum, nepotum, &c. malum timeatur. 50.12
Arbitrio prudentis grauitas metus deſumitur. 13
Metus iniuſtè incuſſus ad extorquendum contractum, non reddit contractum iure naturæ nullum, ſed reſcindendum. ibid.p.8
Neque etiam iure poſitiuo, & quæ excipiantur. 51. 1.& 2
Quid de contractu ſponſalium? de promiſſione dotis? de conſtitutione procuratoris? de iuriſdictione data, vel prorogata? de ſententia per metum lata? de renunciatione beneficij? de metu incuſſo ad contrahendum matrimonium cum aliqua indeterminata? 53.3.& ſeqq.
Omnes contractus ex metu, cui tu cauſam dediſti, ſunt validi. 55.1
Quid dicendum de matrimonio, & profeſſione? Probabilius eſt non irritari ex hoc metu. 56.3
Valet matrimonium condemnati ad mortem, cui offertur libertas, ſi ducat filiam, aut conſanguineam occiſi. 57.1
Quid dicendum de Medico nolente te mederi, niſi ducas eius filiam. 2
Quid de iudice extorquente iuſtè matrimonium ſecundùm allegata & probata, iniuſtè tamen ſecuncundùm rem. 3
Metus leuis neque iure naturæ, neque poſitiuo irritat contractus. 58.1
An officio prætoris, vel in foro conſcientiæ reſcindendi ſint? 2
Metu reuerentiali filius, vel mulier contrahens non tenetur implere contractum. 3
Idem eſt de conſentiente precibus importunis. 4
Metus mortis, & cuiuſuis damni minuit culpam. 59.2
Non excuſat culpam in his quæ ſunt intrinſecè mala. 3
Quid dicendum de homicidio? De comeſtione carnis humanæ? De tyranno minante mortem niſi illam comedat? De obſeruatione præcepti diuini? De exercitio poteſtatis eccleſiaſticæ? De obſeruatione humani præcepti? 4. & ſeqq.
Metum allegans probare debet. 62.1
Probatis iis quæ inducunt grauem metum, metus probatur. 2
Coniecturis probatur. 3
Sufficiens coniectura eſt, ſi præceſſit tractatus de te cogendo. 4
Item ſi fuiſti recluſus. 5
Pœnitentia actus facti iudicat aliqualiter coactè actum fuiſſe. 63.6
Iudicis arbitrio relinquitur qualis ſit probatio metus. 7
Sint ne duo teſtes deponentes de metu præferendi multis negantibus. 8
Quando cenſeatur metus purgatus. 9

Miſſa.

Si in tua parochia ſit dies feſtiuus, & extrà non: non teneris Miſſam audire, dum ibi aſſiſtis, neque illam expectare. 165.6
Si plures Miſſæ dicantur à mane vſque ad 12. non potes hora octaua exire Miſſa non audita, ſecundùm ſatis probabilem ſententiam. 7
Probabilius eſt oppoſitum. 8

Motus proprius.

Teſtibus probari non poteſt, benè tamen ſcientia. 308. 8

N

Neceſſitas extrema.

in Neceſſitate extrema potes aliena ſurripere, eáque conſumere, ſi alia via tibi ſuccurrere non vales. 603.1
An tenearis priùs rogare diuites, vt tibi ſuccurrant. 604. 2
Non potes per vim à domino impediri. 3
In graui neceſſitate poſſunt aliena ſurripi. 4
Excipe, niſi proximus eandem neceſſitatem patiatur. 7
Expenditur an tenearis reddere debitum Petro, eo indigente æqualiter. 8
Si in ſupradicta neceſſitate rem alienam conſumas, teneris reſtituere, ſi ad pinguiorem fortunam veneris, modò alienum habeas ex contractu transferente dominium. 605.2
Si ex delicto alienum habeas, communior ſententia docet te eſſe obligatum reſtituere. Contrarium eſt ſatis probabile. 3
Si alienum retines ex contractu non teneris creditori ſimili neceſſitate laboranti reſtituere. ibid.1
Si retines ex delicto, neque res exiſtit in ſpecie, non teneris reſtituere. 2
Secus ſi res aliena propria exiſtit in ſpecie. 606.3
Idem quod dicitur de tua neceſſitate, dicendum eſt de neceſſitate illorum qui tibi in primo gradu coniuncti ſunt. 4

O

Obedientia.

Obedire quando ſubditus in caſu dubio teneatur ſuperiori præcipienti. Vide *Subditus.*

Odium.

Odium eſt charitati contrarium, eſt duplex, abominationis & inimicitiæ. 632.1.& 2
Quodcunque ex iis odiis circa Deum eſt mortale, neque fieri poteſt veniale ex leuitate materiæ. 3
Circa proximum aliquando eſſe poteſt veniale. 633.4
Odium proximi differt ſpecie ab odio Dei. 5
In odio proximi ſunt plures actus ſpecie diſtincti. 6,& 7
Qua ratione odium proximi ab ira, & indignatione, appetitúque vindictæ diſtinguatur. 8
Numerantur plures caſus, in quibus licitum eſt velle proximo malum. 9
An optare mortem, vel de illa gaudere ob hæreditatem habendam, ſit graue peccatum. 634. 11, & 12

Opinio.

Quæ ſit probabilis? & an vnius Doctoris dictum conſtituat opinionem probabilem. 5.1.& ſeqq.
Factum vnius Doctoris opinionem probabilem non conſtituit. 6.6

Proba

Probabilior opinio est, quæ ratione firmiori fulcitur, regulariter, quæ à pluribus approbatur. 8
Opinio communis est, quæ communiter à Doctoribus rem ex professo tractantibus defenditur. 10
Regulariter hæc opinio particulari est præferenda. 12
Eligi potest opinio probabilis relicta probabiliori. 7.2
In casu grauis necessitatis non solùm potest, sed illius est obligatio. 8.5
Ex hac opinione probabili etiam in materia iustitiæ consilium dare potes. 8.1
Docere opiniones improbabiles lethale peccatum est. 9.8.& 10
Quid in materia Logicæ & Grammaticæ. 9
Potest Confessarius ordinarius, & delegatus absoluere pœnitentem sequentem opinionem probabilem. ibid.1.& 2
Incepta confessione non solùm potest, sed tenetur. 10.3
In administratione sacramentorum probabilius videtur licere vti opinione probabili, relicta probabiliori, nisi in casibus, quibus ab Ecclesia per speciale præceptum, aut consuetudinem aliter cautum sit. 11.5.& in seqq. Explicantur casus prohibiti.

P

Peccatum.

Peccatum originale quid sit? variæ sententiæ apponuntur. 72.2
Resoluitur esse priuationem iustitiæ debitæ. 3
Priuat regno Dei. 73.1
Causa est mortis, & rebellionis appetitus. 74.2
Afficit omnes personas descendentes per seminalem propagationem, excepta sanctissima Maria Virgine. ibid.1
Non solùm ab originali, sed etiam à debito illud contrahendi aliqui Doctores sanctissimam Virginem excipiunt. 2
Probabilius est non debere ab hoc debito eximi. 3
Peccatum definitur esse dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei. ibid.p.4.1.& 2
Comprehendit tam mortale, quàm veniale. 75.4
Expenditur quid sit peccatum habituale. ibid.
Expenditur differentia mortalis à veniali. 76.1
& an pro aliquo determinato tempore priuet veniali gloria. 2
Peccatum quod ex genere suo est mortale, aliquando potest esse veniale, & contra. 4
Potest, inquam, mortale fieri veniale ex defectu plenæ deliberationis. 77.2
Apponuntur signa perfectæ, vel imperfectæ libertatis. 5
Quæ peccata non possint esse leuia ex paruitate materiæ. 78.1
Grauitas, vel leuitas materiæ sumitur ex obiecto, quatenus fini intento à legislatore conducit, vt exemplis explicatur. 4
Non est verum affirmare grauem materiam esse, quę est totius præcepti violatio, leuem quæ est pars illius. 79.7
Ex intentione legislatoris circa materiam leuem, non potest esse grauis obligatio. 80.2
At circa materiam grauem bene potest esse leuis obligatio. 4
Veniale peccatum fieri potest mortale ex fine. 81.1
Si finis est venialis, & medium mortale, solùm ex parte medij est mortale. 3.& 4
Veniale peccatum ex periculo incidendi in mortale esse potest mortale. 84.1
& quod sit periculum proximum peccandi. 2
Propositum omnia venialia committendi non est mortale. 4
Ob causam iustam potest quis se periculo peccandi exponere, & qualiter contingat, pluresque casus explicantur. 85.7.& seqq.
Veniale peccatum ex sola multiplicitate non potest fieri mortale. 87.1
Hæc fallit in peccatis, quæ ex parte materiæ vniuntur. 88.4
Peccata non multiplicantur ex multiplicitate præcipientium. 102.2
Multiplicantur tamen ex distinctione formali, non materiali rei præceptæ. 4
Vnde distinctio numerica in ordine ad confessionem adsumatur. 103.p.2. per totum.
& explicatur doctrina pluribus exemplis. 104.p.3. per totum.
Peccata sunt in grauitate inæqualia. 108.1
Ex variis capitibus eius grauitas desumitur. 109.2
Peccatum inferioris speciei superare potest aliud peccatum grauius ex obiecto. 3
Peccatum actuale diminuit inclinationem virtutis. 109.1
Priuat gratia, & virtutibus infusis. 2
Destinat peccatorem ad pœnam æternam. 3
Venialis peccati non est proprius effectus pœna æterna. 110.5
Qua ratione vnum peccatum esse possit pœna alterius peccati. 6
Nota & infamia peccantis effectus est peccati. 7

Peregrinus.

Peregrinus, & forensis tenetur legibus loci illius quà transit, si illuc accedit animo perpetuò manendi. 159.1
Idem iuris est si intendat ibi maiori parte anni commorari. 2
Quilibet peregrinus tenetur legibus statuentibus solemnitates in contractibus. 160.3.& 4
Tenetur legibus loci, qua transit, si eædem vigent in tuo territorio. 6
Idem est de legibus iuris communis, tametsi in proprio territorio non vigeant ob consuetudinem contrariam. 9
Idem de legibus bonum speciale ciuitatis respicientibus. 7
Aliis legibus variant Doctores, probabilius est omnibus peregrinum teneri. 161.11
& intelligitur hæc obligatio tam quoad culpam, quàm quoad pœnam. 162.13
Procedit resolutio, tametsi lex pro solis aduenis lata esset. 14
Idem est de præcepto, ac sententia, ac de statuto, & lege. 15
Delinquens in suo loco, si aliò accedat, non potest à iudice illius loci puniri. 16
Nullus peregrinus & forensis tenetur legibus suæ patriæ, cùm extra illam existat. 165.1
Quod verum habet, tametsi animo eximendi se ab obligatione patriam reliquerit. 4
Si iam impleuit præceptum ieiunij, communionis, & festi in loco sui domicilij, non tenetur illud seruare, secluso scandalo, cùm peruenit ad locum, vbi tunc viget. 166.12
Si cẽsura imposita est alicui delicto, & illud inchoas in tuo territorio, perficis extra censura, non ligaris, tametsi alij contrà sentiant. 168.14

A quo possint peregrini dispensari in legibus, votis, & iuramentis, aliisque censuris, & impedimentis. 296.§.2.per totum.

Pœna.

Quæ officium iudicis requirit, extra territorium imponi non potest. 168.15
Potest imponi à iudice in quo delictum consummatum est, & etiam ab eo in quo fuit inchoatum, si ibi habeat domicilium. 16
Item esto domicilium non habeat, communis sententia docet posse puniri delinquentem à iudice, in quo delictum fuit attentatum, sed ob delictum, quod alibi consummauit. 27
Pœna alia est priuatiua, alia positiua, alia ipso iure lata, alia ferenda. 172.1
Ad pœnam tam priuatiuam, quàm positiuam potest legislator obligare ipso facto per legem. 173.4
Subintelligitur doctrina de pœna moderata, non de ea in qua vita, fama, aut honor grauiter periclitatur. 5
Pœna excommunicationis, suspensionis, interdicti, & irregularitatis sæpè ipso facto incurritur. ibid.1
Pœna conditionalis ante iudicis sententiam obligat. 174.3
Pœnæ ad sui executionem postulantes actionem non contrahuntur ante sententiam saltem declaratoriam. 6
Pœnæ impedientes ius quærendum ante sententiam contrahuntur. 175.7
Ferè nulla est pœna priuans iure quæsito, quæ ante sententiam declaratoriam contrahuntur. 8
Excipe pœnam qua coniuges incestuosi petitione debiti priuantur. 9
Pœna apposita ex mutuo contrahentium consensu debetur ante sententiam iudicis, si expresse ad id se obligarunt. 177.1
Cùm non est hæc expressa obligatio non debetur, quousque à iudice sic declaratum fuerit. 4
Huius pœnæ conuentionalis dari potest præscriptio. 5
Ad executionem pœnæ mortis, mutilationis, &c. nullus obligari potest. 178.2
Quid dicendum de pœna verberationis, exilij, carceris, & pecuniæ? 3.& seqq.
à Pœna debita potest legislator reum eximere causa intercedente, at absque illa peccat. ibid.1
Iudex inferior tenetur exequi pœnam à lege præscriptam. 179.2
Pro delicto alterius nullus pœnam subire potest. ibid.1
Pœna imposita actui, qui non obstante prohibitione fieri validus potest, nõ efficit inualidum. 186.p.15.1
Pœna imposita actui inualido inualidum facit. 4
Debet tamen esse inualidum ex illa ratione, qua imponitur pœna. 5

Pontifex.

Errare non potest in articulis fidei proponendis. 331.5.& seqq.
De fide est hunc numero Pontificem esse verum Pontificem. 333.9.& seqq.
In sententia aliqua ferenda circa res gestas potest Pontifex ex ignorantia, vel malitia errare. 336.1
Item errare potest secundùm prudentiam in multiplicandis legibus circa res agendas. 2
Non potest statuere obseruandum ab vniuersali Ecclesia quod malum sit, & rationi dissonum. 3.& 4
Extenditur doctrina ad leges pro vna prouincia factas. 5
Pontifex errare non potest in canonizatione Sanctorum, probabilius est de fide esse. 337.1
Soli Pontifici competit canonizatio Sanctorum, & de illius differentia à beatificatione. 338.1.& seqq.
& quo modo in beatificatione errare non possit, & qua certitudine id tenendum sit. 4
Nequaquam Pontifex potest approbare religionem aliquam, vt consentaneam legi euangelicæ, quæ verè non sit. 340.1
Neque in approbatione religionum secundùm leges prudentiæ præsumendum est Pontificem errare. 4

Possessio.

In materia iustitiæ est sufficiens titulus deponendi dubiam conscientiam. 23.1.& seqq.
Vt in aliis materiis à iustitia etiam est sufficiens titulus. 28.1
Possessio est, pro qua est iuris præsumptio. 2
Si legitima sit, titulus est sufficiens non solùm ad retentionem rei, sed ad illius alienationem. 24.12

Potestas.

Dominij, & iurisdictionis potestas in quo distinguantur. 149.9

Præsumptio.

Quotupliciter sumatur. 574.1
Graue est peccatum. 2
Contraria spei quibus modis contingat. 3
Qua præsumptione amittatur spes. 4

Priuilegium.

Expenditur eius definitio. 206.1
Qua ratione dicatur lex priuata. 207.2
Non debent dici priuilegia leges pœnales. 4
Eius differentia à lege, dispensatione, gratia, & rescripto apponitur. 5
Priuilegium aliud est personale, aliud reale, & qua ratione inter se distinguantur. 208.1.& seqq.
Quid si dubium sit, an sit reale, vel personale. 209.5.& 6
Si probabile tibi sit esse reale, esto probabilius sit esse personale, poteris reale iudicare. 7
Idem est si tibi possidenti vt reale suboriatur dubium esse personale, poteris reale iudicare. 8
Aliud est priuilegium perpetuum, aliud temporale, & qualiter contingat. ibid.p.2.per totum.
Item aliud est priuilegium gratiosum, aliud remuneratorium, aliud conuentionale aliud purum, & explicantur. 210.1
Quodlibet ex his potest esse reale, & personale. 2
& quid in casu dubio censendum sit. 5
Aliud deinde est priuilegium affirmatiuum, & negatiuum, commune & singulare, fauorabile, & odiosum, & de illorum differentia. 311.p.4.per totum.
Deinde aliud est priuilegium scriptum, & non scriptum pro foro conscientiæ, & externo. ibid.p.5
Qualiter transumpto fides adhibenda sit. 212.1
Consuetudine comparari potest priuilegium. 2
Priuilegium pro foro conscientiæ, neque pro foro pœnitentiæ non importat necessarium forum sacramentale. 5.& 6
Præterea aliud est priuilegium ad instantiam partis, aliud motu proprio concessum, & quæ hæc sint. 213.1
Probari ne possit testibus, priuilegium esse motu proprio concessum. 2
Clausula motus proprij tollit vitium subreptionis.

Intelligitur, si nulla facta est à te supplicatio. 4
Ex aliis capitibus potest tale priuilegium infirmari: tametsi careat vitio subreptionis. 5
Si concedens priuilegium motu proprio exprimat in concessione falsitatem, nullum est. 6
Si supplicationem facias diminutam, & concedens apponat clausulam, Ex motu proprio, probabilius censeo valere. 7
Rursus aliud est priuilegium absolutum, aliud sub conditione, aut modo concessum, & qualiter hæc contingant. ibid. 1
Quando omissio operis, sub cuius onere priuilegium fuit concessum, irritet eius vsum. 2
Si detur tibi facultas dispensandi, absoluendi cum consilio alicuius, & omittas consilium, nulla est dispensatio. 3
Intelligitur doctrina de opere expostulato, quod de iure non inest. 4
Item aliud est priuilegium, quod vocatur ad instar, & quale hoc sit. 215.1
Debet habere effectum priuilegium ad cuius similitudinem est concessum, aliàs non tenet concessio. 2. & 3
An sub illa forma, Concedo tibi cathedram, canonicatum, sicuti habuit tuus prædecessor, censeantur concessæ facultates personales prædecessoris. 5
Deinde aliud priuilegium solet per communicationem concedi, & quotupliciter contingat. 216.1
Nunquam priuilegium vni religioni concessum, censetur alteri communicari, si obseruantia regularis inde diminuitur. 2
Quid si in ipsis priuilegiis caueatur, vt non censeantur aliis communicata. 3
Restrictio facta religiosis Societatis IESV, ne possint suis priuilegiis vti, nisi à Præposito generali fuerint communicata, non communicatur aliis religiosis, tametsi priuilegia communicentur. 4
Priuilegia, Iubilæa, & gratiæ concessæ alicui religioni in honorem alicuius sancti, proprij ad alias, transfertur in communicatione, proportione seruata. 5
Denique aliud est priuilegium concessum in forma communi, vel ex certa scientia, & explicantur. 217.1. & 2
Si ex certa scientia priuilegium confirmetur, renouat iam amissum. 3
Non censetur confirmari, si subreptione fuit impetratum, aut Concilio generali derogatum. 4
Si inseratur priuilegium confirmandum in confirmatione, tametsi nullum sit, valet confirmatio. Defenditur vt probabilius. 5
Clausula, vt omnes defectus iuris, & facti suppleantur, æquiualet clausulæ, Ex certa scientia. 6
Ad priuilegij concessionem non est opus scriptura. 218.1
An locum habeat in beneficiis. 219.3
An in facultate non residendi. 4
An in facultate ingrediendi monasteria monialiũ. 5
An in iudicibus à Romano Pontifice designatis. 6
An in remissionibus delictorum in nostro regno. 7
An in gratia, quæ consistit in iure ad agendum. 8
Priuilegij promulgatio, seu illius notitia requiritur, vt alij priuilegiatum non impediant, & quæ hæc debeat esse. ibid. 1
Non censetur priuilegium concessum, quousque illius notitiam habeas. 220.3. & seqq.
Non expostulat priuilegium notitiam illorum, in quorum damnum cedit. 221.7
Excipe, nisi priuilegio tollatur alicuius quæsitum. 8
Hæc scientia priuilegij requiritur in priuilegiato directè, secus in indirectè priuilegiato. 9
Priuilegij acceptatio sufficit, si facta sit per procuratorem, nuntium, &c. 222.10
Priuilegium nullus alius præter legislatorem concedere potest, neque aliis, nisi subditis. 223.1. & 2
Ad eius licitam concessionem semper causa requiritur. ibid. p. 5.1
Secus ad eius valorem. 2
Neque sine causa datum præsumitur. ibid.
Priuilegium valet pro omni loco concedentis. 224.1
Si pro aliquo loco limitatur à concedente, extra illum non potest extendi. 2
Si priuilegium sit dispensatio alicuius impedimenti, aut inhabilitatis, valet pro omni loco, ac si nullum fuisset impedimentum. 3
Si vsus concedentis non est extra territorium concedentis prohibitus iure communi, aut speciali constitutione illius loci poteris vti illo. 4
Secus si obstat legibus, & constitutionibus contractum respicientibus. 5
Expenditur vti ne possis priuilegio ab Episcopo concesso, si eius vsus obstet legibus communibus, vel municipalibus illius loci qua transis? Defenditur vt probabilius te vti non posse. Si vsus aduersetur speciali constitutioni illius loci, secus si communi. 6, 7. & 8
Priuilegio proprio nullus tenetur vti. 225.1
Excipe, nisi per priuilegium legi subiiciatur, cùm antea subiectus non esset. 2. & 3
Possitne priuilegiatus vti suo priuilegio aduersùs pariter priuilegiatum. 226. p. 8. per tot.
Priuilegium verbis claris concessum interpretatione non indiget, in dubio potius menti, quàm verbis inhærendum est, & ex supplicatione colligenda concessio. ibid. p. 9.1
Derogans iuri communi, vel alteri nocens, secundùm hanc partem odiosum est. Aliquando quando vni est odiosum, alteri est fauorabile, & tunc est mixtum. 2
In priuilegij interpretatione seruanda est verborum proprietas, quæ desumenda est ex vsu, & stylo concedentis. 3
Non est facienda ita stricta priuilegij interpretatio, vt reddat priuilegium inutile. 227.4
& ibi extenditur priuilegium ad necessariò connexa. Quæ sit lata interpretatio, quæ stricta. 5
Priuilegium, quod in nullius præiudicium cedit, latè est interpretandum. ibid. 1
Derogans iuri communi, regulariter est strictè interpretandum. 2
& explicatur exemplis. 3
An extendatur hæc doctrina ad priuilegium derogans statuto, aut consuetudini speciali. 228.4
Latè interpretandum est, si cedat in fauorem religionis, vel piæ causæ. 5
Item si sit insertum in iure communi. 6
Item si ex certa scientia concessum sit. 7
Priuilegium derogans alterius iuri strictè interpretandum est. 8
Quid de priuilegio ad lites, ad beneficia, &c. ibid.
Non est necesse priuilegium derogans iuri communi, habere clausulam derogatoriam expressè. 229.9
Excipe, nisi ius commune priuilegio restituat. 10
Derogans tamen iuri alterius, debet habere clausulam derogatoriam. 11
Priuilegium fauorabile non extenditur ad alias præter expressos, & qui hi sint. 231.1. & 2
Neque extenditur ad casus alios, vel personas, in quibus est similis, vel efficacior ratio. 232.1. & seqq.
Quid de potestate legitimandi adulterinum, & incestuosum?

cestuosum? si vtrunque vitium in eadem persona concurrat. 233.6.7.& 8
Priuilegium amittitur multipliciter. 234.1
Pro limitato tempore concessum illo transacto finitur. 2
Idem est, quando deficit conditio priuilegio inhærens. 3
Quando priuilegium conceditur ad aliquid agendum, non finitur actu inualido. 4
An vnico actu finiatur, latè examinatur. 5. & seqq.
Si priuilegium nondum sit integrè concessum, cùm cessat causa finalis, cessat priuilegium. 236.1
Causa hæc finalis verificanda est, cum Romæ priuilegium conceditur, & cum ab ordinario expeditur. 2
Priuilegia non habentia tractum successiuum, si tempore concessionis adest causa finalis, valent, tametsi postea cesset. 3
Quando priuilegium, seu dispensatio ad effectum non est perducta, non cessat, etsi cesset causa. 237.5
Priuilegium & dispensatio de obligatione diuidua, & ob causam similiter diuiduam cessat cessante causa. 6
Si causa concessionis integrè existit, cùm conceditur priuilegium, vel dispensatio, non cessat, cessante causa successu temporis. 238.7
Peccet ne vtens priuilegio, vel dispensatione cessante caussa illius. 10
Priuilegium in bonum commune concessum renuntiari non potest. 252.1
Quocirca clericus renunciare non potest priuilegio fori, & canonis. 2
Renunciatio priuilegij non est non vsus illius. 253.4
Ad renunciationem requiritur voluntas libera renunciantis. 5
Electus renuens consentire electioni, mutata voluntate consentire potest. 8
Debet renunciatio acceptari à concedente priuilegium. 254.10
Quæ sit renunciatio tacita. 11
Nisi acceptetur à concedente, non habet effectum. 12
Priuilegia, quæ in aliorum grauamen non cedunt, non perduntur per non vsum. 255.3
Quæ cedunt tunc amittuntur, quando grauati præscribunt. 4
Excipe nisi in priuilegio fuerit appositum, vt vtaris illo tuo arbitratu. 5
Decennium affirmat communis sententia sufficere, vt grauati præscribant aduersus priuilegiatum priuilegio non vtentem. 256.6
Resoluitur dari non posse regulam generalem, sed aliquando decennium, aliquando vicennium, & vltra est requisitum. 7
Amittuntur tunc priuilegia tam in foro conscientiæ, quàm in externo. 8
Priuilegium si solum fauorem priuilegiati respicit, non amittitur per actum contrarium. ibid.1
Amittitur tamen, si tractum successiuum non habet. 257.2
Quæ cedunt in aliorum grauamen non amittuntur, nisi ipsi præscribant. 3
Quoad valorem actuum, quibus priuilegio contradicis, cessat priuilegium, tametsi alij non præscripserint. 4
Si habes priuilegium non soluendi vectigalia, & permittas te scribi in libro, vbi cæteri priuilegiati scribuntur, non amittis priuilegium. 5
Idem si priuilegium habeas ne eligaris ad munera publica, & permittis te eligi. 6
Idem est de communitate exempta à decimis, si semel, vel iterum soluat. 7
Quæ requirantur ad præscriptionem contra priuilegiatum. 8
Quid dicendum, si condemneris ante præscriptionem in amissione priuilegij? 9
Item priuilegium amitti potest per illiùs abusum, & quibus modis abusus contingat. ibid.1
Si loquamur de amissione per sententiam, dignus est illa, qui priuilegio concesso abutitur quocunque modo. 258.2
Ipso facto propter abusum non priuatur quis priuilegio, nisi ex verbis priuilegij aliud constet. 3
Explicatur supradicta doctrina discurrendo per abusus communiter contingentes. 4
Priuilegium datum ad aliquem vsum validè reuocari potest absque causa, sed peccatum veniale committitur. 259.1
Transferens dominium in priuilegiatum nequit à concedente, neque ab eius successione reuocari. 2
Expenditur quæ causa sufficiat ad reuocandum priuilegium acceptatum, cuius priuilegiatus habet dominium. 4
Princeps reuocans priuilegium, quod sine causa reuocare non potest, tenetur probare causam à die reuocationis. 5
An requiratur ad huius reuocationem vltra legitimam causam compensatio priuilegij? Probabilius est non requiri. 260.6
Priuilegium onerosum, & remuneratorium non potest reuocari, nisi causa boni communis intercedat, & satisfactio reuocanti exhibeatur. ibid.1
Hinc dispensationes concessæ pro foro externo reuocari non possunt, nisi supradictæ conditiones intercedant. 2
Priuilegia concessa in bulla non reuocantur animo iubilæi. 3
Extenditur doctrina ad priuilegium remuneratorium. 4
Probabilitate non caret ad huius reuocationem requiri compensationem. 5
Quid necessarium est, vt priuilegium censeatur in remunerationem concessum. 6
Censeantur ne probata merita, si concedens ad esse affirmet? 261.7
Priuilegia gratuita, onerosa, & remuneratoria, casu quo reuocabilia sunt, reuocare potest concedens, & eius in dignitate successor. ibid. 1
Priuilegia qualiter reuocanda sint. 262.1
Clausula generalis in reuocatione expressa sufficit. 2
Excipiuntur priuilegia concessa per modum contractus oneris, siue remunerationis. 3
Item priuilegia habentia clausulam, vt non possint derogari. 4
Item priuilegia inserta in corpore iuris. 5
Quid si priuilegia sint in Concilio generali, debet expressè illius mentio fieri. 6
Sublimitanda hæc sunt, nisi aliter constet de voluntate derogantis. 263.7
Derogatio tacita, quæ consistit in contrarietate posterioris priuilegij cum antiquo, derogat antiquum, si concedatur ex sciẽtia prioris priuilegij. 8
Quando præsumitur hæc scientia, distinguitur ad eius explicationem triplex derogationis modus. 9
Si priuilegium insertum sit in corpore Iuris, lege vniuersali contraria derogatur, secus si extra corpus iuris sit. 10
Idem dicendum cùm alio priuilegio contrario derogatur, si in corpore iuris sit insertum. 11
Extra corpus iuris priuilegium non derogatur nisi illius

Index rerum.

illius fiat mentio, aliqui docent. 264.13
Probabilius est secundum priuilegium valere, non obstante generali priori. 14
Per sententiam reuocatur priuilegium, si reus condemnetur in illius amissione. 17
Priuilegij reuocatio si facienda est per legem, indiget ea publicatione, qua lex. 265.1
Si priuatum sit, non habet effectum quousque priuilegiato innotescat. 2
Debet innotescere per nuntium, vel epistolam, aut rescriptum ad id specialiter destinatum. 4

Probatio.

Ad condemnandum reum, vt hæreticum debet esse clara & manifesta. 517.1
Ad condemnandum reum vt suspectum hæresis sufficiunt præsumptiones iuris. ibid.
Hæresis probatur scriptura, verbis, & factis, & qualia hæc sint. 2
Aduersùs verba, & facta clara non admittitur probatio, nisi ad summum conie&turalis ex metu. 3
Confitens facta hæreticalia, & negans intentionem, condemnandus est vt vehementer de hæresi suspectus, si comparet ante denuntiationem. 4
Si citatus comparet, & negat intentionem, torquendus est, & in negatiua persistens tanquam suspectus vehementer est damnandus secundùm plurium sententiam. 5
Probabilius censeo tanquam hæreticum negatiuum esse puniendum. 6
Duæ probationes semiplenæ, non iunguntur ad vnã integram efficiendam, tametsi aliqui contra sentiant. 518.7
Contra accusatores, & fiscum in fauorem rei sufficit semiplena probatio, vt in pœnam ordinariam condemnari non possit. 8

Propositio.

Propositio contraria fidei est hæresis. 393.1
Propositio hæretica omnimodam contradictionem habet cum obiecto fidei. 3
Propositio erronea contradicit obiecto fidei, non immediatè, sed mediatè. 4
Hæresim sapit propositio, quæ per consequentias moraliter certas obiecto fidei contradicit. 5
Malesonans propositio duplicem sensum habet, Catholicum, & hæreticum, sed frequentiùs in malum accipitur sensum. 6
Temeraria est, quæ sine regula rationis procedit. 394.7
Scandalosa si occasio sit alteri errandi, vel malè de fide sentiendi. 8
In qualificandis propositionibus etiam committi possunt supradicti defectus. 9

Pueri.

Pueri ante pubertatem non adstringuntur censuris ab homine latis. 150.8
Imò neque videntur adstringi censuris à iure, excepta excommunicatione ob pensionem clerici. 9

R

Relapsus.

Relapsus hæreticus quis sit, & qua pœna afficiatur. 492.8.& seqq.

Religiosi.

Legibus ciuilibus eodem modo obligantur ac clerici. 172.10
Constitutionibus Episcopalibus deobligantur, exceptis casibus à iure expressis. 11
A quo possint religiosi in legibus, votis, iuramentis, & aliis pœnis dispensari. 198.§.4.per totum.
Qualiter possint eleemosynam facere, si beneficiati, aut Episcopi sint. 602.p.8.per totum.

Repressalia.

Repressalia licita sunt seruatis aliquibus conditionibus. 650.12

Rescriptum.

in Rescriptis iustitiæ per solam citationem iuridicam sentiunt plures desinere rem esse integram, & perpetuam iurisdictionem. 239.1
Probabilius est sufficere iudicem iurisdictione incepisse vti, tametsi citationem non fecerit, sed quia commune est citationem requiri, illud est sequendum. 240.2
Citatio debet esse egressa à delegato, & parti intimata. 3.&4
Neque requiritur trina etiam in casibus, in quibus per edictum quis citari potest. 5
Non perpetuatur iurisdictio eo quòd delegatus subdelegauerit, tametsi fiat partibus præsentibus. 6
Per rescripti præsentationem non firmatur iurisdictio. 241.7
An per vnam citationem firmetur iurisdictio rescripti plures causas continentis. 8
Quid si constituaris iudex delegatus ad vniuersitatem causarum, & citationem in vna causa facias? Affirmandum est iurisdictionem circa omnes firmatam esse. 9
Si causa commissa non indiget citatione prima muneris executione facta, firmatur iurisdictio. 10
in Rescriptis gratiæ ex vocatione partis dicitur negotium cœptum. 11
Quando censeatur rescriptum continere gratiam factam, quando faciendam. 242.§.2.per tot.
Non intelligitur gratia facta, quousque acceptata sit. ibid.5
Rescriptum iustitiæ perit finita iurisdictione in delegante, si res delegata integra sit, secus si non sit integra. 243.1
Quod procedit tametsi delegatus ignoret iurisdictionem delegantis expirasse. ibid.
Quid si ignorantia populi committatur. 2
Extenditur doctrina etiamsi sit delegatus à Principe, & etiam si dixerit delegans, quousque reuocauero, imò etiamsi partes consentiant. 3
Quid si delegatus aliquem subdelegauit, probabilius est spirare iurisdictionem in subdelegato morte delegantis. 48.5
Quid si primus delegans moriatur, postquam subdelegatus vti incepit iurisdictione. 6.& 7
Rescriptum gratiæ finita iurisdictione concedentis, non spirat, si gratia facta sit; secus si sit facienda. ibid.1.
Hinc licentia tibi data ad audiendas confessiones, non perit morte concedentis. 245.3
Quid si indultum sit de absolutione facienda certæ personæ? Communis sententia docet perire morte concedentis re integra. 4
Non videtur carere oppositum probabilitate, non est tamen consulendum. 5
Item non perit facultas tibi concessa eligendi Confessorem. 7
Idem de dispensationibus commissis ordinario, si preces veritate nitantur. 246.8
Quid de mandato, vt prouidearis in aliquo beneficio tunc vacante. 9.& 10

Facultas & licentia testandi Episcopis concessa non expirat. 11
Idem est de facultate à Rege concessa instituendi maioratum. 12
Rescriptum gratiæ pro limitato tempore concessum non expirat morte concedentis, quousque tempus finiatur. ibid. 1
Sed quid si concessum sit sub hac forma, ad annum, ad meum beneplacitum? Affirmant plures prorogari post annum, si Princeps viuit. 2
Oppositum est probabilius. 3
Gratia, dum fuerit nostra voluntas, ad beneplacitum nostrum, perit morte concedentis. 4
Non caret probabilitate oppositum. 5
Rescriptum gratiæ, & iustitiæ morte delegati, vel eius finito officio, quando expiret. ibid. §. 6. per tot.
Rescriptum gratiæ per subreptionem obtentum ipso iure est nullum, rescriptum iustitiæ venit annullandum. 314. 2
Debet in rescripto attendi quod sit primo concessum, vt intelligatur quando est rescriptum gratię, quando iustitiæ. 3
Taciturnitas veritatis, vel expressio falsitatis reddit supradicto modo rescriptum nullum, quamuis in causa non sis. 4
Si deceptio committatur circa substantialia, vel circa personam, cui committitur rescriptum annullatum, & explicatur exemplis de substantialibus in materia rescripti. 5
Explicatur de errore commisso circa personã. 515. 6
Quid si ex errore cõcedens dispensationẽ intelligat esse alium ab eo, cui re vera concedit? Affirmat Sanchez valere dispensationem. 7
Probabilius est oppositum. 8
Rescriptum sæpe vitiatur ex suppressione veritatis, vel expressione falsitatis circa causam finalem, quando hoc contingat, variant Doctores. ibid. 1. & 2
Probabilius est ex sola taciturnitate veritatis, quæ iure debebat exprimi, & ex sola expressione falsitatis, quæ iure taceri debeat, reddi rescriptum subreptitium. 316. 3
Expressio, & taciturnitas veri debet esse circa causam finalem. 4
Nomine iuris intelligitur non solùm ius scriptum, sed etiam stylus Principis concedentis. 5
Subreptio commissa in vna parte rescripti non vitiat totum rescriptum, si per ignorantiam etiam culpabilem, modò non sit crassa subreptio commissa. 322. 5
Vitiat tamen, si ex malitia & fraude procedatur. 6
Debet tamen vna pars cum alia coniunctionem habere, & ad eundem finem ordinari. 7
Impetrans rescriptum ad primum beneficium vacaturum, tacito defectu legitimę ętatis ad curatum, valet ad simplex. 323. 8
Impetrans dispensationem voti, & consanguinitatis ad matrimonium falsò allegata causa circa votum, rescriptum vitiatur. 9
Rescriptum hoc modo vitiatum non habet effectum, quousque vitium commissum in illa parte rescripti declaretur. 10

Restitutio.

Obnoxia restitutioni non sunt extorta blanditiis. 46. 4
Quid si iustè malum mineris absque animo inferendi, retinere possis, quæ sic extorques. 57. 5

Reus.

Semper citandus est, & qua ratione fieri debeat citatio. 509. p. 5. per totum.
Defensiones, exceptionésque legitimæ, & tempus aptum ad illarum probationem reo sunt concedendæ. 510. 1
Dandæ sunt hæ defensiones reo, tametsi conuicto & confesso. 2
Reo concedenda est indiciorum, & probationum aduersantium copia. 4
Item dandus est reo Aduocatus. 5
Reo inquisito minori 25. annis dandus est curator. 6
Quid si minor habeat patrem, debeat ne pater curatoris officium subire. Probabilius est non posse. 511. 7
Reus adorans dæmonem præter bonorum confiscationem alias pœnas incurrit. 554. 1
Ad huius capturam liquidiores probationes, quàm in aliis delictis requiruntur. 2
Si se detulit ad reconciliationem, secretum admittitur. 3
Quando huius absolutio ad cautelam, & abiuratio commissariis remittatur. 4
Reus officium inquisitionis impediens, examinari debet, qua ratione impediat. 555. 1. & 2
Qualiter hoc contingat, & quæ pœnæ sint impedientibus impositæ. 3
Vsurpans officium Inquisitoris ab Inquisitore, punitur pro qualitate causæ. 556. 4
Reus ducens secundam vxorem viuente prima, iudicibus fidei puniendus subiicitur. ibid. 1
Huius pœna est arbitraria. 2
Procedit tam in viro, quàm in vxore. 3
Religiosus ducens vxorem grauiùs punitur. 4
Reus non sacerdos Missam celebrans, suspectus est de hæresi. ibid. §. 9. 1
Pluribus in locis pœna mortis punitur, aliis verò, vt in Hispania, arbitraria. 557. 2
Transmittens arma, equos, bellicáque instrumenta hostibus nostræ religionis, subiiciuntur puniendi Inquisitoribus. ibid. p. 10. 1

S

Scandalum.

Scandalum quid sit. 658. 1
Duplex est, actiuum, & passiuum. ibid.
Non aduersatur passiuum speciali virtuti, sed per omnia vitia vagatur. 659. 6
Actiuum si directè volitum sit, hoc est, ex affectu vt proximus ruat, speciale est peccatum. 7
Si verbis, vel factis moueas aliquem ad peccatum, ea intentione, quia est malum illius, teneris in confessione exprimere. 8
Inducere ad peccatum veniale, quia malum proximi est, esse potest veniale. 659. p. 2. per totum.
Si iudices proximum, non quia malum illius est, sed quia tibi, vel alteri est vtile, peccas ea specie peccati, qua proximus. 660. 1
& ibi expenditur qua ratione inductionem hanc tenearis in confessione manifestare, & quibus in casibus. 2
An verò sit speciale peccatum aduersùs virtutem misericordiæ? Arguitur pro, & contra, & resoluitur apposita quadam speciali doctrina. 661. 5
Scandali generalem malitiam habet peccatum publicè factum. 663. 2
Tenerisque in confessione manifestare. 3
Si scires (quod rarò, vel nunquam fieri potest) neminem mouendum esse ad malum, non peccas tunc peccato scandali. 4
Scandalum est permittere peccatum alterius, vt deprehensus in illo puniatur. ibid. p. 5. 2

Permit

Index rerum.

Permittere vt deprehensus corrigatur, licitum est. Debet tamen certò de correctione constare. 3
Permittere peccatum, vt te indemnem serues, licet. 4
Offerre occasionem peccandi ob prædictos fines non licet. 5
Expenduntur aliquæ rationes contrariæ. 6
Scandalum est, si recta via possis diuertere proximum à grauiori peccato, suadeas minus. 664.1
Determinatum occidere Petrum non licet tibi ad vulnerationem Petri incitare. 2
Quid si Paulus pro conseruanda vita Petri teneretur propriam exponere, vel diuitias exponere, posses ne consulere tunc hoc minus malum? Resoluitur te non posse. 3
Determinatum vni ex pluribus iniuriam inferre, non licet tibi inclinare ad aliquem illorum, esto minus quàm alij patiatur damni. 4
Determinato perpetrare graue malum licet tibi materiam minoris mali proponere. 665.5
An id liceat persuadere? Arguitur pro & contra, & resoluitur sub distinctione. 6
Quid si volenti surripere nummos pauperi roges vt à diuite surripiat, non determinando diuitem? Affirmant plures licitum esse. 666.11
Sub distinctione respondetur. 12
Teneris ratione huius consilij restituere, esto contrà teneat Sanchez. 13
Mulier sciens ab aliquo turpiter amari, non peccat mortaliter in sententia Nauarri eius conspectui se præsentans. ibid.2
Debet tamen honesta causa duci. 3
Si nulla honesta causa, sed solùm vanitate ducatur, mortaliter peccat. 667.5
Item si animo roborandi turpem amorem. 6
Expenditur factum in die. 7
Si vendas rem, quæ communiter in malum vsum destinatur, vel semper, vel occasione temporis, debet tibi constare moraliter eum cui vendis non esse illa malè vsurum. ibid.3
Explicatur quomodo id tibi constare possit. 4
Si res in bonum vsum communiter ordinentur, licet tibi vendere, vel subministrare, quoties non constat de abusu petentis. 5
Si credas proximum iis indifferentibus malè vsurum, teneris si commodè possis ea illi non vendere. 6
Contrarium aliqui defendunt, sed immeritò. 668.7
Quæ causa sufficiat ad honestandam indifferentium administrationem non potest certa regula definiri. 8
Ministrans indifferentia non excusatur à peccato, ex eo quòd proximus aliàs peccaturus esset. ibid.p.9.per tot.
Item nec potes inuitare ad cœnam soluturo ieiunium. 669.2
Potes tamen petere actionem, à qua alius separare potest malitiam. 4
Sed hoc intelligitur causa iusta intercedente. 670.5
Expenduntur causæ ob quas famuli filij possunt parentibus, & dominis in peccatis ministrare. ibid. p.11. per totum.
Quæ sit subministratio proxima, quæ remota, & quæ causæ has subministrationes valeant honestare. ibid.
Locare, vendere domos, vestes, alimenta peccatoribus, communis sententia tenet licere absque nulla speciali causa. 672.p.12
Imò carius peccatoribus publicis, quamquam aliis honestis personis locari & vendi possunt. 2
Si tua domus aptior est ad malam negotiationem, vel turpitudinem, non licet tibi si commodè potes illis concedere. 3
Vsurariis alienigenis domus locari non possunt. 4
Patroni meretricum, si contenti essent officio sibi à republica designato, sustineri possent: at vt ipsi se gerunt vix absolui possunt. 5
Pingentes Adonidem, concubinam lenoni, idolum ethnico, an honestari possint. 6.& 7
Deponens pecuniam apud vsurarium, quibus scis malè vsurum, peccas, si absque graui causa facias. 673.p.13.1
Si tabernarius vendit vinum mixtum aqua, quod tu habes apud illum depositum, pro viribus debes venditionem impedire: si te ignorante facta non venditio, restituere debes, in quo factus sis locupletior. 2
Vinum his simulatoribus vendere non potes, si commodè possis venditionem excusare. 3
Vendens vinum inebriaturis causam grauem habere debet, vt excusetur. ibid.p.14.1
In vendente cibaria soluturis ieiunium minor causa, sed grauis desideratur, qualis est diminutio emptorum ex denegata venditione, nunquam tamen est censenda sufficiens causa amissio lucri, quod ex cœna vendita prouenire potest. 2
Posſitne dari aliqua causa excusans præbentem munera concubinæ iudicis, ab illáque petentem, vt iudicem in negotio interpellat. 674.p.15.1.& 2
ob Scandalum vitandum nulla sunt præcepta omittenda. ibid.p.16.1
Consilij opera non sunt omittenda ob scandalum ex malitia, differenda tamen ob scandalum ex infirmitate. 675.6
An fœmina teneatur abstinere à Missæ auditione ob turpem alicuius amorem. 7
Raró, vel nunquam obligatus es iacturam rerum temporalium facere, ne proximus peccet. ibid.17

Schisma.

Est diuisio ab Ecclesia, eiúsque capite. 1
Dupliciter contingit. 2
A subiectione Pontificis separare potes directè, & indirectè, & quibus modis contingat. 3
Pontifex ab vnitate Ecclesiæ se separare potest. 4
Peccatum schismatis est grauissimum. 5
Aliqui à communione Ecclesiæ se separant, quin sint schismatici, & qui ij sint. 6
Nolens exequi mandatum Pontificis, quia difficile, est schismaticus. 7
Neque est schismaticus qui dominium Pontificis in aliquam ciuitatem non recognoscit. 638.8
Item neque est qui non obedit Pontifici, quem probabiliter credit talem non esse. 9
Peccans mortaliter non est schismaticus. 10
Schismaticorum pœnæ plures sunt. ibid.1
Prima est priuatio potestatis, ordinis, & iurisdictionis. ibid.
Contingat ne hæc priuatio schismaticis non denuntiatis? Refertur quadruplex sententia, & approbatur occultum schismaticum priuari. 2.& 3
Secunda pœna est excommunicatio ipso facto. 639.4
Comprehendit non solùm schismaticos hæreticos, sed eos, qui hæresis suspicionem habent. 5
An quilibet inobediens Pontifici hanc excommunicationem contrahat. 6.& 7
Schismaticorum fautores, & receptatores non ligantur hac excommunicatione Bullæ. 8
Schismatici qui hæretici non sunt, absolui possunt semel in vita, & semel in morte virtute Cruciatæ, vel iubilæi concedentis casus Cœnæ. 9

Tertia pœna est inhabilitas ad beneficia. 640.10
Pœnitentibus schismaticis, & Ecclesiæ reconciliatis tollitur hæc inhabilitas secundùm probabilem sententiam. 11
Probabilius est dispensatione indigere. 12
Quis possit dispensare. 13
Probabile est occultum schismaticum dispensatione non indigere. 14
Beneficiis ante schisma obtentis non priuatur schismaticus, nisi hæreticus sit. 15
Quarta pœna enumeratur ab aliquibus irregularitas, sed non approbatur. 16
Quinta est suspensio ordinis à schismatico scienter recepti. 17
Sexta vt collatio beneficiorum ab iis facta irritetur. 18
Septima est suspicio hæresis vehemens. 19
Octaua est subiectio Ecclesiasticis iudicibus pro pœna sustinenda. 641.20

Scriptura.

Qualiter ad legem requisita sit. 118.p.7.per tot.
& qualiter ad priuilegium. 218.1

Scrupulus.

Scrupulus quid sit. 40.1
Contra illam agere licitum est, & laudabile. 2
Quomodo scrupulus cognoscendus sit. 41.1
Si sit in rebus efficiendis, non debet scrupulosus se in earum examinatione detinere. 2
De rebus præteritis non debet casum facere, nisi res clara sit. 3
Confessiones non debent scrupulosi repetere. 4
Neque illorum dubia Confessarius semper audire. 5
Eorum dubitationes in mitiorem partem interpretandæ sunt. 6

Sententia.

Sententia duplex est, condemnatoria, & absolutoria. 518.1
Vtraque in crimine hæresis ex iudicio peritorum pronuntiari debet, & qui ij sint. 519.2
Debet iis integrè processus manifestari, tacitis nominibus testium, tametsi qualitates illius omnino debeant illis declarari. 3
Si Inquisitores ad sententiam procedant, nullo peritorum consilio requisito, probabilius est nullam esse sententiam. 4
Horum tamen consilium sequi non obligantur Inquisitores, esto contrà plures sentiant. 5
Absolutoria, & condemnatoria sententia in scriptis debet proferri. 6
Prolatio sententiæ non est necessariò facienda ab ipsomet Inquisitore, sufficit si per Notarium fiat. 520.7
In absolutoria sententia non sunt proferendi specialiter errores, de quibus reus fuit accusatus. 8
Non debet reus in hac absolutoria sententia innocens proferri, sed ab instantia iudicij absolui. Excipe casum quo manifestè fuit probatum testem, & accusatorem falsò dixisse. 9
Reo absoluto, si nouæ probationes superueniant, poterit iterum examinari, & iudicari. 10
Condemnatus pœna arbitraria, eo quòd delictum plenè probatum non fuit, si superueniant legitimæ probationes, & pœna arbitraria non sit executioni mandata, poterit reus in pœnam ordinariam puniri, secus si mandata sit executioni. 11
Plures censent nullam esse sententiam condemnatoriam hæretici impœnitentis, nisi fiat in præsentia iudicis sæcularis. 521.12
Probabilius est oppositum. 13
Quid de stylo seruando in sententiis. 14

Seruus.

Seruus Christianus ob hæresim domini obtinet libertatem, paganus in seruitutem fisci transit. 487.18

Solicitatio ad Venerem.

Si in confessione fiat, Inquisitoribus subiicitur, & qualiter denuntiari debeat.
Vide verb. *Confessarius.*

Spes.

Spes quid sit, quod eius obiectum materiale. 567.1. & 2
Deus visus est immediatum obiectum spei. 3
Deus visus quatenus est nobis conueniens, est formale obiectum spei. 568.6
In quo spes à fide, & charitate distinguatur. 7
Distinguitur ab his virtutibus distinctione reali. 8
Spei duplex est actus, prosecutionis, & fugæ. ibid.1
Desiderare beatitudinem alicui, potest esse actus spei, si illam vt tibi conuenientem desideret, si vt alteri conuenientem, erit actus charitatis. 2
Ex gratia Dei, & ex nostris moribus speranda est beatitudo. 569.4
Bonum temporale sperari potest virtute spei. 5
Obseruare iustitiam ex timore gehennæ actus esse potest virtutis spei. 6
Spei actus propriissimus non est in beatis, bene tamen habitus quoad substantiam. ibid.1
Idem dicendum est de timore. Christus Dominus dum fuit in hac vita mortali habuit habitum spei. 570.4
Animæ in Purgatorio habent propriissimum actum spei. 5
Viatores iusti habent habitum spei, imò & peccatores, quorum peccatum virtuti spei contrarium non sit. 571.7
Spei præceptum negatiuum semper obligat, affirmatiuum aliquando. ibid.1
Obligat, quoties necessaria est ad orationem, pœnitentiam, vel tentationem vincendam. 2
Pro directa obligatione nullum est tempus determinatum, sed prudentis arbitrio. 4
Rarò homines, nisi perditissimi, executionem huius præcepti omittunt. 572.7

Statutum.

Statuto municipali obligari potest subditus absens ad id quod cedit in vtilitatem grauem municipij. 167.16
Ratione rei sitæ ligari potest absens statuto municipali. 158.19
Non ligantur absentes statuto municipali, quod specialiter in damnum communitatis non cedit, tametsi contrarium sit satis probabile. 20. & seqq.

Stylus curiæ.

Constituat ne legem. 193.8

Subditus.

Contra propriam opinionem tenetur superiori præcipienti obedire, tametsi existimet probabilius præceptum illicitum esse. 13.4
Contrarium non videtur improbabile. 14.5
Si sub opinione probabili est superiorem non esse legitimum, probabilius est te non esse obligatum obedire. 7. & 8
Dubitantem an res sibi præcepta licita sit, vel superioris potestatem excedere, communis sententia defendit obligatum esse. 36.2

Index rerum.

Religiosum dubitantem de honestate præcepti, non videtur improbabile de obligatum esse. 37.8
Probabilius est obligatum esse in casu dubio consulere viros doctos. 10
Tenetur subditus obedire superiori præcipienti rem ex qua dubitat, an terminos suæ iurisdictionis excedat. 11
Subintelligitur, si dubius sit post factam diligentiã, nam ante illam, si præcipiat, probabilius est non teneri subditum obedire. 38.13
In supradicto casu dubio nõ tenetur subditus obedire, si damnum graue ei ex obedientia resultet. 16
Idem est, si præceptum superioris sit nimis molestum, & durum. 39.18

Suspicio.

Suspicio hæresis quotuplex sit. 495.1
Explicatur ibi magna, leuis, vehemens, violenta. 2.& 3
Leuis suspicio non sufficit ad condemnationem. 496.4
Sufficit ad interrogandum reum si oriatur ex delicto, cui à iure est talis suspicio annexa. 5.& seqq.
Suspectus leuiter suspicione iuridica abiurat de leui. 497.8
Pro crimine inducente suspicionem leuem, condemnari potest reus ad aliquam pœnam pecuniariã, vel carceris pro aliquo tempore. 9
Suspectus vehementer ad quæ condemnari potest. 10
Quid si suspicio ex fautoria hæresis oriatur. 11
Suspectus violenter, vt hæreticus damnari potest. 498.12

T

Tactus.

Tactus in absentia coniugis absque periculo pollutionis licent. 93.16

Testamentum.

Si fiat à Principe, absque solemnitate valet, non tamen valet testamentum in fauorem Principis factum, nisi ipse priùs dispensauerit. 156.8

Testis.

In causa hæresis omnes admittuntur. 537.1
Excipiuntur capitales inimici. ibid.
Quis sit inimicus? Intelligitur de inimico vero, & suspecto. 538.10
Excluditur inimicus reconciliatus de recenti. 539.11
Non debet esse inimicitia à parte procurata. 12
Hi testes aliàs inhabiles ad solam probationem delicti, non ad alias circumstantias admittuntur. ibid.1
Negant plures admitti, si via accusationis procedatur. 540.3
Probabilius est oppositum. 4
Communis sententia negat hos admittendos esse absque tortura. 5
Contrarium est dicendum. 6
Admittuntur tametsi aliæ adsint probationes. 7
Admitti possunt tam contra reos, quàm pro ipsis. 541.8
In fauorem rei consanguinei admitti possunt, sed non tanquam integri testes, sed tanquam diminuti. 9
Testes in causâ hæresis compelli possunt ad testandum, esto absint, & extra iurisdictionem Inquisitoris existant. ibid.1
Debent per litteras requisitorias stari, & vocari. 542.2
Possunt examinari lite non contestata, & parte non citata. 3
Testes examinati parte non citata, iterum examinandi sunt, si pars aliquid opponit. 5
Testes cùm ex prima instantia examinantur, examinari debent coram Notario, & duabus personis discretis, spectato iure: at vsus contrarium obtinuit. 6
Facta testium depositio publicanda est reo suppressis nominibus testium. 543.7
Testes non sunt cum reo confrontandi, nisi in duplici casu. 8
Testes criminosi, & aliàs inhabiles, & singulares non integra probant. ibid.1
Quis sit testis singularis. 544.2
Quotuplex sit singularitas in testificando. 3
Testes singulares singularitate obstatiua, nihil probant. 4
Testes singulares singularitate cumulata, vel diuersificatiua probant, vt reus subiici possit quæstionibus, vel vt condemnetur in pœnam extraordinariam. 5
In dubio an testes de diuersis, an de vno actu deponant, præsumendi sunt de vno actu deponere. 6
Duo testes singulares omni exceptione maiores, sufficiunt ex plurium sententia ad reum condemnandum. 7
Probabilius est oppositum. 8
Testes deponentes de quodam actu hæreticali, variantes in loco, & tempore, affirmant aliqui esse contestes. 9
Probabilius est esse singulares. 545.10
At si vnus testis deponit de actu hæreticali tali loco & tempore, & alius de illo deponit, neque tempus designat, neque locum, contestes debent reputari. 12
Testes deponentes de eadem hæresi, & verbis discordantes, contestes sunt. 13
Ex depositione singulari trium, vel quatuor testium omni exceptione maiorum, affirmãt plures reum condemnari posse in pœna ordinaria. 546.14
Probabilius est oppositum. 15.& 16
Duo testes contestes omni exceptione maiores ad probationem plenam huius delicti sufficiunt. ibid.1
At in practica nunquam executioni mandatur, si reus probatæ vitæ sit. 547.2
Testis in tribunali inquisitionis falsus qui sit. ibid.1
Potest ab Inquisitore torqueri, & puniri. 2
An possit Inquisitor sine Episcopo, vel econtrà hunc testem punire: Sub distinctione respondetur. 3
Testis falsus in crimine hæresis pœna mortis afficiendus est, ex plurium sententia. 548.4
At ex consuetudine receptum est pœna arbitraria puniri. 5
Excipe, nisi ille contra quem deposuit, vt negatiuus fuerit morte affectus. 6
Si testificatus punitus non est, testis non est in pœnam talionis condemnandus, etiam spectato iuris rigore. 7
Nulla est differentia inter testem falsò deponentem hæresim nunquam damnato, vel iam de illa damnato. 549.8
Pœna arbitraria puniendus est testis falsus pro defensione inquisiti. 9
Contra huiusmodi testem, tanquam contra fautorem hæretici Inquisitor procedet. 11
Non euitabit pœnas, tametsi nulla sit eius depositio. 12
Quid si testis seipsum detulit, pœna est arbitraria puniendus, & mitiùs. 13

Quæ dicuntur de testibus, extenduntur ad illos corrumpentes, consulentes, &c. 14
Filius & nepos testis falsi condemnati nō sunt infames, neque aliis pœnis subiiciuntur, quibus subiiciuntur hæreticorum filij. 550.15

Timor.

Qui sit in beatis. 570.2.& 3
Timoris tam filialis, quàm seruilis datur præceptum. 572.5
Sed non videtur esse præceptum de exercendis iis actibus formaliter. 6
Raro homines nisi perditissimi executionem huius præcepti omittunt. 7

Tortura.

Tortura in crimine hæresis inferri potest, quando alia legitima probatio deficit. 513.1
Debent tamen præcedere legitima indicia, & sufficienter probata. 2
Vnus testis deponens non de delicto, sed de indiciis delicti, non sufficiet ad torturam. 3
Si plures quàm duo testes singulares concurrerent ad probationem indiciorum, posset reus subiici torturæ. 4
Dictum vnius testis de corpore delicti sufficit ad subiiciendū reum torturæ, tametsi alij contrarium sentiant. Intelligitur dummodo testis sit omni exceptione maior, & reus non sit probatæ virtutis. 5
Si eius criminis non præbet sufficiens indicium ad torturam. 514 6
Præbet tamen, si alio adminiculo adiuuetur. 7
Quid debeat iudex perpendere in depositione loci criminis. 8
Fama qua ratione præbeat indicium sufficiens ad torturam. 9
Confessio extraiudicialis est sufficiens indicium ad torturam. 10
Sola variatio, & vacillatio non præbet sufficiens indicium ad torturam, esto probabiliter alij contrarium defendant. 515.11
In crimine omnes aliàs exempti torquendi sunt. 12
Aliquibus placet hos leuiter esse torquendos, sed eorum dictum non est in iure fundatum. 13
Minores, senes, & valetudinarij torqueri possunt pro qualitate virium, excepta muliere prægnante. 14
Reus in tormentis delictum fassus debet ratificare, aliàs ex eius confessione ibi facta condemnari non potest. 516.15
Facta ratificatione si pœnitentiam expostulet, admittendus est, nisi fuerit relapsus, si in errore persistit, debent adduci Doctores, qui illum conuincant. 8
Si accedente tempore ratificationis reus reuocet, subiiciendus torturæ illorum est. 17
Si tortus sufficienter sit, & in negatiua persistit, absoluendus est. 18
Reo conuicto, & confesso potest tortura inferri pro habendis complicibus. 19
Quoties agitur, an reus subiiciendus sit torturæ, debet eius Aduocatas assistere. 20

Tyrannus.

Tyrannus an peccet condens leges. 132.11

V

Vagus.

Vagus qui sit. 164.1
Tenetur legibus loci, qua transit. 2
Potest puniri à iudice loci, in quo capitur, tametsi forensis, & peregrinus non possit. 4
Probabilius est remittendum esse ad locum delicti, si petatur à iudice illius. 5
Qui superior possit cum illo in lege, voto, & iuramento dispensare. 196.1

Vis, & violentia.

Hæ nunquam præsumuntur. 45.4

Voluntas.

Quando in virtute censeatur permanere. 43.1
Non censetur permanere ex eo quòd retractata non sit. 2
Euentus contingens quando euitari non potest, non addit malitiam causæ priùs appositæ. 44.3
Non censetur voluntarius retractata voluntate. 4
Euentus ortus ex causa voluntaria, qui impediri non potest, non est peccatum, ex plurium sententia. Probabilius est peccatum esse. 5.& 6
Effectus ex praua causa voluntaria orti manifestandi sunt in confessione. 45.7
Quoad natiuam inclinationem voluntas nunquam patitur vim. ibid.1
Quoad appetitum elicitum vim pati potest. 2
A multo agente creato necessitari potest. 3
Ira, concupiscentia, aliàve passio auget voluntarium, minuit liberum. ibid.2

Votum.

Omittens singulis diebus orationem Dominicam, quam tenetur ex voto recitare, quam culpam committat. 88.9
Violans pluria leuia vota eodem die non peccat mortaliter. 89.11

Vsusfructus.

Vsusfructus finitur, quoties vsufructuarius patitur maximam, aut mediam capitis diminutionem, & quæ hæc sint. 453.1
Sintne hæc correcta per authent. *Sed hodie.* 2
Concluditur non esse correcta. 454.3
Bene tamen in regno Castellæ. 4
Si delictum vsufructuarij habet annexam maximam, aut mediam capitis diminutionem, non publicatur vsusfructus, sed finitur spectato iure communi. 5
In regno Castellæ negant aliqui publicari. 6
Probabilius est publicari. 7
An committente patre delictum, cuius ratione exit filius à patria potestate, extinguatur in patre vsusfructus bonorum, quæ filius ante delictuu acquisiuit. 455.10.11.& 13

F I N I S.


LEGATORIA A. PANDIMIGLIO
ROMA





IHS

